PARIS. — IMPRIMERIE PIERRE LAROUSSE
49, RUE NOTRE-DAME-DES-CHAMPS, 49

SUPPLEMENTUM AD COMMENTARIA

IN

SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE

E SOCIETATE JESU

BALTHASARIS CORDERI

COMMENTARIA IN LIBRUM JOB

QUIBUS ACCEDIT

NOVA TOTIUS LIBRI EX HEBRÆO VERSIO LATINA NOTIS ILLUSTRATA

AUCTORE AUGUSTINO CRAMPON

DIŒCESIS AMBIAN. PRESBYTERO

EDITIO NOVA

ACCURATE EXPURGATA MENDIS QUÆ IN PRIOREM IRREPSERANT

TOMUS TERTIUS

LIBRARY
of the Missionaries of the S. Heart,
NATICK, R. I.

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

M DCCC LXXIV

http://www.obrascatolicas.com

PRÆFATIO

AD

LECTOREM.

Ne actum egisse videar, post tot illustres Jobi interpretes, hanc edens *Elucidationem*, hoc in primis scias velim, minime mihi propositum esse, omnes quæ circa textum occurrunt difficultates, et variorum de iis sententias in medium adferre, easque examinare, refellere, aut censere; cum id a Pineda nostro luculenter et erudite factum sit : nec etiam ad textum originalem veluti lydium lapidem singula scrupulosius explorare ac revocare; in quo multus est Bolducius nuper Parisiis editus : sed præmissa brevi (quæ mihi quidem maxime genuina videatur) ac dilucida litteræ expositione, ubi Septuaginta, Symmachus, Aquila, Theodotion, aliique antiquissimi interpretes græci, singularem quempiam variantibus suis lectionibus sensum aperiunt, aut novam textui lucem adferrunt, paulo enucleatius quam hactenus a Jobi commentatoribus præstitum sit, exponere; atque ex omnibus, quoad materiæ subjectæ ratio patitur, spiritales doctrinas asceticasque moribus formandis aptas institutiones elicere, ac selectis SS. Patrum sententiis illustrare; nec non in gratiam concionatorum, ubi id opportunum videbitur, easdem nonnihil etiam fusius subinde diducere, atque uberius explanare.

Dedi autem operam, non tam ut novas et curiosas ex ingenio aut cerebello meo comminiscerer explicationes, quam ut nihil non a SS. Patribus et optimis quibusque auctoribus probatum adferrem, quo sacer textus dilucide explicetur, et simul lectorum animi ad pietatem inflammentur. Hic unicus est scopus meus, quo tota mea collimat industria; quem ut certiori via rationeque assequerer, præcipuorum Patrum, et asceticorum, nec non interpretum clarissimorum lucubrationes diligenter pervolvi, ut Jobi loca singularia, pro oblata ex incidenti occasione, in operibus ipsorum σποράδεν illustrata, tanquam eximios flosculos colligerem, e quibus instar apis sedulæ et argumentosæ spiritalia mella exprimerem, huic operi tanquam alveari proprio inserenda, et suis quæque versibus ceu favi cellulis recondenda, ubi quibuslibet iis uti volentibus in promptu sint simul collecta, quæ alioquin in vastis Patrum aliorumque auctorum voluminibus dispersa, longissimo tempore ac maximo labore vix et forte nunquam invenirent. Cæterum qui ad hoc opus symbolam contulerint, sequens Elenchus declarabit.

http://www.obrascatolicas.com

ELENCHUS

AUCTORUM

QUI IN HOC OPERE CITANTUR.

A.

Abdias propheta, Aben Gorion Rabbi, Abraham Aben-Ezra R., Ado Trevirensis, Ælianus sophista, Ælius Lampridius, Æmilius Probus, Æneas Gazæus, Æschylus poeta, Agapetus diaconus, Agatharcides Gnidius, Agatharcides Polyhistor, Aggæus propheta, Albertus Magnus, Albinus seu Alcuinus Flaccus, Alcmanus, Alexander ab Alexandro, Alexander Pellegrinus, Alexander Trallianus, Almeon, Aloysius Lippomanus, Aloysius Novarrinus, Alphonsus Ciaconius, Alphonsus Roderiguez, Alphonsus Salmeron, Alphonsus Tostatus Abulensis, Alphraganus, Amadeus, Ambianus, S. Ambrosius, Ambrosius Catharinus, Ammianus Marcellinus, Amos propheta, S. Anacletus papa, Anastasius Bibliothecarius, Anastasius Nicenus, Anastasius Sinaita, Anaximander Milesius, Andreas Alciatus, Andreas Malonius, Andreas Schottus, Andreas Tiraquellus, Annæus Seneca, S. Anselmus, S. Antiochus, Antonius Agellius, Antonius Ferdinandez, Antonius Sabellicus, Apollinarius, Aponius, Apuleius, Aquila Ponticus, Architas Tarentinus, Aristides, Aristoteles, Aristippus, Ariston, Arnobius, Arrianus historicus, Artemidorus, Asterius, S. Athanasius, Athenagoras, S. Augustinus, Aulus Gellius, Ausonius.

B.

Bartholomæus Annulus, Baruch propheta, S. Basilius Magnus, Basilius Seleuciensis, V. Beda, Benedictus Arias Montanus, Benedictus Ferdinandius, Benedictus Justinianus, Benedictus Pererius, Berchorius, S. Bernardus, Bias philosophus, Blasius Vegas, Biondus, Boethius philosophus, Brixianus, S. Bruno.

C.

Cæcilius, Cæsar Baronius, Cæsarius Arelatensis, Cajetanus, Callicratides pythagoræus, Carolus Scribanius, Cassiodorus, Catena in Joannem, Catena in Job, Catena in Lucam, Catena in Psalmos, Cato philosophus, Cebes philosophus, Cellensis Abbas, Celsus Mancinus, Chaldæa Paraphrasis, Christophorus Clavius, Chromatius, Chronicon Franciscanorum, Cicero, Claudianus poeta, Claudius Aquaviva, Clemens Alexandrinus, S. Clemens Romanus, Cœlius Rhodiginus, Complutensia Biblia, Concilium Lateranense, Concilium Tridentinum, Cimbricenses philosophi, Copernicus Torinensis astrologus, Cornelius a Lapide, Cornelius Tacitus, Cydonius, S. Cyprianus, Cyprianus Cisterciensis, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Cyrillus Hierosolymitanus, Cyrilli Apologi.

D.

Daniel propheta, David propheta, David Kimchi R., Democritus philosophus, S. Diadocus, Didacus Baeza, Didacus de Celada, Didacus a Stunica, Didymus, Dio Chrysostomus, Diodorus Siculus, Diogenes Laertius, S. Dionysius Areopagita, Dionysius Carthusianus, Dionysius Halicarnasseus, Diphilus, S. Dorotheus, Durandus.

E.

Ecphantus pythagoræus, Elias Cretensis, Emmanuel Sa, Empedocles, S. Ennodius, S. Ephræm Syrus, Epictetus philosophus, S. Epiphanius, Eratostenes, Esdras, Evagrius, Eucherius, Eugubinus, Euripides poeta, Eusebius Cæsariensis, Eusebius Nierembergius, Eusebius Pamphilus, Euthymius, Ezechiel propheta.

F.

Ferdinandus de Salazar, Fernelius, Festus Pompeius, Festus Pomponius, Figuierius, Florus historicus, Foresterius, Fortunatus, Franciscus Forerius, Franciscus Lucas, Franciscus de Mendoza, Franciscus Suarez, Franciscus Titelmannus, Franciscus Toletus, Franciscus Valesius, S. Fulgentius.

G.

Gabria mythologus, Gabriel Vasquez, Galenus *medicus*, Gaspar Sanctius, Gaudentius Brixianus, Genebrardus, Georgius Brun, Georgius Fabricius, Georgius Pachymeras, Gillibertus abbas, Gratianus, S. Gregorius Magnus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Gregorius Nyssenus, S. Gregorius Thaumaturgus, Gregorius Turonensis, Guerricus abbas, Guido Fabricius, Guillielmus Budæus, Gyraldus.

H.

Habacuc propheta, Haymo, Hegesippus, Heraclides Ponticus, Heraclitus Tarentinus, Hermes Trismegistus, Herodotus, Hesiodus poeta, Hieremias Drexellius, S. Hieronymus, Hieronymus de la Nuza, Hieronymus Platus, S. Hilarius Pictaviensis, Hipparchus, Hippocrates Cous, Homerus poeta, Horatius Flaccus, Horatius Tursellinus, Horus Apollo.

I.

S. Ignatius martyr, S. Ignatius de Loiola, Innocentius VIII, S. Irenæus, Isaias abbas, Isaias propheta, Isidorus Clarius, Isidorus Hispalensis, Isidorus Pelusiota, Isidorus Siculus.

J.

S. Jacobus apostolus, Jacobus Alvarez de Paz, Jacobus Bolducius, Jacobus Bonfrerius, Jacobus Tirinus, Jamblicus, Jeremias propheta, S. Joannes evangelista, Joannes Antonius Velasquez, Joannes a Jesu Maria, Joannes Baptista Fulgosius, Joannes Baptista Ignatius, Joannes Baptista Mantuanus, S. Joannes Chrysostomus, Joannes Cyparissiotus, S. Joannes Damascenus, Joannes de Pinna, Joannes de Sacro-Bosco, Joannes Forerius, Joannes Freire, Joannes Lorinus, Joannes Maldonatus, Joannes Mariana, Joannes Nauclerus, Joannes Paludanus, Joannes Pierius, Joannes Pineda, Joannes Postelius, Joannes Scotus, Joannes Stobæus, Joannes Tollenarius, Joannes Vilalpandus, Joannes Zonaras, Josephus de la Cerda, Josephus Scaliger, Julianus Apostata, Julius Capitolinus, Julius Scaliger, Julius Solinus, S. Justinus martyr, Jus Canonicum, Jus Civile, Justus Lipsius.

L.

Lactantius Firmianus, Laurentius Gaza, Laurentius Justinianus, S. Leo papa, Leo Castrius, Leonardus Lessius, Levinus Lemnius, Liturgiæ Græcæ, Lucanus poeta, S. Lucas evangelista, S. Lucianus martyr Antiochenus, Lucius Charinus, Lucretius poeta, Ludovicus Blosius, Ludovicus Cresollius, Ludovicus de Ponte, Ludovicus Legionensis, Ludovicus Vives, Lycurgus legislator.

M.

Macarius Ægyptius, Macrobius, S. Malachias, Marcellinus Ammianus, S. Marcus evangelista, Marcianus, Marianus Victorius, Marinus, Marsilius Ficinus, Martialis poeta, Martynus del Rio, Martynus Polonus, Martinus Roa, S. Matthæus evangelista, Maurolicus, Maximus Tauri-nensis, Maximus Tyrius, Menander comicus, Mercerius, Mercurius Trismegistus, Methodius, Michæas propheta, Michael Ayguanus, Minutius Felix, Moschus poeta.

N.

Nævius, Nahum propheta, Nauclerus, Nectarius, Nemisianus, Niceas Syracusanus, Nicetas, Nicephorus Calistus, Nicolaus de Lyra, S. Nilus, Nonnus Marcellus, Nonnus Marcellinus.

O.

Odo Cluniacensis, Oleaster, Olympiodorus, Onuphrius Panuinus, Oppianus, Origenes Adamantius, Orus Apollo, Orpheus Thracius, Ovidius poeta.

P.

Palmerius, Papyrius Fronto, Paschasius diaconus, S. Patianus, S. Paulinus Nolanus, S. Paulus apostolus, Paulus Ægidius, Paulus Æginetа, Paulus Orosius, Paulus Sherlogus, Pausanias, S. Petrus apostolus, Petrus Berchorius, Petrus Blesensis, Petrus Chrysologus, Petrus Crinitus, Petrus Maffæus, Petrus Soto, Pherecides Syrius, Philippus abbas, Philippus diaconus, Philippus presbyter, Philo Judæus, Philolaus, Philostratus, Phocylides, Photius, Picolominius, Pierius Valenarius, Pindarus poeta, Pisides, Plato philosophus, Plautus comicus, Plinius, Plotinus philosophus, Plutarchus, Polycarpus, Polychronius, Pomponius Atticus, Pomponius Mela, Procopius, Prosper Aquitanus, Prosper Regiensis, Prudentius, Ptolomæus, Pythagoras.

Q.

Quinquarboreus, Quintilianus.

R.

Rabanus Maurus, Rabbi Levi, Rabbi Salomon, Rabbi Moyses, Remigius, Richardus Victorinus, Robertus Bellarminus, Robertus de Monte, Rondeletius, Rufinus, Rupertus, Ruricius episcopus.

S.

Salomon rex, Salvianus Massiliensis, Santes Pagninus, Sebastianus Barradas, Sedar Olam, Sedulius, Seneca tragicus, Septuaginta interpretes, Severianus, Severus, Sibyllæ Carmina, Sidonius Apollinaris, Simeon Junior, Simeon Metaphrastes, Simon Majolus, Simonides, Sisianus, S. Sixtus papa, Solon philosophus, Socrates philosophus, Sophocles poeta, Sophonias propheta, Sophronius, Sozomenus, Spartianus, Speusippus, Statius poeta, Strabo, Suetonius Tranquillus, Suidas, Symmachus, Synesius.

T.

Tesephorus papa, Tertullianus, Thales Milesius, Thalmud Hebræorum, Thargum Hebræorum, Thebitius, Themistius, Theocritus, Theodoretus, Theodorus Studita, Theodotion, Theognis, Theophanes Isauricus, Theophilus Alexandrinus, Theophrastus, Theophylactus Alexandrinus, S. Thomas de Aquino, Thomas a Kempis, Thucydides, Tigurina editio, Tzetzes.

U.

Ugo Carensis, Ulysses Aldrovandus.

V.

Valentinianus, S. Valerianus, Valerius Maximus, M. Varro, Vatablus, Victor Antiochenus, Victorius, S. Vincentius, Vincentius Regius, Virgilius Maro, Vitæ Patrum, Vitruvius, Volaterranus.

X.

Xenarchus, Xenophanes Colophonius, Xenophon, Xiphilinus, S. Xystus papa.

Z.

Zacharias propheta, S. Zeno Veronensis, Zephyrinus papa, Zoroaster, S. Zozymus.

http://www.obrascatolicas.com

—LIBRARY—
of the Missionaries of the S. Heart,
NATICK, R. I.

I.

PROLEGOMENA IN JOBUM [1].

Libri argumentum, constitum, structura et indoles.

I. Jobus, vir in terra Uz habitans, probitate sua et pietate in Deum conspicuus, summa opulentia et felicitate quum vitam plurium annorum spatio (2) exegisset, subito, auctore Satana, Deo vero permittente, omnibus opibus suis liberisque orbatur, et in morbum teterrimum incidit. Pius ille vir, perpetuo ulcere contabescens, vilissimorum hominum insultibus, imo uxoris propriæ exprobrationibus impetitus, minime tamen dejectus animo, in pietate sua manet. Mox sparsa longe lateque calamitatis illius fama tres ex ejus amicis ad luctuosum spectaculum accivit. Cum primum venissent, *ulceribus* scatentem nacti, vix notum vultum agnoscere valent. Septem integros dies in silentio utrinque perseveratur, hærentibus viris illis ad triste miserumque spectaculum. Tandem primus Jobus longum silentium abrumpens, acerbas eas vicissitudines alte indolet, diem suum natalem exsecratur mortemque optat. Tunc amici, quibus illud constitutum erat, neminem malo aliquo immeritum premi, viri pii gravissimas querelas veluti animi humanum aliquid in tot malorum angustiis patientis habent, serioque hortantur, ut criminum pœnitudine atque devoti animi subjectione inflicta a Deo mala portaret : sciret enim, neminem nisi pro meritis puniri. Jobus vitæ a se actæ probe conscius, et eo conscientiæ suæ testimonio securus, contendit omnia quibus premitur mala, graviora esse, quam pro meritis debuisset; falli proinde amicos, si eas omnes, quas homines patiuntur, pœnas pro meritis repensas crederent. Quæ cum plenus fiduciæ dissereret, nihil se timere dixit, si coram divino tribunali vocatus causam suam dicere cogeretur. Dicto illo exacerbati amicorum animi, Jobum velut impium et in Deum imperiosum durius reprehendunt. Paulatim per altercationem ad continuas infestasque orationes provecti, summa utrinque contentione disceptatum de magna illa, atque inter homines illius ætatis varie multumque agitata quæstione, *quam Deus rationem teneat in hujus vitæ miseriis atque prosperitatibus dispensandis?* Homines tantum impios, quos inter Jobus jure meritoque censeatur, inflictis malis plecti, affirmant amici. Contra vero Jobus pluribus contendit, sæpe viros etiam bonos malorum experimento a Deo probari, se autem nulla gravissimorum adeo criminum conscientia reprehendi, ut tam acerbe secum a Deo agi mereretur. Hanc controversiam tandem finire aggreditur primus Elihu, utrosque, et Jobum et adversarios, redarguendo; prorsus autem dirimit denique ipse Deus, e nube tonante spectandum se præbens. Is Jobi imprudentiores illas provocationes et gloriationes castigat quidem, ita tamen, ut viri innocentiam simul, simul probatam pietatem promulget, præmiisque amplissimis coronet. Statim enim a morbo reconvalescens Jobus, tum et pristinam sanitatem, cum et duplo locupletiorem, quam olim potiebatur, gazam, tum et filios recepit, et, quod caput est, felici exitu vitam ille suam meritis plenam clausit.

II. Ad consilium et finem, quo auctor talem scriptionem instituerit, quod attinet, nemini universam carminis seriem diligenter attendenti obscurum fore puto, illi propositum fuisse, ut doceret, falso hominibus fere persuasum esse, neminem nisi criminum suorum merito puniri, nihilque mali nobis contingere, nisi quod in nos antea criminibus provocaverimus; accidere enim interdum, ut homines etiam sincere probi malis plurimis iisque gravissimis, Dei permissu, opprimantur. Tota igitur disputatio est de probitate et improbitate, de felicitate et infelicitate, earumque relatione mutua, seu *de moralis providentiæ legibus*. Difficillima autem hujus quæstionis solutio tum eruitur ex prologo, in quo sistitur Deus viros bonos calamitatibus probari permittens; tum a numine ipso affertur in splendida illa θεοφανία et oratione (cap. XXXVIII-XLI), in qua docetur, quemadmodum rerum visibilium rationem homo ignorat, ita illi ignotas esse leges, quibus stet mundi hujus moralis invisibilisque ordo : quod si summa Dei sapientia in rebus visibilibus eniteat, eamdem in invisibilibus quoque adesse credendum est; tum denique ex locis, in quibus de vita post mortem futura agitur : de quibus in Dissertat. II. Igitur auctoris doctrina hæc est : *Fieri posse, ut hominibus probis calamitates infligantur, tamen propter has Deum injustitiæ et rationis in rebus humanis perversæ non esse arguendum, Deum enim justum et sapientem semper manere; imo potius causam illarum calamitatum in divinæ sapientiæ et providentiæ consiliis, quæ a nemine investigari et explorari possint, esse positam; itaque probos oportere calamitates patienter ferre, in virtute constanter permanere, summamque spem et fiduciam ponere in Deo, rerum humanarum moderatore justissimo et sapientissimo, qui calamitates probis immittens consilia optima sequatur, et proborum res ad felicem exitum perducturus sit.*

III. Liber tribus constat partibus. *Prima* pars est prologus seu exordium historicum, in quo calamitas, in quam Jobus, vir summa felicitate fruens et pietate singulari insignis, incidit, narratur, cap. I-II, prosa oratione. *Secunda* pars triplici rursum constat sermocinatione, versa oratione, cap. III-XLII. *a*) Disceptationum Jobum inter et triumviros, eum invisentes, orbis ternarius, cap. III-XXXI. Jobi orationem, qua diem natalem exsecratur, cap. III, sequitur *Congressus primus*, cap. IV-XIV : cum Eliphaso : Eliphasi oratio cap. IV-V, Jobi responsio cap. VI-VII; cum Bildado : Bildadi oratio cap. VIII, Jobi responsio cap. IX, X; cum Zopharo : Zophari oratio cap. XI, Jobi responsio cap. XII-XIV. *Congressus secundus*, cap. XV-XXI : cum Eliphaso : Eliphasi oratio cap. XV, Jobi responsio cap. XVI-XVII; cum Bildado : Bildadi oratio cap. XVIII, Jobi responsio cap. XIX; cum Zopharo : Zophari oratio cap. XX, Jobi responsio cap. XXI. *Congressus tertius*, cap. XXII-XXXI : cum Eliphaso : Eliphasi oratio cap. XXII, Jobi responsio cap. XXIII-XXIV; cum Bildado : Bildadi oratio cap. XXV, Jobi responsio cap. XXVI-XXXI. Zopharus nihil amplius habens, quod Jobo obloquatur, silentium tenet. *b*) Elihui judicium de illis disceptationibus, sermone tribus interjectis intervallis continuato, cap. XXXII-XXXVII. *c*) Dei oratio, qua omnem hanc litem dirimit, cap. XXXVIII-XLI. *Tertia* pars est clausula historica, prosa oratione, cap. XLII.

IV. Parum mores trium amicorum inter se discriminantur; *affectuum* sane *gradationi*, quam morum diversitati impensius studetur. Quod si aliquam hac in parte varietatem desideret delicata et fastidiosa recentiorum critica, excusanda est nascentis poeticæ artis simplicitate, quæ tamen rerum gravitate et sententiarum pondere abunde compensatur. Maxime quidem poema versatur in vehementioribus affectibus, dolore, iracundia, indignatione acerrimisque concertationibus, ad terrorem concitandum potissimum comparatum, et sublimitatem in primis spirans. Nec tamen desunt leviores animi motus, luctus et querimoniæ ad miserationem commovendam (veluti cap. XIV, 1, 2, 3, 6; XIX, 2, 3, 21, 22, etc.). Quantum denique in rerum descriptionibus valeat hoc carmen, vel sola Dei oratio, rerum naturalium, animalium præsertim imagines, vividissimis coloribus designatas exhibens, ostendit.

De carminis materia historica et poetica.

I. Num Jobus unquam exstiterit, et num ea, quæ in poemate de ejus pietate, calamitatibus, certaminibus et felicitate restituta narrantur, vere sint gesta, an omnia hæc ficta sint, quæritur. Fuerunt, qui omnes res, quæ in poemate commemorantur, vere factas esse putarunt; sed multa et gravia sunt, quæ his adversantur. Tacita relinquo, quæ in libri exordio leguntur de Satana in Dei conspectum sese una cum Dei filiis sistente, instar ministri aut apparitoris coram rege adstantis et ad ejus imperia exsequenda accincti, item de familiaribus ultro citroque Deum inter et Satanam habitis colloquiis, quæ omnia tropice dicta fuisse nemo dubitat. Verum sunt alia plura, quæ eo modo, quo sunt narrata, vere accidisse vix est credibile. Primo enim tot numeri rotundi, atque etiam duplicati in vitæ Jobi enarratione concurrunt, quod casu consistere non est opinabile. *Decem* ei liberi perierunt, filii *septem* (in quibus sacrum Orientalium numerum est agnoscere), *tres* filiæ; ad horum modum *septem* ovium millia, *tres* camelorum, *mille* præterea boves, et perfecte dimidiato numero asinæ *quingentæ*. Pro his redduntur *quatuordecim* ovium, *sex* camelorum, *duo* boum millia, ac *mille* asinæ, exacte duplicatis numeris, liberi totidem quot habuerat, *septem* filii, *tres* filiæ. Annorum, quos post cladem felices agit Jobus, eadem ratio : duplicati sunt ex numero septuagenario. Hæc omnia artificem arguunt historiæ conditorem, qui rotundos arripere numeros solet. Tum Jobi illa amicorumque colloquia, quæ longe maximam totius operis partem implent, vere habita et scripto fideliter mandata quis sibi persuadeat? Num tibi credibile fiat, miserum hominem, mœrore confectum, ac morbo superincumbente jam absumptum et seminecem, eum inquam, velut pro concione diceret, sermones adeo longos tanto apparatu, tanta copia, tot figurarum luminibus distinctos, quin et metri legibus adstrictos, cum familiaribus habuisse? eos similiter amico respondentes pari tenore perorasse? Laudat quidem Schultensius (1) ut persuaderet, rem non adeo esse incredibilem, Arabum facultatem, carmina non meditata fundendi. Cui tamen recte Michaelis respondet : « Ut non negem, valde gentem poesi studuisse, ejusque etiam extemporalitati, nunquam tamen mihi persuadebo, perfecta adeo carmina, quibus nihil sublimius nihil-

(1) Conf. Albert. Schultens, *Liber Jobi cum nova versione ad hebræum fontem*. etc. Lugd. Batav. 1737; Dav. Renat. Boullier, *Observationes miscellaneæ in librum Job*. etc. Amstelod. 1758; Pareau, *De immortalitatis notitiis;* Rosenmuller, *Prolegomena in Jobum;* Herbst et Welte, *Historisch kritische Einleitung in die heilig. Schriften d. alt. Test.* ad h. l.; Stickel, *Das Buch Hiob rhythmisch gegliedert*, etc.

(2) Septuagenarium fuisse Jobum, quum calamitates ei ingruerent, inde colligitur, quod post restitutionem CXL annos vixisse dicitur cap. XLII, 16. Nam quum cæteris omnibus, quorum jacturam fecerat, duplo auctus fuerit, vitæ ejus quoque annos duplo plures, quam antea vixisset, additos fuisse credibile est. Sunt autem CXL anni duplicati ex numero septuagenario. (Rosenmuller.)

(1) In *Commentar.* ad cap. III, 1, p. 45.

http://www.obrascatolicas.com

que lugubrius uterque orbis audivit, colloquendo effusa esse. Ac vero ridiculæ artis fuisset, in tanta rerum acerbitate facta adeo uti oratione, dirissimos dolores pulcherrimo carmine deplorare, et desperantem elaboratissimis solari versibus (1). » Insuper, si omnia infanda perpessus est Jobus, quæ ipse cap. XXX enarrat, ea ejusmodi sunt, quæ longius multo temporis spatium videntur postulare, quam a rerum cap. I narratarum initio ad amicorum adventum usque effluere potuit. Sed, etsi quædam sint in hoc libro, quæ ad ingenium auctoris poeticum pertinent, totum librum historiamque esse rem fictam, ut Berstein, de Wette, etc. volunt, perperam inde statueretur. Primum enim, olim vixisse Jobum aliquem, singulari pietate, virtute atque animi constantia inter varia et maxima fortunæ discrimina conspicuum, alia S. Scripturæ loca docent, veluti *Ezech.* XIV, 13; *Tob.* II, 12; *Jacob.* V, 11. Ad hæc antiquissimi Patres eximium illum et sanctissimum heroem celebrant, et christianis ceu patientiæ exemplar in adversis imitandum proponunt. Insuper si scriptor omnia, quæ de persona Jobi ejusque rebus narrantur, finxisset, cur in fingendo in res nimis alienas et remotas incidisset, non intelligeretur? Sic id mirum foret, quod auctor *domicilium Jobi* in terra Uz, regione satis incognita, collocavit, et quod eum affectum elephantiasi, qui morbus malum aliis malis rarius erat, depinxit. Omnia igitur quæ de Jobo commemorantur, a scriptore excogitata esse demonstrari nequit. Neque ex significatione appellativa nominis *Jobi* personam ejus fictam esse conjicere licet : conf. nostras ad h. l. notas. Quæ vero poetæ ingenio, quæ veræ historiæ sint deputanda, v. g. an trium Jobi amicorum nomina, *Eliphas*, *Bildad*, etc. a poeta ficta sint, an a vera traditione desumpta, inquirere frustra multi laborant; nam quidquid ratio poetica non necessario vindicat, ad historiam pertinere gratis omnino negaretur.

II. Scena historiæ ponitur in terra *Uz*. Quæ ubi quærenda sit, multum varieque disputatum est. Sententia tum eorum, qui Usitidem Idumææ esse partem existimant, tum eorum qui putant terram Uz esse vallem Damascenam, Arabibus hodie *al-Gutha* dictam, idoneis rationibus confutata, hæc Rosenmullerus : « Superest, ait, tertia sententia, terram Uz in Arabia deserta, seu Scenitide sitam fuisse. Quæ Arabia a *Septentrione* Mesopotamiæ parte et Euphrato fluvio, ab *Occidente* partibus Syriæ, Palæstinæ et Idumææ, vel Arabiæ Petrææ, a *Meridie* Arabiæ Felicis montanis, ab *Oriente* Chaldææ pariter et Babyloniæ montanis terminatur. Sed quum hæc ipsa in immensam longitudinem et latitudinem per vastissimos eremos porrigatur, alii in parte ejus meridiali, alii in septentrionali parte, Euphrati ac Mesopotamiæ conligua, Usitidem censent collocandam. Quarum sententiarum posterior a Spanhemio (*Hist. Jobi*, cap. IV) potissimum commendata, reliquis omnibus est verisimilior. » Ita quoque Bochartus et Umbreit, ob rationes sequentes : *a*) ex loco *Gen.* XXII, 21, terram *Uz* Aramæam fuisse patet; *b*) sola ea pars Arabiæ Desertæ omnium maxime est Chaldæis et Sabæis contermina, de quorum incursione agitur in ipso libri exordio; *c*) Jobus *Orientalis* appellatione designatur, quæ appellatio maxime Arabibus congruit. Alii tamen, ut Herbst, Heiligstedt, Winer (in *Realworterbuch*) etc., priorem sequuntur sententiam juxta quam Jobus erat ditissimus *Emir* Arabiæ Felicis, habitans regiones olim fertiles illas, quæ jacent infra Mare Mortuum Orientem versus, Idumæam inter et Arabiam Petræam. Adversariis autem hæc reponunt : *Prima* ratio non valet, nam *Gen.* XXXV, 28 memoratur alter *Uz*, Seiris nepos; neque *secunda*, siquidem Chaldæorum et Sabæorum nomine auctor libri Job designat omnes *nomadum* tribus, Palæstinæ Idumææque orientales fines inter et Euphratem, longe lateque excurrentes; neque *tertia*, nam Jobus in utraque opinione *Arabs* et *Orientalis*, seu בן-קדם merito appellatur.

III. « Qua vixerit ætate Jobus, res est in ambiguo. Sunt, qui coævum statuant Patriarchis, et Mose vetustiorem; sunt qui Mosi et servituti Ægyptiacæ Hebræorum supparem malunt; alii cum tempore itineris Israelitici per desertum, sive cum Judicum ætate componunt. Revocant alii ad Davidis et Salomonis tempora; alii ad usque exsilium Babylonicum, vel eo durante circiter. Vulgo tamen recepta opinio est, Jobum antea vixisse, quam Moses Israeliticam civitatem instituisset, legesque condidisset, ut historia Genesim inter Exodumque media sit collocanda. Verum quæ ad eam sententiam vindicandam qui eam defendunt potissimum urgent, nullam in universo libro legum Mosaicarum mentionem fieri, rituum, morum, rerum Israeliticarum speciem aut umbram reperiri plane nullam, hæc, inquam, nequaquam quod illi volunt, probant. Ne enim historiæ Hebraicæ aut rerum Israeliticarum quicquam immisceretur, vetabat fabulæ scena, quæ non intra Israeliticæ terræ fines esset. Eodem pertinet, quod nullum cultus Levitici vestigium in hoc libro deprehenditur. Nam quum Jobus veri quidem Dei cultor sisteretur, sed non Israelita (2), nihil

(1) Ita jam Mercerus : « Non credendum, inquit, in tanta morbi gravitate tantum fuisse otii Jobo, ut hæc ita carmine dicere potuerit. Aut pauciora, aut plura dixit. Sed hic est eorum, quæ dixit, sensus, redactus postea in in hanc verborum formulam a scriptore hujus libri. »

(2) « Quod nulla apud Jobum mentio sit Patriarcharum, quorum tamen fata ac res gestas scriptorem latere non potuisse, ex hebraico totius libri colore efficiendum existimem : hoc igitur silentium cum non fortuitum, sed de industria quæsitum sit, oportet ut causam habeat gravissimam, quæque sapientissimo auctore digna sit. Ac talem mihi reperisse videor in generali libri consilio, quod non modo ad Israelitas, sed ad alias etiam gentes quascumque spectaverit. Est scilicet carminis argumentum manifesto hujusmodi, ut quam latissime pa-

eorum, quæ ad cultum Leviticum spectarent, commemorari licuit; neque igitur id arguit, Jobum iis vixisse temporibus, quibus sacrificiorum usus nec ad certum locum, nec ad sacrorum ministros, sacerdotes, hosque a tribu Levi, nec ad certos ritus in Levitico descriptos, restrictus fuit. Alia vero, quæ nonnisi remotissimo ævo congruere volunt, ut quod senum effata pro legibus (cap. VIII, 8; XV, 10, 18), insomnia pro oraculis (IV, 12 seqq. XXXIII, 15), voces ad aures perlatæ pro monitis divinis habentur, et seriorum Hebræorum cogitandi judicandique modo convenire, recte animadvertit Bernstein. Contra insunt huic libro ut idem vir doctissimus vere observat, plura, quæ lectori persuadeant, vixisse Jobum iis temporibus, quibus homines ævi patriarchalis simplicitatem jam dudum egressi essent. Et Jobum quidem ipsum vitam urbanam degisse, et, nisi princeps suæ urbis fuerit, certe tamen inter primores fuisse, testatur ipse in jucunda illa pristinæ suæ felicitatis pictura cap. XXIX, hisce verbis vers. 7-9 :

> Quando ad portam per urbem proficiscebar,
> Aut in foro sedem meam parabam,
> Videntes me juvenes abdebant sese,
> Senesque adsurgebant et stabant;
> Principes continebant verba,
> Admota ad os manu.

Urbani strepitus fit mentio cap. XXXI, 7 (al. 10). Ad sententiam judicis scripto consignatam alludit cap. XIII, 26; ad tabulas signatas, quibus rei causa in judicio defenditur, cap. XXXI, 25; ad sermones in libro litteris mandatos cap. XIX, 23, et *ibid.* 24 ad morem publica monumenta plumbeis voluminibus inscribere, aut saxo insculpere. Quæ ævo patriarchali haud magis congruunt, quam cap. XX, 24 commemoratio armaturæ ferreæ, aut equi bellici descriptio cap. XXXIX, 31 seqq. Neque vitæ pastoritiæ, qualem patriarchas egisse constat, convenit illa Jobi contestatio cap. XXXI, 38, se non alienos fundos injusto modo occupasse, et possessoribus eripuisse. Neque antiquissimorum illorum temporum fuit, quod cap. III, 13, 14, mentio fit regum, qui urbes arcesque collapsas restaurabant, ut inde sibi gloriam immortalem pararent, quique palatia incredibili auri copia refertissima possidebant. Homines Jobi æquales accumulandis auri, argenti, gemmarum, vestiumque pretiosarum thesauris, metallisque e terræ visceribus eruendis intentos fuisse, probant loca cap. XX, 15; XXIII, 10; XXVII, 16, 17; XXVIII, 1-21. Sceleratos denique proceres et optimates eo quo vixit Jobus tempore in pauperes et imbelles superbia et violentia sæviisse, produnt quæ cap. XXIV, 2-16 leguntur. »

Quæ Rosenmulleri (1) verba si cum iis conferas XI quæ in § ultimo dicemus, ad hanc, ut opinor, facile adduceris sententiam, Jobum vixisse in hoc temporis intervallo, quod Josuam inter et Samuelem effluxit.

De libri integritate.

Sunt plures libri partes, quas auctori libri Jobi esse tribuendas hodierni non pauci interpretes ne-

teat, quando quidem ab omni ævo et apud omnes gentes maxima semper fuit hominum ad carpendam Providentiæ iniquitatem proclivitas, atque præstantissimum divinumque poema ad harum reprehensionem perversitatem demonstrandam a scriptore procul dubio destinatum erat. Itaque prudenter noluit poeta eximius talia immiscere, quæ ad suam gentem unice pertinerent. Quanquam enim et ad peculiarem Israelitarum, et ad consuetudines ac notiones apud eos vel receptas, vel cognitas, ipse Israelita quum esset, non alludere non potuit, nec cavere omnino, ut ad ævi rationem se componeret; Israelitas nihilominus eorumve proavos nominatim commemorare, aut exempla ex horum vel illorum historia illustrandi caussa adjicere; hoc igitur vetabat, ut puto, carminis indoles, cujus scena non apud Israelitas, sed in Idumæa collocaretur, quodque, etsi Israelitarum usibus imprimis inserviens, non horum tamen in gratiam, sed longe generaliori consilio ad compescendas hominum quorumcumque de divino regimine querelas componeretur. » Pareau in *Commentat. de immortalitatis notitiis*, p. 119 seq.

« De ce que le livre de Job est conçu en dehors des idées que l'on désigne du nom de *mosaïques*, on ne saurait donc conclure que ce livre soit antérieur à Moïse. Une branche entière de la littérature hébraïque est dans le même cas, je veux parler de toute cette littérature de philosophie morale, dont le livre des *Proverbes*, un grand (?) nombre de *Psaumes*, le *Cantique des Cantiques*, auquel nous croyons devoir attribuer une assez haute ancienneté, sont d'insignes monuments. Cette littérature, en général groupée autour de Salomon, n'est pas spécialement juive ; elle est, comme le livre qui nous occupe, purement sémitique. Salomon, qui la cultiva avec tant de succès, était dans des relations intimes avec les pays voisins de la Palestine... Toute son histoire nous le montre comme un paraboliste bien plus préoccupé de la sagesse profane des nations que du culte pur de Jéhovah. Les tribus voisines de la Palestine, et en particulier les *Beni-Kedem* ou *Orientaux*, chez lesquels se passe la scène du livre de Job, participaient à la même philosophie (I *Reg.* V, 10; Vulg. III *Reg.* IV, 30). La tribu iduméenne de Théman, en particulier, à laquelle appartient le principal des adversaires de Job, était célèbre par ses sages (*Jérém.* XLIX, 7; *Obad.* 9; *Baruch.* III, 22-23; conf. *Job.* XV, 10, 18, 19). Il est donc certain qu'il y eut là un mode spécial de culture intellectuelle, une école, si l'on veut, dont le peuple d'Israël nous a seul transmis le souvenir, mais qui ne lui était pas exclusivement propre. Il est même probable que parmi les monuments de la sagesse hébraïque nous ont été conservés des fragments de la sagesse des tribus voisines. Ce roi Lamuel, sous le nom duquel le compilateur du livre des *Proverbes* nous a conservé le début d'un poème gnomique (chap. XXXI, 1-9) a été considéré par plusieurs critiques comme un roi arabe; et, en effet, si son nom n'est pas symbolique ou fictif, il faut certainement le chercher hors de la série des rois d'Israël. Le poème d'Agur (*Prov.* XXX), qui offre avec le précédent de grands traits de ressemblance pour le style et la manière, a peut-être une origine analogue. » Renan, *Le livre de Job*, etc. p. XXIII seqq.

(1) *Prolegomena in Jobum*, p. 31 seqq.

http://www.obrascatolicas.com

garunt. Quæ partes sunt I. Prologus cap. I-II, et epilogus cap. XLII, 7-17; II. Cap. XXVII, 7—28 et XXVIII, 3; III. Orationes Elihui cap. XXXII-XXXVII; IV. Cap. XL, 15—XLI, 26, quæ pars hippopotami et crocodili descriptionem continet. Hæc fragmenta auctori libri perperam abjudicari, paucis ostendamus.

I. Qui *prologum* et *epilogum* ab aliena manu additos esse censent (1), hæc argumenta attulerunt : « *a*) *Prologum* et *epilogum* prosa oratione esse conceptos, contra in reliquis auctorem *poetico* dicendi genere uti. At historiam prosa oratio decet, quæstionibus vero de divina rerum humanarum regendarum ratione philosophicis genus dicendi sublimius et poeticum convenit. *b*) In *prologo* et *epilogo* Deum *Jova* appellari, contra in partibus libri poeticis *El*, *Eloah* et *Shaddai*. At hujus rei causa in consilio scriptoris est posita. Is enim in partibus carminis poeticis *El*, *Eloah* et *Shaddai* dicit, excepto cap. XII, 9, in quo poeta sibi non constitit; ubi autem scriptor loquitur narratoris personam sustinens, nomine *Jova* utitur, non solum in prologo et epilogo, sed etiam in parte poetica, cap. XXXVIII, 1; XL, 1, 3, 6; XLII, 1, ita tamen, ut nonnunquam nomen *Elohim* ponat, cap. I, 5, 22; II, 9, 10, pariter atque ii scriptores historici, qui Deum nunc *Jova*, nunc *Elohim* nominant. Cæterum *Elohim* etiam in poemate ipso occurrit : cf. V, 8; XX, 29; XXVIII, 23. *c*) In *prologo* et *epilogo* multum tribui sacrificiis, contra in ipso carmine nullam eorum mentionem fieri. Recte; nam sacrificia tempore patriarcharum, cui Jobi historia assignatur, in Dei cultu necessaria erant; sed a quæstionibus philosophicis eadem aliena sunt. *d*) Pugnare cap. I, 19 *prologi* cum cap. XIX, 17 ipsius carminis, quum I, 19 liberi Jobi ruina domus periisse dicantur, XIX, 17 vero Jobus se iisdem fastidio esse dicat. Sed de hac re vid. ad cap. XIX, 17. *e*) Pugnare item cap. I, 21 seqq. II, 10 cum cap. III, 3 seqq. Sed id nihil miri habet, quod, qui primo calamitatem æquo animo tulit, postea, quum dolores manere et crescere sentiat, et amicos se velut impium suspiciose intueri opinetur, omnem patientiam exuit et ad desperationem adducitur. *f*) In *epilogo*, cap. XLII, 7 seqq. Deum Jobi sermones laudare; id vero pugnare cum eo, quod Jobus in poemate ipso adversus Deum impie locutus sit, eumque esse injustum esse contenderit. Sed hæc laus tantummodo ad id pertinet, quod Jobus de re, in quo totius poematis cardo vertitur, de causa calamitatis sibi inflictæ, recte affirmaverat. Recte enim Jobus mala sua sibi non merenti accidisse dixerat. *g*) In *epilogo* Jobum in pristinum statum eumque feliciorem, quam antea, restitui; cujus rei causa quum secundum prologum et epilogum nonnisi in Jobi pietate ponenda sit, apparere eorum auctorem inveteratam opinionem tenere, quam Eliphazus et socii ejus tueantur; contra scriptorem in carmine ipso eam impugnare, itaque prologum et epilogum alii atque carminis hujus auctori esse tribuendos. At vero poeta, qui sententiam suam per opinionum certamina expedire voluit, primo quidem totam veterem opinionem impugnat, postea vero eo pervenit, ut illam opinionem, quatenus ea Deum in regendis rebus humanis semper esse justum dicit, teneat, sed id, quod illa calamitates semper pro peccatorum pœnis habendas esse censeat, falsum esse demonstret. Consilium igitur poetæ in eo erat positum, ut calamitates hominibus piis accidere posse, causamque hujus rei non in eo, quod Deus pios injuste tractet, sed in consiliis sapientiæ divinæ inexplicabilibus quærendam esse, hominibus autem piis cum fortuna adversa conflictantibus spem ponendam esse in Deo, qui eorum res ad felicem exitum perducturus sit, ostenderet. Quare id, quod Jobus a Deo in pristinum statum restituitur, a fine carminis nequaquam alienum est (2). » Ad hæc vix est quod moneamus, carmen Jobi, prologo et epilogo ab *eo sejunctis*, esse opus imperfectum et mancum, apto initio et fine carens, neque eam perspicuitatem, quæ necessaria sit ut intelligatur, habere.

II. Ea quæ inde a cap. XXVII, 7 usque ad caput XXVIII, 28 leguntur a libri Jobi auctore profecta esse negavit Bernstein, censens id abhorrere a carminis institutione et fine, quod *a*) in cap. XXVII, 7-23, Jobus amicos de sorte improborum recte dixisse concedat (3); et quod *b*) in cap. XXVIII ea, quæ Jobus de causis malorum suorum in sapientia divina inexplicabili quærendis pro-

(1) Cf. Hasse, *Vermuthungen üb. d. B. Hiob*; Stuhlmann, *Hiob. ein rel. Gedicht aus d. Hebr. neu übers.*, p. 23 seq.; Bernstein, *Ueber d. Alter, d. Inhalt. d. Zweck, u. d. gegenw. Gestal. des B. Hiob*; Knobel, *De carminis Jobi argumento, fine ac dispositione*, p. 31-39.

(2) Heiligstedt, *Commentar. in Jobum*, p. XVI seqq. Procœmii. Ita et Renan : « Quelle que soit la force de ces raisons, je ne les trouve point suffisantes pour séparer deux parties d'un ouvrage qui se tiennent aussi bien. *Le poème est inintelligible sans le prologue et l'épilogue.* » Op. citato, p. XLVII.

(3) Hæc Renan : « C'est contrairement à toute vraisemblance que M. Bernstein rapporte le chap. XXVIII (et la seconde partie du chap. XXVII), un des plus beaux développements du poème, à l'auteur du discours d'Elihou.» *Ibid.* p. XLIX. Alii, ut Kennicott, Stuhlmann, etc., hanc pericopen Zopharo, qui hucusque non *ter*, ut duo socii, sed *bis* tantum locutus sit, itaque secundum formæ poematis æquabilitatem ter loqui debeat, tribuendam esse censent. Sed Zopharum tertio non esse locutum intelligitur primum ex eo, quod Jobus ei non respondet, deinde ex virium ratione, qua amici in tertio certaminum orbe contra Jobum disputant. Quæ ratio aperte in eo constat, ut materia, quam amici ad disputandum habent, paulatim minuatur et evanescat, atque Jobus e certamine victor discedat. Primum igitur Eliphasus materiam sermonis se absumsisse eo ostendit, quod in extrema tertia oratione ad sententiam primæ orationis redit; deinde Bildadus, quum ipse nihil ad respondendum habeat, pauca tantum ex sermonibus Eliphasi repetit. Inde Zopharum, Bildado etiam infirmiorem, plane nihil ad dicendum habuisse itaque tacuisse sequitur.

serat, ab animi habitu, quem is antea ostenderit, aliena sint. Sed caput XXVII quod attinet, non mirum est, ait Heiligstedt (1), « quod Jobus nunc, quum amici loqui desierunt, in sententiam ab iis de sorte improborum propositam concedit. Nam antea, quum contra amicos disputaret, improbis calamitates infligi negabat, ne amici, quum quemque improbum in calamitates incidere pertinaciter affirmarent, eoque quemque infelicem in culpa esse indicarent, ipsum calamitate afflictum peccasse putarent (id quod Jobus jure facere poterat, quia ipse illam rem inexplicabilem, quod improbi interdum in felicitate perpetua vivunt, viderat); nunc vero, quum se innocentem esse tanta vi declaravit, ut amici nihil contra moneant, eos de ratione, qua improborum sors constituatur, recte judicasse, et tantummodo de se ipso ex improborum sorte conjecturam falsam fecisse contendit. » Alii tantummodo cap. XXVIII a carminis auctore abjudicant; at hoc caput scriptori libri Jobi tribuendum esse intelligitur *a*) ex eo, quod cap. XXVII et XXVIII, arcte inter se cohærent, id quod etiam particula כִּי in initio cap. XXVIII posita indicatur; *b*) ex eo, quod adversariis superatis Jobus tranquilliorem animi habitum nactus, tum de hominum impiorum sorte, tum de calamitatis suæ causis aliter atque antea sentit; *c*) ex eo, quod hoc in carminis institutione est positum, ut Deus eo tempore ad Jobi causam dirimendam adveniat, quo hic, falsa opinione de calamitatis causis deposita, de iis recte sentire cœperit, ideoque animus ejus ad doctrinam a Deo percipiendam pateat.

III. Orationes Elihui ab aliena manu in librum Jobi esse insertas affirmant quidam (2), ex eo, *a*) quod verbosæ quæsitæque nimis jactantiam redolent, carent autem sententiis; *b*) quod poematis tenorem interrumpant, atque artem rationemque, quibus est compositum turbant; ideoque Dei orationem anticipant, supervacaneamque reddunt; *c*) quod Elihu neque in prologo, neque in epilogo commemoratur, neque de ejus orationibus a Deo judicium fertur; *d*) ex peculiari dicendi genere, sermonis aramaici indole valde imbuto, peculiaribusque tum vocibus, tum vocum formis, tum locutionibus referto; *e*) quod Jobus ad has orationes non respondet; *f*) quod denique Elihu solus Jobum nomine affatur (XXXIII, 1, 31; XXXVII, 14). Ad *primum* simul et *secundum* respondeo, orationes Elihui, non modo non sententiis carere, sed abundare, atque in his rectius et magis ad rem, quam in aliorum sermonibus, tum Jobi querelas castigari, tum quæstionem toto libro agitatam retractari atque ad veram solutionem propius adduci. Primo quidem, tres amicos reprehendit, quod asperiores in Jobum invecti, incertis suspicionibus eum vexassent et pro impio condemnassent, etsi nihil in eum, quo reum peragerent, afferre potuissent; deinde confutata jam adversariorum sententia, scil. probum neminem in hac vita calamitate affligi, ad Jobum ipsum conversus, ostendit eum non omnino immeritum pati, quia animo ita exacerbato, atque in Deum irreverenti dolores suos tulit, ut pateat ipsum illa carere patientia et obsequio, quæ virum perfecte pium decent. Deus calamitate plectit, non modo improbos, ut tres amici asserebant, sed pios etiam, tum ut eos probet, tum ne serpat in illis aliquod peccati latentis contagium, cujus ne ipsi quidem sunt conscii, itaque cautius a malo recedant, plus in virtute teneant firmitatis et roboris. Pœnis igitur hujus vitæ pii probantur, amplius purgantur, in virtute solidantur : quæ doctrina, quantum trium amicorum opinionibus præstet, nemo non videt. Jam vero excusationes, quibus Elihu in sermocinationis exordio utitur, non præfidentis animi fastum, sed potius modestiam, qualis decet juvenem, præ se ferunt. Primariam autem libri totius controversiam quod attinet, plures Elihu assignat causas cur justus *in genere* hac in vita patiatur; *specialem* vero causam cur Jobus affligatur, indicare, hoc humanam sapientiam superat : ideo Elihu divinæ providentiæ in hoc mundo gubernando potentiam sapientiamque pluribus describit, ut inde intelligatur, in hominibus quoque regendis Deum justissimum esse ac sapientissimum. Ita Jovæ orationi panditur atque præparatur via, neutiquam præcluditur. Nam Dei increpatio non eo spectat, ut libri controversiam dirimat quæstionisque tam acriter Jobum inter ejusque amicos agitatæ adferat solutionem, sed potius ut vanam de re incomprehensibili humanæque sapientiæ captum superanti hominum curiositatem retundat atque compescat. In his enim divinis sermonibus nihil de Dei justitia in mundo gubernando, circa quam Elihui orationes versantur, tractatum reperire est. Igitur Elihu et Jova, ut bene animadvertit Stickel (3), in eo discrepant, quod ille ostendit Jobi querelas absque idonea ratione, hic, easdem cum impia temeritate atque audacia fundi. Itaque plane suscribimus sententiæ tum Staudlini (4), qui in hoc ipso, quo Elihu suis orationibus lectores veluti præparat ad numinis apparitionem, quæ alias utique nimis repentina eventura esset, haud leve argumentum esse αὐθεντίας horum sermonum existimat; tum Boullieri (5), qui ait, « Elihui personam cum ad divini hujus poematis varietatem et decus conferre plurimum, tum ad intimam quoque ejus

(1) *Commentar. in Jobum*, p. 187.

(2) Ut Eichhorn, Stuhlmann, Bernstein, de Wette, Ewald, Hirzel, Knobel, Renan; eas e contra auctori libri Jobi adjudicant Schærer, Staudlin, Bertholdt, Jahn, Rosenmuller, Umbreit, Arnheim, Welte, Stickel, etc.

(3) *Das Buch Hiob*, p. 242.

(4) In Commentat. inserta Operi, cui titulum fecit *Beytrage zur Philosophie u. Geschichte der Religion u. Sittenlehre*, P. II, p. 142.

(5) *Observationes miscellaneæ in librum Job.*

http://www.obrascatolicas.com

constitutionem valde pertinere. » *c*) Ad tertium respondeo, tum Elihui personam, a trium amicorum ita distinctam, aptissime in speciali prologo describi et in scenam adduci; tum Elihuum Jovæ reprehensionem effugisse, quod minus, quam cæteri, a vero aberrarit, sanioremque de divina providentia doctrinam attulerit. *d*) Ad quartum, argumenta ex hoc fonte desumpta ita infirma et manca esse ad libri cujusdam, aut etiam ejusdem libri fragmenti alicujus ætatem definiendam, ut ipsemet Renan conjiciat, Elihui orationes forsan scriptas fuisse a cæterarum partium auctore, sed ad senectutem jam vergente (1). *e*) Ad quintum, Jobum non invenisse quid responderet. *f*) Ad sextum denique, Elihuum solum nomine Jobum alloqui quia, cum utramque partem, scil. Jobum et tres ejus amicos alternis vicibus increpet, hæc nominis indicatio ad sensum declarandum multum confert.

IV. Ewaldus fere solus (2) hippopotami et crocodili descriptionem cap. XL, 15-XLI, 26, non a libri Jobi auctore esse profectam, sed ab alio scriptore, et quidem ab eo, qui orationes Elihui composuerit, esse interpositam censet. Sed si argumenta, quæ Ewaldus ad istam suam sententiam attulit, accurate considerantur et examinantur, hæc ad *eam probandam* nullo modo sufficere apparet. Cæterum, si lubeat, conf. ea quæ Ewaldi sententiæ opposuerunt Umbreitus, *Theol. stud. u. Krit.*, 1831, p. 833 seq., et Hirzelius, *Comment. in Job.*, p. 248 seq. (3).

A quonam et quando scriptus sit Jobi liber?

Hæc Rosenmullerus in *Prolegomenis in Jobum* : « Ab Hebræo scriptum esse librum, etsi a quibusdam negari video, qui Edomiticæ potius, aut priscæ Arabicæ sapientiæ et doctrinæ monimentum judicare mallent (4), mihi tamen eo minus est dubium, qua plura in illo deprehendere mihi videor, quæ hebræum scriptorem haud obscure arguant. Multæ enim in Jobo occurrunt notiones, sententiæ, opiniones, loquendi denique formulæ, quæ Hebræis propriæ sunt ac peculiares. Homo ex luto efformatus ad pulverem rediturus dicitur *Job.* X, 9, iisdem fere verbis, quæ *Genes.* III, 19 legimus. *Spiritus vitæ* homini a Deo inditus dicitur *Job.* XXVII, 3, ut *Genes.* II, 7; VII, 22. Imbecillitas fragilitasque humani generis describitur *Job.* XIV, 15, iisdem verbis, quibus *Is.* XL, 6, 7; *Ps.* XXVII, 2; XC, 6, 7; CII, 12; CIII, 15. Eluvio Noachica haud obscure designatur *Job.* XXII, 15, 16. Ab iisdem criminibus Jobus se liberum ait, quæ ut maxime detestanda iisdem pene verbis in lege Mosaica notantur, ab injuria potissimum, duritie, inhumanitate in egenos, peregrinos, viduas parentibusque orbatos, necnon ab astrorum adoratione (5). *Ante colles natum esse* occurrit *Job.* XV, 7 et *Prov.* VIII, 25. Summi numinis sedes in nubium caligine ponitur *Job.* XXII, 13, 14, plane ut I *Reg.* VIII, 12 (conf. *Ps.* XVIII, 12; XCVII, 2). Porro *comparere coram Dei facie cum jubilo*, *Job.* XXXIII, 26, solemnis est formula, qua Hebræi significant *publicas gratias agere hostiis oblatis* : vid. *Exod.* XXIII, 15; *Ps.* XXVII, 4; XCV, 2. Confessionis peccatorum formula eadem *Job.* XXXIII, 27, quæ *Exod.* IX, 27; X, 16; *Jos.* VII, 20. Israelitam scriptorem etiam hoc arguit, quod cap. XL, 23 Jordanes in majoris fluvii exemplum adducitur. Denique innumeri pene Jobi sunt loci, loquendi formulis in Psalmis (6) et scriptis Salomonæis obviis consoni. Magna præsertim nostri libri cum Proverbiis deprehenditur sententiarum, vocum et locut carmen nostrum maxima ex parte ex arabico in hebræum sermonem translatum crederet. Vid. *Hist. Jobi*, cap. XVI, § 9, ubi pluribus argumentis suam de auctore libri sententiam adstruit. Ea fert, sermones, prout ultro citroque Ahabiti, fuisse rabicos, et arabice primum descriptos, in domesticasque tabulas relatos, jam ante Mosen, ab ipso Jobo et amicis, post lætum diri casus exitum, amica inter colloquia, sua hæcce certamina recolentibus, et in posteritatis memoriam mittere gestientibus. Hinc scriptorem hebræum, non quidem Mosen, ut multi tetenderunt, inter quos Huetius, non Salomonem, ut Grotius aliique, vel alium aliquem, vel ante, vel circa tempora Salomonis, hebræa veste et civitate donasse hocce Jobæi casus monumentum, sub forma tragici carminis, ad archatypum arabicum fidelissime expressi. Ac longe jam ante Spanhemium Aben-Esra ad cap. II, 11, *librum Jobi ex alio idiomate in hebræum translatum, ideoque difficultatibus obsitum* esse censuit. Verum non tam ad Arabici, quam potius ad Aramaici seu Chaldaici sermonis naturam et indolem propius accedere libri Jobæi linguam, omnibus hodiernis interpretibus probatum est.

(1) « Qui sait si l'auteur lui-même, reprenant son œuvre après un long intervalle, à une époque où il avait perdu sa verve et sa manière, n'a pas cru perfectionner son poème en y ajoutant ce morceau qui en réalité le dépare. » *Ibid.* p. LVII.

(2) *Theol. Stud. und Krit.* 1829, p. 766 seqq. *Commentar. in Job.* p. 320 seqq.

(3) Hæc quoque Renan : « L'opinion de M. Ewald, qui regarde comme interpolées les descriptions de Béhémoth et de Léviathan, ne repose pas non plus sur de bien solides fondements..... Le style de ce fragment est celui des meilleurs endroits du poème. Nulle part la coupe n'est plus vigoureuse, le parallélisme plus sonore : tout indique que ce singulier morceau est *de la même main*, mais non pas du même jet que le reste du discours de Jéhovah. » *Ibid.* p. XLIX-L.

(4) Idumæi et Arabes, et omnium maxime Themanitæ, sapientes audiebant : vid. *Jerem.* XLIX, 7; *Baruch.* III, 22. Qui ab Arabe profectum librum statuunt, hoc potissimum argumento utuntur, quod plures in illo reperiuntur dictiones, loquendi modi, significationes et vocabulorum formæ, ad Arabicam dialectum vergentes, quem in ullo alio V. T. libro. Quod Spanhemium movit,

(5) Vid. *Job.* XXIV, 2-4, 6, 7, 9-11; XXXI, 32, 33 coll. *Exod.* XXII, 25, 26; *Deut.* XXIV, 6, 10 seqq. XXVII, 17, 19; *Levit.* XIX, 9, 10; XXV, 2-6; *Job.* XXXI, 26, 27 coll. *Deut.* IV, 19; XVII, 3.

(6) Vid. *Ps.* CVII, 40 coll. *Job.* XII, 21, 24. *Ps.* CVII, 42 coll. *Job.* V, 16; XXII, 19. *Ps.* CXLVII, 8 coll. *Job.* V, 10; XXXVII, 6. *Ps.* CXLVII, 9 coll. *Job.* XXXVIII, 41 (al. XXXIX, 3).

tionum consensio. Utrinque enim insigne sapientiæ elogium texitur (*Job.* XXVIII, 12 seqq., *Prov.* VIII, 11); vera sapientia in eo constituitur, si timor in Deum teneatur, ejusdemque sapientiæ solus auctor Deus ab auctore utriusque operis asseritur *Prov.* I, 7; *Job.* XXVIII, 28). Ad hæc, phrasium et vocum consensus utrinque summus (1). *Patere oculis Dei sepulcrum et infernum* habet Jobus, habet et Salomon (*Job.* XXVI, 6; *Prov.* XV, 11). *Bibere iniquitatem sicut aquam*, phrasis est utriusque (*Job.* XV, 16; XXIV, 7; *Prov.* XXVI, 6). *Spiritus* seu *ventos appendere Deum*, utrinque legimus (*Job.* XXVIII, 25; *Prov.* VIII, 28, 29). Jobus ad amicos dicebat, ex eorum silentio, si nullam unquam vocem emisissent, judicium de ipsorum sapientia capiendum fuisse; stultum silentem tanquam sapientem haberi, Salomon docuit (*Job.* XIII, 5; *Prov.* VIII, 28). Manes in inferno collocat Jobus; cœtum, sive locum manium infernum denominat Salomon (*Job.* XXVI, 5; *Prov.* II, 18; XXI, 16). Divitiis inique collectis nunquam juvari virum impium, sed illas in manus piorum dilabi, ait Jobus; ait et Salomon (*Job.* XXVII, 16, 17; *Prov.* XXVIII, 8). Tumidæ mentis audaciam humilitatem consequi plerumque, sæpius inculcat Salomon, quod ipsum et Jobus asseruit (*Job.* XXII, 29; *Prov.* XVI, 18 et alibi). De creatione terræ marisque paria utrinque spectes (*Job.* XXXVIII, 4, 8; *Prov.* VIII, 26, 29; XXX, 4). Periturum impium ejusque memoriam, futurum tandem ut male oleat, veluti dapes corruptæ, uterque profitetur (*Job.* XX, 7; *Prov.* X, 7). Cujus consensus tam manifesti quænam sit causa? Hauseritne Jobi scriptor ex Psalmis et Proverbiis? an vero carminum illorum et adagiorum auctores imitati sint Jobum; an originem debeant communi fonti, qui tum in Jobum, tum in Psalmos et Proverbia manarit, nemo quidem sibi sumat, ut a se præcise definiri posse censeat. Jobeidos tamen auctorem ab alio quicquam mutuatum esse, quo suum opus exornaret, quis exspectabit a tali poeta, cujus omne reliquum carmen tot tantisque propriis virtutibus elucet, ut sunt argumenti dignitas, apta digerendi ratio, sententiarum sublimitas, eruditionis pompa, ingenii fœcunditas? Magis vero credibile est, derivata esse quædam a Jobo in Psalmos et Proverbia. Atque hujus quidem adagiorum sententiarumque collectionis partem priorem jam Hiskiæ temporibus exstitisse, quo ea retractata et adaucta fuit, constat ex *Prov.* XXV, 1. Quod si igitur haud vana sit suspicio, lectum fuisse Jobi poema antiquiorum Psalmorum auctoribus, et libri Proverbiorum compositoribus, nostrum librum saltem jam ante Hiskiæ tempora exstitisse necesse est. Sunt tamen, ut dicamus, quod res est, omnia illa loca, in quibus concordia quædam Jobi cum Psalmis et Proverbiis deprehenditur, ejusmodi, ut non tam imitatione ex illo expressa esse videantur, quam communem potius unius ejusdem ævi sermonem, scientiam, disciplinam, philosophandi rationem, communes denique opiniones atque notiones arguant. »

Quæ quum ita sint, nostrum poema si Salomonis inter et Hiskiæ tempora (2) scriptum statua-

(1) Veluti תושיה, *sapientia*, *Job.* V, 12; VI, 13; XI, 6; XII, 16; XXVI, 3; XXX, 22, nonnisi in *Proverb.* recurrit, II, 7; III, 21; VIII, 14; XVIII, 1. Item חוך, *calamitas*, *Job.* VI, 2, 30; XXX, 13 et *Prov.* X, 3, etc. Item תחבלות, *prudentia gubernandi consilia*, *Job.* XXXVII, 12 et *Prov.* I, 5; XI, 14, etc. Item פתה, *simplex*, *Job.* V, 2 et *Prov.* XX, 19. Item אבדון, *orcus*, *Job.* XXVI, 6, etc. et *Prov.* XV, 11; XXVII, 20, nec non *Ps.* LXXXVIII, 12. Porro, עמקי שאול, *profunda orci*, *Job.* XI, 8 et *Prov.* IX, 18.

(2) Salomonis ævo Jobi librum assignarunt Spanhemius, *Hist. Jobi*, cap. XVI, § 40; Remarus, *Prolegom.*, cap. VIII, § 3; Staeudlin, op. supra citato; Richter in Progr. *De ætate libri Jobi definienda*; recentius autem Schlottmann.

Hiskiæ vero temporibus nostrum librum refert Renan, op. cit. p. XXXIV seqq., cujus argumenta quædam hic recitare operæ pretium erit.

« Une preuve bien plus forte de l'existence du livre de Job dans le siècle qui précéda la captivité, se tire de divers passages de Jérémie, d'où il semble résulter que Jérémie avait lu le livre en question et y avait fait des emprunts. Que l'on compare *Jérém.* XX, 14 seqq. avec *Job* III, 3 seqq., X, 18, et on n'hésitera pas à dire lequel des deux auteurs a copié l'autre. La mollesse, la pesanteur, l'absence de timbre et de parallélisme qui caractérisent le passage de Jérémie font toucher du doigt le changement qui s'était déjà opéré dans la langue et l'esprit poétique de la nation à l'époque où ce prophète écrivait, c'est-à-dire dans la seconde moitié du VII^e^ siècle. Aussi n'est-il plus, je crois, un seul hébraïsant qui ne place la composition du livre de Job cent ans au moins avant la captivité, c'est-à-dire vers l'an 700.

Ce qui empêche en général les hébraïsants de remonter au-delà, c'est le caractère de la langue du livre de Job, qui leur paraît moderne et sentant déjà le chaldaïsme des basses époques. Gesenius, surtout, a insisté sur cette considération (*Geschichte d. hebr. Sprache*, p. 33 seqq.); mais il faut avouer que les observations de ce philologue, si savant et si judicieux, manquent ici de finesse. Parmi tous les idiotismes qu'il a recueillis, je n'en vois aucun qui soit l'indice d'une langue affaiblie, et qu'on ne retrouve dans les écrits d'Amos, d'Osée, et dans le cantique de Débora, dont tout le monde cependant reconnaît l'ancienneté. La langue du livre de Job est l'hébreu le plus limpide, le plus serré, le plus classique. On y trouve toutes les qualités du style ancien, la concision, la tendance à l'énigme, un tour énergique et comme frappé au marteau, cette largeur de sens, éloignée de toute sécheresse, qui laisse à notre esprit quelque chose à deviner, ce timbre charmant qui semble celui d'un métal ferme et pur. Nulle part on ne se sent plus loin de cette facilité lâche, de cette platitude obligée d'une langue qui a cessé d'être parlée, et qui est cultivée artificiellement. Le nombre des difficultés qui arrêtent le philologue est un *criterium* excellent, quand il s'agit de l'âge des écrits hébreux : or, les difficultés se rencontrent dans le livre de Job presque à chaque pas; dans les morceaux des basses époques, au contraire, dans certains psaumes par exemple, on a devant soi une langue claire, prolixe, n'offrant que très-peu d'obscurités. La grammaire est, sans contredit, un précieux secours dans les questions de cette nature; mais le goût doit aussi être entendu. Or, ici l'hébraïsant homme de goût ne saurait hésiter. Deux ou trois vétilles grammaticales ne l'emporteront jamais dans son esprit

http://www.obrascatolicas.com

mus, non verendum nobis fuerit, a veritate aberremus. Ulterius progredi, et scriptoris nomen exsur l'induction qui résulte du caractère général du poème, caractère si éloigné de toute décadence...

Après l'argument tiré de la grammaire, la plus forte des preuves par lesquelles on cherche à établir que la composition du livre de Job doit être placée vers l'époque de la captivité, se tire des grands développements qu'offre dans ce livre la théorie des anges et des démons. Mais au fond, cette partie de la théologie du livre de Job, *si l'on en excepte peut-être le discours d'Elihou*, ne dépasse pas le cercle des croyances que nous trouvons chez les Hébreux avant leur contact avec l'Assyrie et la Perse.... Qu'on y réfléchisse d'ailleurs; la considération que je combats en ce moment amènerait à placer la rédaction du poème à l'époque des Achéménides... Or, la composition du livre de Job devient, à un âge aussi moderne, vraiment inexplicable...

Est-ce à dire qu'il soit permis de reculer la composition du livre de Job jusqu'à l'époque où de prime abord on voudrait la placer, je veux dire jusqu'à l'époque de Salomon? A cela s'opposent de graves difficultés. Pour n'en mentionner qu'une seule, je montrerai bientôt qu'aucune raison décisive n'autorise à séparer le prologue et piscari velle, vanam et nullius fructus operam judicamus.

l'épilogue du reste du poème; or, dans le prologue nous voyons figurer les Chaldéens (*Kasdim*) comme une population vivant de rapines. Les *Kasdim* n'apparaissent chez les Hébreux avec ce caractère, que vers l'époque d'Osias, roi de Juda, et de Ménahem, roi d'Israël, au temps d'Amos, d'Osée et d'Isaïe, vers 770 avant J.-C. C'est à cette époque moyenne des royaumes de Juda et d'Israël, époque où l'ancien esprit nomade était loin d'être éteint... que j'aime à placer la composition du livre de Job. Le style vif et ciselé du siècle de Salomon n'avait pas encore fait place à la prédication larmoyante de l'époque de Jérémie. Le livre des Proverbes fut en partie compilé par les ordres d'Ezéchias (725-696 av. J.-C.), et nous voyons autour de ce prince une sorte d'académie occupée de poésie parabolique (*Prov.* XXV, 1). Le cantique d'Ezéchias lui-même (*Isai.* XXXVIII, 10 seqq.) a beaucoup de rapports avec la poésie du livre de Job. Enfin plusieurs passages d'Isaïe (v. g. XIX, 5 coll. cum *Job.* XIV, 11) rappellent tellement des passages du livre de Job, qu'on sent avec évidence que les deux auteurs ont puisé à ces lieux communs poétiques qui sont en quelque sorte dans l'air et appartiennent à tous. »

A. Crampon.

II.

JOBI ORACULUM DE CORPORUM RESURRECTIONE [1].

(JOB. XIX, 23-27).

D. Hieronymus hæc scribebat ad Paulinum : « Job resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestius vel cautius scripserit, » *Epist.* 53, al. 103, § 8; et Joannem Hierosolymitanum refutans, § 30, hæc loquebatur : « Tonet Job tormentorum victor, et testa radens putridæ carnis saniem miserias suas resurrectionis spe et veritate soletur. *Quis mihi det*, inquit, *ut scribantur sermones mei?* etc... Quid hac prophetia manifestius? Nullus tam aperte post Christum, quam iste ante Christum, de resurrectione loquitur. » Verissime hæc dicta esse, Jobum ab Hieronymo latine versum legentibus ad liquidum exploratum est; at non item iis, qui in ipsum exemplar hebraicum oculos obiter conjiciunt. Nostrarum itaque partium esse arbitramur hoc, quod vetustiores bibliorum paginæ communi omnium ætatum de hominum genere tandem revicturo sententiæ comperiendæ suppeditant, testimonium luculentissimum defendere atque illustrare.

Primum quidem, quod ad genuinam oraculi interpretationem non parum facit, summarium aliquod afferemus, quod operis materiam et argumentum, finemque, in quem Jobi atque amicorum sermones miscentur, exhibeat, præsertim ea quæ ante ipsum oraculum editum disceptata narrantur. Deinceps singula oraculi verba, quæ hoc magis indigent, expendemus atque illustrabimus. Tum, quo nonnulla occupemus, quibus recta oraculi interpretatio impeti solet, planioremque viam interpretationi ipsi sternamus, præcipuos quosdam hujus libri locos aperiemus, in quibus palam est vitam futuram, secus ac nonnulli contenderunt, δόγμα Jobo incompertum haudquaquam fuisse. Postremo ipsam oraculi interpretationem habebimus ac defendemus.

ARTICULUS I.

Summarium libri, ac Jobi affectuum ratio modusque.

Locus ille πολυθρύλητος aliisque etiam bibliorum scriptoribus tractatus (2), quibusnam de causis, quave ratione ac proportione tum prospera tum adversa inter homines hanc vitam degentes, sive probi illi sint sive improbi, Deus distribuat, is est, in quo totius libri veluti cardo versatur, atque materies continetur. Vide quæ de hac re in præced. Dissertatione attulimus. Unum tamen est, quod præterire minime oportet, quippe quod plurimum conducat communi Catholicorum æque ac multorum Protestantium etiam recentiorum sententiæ de Jobi oraculo comprobandæ, oppositæ vero omnem adimat probabilitatem. Est autem illud ratio ac modus affectuum, quibus Jobum agi apparet in illa disceptatione.

Etenim mortalium ærumnosissimus, quot quantisque angeretur motibus animi, quum amici advenientes eum ingenti omnium miseriarum pondere pressum ac pene enectum conspexere, ipse illis ad diem septimum silentibus eumque commiserantibus lamentabili sermone declarat (cap. III). Exspectaret jam amicos ipsum consolantes, quum contra omnes amicitiæ atque humanitatis sensus acerrimis castigationibus illos tanquam procellam insurgere atque irruere in se sentit, indeque arreptam desæviendi ansam, quo vel a feris commiserationem extorsisset, ex immani, inquam, ærumnarum ejus cumulo, dum has veluti certum fucatæ probitatis indicium vitio culpæque ei vertere non dubitant. Primus omnium, sed solum oblique et eminus, id audet Eliphazus. Injuriam Jobus repulsare conatur, suamque sibi innocentiam asserere, quæ perferat, vividius obtendit, lamentatur immites amicos, jamque adeo usque dolor eum adigit, ut cum Deo expostulet, quod tali ratione ipsum habeat. Sed hinc acrior prior socio Bildadus Jobum impetere; Deoque injurium iis, quæ dixerat, coarguere; plagas ipsi a Deo inflictas exprobrare apertius, ut quæ ὑποκριτὴν Deique immemorem prodant, idque exemplis in filios ejus editis ob eorum iniquitatem, quod animum paternum immane quantum dilaceret, comprobare. His auditis gravius in animo Jobi fluctus intumescunt, quos contra eluctata viri religiosissimi virtus, prius

(1) Hæc e Patritii libro, cui titulus : *De Interpretatione Scripturarum sacrarum*, lib. II, Quæst. X, haud paucis tamen de nostro additis, nos hausisse, monemus Lectorem.

(2) Vid. *Psalm.* LXXII; *Eccle.* VIII, 14 seqq.; *Jerem.* XII, 1.

http://www.obrascatolicas.com

quidem ea ex ore exprimit, quibus se credere profiteatur jus omne Deo in homines esse, neque posse id homines detrectare; at laxatis mox habenis, impotenti mœrori atque angori in amariores questus prorumpit, novamque cum Deo expostulationem facit variis ac vehementibus refertam; quia vero non datur judicio cum eo certare, saltem se immeritum ab eo plecti ipsummet testem sibi appellat. Quibus verbis quum irritata esset Sophari religio, isque prioribus duobus sociis sævior atque inhumanior in insontem amicum invectus eum longe infra merito castigari contenderet, Jobus exasperato veluti ulcere acerbius dolens, postquam Dei sapientiam potentiamque, quarum notitiam tres illi grandibus verbis ostentabant, plenius quam eis sibi perspectas esse demonstrasset, longius quoque progressus jam cum ipso numine, quæ demum cumque sors vitam maneat, disceptare avet, jam judicio veluti contendit, jam divinum adversarium quid tandem criminis a se admissum, fidentius percunctatur, pluribus responsum provocans, utque illud sibi aperiat, efflagitans; fugacem demum hominis vitam caducamque conditionem obtendit haud dignam, quam Deus tam sollicite exagitet. « Hinc orbe primo certaminum evoluto, inquit Schultensius, ansa ministrata Eliphazo *sævissime* denuo in caput innoxium detonandi, et.... non ea tantum, quæ prima aggressione dixerat, confirmandi, sed iras dirasque cœlestes directius quam ante Nostro, ut apertissime improbo, intentandi et ingerendi. Quid faceret miserrimus mortalis fulminibus maledictionum undique impetitus?... Horum gurgitum æstu sæviente circumactus, eas sortis suæ comploratione fundit et miscet, ut nihil unquam lamentabilius ardentiusque ab una parte, ab altera nihil fidentius animosiusque, humanum pathos vel concipere vel efferre valeat. Hæc fuit tertia Jobi provocatio, qua *a Deo* immeritis plagis pium cultorem exscindente *ad Deum ipsum appellare* sustinuit..... Novo hinc torrente Bildadi obrutus,..... ac si..... meritissimus pateretur diras, et scelerum furiis vexaretur, ipse vicissim..... post iteratos planctus quæstusque, » sed flebiliore quodam animi sensu atque ad precantis modum devexo, ut qui ulterius ferendo impar sit, jam in clamores prorumpit, se ab omnibus derelictum, suis abominatum, putrescente corpore pene enectum, amare luget, sævientes in eum socios, ut ipsos saltem ejus misereat, iterum obsecrat; tum vero tandem « solemnissimam illam suscipit contestationem, qua ad *judicii ultimi tribunal* a Deo hominibusque damnatam causam remittit, sepulcro interim suo insculpi postulans magnificum carmen, quo *coronam justitiæ sibi* in illo die *despondet*, qui improbi atque impii nomine exstirpatus infamatusque jacebat. »

Ex brevi hac rudique adumbratione facile apparet, ut utraque pars disceptando magis ac magis calere pergeret; utque dum ex Jobi responsis jugiter vehementioribus ac fidentioribus causam amici captabant, quo sævius acerbiusque eum castigarent, Jobi vicissim angor ac dolor talibus maledictis, exsecrationibus, calumniis, usque exacerbatus magis magisque crudesceret; ut misere denique ac graviter mentem ejus animumque affectum esse oportuerit, quum oraculum edidit, de quo nobis quæstio est. Quibus positis, sicut ex una parte fieri non poterat, quominus a viro tam grandi sapientia prædito, adeoque vehementer ac varie affecto, ut Jobum tunc fuisse comperimus, aliquid subinde proferretur insigne, mirum, inexspectatum, puta, quod calamitates sibi a Deo illatas cum Deo ipso expostularet, Deum ipsum in disceptationem veluti vocaret, seque contra Deum vel Deo ipso judice causam victurum prædiceret: ita quidquid friget, aut ab illis affectibus illaque affectuum vehementia more fluctuum magis atque magis exæstuante alienum est, ex totius libri, nedum illius oraculi, interpretatione exsulet, necesse est.

ARTICULUS II.

Verba ipsa hebraica explicantur.

Vers. 23. *Quis dabit ergo, ut scribantur verba mea; quis dabit, in libro ut exarentur?* — Particula אפו in interrogationibus semper commodissime vertitur *ergo*, atque ita hoc loco vertere eam suadent tum horum et priorum connexus, qualem flagitat ratio, ob quam Jobum hæc pronuntiasse demonstrat ille, quo tunc erat, animi æstus; tum vis atque ἐνάργεια, quam ex ea significatione concipit totus sermo. Illum autem connexum illamque vim minus exprimunt sive *jam nunc* Schultensii, sive *tandem* Gesenii, sive *utinam* Rosenmulleri, sive *oh* (gall.) Renani. Pro *ut scribantur* ad litter. est, *et scribentur*, quæ verborum constructio hebraica est. *Verba mea*, puta oraculi, quod sequitur. *In libro ut exarentur*, propr. *in libro et exarabuntur*, pro *ut exarentur in libro*. Ordo verborum præposterus: conf. *Gen.* XL, 9. Aliter tamen Renan, qui *ut scribantur* repetit in posteriori hemistichio jungitque cum *in libro*, hoc modo: *Qu'elles soient écrites dans un livre, qu'elles soient gravées.*

Horum Jobi verborum simulque priorum vim atque sententiam recte assecutus Schultensius hæc scripsit: « Suspicor autem ista occasione votum hocce a Nostro susceptum ut, quæ mox dicturus esset, non pugillaribus excepta manerent, sed monumentis ævum laturis consignarentur, atque ad posteritatis memoriam propagarentur. Eum in finem primo postulat ספר *librum* sibi dari, in quo *conscribantur* et *exarentur* ipsius verba. Intelligit librum publicum, in quo acta illustriora enotabantur a ספרים *scribis* civitatum in earumdem tabulariis reponenda. Eamdem vim recipit כתב, quod *commentarium publicum* sæpe designat, ac proinde יכתבון hac ipsa potestate accommodissime augebitur ad exemplum phraseos *Ezech.* XIII, 9: *Et in* כתב *commentario domus Israelis non* יכתבו *conscribentur.* In יחקו *exarentur* consimilis residet emphasis; nam חקק tritum in iis, quæ publica auctoritate decernuntur et posteritati commendantur, vel ad memoriam et celebrationem, vel ad religiosam curam et observationem. »

Vers. 24. *Stylo ferreo et plumbo in æternum in saxo incidantur.* — Τὸ *ferreo* innuit, tum stylos scriptorios penes Jobi populares non semper ex ferro fuisse, sed ex alia quoque materia; tum hujusmodi stylum peti non ad librum conscribendum, sed insculpendum insigne aliquod oraculum. *Plumbo*; quidam, *plumbi*, seu *plumbeo*, sed quam inconcinne. Duæ sunt de hoc plumbo sententiæ. *Una* est Salomonis Jarchi, et, ut videtur, interpretis Arabis, imo fortasse (neque enim difficile est illum huc cogere) Vulgati, putantium petere Jobum, ut litterarum formæ a stylo ferreo exaratæ plumbo impleantur, sive ut iis major addatur firmitas, sive ad eas oculis distinctius subjiciendas. Favet syntaxis; sed hoc imprimis obstat, quod potius hujusmodi moris nullum apud veteres exstat vestigium. *Altera* sententia est eorum, qui autumant eo nomine significari a Jobo laminam, sive tabellam, aut etiam librum, ex plumbo, in quo ejus verba exararentur. Favent Plinius, *Hist. Nat.* lib. XIII, cap. XI (al. XXI); Pausanias, lib. IX, cap. XXXI, et alii.

Si ambos versiculos ita interpunctos legas: *Quis dabit ergo, ut scribantur verba mea, quis dabit* (inquam, ut scribantur) *in libro! ut exarentur stylo ferreo in plumbo! in æternum in saxo incidantur!* præclara inde exsistet gradatio, unoquoque verbo unicuique rei opportunissime aptato, id est, *scribi* in *libro*, *exarari* in *plumbo*, *excidi* in *saxo*. Sed grammatica ratio non leviter obstat, nam præpositio *in* deest ante nomen *plumbo*, nec facile intelligitur.

Pro *in æternum* Hieronymus vertit *in perpetuum*: forsan pro *laad* legit תער, quæ vox *scalpellum* significat, sed librarium. Alexandrinus legit *leed*, εἰς μαρτύριον, *in testimonium.*

Vers. 25. *Et ego novi* quod *redemptor meus vivit, et* quod ille *postremus super pulverem surget.* — *Et ego.* Audiatur Schultensius: « Expendatur hic affectus: *Et ego*, ego ille nunc traductus pro improbo, quem humana ac divina tela juxta configunt conficiuntque, *et ego* tamen conscius mihi meæ integritatis *pro certo novi redemptorem meum vivere, venturumque* tandem aliquando bonæ causæ et innocentiæ oppressæ vindicem, qui mihi *coronam justitiæ* publice et solemniter imponat. Eam vim τῷ *ego* nunc addere præsens Jobi conditio et calamitas jubent, quidquid tandem de præfixo ו statuatur.

Quid hic sonet nomen גאל *redemptor*, juvat hominis protestantis judicium referre, Schultensii, inquam, qui, post enumeratas expensasque alias sententias, hasque inter etiam eas, quæ protestantibus hodiernis sunt, concludit hanc esse vulgatissimam sententiam, « quæ nobilem huncce contextum applicat ad *fidem in Messiam* et *spem beatæ resurrectionis.* Cæterum גאל *redemptor* is potissimum dicebatur, qui consanguinitatis nomine alicujus cædem ulcisci juraque vindicare debebat; ideoque patet, quam apte hæc appellatio Christo facta sit. גאל expresse dicitur de Deo Israelem populum suum (*Ps.* XLI, 14; XLIII, 14), et singulos homines (*Ps.* XIX, 15; *Prov.* XXIII, 11) redimente et liberante. *Vivit*, exstat, et quidem talis, qualem in causa mea efficacem se præbiturum esse confidere possim.

Postremus super, etc. Loqui hic Jobum de postrema visitatione, quam faciet Christus homines omnes in vitam revocaturus sententiamque dicturus, credere suadent in primis rerum adjuncta. « Etenim sic solent, inquit Schultensius, quibus spes omnis in hac vita decolavit, ac præsertim qui sub calumniis injustissimis hinc demigrare coguntur, cogitationes suas in vitam futuram immittere, atque ad magnum et illustrem illum diem judicii provocare, in quo improbitas omnis confundetur, virtusque et probitas tandem coronabuntur. » Huc autem Jobum redactum tandem fuisse acri illa disceptatione cum amicis habita, plane ea demonstrant, quæ de illa supra perstrinximus. Tum ipsa verba hanc interpretationem apposite suggerunt. אחרון *postremus* est, qui omnium diutissime post me remanebit, et Arabibus quoque dicitur de iis, qui post aliquem erunt ad extremas usque ætates, ut *Sur.* XXVI, 84; XXXVII, 79, 109, 129. In Vet. Test. ipsum hoc אחרון Deo tribuitur *Isai.* XLVIII, 12, etc., notatque illum, qui vitæ nullum habebit finem, uti nullum initium habuit. Notabile est in primis illud Isaiæ: « Sic dicit Dominus, rex Israel et *redemptor* ejus..... Ego primus, et ego *postremus*, » *Isai.* XLIV, 6 (conf. *Apoc.* I, 8; XXI, 6; XXII, 13). Jam vero Jobi scopo melius convenire videtur, ut עפר intelligatur de pulvere, in quem brevi redactum se iri Jobus exspectabat; nam de mortuorum pulvere nomen illud sæpius in hoc libro dicitur. Denique verbum קום hoc loco cum על constructum, eodem, quo Arabes et Syri hanc phrasim usurpant, sensu, *adstare rei et curam ejus gerere*, sumendum est: conf. *Deut.* XIX, 15; XXV, 6; II *Sam.* XII, 17; II *Paral.* XXI, 4.

Vers. 26. *Et postea pelle mea circumdabuntur hæc, et de carne mea intuebor Deum meum.* — Mira in hoc versiculo explicando discrepantia eorum non minus, qui hæc de corporibus revicturis dicta credunt, quam cæterorum. Schultensius ita transtulit: *Et postquam cutem meam pertuderint ad hunc modum*; Gesenius ita: *Postquam destruxerunt hanc cutem meam*, id est, *quando destructum erit corpus meum*; Rosenmullerus ita: *Et postquam corpus meum, hoc, inquam, consumptum fuerit* (1); atque ita

(1) Ita quoque Renan, opere citato, p. 82: *Quand cette peau sera tombée en lambeaux.*

http://www.obrascatolicas.com

quoque : *Et (quamvis) post cutem meam... consumpserint... hoc.* Sed quædam horum nemini arbitror probatum iri.

Primum quidem nullo pacto feram solecismum, quem magno totius sententiæ detrimento illi admiserunt, dum particulam *achar* tanquam conjunctionem habentes verterunt *postquam*. Etenim id fieri vetat conjunctio *et* posterius hemistichium cum priore copulans, simulque docet particulam illam esse adverbium, quo expresse atque perspicue significatur, ea, quæ priore hoc hemistichio prædicuntur, futura fuisse *post illa*, quæ leguntur in versiculo superiore, totaque proinde hemistichii hujus interpretatio a tribus illis edita funditus subvertitur. Neque unquam, quod attinet ad pronomen *zoth*, Schultensio concedam illud significare posse *ad hunc modum*, quod nullo exemplo aut auctoritate constat. Sed neque Gesenio, conjungendum illud cum nomine עורי, atque utrumque simul esse casum accusat. constructum cum verbo *niqphon*, quod nec generis discrepantia patitur, neque durissimum hyperbaton ac plane confragosum, *cutem meam destruxerunt hanc*. Non denique Rosenmullero, dictum id κατ' ἐπεξήγησιν, seu appositum esse nomini עורי; etsi enim frequens apud poetas hebræos appositorum usus, nunquam tamen usum hunc habent pronomina, saltem diverso genere, sed et habere, præsertim verbo interjecto, vix possent, nisi invita ἐπεξηγήσεως natura, quæ, non clarioribus obscuriora, ut eo modo foret, sed obscurioribus clariora apponere jubet. Sed peccatum maximum in eo est, quod horum trium μεγαλανδρων interpretatio neque cum prioribus cohæreat, neque cum posterioribus. Quinam enim locus sive *pertundendæ*, sive *consumendæ*, sive *destruendæ cuti* aut *corpori*, ubi Jobus, prout fert quoque interpretatio prioris versiculi tum a Schultensio tum a Rosenmullero habita, sese jam resolutum in pulverem veluti descripserat? imo ubi, sicut etiam idem ipse Schultensius sentit, vindicem suum induxerat ipsius reliquias jamjam suscitaturum; ubi denique ea subdit continuo, quibus integra sententia foret hujusmodi : *Carne mea destructa in carne mea videbo Deum.*

Nunc levioris negotii erit nostram enarrationem defendere et confirmare. Huic præter Hieronymum in sua bibliorum translatione astipulatur interpres græcus : *Novi enim, quod æternus sit, qui me resoluturus est in terram ad resuscitandam pellem meam, quæ pertulit hæc;* vel, ut legimus in cod. Alexandr..... *terram; resuscitabit meum corpus, quod pertulit hæc.* Insuper series sermonis interpretationem hanc, non solum comprobat, sed omnino flagitat. Modo enim prædixerat Jobus præsto esse, qui ipsius cineres resuscitaret. Nunc id prædicit, quod simul expresse asseverat *post ea* eventurum, post illa, inquam, quæ modo prædixerat. Protinus prædicturus est, quomodo cineribus jam suscitatis instauratoque corpore Deum ipse sit visurus. Cumam porro rei inter primum postremumque medius veluti locus tribuatur, nisi ipsi ἀναστάσει? Atqui hanc sonant verba illa Jobi, ut a nobis versa sunt.

Quæ ex rationibus grammaticis contra proferri possunt, ea vel vera non sunt, vel alias quoque interpretationes attingunt. Nam, quod nostra interpretatione inter adverbium et verbum nomen interpositum foret, hoc prædictorum quoque interpretationibus commune est, ac bene defendit Gesenius. Quod pro עורי reddamus *pelle mea*, tanquam si esset בעורי, nemo carpet, qui noverit præpositionem ב a poetis præsertim non raro omitti. Accentuum ratio nullo modo a nobis negligitur, aut saltem longe minus, quam tres illi fecerint; minus quippe peccabis sic pro ratione accentuum interpungens sententiam : *Et postea pelle mea, circumdabuntur hæc*, quam : *Et postquam pellem meam, consumpserint hanc.*

Verbo *niqphou*, a quo rei summa dependet, illam, quam ei tribuimus, non vero aliam, notionem subesse, multis possumus demonstrare. Ita enim sensit interpres Vulgatus, ita Syrus, tametsi totam sententiam aliter expresserit; ita sensisse videtur Chaldæus, qui profecto nec *contusionem*, nec *consumptionem*, nec *destructionem*, hoc verbo significari credidit; reddidit enim : *Et postquam convaluerit pellis mea;* sive, ut est in bibliis regiis, *et postquam creverit pellis mea.* Sed ipsam radicem verbi hebraici consideremus. Olim præter rationem duæ radices distinguebantur, יקף et נקף, priori *circumire, circumducere, circumdare*, posteriori *cædere*, subjecta notione. Recentioribus vero una radix *naqaph*, quæ utrumque significet probatur, idque optima ratione, sicut discere est ex verbo *inqophou* (*Is.* XXIX, 1) et ex nomine *niqphah* (*ib.* III, 24) : his enim prior notio restituta nunc est, in quam alterum horum acceperant interpretes Græcus, Syrus et Arabs, utrumque vero Hieronymus; quod sane prodit duplicem verbi vim probe huic perspectam fuisse, ideoque nostram interpretationem, quod Hieronymum auctorem ea habeat, aliquo veluti præjudicio juvari. Si itaque cum superiorum ætatum grammaticis notionem, quam verbo huic asserimus, uni radici *iaqaph* subesse contendas, negare tamen nequibis posse idem verbum forma niphal ex hac radice esse deductum. Sin autem unam radicem *naqaph* cum recentioribus agnoscas, attendas primo notionem illam longe frequentius radici huic subesse, quam alteram, quæ ter, non sæpius, occurrit, nec nisi apud Isaiam (X, 34; XVII, 6; XXIV, 13); apud Jobum vero bis præterea legi verbum istud, adeoque hoc ipso in capite (I, 5; XIX, 6), sed tantum priore significatu. Neque opponas verbum hoc forma niphal nunquam alias in hunc sensum usurpari; reponam enim nec forma pihel sive in hunc, sive in alium. Quod enim legitur apud Isaiam (X, 34), licet notio *cædere* ei sit, non tamen est forma pihel, qua esse docent Rosenmullerus et Gesenius, sed forma niphal, ut demonstrant tum puncta vocalia, tum contextus sermonis, tum duplex parallelismus poeticus cum primo ac postremo quatuor membrorum institutus, tum translatio, quam interpretes græci et Hieronymus fecerunt; quod vero singulari numero ponatur, etsi nomen, quocum construitur, plurale sit, id, ut alias quoque ob causas fieri solet, in his tamen Isaiæ verbis, quod caute attenderunt iidem interpretes et Hieronymus verbum plurale reddentes, ad exquisitionem quamdam grammaticæ regulam exactum est, quam ipse Gesenius tradit (*Lehrgeb.* § 187, 1), qui tamen eam ab Isaia hic servatam non animadvertit.

Neque graviorem affert difficultatem pronomen singulare feminino genere *zoth* constructum cum verbo plurali. Syrus quidem interpres contra fecit vertens, *circumvolutum est hic.* Sed et hæc enallage valde frequens in sermone hebr., ut quædam nomina singularia, non tamen præter certas leges, cum verbo plurali jungantur, puta, quæ collectiva sunt, ut est in hac Jobi sententia pronomen istud *zoth*, quod exprimit *membra omnia, omnes corporis partes*, id est, *omnia*, quæ cute conteguntur, ac veluti clauduntur (conf. *Job.* XIX, 19).

Et de carne mea, etc. Qui negant Jobum loqui de vita futura, mire sese torquent, ut horum verborum sensum exponant : quorum diversa interpretamenta referunt ac refellunt Schultensius et Rosenmullerus (1). Iis vero, qui sentiunt, sicut ipsi sentimus, Jobum his verbis certam spem præmii benefactis suis debiti, ἀναστάσεως, inquam, vitæque futuræ, professum esse, nulla in verbis istis difficultas apparet, neque hærent, quominus subscribant Augustino ita scribenti : « Illud etiam quod ait Job, sicut in exemplaribus, quæ ex hebræo sunt, invenitur : *Et in carne mea videbo Deum*, resurrectionem quidem carnis sine dubio prophetavit; non tamen dixit : *Per carnem meam;* quod quidem si dixisset, posset Deus Christus intelligi, qui per carnem in carne videbitur; nunc vero potest et sic accipi *in carne mea videbo Deum*, ac si dixisset : *In carne mea ero, cum videbo Deum,* » *De Civit.* lib. XXII, cap. XXIX, 4.

Vers. 27. *Quem ego intuebor mihi, et oculi mei videbunt, et non alius.* — Expositionem in his habes profecto minime otiosam, sed affectu plenam lætitiaque inde a Jobo concepta, quod jam, non *aliorum* fidei, sed *suismet oculis* Dei notitiam debiturus sit; quam emphasim pronomini *ani, ego*, accedentem ab hujus et verborum *velo zar, et non alius*, antithesi, plane expressit Hieronymus addens pronomini *ego* pronomen *ipse*. Alia quoque esse posset horum verborum sententia, ut pronomini *ego* eadem emphasis sit, ac superius est in vers. 25, illa vero *velo zar* de Deo dicta significent *et non alienum*, id est *contrarium, adversantem*, qualem tunc Job eum experiebatur. Sed in præsenti, dum is totus est in cogitanda vice beatissima, quæ ipsum maneat, melius creditur, tantisper miseriarum suarum oblitus, lætitiæ, quæ ejus mentem pertentat, unice indulgere. Huic priorem sententiam præfero; quod illa quoque suadent, *et oculi mei videbunt.*

Consumpti sunt renes mei in sinu meo. Optime hæc explicat Rosenmullerus : « *Consumuntur renes mei in sinu meo* præ vehementi Deum videndi desiderio. » Refutatisque aliis commentationibus subdit : « Sed nostro loco exstat verbum *calah*, quod sæpius usurpatur de vehementissimo desiderio, quo quis consumitur quasi et deficit. Bene igitur Hieronymus verba nostra vertit : *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* »

(1) Renan : *Privé de ma chair, je verrai Dieu* : quæ interpretatio neque usui particulæ מִן, neque rei, de qua agitur (conf. versiculum seq.) congruit.

ARTICULUS III.

De iis, quæ circa vitam futuram traduntur in libro Jobi.

Priusquam alia promamus ad comprobandam nostram hujus oraculi interpretationem, præstat illud diluere, quod quum positum quidam habeant, præjudicium de illa factum jam putant, *nondum homines illo, quo hic liber scriptus est, tempore talem, quam ex interpretatione a nobis adscita Jobi verba exprimunt, spem aluisse* (2). Neque vero hanc quæstionem, quoad ea patet, attingam, sed solum capita illa hujus libri, ut hebraice sunt, proponam atque illustrabo, tum quæ faciunt sive immortalitati animarum sive corporum ἀναστάσει asserendæ, tum quæ secus esse, etsi præter rationem, creduntur. Qua tamen in re iniquius a nobis quis flagitaret argumenta perspicuiora, quam quæ ad alia religionis nostræ documenta comprobanda exspectare est ex Vet. Testamento, in quo, utpote conscripto prius, quam christianæ doctrinæ lux hominum mentibus affulgeret, nemo ignorat dogmata illa non ea perspicuitate proponi, qua in Novo Test. proposita sunt (3).

SECTIO I.

Argumenta vitæ futuræ ex libro Jobi deprompta.

ARGUMENTUM I. — *Locutiones quædam.*

Sicut Hebræi, quum dicere volunt *auferre alicui vitam*, dicunt quandoque *colligere aliquem* sive *animam* aut *spiritum alicujus*, ita pro verbo *mori*, solummodo tamen ad piorum obitum significandum, solemnis est apud eos formula *colligi ad populos suos*, seu *ad patres suos*, ipsaque hæc ἐλλειπὴς tunc etiam habetur, ubi justi et pii *colligi* simpli-

(2) Vid. Renan, op. cit. p. LXXX seqq.

(3) Conf. Pareau in *Commentat. de immortalitatis et vitæ futuræ notitiis ab antiquissimo Jobi scriptore in suos usus adhibitis.* Daventr. 1807.

http://www.obrascatolicas.com

citer dicuntur, cauteque distinguenda est ab illa prorsus diversa *colligi ad sepulcra*, quæ etiam θλιπτὴς occurrit (*Jerem.* VIII, 2; XXV, 33). Hæ ergo locutiones et animam corpori superesse clare exprimunt, et solum ab iis usurpari potuerunt, qui hoc ipsum sentirent; *colligere* quippe *animam* eamque *in nihilum redigere*, non diversa modo, sed pugnantia sunt inter se; itemque loquendum de verbo passivo, de quo hæc Gesenius (in *Thesauro phil. crit.* ad v. אסף): « Peculiaris locutio est..... de introitu in orcum, ubi Hebræi majores suos jam congregatos esse credebant. Distinguitur ista *ad patres* seu *ad populum* congregatio tam a morte (quæ eam præcedit), quam a sepultura, *Gen.* XXV, 8; XXXV, 29; IV *Reg.* XXII, 20. » Enim vero Deus Abrahamum, ei bonum quid veluti promittens, alloquebatur his verbis: « Ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona, » *Gen.* XV, 15; Jacob vero jamjam moriturus ita filios postremo jubebat : « Congregor ad populum meum; sepelite me cum patribus meis, » *ibid.* XLIX, 29. Perspicuum est utrobique duo distingui inter se, itum ad patres, quo animæ extinctio significari profecto nequit, et sepulturam, atque ita, ut pateat manifesto non in unam eamdemque rem utrumque convenire posse, ideoque sepulturam corpori, itum vero ad patres animæ tribui. Neque enim Abraham quidquam solaminis cepisset ex pollicitatione illa, qua, nisi nostra obtineat sententia, illud ipsi in memoriam revocabatur, quod brevi in nihilum ejus vitam redigi oporteret; neque alio, nisi eo sensu, quem defendimus, utpote qui procul a patria diem supremum obiturus procul etiam a patrum cineribus sepeliendus erat, dici potuisset Abraham ad patres suos esse rediturus. Idemque sensus Jacobi verbis inesse credendus est ob similes rationes. Deus regis Josiæ pietatem remuneraturus sic eum alloquitur : « Pro eo quod audisti verba voluminis..... idcirco *colligam te ad patres tuos*, et colligeris ad sepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum (IV *Reg.* XXII, 18, 20); » nisi vero *colligi ad patres* id sonaret, quod defendimus, hujus remunerationis summa hæc foret : *Citius te in nihilum redigam.*

Quæ cum ita sint, judicet quisque, quid sonent ea verba, quæ in hebr. Jobi exemplari sic sunt : « Si *Deus* ponat ad eum (hominem) cor suum, spiritum ejus et animam ejus ad se colliget, exspirabit omnis caro simul, et homo super pulverem revertetur (cap. XXXIV, 14, 15), » in quibus vides hominem, id est, ejus corpus spiritu destitutum in pulverem reverti, ipsum vero spiritum a Deo collectum, quo jam diversa utriusque rei sors post mortem futura aperte indicatur. Itemque alia hæc : « Dives *factus homo impius* cubabit et non colligetur; oculos suos aperiet, et non ipse *est amplius* (XXVII, 19). » Dicitur autem *non colligendus*, non quidem *in sepulcrum*, quod falsum foret, nec responderet iis, quæ de ejus posteris paulo prius dicta sunt (*ib.* 13), sed *ad patres suos*, quod proborum solummodo proprium esse monuimus : nempe *non colligetur* idem est ac *projicietur*. Antithesis inter *cubare* seu *mori* et inter *non colligi*, aliaque inter *aperire oculos*, nempe animæ oculos, et inter *non esse*, discrimen inter animam et corpus eamque huic superstitem futuram aperte produnt. Neque illud te prætereat, quod, si homines pii ac probi, dum vita excedunt, *colligi* dicuntur, impii vero atque improbi *non colligi*, jam ex utraque locutione apparet discrimen esse oportere etiam inter utrorumque obitum; at nullum esse potest, si anima cum corpore intereat.

Mors in hoc libro *somnus* vocatur, pro verbo *mori* adhibetur verbum *dormire*, sæpe vero verbum שכב *cubare*, quod frequentissime in aliis bibliorum libris reperitur, et talem in his usum constanter habet, ex quo comperimus propriam ac primigeniam verbo notionem esse *cubare dormiendi gratiæ*. Quo autem pacto mors somno queat comparari, nisi in quantum anima post obitum adhuc vivere pergat, quin tamen corpore amplius utatur ad operandum, donec una cum corpore denuo victura veluti expergiscatur?

ARGUMENTUM II. — *Sedes animarum post mortem.*

Locus alter, unde argumenta promamus, est sedes animis post mortem tributa a scriptoribus sacris, quam Latini orcum, Hebræi שאול seu אבדון vocare solent. Hanc his hebr. nominibus notionem subjectam esse, non autem *sepulcrum* (quod קבר dicitur), ideoque eorum usu, qui est in libro Jobi, animas corporibus superstites Judæis creditas demonstrari facile vincimus (1).

1° *Neque* שאול *neque* אבדון *sunt sepulcrum.*

Hebræis *sepulcrum* dicitur קבר, idque unum nomen semper usurpatum invenimus, ubi certo constat de sepulcro absque metaphora sermonem haberi, nunquam vero nomen *sheol* aut *abaddon*; ubi vero ipsa animarum sedes nominanda est, nullum hujusmodi nomen usquam comparet præter *sheol* et *abaddon*.

Sunt plurima bibliorum capita, in quibus nomina hæc nequeunt ullo modo significare *sepulcrum*, puta illa Jacobi Josephum filium lugentis, quem a fera peregre discerptum credebat : « Descendam ad filium meum lugens in *sheol infernum*, » *Gen.* XXXVII, 35; illa Mosis, qui sic Deum loquentem inducit : « Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad *sheol inferni* novissima, » *Deut.* XXXII, 22; illa Psaltæ : « Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in *sheol infernum*, ades, » *Ps.* CXXXIX, 8 (conf. *Amos.* IX, 2); illa Salomonis : « Semita vitæ super eruditum, ut declinet de *sheol inferno* novissimo, » *Prov.* XV, 24; illaque : « Tu virga percuties eum (puerum), et animam ejus de *sheol inferno* liberabis, » *ib.* XXIII, 14; itemque illa :

(1) Attendas nomen אבדון extra librum Jobi, in quo ter legitur, non reperiri nisi semel in Psalmis (*Ps.* LXXXVIII, 12) et bis in Proverbiis (XV, 11; XXVII, 20).

« *Sheol* et *abaddon* coram Domino : quanto magis corda filiorum hominum? » *ib.* XV, 11; illa Isaiæ : « Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum *sheol inferni*, sive in excelsum supra, » *Is.* VII, 11; illaque ab eo relata : « Percussimus fœdus cum morte, et cum *sheol inferno* fecimus pactum, » *ib.* XXVIII, 15, 18; illa Ezechiæ, XXXVIII, 10 : « In dimidio dierum meorum vadam ad portas *sheol inferi*, » etc.

Notabilis est locutio illa *descendere ad sheol* (*Gen.* XXXVII, 35, etc. *Is.* XIV, 11, 15, etc. *Ezech.* XXXI, 15, 16, 17, etc.). Cujus quidem origo repetenda est ex communi opinione, orcum in media intimaque telluris parte situm esse (conf. *Ephes.* IV, 9); quominus autem putemus ea significari descensum in sepulcrum, obstat illud, quod, ubi sepulcrum proprie dictum nominari certum est, ac nomen *qeber* usurpatur, dicunt Hebræi *venire ad sepulcrum, componi in sepulcro, colligi ad sepulcrum, duci ad sepulcrum*, contemptim vero *projici in sepulcrum*, ferme tamen *sepeliri in sepulcro*, at nunquam dictum invenimus *descendere ad sepulcrum.*

Quid, quod Ezechiel, describens casum Pharaonis regnique Ægyptiorum (XXXII, 2-18), atque illius descensum cum suis in *sheol*, poetice fingit illic ordine disposita esse aliarum gentium *sepulcra* circa proprios reges? Quid, quod rex Babyloniorum ad *sheol* detractus narratur apud Isaiam (XIV, 9-20), cui tamen *sepultura* negata fuisse simul dicitur? Nonne hæc plane evincunt aliud esse *sepulcrum*, aliud *sheol*?

2° *Tum* sheol *tum* abaddon *sunt sedes animarum post mortem.*

Veterum interpretum auctoritas, Alexandrinorum, inquam, et Hieronymi, ad asserendum nomini *sheol* significationem, quam defendimus, apprime facit. Non modo enim nunquam pro hoc nomine reddiderunt *sepulcrum*, sed, ubi codex hebr. illud habet, Alexandrini interpretes scripserunt ᾅδην, Hieronymus *infernum* seu *inferos*; nisi quod hic semel (*Ose.* XIII, 14) scripserit *mortem*, illi bis θάνατον (II *Reg.* XXII, 6; *Prov.* XXIII, 14), atque insuper bis totam sententiam omiserit (*Job.* XXIV, 19; *Ezech.* XXXII, 21), semel ipsum tantummodo nomen (*Is.* VII, 11), quod tamen neque Aquila, neque Symmachus, neque Theodotion omiserunt, sed scripserunt et ipsi ᾅδην. Nomen autem *abaddon* Hieronymus semper vertit *perditionem*, Alexandrini ἀπώλειαν, semel vero fortasse, verborum ordine immutato, ἀπώλεσιν (*Job.* XXXI, 12), quia hæc est propria hujus nominis significatio. Lege *Apoc.* IX, 11.

Ipsum etymon nominis *sheol* huic rei suffragari videtur. Illud recte exposuit Winerus his verbis : « Multi sic dictum putant ab arab. *sidit, subsidit*, ut *sheol* sit *fundus* terræ. At vero non opus est ad Arabes confugere. *Orcus* haud inepte dici videtur a שאל *poscere*, quippe qui omnes sine discrimine homines insatiabili quadam cupiditate (*Prov.* XXVII, 20; XXX, 16; *Habac.* II, 5) *poscat*. Unde *rapax* vocatur poetis latinis (conf. Catull. II, 28, 29), græcis ἁρπακτὴς (Callim. *ep.* II, 6); ac Syri eodem vocabulo de inferno (nec non de limbo patrum) utuntur. » *Lexic. manual. hebr. chald.*

Attendas quoque carere hæc nomina forma plurali, adhiberi autem forma singulari etiam, ubi de integro populo loquuntur scriptores sacri (*Is.* V, 14), imo ubi de pluribus gentibus (*ib.* XIV, 9, 10; *Ezech.* XXXII, 21, etc.), deque magna humani generis parte (*Ps.* XLIX, 15).

Uno verbo horum nominum usus is semper est, ut nunquam non possint, sæpe vero etiam nequeant non ipsis subesse vis ac notio, quas eis asserendas esse contendimus. Et revera cur ea non sint sedes animarum vel in his locis : *Gen.* XLII, 38 (cf. XLIV, 29, 31; III *Reg.* II, 6, 9); I *Sam.* II, 6; *Ps.* IX, 18; XXXI, 18; XLIX, 15, 16 (conf. LXXXIX, 49); LXXXVIII, 12; *Eccle.* IX, 18; *Prov.* XXVII, 20? Quid vero aliud, nisi sedem animarum post mortem, sonent illa nomina, quum manes illic degentes commorantur (*Prov.* IX, 18), quo pertinet pulcherrima orci prosopopœia, quæ est apud Isaiam (XIV, 9-20), ejusque descriptio apud Ezechielem (XXXII, 19-31); vel quum *sheol* tanquam animæ habitatio expresse exhibetur, puta *Ps.* XVI, 10; XXX, 4; LXXXVI, 13; quumque mortuorum in eum descensus narratur ita, ut nemo non videat de alio agi quam de corporum sepultura, ut *Gen.* XXXVII, 35; *Is.* V, 14; XXXVIII, 10 (cf. *Ruth* IV, 1, 11; *Matth.* XVI, 18; *Ezech.* XXXI, 15-17, *Hab.* II, 5); vel denique quum peculiariter improbis vita defunctis locus illic datur (*Ps.* IX, 18; XXXI, 18; XLIX, 15; LV, 16; *Prov.* IX, 18), ignis (*Deut.* XXXII, 22), dolores (II *Sam.* XXII, 6 coll. *Ps.* XVIII, 6), angustiæ (*Ps.* CXVI, 3), cæteraque dura (*Cant.* VIII, 6) ibidem toleranda, nominantur, idemque veluti meta peccatis statuta esse dicitur (*Prov.* V, 5; VII, 27), quam sola virtus vitare potest (*Prov.* XV, 24; XXIII, 16)? Neque alia desunt, quæ ad prædictorum confirmationem afferri possunt (1). Quod si, ubi usurpantur illa *descendere in sheol*, non agitur de sepulcro, de sede animarum tunc quoque agi manifestum est.

3° *Expenduntur momenta in contrariam partem prolata.*

Verba Jacobi *Gen.* XXXVII, 35, scribit Voltairius (2), tantumdem valere atque alia hæc : *Ego moriar, sicut filius meus mortuus est.* Verum licet id daremus, robur tamen argumenti, quod ex illa loquendi ratione deprompsimus, integrum perstaret. Neque enim hominem gravi cura et dolore affectum novas metaphoras ac poeticas locutiones aucupari delectat. Usus itaque est Jacob locutione vulgari ac trita, quæ omnes in familiari sermone utebantur. Unde vero locutio hæc in vulgus ad mortem significandam inducta, ac metaphora petita? neque enim nisi ex rebus antea jam

(1) Vid. *Prov.* I, 12; *Is.* LVII, 9; *Ose.* XIII, 14; *Amos.* IX, 2.

(2) Mélanges, tom. II, p. 399, 400, edit Genève.

http://www.obrascatolicas.com

notis peti possunt metaphoræ; unde ergo, nisi ex notitia loci alicujus, in quem quisque mortuus descenderet, qui tamen locus alius foret *sepulcro*, quum *sheol* id non significet, sed neque significare in illo Jacobi sermone possit?

At enim, quominus *sheol orcum* esse credamus, aiunt illud obstare, quod legimus *Num.* XVI, 30, 33, Dathanem et Abironem *descendisse vivos in sheol*, illudque huic simile *Ps.* LV, 16, illud denique improborum consilium in homines probos initum relatumque *Prov.* I, 12 : « Deglutiamus eum sicut *sheol* viventem, et integrum quasi descendentem in lacum. » Quum enim nemo in orcum vivus descendat, horum sensus non alius esse videtur, quam *vivum sepeliri*, ideoque *sheol* nil nisi *sepulcrum* significare. Attamen neque græcis interpretibus neque Hieronymo ita visum est, quorum primi ἅδῃ, alter *infernum*, in his quoque tribus bibliorum capitibus nominari putarunt. Sic quoque putavit ipse Rosenmullerus, qui, quid h. l. valeat *viventes*, sic exponit : « *Viventes*, hoc est, non sentientes se mori, sed bene sani et incolumes. Viventes igitur mori dicuntur, qui nullo præcedente morbo subito exstinguuntur (Schol. in Ps. ad h. l.), » ut sententia sit illius gemina, quæ est apud Jobum (XXI, 13) : « In puncto ad *sheol* descendant. »

Psaltes hæc canebat : « Quoniam non est in morte, qui memor sit tui, in *sheol* autem quis confitebitur tibi? » *Ps.* VI, 6, hisque similia *Ps.* CXV, 17, hebr. (conf. *Ps.* LXXXVIII, 12; *Is.* XXXVIII, 18) : quis autem neget in animarum vita defunctarum sede laudes Deo tribui ejusque memoriam superesse? Hæc tamen plane diluit Rosenmullerus : « Est autem hic (*Ps.* VI, 5), inquit, ut Dathius observat, descriptio poetica status *animarum* post mortem. *Sheol* et *maveth* (*mors*) hic per metonymiam pro ipsis mortalibus, qui vita excesserunt et *cum defunctis agunt*, sive potius pro integra defunctorum hominum multitudine et *quasi civitate* mortuorum usurpantur.... Verba *hodah* (*confiteri*, celebrare) et *hillel* (ὑμνεῖν, *cantu laudare*) de *celebratione publica* et *solemni* adhiberi notum est. Vid. I *Chron.* XVI, 4; II *Chron.* V, 12; XXXI, 2. »

Majorem difficultatem creare videntur illa Psaltæ : « Dissipata sunt ossa nostra secus *sheol*, » *Ps.* CXLI, 7 : ossa enim circa sepulcrum dissipari quidem possunt, non autem prope orcum. Cum primis tamen attendas, velim, ne hæc in sensum proprium accipiamus, nos ipsa re moneri : vivebat enim qui hæc canebat. Tum, ut fert communior opinio, Psalmum hunc Davidem habere auctorem, eoque tempore fuisse ab eo compositum, quum Saulis insidiis peteretur; ideoque neque de sociis suis hæc a Davide dici proprio sensu potuisse, quorum neminem novimus a Saule peremptum, multoque minus tam magnum eorum numerum, quantum proderet proprius horum verborum sensus. Denique per *ossa* compertum est vigorem ac robur non raro significari in Scriptura : hinc *dissipare ossa* idem valere ac *robur auferre, debilem* vel *infirmum facere* (cf. *Ps.* LIII, 6). Sensus igitur prædictorum verborum est : *Tali premimur virium ac roboris defectu, quo jam ad orci fauces adigamur.*

4° Sheol *et* abaddon *in libro Jobi sunt sedes animarum post mortem.*

a) Postquam Bildad tertio verba fecerat, ut scribit Boullier (*Observation. miscellan.* p. 239 seqq.), ab illo « adumbratam divinæ excellentiæ ὑπότυπωσιν peritiori penicillo Jobus persequitur (cap. XXVI).... Eam Dei majestatem esse, quæ non cœlos tantum et sidera impleat, sed quæ mundi universitatem a summo ad imum complectatur, ut prorsus nihil sit, quod ejus oculos fugiat, potestati non subsit, vimque omnipotentem et per abditissima penetrabilem non persentiscat. Hinc *orcum* et *tartara* (quæ vulgaris opinio in ipso telluris meditullio infra oceanum collocat) *manium* et *animarum sedem* oculo Numinis pervestigari et ad ejus præsentiam contremiscere. » Hanc esse ipsissimam Jobi sententiam, paulo attentius legentibus fit manifestum. Verba Jobi ex hebr. sic vertas : *Manes contremiscent, de sub aquis et habitatores earum; nudus sheol coram eo* (Deo), *et non est operimentum* τῷ *abaddon*. Nomen *rephaim*, pro quo in hoc versu Alexandrini et Hieronymus *gigantes*, sicut et alias, reddiderunt, proprium quandoque est gentis cujusdam a Moyse aliisque commemoratæ; eodem tamen hoc nomine (utrum metaphora petita ab ea gente, an aliquam aliam ob causam, disputant interpretes) vocari *manes* certo comperimus aliis quoque bibliorum locis, idemque ipse Hieronymus semel illud transtulit *inferos*, Alexandrini vero τῷ ἅδῃ μετὰ τῶν γηγενῶν (*Prov.* II, 18). Considera insuper ea, quæ duobus prædictis versiculis Job prætulit, ita inter se connexa esse, ut, quamvis utraque ad Dei sapientiam potentiamque demonstrandam pertineant, posteriora tamen priorum causam rationemque prodere. In prioribus enim, quibus demonstrationem illam Jobus exorditur, nulla Dei mentio est, nulla causa vel obiter indicata, cur manes contremiscere dicantur. Indicari eam oportebat. Indicat autem iis, quæ continuo subdit, quia, inquit, *nudus est infernus coram illo*. Hoc ergo, sicut quisque intelligit manes ideo contremiscere, quia ipsorum veluti latibulum patet divino obtutui, ita certior fit *sheol* et *abaddon* hic non aliud nisi *orcum* posse significare.

b) Jobus secundo sermonem conferens cum Eliphazo ita concludit : *Ad vectes* (alii, *ad solitudines*) τοῦ *sheol descendent*, scil. ejus spes, quibus frustratum se aiebat. Si attendas spem animis inesse, non corporibus, *vectes* τοῦ *sheol* idem valere ac apud Isaiam (XXXVIII, 10) *portas inferni* (conf. *portæ inferi* Matth. XVI, 18 : quisque enim sentit ne poetice quidem ea appellatione *sepulcrum* apte designari; si item consideres *solitudines* esse tractus regionum, regioni autem *orcum* recte assimilari, non vero *sepulcrum*, facile deprehendes, quid sit *sheol* in hoc Jobi sermone. Quod confirmant ea quæ continuo sequuntur : ad verbum sonant, *si pariter super pulverem requies;* sensus autem est : *In orcum spe mea frustratus descendam, et videbo, num meis reliquiis requies obtingat par ejus, quæ mihi nunc est* : ἀρτιγενῶς videlicet (1).

c) Ubi Jobus ita precatur : « Quis mihi hoc tribuat, ut in *sheol* protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus (XIV, 13)? » *sheol* esse *sepulcrum* neque ii accipere possunt, qui notitiam alterius vitæ post mortem futuræ Jobo fuisse negant. Quid enim? Optabatne Jobus se viventem adhuc in sepulcro abscondi, an e vita sublatum? si prius, quam inepte quamque insipienter perfugium ab ira Numinis in sepulcro sibi quæsivisset! Si alterum, sibi caveant adversarii, ne suo se gladio ipsi jugulent, quandoquidem, hoc altero semel posito, illa *et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei*, quæ Jobus continuo subjungit, non aliud sonabunt nisi vitam ab eo tandem recuperandam. Quare hic quoque *sheol orcus* sit oportet, quoniam ex tota hac disputatione jam quisque certo inferat nomine isto, si *sepulcrum* non significat, nihil aliud nisi *orcum* posse significari.

Conf. alia hujus libri capita, quæ huc quoque pertinent, v. g. *Job.* III, 13, 19; X, 21, 22; XXX, 23 hebr.

ARGUMENTUM III. — *Postremum Dei judicium.*

Tertium locum jam adeamus. Est autem ille, in quo non obscure prædicitur, aut indicatur, judicium, quod de cunctis hominibus sub finem omnium ætatum Deus facturus significari creditur.

a) Sophar enumerans adversa hominibus impiis impendentia ita concludit : *Patefaciant cœli iniquitatem ejus, et terra insurgens in eum. Revelabit* Deus *proventum domus ejus. Tracta* hæc *in die furoris ejus* (2). Aio hæc ad postremum Dei judicium spectare, idque, nisi pertinacius, negare neminem posse, qui ordinem ac seriem orationis habitæ a Sopharo non omnino aliud agens consideraverit. Initio quippe argumentum proponitur, quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ adinstar puncti (vers. 5); tum aliquantum uberius expolitur (6-10); demum per partes demonstratur (11-21). Sequuntur continuo, quæ impios homines maneant, postquam perierint (vers. 26), eaque mox referemus. Ultimo denique habentur illa : *Revelabunt cœli*, etc. (3).

b) Elihu Jobum redarguens (XXXV, 14, 15), atque admonens, sic sermonem concludit : « *Judicium* coram eo (Deo), exspecta illud; nunc enim non inquirit ira ejus, neque cognoscit de delicto valde. » Nomen *phash* vertimus *delictum* ita flagitante orationis serie et contextu, nec non auctoritate Alexandrinorum et Hieronymi, pro qua strenue propugnat Gesenius. Hæc itaque verba indicant manifesto judicium aliquod de nobis a Deo habendum, non tamen *nunc*, id est, dum vitam hanc vivimus. Causam enim, cur judicium hoc olim habendum sit, statuit Elihu, *quia* NUNC *non inquirit ira ejus*, etc. Eam vero ita edicit, ut quæ universale aliquod principium sit, non autem veluti si adversam tantummodo Jobi sortem ex illa epeteret : quid enim id foret, nisi pœnas Jobo inferendas metiri gravitate scelerum, quorum eum socii insimulabant? quum tamen e contrario ea, quæ a Jobo admissa credebant, horumque numerum ac pondus ex pœnis duntaxat Jobo in præsenti inflictis arguerent ac metirentur. Quamobrem illud *nunc* nequit aliud significare, nisi vitam, quam vivimus.

ARGUMENTUM IV. — *Pœnæ improborum post mortem.*

a) Nomen *sheol*, non modo sedi animarum in universum, sed veluti proprium factum est loco illi, ad quem animæ improborum damnantur; ex quo etiam intelligimus eumdem hunc esse atque illum, quem Christus vocavit *locum tormentorum* (Luc. XVI, 28). Proinde clarius quoque per hoc fit, de pœnis, quas impii post mortem daturi sunt, dicta a Jobo esse illa : *Ariditas et æstus rapiunt aquas nivis, orcus eos, qui peccaverunt* (XXIV, 19).

b) Quid porro, nisi hoc ipsum, sibi volunt ea Bildadi verba, quibus horribilem hominum malorum interitum enarrabat, quæque ex Rosenmulleri et Wineri sententia sic forent transferenda : *Comedet artus cutis ejus, comedet artus ejus primogenitus mortis.... et facies eum incedere ad regem terrorum* (XVIII, 13, 14). Negat tamen Gesenius particulam ל positam in hoc versu ante *melek* valere *ad*, sed idem esse ac כ *sicut*, vertitque : *Persequen-*

(1) Particula אם *si* idem hic valet ac *num;* יחד idem ac *pariter; pulvis* sunt corporis reliquiæ, ut sæpe in hoc carmine, quarum propriam dicere mos est pacem et quietem, animis verius attribuendam, sicut nos sepulcris inscribere solemus : *Hic quiescit in pace;* totus denique versiculus eam exhibet constructionem, quam grammatici *prægnantem* vocant.

(2) *Dei* scil. *Job.* XX, 28 hebr.

(3) Renan, cum multis, ultimum vers. ex hebræo sic vertit : *Les revenus de sa maison seront dispersés, ils fondront au jour de la colère divine.* Sed quam frigide, ait Patritius, post descriptum vivis adeo coloribus, ut in hac Sophari oratione fit, impiorum exitum, supplicium ab his ferendum, cœlum eos accusantem, terram in eos insurgentem, quam frigide, inquam, quam præter rem, ex improviso proventuum deperditorum commemoratio huc foret inserta, præsertim quum prius jam suo loco (vers. 15, 18, 21) habita fuerit. Contra vero, apte nos verba *igel* et *niggaroth* in eum sensum accepimus, in quem et Vulgatus interpres, et Syrus, et Arabs acceperunt. Quod attinet ad verbum *igel*, nil dubitationis esse potest, quominus illud valere idem putemus ac, *revelabit, reteget.* Verum vero *niggaroth* forma ipsa proditur esse participium passivum verbi *nagar*, cui notionem subjectam esse etiam *trahere* disces plane ex consonantia radicum imperfectarum linguæ hebr., et ex iis, quæ de hoc verbo scripsit Gesenius in *Thesauro* suo ad h. v.

http://www.obrascatolicas.com

tur eum instar regis... terrores. Priori interpretationi favet accentus et interpres Chaldæus, posteriori Hieronymus.

c) Pœnas impiis post mortem constitutas perstringit Jobus illis quoque verbis : *Cubabit* (morietur) impius, *et non colligetur* anima ejus inter majores suos, id est, projicietur. *Oculos suos aperuit, et non ipse* est amplius. *Invadent eum,* scil. postquam mortuus fuerit, *sicut aqua terrores* (XXVII, 19, 20). Hæc eadem continuo per expolitionem diversasque verborum immutationes repetit : *Noctu furata est eum tempestas, sustollet eum ventus urens, et peribit. Et Deus turbine dejiciet eum de loco suo, et projiciet contra eum, et non parcet; de manu ejus fugiendo fugiet,* id est, fugere conabitur, ut adnotavit Rosenmullerus. Quæ quidem omnia explicatione non indigent.

d) Apertiora etiam sunt hæc verba Sophari, quæ referimus, sicut ea latina fecit Rosenmullerus : «Perit *impius.* Super eum terrores. Omne tenebrarum genus pro thesauris ei repositum. Consumet eum ignis non sufflandus, » (cap. XX, 25, 26). His postremi judicii, cui impius sistetur, descriptio statim accedit.

ARGUMENTUM V. — *Spes atque exspectatio rerum post mortem futurarum.*

a) Cap. XVII, 16, Jobus quietem sibi vita defuncto sperare profitetur. Ne vero quis suspicetur quietem hanc aliam non esse nisi eam, quam sepulcrum cuique præbet, finem, inquam, miseriarum et ærumnarum, quibus viventes premi solemus, obstat pia illa et religiosa dubitatio, quam veluti comitem spei suæ Jobus verbis illis præ se ferat, quæque circa quietem in sepulcro inveniendam versari profecto nequit.

b) Spem eamdem præfert quoque hoc Jobi votum : *Quis dabit, ut veniat petitio mea, et exspectationem meam det Dominus? et velit Deus, et conterat me, solvat manum suam, et succidat me? Et erit* TUNC QUOQUE *consolatio mea, et exsultabo in dolore meo, qui non parcet, quoniam non contradixi sermonibus Sancti.*

c) Illum ipsum sermonem Jobus concludit his verbis : *Ecquid non tolles peccatum meum, et auferes iniquitatem meam?* QUONIAM *nunc in pulvere cubabo, et mane me quæres, et non ego* (VII, 21). Itaque sua peccata sibi remitti *ideo* optat, *quia* se mox diem supremum victurum credebat. Ast ecquid momenti ratio hæc habuisset, cur illud optaret, nisi unumquemque nostrum, quæ factis ac studiis suis in vita sua meritus est, ea post mortem manerent, idque ipsum Jobus haud dubius sperasset?

d) Denique, cum Jobus expresse neget impio ex hac vita decedenti spem ullam esse posse, hoc ipso ponit esse, quæ nobis post decessum futura speremus. En ipsa verba Jobi, prout ea vertit Gesenius : *Quænam spes est impio, ubi rapuit, si Deus extrahit,* vel *postulat animam ejus?* cap. XXVII, 8.

SECTIO II.

Quid valeant ea, quæ ex Jobo in contrarium proferuntur.

a) Aiunt Jobum inficiatum esse credere se animas corporibus fore superstites, idque ubi hæc loquebatur : *Sicut abortivum absconditum non subsisterem* (cap. III, 16); vel hæc alia : *Fuissem, quasi non essem, de utero translatus ad tumulum* (X, 19); vel denique hæc : *Dives, cum dormierit* (mortuus fuerit),... *aperiet oculos suos, et non ipse,* videl. non est (XXVII, 19). Sed ista omnia prorsus explodit Rosenmullerus sic disserens : « *Non essem* in rerum natura, non viverem. *Esse* dicitur qui vivit, et contra *non esse,* qui mortuus est, ut *Jerem.* XXXI, 15 : *Rachel plorans filios suos quia non sunt,* non sunt in vivis ; *Gen.* XLII, 13 : *Et unus non ipse,* id est mortuus est, ut ipsi fratres Josephi loquuntur XLIV, 20. Conf. *Ps.* CIII, 16. » Hæc confirmare aut illustrare saltem poteris aliis nonnullis ipsius Jobi sermonibus (v. g. III, 9, 21), præsertim ubi de Deo sic loquitur : *Ecce ad orientem ibo, et non ipse* (XXIII, 8), quibus nemo putabit negari Deum esse. Insuper, quod ad primum trium illorum testimoniorum, ejus sensum esse, quem diximus, docet nos addita ἐπεξήγησις : *vel, qui concepti, non viderunt lucem.* Alterum vim omnem, si quam haberet, amitteret propter particulam *quasi;* nam hebraice sic sonant : *Quasi non fuissem, essem.* Quod ad tertium, interrogamus, quomodo is qui nullo modo est, qui nihil est, animadvertere possit se non esse? quod tamen fieri dicitur. His præcognitis facile dilues alia hujusmodi.

b) *Dies mei... transierunt... et consumpti sunt absque ulla spe* (VII, 6), scil. revocandi tempus præteritum, et sanitatem recuperandi.

Ventus est vita mea, et non revertetur oculus meus, ut videat bona... Qui descenderit ad inferos, non ascendet, nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus ejus (VII, 7, 9, 10 : cf. X, 21; XVI, 23). Hic agi de vita denuo in orbe ducenda, contextus docet.

c) *Lignum habet spem, si præcisum fuerit, rursum virescit;... homo vero, cum mortuus fuerit, et nudatus atque consumptus, ubi quæso est? Quomodo si recedant aquæ de mari, et fluvius vacuefactus arescat : sic homo cum dormierit, non resurget, donec atteratur cœlum, non vigilabit, nec consurget de somno suo.... Putasne, mortuus homo rursum vivat* (XIV, 7-14) ? Audi hominem rationalistam, Rosenmullerum, inquam, qui ita scripsit : « Negat Jobus et hoc loco, et similibus, supra VII, 7-10 ; X, 21; XVI, 22, hujus, quam in terris degimus, vitæ iterationem ; unde tamen haud colligere est, illum nec aliquam vitæ, hac scilicet terrestri præstantioris, restitutionem credidisse, non nisi post præsentis rerum humanarum ordinis interitum exspectandam.... Vere observat Pareau, in *Commentat. de immortalitatis notitiis,* etc., p. 144, non aliam vi-

tæ instaurandæ spem a Jobo rejectam fuisse, nisi qualem et nos quoque, qui traditam a Christo de reditu ex morte doctrinam tenemus, rejicere decet. Tenuisse enim ea, qua Jobus floruit, ætate plures Orientis gentes, præsertim vicinos illi Arabes et Ægyptios, hanc spem, fore, ut post longam sæculorum seriem anima, quæ ex corpore egressa esset ad inferos, ex inferis ad corpus reverteretur, utque tum redirent ad eamdem hanc vitam terrestrem, ut in pristinum adeo statum, sed longe feliciorem, restituerentur, et cum amicis, consortibus, consanguineisque denuo versarentur sicut antea. Similem quamdam spem rudiorem haud paucis gentibus recens detectis communem repertam fuisse *ibid.* notavit Pareau. Hanc igitur rudiorem ac falsam spem fuisse, quam rejiciendam esse merito judicaverit Jobus. Unde appareat, cur ad idem hoc argumentum sæpius reversus sit, ac tam studiose omnem talis a morte resurrectionis fidem a se removerit. » *Schol. in Job.* XIV, 12.

ARTICULUS IV.

Oraculi interpretatio proponitur et confirmatur.

Quæ nostram interpretationem oraculi a Jobo editi impedire poterant, de medio sublatis, definitaque prius vi ac notione singulorum verborum, atque argumentis non paucis nec levibus productis, quibus hæc confirmarentur, arbitror me præstitisse, quantum satis est, quo de interpretationis hujus veritate, non præjudicium, sed plane judicium jam factum putetur; ideoque licere jam integram illam proponere. Sic autem ea est :

Quis dabit ergo, ut scribantur verba mea ?
quis dabit, in libro ut exarentur ?
Stylo ferreo et plumbo
in æternum in saxo excidantur ?
Et ego novi *quod* redemptor meus vivit,
et *quod ille* postremus super pulverem surget.
Et postea pelle mea circumdabuntur hæc,
et de carne mea intuebor Deum meum :
Quem ego intuebor mihi,
et oculi mei videbunt, et non alius.
Consumpti sunt renes mei in sinu meo.

Est tamen operæ pretium hanc interpretationem magis ac magis comprobare reliquis argumentis, quæ præsto sunt, ut peculiari ratione evincamus, non de alia re Jobum esse locutum, nisi de vita, ad quam æternam vivendam humanum genus a Deo sub finem mundi revocabitur.

Quicumque in diversa abeunt a proposita propositione, ad alterutrum horum ultimo omnes deveniunt, aut etiam ad utrumque simul : Jobum his verbis polliceri sibi, vel se in integrum restitutum iri, vel Deum ipsi in hac vita adhuc degenti visitationem facturum. Quare si neutrum horum accipi posse demonstraverimus, simul interpretatio nostra indubitata evadet ac talis, quæ cordato cuique se probet, necesse sit.

a) Itaque, si diligenter consideres totam disceptationem hucusque habitam Jobum inter ejusque amicos, animumque advertas ad affectus, quibus hactenus ille concaluit, ad horum rationem et modum, ad continua eorum incrementa, ad eum æstus gradum, quo jam pertigerunt, jam nullus exspectes fore, ut Jobus eo loci redactus certiorem se de sanitate una cum cæteris bonis sibi ademptis recuperanda factum esse narret, nec possis, quin sentias, quam narratio hæc post illa frigeret, quamque vere ita scripserit Schultensius : « Hanc spem in explicationes suas admittere et admiscere, est totum libri pathos minuere, subnervare, et magna ex parte delere ; » etenim, sicut ille sapienter monet, « tam grandia πάθη nec concipit, nec effert, nisi qui de *salute,* de jure *fœderis gratiæ,* de *præmio* sinceros Dei cultores post hanc vitam manente, deque *corona justitiæ* pugnat, *suamque partem in hæreditate sanctorum in luce* omni animi contentione et ardore tutandam suscepit. » *Præfat. in Job.* p. 13, 22.

Multo autem magis, ea re posita, omnia ex improviso conglaciare sentias, ubi videris narratiunculam illam, talis enim ea foret, haberi statim, ac Jobus animi sui commotione eo adactus esset, ut dolori atque angori, quo crudeles atque iniquæ sociorum castigationes eum affecerant, ferendo impar animosiorem refutationem in tenerrimas preces converteret, pietatemque et commiserationem imploraret eorum, qui tanta, ut illi, immanitate in ipsum sæviebant, ac ferociebant, et contra quos magno atque alacri ad id animo causam dixerat.

Age vero, grandibus illis verbis, quæ Job præfatus est, ipsam illius narratiunculæ sententiam subjungamus, totumque sermonem inde exstantem ausculta : *Quis ergo det, ut scribantur verba mea! quis det, ut in libro exarentur, ut stylo ferri et plumbo æternum duratura in saxo excidantur! Ego certo novi me pristinæ sanitati vitæque conditioni esse restituendum.* Nonne huc aptum esset illud Horatii : « Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? » etc. Quid porro si *redemptoris* mentionem, quam omisimus, si redemptorem ipsum auctoritatem suam potentiamque in Jobi cineres exserentem suo loco inseras, ac reponas ?

Præterea, ut calumnias a se repelleret, pluribus jam argumentis Jobus curaverat. Etenim se innocentem atque integrum iterum atque iterum professus ac testificatus fuerat. Demonstraverat ærumnas, quas patimur, nequaquam indicio esse posse, quo prave nos vitam agere arguamur ; falsum quippe esse, quod socii vincere contendebant, impios solummodo, hosque nunquam non ærumnis illius modi premi, quum sæpissime videamus impiis prospere omnia cedere, contra ea vero in homines probos omnia ingruere adversa.

http://www.obrascatolicas.com

Precatus fuerat, ut sibi jam liceret vitæ residuum recte ac feliciter vivere, quo iniquam amicorum opinionem, quam de ejus agendi ratione animo imbiberant, res ipsa refutaret. Deum ipsum sibi integritatis suæ testem jam tertio citaverat. Quum vero his rationibus pervincere non posset, ut socii ab incœpto desisterent, aut quominus criminationibus jugiter acerbioribus in ipsum inveherentur, quid agendum Jobo tandem supererat? quid ultra ab eo erat exspectandum? Num ut certo pronuntiaret se restitutum iri in pristinum statum, quasi hoc uno tota lis dirimi posset, tametsi non modo nulla ei nec esset, nec esse posset, hujus rei certitudo, sed neque spes ulla foret, sed omnino illam desperaret? Ergone hoc unum agendum tunc Jobo supererat, hoc unum ab ipso tunc erat exspectandum? non autem unice illud, ut, refutationibus vehementioribus in teneriores querelas supplicis more mutatis, postremum Dei judicium speraret, redemptoremque appellaret, quem opperiebatur, quique de ejus innocentia esset pronuntiaturus, eamque præmiis æternis persolutis comprobaturus; ut sensus verborum, quibus Jobus amicos alloquutus est, talis foret: « Itane vero nullo argumento nulla ratione adduci poteritis, ut noxarum, quas mihi affingitis, me expertem credatis? Quis ergo mihi hoc tribuat, ut, quod certissimum habeo, perenni monumento consignatum omnibus omnium ætatum hominibus innotescat! meum mihi redemptorem non defuturum, qui olim, me e meis cineribus excitatum æterna beatitate remunerans, meam integritatem proferet, ac patefaciet. » Neque putes rationem hanc nostram totam ex quadam rerum, ut vocant, convenientia petitam esse, sed ipsa res, ipsa disceptationis illius series atque natura, ipse locus, quo Jobum tunc fuisse comperimus, ad id tandem eum necessario redactum esse, nos credere cogunt.

Qui autumant Jobum his verbis sanitatem fortunamque suam integrandam sibi polliceri, utrum dicent, Jobum ea de re certum fuisse, an incertum? Si enim incerta solum integrationis hujus spe tenebatur, ecquid tam asseveranter, quam fecit, præfatus est illud: *Et ego novi*, tantoque verborum apparatu eam sibi certo futuram veluti est vaticinatus? Quod si certo id noverat, scilicet, prout Clericus aliique comminiscuntur, quia a Deo ipso id didicerat, neque enim aliter poterat id certo nosse, qui factum est, ut sæpius integrationem istam desperare se professus aperte sit? quod nec ipsum Clericum præteriit, de cujus commento Schultensius ita scripsit: « Hoc enimvero est totam tentationem Jobi quodammodo eludere atque libri hujus universam œconomiam ita conturbare, ut, quid sibi voluerit Jobus cum amarissimis suis querimoniis, nemo mortalium expedire possit, nisi simul impatientissimum eum atque adeo ineptissimum facere velit disputatorem, quem nulla virtus, constantia, et magnanimitas, in adversis commendet. » *Præf.* p. 22.

Levi quoque negotio revincuntur Calvinus, Crinsozius, aliique post hos, putantes prædicere Jobum fore, ut Deus ipsi in terris etiamnum versanti se præberet conspiciendum, quod re ipsa factum esse narratur in hoc libro. Faciunt enim contra hanc eadem ferme argumenta, quæ contra priorem interpretationem facere modo vidimus. Neque enim spes visitationis hujus a Deo faciendæ res ejusmodi erat, quæ monumentis ætatem laturis foret committenda. Neque momentum ullum spei illi poterat inesse ad refellendas calumnias sociorum Jobi, qui vaticina hac ratione ad Jobi innocentiam agnoscendam non magis induci potuisse credendi sunt, quam rationibus aliis jam ab ipso prolatis. Neque demum rem illam potuisset Jobus sibi polliceri, nisi prius eam Deus ipsi fuisset pollicitus; cujus tamen pollicitationis nec vola nec vestigium apparet in hoc libro, quæque Crinsozius ex eo deprompsit, quibus sententiam suam comprobaret, ea nihil valere pro comperto est.

c) Sunt denique, qui nobis illud regerant, quod, « si de resurrectione futura hic loqueretur Jobus, non erant haud dubie id prætermissuri Hebræi, *qui et* ipsi resurrectionem credunt; at ne unum quidem ex sex septemve Hebræorum commentatoribus invenies, qui eo referat (1). » Item, « fuisse plures veteris Ecclesiæ doctores, qui, ubi de resurrectione agunt, vel nostri loci nullam plane mentionem fecerint, vel illum interpretati sint de restitutione Jobi in pristinum felicem statum (2). »

Verum ex Judæis, qui Jobi librum explicaverint, neminem reperias ante sæculum undecimum; quo posito miraberis adversarios nostros in hujus oraculi interpretatione priscorum Patrum testimonium testimonio recentiorum Judæorum posthabere, veluti si πατροπαράδοτος oraculi intelligentia a sua origine ad longissimam ætatem purior penes hos servata fuisset, quam penes illos, qui tamen apostolis ætate fere suppares fuerant aut etiam æquales.

Nam, quod attinet ad Patres, non equidem negavero esse, qui, dum libros, sive librorum partes, aut sermones, de resurrectione conscriberent, oraculi hujus neque meminerint, imo eorum unus Ephræmus hoc amplius Jobi librum enarrans hoc ipsum oraculum fere præteriit, Chrysostomus vero Jobo futuram ἀνάστασιν notam fuisse etiam negavit, idque non semel (3). Nihil tamen hæc interpretationi nostræ officere, nulloque modo suspicionem cuiquam præbere posse,

(1) Mercerus, et post hunc Grotius, Clericus aliique, apud Schultensium *in Job.* XIX, 25.

(2) Henke, *Narrat. crit. de interpretat. loci* Job. XIX, 25-27, *in antiqua Ecclesia*, ap. Rosenmullerum *in Job.* XIX, 26.

(3) *In Matth.* hom. XXXIII, al. XXXIV, § 6; epist. 2 *ad Olympiad.* § 8.

ne forte priscis ætatibus alia foret de oraculo hoc sententia, pro comperto habemus.

Primum enim ab illorum Patrum plerisque de resurrectione, non tam disceptando decertatum, quam secundum Christianorum doctrinas philosophatum est, aut etiam religiosæ commentationes sunt habitæ; atque hujusmodi esse videas, quæ scripserunt Cyprianus *De Mortalitate*, Eusebius Cæsariensis, Gregorius Nyssenus, Ephræmus, Joannes Chrysostomus. Quidam alii ab argumentis ex Scripturarum auctoritate petendis consulto abstinuerunt, quod contra eos agerent, quibus auctoritas hæc nullius esset momenti, sicque se gessit Athenagoras, ac se gessisse videtur Lactantius, quorum prior in toto opere, alter in ea operis parte, qua de resurrectione disserit (1), vix unum aut alterum Scripturarum testimonium attulerunt. Cur Jobi verba non produxerit Tertullianus scribens de resurrectione carnis, discere est ex his, quæ ipse nos monet: « Evolverem prophetias, si Dominus ipse tacuisset; nisi quod et prophetiæ vox erant Domini. Sed plus est, quod illas suo ore consignat (2). » Methodii liber *De Resurrectione*, dimidia sui parte mutilus, et liber Hippolyti, cujus pauca tantum verba nobis servavit Anastasius Sinaita, an Jobi testimonium exhibuerint nec ne, incertum est. Alios autem Patres, ex vetustioribus saltem, quos nobis opponant, nescio an adversarii nostri sint reperturi.

E contrario, quos illis opponamus, præsto nobis sunt Augustinus *De Civit.* lib. XXII, cap. XXIX, § 4; Hieronymus *Contr. Joan. Hierosolymit.* § 30; Marcus Diadochus *Contr. Arian.* § 1; Cyrillus Hierosolymitanus *Cateck.* XVIII, § 15; Origenes *in Matth.* § 29; Clemens Romanus *Epist. ad Cor.* § 26: hi enim omnes, dempto fortasse Marco Diadocho, qui, non corpora olim revictura, sed vitam æternam nominat, cæteri ex verbis Jobi, quæ interpretati sumus, argumentum ad corporum ἀνάστασιν defendendam deprompserunt. Hos inter Chrysostomum numerarem, cujus verba exhibet *Catena Patrum græcorum* composita a Niceta, nisi, quominus Chrysostomi ea esse credam, illud me deterreret, quod Chrysostomum de Jobo sensisse modo referebam.

Ne vero quis suspicetur me in hujus oraculi interpretatione habenda partium studio ductum fuisse, nostrisque doctrinis voluisse velificari, juvat totam quæstionem verbis hominis rationalistæ concludere, Rosenmulleri, inquam, qui hæc scripsit: « Non est, cur negemus Jobum spem illam, *quam simplex verborum suorum sensus prodit*, apud se aluisse, mortis suæ somnum non æternum fore, sed ab ipso Deo se aliquando expergefactum iri, et futurum esse, ut Deus mortuo ipsi advigilare non desinat, ipsum olim in vitam revocatum ut amicum amice recepturus. not. sup. ad cap. XIV, 12. Recte monet Pareau l. l. p. 166, Jobum morti, ut opinabatur, proximum duplicem hoc loco spem testari voluisse, alteram de vindicta Dei in censores iniquos aliquando post suam mortem exercenda, alteram de favore Dei sibi una cum meliore vita restituendo.... Sunt præterea alia, quæ nos admonent, ut ad celsiorem illum conspectum Jobum oculos attollere statuamus. Primum enim eximium quid et singulare esse, quod hic profitetur Jobus, procemii illius, quo præfatur, evincit solemnitas..... Restitutio autem fortunæ et sanitatis non utique tanti momenti erat, ut illa ratione memoriam ejus ad posteros transferri optare debuisset. Deinde sublimiori illi spei, quæ vitæ hujus terminos excedit, connexio cum iis, quæ præcedunt, egregie favet. In eo enim erat Jobus, ut innocentiam suam adversus criminationes amicorum vindicaret, qui eum traduxerant ut iniquum et talem, qui Deum fortem non agnoscat, XVIII, 21. Tantum itaque abest, inquit, ut talis sim, qualem me esse dicitis, ut contra spe piorum plenus et Deum noverim, et redemptorem meum, et majora ab ipso bona exspectem, quam quæ vitæ hujus ambitu contineantur. Accedit, quod huc plurimum momenti addit, Jobum tam longe a fortunæ sanitatisque restituendæ spe abfuisse, ut potius mortem a se ardenter exoptatam certissime exspectaverit, et nihil prorsus habuerit, quod huic vitæ speraret. Id quod pluribus clarisque sermorum suorum locis... evicit I. A. Voigtlander in *Isagoge ad interpretationem Jobi*, cap. XIX, 23-27, Dresdæ 1809 in octon., quam sequuta est *Interpretatio* ipsa hujus loci. *Ibid.* 1810 in oct. Jam, quum hoc de Goele oraculum spem certissimam et inconcussam fiduciam præ se ferat, inde sic arguitur: Quando Jobus ærumnarum finem et requiem in his terris non exspectavit, et nihilominus spem omnimodæ liberationis Goelis opefovit indubiam, eum oportet de venturo judicio, corporum resurrectione ultima, et rerum omnium instauratione, cogitasse. » *Schol. in Job.* XIX, 26.

A. CRAMPON.

(1) *Divinar. Institut.* lib. VII, cap. XX, XXII, XXIII; *Epitom.* cap. LXXII.

(2) *De resurrect. carn.* cap. XXII.

http://www.obrascatolicas.com

JOBUS.

Quidquid tragœdia vetus unquam Sophocleo vel Æschyleo molita est cothurno, infra magnitudinem, gravitatem, ardorem, animositatem horum affectuum infinitum quantum subsidet.

ALD. SCHULTENS. *Præfat. in Job.*

PROLOGUS.

(Cap. I-II)

Cap. I, vers. 1. Vir erat in terra Uz, nomine Jobus, et erat hic vir integer et rectus, et timens Deum, et recedens a malo. 2. Et nati ei sunt septem filii, filiæque tres; 3. eratque peculium ejus septem millia ovium, et camelorum tria millia, et quingenta juga boum, et quingentæ asinæ, familia quoque ampla admodum, eratque is vir major (*opulentior*) omnibus filiis Orientis.

4. Et ibant filii ejus, et faciebant convivium in domo cujusque die suo, et mittebant et vocabant tres sorores suas ad edendum bibendumque cum ipsis. 5. Et quando dies convivii circuiverant, mittebat Jobus (eos arcessebat), eosque lustrabat, et surgebat mane, et afferebat holocausta secundum numerum omnium illorum; nam dicebat apud se Jobus: « Fortasse peccarunt filii mei, et valere jusserunt Deum in corde suo. » Sic faciebat Jobus omnes dies (semper).

6. Quodam autem die venerunt filii Dei (angeli), ut sisterent se coram Jova, venitque etiam Satanas in medio eorum. 7. Et dixit Jova Satanæ: « Unde venis? » Et respondit Jovæ Satanas et dixit: « A discurrendo per terram et a circumeundo in ea. » 8. Et dixit Jova Satanæ: « Advertistine animum tuum ad servum meum, Jobum? nam non est ut ille in terra vir integer et rectus, timens Deum, et recedens a malo. » 9. Et respondit Satanas Jovæ et dixit: « An gratis timet Jobus Deum? 10. Nonne tu sepsisti *munimentum* circa eum, et circa domum ejus, et circa omnia, quæ sunt ei, undique? Operi manuum ejus benedixisti, et greges ejus per totam terram se diffundunt. 11. At enim vero, extendè, quæso, manum tuam, et tange omnia *ejus bona*, ni in faciem tuam te valere jusserit. » 12. Et dixit Jova Satanæ: « En omnia quæ sunt ei, in manu tua *sint;* tamen ipsi manum ne inferas. » Et exiit Satanas a Jovæ conspectu.

13. Quodam die, dum filii ejus ejusque filiæ edebant et bibebant vinum in domo fratris eorum primogeniti, 14. nuntius venit ad Jobum et dixit: « Dum boves arabant et asinæ pascebant ad latus eorum, 15. irruerunt Sabæi, et abstulerunt eos, et pueros (servos) percusserunt acie gladii, et tantum ego solus evasi, ut *hæc* tibi nuntiarem. » 16. Adhuc ille loquebatur, et alius advenit et dixit: « Ignis Dei cecidit de cœlo, et arsit inter pecudes et pueros, et voravit eos, et tantum ego solus evasi, ut *hæc* tibi nuntiarem. » 17. Adhuc ille loquebatur, et alius advenit dixitque: « Chaldæi disposuerunt tria agmina, et irruerunt in camelos, et abstulerunt eos, et pueros percusserunt acie gladii, et tantum ego solus evasi, ut *hæc* tibi nuntiarem. » 18. Adhuc ille loquebatur, et alius advenit dixitque: « Filii tui et filiæ tuæ edebant et bibebant vinum in domo fratris tui primogeniti; 19. et ecce ventus ingens venit ab ulteriore regione deserti, corripuitque quatuor angulos domus, et ruit *domus* in liberos, et mortui sunt, et tantum ego solus evasi, ut *hæc* tibi nuntiarem. » 20. Et surrexit Jobus, et discidit tunicam suam, et totondit caput suum, et procidit humi et *Deum* adoravit; 21. dixitque: « Nudus egressus sum ex utero matris meæ, et nudus eodem revertar. Jova dedit, Jova abstulit: sit nomen Jovæ benedictum! » 22. In his omnibus nihil peccavit Jobus, neque edidit stultum quid in Deum.

Cap. II, vers. 1. Quodam autem die, quum venissent filii Dei, ut se sisterent coram Jova, venit etiam Satanas in medio eorum, ut se sisteret coram Jova. 2. Dixitque Jova Satanæ: « Undenam venis? » Et respondit Satanas Jovæ: « A discurrendo per terram et a circumeundo in ea. » 3. Et dixit Jova Satanæ: « Advertistine animum tuum ad servum meum, Jobum? Nam non est ut ille in terra vir integer et rectus, timens Deum et recedens a malo. Et adhuc inhæret integritati suæ, et incitasti me contra eum, ut perderem eum sine causa. » 4. Et respondit Satanas Jovæ, dixitque: « Pellem pro pelle; et omnia, quæ *sunt* homini, dat pro vita sua. 5. Verum extende, quæso, manum, et tange ossa carnemque ejus, ni in faciem tuam te valere jusserit. » 6. Dixitque Jova Satanæ: « Ecce eum in manu tua *trado*, tantum vitam ejus serva. »

7. Et exiit Satanas e conspectu Jovæ, et percussit Jobum ulcere maligno a planta pedis ejus usque ad verticem ejus; 8. et sumpsit sibi testam, ut se scaberet ea, idque sedens medio in cinere. 9. Tum dixit ei uxor ejus: « Adhucne inhæres integritati tuæ? Valere jubeas Deum, et morere! » 10. Et dixit ei: « Ut loquitur stultarum aliqua, loqueris: itane vero bona accipiamus a Deo, mala non suscipiamus? » In his omnibus non peccavit Jobus labiis suis.

11. Quum autem tres Jobi amici audiissent omne hoc malum, quod ei supervenerat, profecti sunt singuli suis ex locis: Eliphaz Themanita, et Bildad Suchita, et Zophar Naamathita, et convenerunt inter se, ut venirent ad condolendum ipsi, eumque consolandum. 12. Et quum sustulissent oculos suos e longinquo, non agnoverunt eum, et sustulerunt vocem suam, et fleverunt, et disciderunt quisque suam tunicam, et sparserunt pulverem in capita sua cœlum versus. 13. Et consederunt apud eum humi septem dies septemque noctes, nec quisquam loquebatur ad eum verbum: videbant quippe dolorem esse ingentem.

JOBI ORATIO, QUA DIEM NATALEM EXSECRATUR (*cap.* III).

Cap. III, vers. 1. Postea aperuit Jobus os suum, et maledixit diei suo *natali*; 2. et exorsus est Jobus, et dixit:

3. Pereat dies, quo natus sum, et nox, quæ dixit: Conceptus est vir!

4. Dies ille sit caligo, non curet eum Deus desuper, nec splendeat super eo lux!

5. Vindicent sibi eum tenebræ et caligo, ei nubes incubet, terreant eum obscurationes diei!

6. Hanc noctem occupet caligo *crassa*, ne gaudeat (numeretur) inter dies anni, in numerum mensium non veniat!

7. O sit nox illa sterilis, nec veniat jubilum in eam!

Cap. I, vers. 1. Terra *Uz* Idumææ et Arabiæ fines adjacuit. *Jobus* significat *infestatum, hostiliter tractatum*, a rad. איב : quod nomen ad res adversas, quas Jobus perpessus est, refertur. Unde Jobi personam a carminis auctore esse fictam nequaquam conficere licet, sed haud dubie Jobus nomen suum cum vitæ suæ rebus congruens eodem modo accipere potuit, quo aliis personis, ut *Saulo, Davidi, Salomoni* nomina morum fatorumque eorum qualitatem quamdam notantia tributa esse constat. Minus placet derivare *Jobum* a verbo אוב in hebr. lingua non usitato, ut *rediens, resipiscens* significet. — Vers. 3. *Peculium*, vel *famulitium*. *Filii Orientis* intelligendi sunt populi illi miscellanei, Ægyptum inter et Euphratem habitantes, uno nomine *Arabes* Hebræis et veteribus dicti. — Vers. 4. *Ibant*, ire solebant. *Die suo*, eo die quo ad quemque mutuorum conviviorum ordo perveniebat. Rosenmullerus de *die natali* cogitat. Ad concordiam amicissimam familiæ florentis et beatæ declarandam hæc dicuntur. — Vers. 5. *Et quando*, etc. Renan, *et quand le cercle des festins était fini. Lustrabat* lotionibus aliisque cæremoniis, ut si forte aliquid peccassent, sacrificiis rite casteque factis expiarentur. *Offerebat holocausta*, tanquam paterfamilias, more Patriarcharum. Verbum ברך, *bene precatus est*, non solum de convenientium, verum etiam de *digredientium* salutationibus usurpari constat. Quia autem *eos valere jubemus*, a quibus *digredimur*, discessus vero etiam *renuntiatæ societatis* indicium est, propterea ברך, *valedixit*, usurpatur quoque quum quis aliquid *rejicit, seponit, parum curat*. Quo sensu et Virgilius, *Eclog.* VIII, 58 : « Vivite, sylvæ. » Ubi Servius : « *Valete*, non bene optantis, sed *renuntiantis*. » Item Cicero, *De Nat. Deor.* lib. I, sub finem : « Deinde si maxime talis est Deus, ut nulla gratia, nulla hominum charitate teneatur, valeat! » Item græc. χαιρέτω, χαίρειν ἐᾶν, etc. — Vers. 6. *Satanas* i. e. adversarius. — Vers. 8. *Servum*, cultorem. — Vers. 11. *In faciem tuam*, quasi in os tuum, palam. — Vers. 15. Sabæi, gens in Arabia Felici. — Vers. 17. *Chaldæi* hic sunt ii, qui, sedibus suis primariis in montibus Karduchiacis relictis, paulatim meridiem versus progrediebantur atque huc et illuc vagabantur, antequam regno Babylonico condito firmas sedes tenerent. — Vers. 20. *Surrexit*, h. l. significatione *aggrediendi agendum* aliquid. *Tunicam*, vestem exteriorem, non tamen pallium. — Vers. 21. *Eodem :* transit ad metaphoricam matris notionem. *Benedictum :* oppositio inter scopum diaboli, qui erat, ut Jobus Deo malediceret, et eventum rei. — Vers. 22. *In his omnibus*, quæ contigerunt ei ; alii : quæ fecit et dixit. *Stultum*, vel potius *indecens;* propr. *fatuum;* alii minus recte, *insipientiam, vitium ;* Renan, *aucun blasphème.*

Cap. II, vers. 1. *Elohim* aliquando *angelos* denotat : hinc *filii Elohim* sunt angeli, sicut *bene haadam, filii hominis*, sunt homines. — Vers. 4. *Pellem*, scil. alienam, puta pecorum et filiorum, pro salute sua dabit : ita Rosenmullerus. Maurer : locutio proverbialis, quo significatur *dare par pro pari*, ut sensus sit : Homo ad unum bonum servandum libenter dat aliud, quod priori par est ; Jobus igitur pro sua salute omnia facile dabit. — Vers. 7. *Ulcere maligno*, epra quæ *nigra* dicitur. — Vers. 8. *Cinere.* Cf. *Odyss.* II, 153, 160. — Vers. 9. *Valere jubeas ;* alii, *benedic*, i. e. quantumvis Deum laudas, tamen tibi moriendum est. — Vers. 11. *Theman*, Esavi nepos, urbs et gens in Idumææ regione orientali. Themanitarum magna sapientia celebratur *Jerem.* XLIX, 7 ; *Obad.* VIII, 9 ; *Bar.* III, 23. *Suchitarum* gens ad Aquilonem terræ Uz habitabat. Tertii amici locus ubi situs fuerit, non constat. — Vers. 12. *Et sparserunt*, etc. Renan, *et ils lancèrent la poussière vers le ciel de manière à ce qu'elle retombât sur leur tête.* Cf. *Iliad.* Σ, 22. — Vers. 13. Totidem dies solemnis luctus etiam apud Hebræos erant : cf. *Gen.* L, 10 ; I *Sam.* XXXI, 13 ; I *Paral.* X, 12 ; *Ezech.* III, 15.

Cap. III, vers. 2. *Exorsus est* : ענה notum est sæpe dici de eo, qui orditur sermonem, etiamsi nulla interrogatio præcesserit. — Vers. 3. *Pereat dies*, utinam nunquam exstitisset! Cf. Ovidii lib. III *Tristium*, Eleg. 13 : *Ecce supervacuus*, etc.; et Epist. *ad Ibin : Natus es infelix*, etc. — Vers. 4. *Curet*, illustret. — Vers. 5. *Vindicent*, gall. *revendiquent;* minus recte alii, *polluant. Caligo*, a rad. עלם ; alii, *umbra mortis. Obscurationes*, gall. *éclipses*, כ radicali, non servili. — Vers. 6. *Occupet ;* Renan, *que cette nuit soit la proie d'une sombre horreur. Mensium*, propr. *lunarum.* — Vers. 7. *Sterilis*, prolis jam omnis expers. *Jubilum*, ob infantem recens

http://www.obrascatolicas.com

8. Eam exsecrentur, qui diei maledicunt, exercitatissimi quique, *illam* excitatricem Leviathanis!

9. Obscurentur (non oriantur) stellæ crepusculi *vespertini* ejus, *deinde* exspectet lucem, nec sit, nec cernat auroræ palpebras!

10. Quod non conclusit fores uteri mei, nec occultavit ærumnas oculis meis.

11. Cur non ab utero mortuus sum, *cur non* ventre egressus sum et expiravi?

12. Quare obviam venerunt mihi genua, et cur mammæ, ut sugerem?

13. Nunc enim cubarem et quiescerem (quietus); dormirem, nunc quies mihi esset :

14. Cum regibus et consiliariis terræ, qui ædificant sibi ruinas;

natum. Alii, *orba*, i. e. solitaria, ut in ea scil. homines non conveniant lætaturi. — Vers. 8. *Dieï maledicentes* sunt magi, quos imprecationibus suis diem atrum et infaustum reddere posse credebant veteres. *Exercitatissimi quique*, scil. magi. *Leviathan*, crocodilus, calamitatis maximæ symbolum. Renan cum multis, *qui savent à leur gré faire lever le dragon*, seu sidus draconis. Hunc draconem veteres solis et lunæ hostem habebant, qui ea sidera persequeretur ut voraret; quod vero ut draco faceret, magos suis imprecationibus efficere posse putabant. Cf. Horatii *Epod.* v, 45. — Vers. 9. Alii crepusculum *matutinum*, seu diluculum intelligunt, nec subaudiunt *deinde*. Sophocles in *Antig.* 103-4, *auroram* quoque vocat ἀμέρας βλέφαρον. — Vers. 10. *Mei*, qui *me* concepit. — Vers. 11. Quum prohiberi non posset, quin nascerer, cur non, simul atque natus sum, statim perii? — Vers. 12. *Genua* duo *patris*, qui infantem recens natum in genua suscipiebat, eoque suum agnoscebat : cf. latin. *tollere*, et gall. *élever*. — Vers. 14. *Ruinas* : haud dubie sunt ædificia splendida, quæ *ruinas* vocat Jobus, sive quia revera mox ruinæ erunt, sive quia Jobo ita

15. Aut cum principibus quibus *est* aurum, qui replent domos suas argento;

16. Aut, ut abortus latens, non existerem, ut infantes *qui* non viderunt lucem.

17. Ibi improbi (oppressores) tumultu desistunt, et ibi quiescunt fatigati viribus.

18. Simul (omnes) captivi tranquille vivunt, non audiunt vocem exactoris.

19. Parvus et magnus ibi idem *est*, et servus liber a domino suo.

20. Cur datur ærumnoso lux, et vita iis, qui sunt tristi anima;

21. Qui exspectant mortem, et non ipsa *venit*, et fodiunt eam magis quam thesauros;

22. Qui lætantur usque ad exsultationem, gaudent, cum invenerint sepulcrum;

23. Viro, cujus via occultata est, et circa quem sepsit Deus?

24. Nam ad instar panis mei gemitus meus venit, et effundunt se ut aqua rugitus mei.

25. Nam pavorem paveo, et in me ingruit; et quod metuo, incursat mihi.

26. Nec tranquillus sum, nec quietus, nec in pace, et venit vexatio.

afflicto omnes res vanæ videntur. Sintne autem *templa*, aut *mausolæa*, aut *pyramides*, certo demonstrari nequit. — Vers. 17. *Ibi*, inter mortuos. — Vers. 19, *Ibi... idem* ; Renan, *s'y rencontrent*. — Vers. 20. *Datur*, propr. *dat*, scil. Deus. — Vers. 23. Repete, *cur datur lux*, ei qui nescit miser quo se vertat, nec quo exitu e malis evadat. — Vers. 24. Pro *ad instar panis*, alii, *ante* quam comedam *panem meum* : minus recte. — Vers. 26. Renan recte : *Plus de sécurité, plus de repos, plus de paix! Sans cesse de nouveaux tourments!*

PRIMUS CERTAMINUM ORBIS.

(Cap. IV-XIV)

ORATIO ELIPHAZI (*cap.* IV-V).

Cap. IV, vers. 1. Et respondit Eliphaz Themanita, et dixit :

2. Num, si proferamus verbum ad te, ægre feres? At cohibere verba quis valeat?

3. En! tu quidem monuisti (docuisti sapientiam) multos, et manus lassas confirmasti.

4. Vacillantem erexerunt sermones tui, et genua sese incurvantia roborasti.

5. At nunc, ut ad te ventum est *malum*, animo fatiscis! pertingit usque ad te, perturbaris!

6. Annon pietas tua *erat* fiducia tua; spes tua *erat* integritas viarum tuarum?

7. Recordare, quæso, quis *unquam* justus periit, aut ubinam recti deleti sunt?

Cap. IV, vers. 2. *Proferamus*, נסה pro נשא posito. Maurer נסה retinet, et pro 3 perf. Pih. imperson. habet, *si tentaverit aliquis verbum*; aliis est 3 perf. Niph. *si tentatur verbum*, etc. — Vers. 6. Annon in tua pietate vitæ-

8. Sicut *contra* vidi aratores nequitiæ et seminatores molestiæ (injustitiæ) metere eam.

9. A flatu Dei pereunt, et a spiritu iræ ejus consumuntur.

10. Rugitus leonis et vox *leonis* rudentis (compescitur), et dentes leunculorum excutiuntur.

11. Leo perit inopia prædæ, et filii leænæ disperguntur.

12. Porro ad me verbum furtim delatum est, et percepit auris mea susurrum de eo.

13. Inter cogitationes ex visionibus noctis, cum incidit sopor in homines,

14. Pavor accidit mihi, et tremor, et multitudinem ossium meorum tremefecit.

15. Et Spiritus ante faciem meam præteribat, horrebat pilus carnis meæ.

que integritate posita est fiducia et spes? Atqui spes tua frustrata est, ergo pietas tua falsa. — Vers. 10. Persequitur rem ita, ut imagine utatur. Alii, *vox leænæ* ; alii, *vox pardi* ; alii, *vox* leonis *rudens*. — Vers. 13. *Cogitationes*,

16. Et stetit, neque agnoscebam aspectum ejus; species *quædam* ante oculos meos *erat*, susurrum et vocem audivi :

17. « Num homo coram Deo justus est? An coram creatore suo purus est vir?

18. En! *ille* ne suis quidem famulis fidem habet, et in angelis suis invenit labem :

19. Quanto magis *apud* lutearum domorum incolas, quorum fundamentum in pulvere *est*, quos conterunt velut tineam!

20. A mane ad vesperam exscinduntur; nemine animadvertente (inopinato) in æternum pereunt.

21. Nonne avellitur funiculus eorum in iis? moriuntur, nec cum sapientia (sapientiores facti).

Cap. V, vers. 1. Voca, age! num sit qui respondeat tibi, atque ad quem sanctorum (angelorum) convertes te?

2. Enimvero stultum enecat ira (animi ægritudo), et fatuum occidit indignatio.

3. Vidi ego stultum radices agentem (florentem), et exsecratus sum sedem ejus repente.

4. Procul absunt filii ejus a salute, conteruntur in porta, et nemo eripit.

5. Cujus messem famelicus comedit, et usque ex spinis rapit eam, et sitibundi inhiant (captant) facultates ejus.

6. Non enim ex humo egreditur calamitas, neque e terra progerminat labor (gall. *la peine*).

7. *Ita* ut ad laborem homo nascatur, ut filii fulminis ad alte volandum.

propr. *ramos*, hinc imaginationes implexæ ac veluti ramosæ, sibique invicem innexæ et multifidæ. — Vers. 16. *Susurrum et vocem*, verba susurrantia. Alii, pro *susurrum*, vertunt, *silentium*, i. e. gall. *au milieu du silence* ; vel, *après un moment de silence*. — Vers. 17. *Coram Deo*, ex sententia Dei. — Vers. 19. Alii, *quarum..*, *quas*. Alii, *ut* vestem *tinea* exedit. — Vers. 21. *Nonne avellitur*, etc. : imago mortis, petita a tentorio quod revellitur. *Funiculus*, funes, quibus in figendo tentorio paxillis alligantur aulæa. *In iis*, in eorum tentorio. Alii, *nonne* cum eis *avellitur* (evanescit) *quod superest iis*, puta eorum divitiæ; alii, τὸ *excellens eorum*, eodem sensu.

Cap. V, vers. 1. Mira in nexu explicando sententiarum varietas. Mercerus : Voca angelorum aliquem, et eum inclama, an vero eorum vel minimus tibi respondebit? Nullum sane reperies. Vides quantum a Deo distes, quum ne angeli quidem, longe Deo inferiores (IV, 18), te sint allocuturi, si ad eos clames, ob distantiam, quæ inter te est et illos. Rosenmullerus : Periculum fac, si lubet, novæ cum Deo contentionis, atque advoca simul causæ tuæ defensores : non erit sane qui tibi respondeat, vel homo, vel angelus. Omnes Deum etiam in judiciis gravissimis, quæ exercet, infinite justum contestabuntur. Ita et Renan, qui vertit, *Appelles-en de ton sort ; est-il quelqu'un qui te réponde? Auquel des saints peux-tu recourir?* Alius sine ironia : *Voca ergo aliquem, qui tibi respondeat, vide ad quem angelorum convertes te*, ut pro te apud Deum intercedat. — Vers. 3. *Exsecratus sum*, i. e. miserrimum mox inveni : cf. *Ps.* XXXVII, 35-36. — Vers. 4. Porta, Orientalium forum et judicii locus. — Vers. 5. *Ex spinis* ; bene Renan :... *enfonce sa haie et le dépouille. Sitibundi* ; Maurer, *laqueus*, i. e. pernicies insidiosa; alius *laqueo* (gall. *d'un coup de filet*) *absorbet*, etc. — Vers. 7.

8. Verum ego (si tuo essem loco) ad Deum me converterem, eique proponerem negotium meum;

9. Qui facit magna, neque est *eorum* investigatio; mirabilia usque eo, ut non sit numerus;

10. Qui dat (effundit) pluviam super faciem terræ, et mittit aquas super faciem camporum;

11. *Qui* ponit humiles in altum, et pullati (lugentes) ascendunt ad salutem;

12. Qui frangit cogitata callidorum, nec exsequuntur manus eorum consilium (suum);

13. Qui capit sapientes in sua ipsorum astutia, et consilium versutorum præceps (irritum) redditur :

14. Interdiu in tenebras offendunt, et tanquam noctu palpant meridie.

15. Et (sic) eripit e gladio oris (linguæ) eorum et a manu violenti pauperem.

16. Tunc est (redit) tenui spes, et pravitas claudit os suum.

17. En beatum hominem quem Deus arguit! Neque *tu* castigationem Omnipotentis repudiaveris.

18. Nam is dolore afficit, et (*vulnus*) alligat, percutit, et manus ejus sonant.

19. In sex angustiis eruet te, et in septem non tanget te malum.

20. In fame liberabit te a morte, et in bello e manibus (potestate) gladii.

21. A flagello linguæ latebis (tutus eris), nec timebis a vastatione *qualicumque*, quando venerit.

22. Vastationem et famem ridebis, et a bestiis terræ non erit quod timeas.

23. Nam cum lapidibus agri fœdus tuum (tibi) *erit*, et bestiæ agri pacatæ erunt sibi.

24. Et cognosces (senties) pacem (pacatum) tuum tentorium, et visitabis domum tuam (alii, *gregem*), nec errabis.

25. Et cognosces multum esse semen tuum, et propagines tuas instar herbæ terræ.

Filii fulminis, aves rapaces, fulmini quasi cognatæ, fulminis celeritate volantes. Alii communius, *sed ad miseriam nascitur homo, et* (ut), etc. Stickel secundum membrum vertit, *et* tamen *scintillæ alte volant*, i. e. qui fervor iræ! qui furor! — Vers. 8. *Negotium*, causam, Renan, *j'adresserai ma parole au Tout-Puissant*. — Vers. 10. *Camporum*, propr. locorum quæ sunt *extra*, puta urbem. — Vers. 15. *Oris*, propr. *ex ore*, quod Maurer servari vult, *e gladio, ex ore*, etc. — Vers. 23. *Lapidibus* : quidam *lapides terminales* significari putant, puta nunquam refigendos. Alii opinantur respici ad scopelismum, quem in Arabia obtinuisse memorat Ulpianus. Videlicet solebant inimici alicujus prædium ejus σκοπελίζειν, i. e. lapides ponere, indicio futuros, quod si quis eum agrum coluisset, malo letho esset periturus insidiis : quo fiebat, ut nemo ad eum agrum accedere auderet. Maurer : Sensus est, lapides Jobo non nocituros esse, vel quod eodem redit, agros ejus liberos a lapidibus futuros esse. Vel Jobo promittitur, quod ipsi steriles lapides fructus copiosos allaturi sint. Simplicissima tamen Merceri explicatio, Schultensio quoque probata : *Nam* etiam *cum lapidibus*, etc., ne ad eos impingas aut offendas pedem tuum : cf. *Ps.* XCI, 12. — Vers. 24. *Errabis*, aliquid desiderabis, tua spe frustraberis. Renan, *tu n'y trouveras rien qui*

http://www.obrascatolicas.com

26. Intrabis in matura senectute in sepulcrum, sicut tollitur acervus mergitum suo tempore.

27. Ecce, hoc est, quod investigavimus; ita se res habet; audi illud, et animum tu adverte.

JOBI RESPONSIO (*cap.* VI-VII).

Cap. VI, vers. 1. Et respondit Jobus, dixitque :

2. Utinam ponderaretur ægritudo mea, et calamitas mea in bilance attolleretur una!

3. Profecto esset hæc (calamitas) præ maris arena gravior : propterea verba mea modum excessere.

4. Nam sagittæ Omnipotentis *sunt* apud me, earum venenum ebibit spiritum meum (vitalem), terrores Dei aciem contra me instruunt.

5. Num rudit onager ad herbam, aut mugit bos ad farraginem suam?

6. Num comeditur insulsum quid absque sale, aut *invenitur* sapor in saliva (succo) portulacæ?

7. *Talia* recusat tangere anima mea, hæc sunt quasi fastidium cibi mei.

8. Quis det *ut* veniat petitio mea, et exspectationem meam concedat Deus :

9. Et velit Deus et conterat (conterere) me, laxet manum suam et abscindat me!

10. Sit vero adhuc *hoc* solatium meum, et *ideo* exsultem in dolore, *in quo* non parcit *Deus*, quod non abnuerim dicta Sancti (Dei).

11. Quæ *sunt* vires meæ, ut exspectem *diutius*? et quinam meus finis, ut prolongem animum meum?

12. An robur lapidum robur meum? an caro mea ænea?

13. An, *quando* nullum *est* auxilium meum in me, et exitus (gall. *ressource*) *omnis* aufugit me,

14. Afflicto huic amicus ejus amorem *negat*; et timorem Omnipotentis deserit?

15. Fratres mei perfide egerunt ut torrens, velut alveus (cursus) torrentium *qui* transeunt :

16. Qui turbidi sunt a glacie, in eos se abscondit nix.

17. Tempore quo aduruntur, evanescunt; ubi incaluit, exstinguuntur e loco suo.

18. Inflectunt se viæ cursus eorum; ascendunt vaporati in vacuum (aerem), et pereunt.

19. Aspexerunt (illos torrentes) catervæ Themaneæ, viatores Sabæi ad eos spem intenderant :

20. Pudefiunt, quod confisi sunt *his aquis*, veniunt eo, et erubescunt.

21. *Ita* profecto nunc et vos estis nihil mihi; vidistis terrorem et timuistis.

22. Num dixi : « Date mihi, et de opibus vestris pro me (redimendo) donate;

23. Et eripite me de manu hostis, et e manu violentorum liberate me? »

24. Docete me, et silebo, et quid deliquerim, declarate mihi.

25. Quam dulcia sunt verba veritatis! *sed* quid arguit arguere vestrum?

manque. — Vers. 26. *Kelah*, a כלה, *absolvere*, hinc absolutis annis. — Vers. 27. Renan : *Voilà le fruit de nos réflexions... Prêtes-y l'oreille et fais-en ton profit.*

Cap. VI, vers. 1. Putant multi, optare Jobum simul hæc appendi, et inter se conferri, indignationem seu querelam, cum sua miseria, *q. d.* Non excedit querela magnitudinem malorum. Ita Maurer et Renan. Sed potius comparatio fit utriusque, puta ægritudinis (gall. *peine*) et calamitatis Jobi, cum re quamtumvis gravi. *Calamitas... una*, omnia mea simul mala. — Vers. 3. *Modum excessere* : alius, *temeraria sunt*. — Vers. 4. Maurer, *quarum venenum bibit spiritus meus*. — Vers. 6. *Comeditur* : Renan, *savoure-t-on*. Portulaca : Hebr. nomen est herbæ insipidæ, quæ aliis est *beta*, aliis *malva*, *portulaca* aliis. Rosenmullerus vertit, *in albo ovi*. Qua imagine designantur, sive mala Jobi, sive insipida Eliphasi verba, quibus non potest Jobus delectari. — Vers. 7. *Fastidium cibi*, fastidiosus cibus. Alii, quæ *abhorrebat anima mea tangere*, *Ea sunt instar panis mei* quotidiani : *devei lechem*, ait Rosenmull., est *substantia* seu *res* ipsa panis, i. e. panis. — Vers. 9. Renan, *qu'il laisse aller sa main, et tranche le fil de ma vie!* — Vers. 10. *Exsultem*, hoc mihi gaudium sit. Alius, *dum exsulto*, non lætitia, sed vi doloris, gall. *quand je tressaille sous les coups de sa fureur*. — Vers. 11. *Exspectem* ; alii, *sperem*. *Finis* : gall. *et quelle est la durée de mes jours, pour que j'aie patience?* i. e. quoniam mihi aliquando, imo cito mori necesse est, cur non statim moriens a calamitatibus tantis liberarer. — Vers. 13-14. Gall. : *Devais-je, quand tout appui sur moi-même me manque, et que toute ressource m'est ôtée, trouver un ami sans pitié pour ma ruine, et infidèle à la crainte du Seigneur?* Renan cum plerisque vers. 13 cum præcedentibus, vers. 14 autem cum seq. nectit, ita : *Ne suis-je pas dénué de toute aide? Toute voie de salut ne m'est-elle pas fermée? Le malheureux a droit à la pitié de ses amis, même s'il abandonne la crainte du Tout-Puissant.* — Vers. 15. Comparatio elegantissima, a torrente petita, qui, quoniam non ex fontibus, sed ex nivibus colligitur liquefactis, verno tempore satis habet aquæ, mox autem ingravescentibus æstatis caloribus decrescit et penitus sensim exarescit, ita ut viatorum recreationis causa advenientium spem fallat. — Vers. 16. *In eos* nives liquefactæ ex montibus et locis editis defluentes se immergunt. — Vers. 17. *Aduruntur* solis calore : *zarab* ut *tsarab* (*Ezech.* XXI, 3). Plerique, *decrescunt*, vel *coarctantur*, i. e. in ripas suas, super quas exundaverant antea, se recipiunt. Suffixum in *bechummo* neutraliter capiendum est : cf. Ewaldi *Grammat. Ampl.* §. 273. a; alii referunt ad *shemesh*, *sol*, quæ vox facile intelligitur. — Vers. 18. Torrentes, aliis aquis huc, aliis illuc dilabentibus, aliis in vaporem resolutis, evanescunt. Sunt qui pro *in vacuum*, ponunt *per deserta*. Alii minus recte de viatoribus hunc vers. accipiunt : *Inflectunt se semitæ viæ eorum* (viatorum), viatores suo ab itinere deflectunt rivos illos quæsituri, *ascendunt in vastum desertum*, in vasta montium loca, ubi se inventuros esse sperant rivos magna aquarum copia repletos, *et pereunt* siti : ita Maurer et Renan. — Vers. 19. *Aspexerunt* vel a longe, vel antea. Maurer, *spectant*, circumspiciunt, oculis quærunt torrentes sibi notos. Renan, *comptaient sur eux*. *Caterva*, gall. *caravanes*. — Vers. 21. *Estis nihil*, nulli : gall. *vous m'avez failli*. *Terrorem*, meam calamitatem ; alii, *periculum*. *Timuistis*, fugistis. — Vers. 22. Et tamen nihil ardui a vobis postulaveram. — Vers. 25. *Dulcia* : Gesenius, *acria*, *valentia*, gall. *qu'il y a de force en des paroles équitables! Mais vous, sur quoi tombe* (vel *quorsum spectat*) *votre blâme?* — Vers. 26. Alius, *et des paroles en l'air échappées au désespoir*. — Vers. 27. *Adeo* : gall. *Ah! vous jetez*, etc. Renan : *Traîtres, vous joueriez au dé l'orphelin, vous trafiqueriez* (negotiari) *de vos amis*. — Vers. 29. *In eo*, in ea re seu causa. Alii, *in ea*, puta vestra improbitate, gall. *mon droit triomphera même de vos prétentions*. — Vers. 30. Sensus : Num quæ bene, aut quæ male sint dicta, intelligere nequeo?

26. Num arguere verba cogitatis? sed vento sunt (in ventum abeunt) verba desperantis.

27. Adeo super orphano jacitis *rete* (alii *sortem*), et foditis *foveam* amico vestro.

28. Et nunc (gall. *voyons*) placeat vobis intueri me, et in os vestrum (patebit) si (quod non) mentiar.

29. Redite, quæso, modo absit pravitas (injuria); et redite : adhuc justitia mea in eo *apparebit*.

30. Num est in lingua mea pravitas, an palatum meum non intelligit perniciosa.

Cap. VII, vers. 1. Nonne militia est hominis super terram, et sicut dies mercenarii dies ejus?

2. Sicut servus inhiat umbram, et sicut mercenarius exspectat mercedam suam :

3. Sic hæres fieri mihi coactus sum mensium miseriæ, et noctes ærumnæ assignarunt mihi.

4. Si decumbo, dico : « Quando surgam? » et recedit nox (propr. *vespera*), et satior jactationibus usque ad crepusculum (vespertinum).

5. Induta est caro mea putredine et gleba pulveris, cutis mea corrugatur (propr. *redit*) et sanie diffluit.

6. Dies mei veloces sunt præ radio textoris, et evanuere sine spe.

7. *Deus*, memento halitum esse vitam meam; non rursus oculus meus videbit bonum.

8. Non me *jam* aspiciet oculus me *nunc* videntis, oculi tui in me *erunt*, et non ero.

9. Consumitur nubes et abit : sic is, qui descendit in orcum, non ascendit.

10. Non redibit ad domum suam, nec eum suus agnoscet locus.

11. Igitur non coercebo os meum, loquar in angustia spiritus mei, querar in amaritudine animæ meæ :

12. Num mare ego *sum*, an bellua (maris), ut posueris super me custodiam (vel *carcerem*)?

13. Si dico : « Consolabitur me lectus meus, levabit querelam meam cubile meum : »

14. Terres me somniis, et visionibus me perturbas :

15. *Ita ut* eligat suffocationem anima mea, et mortem ex ossibus meis.

16. Fatisco, non in æternum vivam; desiste a me, nam halitus sunt dies mei.

17. Quid est homo, ut eum tanti facias, et ut advertas ad eum animum tuum?

18. Ut visites eum singulis matutinis, singulis momentis probes eum?

19. Quamdiu non avertes oculos a me, non dimittes me usque ad glutitiem salivæ.

20. Peccaverim, quid tibi faciam, o hominum custos? Cur me fecisti scopum tuum, et mihimet factus sum oneri?

21. Aut cur non peccatum meum condonas, et *non* remittis culpam meam? Nam nunc (mox) in pulverem recumbam (moriar); et mane me quæres, et non ero.

ORATIO BILDADI (*cap.* VIII).

Cap. VIII, vers. 1. Et exorsus Bildadus Suchita, dixit :

2. Quousque loqueris hæc, et ventus (turbo) vehemens verba oris tui *erunt*?

3. Num Deus inflectit jus? an Omnipotens justitiam subvertit?

4. Filii tui peccaverint, et dimiserit eos in manum (potestatem) peccati eorum :

5. Tu *vero* si ad Deum te converteris, et Omnipotenti supplicaveris;

6. Si purus et rectus tu *fueris*, certe tunc vigilabit super te; et pacabit (prosperum faciet) habitaculum justitiæ tuæ (justum tuum).

7. Et erit principium (status prior) tuum parvum, et finis tuus augebitur valde.

8. Nam interroga, quæso, ætatem pristinam, adverte *animum* ad investigationem patrum ejus.

9. Nam nos *quidem* hesterni *sumus*, nec scimus *quidquam*; nam umbra *sunt* dies nostri super terra.

10. Nonne (certe) illi docebunt te, dicent tibi, et ex corde (mente) suo proferent verba (sequentia :

Vers. 15. *Ex ossibus meis*, intimo affectu. Alii, *mortem magis quam hæc ossa mea*, hanc vitam. — Vers. 16. Gall. *je défaillis, la vie m'échappe pour jamais; laisse-moi*, etc. — Vers. 19. *Ad glutitiem salivæ*, donec meam glutiam salivam : locutio proverb., quod nos diceremus, *reprendre haleine*. Vers. 20. *Custos*, vel *observator* : alii in bonam partem accipiunt, puta *pastoris* sensu ; sed plerique in malam, puta *rigidi observatoris et inspectoris*, nimirum ob concitatiorem Jobi affectum : hinc Renan, *ô espion de l'homme! Oneri*, impar ferendæ miseriæ. —

Cap. VIII, vers. 4. Renan : *C'est parce que tes fils ont péché, qu'il les a livrés*, etc. — Vers. 6. *Vigilabit*, tibi præsidio erit. Alius : Qui nunc sopitus tibi dormire videtur, evigilabit, et mane, i. e. cito, tuas exaudiet preces. — Vers. 7. Gall. *Et ta première prospérité semblera vile, comparée aux grandeurs de ta fin*. — Vers. 8. *Investigationem*, etc., ad id quod patres ejus investigarunt, puta

http://www.obrascatolicas.com

11. « Num effert se papyrus sine palude (in sicco)? *Num* crescet juncus sine aqua?

12. Adhuc illud *est* in virore suo, nec succiditur, et (tamen) ante omne gramen exarescit.

13. Sic (tales) viæ (sors) omnium Dei immemorum, et spes impii perit.

14. Confidentia ejus præciditur, et fiducia ejus domus *est* araneæ.

15. Innititur domui suæ, nec *ea* stat; apprehendit eam, nec consistit.

16. Viret ille, *ut arbor*, in conspectu solis, et super hortum suum surculi ejus exeunt (sese extendunt).

17. Silicibus implicantur radices ejus, domum lapidum videt (sentit).

18. Quod si exstirpatus erit e loco suo, abnegat (locus) eum, *dicens* : Te nunquam vidi.

19. En, hoc est gaudium (fructus) viæ ejus, et ex pulvere (humo) alii (loco ejus) germinabunt. »

20. En *igitur*, Deus non reprobat integrum, neque *vero* prehendit manum maleficorum.

21. Quin os tibi risu implebit, et labia tua jubilo.

22. Osores tui induent ignominiam, et tentorium improborum non erit.

JOBI RESPONSIO (cap. IX-X).

Cap. IX, vers. 1. Respondit Jobus, et dixit :

2. Profecto scio ita esse; et quomodo justus sit homo coram Deo?

3. Si velit cum eo contendere, non respondere possit ei unum e mille.

4. Sapiens corde et firmus robore *ille est* : quis ei repugnavit, et salvus evasit?

5. Qui montes ex improviso transfert, subvertit eos in ira sua.

6. Qui efficit, ut moveatur terra e loco (sede) suo, *ita ut* columnæ ejus contremiscant.

7. Qui imperat soli, neque oritur, stellasque obsignat.

8. Qui expandit cœlum solus, et incedit super alta maris.

9. Qui fecit Ursam (maj.), Orionem, et Pleiades, et penetralia Austri.

10. Qui facit magna absque investigatione, et mirabilia absque numero.

11. En ante me præterit, neque *eum* video; et transiit, neque eum animadverti.

12. En, rapit, quis eum avertet? Quis dicat ei : « Quid facis? »

13. Deus non reducit (sedat) iram suam, sub eo incurvarunt se adjutores superbiæ :

14. Nedum ut ego cum eo disceptem, eligam verba mea cum eo.

15. Qui, *etiam* si justus essem, ei non responderem; *sed potius* judicis mei gratiam implorarem.

16. Si *eum in jus* vocarem, et mihi responderet (se sisteret), non crederem eum audivisse vocem meam :

17. *Quippe* qui me in turbine (procella) conterit, et multiplicat vulnera mea sine causa;

18. Non sinit me retrahere spiritum meum, sed me satiat amaritudinibus.

19. Si de viribus *agatur* : « Ecce, *ait*, ô validus *ego!* » si de jure : « Quis mihi diem dicet? »

20. *Etiam* si justus essem, os meum me condemnaret; *etsi* integer ego *essem*, me perversum declararet.

21. Integer ego sum : non novi (curo) animam meam, sperno vitam meam.

22. Unum est! propterea dico : « Integrum et *improbum* Ille absumit. »

23. Si *saltem* (utinam) flagellum *Dei me* interimeret repente! sed tentationem (gall. *épreuves*) insontium ridet.

24. Terra data est in manum (potestatem) improbi; *Deus* operit faciem judicum ejus : si non ille, quis tandem est (qui hæc faciat)?

ad sapientiam eorum. — Vers. 12. *Nec succiditur*, nondum maturum, antequam succidatur. *Exarescit*, aqua destitutum. — Vers. 16. Altera imago. *Viret*, propr. *succosus est*. — Vers. 17. Renan : *Ses racines sont entrelacées à la pierre, il touche à la région du granit* : ejus firmitas describitur. — Vers. 20. *Manum*, ad illum sustentandum. — Vers. 21. *Quin*, propr. *dum*, vel *adeo ut*. *Implebit*, implere potest. — Vers. 22. *Non erit* : Renan, *n'est déjà plus!*

Cap. IX, vers. 4. *Sapiens*, etc. Renan : *Habile et puissant adversaire!* Vers. 8. Renan : *Tout seul, il dresse le ciel comme une tente ; Il marche sur le sommet des vagues.* Vers. 9. *Penetralia*, sidera nobis abdita cœli australis. — Vers. 11. Igitur plagæ, a tanto numine, quod videri ac sentiri nequit, inflictæ, nulla ratione declinari possunt. — Vers. 12. *Rapit*, v. g. prædam, vel hominem morte subita. *Avertet* ; alius, *revertere faciet, ut dicat ei*, etc. — Vers. 13. *Adjutores superbiæ*, legiones Satanæ rebelles Deo. Maurer, *incurvant se adjutores feroces*, homines suo robore et potentia freti et inflati. Renan : *Sous lui s'incline la milice du Dragon*, ut *rahab* sit nomen mythicum monstri marini olim a Deo victi et, ut pœnas seditionis lueret, cœlo affixi, itaque *cœli sidus* (balænam) significet. — Vers. 14. *Nedum ut ego*, gall. *et moi, je*, etc. *Eligam*, lectissimis utens verbis. — Vers. 17. *In turbine*, e turbine, ut solet, apparens. Aliis *turbine* est supplicii instrumentum. *Conterit* ; Renan, *fond sur moi*, e turbine. — Vers. 19. Omnino fieri non potest, quin Jobus a consilio cum Deo litigandi deterreatur, quum Deus, sive de robore agitur, sive de jure, semper superior sit. Alius, *en appellerai-je à la force?* etc. Aliter construit Maurer, *si secundum robur validi* : « *En* me! » Non male. — Vers. 21. Sensus : Innocentiam meam ingenue profiteor, etiamsi id mihi in crimine, quod capite mihi sit luendum, ponatur. Ita et Renan : *Oui, je suis innocent; peu m'importe l'existence, je ne tiens plus à la vie.* Alius cum præcedent. nectit : *Quand je serais sans tache, m'ignorant moi-même, je répudierais le soin de me défendre.* — Vers. 22. *Unum est*, utrum vivam necne, gall. *il n'importe ;* Renan, *tout se vaut.* Ille, Deus, quem Jobus indignabundus non nominat. — Vers. 23. *Repente*, gall. *d'un seul coup.* Alius : *S'il frappe celui-ci d'un seul coup, il se fait un jeu d'éprouver l'innocent.* Maurer : Non modo insontes repente interimit, sed etiam eorum calamitatem ridet. — Vers. 26. *Sicut naves*, propr. *cum navibus.* — Vers. 28. Alius : *Je tremble pour chacune de mes œuvres, sachant que tu ne me pardonneras rien.* — Vers. 29. *Laboro*, ut me innocentem esse probem. — Vers. 30. *Nitro* : cineres sunt oleo delibuti, quo smegmate ad lixivium Hebræi utebantur.

Cap. X, vers. 1. Non curo, quis dictorum meorum eventus esse possit. — Vers. 4. Num vides more hominum, in judiciis suis errantium? — Vers. 5. Spectat huc : Deus cum sit æternus, omnia novit, nec vitæ brevitate commovetur, ut Jobum cruciatibus ad culpæ confessionem adigat. — Vers. 8. *Una circum*, totum circumcirca. Renan, *formé au tour.* — Vers. 9. Aliter Renan : *Et tu veux me ramener à la poussière!* — Vers. 12. *Mecum fecisti*, mihi tribuisti. Renan : *Tu as été prodigue pour moi de vie et de grâce.* — Vers. 13. Ad præcedentia refer : *Ces souvenirs, tu les tiens cachés dans ton cœur, car assurément ils n'y sont point effacés.* Hodierni tamen ad seq. referunt; Renan : *Et voici ce que tu cachais dans ton cœur, voici le sort que tu me réservais.* — Vers. 17. *Vices et exercitus*, novos subinde exercitus. — Vers 20. *Desistat* : Renan, *trêve!* Pro *desistat* et *ponat* Keri legit imperativos : *desiste, pone* : non male. — Vers. 22. *Et splendet*, gall. *dont le jour même est une profonde nuit.*

Cap. XI, vers. 3. *Vaniloquia* : Renan, *ton radotage* ; alii, *jactantias tuas.* — Vers 6. *Quomodo*, etc. Renan, *les replis cachés de ses desseins.* — Vers. 7. Gall. *Penses-tu sonder les profondeurs de Dieu? Penses-tu atteindre*

25. Et dies mei velociores sunt cursore; fugerunt, nec viderunt bonum.

26. Pertransierunt sicut rates arundineæ, sicut aquila fertur in prædam.

27. Si dico : « Oblivisci volo querelam meam, missum facere vultum meum (tristem), et renidescere : »

28. Horreo omnes dolores meos (ne redeant), novi te non insontem me declaraturum :

29. *Jam* ego reus *judicatus* sum : quare tandem frustra laboro?

30. Etiam si me lavero nivali aqua, et purgavero nitro manus meas :

31 Tamen in foveam immergeres me, et abominarentur me vestes meæ.

32. Nec enim *ille* homo est, ut ego, ut ei respondeam, ut intremus una in disceptationem.

33. Non est inter nos arbiter, qui imponat manum (potentiam) suam utrique nostrum.

34. Removeat *Deus* a me virgam suam, nec terror ejus me perturbet :

35. *Tum* loquar, nec timebo eum (non timens), nam ita (ut eum timeam) ego *sum* apud me.

Cap. X, vers. 1. Tædet animam meam (me) vitæ meæ : quare libere dimittam mihi querelam meam, loquar in amaritudine animæ meæ.

2. Dico (vel *dicam*) Deo : Ne me condemnes; indica mihi cur litem mihi intendas.

3. Num volupe tibi est opprimere, opus manuum tuarum repudiare, et super consilio impiorum splendere (eis favere)?

4. Num oculi carnei tibi *sunt?* an sicut homo videt, vides?

5. Num sicut dies hominis dies tui? an anni tui sicut dies viri?

6. Ut in meum crimen inquiras, et peccatum meum scruteris :

7. Quamvis scias, me non esse impium, nec esse, qui e manu tua eripere possit.

8. Tuæ me manus elaborarunt, et fecerunt una circum : et me perdere vis!

9. Memento, quæso, te me ut argillam fecisse, et ad pulverem *brevi* me redacturum.

10. Nonne sicut lac liquasti (gall. *coulé*) me, et casei ritu coagulasti me?

11. Cute et carne induisti me, et ossibus et nervis contexuisti me.

12. Vitam et benignitatem fecisti mecum, et cura tua servavit spiritum meum.

13. Et hæc in corde tuo recondidisti, novi hoc esse tecum.

14. Si peccaverim, *tu* me observas, nec culpa mea me liberas.

15. Si sim nocens, væ mihi! et si justus sim, non audeo attollere caput meum, satur ignominiæ et videns (sentiens) miseriam meam.

16. *Si* extollat se (caput meum), sicut leo venaris me, et iterum mirabilem (mire sævum) in me te præbes.

17. Renovas (producis novos) testes tuos in me, et multiplicas furorem tuum contra me, vices et exercitus mecum *multiplicas*.

18. Cur me *ergo* ex utero eduxisti? Exspirassem, nec oculus *cujusquam* me vidisset.

19. Quasi non fuissem *unquam*, essem; ex utero ad sepulcrum elatus fuissem.

20. Nonne parum quid sunt dies mei? Desistat Deus! ponat (avertat) a me *manum suam*, ut paulum exhilarer,

21. Antequam abeam, nec (ut non) redeam, ad terram tenebrarum et umbræ mortis,

22. Terram obscuritatis, similis caligini umbræ mortis, et confusionis, et splendet sicut nox.

ORATIO ZOPHARI (*cap.* XI).

Cap. XI, vers. 1. Respondit Zophar Naamathita, et dixit :

2. Num multitudo verborum responsam non accipiet, aut vir labiorum justificabitur?

3. *Num* vaniloquia tua homines tacere facient, et irridebis, quin sit qui *te* confundat?

4. Dixisti *Deo* : « Pura *est* doctrina mea, et mundus sum in oculis tuis. »

5. Verum enimvero quis dabit ut loquatur Deus, et labia sua aperiat tecum;

6. Et ostendat tibi secreta sapientiæ *suæ*, quomodo duplum sint intelligentia *tua* : et scito (tunc scires) Deum tibi de culpa tua remittere.

7. Num investigationem Dei invenies, an ad perfectionem Omnipotentis pervenies?

8. Altitudines cœli *adæquat* : quid facies? profundior orco : quid scies?

http://www.obrascatolicas.com

9. Longior est quam terra quoad mensuram, et latior quam mare.

10. Si irruit (in reum), et concludit (vinculis, vel carcere), et convocat (judices), quis eum repellet (alii, *refutabit*)?

11. Nam ille novit homines nequitiæ, et videt scelus, nec animum attendit.

12. Sic vir stultus (propr. *cavus*) fit cordatus, et pullus onager homo (sapiens) nascitur.

13. *Igitur* si tu direxeris cor tuum *ad Deum*, et tetenderis ad eum manus tuas *supplices;*

14. Si est scelus in manu tua, remove id, nec habitare sine in tentoriis tuis pravitatem.

15. Sane tunc attolles faciem tuam sine labe, et eris firmus, nec timebis.

16. Et tu miseriam oblivisceris, instar aquarum præterlapsarum ejus memoria tibi erit.

17. Et præ meridie (splendens) surget vita *tua; qui nunc* tenebrescis, sicut aurora eris.

18. Et confides, quia spes erit, et si erubueris, secure cubabis.

19. Procumbes (ad quietem), neque erit qui te exterreat; et blandientur multi faciem tuam.

20. Sed oculi impiorum conficientur (vana auxilii exspectatione), et effugium peribit illis, et exspectatio eorum est exspiratio animæ.

JOBI RESPONSIO (*cap.* XII-XIV).

Cap. XII, vers. 1. Et respondit Jobus, dixitque:

2. Sane vero vos estis populus, et vobiscum morietur sapientia!

3. Etiam mihi *est* cor (mens) sicut vobis, non cado (cedo) ego præ vobis, et apud quem non sunt talia?

4. Risus (risui) amico suo *sum homo,* qui clamaverit ad Deum, et ille eum exaudiet; risus (risui) est justus, innocens.

5. Calamitati contemptio! juxta cogitationes felicis (vel *securi*); parata est (contemptio) iis, quorum pedes vacillant.

6. *E contra* pacifica sunt tentoria prædonum, et securitates iis qui Deum lacessunt (provocant), ei, qui fert Deum in manu sua.

7. At interroga, age, et docebunt te, et aves cœli, et tibi indicabunt.

8. Aut alloquere terram, et te docebit, et enarrabunt tibi pisces maris.

9. Quis non novit in (ex) omnibus his *entibus*, manum Jovæ fecisse hæc (omnia, orbem);

10. Ejus in manu (potestate) *esse* animam omnis viventis, et spiritum omnis carnis hominis?

11. Nonne auris *est mihi, quæ* verba discernat? et (vel *sicut*) palatum, *quod* cibum gustet?

12. In senibus est sapientia, et longitudo dierum est intelligentia (eam dat).

13. Apud eum (Deum) sapientia *est* et potentia, ei *est* consilium atque prudentia.

14. En, diruit *quid*, nec *id* restaurari potest; claudit aliquem, nec potest exsolvi (vel *aperiri*).

15. En, coercet aquas, et exarescunt; et emittit eas, et subvertunt terram.

16. Apud eum est potentia atque sapientia, ejus (in potestate) *sunt* decipiens et deceptus.

17. Consiliarios abigit spoliatos, et judices stultos reddit.

18. Balteum regum dissolvit, et alligat cingulum ad lumbos eorum.

19. Sacerdotes agit spoliatos (captivos), et firmos (optimates) dejicit.

20. Aufert labium fide dignis, et saporem (sensum) senum adimit.

21. Effundit contemptum in nobiles, et cingulum fortium laxat.

22. Abstrusa profert ex tenebris, et mortis umbram (caliginem) in lucem educit.

23. Magnas facit gentes, et easdem disperdit; expandit gentes (extra suos fines), easque reducit (intra).

24. Aufert cor (mentem) capitum populi terræ, et errare facit eos in deserto invio.

25. Palpant tenebras, et non lucem, et *ille* errare facit eos sicut ebrium.

Cap. XIII, vers. 1. En omnia hæc vidit oculus meus, audivit auris mea et percepit ea.

2. Sicut (quæ) vos scitis, etiam ego scio : non cado præ vobis.

3. Verum enimvero (ut ad me redeam) ad Omnipotentem loqui volo, cum Deo disceptare cupio.

4. Vos vero *estis* concinnatores mendacii, medici nihili (inutiles) omnes vos.

5. Utinam prorsus tacuissetis! hoc esset vobis in sapientiam.

6. Audite, quæso, demonstrationem (defensionem) meam, et ad contentiones (argumenta) labiorum attendite.

7. Num pro Deo (defendendo) iniqua loqui vultis, et pro eo (ejus causa) loqui fraudem (falsa)?

8. Vosne ejus personæ rationem habebitis, et pro Deo causam agetis (ut advocati)?

9. Num *hoc* bonum *vobis erit*, si vos explorabit? An, sicut homines falluntur, eum fallere poteritis?

10. Profecto castigabit (vel *arguet* vos), si clam personam respexeritis.

11. Nonne (certe) majestas ejus perterrebit vos, et terror ejus irruet super vos?

12. Memoriæ vestræ *sunt* parabolæ pulveris, propugnacula lutea *sunt* propugnacula vestra.

13. Silete (et desistite) a me, ut loquar ego, eveniat mihi quod tandem cumque.

14. Quare feram carnem meam meismet dentibus, et animam meam ponam in manu mea (ut eam servem)?

15. En! me occidit (alii, *occidat*), nihil spero; tantum vias meas in faciem ejus demonstrabo (defendam).

16. Illud etiam mihi saluti *erit*, quod non in conspectum ejus venit impius.

17. Audite sermonem meum, et declaratio mea *veniat* in aures vestras.

18. Videte, instruxi judicium (causam), scio me insontem fore.

19. Quis *est* ille qui litigabit meum? sane tunc (libenter) tacebo et moriar.

20. Tantum duo ne facias mecum; tunc a facie tua me non abscondam :

21. Manum tuam (morbum) a me remove, nec terror tuus (quem præsens incutis) percellat me.

22. Et (deinde) voca *me in jus*, et ego respondebo; aut loquar *ego*, et *tu* mihi respondeto.

23. *Dic mihi* quot mihi *sint* crimina et peccata; delictum meum et peccatum meum indica mihi.

24. Cur faciem (favorem) tuam *mihi* occultas, et habes me pro hoste tuo?

25. Num folium *ventis* propulsum agitare juvat, et stipulam aridam persequi?

26. Quod scribas (decernas) contra me amara *supplicia*, et hæredem me facias peccatorum juventutis meæ;

27. Quod ponas in nervo pedes meos, et observes omnes vias meas, circa radices (plantas) pedum meorum scribas :

28. Et ille (quum jam ego) instar putredinis consumitur, instar vestis, quam tinea corrodit.

Cap. XIV, vers. 1. Homo muliere natus, brevis est diebus, et saturatus vexatione (molestiis).

2. Floris instar oritur (germinat) et succiditur, et fugit instar umbræ, nec stat.

---

jusqu'à ses limites? — Vers. 11. *Nec animum attendit*, puta scelus, seu potius scelestus, gall. *il voit l'iniquité sans qu'elle le soupçonne.* Maurer, puta Deus, i. e. facillime. Renan, *où on ne le soupçonne pas.* — Vers. 12. Renan : *A cette vue, le fou même renaîtrait à l'intelligence*, etc. Asellus silvestris est imago hominis rudis et stupidi. — Vers. 14. Juxta alios non est hic apodosis, sed demum vers. 15; qui vertunt ita, *si vitiositatem, qua præditus es, removeris, ita ut non habitet*, etc. — Vers. 15. *Labe*, calamitate, quæ ignominia afficit, utpote quæ peccati pœna est. — Vers. 17. *Et la nuit fera place à l'aurore.* Maurer, *si tenebrescet, erit ut mane.* — Vers. 18. *Erubueris* antea, spe frustratus. Maurer : Etsi accidat, ut spes aliqua te fallat, tamen, non de hac re sollicitus, secure cubabis. Ewaldus, *et si exploraveris* : ita et Renan, *tu regarderas tout autour de toi.* — Vers. 20. *Exspiratio animæ, le dernier souffle d'un mourant.*

Cap. XII, vers. 2. *Populus* universus. Renan, *le monde entier.* Alii, *homines ingenui*, vel *nobiles*, solique sapientes. — Vers. 3. *Apud quem*, etc. i. e. et quis talia, quæ de providentia loqueris, ignorat? — Vers. 6. *Ei*, cui manus sua Deus suus est. *Æneid.* X, 773 : « Dextra mihi Deus. » — Vers. 7. Cf. tertium hemistich. vers. 2. *Interrogare bestias* est animum ad eas attendere, earumque naturam perscrutari. — Vers. 8. *Terram.* Maurerus esse vult parva terræ animalia et intra eam repentia. — Vers. 9. Sensus : Quis animalium naturam considerans non intelligit, etc. — Vers. 11-12. Sensus : *Moi seul n'ai-je pas d'oreilles pour discerner les sons, ou de palais pour goûter les mets? Aux cheveux blancs appartient la sagesse, et la prudence à mes vieux jours.* Paulo aliter Maurer : Eadem sapientia, quam vos solos habere opinamini, etiam ex veterum hominum et senum dictis facillime, et quidem accuratius et melius depromitur, modo quis audiendi sensu et cognoscendi facultate non prorsus careat; itaque etiam ego pariter atque vos ex veterum dictis ea, quæ de Dei omnipotentia et sapientia me edocent, percepi, et vobis tradere possum : quod statim facit Jobus vers. seqq. Ita et Renan, qui sic vertit : *C'est l'oreille qui discerne les paroles, comme le palais savoure les mets. La sagesse doit être cherchée dans les vieillards, la raison est le fruit des longs jours.* — Vers. 14. *Claudit*, carcere, vel miseriis. — Vers. 17. *Spoliatos*, puta veste superiori, et discalceatos, i. e. captivos (conf. *Isai.* XX, 4). Veterum plerique : *Spoliatos*, puta mente. — Vers. 18. *Balteum* : ita Renan. Alius, *les nœuds de l'autorité. Cingulum*, iron. pro servili fune. Maurer : Aliorum regum vincula solvit, alios in vincula conjicit. — Vers. 20. *Fide dignis*, gall. *aux guides les plus sûrs.* — Vers. 21. *Et cingulum*, etc., i. e. eos enervat, et ad hostibus resistendum inhabiles reddit. Orientales enim, promissis utentes vestibus, nonnisi præcincti pugnabant. — Vers. 23. Pro *reducit*, alii *abducit*, puta in exsilium; vel *dissipat.* — Vers. 24. *Populi terræ*, hominum terram inhabitantium. *Desertum invium*, hominis mente capti, consiliique inopis imago. — Vers. 25. Alii, *neque est lux*, sine luce, luce destituti.

Cap. XIII, vers. 1. Alius : *Voilà les preuves que mon oreille a tout vu*, etc. — Vers. 3. Cf. XI, 5. — Vers. 5. Renan : *Cela eût passé pour de la sagesse.* Alius : *En cela du moins vous seriez sages.* — Vers. 6. Maurer : *Demonstrationem*, puta eorum, de quibus vos reprehendo, reprehensionem meam; *contentiones*, i. e. jurgia, castigationes, quas labia mea in vos proferent. — Vers. 9. Renan : *Serait-il bon pour vous qu'il scrutât vos cœurs?* Alius : *Vous en saura-t-il gré quand il viendra sonder vos cœurs?* — Vers. 12. *Memoriæ*, sententiæ memoriales, gall. *mémoires*, et argumenta, quibus me reum esse probare studetis. *Propugnacula*, propr. *dorsa*, gall. *défenses.* ל pro ב. — Vers. 14. Sensus : Quare in vita mea conservanda curam ponam? Ducta est prioris hemistichii imago a bestia rapace, quæ prædam, ne sibi eripiatur, dentibus aufert et in tuto collocat. Quum *ponere animam in manu sua* vulgo (*Jud.* XII, 13; I *Sam.* XIX, 5; XXVIII, 21; *Ps.* CVIII, 109) significat *præsentissimo periculo se objicere*, hinc Maurerus secundum hemistichium sine interrogatione capit, sed affirmative : *Et ponam*, etc. Renan : *Quoi qu'il arrive, j'ai pris ma chair entre mes dents, j'ai mis mon âme dans ma main*, locutiones proverbiales, quarum sensus : Mori paratus sum. Alius : *Pourquoi supporterai-je ces angoisses plus longtemps, et retiendrai-je mon ame prête à s'exhaler?* — Vers. 16. Alius : *Il sera lui-même mon salut.* — Vers. 18. Renan : *Me voilà prêt, j'ai disposé ma cause.* — Vers. 19. *Litigabit*, et me reum agere poterit. — Vers. 23. Sequitur oratio adversus Deum. — Vers. 27. *Circa radices*, etc., i. e. *que tu conserves l'empreinte de tous mes pas*, ut sensus sit : Te indignum est, ut accuratissime annotes singula, in quibus peccem. Alii communius, continuata allegoria, pro *observes* vertunt *custodias*, puta meos gressus obsessos et obstrictos, miseriis videlicet; et tertium hemistichium sic interpretantur : *Circa plantas pedum meorum tibi* terminos, fines *incidis* (Renan, *tu traces un fossé*), i. e. pedes meos certis terminis et cancellis, extra quos egredi mihi non licet, circumscribis. — Vers. 28. *Putredinis*, rei cariosæ, v. g. ligni.

Cap. XIV, vers. 2. *Succiditur*, a rad. *malal.* Maurero est imperf. Kal verbi *namal, abscidere*, hinc *abscissum*

http://www.obrascatolicas.com

3. Et super hunc oculos habes apertos, et me in judicium tecum adducis!

4. Quis dabit (exire faciet) purum ex impuro? Nullus est (id efficiens; Maurer, *purus*)!

5. Si definiti sunt dies ejus, *si* numerus mensium ejus tecum (a te definitus) est, si terminum ejus fecisti, quem non prætereat:

6. Despice (oculos averte) ab eo, ut ferietur (ex miseriis), donec (ut saltem) delectetur, sicut mercenarius, die suo *absoluto*.

7. Nam est arbori spes (vitæ novæ); si succisa fuerit, adhuc germinare potest, nec surculus ejus non desinit.

8. Si senuerit in terra radix ejus, et in pulvere mortuus fuerit truncus ejus:

9. Ab odore aquæ repullulat, et facit ramos ut planta (gall. *un jeune plant*).

10. At vir moritur, et prostratus est (manet); et exspirat homo, et ubi est?

11. Effluunt e lacu aquæ, et fluvius exsiccatur et arescit:

12. Et (sic) homo occumbit, nec surget; donec non sint cœli, non expergefient (homines), nec e somno suo excitabuntur.

13. Utinam in orco me absconderes, me occultares donec ira tua rediret (retro), poneres mihi terminum, et (eo elapso) recordareris mei!

14. Sed, quum mortuus fuerit homo, num revi-

viscet? *Si hoc fieret*, per omnes dies militiæ meæ exspectarem *patienter*, donec veniret immutatio mea.

15. Vocares *me* (ex orco), et tibi responderem, opus manuum tuarum desiderares.

16. At nunc gressus meos numeras, nonne (certe) peccata mea diligenter servas?

17. Obsignatum est in sacculo (crumena) scelus meum, et concinnas super culpam meam.

18. At vero mons corruens dissolvitur, et rupes dimovetur a loco suo.

19. Lapides deterunt (cavant) aquæ, proluunt (auferunt) effusiones earum pulverem terræ: sic spem hominis perdis.

20. Vi opprimis (Maurer, *invadis*) eum in perpetuum, et abit; mutans (mutas) vultum ejus dimittis eum.

21. Honorati sint (tunc) filii ejus, nec novit (homo mortuus); et parvi (viles), nec id animadvertit.

22. Nonnisi de se caro (corpus) ejus dolet, et anima ejus de se luget.

marcescere, hinc omnino *marcescit*. — Vers. 4. Hæc affert, ut ex naturæ suæ vitiositate Deum facilius pertrahat ad sibi veniam dandam. — Vers. 6. Renan, *jusqu'à ce qu'il goûte la fin de sa journée*; alius, *jusqu'à ce qu'il achève sa journée*, propr. *qu'il satisfasse à son jour*. — Vers. 11. Sensus: Aqua simul elapsa non redit. — Vers. 12. Cf. Dissert. II — Vers. 13. Intellige: si quod dicitur in vers. 12 non esset verum. — Vers. 14. *Militiæ*, gall. *station*; alius, *épreuve*. *Immutatio*, gall. *action de relever un soldat de son poste*. — Vers. 16. *Servas*, ita, ut nullum te fugiat. Aliter Maurer, *non attendis ad delictum meum*, quale sit, puta num tanto supplicio sit dignum. — Vers. 17. *Obsignatum*, etc. Renan: *Les lettres, les pièces officielles sont, en Orient, renfermées dans une bourse scellée*. *Scelus*, condemnatio. *Et concinnas*, etc., i. e. culpam meam falsis criminationibus auges. Non male. Pareau: *Et apponis*, propr. *oblinis*, ceram puta, cui sigillum imprimitur, *meæ iniquitati*; gall. *tu mets le cachet sur mes offenses*. — Vers. 19. *Proluunt*: Renan, *le fleuve entraîne le sol dans ses rives*. — Vers. 20. Renan: *Tu l'écrases sans retour, et il passe; tu le rends méconnaissable*, (ob lepram), *et tu le jettes en enfer*.

SECUNDUS CERTAMINUM ORBIS

(Cap. XV-XXI).

ORATIO ELIPHAZI (*cap.* XV).

Cap. XV, vers. 1. Et respondit Eliphazus Themanita, et dixit:

2. Num sapiens respondet scientiam venti (vanam), et implet Euro (vento vehementi) ventrem (pectus) suum,

3. Argumentando verbis, *quæ* nihil prosunt, et sermonibus, quibus nil proficitur?

4. Imo tu frangis pietatem in Deum, et imminuis precationem coram Deo.

5. Profecto docet (revelat) culpam tuam os (sermones) tuum, et eligis linguam (sermonem) astutorum.

6. Condemnat te os tuum, nec ego; et labia tua testantur in te.

7. Hominumne tu primus natus es, et ante colles ortus eras?

8. Num in consessu Dei auditor fuisti, et traxisti ad te sapientiam *totam?*

9. Quid scis, quod nesciamus? *quid* intelligis, quod non *sit* apud nos?

10. Etiam canus, etiam senex inter nos *est*, multus præ patre tuo diebus.

11. An parvi tibi *sunt* solatia divina, et verba lenissime tecum *dicta?*

12. Quo te tuus rapit animus, et quid nictant (vehementer volvuntur) oculi tui?

Cap. XV, vers. 4. Proprie, *frangis Dei timorem, et detrahis de meditatione coram Deo*. Alius gall. vertit: *Secouant toute crainte, tu portes tes plaintes contre Dieu même: detrahis* e pectore *querelam coram Deo*. — Vers. 5. *Eligis*, gall. *tu adoptes*; Maurer, *et*, i. e. quanquam, *eligis*, etc., gall. *quel que soit l'artifice de tes paroles*. — Vers. 7. Alluditur ad *Prov.* VIII, 24, 25. — Vers. 11. *Solatia divina* sunt verba consolatoria, quibus Deus Jobum per amicos recreabat. — Vers. 12. Renan: *Et que veulent*

13. Quod reducas in Deum spiritum (iram) tuum, et educas ex ore tuo verba *temeraria in eum?*

14. Quid homo, ut purus sit? ut sit insons muliere natus?

15. En, sanctis (angelis) ne suis quidem credit *Deus*, nec cœli (cœlites) puri sunt in oculis ejus.

16. Quanto minus *homo* detestabilis et corruptus, vir, qui bibit nequitiam ut aquam!

17. Docere volo te, ausculta mihi; et quæ vidi, *ea* enarrabo;

18. Quæ *quidem* sapientes prodiderunt, nec celarunt a patribus suis *accepta;*

19. Quibus solis terra tradita est, et in quorum medium non transierat peregrinus:

20. «Omnibus improbi diebus ipse se excruciat, et numero annorum qui reposti (constituti) sunt violento.

21. Vox terrorum *est* in auribus ejus, in *ipsa* pace vastator supervenit ei.

22. Non sperat evasurum se tenebras (calamitates), et destinatus is est gladio.

23. Oberrat ad panem, ubi *sit inveniendus*, novit paratum esse ad manum suam (prope se) diem tenebrarum (calamitatis).

24. Terrent eum vexatio et angustiæ, invadunt eum sicut rex paratus ad prælium:

25. Quia extendit adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem se fortem (insolentem) se præbuit.

26. Cucurrit (vel *currebat*) adversus illum cum collo *superbe erecto*, cum (sub) densitate dorsorum (umbonum) clypeorum suorum.

27. Nam obtexerat vultum suum pinguedine sua, et fecerat adipem super lumbo.

28. Ideo urbes inhabitat desolatas, domos, *quæ* non habitantur, quæ paratæ (devotæ) sunt ut fiant *ruinarum* acervi.

29. Non ditescet (divitias servabit), nec stabit robur (alii *opes*) ejus, nec extendent se in terram talium parta (possessio).

30. Non recedet e tenebris (calamitatem effu-

giet), surculum ejus arefaciet flamma, auferetur flatu oris ejus (Dei).

31. Ne ergo vanitati fidat: decipitur! nam vanitas erit retributio ejus.

32. Ante diem suum implebitur (ejus vita), ejusque palmæ (surculi) non *jam* virescent.

33. Dejiciet (propr. *avellet*), vitis instar, uvas suas immaturas, et abjiciet, oleæ instar, florem suum.

34. Sane impio cœtus (familia) est sterilis, et ignis absumit tentoria muneris.

35. Concepit dolorem (aliis inferendum), et peperit vanitatem, et venter eorum (ejus) parat fraudem.»

JOBI RESPONSIO (*cap.* XVI, XVII),

Cap. XVI, vers. 1. Et respondit Jobus dixitque:

2. Hujusmodi multa audivi; consolatores onerosi vos omnes estis.

3. Num finis erit verbis venti, aut quid te exacerbat, ut respondeas?

4. Ego quoque sicut vos loquerer *lubenter*, si esset anima vestra (vos) loco animæ meæ, scite conjungerem *verba* de vobis ore meo, et motitarem de vobis capite meo.

5. Firmarem (solarer) vos ore meo, et misericordia labiorum cohiberet (vestrum dolorem).

6. Sive loquor, non mitigatur dolor meus; sive desino (taceo), quid *doloris* a me abit?

7. Tantum nunc defatigavit me *dolor* (alii *Deus*); desolasti (o Deus) totum cœtum (familiam) meam.

8. *Quod* me *calamitatibus* constrinxisti, *hoc* testis factum est *in me*; et surgit contra me macies mea, ut in faciem meam (aperte) testetur *in me*.

vel solis aut venti ardor. — Vers. 31. *Vanitas* in priori membro est maleficium, in altero malum, quod alicui accidit. Rosenmullero *vanitas* sunt res vanæ mundi. — Vers. 33. *Dejiciet*, gall. *il laissera tomber, il perdra*. Sensus imaginis: similis viti et oleæ, quæ ante maturitatem fructus floresve suos perdunt, improbus, licet initio prospere cesserit, tamen mox sine ulla spe ad irritum cadit. — Vers. 34. *Tentoria muneris*, eorum puta, qui avaritia et rapacitate rem suam auxerunt, gall. *qui recèlent les présents de la corruption*. — Vers. 35. *Vanitatem*: consilia ejus irrita fuerunt, ait Maurer; pœna in mali auctores recidit, ait Rosenmullerus. Cf. *Ps.* VII, 15. Renan: *Il a conçu le mal et engendré le malheur. Et venter*, etc., gall. *ses entrailles lui préparent une amère déception*, spes eos fallet. Renan: *Et son sein a couvé le mensonge*, quod bifariam intellige, et dolum quem aliis struere pararat, et dolum qui in ipsum recidit. Maurero et aliis *venter* est cor et animus, qui *venter* dicitur continuata metaphora.

Cap. XVI, vers. 3. Gall. *quel aiguillon te pique à toujours répondre?* — Vers. 4. *Motitare caput* est gestus commiserantis, et h. l. irridentis. — Vers. 5. *Ore... labiorum* tantum, non corde et factis. Pro *cohiberet*, alii *parceret* vobis. — Vers. 7. Alius: *Hélas! maintenant elle m'accable. O Dieu, tu as enlevé toute société d'après de moi.* — Vers. 8. Sensus: Ipsæ meæ calamitates pro culpæ meæ testibus habentur. Conf. X, 17. Renan: *Tu m'as saisi comme un criminel; ma maigreur est un témoin qui se lève contre moi et me répond en face*. Alius: *Puis un témoin s'élève, et d'une langue pleine de mensonge il m'accuse en face: cacheshi, falsiloquus meus: meus*, i. e.

http://www.obrascatolicas.com

9. Ira ejus (Dei) discerpit et hostiliter persequitur me, frendet contra me dentibus suis, hostis meus in me suos acuit oculos.

10. Diducunt contra me os suum, cum contumelia percutiunt genas meas, una contra me sese congregant.

11. Tradidit me Deus iniquo, et in manus impiorum me dejecit.

12. Tranquillus eram, et me concussit, et prehendit cervicem meam et diffregit me, et statuit me sibi in scopum.

13. Circumvolant me sagittæ (alii, *sagittatores*) ejus, *his* transfigit lumbos meos, nec parcit (gall. *sans pitié*), humi fel meum profundit.

14. Perrumpit me ruptione super ruptionem, currit contra me herois instar.

15. Saccum consui super cutem meam, et immisi in pulverem cornu meum.

16. Facies mea vehementer rubuit (alii, *intumuit*) a fletu, et super palpebris meis est caligo.

17. Quanquam iniquitas non est in manibus meis, et preces meæ puræ sunt.

18. Terra, ne tegas sanguinem meum, neve meo sit locus clamori!

19. Etiam nunc, ecce, in cœlo est testis meus (innocentiæ meæ), et conscius meus *est* in excelsis.

20. Irrisores (tantum, non consolatores) mei sunt amici mei : *ideo* ad Deum stillant lacrymæ meæ.

21. Jus dicat viro (mihi) cum Deo (seipso), et filio hominis cum socio suo (Jobi amicis).

22. Quandoquidem anni numerati (pauci) *mox* venient (transibunt), et viam, *qua* rediturus non sum, ingrediar.

Cap. XVII, vers. 1. Spiritus meus deperditur, dies mei exstincti sunt, sepulcrum mihi *aperitur*.

2. *Saltem* si non irrisiones (alii, *irrisores*) mecum *essent*, et *si non* in τῷ adversari eorum commoraretur oculus meus!

3. *Deus*, pone, quæso, *pignus tuum;* sponde pro me apud te : quis *alius erit, qui* in manum meam feriendo infigit *manum suam?*

4. Nam cor eorum occultasti ab intelligentia : propterea non extolles eos.

5. *Homo* qui prædæ (hostibus et raptoribus) addicit amicos, hujus natorum oculi tabescant (vana auxilii spe et exspectatione)!

6. Et me statuit *Deus* (Renan, *on*) in proverbium populorum, et talis, cui in faciem inspuatur.

7. *Ideo* hebetatus est præ mœrore oculus meus, et membra mea instar umbræ *sunt* cuncta.

8. Obstupescunt recti super hoc, et insons adversus impium *ira* se excitat.

9. Attamen en tenax est pius viæ suæ, purusque manuum addit robur *suum*.

10. At vero vos omnes redite et venite, quæso, nec inveniam inter vos sapientem.

11. Dies mei præterierunt, consilia mea abrupta sunt, hæreditates (dulcissimæ spes), *inquam*, cordis mei.

12. Noctem in diem convertunt *amici*, et lux propinqua (similis) est tenebris.

13. Si (quum) spem pono in orco, domo mea, *si* in tenebris sterno lectum meum;

14. *Si* putredini dixi : Pater meus tu, mater mea et soror mea vermibus :

15. Ubinam est spes mea? et spes mea, quis eam videbit?

16. Ad orci vectes (claustra) *ea* descendit; si *saltem omnibus* æque super pulvere quies est.

ORATIO BILDADI (*cap.* XVIII).

Cap. XVIII, vers. 1. Et respondit Bildadus Suchita, et dixit :

2. Quousque *exspectabimus ut* verbis finem imponatis? intelligite, et *tum* loquemur *vobis*.

3. Cur pro bestiis habemur, obturati (animo) sumus in oculis vestris?

4. O *tu*, discerpens animam (vitam) suam in ira sua, num propter te deseretur (ab incolis) terra, et dimovebitur rupes a loco suo?

5. Utique lux improborum exstinguetur, nec splendebit flamma ignis (foci) ejus.

6. Lux obscuratur in tentorio ejus, et lucerna ejus, *quæ* super eo *pendet*, exstinguetur.

7. Coarctabuntur gressus roboris (firmi, vel superbi) ejus, eumque suum dejiciet consilium.

8. Nam immittetur in rete pedibus suis, et super cassibus ambulabit.

9. Prehendet laqueus calcem *ejus*, et fortiter eum tenebit nodus (vel *vinculum*).

10. Absconditus est humi funis ejus (quo capiatur), et decipula ejus super semita.

11. Undique percellunt eum timores, et exagitant eum ad pedes ejus.

12. Est famelicum (fame confectum) robur ejus, et exitium aptatum est lateri ejus.

13. Comedit membra cutis (corporis) ejus, comedit membra ejus primogenitus mortis.

14. Avelletur (improbus) e tentorio suo, sua fiducia, et deducetur ad regem terrorum (mortem).

15. Habitabunt in tentorio ejus alieni, spargetur (pluet) super domicilium ejus sulphur.

16. Inferne radices ejus exarescunt, et superne præciduntur rami ejus.

17. Memoria ejus periit e terra, nec nomen ei est super facie campi.

18. Detrudunt eum ex luce in tenebras, et ex orbe terrarum exigunt eum.

19. Non proles ei est, nec soboles in populo ejus, nec superstes est *ullus* in ejus habitatione.

20. Super die *fatali* ejus obstupescent posteri, et majores prehendent terrorem.

21. Nonnisi hæ (tales) sunt habitationes impii, et hic talis est locus ejus.

JOBI RESPONSIO (*cap.* XIX).

Cap. XIX, vers. 1. Et respondit Jobus, dixitque :

2. Quousque affligetis animam meam (me), et contundetis (vulnerabitis) me verbis vestris?

3. Jam decies (compluries) ignominia me affecistis, nec pudet vos me obtundere (sermonibus).

4. Quod si revera erraverim, apud me *tantum* manet (me tangit) error (peccatum) meus.

5. Si revera adversus me fastuose agere vultis, et exprobrare mihi (vel *coram me*) ignominiam meam :

6. Scitote, quæso, Deum me incurvasse (jus meum pervertisse), et rete suum mihi circumjecisse.

7. En, clamo violentiam, nec exaudior; vociferor, nec jus (obtineo).

8. Viam meam circumsepsit (Deus), nec transire possum; et in semitis meis tenebras posuit.

9. Gloriam meam mihi exuit, et abstulit coronam capitis mei.

10. Destruxit me undique, pereo! et evulsit ut arborem spem meam.

11. Et exardescere fecit contra me iram suam, et habuit me pro hostibus suis.

12. Turmæ (malorum) ejus irruere, et complanaverunt *usque* ad me viam suam, et castra posuerunt circa tabernaculum meum.

13. Meos fratres a me removit, et qui me noverunt (familiares mei) tantummodo (prorsus) abalienati sunt a me.

14. Reliquerunt *me* propinqui mei, et noti mei sunt mei obliti.

15. Mœ domus inquilini et ancillæ meæ pro alieno me habent, peregrinus factus sum oculis eorum.

---

contra me. — Vers. 9. Τὸ *ejus* alius refert ad *falsiloquus*. Cæterum in his versibus Jobus, quasi mente conturbatus, Deum atque suos hostes simul incusat. Τὸ *hostis meus* ad *Deum* quoque Maurer refert : *hostis veluti meus*. — Vers. 10. Subjectum in hoc vers. eos Maurer esse vult, qui in vers. seq. *iniqui* et *impii* appellantur. Metaphorice tamen hæc opprobria possunt intelligi. *Sese congregant*, propr. *se complent*, pleno numero conveniunt, gall. *se liguent;* Renan, *se relèvent*. — Vers. 14. Renan : *Il ouvre dans mon sein brèche sur brèche*. — Vers. 15. *Cornu*, caput, frons. Rosenmullerus : *Cornu*, i. e. gloriam et dignitatem, metaphora a bobus petita. — Vers. 17. *Preces*, i. e. cultus, religio. — Vers. 18. *Locus*, in quo lateat et inhibeatur. — Vers. 19. *Conscius*, qui vitam meam novit. Renan, *un garant*.

Cap. XVII, vers. 1. *Sepulcrum*, propr. *sepulcra*, quod in locis, in quibus mortui sepeliuntur, *plura* aut *multa* sepulcra sunt. Similiter apud Græcos τάφοι de unius sepulcro dicitur : Cf. Herod. 5, 63; Sophocl. *Aj.* 1090. — Vers. 2. Dummodo ne semper viderem eos mihi obloqui et repugnare. — Vers. 3. Iterum Deus repræsentatur duplicem personam sustinens, adversarii, qui calamitatibus Jobo inflictis eum reum esse ostendit, et sponsoris, qui, sponsione apud judicem interposita, eum innocentem esse affirmat. Posterioris hemistichii sensus : Quis, præter te, dextra data fidem pro me interponet? gall. *quel autre voudrait s'engager à ma défense?* — Vers. 4. Alius, *ne permets donc pas qu'ils triomphent*. — Vers. 6. Propr. *et res exspuenda in faciem factus*. — Vers. 9. *Addit robur*, sensu ethico, gall. *redouble de constance*. — Vers. 10. Gall. *quant à vous, tournez-vous et retournez-vous* (in responsis vestris) *tant qu'il vous plaira*, etc. Aliter Renan : *Or ça, revenez, je vous prie. Je vais vous prouver qu'il n'y a pas de sage parmi vous*, ita ut Jobus amicos jam abeuntes revocet. — Vers. 12. *Convertunt*, puta amici; vel impersonaliter pro *convertitur*. Sensus : Ob dolores et curas noctem insomnem transigo, dies vero et lux brevissima est et nulla fere mihi præ tenebris malorum. Versuum 11 et 12 hunc sensum facit Maurer : Amici stultos se præbent, quia, quamvis res meæ desperatæ appareant, tamen me rursus felicem fore contendunt. Ita et Renan, qui vertit : *De la nuit vous faites le jour* (cum ad felicitatem me rediturum affirmatis). *Ah! que votre jour ressemble aux ténèbres!* — Vers. 13. Alius : *Si j'espère, c'est l'enfer pour demeure;* nec *si* deinceps intelligit.

Cap. XVIII, vers. 2. *Quousque*, pro *ecquando* : nimirum aliter sententiam absolvit, atque exorsus erat homo impatiens. *Loquemur*, talia, qualia Jobus ab amicis requirebat. Aliter Maurer : *Quousque* (tu et ii, qui tecum consentiunt) *ponetis laqueos verbis*, quamdiu verba venabimini et sectabimini utut inania, et in illis disputandi et obloquendi occasionem quæretis? *Sapiatis*, rectæ rationi parcatis, *et postea loquamur*, sermones conferamus! Renan : *Quand seras-tu sage et nous laisseras-tu parler?* — Vers. 3. Pro *obturati*, alius *immundi*, a טמא. — Vers. 4. Sensus : Num tu, qui propter calamitatem a Deo tibi inflictam iratus te excrucias, illum rerum ordinem a Deo constitutum, quo improbitas pœna afficiatur, immutari et everti vis, ne peccatorum tuorum pœnas luas? — Vers. 5. *Lux* et *ignis* felicitatis imagines. — Vers. 8. *Pedibus suis*, videlicet locum, in quo retia sunt posita, ingressus. Alius, *jacietur rete pedibus ejus*, propr. *jacietur cum reti*. — Vers. 11. *Ad pedes ejus* : Renan, *pas à pas*, vel *a tergo*. — Vers. 13. Orientalibus morbi sunt filiæ vel filii mortis, hinc *primogenitus mortis* est morbus præ cæteris atrocitate sua insignis, ut elephantiasis. Alius : *Il ronge les extrémités de sa chair, il dévore ses propres membres, fils aîné de la mort*. — Vers. 14. *Sua fiducia* ast oppositio vocis *tentorio*, in quo scil. semper se tuto habitaturum esse putabat. *Deducetur*, propr. *deducet*, gall *on l'amènera;* vel, *id* (sors ejus fatalis) deducet : feminin. in sensu generis neutrius; vel, *deduces*, o Deus. Alius : *Tous ses biens* (propr. *fiducia ejus*) *seront enlevés de sa tente, les terreurs comme un roi* (ל cum vi comparationis) *le poursuivent*. — Vers. 15. *Alieni*, propr. *ex iis, quæ ei non sunt*, subjectum verbi *thishcon*, 3 femin. sing. Alius : *Habitant* terrores *domicilium ejus desertum* (Rosenm. *in tabernaculo, non suo*). *Sulphur* : cf. *Gen.* XIX, 24; *Ps.* XI, 6. — Vers. 16. *Præciduntur* : alii, *marcescunt*. — Vers. 17. *Campi*, agrorum. Rosenm. *in foro*. — Vers. 20. *Majores*, propr. *priores*, puta posterorum, i. e. qui cum improbo, vel paulo post vivunt. Schultensio *posteri* sunt occidentales, *priores* vero Orientales : non male. — Vers. 21. Talia evenient impiorum domui.

Cap. XIX, vers. 3. Gall. *que vous m'assommez sans pudeur*. — Vers. 5. *Si revera* : Renan, *de quel droit osez-vous me parler avec insolence?* Alius, *pourquoi donc*, etc. — Vers. 12. *Complanare*, vel *munire sibi viam*, i. e. patefacere aditum. — Vers. 14. *Reliquerunt* : Maurer, *desierunt*, puta venire ad me, mihi desunt. — Vers. 15. *Inquilini*, servi peregrini, qui in domum meam confugerunt et in fidem meam sunt recepti : cf. *Deut.* XXIII

http://www.obrascatolicas.com

16. Servum meum voco, nec respondet, *vel quando* ore meo ei supplico.

17. Animus meus (ego) alienus est uxori meæ, et deprecor (deprecer oportet) ventris mei filios.

18. Etiam infantes spernunt me; *si* surgere volo (vel *conor*), loquuntur in me.

19. Abominantur me omnes viri familiaritatis meæ, et quos diligebant, *ii* se vertunt in me.

20. Pelli meæ et carni meæ adhærent ossa mea, et evasi cum cute dentium meorum.

21. Miseremini mei, miseremini mei, vos amici mei! nam manus Dei me tetigit (calamitate affecit).

22. Cur me persequimini sicut Deus? et carne mea nunquamne satiabimini?

23. Quis dabit *ergo*, ut scribantur verba mea? quis dabit, in libro ut exarentur,

24. Stylo ferreo et plumbo in æternum in saxo excidantur?

25. Nam ego novi quod redemptor meus vivit, et quod ille postremus (immortalis) super pulverem surget (vel *stabit*).

26. Et postea pelle mea circumdabuntur hæc, et de carne mea intuebor Deum meum:

27. Quem ego intuebor mihi (cum voluptate); oculi mei videbunt, et non alius: *hac spe* consumuntur renes mei in sinu meo.

28. Quum (vel *qui*) vos dicitis: « Quomodo persequemur eum, et quam radicem verbi (quodnam scelus) inveniemus in eo? »

29. Timete vobis a facie gladii (divini judicis): nam fervor (ardentes) *sunt* pœnæ gladii *divini*, ut sciatis esse judicium!

16. — Vers. 16. Renan, *j'ai été réduit à le supplier de ma bouche.* — Vers. 17. *Alienus :* Renan, *indifférent.* Aliter Maurer : *Halitus meus* fœtens *alienus* (molestus) *est uxori meæ, et fœteo* (fœtor meus, mei morbi, fastidio est) *liberis ventris mei.* Pro *deprecor*, Gesenius vertit *preces meæ*, vel τὸ *deprecari meum. Filiis*, etc. At vero liberi Jobi interierant (cap. 1, 19); ideo hæc vox de liberis latiore sensu, i. e. de *nepotibus*, intelligenda est. — Vers. 18. *Si surgere volo*, quod ob virium defectionem ægre perago, irrident me. — Vers. 20. *Cute dentium*, gingiva; locutio proverb., cujus sensus : omnia perdidi. —Vers. 23. Renan : *Etes-vous insatiables de ma chair?* quæ locutio significat *perdere, conficere aliquem*, vel potius *calumniari aliquem.*—Vers. 23 seqq. Vide supra Dissert. II. — Vers. 26. *Et postea*, etc. Alius : *Je sais..... et que recouvert de ma peau, transpercée aujourd'hui par tant d'ulcères*, etc., propr. *et post pellem meam* iterum indutam, quam *perforarunt hæc* ulcera. — Vers. 28. *In eo*, ut legunt multi codd. Insuper dici potest *bi* positum esse pro *bo*, quia ipse Jobus amicorum sermones *de se* refert. Renan : *Alors vous direz : « Pourquoi le poursuivons-nous ? » Et le bon droit se trouvera de mon côté.* Maurer : *Si dicitis.... Et* si cogitatis *radicem rei*, veram calamitatum causam, i. e. culpam, *inventam esse in me.*— Vers. 29. Alii : *Nam fervor* sunt (iram Dei accendunt) *iniquitates* gladio *dignæ.* Rosenm., *nam est sævitia vestra crimen gladio dignum. Judicium*, ex ש relat. et *din.* Alii, *omnipotentem*, sive *shaddin* sit forma plur. pro *shaddai*, sive legendum sit *shaddai*, littera finali *n* per errorem addita.

Cap. XX, vers. 1. Et respondit Zopharus Naamathita, dixitque :

2. Idcirco cogitationes meæ me huc illuc impellunt, et propterea festinatio mea in me est.

3. Castigationem ignominiæ meæ audio, sed spiritus ex intelligentia mea respondet mihi.

4. Nonne scis hoc, *quod* ab æterno, ex quo positus est homo in terris,

5. Quod, *inquam*, jubilum impiorum e propinquo (breve) *est*, et *quod* scelerati lætitia ad momentum (momentanea) *est?*

6. *Etiam* si ascenderit ad cœlum elatio ejus, et caput ejus ad nubes ascenderit,

7. *Tamen* sicut stercus suum in perpetuum perit; qui eum adspectabant, dicunt: « Ubinam est? »

8. Veluti somnium avolat, nec inveniunt eum; et fugatur ut visum noctis.

9. Oculus conspexit eum, nec perget; nec rursus spectabit eum locus ejus.

10. Filii ejus gratiam pauperum (a patre spoliatorum) implorabunt, et manus ejus reddent robur (opes male partas) ejus.

11. Ossa ejus plena sunt peccatis occultis ejus, et cum eo in pulvere dormient (propr. *dormiet*).

12. Si (licet; Renan, *quia*) dulce fuerit in ore ejus malum, *si* occultaverit illud sub lingua sua,

13. *Si* pepercerit ei (in ore servans), neque dimiserit et retinuerit illud in medio palati sui :

14. *Ille* ejus cibus in visceribus ejus alteratur, fel viperarum *fit* in intimo (ventre) ejus.

15. Divitias (aliis ereptas) absorpsit, et evomet eas, e ventre ejus eas expellet Deus.

16. Venenum aspidum suxit (alius, *suget*), interficiet eum viperæ lingua.

Cap. XX, vers. 2. *Idcirco*, quia judicium existit; Maurer : quia *castigationem* etc. Alii vertunt, *profecto huc illuc impellant*, propr. *me reducunt :* alii, in scenam, ut denuo loquar; alii, *respondent mihi*, responsum mihi suggerunt. *Et propterea* vehementi animi fervore commoveor. *Propterea* respondet τῷ *idcirco* in priori membro. — Vers. 3. Renan : *Je m'entends adresser de honteux reproches.* Maurer : Animi mei offensi impetus me incitat, ut pro intelligentia respondeam. Alius : *Mais mon esprit éclairé me suggère bien de quoi répondre.* — Vers. 7. *Stercus :* cui interpretationi obstare merito observant, quod imago indecora est, deinde quod stercus vel lutum non *interire*, sed *conculcari* aut *everri* dicitur. Hinc Maurer vertit, *secundum magnitudinem tuam*, pro magnitudine sua. Alius, *vain jouet des vents*, propr. *sicut volutatio ejus*, scil. nubis (in vers. præced.), i. e. sicut nubes a vento exagitata. — Vers. 9. Renan : *L'œil l'a contemplé pour la dernière fois.* — Vers. 10. *Gratiam implorabunt*, vel *sibi conciliabunt* (a *ratsah*), bona erepta iis restituendo. Maurer, *filios ejus conterunt*, vexant, *tenues*, egeni, a *ratsats*. — Vers. 11. Alii, *peccatis juventutis ejus*. Subjectum verbi *dormient* est *ossa*, vel *peccata*. Aliter Maurer, *ossa ejus plena sunt juventute, et* tamen *cum eo in pulverem recumbunt*, i. e. improbus in hoc summo corporis sui robore juvenili mortem (præmaturam) occumbit. — Vers. 13. *Neque dimiserit*, servaverit; Maurer, *neque dimiserit* in ventriculum, neque id vorarerit. — Vers. 17. Absit, ut unquam se oblectaverit rivorum (aquæ, ait Maurer, quæ est Orientalibus felicitatis imago) adspectu. — Vers. 18. *Obliguriet :* Renan, *il rendra ce qu'il a pris et ne se gorgera plus.* Alius, *et il n'en accumulera plus autant qu'il doit. Secundum vim*, etc. i. e. quantum justa compensatio poscit, i. e. ex asse omnia : ita Renan et Winer. Alii aliter. — Vers. 19. Renan : *Il a saccagé des maisons et ne les a pas rebâties.* Alius, *et n'en a point rebâties*, ut affirmando et negando idem dicat. — Vers. 20. *Nam* aliam causam indicat : alius, *quia non... ideo nec cum. Non noverat*, etc., i. e. insatiabili habendi et fruendi cupiditate semper commovebatur; Renan : *Les appétits de son ventre n'ont pas connu le repos.* — Vers. 21. *Voratio* hic est *avaritiæ* imago. — Vers. 22. Renan, *tous les coups du malheur tomberont sur lui.* Aliter Maurer cum multis, *omnis manus ærumnosorum*, etc., i. e. omnes pauperes, præsertim ab eo spoliati, ei manum injiciunt. — Vers. 23. Alius, *mittat, pluat.* Renan, *elle* (ira Dei) *pleuvra sur lui en guise de pain.* Alius, *qu'il* (Deus) *lui verse ce pain à dévorer !* — Vers. 24. *Fugit* : Maurer, *si fugit*; alius, *fugiat... trajiciat.* Pro *trajiciat*, alius *persequatur.*

17. Ne videat (videre speret) rivos, fluenta torrentium mellis et lactis.

18. Reddet labore parta, nec abliguriet; *reddet* secundum vim (quantitatem) retributionis ejus, neque *de illis* lætabitur.

19. Nam confregit (confractos a se) deseruit pauperes, domos rapuit, et non ædificavit.

20. Nam non noverat tranquillitatem in ventre suo, nec cum desiderabili suo (re sua carissima) evadet.

21. Nihil reliquum *fuit* vorationi ejus, propterea non durabit bonum ejus.

22. In plenitudine abundantiæ ejus *subito* angustum est ei; omnes plagæ ærumnosi *hominis* eum invadunt.

23. Sit, quo venter ejus impleatur! Mittet in eum *Deus* ardorem iræ suæ, et pluet super eos (eum) in cibum ejus.

24. Fugit armaturam ferream, trajicit eum arcus æneus (scil. sagittis missis).

25. Extrahit *improbus telum, quod* exit e corpore; fulgur (sagitta, vel gladius micans) ex felle (improbi) prodit : super eo terrores *mortis sunt.*

26. Omne tenebrarum (calamitatum) genus reconditum est thesauris ejus; consumit eum (vel *eos*) ignis non afflatus (ab hominibus, divinus), depascit residuum in tentorio ejus.

27. Revelabunt cœli iniquitatem ejus, et terra consurget adversus eum.

28. Migrabit (auferetur) proventus domus ejus, est res diffluens (diffluet) in die iræ ejus (Dei).

29. Hæc *est* pars hominis improbi a Deo *assignata*, et *hæc est* hæreditas dicti (jussi) ejus (ei addicta) ab Omnipotente.

Cap. XXI, vers. 1. Et respondit Jobus, dixitque :

2. Audite diligenter sermonem meum, et sit hoc consolatio vestra.

3. Ferte me, et (dum) ego loquar, et postquam locutus fuero, ridebis (si lubet).

4. Num, quod ad me attinet, de hominibus querela mea est? cur igitur non brevis (impatiens) fieret animus?

5. Adspicite me et obstupescite, et ponite manum super os (obmutescite).

6. Et si cogito, perturbor, et prehendit caro mea horrorem.

7. Cur improbi vivunt, senescunt, etiam invalescunt robore?

8. Semen eorum firmum est coram iis, cum iis, et propagines eorum in oculis eorum *integræ manent.*

9. Domus eorum sunt pax (securæ) sine terrore, nec virga Dei super eos.

10. Ejus boves concipiunt, nec abjiciunt (abortu) *prolem*; vacca ejus parit, nec abortum facit.

11. Emittunt (gall. *ils mènent*) ut gregem infantes suos *multos*, et pueri eorum *circa eos* saltant.

12. Tollunt *vocem* (canunt) cum tympano et cithara, et lætantur (gall. *se divertissent*) ad sonum fistulæ (gall. *hautbois*).

13. Terunt in bono dies suos, et momento (morte facili) in orcum descendunt.

14. Et *tamen* dixerunt Deo : « Recede a nobis, et cognitione viarum tuarum non delectamur.

15. Quid est Omnipotens, ut serviamus ei, et quid proficimus *eo*, quod precibus ei occurrimus? »

16. En nonne præsto (et certo) est in manu eorum bonum? Absit a me consilium improborum!

17. Quoties lucerna improborum exstinguitur, et venit super eos pernicies eorum (eis debita)? *Quoties* funes in ira sua (portionem iræ suæ) tribuit *iis Deus?*

18. *Quoties* sunt ut palea coram vento, et ut gluma, quam aufert turbo?

19. « *At, dicitis vos,* Deus reservat filiis ejus ca-

Vers. 19. Alius : Deus et filios nil solatii habent. — Vers. 4. *De hominibus*, sed est de mira in impiis et piis tractandis Dei providentia. — Vers. 6. *Cogito*, puta de improborum statu. — Vers. 7. *Robore*, viribus; alii, *opibus.* — Vers. 10. *Concipiunt*, propr. *transire ad se faciunt*, puta semen virile. Renan cum multis : *Taurus ejus transmittit* semen, init, gravidam facit vaccam, *nec fastidit*, abjicit semen, ita ut non sit irritus coitus. Quibusdam *vacca* hic est uxor : quod confirmant ex versu seq. — Vers. 13. *Descendunt*, hebr. *iechathou*, imperf. verbi *nachath*. Vulgo de improborum obitu accipiunt; alius tamen intelligit de eorum *subita* et inopinata morte, qui sic vertit, *et soudain ils sont engloutis dans l'enfer : eux qui ont dit*, etc. — Vers. 16. Alii ironice, *ecce! non in manu*, etc. Alius sine ironia aut interrogatione : *Voilà qu'ils ne sont pas maîtres de leur bonheur*; vel : bonum eorum non durat. — Vers. 17. *Quoties*, non affirmantis et augentis, sed negantis et minuentis, ut vertit Renan : *Voit-on souvent s'éteindre*, etc. Maurer tertium membrum vertit, quoties Deus *in ira sua*, iratus, iis *tribuit sortem*, qua digni sunt? Alius e contra : *Combien de fois on a vu*, etc. — Vers. 18. Duplici sensu et hic vers. accipitur. — Vers. 19. Alius : Deus et filios

http://www.obrascatolicas.com

lamitatem ejus.» Ei ipsi (improbo) rependat *Deus*, et *ipse* experiatur!

20. Videant oculi ipsius exitium suum, et de ira Omnipotentis bibat.

21. Nam quæ est cura ejus de domo sua post se, et (si) numerus mensium ejus abscissus (exactus) est?

22. Num Deum *quis* docebit scientiam (sapientiam), eum, qui excelsos judicat?

23. Moritur hic in vigore integritatis (felicitatis) suæ, totus ipse tranquillus et quietus (felix).

24. Vasa (mulctra) ejus plena *erant* lacte, et medulla ossium ejus irrigabatur.

25. Et alius moritur cum anima amara, nec comedit bonum.

26. Una super pulverem procumbunt, et putredo (vel vermes) operit eos *una*.

27. Ecce! novi cogitationes vestras, et cogitata (gall. *opinions*), *quibus* mihi injuriam infertis.

28. Nam dicitis: «Ubi est domus tyranni, et ubi est tentorium habitationum improborum?

29. Annon interrogastis prætereuntes viæ, et signa (documenta) eorum ignoratis?

et ipsos puniet, et oculi ejus videbunt, etc. — Vers. 22. *Excelsos*, tum in cœlo, tum in terris. Abrumpit disputationem, et se et socios admonens officii hominis in suspiciendis ac non definiendis Dei judiciis, seu qua ratione ei cum hominibus agendum sit. — Vers. 24. Alius post Gesenium : *Latera*, seu *membra ejus plena* erant *adipe*, legendo *chaleb* pro *chalab*. *Irrigabatur*, ne aresceret; sensus : corpore vegeto et sano gaudebat. — Vers. 25. Gall. *sans avoir goûté le bonheur*. — Vers. 29. *Viatores*,

30. « Die calamitatis, *aiunt*, parcitur malus, die irarum *salvi* abducuntur (mali).

31. Quis indicat (exprobrare audet) in faciem ejus viam ejus, quodque patravit, quis rependit illi?

32. Et ille (improbus) ad sepulcra (sepulcrorum locum) *cum pompa* deducitur, et super tumulo (mausolæo) vigilat.

33. Dulces (leves) ei sunt glebæ vallis (in qua sepultus est), et post se omnes homines trahit, etiam ante eum non est numerus. »

34. Quomodo igitur consolamini me inaniter? et responsiones vestras quod attinet, relinquitur (manet in iis) malitia (vel *mendacium*).

quia vident multa, rerum experientia valent.— Vers. 30. *Irarum*, propr. *exundationum*, quod de aquarum inundationibus intelligunt quidam. Alius : *Que l'impie est réservé pour les jours de la ruine, pour les jours où la vengeance doit éclater. Jusqu'alors qui oserait lui reprocher*, etc. — Vers. 31. *Ejus*, puta improbi. Maurer : *Viam ejus*, i. e. *Dei* rationem agendi. Juxta Renan, *viatores docent* non modo quæ vers. 30, ut vult Maurer, sed quæ vers. 30-33 continentur. — Vers. 32. *Vigilat*, quomodo? Schultens : Tam amplo sepulcri monumento, memoria nominis ejus servatur, et quodammodo fit immortalis. Renan : vel ob statuam hominis erectam, vel ob sententias in laudem ejus monumento insculptas. — Vers. 33. *Post se... ante eum*, de tempore. *Trahit* in eamdem viam, eosdemque mores, nempe quia felicem habuit exitum. *Etiam*, quemadmodum ante eum improbi innumerabiles fuerunt. Ita Maurer. Rosenmullerus : Mors non est peculiare impio malum. Sunt qui id intelligunt de hominum frequentia in pompa funebri. Alii aliter. — Vers. 34. Renan : *Que signifient donc vos vaines consolations? Au fond de toutes vos réponses il n'y a que méchanceté.*

TERTIUS CERTAMINUM ORBIS

(Cap. XXII-XXVIII).

ORATIO ELIPHASI (*cap.* XXII).

Cap. XXII, vers. 1. Et respondit Eliphasus Themanita, dixitque :

2. Num Deo quidquam proficiat vir? immo vero sibi ipsi prodest intelligens (pius).

3. Num oblectamentum *est* Omnipotenti, quod justus fueris? num *ei* lucrum, quod integras reddideris vias tuas?

4. Num præ reverentia (gall. *égard*) tui contendet tecum, tecum in judicio congredietur?

5. Annon malitia tua magna est, neque ullus finis (numerus) peccatis tuis?

6. Nam pignora auferebas a fratribus tuis gra-

Cap. XXII, vers. 2. Alius secundum membrum vertit, *num ipsi* (Deo) *proficit sapiens*, gall. *Dieu tirerait-il quelque recours du sage?* — Vers. 3. Alius : *Qu'importe au Tout-Puissant ta justification, et que gagnera-t-il à l'apologie de tes voies?* — Vers. 4. *Contendet*, te reum ostendet. Aliter Renan post Maurerum : *Crois-tu que c'est par crainte qu'il te punit, et qu'il entre en jugement avec toi?* — Vers. 6. Quæ sequuntur scelera, Eliphasus a Jobo commissa esse tantummodo *suspicatur*, utpote quæ ab

tis (præter jus), et vestes nudorum (pannosorum) exuebas.

7. Non aquam languescenti bibendam dabas, et esurienti denegabas panem.

8. Et homo brachii (violentus), ei *erat* terra, et vir spectatus (auctoritate valens) in ea habitabat.

9. Viduas dimittebas vacuas, et brachia orphanorum conterebantur.

10. Propterea circum*dant* te laquei, et perterret te terror repente.

11. Quin tenebræ, ut videre nequeas, et affluentia aquarum operit te.

12. Nonne Deus est altitudo cœlorum (tam altus, quam cœlum)? Et vide caput (cacumen) stellarum : quam altæ sunt!

13. Et (tamen) dicebas : « Quid novit (curat) Deus? Num pone caliginem judicet?

14. Nubes ei sunt velamentum, ut videre nehominibus opulentis committi solent. — Vers. 8. Te judice hæc fiebant. — Vers. 9. *Brachia*, forsan omne jus et præsidium. — Vers. 11. *Tenebræ*, *aquæ*, calamitatum imagines. — Vers. 12. Nunc Jobum accusat, quod Deum

queat, et fornicem cœli obambulat (non terram). »

15. Num viam antiquitatis servas, quam *olim* ingressi sunt viri nequitiæ,

16. Qui firmiter comprehensi (morte abrepti) sunt ante tempus? flumen (diluvium) *venit*, *et* effusum est fundamentum eorum.

17. Qui dicebant Deo : « Recede a nobis! et quid *boni* nobis faciat Omnipotens! »

18. Et (tamen) ille impleverat domos eorum bono.—Sed procul a me improborum consilium!—

19. Videbunt justi *interitum eorum*, et lætantur, illosque deridet innocens, dicens :

20. « Profecto, deletus est adversarius (sensu ethico) noster, et residuum (opes) eorum comedit ignis *cœlestis*. »

21. Familiariter age cum eo (Deo), et pacatus esto (eris); per ea (ita) veniet tibi bonum.

22. Suscipe, quæso, ex ore ejus doctrinam, et repone dicta ejus in corde tuo.

23. Si redieris ad Omnipotentem, ædificaberis (instauraberis), *si* removeris nequitiam ex tabernaculo tuo.

24. Et pones (colliges) in pulvere auri frustum, et in (vel *sicut*) silicibus torrentium aurum ophirinum.

25. Erit Omnipotens auri frusta tua, et argentum altitudinum (in cumulos coacervatum) tibi.

26. Tunc enim te Omnipotente delectabis, et attolles (libere) ad Deum vultum tuum.

27. Precaberis ad Deum et audiet te, et vota tua persolves (utpote exauditus).

28. Et *si* decernis rem, consistet (rata erit) tibi, et super viis tuis splendebit lux (felicitas).

29. Cum humiles fuerint (viæ tuæ), *mox* dices : « Elatio! » et dejectum oculis (humilem) juvabit *Deus*.

30. *Quin* non innocentem eripiet (Deus), et eripietur puritate manuum tuarum.

JOBI RESPONSIO (*cap.* XXIII, XXIV).

Cap. XXIII, vers. 1. Et respondit Jobus, dixitque :

res, quæ in terra fiant, curare negaverit. — Vers. 17. *Lamo* forsan pro prima persona; vel est mutatio personæ, propr. *quid sibi facere posset*, aiebant. — Vers. 18. Verba, quibus Jobus ad improbos detestandos usus erat (XXI, 16), repetit, ut etiam se improbos detestari, idque majore jure quam Jobum, qui ipse improbus sit, facere posse declaret. — Vers. 21. *Familiariter*, seu *confidenter age*, gall. *rentre en grâces*. *Pacatus eris*, vel *fac pacem* cum illo. Perperam versiones veteres legunt *thebouathqa*. — Vers. 24. Rosenm. *repones argentum præ pulvere* abundans, *et instar silicum*, etc. Aliter Renan post Ewaldum : *Jette les lingots d'or dans la poussière* (ut res inutiles), *le métal d'Ophir parmi les cailloux du torrent*. — Vers. 25. *Altitudinum*, Maurer *splendorum*, i. e. splendidum. — Vers. 27. Cf. Virgil. *Eclog.* V, 80 : « Damnabit te quoque votis. » — Vers. 29. Res tuæ, si mutantur in pejus, mox reficientur. — Vers. 30. Tanti pretii erit apud Deum intercessio tua!

2. Etiamnum amaritudo (amara) est querela mea, sed manus mea (plaga mihi inflicta) meo gemitu gravior *est*.

3. Quis dabit ut cognoscam *quomodo* inveniam eum (Deum), *ut* ad solium ejus accedam!

4. Instruerem coram eo judicium (causam meam), et os meum implerem (plenum haberem) argumentis.

5. Scirem *quænam* verba mihi responderet, et quid mihi diceret intelligerem.

6. Num copia roboris (summa sua potentia) contenderet mecum? minime; tantummodo ad me *benigne* attenderet.

7. Tunc rectus (probus) disceptaret cum eo, et evaderem in perpetuum (plane absolutus) a judice meo.

8. En *vero*, *sive* orientem versus eam, non adest; sive occidentem versus eam, non animadverto eum.

9. In septentrione si agit (se dirigit), non specto *eum*; *si* se abdit in meridie, non video *eum*.

10. Nam novit viam meam; *si* me examinaverit, instar auri *puri* prodibo.

11. Gressum (præscriptum) ejus tenuit pes meus; viam ejus observavi, neque declinabam.

12. Præceptum labiorum ejus *quod attinet*, non recessi *ab eo*. Magis quam legem (voluntatem) meam asservavi (propr. *recondidi*) verba oris ejus.

13. Sed is unus est : quis eum retrahat? et *quod* anima ejus desiderat, *id* is facit.

14. Perficiet enim statutum meum (quod de me decrevit), et sicut hæc (mala ab eo in me decreta), *talia* multa *sunt* cum eo (apud eum).

15. Propterea ob eum perterreo; attendo *id*, et paveo ab eo.

16. Et Deus molle (sine viribus) reddidit cor meum, ac Omnipotens me perterruit.

Cap. XXIII, vers. 2. Minus recte Renan : *Encore une fois ma plainte est appelée révolte*. — Vers. 7. Maurer, *num* velim ut *copia roboris litiget mecum! Non, tantummodo is* animum *advertat ad me*. Aliter quoque Renan : *Qu'au lieu de me combattre avec l'appareil de la force, il voulût bien me prêter un peu d'attention, il reconnaîtrait que c'est un juste qui se défend*, etc. — Vers. 7. *Rectus*, me Deus probum agnosceret. Alius : *Ibi* (coram eo) rectus (insons) *cum eo* libere *disceptare potest*, et suam causam defendere. — Vers. 9. *Agit* : Renan, *exerce-t-il son pouvoir*, etc. — Vers. 10. *Nam*. Nexus : Quia innocens sum, ideo cupio cum Deo agere, coram ipso meum jus exponere. Aliter Renan post Jarchium : Et si Deum diligentissime quæsiverim, nusquam tamen comparet : scit enim me innocentem esse, ideo se veluti subducit congressui, unde victor abiturus essem. — Vers. 12. *Magis quam legem meam* : alius, *ex lege mea*, quam mihi constitui, gall. *religieusement*. Vulgatus legit *bechouqqi, in sinu meo* : non male. — Vers. 13. *Unus* Deus et omnium dominus. Renan, *il a un parti pris*, unus est, immutabilis in sua sententia permanet. — Vers. 14. Renan : *Et peut-être roule-t-il en lui-même d'autres desseins*. Alius, post Schultensium : *Aujourd'hui il renverse mon droit, et ces exemples ne sont pas rares avec lui.* — Vers. 15. Renan : *C'est pourquoi je m'en suis troublé*

http://www.obrascatolicas.com

17. Nam non obmutesco (obstupesco) propter tenebras (calamitates meas), aut propter faciem meam, *quam* tegit caligo.

Cap. XXIV, vers. 1. Cur Omnipotenti non recondita sunt (latent) tempora ! et cur qui eum norunt (colunt) non vident dies ejus?

2. (Gall. *On voit des hommes qui*) terminos dimovent, gregem rapiunt et (raptum) pascunt.

3. Asinum orphanorum agunt (abigunt), pro pignore auferunt taurum viduæ.

4. Declinant (detrudunt) pauperes de via (publica), una occultantur (occultari coguntur) inopes terræ (gall. *du pays*).

5. En, *ut* onagri in deserto *sunt* (*ci vexati*, gall. *leurs victimes*) : exeunt in (ad) laborem (opus) suum, *puta* quærentes cibum, regio deserta ipsis est panis (panem præbet) liberis *eorum*.

6. In campo farraginem suam metunt (colligunt), et in vinea improbi (oppressoris) fructus serotinos racemantur.

7. Nudi pernoctant sine veste, et sine tegumento in frigore.

8. Ab imbre montium madescunt, et defectu refugii amplectuntur rupem.

9. Sunt qui rapiunt a mamma orphanum, et super pauperem pignora accipiunt.

10. *Ili* (pauperes) nudi abeunt sine vestibus, et esurientes portant manipulos *oppressorum*.

11. Intra muros eorum oleum faciunt; torcularia (uvas) calcant, et sitiunt.

12. Ex urbe *quoque* morientes gemunt, et anima confossorum vociferatur *ad Deum*, nec Deus *animum* advertit ad *hanc* impietatem (injuriam).

13. Hi sunt inter eos, qui adversantur luci, non noverunt vias ejus, neque habitant in semitis ejus.

14. Ad lucem (prima luce) surgit homicida, occidit pauperem et egenum, et noctu est (rodit) ut fur.

15. Et oculus adulteri observat crepusculum (vespertinum) dicens : « Non videbit me oculus ; » et velum injicit faciei.

16. *Sunt qui* perfodiunt domos in tenebris; interdiu obsignant sibi *domos suas* (in eis conclusi), non noverunt lucem.

17. Nam simul mane (tempus matutinum) iis est umbra mortis; nam (ubi id aspiciunt) sentiunt terrores umbræ mortis.

18. Levissimi (propr. *levis, fagax ille*), sicut in superficie aquæ, diris devovetur portio (possessio) eorum (ejus) in terra, non se convertit ad viam vinearum.

19. Æstus calorque *absorbent* aquas nivis, sic orcus *rapit* peccantes.

20. Obliviscitur ejus (pro *eorum*) uterus (matris, sugit (cum voluptate) eum vermis, ultra non memoratur, et confringitur arboris instar pravitas (improbus) :

21. Ille *improbus, inquam*, qui depascebat (spoliabat) sterilem, *quæ* non pariebat, nec benefaciebat (et malefaciebat) viduæ.

22. Sed detrahit (e sede) vi sua validos *Deus, qui ubi* surgit, neque vitæ suæ confidunt.

23. Dat (Deus) iis *quæcumque* ad securitatem *pertinent*, et *huic* innituntur, sed oculi ejus sunt super vias eorum.

24. Aliquandiu elati fuerunt, et *subito* non sunt, corruunt sicut omnes (cæteri mortales, vel *omnia* mortalia), et sicut caput spicæ absciduntur.

25. Quod si *hæc* non *ita sunt*, quisnam me mendacii arguet? et rediget ad nihilum verbum meum?

devant sa face. — Vers. 17 *Obmutesco* : Ewaldus, *succumbo*, vires me deficiunt. *Aut propter*, etc., i. e. propter me, caligine opertum, i. e. propter caliginem (miseriam) quæ me operit. Aliter Renan post Rosenmullerum : *Car il ne m'a pas enlevé* (excisus sum) *avant les jours sombres, Et il ne m'a pas préservé des ténèbres*, et non a conspectu meo caliginem fecit, subduxit.

Cap. XXIV, vers. 1. Cur hæc duo simul existunt? i. e. cur, cum Omnipotentem non latent tempora, servi ejus diem retributionis (tum piis, tum impiis) non vident ? Aliter Renan : *Pourquoi l'Eternel ne dispose-t-il pas les temps?* puta judicii *de improbis*, ait Maurer. Postquam Jobus de ratione inexplicabili qua Deus se tractaverit, disseruit, denuo ad hanc rem miram, quod improbi scelera gravissima impune perpetrant, transit, eamque latius exponit. — Vers. 5-8, istorum hominum ab impiis afflictorum miseria uberius exponitur. Juxta Rosenmullerum proponitur hic aliud sceleratorum hominum genus, qui nullis se putant teneri legibus, meritoque comparantur onagris, qui nunquam mansuescunt : quod præplacet. *Ipsis*, proprie *ipsi*, unicuique eorum. — Vers. 6. *Farraginem*, pabulum. *Suam* : Maurer, *ejus*, puta improbi; Rosenmull. *ejus*, puta humilis et pauperis. *Fructus serotinos racemantur* : Renan, *maraudent*. — Vers. 9. Maurer, quæ *super pauperem* sunt, vestes pauperis, *pro pignore auferunt*. — Vers. 11. Alius, *ils souffrent les ardeurs du soleil dans leurs sillons*. — Vers. 13. Hi, de quibus dicturus est, ait Renan : *Il en est d'autres qui haïssent la lumière;* de quibus dixit, ait alius : *Ceux qui commettent ces crimes appartiennent à l'espèce d'hommes qui haïssent*, etc. — Vers. 16. *Obsignant sibi*. Alius, *mettent un sceau sur eux, se tiennent cachés*. — Vers. 17. *Simul*, omnino. Maurer ita jungit : *mane iis est simul caligo*. Rosenmull. *nam terrores mortis ipsis sunt familiares* ; alius, *s'ils sont reconnus, quelles mortelles alarmes !* — Vers. 18. *Ils glissent légers comme sur la surface des flots*, celerrime furto admisso aufugiunt. *Non se convertit* unusquisque eorum, etc. Vineæ in locis cultis sitæ sunt, non procul ab urbibus, *q. d.* Nunquam feram illam atque indomitam in desertis vitam relinquunt, ut certos agros sedesque colant atque habitent. Schnurrerus hunc versum et omnem reliquam capitis partem pro imprecatione habet. — Vers. 21. *Sterilis* mulier, liberis carens, qui ei sint præsidio. — Vers. 22. Aliter Renan cum multis : *Mais Dieu ne les a pas moins soutenus* (protraxit, servavit) *par sa puissance ; Ils se sont relevés* (plur. in singul. transit) *quand ils ne comptaient plus sur la vie*. — Vers. 23. *Super vias*, etc. ut eos deinde puniat; Maurer vero : ut eas diligenter defendat ac tueatur. — Vers. 24. *Sunt*, propr. *est* unusquisque eorum. *Corruunt*, vel *consumuntur*, perfect. hophal verbi *macac*. Aliter Renan post Maurerum : *Ils disparaissent, mais au milieu de leur prospérité; Ils tombent, mais comme tombent tous les êtres ; Ils sont coupés en leur temps, comme la tête de l'épi mûr*. — Vers. 25. אפו ante מי vividiorem interrogationem reddit.

ORATIO BILDADI.

Cap. XXV, vers. 1. Et respondit Bildadus Suchita, et dixit :

Dominatio et pavor apud Eum (Deum), qui facit pacem in excelsis (cœlis) suis.

3. Num numerus *est* agminibus ejus, et super quem non surgit lux ejus?

4. Quid (quomodo) *ergo* justus esset homo apud Deum, et quid sit purus de muliere natus?

5. En adeo luna non splendet, nec stellæ puræ sunt in oculis ejus.

6. Quanto minus homo, vermis (vel *putredo*), et filius hominis, lumbricus.

JOBI RESPONSIO.

Cap. XXVI, vers. 1. Et respondit Jobus, dixitque :

2. Quid (quam) adjuvisti imbecillitatem (imbecillum)! *Quam* auxiliatus es brachio invalido!

3. Quam *bene* consulis insipientiæ, et *quomodo* intelligentiam copiose ostendisti!

4. Cui indicasti verba? et cujus spiritus exiit a te?

5. Manes (mortui in orco) contremiscunt sub aquis et habitatoribus earum.

6. Nudus est orcus coram eo, neque ullum tegumentum est infernis (abysso).

7. Extendit Septentrionem super inane, suspendit terram super nihilum.

8. Colligat (colligit) aquas in nubibus suis (ut in utribus), nec funditur nubes sub iis (earum pondere).

9. Claudit faciem solii *sui*, expandit super id nubes suas.

10. Terminum circinavit super faciem aquarum, ad perfectionem (accuratissime) lucem tenebrasque *discriminavit*.

11. Columnæ cœli contremiscunt, et obtupescunt ab increpatione ejus.

12. Vi sua commovet (alius, *compescit*) mare, et sua intelligentia percellit ejus superbiam.

13. Spiritu suo cœlos ornavit, formavit manus ejus serpentem fugacem.

14. En, hæc sunt extremitates (extremæ quasi lineæ, umbræ) viarum (operum) ejus, et quam *tenuis est* susurrus verbi, quod audivimus; ejus autem potentiæ tonitru quis intelliget?

Cap. XXV. Bildadus, quum nesciat, quid ad Jobi sermonem responderet, id tantum respicit, quod ille, ut coram Deo causam suam defendere sibi liceret, optaverat. Ostendit igitur, Jobum, qui talibus sermonibus utatur, magna esse temeritate et aliquid moliri, quod ei perniciem afferre possit.

Cap. XXVI, vers. 3. Renan : *Et (comme tu sais) faire couler des flots de sagesse !* Alius, *et quels moyens de défense tu lui suggères !* — Vers. 4. Renan : *A qui s'adressent tes paroles ? Quel esprit a parlé par ta bouche ?* Alius : *A qui fournis-tu des paroles, et sur qui répands-tu un souffle de vie ?* — Vers. 5. Jobus æque ac Bildadum Numinis potentiam et sapientiam nosse inquit, quam in orco, in terra et in cœlo manifestari ostendit. *Sub aquis* : orcus sub mari situs cogitabatur : cf. *Psal.* XVIII, 5. Alius dispungit ita : *Manes contremiscunt subtus* (gall. *sous la terre*), contremiscunt *suis cum incolis aquæ*. — Vers. 7. *Septentrionis* nomine significatur totum hemisphærium nostrum, quod sursum assurgit, nec tamen fulcrum habet, ut cortinæ expansæ illo habent opus, ne decidant. — Vers. 9. *Claudit*, sensu architectonico, cingit, velat ; alius, *obfirmat. Faciem*, latus externum. Vers. 10. Pareau, *ad lucis usque tenebrarumque confinia*. Ita et Renan : *Au point où la lumière confine aux ténèbres*. Quod ut intelligatur, scias oportet, quam sibi orbis delineationem veteres fingerent : primum quidem, hemisphærium nostrum boreale solum lumine solis collustratum putaverunt, quæ horizonti subsunt omnia æternis tenebris damnantes ; deinde horizon mari undique circumsessa credebatur. — Vers. 12. Pro *superbiam*, Maurer, *monstra marina* ; Renan post Ewaldum vult *rahab* esse nomen mythicum monstri marini a Deo victi cœloque affixi, vertitque, *par sa sagesse il écrase le dragon*. — Vers. 13. *Ornavit*, hebr. cum ה paragog., vel femin. ob *ruach*. Maurer, *spiritu ejus cœlum* fit *pulchritudo*, eod. sensu. Pro *formavit*, Maurer vertit *transfodit*, poel a *chalal*, puta ne ab hoc dracone sol et luna obscurarentur, ut veterum erat opinio. *Serpentem*, Draconis sidus : conf. Virgil. *Georg.* I, 244. *Fugacem*, epitheton serpentis tum proprii, tum cœlestis. — Vers. 14. Renan : *A peine un léger bruit en est-il venu jusqu'à nous*. Alius, *et à peine un léger murmure de ses paroles*.

JOBI PERORATIO AD AMICOS (*cap.* XXII-XXXVI.

Jobi perorationis pars prior (cap. XXVII, XXVIII).

Cap. XXVII, vers. 1. Et perrexit Jobus efferre parabolam suam, et dixit :

2. Vivus *est* Deus, qui removet (denegat) jus meum et *vivus est* Omnipotens, qui amaram facit animam meam.

3. *Juro* quod, quamdiu halitus meus in me erit, et spiritus (vitalis) Dei (a Deo datus) in naribus meis :

4. Non (propr. *si*) loquentur labia mea pravitatem, nec lingua mea loquetur mendacium.

5. Absit a me ut a vobis jus stare pronuntiem! Donec exspirem, non removebo (auferri non patiar) integritatem meam a me.

6. Amplexus sum justificationem meam, nec

Cap. XXVII-XXXI. Desierunt loqui tres socii. Nam tertius, Zophar, cujus ordo erat, ut nunc post Bildadum loqueretur, prorsus tacet ; item et reliqui duo, nihil habentes ultra, quod adversus Jobum afferre possint... Tacentibus igitur illis, quum exspectasset aliquantum Jobus, num denuo sermonem instituere vellent, liberius jam et amplius loquitur quinque quæ sequuntur capitibus, idque duabus orationibus, una quæ hoc cap. et proximo continetur, altera tribus a XXIX ad XXX. Suam innocentiam, jus suum acerrime defendit, asserens se nunquam eorum sententiæ accessurum, a quibus tam inhumaniter damnaretur ut impius et sceleratus.

Cap. XXVII, vers. 1. *Parabolam*, carmen ex sententiose dictis constans. — Vers. 2. Gall. *J'en jure par le Dieu*,

http://www.obrascatolicas.com

eam dimittam; non probris afficit (reprehendit) cor meum *ullum* ex diebus meis.

7. Sit sicut improbus hostis meus, et adversarius meus sicut pravus!

8. Nam quid erit spes impii, quando *Deus* abscindet (eum), quando extrahet (rapiet) animam ejus?

9. Num clamorem ejus audit Deus, quando ei supervenit angustia?

10. Num Omnipotente (ejusque auxilio) sese potest oblectare, aut Deum invocare omni tempore?

11. Docebo vos de manu (agendi ratione) Dei, quæ sunt apud Omnipotentem (consilia et rationes) non celabo.

12. En, vos omnes *hoc* vidistis; cur igitur tam vana proloquimini?

13. Hæc *est* portio improbi apud Deum, et hæreditas violentorum, *quam* ab Omnipotente consequuntur.

14. Si augentur (multiplicantur) filii ejus, ad gladium *augentur;* et propagines ejus non satiabuntur pane.

15. Superstites ejus morte (peste) sepelientur, et viduæ eorum non flebunt.

16. Si coacervaverit ut pulverem argentum, et ut lutum comparaverit vestes:

17. Comparavit *tantum*, et justus induet *vestes ejus*, et argentum partietur purus.

18. Ædificavit ut tinea domum suam, et ut tugurium, quod fecit custos (vineæ aut pecoris).

19. Dives *existens* cubitum it, nec pergit; oculos suos aperit, neque est (evanuit).

20. Assequuntur eum instar aquarum terrores, noctu eum aufert turbo.

21. Aufert eum Eurus, et perit; et turbine eum abripit e loco ejus.

22. Jaculatur (Deus) in eum *tela* (fulgur, vel grandinem), nec parcit; ex manu (potestate) ejus enixe fugit (fugere studet) improbus.

23. Complodent super eo manus suas, et exsibilabunt super eo ex loco suo.

Cap. XXVIII, vers. 1. Est quidem argento exitus (locus, ubi erui potest), et locus *est* auro, quod conflant (liquant).

2. Ferrum e terra sumitur (eruitur), et lapis funditur, *ut fiat* æs.

3. Finem tenebris homo posuit, et ad omnem consummationem (tenebrarum extremos limites infra terram) pervestigat, *ad* lapidem *usque* caliginis et umbræ mortis.

4. Irrumpendo fodit cuniculum procul a commorante (in terræ superficie, vel *a peregrinante*), oblivioni traditi (scil. metallici, vel *traditum*) a pede; dependent *funibus metallici*, *procul* ab homine, vacillant (librantur).

5. Tellus, ex ea egreditur panis; et *tamen* sub ea (in visceribus) subvertitur ut igne.

6. Locus sapphiri *sunt* lapides (gall. *roches*) ejus (terræ), et glebæ auri ei (homini, puta inveniuntur in terra).

7. Via (ad illos thesauros), non novit eam avis rapax, nec vidit eam oculus vulturis.

8. Non ingressi sunt eam filii superbiæ (feræ), non transiit eam leo.

9. In silicem (gall. *granit*) extendit *homo* (metallicus) manum suam, subvertita radice montes.

10. In rupibus flumina findit, et pretiosissima quæque aspicit oculus ejus.

11. A fletu (stillatione) rivos obligat (cohibet), et absconditum ad lucem educit.

12. At sapientia, unde invenitur (peti potest), et ubinam intelligentiæ locus est?

13. Non novit homo pretium ejus, nec ea in viventium terra invenitur.

14. Oceanus dicit: « Non in me ea *est?* » et mare dicit: « Non est apud me. »

15. Non datur aurum pretiosum pro ea, neque appenditur argentum *ut* pretium ejus.

16. Non appenditur (compensatur) pro auro ophireo, non onyche pretioso, non sapphiro.

17. *Homo* non æquiparabit ei aurum et vitrum, et permutatio ejus non est vas aureum.

18. Coralia et crystallus memoranda non sunt, et possessio sapientiæ potior est margaritis.

19. *Homo* non æquiparabit ei Æthiopiæ topazium, pro auro puro non appenditur.

20. Unde igitur venit sapientia, et ubinam intelligentiæ locus est?

21. *Ea* vero abscondita est ab oculis omnium viventium, et ab avibus cœli occultata est.

22. Infernus et mors dicunt: « Auribus nostris *tantum* audivimus famam ejus. »

23. Deus *solus* intelligit vias ejus (quibus sit adeunda), et is novit locum ejus.

etc. — Vers. 8-10. Sensus, juxta Maurer: ergo non sum impius, sed innocens; itaque hocce caput dividit ita: vers. 1-10, 11-23; Renan vero: vers. 1-6, 7-23; tandem alius: vers. 1-7, 8-23. — Vers. 18. Tenuis tineæ tela (domus) ex vestis fibris facta, scinditur, ubi primum excutitur vestis. — Vers. 19. *Nec pergit*, legendo *iosiph*, gall. *et c'est pour la dernière fois*. Alii, *nec colligetur* in sepulcrum; unde Rosenmull. vertit, *jacet dives intumulatus*. — Vers. 23. Rosenm. *ex loco ejus*, puta improbi, i. e. super eo, improbo, dejecto e loco suo. Ita et Renan: *On saluera sa disparition par des sifflets*.

Cap. XXVIII, vers. 1. Renan, *l'or a des endroits où on l'épure*. — Vers. 3. Gall. *mis fin aux ténèbres*, apertis scil. terræ visceribus, non amplius caliginosa fuere loca subterranea. Exponitur hoc vers. et seqq. qua ratione hæc metalla quærant. — Vers. 4. Gall. *oublié du pied*, qui pedem ponere non potest; sic h. l. dicuntur metallici, qui de funibus in puteos metallicos se demittunt; alius, *des sentiers inconnus au pied des voyageurs..... dont l'accès semble interdit aux hommes... qui se dérobent à ses pas*. — Vers. 10. *Flumina* h. l. cuniculos metallicorum esse vult Maurer. — Vers. 11. Aquas in puteis metallicis distillantes obturat. Ita et Renan: *Il sait arrêter le suintement des eaux*. Alius vero: *Il a arrêté le cours des fleuves* (in genere), *et mis à nu ce qui était caché*. — Vers. 12. *Sapientia* divina, qua mundus regitur et administratur. Cf. *Prov.* VIII. — Vers. 17. *Vitrum*, pretiosissima res apud ve-

24. Nam is usque ad fines terræ prospicit, sub totum cœlum videt.

25. Quum faceret (daret) vento pondus, et libraret aquas mensura.

26. Quum faceret pluviæ legem, et viam telo (fulguri) tonitruum:

27. Tunc vidit eam et *hominibus* declaravit, et condidit et quoque exploravit eam;

28. Et dixit homini: « En timor Domini (pietas) est sapientia, et recedere a malo est intelligentia. »

Jobi perorationis pars posterior (cap. XXIX-XXXI).

Cap. XXIX, vers. 1. Et perrexit Jobus afferre parabolam suam, dixitque:

2. Quis dabit (reddet) mihi *menses* sicut menses pristinos, *dies* sicut dies, *quibus* Deus me custodiebat!

3. Quum splenderet lucerna ejus super capite meo, *quum* ad lucem ejus irem per tenebras;

4. Qualis eram diebus autumni mei, quum familiaritas Dei esset super tentorio meo;

5. *Quum* adhuc Omnipotens mecum (amicus) esset, quum circa me *essent* pueri mei;

6. Quum lavarentur gressus (pedes) mei in lacte (propr. butyro), et rupes funderet mecum (apud me) rivos olei;

7. Quum exirem (ex domo mea) ad portam (forum) *ascendens* ad urbem, in foro pararem (caperem) sedem meam:

8. Videbant me juvenes et se abdebant (retro cedebant), senesque adsurgebant et stabant (donec sedem cepissem).

9. Principes cohibebant verba, et manum imponebant ori suo.

10. Vox procerum se abscondebat (conticescebat), et lingua eorum palato eorum adhærebat:

11. Quippe *quæ me* (vel *de me*) audiebat auris, me felicem prædicabat, et *qui me* videbat oculus, testabatur pro me (mea felicitate aut gloria).

12. Nam vociferantem eripiebam miserum, et orphanum, cui non erat adjutor.

13. Benedictio pereuntis (perituri) super me veniebat, et cor viduæ jubilare faciebam.

14. Justitiam indui, et ea me induit (quasi veste contexit), ut tunica et tiara æquitas mea *erat*.

15. Oculi cæco fui, et claudo ego pedes.

16. Pater ego egenis eram, et litem *ejus*, *quem* non noveram, *cura* investigabam.

17. Et confringebam mordices (vel *caninos*) injusti, et ex dentibus ejus extrahebam prædam.

18. Et dicebant: « In nido meo exspirabo, et sicut arenam multiplicabo dies.

19. Radix mea patet aquæ, et ros pernoctat (commoratur) in ramis meis.

20. Gloria mea nova *semper* est mecum, et arcus (pro robore) in manu mea revirescit. »

21. Me audiebant et exspectabant (meam sententiam), et silebant ad consilium meum.

22. Post meum verbum (sermonem) non iterabant (nil regerebant), et super eos stillabat (ut ros) sermo meus.

23. Et exspectabant tanquam pluviam me, et os suum aperiebant *tanquam* ad pluviam serotinam (vernam, ante messem).

24. *Si* arridebam iis, non (vix) credebant, nec lucem vultus mei cadere sinebant.

25. Si eligebam viam eorum (dignabar eos adire), sedebam caput (princeps, supremus), et habitabam (inter eos eram) ut rex in turma *sua*, ut *is* qui lugentes consolatur.

Cap. XXX, vers. 1. At nunc derident me minores me diebus, quorum patres aversatus essem ponere cum canibus gregis mei.

2. Etiam vis manuum eorum ad quid mihi *fuisset utilis*, quibus perierat senectus (propr. *perfectio* ætatis):

3. Inopia et fame aridi (macerati), qui arrodunt terram aridam, vastitatem et vastationem τοῦ heri (jam dudum):

4. Carpentes halimum ad frutices, et quorum panis radix genistarum est?

5. E medio *hominum* pelluntur, vociferantur super iis ut *super* fure.

6. In horridis vallium (vallibus) habitandum

teres. — Vers. 27. *Condidit*, constituit mundi moderatricem; Rosenmull. *aptavit*, ut scil. res omnes illa aptarentur, ex qua sunt elegantia figuræ et formæ. *Exploravit*, puta opera ejus, ut videret num ea ad gubernandum mundum idonea esset; vel, ut Rosenm., ejus abditissimos et profundissimos sinus pertentatos a se cognitos habuit. — Vers. 28. Sensus: Hæc est mea in mundo creando et gubernando sapientia; tu vero tuam sapientiam in eo quære, quod, quanquam divinæ sapientiæ rationem intelligere non potes, tamen eam semper recte agere confidas, et quod pietatem erga me observes et ab improbitate caveas.

Cap. XXIX, vers. 2. Rosenmull. *quis dabit* (ponet) *me sicut* in *mensibus*, etc. — Vers. 3. *Splenderet*, hebr. infinit. kal verbi *halal*, cum suffixo ad *nero* pertinente. — Vers. 4. *Autumni*, i. e. veris, nam Hebræi ab autumno anni initium faciebant. Renan *autumnum* de ætate virili accipit. Maurero *autumnus*, in quo fruges colliguntur, summæ felicitatis et opulentiæ imago est. — Vers. 5. *Pueri*, liberi, ait Renan; famuli, ait alius cum multis. — Vers. 7. Cogitandus est Jobus in agro habitans (gall. *un bédouin*), unde in urbem vicinam, ut ibi concionibus populi et actionibus forensibus interesset, proficisci solebat. — Vers. 18. Maurer, *cum nido*, una cum tota mea familia adhuc existente, gall. *au sein de ma famille*. Sensus idem. Pro *arenam*, Maurer vertit, *sicut Phœnix*, quod et vidisse Alexandrinos, qui vertunt, ὥσπερ σκῶληξ φοίνικος, conjectat ipse. — Vers. 21. Redire videtur ad vers. 7-10. Renan: *Ils gardaient le silence jusqu'à ce que j'eusse opiné*. — Vers. 24. Bene Renan: *Quand je leur souriais, ils n'en revenaient pas; ils recueillaient avidement les rayons de mon visage*, favoris mei indicia. — *Turma*, exercitu; Renan: satellitibus.

Cap. XXX, vers. 2. Renan, *incapables* (præ virium defectu) *d'atteindre l'âge mûr*. Renan, *réduits à brouter le désert, la vieille terre du vide et du silence*. — Vers. 4. *Halimus*, arbustum, rhamno simile, ex quo fiunt sepes, cu-

http://www.obrascatolicas.com

iis est, in foraminibus terræ et rupium (vel rupibus).

7. Inter frutices rudunt (onagri esurientis instar), sub vepribus se volvunt :

8. Filii stultorum, filii ignobilium, verberati (verberibus expulsi) ex terra *habitata*.

9. Et nunc carmen eorum factus sum, et factus sum iis sermo (fabula, dicterium).

10. Abominantur me, recedunt a me, neque a facie mea cohibent sputum.

11. Sane *quisque eorum* funem (habenam) solvit, et me affligit, et frenum coram me abjiciunt.

12. Ad dextram *meam* progenies *prava* surgit, meos impellunt pedes, et aggerant *usque* ad me (veluti urbem) vias perniciei suæ.

13. Diruunt semitam meam (qua auxilium mihi ferri potest, ad meum exitium proficiunt : quibus nullus unquam *sit* adjutor.

14. Velut ruptura lata (lato muri hiatu) veniunt, sub ruderibus *meis* se devolvunt *eorum agmina*,

15. Conversi sunt (ingruunt) in me terrores, fugant (auferunt) venti instar (cum impetu) nobilitatem meam. Et nubis instar præteriit salus (gall. *bonheur*) mea.

16. Et (itaque) nunc super me se effundit (in querelas) anima mea, prehendunt me dies miseriæ.

17. Nox ossa mea perfodit (corrodit) a me, et qui me *dolores* arrodunt, non quiescunt.

18. Copia roboris (puta morbi) se occultat (sanie deturpatur) vestis mea (superior), instar tunicæ (interioris) cingit me (corpori arcte adhæret).

19. In lutum me prostravit (Deus, an morbus?), et similis factus sum pulveri et cineri.

20. Ad te vociferor (o Deus), nec respondes; sto (coram te auxilium exspectans), et me irato (vel *cunctabundo*) vultu adspicis.

21. Mutaris (ex amico) in crudelem mihi, robore manus tuæ hostiliter me persequeris.

22. Aufers me in (super) ventum, *super eum* equitare me facis, et diffluere me facis *in* procellæ fragore.

23. Novi enim quod ad mortem me abducis, in domum conventus omnium viventium.

24. Tantum nihil deprecatio *prodest!* Extendit (Deus) *in me* manum, etsi in exitio ejus (ab eo illato iis (hominibus) *sit* clamor.

25. An non deflevi eum, cujus dies (vita) durus erat, tristis fuit anima mea de egeno?

26. Nam bonum speravi, et venit malum, et exspectavi lucem, et venit caligo.

27. Viscera mea æstuant neque silent (indesinenter), occurrerunt mihi dies miseriæ.

28. Niger incedo, non calore *solis* (sed morbo), surgo in concione, et vociferor (opem petens, vel *quiritor*).

29. Frater factus sum canibus feris (gall. *chacals*), et socius struthionum (ob lugubres clamores meos).

30. Cutis mea nigrescit (et recedit) a me, et os (ossa) meum ardet præ ardore.

31. Et conversa est in luctum cithara mea, et fistula mea in vocem flentium (flebilem).

Cap. XXXI, vers 1. Fœdus pepigeram oculis meis, et quid oculos conjicerem in virginem?

2. Et quæ (mihi peccatori) portio Dei (sors a Deo) *fuisset* desuper, et quæ hæreditas Omnipotentis ex locis altis (cœlis)?

3. Nonne pernicies impio, et calamitas maleficis *parata est?*

4. Nonne ille (Deus) videt vias meas, et omnes gressus meos numerat?

jusque summitates a pauperibus comeduntur. — Vers. 7. Renan : *Ils se roulent* (vel *se couchent) pêle-mêle sous les buissons.* Homines vers. 1-8 descriptos, non miseros et pravos in universum, sed certum et notum hominum genus fuisse, Ewaldus conjicit, puta aborigenes, qui a gente, a qua Jobi familia esset oriunda, jam dudum subacti et in hunc miserum statum adducti essent, ut ii, qui in servitute esse nollent, in terræ latibula fugerent, ibique in summa miseria viverent, atque ex hominum societate, si quando auxilium quæsituri in eam prodire auderent, ut homines vilissimi repellerentur. Tales aborigenes regionum, in quibus Jobus vixisse dicitur, *Horitæ* esse videntur, id quod cum nomine *Horitarum* homines *cavernas habitantes*, *troglodytas*, significante congruit. Nec mirum istiusmodi homines ditissimo Jobo, nunc misero, insultasse. — Vers. 11. Keri, *funem meum*, quem iis injeceram, reverentiam mihi debitam. Alius, *robur meum*, gall. *parce que Dieu m'énerve et m'humilie, ils mettent un frein à ma bouche.* — Vers. 12. *Surgere ad dextram alicujus*, accusare aliquem; nam in judicio accusator ad dextram rei stare solebat. — Vers. 13. *Sit*; alii *est*, i. e. homines nihili, ab omnibus contempti : cf. Schultensium ad h. l. — Vers. 15. *Nobilitatem* : Rosenmull. *vigorem*; Renan, *prospérité*; Maurer, *dignitatem*; alius, *mon âme.* — Vers. 16. Alius, *mon cœur s'épanche comme l'eau.* — Vers. 17. — *A me*, ita ut a me decidant, ut fit in elephantiasi. — Vers. 18. Renan : *La douleur m'a rendu méconnaissable; elle me serre comme ma tunique.* Alius : *Par sa violence il (le mal) m'enveloppe comme un vêtement, et il me presse comme une tunique.* Rosenmull. *vi ingenti in amictum meum* (ulcera : cf. VII, 5) *se dolor mutavit, meque, ut os* (superne angustum) *tunicæ, cingit.* — Vers. 20. Renan post Gesenium negandi particulam ex priori hemistichio in secundo repetit, *et tu ne me regardes pas.* — Vers. 22. Metaphora desumpta videtur ex nube, quam ventus in altum sublatam et magnifice per aera circumductam, mox discutit, et in imbrem resolvit. *In procellæ fragore*, legendo *theshouvah*, vel *theshouah* (keri alii explicant, *dissolvis mihi salutem*). Alius, *tu me laisses tomber, et tu m'écrases*, propr. *in nihilum* redigis, legendo *theshaveh*, a שׁוא *vanitas, nihilum.* — Vers. 24. Vel cum Renan, *num in exitio ejus clamor illis* quidquam prodest? Maurer, *tantummodo* vero, *nonne* quis *in ruina* (exitio) *extendit manum* suam, opem petens? *Si* quis *in calamitate sua est*, nonne *propterea* est *clamor*, imploratio? Alius : *Que du moins ta main ne s'étende plus sur des ruines, que dans sa perte l'homme trouve le salut* (clamor auditus). — Vers. 25. *An non* : Renan, *que me sert-il d'avoir*, etc. Alius, *si je n'ai pas...* intellige : *que Dieu me punisse.* — Vers. 31. *Fistula*, gall. *hautbois.*

Cap. XXXI, vers. 1. *Et quid*, pro *ut non*, sed fortius so-

5. Si ambulavi cum nequitia (eam molitus sum), et festinavit ad fraudem pes meus :

6. (Ponderet me libra justitiæ et cognoscat Deus integritatem meam!)

7. Si declinavit gressus meus a via recta, et post oculos meos ivit cor meum, aut adhæsit manibus meis macula :

8. Seram et alius comedat, et propagines (vel fruges, vel liberi) meæ eradicentur.

9. Si seductum est cor meum ob mulierem, et ad ostium alterius insidiatus sum (donec exierat):

10. Molat alii uxor mea, eique incurvent (incubent) alii.

11. Nam hoc (adulterium) est scelus, et hoc est peccatum judicum *pœna dignum.*

12. Nam ignis hoc *est*, *qui* usque ad perditionem devorat, et in toto proventu meo eradicasset.

13. Si spernebam (violabam) jus servi mei et ancillæ meæ, quum mecum contenderent·

14. Et quid facerem (aiebam), quum surgeret Deus, et quum puniret, quid ei responderem?

15. Nonne in utero (matris) is qui me creavit, illum *quoque* creavit, et paravit (condidit) nos in utero unus *idemque Deus?*

16. Si arcebam a desiderio pauperes, aut viduæ oculos confeci (exspectatione vana),

17. Et *si* edebam frustum meum (panis) solus, neque edebat orphanus de eo :

18. (Immo vero quin) a juventute mea adolevit (orphanus) mihi sicut patri, et ab utero matris meæ ducebam (curabam) eam (viduam);

19. Si videbam pereuntem sine veste, neque ullum tegumentum esse pauperi;

20. Si non (gall. *sans que*) benedixerunt mihi lumbi ejus (a me vestiti), neque ex vellere agnorum meorum se calefaciebat;

21. Si agitavi (cum vi) contra orphanum manum meam, quod viderem in porta (foro) auxilium meum (me victurum) :

22. Scapula mea ex humero suo excidat, et brachium meum ex osse (humero) suo defringatur;

23. Nam terror (terrori) mihi *semper* fuit Dei pernicies, et præ majestate ejus nihil me valere *conscius fui.*

24. Si feci aurum spem meam, et auro puro dixi : « Fiducia mea *tu es*; »

25. Si lætabar quod multum erat robur meum, et quod multum (ingens quid) invenerat (comparaverat) manus mea;

26. Si quum videbam lucem (solem) splendentem, et lunam præclare incedentem :

27. Clam se seduci passum est cor meum, et osculata est manus mea os meum :

28. (Etiam hoc est peccatum a judicibus vindicandum, nam negassem Deum supra (supremum);

29. Si gaudebam osoris mei infortunio, et me excitabam (ad gaudium), quando eum attigit malum :

30. Immo vero non concessi, ut palatum meum peccaret, ut posceret imprecatione animam ejus;

31. Si non dixerunt homines tentorii mei : « Ubinam sit, qui carne (epulis) ejus non sit satiatus? »

32. (Foris nunquam pernoctabat peregrinus, fores meas viatori aperiebam.)

33. Si celavi, ut homines *alii*, delicta mea, occultando in sinu meo *peccatum meum*,

34. Quia timebam multitudinem magnam (vulgus), et quia contemptum tribuum me terrebat, ita ut quietus essem (domi me tenerem), neque foras exirem.

35. (Quis mihi det aliquem, qui me audiat! En signum meum! Omnipotens reddat mihi, et librum (libellum accusatorium) scribat vir litis meæ (adversarius).

36. Profecto super humerum meum eum tollam (ut honoris insigne), alligabo eum tanquam coronas mihi.

37. Numerum gressuum meorum indicabo ei (Deo judici), ut princeps (libere) ad eum accedam).

38. Si contra me terra mea (injuste occupata) clamat, et una sulci ejus flent (suos dominos repetentes);

39. Si robur (fructus) ejus comedi sine argento (agri pretio non soluto), et animam domini ejus exspirare feci :

40. Pro tritico oriatur (in agro meo) vepres, et pro hordeo herba mala (v. g. carduus).

Finita sunt Jobi verba.

ORATIONES ELIHUI (*cap.* XXXII-XXXVII.)

Cap. XXXII, vers. 1. — Et cessarunt tres viri illi respondere Jobo, quia is justus erat in oculis suis.

bras. — Vers. 34. Renan : *Si, n'osant paraître dans la grande assemblée, et redoutant le mépris des tribus, je me suis tenu renfermé, sans franchir le seuil de ma porte.* — Vers. 35. *Signum*, gall. *seing*, i. e. tabulæ, in quibus notabantur quæ ad causam defendendam faciebant; hæ autem tabulæ rei subscriptione, aut, si reus scribendi imperitus esset, littera ת crucis formam habente, signatæ erant. — *Exspirare feci*, vexavi, donec agrum suum mihi concederet. Alius, *si j'ai consumé les forces de ceux qui la cultivaient, des mercenaires.*

Cap. XXXII-XXXVII. Tribus distinctæ sunt intervallis Elihui orationes, quæ proprie quatuor sunt. Prima est hoc capite et seq., secunda cap. XXXIV, tertia cap. XXXV, postrema cap. XXXVI et XXXVII.

Præmissa a libri scriptore brevi narratione de Elihui persona (XXXII, 1-5), ipse dicere exorsus, longiore præfatione utitur (6—XXXIII, 7), qua et silentii, quod adhuc tenuit, rationem indicat, et sermonis sui jam proferendi causas necessarias affert. Deinde (XXXIII, 8-12) re-

http://www.obrascatolicas.com

2. Et exarsit ira Elihui, filii Baracheli, Bousitæ, e familia Rami; in Jobum exarsit ira ejus, quia insontem declaravit animam suam (seipsum) coram Deo. 3. Et in tres amicos ejus exarsit ira ejus propterea, quod non invenerunt responsionem, et *tamen* sontem declararunt Jobum. 4. Elihuus autem exspectaverat Jobum in verbis, nam illi (tres amici) seniores ipso erant diebus. 5. Quum *autem* videret Elihuus non esse responsionem in ore trium virorum, tunc exarsit ira ejus. 6. Et exorsus est Elihuus, filius Baracheli, dixitque :

Elihui oratio prima (cap. XXXII, XXXIII).

Equidem parvus ego *sum* diebus, et vos estis senes : propterea timebam et verebar meam vobis indicare scientiam (sententiam).

7. Dicebam (apud me) : « Dies (grandævi) loquentur, et multitudo annorum exseret sapientiam. »

8. Verum spiritus *divinus* ipse *est* in homine, et Omnipotentis adflatus (non grandævitas) eos intelligentes facit.

9. Non *semper* grandiores *natu* sapiunt, nec seniores jus intelligunt.

10. Propterea dico : « Audi me, meam quoque ego indicabo scientiam (sententiam). »

11. En, exspectavi verba vestra, animum attendebam ad intelligentias (rationes) vestras, donec scrutati essetis verba (ad Jobum refellendum accommodata).

12. Et ad vos animum adverti, sed en, nemo est qui Jobum refellerit, qui responderit dictis ejus, *nemo est* e vobis.

13. Ne dicatis : « Invenimus sapientiam (controversiæ solutionem) : Deus propellit eum, non vir. »

14. Nec struxit (fecit) contra me verba, nec verbis vestris (tali, quali usi vos estis, ratione) ei respondebo.

15. Consternati sunt! non respond^ent amplius; deficiunt eos verba.

16. Et exspectavi, dum non loquerentur, dum subsisterent, nec responderent amplius.

17. Respondebo ego quoque partem meam, afferam et ipse meam sententiam.

18. Nam plenus sum verbis, urget me spiritus ventris (pectoris) mei.

19. En, venter (animus) meus est ut vinum, quod non aperitur, ut utres novi (vino novo impleti) disrumpitur (venter).

20. Eloquar, ut laxum fiat mihi (respirem), aperiam labia mea et respondebo.

21. Ne rationem habeam viri (alicujus), et nemini blandiar.

22. Blandiri enim nescio : alioquin brevi me auferret creator meus.

Cap. XXXIII, vers. 1. Verumtamen audi, quæso, Jobe, sermones meos, et ad omnia verba mea attende.

2. En, ego meum os aperio, loquitur lingua mea in palato.

3. Rectitudo cordis mei *sunt* verba mea, et scientiam (quod scio) labia mea pure eloquuntur.

4. Spiritus Dei fecit me, et afflatus Omnipotentis vivificat me.

5. Si potes, responde mihi; strue *te* (vel *argumenta*) coram me, siste te.

6. En, ego sum sicut tu ad (gall. *devant*) Deum, de luto decerptus (formatus) sum etiam ego.

7. En, terror meus non perturbabit te, neque onus meum (majestatis meæ) tibi graviter incumbet.

8. Sane dixisti in meis auribus, et vocem (sonum) verborum audivi :

9. « Purus sum sine peccato, mundus sum, nec mihi culpa est.

10. En (tamen) inimicitias contra me invenit (Renan, *quærit*) *Deus*, habet me pro hoste suo.

11. Ponit in cippo pedes meos, custodit (observat) omnes vias meas. »

12. En, hoc non recte dicis, respondeo tibi, nam major est Deus homine.

13. Cur cum eo contendis? nam nulli ex factis suis rationem reddit (reddere debet).

14. Nam semel loquitur Deus, et secunda vice — sed nemo illud attendit.

15. *Primo*, in somnio, visione nocturna, cum incidit sopor in homines, in somnis (cum dormiunt) super cubili :

16. Tunc aperit *Deus* aurem hominum, et admonitionem eorum obsignat,

17. Ut removeat *hominem* a facinore, et ut superbiam a viro occultet (arceat, vel *auferat*);

18. Ut cohibeat (servet) animam ejus a sepulcro, et vitam ejus, ne transeat (incidat) in tela (puta mortis).

19. *Secundo*, etiam castigatur (admonetur homo a Deo) dolore in cubili, et lite ossium suorum perpetua.

20. Et fastidire facit eum vis vitalis (anima) ejus panem, et anima ejus cibum deliciarum.

21. Evanescit (præ macie) caro ejus ex aspectu, et nuditas (nuda) *sunt* ossa ejus, *quæ antea* non videbantur.

22. Appropinquat sepulcro anima ejus, et vita ejus perimentibus.

23. Si adsit pro eo angelus internuntius, unus ex mille (ingente angelorum numero), qui ostendat (propr. *ad indicandum*) homini rectitudinem (officium) ejus, *tum* miseretur *Deus* ejus (hominis), et dicit *angelo* : « Redime (libera) eum a descendendo in sepulcrum, inveni pretium redemptionis. »

25. Revirescit caro ejus præ (magis quam in) juventute, redit ad dies adolescentiæ suæ.

26. Preces facit ad Deum, *et is* propitius ei est, et vultum ejus cum jubilo aspicit, et reddit *Deus* homini justitiam ejus.

27. Canit coram hominibus (palam), et dicit : « Peccaveram, et rectum curvum feceram, neque mihi æquatum est (puta malum peccato).

28. Redemit (Deus) animam meam a transeundo in sepulcrum, et vita mea lumen aspicit. »

29. En, omnia hæc facit Deus bis et ter cum viro,

30. Ut reducat animam ejus e sepulcro, ut illustretur luce viventium.

31. Attende, Jobe, audi me; sile, et ego loquar.

32. *Vel*, si sunt verba *tibi*, responde mihi; loquere, nam *equidem* te insontem esse (vel *declarare*) cupio.

33. Sin minus, tu audi me; sile, et docebo te sapientiam.

Elihui oratio secunda (cap. XXXIV).

Cap. XXXIV, vers. 1. Et exorsus est Elihuus, et dixit :

2. Audite, sapientes, verba mea, et scientes, aures mihi præbete.

3. Nam auris verba examinat, et (sicut) palatum gustat ad edendum.

4. Jus eligamus (exploremus) nobis (inter nos); sciamus (cognoscamus) inter nos, quid bonum sit.

5. Nam dixit Jobus : « Justus sum, Deus vero jus meum removit (denegat).

6. Non obstante jure meo, mentior (mendax a Deo habeor), ægra est sagitta mea (morbus a Deo immissus) sine peccato. »

7. Quis est vir, ut Jobus, qui bibit irrisionem (sermones impios) ut aquam?

8. Et incedit (vel *incessit*) in societate (societatem init) cum maleficis, et ut ambulet (ambulat) cum hominibus improbitatis (impiis).

9. Nam dixit : « Nil proficit vir, si delectatur *consuetudine* cum Deo. »

10. Propterea, viri cordis (sapientes), audite me. Absit a Deo improbitas, et ab Omnipotente pravitas!

11. Nam facinus hominis rependit ei, et secundum viam (agendi rationem) viri assequi facit eum.

12. Imo profecto (gall. *non, non*) Deus non improbe agit, neque Omnipotens jus flectit.

13. Quis terram (gubernandam) ei mandavit, et quis posuit (condidit) orbem terrarum totum?

petit quædam a Jobo minus reverenter in Deum dicta, quæ refutat; tum causam explicat, cur Deus non ad omnia sua verba et acta homini respondeat, aut ei rationem reddat, etc.

Cap. XXXII, vers. 2. *Elihuus*, idem vocabulum, ac *Eliah*, i. e. *Deus meus est Jova*. « Observatu dignum est, libri hujus auctorem diligentiorem fuisse in describendo genere Elihui, quam aut Jobi, aut sociorum. Apud Jobum ne patris quidem nomen adjecerat, in cæteris patriam tantum expressit, at in Elihuo et patrem et familiam nominat. Quod data opera a libri auctore factum videtur, credo, quod suum ipsius nomen hac ratione posteritati tradere vellet. Similiter Persarum et Turcarum poetis more receptum est, ut in ultimo carminis versu, vel saltem in eo, qui ultimum præcedit, poeta nomen suum artificiose intexat... Elihuum esse hujus poematis auctorem, conjecerat jam Lightfootus... In Elihui sermonibus ipsius auctoris sententiam de quæstione in hoc libro agitata, expressam esse, censet quoque Stæudlein. » Rosenmull. *Bousita*, nomen gentil., ut videtur, a *Bouz*, filio Nahoris, fratris Abrahami (*Gen.* XXII, 21). — Vers. 4. *In verbis*, i. e. dum Jobus finem loquendi fecisset. — Vers. 6. Alius minus recte.... *étaler ma science devant vous*. — Vers. 8. Prioris hemistichii idem sensus est, ac posterioris, puta : *L'esprit de Dieu est mis dans l'homme, et c'est lui, non les années, qui donnent l'intelligence*. Aliter Rosenm. : *At profecto spiritus* (mens et ratio) est quidem *in homine, sed flatus*, etc. — Vers. 11. *Verba vestra*, i. e. dum vos loqueremini; Rosenm. : ut aliquid apte loqueremini. *Donec*, etc. Renan : *Jusqu'à ce que vous eussiez épuisé la discussion*; alius, *jusqu'à la fin de vos débats*. — Vers. 13. *Deus propellit*, etc., i. e. hoc satis convincitur Jobus, quod eum Deus exagitet et propellat, istis tam atrocibus afflictionibus declarans eum plane improbum. Aliter Renan post Maurerum : *Cet homme est la sagesse en personne; Dieu seul, et non l'homme, peut venir à bout de lui*. — Vers. 15. *Deficiunt*, propr. *abstulerunt*, impers. positum, pro *ablata sunt*. — Vers. 16. Maurer, *est-ce une raison pour moi d'attendre, qu'ils ne parlent plus? de rester muet, qu'ils ont cessé de répondre?* — Vers. 17. *Partem meam*, pro parte mea; alius, *à mon tour*. — Vers. 22. Renan : *Si je le fais, que mon Créateur m'enlève sur-le-champ*.

Cap. XXXIII, vers. 2. Sensus : ad loquendum jam aggredior. — Vers. 4. Ergo nil falsi dicam. — Vers. 5. *siste te* : Renan, *tiens-toi prêt*; alius, *sois ferme*. — Vers. 7. Id quod a Deo metuebat : cf. IX, 34; XIII, 21. — Vers. 8. Renan, *et j'entends encore*, etc. — Vers. 14. Alius, *si Dieu daigne parler une fois, à la seconde fois on ne le voit plus*. — Vers. 16. Renan, *et y scelle* (firmiter includit) *ses avertissements*. — Vers. 19. *Lite* : Renan, *déchirement*; alii, *agitatione*. Alius, *et lis... est valida*, gall. *ses os s'agitent avec violence*. — Vers. 20. *Fastidire facit eum*, vel *aversatur*. — Vers. 21. Nudat, carne non tecta. Alius, *ses os amaigris ne paraissent presque plus*. — Vers. 22. *Perimentibus* alii intelligunt de angelis mortis, quorum scil. ministerio calamitates hominibus Deus immittit; alii de mortiferis omnibus, quæ homini mortem afferre possunt. *Appropinquat* : alius, *est au pouvoir*. — Vers. 24. Alius, *qui, touché de compassion, dise à Dieu* : « *Délivre-le de la mort, j'ai trouvé une expiation pour ses crimes*, » ut apodosis demum sit vers. 25. — Vers. 26. *Aspicit*, puta homo. Maurer, *et* Deus *facit, ut* homo *videat faciem suam*, etc. : *vaïare* imperf. hiph. *Justitiam eius* : hominem, quem calamitate immissa in culpa esse indicaverat, nunc a calamitate liberans rursus probum declarat : ita Maurer. Alius : suam gratiam et amorem *reddit Deus*.

Cap. XXXIV, vers. 4. *Jus*, quod rectum sit; alius, *causam*. — Vers. 6. *Non obstante*, etc. Renan, *quand je proteste de mon droit... ma plaie est toujours saignante*, etc. — Vers. 7. *Quel homme en vérité que ce Job! il boit le blasphème*, etc. — Vers. 9. *Dixit*, non expressis verbis, sed ita eum sentire conjici ex eo poterat, quod improbos felices esse et probos malis affici contenderat. — Vers. 13. Qui omnia condidit et gubernat, non potest inique agere. *Posuit* : Renan, *curæ ejus commisit*. —

http://www.obrascatolicas.com

14. Si adverteret *tantum* ad se animum suum, *si* spiritum suum et habitum suum ad se colligeret;

15. Exspiraret omnis caro una, et homo ad pulverem (terræ) rediret.

16. Quodsi *tibi* intelligentia *est*, audi hoc, attende ad vocem verborum meorum.

17. Num etiam, qui jus odit, imperare potest? et num *eum* justum, præpotentem, condemnare tibi licet?

18. Qui dicit regi: « Homo nequam! » « Improbe! » nobilibus;

19. Qui non rationem habet principum, neque novit divitem præ paupere : nam opus manuarum ejus omnes sunt.

20. Repente moriuntur (principes) vel media nocte, commoventur *quamvis* multi, transeunt (pereunt), et removent (auferuntur) potentes non manu (humana, sed Dei nutu).

21. Nam oculi ejus (Dei) sunt super vias viri (cujusque), et omnes gressus ejus videt.

22. Non *sunt* tenebræ neque caligo, ut se abscondant ibi malefici.

23. Nam non ad virum attendit (necesse est ut attendat) iterum (bis), ut eat ad Deum in judicium.

24. Conterit potentes sine *longa* vestigatione, et ponit alios in eorum locum.

25. Propterea (quod omnia scit) novit opera eorum, et subvertit *eos* noctu (inopinantes), et conteruntur.

26. Velut improbos castigat eos, in loco videntium (conspicuo).

27. Qui propterea (eo consilio) recesserant ab eo, neque ad omnes ejus vias attenderant,

28. Ut pervenire facerent ad eum clamorem pauperum, ut *is* clamorem afflictorum audiret.

29. Et (si) is (Deus) pacem dat (eis), quis *eos* opprimet? et *si* abscondit faciem, quis eum spectabit? et (sive id faciat) super populum, sive super hominem (omnem, vel *unicum*) una,

30. *Efficiens*, ne regnet homo impius, ne sit laquei populi (irretiat et opprimat populum).

31. Nam num *impius hic* Deo dixerat : « Pertuli (pœnas lui), non *jam* prave agam.

32. Præter ea quæ video (ea quæ nescio), tu indica mihi, si pravitatem feci, non pergam. »

33. Num ex te (tua sententia) rependet eam (tuam pravitatem puniet), tibi dicens : « Quod respuas, quod tibi placeat, *elige*, non ego, et quod scis, id loquere? »

34. Viri cordis (cordati) dicant (respondeant) mihi, vir sapiens audiat me.

35. Jobus non cum scientia loquitur (vel *locutus est*), et verba ejus non *sunt* cum prudentia.

36. Igitur exploratur Jobus in finem, propter responsiones (quæ audiri solent) inter homines improbitatis!

37. Nam addidit ad culpam suam peccatum (impios sermones), inter nos manus complodit (nos palam irridet), et multiplicat *verba sua* in Deum.

Elihui oratio tertia (cap. XXXV)

Cap. XXXV, vers. 1. Et Elihuus exorsus est, dixitque :

2. Num hoc (quod sequitur) habuisti (habes) pro jure (te hoc recte dixisse), *quod* dixisti : « Justitia mea est præ Deo? »

3. Quod dixisti : Quid mihi prosit (innocentia)? quid magis proficio, quam meo peccato (si peccaverim)? »

4. Ego respondebo tibi verba, et amicis tuis *una* tecum.

5. Suspice cœlos, et intuere; et specta nubes, *quam* sint te sublimiores!

6. Si peccaveris, quid illi (Deo) officies? *si* multa sunt peccata tua, quid ei facies?

7. Si justus fueris, quid das ei, aut quid ex manu tua accipit?

8. Homini tui simili improbitas tua *nocet*, et filio hominis tua *prodest* justitia.

9. *Equidem* præ multa violentia clamant *oppressi*, vociferantur propter brachium potentum.

10. Nemo autem dixit : « Ubi est Deus, creator meus, qui dat hymnos noctu (inopinato, vel *in calamitatibus*)?

11. Qui nos bestiis terræ doctiores, et avibus cœli nos sapientiores reddidit? »

Vers. 14. Rosenmull., *si poneret* Deus *ad eum* (hominem) *cor suum*, si Deus accurate et rigide in hominis omnia cogitata, dicta et facta inquirere vellet, *suumque spiritum et flatum ad se reciperet*. Alius, legendo *iashib*, *s'il retirait à lui la sagesse*. — Vers. 17. *Imperare* : Renan, *gouverner le monde;* Maurer, *diu imperare*, firmo et constanti imperio; alius, *juger*. — Vers. 20. *Commoventur*, etc., gall. *ils chancellent malgré leur nombre et disparaissent* : Rosenmull. *commoventur homines* hi, illa gens, etc. Renan : *Leurs peuples s'éveillent en tumulte, errent çà et là*. — Vers. 23. Renan, *pour prononcer sur lui son jugement;* alius, *pour l'emmener en jugement avec lui;* Maurer : Ut eum reum et in judicium vocandum esse cognoscat. — Vers. 25. *Propterea* : Renan, *car;* alius, *donc il connaît*, etc. — Vers. 26. *Velut* : ita Renan; alii, *in loco improborum*, ubi sunt impii, ibi eos, etc.; Rosenm. *propterea quod sunt impii*. — Vers. 27-28. Renan : *Car, en s'éloignant*, etc... *ils avaient fait monter*, etc. *Ut is*, etc.: alius, *et il entend*, etc. — Vers. 29. Renan : *Qui peut trouver à redire, quand Dieu pardonne? Mais aussi qui peut l'affronter quand il cache son visage* (nova parans consilia) *sur les nations et les particuliers?* Rosenm. *eo quidem quietem alicui reddente, quis turbabit? Eo faciem* (gratiam et favorem) *subtrahente, quis eum* gratus *adspiciet?* — Vers. 30. *Efficiens* : alii, *efficit*, absolute. *Ne sit*, etc.; vel, *ne laquei in populum* injiciantur. — Vers. 31. *Hic* Jobum indirecte tangit. — Vers. 32. *Montre-moi ce que je ne sais pas voir.* — Vers. 33. Renan : *Dieu prendra-t-il ton avis pour punir un tel homme? Te dira-t-il : « Sois son juge à ma place? Parle selon ce que tu sais. »* — Vers. 34-35. Maurer, *dicent.. vir sapiens*, qui *audit me*, dicet : « *Jobus non*, » etc. — Vers. 36. *Eh bien! que Job soit éprouvé jusqu'au bout!* Stickelius et alii, *voluntas mea* est, *ut exploretur*, etc.

Cap. XXXV, vers. 2. Gall. *j'ai raison contre Dieu.* — Vers. 3. *Mihi*, propr. *tibi*, de more orationis forma com-

12. Tunc (tales) clamant, neque exaudit (Deus) *eos*, (clamant) propter malorum (violentorum) superbiam.

13. Solam vanitatem non audit Deus, neque Omnipotens respicit eos (vel *illud*).

14. Etiam quum dicis, eum non spectare (mortalium res), *jam* judicium (causa) coram eo est, exspecta eum.

15. At nunc quia non est *aliquid, quod* punit (i. e. quia non punit) ira ejus, nec novit stultitiam (Jobi sermones scelestos) valde,

16. Jobus vane (temere) aperit os suum, et sine scientia (insipienter) multa verba facit.

Elihui oratio quarta (cap. XXXVI, XXXVII).

Cap. XXXVI, vers 1. Et Elihuus perrexit *loqui*, et dixit :

2. Exspecta (alius, *cinge te*) mihi paulisper, ut te doceam, nam adhuc pro Deo (Dei causa) verba *mihi sunt*.

3. Sumam scientiam (sententias) meam inde a longinquo, et creatori meo dabo justitiam.

4. Nam profecto non sunt mendacium verba mea, integer sententiis est tecum.

5. En, Deus magnus est, nec repudiat quemquam (cuique jus suum dat), magnus est robore cordis (mente acutissima).

6. Non vivificat (vivere, vel *florere* sinit) improbum, et afflictis (vel *inopibus*) jus tribuit.

7. Non detrahit a justo oculos suos (favorem suum), et cum regibus in solio eos sedere facit, *ita* ut alti sint.

8. *Quod* si vincti catenis, implicatique funibus miseriæ fuerint,

9. Indicium eis facit facinoris ipsorum, et peccatorum eorum, *et hujus* quod fortes (superbos) se præbuerunt.

10. Et aperit aurem eorum disciplinæ *suæ*, et dicit (monet) ut recedant ab improbitate.

11. Si obediunt ac obsequuntur, transigunt dies suos in bono, et annos suos in amœnis.

12. Sin minus obediunt, ense pereunt (propr. *telo transeunt*), et exspirant in imprudentia.

13. Et (gall. *ont*) impii corde ponunt iram (iræ in Deum indulgent); non vociferantur (ad Deum), quando vincit eos (miseriis).

14. Moritur in juventute anima eorum, et vita eorum inter cinædos.

15. Inopem *vero* liberat (Deus) in miseria, et aperit in oppressione aurem ejus (eorum).

16. Te quoque educet ex ore angustiæ in spatium amplum, sub (in) quo non est coarctatio, et demissio (quod imponitur) mensæ tuæ plena erit pinguedine.

17. Sed si impleas judicium impii, sententia (damnatio) et judicium (pœna) sibi cohærebunt (se excipient).

18. Nam ira (Dei tibi imminet : time) ne te abjiciat (vel *e medio tollat*) cum percussione (violenter), et multitudo pretii non te declinare faciat a percussione (exitio).

19. Num (Deus) æstimabit (gall. *aura égard*) divitias tuas? Non aurum neque omnes vires roboris (opes) *magni faciet!*

20. Ne inhies (appetas) noctem (mortis), *qua* e vestigio tolluntur populi.

21. Cave ne te convertas ad scelus, nam hoc elegisti præ miseria.

22. En, Deus excelsus est in robore suo; quis est sicut ille dominus?

23. Quis mandavit ei viam ejus (agendi rationem)? et quis dixit (dicere potest) : « Fecisti pravitatem? »

24. Memento (potius cogita), ut magnifices opus (opera) ejus, quod canunt viri;

25. *Quod* omnes homines suspiciunt, *quod* mortales spectant e longinquo.

26. En, Deus magnus *est*, nec *magnitudinem ejus* novimus; numerum annorum ejus *quod attinet*, non est ei investigatio.

27. Nam attrahit (ad se sursum) guttas aquæ, *quæ*

mutatur. — Vers. 13. *Vanitatem*, clamores pietate vacuos. Renan, *la frivolité*. — Vers. 14. Maurer, *quanto minus* Deus tuas querelas audit, *si dicis te eum non spectare*, te favore ejus carere! Tamen *judicium*, etc. — Vers. 15. Sensus : « Quod te iratus punivit, pene nihil est; exigua est ejus ira, quæ te afflixit, si ratio habeatur peccatorum tuorum, quibus longe graviora eras commeritus. Lenius te punivit, quasi non nosset multitudinem tuorum peccatorum. » Rosenmull.

Cap. XXXVI, vers. 3. *Inde a longinquo*, ex alto, subtiliter excogitata proferam. — Vers. 4. Renan, *c'est un homme d'une science accomplie qui te parle :* alius, *nos enseignements sont purs et sincères.* — Alius, legendo *veleb : Il est puissant en force et en sagesse.* — Vers. 7. Alius, *et les rois sur le trône, c'est lui qui les affermit pour jamais, et qui les élève.* — Vers. 12. *In imprudentia* : Maurer, *propter suam imprudentiam;* Rosenm. *imprudentes* (item alius, *privés de sagesse*); Renan, *sans s'être reconnus*, inopinato. — Vers. 14. *Cinædos*, scorta mascula veneri nefandæ sacrata in honorem numinis alicujus, ut non raro in Syria. — Vers. 15. Renan, *c'est par la souffrance qu'il lui donne ses avis.* — Vers. 16. *sub quo* : alius, *à sa place*, angustiæ scil. — Vers. 17. *Sed si*, etc, i. e. si improbi sub flagellis obturationem et pertinaciam imitaris; alius, *mais si tu combles la mesure de l'impie*, Renan : *Tu avais comblé la mesure de crimes d'un méchant, tu en porteras la sentence et la peine.* — Vers. 18. Renan : *N'espère pas détourner la colère de Dieu par une amende. Que la confiance d'échapper par une grosse rançon ne t'égare pas* (*chemah* idem ac *chemeah*). Stickelius, *nam ne ira tua* (in Deum) *impellat te ad irrisionem.* Renan, *cette nuit où les peuples sont anéantis sur place.* Alius, *n'incite pas ceux qui attendent impatiemment la nuit pour envoyer leurs brigands* (propr. *gens*) *au pillage.* — Vers. 21. Renan : *Garde-toi de revenir à ces pensers* (*mortis*) *coupables. Où tu as osé préférer la mort au malheur.* Maurer : *Nam hoc*, etc., i. e. scelus admittere, quam tuam miseriam patienter et pio animo ferre mavis. Alius, *garde-toi de te livrer à l'injustice, car c'est à cause d'elle que tu éprouves le malheur.* — Vers. 22. Voci *moreh* genuinum sensum servat Renan : *Qui sait comme lui donner des leçons?* — Vers. 27. Pro *vaporis*, Maurer, *pluviam*, puta *vaporem suum*, in nu-

http://www.obrascatolicas.com

liquant (effundunt) pluviam pro vaporis (nubis) sui copia :

28. Quam (pluviam, vel aquam) effluunt nubes, *quam* stillant super homines multos (vel *copiose*).

29. Quanto minus *aliquis* intelliget expansiones nubium, fragores tentorii ejus (Dei tonitrua)?

30. En, *nunc* expandit super (circum) se lucem suam (fulgura), et (nunc) radices (ima) maris tegit *super se*.

31. Nam iis (rebus, puta pluvia, tonitru) *simul* judicat (punit) gentes, *et* dat cibum copiose.

32. Super manus suas tegit lucem (manus suas fulgure tegit), et præcipit ei (mittit eam) contra hostem (Dei, puta impium).

33. Nuntiat de eo (Deo adventante) tonitru ejus, grex etiam *nuntiat* de eo surgente.

Cap. XXXVII, 1. Sane, propter hoc trepidat cor meum, et subsilit e loco suo.

2. Audite audiendo strepitum vocis ejus, et murmur *quod* ex ore ejus prodit.

3. Sub totum cœlum emittit eam (vocem suam), et lucem suam (fulgur) super alas (extremas oras) terræ.

4. Post eam (lucem fulguris) rugit vox (tonitru), tonat (Deus) voce sublimitatis suæ (sublimi), nec pone relinquit ea (fulgura), quum auditur vox ejus.

5. Intonat Deus voce sua mirifice ! Facit magna, nec scimus (quæ scire non possumus).

6. Nam nivi dicit : « Cade in terram ; » *idem dicit* et imbri pluviæ (abundanti) et imbribus pluviarum roboris sui (imbribus vehementissimis).

7. Manum omnium hominum obsignat (ligat, pluviæ vel hiemis tempore), ad cognitionem omnium hominum operis ejus.

8. Et intrant (se abdunt) feræ in latibula, et in lustris suis quiescunt.

9. Ex conclavi venit turbo, et ex ventis borealibus frigus.

10. Ab halitu Dei datur (exsistit) glacies, et latitudo aquarum constringitur.

11. Etiam humore onerat (Deus) nubem, dispellit nubem lucis suæ (nubes fulgura parturientes).

12. Et illa (nubes) circumcirca se vertit per gubernationes ejus (Dei), ad facere earum (nubium, ut faciant) quidquid eis imperavit super orbem terrarum ;

13. Sive ad virgam (castigationem), si *hæc* terræ ejus (Dei) *destinata est* ; sive ad gratiam illud obvenire faciat.

14. Hoc ausculta, Jobe ; sta, et contemplare miracula Dei.

15. Scisne quomodo imponat (mandata det) Deus iis (miraculis, ea efficiat), et *quomodo* splendere faciat lucem nubium (fulgur) ejus ?

16. Scisne librationem nubium (qua ratione in aere librentur), miracula ejus qui perfectæ scientiæ est ?

17. Quomodo vestes tuæ incalescant, quum quiescit terra vento australi (flante) ?

18. Num expandis cum illo nubes (firmamentum), quæ firmæ sunt instar speculi (æris) fusi ?

19. Doce nos, quid dicamus ei ; *sed potius* non struemus verba præ *ignorantiæ* tenebris.

20. Num quod loquar ei narrabitur ? si faretur homo, sane absorberetur.

21. Et nunc aspicere non possunt *homines* lucem *solis*, *quæ* splendens est in nubibus, et (postquam) ventus transiit et purgavit illud (a nubibus).

22. A septentrione venit aureus splendor ; *sed* super Deum *est* splendor *longe magis* admirandus.

23. Omnipotentem *quod attinet*, non *unquam*

---

bibus densatum (♄ nota accusat.) ; Renan, *et forment ses vapeurs* ; alius, *in nube sua*, per nubem suam. — Vers. 29. *Comment surtout comprendre*, etc. *Expansiones*, quomodo nubes ad cœlum tegendum expandantur ; Renan, *les déchirements* (distensiones) ; alius, *le balancement*. — Vers. 30. Aquis ex imo maris petitis, nubibus densis, se tegit ; vel nubes, ait Renan, mari nigro et alto hic comparantur. — Vers. 33. Hirzel, *nuntiat de eo tonitru ejus gregi* (gregibus), *de eo*, inquam, *surgente* ; alius, *son tonnerre l'annonce à toute créature* (quæ Dei possessio est), *quand il marche au combat*.

Cap. XXXVII, vers. 1. *Propter hoc* : Renan, *dans ces moments-là* ; vel, *en pensant à cela*. — Vers. 4. *Nec pone*, etc., i. e. fulgura et tonitrua mutuo se excipiunt. Renan : *Quand on entend sa voix, le trait n'est déjà plus dans sa main*. Alius, *mais nul n'en peut suivre la trace malgré cette voix retentissante*. — Vers. 7. Ut omnes homines ab eo creati eum dominum agnoscant. Aliter Renan : *Afin que tous les hommes apprennent à connaître leur Créateur*, ita ut suffix. sing. in *oseho* referatur ad *col*, et vertendum sit, *ut cognoscant omnes homines Creatorem suum* ; ita et Hirzel, sed præter necessitatem. — Vers. 9. *Conclavi*, ventorum promptuario, in modum speluncarum Æoli. — Vers. 10. *Latitudo aquarum*, latum æquor, aquæ antea diffusæ et latiores. Renan, *l'eau se contracte et se serre* ; alius, *la surface des eaux se durcit* ; alii, *multitudo aquarum*. — Vers. 11. *Dispellit* : Renan, *il pousse devant lui les nuages qui portent sa foudre* ; alius, *il sème dans l'air les nuées orageuses* ; Rosenm. *nubilationem dissipat lumen ejus*. — Vers. 12. Maurer ponit comma post *imperavit*, jungitque *super omnem terram* cum *se vertit*. — Vers. 13. *Si* : hanc vocem multi in hebr. delent. *Terræ ejus*, orbis terrarum. *Illud obvenire faciat* : Maurer, *invenire* locum, sese effundere, *faciat eam*. — Vers. 17. *Quiescit*, vel *quiescere facit terram*, puta Deus. — Vers. 18. Renan : *Saurais-tu comme lui battre les nues au marteau ?* — Vers. 19. Renan : *Mais plutôt taisons-nous, ignorants que nous sommes !* — Vers. 20. Renan : *De grâce, que mes discours ne lui soient point rapportés ! Jamais homme a-t-il désiré sa perte ?* Jobus optaverat, ut sermones sui ante Dei thronum proponerentur. — Vers. 21. Sensus : Homo lucem solarem in cœlo puro intueri nequit, quanto minus ad Deum accederet ! Renan : *Au moment où l'on ne voit pas le soleil, Où sa lumière est cachée derrière les nuages, qu'un coup de vent passe, le ciel est pur* (ita nos quasi per nubes Numinis nonnisi radios videmus). — Vers. 22. Renan : *Un rayon d'or vient tout-à-coup du septentrion, O admirable splendeur de Dieu !* Maurer : *A septentrione* (longinquo) *aurum venit*, id homines petunt, sed *super Deum est splendor maxime admirandus* ; sensus : Inveniunt quidem homines res pretiosissimas, sed Deum omnipotentem explorare et cognoscere nequeunt. *Splendor*, etc., propr. *admirandum splendoris*, i. e. splendor maxime admirandus. — Vers. 23.

eum inveniemus (gall. *atteindrons*), magnum robore, et jure, et copia justitiæ, *qui* non opprimit.

24. Propterea timent (Renan, *timeant*) eum homines ; non videt (curat) omnes sapientes corde.

DEUS ET JOBUS (*cap.* XXXVIII-XLII, 6).

Oratio Dei prima (cap. XXXVIII-XL, 2).

Cap. XXXVIII, vers. 1. Et respondit Jova Jobo e turbine, dixitque :

2. Quisnam est qui obscurat consilium verbis sine intelligentia ?

3. Cinge, ut vir (heros), lumbos tuos, et interrogabo te, et doce me (responde mihi).

4. Ubinam eras, quum terram fundarem, indica *id*, si nosti (habes) intelligentiam.

5. Quis posuit mensuras ejus, nam *sane id* scis ; aut quis extendit super eam funem mensorium ?

6. Super quid immersa sunt fundamenta ejus, aut quis jecit lapidem angularem ejus,

7. Ovantibus una matutinis sideribus, omnibusque Dei filiis (angelis) jubilantibus ?

8. Et *quis* sepsit foribus (in littora conclusit) mare, quum erumperet, *et* ex utero (terræ visceribus) prodiret ;

9. Quum ponerem nubes vestimentum ejus, nubes densas fasciam ejus ;

10. Et quum frangerem super eo terminum meum, et ponerem repagula et fores ;

11. Et dicerem : « Huc usque venies, neque ulterius procedes, et hic ponetur (vel *ponatur*) *terminus* contra superbiam fluctuum tuorum ? »

12. Num inde a diebus tuis præcepisti matutino ? suum locum auroram scire fecisti,

13. Ut apprehendat (momento occupet) alas (oras) terræ, et excutiantur improbi ex ea ?

14. *Terra* (aurora illustrata) convertit se sicut argilla sigilli, et adstant *omnia* sicut vestimentum.

15. Et subtrahitur ab improbis lux (puta nox)

Maurer, *jus et copiam justitiæ non opprimit*, non pervertit. Pro *non opprimit* alii, legentes *iaaneh*, vertunt, *non respondet*, nulli rationem reddit. — Vers. 24. Renan, *il n'honore pas d'un regard*, etc. ; alius, *il voit comme un néant*, etc.

Cap. XXXVIII, vers. 1. *Jobo*, non Elihuo. *E turbine*, e nube procellosa : ita loqui Deo solitum. — Vers. 2. *Consilium* : Renan, *la providence* ; alius, *la sagesse*. — Vers. 7. Stellas *matutinas* nominat poeta, quia terram prima luce, quum stellæ matutinæ adhuc fulgerent, condi cœptam esse cogitat. — Vers. 10. *Frangerem*, constituerem, refertur ad littora maris quasi fracta et abrupta : cf. græc. ῥηγμίν. — Vers. 12. *Scire fecisti* : Keri tenendum. — Vers. 13. Terra comparatur cum panno expanso, cujus lacinias aurora apprehendit, et improbos, qui per noctem in eo consederant, excutit. Sensus : Aurora orta improbi in sua latibula abdunt se. — Vers. 14. In terra, antea tenebris nocturnis obvoluta omnisque formæ experte, nunc aurora illustrata, emergunt et cernuntur rerum variarum formæ, sicuti figuræ sigilli argillæ impressi. Renan : *L'univers se montre sous un riche vêtement*. Alius : *... parée du jour comme d'un manteau*. — Vers. 17. *Revelatæ*, i. e. apertæ, ait Maurer ; Renan, *ostensæ*. — Vers. 18. Num universum terræ spatium et ambitum perspectum habes ? — Vers. 21. *Tunc*, eo tempore, quo lucem et tenebras creavi. — Vers. 23. *Diei*, quo improbos angustiis premam adversusque eos pugnem. — Vers. 27. *Exitum*, gall. *les pousses* ; Maurer : locum, unde *exit herba*, herbæ feracem. — Vers. 30. Alius, *sicut lapis aquæ abdunt sese*, quia supra nihil aquæ apparet. — Vers. 30. Renan : *Pourrais-tu relâcher les chaînes du Géant ?* Alius, *ou qui écartes (tiens un peu plus écartées) les étoiles d'Orion ?* — Vers. 36. Quod sapientia phænomenis et meteoris tribui-

eorum, et brachium *ad scelus jam* sublatum (alius, *superbum*) frangitur.

16. Num venisti usque ad scaturigines maris, et in penetralibus oceani ambulasti ?

17. Num revelatæ sunt tibi portæ mortis (orci), ac umbræ mortis (tetræ noctis) ostia vidisti ?

18. *Num* vidisti usque ad latitudines terræ ? Indica *hoc*, si nosti *hæc* omnia.

19. *Scis-ne*, quænam est via *ad locum, quo* habitat lux (ad lucis sedem), et tenebras *quod attinet*, quinam est earum locus,

20. Ut sumas (et ducas) eas ad terminum earum, et intelligas semitas domus earum ?

21. *Sane* nosti *hoc* (iron.) ; nam tunc jam natus eras, et ingens *est* dierum tuorum numerus.

22. Num venisti ad promptuaria nivis, et promptuaria grandinis vidisti,

23. Quas reservo tempori angustiæ, diei pugnæ et belli ?

24. Quænam est via, *qua* dividit se (diffunditur) lux, dispergit se Eurus super terram ?

25. Quis divisit imbri canales (gall. *rigoles*), et vias telo tonitruum :

26. Ad pluendum super terram sine homine (inhabitatam), *super* desertum, in quo non *est* homo ;

27. Ad satiandum vastitatem et vastationem (loca maxime deserta), ad germinare faciendum exitum herbæ ?

28. Num est pluviæ pater ? aut quis genuit (vel *gignit*) guttas roris ?

29. Ex cujus utero prodit glacies, et pluviam cœli *quod attinet*, quis generavit eam ?

30. Sicut lapide aquæ (quæ non gelascunt) se abscondunt, et superficies abyssi *frigore* concrescit.

31. Num ligas vincula Pleiadum (quasi inter se colligatarum), aut funes Orionis solvis ?

32. Num educis (in cœlum) signa zodiaci tempore suo, et Ursam *majorem* cum liberis ejus (cauda), *num* ducis eos ?

33. Num novisti leges cœli (siderum), an ponis (constituis) imperium (gall. *influences*) ejus in terram ?

34. Num tollis ad nubem vocem tuam, ut copia aquarum (inde demissa) te tegat ?

35. Num mittis fulgura, ut eant, et dicant : « En nos ? »

36. Quis posuit in phænomenis splendidis (alius,

http://www.obrascatolicas.com

dans l'orage) sapientiam, aut quis dedit meteoris prudentiam?

37. Quis numerat nubes cum sapientia, et urceos cœli quis inclinat (ad effundendum);

38. Quum (ita, ut fiat quod sequitur) pulvis se fundit in fusum (massam fusilem), et glebæ conglutinantur?

39. Num venaris leænæ (casu dativ.) prædam, et vitam (appetitum) leunculorum imples;

40. Quum incurvant se (et subsidunt) in habitaculis, *et* sedent in tugurio ad insidias?

41. Quis suam corvo escam parat, quum pulli ejus ad Deum vociferantur (cibum postulantes), *dum* errant sine cibo?

Cap. XXXIX, vers. 1. Num novisti tempus, quo pariunt ibices, aut parturitionem cervarum observas?

2. Numerasne menses, *quos* complent (gravidæ), aut novisti tempus, quo pariunt?

3. Incurvant se (in genua), natos suos diffindunt (aperta matrice excludunt), dolores suos mittunt (facile et celeriter deponunt).

4. Roborantur pulli eorum, crescunt in campo (sine humano auxilio); exeunt (in aperta), nec redeunt ad eas (matres suas).

5. Quis onagrum dimisit liberum (ut libere vagetur), et vincula asini silvestris quis solvit,

6. Cujus domum posui desertum, et habitacula ejus terram salsam?

7. Ridet strepitum urbis, clamores exactoris (agasonis) non audit.

8. Pervestigatio montium est pascuum ejus, et post omne viride quærit.

9. Num volet bubalus (gall. *buffle*) servire tibi? an pernoctabit ad præsepe tuum?

10. Num alligabis bubalum ad sulcum fune ejus? an occabit valles post te?

11. Num ei confides, quia magnum est robur ejus, et relinques (committes) ei laborem tuum?

12. Num confidis fore, ut reducat (in horrea) semen (fruges) tuum, et aream (frumentum) tuam colliget?

13. Ala struthionis exsultat (alacriter se agitat): num est pinna pia et pluma?

14. Immo vero relinquit humi ova sua, et super pulvere (arena) *ea* calefacit (calefacienda relinquit).

15. Et obliviscitur pedem (hominis aut feræ) conterere *posse* ea, et bestias agri ea conculcare.

16. Duriter tractat pullos suos tanquam non suos; *ne* vanus sit labor ejus (in ovis pariendis) sine pavore est (non curat).

17. Nam oblivisci fecit eum Deus sapientiæ, nec ei prudentiam impertivit.

18. Tempore, *quo* in altum se stringit (alarum plausu tanquam flagello), ridet equum ejusque equitem.

19. Num (tune) das equo robur? Num vestis collum ejus tremore (juba tremebunda)?

20. Num trepidare (salire) facis eum instar locustæ? Vigor (vehementia) ronchi ejus terror (terrori) est.

21. Fodit (ungula) in valle (campo, pugnæ impatiens), et gaudet robore suo, exit obviam armaturæ (hostium armis).

22. Ridet pavorem, nec terretur, nec redit a conspectu gladii.

23. Super eum stridet pharetra (sagitta), flamma hastæ (hasta micans) et jaculum.

24. Cum strepitu et fremitu (strepit, fremit) sorbet terram (citus currit), nec firmus consistit quando vox tubæ *audita est*.

25. Secundum copiam tubæ (quoties, vel simul ac tuba inflatur) dicit: « Eia! » et e longinquo odoratur pugnam, tonitru (vocem tonantem) principum (ducum) et tumultum (militum clamores).

26. Num ex intelligentia tua in altum assurgit accipiter, expanditque alas suas (ad volandum) meridiem versus?

27. An secundum os tuum (te jubente) alte volat aquila, et *hoc fit*, quod altum facit nidum suum?

28. In rupe habitat, et pernoctat (commoratur) in dente (cacumine) scopuli et arcis.

29. Inde explorat cibum (prædam), eminus prospiciunt oculi ejus.

30. Et pulli *ejus* sorbent sanguinem, et ubi *sunt* confossi (cadavera), ibi illa adest.

Cap. XL, vers. 1. Et Jova exorsus est loqui ad Jobum, dixitque:

2. Num *diutius* contendere vult cum Omnipotente castigator (gall. *censeur*) Dei? *Num* reprehensor (accusator) Dei ad hæc respondere vult?

Jobi responsio (XL, 3-5).

3. Et respondit Jobus Jovæ, dixitque:

4. En vilis sum, quid respondeam tibi? manum meam impono ori meo.

5. Semel locutus sum, neque *amplius* loqui exordiar; et bis (locutus sum), nec pergam.

Oratio Dei secunda.

6. Tunc Jova *iterum* loqui exorsus est Jobo ex turbine, dixitque:

7. Cinge, quæso, ut vir *fortis*, lumbos tuos; interrogabo te, et doce me (responde mihi).

8. Num etiam frangere vis jus (justitiam, vel sententiam) meum, condemnare me ut justus sis?

9. An brachium ut Deo tibi est, et voce, ut ille (vel *illius*), tonas?

10. Orna, quæso, te majestate et gloria, et splendorem et magnificentiam indue.

11. Sparge redundantiam (effunde fluctus) iræ tuæ (in improbos), et aspice omne altum idque humile redde.

12. Aspice omne altum, deprime id et contere improbos sub se (gall. *sur place*).

13. Absconde eos in pulvere una, faciem eorum liga in occulto (tenebris).

14. Si id feceris, et ego te laudabo, *hoc agnoscens*, quod opitulari tibi potest dextera tua.

15. Ecce (vide) Behemoth, quem feci tecum (pariter ac te): gramen bovis instar comedit.

16. Ecce vires ejus *sunt* in lumbis ejus, et robur ejus in nervis (gall. *muscles*) ventris ejus.

17. Flectit caudam suam instar cedri, femorum ejus nervi *firmiter* perplexi sunt.

18. Ossa ejus sunt tubi ænei, artus (propr. *ossa*) ejus sunt sicut vectis ferreus.

19. Ille est principium (caput) viarum (operum) Dei, Creator ejus præbuit *ei* gladium (dentes acutos) ejus.

20. Nam proventum (pabulum) ejus montes ferunt ei, et omnes bestiæ agri ludunt ibi (circa eum).

21. Sub lotis cubat, in latibulo arundinis et paludis.

22. Texunt ei loti umbram ejus, cingunt eum salices rivi.

23. En, violentus est (exundat) fluvius, non trepidat (Behemoth); confidit, quum erumpit Jordanes *usque* ad os ejus.

24. *Num quis* in oculis ejus (vi aperta) capit eum, *quis* laqueis capto perforabit nasum?

25. *An tu* Leviathan (crocodilum) hamo trahes? aut fune (hami) linguam ejus deprimes.

26. Num pones juncum (capistrum e fune junceo) in naso ejus (capti), et unco (annulo) perforabis maxillam ejus?

27. Num multiplicabit ad te supplicationes? an loquetur ad te molliter?

28. Num panget fœdus tecum (ut animal domesticum), sumes eum tanquam servum æternum?

29. Num ludes cum eo tanquam cum avicula (passere), et *filo* alligabis eum pro puellis tuis?

30. *Num* empturient eum socii (mercaturæ)? num distribuent eum inter Cananæos (mercatores)?

31. Num implebis telis acutis pellem ejus, et jaculo piscium (gall. *harpon des pêcheurs*) caput ejus?

32. Pone *tantum* super eum manum tuam, recordari pugnæ ne pergas!

Cap. XLI, vers. 1. En, spes ejus mendacii argui-

---

tur, hoc eo spectat, quod ea (sicut sidera) res futuras portendere veteres credebant. Renan, post multos: *Qui a mis la sagesse dans les entrailles de l'homme* (in renibus).... *à son cœur?* cui interpretationi nexus sententiarum repugnat. — Vers. 37. *Cum sapientia*: Renan, *avec exactitude*; alius, *dans sa sagesse*; Maurer: Quis justum nubium modum sapienter constituit? — Vers. 39. Secundum alios cap. XXXIX hic incipit. — Vers. 40. *Tugurio*: Renan, *leurs taillis*; alius, *leurs buissons*.

Cap. XXXIX, vers. 1. *Ibices*, vel rupicapras, propr. *ascensores rupis. Observas*, vel *custodis*, ad quam vocem D. Chrysostomus: « Recte autem dixit ἐφύλαξας. Cum enim hoc animal semper sit in fuga, et metu, et formidine, semper saliat et subsultet, quomodo non patitur abortum, sed maturus fœtus editur? — Vers. 2. *Complent*, consumunt a conceptione usque ad partum. — Vers. 3. Renan, *et sont quittes de leurs douleurs*. Aliis *dolores parius* h. l. poetice vocantur *fœtus dolore in lucem emissi*, quomodo et a Græcorum Tragicis ὠδῖνες usurpatum: cf. Euripid. *Jon.* 45, Æschyl. *Agamemn.* 1427. — Vers. 8. Quod in montibus pervestigando invenit, id pabulum ejus est. Vulgatus legit *iathour, explorat montes, pascuum suum.* — Vers. 10. *Post te*, te sequens, prout fert ratio occandi. Maurer tamen: tibi obtemperans, ita qua sonum procul arma dedere, stare loco nescit. » — Vers. 28. *Arcis*, i. e. montis prælti; Renan, *et les créneaux des forteresses.* — Vers. 29. *Eminus*, propr. *ad ea quæ procul* sunt. Renan, *ses yeux percent dans le lointain*. Cf. Homer. *Il.* XVII, 674 seq.

Cap. XL, vers. 10. Ironice Jova Jobum jubet, suscepta *Dei* persona, iram suam in improbos effundere. — Vers. 13. Renan: *Couvre leur face d'une ombre éternelle*; alius, *enferme-les dans un obscur cachot.* — Vers. 15. Hippopotamus poetice describitur: behemoth enim est i. q. Ægypt. *Pehemouth*, *bos aquatilis*, composit. ex *p* articulo, *ehe bos*, et *mout aquatilis*. — Vers. 16. Alius: *Quelle force dans ses reins!* etc. — Vers. 19. Alius, *mais son Créateur dirige son glaive*, facit ut herbam, non animalia devoret. — Vers. 23. *Jordanes* pro magno aliquo fluvio positus. — Vers. 24. Alius, *cependant on le prend en face*, etc. — Vers. 25. *Aut fune*, etc. i. e. fune, cui hamus alligatur, in aquam demerso linguam ejus arreptam extrahes, ut soles in aliis aquatilibus capiendis facere? Aliis, ut Bocharto, est hypallage: *num funem*, i. e. hamum fune appensum, *in lingua ejus demerges*, defiges? — Vers. 26. Solent piscatores Ægyptii, referente Brucio, etiamnum piscibus, hamis aut retibus a se captis, annulum ferreum per maxillas transmittere, cui funis adaptatur, qui alligatur in ripa, ut hac ratione pisces in aqua vivi serventur, neque tamen possint effugere. — Vers. 29. Cf. Catull. II. 1-4. — Vers. 30. *Empturient*, gall. *en feront-ils un objet de commerce?* Winerus et alii, *super eo* capto *epulabuntur*; alius cum Gesenio, *insidiis eum capient.* — Vers. 32. Renan, *et tu ne songeras pas à recommencer le combat.* Alius, *garde le souvenir de ce combat, et n'y reviens plus.*

Cap. XLI, vers. 1. *Ejus*, puta alicujus, nempe Jobi,

http://www.obrascatolicas.com

tur! Nonne etiam ad conspectum ejus (crocodili) prosternetur (ille)?

2. Non est *homo tam* violentus (audax), ut excitet (lacessat) eum, et quis est ille, qui coram se sistat (ad resistendum)?

3. Quis me *officiis* antevertit, ut ei *gratiam* rependam? *Quod* sub toto cœlo est, meum id *est*.

4. Non tacebo de membris ejus, viriumque ratione ac structuræ pulchritudine.

5. Quis retexit faciem (oram) vestis (gall. *carapace*) ejus? in duplicationem freni (in duplicem seriem dentium) quis est ingressus?

6. Fores faciei (fauces) ejus quis aperuit? Circa dentes ejus terror *est*.

7. Superbia sunt laminæ (Renan, *les lignes*) clypeorum (squamarum) *ejus, sunt* clausum quid, sigillum angustum (firmum).

8. Unus (clypeus, seu squama) alteri junctus est, nec spiritus venit inter eos.

9. Alter alteri inhæret, inter se cohærent, neque separantur.

10. Sternutatio ejus splendere facit lucem, et oculi ejus sunt ut palpebræ auroræ.

11. Ex ore ejus faces (flammæ) prodeunt, igneæ prosiliunt scintillæ.

12. Ex naribus ejus prodit fumus, tanquam essent (vel *tanquam ex*) olla sufflata, et alienum fervens.

13. Flatus ejus inflammat carbones, et flamma ex ore ejus prodit.

14. In collo ejus commoratur robur, et ante eum exsultat pavor.

15. Decidua carnis ejus (palearia, gall. *famons*) cohærent, *sunt* fusum (firmum, ut æs fusum) *quid* super eum, *quod* non vacillat.

16. Cor ejus fusum (durum) est instar lapidis, et fusum (durum) est instar lapidis molaris inferioris.

17. Ab elatione ejus (quum surgit) timent fortes, præ terrore a via aberrant.

18. *Si* quis admoverit ei gladium, consistit *gladius, item* hasta, telum, lorica.

19. Habet pro stramine ferrum, pro ligno cariei (carioso) æs (arma ænea).

20. Non fugat eum filius arcus (sagitta), in stipulam convertuntur ei lapides fundæ.

21. Pro stipula habentur fustes (clavæ), et ridet strepitum jaculi.

22. Sub eo (ventre ejus) sunt acutissimæ testæ (squamæ), sternit tribulum super lutum.

23. Ebullire facit, ut ollam, abyssum, mare facit instar vasis unguentarii (calore spumantis).

24. Post se lucidam (ob spumam) facit semitam: haberet *aliquis* aquas pro canitie.

25. Non est super pulvere (in terra) imperium (dominus) in eum, eum, inquam, qui factus est ad animum impavidum.

26. Omne altum intuetur (in faciem interritus), ille est rex super omnes filios superbiæ (feras superbas, feroces).

JOBI RESPONSIO (*cap.* XLII, 1-6).

Cap. XLII, vers. 1. Et respondit Jobus Jovæ, dixitque:

2. Novi te omnia valere (perficere posse), nec prohiberi a te consilium.

3. Quisnam est, qui occultat (obtenebrat) sapientiam (divinam) sine intelligentia? Utique (gall. *oui*) dixi *quæ* non intelligebam, mirabiliora mihi, *quæ* non sciebam.

4. Audi, quæso, et ego loquar; interrogabo te, et doce me.

5. Ad auditum auris (ex auditione, fama tantum) *de* te audiveram; sed nunc te meus vidit oculus.

6. Propterea sperno (retracto) *temeraria verba mea*, et pœnitentiam ago super pulvere et cinere *sedens*.

pugnam cum crocodilo conserere audentis. *Nonne etiam*, etc. Aliter Renan: *Quoi! ton aspect n'a pas suffi pour le terrasser?* — Vers. 7. Maurer, *clausum* est circa eos *sigillum angustum*, eod. sensu; Rosenm. *sunt clausum quid tanquam sigillo firmo.* — Vers. 10. Ægyptii, teste Horo lib. I *Hierogl.* cap. LXV, ut auroram significarent, oculos crocodili pingebant. — Vers. 14. *Exsultat*: Renan, *bondit*; alius, *marche comme un géant.* — Vers. 15. *Cohærent*, non laxa pendent, ut in bobus aliisque animalibus. — Vers. 16. Erant lapidum molarium duo, superior et mobilis, inferior et immobilis, qui h. l. propterea commemoratur, quod præcipuam soliditatem et duritiem habebat. — Vers. 17. Alius: *A son aspect imposant...; l'effroi le fait défaillir*; Renau, *et s'enfuient tout éperdus.* — Vers. 22. Crocodili in luto jacentis squamæ acutæ in lutum imprimuntur ita, ut tribulum super id tractum esse videatur. Renan, *et semble une herse étendue sur la boue*; alius: *Sous lui sont des têts aigus; il se couche sur les pierres tranchantes comme sur la fange.* Vers. 24. Renan, *on dirait que l'abîme a des cheveux blancs*; alius, *on dirait la chevelure blanche d'un vieillard.* Cf. græc. πολιὴ θάλασσα, ac lat. *mare canum.* — Vers. 25. Alius, *nihil est in terra ei simile. Ille, qui*, etc., gall. *créé qu'il est pour ne rien craindre.*

Cap. XLII, vers. 3 et 4. *Sine intelligentia*, i. e. ipse non intelligens; Schultensius, *quæ nosci nequit.* De primo versiculi 3 membro et toto vers. 4, quæ sunt verba Dei paulum immutata (Cap. XXXVIII, vers. 2, 3), notat Renan, illa a Jobo attonito et quasi mente capto pronuntiari, ac ejus verbis interseri sine nexu. Ilgen vero: « Mira suavitas, ait, in Jobi responsione. Verba eadem adhibet, quæ Jova, ut ea quasi cum suspirio repetere videatur: *Proh dolor! ille ego sum de quo dixisti: Quisnam... Audi, quæso*, etc. » De vers. 4 Rosenmullerus: Jobi verba, se jam totum Deo submittentis, et ei sese docendum tradentis, non sicut antea, quando cum illo disputare postulabat, quum diceret (cap. XIII, 22): *Audi, et ego*, etc.; sed nunc summa cum animi demissione, etc.

EPILOGUS.

(Cap. XLII, 7-17)

7. Et postquam locutus est Jova hæc ad Jobum, dixit Jova Eliphaso Themanitæ: « Exarsit ira mea in te et duos amicos tuos; nam non locuti estis de me rectum sicut Jobus, servus meus. 8. Et nunc sumite vobis septem tauros et septem arietes, et ite ad servum (cultorem) meum Jobum, et offerte holocaustum *hoc* (vel *eos in holocaustum*) pro vobis *expiandis;* Jobus vero servus meus intercedat pro vobis. Ejus tantum rationem habebo ut non faciam (rependam) vobis pœnam stultitiæ: nam non locuti estis de me rectum sicut servus meus Jobus. » 9. Et iverunt Eliphasus Themanita, et Bildadus Suchita, et Zopharus Naamathita, et fecerunt quemadmodum locutus fuerat ad eos Jova, et habuit Jova rationem Jobi.

10. Jobi vero, quum is intercessisset pro amico suo, captivitatem reduxit Jova, et auxit Jova omnia, quæ Jobo fuerant, ad duplum. Et venerunt ad eum omnes fratres ejus, et omnes sorores ejus, et omnes qui eum noverant antea, et ederunt cum eo panem in domo ejus, et commiserati sunt eum, et consolati sunt eum de omni malo, quod adduxerat Jova super eum, et dederunt ei quisque kesitam unam, et quisque annulum aureum unum.

12. Et Jova benedixit finem Jobi magis quam principium ejus, et *Jobus* habuit (possedit) quatuordecim millia pecudum (ovium), et camelorum millia sex, et mille boum paria, et mille asinas.

13. Et habuit septem filios et tres filias. 14. Et nominavit unam Jeminam (columbam), et alteram Keziam (aromatis genus cinnamomo simile), et tertiam Keren-happucham (pyxidem fuci, seu stibii, quo mulieres orientales palpebras illinebant). 15. Neque inventæ sunt mulieres (tam) pulchræ, ut (quam) filiæ Jobi in terra tota, et dedit iis pater earum hæreditatem in medio fratrum earum.

16. Et vixit Jobus post hoc centum et quadraginta annos, et vidit filios suos et filios filiorum suorum per quatuor ætates. 17. Et mortuus est Jobus senex et satiatus diebus.

Vers. 7. *De me*, de mea rerum gerendarum ratione. Rosenm. *ad me*; alius, *devant moi.* — Vers. 10. *Reducere captivitatem alicujus*, i. e. eum in pristinam felicitatem restituere. *Quum intercessisset*: Renan, *pour récompenser Job d'avoir prié pour*, etc. *Amico*, puta Eliphazo, sociorum cæterorum vices tenente. — Vers. 11. *Venerunt*, qui ab eo miseriis afflicto se removerant. *Kesita*, propr. *appensum*, hinc certum auri argentive pondus, quod pariter atque siclus patriarcharum ætate pro pecunia in usu erat. *Annulum*, vel aurium, vel nasi ornamentum. — Vers. 15. Filiæ una cum filiis præter legis præceptum (*Num.* XXVII, 8 seqq.) partem in hæreditate habuerunt, ne unquam filiæ a filiis sejungerentur, et ut simul omnes concordissime viverent.

http://www.obrascatolicas.com

PRÆFATIO
IN
LIBRUM JOB.

Quis libri hujus auctor.

De Libri hujus auctore sunt admodum variæ diversorum discrepantesque sententiæ : nonnulli enim a Jobi amicis, utpote calamitatis ejus ac patientiæ testibus, conscriptum volunt ; a Salomone alii, ob sententiarum quibus scatet gravitatem, ac styli cum sapientialibus ejus libris conformitatem, compositum asserunt ; alii ab aliquo ex Prophetis ; plures a Moyse, ad solatium filiorum Israel, durissima in Ægypto servitute oppressorum, concinnatum fuisse contendunt : sed communior longeque verior fert opinio, ab ipsomet Jobo, ut rerum suarum gnarissimo, primum syriace conscriptum, ac deinde in hebraicum sermonem a Moyse fuisse conversum ; unde adhuc quamplurimis, teste S. Hieronymo, syrismis et arabismis adspersus legitur. Opinionem vero hanc confirmat, quod et alios passim sacræ Scripturæ codices, ut Judicum ab ipsismet judicibus, Prophetarum a prophetis, Esdram ab Esdra, Josue ab eodem Josue, cæterosque ab iisdem quorum insigniti sunt nominibus, compositos fuisse constet.

Quis Job, et quando vixerit ?

Quis autem quantusque vir fuerit beatus ille Job, et quo mundi sæculo vixerit, manifeste colligitur ex Appendice Editionis Septuaginta et Theodotionis, quam S. Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, Polychronius, Olympiodorus, Julianus, Severus, Evagrius in *Caten.*, ut legitimam historiæ partem amplectuntur ; ideoque Bellarminus noster lib. I *De Verb. Dei* cap. IV, non immerito canonicam tertii ordinis censendam docet, ut quæ pro tali jam recepta sit, non publico quidem Ecclesiæ, sed plurium doctorum judicio : lubet autem ejus verba recitare, quæ sunt ejusmodi Οὗτος ἑρμηνεύεται ἐκ τῆς Συριακῆς βίβλου ἐν μὲν γῇ κατοικῶν τῇ Αὐσίτιδι ἐπὶ τοῖς ὁρίοις τῆς Ἰδουμαίας καὶ Ἀραβίας· πρώτῳ δὲ αὐτῷ ὄνομα Ἰωβὰβ λαβὼν δὲ γυναῖκα Ἀράβισσαν, γεννᾷ υἱὸν, ᾧ ὄνομα Ἐνών· ἦν δὲ αὐτὸς πατρὸς μὲν Ζαρὲ ἐκ τῶν Ἡσαῦ υἱῶν υἱός, μητρὸς δὲ Βοσόρρας· ὥστε εἶναι αὐτὸν πέμπτον ἀπὸ Ἀβραάμ. Καὶ οὗτοι οἱ βασιλεῦσι βασιλεύσαντες ἐνΕδὼμ, ἧς καὶ αὐτὸς ἦρξε χώρας. Πρῶτος Βαλὰκ ὁ τοῦ Βεὼρ· καὶ ὄνομα τῇ πόλει αὐτοῦ Δενναβά· μετὰ δὲ Βαλὰκ Ἰωβὰβ, ὁ καλούμενος Ἰὼβ· μετὰ δὲ τοῦτον Ἀσὼμ, ὁ ὑπάρχων ἡγεμὼν ἐκ τῆς Θαιμανίτιδος χώρας· μετὰ δὲ τοῦτον Ἀδὰδ υἱὸς Βαραδ, ὁ ἐκκόψας Μαδιὰμ ἐν τῷ πεδίῳ Μωάβ· καὶ ὄνομα τῇ πόλει αὐτοῦ Γεθαίμ· οἱ δὲ ἐλθόντες πρὸς αὐτὸν φίλοι, Ἐλιφὰζ, τῶν Ἡσαῦ υἱῶν, Θαιμανῶν βασιλεὺς, Βαλδὰδ ὁ Σαυχαίων τύραννος, Σωφὰρ ὁ Μιναίων βασιλεύς. *Hic fertur ex syriaci codicis interpretatione in Ausitide habitasse in finibus Idumææ et Arabiæ ; eratque illi nomen Jobab ; cum autem accepisset uxorem Arabissam, generavit filium, cui nomen* Ennon : *erat porro ipse ex patre quidem Zare de filiis Esau filius, matris vero Bosorræ ; ita ut ipse sit quintus ab Abraham. Et hi sunt reges qui regnaverunt in Edom, cujus regionis ipse quoque principatum tenuit : Primus Balac filius Beor ; et nomen civitatis ejus Dennaba : post Balac autem Jobab, qui vocatur Job : post hunc autem Asom, qui erat dux ex regione Thæmanitide : post hunc autem Adad filius Barad, qui excidit Madiam in campo Moab ; et nomen civitatis ejus Getham. Amici porro qui ad eum venerunt, Eliphaz, de filiis Esau, Thæmanorum rex, Baldad tyrannus Sauchæorum, Sophar rex Minæorum.*

Jobi genus et familia.

Ex quibus patet *primo*, Jobum familia genereque gentilem fuisse, non judæum ; adeoque non ex Hus filio Nachor fratris Abraham prognatum, ut Hebræi volunt, quos S. Hieronymus in *Quæst. in Gen.*, Rupertus et Rabanus *in Gen.* cap. XXXVI, et Philippus Presbyter et Lyranus *in Job.* cap. I sequuntur, sed ex Abrahamo et Esau, uti cum plerisque græcis Origenes, et e latinis S. Gregorius, Sedulius, Gregorius Turonensis, Volaterranus, Abulensis, Albertus Magnus, aliique docent, quos citat Pineda noster cap. I, vers. 1, num. 32, secundum quos Jobi genealogia est istiusmodi : Abraham genuit Isaac : Isaac genuit Esau : Esau genuit Raguel : Raguel genuit Zare : Zare genuit Jobab, sive Job, uti patet ex *Gen.* XXXVI, ubi generationes Esau recensentur.

Liber Jobi veram historiam, et non parabolam continet.

Patet *secundo*, hanc non esse fabulam quamdam aut parabolam ad patientiæ tolerantiæque exemplar confictam, adinstar personati alicujus Cyri Xenophontis, ut nonnulli volunt Hebræorum, quos deinde secuti sunt hæretici anabaptistæ et lutherani ; sed veram esse historiam, utpote in qua Job et amici ejus propriis suis nominibus appellantur ; quod in parabolis nunquam servari solitum docent Irenæus lib. II, cap. VI, et Tertullianus lib. IV *Adv. Marc.*, aliique. Quin et regionum quoque, quas incoluerunt, et etiamnum hac ætate nostra visuntur, nomina exprimuntur ; nec non liberorum numerus, nativitas, locus habitationis, ac mortis genus diserte recensetur ; quique milites substantiam viri justi depræ-dati sint : quod in fictis et commentitiis historiis fieri non solet. Adde, quod his omnibus majus momentum obtinet, alia quoque oracula divina Jobi nominatim meminisse, et iis accensere qui certo exstiterunt, et de quorum vita nunquam ulla fuit dubitatio. Sic enim ait Dominus *Ezech.* XIV, 13 : « Terra cum peccaverit mihi, ut prævaricetur prævaricans, extendam manum meam super eam, et conteram virgam panis ejus ; et immittam in eam famem, et interficiam de ea hominem, et jumentum. Et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, et Job ; ipsi justitia sua liberabunt animas suas, etc. » Atqui nemo christianorum judæorumve dubitavit unquam, quin Noe Danielque exstiterint ; ergo neque Jobi historia in dubium revocari a quoquam jure potest. Alibi etiam cum Tobia comparatur, et in exemplum tolerantiæ proponitur his verbis *Tob.* II, 12 : « Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut et sancti Job. » Quare sicut nec Judæi, nec Chaldæi, nec Græci, nec Latini, de historica Tobiæ veritate unquam dubitarunt ; sic nec de Jobi libro ulla superest ambigendi ratio. Adde, quod et in Novo quoque Testamento expressa Jobi fiat mentio, et cum ipsomet Christo Domino conferatur ; et quidem ab eo qui frater Domini nuncupatur *Jac.* V, 11 : « Ecce, inquit, beatificamus eos qui sustinuerunt : sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, etc. » Denique Spiritus ipse Sanctus, cujus instinctu et assistentia liber hic conscriptus est, statim sub initium Jobi nomen et patriam expressit dicens : « Vir erat in terra Hus nomine Job, » etc. Hisce omnibus probe diligenterque expensis, neminem fore arbitror tam injustum rerum æstimatorem, qui canonicam libri hujus auctoritatem et historicam ejus veritatem in quæstionem amplius adducere aut in dubium revocare audeat ; quandoquidem et prophetæ, et apostoli ejusdem testimoniis sacra sua dogmata comprobent stabiliantque, nec non in publicis etiam conventibus atque officiis ab Ecclesia universa hic liber Jobi recitetur, legatur, exponatur, et a conciliis œcumenicis inter sacros Scripturæ libros annumeretur.

Jobi liber est canonicæ auctoritatis.

Jobus rex et sacerdos.

Patet *tertio*, Jobum inter Idumæos regem seu principem fuisse, uti Septuaginta loco supra citato ex Genesi probant ; et ipse de se innuit cap. XXIX, 7, ubi inter alia : « Quando, inquit, procedebam ad portam civitatis, et in platea parabant cathedram mihi, videbant me juvenes, et abscondebantur ; et senes assurgentes stabant : principes cessabant loqui, et

http://www.obrascatolicas.com

digitum superponebant ori suo. » Hæc certe in vulgarem hominem minime quadrant. Et paulo post subdit : « Si voluissem ire ad eos, sedebam primus : cumque sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator. » Ubi Olympiodorus in *Caten.* notat illud *quasi* non propter similitudinem adhiberi, ut vult Cajetanus, sed ut revera eum potestate regia viguisse intelligamus. Imo regem maximum seu regem regum fuisse colligitur ex cap. I, 3, ubi dicitur : « Eratque vir ille magnus inter omnes orientales. » Pluribus hæc probat Pineda noster, ostendens regiam Jobi dignitatem non minus legibus fuisse quam armis munitam, atque omnibus virtutibus vere regiis ornatam. Sacerdotalem præterea dignitatem cum regia conjunxisse, ita ut ejus regale foret sacerdotium, ex ipso sacrificandi munere, quo cap. I, functus scribitur, manifeste comprobatur : nam ante certamina sua octavo quoque die pro filiis Deo sacrificium offerebat ; et, ut D. Gregorius lib. IV *Moral.* cap. IV annotavit, tunc simul mysterium resurrectionis recolebat. Post plagam vero et luculentam ejus de hostibus victoriam, Dei jussu etiam pro amicis obtulit sacrificia, ut in fine libri cap. XLII narratur. Ut bonus igitur sacerdos pro delictis primum suis (nam delicta filiorum sua reputabat) hostias offerebat ; deinde insuper amicorum delicta sacrificiis expiavit, eisque Deum reddidit propitium ac placatum, qui se Jobi faciem spoponderat suscepturum.

Patriarcha et prophetæ.

Patriarcham insuper fuisse cognosces, si ejus et vivendi institutum consideraveris : siquidem ex stirpe Abrahæ, ex qua cæteri fere omnes patriarchæ posteriores, originem traxit, eamque admodum propinquam, utpote ex filiis Esau, fratris Jacob, duodecim patriarcharum parentis ; ut non immerito quasi patriarcha populi Deum extra Israelitas colentis censeri possit, præsertim cum cæteris fere excellentius patriarchis Christi Domini typum exprimeret. Prophetam eum agnoscit prædicatque Gregorius lib. XVII *Moral.* cap. I, ubi de Jobo loquens : « Sanctus, inquit, per vulnera et verba sic loquatur sua, ut etiam nostra significet, et plerumque per prophetiæ spiritum ventura narret, præsentia transcendat. » Sanctus item Augustinus serm. 2 *De Nat.* non *prophetam* solum, sed *eximium prophetarum* appellat dicens : « Similiter et Job prædicat eximius prophetarum : *Et in carne mea videbo Deum :* quod de illo tempore prophetavit, quando Christi deitas habitu nostræ carnis induta est. » Sed ut nemo illum *prophetam* appellaret, illud tamen oraculum, quod de resurrectione corporum admirabili claritate profudit, abunde satis est, ut summis etiam prophetis jure merito aggregetur. Unde D. Hieronymus ad Pammachium scribens adversus errores Joannis Hierosolymitani, post contextum illum Jobi recitatum : « Quid hac, inquit, prophetia manifestius ? Nullus tam aperte post Christum, quam ipse ante Christum, de resurrectione loquitur. »

Martyr, confessor et virgo.

Inter martyres quoque illum censeri cupit Chrysostomus hom. 5 *ad popul.* : « Nam etsi, inquit, ante tribunal non fuit constitutus, nec judicis vocem audivit, non vidit carnificem ; attamen multis martyribus graviora passus est, » etc. Eadem fusius prosequitur hom. 1 *in* II *Corinth.* Tametsi ergo beati martyres plurima tormenta mirabili constantia pertulerunt, cujusmodi referuntur de camino Azariæ, Ananiæ et Misaelis, de lacu leonum Danielis, lapidatione Jeremiæ, Zachariæ et Stephani, sectione Isaiæ, de cruce Petri, Andreæ et Philippi, de excoriatione Bartholomæi, dolio ferventis olei Joannis, submersione Clementis, leonibus Ignatii, incendio Polycarpi, craticula Laurentii, etc. attamen longe acriora et diuturniora perpessus est Job, quando et corpore et animo, idque ab hoste visibili atque invisibili, imo et ab ipsomet Omnipotente excruciatus fuit : ait enim cap. XIX,

vers. 22 : « Quare persequimini me sicut Deus ? » item : « Manus Domini tetigit me ; » et alibi cap. XIII, vers. 21 : « Manum tuam longe fac a me, » etc. id que nullis externis consolationibus hominum vel angelorum, quæ frequenter beatis martyribus concessæ fuerunt, subnixus. O quam durum longumque martyrium ! quam infractum animi robur ! quanta opus fuit patientia ! Sed nec vitæ sanctimonia et castitate sanctis confessoribus sacrisque virginibus ulla ex parte cedit : nam de seipso ait cap. XXXI, 1 : « Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine, » quibus verbis declarat se continentiæ studiosissimum, carnis delicias nunquam sectatum fuisse ; sed corde, ore, oculis, desideriis, totoque corpore et animo castissimum exstitisse. Id ipsum rursus declarat his verbis *ibid.* vers. 9 : « Si deceptum est cor meum super muliere, etc. ; » rara profecto vitæ puritas castitasque non dico in nobilibus, aulicis, principibus, sed etiam in sacris hominibus vix tanta perfectione reperienda. Ante legem præcepta legis servabat *Deut.* v, 21 : « Non concupisces uxorem proximi tui ; » et antequam mundo innotesceret evangelium, hoc evangelium tenebat *Matth.* v, 28 : « Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo. »

Jobi pietas et charitas in pauperes.

Quanta vero pietate, benevolentia et charitate pauperum omne genus complecteretur, hæc ejus verba satis manifestant cap. XXXI, 16 : « Si negavi, inquit, quod volebant pauperibus, et oculos viduæ exspectare feci ; si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea ; si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, » etc. Et, ut paucis concludam, tantus fuit Job coram Deo, ut is etiam de illius pietate, innocentia atque justitia glorietur in conspectu angelorum suorum ad Satanam dicens cap. I, vers. 8 : « Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit similis illi in terra ? » etc. Nec erubescit S. Chrysostomus hom. 1 *De Pat. Job.*, eum angelis parem prædicare, et ab iisdem certaminum suorum spectatoribus plurima bravia consecutum esse. Angelorum certe partem valde magnam princeps dæmonum facile seduxit, ac secum in perditionem attraxit sempiternam ; Jobum tamen nulla vi nullaque fallacia ut Deum blasphemaret inducere unquam potuit.

Job Christi typus etiam quoad nos.

Nihil ergo mirum, si Jobus tot tantarumque virtutum ac dignitatum titulis illustris, Jesu Christi regum regis, patriarchæ Novi Testamenti, prophetæ potentis opere ac sermone, martyrum coryphæi, confessorum speculi, virginum sponsi, pauperum patris, viduarum consolatoris ac pupillorum protectoris typum gesserit ; et rex in media gentilitate illum regem præfiguraret, cui dictum est *Psalm.* II, 8 : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. » Sed ad dignitatis atque virtutis similitudinem accessit et nominis, non quidem ut nomen nomini Redemptoris ac Salvatoris, sed muneri responderet, uti pulchre S. Gregorius lib. VI *Moral.* cap. I, ostendit dicens : « Cunctis vera scientibus liquet, quod Redemptorem mundi totis suis allegationibus curat sancta Scriptura promittere ; eumque per electos omnes, ut per ejus scilicet membra, studuit designare ; unde et idem B. Job latino eloquio *dolens* dicitur, ut per ejus et nomen et vulnera Redemptoris nostri passio designetur, de qua propheta ait *Isai.* LIII, 4 : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* » Eam similitudinem ac parallelismum Pineda noster fusius et Tirinus succinctius suis in Jobum commentariis, nec non Salianus in annalibus Veteris Testamenti ad ann. mundi 2544, adeo eleganter expresserunt, ut nihil iis habeam magnopere quod addam. Restat tantum, ut de libri hujus stylo et argumento pauca dicamus.

http://www.obrascatolicas.com

Libri Job stylus, argumentum et causa.

Quod ad stylum hujus libri attinet, is semper ab omnibus habitus est et difficilis et perobscurus, tum quod poetica phrasi utatur, verbis et locutionibus ab usitato loquendi modo discrepantibus, ac syriacas arabicasque voces quamplurimas hebræis intermisceat; tum quod dialecticis scateat acuminibus ac tricis, quibus amici Jobum circumvenire et convincere nituntur, captiosis non raro argutiis ac sophismatibus utentes, quæ ab ipsa veritate et solida eruditione deflectant. Adde, quod ne quidem omnia, quæ ab ipsomet Jobo adferuntur, ad exactam theosophiæ stateram examinata probentur, qualia sunt illa, quæ ipsemet Deus sub finem disputationis in eo reprehendit, ipseque agnovit, et humiliter confessus emendavit. Argumentum porro ipsum disputationis per se altum est ac sublime, utpote in quo de divina disseritur providentia, qua res humanæ administrantur; quæque apud mortales dum dubia habetur, et desideratur, aut abesse creditur, elucet nonnunquam; et postquam injurias miseris illatas humanasque querimonias dissimulasse aut non curasse visa esset, præclara interdum præsentiæ curæque suæ præbet documenta. Disputatur autem potissimum, an Deus viros justos, ac sanctitate sapientiaque conspicuos, absque ulla interdum culpa eorum affligat; et utrum, si id fieret, cum divina foret æquitate conjunctum. Partem affirmantem tuetur Jobus, quam amici plurimis oppugnant argumentis, omnino falsa imbuti opinione, qua putabant solos peccatores in hac vita malis divexari, et calamitatibus affici; non item viros probos, qui nihil istiusmodi molestiarum meruissent. Hanc controversiam multis in utramque partem rationibus ventilatam tandem diremit ipse Deus, et Jobo causam adjudicavit; unde verba tam Dei quam Jobi, quæ Deus capite ultimo approbavit, infallibilem canonicæ Scripturæ continent veritatem; non item verba amicorum ejus, uti cap. IV aperte declaratur; et S. Augustinus, Gregorius, Chrysostomus et Polycarpus in *Caten.* diserte docent. Ratio autem moralis, seu causa finalis libri hujus conscribendi, secundum litteram fuisse videtur, ut omnibus, præsertim Hebræis, durissima sub id tempus Ægyptiorum servitute attritis, vivum in Jobo exemplum tolerantiæ præberetur, nec non pœnarum ac patientiæ victricis, naturæ et gratiæ, dæmonis ac Dei, vel potius Satanæ ac viri justi divina gratia corroborati duellum describeretur; uti pulchre Prosper lib. I *De Prom. ac Prædict. Dei* cap. XXII, et græci Patres in *Caten.* cap. IX, et Prudentius in *Psychom.* ostendunt. Causa porro allegorica libri hujus est, ut Christi, anagogica vero, ut cujuslibet viri justi patientis ac resurrecturi gloria designaretur.

COMMENTARIUM
IN LIBRUM JOB.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Job sanctus et dives pro filiis vicissim convivia celebrantibus Domino sacrificat. Petenti Satanæ Dominus Jobi possessiones diripiendas tradit. Perdita itaque omni substantia interemptisque filiis, patiens Job in laudes Dei prorumpit.

1. Vir erat in terra Hus, nomine Job, et erat vir ille simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo: 2. natique sunt ei septem filii, et tres filiæ. 3. Et fuit possessio ejus, septem millia ovium, et tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, et quingentæ asinæ, ac familia multa nimis: eratque vir ille magnus inter omnes Orientales. 4. Et ibant filii ejus, et faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas ut comederent et biberent cum eis. 5. Cumque in in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Job, et sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim: Ne forte peccaverint filii mei, et benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Job cunctis diebus. 6. Quadam autem die, cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan. 7. Cui dixit Dominus: Unde venis? Qui respondens, ait: Circuivi terram, et perambulavi eam. 8. Dixitque Dominus ad eum: Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo? 9. Cui respondens Satan, ait: Numquid Job frustra timet Deum? 10. Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus universamque substantiam per circuitum, operibus manuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit in terra? 11. Sed extende paululum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. 12. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce universa quæ habet in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est Satan a facie Domini. 13. Cum autem quadam die filii et filiæ ejus comederent et biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, 14. nuntius venit ad Job, qui diceret: Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos, 15. et irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, et pueros percusserunt gladio, et evasi ego solus ut nuntiarem tibi. 16. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, et dixit: Ignis Dei cecidit e cœlo, et tactas oves pueros que consumpsit, et effugi ego solus ut nuntiarem tibi. 17. Sed et illo adhuc loquente, venit alius, et dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, et invaserunt camelos, et tulerunt eos, necnon et pueros percusserunt gladio, et ego fugi solus ut nuntiarem tibi. 18. Adhuc loquebatur ille, et ecce alius intravit, et dixit: Filiis tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, 19. repente ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, et mortui sunt, et effugi ego solus ut nuntiarem tibi. 20. Tunc surrexit Job, et scidit vestimenta

http://www.obrascatolicas.com

sua, et tonso capite corruens in terram adoravit; 21. et dixit: Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. 22. In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.

Vers. 1. Interpretum placita de vi et mysterio istius nominis *Vir*. Primo.

1. VIR ERAT. — Interpretes hic magnam vim ponunt et mysterium in nomine isto «vir.» Ac *primo* quidem Græci, quod Septuaginta non ἀνὴρ, sed ἄνθρωπος legant, substantiam seu naturam proprie denotari volunt, ac si diceret: Homo erat, et non angelus, quemadmodum Origenes annotavit, et eleganter exponit S. Chrysostomus in *Catena*, quam Comitolus noster interpretatus est, ubi rationem reddens, cur ita scriptor sacer exorsus sit: « Vitam, inquit, virtute illustrem explicaturus erat nostra vivendi ratione longe superiorem. Ne quis igitur, certaminum ac patientiæ spectata magnitudine incredibili, peregrina quadam et non humana eum natura præditum arbitraretur, naturam primo ponit in conspectu, ut ejus institutum mirere, quod homo cum esset unus e multis, virtute tamen multis antecelleret; communem naturam indicavit, ut quod propositi peculiare erat ostenderet; quoniam ejusdem cum cæteris naturæ particeps, supra naturam etiam ea quæ homine majora sunt gessit. » Juxta Græcorum itaque expositionem, vox ἄνθρωπος, id est *homo*, denotat hoc loco humanæ naturæ imbecillitatem: quo sensu etiam infra, cap. VII, dicitur: « Quid est homo, quia magnificas eum? » Cui non absimile est istud Psalmistæ: « Quid est homo, quod memor es ejus? » quasi miretur pius vates, quod cum nihil sit in homine, quod divini amoris vim excitare possit, ejus tamen continuo Deus meminerit. Frequens nimirum sacris scriptoribus et valde usitatus est istiuscemodi loquendi modus, ut dum difficile quidpiam et arduum, quod humanas vires superet, explicare satagunt, personam prius, a qua id perpetratum fuit, extenuent, quemadmodum pluribus Scripturæ locis et exemplis a Pineda nostro in hanc rem allatis confirmatur.

Secundo.

Secundo, et contrario fere modo, plerique post Hieronymum et Bedam Latini per nomen «vir» non substantiam aut naturam, sed qualitatem ac virtutem animi volunt denotari; ut Job significetur minime infirmus fuisse homuncio, sed vir vere fortis ac generosus, qui tam animose cum dæmone ipso certaverit, tam fortiter illi restiterit, vires ejus fregerit, et tartareum illum hostem generosissime profligaverit, ac gloriose tandem de eodem triumpharit. Atque hæc acceptio est Hebræo textui conformior, ubi non est vox אדם *Adam* (qua ad naturam hominis corpoream), neque vox אנוש *Enos* (qua ad substantiam ejus spiritalem sive animam designandam, uti solent Hebræi), sed nomen איש *isch*, quod virile robur proprie connotat. Unde Eusebius, lib. XI *De Præparatione evangelica*, cap. VI, de recta nominum apud Hebræos impositione agens, observat nomen איש *isch*, ab אש *esch*, quod ignem significat, derivari; eo quod vir igneæ, id est activæ, efficacis ac validæ naturæ sit præ femina. Quo sensu fere Herodotus in *Polyhymnia* dixit, « Homines quidem esse multos, sed viros perpaucos ».

Tertio.

Tertio, Pineda noster hoc loco nomen illud «vir» censet esse titulum honoris ac dignitatis, ita ut «vir» hic idem sit quod princeps aut rex. Hoc sensu Jacob filiis suis in Ægyptum reversuris: «Deferte, inquit *Gen.* XLIII, 11, viro munera,» principem significans Josephum, totius Ægypti præfectum. Plurimis Scripturæ locis eodem modo hæc vox accipitur, ut *Numer.* cap. XXVII, 18 et *Actor.* cap. XVII, vers 31.

Cur Job *Vir* dicitur?

Cæterum, cum S. Job toto hoc libro nobis tanquam absolutissimum solidæ virtutis, raræ sapientiæ fortissimæque constantiæ spectaculum proponatur, magis mihi placet media illa sententia, quæ nomen « vir » de virili robore exponit, ut sic a feminis per fortitudinem, a pueris per sapientiam, et a brutis per rationem distinguatur.

Primo.

Primo enim masculam fortitudinem, ut habeant necesse est, qui viri nomine gloriantur. Quapropter Jobus, cum fuerit inter plagas adamantinus, jure merito vir dicitur, ut ab uxore in blasphemias molliter resoluta distinguatur. Licet enim, ut Chrysostomus ait hom. 23 *in Genesim*, similes essent in natura, dissimiles tamen erant in virtute. In eadem hac significatione nomen hoc inferius accipitur, ubi Deus ad Jobum loquens cap. XXXVIII, 3, ait: « Accinge sicut vir lumbos tuos. » Ad quem locum D. Gregorius lib. XXVIII *Moral.* cap. IV: « Scriptura, inquit, sacra viros vocare consuevit, qui vias Domini fortibus, et non dissolutis, gressibus sequuntur. » Unde et Sapientia in *Proverb.* dicit cap. VIII, 4: « O viri, ad vos clamito; » ac si aperte diceret: Ego non feminis, sed viris loquor, quia qui fluxa mente sunt, mea verba percipere nequaquam possunt. Hac, ut opinor, de causa in Deuteronomio divina lege cautum erat, ne vir et mulier commutatis inter se vestibus uterentur, ne videlicet viri effeminarentur: « Non induetur, inquit, cap. XXII, 5, mulier veste virili, nec vir veste feminea. » Quorsum enim ea prohibitio aliter spectet, nisi, ut recte D. Ambrosius, epist. 1 *ad Irenæum*, exponit, « non tam de vestibus quam de moribus id dixerit. » Debet igitur, quisquis viri nomen gerit, virilem quoque animum gestare, nec in feminam turpi ac molli conversatione degenerare.

Secunda.

Dicitur *secundo* « vir, » ut a puerili stultitia procul abesse significetur. Puer enim est, quantavis ætate provectus, qui puerili stultitia vivit:

quemadmodum vir dicendus est, quamvis infantiliter balbutiat, qui virili prudentia vitam suam moderatur. Unde D. Ambrosius, ad illa verba *Lucæ* I, 15: *Erit magnus coram Domino*: « Est, inquit, parvitas animæ, et pueritia virtutis, qua scilicet tenentur illi qui apud *Isaiam*, LXV, 20, infantes dierum et pueri centum annorum appellantur.» Et paulo post: «Animæ, inquit, numerantur ætates non pro ratione temporis, sed pro qualitate virtutis, ut vir perfectus ille dicatur, qui careat errore pueritiæ, et lubricum adolescentiæ animæ maturitate non sentiat. »

Tertio.

Tertio dicitur « vir, » ut a belluis rationis expertibus per rationem distinguatur; quæ videri non debet exigua commendatio. Nam qui sine rationis freno in sua desideria præcipites feruntur, indigni plane sunt, qui viri nomine appellentur; unde in Scripturis belluarum nomina istiusmodi hominibus accommodantur, quos viperas appellat Baptista, equos Jeremias, vulpeculas Salomon, jumenta David, lupos Christus, et sic de cæteris. Quæ loca D. Ambrosius, serm. 10 *in Psalm.* CXVIII, prudenter expendens: « Scriptura, inquit, eum hominem dicit, qui est ad imaginem et similitudinem Dei; peccantem autem, non hominem, sed serpentem, aut equum hinnientem feminis, aut vulpeculam, aut jumentum vocare consuevit.» Et statim subdit: « Vide ne quod Deus tribuit amittas; postquam enim peccasti, aliud esse cœpisti, et illud quod eras desiisti; condemnaris autem in eo quod ipse mutatus es, ut fieres ex homine serpens, mulus, equus, vulpecula; his enim nominibus jam nos Scriptura damnavit, quia exuti cœlestis imaginis ornamento, etiam nomen hominis amittimus, qui gratiam hominis non tenemus. » Unde patet peccatores naturam humanam quodammodo abjecisse, et ab hominibus in jumenta degenerasse, ac solum justum viri nomen commereri. Nam, ut bene Philo Judæus, lib. *De Legibus non scriptis*: « Hominem, inquit, Scriptura non vulgari loquendi forma, sed per excellentiam vocat eum qui vere suo respondet nomini, ejectis ex animo immansuetis, rabidis ferinisque vitiorum affectibus; argumento est, quod post hominem (de Noe loquens) addit justus; quia nemo injustus est homo, sed potius bestia humana forma prædita. In solum autem justitiæ sectatorem nomen hoc quadrat. » Job igitur cum ab omni muliebri mollitie alienissimus, et virili plane robore præditus, in adversis æque constans, atque in prosperis rebus moderatus, omnia de manu Domini acciperet, nec ullibi a recto virtutis tramite declinaret, jure optimo dignus erat, qui per excellentiam viri nomine insigniretur. Verum non satis fuit sacro historico in genere virum nominasse, nisi etiam ejus patriam indicasset dicens:

Qua regione oriundus?

IN TERRA HUS. — Septuaginta legunt, ἐν χώρᾳ τῇ Αὐσιτίδι, *in regione Ausitide*, seu *Hussitide*, quæ ab Hus, filio Aram, et nepote Sem, ut in Genesi habetur, cap. X, 22, nomen accepit, et sita est inter montem Hermon ac Traconitidem regionem. Unde nonnulli etiam Jobum vocant Idumæum, alii Arabem appellant, Idumææ scilicet vel Arabiæ terminos extendendo. Exprimitur autem ejus patria regio profana, qualis erat Esau, qui eam incolebat; « ut provinciam, inquit Chrysostomus hom. 2 *De Patientia Job*, ex qua tantus fructus floruit, vere mireris, qualisque rosa in spinarum medio germinaverit. » Quemadmodum sane miraculum esset, in terra sterili aridaque felices segetes provenire, ita plane mirandum, in vitiosa regione virum probum et justum educari. Plerumque enim a patria suos unusquisque mores haurit, adeo ut ipsa dici queat quasi altera natura, et miraculo simile sit, in mala patria bonum incolam reperiri. Hæc itaque prima Jobi commendatio miraculi loco non eximenda, quod nimirum ipse vir sanctissimus de terra sceleratissima et idololatriæ dedita nasceretur. Hoc ipsum argumentum D. Gregorius lib. I *Moral.* cap. I, verbis et exemplis illustrans: « Sanctus, inquit, vir ubi habitaverit dicitur, ut ejus meritum virtutis exprimatur, ut hoc ejus laudibus proficiat, quod bonus inter malos fuit. Neque enim valde laudabile est, bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim gravioris culpæ est inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconii, bonum etiam inter malos extitisse. » Et confirmat exemplo ejusdem Jobi de se dicentis, cap. XXX, 29: « Frater fui draconum et socius struthionum, » hoc est: Inter homines belluis crudeliores meam non exui humanitatem; item exemplo Lot, de quo D. Petrus ait, *Epist.* II, cap. VIII: « Aspectu et auditu justus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant. » « Nam iniquorum, inquit D. Gregorius, non delectando justus aures atque oculos, sed feriendo tangebat. » Ubi recte observat Sanctius noster, non sine causa Lot aspectu audituque justum pronuntiari; quia nimirum hi duo sensus ab improborum societate venenum hauriunt, et veluti pestem quamdam eorum quæ viderunt aut audierunt formas ad animum transmittunt. Admirabile profecto est, et humanam excedens conditionem, a visis auditisque non tangi; anguem continuo audire sibilantem, videre basiliscum, aut a basilisco videri, et nullum ab angue aut basilisco pati detrimentum; vel sic utraque hæc animi ostia obserare, ut cum ubique passim occurrant, non tamen animum coinquinent turpium imagines objectorum. Amplissima proinde laude atque admiratione dignissimus est B. Job, qui loco tam lubrico steterit, neque lapsus sit, ubi erat periculum ruinæ manifestum, nempe in consuetudine hominum improbissimorum; inter quos dici vix potest, quam multa peccandi pericula occurrant, uti eleganter describit D. Cyprianus lib. *De Singularitate clericorum*, dicens: « Mala conversatio corruptionem seminat, cupiditatem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, por-

Job patria exprimitur in singularem ejus virtutis commendationem. Quare?

http://www.obrascatolicas.com

rigit furiam, lasciviam pascit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas ædificat, perditione gaudet, interitum fovet, confusionem mercatur, thesaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, accusationes inflammat, et catervatim in fascem glomerans numerosas indagines captionum, per infinita dedecora simplices mortes invehit in perniciem perditorum.» Sic ille luculenter. Quis igitur in consortio hominum impiorum tam multos laqueos tendentium, tam multas insidias machinantium, liber et illæsus evadet? Quod si quispiam se nunquam implicari aut irretiri patiatur, magnam profecto laudem promeretur. Nam, ut recte S. Bernardus, *epist.* 24, ad Hugonem scribit: «Inter bonos bonum esse, salutem habet; inter malos vero et laudem: illud tantæ facilitatis est, quantæ et securitatis; hoc tantæ virtutis, quantæ et difficultatis. Quale nempe est illud: tangere picem, et non inquinari ex ea? in igne sine læsione versari? et in tenebris absque caligine esse?» ubi alludit sanctus doctor ad illa tria Scripturæ loca, scilicet: «Qui tangit picem inquinabitur ab ea,» *Eccli.* XLIII, 1; item ad illud: «In medio ignis non sum æstuatus,» *Eccli.* LI, 6; denique ad istud: «Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus; ubicumque autem habitabant filii Israel lux erat,» *Exod.* X, 22. Quasi scilicet non minoris difficultatis sit, in consortio peccatorum non peccare, quam in pice non infici, in igne non comburi, in tenebris non caligare. Et in eamdem rem ponderat ibidem Bernardus hoc prodigium sanctitatis in tenebris collucentis et in Christo Domino et in Davide extitisse: Nam de Christo Domino dicitur *Joan.* I, 5: «Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt;» quia nimirum inter tam multa hominum peccata extitit ἀναμάρτητος, hoc est, *absque peccato*. David autem de semetipso canit: «Habitavi cum habitantibus Cedar,» *Psalm.* CXIX, 5, hoc est, cum habitantibus tenebras; ubi non dicit se habitasse tenebras, sed cum habitantibus tenebras, ac si aliis vitiorum tenebris occæcatis, ipsi soli divinæ lucis radius affulsisset.

Eamdem prorsus ob causam cæteri quoque Patriarchæ tantam apud Deum gratiam invenerunt, tantamque benevolentiam sibi conciliarunt, quod nimirum etiam ipsi inter improbos probe vixissent, et inter peccatores a peccato abstinuissent. Id quod D. Chrysostomus in *Psal.* XI, eleganter expendens: «Ideo, inquit, sunt vel maxime beati judicandi veteres, non quod recte se gesserint, sed quod tunc, cum magna esset virtutis sterilitas, et nusquam apparerent qui se recte gererent.» Et rem ipsam exemplis illustrans addit: «Hoc significans Scriptura dicebat, *Genes.* VI, 9: «Noe justus in generatione sua.» Quasi non tam ipsa per se justitia quam justitia in generatione sua, hoc est, inter improbos homines, præcipue commendetur, quemadmodum ibidem Chrysostomus luculentius id exponens subjungit: «Propterea admiramur Abraham, propterea Lot, propterea Moysen, quod veluti in profunda nocte stellæ apparebant, et tanquam rosæ inter spinas, et oves inter lupos innumerabiles.» Ecquid igitur mirum, si tam grati Deo acciderent, qui tantas pro eo difficultatum moles superarent, et se potius ab uno Deo ad pietatem duci, quam ab innumeris peccatoribus ad impietatem trahi paterentur.

Hic obiter notandum, non tantum inter Judæos, sed etiam inter gentes, jam inde ab initio Deum fideles et electos suos amicos habuisse, qui cum in medio gentis pravæ atque perversæ habitarent, summa tamen vitæ innocentia et in Deum pietate excellebant. Tales præter Jobum olim fuerunt Abimelech et Melchisedech, necnon Jethro in Madian, et alii in Mesopotamia, filii Ammon, et Moab ex Lot, Æthiopes ex Cetura, aliique, quorum nomina sunt in libro vitæ. Postquam ergo scriptor sacer viri patriam indicavit, proprium quoque nomen ejus expressit.

Quatuor nominis Job interpretationes morales. Prima.

NOMINE JOB. — Quatuor omnino apud Interpretes invenio hujus nominis interpretationes: ac *prima* quidem etymologiæ conformior et magis propria videtur, quam tradunt S. Gregorius, Philippus Presbyter, Chrysostomus, et S. Hieronymus, lib. *De Nominibus Hebraicis*, qui «gementem, dolentem, ululantem» interpretantur, a radice יבב *iabab*, quod verbum semel duntaxat in Scriptura reperitur, scilicet *Judic.* quinto capite, ubi legitur cap. V, 28: «Per fenestram aspiciens ululabat mater ejus,» vel, ut S. Hieronymus vertit, «ejulabat.» Notant autem Hebraicæ linguæ professores, verbum illud proprie bellicum clamorem denotare; quod etiam in Jobi cum infernali hoste certamina optime quadrat. Aliam hujus nominis Secunda. etymologiam tradit Origenes hom. 14 in cap. XI *Josue*, derivando illud a radice איב *aiab*, quod «inimicari,» seu «odio haberi,» significat; ita ut «Job» in passiva significatione item sit quod «inimicatus,» sive «patiens inimicitias,» utpote qui dæmonis et amicorum insuper suorum inimicitias sane permolestas sustinuerit. Quod si primam etymologiam sequi volueris, איוב *Job* idem nomen erit cum יובב *Jobab*, ascito tantum א, quod Hebræi, et præsertim Syri atque Arabes, teste Postelio in Arabica Grammatica, sæpissime præfigunt. Sin secundam secutus fueris, tunc diversum erit nomen, et Job fuerit binomius. *Tertia* Tertia. hujus nominis interpretatio est Didymi in Catena, cui Job idem est quod patiens; id quod cum virtute tolerantiæ, quæ in hoc sancto viro præcipue eluxit, magis quam cum nominis ipsius etymologia congruit. Neque vero ad hoc comprobandum magnopere mihi laborandum censeo, cum hoc præ cæteris fere sanctis sit Jobi peculiare encomium, ut patientissimus appelletur, adeo ut ἀντονομαστικῶς per Jobum patiens intelligatur, Jobique patientia jampridem in proverbium abierit; ita ut virtus illa in ipso adeo excelluerit, ut

licet aliis etiam quam plurimis virtutum splendoribus effulgeret, ab hac tamen potissimum nomen acceperit. *Quarta* denique hujus nominis Quarta. interpretatio est D. Cypriani adversus Judæos, ubi illud interpretatur, ac si idem sit quod «charissimus Deo,» quod quidem ex ipsa nominis sive Hebræi, sive Syriaci Arabicive etymologia erui posse non immerito perquam difficile censet Pineda; hancce tamen interpretationem ipsi jure optimo congruere nemo prudens inficiabitur, quandoquidem ipsemet Deus de ipso aperte testetur, *Job* I, 8, «quod non sit ei similis in terra, homo simplex et rectus:» ita ut in Jobo, tanquam filio suo charissimo, præ cæteris dilecto, sibi maxime Deus complacuerit, quemadmodum illa verba in talibus circumstantiis prolata manifeste declarant.

Ejusdem nominis interpretationes mysticæ. Prima.

Ex quibus liquido patet quam apte omnes quatuor jam allatæ nominis Jobi interpretationes in personam ejus quadrent; modo superest ut mysteria quæ iisdem insinuantur, cum non minus nominis significatione quam dolorum similitudine Christi typum gesserit, expendamus. Ac primam quidem interpretationem, eamque Hebraici nominis etymologiæ conformiorem, qua «Job dolens» significatur, Christo Domino tanquam vero Jobi archetypo imprimis congruere, nulli dubium esse potest, qui ipsum ab *Isaia*, LIII, 3, «virum dolorum, et scientem infirmitatem,» dici intellexerit, quoniam «vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; et putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum.» Tantorum deinde causam dolorum reddens ibidem propheta subdit: «Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra.» Quando nimirum ardentissimo salutis nostræ desiderio inflammatus, ut pro peccatis omnium cumulatissime Deo satisfaceret, innumeris sese opprobriis ac contumeliis, necnon acerbissimis gravissimisque tormentis sua sponte objecit, et in cruce tandem inter latrones summa cum ignominiæ nota pretiosum pro nobis sanguinem vitamque profudit, quemadmodum toto fere capite quinquagesimo tertio disertissime propheta descripsit, ut non immerito Christus per Jobum figuratus, ob tormentorum quæ sustinuit magnitudinem, æque ac Job, imo magis primario «gemens» ac «dolens» dici debeat.

Secunda. Eadem plane ratio est de reliquis quoque nominis «Job» significationibus, quæ æquali aut etiam potiori jure Christo quam Jobo congruunt. Quis enim tres capitales animæ nostræ hostes, diabolum dico, mundum et carnem, vel adeo sibi infestos atque inimicos habuit, vel tam perfecto illos odio prosecutus fuit ac Christus, qui bellum induciarum expers iis indixit, et fortissime illos superavit, ac de victis gloriosissime triumphavit? Quis item tam temerarius sit aut effrons, qui vel palmam patientiæ, vel divinæ prærogativam dilectionis a quoquam Christo præripi unquam posse existimet, cum et ipse «Deus patientiæ sit,» *Rom.* XV, 5, et Filius ille dilectus, in quo cœlestis sibi Pater complacuit, *Matth.* III, 17? Unde nullum superesse potest dubium, quin etiam duæ illæ postremæ, scilicet «patientis ac Deo charissimi,» nominis Job interpretationes præ Jobo excellentius ipsi Christo conveniant. Hæc de Jobi nomine ejusdemque interpretatione dicta sufficiant; nunc ipsum quod sequitur tanti viri elogium consideremus.

Variæ Patrum de simplicitate opiniones. Prima.

ET ERAT VIR ILLE SIMPLEX. — Prima viri justi simplicitatis est commendatio, de qua, prout virtus est, non satis inter sapientes et pios scriptores convenit. Hinc D. Thomas, II II, *Quæst.* III, art. 3, ad 3, subjicit illam virtuti veritatis, a qua vult ipsam sola ratione distingui, docetque simplicitatem nominari ex eo quod non tendat in diversa, neque aliud interius intendat quam prætendat exterius; neque fucum ullum verbis moribusve admisceat: hausit nimirum illud ex oraculis divinis, quæ simplicitatem non raro pro veritate accipiunt, ut in *Proverbiis*, ubi Septuaginta legunt cap. XXVIII, 6, Πορευόμενος ἐν ἀληθείᾳ, *vadens in veritate*, Vulgata reddit: «Ambulans in simplicitate,» et hoc ipso Jobi versiculo, ubi Interpres noster legit, «simplex,» Græci habent, ἀληθινός, *verax*, quasi omnino idem sint veritas et simplicitas.

Secunda. Non pauci quoque Patres Græci «simplicitatem» pro ἀμνησικακίᾳ, sive *injuriarum oblivione* accipiunt, eamque referunt ad æquabilem illum animi statum, qui nullis valeat turbulentis affectionibus commoveri, aut ad injuriarum ultionem concitari. Hoc modo Magnus Basilius in *Regulis brevioribus*, interrogatione 245, exponit dictum illud Servatoris *Matth.* X, 16: *Estote simplices sicut columbæ*. «Simplex sicut columba est, qui ne cogitat quidem de ulciscendo adversario, sed bene de illo mereri perseverat.» Eodem fere sensu S. Chrysostomus, homil. 24 *in Matth.*, eamdem Christi Domini sententiam explicat; et S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 19, patrem suum ab hac potissimum virtute laudans, et cum B. Stephano componens, describit simplicitatem, «mores doli expertes, atque injuriarum oblivionem.» Alii sim- Tertia. plicitatem definiunt esse vitæ perfectionem; quod confirmant ex Hebræo textu, in quo תם *tam*, hoc loco legitur; quæ vox «perfectum, innocentem, integrum, immaculatum» significat. Unde in sacris Litteris simplicitas non raro innocentia perfectioque nuncupatur. Sic David de se confitebatur: «Quoniam ego in innocentia mea ingressus sum,» *Psalm.* XXV, 1, ubi pro innocentia vertit Aquila ἐν ἁπλότητι, *in simplicitate*; quemadmodum etiam S. Hieronymus reddit: «Quia ego in simplicitate mea ambulavi.» Symmachus legit, ἐν ἀμωμότητι, *in puritate a maculis*; Cajetanus vero, «in perfectione mea.» Sic in *Gen.* XVII, 1, illud quod ad Abraham dicit Dominus: «Ambula co-

http://www.obrascatolicas.com

ram me, et esto perfectus,» in Hebræo est : «Et esto simplex;» ut intelligamus simplicitatem, eximiam quamdam esse vitæ rationem virtutibus omnibus absolutam, in conspectu Dei pretiosam, et animæ Deo placentis maximam perfectionem; quam etiam uno verbo innocentiam appellamus, cum abest ab animo scelus, a moribus macula, et veluti in cithara, sic in mente ac voluntate est virtutum omnium suavissima symphonia, quæ Deo, angelis et hominibus summam afferat voluptatem. Hoc Septuaginta clarius expresserunt, dum sententiam modo allatam sic vertunt : Εὐάρεστα ἐνώπιον ἐμοῦ, καὶ γένου ἄμεμπτος, *Place in conspectu meo, et esto inculpabilis;* sive : *Complace coram me, et esto sine querela;* significantes candidam illam simplicitatem et morum innocentiam Deo longe gratissimam accidere, atque in eadem sibi complacere; quam propterea Innocentius papa VIII (teste Onuphrio in Vita ejus) adeo adamavit, ut symboli loco Davidis illum versum *Psal.* XXV, 11, elegerit : «Ego autem in innocentia mea ingressus sum,» vel, ut vertit Telesphorus item papa : «In simplicitate mea gradiar.» In hac ergo significatione «vir simplex» idem est ac integer, quasi e diverso vir duplex seu versutus homo integer non sit, sed defectivus et dimidiatus. Quod ænigmati non absimile videri potest, quomodo videlicet homo simplex integer homo sit, et homo duplex aut multiplex integer non sit; ac si additio rei rem ipsam minuat, et ablatio substantiæ substantiam augeat; et a simplicitate sit homo integer et complete homo, et a multiplicitate sit mutilus et dimidiatus. Verum homo acutus et multiplex integer homo non est, quia non satis homo est, sed quid monstro simile, et poetica vel dialectica chimæra. Deficit enim a substantia hominis, et desciscit a rationali natura, qui vafritie et mendaci versutia se malitiose multiplicat, et ab incremento decrescit, a multiplicatione dimidiatur. Unde duplicitas et versutia est contumelia naturæ et dedecus humanitatis.

Unde ortæ tam variæ opiniones.

Hæ tam variæ Patrum ac doctorum de simplicitate opiniones ortæ videntur ex naturæ et ingenii columbæ consideratione, quam Christus in Evangelio velut ejusdem hieroglyphicum et exemplar proponit. Omnibus quippe notum est columbam avem esse mansuetam, simplicem, innoxiam, et, ut Græci Patres loquuntur, ἀπόνηρον, *expertem pravitatis.* De qua loquens Rupertus, lib. III in *Cantica* : «Simplicitas, inquit, columbarum septem habet insignia virtutum naturalium. Hæc namque avicula primum sine felle est, deinde nihil vivum comedit, pullos alienos nutrit, grana semper candidiora colligit,» etc. Quibus similia jam ante dixerat D. Cyprianus, lib. *De Unitate Ecclesiæ*, esse nimirum columbam «simplex animal et lætum, non felle amarum, non morsibus sævum, non unguium laceratione violentum,» etc. Hæc et similia cum apud se divini Patres expenderent, in mansuetudine nullam ultionem appetente, atque omni amarulentia carente, aut etiam in patientis animi æquabilitate omnis perturbationis experte, præcipuam simplicitatis laudem collocarunt. Hisce videtur favere nomen ipsum Hebræum יונה *ionah*, id est, «columba,» quod a יגה *ianah* derivatur, hoc est, «mœrore affecit, affixit, oppressit.» Columbam autem sic dictam volunt, quod cum accipitrum et aliarum avium rapacium violentis unguibus exponatur, ipsa tamen nullis a natura armis instructa sit ad inferendam aut propulsandam injuriam. Hinc Tertullianus, lib. *De Baptismo*, cap. VIII, columbam vocat «animal simplicitatis et innocentiæ,» censetque cum nonnullis scriptoribus, evangelicam simplicitatem tantopere a Christo commendatam ipsam esse innocentiam, quam item lib. *De Cultu feminarum*; Græco verbo usus, nominat ἀκακίαν. Pulchre autem Epiphanius, *Contra Colorbasios*, hæresi 35, tria notat ob quæ Ecclesia in Cantico «columba» nuncupetur; scilicet διὰ τὸ ἄκακον, τὸ ἥμερον καὶ καθαρόν, *ob innocentiam, mansuetudinem et puritatem*; quæ communi uno nomine «simplicitas» appellantur. Ac de innocentia quidem ac mansuetudine patet ex jam dictis; de puritate vero animi quoque clarum est, illam in Scriptura cordis simplicitatem nuncupari, ut cum monet Sapiens «in simplicitate cordis» quærere Deum, *Sap.* I, 1, quam S. Augustinus «munditiam» interpretatur, alii vero sinceritatem animi ab omni dolo ac fraude alieni; quam Deus καρδιογνώστης, id est affectuum ac cogitationum cordis cognitor, potissimum respicit ac requirit. Quare sapienter idem Salomon, I *Paral.* XXIX, 17. «Scio, inquit, Deus meus, quod probes corda, et simplicitatem diligas; unde et ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc;» ubi «simplicitas cordis» pro liberali animo ac prompto affectu commode accipi potest, sic ut voluntas plena sit, nullo avaritiæ studio restricta, neque ulla intentione sinistra in transversum acta. Et quidem ab Apostolo simplicitas eo sensu sumi videtur, cum ait *Rom.* XII, 8 : «Qui tribuit in simplicitate,» id est, animo liberali, et quantum ratio ac facultates ferunt; quo sensu item, II *Cor.* IX, 13, commendat «simplicitatem communicationis,» hoc est, largam bonorum erogationem ad pauperum et egenorum inopiam sublevandam, ibidemque, vers. 11, optat ut abundent «in omnem simplicitatem,» id est, habeant unde copiose aliorum necessitatibus valeant subvenire. Eodem prorsus sensu S. Jacobus in canonica sua Epistola Dei munificentiam et effusam liberalitatem extollere volens, «Qui dat, inquit cap. I, 5, omnibus affluenter,» ubi in Græco est ἁπλῶς, proprie *simpliciter*, quemadmodum vertit Vatablus; divino tamen judicio Interpres noster posuit «affluenter,» ut simplicitatis abundantiam indicaret. Ex quibus omnibus abunde liquet, quam non otiose vox illa «simplex» in ipso narrationis exordio sit proposita, cum per eam minime vulgaris, sed præcipua quædam animi virtus designetur, scilicet puritas, veritas, benignitas, liberalitas et innocentia, omnis falsitatis, simulationis et peccati expers atque impermixta, quæ virtutis hujus non vulgaris est laus, ob quam primo ipsam loco inter heroicas Jobi virtutes recenset Scriptura, qua sine reliquæ non possint consistere. Unde Salomon, *Prov.* XI, 3 : «Simplicitas, inquit, justorum diriget eos.» Nam si adsit fucus, tenebrosus erit qui justus videri vult, atque adeo in viis suis facile aberrabit. Rem hanc ipsemet Dominus noster, æterna lux et veritas, in Evangelio *Luc.* XI, 34, perpulchra oculi simplicis metaphora illustrat, qui quidem instar lucernæ cujusdam sit corporis totius : «Si enim, inquit, oculus tuus fuerit simplex,» id est, nullis pravis humoribus permixtus, «totum corpus tuum lucidum erit;» hoc est, illuminabitur sic ut omnia membra rite suo munere fungantur, et in operatione sua, non secus atque accensa in domo lucerna omnes qui ingrediuntur, ne alicubi impingant, dirigantur; «si autem nequam fuerit,» id est, vitiosis humoribus infectus, «etiam corpus tuum tenebrosum erit,» membris reliquis non aliter quam in cæco suas functiones obire valentibus. Significat nempe Dominus hac metaphora, mente (quæ oculus animæ est) sana, et veritate undequaque instructa, nihilque fuci admixti habente, externas quoque hominis operationes esse rectas; illa vero errore aut pravis affectionibus occæcata, operationes quoque pravas et obliquas existere. Atque hoc est quod Sapiens ait : «Simplicitas justorum diriget eos;» quæ cum Jobi quoque laus prima fuerit, rectitudinem exinde illi apte adjungit dicens :

Qua consensione rectitudo et simplicitas inter se conspirant.

ET RECTUS. — Rectitudo nimirum et simplicitas mira inter se consensione conspirant, ut propemodum unum et idem esse videantur, et in divinis paginis idem sit rectus qui simplex. Hinc apud Salomonem in *Eccli.* cap. VII, 30, ubi noster Interpres legit : «Fecit hominem rectum,» Chaldæus vertit, *innocentem*; Epiphanius, *hæresi* 77, reddit : ἐποίησε τὸν ἄνθρωπον ἁπλοῦν καὶ συνετὸν, *fecit hominem simplicem et prudentem.* Ad quem locum Thaumaturgus quoque Gregorius in Metaphrasi sua rectitudinem illam animi simplicitatem exponit. Hinc Christum item Dominum, qui simplicitatis et innocentiæ laude omnes longe superavit, ab Isaia «rectissimum» nuncupari existimo, cum ait cap. XLIV, 2 : «Noli timere, serve meus Jacob, et rectissime, quem eligi;» ubi pro rectissimo Septuaginta reddunt, ὁ ἠγαπημένος, in Hebræo fonte est ישרון *iescurun*; quod «rectum, dilectum, videntem et canentem» significat. Quæ omnia in simplicem ac rectum animum optime quadrant, utpote qui vitiorum et errorum nebulis detersis, in clarissima gratiæ ac veritatis luce versetur, ut jure merito «Israel, id est, «videns Deum, appellari possit. Quæ simplicis et mundi cordis est prærogativa singularis, ex qua cum liquidissimum ac juge gaudium in animum redundet, ad divinas quoque laudes jugiter decantandas excitatur. Sed ante omnia dilectus Deo est, et diligit Deum, quemadmodum in Cantico disertis verbis declaratur cap. I, 4 : «Recti diligunt te;» vel, ut in Hebræo est, «rectitudines diligunt te;» ut illam simplicem rectitudinem et rectam simplicitatem undique perfectam et amicam Deo intelligamus, in qua omnis virtutum essentia et rectitudo consistit, omni curvitate et iniquitate submota. Hæc igitur ut virtutem omnibus suis numeris absolutam et undequaque perfectam constituat, quinque potissimum in nobis rectificet necesse est, scilicet judicium, intentionem, affectum, locutionem et opus ipsum, ne quid in iis mancum aut distortum reperiatur.

Quotuplex rectitudo perfectam virtutem constituat?

Prima. Rectitudo judicii.

Ac *prima* quidem animi rectitudo, quæ «judicii veritas» nuncupatur, sita est in ejusdem cum eo quod verum est conformitate, absque ulla in id quod falsum aut erroneum vel temere præsumptum sit deviatione. Quo spectat illa Davidis monitio dicentis *Psalm.* LVII, 2 : «Recta judicate, filii hominum,» quod iterum Christus in novo Testamento inculcans, *Joan.* VII, 24 : «Justum, inquit, judicium judicate.»

Secunda. Rectitudo intentionis.

Secunda rectitudo est «intentionis,» quæ in finem ultimum, qui Deus est, aut saltem in proximum et proprium virtutis alicujus scopum recta dirigitur, neque alio usquam detorquetur. Nam «justum, inquit Sapiens, cap. X, 10, deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei;» ad quod scilicet viæ rectæ tendunt. Hanc Christus quoque nobis in Evangelio *Matth.* VI, 12, per simplicem oculum totum corpus illustrantem designavit; quem Patres passim pro recta intentione accipiunt; cujus tantam docent esse necessitatem, ut sine illa nullum esse opus bonum, et cum illa nullum esse malum possit.

Tertia. Rectitudo affectus.

Tertia rectitudo est «affectus,» quo solum verum bonum, quod honestum ac Deo gratum sit, desideratur; nec ad ullum bonum terrenum, humile aut caducum, quantumcumque etiam sensibus amabile appareat, vitiose incurvatur. Atque hæc est quam David cordis rectitudinem appellat, et ubique commendat, utpote quæ nos intimos Dei amicos et præsidio illius tutos efficiat, «qui salvos facit rectos corde,» *Psalm.* VII, 11. Quos S. Basilius, in hunc psalmun scribens, exponit esse illos qui animum retinent in neutram partem studio malitiæ aut errore vergentem, sed ad virtutis medium continenter directum.

Quarta. Rectitudo locutionis.

Quarta est rectitudo «locutionis,» quæ verborum veritas vocatur, et in eorumdem cum ipsa mente conformitate consistit; hæc omnem falsitatem, dolum malum, mendacium, cavillationem cæteraque linguæ vitia, tanquam præsentissimas humanæ societatis pestes, penitus eliminat et excludit, ut non immerito Apostolus illam perfectæ virtutis argumentum esse voluerit, dicens : «Si quis verbo non offendit, hic perfectus est vir,» *Jacob.* III, 2; unde etiam in fine capitis hu-

http://www.obrascatolicas.com

jus tanquam certum perfectionis testimonium, quo vitæ ipsius probitas comprobetur, de Jobo dicitur cap. I, 22 :

« In omnibus his non peccavit Job labiis suis. »

Quinta. Rectitudo operis.

Quinta denique est « operis » rectitudo, quæ nec ad dexteram nec ad sinistram declinat, neque in vitiorum extrema per excessum defectumve deflectit. Hæc est illa via sive semita, quæ in sacris Litteris recta nominatur, cum dicitur *Luc.* III, 4 : « Rectas facite semitas ejus. » Omnem porro hanc rectitudinem in se continet et confert spiritus ille, quem sibi David exoptabat dicens *Psalm.* L, 12 : « Spiritum rectum innova in visceribus meis, » et quem Deus primis parentibus in felicissimo illo innocentiæ statu benigne contulerat, de quo Ecclesiastes supra citatus, cap. VII, 30, ait, « quod fecerit Deus hominem rectum. »

Cum igitur Job simpliciter et absolute « rectus » nominetur, omnem omnino jam recensitam rectitudinem, et quidem in gradu perfecto, habuisse significatur. Omitto alias rectitudinis interpretationes, quas Pineda et Sanctius afferunt, qui hoc loco illam pro grata apud homines amabilitate et æquitate accipi posse putant : hic tantum moneo vocem illam δίκαιος, id est *justus*, quam Septuaginta pro *recto* vertunt, non de singulari illa virtute, qua unicuique quod suum est redditur, intelligendam esse, sed magis ample sumendam, pro virtute generali quæ justitiam universam et omnem simul honestatem complectitur. Quo sensu vox « justi » in Scripturis sæpenumero usurpatur, ut in illo Apostoli, *Rom.* I, 17 : « Justus autem ex fide vivit. » Sapiens quoque simili sensu ait, cap. III, 1 : « Justorum animæ in manu Dei sunt. » Et alibi, cap. V, 16 : « Justi autem in perpetuum vivent. » Similiter vox ἀληθινός, id est *verus* seu *veræ*, haudquaquam tam stricte sumenda est, ut ad eam quæ in solis dictis relucet veritatem significandam restringatur, sed amplissime sumenda, ut universam veritatem, scilicet justitiæ et vitæ complectatur. Eodem modo vox ἄμεμπτος, *irreprehensibilis, inculpatus, sine querela*; item ἄμωμος, id est, in quo ne momus quidem ipse carpere aliquid possit, quam latissime accipi debet, ut omnem prorsus culpam, vitium et defectum neget et excludat (quoad scilicet humana conditio permittit), omnimodam vero, quæ quidem cum divina gratia obtineri ac servari possit, connotet integritatem. Sed unde hæc tanta Jobo integritas? utique a timore Domini, qui est initium sapientiæ. Quapropter additur :

Quid timor Dei?

AC TIMENS DEUM. — Septuaginta vertunt θεοσεβὴς, *colens Deum*. Timor enim et horror, et similia (ut bene notat Sanctius noster) observantiam sæpe ac religionem significant, quam Deo rerum omnium conditori ac Domino, a quo et prospera sperantur, et adversa timentur, exhibemus. Indicat hoc ipsum « latriæ » vocabulum, quod soli Deo colendo a sanctis Patribus et eruditissimis theologis attributum est (et idcirco hic per « timorem » intelligi docet Pineda), quod sacri cujusdam horroris magnitudinem significat, ut ex Græci verbi etymologica ratione patet. Est enim τρεῖν, *tremere*, cui adjungitur λα particula, significationem augens; unde λατρεία nihil est aliud, nisi Dei cultus cum ingenti reverentis animi metu conjunctus. Hinc etiam « terror » apud Græcos Dei nomen invenit, quibus δεὸς idem est quod *timor*; unde natum Θεὸς, sive *Deus*, ut *epist.* 2 Clemens Romanus observavit. Huc spectat quoque scholiastæ Sixtinorum Bibliorum doctissimi hominis animadversio, qui ad versum nonum hujus capitis notat in Septuaginta, instinctu plane divino, θεοσέβειαν, id est *cultum Dei*, passim verti pro « timore; » quod nimirum sacer ille timor præstantissimus quidam Dei cultus censeatur. Ex eo enim quod præstantissimam et incomparabilem illam majestatem revereamur, oritur in animo timor ille sanctus, et admiratione ac demissione plenissimus; quo fit, ut neque oculos cum evangelico Publicano, *Luc.* XVIII, 13, in cœlum attollere, et vix affari Numen divinum audeamus, sed abjecti in terram prosternamur. Unde theologi Hebræorum « reverentiam » vocare solent יראה *iirah*, hoc est, « timorem. » Hinc quod Evangelista legit : « Deum tuum adorabis, » *Matth.* IV, 10, in *Deuteronomio*, VI, 13, juxta textum Hebraicum, legitur *timebis*, hoc est, revereberis. Ista nimirum timida reverentia probi ac religiosi animi nota est, Deum ut amabilissimum Dominum, et supra naturam omnem evectum venerantis atque adorantis, cujus præstantiam admirabilem vel ex eo licet colligere, quod perfectio legis illi tribuatur. Unde Ecclesiastes aureas suas monitiones brevi hac, sed gravissima sententia concludit cap. XII, 13, « Deum time; » cujus deinde rationem addit : « Hoc est enim omnis homo, » id est, in hoc uno tota hominis perfectio consistit. Quem locum S. Hieronymus exponens, ait intelligendum esse de timore omnibus virtutibus consummato; quem Salomon quidem « principium, » *Prov.* I, 7; vel, ut in Hebræo est, רשית *reschit*, hoc est, « caput; » filius vero Sirach *Eccli.* XII, 13, « coronam sapientiæ » nuncupavit, ad eximiam ejus dignitatem atque excellentiam declarandam. Hinc etiam Scriptura sacra, quando illustrium virorum laudes ac virtutes commemorat, sacrosanctum hunc Domini timorem postremo, et quasi coronidis loco imponere consuevit, quo tota virtutum fabrica splendidissime coronetur. Sic in Evangelio *Luc.* II, 25, senex ille Simeon morum non minus quam capillorum candore conspicuus, et in *Actis Apostolorum*, cap. X, vers. 2, Cornelius ille bellator Centurio, post amplissimas justitiæ ac religionis laudes, a timore Domini potissimum commendantur. Quin et Isaias Christi Domini ac Servatoris nostri prærogativas vaticinando enumerans, postquam futurum dixisset ut requiesceret super eum spiritus sapientiæ et intellectus, etc., ad extremum commutata oratione, tanquam aliquid majus grandiusque allaturus, cap. XI, vers. 3 : « Et replebit, inquit, eum spiritus timoris Domini; » ubi pro « replebit, » in Hebræo est הריחו *haricho*, quod « odorari, » aut « olere, » vel « respirare, » aut « spirare faciet, » interpretatur. Ut sit sensus : Odoriferum faciet illum spiritus timoris Domini, vel : Spiritus illum olere faciet timorem Domini, ita scilicet, ut longe lateque salutiferum timoris Domini odorem spargat, quo contra noxium peccati halitum præmuniamur, et suavissima virtutum omnium fragrantia perfundamur. Vel « respirare ejus erit in timore Domini; » aut, « eum spirare faciet timorem Domini; » ita nimirum ut tota Christi vita nihil aliud quam continua quædam timoris Domini spiratio ac respiratio esse significetur. Sic igitur etiam hoc loco cum ab animi simplicitate ac morum rectitudine, quæ virtutes omnino sunt clarissimæ atque divinæ, Jobum commendasset, illis deinde hanc veluti coronam adjicit, « ac timens Deum : » quasi a timore Domini splendorem omnem suum gratiamque hausisse insinuentur. Quantum porro Jobus in athleticis suis certaminibus a timore Domini robur et præsidium acceperit, toto deinceps libro luculenter declarabitur, e quo satis patebit ipsum spiritus timoris Domini haud leviter duntaxat tinctum aut affusum, sed penitus imbutum ac repletum fuisse; cujus odorem longe fragrantissimum ad salutem plurimum undique diffundit. Ne igitur timorem istum Domini adeo celebratum in Jobo sterilem et sine fructu extitisse opineris, illico subjungit :

Recedere a malo saluberrimus timoris Dei effectus.

ET RECEDENS A MALO. — Septuaginta vertunt : Ἀπεχόμενος ἀπὸ παντὸς πονηροῦ πράγματος, *abstinens ab omni pravo opere*. Qui primus est justitiæ gradus, et timoris Domini effectus longe saluberrimus, siquidem religiosus ille Dei metus omnium est remora vitiorum, aculeus vero ad virtutem, quæ præcipuæ sunt partes justitiæ christianæ. Quod autem a maleficio revocet est meo judicio notius quam ut ulla indigeat probatione; reprimit enim furiosum illum animi impetum, quo corruptæ naturæ vitio ad omne scelus et flagitium incitamur, suggeritque vires ad insultus inimici cacodæmonis fortiter retundendos, et insidiosas carnis illecebras, quibus plurimi male pereunt, prudenter evitandas. Unde regius Vates divino sane judicio timorem Domini vocat legislatorem, utpote nomothetam sapientissimum omnia vitia prohibentem : « Constitue, inquit *Psalm.* IX, 21, legislatorem super eos, » ubi S. Chrysostomus subtiliter animadvertit ab Aquila legi : Θὲς, Κύριε, φόβημα αὐτοῖς, *Pone, Domine, terrorem eis* : quomodo etiam vertit S. Hieronymus, nec multo aliter Theodotion : Κατάστησον, Κύριε, φοβὸν αὐτοῖς, et alio in loco idem aureus ille doctor, hom. 2 *ad Populum Antiochenum*, timorem eumdem appelat χαλινὸν, id est *frenum*, quo scilicet impotentes animi affectiones coercentur, et in gyrum rationis reduguntur. Quod sibi usui fuisse Job ipse fatetur, dicens cap. XXXI, 23 : « Semper quasi tumentes super me fluctus timui Dominum, » ubi Septuaginta vertunt, Φόβος Κυρίου συνέσχε με, *Timor Domini continuit me* : haud obscure insinuans se timoris hujus beneficio ab omni malo declinasse, ac rectum virtutis iter tenuisse, hoc nempe veluti freno se regens, attonita semper erat pietate distentus, ne quid sibi excidere pateretur, quod amorem erga Deum suum reverentiamque dehonestaret; ad hunc tanquam ad sacram anchoram in cunctis tentationum tempestatibus confugiebat, ejusdemque præsidio omnia penitus animi pericula incolumis evadebat. Nam, ut sapienter omnino D. Gregorius, lib. VI *Moralium*, cap. XXVII, pronuntiavit : « Anchora cordis est pondus timoris, » quod apte convenit cum oraculo Sapientis *Eccli.* I, 27 : « Timor Domini expellit peccatum. » Cum igitur Job, ut præcedenti versu demonstratum est, perfectissimo illo timoris Dei spiritu repletus fuerit, omnino consequens est ipsum quoque ab omni malo penitus recessisse, ac uni Deo, summo bono, indissolubili amoris nexu fuisse conjunctum.

Postquam igitur scriptor sacer illustres ejus animi dotes brevi hic elogio complexus esset, corporis exinde bona prosequitur; inter quæ cum primas semper obtinuerit felix et fœcunda liberorum procreatio, quæ inter veteris Testamenti benedictiones haud minima habebatur, subjungit :

Vers. 2. Soboles numerosa maximum Numinis beneficium.

2. NATIQUE SUNT EI SEPTEM FILII, ET TRES FILIÆ. — Tam in naturæ quam scripta lege olim maximi semper loco beneficii fuit habita soboles numerosa, quæ non nisi a propitio ac benevolo Numine concedi putabatur. Huc spectat solemnis illa Dei Abrahamo facta promissio, quæ inter Patriarcharum benedictiones jure meruit principatum : « Benedicam, inquit *Gen.* XXII, 17, tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, » quod in Græco textu ad majorem emphasim, et divini promissi certitudinem ac magnificentiam declarandam, eodem verbo bis geminato exprimitur : Εὐλογῶν εὐλογήσω σε, καὶ πληθύνων πληθυνῶ τὸ σπέρμα σου, *Benedicens benedicam te, et multiplicans multiplicabo semen tuum*, ubi notant Patres, in antiquo potissimum Testamento, copiosam liberorum multitudinem viris justis in præmium virtutis a Deo dari consuevisse. Quo pertinet etiam illud *Psal.* CXXVI, 3 : « Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filii; merces, fructus ventris. » Quo loco, juxta D. Basilium, Theodoretum et Euthymium, « filii » pro ingenti hæreditate, « fructus ventris » pro copiosa mercede ponuntur, quam mirifice extollit *Eccli.*, his verbis, cap. XLIV, 11 : « Cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum, et filii eorum propter illos usque in æternum manent; semen eorum et gloria eorum non derelinquetur; » diserte docens

http://www.obrascatolicas.com

amplam simul et probam sobolem pietati parentum tribui, ac soli Deo debere acceptam referri. Nam (ut Propheta regius verissime cecinit, *Psal.* CXXVI, 1 : « Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam; ») declarans frustra pro copiosa prole amplaque familia laborari, nisi Deus optimus maximus necessariam ad hoc indulserit fœcunditatem. Hinc cum formosa Rachel cum marito suo Jacob de impotentia liberos generandi expostularet dicens, *Gen.* XXX, 2 : « Da mihi liberos, » prudenter omnino Patriarcha sanctus respondit ei : « Num pro Deo ego sum? » non obscure insinuans filiorum procreationem non tam humanæ opus voluntatis ac potestatis, quam supremi Numinis præcipuum quoddam munus existere, id quod alias item clare professus fuit, quando fratri suo Esau in itinere obviam factus, et de filiorum turba, quam secum ducebat, « quid sibi vellent isti, *Gen.* cap. XXXV, 5, et an ad eum pertinerent, » interrogatus, respondit : « Parvuli sunt, quos donavit mihi Deus servo tuo, » divinæ illos beneficentiæ acceptos referens.

Fœcunditas propria timentium Deum benedictio.

Hoc porro fœcunditatis donum veluti propriam timentium Dominum benedictionem a Davide celebrari video, dum ait *Psalm.* CXI, 2 : « Beatus vir qui timet Dominum, » et statim addit : « Potens in terra erit semen ejus; generatio rectorum benedicetur, » etc. Similiter *Psalm.* CXXVII, 3, cum beatos pronuntiasset omnes qui timent Dominum, tanquam peculiarem hujus timoris fructum recensens : « Uxor tua, inquit, sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ; filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. » Utque manifestius hoc quasi proprium timoris Dei præmium esse declararet, immediate subjungit : « Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. » Cum igitur sanctus Job, ut antea demonstratum est, timore Domini præditus fuerit prorsus singulari, hoc quoque timentium Dominum præmio minime fraudatus, septem omnino filios, virtutis ac sapientiæ laude conspicuos, ac tres filias forma omnes honesta ac liberali, procreavit. Hunc autem tam filiorum, quam filiarum numerum mysterio haudquaquam caruisse Didymus in *Catena* pulchre ostendens : « Honestum, inquit, hoc loco catalogum filiorum affert Scriptura mysticis rationibus congruentem. Quis enim ignorat numerum septem esse septem charismatum indicem, sicut trium appellatio ad id quod est perfectius atque divinius referri solet? Nimirum ut sciamus Trinitatis fidem septem donorum opificem cæterarumque virtutum caput esse. » Simili fere sensu S. Gregorius, lib. I *Moral.*, cap. XXVIII : « Septem, inquit, filii nobis nascuntur, cum per conceptionem bonæ cogitationis Sancti Spiritus septem in nobis virtutes oriuntur. Hanc namque internam prolem propheta dinumerat, cum spiritus mentem fœcundat, dicens : « Requiescet super eum Spiritus Domini : Spiritus sapientiæ et intellectus; Spiritus consilii et fortitudinis; Spiritus scientiæ et pietatis; et replebit eum Spiritus timoris Domini. Et tres filiæ, fides, spes et charitas, quia quidquid virile hi virtutum sensus faciunt, fidei, spei charitatique conjungunt. Neque enim ad denarii perfectionem septem filii perveniunt, nisi in fide, spe et charitate fuerit omne quod agunt. » Alias hujus loci mysticas expositiones vide apud eumdem D. Gregorium, lib. I *Moralium*, cap. XI, et lib. XI, cap. XII.

Parentum in filios dominium insinuatur.

Quærit hic ulterius Pineda noster, cur scriptor sacer, cum præcedentem versiculum in recto extulerit, hunc immutata oratione in obliquo expresserit, dandi casu utens. Et acute respondet, id eo consilio factum, ut parentum in filios dominium, et filiorum erga parentes debitum insinuaretur. Liberos enim inter utilia parentum bona censeri, et eorumdem dominio subesse, vel ipso naturæ lumine satis per se notum est. Unde filii inter opes possessionesque paternas primo semper loco in Scripturis recensentur. Hinc prima nostra mater Eva, cum filium suum primogenitum peperisset, *Gen.* IV, 2 : « Possedi, inquit, hominem per Deum, » quibus verbis duo insinuari recte notat Chrysostomus, scilicet filium et parentis possessionem et Dei munus existere. Quin et interpretes ibidem observant, idem esse verbum possidendi atque gignendi, ac si filius nihilo a patris possessione distinguatur. Optimo igitur ordine etiam hoc loco scriptor sacer, postquam Jobi liberos numeravit, cæteras quoque possessiones ejus recensuit, dicens :

Vers. 3. Divitiæ Jobi.

3. ET FUIT POSSESSIO EJUS SEPTEM MILLIA OVIUM, ET TRIA MILLIA CAMELORUM, QUINGENTA QUOQUE JUGA BOUM, ET QUINGENTÆ ASINÆ (1). Alteram hic bono-

(1) Horum magna copia in Oriente, in Arabia, teste Plinio, lib. VIII, 18. Vide I *Parat.* 21, ubi 50 camelorum millia abducta sunt ab Agaræis, qui Idumæis vicini erant. Horum usus erat, tum in bello, tum ad onera portanda, tum maxime ad potum; nam cùm ea regio arida sit, et aqua crassior, admixto cameli lacte potabilis fit, ut docet Aristoteles, *Hist. anim.*, lib. VI, 26. Porro, lac multis pro potu fuisse discimus ex Homero, et ex *Jud.* IV, 19; *Isa.* LV, 1; *Ezech.* XXV, 4; I *Cor.* III, 2. Æthiopes etiam nunc lac camelorum bibunt. Deinde, in locis illis aridis perpetuus est camelorum usus, quod illi sitim diu ferant, quatriduo scilicet, Arist, *Hist.* lib. VIII, 18, nec aquam lutulentam fastidiunt, sed libentius bibunt. Cameli in Judæa vicinisque locis frequentissimi erant. Hinc « Cameli sine numero, » *Jud.* VII, 12, et Arist., *Hist.* lib. IX, 50 : « Nonnulli usque ad 3000 camelorum possident. » Hinc multa proverbia manarunt : « Camelus per foramen acus. Colant culicem, et deglutiunt camelum. Pro camelo sarcina. Multi cameli senes portant pelles juvenum camelorum, etc. Ex numero camelorum Arabes suas et aliorum divitias æstimant, » ait Leo African. lib. IX.

JUGA BOUM, — ad terram arandam. Vide vers. 14. Tantum ergo agrorum possedit, quantum tot jugis boum arari potest.

ASINÆ, — quarum ibi usus erat maximus. Nam aratra trahebant, onera ferebant, principes etiam portabant. Vide *Jud.* XII, 10, et X, 4, et XII, 14. Sed ubi muli? Fortassis nondum inventi. Ubi equi? Bello illi idonei erant; liber autem virum pacificum describit. (*Synopsis.*)

rum temporalium benedictionem, quæ in veteri quoque Testamento maximi fiebat, et propitii Numinis argumentum credebatur, adjungit, quæ tunc temporis in agrorum possessione, et in pecorum armentorumque copiosa multitudine potissimum consistebat. Hujuscemodi autem divitias auro et argento minus noxias existere, neque suos possessores tam facile a regno cœlorum excludere, sapienter advertit S. Chrysostomus, hom. 12 in epist. *ad Timoth.* ita scribens : « Quid ergo dicemus de Abraham? Quid item de Job, qui innocens, qui justus, qui verax, qui Dei cultor, qui a malis omnibus abstinens prædicatur? Opes illis non in auri argentique talentis, sed in pecoribus erant; quæ profecto divitiæ et innocuæ, et divinitus permissæ sunt. » Non enim terræ fructus, licet uberrimi, tam potenter trahunt hominem ad peccatum sicut aurum; quod idcirco Dominus, qui cæteros plerosque terræ proventus obvios esse voluit, ab hominum oculis prudenter abscondit, atque intimis terræ visceribus addidit, ne tam illecebroso ad peccandum illicio seducerentur.

Hujusmodi divitiæ auro et argento saluti minus periculosæ.

Quare?

Licet itaque absque piaculo dare operam concessis a Deo terræ fructibus acquirendis; sed in auri argentique investigatione atque acquisitione hoc majus et evidentius periculum salutis invenitur, quod præ cæteris divitiis amplius avaritiam foveat, ac vitiis omnibus pabulum subministret. Quamobrem Scripturæ sacræ, ubi divitum justorum meminerunt, nullam fere auri unquam faciunt mentionem, sed pecorum et agrorum, atque istiusmodi bonorum, quæ dum profluis augmentis animos satiant, non tam offendunt aut impediunt salutem, quam eamdem promoveant, dum ipsamet sua abundantia cogunt quodammodo etiam avarissimos quosque ad donandum. Solum vero aurum est quod nunquam affert saturitatem; quin potius habendi sitim semper accendit, famemque generat rabidissimam, qua sui possessores in interitum trahat. Quapropter peracute Isaias, cap. II, 8, postquam Judæos inhonestis voluptatibus aliisque vitiis deditos fuisse significasset, ubi ad aurum et argentum ventum fuit, non ipsos, sed terram eorum argento atque auro repletam esse dixit, siquidem hæc metalla ut orbem terrarum replerent, animum tamen hominis nunquam replere poterunt, sed nova semper illum siti ac plus habendi fame torquebunt. Id divine, uti solet, intellexit S. Cyprianus, *epist.* 2, auri « speciosa supplicia » nominans, dum ita scribit : « Nec intelligit miser speciosa sibi esse supplicia, auro se alligatum teneri, et possideri magis quam possidere divitias. » Sic etiam Diogenes in Epistola sua ad Chrysen, hominem avarum, qui congesta auri et argenti exquisita copia famem tamen et ægritudinem miser patiebatur, eleganter ipsum aiebat βρόχοις ὥσπερ χρυσοῖς ἀπάγχεσθαι, *veluti aureo fune strangulari*, dignum sane tanta vecordia supplicium, ut auro pereat qui deperit aurum. Procul profecto ab hac auri sacra fame S. Job abfuit, qui, ut ipsemet testatur cap. XXXI, 17, non comedebat buccellam suam solus, nisi simul etiam pupillus comederet ex ea. Quapropter ejus opes ac census in re pecuaria et rustica numerantur, quæ divitiarum ratio minus erat fraudibus ac periculis obnoxia, et humanis necessitatibus sublevandis magis opportuna. Nam qui ex usura et fœnore aut negotiatione compendia captant, mille se periculis injuriarum exponunt. Quare dum Jobi possessio in gregibus ovium, seu pecoribus et armentis camelorum, seu jumentis boumque jugis, seu agris, qui bobus istis arabantur, sita fuisse significatur, ab omni quoque injuriarum et injustorum contractuum periculo remotissima fuisse insinuatur.

Postquam autem greges et armenta recensuit, famulorum illico mentionem facit, dicens :

Ad proventus augendos multa familia conducta.

AC FAMILIA MULTA NIMIS (1), — ubi observandum est famulos post pecora et armenta commemorari, quo innuitur illos non ad aliud fuisse conductos, quam ut pecoribus et armentis prospicerent, ac rei rusticæ operam navarent. Id quod clarius expresserunt Septuaginta dicentes : Καὶ ὑπηρσία πολλὴ σφόδρα, καὶ ἔργα μεγάλα ἦν αὐτῷ ἐπὶ τῆς γῆς, *Et ministerium multum valde, et opera magna erant ei super terram*; numerosa scilicet ministrorum turba armentorum et agrorum fructibus respondebat, et juxta rei rusticæ operam ac labores famulorum numerus mensurabatur, ne ullus esset desidiosus, qui proventibus augendis non incumberet. Similiter *Ecclesiast.* cap. II, 7 : « Possedi, inquit, servos et ancillas, multamque familiam habui, armenta quoque et magnos

(1) Opulentia prisci ævi, hominisque tum inter suos primarii, qualis Abrahamus fuit, hodieque sunt Arabum Scenitarum principes regulive, *Emirorum* nomine noti, id est, *qui aliis præest imperatque, dux, princeps.* Nomen עבדה, quod præter hunc locum semel tantummodo, *Genes.* XXVI, 14, occurrit, alii « agricolationem, opus rusticum, » ex usu verbi עבד, « terram coluit, » *Genes.* IV, 2 (ut Gallicum *labourage*); alii « servitium, famulitium, familiam, » interpretantur, ex significatu « serviendi, » quem itidem illud עבד obtinet, unde עבד servus. Utrumque exhibet versionis Alexandrinæ textus hodiernus : Καὶ ὑπηρσία πολλὴ σφόδρα, καὶ ἔργα μεγάλα ἦν αὐτῷ ἐπὶ τῆς γῆς. Videntur duorum interpretum versiones conjunctæ esse, *Genes.* XXVI, 13. עבדה γεωργία in Alexandrina versione expressum legitur. Syrus et ibi et *Genes.* XXVI, 14, et Arabicus interpres reddidit, non tantum « supellectilem, sarcinas, impedimenta itineris, » verum et « asseclas famulosque » (Gall. *le train*). Cæteri veteres hoc loco in significatione *famulitii* conveniunt. Aquila δουλεία, Symmachus εἰκετία. Vulgata vetus : *ministerium copiosum*; Hieronymus : *familia multa nimis*; Chaldæus מורחנא *servitium ministerium* (falso Dathius vocem Chaldaicam *agricolationem* reddidit in not. ad h. l.), quo eodem nomine et Onkelos Geneseos loco citato ad exprimendum צבדה usus est. Kimchius nomen Hebræum in *Lexico* (ספר־שרשים) *proventum terræ* תצארת האדמה interpretatur, quem a *colenda* terra ita dictum putat. Similiter Latini *culta* pro arvis, segetibus usurpant. Tutissimum tamen videtur, in *familiæ* notione acquiescere, veterum tantum non omnium auctoritate confirmata.

(*Rosenmuller.*)

http://www.obrascatolicas.com

ovium greges, ultra omnes qui fuerunt ante me, » ubi adverte quo servorum et ancillarum referat multitudinem, gregum utique proventibus augendis, ne quis alios illi servos et ancillas fuisse suspicetur, nisi ex quibus tanta proventuum copia nasci potuisset, quantam nullus antea habuisset.

Non ad luxum et ostentationem assumenda. Quare?

Hinc disce non ad luxum, sed ad subsidium; non ad pompam et ostentationem, sed ad obsequium et utilitatem, servos ac famulos in familiam esse assumendos. Id ipsum Christus, *Luc.* XVII, 7, in evangelica parabola non obscure insinuat, dum a revertente ex agro famulo debere mensam parari docet, quasi non sit alius cui possit tale munus demandari. Et sane quod comedant domini, a servis arantibus et laborantibus venit. Nam famuli otiosi et comptuli, ad fastum solum intenti, mensas dominorum evacuant, atque substantiam eorum funditus evertunt ac perdunt. Apposite de talibus *Nahum* III, 17: « Custodes tui, inquit, quasi locustæ. » Ministros principum et nobilium servos sic appellat, qui eis assistunt, et latera cingunt ad custodiam. Quo posito, pulcherrime legit editio Tigurina : « Comptuli tui locustas referunt. » Quo quid verius, sive morum ipsorum levitatem, sive calamitatem, quam copiosissimis etiam familiis afferunt, consideraveris? Servi sane aratores hi segetes ditissimas faciunt, quibus implentur horrea principum, implentur et mensæ; at comptuli isti prorsus otiosi, dominis solum ad pompam assistentes, leviculas verissime locustas referunt, quæ segetes absumant, et diram famem atque calamitatem regnis inferant. Fallar, si majus damnum a locustis venit segetibus, quam ab istis comptulis otiosis recipiant familiæ universæ. Certe non necessitas aut usus, sed luxus et vanitas otiosorum istiusmodi multitudinem famulorum invexit; nec a Deo venit, sed a vitio, quod aliqui (principes hic semper excipio) multis undique cincti famulis appareant, contra quos pulchre S. Chrysostomus in I *ad Corinthios*, homilia 40, sic ait : « Verum necessitate nec humanitate adducti plures servi sunt, sed fastu solo. Nam quo familiares tot aliis? Quemadmodum enim in vestibus, in vita necessitatem solam respicere oportet, sic in famulis. Quæ ergo necessitas est? Nulla sane. Herum unum uno servo contentum esse decebit, imo uno servo tres heros. » Merito etiam Seneca in istiusmodi inertem famulorum turbam invectus lib. VI, *epist.* 47 : « Superbissima, inquit, consuetudo cœnantem dominum stantium servorum turba circumdedit : alius sputa detergit, alius reliquias temulentorum colligit; alius pretiosas aves scindit, per pectus et clunes certis ductibus circumferens erudita manu frusta excutit. Infelix qui huic uni rei vivit, ut altilia decenter secet, nisi quod miserior est, qui hoc voluptatis causa docet, quam qui necessitatis discit. Alius vini minister, alius cui convivarum censura permissa est, expectat quos revocet in crastinum, » etc. Sic pergit sapiens philosophus carpens famulorum multitudinem ignavorum, non ob aliud introductam quam ob superbissimam consuetudinem.

Familia Job enumerata.

Haudquaquam profecto tales erant famuli Job, tametsi esset illi « familia multa nimis; » sed omnes seduli, omnes laboriosi, omnes frugi, omnes suis jumentis et aratris ligonibusque juncti; nulli inertes, nulli desides, nulli pigri, nulli vino lasciviæque dediti, nulli frugibus perdendis aut consumendis, sed omnes iisdem congregandis et amplificandis intenti. O felicissimam familiam, in qua servi ac famuli non ad otiosum atque evanidum fastum, sed ad quæstum dominorum et verum adjumentum sunt! « Qui servat ficum, inquit Sapiens, *Prov*, XXVII, 18, comedet fructus ejus; et qui custos est Domini sui glorificabitur; » ubi herum cum ficu et servum cum fici cultore comparat, nec otiose cultorem agri jungit cum custode seu famulo domus, sed ut doceat, quam hæc duo munera sibi mutuo connexa esse debeant. Tunc enim domus et familia floret, quando famulus domini cohærens lateri ab agri cultura non separatur; imo idem omnino est cultor agri et domino assistens famulus, quemadmodum Agatharcides Gnidius, lib. XXXVIII *Rerum Europæ*, apud Athenæum scribit, ex Dardanis quemdam servos mille possedisse, non neminem etiam plures, et eorum unumquemque pacis tempore agros colere, bello vero ingruente militiæ nomen dare consuevisse, suosque illis duces esse dominos. Quidni florerent Dardani, quibus nullus otiosus famulus, nullus comptulus, sed milleni erant in agris vel in bello, ubi opus erat, certantes?

Magni momenti delectus famulorum.

Magni profecto momenti est delectus famulorum, ut illi tantum capiantur, qui domino utilitati, gloriæ et honori esse possint. Veterum ea in re diligentiam notat S. Chrysostomus, quos ait ad bonos probatosque servos comparandos non tantum prudentiam adhibuisse magnam ac diuturnam in experiundo, verum etiam ea causa sæpe longum iter instituisse : « Tu, inquit homil. 22 *ad Populum*, ut frugi servum compares et aurum dinumeras, et cum mercatoribus multis, verba facis, et longas interdum peregrinationes suscipis. » Et lib. IV *De Sacerdotio* ait eos qui mancipium aliquod empturiunt tum ostendere illud medicis, tum sponsores emptionis postulare, tum interrogare quoque vicinos, et diuturnum aliquod tempus poscere, intra quod probare illud possint. Et jure quidem merito tantam adhibebant in delectu servorum diligentiam, quandoquidem sicut ex immorigero et infideli gravissima damna et incommoda, sic e probo frugique servo multæ existant in omnem modum opportunitates, non solum ad domesticam servitutem, verum etiam ad familiæ splendorem. Nam, ut præclare gravissimus auctor, Cassiodorus, lib. IV, *epist.* 3, ait : « De claritate servientium crescit fama dominorum. » Unde scriptor sacer, postquam Jobum a familiæ bene ordinatæ amplitudine et a morigera

famulantium multitudine commendasset, quantus hinc illi splendor accesserit, subjungit :

Quo sensu magnus dicatur Job?

ERATQUE VIR ILLE MAGNUS INTER OMNES ORIENTALES (1). — Septuaginta vertunt : Καὶ ἦν ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος εὐγενὴς τῶν ἀφ' ἡλίου ἀνατολῶν, *Et erat homo ille nobilis inter Orientales*; Symmachus reddit : Μέγιστος πάντων τῶν ἀνατολικῶν, *Maximus omnium Orientalium*, ubi notandum diversimode a diversis vocem hanc « magnus » limitari et exponi.

Primo.

Primo enim aliqui restringunt illam ad generis claritudinem seu nobilitatem, ita ut « magnus » idem sit quod « nobilis, clarus, illustris, » quemadmodum Septuaginta interpretantur.

Secundo.

Secundo, alii referunt ad famæ nominisque celebritatem ac gloriam; quasi dicant famam Jobi toto Oriente fuisse celebratam, qua ratione dicitur in *Reg.* VII, 9 : « Feci tibi nomen grande juxta nomen magnorum qui sunt in terra. » Atque ita D. Thomas et Lyranus accipiunt.

Tertio.

Tertio, nonnulli id de honore ac reverentia quæ Jobo ab omnibus et præ omnibus Orientalibus exhibebatur, exponunt.

Quarto.

Quarto, aliqui hoc ad sapientiam ejus referunt, qua cæteris eminebat, prout Ecclesiastes de semetipso ait, cap. I, 16 : « Ecce magnus effectus sum, et præcessi omnes sapientia. »

Quinto.

Quinto, alii referunt id ad Jobi divitias et amplissimas facultates paulo ante numeratas, sicut Isaac et Nabal in sacris Litteris magni, id est prædivites, nominantur.

Sexto genuine.

Sexto denique, alii (et meo quidem judicio optime) hanc vocem « magnus » quam amplissime sumunt, ita ut simul omnes modo recensitas magnitudinis formas complectatur, quemadmodum etiam Salomon propter nominis, sapientiæ, divitiarum et universæ suæ gloriæ celebritatem ac majestatem super omnes reges terræ dicitur magnificatus. Magis autem speciatim censeo vocabulum « magnus » esse veluti σφράγισμα, seu *sigillum* eorum quæ dicta fuerunt, atque adeo cadere in omnia quæ toto hocce Jobi elogio continentur, ut scilicet Job peculiari quadam ratione magnus significetur, *primo*, « virtutibus, » nominatim simplicitate, rectitudine ac Domini timore; *secundo*, « in generatione sua, » ob copiosæ sobolis felicitatem; *tertio*, « possessione, » propter agrorum latifundia, pecorum greges, armenta jumentorum ac familiæ totius amplitudinem, qua cæteris ævi sui Orientalibus longe antecellebat. Quæ videtur maxime propria et genuina loci hujus expositio. Cum enim vox illa « magnus » totum quodammodo Jobi elogium concludat, par est ut omnia quæ in eo recensita sunt simul afficiat et obsignet.

Allegorice.

Allegorice autem in typum Christi Domini dicitur Job « magnus inter omnes Orientales, » hoc est, interprete Lyrano, inter Christianos, qui sicut a Christo Christiani nominantur, ita etiam ab eodem Christo, cujus nomen est « vir Oriens, » *Zach.* VI, 12, dici possunt Orientales. In quem sensum fere Didymus in *Catena* ad hunc locum : « Genere, inquit, clarus inter Orientales prædicatur, quoniam lucis Deique filii a lucidis actionibus nuncupantur, hi ad orientem solem pertinent. Neque enim justus ab hominibus, sed a splendore Solis justitiæ splendescentem assequitur nobilitatem. » Jactent igitur in stemmatibus suis facinorum nobilium signa homines sæculares, et aquilas, leones, tigrides aliasque famosiores triumphorum imagines ostentent; tu vero quisquis cupis veram et splendescentem assequi nobilitatem, Jobum imitatus, a Solis justitiæ splendoribus illam quære; tunc enim supra nobilissimos quosque elevaberis, cum te christinarum virtutum cinxerint splendores. Sic elevatus fuit Isaac patriarcha ille magnus, ille orbis deliciæ et risus, ille innocentiæ victima, ille typus Servatoris perfectionisque exemplar, de quo in historia mundi ita scribitur, *Gen.* XXVI, 13. « Ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est. » Talis Joseph, *Genes.* cap. XLIX, 22, quem filium accrescentem honorato vaticinio pater indigitavit. Tales denique omnes viri sancti et justi, qui cum Jobo in Oriente, id est lucis regione, habitant, quorum idcirco « semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem, » *Prov.* IV, 18. Tales utique etiam ad instar Jobi filios lucis ac pacis progenerant, de cujus filiis subjungitur :

Vers. 4. Mira inter filios Job concordia.

4. ET IBANT FILII EJUS, ET FACIEBANT CONVIVIUM PER DOMOS, UNUSQUISQUE IN DIE SUO. — Septuaginta legunt : Συμπορευόμενοι δὲ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ πρὸς ἀλλήλους; ἐποίουν πότον καθ' ἑκάστην ἡμέραν, *Convenientes autem filii ejus ad invicem faciebant convivium per singulos dies*; ubi expende illa verba, *convenientes ad invicem*. Non enim hoc frustra dicitur, sed ad commendationem mirabilis et inusitatæ virtutis exprimitur. Unde Olympiodorus in *Catena* : « Summæ, inquit, admirationis est quod de maribus dixit : Convenientes inter se. » Id est : « Nullam ob rem de principe loco erat illis contentio; maximum vero, quod quisque arbitrabatur ad alterum properare. » Et merito quidem veluti rem summæ admirationis extollit, quod vel fratres tanta inter se animorum consensione conveniant, ut nulla illos prælationis cura sollicitet, nulla æmulationis cogitatio inquietet, sed sese invicem et socios et æquales aspiciant et honorent. Ecquando similis inventa est vel inter gemellos uno eodemque partu editos fratres concordia? Notissima est duorum fratrum gemellorum Esau et Jacob historia, ut adhuc in utero materno existentes præliabantur, quærens alter alterum præcedere. Mirabatur et ægre ferebat mater prodigiosam illam uteri sui

(1) בני־קדם *filiis Orientis*, id est Orientalibus. Intelligendi populi illi miscellanei, Ægyptum inter et Euphratem habitantes, qui *Jerem*, XXV, 20, recensentur, potissimum tamen Arabes. Recte Spanhemius, *Hist. Jobi*, cap. IV, § 6, p. 84 : « Jobus Utzites *maximus* habitus in *filiis Orientis*, non certe qua late plagæ orientales patere poterant, sed in illis ipsis habitatoribus Orientis, qui ex Nachore, fratre Abrahami, ex quo etiam *Utz* fuit, *Genes.* XXII, 21, cum qui ex *Israele* filio, quorum mentio *Genes.* XXV, 13, 15, denique qui ex *Ketura* prognati, *Genes.* XXV, 6. » (*Rosenmuller.*)

http://www.obrascatolicas.com

pugnam; perrexit itaque, ut, quidnam sibi hoc portentum vellet, oraculum consuleret. Cui Dominus respondit, *Genes.* XXV, 23 : « Duæ gentes sunt in utero tuo. » Ecce tibi totam istiusmodi pugnæ causam : nimirum duo erant in utero; ubi enim duo sunt, licet fratres sint, licet uterini, licet gemelli, mirum et inauditum erit, si non sint de prælatione rixæ, et in hæreditatis sortitione discordiæ. Unde igitur tanta inter Jobi filios animorum concordia et consensio voluntatum? utique ex virtutis perfectione, sine qua nulla unquam pax firma vel stabilis esse concordia potest.

Unde repetenda? Propone tibi ob oculos duas domos, ambas religiosis patribus familias gaudentes, ambas religione insignes, et filiis optime educatis clariores. Altera est domus Jacob, altera est domus Job. In Jacobi domo Joseph a parente tenere amabatur, *Genes.* XXXVII, 4 : « Videntes autem fratres ejus quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui. » Ecce tibi pacem et concordiam fratrum in domo religiosissimi Jacob perturbatam. At in domo Job quis non videt arctissimam fratrum concordiam, de quibus in symbolum summæ conjunctionis animorum hic dicitur : « Ibant filii ejus, et faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo. » Cur igitur inter Jobi filios tanta potuit unanimitas custodiri, quæ inter Jacobi filios minime servata fuit? Quia nimirum de Jobi filiis nihil non justum, nihil non sanctum inauditur; de Jacobi filiis plurima scelera narrantur. Dicitur enim Ruben cubile patris contaminasse, Simeon et Levi dolose Sichimitas interfecisse, Judas cum prostituta concubuisse. Hinc minime mirandum est, inter Jacobi filios tot sceleribus coinquinatos unanimitatem et concordiam servari nequaquam potuisse, quæ inter Jobi filios omni scelere vacantes arctissima semper atque integerrima perseveravit; quandoquidem pax et concordia ibi solum firma sit, ubi est virtus perfecta. Pulchre id ostendit Origenes ad hunc locum ita scribens : « Fuerunt, inquit, Jobo septem filii et tres filiæ; numero decem, animo vero unus erant; numero plurimi erant, consensu ac concordia quasi unus, unanimitate ac dilectione quasi idem; non separabat autem eos zelus, non dissociabat eos invidia, sicut pridem fratres Joseph. Quare? Quia non exorta est in eis prævaricatio neque coinquinatio, sicut in Ruben, neque furor interficiens, sicut in Simeone et Levi; neque odium fraternæ maledictionis, sicut in cæteris filiis Jacob; sed erant omnes unanimes in pietate, pacifici in justitia, atque in Dei timore concordes. »

Fundabatur nimirum hæc concordia et unanimitas in omnimoda virtute filiorum Job, atque idcirco firma stabilisque perseverabat, quam minime habuerunt filii Jacob, quia singuli eorum multis scatebant sceleribus et delictis. Pulchra est et vera sententia D. Ambrosii lib. III *Officiorum*, cap. XVI : « Non potest homini amicus esse qui Deo fuerit infidus. » In vanum scilicet speras concordiam et unanimitatem servare cum iis qui variis semetipsos sceleribus coinquinant : require prius solidum probæ atque innocentis vitæ fundamentum, quod si adsit, firmissimam concordiam spera; sin desit, et lites et rixæ non deerunt. Illa igitur filiorum Jobi per orbem iterata convivia satis aperte probant quam optime inter illos convenisse, abfuisse invidentiam, intercessisse charitatem, quæ illorum facultates faciebat esse communes, et mutuis in dies officiis mirum in modum augebatur ac fovebatur.

Quomodo laudi dantur convivia quotidiana? Sed quomodo, dicet aliquis, hoc iis laudi datur, quod nullum agerent diem sine convivio, sine compotatione? cum in *Deuteronomio*, cap. XXI, 20, jubeantur parentes filium comessationibus vacantem deferre ad judicem, dicentes : « Filius noster iste protervus et contumax est; monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, et luxuriæ atque conviviis; lapidibus eum obruet populus civitatis, » etc.; quo in loco Philo, lib. *De Temulentia*, nihil meminit de injuria istius filii nequam, sed solum ait : « Conviviis vacat et compotationibus. » Ecce tibi quantum crimen sit, conviviis ac compotationibus vacare, ut propterea filius a parentibus traduci et exitio tradi jubeatur. Quanam igitur ratione Jobus excusari poterit, qui filios suos per singulos dies conviviis atque compotationibus vacare permittebat?

Respondetur. Primo. Quoad modum. Ad quod respondendum, hoc loco convivium non pro temulenta et in luxum dissoluta comessatione aut compotatione sumi, qualis bacchantium ac prodigorum filiorum esse solet, de qua citato *Deuteronomii* loco fit sermo; sed pro frugali, sobrio, casto et jucundo amicorum inter se convictu, quem « convivii » vocabulo proprie significari docet ipse Cicero, lib. IX, epist. *ad Papyrium Prætum*, ita scribens : « Extra jocum moneo te, ut cum viris bonis, jucundis, amantibus tui vivas; nihil est aptius vitæ, nihil ad bene vivendum accommodatius; nec id ad voluptatem refero, sed ad communitatem vitæ atque victus, remissionemque animorum, quæ maxime sermone afficitur familiari, qui est in convivils dulcissimus, ut sapientius nostri quam Græci συμπόσιον ἢ σύνδειπνον, id est, compotationem aut concœnationem, nos convivia vocamus, quod tum maxime simul vivatur. » Quod non vere minus quam eleganter ab ethnico viro dictum Minutius quoque Felix adhuc magis illustrat, cujus hoc de Christianorum conviviis sacrosanctum est testimonium : « Convivia, inquit, non tantum pudica colimus, sed et sobria; nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus, casto sermone, corpore castiore. » Unde illud præclarum Cyrilli apophthegma, quod in *Michæa* V, 50, affert : βρῶμα τοῖς ἁγίοις καὶ τροφὴ τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ, *Cibus et deliciæ sanctorum opus est Dei*. Talia autem filiorum Job convivia fuisse Origenis et aliorum Patrum testimoniis comprobatur, uti ex illorum ad hunc locum Commentariis et ex jam dictis satis liquet, atque ex sequentibus evidentius apparebit. Unde facilis occurrit responsio conquerentibus, quod quotidianæ istiusmodi comessationes ad nimium luxum et delicias potius referrentur, ac tanti patris filios dedecerent. Quasi vero fratres ac sorores ejusdem familiæ quotidie simul vesci et pariter comedere ignominiosum sit, et non potius honorificum ac manifestum fraternæ dilectionis indicium. Hoc enim consilio non invito, sed, ut opinor, auctore atque hortatore parente communia hæc et quotidiana iniere convivia, ut amorem, quem insevit sanguinis communio, consuetudo aleret atque perficeret. Nec refert, quod eorum mensa fortassis etiam exquisitis et bene conditis dapibus instructa esset; talis enim mensa illorum statui, utpote principum filiis, erat conveniens, et pro eorum conditione frugalis dici poterat, quæ alioquin pauperibus aut plebeis esset nimis splendida, ideoque in illis damnanda.

Secundo. Quoad locum. Porro in his conviviis non solum temperantiæ ac honestatis, sed etiam loci ac temporis (quod in rebus istiusmodi ad hoc ut bene vel male fiant quam maximi refert) exactam esse rationem habitam ista verba declarant : « Per domos unusquisque in die suo, » ubi notanda est prima loci circumstantia. Non dixit : Per popinas aut tabernas ganeonum et lurconum, quæ sunt theatra vitiorum luxu et intemperantia dominante, furente Lyæo, et exultante Comi protervia, sed « per domos, » id est, in sacris religiosorum fratrum penatibus, in quibus non tam triclinium quam templum quoddam honoratum appareat, ubi temperantia consecretur atque præsideat, cum qua pietas, modestia, religio, prudentia, frugalitas et insignium chorus virtutum epuletur. Cui expositioni applaudit Origenes, dicens : « Fratres ad convivium vocabant sorores suas, ut secum manducarent, et sic secum adorarent Deum, et gratias illi agerent : ob hoc convocabant illas, ut fierent omnes simul Ecclesia sanctorum, congregatio religiosorum, conventus immaculatorum. Vide quæ tanta sit virtus charitatis fraternæ, ut ex convivio Ecclesiam faciat, religionem et conventum angelorum. » Ita Origenes. Hanc autem loci rationem in conviviis diligenter observandam ipsemet Christus exemplo suo docuit, quando ultimam cœnam suam in cœnaculo magno strato apparari jussit, *Luc.* XXII, 12.

Tertio. Quoad tempus. Quoad alteram circumstantiam, quæ est temporis, notandum illud, « in die suo », non carere mysterio, sed eorum probitatem atque temperantiam plurimum commendare : ostendit enim illos haudquaquam noctis ac tenebrarum, sed diei lucisque filios exstitisse, atque ideo sicut in die honeste ambulasse; « non in comessationibus et ebrietatibus (quas Apostolus damnat), » *Rom.* XIII, 13, « non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione (quæ noctis et tenebrarum opera censentur), sed in omni bonitate, et justitia, et veritate (quæ ad fructus lucis pertinent), probantes quid sit beneplacitum Deo, » *Ephes.* V, 9. « Omnis enim, inquit Jesus, *Joan.* III, 20, qui male agit odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus; qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta. » Sanctitas quippe lumen est, si Clementis Alexandrini *Pædagogo* fidem habemus, lib. V, cap. 6, sic dicenti : « Quod sanctum est autem amicum est ei ex quo sanctum est; quod proprie appellatur lux. » Hinc etiam ibidem putat a veteribus Græcis hominem appellatum φῶτα, quod lucem haberet sanctitatis atque virtutis. Et in libro VII *Stromatum* de homine loquens, qui in vitæ perfectione colendoque Deo tabernaculum vitæ suæ collocavisset, sic ait : « Non ignis participatione lucidus, sed vult totus esse lux, » hoc est, ut ego interpretor, undique sanctitudine collucens. Cum igitur convivia filiorum Job « in die, » id est, luce ac sanctitate celebrarentur, nil mirum, quod sorores suas virgines purissimas, aut saltem matronas honestissimas ad eadem invitaverint.

Cur ad hæc convivia tres sorores filiorum Job advocatæ fuerint? ET MITTENTES VOCABANT TRES SORORES SUAS, UT COMEDERENT ET BIBERENT CUM EIS. — Hinc etiam istiusmodi conviviorum sanctitas et honestas confirmatur. Quis enim pater adeo exlex, ut filias tanta ornatas pudicitia frequentare convivia permitteret, quæ etiam masculis filiis, si immoderata sint, crimini dantur? Quo igitur fine honesto venerandæ virgines fratrum compotationibus assidere permittuntur? sane maximo id convivarum bono fiebat : nam virginalis pudor et honestissimarum modestia puellarum conviviis inserebatur, ne inter pocula inordinatus discumbentium affectus prosiliret; sed vel ipsamet intemperantia tantarum conspectum virginum vereretur. Eleganter rem hanc tractat D. Chrysostomus, hom. 2 *De Job*, sic dicens : « Suscipiebant autem et tres sorores, ut comederent cum eis et biberent. Et quid ad utilitatem hæc audienti? Quare sororum addit esum? ut ostendatur scilicet quod ad pudicitiam convivium agebatur; quodque ibi non risus intercedebat dissolutus, immodestiaque effusus, mensam injurians. Inducit ergo et comedentes virgines, quo speciem figuramque convivii ostendat ebrietate non deformatam. » Non itaque crimen, non dedecus erat, quod tantæ virgines conviviis et compotationibus adessent, quarum incredibili pudicitia etiam intemperantissimorum immodestia sopiretur, atque ipsa convivia temperantiam redolerent. Ita Christum quoque, virtutum omnium magistrum, in Evangelio legimus frequentem invitantium mensis adfuisse; quod sane summo virtutis exemplo faciebat. Decet enim conviviis interesse virum illum, cujus aspectu et observantia componi possint discumbentium omnium affectus. Quo spectabat Philonis monitum lib. *De Profugis*, ubi ait : « Tu contra cum omnibus dig-

http://www.obrascatolicas.com

nis communicabis honorem, securitatem parans bonis viris, reliquos admonendo corrigens. Quod si ad compotationem aut sumptuosum convivium eundum erit, ito cum fiducia, intemperantem pudefacturus tua dexteritate.» Cujus igitur tanta est fiducia sapientiæ, quæ vel inter pocula stare possit, imo quæ intemperantissimos quosque frenare atque intra regulas rationis coercere possit, is securus convivia adeat, et utinam frequens sumptuosis etiam divitum mensis accumbat. Cæterum, cum in conviviis istis filiorum Job (quoniam ipsi satis per se temperantes, et ad omnem erant honestatem informati), minime opus esset istiusmodi Catone aliquo Censore, jucundissimam gravissimarum virginum sororum suarum præsentiam, veluti musicam suavissimam in convivio, ad majorem animorum symphoniam atque honestissimam mentis relaxationem adhibebant.

Mystice. Mystice S. Gregorius, lib. I *Moralium*, cap. XV, convivium hoc filiorum Job exponit de convivio sapientiæ, in quo septem dona Spiritus Sancti, per septem fratres significata, cum tribus virtutibus theologicis, tanquam sororibus spiritualiter epulantur, et mutua bonorum communicatione diem lætum ac festivum transigunt. De hoc convivio plura vide apud Patrem Salazar et Cornelium a Lapide, ad locum istum *Proverb.* cap. IX, 1, ubi «sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam.»

Vers. 5. Quid hic orbis dierum? 5. CUMQUE IN ORBEM TRANSISSENT DIES CONVIVII. — Septuaginta vertunt : Καὶ ὡς ἂν συνετελέσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ πότου, *Cumque consummati essent dies convivii.* Quærunt interpretes quid sibi circularis ille conviviorum in orbem circuitus velit, qui hic dicitur consummatus, an nimirum toties iteratum istud convivium ita singulis institueretur continuisque diebus, ut ubi septem fratres totidem hebdomadæ dies convivando explessent, his transactis, sequentem iterum hebdomadam eodem orbe atque ordine repeterent; sic ut nulla toto anno septimana diesve convivio vacua pertransiret.

Solvitur quæstio. Affirmant hoc nonnulli, in quibus sunt S. Thomas et Dionysius. Alii sunt qui idem subobscure insinuant. Aperte docet Pineda noster, quem Bolducus sequitur. Ego in re incerta, quæ probabilibus duntaxat conjecturis et congruentiis nititur, magis inclino, quo Origenes, Cajetanus, Eugubinus, Stunica et Sanctius noster, cum quibusdam Hebræis, qui putant non omnium hebdomadarum diebus singulis, sed una vel pluribus in anno hebdomadis pro more rituque gentis istiusmodi convivia inter fratres et propinquos celebrari consuevisse : v. g., solemnioribus per annum festis, aut natalitiis cujusque recurrentibus, quod ad testandam confirmandamque mutuam benevolentiam et ad amorem inter se fovendum abunde satis fuisse videtur. Nimis enim frequens et quotidianus epularum usus, præterquam quod animos laxet atque emolliat, corporis quoque valetudini non parum obest, ac nauseam creat. Et esto Jobi filiorum, utpote probissimorum, convivia valde frugalia essent, atque ad omnem temperantiam honestatemque composita, ex benevola tamen urbanitate propter amici præsentiam inter maxime etiam temperantes natum est fieri, ut dum alter alterum liberaliori quodam haustu salutat, facile aliquantulum a temperantiæ meta deflectat, quod ut vitio minime dandum est, si rarius contingat, ita culpa non vacabit, si quotidiana consuetudine pravus habitus contrahatur, qui tam corpori quam spiritui grave temporis successu damnum, si non exitium, afferat. Transacto itaque septemdiali conviviorum spatio.

Cur Job filios sanctificaverit? MITTEBAT AD EOS JOB, ET SANCTIFICABAT ILLOS. — Septuaginta legunt : «Mittebat Job, et purificabat eos exsurgens mane, et offerebat pro eis victimas secundum numerum eorum, et vitulum unum pro peccato pro animabus eorum;» ubi expende verbum illud, «mittebat.» Quid mitteret dicat Origenes, «Orationes ad Deum, preces, gratiarum actiones;» Eugubinus, «ad templum hostias;» Chrysostomus, «munus sacerdotale.» Præ omnibus idem Origenes : «Mittebat ad eos magistros, qui pietatis admonerent.» In hoc igitur vel maxime præclara Jobi in Deum pietas et de filiorum suorum salute sollicitudo elucet, quod peracto septemdiali conviviorum circulo, ad spiritales quoque epulas, quibus animum reficerent, illos invitarit; ideo nimirum, ut Vatablus vertit, «misso nuntio eos accersebat, et ad rem divinam præparabat,» id est, paratos esse jubebat ad sacrificium, solito expiandi ritu præmisso. Sacris enim non nisi omnino puri interesse poterant. Unde tritum illud :

Procul hinc, procul este, profani.

Quod Gentilibus usitatum, et per præconem proclamari solitum docet Tertullianus in Apologetico, pro quo inter Christianos (ut in Græcis liturgiis est) clamabat diaconus : Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, *Sancta sanctis*, cujus formulæ meminit S. Dionysius Areopagita *Eccles. Hierarch.* cap. III. De Hebræis autem res est nota, quam varias habuerint purificationes, ut sacris uti aut interesse possent; de quibus consule *Levit.* cap. XXII, et ibidem interpretes, qui fusius eas prosequuntur et exponunt. Sic etiam in *Exod.* XIX, 10, ait Dominus ad Moysen : «Vade ad populum, et sanctifica illos hodie et cras,» etc.; similiter Samuel I *Reg.* XVI, 5 : «Sanctificavit Isai et filios ejus, et vocavit eos ad sacrificium.» Pleni sunt divini libri similibus testimoniis, quibus Deus et sanctum se appellat, et sanctitatem a populo suo postulat. Sanctum vero idem est quod purum ab omni prorsus contagione ac labe animum inficiente. Quælibet nempe res ex deterioris immixtione sordescit, ut argentum ex immixtione plumbi, inquit S. Thomas, II II, *Quæst.* LXXXI, art. 8, additque : «Ideo mens humana inquinatur, ex eo quod inferioribus rebus conjungitur.»

Est igitur sanctimoniæ proprium, defæcare animum ab omni terrena colluvione, ut omnino purus et immaculatus coram Deo appareat. Hæc res apud Græcos sanctimoniæ nomen invenit, quibus ἅγιος, id est, *sanctus*, quasi «absque terra,» vel «extra terram» significat, ut optime Origenes, homil. 2 *in Levit.*, animadvertit : «Nam quicumque, inquit, sese Deo consecraverit, merito extra terram extraque mundum esse videbitur;» ubi etiam sanctitatem ponit in separatione a mundo, a sæcularibus negotiis, a concupiscentia carnis, et ab eo omni quod animum commaculare, et ad Deum aditum impedire solet.

Purificationis necessitas post convivia. Fructus porro hujus puritatis longe præstantissimus est, quod liberum ad divinum Numen accessum præbeat, qui impuris sordidisque negatur. Præclare Chromatius : «Munditia, inquit, cordis et conscientiæ puritas nullam nubem ad intuendum Deum patiuntur.» Hæc Moysen in cœlestem illam nubem introduxit, in qua facie ad faciem cum ipso Numine collocutus est; hac pii mystæ animam emaculant, ut sint tanto apud Deum sanctiores, quanto in omni vita castiores : nihil hac in re negligunt, sed in omnem partem oculos intendunt, ne vel minimam labeculam contrahant, memores illius dicti Aristotelis, cap. II *De Insomniis* : Ὅτι τὰ μάλιστα καθαρὰ τάχιστα κηλιδοῦται, *quod ea quæ mundissima sunt citissime maculentur.* Quamobrem Job veritus ne castissimis alioquin filiorum suorum moribus ex tanta conviviorum frequentia vel tenuis aliqua fortassis intemperantiæ vel levitatis macula, quæ Deo displiceret, adhæsisset, salutarem singulis adhibet expiationem. «Vir quippe sanctus, inquit Gregorius, lib. I *Moralium*, cap. V, noverat quia celebrari convivia sine culpa vix possent; noverat quia magna purgatione sacrificiorum diluendæ sunt epulæ conviviorum. Nonnulla quippe sunt vitia, quæ a conviviis separari vix possunt. Pene enim semper epulas comitatur voluptas; nam cum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur, unde scriptum est, *Exod.* cap. XXXII 6 : Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Pene enim semper epulas loquacitas sequitur; cumque venter reficitur, lingua defrenatur.» Sic ille, et meo quidem judicio præclare. Est enim omnibus a natura insitus quidam amor voluptatis, qui se prodit atque emergit in vita, vixque ullius hominis industria convelli potest. Id quod magno prorsus judicio avertit Aristoteles, lib. II *Ethic.* cap. II : «Quoniam a teneris unguiculis ea nobis omnibus innutrita est, idcirco etiam difficile est abstergere illam animi affectionem, qua veluti nativo quodam colore tincta et penitus imbuta est vita nostra.» Res profecto maxime ardua atque operosa est, tam insitam et inustam animis inclinationem exuere atque deponere. Quo facit dictum illud Heracliti : Χαλεπώτερον ἡδονῇ μάχεσθαι ἢ θυμῷ, *difficilius est voluptati repugnare quam iræ.* Et Aristoteles iterum, lib. X *Ethic.* cap. I, de eodem argumento disputans ratam hanc pronuntiat sententiam, «omnes nimirum ea quæ jucunda sunt potissimum sequi, fugere vero illa quæ molestiam afferunt,» ac paulo post addit, «omnes propendere ad voluptatem.» Vis autem hujus affectionis si unquam alibi, certe vel maxime in conviviis sese exerit, atque etiam optimos quosque blanditiis suis delinitos non raro decipit, et in vitia transversos agit. Quod cum S. Job minime ignoraret, de salute liberorum merito sollicitus, nullam animo quietem concedebat, nisi rite illos expiasset, et divino Numini legitimis oblationibus ac sacrificiis conciliasset. Unde sequitur :

Mira Job pietas et diligentia. CONSURGENSQUE DILUCULO, etc.; — ubi notanda ejus in propitiando Numine diligentia singularis, quod «diluculo» consurgeret; hoc est, in crepusculo matutino, cum appetit lux, sed nondum est, verum mediis e tenebris velut caput aurora suum efferre cœpit, id quod Hebræa vox הַשְׁכֵּים *hischim*, quod proprie *manicare*, vel *aurorare* significat, manifeste declarat. Unde merito cum Davide dicere posset, *Psalm.* CXVIII, 147 : «Præveni in maturitate,» quod Pagninus vertit, *in crepusculo*; vetus Psalterium, *intempesta nocte*; Septuaginta, ἐν ὠρίᾳ; S. Ambrosius exponit, *ante horas, ante tempus*, nempe ante consuetum aliorum tempus atque legitimum; S. Augustinus, *in immaturitate*; quasi nondum vulgo tempus videatur esse maturum et tempestivum; Cyrillus autem Alexandrinus in *Isaiæ* cap. LIX, «in profundis tenebris» interpretatur. Hinc S. Hieronymus pro : «Præveni in maturitate,» vertit : «Surgebam adhuc in tenebris.» Sciebat quippe vir sanctus tempus illud antelucanum propitiando Numini esse maxime opportunum, et ad cœlestem benedictionem obtinendam aptissimum. Ita Jacob, *Genes.* XXXII, cum Deo luctans, in aurora illius benedictionem extorsit, qua deinde fretus omnium inimicorum suorum vim superavit. Sic Sapientia ipsa, *Prov.* VIII, 17, denuntiat inventum iri se ab iis qui summo mane ipsam quæsierint, hoc est, qui statim ut evigilant, primam ad Deum referunt cogitationem. Hoc igitur Job tam sollicite faciebat, ut Polychronius in *Catena* putet illum noctes duxisse insomnes, ut summo mane aris adstaret sacrificaturus, ubi iterum eximiam ejus pietatem expende, quoniam non qualecumque obtulit sacrificium, sed primum et nobilissimum, quod dicitur *holocaustum* quo mens offerentis cum re ipsa quæ igne absumebatur sese velut in cinerem et nihilum redigebat, ad profitendam illam interminatam creantis ac dominantis Dei majestatem, cui vita morsque obsecundant; idque non unicum pro simul omnibus, sed singula pro singulis seorsum liberis offerebat. Quibus, ut Septuaginta testantur, insuper addebat aliud sacrificium, scilicet «vitulum pro peccato.» Quam hostiam ut in luis

http://www.obrascatolicas.com

contagione medicinam pro noxis filiorum offerebat, si quas forte inter convivandum contraxissent, et ad mitigandam Numinis iracundiam, sicubi fortassis Deum offendisset.

Sollicitudo Job de salute filiorum.

DICEBAT ENIM : NE FORTE PECCAVERINT FILII MEI, ET BENEDIXERINT DEO IN CORDIBUS SUIS. — Valde sollicitus erat Jobus cum ejus filii reciprocis conviviis indulgerent. « Ne forte, inquit, benedixerint Deo in cordibus suis. » Quorsum veretur sanctus Patriarcha ut filii sui Deo benedicant? Idololatriam sapit hic metus, an delirium patris senis? O quot expositionibus Interpretes fatigant hunc locum! Sed optime noster Martinus de Roa, lib. I *Locorum singular.* cap. IX, verbum *benedixerint*, interpretatur, *vale dixerint*. Sic in libro Genesis, cum Jacob patriarcha ingressus fuisset ut Pharaonem salutaret, *Genes.* cap. XLVII, 10, « benedicto rege egressus est foras, » id est, « vale dicto. » Et sic videtur congrue expediri hic Jobi locus et timor. Scilicet timet pius pater ne ejus filii dum laute convivantur, et opiparis indulgent esculentis et poculentis, « Deo benedicant, » id est, « vale dicant. » Solent quippe deliciæ mensarum usque adeo hominem a Deo avertere, ut illi vale dicat, et malit habere ventrem ut Deum quam verum Numen.

Vide quæ cura Jobum tangat : non apud se volvebat : Quanam ratione tres filias meas honestis viris in matrimonium collocabo? Quanam ratione filios meos divitiis augere, honoribus cumulare potero? sed : Quanam ratione ab eis crimina abigam, peccata excutiam? Hæc optimi parentis una cura erat, quanam ratione liberos ad omnem virtutem effingeret; reliqua posthabebat, uti pulchre S. Chrysostomus, homil. 3 in cap. I *ad Philippenses*, expendit dicens : « Pro liberis suis sacrificavit Job, et a peccatis illos liberavit, « ne quid, inquit, forte cogitaverint in cordibus suis. » Non dicebat : Dabo illis gloriam; non dicebat : Emam illis agros; sed quid? « Ne forte cogitaverint aliquid in cordibus suis. » Quæ namque esse poterit eorum utilitas quæ in hac vita sunt? Nulla. Regem, inquit, omnium, propitium illis efficiam, et nihil erit amplius quod desiderari queat.» Expendendum hic in istis verbis Chrysostomi, quibus factum Jobi laudat, primum illud: « Pro liberis suis sacrificavit Job, » ac sic dicat : Mirum quod vir religiosus, et cui litare Numini cordi erat, pro nullo alio sacra fecisse dicatur nisi pro filiis; non pro pecorum sanitate, non pro proventu agrorum, non pro propria incolumitate, sed tantum pro pietate filiorum; nam hac nihil debet esse patri antiquius, et hanc unam reliquis omnibus debet præferre. Deinde etiam istud : « Et a peccatis illos liberavit, » quia nimirum hæc erga filios Jobi cura pios eos reddidit et frugi fecit, et tanta benevolentia illos conjunxit, ut mutuis inter se officiis certarent. Nihil enim est quod magis ad pietatem liberos formet quam paterna cura in educatione filiorum.

Septuaginta legunt : *Dicebat enim Job : Ne forte filii mei in mente sua cogitaverint mala contra Deum.* O miram piissimi patris diligentiam, et plenum solliciti timoris erga filios amorem! In quo plurima notatu dignissima occurrunt, ac imprimis verba ista : « Ne forte, et in mente sua.» De dubiis nimirum trepidat, quid fecisset de certis? de occultis formidat, quid egisset de manifestis? « Quomodo permitteret, inquit Origenes, lib. I in cap. I *Job*, ut aliquid mali filiis suis in verbis atque operibus evidentioribus eveniret, qui pro occultis et absconditis aut omnino forsitan non existentibus ita nimium sollicitus erat atque curam gerebat; unde metuens dicebat : « Ne forte, » etc. De peccatis incertis et occultis filiorum totus anxius et sollicitus illos expiabat, piaculares pro iis hostias offerens atque immolans holocausta. Quid amplius facere potuisset si aperte peccassent, si publice deliquissent, si infame aliquod scelus commisissent? Discant hinc parentes quantam salutis filiorum suorum curam habere debeant; neque publica duntaxat eorum flagitia, sed incerta etiam et occulta delicta ne forte adsint metuenda, ac salutaribus monitis et sacrificiis expianda esse. « Vitulum unum, inquit ibidem Origenes, coram filiis suis pro peccatis eorum jugulabat Job, ut videntes ipsi filii, metuentes ac paventes ab omnibus peccatis, quæ animos perimunt, declinarent, et juventutis ignorantias a se depellerent. »

Plurima notanda de superdicta sollicitudine. Primum.

Notandum *secundo*, Jobum hoc fecisse quando ejus filii erant jam adulti atque optimis moribus imbuti, ut Origenes loco citato expendens : « Ne forte, inquit, filii mei, qui in disciplina nutriti sunt, qui in eruditione creverunt, qui in Dei timore exercitati sunt, in quibus vivis ego gaudeo si ipsi vixerint Deo, si ipsi a creatore non recesserint. » De talibus nimirum ac tantis filiis, quos publice peccasse nunquam viderat, quos probos, quos sancte educatos, quos una cum materno lacte pietatem ac timorem Domini suxisse noverat pius parens adhuc sollicitus, ne occulte forsitan aliquid deliquissent, totus anxius metuebat. Quanto utique potiori jure timendum sit parentibus illis, qui sua culpa filios habent pessimis moribus institutos, immorigeros, dissolutos, sceleribus inquinatos, flagitiis coopertos, ne et ipsi simul cum filiis tandem aliquando male pereant, justam divini Numinis vindictam in se provocantes. « Nam patres, inquit ibidem Origenes, qui non erudiunt neque corripiunt filios suos, et ipsorum animas igni inextinguibili tradunt, et semetipsos in furorem judicii demergunt. Omnia enim quæ deliquerint filii de parentibus requiruntur, qui non erudierint neque corripuerint filios suos. »

Secundum.

Tertio, notanda sunt illa verba Græci textus : *Ne forte filii mei cogitaverint mala in mente sua*, ubi lubet cum Origene exclamare : O sinceritatem patris! o dilectionem parentis! o studium

Tertium.

genitoris! quis unquam patrum tantam filiorum suorum curam habuit, ut non solum de operibus, verum etiam de cogitationibus illorum esset sollicitus; neque tantum curaret ut bene agerent, sed, quod amplius est, ut et probas haberent cogitationes. « Ne forte, inquit, cogitaverint mala. » De cogitationibus nimirum filiorum occultis sibi ignotis ac soli Deo perspectis sollicitus, si forte nævum alibi aut maculam contraxissent, quantum quidem in se erat, piacularibus illas hostiis ac sacrificiis emaculare atque emendare satagebat. « Ne forte, inquit Origenes, de impudicitia cogitaverint; ne forte ad impietatem declinaverint; ne forte illicita meditati fuerint; ne forte injusta concupierint; ne aliqua radix amaritudinis exorta in animis eorum ipsis nocuerit. » Quid ergo mirum, si ejus filii, sub tanti patris disciplina ad omnem pietatem ac virtutem instituti, omnigenam quoque a Deo benedictionem obtinuerint? Hinc nempe miranda atque ingentia illa bona, quibus Deus Jobum liberosque ejus et familiam universam legitur cumulasse. Sic de Amos quoque Isaiæ parente, qui religiosissime filium suum instituerat, refert Magnus Basilius in *Isaiæ* cap. XIII : « Quoniam, inquit, ipsi (scilicet Isaiæ) prophetæ quoque magister exstiterat, sedulo curans eum sanctiore simul ac puriore et præ cæteris eximio quodam doctrinæ pabulo educari. Ob hoc Amos etiam tanquam consors ejusdem prophetæ adscribitur. » Contra vero videmus viros sacrosanctis alioqui muneribus addictos, insigni in Deum pietate atque erga proximum humanitate conspicuos, et in aliis probatos, quod filiorum suorum probam educationem aut neglexissent, aut saltem non satis magno studio ac diligentia curassent, ad æternum hominum documentum et exemplum divino judicio punitos, summis cladibus affectos, funesto tandem fine vitam conclusisse. Talis fuit Heli sacerdos, vir quidem in reliquis integer, a pietate ac morum suavitate cumprimis commendatus, qui propter filiorum improbitatem incestosque mores, quos non tanta quanta par erat diligentia emendare curaverat, divinam in se concitans ultionem, uno die, et pene uno temporis momento, vita, liberis ac bonis omnibus spoliatus miserandum in modum occubuit. Erant enim filii Heli, ut divinæ Scripturæ loquuntur, filii Belial, id est diaboli; tali nimirum nomine dignus censetur pater, qui filiorum suorum crimina non emendat. Ergone, inquies, Heli diabolus est, qui alias in sacris litteris vir pius, probus ac sanctus fuisse perhibetur? ita profecto in quantum nempe filios flagitiis deditos pro officio paterno minime castigaverat, sed ad omne potius vitiorum genus licentiæ frena illis relaxaverat. Licet, igitur, quoad personam propriam vitæ laudabiliter actæ ac virtutum maximarum laude floreret, respectu tamen filiorum suorum, ob neglectum muneris paterni, jure merito diabolus et Belial appellatur « quod, » ut Origenes loquitur, « eorum animas igni inextinguibili in interitum tradidisset; » quod proprium diaboli esse munus cognoscitur. Quid ergo mirum si pater ille diabolus nuncupetur, qui non melius filios educaverat, et nimia sua indulgentia diabolo ad illorum animas perdendas fautor extiterat? Nam contra filios jam adultos diabolus nequaquam prævaluisset, si ex mala consuetudine, quam jam inde a pueritia contraxerant, pater eos diabolo non subdidisset, uti pulchre S. Chrysostomus, homil. 19 *in Genes.*, ostendit. Pro *filii Belial*, Pagninus vertit, *filii impii*; Septuaginta υἱοὶ λοιμοῦ, *filii pestilentes*. Quare Theodoretus flagitiosam vitæ rationem iis attribuit, et Josephus eosdem omni scelere contaminatos fuisse scribit. Erant enim moribus tam abominandis, ut non sit mirum, si parens eorum clarissimus, et virtutum insignium ornamentis præditus, divino judicio pœnas dependerit, quod in vitium præcipites et lascivientes in dies magis, vi et auctoritate minime coercuisset. Non sic utique Job, non sic, cui non satis erat verbo et exemplo filios adhuc teneros ad omnem pietatem ac virtutem informasse, nisi etiam adultos pari cura sanctificaret, et quotidianis ipsos sacrificiis divino Numini conciliaret, quemadmodum verba sequentia manifeste declarant.

Quanto afficitur supplicio in educandis filiis negligentia.

SIC FACIEBAT JOB CUNCTIS DIEBUS. — Hinc Pineda, Bolducus et Cavotus stabilire ac confirmare nituntur suam de quotidianis, nullo penitus anni die excepto, inter filios Jobi conviviis sententiam; sed optimo quidem judicio Sanctius noster vocem illam, *cunctis*, ad dies illos quibus per septimanam integram die quisque suo septem fratres aliquoties in anno convivia celebrabant, restringendo, vim argumenti adversariorum infringit; malim tamen respondere, ut Jobi erga Deum pietati ac religioni concedamus, « cunctis diebus, » id est quotidie, ipsum sacrificia obtulisse; nequaquam tamen sequi, verba illa versiculi quarti, « in die unusquisque suo, » ad omnes et singulos, nullo penitus excepto, anni dies esse extendenda, cum præsertim voculæ istæ *cunctis diebus*, quæ ad sacrificia referuntur, multo ampliorem, et quidem complexam habeant significationem, quam id quod superius de convivio dicitur « in die unusquisque suo, » præterquam quod plurima sint quæ faveant jugi et quotidianæ sacrificiorum oblationi, quæ tamen militent contra tantam conviviorum frequentiam, quæ, uti antea demonstratum est, molestiæ plus quam voluptatis allatura videretur, et dissolvendis potius quam conglutinandis animis deserviret.

Ex iis quæ ad hunc versum dicta sunt pro corollario collige *primo*, solum peccatum omni sollicitudine atque cura cavendum, neque quidquam præter ipsum magnopere timendum esse, cum nihil aliud præter ipsum vere malum sit. Jobi pietas huc evasit, qui filiis suis

Quanta sollicitudine cavendum peccatum.

http://www.obrascatolicas.com

epulantibus non ventum validum, non domus eversionem, non mortem ipsam metuebat, sed ne vel minima ipsis peccati labes e conviviis adhæsisset, ad quam, si forsitan adfuisset, eluendam piaculares quotidie victimas pro singulis immolare non dubitabat. « Dicebat enim : Ne forte peccaverint filii mei, » etc. Quæ verba opportune ad mentem nostram expendit Oleaster in cap. VIII *Isaiæ*, ita scribens : « Bonus pater, qui non solum filiis mala timebat, neque solum expiabat peccata operis, vel locutionis, sed cordis, et ut prudens magis illis convivia timet, quam mala quæ super eos venerunt. Cur, vir bone, illis non times ventum validum angulos domus concutientem, ædesque magnificas evertentem? Quia omnia hæc peccatorum collatione non sunt mala, flagella sunt, non peccata. » Sic ille. Quod si pro alienis peccatis adeo sollicitus erat vir justus, quantam, ne ipsemet delinqueret, sollicitudinem habuisse putandus est? Quam caute ac diligenter sibimetipsi attenderit, qui tantam filiis, ne peccarent, adhibuit cautionem? Discant patres quid sibi, quid filiis timere debeant; intelligant universi, nullam adversitatem nullamque calamitatem æque metuendam ut peccatum. Amplius dico, quamcumque adversitatem, quamcumque calamitatem omnino nullam fore, si peccatum absit. Istiusmodi enim, quæ vulgo dicuntur mala, si cum iniquitate seu peccato comparentur, jam mala non sunt, bonitatis vestem induunt, imo et nomen. Sola igitur peccandi occasio ejusque periculum sollicitudinem nobis afferat, et incutiat metum.

Singularis Job in Deum religio et in filios charitas.

Collige *secundo*, quam singulari Job in Deum religione atque admirabili charitate præditus fuerit, qui studium quidem summum colendi Numinis quotidiana propemodum sacrificiorum innovatione luculenter ostendit, charitatem vero prorsus admirandam in eo prodidit, quod de ditandis filiis agendaque illorum hæreditate, quæ parentum fere prima esse cura solet; nequidquam sollicitus, de immaculata duntaxat illorum vita cogitaret. Non timebat enim ne fortunas suas epulando dissiparent, sed ne Deum in conviviis offenderent. Itaque non sibi filios procreabat ac nutriebat, sed Deo, cui soli illos potius acceptos et gratos esse cupiebat quam sibi; quin imo hoc solum nomine sibi charos putabat, si Deo essent. Admirabile profecto hic in Jobo parentibus omnibus officii sui propositum est exemplum, ex quo præstabilissimam filiorum educandorum rationem condiscant, et stultorum simul parentum illorum damnatur vecordia, quibus nulla vel perexigua est de pietate ac morum probitate, sed longe maxima et fere tota est de filiorum hæreditate procuranda et amplificanda sollicitudo.

Hactenus Jobum vidimus fortunæ bonis omnibus circumfluentem, agris, pecoribus, armentis aliisque terræ fructibus ac proventibus ita auctum, ut in ipsum Pandora plenissimum copiæ cornu totum effudisse videretur; amplissimæ insuper familiæ splendor, liberorum felicitas optimorum, nominis ac famæ celebritas ita ipsum supra omnes Orientis principes extollebant, ut in ista regione nullus omnino illi æquiparari posset. Jam nunc videamus ipsum e summo isto, humanæ felicitatis fastigio ad imam usque miseriarum et calamitatum abyssum ita depressum et dejectum, ut si hominum judicia consulas, nihil eo miserius, nihilque despectius aut abjectius excogitari posse videatur. Ne quis vero tantum virum, adeoque supremo Numini gratum et acceptum, in tantas miserias casu aliquo fortuito incidisse opinetur, consultatio quædam præmittitur, in qua Deus ita quædam Satanæ in Jobum permittit, ut alia neget, ne quisquam Deum nullam omnino ejus curam gessisse, aut dæmoni pro suo libitu quidlibet in ipsum licuisse existimaret. Hæc itaque consultatio in hunc modum describitur.

Vers. 6. Variæ auctorum sententiæ de hac angelorum conventione. Prima.

6. QUADAM AUTEM DIE CUM VENISSENT FILII DEI UT ASSISTERENT CORAM DOMINO, ADFUIT INTER EOS ETIAM SATAN. — Variæ sunt auctorum de hac angelorum conventione ac super Jobi rebus consultatione, cui etiam Satan adfuisse scribitur, sententiæ. Ac *primo* quidem nonnulli existimant hanc interlocutionem non esse veram historiæ partem, sed per modum parabolæ emblematice insertam, eo scilicet fine, ut hac ratione omniscientia Dei, divinaque circa res humanas consilia, nec non bonæ sanctorum angelorum ac pravæ cacodæmonum machinationes, velut in imagine nobis ob oculos ponerentur : quapropter censent hujusce narrationis verba non in sensu proprio, sed metaphorice accipienda esse. Verum cum (ut in Præfatione ostendimus) communiori Patrum consensu et Ecclesiæ decreto constet librum hunc non parabolam, sed veram historiam continere, non est cur hanc interlocutionem ab historico ad parabolicum, et contra quam res et verba exigunt, a sensu proprio ad metaphoricum transferamus.

Secunda.

Secundo Hebræi, quos Eusebius, Eugubinus, Hugo et Vatablus sequuntur, aiunt hanc fuisse visionem quamdam imaginariam Moysi aut cuivis alteri hujus libri auctori a Deo exhibitam, qua de Jobi rebus in ordine ad libri hujus compositionem plenius instrueretur. Verum hæc expositio tametsi magis quam præcedens rationi consona videatur, cum ipso tamen contextu parum congruit. Narrat enim sacer textus Satanam non prius Jobi fortunas omnes evertisse, quam a Deo aut angelo Dei vicario, in colloquio isto, quod hic describitur, istiusmodi cladem irrogandi facultatem accepisset; cumque Jobus tanquam invictus athleta primum illum diaboli insultum infracto animo sustinuisset, in altero iterum conventu angelorum Satanam comparuisse, ampliorem in ipsum Jobi corpus grassandi potestatem postulasse atque impetrasse; ac tum demum ulcere ipsum pessimo a vertice capitis usque ad pedes operuisse atque afflixisse. Cum autem Jobus non in visione duntaxat quapiam imaginaria, sed reapse fortunis omnibus exutus, et ulceribus oppletus fuerit, cur sermonem illum in congregatione angelorum inter Satanam et Deum, seu angelum Dei vicarium, ex quo tota hæc afflictio originem duxisse narratur, ut figmentum in sola visione imaginaria cuipiam objectum, et non potius re ipsa, miro quidem, sed vero ac spiritali, quo angelos decet modo, habitum fuisse credamus?

Tertia et gemina.

Tertio itaque, et optime, alii censent id quod hic narratur reipsa vere, prout ad litteram verba sonant, contigisse, atque hæc est jam communior et verior Pinedæ, Sanctii et passim aliorum sententia, quam olim S. Dionysius Areopagita, Origenes, Cyprianus, Nazianzenus, Athanasius, Ambrosius et D. Thomas tenuerunt. Fuit enim hoc quasi *judicium* quoddam, ut Chaldæus interpretatur, aut consilium, cui sancti angeli, qui faciem Dei assidue contemplantur, consiliariorum seu assessorum more, divini Numinis irradiationem, nutum ac voluntatem circa rerum humanarum gubernationem observantes, eidemque munerum atque ministeriorum suorum rationem reddentes, assistebant. Inter quos comparuit et Satan, tanquam hominum calumniator et accusator, qui sanctis angelis eorumdem tutelaribus, clientes suos defendentibus, sese opponebat ac resistebat. Ita nimirum sonat littera, quæ quando in sua proprietate explicari potest, nequaquam deserenda est. Quamobrem hanc expositionem præ aliis probo, ac genuinam censeo. Neque enim existimandum est, in Jobo ejusque liberis sive defendendis sive oppugnandis pugnam et luctam unquam defuisse inter angelos bonos illorum tutelares et cacodæmonas, quibus id a tenebrarum principe datum erat negotii, ut ipsorum vitæ ac ruinæ insidiarentur, eosque, si possent, in exitium pertraherent sempiternum. In hunc fere sensum S. Athanasius in Quæst. *ad Antiochum*, de hoc Diaboli cum angelis congressu, Quæst. XII, sic interrogat : « Cum e cœlo diabolus prolapsus sit, quomodo scriptum est in Job, quod ingressi sint angeli Dei et starent in conspectu Domini, et Diabolus in medio eorum? » Cui quæstioni respondet his verbis : « Non dicit Scriptura quod in cœlo Diabolus venerit in medium angelorum : manifestum igitur est quod in terra. Etenim ubicumque sunt angeli, adstant Deo. Verum sciendum est, quod per sanctum aliquem angelum Diabolo locutus sit Deus, quemadmodum etiam reges per hominem quempiam intermedium suum alloquuntur adversarium; » ubi duo docet Athanasius, quæ ad scopum nostrum faciunt. *Primum*, scilicet hoc concilium non in cœlo esse habitum, a quo exclusus est diabolus, sed in terra, uti verosimile est, in domo Jobi, aut filiorum ejus, in qua Jobus una cum filiis erant congregati, adeoque simul aderant eorum angeli tutelares, qui de salute clientum suorum inter se tractabant, inter quos medius adfuit et Satan (quo nomine fortassis appellabatur malus ille dæmon, qui a nativitate Jobi nunquam ab ejus latere discessise dicitur), qui sicut Job inter filios suos medium ac digniorem locum occupabat, sic etiam inter angelos illorum tutelares, tanquam Jobo assiduus, medius quoque adfuisse memoratur. *Secundo*, exponit quomodo Satan non cum ipsomet Deo immediate collocutus sit, sed mediante aliquo angelo Dei internuntio seu interprete, qui hoc loco Deus appellatur, quia in hoc concilio Dei personam repræsentabat. Istiusmodi autem angelum in veteri Testamento Deum nuncupari solitum docent D. Thomas in II *Sent.*, dist. 8, *Quæst.* I, art. 6; Suarez, lib. VI *De Angelis*, cap. XX; Vasquez, in I part. disput. 185, cap. II, et alii passim interpretes ac theologi.

Quomodo Satan concilio angelorum interfuerit.

Per filios Dei angeli sunt intelligendi.

Cæterum hoc loco per *filios Dei*, sanctos angelos intelligendos esse patet ex contextu Græco, qui sic habet. *Et factum est sicut dies hæc, et ecce venerunt angeli Dei ut starent coram Domino, et Diabolus venit cum eis.* Licet autem in Scripturis homines æque ac angeli subinde filii Dei nuncupentur, ac revera per adoptionis gratiam tales esse significentur, pluribus tamen titulis ac prærogativis angeli præ hominibus hoc nomen ac munus sibi quodammodo vindicare posse videntur, *primo*, quia sicut ante homines creati, et gratiis amplioribus ornati fuere, ita etiam ante illos hanc adoptionis dignitatem et filiationis hæreditatem adiverunt; *secundo*, quia longe majori ac ferventiori in Deum Patrem amore ac charitate flagrant; *tertio*, quia in divinis nutibus observandis vigilantiores, et in præceptis ejusdem exequendis multo promptiores et expeditiores existunt. Taceo plurimas alias rationes et congruentias, ob quas præ hominibus (Christum unigenitum ac promogenitum Dei Patris semper excipio) excellentius angeli filiorum Dei nomen hæreditarint; quas pius contemplator ex eorumdem natura et proprietatibus ac virtutibus, a S. Dionysio in libro *De Cœlesti Hierarchia* luculenter descriptis, facile poterit assequi meditando.

Etiam angelos aliquo modo localiter moveri.

Porro illa verba : « Cum venissent ut assisterent, » sublimiorem, quam primo aspectu apparent, continent eruditionem. Si enim venerint, consequens est ut priorem, in quo erant, locum mutarint; unde Patres et theologi optime inferunt angelos localiter moveri, et cum omnibus in locis simul esse non possint, certum ac determinatum sibi a Deo præfixum habere spatium, quod occupent, modo scilicet spiritali sibique proprio, ita nimirum ut quilibet eorum totus sit in toto, totusque in singulis spatii seu sphæræ suæ partibus ac punctis a quocumque assignabilibus, quod scholastici theologi vocabulo sibi proprio vocant definitive, et non circumscriptive

http://www.obrascatolicas.com

in spatio sive loco versari. Quæ hic operosius et accuratius discutere non est nostri instituti, sed scholasticorum, qui in materia de angelis prolixas et fusas hac de re movere solent quæstiones. Illa quoque verba, *ut assisterent*, de angelis prolata, multiplicem apud Patres et theologos sortiuntur significationem et expositionem, ac *primo* quidem, si *assistere* sumatur pro *faciem Dei contemplari*, sic assistunt omnes boni angeli, qui semper vident faciem Patris qui in cœlis est; *secundo*, si *assistere* capiatur pro *laudare*, juxta illud *Isai.* cap. VI, 1 : « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et stantes Seraphim dicentes : Sanctus, sanctus, sanctus; » sic omnibus etiam beatis angelis convenit, nec ad hoc velut ad aliquid novum huc venisse dicendi sunt, cum semper id faciant; *tertio*, si *assistere* idem sit quod *immediatas a Deo illuminationes accipere*, solis id tribus primis ordinibus competit, qui supremam constituunt Hierarchiam; quam S. Dionysius, cap. VII *Cælest. Hierarch.*, ait : « Hoc ordinem nactam esse cæteris subliomiorem, quo in eam immediate Deo assistentem primævæ Dei apparitiones et initiationes tanquam in proximam principalius derivantur. » *Quarto*, si *assistere* stricte ac proprie accipiatur, quatenus *excludat omnem ad exteriora missionem*, sic, juxta S. Dionysium, *Cælest Hierar.* cap IX et XIII, et S. Gregorium, lib. XVIII *Moral.* cap. IX, soli quatuor primi ordines, scilicet Seraphim, Throni ac Dominationes, Deo jugiter, ex proprio scilicet officio assistunt, nec ad hominum negotia curanda vel dirigenda foras mitti solent. Quare nec in isto sensu verbum assistendi hoc loco sumi potest. *Quinto*, si *assistere* significet idem ac *promptum esse et expeditum ad omnem Dei nutum*, quemadmodum milites duci suo præsto sunt, ejusdemque imperia prompto animo excipiunt, cum id omnibus quoque angelis commune sit, qui semper ad omnem Dei voluntatem exequendam parati inveniuntur; istiusmodi significatio non satis etiam huic loco congruere videtur. *Sexto*, *assistere* nonnunquam ponitur pro *consulere*; unde consiliarii, supremorum præsertim tribunalium, nominatim in imperiali camera Spirensi, *assessores* nuncupari solent. Sic etiam de legislatore Hebræorum in sacris libris legimus *Exod.* cap. XVIII, 13 : « Sedit Moyses ut judicaret populum qui assistebat Moysi; » qui sensus verbi illius huic loco apprime congruit, in quo Deus una cum angelis suis consilium instituit, et suum de Jobi innocentia ac probitate judicium profert. *Septimo* denique *assistere* sumitur pro *patrocinari*; et sic angeli nostri tutelares coram Deo proprie pro nobis assistunt, dum sibi commissorum sive regnorum et rerumpublicarum sive hominum privatorum causam apud Deum agunt ac tuentur; quapropter etiam *adstites* nuncupantur; atque in ista significatione verbum istud hoc loco accipiendum

Quotuplici sensu angeli dicuntur assistere coram Domino?

esse patet ex eo quod Satan, tanquam Jobi calumniator et accusator, simul adfuisse significetur, quemadmodum pulchre ad hunc locum exponit Origenes dicens : « Cum venirent angeli gratias agere et confiteri pro sancto Job, venit et Diabolus, malignitate atque inflatione repletus adversus memoratum Job. Venientibus videlicet angelis venit et Diabolus, ut staret ante Dominum. Angeli venerunt ut gratias agerent et laudarent; Diabolus vero venit ut accusaret atque culparet. » Maximum profecto nobisque prorsus necessarium benignissimus Deus in hoc angelorum patrocinio præsidium conferre dignatus est, in quo gravissimi theologi claram et illustrem divinæ Providentiæ partem constituunt. Id quod accurato prorsus judicio penetrans et ingenue agnoscens Hilarius in *Matth.* cap. XVIII, negat imbecillitatem nostram absque illis spiritalium adversariorum insultibus resistere ullo modo potuisse, ideoque nobis opus fuisse « naturæ potioris auxilio. » Quod autem naturam potiorem illis attribuat, maximam eorum indicat dignitatem humana cuncta longe superantem. Sunt enim cœlestis aulæ principes ac Palatini apud supremum totius universitatis Dominum ac Monarcham cumprimis gratiosi, quibus dominans in nobis Deus ac summus imperator dedit hominum et omnium quæ sub cœlo sunt præfecturam atque curam, quam Justinus Martyr, *Apolog.* 1, propriissimo vocabulo vocat πρόνοιαν, id est, *providentiam*. Hanc autem angelorum providentiam in *Soliloquiis* suis, cap. XXVII, more suo magna devotissimi animi significatione pie celebrat D. Augustinus, dum in hunc modum communem omnium parentem Deum affatur : « Grandis est eis cura de nobis; magnus est effectus dilectionis eorum erga nos; et hoc totum propter honorem tuæ inestimabilis charitatis, qua dilexisti nos. » Et paulo post : « Beneficia tua, inquit, sunt hæc, quibus nos honorificasti, dans nobis angelos tuos spiritus in ministerium nostrum. » Hinc S. Hieronymus in *Matth.* cap. XVIII, præclare probat singularem et eximiam quamdam esse dignitatem animarum, quod eximio beneficio Deus earumdem curam, institutionem, providentiam, tutelam, beatis spiritibus commendet : « Magna, inquit, dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum deputatum. » Rem hanc expendens magnus Antonius, cum suos invitaret ad immortalia Dei dona et beneficia memori mente celebranda, inter alia : « Virtutes, inquit, nobis ministrare præcepit, quas nunquam oculis corporis conspeximus. » Alludit nimirum ad locum Pauli, *Hebr.* I, 14, in quo « administratorii spiritus » appellantur, quos S. Cyprianus « salutis nostræ ministeriales » vocat; David vero *Psal.* CII, 21, «ministros,» Tertullianus, lib. II *Contra Marc.*, cap. VIII, vertit « apparitores, » quod videlicet supremo totius universitatis dictatori

Munificum Dei beneficium, angelorum erga homines patrocinium.

Deo semper appareant, et præsto sint ad obsequium. Alias idem lib. *De Anima*, cap. XXXVII, angelos « officia divina » nuncupat, verbo e jurisconsultorum penu deprompto, quos vulgo *officiales*, id est, administros, apellamus. Doctor gentium eosdem alibi, nempe *Gal.* IV, 2, « actores » vocat, Græce εἰκονόμους, quod S. Hieronymus « tutores; » Syrus, *procuratores* interpretatur. Pari quoque ratione Epictetus, ut Arianus, lib. I, cap. XIV, annotavit, custodes genios ἐπιτρόπους nominat, veluti legitimos ac fideles, patrimonii Dominici curatores, quod ipsum e sacris oraculis hausisse par est. A Philone Judæo, lib. *De Insomniis*, eleganter apellantur etiam ὅτα καὶ ὀφθαλμοί, *aures et oculi*, quo dicendi modo scite alludit ad regum Persarum consuetudinem, qui satrapas ac familiares suos mittebant in provincias suo imperio subjectas exploratum omnia quæ in iis fierent aut dicerentur. Latini olim istiusmodi homines *auricularios* nominabant; Apuleius, *otacustas* Jus civile, *curiosos et beneficiarios*; S. Gregorius Nazianzenus, κατασκόπους, *inspectores*; Zonaras, eodem sensu ἐπόπτας; Tzetzes Chiliade septima πευθῆνας, *exploratores* : Aristides, κατηκόους, *auscultatores*; Seneca, lib. III *De Beneficiis*, «vestigiatores; » Valentinianus *novella* 7, « discussores. » Vult nimirum Philo Deum, tanquam supremum totius universitatis Monarcham, e cœlesti sua aula regia sanctos angelos, familiæ suæ principes, tanquam fidos quosdam auricularios, et rerum omnium inspectores, in hunc orbem terrarum mittere, ut animarum salutem et Dei gloriam procurent ac promoveant. Illud est quod S. Augustinus in *Soliloquiis*, loco superius citato, manifeste declarat dicens : « Intrant et exeunt nobiscum, attente considerantes quam pie, quam honeste in medio pravæ nationis conversemur, quantoque studio et desiderio quæramus regnum tuum, » etc. Passim autem SS. Patres appellant illos hominum *pædagogos*; S. Basilius etiam παιδάγας, id est *pastores*; Cyrillus apud Anastasium Nicænum, κατηχήσεως, seu *duces populi*. Plures eorumdem appellationes et officia vide apud S. Dionysium Areopagitam, lib. *De Cœlesti Hierar.*, ubi magnifice ac divine omnem eorum politiam exponit. E quibus omnibus liquido constat, quantam opem ad beatam vitam adipiscendam in eorum apud Deum gratia, quantumque præsidii in eorumdem tutela repositum habeamus.

Satan quantum formidandus.

Verumtamen ne tam potenti tutelarium nostrorum præsidio nimium præfidentes, ac de nobis ipsis noxie securi, salutarem omnino metum deponeremus, etiam Satan inter eos adfuisse describitur juratus animæ nostræ inimicus, cum quo bellum, ut Græci dicunt, ἄσπονδον, id est, fœderis ac induciarum expers, et irreconciliabile suscepimus. Subtilissima nimirum ingenii illius machinatio dolos semper struit ad circumveniendum opportunos, et vim parat ad eos quoque debellandos atque superandos, qui virtute jam robusti videbantur. Id divino plane spiritu prævidens Habacuc, qui a luctae et certamine nomen invenit, ubi diram ac cruentam Satanæ piscationem prophetico penicillo depingit, cap. I, vers. 16 : « Cibus ejus, inquit, electus. » Animas nempe cupit devorare, non plebeias; sed, ut ita dicam, patricias exquisitissimis cœli donis instructas, heroicas et divinas. Non est multum anxius aut sollicitus, si quis insigni aliquo scelere vel flagitio notatus occurrat, jam certo prope, colligit suam illam prædam esse futurem, ut non opus sit excogitato quopiam apparatu aut fraudibus ad fallendum ac perdendum eum qui sua sponte proruit in peccatum, et in malum præcipitat. Verum si quis objiciatur Jobo similis, vir virtutum omnium præsidiis et ornamentis instructus, atque singulari quodam Numinis amore inflammatus, qui omne vitium et flagitium vatiniano quodam odio prosequatur, neque sui duntaxat ipsius, sed aliorum insuper salutis desiderio summo teneatur, atque Dei gloriam omni studio promovere atque amplificare cupiat; hunc omnibus malitiæ viis insequitur, in hunc omnes nequitiæ nervos intendit, in hunc mille nocendi artes excogitat, et omnem movet lapidem ut ipsum a religioso vitæ proposito dejiciat, et in vitiorum laqueos cipposque veternosi artificii machinatione inductum, ac Dei tandem gratia virtutumque præsidio spoliatum in interitum secum trahat sempiternum. Hoc porro dæmonis præcipuum in electos odium, et indefessum iisdem nocendi studium, exemplo Jobi fiet manifestum, cujus ardentissimo (quippe cibi electissimi) devorandi desiderio cum teneretur, ut voti compos fieret, in angelorum concilium callidus ille veterator irrepsit, ad quem Deus, sive angelus concilii præses, locum Dei tenens, in hunc modum qui sequitur sermonem direxisse perhibetur :

Vers. 7. Cur Deus omniscius interrogat Satan unde veniat.

7. CUI DIXIT DOMINUS : UNDE VENIS?—Septuaginta vertunt : *Et dixit Dominus diabolo : Unde ades?* Hebræus textus hanc interrogationem effert in futuro : *Unde venies?* quo modo etiam Regia legunt. Quod aliqui ab Hebræis per tempus futurum exprimi putant, ad insatiabile dæmonis erga nos odium ac nocendi studium explicandum; quippe qui quamtumvis multa nobis mala irrogarit, a novis tamen semper damnis et molestiis inferendis nunquam cesset, sed non nemo fortassis movebit hic quæstionem, cur Deus cui, ut Apostolus ait, *Hebr.* cap. IV, 13, « non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus, ab ipso Satana sciscitetur ac petat, per quæ loca, vel per quas vias illuc advenerit. Cui respondemus, hanc interrogandi formulam, qua Deus, seu angelus Dei vicarius, hoc loco usus scribitur, nequaquam esse dubitantis aut ignorantis, sed severi potius judicis pro tribunali sedentis, ac Satanam tanquam reum examinantis taciteque perfidiam ac vecordiam illi suam exprobrantis, quod ordinem deseruisset, ac principatum suum

http://www.obrascatolicas.com

perdidisset. Quo sensu etiam in Genesi Deus Adamum postquam peccaverat interrogasse scribitur, *Gen.* III, 9 : « Adam, ubi es? » et Cainum *Gen.* IV, « Ubi est frater tuus? » et in Evangelio villicum iniquitatis, *Luc.* XVI, 2 : « Quid hoc audio de te? » Sic et perfidis Judæis ait, *Deut.* XXXII, 37 : « Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam? » ac Judæ proditori dixit *Matth.* XXVI, 50 : « Amice, ad quid venisti? » Omnes enim istiusmodi interrogationes non tam dubitationem aut ignorationem quam indignationem innuunt, et simul tacite insinuant jam criminis reos ita convictos teneri, ut vel inviti scelus suum fateri compellantur, nec ulterius illud excusare aut negare valeant. Nonnihil aliter hunc locum accipit et exponit S. Gregorius, lib. II *Moralium*, cap. III, dum in hac interrogatione reprobationis agnoscit mysterium dicens : « Quid est, quod venientibus angelis electis nequaquam dicitur : Unde venitis? Satan vero unde veniat percunctatur? Non enim requirimus nisi utique quæ nescimus. Nescire autem Domini reprobare est. Unde quibusdam in fine dicturus est : *Nescio vos unde sitis; discedite omnes operarii iniquitatis.* Sicut et nescire mentiri vir verax dicitur, qui labi per mendacium dedignatur; non quia si mentiri velit nesciat, sed quod falsa loqui veritatis amore contemnat. Quid est ergo dicere ad Satan : *Unde venis?* nisi vias illius quasi incognitas reprobare? Veritatis igitur lumen tenebras quas reprobat ignorat. Et Satanæ itinera quia judicans damnat, dignum est ut quasi nesciens requirat. » Hinc nimirum Deus passim in scripturis peccatorum viam nescire dicitur, quia dum peccant, intentionem suam cum Deo minime communicant, nec ejus consilium aut auxilium implorant. Quo spectat etiam illud quod improbis principibus apud Oseam Dominus improperat dicens, *Oseæ* cap. VIII, 4 : « Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes exstiterunt, et non cognovi. » Quod Septuaginta vertunt hoc modo : *Sibimetipsis regnaverunt, et non per me; principes exstiterunt, et non indicaverunt mihi.* Ab angelis ergo probis hoc loco Deus unde venirent minime requirit, quod vias et itinera ipsorum exacte cognoscat et approbet, quandoquidem ipso inconsulto aut invito nihil aggrediuntur aut moliuntur, sed nutum divinæ voluntatis ac beneplaciti in rebus omnibus diligentissime observant, et fidelissime ac promptissime exsequuntur.

Denique hæc interrogatio a Deo in hunc finem ad Satanam directa videtur, ut in laudes Jobi fusius excurrendi et deinceps quæ ad majorem suam gloriam de Jobo statui vellet exsequendi occasio præberetur. Quemadmodum igitur angeli dixerunt ad Abraham, *Genes.* XVIII, 9 : « Ubi est Sara uxor tua? » non quod ignorarent, sed ut deinde nuntiarent ei futurum, ut ex illa filium susciperet, sic utique Deus etiam hoc loco diabolum unde veniret interrogat, ut de Jobo sermonem ingereret, et Satanæ licentiam daret ipsum affligendi, quo virtus ejus illustrior evaderet atque hoc modo omnia ad rationem loquendi et intelligendi nostram componerentur. Huic ergo interrogationi quid Satan responderit expendamus.

Exponitur modus colloquii Deum inter et angelos.

QUI RESPONDENS AIT : CIRCUIVI TERRAM, ET PERAMBULAVI EAM. — Septuaginta vertunt : *Et respondens diabolus Domino dixit : Postquam circuivi terram, et perambulavi eam quæ sub cælo, adsum.* D. Gregorius, lib. II *Moralium*, cap. IV, V et VI, occasione hujus responsi Satanæ fusius exponit modum quo Deus cum angelis ac dæmonibus et hi vicissim cum Deo colloquantur; ait autem Deum, quando angelos alloquitur, novas quasdam ipsis indere revelationes, quibus de Dei voluntate circa res a se agendas plenius instruantur, adeoque pro mandatis ac præceptis inserviant; angelos e contra tunc Deo loqui, quando ex visis exsurgunt in motum admirationis, vel cum affectiones suas ei repræsentant, quas tamen non latuisse Deum minime dubitant. Unde subtiliter Div. Thomas, I part., *Quæst.* CVII, art. 3, tradit hanc inter has locutiones differentiam, quod Deus loquens ordinetur ad angelum sicut agens illuminans et revelans; angelus vero loquens ad Deum, velut passivum ad agens, cognoscens et accipiens quidpiam ex Deo. Sed hæc scholasticis, qui hac de re fusissimas instituunt disputationes, accuratius discutienda relinquo, et ad ipsam dæmonis responsionem expendendam me confero. Ac imprimis ex eo quod terram se perambulasse dicat, haud obscure insinuat, se non gregarium quempiam de plebe dæmonum, sed inter suos principem, cui reliqui parerent, exstitisse, nec in unam duntaxat civitatem aut provinciam, quam infestaret, aut suis qualibuscumque legibus moderaretur, potestatem accepisse, sed in totum quam late patet orbem sublunarem, imperium tenuisse, ideoque universam, ut in Græco est, τὴν ὑπ' οὐρανὸν, *quæ sub cælo est*, terram perambulasse ad instar imperatoris aut regis alicujus, qui fines imperii sui et passibus lustrat et imperio continet.

Responsio dæmonis expenditur.

Quid hic per terram intelligitur?

Non dixit autem se perambulasse cœlum aut aerem, sed terram. Cœlum enim significat viros castos et puros omnique libidinis vitio immunes; hos autem non dicitur Satan perambulasse, quia hos timet, neque propius accedere audet; ast terra obscura et tenebris obsita, symbolum est eorum qui luxuria fœdantur. Itaque Deus dicitur cœlos perambulare, juxta illud *Job.* cap. XXII, 14 : « Circa cardines cœli perambulat, » diabolus vero terram. Cujus ratio est, quia Deus castis et mundis adhæret, diabolus autem luxuriosis. Hoc ex S. Gregorio dixerim, lib. II *Moral.* cap. XXXII : « Circuivi, inquit, terram, et perambulavi eam. Et notandum, quod non transvolasse, sed præambulasse se asserit, quia nimirum quem tentat nequaquam velociter deserit, sed ubi molle cor invenerit, ibi pedem miseræ persuasionis figit, ut immorando actionis pravæ vestigia imprimat, et ex suæ iniquitatis similitudine quos valet reprobos reddat, » ubi premit verbum illud *perambulavi*, quod longiorem moram significat; *q. d.* Omnes quidem aggreditur diabolus, omnes pulsat; verum viros castitate nitidos pervolat, neque longiorem moram trahit, dum eos tentat, sed dum ad homines libidine diffluentes et luxuria fœtidos accedit, apud illos demoratur, in ipsis ambulat, et cum eis libenter ac suaviter conversatur.

Cum ergo terram dicat Satan se perambulasse, nil mirum si Jobum non calcaverit, non vicerit, qui in cœlo mente vivebat? Unde Evagrius in *Catena*, cap. II : « Idcirco Jobum non perambulat, quia non est sub cœlo, cum in cœlo vitæ suæ positas habeat rationes : Jobum non perambulat, quia cœlestem erat politiam adeptus; » terra ipsa major, major mundo.

Quomodo terram circuit Satan?

Notandum vero id quod Latinus interpres transtulit *circuivi*, in Hebræo esse משוט *meschut*, a verbo שוט *schut*; quod proprie significat *attente discurrere, circumspicere, et explorare*; ut intelligamus dæmonem tanquam exploratorem omnia circumspicere, omnia considerare, omnia lustrare, atque imprimis hominum actiones, ipsasque animi propensiones curiosius perscrutari ac rimari, qua via invadere, qua parte aggredi et opprimere incautos possit. Ad hunc sensum Chaldæus quoque paraphrastes istam dæmonis circuitionem flexit, dum ita vertit : *A discurrendo in terram, ut inquirerem opera filiorum hominum, et ambulando in ea.* Itaque circuit ut seducat, quinimo ut flagellet. Nam ab eodem fonte Hebraico derivatur שוט *schot*, quod *flagellum* significat, seu virgam qua quis cæditur et verberatur. Sed quid flagellum, inquies, ad circuitum? Docebit nos id Forerius, qui in cap. X *Isaiæ* tradit *flagellum*, Hebraice שוט *schoth*, sic dictum, quod *circumpungat* et *circumagatur*, dum quis illo flagellatur. Quo quid aptius ad hoc propositum dici possit? Numquid enim Satanæ circuitio a flagello abest, quoniam circuit ut nos decipiat, et deceptos flagellis crudelissime cædat? Itaque dum terram circuibat, circuitum istum in Jobi flagellum destinavit atque convertit, sed ad ejus palmam et coronam, quia nimirum forti et æquo animo flagella sustinuit athleta fortissimus et invictus.

Quam formidandus Satanæ circuitus.

Quam porro formidandus sit omnibus istiusmodi Satanæ circuitus, quantaque vigilantia observandus, et quanta fortitudine atque constantia repellendus sit, ipsemet princeps Apostolorum diserte nos docuit ita monens, *epist.* I, cap. V, 8 : « Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide. » Neque enim in hac sua perniciosissima cruentissimaque circuitione moderationem aliquam adhibet aut quietem, vel præ defatigatione tanquam in clivo interjungit ut respiret; acer ubique ac vividus diu noctuque semper instat, nec somno eget, ut pote spiritus; quam ob causam angelus (cujus naturam retinuit) ab Hebræis עיר *khir*, id est *vigil*, appellatur. Quamobrem Isidorus Pelusiota, lib. II, *epist.* 164, dæmonem ait ad nos decipiendos semper ἀγρυπνεῖν, *insomnem esse*, et in perpetua quasi vigilia excubare; cumque celeritate sit incredibili, omnibus in momento locis adest; dumque abiisse putes, illico advolat, et celerius affilat pestilentem ignem quam fieri posse quisquam cogitasset. Quam, ut opinor, ob causam Hebræi vocant ipsum רשף *resceph*, quod Aquila, *Habac.* cap. III, vers. 5, *volatile*. S. Hieronymus *diabolum* interpretatur. Significat autem illud vocabulum quidquid noxio et flammifero quodam impetu citissime pervolans, cladem, pestem, luctum et calamitatem circumfert, qualia sunt fulgura venenata ignitæque sagittæ, quæ subito visæ subitoque tactæ perniciem afferunt. Talis omnino est Satanas, quem propter volaticam malitiam ignemque impetum animi decus inflammantem ac destruentem Dei Filius in Evangelio « fulgur de cœlo cadens » nuncupavit, *Luc.* X, 18. Admirabili enim celeritate noxam ubique circumvehit, vim omnem honestatis gratiæque dona adurit, et quantum sæva et pertinaci contentione potest, labefactat. Hinc gentiles, ut opinor, e sacris, uti solent, libris occasione sumpta maleficam quamdam finxere deam, quam *Aten* vocant, hoc est *læsionem*, quod, ut Homerus canit, πάντα ἀᾶται, *omnes lædat*, et pestilens suum virus afflet mortalibus, quo quotquot tacti fuerint, intereant universi. At profecto nocentior est dæmon infernalis, pessimus ille genius, cujus pestilentissimo afflatu et instinctu pereunt quotquot intereunt; ejus plane nemo, nisi divino munitus præsidio, venenosum unquam halitum sine noxa excipere, aut igneos vibrantesque malleolos, nisi adamantino Dei scuto defensus, sine lethali vulnere effugere ullo modo potuit. Impia enim illa mens nunquam dormitat, sed semper in malum vigil, et stimulis invidiæ ferox, tot sæculorum decursu jam inde ab initio ad fallendum et vexandum erudita, strenue se in hoc opificio versat expolitque. Hinc sicut Evæ cupiditatem, Caino parricidium, filiis hominum libidinem et Numinis oblivionem instillavit; ita scelere et audacia perditos ad latrocinium, avaros ad aurum, sicarios ad ferrum, petulcos ad voluptatem, vanos ad ambitionem impellit. Quapropter divino prorsus judicio Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. I : « Lato, inquit, atque diffusa est operatio mali (hoc est dæmonis) multiplicia spiritus incitamenta jaculantis; » jaculantem introducit inimicum, cor et vitalia trajicere molientem. Educit autem e pharetra sua grandi et abominanda « multiplicia incitamenta, » seu incentiva, fraudes exquisitas, scelerum modos prope infinitos, quos in animam ejaculatur; neque frustra. Innumerabiles enim sunt illius victoriæ, ob quas in medio filiorum Dei insolentissime gloriatur dicens : « Circuivi terram, et

http://www.obrascatolicas.com

perambulavi eam. » Ad quem locum præclare Origenes : « Circuit, inquit, omnem terram non carnalibus vestigiis, sed circuitionibus iniquitatis; non terrenis gressibus, sed spiritualibus seductionibus. Terram circuis, o diabole, ad desolandum et exterminandum. » Sic ille. Vide quantum nocere tentet isto circuitu; explorat nimirum et indagat hominum studia, ut unumquemque aptis machinis impetat, et armis opportunis expugnet. Denique tangit etiam hoc responsum immanem illam Diaboli superbiam, qua inflatus, cum ipsomet Deo de terræ dominio ac regno dimicare audet, et imperium Dei labefactare, suumque statuere conatur. Nam *perambulare terram* idem est Hebræis, quod eam subigere, ac in potestatem redigere, quemadmodum in Psalmis suis David rex ait : « In Idumæam extendam calceamentum meum; mihi alienigenæ subditi sunt, » *Psal.* LIX, 10. Unde etiam in *Deuter.* XI, 24, dicitur : « Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit. » Est enim istiusmodi perambulatio et conculcatio signum quoddam dominii ac potestatis in rem quam quis perambulando conculcat. Hoc ipso igitur dæmon, quo se terram perambulasse jactat, totius quoque orbis quodammodo sibi arrogat principatum, et in omnes quotquot ejus ambitu continentur, tyrannicum usurpat imperium. In simili fere occasione, arrogantia non dissimili, coram Christo quoque postmodum de totius mundi dominatu superbe se jactasse fertur in Evangelio, ubi Dei Filio in montem evecto universa mundi regna ostendisse scribitur ac dixisse, *Matth.* IV, 8 : « Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. »

Diaboli superbia.

Ad hanc igitur Satanæ superbissimæ mentis elationem deprimendam et inanis ejus jactantiæ fastum retundendum et illudendum divino prorsus consilio decrevit Deus non aliquem cœlestis exercitus ducem militemve; sed Jobum, virum humilem ac simplicem, cum insolentissimo tenebrarum principe in arenam introducere, ad singulare certamen cum ipso ineundum; qua occasione hic de Jobo deinceps sermonem instituit.

Vers. 8.

8. DIXITQUE DOMINUS AD EUM : NUMQUID CONSIDERASTI SERVUM MEUM JOB, QUOD NON SIT EI SIMILIS IN TERRA, HOMO SIMPLEX ET RECTUS AC TIMENS DEUM, ET RECEDENS A MALO? Septuaginta vertunt : *Et dixit ei Dominus : Attendisti mente tua super puerum meum Job? quod non est juxta eum in terra? homo sine crimine, verax, colens Deum, abstinens ab omni mala re?* Hebræus pro *considerasti* habet : *Numquid posuisti cor tuum super servum meum?* Qui loquendi modus exactam mentis observationem et studiosam animi attentionem designat, qua nimirum id quod oculis exterioribus cernitur intimo mentis sinu excipitur, et pensiculatius consideratur atque minutim examinatur, quo sensu in I *Reg.* XXV, 25, dicitur : « Ne ponat, oro, Dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum; » id est : Ne iniqui istius hominis actiones minutim et attente expendas aut examines. Hoc igitur loco similiter ista verba : « Numquid considerasti servum meum Job, » eamdem vim habent, ac si diceret : Quando terram perambulasti, et ad Jobum virum omni admiratione dignissimum pervenisti, numquid forsan leviter ipsum præteriisti, et quasi de via per transennam obiter aspexisti? an vero illius te consideratio fixum et hærentem tenuit, et sedulo ac minutim omnes ejus actiones quemadmodum ego perscrutatus es et admiratus? Tanta nimirum animæ virtutibus exornatæ pulchritudo est tantaque amabilitas, ut non hominum duntaxat ad se oculos alliciat, verum etiam angelos, atque ipsummet, si dictu fas sit, Deum in sui rapiat admirationem. Id ipsum S. Paulus insinuare videtur cum ait : « Spectaculum facti sumus mundo et angelis et hominibus, » I *Cor.* IV, 9, ubi pingit hunc mundum tanquam circum agonalem, palæstram aut pulverem olympicum, in quem viri sancti, præsertim apostolici, velut pugiles animosi et athletæ fortissimi ingredientes gratissimum superis spectaculum præbent, dum cum pammachis sævo ardore furentibus, cum pyctis malevolis et robustis (dæmonibus, inquam, infernalibus), in nomine Domini dimicantes, semper invicti et ἀκαθαίρετα *inexpugnabiles*, existunt, et innumeras ab hoste palmas et victorias reportantes, cœlestis totius theatri plausum concitant ad gratulationem. Solet nimirum Deus in viris sanctitate conspicuis sibi quam maxime complacere, quinimo et gloriari; unde apud Isaiam, cap. XLIX, 3, ait : « Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor, » et jure quidem meritissimo, cum viri sancti sint deliciæ, thesaurus et regnum Deo, imo et corona, quemadmodum testis locuples idem vates, cap. LXII, 3, de viro justo aperte vaticinatur : « Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui; » quibus verbis ostendit piam animam decore onustam non modo a Deo coronari, verum etiam, ut aiebam, esse quodammodo ipsius Numinis diadema, eoque velut ornamento lætari ac gloriari. Hanc igitur ob causam hoc etiam loco Deus, in Jobo viro integerrimo animaque sanctissima sibi complacens, in ejusdem laudes et præconia gloriabundus excurrit, dum virtutes ejus prorsus singulares ad omnium quidem imitationem et admirationem; diaboli vero invidiam et despectionem veluti tropæa quædam maxime illustria nobis ob oculos ponit, et amplissimis in cœlum laudibus extollit, dicens, « quod non sit ei similis in terra. De quo, dic, amabo, Deus ita unquam antea locutus fuit? cui tale præconium unquam dedit? Magna profecto et vera laus est, quæ non quæritur, sed tenetur; nec « ex hominibus, sed ex Deo est, » *Rom.* II; quam solam S. Paulus jure merito magni faciendam et ambiendam docet, postquam inanes hominum laudes (ut S. Chrysostomus observat) ὡς δεινότατον κενοδοξίας σκῆπτρον, *tanquam pestilentissimum*

Deus ipse Jobi virtutes extollit.

vanæ gloriæ scopulum, velis remisque vitandum monuit. Laus enim quæ ab hominibus procedit plerumque fallax est et vana, præterquam quod admodum instabilis sit, ac plurimis mutationibus obnoxia; at laus quæ a Deo venit vera est et solida, et inconcussa, atque instar marmoris aut adamantis firma manet ac perennat, siquidem laus Dei vere efficit et confirmat id quod laudat, quemadmodum eleganter D. Anselmus ad citatum Pauli locum annotavit : « Non ex inani, inquit, vocabulo laudatur ab hominibus, sed ex intima veritate a Deo, qui per suam gratiam præstat ei unde laudari possit. » Sunt nempe hominum laudes inania duntaxat vocabula, nec quidquam rei continent aut conferre possunt. At laus quæ a Deo est, præterquam quod, ut Synesius epist. 62 loquitur, ἀληθὴς μισθὸς ἀρετῆς ἐστι, *vera sit virtutis merces :* insuper, ut Bion apud Stobæum, *serm.* 41, ait, τὰ πράγματα κρείσσονα ποιεῖ, *res meliores efficit.* Hinc quando quispiam a Deo laudatur, quidquid dicitur et vere dicitur, et reipsa efficitur, atque in eo confirmatur : v. g., si quis de constantia vel robore fide laudetur a Deo, tam robustus illico efficitur, et in veritate stabilitur, ut ad instar cujusdam cautis ac durissimæ rupis quantumvis tumentes et furentes persecutionum fluctus atque procellas tranquillus omnino ac securus irrideat.

Fallax laus quæ ab hominibus procedit; vera quæ a Deo venit.

Quid igitur mirum, si Jobi virtus in omni fortuna constans et inconcussa permanserit, cum virtutes a Deo in homine laudatæ usque adeo confirmentur atque consolidentur, ut instar marmorum aut adamantis adversus omnem vim et violentiam indurescant et illæsæ permaneant? Quamobrem divine omnino Chrysostomus in *Catena* : « A cunctis, inquit, hominibus omnique terrarum orbe contemni quid tandem obfuerit, si is qui angelorum Dominus est, nostrarum rerum laudator ac præco fuerit? Contra, quid juverit a terrarum et maris cunctis incolis prædicari, de nostris laudibus Deo silente? Id igitur ipsi semper spectemus, ut de nobis prædicet Deus; id quod si nacti erimus quamvis in nos universa quæ sensu hauriuntur mala sese effundant, cunctis tamen erimus superiores. » Nulla enim omnino mala, nullus quantumvis gravis hac violentus calamitatum aut tentationum incursus unquam prævalebit adversus virtutes quæ a Deo in nobis laudatæ fuerint. Quapropter hoc satagamus, et in hoc totis viribus incumbamus, ut frivolis et inanibus hominum plausibus ac laudibus contemptis, solam quæ a Deo est veram laudem mereamur, siquidem hæc, præter quam quod vera sit et solida, ipsam in nobis efficit ac stabilit veritatem. Hanc profecto verissimam quæ a solo Deo est laudem insigni hac prærogativa consecutus est Jobus, « quod non sit ei similis in terra; » quia nimirum in omnibus virtutibus primas tulit, qui nullum alium viderat imitandum. Unde S. Augustinus ex utroque mixtim *Quæst.* CXVIII : « Non est, inquit, Job similis in terris verus Dei cultor. Quis tantum potuit promereri, cui tale Dominus testimonium perhiberet, nisi hic, qui non imitator invenitur, sed auctor eorum quæ gessit? » Cum igitur ipse imprimis sibi Deum singulari pietatis studio colendum ac venerandum proposuerit, neminem antea videns Dei cultorem, cujus sequeretur exemplum, merito etiam inter suos coætaneos, tanquam virtutum princeps, hanc primam et præcipuam a Deo laudis adoream est consecutus, « quod non sit ei similis in terra, » id quod Origenes expendens probat eum supra omnes in sanctitate excelluisse Patriarchas : « Magnus, inquit, erat in fide Abraham, sed excellit illum Job in tolerantia. Magnus erat Jacob in cordis munditia, sed non fuit minor illo Job in misericordia; adversus cæteros omnes priores et novissimos non succubuit in virtutum studiis. Omnia enim quæ fecerunt sancti, fecit etiam Job; quod autem sustinuit cum gratiarum actionibus, hoc nihilominus nullus alius sustinuit. » Quod etsi verum, tamen illa erat peculiaris Jobi excellentia (ut recte notat Pineda noster) cum tantis opibus tantam conjungere pietatem. Et sane non absque ratione hoc asseritur : nam non frustra ante Dei commendationem, ante Jobi sanctitatis cum Diabolo disceptationem, sic minutatim ejus amplitudo rerum earumque magnificentia describitur, quasi quid innuens singulare, unicum extraordinarium præ cæteris, simul opes ac sanctitatem, pietatem, munditiam Deique timorem possidere. Hinc quasi de re unica ac extraordinaria, gloriabatur Deus, « quod non sit ei similis in terra. »

Quanti facienda laus quæ ex Deo est?

Huic autem divino de Jobi virtutibus testimonio non absimile est illud quod de sanctis pontificibus canit Ecclesia : « Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi, » quo nihil aliud significatur quam eorum unumquemque suo sæculo insigni pietatis gloria floruisse et præ cæteris excelluisse; non enim singulos cum singulis aliis viris sanctissimis, sed cum suis duntaxat æqualibus et coætaneis comparat.

Cum igitur Job tanta esset præditus vitæ sanctimonia, merito ipsum Deus tanquam pancratiastem quemdam et generosissimum pugilem in circum agonalem et publicam arenam adversus Satanam introducit, ad insolentem superbissimi cacodæmonis arrogantiam retundendam, et ut simul ostenderet, nequaquam viribus Diaboli adscribendum, quod plurimi homines in ipsius potestatem redigantur, sed illud soli improborum hominum impietati atque perfidiæ imputandum esse, quod cum facile divina opitulante gratia Diaboli conatibus possent resistere, vecordia sua Deum deserentes, sponte ac volentes impiissimæ et dirissimæ ipsius sese mancipent servituti. Quare risu et cachinno sibiloque dignus videtur Diabolus, dum sibi totius mundi arrogans principatum insolenter coram Deo se terram circuisse ac perambulasse jactitat, cum Job, homo natura suc-

Quo titulo Job Dei laudes consecutus est?

Hominum impietati, non tantum si Diabolo vincantur.

http://www.obrascatolicas.com

imbecillis, in tantis opibus tot peccandi periculis expositus, tot voluptatum atque deliciarum illecebris ad peccatum suaviter invitantibus undique circumdatus, pernicioso insuper perditissimorum hominum exemplo ad omne malum provocatus, millies a dæmone tentatus, nusquam tamen ab officio probi ac religiosi viri unquam desciverit, sed suam in dies virtutem gloriosissimis auxerit incrementis, et e pugna semper victor evaserit, innumeras referens palmas ac triumphos.

Unde cum Deus Diaboli, principis nequitiæ, ac scelerum omnium machinatoris, malitiam punire vellet, coram eo Jobi justitiam commendavit dicens : « Numquid considerasti servum meum Job ? » etc. Fuit hæc Jobi commendatio flagellum quoddam immane, quo Satan vulneratus in rabiem et invidiam exarsit, juxta illud Davidis, postquam justi virtutes extulerat, dicentis *Psal.* CXI, 10 : « Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet ; » ubi *irascetur* idem est quod *invidebit*, prout Vatablus exponit. Ea quippe invidiæ natura est, ut alienis bonis crucietur. Satan igitur auditis Jobi laudibus statim iis tenebras effundere conatur.

Vers. 9. Dæmonis adversus Job calumniæ.

9. CUI RESPONDENS SATAN AIT : NUMQUID JOB FRUSTRA TIMET DEUM ? Septuaginta vertunt : *Num gratis Job colit Dominum?* Attende mecum hic paulisper ad malitiosam nequissimi veteratoris astutiam, et ut vaferrimum ejus calumniandi ingenium agnoscas, confer hoc ejus responsum cum verbis Domini præcedentibus. Quibus a simplicitate, a rectitudine, a timore divino, ab innocentia et eximia in his omnibus virtutibus singularitate Jobum commendabat : ait enim « quod non sit ei similis in terra, homo simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo. » Quid ad hæc Satan ? « Numquid, inquit, Job frustra timet Deum ? » Non illustrem ipsius candidissimi pectoris simplicitatem, non morum rectitudinem, non vitæ innocentiam, nec in his omnibus singularem ejus prærogativam commemorat, sed solum timorem in medium affert, ut illum cavillis impetat et traducat. « Verba profecto hæc Diaboli sunt, » id est, calumniatoris, ut *Græcæ Catenæ* Auctor hoc loco prudenter observavit. Non enim maligni sui spiritus artisque veteratoriæ manifestiora signa vel evidentiora dare potuit argumenta, quam quod e tanta virtutum segete tenuissimam duntaxat timoris servilis spicam elevet, et calumniis suis comminuendam ac discerpendam designet. « Non fecerat Job malum (inquit Hugo Cardinalis) quod argueret Satan, bonum ejus diminuit. » Hoc nempe proprium est Diaboli, cum sit virtutis inimicus, ac veræ laudis invidus, ut id quod ex virtute fit vitio vertat, et in pejorem partem accipiat. Non est, inquit, is verus Dei timor, quem in Jobo tantopere collaudas ; non est sincerus amor, sed mercenarius, qui non te propter te, sed propter tua colit, ut in eum prædivite cornu terrena bona conferas et collata conserves et amplifices. Occultissimam nimirum animi intentionem invidis oculis penetrabat, ut quæ deforis pulchra videbantur ex internis maculis, quas suspicabatur, corrupta judicaret, quemadmodum ad hunc locum in *Catena* optime annotavit Olympiodorus, ubi ait : « Animadverte improbitatem ; cum ea quæ dicta erant incessere non posset, animi sententiam insectatur, et ad ea quæ latent se idcirco refert, quia quæ aperta et explorata sunt illi elabuntur. » Hoc nempe proprium est Diaboli ingenium, et solitum perfidi illius veteratoris artificium, cuncta vitiantis, et optima quæque calumniose traducentis. Humanæ quidem infirmitatis esse cognoscitur, ex primis ac levibus interdum indiciis sinistram de aliis opinionem concipere, et eorum facta temere judicare, necnon ea quæ dubia sunt in pejorem partem interpretari ; verum illa quæ manifeste bona sunt absque ullo pravitatis indicio calumniari, atque ex occulta animi intentione damnare, solius dæmonis est et filiorum ejus. Consultius proinde, multoque æquius et per omnem modum satius est, occulta quæ non videmus ex externis recte factis, quæ nobis nota sunt, esse bona conjicere et interpretari, quam externa bona ex occultis, quæ ignoramus an forte adsint, pravis intentionibus præsumere condemnare. Hac quidem prægnante et quodammodo necessaria argumentatione Romanos magistratus malignitatis et injustitiæ arguebat et convincebat Tertullianus in *Apologet.*, cap. III, quod nimirum fideles, quos alias morum probitate atque innocentia vitæ conspicuos nossent, ex solo nomine christiano ipsis penitus ignoto peremptorie damnarent, cum multo æquius foret, ex iis quæ manifeste bona erant occulta probare, quam ex occultis manifesta damnare. Cum enim dixisset : « Quid, quod ita plerumque clausis oculis in bonum ejus impingunt, ut bonum alicui testimonium ferentes admisceant nominis exprobrationem. Bonus vir Caius Seius, sed malus tantum quod christianus ; subdit : « Laudant quæ sciunt, vituperant quæ ignorant, et id quod sciunt ex eo quod ignorant corrumpunt, cum sit justius occulta de manifestis præjudicare, quam manifesta de occultis prædamnare. » Ita Tertullianus. Hic Apostolus quoque priscorum vitia philosophorum perstringens hujuscemodi diserte meminit malignitatis, dum illos ait « repletos omni iniquitate, etc., dolo malignitate, » Græce κακοηθίας, *Rom.* I, 29, quod (ut recte ibidem annotat Justinianus noster) Aristoteli est vitium, quo omnia in deteriorem partem accipiuntur. Unde Syriacus interpres pro *malignitate* vertit, *pessimis cogitationibus*. De ipso autem Pauli sæculo hac luc infecto ita morum censor et Latinorum sophus Seneca lib. *De Tranquillitate animi*, capite tertio, graviter pronuntiabat : « In hac tam insana hominum ambitione, tot calumniatoribus in deterius

Solius dæmonis est et filiorum ejus manifeste bona, ex suppositione pravæ intentionis condemnare

recta torquentibus, parum tuta simplicitas est. » Nec crediderim leviorem esse hodiernam hominum ambitionem, ut mitiores de proximis cogitationes habeant ; imo vero quo ipsi in peccata proniores in dies sunt, eo ad actiones aliorum sinistre ac temerario judicio interpretandas procliviores feruntur, sive quia ipsi vitiis dediti ex suo animo omnes æstimant, et proprio pede metiuntur ; sive denique quia aliorum vituperationem suam esse laudem arbitrantur. Sic Pharisæi invidi, ne Christi miraculis convincerentur, ipsum in Beelzebub principe dæmoniorum ejicere dæmonia jactitabant, *Luc.* XI, 15 ; erant quippe filii Satanæ illius qui Jobi erga Deum officia non sine pretio benigna, sed mercede conducta esse petulanter criminabatur. Unde subdit :

Vers. 10.

10. NONNE TU VALLASTI EUM, AC DOMUM EJUS, UNIVERSAMQUE SUBSTANTIAM PER CIRCUITUM, OPERIBUS MANUUM EJUS BENEDIXISTI, ET POSSESSIO EJUS CREVIT IN TERRA ? — Malitiose prorsus dæmon hic confirmare nititur quod præcedenti versu paulo ante objecerat, nempe Jobum minime gratis aut animo ingenuo ac liberali, sed lucri causa ad instar mercenarii condicto quasi pretio Deum colere ac venerari ; quapropter singularia quædam Dei erga Jobum beneficia commemorat, quibus quodammodo ejus operam emisse aut conduxisse videretur. Quod dum agit, tam Deo quam Jobo plurimum detrahit : Deo quidem, quasi nullos veros ac sinceros, sed fictos duntaxat et mercenarios amicos haberet ; Jobo autem, quod non virtutem coleret, sed mercaturam exerceret. Perfecta enim virtus et ratio postulat, ut Deum propter se, non tam compendii nostri quam ipsiusmet bonitatis et præstantiæ causa observemus. Cæterum eleganti admodum metaphora fatetur Satan se nihil adversus Jobum prævalere unquam potuisse, eo quod singulari Dei protectione tanquam vallo quodam validissimo circumdaretur : « Vallasti, inquit, eum, ac domum ejus universamque substantiam per circuitum ; » quasi dicat : Tam firmo et potenti præsidio ipsum et bona ejus cum interna tum externa munivisti, et in circuitu undique quasi muro quodam adamantino cinxisti, ut omnis ad ipsum tentandum et oppugnandum aditus mihi hactenus plane fuerit occlusus. Deum enim electis suis murum, et quidem adamantinum igneumque, existere sacri vates divinitus illuminati testantur, ac in primis *Amos* VII, 7 : « Ecce, inquit, Dominus stabat super murum litum, quod Septuaginta significantius reddunt, *super murum adamantinum*. Non modo velut mœnia ex adamante se hostibus objicit, verum ipse in excubiis agit, « et in manu ejus adamas, » hoc est, clypeus adamantinus gladiusque. Arma omnia ex adamante, ut divini præsidii robur vimque invictam intelligamus. Huc etiam spectat quod Zachariæ ore Deus ipse pronuntiat, cap. II, vers. 5 : « Ego ero, ait Dominus, murus ignis in circuitu, et in gloria ero in medio ejus. » Quid igitur mirum si Job tutus omnino erat, quem adamantinus et igneus hic murus tegebat et custodiebat ? Circuiverat, ut ipse fatetur Satan, tanquam leo rugiens lupusque famelicus terram universam, quærens cibum aliquem electum, quo jejuni animi rabiem expleret ; ubi autem ad Jobum, quem faucibus suis jampridem destinarat, pervenisset, adamantinum igneumque divinæ protectionis murum sibi objectum vidit. Si oppugnare Jobum vellet, per medios ignes gradiendum erat, quorum æstu immenso afflabatur, et irriti conatus ejus in fumum et cinerem abibant. Dum ergo Satan frustra Jobum circuiret et circumsonaret, ipse Deus in gloria erat in medio ejus, reddens piam animam tranquillam, gloriosam, victricem, triumphantem. Hoc igitur est quod Satan apud Deum gravissime conqueritur, nempe Jobum tot undique cœlestibus juxta ac terrenis præventum ac repletum esse benedictionibus, tamque firmo divini præsidii vallo circumdari, ut nullum unquam hactenus accessum ad tentandum ipsum aut oppugnandum invenire potuerit.

Pergit Satan virtutibus Job detrahere.

Cur Jobum Satan vincere nequiverit?

Verum hic non levis occurrit dubitatio, quomodo videlicet Satan conqueratur divitias et terrenarum rerum abundantiam obstaculo sibi ac impedimento fuisse, quominus Jobum hactenus oppugnare valuisset, cum per se alias maximum ad homines ad quævis vitia et peccata pertrahendos adjumentum et momentum afferre videantur, utpote quæ facilem ad omne scelus viam sternant, et voluptatibus concupiscentiisque fomitem ac pabulum subministrent ? « Nam qui volunt divites fieri, inquit Apostolus I *Timoth.* VI, incidunt in tentationem et laqueum Diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. » Et veritas ipsa dicit, *Matth.* XIX, 23 : « Quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum. Et iterum dico vobis, facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. » Item alio loco divitias spinis confert, quæ semen verbi Dei suffocent, dicens *Luc.* VIII, 14 : « Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus vitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum. » Ecce tibi divitiæ vel ipsiusmet Veritatis testimonio spinæ sunt, ad vulnerandum acutissimæ, et ad perdendas animas aptissima Satanæ instrumenta, cur ergo conqueritur eas sibi ad tentandum Jobum fuisse impedimento ? Expende tantum ejus verba, quibus maximam inesse emphasim fatetur Pineda, et facilem invenies hujus dubii solutionem : « Vallasti, inquit, eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum. » Utique non in corde, non intimis præcordiis infixæ hærebant divitiæ ; sed exterius pro vallo ac sepimento serviebant, et sic ipsum muniebant. Non intima fœdabant aut lancinabant, sed exteriora coronabant, ac tali vallo circum-

Quomodo divitiæ obstaculo fuerint quominus Jobum Satan oppugnare valuerit?

http://www.obrascatolicas.com

cingebant, quod nulla bellua quantumvis ferox perrumpere aut transilire ullo modo potuisset. Huc facit illud D. Augustini in *Psal.* CIII, concione 4, dicentis : « Repulsus est tentator, observatum est caput ejus, penetrare non potuit ad cor, muratam civitatem forinsecus oppugnavit, sed non expugnavit. » Jam, ut opinor, aliquo modo capis mysterium; sed hoc ut plenius intelligas, velim illud quod in spinis manifestissimum est oculis notes, quemadmodum videlicet spinæ, si in interiori area frumento frugibusque permixtæ nascantur et crescant; ipsammet aream turpissime fœdant, et universa semina suffocant; at si non ipsis areæ visceribus excipiantur, sed deforis duntaxat illi circumponantur, ita ut eam undique cingant et coronent; tantum abest ut aream tunc ullo modo deturpent, aut frugibus officiant, quin potius maximo tunc illi sint emolumento atque ornamento, dum pro vallo et sepimento serviunt, quæ aream ipsam muniant, et sementem tutam ac fœcundam conservent. Pari modo ac ratione spinosæ divitiæ, si intimis radices agant præcordiis, et in ipsomet animi sinu anxiis vitæ hujus sollicitudinibus et curis foveantur, venena sunt præsentissima, pestesque animorum nostrorum depopulatrices, quæ quibuslibet spinis nocentius ac truculentius divini verbi semen in nobis penitus suffocent dissipentque; at si corde nequaquam excipiantur, nec affectus illis adhærescat, sed ad Dei gloriam, et in pauperum ac egenorum subsidium prudenter impendantur, tunc simul ornamento sunt ac munimento non secus atque agris sepes validissimæ, quas nulla unquam bellua nocitura transiliet. Ex dictis facile colliges propositi dubii solutionem, et simul intelliges, cur divitiæ, quæ laquei esse solent pedibus insipientium, S. Jobo (utpote sapienti) minime nocuerint, sed potius profuerint, juxta illud *Eccles.* cap. VII, 12 : « Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem. » Ut autem discas quonam pacto sapientia sibi utiles reddat divitias, ac facere possit ut res alioquin adeo exitiales proficuæ fiant ac salutares, audi Salomonem in *Proverbiis* dicentem, cap. XIV, 24 : « Coronæ sapientum divitiæ eorum, » id est, opes et facultates sapientibus coronas immarcessibiles pariunt, quia dum eas pauperibus distribuunt, ex iis æternæ sibi ipsis gloriæ corollas plectunt. Non ergo malæ sunt divitiæ, ut fanatici quidam hæretici olim docuerunt, sed mala et pestifera est earum cupiditas, quæ in avaro corde oritur, et suffocat sementem Dei. Si enim omnis inordinatus divitiarum affectus absit, nec ipsæ cordis intimo thesaurizentur, neque in arca occultentur, sed in pauperes prudenter ac liberaliter erogentur, nequaquam nocturæ, sed plurimas in omnem partem possessori suo allaturæ sunt commoditates, eique in hac vita contra malos omnes incursus munimento, et in futuro sæculo erunt sempiternæ felicitatis coronamento. Quamobrem Apostolus supra citatus non dixit divites incidere in tentationem et laqueum Diaboli, sed eos « qui divites fieri volunt, » hoc est, qui cordi infixum habent amorem divitiarum, de quibus Ecclesiasticus ait, cap. X, vers. 10 : « Nihil est iniquius quam amare pecuniam. Hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua. » Cave igitur tibi, ne intima tua possideat cupiditas divitiarum : dum enim hæc intima cordis tui tenet, nullum bonum inde non projicit; nullum malum ibi non parturit. Verum ubi cordis intima non cupiditati immolantur, sed soli Deo consecrantur, divitiæ nequaquam obsunt, sed multas afferunt utilitates, quemadmodum Ecclesiastes ait, cap. V, vers. 18 : « Et omni homini, cui dedit Deus divitias atque substantiam, potestatemque ei tribuit, ut comedat ex eis, et fruatur parte sua, et lætetur de labore suo, hoc est donum Dei. Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quod Deus occupet deliciis cor ejus. » Ecce tibi hominem prædivitem Dei beneficio bonorum omnium copiam circumfluentem, et ad invidiam usque opulentum; qui tamen nulla penitus sollicitæ et ærumnosæ vitæ spicula sentit, nec ullius unquam meminit mœstitudinis aut animi anxietatis. Hoc enim indicant ista verba : « Non recordabitur dierum vitæ suæ, » in oppositionem istius divitis avari, qui insomnem ducens noctem aiebat, *Luc.* cap. XII, 17 : « Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit : Hoc faciam : Destruam horrea mea, et majora faciam, et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, et bona mea; et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, » etc. Confer modo divitem cum divite, et quanta inter illos intercedat differentia evidenter cognosces. Hic de numero annorum vitæ suæ, quibus bona, quæ reposita habebat plurima, sufficere possint, deque horreis cum destruendis tum instaurandis totus anxius et sollicitus, nullam neque die neque noctu quietis partem capiebat; ille vero e contra omnis expers sollicitudinis, omnique cura vacans, nihil de horreis, nihil de sartis tectis aliisve rebus sollicitus præ exuberanti animi tranquillitate nullas penitus sentit molestias, et vix recordatur dierum vitæ suæ. Cur igitur dum alter ita curis angitur, ut inter illas pereat, hic e diverso nulla divitiarum detrimenta pertimescit? Causam veram dat Ecclesiastes : « Eo quod Deus occupet deliciis cor ejus. » Scilicet non divitiæ, sed Deus cor ejus occupabat, et idcirco nullam sollicitudinem, nullam animi molestiam aut perturbationem, etiam inter divitias, patiebatur; sed summa mentis tranquillitate, summaque lætitia et jugi gaudio perfruebatur. Felix omnino ille cujus præcordia Deus occupat! siquidem huic etiam immensæ divitiæ aurique ingens copia non ad perditionem aut interitum, sed ad summam felicitatem animique beatitudinem conducent. Cum itaque Diabolus non ignoraret, quantum divitiæ viro sapienti ad

Quonam pacto sapientia sibi utiles reddat divitias?

virtutes maximas subsidium afferrent, hoc imprimis satagebat, ut tanto præsidio Jobum spoliaret, quo facilius ipsum in maledicentiæ crimen impelleret. Quapropter ad Deum ait :

Vers. 11. Adversus Job divina flagella provocat Satan.

11. SED EXTENDE PAULULUM MANUM TUAM, ET TANGE CUNCTA QUÆ POSSIDET. — Videbat inimicus Satan nihil unquam rebus rationibusque Jobi hactenus adversum aut contrarium accidisse, sed ex voto, vel potius supra votum ita illi prospere fluxisse omnia, ut ad beatitudinem et plenam hujus vitæ felicitatem nihil amplius desiderari posse videretur. Benefica enim munificentissimi Numinis manus ad benedicendum semper extenta prævenerat eum in benedictionibus dulcedinis, et plenum tam spiritualium gratiarum quam temporalium bonorum copiæ cornu in ipsum liberalissime effuderat, nec ullum unquam flagellum adversitatis appropinquaverat tabernaculo ejus. Huic ergo tantæ Jobi in amplissimis divitiis sanctitati, tantopere ab ipso collaudatæ, invidens Diabolus, ut eam quemadmodum antea calumniatus fuerat, minime veram ac solidam, sed fucatam duntaxat ac mercenariam fuisse comprobaret, rogat Deum, ut manum suam, quam hactenus ad benedicendum protenderat, modo conversam aliquantisper extendat ad flagella, quibus de illius in vera religione constantia periculum faciat. Felix namque status multa persæpe contegit vitia, quæ prodit ærumnosus : « Extende, inquit, paululum manum tuam. » Propriis nimirum manibus non satis fidit, sed a Deo petit ut sua Jobum manu flagellet, quia dæmonum manus noverat esse infirmas præ divinis, quemadmodum Didymus in *Catena Græca* scite observavit, dicens : « Vide quam veteratorie quamque simulate non dicat : Mihi permitte, sed : *Tu facito*. Imbecillitatis enim suæ probe sibi conscius est; » ubi enim magni Dei potentissima vis non adest, prorsus infirma et imbecillia sunt universa. Ex hac itaque dæmonis postulatione manifeste colligitur, ipsum nihil omnino cuiquam, nisi permissu Dei, nocere unquam posse, tantumque carnificem esse, qui nemini, nisi de Judicis sententia, supplicium aut plagam ullam irrogare valeat. Quod magno viris probis solatio esse debet, quominus dæmonem reformident, qui nullum ipsis, nisi de benignissimi mitissimique Patris eorum voluntate inferre potest detrimentum. Quapropter in *Apocal.* a Deo alligatus dicitur his verbis, cap. XX, 2 : « Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est Diabolus et Satanas, et ligavit eum per annos mille; » ubi jure merito in vinculis retineri dicitur, quandoquidem nulli unquam vel in minimo nocere, neque quemquam aggredi, aut invadere, nisi Deo concedente, possit. Idem de omnibus etiam aliis nostris adversariis intelligendum est. Nam nec ulli homines, quantumvis flagitiosi ac malitiosi, detrimento esse cuiquam possunt, nisi a Deo licentiam quodammodo obtineant. Unde Laban cum Jacob fugientem persequeretur, *Gen.* cap. XXXI, 24 : « Vidit in somnis dicentem sibi Deum : Cave ne quidquam aspere loquaris contra Jacob; » quæ res non immerito viris probis in protectione Dei cœli commorantibus, dum ab inimicis suis contumelias et injurias patiuntur, maximæ debet esse consolationi. Cum igitur dæmon satis sciret imo exploratum penitus haberet, se nihil omnino, nisi Deo permittente, adversus Jobum unquam prævaliturum, hoc imprimis satagit, et omnibus quibus potest modis flagitat, ut nimirum Deus protectionis suæ manum a Jobi facultatibus non nihil retrahat, dicens : « Extende paululum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet. » Ex quibus verbis aperte colligitur, quam parvi res omnes fluxæ ac caducæ vel ab ipsomet dæmone æstimentur, cum omnes Jobi divitiæ, quantumvis amplissimæ ac plane regiæ, sub isto adverbio *paululum*, comprehendantur : « Extende, inquit, paululum manum tuam. » Ergone vero id dæmoni exiguum quid et paululum est, cum regi opulentissimo tot tantæque divitiæ ac deliciæ, charissimi præterea filii filiæque cum regno ipso, eoque florentissimo, et, quod amplius est, una cum salute corporis auferuntur et perduntur? Ita prorsus, quia nimirum id solum quod ad animam spectat dæmoni in pretio est; unde quodcumque corporis rerumque damnum externarum, quantum quantum illud sit, nauci floccique facit ac pro nihilo reputat, quemadmodum D. Gregorius, lib. II *Moral.*, cap. VI, ad hunc locum diserte testatur, dicens : « Neque enim Satan facere se aliquid multum putat, nisi cum in anima sauciat. » Quamobrem hoc unice satagebat, ut Jobum tot tantisque afflictionibus ad impatientiam provocaret atque ad blasphemandum Deum impelleret, quod nisi impetraret, cætera omnia pro nihilo ducebat. Atque hoc est quod ait :

Animas præsertim insequitur Satan.

Nihil cuiquam nisi Dei permissu nocere potest Satan.

NISI IN FACIEM BENEDIXERIT TIBI, — id est, nisi palam et coram te impie simul et impudenter blasphemaverit; subaudi *dispeream*, vel *mentiar*. Hæc enim reticentia vitandi mali ominis et religionis causa fieri solet; quapropter εὐφημισμὸς, id est *bona ominatio*, vocatur, in sacris Litteris non infrequens, cum res odiosæ atque exsecrabiles honestis vocabulis vestiuntur atque occultantur. Ita Didymus hunc locum exponit in *Catena Græca* dicens : « Verbum adhibuit speciosius, ne Deum verbo asperiore figere videretur. » Et Olympiodorus ibidem : « Ne, inquit, Scriptura diceret Blasphemabit, honesto usa vocabulo dixit : *Benedicet;* sicut de Naboth scriptum est III *Reg.* XII 10 : *Benedixit Deum et regem.* » Similiter D. Chrysostomus, hom. 4 *De Patientia Job* : « Benedixerit, inquit, id est maledixerit. Etenim Scriptura benedictis maledicta velavit. » Quod statim ad morum doctrinam transferens : « Et quare, inquit, hæc scripta sunt? Ut tu fidelis discas, cum alieni mali turpia narraveris, eadem verborum honestate velare, neque honesteris turpibus operam præbens, sed turpium locutionem fugiens, juxta

Quid hic significet vox benedicere?

Quælibet locutio turpis fugienda.

http://www.obrascatolicas.com

illud Apostoli, *Colos.* III, 9 : Deponite turpem sermonem de ore vestro. » Similiter interpretatur Thelmannus, additque idem contigisse in aliis quoque rebus detestandis, quales sunt morbi graviores ac terribiliores, *epidemia* et *apoplexia*; e quibus illam *Dei donum*, hanc *regium morbum* veteres appellabant, ne propriis rerum exsecrabilium nominibus uterentur. Quam interpretationem Pineda quoque noster ad hunc locum sequitur. Nec satis capio, cur nostro Martino Roa, lib. I *Singularium locorum*, cap. IX, appendice 1, cum hac communi interpretatione (ut ipse loquitur) minime conveniat, cum expositio per antiphrasin seu contrarium sensum nec insolens sit, nec infrequens in Scripturis. Sic etiam Hebræi, juxta hanc loquendi formulam, mala quæ in adjurationibus imprecabantur innuebant quidem, dicentes : « Hæc faciat Deus, et hæc addat, » I *Reg.* IV, 14, non tamen exprimebant, aut nominabant, ne mala fando male ominarentur, ut hinc etiam discamus inter loquendum ab infaustis verbis, et molestiam auditori allaturis, abstinere, atque omnem incivilem et illotum sermonem ab humanis ac seriis colloquiis amputare, juxta illud Pauli Ephesios monentis, cap. IV, 29 : « Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. » In Græco est, πᾶς λόγος σαπρὸς, proprie, *omnis sermo putris*, hoc est obscœnus; atque in ea re tantam religionem adhiberi cupit, ut non modo immunditia omnis et turpitudo absit a corpore, sed « ne nominetur quidem, sicut decet sanctos. » Itaque S. Paulus tam verecundos esse cupit in sermone Christianos, quos vocat sanctos, ut ne nominetur quidem ab illis *turpitudo*, id est, ut Syrus vertit, *obscœnitas*, seu dictum impurum. Tertullianus vocat *spurciloquium*; S. Hieronymus, *solœcismum magnum*; scribens enim contra Helvidium : « Apud Christianos, inquit, solœcismus magnus est et vitium, turpe quid narrare. »

Qua de causa utitur Satan hac voce *benedicere?*

At quam ob causam impudens dæmon, et ad probra audacissimus, non ait *maledixerit*, sed *benedixerit?* Num Diabolus quoque comis est et urbanus erga inimicum Numen, nisi forte religiosior vult haberi, ut tutius feriat; quod artificium nocendi est, et nequitiæ ingenium? Verum post tot enumerata in Jobum beneficia noluit dicere *maledixerit* munificum benefactorem, sed *benedixerit*; ne vel infamem ingratitudinem verbo tenus usurparet (sic in speciem vitat ingratitudinis ignominiam, ut se commendet apud homines); sed specioso vocabulo fœdam ingratitudinem nominavit. Quasi vel ipso dæmone indignum facinus sit, ingratum verbum referre, ac si Diabolus declinet rusticitatem hujus vitii, et impudentiam ingratitudinis impudentissimus Satan exhorreat. Tam exsecrabilis impietas ingratitudo est, ut cui gratia est exsecrabilior impietas impium judicet verbo tenus ingratitudini communicare. Et qui nunquam vitiis satur est, fastidit hoc vitium, et cui impietas pro corona est, ingratitudinem reputat contumeliam, utpote vitium vel Diabolo indecorum.

Plures alias aliorum interpretationes ad hunc locum vide apud Pinedam et Sanctium, qui illas accurate expendunt; quas brevitatis causa non recenseo, ne actum agam, et ut tanto citius qui Satanæ postulationi Deus responderit, intelligamus.

Vers. 12. 12. DIXIT ERGO DOMINUS AD SATAN : ECCE UNIVERSA QUÆ HABET IN MANU TUA (1) SUNT : TANTUM IN EUM NE EXTENDAS MANUM TUAM.— Petierat præcedenti versu Satan a Deo ut munificam benedictionis suæ manum a Jobo aliquantisper abstraheret, et universa quæ larga profusione in ipsum bona contulerat severiori aliquantulum tactu auferret. Et ecce postulationi ejus statim annuit, imo plura quam petiverat concedit; siquidem non levidensa tantum manu, ut optarat dæmon, Jobi bona tetigit, sed illa tanta quanta erant universa ipsimet illico in manus tradidit, ac funditus destruenda concessit, ne videlicet pro more suo postmodum calumniator ille causari merito posset, aut ullo modo prætexere, vel leviorem quam oportebat in Jobi sanctitate probanda Dei manum exstitisse, vel aliquem intervenisse dolum seu fascinum, quo bonorum jacturam aut corporis cruciatus perpeti quidem visus esset, reipsa tamen neque in corpore plagam ullam, neque in facultatibus detrimentum aliquod accepisset. Quamobrem non sibi soli Deus Jobi probationem exercitationemque reservat, sed ipsummet Diabolum patientiæ illius vexatorem atque perfectæ virtutis exploratorem constituit, quando ejus potestati manibusque cuncta Jobi bona possessionesque permisit, ut easdem pro libitu perderet, destrueret ac dissiparet, ne charissimis quidem pignoribus, quorum interitus piissima patris viscera maxime vellicabat, ab hac crudelissima laniena exemptis. Nam solum hac vice Jobi personam Satanæ furori odioque Deus noluit esse subjectam, quanquam et illam postea adhuc in

Omnia Jobi bona Deus dæmoni tradit, quare?

(1) Id est in potestate tua. « Tantum in eum ne, » etc. Vide potentiam Satanæ limitatam esse. « Ad eum, » id est vel corpus vel animam ejus. (Synopsis.)

Non solæ intelliguntur possessiones agrorum et pecorum, verum etiam familia universa servorum, filiorum, etc. Unde Scriptura narrat pueros, id est servos ejus partim gladio hostili percussos, partim igne cœlesti consumptos; imo filios et filias ruina domus oppressos. Neque tamen universe Satan usus est hac potestate sibi data. Nam uxori ejus pepercit ad hoc, ut per illam provocaretur ad blasphemiam. Pepercit etiam nuntiis malorum, quæ intulit sancto viro (quos existimandum est de familia ejus fuisse, id est servos ejus, quia aliorum interitum nuntiantes, dicunt se solos effugisse); pepercit, inquam, ad hoc, ut essent certi et repentini nuntii malorum, quo sic animus sancti viri de repente perturbatus factus, inclinaretur ad impatientiam et blasphemiam contra Deum. Neque enim semper utitur Diabolus omni sua potestate corporaliter nocendi sibi permissa, sed sæpe parcit in corpore, ut gravius noceat in anima, velut dum cessat a maleficiis maleficiorum interventu, aut signis amotis.

(Estius.)

omnibus his quæ ad corpus spectant gravissime vexandam et torquendam permiserit, ut mox videbimus. Ex eo autem quod tam cito Deus petitioni dæmonis annuerit, non male colligit S. Augustinus, haudquaquam certum propitii Numinis esse argumentum, si statim annuat postulatis, neque semper irati esse Dei evidens indicium, si non illico præstet petita, quandoquidem non raro neget propitius quæ concedit iratus, quemadmodum *tract.* 6, et in *Epist. Joannis*, cap. I, his verbis et exemplo Jobi confirmat : « Diabolus, inquit, petiit Job, et accepit. Petiit Apostolus ut auferretur ab eo stimulus carnis, et non accepit. Sed Apostolus magis exauditus est quam Diabolus. Apostolus enim exauditus est ad salutem, etsi non ad voluntatem; Diabolus exauditus est ad voluntatem, sed ad damnationem. Ideo enim concessus est iste tentandus, ut eo probato esset ille cruciandus. » Optime item ex hoc loco S. Gregorius, lib. II *Moralium*, cap. VI, infert ac probat, nil omnino dæmonem adversus hominem posse vel audere nisi Deo permittente, confirmatque exemplo legionis dæmonum, quæ ne in porcos quidem intrare poterat sine Christi permissione : « Expellenda, inquit, de homine, legio dicebat, *Luc.* VIII, 33 : *Si ejicis, mitte nos in porcos.* Qui enim per semetipsum ire in porcos non poterat, quid mirum, si sine auctoris manu sancti Job domum contingere non valebat? » Sic ille. Porro ad hunc locum.

Non est semper certum propitii Numinis signum, quod Deus statim postulatis annuat.

Plura notanda circa modum quo Deus in bona Jobi Diabolo potestatem permittit.

Primo.

Notandum *primo*, Deum neque in Jobi facultates, neque in porcos ipsos potestatem ullam dæmoni permisisse, nisi prius illam postulasset, ut nimirum intelligeremus voluntatem tentandi atque nocendi esse quidem in dæmone, permissionem autem a Deo. Siquidem dæmon est qui ad malum semper instigat, et tot quot potest afferre hominibus detrimenta molitur; at Deus est, qui id justis nobisque utilibus de causis permittit, ut nimirum mens nostra semper in suo sit ad virtutem cursu honestissimaque vigilia, ne quando in languorem et desidiam et improbum ullum facinus delabatur. Tentatio enim homini diligenti ac gnavo est eos virtutis, actionumque præstantissimarum vivus aculeus, quam proinde D. Chrysostomus in *Psal.* CXXIII : Διηνεκῆ γυμνασίαν φιλοσοφίας, id est *continuam philosophiæ exercitationem*, jure merito appellat.

Secundo.

Notandum *secundo*, longe quidem alia intentione dæmones petere facultatem ad homines tentandos, alia vero intentione Deum hanc iis concedere; illi enim tentandi nos facultatem postulant, ut gravissime nobis noceant, et quanta possunt maxima inferant detrimenta, idque ex immani quodam odio ac pessima voluntate qua humanum genus prosequuntur. Permittit vero Deus id optimas honestissimasque ob causas, nonnunquam quidem ex motivo justitiæ, ut pro delictis nos puniat, ut plurimum vero ex amore ac benevolentia prorsus singulari, ut nos erudiat, atque in omni genere virtutum illustriores efficiat. Nam, ut prudenter sapiens filius Sirach ait, *Eccli.* cap. XXXIV, 9 » : Qui non est tentatus, quid scit? » cui consentit pulcherrima D. Augustini sententia, serm. 72 *De Temp.*, dicentis : « Nescit se homo, nisi in tentatione discat se. » Absque illa quis vigor sit animi, quis illustrium sit splendor facinorum, quæ gloriosæ victoriæ voluptas præmiumque noscitur, quemadmodum elegantissime Cassiodorus, lib. I, *epist.* 24, pronuntiavit : « Latet sub otio laudabilis fortitudo, et dum se probandi non habet spatium, occulta est lux tota meritorum. »

Tertio.

Notandum *tertio*, Deum nequaquam Diabolo permittere, ut simul ac semel omnem quam posset ingerat tentationem, vi ac dolo homines seducendo et in partem suam cogendo, sed valde limitatam et viribus nostris auxilio divino roboratis proportionatam tentandi concedere facultatem, juxta illud Apostoli, I *Cor.* X, 13 : « Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. » Recte enim Abbas Serenus apud Cassianum, *Collat.* VII, cap. X, disputat ac docet, nullum alias Sanctorum posse spiritalium nostrorum hostium sufferre nequitiam, insidiis occurrere, crudelitatem sustinere, si non certamini nostro clementissimus arbiter atque agonotheta præsidens Christus et exæquaret colluctantium vires, et immoderatos eorum repelleret ac refrænaret incursus. Deus itaque tanquam prudens agonotheta arbiterque æquissimus, priusquam nos cum Satana duello committat, ita ipsius arma hebetat viresque modificat, ut in ipsa pugna nostris impares non sint; nostram vero imbecillitatem tam valido gratiæ subsidio instruit, tam solide potentia virtutis suæ corroborat, atque cœlestium armorum panoplia adversus omnes insidias et furiosos inimici incursus præmunit, ut cum Apostolo, *Ephes.* VI, 11, « in omnibus sumentes scutum fidei, » in eo facile possimus omnia tela nequissimi ignea exstinguere, insultus sustinere, insidias declinare, violentiam repellere, ac gloriosam tandem victoriam reportare. Exemplo Jobi hoc fiet manifestum, in cujus oppugnatione cernimus ubique dæmonis potestatem certis semper limitibus circumscribi, quos transilire non possit. Primum enim dedit ei Deus potestatem in omnes Jobi facultates, sed vetuit ne vel minimum ejus personæ corporive vulnus infligeret. Deinde postquam jam prioribus calamitatibus callum obduxisset, etiam corpus ejus pro libitu Diaboli affligendum tradidit, animam tamen semper excepit, uti mox intelligemus. Modo quid, hac prima in Jobi facultates potestate impetrata, Diabolus gesserit consideremus.

A facie Domini Satan

EGRESSUSQUE EST SATAN A FACIE DOMINI,—id est, ab eo concilio cui præerat angelus qui Domini personam sustinebat et vicarium Dei agebat. Diabo-

http://www.obrascatolicas.com

lus enim amplissima in omnes Jobi facultates potestate impetrata, extremam et omnimodam illis ruinam ac vastitatem illaturus, ab eo loco, in quo divina præsentia clarior apparebat, illico recessit, tantam nimirum divini Numinis majestatem locique sanctitatem ulterius ferre non sustinens, quasi ibi non auderet ullas adversus Jobum insidias machinari, ne contra debitam tam sacro senatui reverentiam impudentius peccasse videretur. Idem ipsum Didymus Caino fratricidæ ac Judæ proditori usu venisse observavit; quorum ille quidem, innocentis ac Deo chari fratris sui Abelis necem meditabundus, « egressus est a facie Domini, » *Genes.* IV, 16; hic vero, postquam accepta buccella introiisset in eum Satanas, infami et infanda Dominum proditione pessimis Judæis traditurus, « exivit continuo, » *Joan.* XIII, 30, scilicet a cœnaculo, in quo Christus cum cæteris Apostolis erat congregatus. Nec immerito, inquit Olympiodorus in *Catena* : « Nullum enim studium improbum habet cum Deo commercium. » Quod si igitur Diabolus, pessimique ejus filii Cain et Judas, in loco sancto coram Domino vel angelico senatu suam profligare modestiam et reverentiam Deo locoque sacro debitam denegare non sint ausi, quis, obsecro, tam perfrictæ sit frontis et profligatæ audaciæ, ut in conspectu Domini protervire, et in loco sacro petulantius sese gerere non vereatur? Quamobrem hac in parte vel ipso dæmone impudentiores jure merito existimandi sunt, qui debitam in templis coram Deo modestiam ac reverentiam minime servant.

Qualis fuerit egressio Satan a facie Domini?

Qualis porro ejuscemodi dæmonis a facie Domini egressio fuerit, eleganter nobis descripsit Origenes, lib. II *in Job*, ad hunc locum dicens : « Exivit Diabolus a facie Domini, exivit tanquam lupus rapiens, tanquam leo rugiens, tanquam ursus sanguinem appetens, tanquam malignus serpens, tanquam vipera sæva ac perniciosa. » Expende modo quot et qualia bestiarum nomina Satanæ a sanctorum angelorum choro egredienti attribuantur; interfuerat iniquus concilio justorum, Jobi bona sibi permitti postulaverat, et acceperat postulata, cum quibus plane lætus et exultabundus egrediebatur. Cur igitur idcirco lupus, cur ursus, cur leo, cur serpens, cur vipera ab Origene nominatur? Jure sane meritissimo. Nam omnium bestiarum instar habendus est, qui bona sibi a Deo illo duntaxat fine petit permitti, ut ea dissipet, destruat et consumat, non in Dei obsequium, sed in sui ipsius ac proximi maximum detrimentum. Huc accedant mundiales isti homines, qui a Deo bona fortunæ postulant, quæ Deo minime reddant, sed voluptati potius ac vanitati immolent. Horum enim orationes non tam orationes aut preces sint, quam rugitus ferarum et Satanæ machinationes. Egreditur quis e templo, surgit ab oratione, ex animi sententia potitus est votis suis, gaudet de finita et obtenta lite, deque bonis sibi adjudicatis exultat, sed cum illa non Deo reddere, at suis cupiditatibus litare statuat, egreditur miser a facie Dei tanquam lupus rapiens, tanquam ursus sæviens, tanquam leo rugiens, tanquam Diabolus perditionem sitiens, siquidem suis precationibus non quærit Dei obsequium, sed perversum suum explere desiderium concupiscit.

Pulchre et acute ad hunc locum D. Gregorius, lib. II *Moralium*, cap. VIII, quærit et simul exponit, quo sensu Satan a facie Domini cuncta videntis et implentis exivisse perhibeatur : « Quo, inquit, ab eo exitur, qui dum per molem corporis nusquam est, per incircumscriptam substantiam nusquam deest? sed quamdiu Satan pressus majestatis potentia appetitum suæ malitiæ exercere non valuit, quasi ante faciem Domini stetit; a facie autem Domini exiit, quia relaxatus divinitus, ab internæ retentionis angustia ad sui desiderii effectum venit. » Ponit nimirum sanctus doctor dæmonem coram Deo quasi ligatum et compeditum, quo minus nocere Jobo posset; postquam autem licentiam obtinuerat libidinem suam explendi ac Jobi bona invadendi, quasi vinculis solutum foras prorupisse, atque in Jobi facultates statim involase. Simili fere modo ac sensu apud Zachariam equi illi robustissimi, qui Romanum designabant imperium, exiisse dicuntur, simul atque totum orbem terrarum victoriis suis peragrandi licentiam impetrassent. Ex quo intelligant illi, quorum perverso studio et effrenatæ cupiditati Deus morem gerit, se jam a facie Domini egressos esse, quod quam miserum et calamitosum sit, satis explicari nequit, quandoquidem Deum ipsum bonorum omnium fontem dereliquerint, ut post cupiditates suas abirent. Quid porro Satan post hunc a facie Domini egressum adversus Jobum machinatus sit audiamus.

Vers. 13. 13. CUM AUTEM QUADAM DIE FILII ET FILIÆ EJUS COMEDERENT, ET BIBERENT VINUM IN DOMO FRATRIS SUI PRIMOGENITI. — Simul atque Satanæ Jobi opes ac familiam pro libitu grassandi facultas data esset, haudquaquam sibi procrastinandum ratus, primo quoque tempore (et ut in Græco est, τὴν ὡς ἡμέρα αὐτη, *quasi eadem die*) quo in domo primogeniti convivium celebratur, inflammatus invidia et furore rabidus, omnes nocendi artes adversus Jobum expedit, ipsumque aggreditur. Hoc nempe tempus insidiis struendis peropportunum, et ad Jobum superandum atque ad scelus aliquod impellendum maxime accommodatum esse putabat. Erat enim dies lætitiæ et hilaritatis, quando filii ejus ad festivas epulas convenerunt; quo tempore homines negligentiori ac remissiori esse animo solent, minusque de bello tam funesto et atroci cogitare. Ita nimirum plerumque fit, ut ira et animadversio Dei eos repente opprimat, qui magis sibi esse securi videbantur. « Risus enim, inquit Sapiens, dolore miscebitur; et extrema gaudii luctus occupat, » *Prov.* XIV, 13. Accidit sæpe etiam e contrario, ut in magna rerum desperatione Deus subito inexpectatum aliquod auxilium afferat, ab omni miseria vindicando et bonis omnibus cumulando. Sic Joseph derepente liberatus e carcere, et secundus a rege factus est; et e diverso Aman e primo a rege loco ad patibulum extemplo raptus, infami laqueo vitam finivit. Quæ magno sane Dei consilio fiunt, ut intelligamus, nihil esse in hac vita tam securum aut tutum, quod corruere ac labefactari non possit, et nullius tam desperatas esse res, quin cum divina ope corrigi ac resarciri facile queant, quemadmodum sapienter Salomon in *Eccles.* cap. IV, 14, pronuntiavit : « Quod de carcere catenisque interdum quis ingrediatur ad regnum, et alius natus in regno inopia consumatur. » Longe autem miserrimus durissimusque censetur casus ille, quo quis, uti Job, ex amplissimis fortunis ad extremam egestatem, ex summa felicitate ad maximam calamitatem, et ex lautissima beatissimaque vita ad ærumnosam miserrimamque derepente atque inopinate redigitur. Cæterum quid tot accurrentes ad Jobum nuntii apportent novi lubet explorare.

Jobum Satan aggredi properat.

Nihil tam securum in hac vita quod statim corruere non possit.

Vers. 14. 14. NUNTIUS VENIT AD JOB QUI DICERET : BOVES ARABANT, ET ASINÆ PASCEBANTUR JUXTA EOS;

Vers. 15. 15. ET IRRUERUNT SABÆI TULERUNTQUE OMNIA, ET PUEROS PERCUSSERUNT GLADIO, ET EVASI EGO SOLUS UT NUNTIAREM TIBI. — Quisnam hic nuntius fuerit, disputant auctores, variantque sententias. Ac S. quidem Chrysostomus, hom. 2 et 3 *De laudibus S. Job*, existimat ipsummet Diabolum in forma nuntii ad Jobum tam atroci narratione percellendum venisse; id quod Polychronius et Olympiodorus in *Catena* similiter sensisse videntur. Origenes vero putat fuisse hominem singulari dæmonis artificio subornatum, ejusdemque verbis, ad majorem animi perturbationem afflicto afferendam, compositis instructum, ut glomeratim dirissima quæque nuntiando, et rerum jacturam maximarum immaniter exaggerando, Jobum vel a statu mentis dejiceret, vel saltem ad desperationem provocaret.

Quisnam fuerit hic nuntius?

Tertia, eaque verisimilior et communior recentiorum interpretum sententia est, tam hunc quam reliquos nuntios omnes fuisse ipsiusmet Jobi servos, quos ad hoc Diabolus cladi superstites esse voluerit, ut calamitatum et miseriarum tantarum participes et oculati testes earumdem denuntiationi deservirent. Quod cum Origenes de tertio nuntio censeat, idem quoque Pineda noster de reliquis sentiendum existimat.

Cur humana adversus Jobum Satan usus est opera?

Expende modo quibus Satan primum adversus Jobum belli impetum commiserit : « Irruerunt, inquit, Sabæi. » At cur non potius inferni furias ad certamen evocavit, et validas dæmonum legiones in campum eduxit? Cur humana usus est opera, cum diabolica non deessent præsidia, quibus et celerius et efficacius totum hoc negotium confici potuisset? Quia nimirum Diabolus nullum omnino habet solatium, ubi non intervenit hominum peccatum, unde nullam penitus ex innocentissimi sanctissimique Jobi vexatione jucunditatem, nullumque ex dirissima illa laniena gaudium, sed e contra potius immensum quoddam tormentum percepisset, nisi immania quoque hominum scelera et flagitia intercessissent. Quamobrem crudelem hanc tragœdiam, vel potius tragicomœdiam auspicaturus, primum excitat Sabæos cædibus ac latrociniis famosos, ut in Jobi armenta furibunde involent, et cuncta diripiant, mactent ac dispergant. Quemadmodum D. Zeno, serm. *de Psal.* CXVIII, accurate observat, dicens : « Cum Diabolus potestatem Job tentandi postulasset, per direptionem substantiæ ejus primum desæviturus, homines ad pastorum cædes et ad direptionem pecudum excitavit, eosque in hanc voluntatem latrocinii accendit. » Hoc unum scilicet magni æstimat Diabolus, hoc unum satagit, atque omni artificio suo veteratorio adornat, ut quam fieri potest plurimis gravissimisque homines implicet peccatis, cum hæc videt, tunc gaudet, tunc vivit, tunc exultat. Cum itaque Sabæi assiduis essent latrociniis addicti, et in iisdem admodum exercitati, hos Satan ad Jobum bonis suis omnibus spoliandum maxime aptos et opportunos censuit, cum ob ingenii crudelitatem, tum ob loci vicinitatem, quandoquidem illam felicis Arabiæ partem, quæ terræ Hus contermina erat, incolerent. Etsi autem Sabæi propter auri, thuris et gemmarum, quarum ista regio ferax est, copiam ditissimi essent, latrociniis nihilominus deditos, et prædas e vicinis colligere solitos, Plinius tradit lib. VI, cap. XXVIII, his verbis : « Mirum dictu, ex innumeris populis pars æqua in commerciis et latrociniis degit, in universum gentes ditissimæ, ut apud quas opes Romanorum et Parthorum subsidant, vendentibus quæ ex mari aut silvis capiunt, nihil invicem redimentibus. » Hi igitur e regione propinqua in Jobi agros irruentes, eosdem fœde depopulati sunt, bobus et asinis abactis, et aratoribus ac pastoribus truculenter occisis, unico duntaxat e tanta cæde superstite, qui dirum illud nuntium ad dominum perferret.

Vers. 16. 16. CUMQUE ADHUC ILLE LOQUERETUR, VENIT ALTER, ET DIXIT : IGNIS DEI CECIDIT E COELO, ET TACTAS OVES PUEROSQUE CONSUMPSIT, ET EFFUGI EGO SOLUS UT NUNTIAREM TIBI. — Vix primus ille calamitatis ac vastitatis nuntius pedem extulerat, cum ecce alius male ominosus confestim advolat, qui non jam ab hominibus, sed ab ipsomet Deo bellum inferri denuntiet; cujus rei manifestum oves de cœlo tactæ præberent indicium. Miro id dæmonis fiebat astu, quo Jobum ad maledicta in Deum eructanda impellere satagebat. Nam cum prima calamitas, eo quod ab hominibus, præsertim Sabæis, rapinæ latrocinioque deditis illata fuerat, utcumque toleranda videretur, ideo priusquam alios homines, nempe Chaldæos, adversus Jobum in-

Cur secunda vice adhibuerit ignem e cœlo?

http://www.obrascatolicas.com

citet, primæ et tertiæ cladi alteram interserit, quæ non ab hominibus, sed quasi ab ipsomet immediate Deo immissa videatur. Sed cur oves cœlesti igne tactas memorat? Quia nimirum ex iis placabiles Deo victimæ offerri solent. Ut ergo maximam Dei aversionem indignationemque declararet, confingit oves ipsas, id est victimas, quibus placari Deus debuerat, factas esse materiam divinæ iræ atque indignationis. Quo quid horribilius, homini præsertim Deum timenti, posset accidere? Hunc veternosum cacodæmonis astum eleganter expendens S. Chrysostomus in *Catena*, ait : « Pœnituit Diabolum primi nuntii, quod minus recte res gestas exposuerit : Male, inquit, jaculatus sum, haudquaquam collineavi, sagitta prorsus aberravit. Ab hominibus asinas et boves abactos esse dixi. Potest secum Job ipse ratiocinari : Homines injuria me affecerunt, Deone possim isthæc adscribere? Ergo, ut ejus cogitatio ab hominibus ad Deum traducatur, ait : Ignis decidit e cœlo (Aquila autem et Theodotion *ignis Dei* dixerunt), hostes jam causari non potes, quasi illi e supernis locis ignem projecerint; infige contumeliam ei qui tibi injuriam intulit, eum qui te oppugnavit maledictis incesse. Cur illi servis? cur eum adoras, qui tuas opes evertit? Noli putare ab hominibus tibi infligi vulnera, cum audis captivantes. E supernis regionibus atque adeo e cœlo facit tibi bellum Deus. Id vero certo est argumento, quod ignis e cœlo demissus oves consumpsit. » Sic ille. Etenim nullum plane certius argumentum esse potest miserrimi ac deplorati status hominis Deo summe exosi, quam quod permittatur eo per malitiam suam devenire, ut ipsæmet ejus victimæ, quibus Deum placari fas erat, fomenta fiant et pabula furoris divini. Hinc putavit perfidus, si tunc Deum in memoriam revocaret, ac ejus servitia obsequiaque, non ad patientiam, sed impatientiam impulsurum, et murmurationem atque blasphemiam. Id quod expendens Origenes ad hunc locum : « Si, inquit, Job scisset, quia Diabolus cum illo hoc bellum faciebat, et quia malignus inimicus rem familiarem et filios ei abstulerat, omnino ad nihilum ipsas tentationes deduceret, et in derisionem illum habens evidenter adversus hostem staret; hoc celavit Diabolus, cum istos inferret labores; clementissimus autem Dominus in suspicione erat, et incusabatur his omnibus. » Ergo ob hoc tunc Deum in memoriam attulit, ut Dominus in suspicionem Jobo veniret, ac proinde incusaret.

Vers. 17. 17. SED, ET ILLO ADHUC LOQUENTE, VENIT ALIUS, ET DIXIT : CHALDÆI FECERUNT TRES TURMAS, ET INVASERUNT CAMELOS, ET TULERUNT EOS, NECNON ET PUEROS PERCUSSERUNT GLADIO, ET EGO FUGI SOLUS UT NUNTIAREM TIBI. — Nondum secundus narrationi suæ fidem imposuerat, cum ecce tertius extemplo adest majorum adhuc damnorum bajulus, qui tres Chaldæorum cuneos, conglomeratis ad majorem impetum turmis, in camelorum greges irrupisse, eosdemque dissipasse ac secum abduxisse denuntiat, servis interim et agasonibus camelorum præfectis et custodibus, se præter ut tantæ jacturæ testis ac nuntius superesset, ad unum omnibus internecione deletis. Quod autem tertius hic nuntius præcedentis narrationem interruperit, non tam rusticitati aut mentis ex pavore perturbationi tribuendum esse censet Bolducius, quam divinæ dispensationi, ad majorem hujus sancti probationem ita cuncta moderanti, ut antequam ipse ex præcedenti nuntio infelici paululum respirare, animumque perculsum ad se revocare potuisset, aliud priore infelicius adveniret, ut hac nimirum ratione virtus ejus omnino singularis omni ex parte agitata, omni prorsus consolatione privata, nulla tamen perturbatione concussa, evidentius clarescret. Quemadmodum enim fortunæ bona, sic et pœnæ atque afflictionis mala prout vulgo appellantur, certa quadam mensura Deus ad salutem amicorum suorum probationem immittit. Cum igitur Jobi possessio longe amplissima ex bobus et asinis potissimum necnon ovibus camelisque constaret, atque in prima quidem vastitate boves et asinas una cum bubulcis et agasonibus, in secunda vero greges ovium simul cum pastoribus earumdem custodibus perdidisset, in hac tertia demum strage omnes ejus cameli abiguntur, omnesque servi camelorum præfecti a vicinis Chaldææ regionis prædonibus occiduntur. Cujus quidem atrocissimæ cladis nuntium tanto magis Satan ad blasphemum quodpiam a Jobo verbum adversus Deum extorquendum valiturum sperabat, quanto hæc calamitas erat propinquior præcedenti, quæ evidentius a Deo immissa cœlitus videbatur.

Cur tam subito tertius nuntius secundum interruperit?

Porro hos Chaldæos æque ac Sabæos, Arabiæ felici conterminos, præda victitasse, atque Idumæam suis excursionibus non raro infestasse testantur historiæ. Ac de Sabæis quidem quid Plinius scribat paulo ante retulimus; de Chaldæis autem Xenophon, lib. III *Cyropædiæ*, tradit eos solis fere prædis e vicinis regionibus frequenti excursione petitis vitam tolerare, quod ipsum e sacris quoque litteris confirmatur, quæ Chaldæorum similiter latrunculorum meminerunt his verbis, IV *Reg.* XXIV, 2 : « Immisitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum, et latrunculos Syriæ, et latrunculos Moab, et latrunculos filiorum Ammon; et immisit eos in Judam, ut disperderent eum juxta verbum Domini; » ac si videlicet omnes istæ nationes quasi certos prædones haberent constitutos, qui vicinas regiones excursionibus suis depopulari ac deprædari consuevissent.

Chaldæos et Sabæos præda victitasse.

Vers. 18. 18. ADHUC LOQUEBATUR ILLE, ET ECCE ALIUS INTRAVIT, ET DIXIT : FILIIS TUIS ET FILIABUS VESCENTIBUS ET BIBENTIBUS VINUM IN DOMO FRATRIS SUI PRIMOGENITI.

Vers. 19. 19. REPENTE VENTUS VEHEMENS IRRUIT A REGIONE DESERTI, ET CONCUSSIT QUATUOR ANGULOS DOMUS, QUÆ CORRUENS, OPPRESSIT LIBEROS TUOS, ET MORTUI

SUNT, ET EFFUGI EGO SOLUS UT NUNTIAREM TIBI. — Ultimus hic nuntius omnium durissimus funestam clarissimorum liberorum necem inopinatam annuntiat, quam ad doloris ac mœroris ingens incrementum postremo loco intulit. Nam si primum Jobus de filiorum morte nuntium accepisset, rerum utique jacturam cæterarum longe lenius tulisset, cum non tam sibi quam liberis opes congregasset, quos rebus omnibus ornatos esse cupiebat. Temporis insuper locique circumstantia haud parum quoque viri sancti luctum adauxit, siquidem dies, quo tam funestæ clades accidisse ferebantur, proximus erat illi, in quo pro filiis sacrificium et victimas placationis obtulerat. Eo igitur tempore, quo piissimus parens placato recentibus sacrificiis Numine securior esse debuisset, tunc ei omnium plane bonorum et simul liberorum omnium ruina cladesque nuntiatur. Quod tempus eo potissimum consilio impostor ille vaferrimus ad hasce clades inferendas sibi delegisse credendus est, ut hoc modo facilius a Deo Jobi animum averteret, atque ad blasphemum aliquod verbulum effutiendum impelleret, quod se Deo penitus exosum, et sacrificia sua tanquam nefanda forent ab eo despecta cerneret. Loci quoque circumstantia illa non parum pii genitoris mœrorem aggravabat, quod hæc luctuosissima liberorum strages edita fuisset in domo primogeniti, qui, ut Scripturæ loquuntur, lucerna patris et caput inter fratres jure merito censebatur. Huc accedit, diem illam qua hæc contigerant, fuisse primam hebdomadæ, quæ erat velut encæniorum et renovationis fraternæ charitatis, quæ tunc solito vehementius et ardentius accendi consueverat. Quanto igitur major erat alacritas omnium fratrum ac sororum, in domo fratris sui primogeniti epulantium, quantoque suavior inter illos et jucundior animorum tunc concordia existebat, tanto quoque gravior tam inopinato ac funesto casu rerum omnium confusio repente apparebat, tantoque acerbiora piissimo parenti de tot simul dilectissimorum liberorum funeribus nuntia accidebant.

Omni modo luctuosa liberorum strages.

Sed hic fortasse non nemo percunctabitur, cur non in ipsamet domo patris, quo non raro ad geniales epulas convenire solent, hæc ruina contigerit, præsertim cum adhuc pridie, quemadmodum superius indicatum fuit, convivium in ea fuisset celebratum? Cur ergo præter morem tam lentus ac segnis Diabolus non pridie simul junctos in domo patris epulantes, et sicut novellas olivarum in circuitu paternæ mensæ existentes oppresserat? Cur procrastinavit, donec in domo primogeniti convivium haberetur? Ad quod respondetur, dæmonem tunc necdum in ipsammet Jobi personam potestatem adhuc ullam habuisse, ideoque parentem eadem cum filiis ruina involvere aut opprimere nequivisse, præterquam quod, uti sacer textus indicat, isto die pater filios sanctificasset, et nomen Domini super eos invocasset, domi suæ altare sacrum erexisset, plurimisque sacrificiis replevisset. Quamobrem isto die nequaquam opprimi poterant, quin ne vel in minimo quidem contristari quamdiu in domo patris versabantur, in qua pro iis pius parens Deum invocaverat, altare erexerat, victimas pacificas immolarat. Siquidem inexpugnabiles sunt dæmoni parietes illi, intra quos nomen Domini invocatur, et animarum negotia tractantur, et æterna filiis bona providentur.

Cur non modo Patris hæc ruina contigit?

Verumtamen valde mirum est, et inusitatum, ac nunquam antea auditum, tanti viri filios, tot ipsosmet virtutibus præditos, tot præstantissimis Dei donis gratiisque munitos atque exornatos, a furente dæmone sic unquam opprimi potuisse. Numquid omnes nobiles, atque indolis optimæ adolescentes ac viri erant, virtutum undique munimine vallati? unde igitur sævientis furor dæmonis tantum adversus ipsos prævaluit, ut tam immani illos ruina obrueret? Hujus rei causam præfata textus verba insinuant, quæ sic habent : « Filiis tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum. » Inter pocula videlicet non potest quis non patere dæmonum insidiis in ruinam et exitium callide adornatis, quemadmodum Origenes in *Catena Græca* eleganter observavit, dicens : « Si precantes eos Diabolus invenisset, nihil contra eos efficere potuisset; verum cum ei fuit oblata occasio, tunc demum potuit. Sed quale tempus fuit opportunum? qualisve opportunitas? Potus erat. » Heu! quam fallitur, quisquis gulæ serviens se a dæmonum insidiis et insultibus liberum fore putat! Quæ comessatio modestior, quæ compotatio temperantior esse possit, quam illa fuerit liberorum Job? quorum exteriora omnia sic erant ad omnem honestatem temperantiamque composita, ut ne sagacissimus quidem et oculatissimus in mores suorum inquisitor et censor rigidissimus Job quidquam in iis, quod jure carperet, haberet; sed si quid forte occulti, quod eum latebat, in corde criminis, ut verebatur, recedisset, pro iis quotidie Domino hostias placabiles et sacrificia mane offerebat. Nihilominus tamen quoniam comessatio et compotatio erat, statim illos dæmonum insultibus patere faciebat. Sic etiam Noe virum sanctissimum, cujus involuntaria turpitudo apud omnes decantatissima est, vinum decepit, de quo eleganter S. Ephrem, tract. *De Virginitate*, sic loquitur : « Justus igitur hic Noe, qui inundationes aquarum tempore universalis diluvii vicerat, a modico vino victus est dormiens; aquæ infinitæ non potuerunt vincere ipsum, vinum autem vile inter dormiendum virum justum nudavit. » Sic nempe potuit incauta gula, et quidem involuntaria, virum justum impellere, imo et dejicere. Unde patet omnibus manifeste, quanto studio gula viris etiam sanctis et religiosis vitanda sit et cavenda.

Periculosa res comessatio et potus.

Cæterum, quonam pacto ac modo funesta illa clades Jobi filiis illata sit consideremus. « Ventus,

Quonam modo

http://www.obrascatolicas.com

Cladesfilia Jobi filiis illata est?

inquit, vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos. » Mirum sane est ventum ex una quapiam certa et determinata deserti regione flantem omnes simul quatuor domus angulos concutere potuisse. Quis tale quid unquam vel vidit vel audivit? Verum esto dæmon ipse in vento adfuerit, quid opus erat omnes simul quatuor domus angulos concutere, cum vel unicum conquassasse suffecisset ad omnes Jobi filios ruina involvendos? scilicet non unicus duntaxat dæmon aliquis ad ruinam istam adornandam erat deputatus, sed multi simul dæmones ad tam crudele facinus concurrebant, quorum nullus altero in perdendis Jobi filiis segnior videri cupiebat; quapropter glomeratim facto simul impetu, omnes ex æquo pariter domus angulos concusserunt, ut in momento corrueret, quemadmodum Origenes, lib. I, ad hunc locum, eleganter annotavit, dicens : « Si per unum angulum poterat cadere, cur omnes quatuor angulos tetigit? Quatuor angulos tetigit, ut ostenderet ferociam atque animum suum homicidam. Nam omnes dæmones mox ut relaxati sunt, et permissionem acceperunt, continuo omnes generaliter ab omnibus partibus super domum irruerunt festinantes, atque adversum invicem rapientes, quis primus hanc iniquitatem acciperet, quis primus hoc homicidium perpetraret; ingentem unusquisque eorum sibi reputans dolorem, si prior illo alter procederet ad ejus perditionem. » Tantum nempe singulis adversus homines dæmonibus innatum est odium, tam dira et insatiabilis nocendi cupiditas, ut hac in parte nemo alteri cedere, aut in hominum perditione procuranda segnior videri velit, sed infame sibi ac turpe ducunt et ingentem inde dolorem concipiunt, si minus aliis nocuisse videantur. Quamobrem quotiescumque vel minima damni cuipiam inferendi occasio sese offert, illico simul omnes accurrunt, et facto agmine in hominem ingruunt; hoc sibi quisque gloriosum reputans, si nullus ipsum præcesserit. Quam illorum rabiem eleganter exaggerat Psalmista, *Psal.* LXI, 4, dicens : « Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos, tanquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ? » Magna profecto dæmonum rabies et incredibilis libido sæviendi, qua fit, ut simul omnes in unicum misellum atque natura sua imbecillem hominem exsurgant et irruant, ut ipsum interficiant. Ad quem locum peracute, uti solet, D. Augustinus addubitat, quomodo tot hostium turmæ, tot inimicorum myriades, omnes simul unum eumdemque hominem possint interficere. Constat enim vel ab unico interfectum jam reliquos nil curaturum, quod ipsi nil ultra nocere valeant, cum semel duntaxat mori possit, neque iterum occidi. Cur ergo universi, sive cuncti, ipsum interficere dicuntur? Claram hujus rei rationem reddit ibidem S. Augustinus, dum hunc locum ita vertit : *Quousque apponitis super hominem?* Nam verbum *appono* idem valet quod *simul et juxta pono*, quo insinuatur tantam esse dæmonum in hominem irruendi atque occidendi rabiem ac velocitatem, ut nemo se ab altero præveniri patiatur, aut ut cujusquam telum adversus hominem suo præponatur, sed omnes simul irruere, omnium tela simul posita et apposita apparere, præpositum vero nullum, quod nemo sit qui in perdendo homine primas alteri cedat.

Dæmonum adversus homines furor.

Quomodo ventus tam solidam domum evertere potuerit?

Aliud hic notandum non minori dignum admiratione, quomodo nimirum ventus adeo furiosus, adeo ferox, adeo rabidus, unicam, eamque principem totius civitatis domum, solidissimis, ut par est, nixam fundamentis et optime materiatam, ac firmissimis compactam trabibus, ita repente invaserit, concusserit, ac conquassaverit, ut augustum illud primogeniti regis palatium, totius provinciæ firmamentum atque ornamentum, quasi in momento dicto citius subito corruerit solo æquatum, et in acervum lapidum redactum sit; attamen cæteris non æque firmis, aut etiam male materiatis ac ruinosis civium ædibus ne minimum quidem intulerit nocumentum, sed nec eas forte infestaverit omnino vel tetigerit. Cujus rei nulla profecto alia debet aut potest assignari ratio, quam quod hæc sola e reliquis Dei permissu dæmonis potestati tradita ejusdemque libidini relicta fuisset, quemadmodum Olympiodorus in *Catena* eleganter annotavit.

Cur humana opera non utitur dæmon ad perdendos Jobi filios?

Alia similiter non minus curiosa hic a quibusdam moveri solet quæstio, cur nimirum Diabolus, qui ad abigenda Jobi pecora et armenta, pastoresque et agasones occidendos Sabæorum et Chaldæorum exercitus induxerat, non simili quoque exercitu ad domum filiorum Jobi invadendam, spoliandam et evertendam munitus accesserit? Hancce quæstionem etiam movet et optime solvit S. Chrysostomus in epist. *ad Olympiadem*, ita quærens de Diabolo : « Cur in liberorum interitu non hostium manum comminiscitur? » et immediate hanc addit solutionem : « Nempe ut irruptione civitas non perturbaretur, nam in Job tantum, non in cæteros potestas illi erat. » Fieri enim non poterat ut civitas non gravissimo metu percelleretur, si hostiles copias mœnibus suis appropinquare cerneret. Quamobrem dæmon ad domum filiorum Job in celeberrimo civitatis loco sitam accessurus ab exercitu abstinuit, ne citra ultraque Numinis permissionem vel ipse mali metus aliquo modo cives posset affligere aut conturbare. Cum hæc mente volvo, et tacita mecum cogitatione considero, non possum non mirari quoque illud, quod in simili fere casu, lib. III *Regum*, cap. XIII, cuidam viro Dei contigisse memoratur, quem a Jeroboamo ad suum populum revertentem de via leo aggreditur; insiliebat in ipsum fera, et illico eum occidebat; sed, quod maxime mirandum est, neque cadavere pascebatur, neque ipsum attingere amplius præsumebat.

Nihil mali nobis contingere nisi Deo permittente.

quin nec asino, cui insederat, vim ullam aut molestiam inferebat. Et cum innatum sit cunctis animalibus ad leonis trepidare conspectum, et ad rugitum ejus totis artubus contremiscere, solus asinus (ut notat Eucherius) leoni junctus assistebat intrepidus. Cur leo non incutiebat asino metum? cur qui vivum hominem aggressus fuerat, non devorabat occisum? D. Gregorius, lib. IV *Dialogorum*, cap. XXIV, optimam hujus rei rationem assignat, dicens : « Qui occidendi ausum habuit, de occisi cadavere comedendi licentiam non accepit. » Nullum quippe malum, nec ullus timor mali audet nos invadere, aut foras prosilire absque Dei licentia seu permissione divina, quin ne pilus quidem capitis nostri, ut ipsa Veritas in Evangelio, *Luc.* XXI, 18, testatur, vel in minimo lædi aut perire potest, qui non sit antea designatus et computatus inter ea quæ Deus lædi aut perire permittit.

Patientiæ Jobi encomium.

Quod cum Job minime ignoraret, sed firmissime sibi persuaderet, nihil scilicet istiusmodi pœnarum et calamitatum absque singulari Dei permissione ac providentia contigisse, tantum abfuit ut eas moleste ferret, quin potius æquo animo cuncta toleraret, ac totum sese divino committeret arbitrio, a quo in omnibus dependebat; unde fiebat ut tantis obrutus calamitatibus, animo tamen nunquam dejiceretur, sed in Deo magis in dies firmaretur, atque semetipso semper gloriosior evaderet. Quod solerter expendens S. Chrysostomus, hom. 5 *De patientia Job*, sanctissimum hunc virum in primo illo felicitatis statu plurimis bonis operibus vacantem, cum semetipso in statu deinde miseriarum et ærumnarum plurima visu horrida, auditu gravia, toleratu aspera, et uno verbo, quæcumque vulgo mala nuncupantur, perpetiente, comparans atque componens, acute quærit, utro ex capite Jobi virtus clarior et gloriosior apparuerit; nec dubitat asserere, et tanquam ratum affirmare, Jobum ex sua patientia longe quam ex beneficentia illustriorem evasisse, facileque id ex sacro textu probat, quandoquidem Diabolus de ipso in florenti adhuc fortuna plurima bona patrante male suspicatus est, dicens vers. 11 : « Tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. » Nequaquam tamen de ipso usque ad finem gravissima quæque mala æquo, forti et constanti animo tolerante quidquam istiusmodi ausus est suspicari; ubi enim vidit invictam ejus tolerantiam jam esse consummatam, plane confusus obmutuit, et nullas amplius adversus eum calumnias confingere præsumpsit, quemadmodum ex sequentibus patebit, ac S. Chrysostomus disertissime his verbis expressit, dicens : « Ut discas quoniam majorem Diabolo plagam intulit, cum sublatis sibi bonis gratias egit, quam cum possidens miserabatur pauperum audi. Cum possidebat vel suspicionem Diabolus habuit, quoniam non gratis te colit Job; ubi vero universa surripuit, omnibusque nudavit eum, hic vero eamdem Deo servavit mentem; tunc obstructum est turpe illius os, nec tunc quid habuit dicere. Clarior namque quam in prioribus justus erat; clarior quam in deliciis vivens, eleemosynasque præbens. Surrepta enim bona generose et cum gratiarum actione tolerare multo majus est. Nam secundis quidem rebus gratias referre Deo non admodum mirabile; porro cum multus fuerit fluctus, cymbaque circumacta periclitatur, tunc magna atque excellens est patientiæ atque bonæ voluntatis ostensio. »

Idem in eadem homilia majoris claritatis gratia latius ac fusius singula pietatis opera, quæ Jobus obiverat, cum singulis patientiæ actibus quos exercuerat, inter se comparando, hosque illis præferendo recenset, dicens : « Quando fuit illustrior? cum domum cunctis aperuit, aut cum eadem cadente benedixit Deum, nulloque amaro sermone locutus est? Quando alacrior fuit? cum pro natis agebat sacrificium, atque concordiam adducebat, aut quando ipsis contumulatis functisque vita amarissimo mortis genere multa cum philosophia casum tulit? Quando magis claruit cum de velleribus agnorum suorum calefacti sunt nudorum humeri, aut cum audiens de cœlo ignem descendisse, gregemque consumpsisse cum pastoribus, non est turbatus, nec tumultuans quid peregit, sed muasuete tulit calamitatem? Quando major fuit? cum ad oppressorum defensionem corporis sanitate utebatur, conterens molares iniquorum, et e medio dentium eorum prædam eripiens; an cum hoc ipsum corpus, oppressorum scutum, consumi vermibus videbat, sedensque in sterquilinio saniem radebat testam accipiens? et illa quidem omnia præclare gesta; hæc autem patibula tormentaque erant : sed tamen plus hæc quam illa Job clariorem ostenderunt, siquidem cum illa fiebant, contradixit tamen Diabolus, dicens : *Numquid frustra colit Deum Job?* His vero contingentibus se occultans terga dedit. » Sic ille. Pulchrum sane et Deo dignum spectaculum, in quo fortis vir cum Satana decertat, et omnes ejus insidias casso vulnere deludit. Ovat, triumphat Jobus, et insuperabili patientia munitus, tartareos ictus valenter elidit. Adversarius semel iterumque victus pugnam frustra instaurat; et animosus virtutis pugil illustriorem de tentatore triumphum iterum agit. Mœret audax dæmon se ab homine vinci erubescens, nec extorsisse consensum in peccatum, quem tot machinis intendebat. Firma quippe et inconcussa in his omnibus sua constitit Jobo constantia, nec a solido virtutis quadro vel ad latum unguem deflexit. Vis nosse quid acerbius ferat Diaboli fraudem deflexit. Vis nosse quid acerbius ferat Diaguem deflexit. Vis nosse quid acerbius ferat Diaboli fraudem deflexit. Vis nosse quid acerbius ferat Diaboli fraudem deflexit. Vis nosse quid acerbius ferat Diaboli fraudem deflexit. Vis nosse quid acerbius ferat Diaboli, cum fructu tentationis frustratur? audi Emissenum, homilia *De S. Stephano*, de non absimili casu sic eloquenter philosophantem : « Deinde, ait, ut antiquus ille religionis inimicus (Diabolus, inquam) etiam ante judicium sentiat

http://www.obrascatolicas.com

pœnam malitiæ suæ, per quam se sanctorum gloriæ intelligit militasse. » Scilicet totos invidiæ odiique nervos pugnacissimus dæmon contendit, ut tentationis aut subdola fraude aut exertis machinis Jobi subruat virtutem, et sanctitatis gloriam funditus labefactet; cum vero tandem triumphatorem videt, et se victum dolet, et palmam victori invidet; et quo gravius exercietur atrocioris invidiæ laniena, per tentationem illam se Jobi gloriæ intelligit militasse. Audi enim quam forti et constanti animo hanc quoque tam funestam et luctuosam filiorum suorum cladem invictus athleta sustinuerit.

Vers. 20. Invictam Job animi robur.

20. TUNC SURREXIT JOB. — Magnam huic verbo, *surrexit*, vim et energiam inesse notant interpretes; ac imprimis Philippus Diaconus ait eo declarari magnam viri constantiam, et invictum animi robur, quo tantas calamitates generose sustinuit, siquidem haudquaquam iis consternatus succubuit, neque fuit de numero illorum de quibus David ait, *Psal.* CXXXIX, 17 : « In miseriis non subsistent; » sed « surrexit, » id est, infracto animo stetit, omnibus adversitatibus superior evasit. Surgendi præterea verbo in Scripturis non raro designatur animus viri fortis ad bellum sese comparantis, ita ut surgere idem sit quod sese roborare; semetipsum erigere, et ad prælium se paratum ostendere, promptum esse et expeditum ad insultum hostilem sustinendum, et inimici vires infringendas. Quo sensu David rex potens in prælio, *Psal.* LXVII, 2 : « Exsurgat, inquit, Deus, et dissipentur inimici ejus; » deque iis qui prælium inituri erant dicitur II *Reg.* II, 14 : « Surgant pueri, et ludant coram nobis. » Cum ergo Job ab ipso dæmone, jurato generis humani inimico, se ad pugnam haud obscuris signis provocari cerneret, haudquaquam fractus animo congressum refugit, neque terga inimico dedit, aut arenam deseruit; sed tanquam fortissimus athleta surrexit, duellum acceptavit, ad prælium se accinxit. O miram infracti animi fortitudinem et inauditam generositatem! Cur non potius sedebat, aut jacebat, ut quietis aliquantulum indulgeret animo tot tantarumque calamitatum nuntiis recens exulcerato? Quomodo adhuc surgere potuit vir divinus tantis dolorum et tristitiarum spiculis sauciatus? Quomodo non magis illum moles tanti discriminis opprimebat? Crediderim sane ad inauditæ sustinentiæ viri præsentiam ipsasmet, quantumvis alioquin per se gravissimas, leviores factas esse calamitates; quemadmodum pulcherrimo exemplo D. Basilius in *Catena Græca* declaravit, dicens : « Priori nuntio calamitatem narranti posterior interveniebat, qui acerbiorum rerum ægritudinem mœroremque afferebat; calamitas e calamitate erat apta, atque ærumnæ undarum concursionem imitabantur; necdum prior lacryma desederat, cum recentis causa afferebatur : justus autem quasi scopulus consistebat, ac vim tempestatis excipiens, fluctuum violentam incursionem redigebat in spumam, nihilque eorum quæ contigerunt dignum lacrymis existimavit. Postquam vero nuntius venit, qui diceret in convivantes filios et filias violento flatu convivii domum irruisse, tunc communi sensu naturæ patefacto vestem conscidit, ut ea re propensæ voluntatis suæ erga liberos significationem daret. » Ita eleganter D. Basilius virum justum cum scopulo comparans, qui, ut ipse firmior stat, sic quo durius ac violentius mole fluctuum verberatur, eo magis illos in spumeam redigit levitatem. Quemadmodum enim videre est densissimam undarum molem in scopulos impingentem, in eorumdem firmitate confractam et illisam, totam illico in spumam abire, aut in nebulam resolvi; pari modo mundi hujus persecutiones, ac rabidissimæ tyrannorum iræ, et quælibet adversitates, dum viri cujuspiam fortis ac constantis marmoreum ac solidissima virtute firmatum pectus inveniunt, confestim mollescunt, et omnem quodammodo acrimoniam et acerbitatem perdunt, adeo ut quæ alias durissima videbantur flagra, spumarum lenitudines appareant. Pulchre ibidem Origenes expendens illud verbum, *surrexit*, ait : « Primum surrexit, et ita demum se prostravit; surrexit ad prælium, prostravit se ad pacem; surrexit ad victoriæ perfectionem, prostravit se ad coronæ perceptionem. Ergone victoriæ perfectio est solummodo militem insurrexisse? cur non magis concertationi quam conatui victoria debetur? quia nimirum illud ipsum ferventer exsurgere ad pugnam quasi victoria est et operis consummatio. Sequitur :

Quid spiritualiter significatum fuerit scissione vestimentorum et capitis tonsione?

ET SCIDIT VESTIMENTA SUA. — Sed quorsum hæc vestimentorum scissio spectabat? Sex quidem interpretationes ac rationes ejus exhibet Pineda noster, ad hunc locum explicandum valde accommodatas; verum illa mihi præ cæteris videtur ad præsens institutum accommodatior, quam sexto loco leviter attigit, et Origenes, lib. I *in Job*, clarius expressit dicens : « Conscidit vestimenta sua; sine mora semetipsum ad ipsas præparans plagas : Ecce, inquiens, corpus nudum; ecce corpus detectum; vos flagellate, inimici, tanquam Dei satellites, ego autem sufferam; vos verberate, ego autem sustinebo, dicens cum Jeremia : *Dorsum meum dedi in flagella.* » En ut innocentissimus Patriarcha non modo se ab inflictis pœnis non excuset illasve subterfugiat, verum etiam ad alias prioribus acerbiores promptum et paratum sese offerebat, quemadmodum ista vestimentorum conscissio manifeste declarat; quæ simul etiam ostendit ipsum artis luctatoriæ peritissimum, pugilemque fortissimum ac legum gymnicarum observantissimum exstitisse. Nam luctatoribus, præsertim Syris, id olim solemne fuisse constat, ut quando manus cum adversario conserendæ essent, vestibus sese exuerent, aut illas conscinderent, ac nudo pectore in hostem insilirent. Ad quem luctandi et dimicandi morem alludens Apostolus, I *Cor.* IX, 25 : « Omnis, inquit, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. » Quem locum illustrans D. Gregorius, homil. 32 *in Matth.*, et nobis omnibus accommodans, ait : « Qui ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus; nihil autem maligni spiritus proprium in hoc mundo possident. Nudi ergo cum nudis luctari debemus. » Hanc igitur potissimum ob causam Jobus tanquam athleta generosissimus ex lege gymnica vestem conscidisse putandus est, ut nudus cum dæmone nudo manus consereret ac dimicaret. In quem finem quoque *tonso capite* in arenam descendisse memoratur; id quod antiquis similiter prælium inituris usitatum fuisse historiarum monumenta testantur. Unde Plutarchus narrat Magnum Alexandrum, priusquam prælium committeret, præcepisse militibus suis ut caput et barbam raderent, ne vel capillus quidem ipsis superesset, quo ab hoste in pugna prehendi aut teneri ullo modo possent. Hac insuper capitis tonsione, ut ibidem optime observat Origenes, non obscure Jobus insinuavit se paratum non ad fortunæ duntaxat, quæ jam perdiderat, bona dimittenda, sed ad corpus quoque ipsum Deo immolandum, et ad caput suum quibuscumque periculis pro ejusdem gloria fortiter objiciendum. Pulchra id similitudine seu metaphora Origenes illustrat his verbis : « Cum comam capitis totondisset, eam adversariis projecit : Ecce, inquiens, tollite et hanc. Arbor sum fructifera, omnia a me superflua projicio, ut illibatus perfectum fructum offeram. Vitis sum bene maceriata; abscindo a me universa supervacanea, ut incongruis omnibus dicar purgatus, ac justitiæ proferam perfectum fructum. » Et ut ipsum ob priores plagas nequaquam animo concidisse aut præ mœrore contabuisse, sed ad majores potius excipiendas promptum exstitisse, et præ lætitia spiritus quodammodo exsultasse ostenderet, « totondit, inquit, comam capitis non ut lugens, sed ut luctum deponens atque projiciens, omnique luctu per tolerantiam superior existens; sicut Joseph, cum de carcere a Pharaone educeretur. » Ubi singularem Jobi tolerantiam expende; nam non minus lætus ab antiqua gloria et pristino splendore ad novas pœnas et ærumnas inauditas ferebatur, quam qui a carcere ad palatium educuntur; quemadmodum enim hi tondentur in signum lætitiæ quod in libertatem asserantur, ita ille tondebatur, ut proderet animum gestientem, quo se majoribus pro Deo pœnis libenter offerebat tolerandis.

Verum hæc omnia secundum superiorem hominis portionem esse dicta intellige, qua nimirum purus, cui nihil præter Deum sapit, animus sese perfectissime divinæ voluntati ac dispositioni in omnibus pari promptitudine, si non majori, in diversis æque ac prosperis accommodat cum liquidissimo spiritalis sensu voluptatis, quæ in summa etiam exterioris inferiorisque hominis afflictione quasi per antiperistasim intendi vehementius et augeri in immensum solet, dum anima pia omni prorsus humano ac temporali solatio destituta, totam quantam se in Deum sincerissime transfundit, et præter eum solum ejusque voluntatem nil penitus desiderare se intelligit; unde tantum in ea spiritale gaudium resultat, ut nesciam si post beatificum majus aliquod in terris dari possit.

Quid literaliter?

Cum hoc tamen simul optime consistit, ut infima pars hominis, quæ sensu potissimum ducitur, ea quæ sibi propria sunt et sentiat et gerat, nec non externis quoque signis, v. gr. singultibus, dolorem suum tristitiamque, honeste tamen ac moderate, prodat, prout ipsemet Christus quoque Dominus noster in horto ac passione, et subinde etiam alias in vita similes affectus prodidisse cognoscitur. Et sic ea quæ pro superiori parte animi prompti et expediti aut etiam gaudentis signa interpretati sumus, quam optime simul secundum inferiorem hominis portionem sumi possunt pro indiciis animi in summo mœrore atque extremis angustiis constituti. Quare in hoc sensu, quod Job vestimenta sciderit, quod caput totonderit, et in terram pronus corruerit, significatio erant maximi doloris, quo secundum infimam hominis partem urgebatur. Nam in dolore vestimenta quondam scindi consuevisse tam sacra quam profana monumenta testantur; sic nimirum Jacob vestimenta sua scidisse scribitur, quando Josephum filium suum dilectissimum a bestia devoratum audiebat : « Scissisque vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore, » *Genes.* XXXVII, 34. Similiter in libris Regum narratur David in funere Saulis præcepisse viris omnibus qui cum eo exequiis intererant, ut in signum doloris ipsum scissis vestimentis plangerent : « Et apprehendens David vestimenta sua scidit, omnesque viri qui erant cum eo, et planxerunt, et fleverunt, » II *Regum.* I, 11; idem quoque alibi in morte Abner præcepit his verbis : « Scindite vestimenta vestra, et accingimini saccis, et plangite ante exequias Abner, » II *Reg.* III, 31. Quod et fecerunt Ezechiæ legati, lib. IV *Regum*, cap. I, 18, et ipsemet Ezechias, cap. XIX, cum audissent quam impie adversus Deum Assyrii loquerentur, et quam ingens Hierosolymæ excidium immineret. Id ipsum inter externos, re a Mardonio infeliciter gesta, Lacedæmonios fecisse tradit Herodotus, lib. I. Ex qua consuetudine apud Virgilium quoque, lib. XII *Æneidos* :

Ut scissa veste Latinus
Conjugis attonitus fatis urbisque ruina.

Similem quoque ob causam olim capillos barbamque tondere solitos accepimus eos qui rebus prosperis ac lætis comam alere consueverant. Quamobrem istiusmodi externa doloris indicia, quæ Jobus in tanta liberorum suorum strage atque bonorum omnium direptione secundum ex-

Job haud paterni amoris.

http://www.obrascatolicas.com

Immemor. teriorem hominem ediderat, neque ærumnarum acerbitas, neque animi calamitatibus fatigati impotentia, sed mos, ut jam ostendimus, multis sæculis inveteratus expressit. Neque vero perfecta virtus hoc a nobis postulat, ut in calamitatibus aut ærumnis haudquaquam doleamus, quemadmodum Zeno et Stoici opinabantur, sed ut nihil inhonesti, nihil indecori nihilque effeminati dolore compulsi admittamus. Tantum autem abest, ut prædicta doloris indicia contra virtutem aut honestatem militarent, quin potius certissimum vere paterni atque humanissimi affectus exstiterint argumentum, quæ si omisisset, in omnium plane gentium reprehensionem jure merito incurrisset. Atque hoc modo utraque de prædictis signis sententia inter se quam optime conciliatur, si prima secundum superiorem, altera vero secundum inferiorem hominis portionem exponatur. Tametsi enim animo prorsus heroico et invicto secundum spiritum in tantas se ærumnas incidisse plurimum gauderet, et majoribus se pro Deo periculis et difficultatibus lubens volensque offerret, secundum infimam nihilominus partem hominis, quæ sensu afficitur, et dolorem maximum percipiebat, et ingentia mœroris signa præ se ferebat, decentia tamen, et in istiusmodi calamitatibus viris etiam fortissimis usitata, qualia tunc erant, e loco suo surgere, vestimenta scindere, capillos radere. Job igitur, tot funerum accepto nuntio, scidit vestimenta sua, quo crudi filiorum funeris, justa prout poterat, solvat et acerbi doloris signa edat. In quo illustrior Jobi pietas et aspectabilis virtus mirifice eluxit, uti pulchre in *Catena* Chrysostomus declarat : « Quod vestem discinderit, comamque totonderit, haud mireris ; pater enim erat, ac pater liberorum amans ; naturæ condolescentis sensus ostendendus erat, animique philosophia minime occultanda. Nisi enim illud fecisset, suspicatus forsitan quispiam esset ejus philosophiam a communi sensu humanitatis abhorrere. » Nempe in filiorum strage peracerbum doloris sensum vestium scissione Jobus publicat, ut dum mœstum angorem ostendit, arcanam virtutis philosophiam minime occultaret. A communi sensu humanitatis non abhorret, ut etiam animi tranquillitatem obvelet, et dum doloris sensum acerbius ostendit, animi immobilitatem tectius dissimulet. Idcirco enim gravissimi angoris documenta foris exhibet, ne humano fastigio sublimior appareret. Quid porro ?

Quo sensu Job adoravit ? CORRUENS IN TERRAM ADORAVIT. — Gestus iste corporis in terram corruentis, partim lugentis, partim adorantis esse cognoscitur, quemadmodum et ipsa rei natura docere, et receptus jam inde a primis temporibus omnium fere nationum usus approbare videtur. Angor enim et afflicti pavidique cordis jactatio non modo ipsius animi, sed corporis quoque vires solet dejicere, sic ut fatiscat et sua sponte collabatur. Quamobrem hi, quos ingens aliqua calamitas oppressit, ad summi mœroris ac doloris significationem humi procumbere, et pulvere ac cinere semetipsos aspergere consueverunt. Orantes vero istiusmodi corporis in terram abjectionem adhibent, ad testandam singularem animi reverentiam erga summi Numinis majestatem, quam venerantur ; hanc in cœlestibus quoque reperiri sacræ litteræ prodiderunt, et expressit eleganter Petrus Chrysologus, *serm.* 5, dicens : « Pavent angeli, potestates metuunt, in faciem proruunt cœli seniores. » Ubi in faciem proruere idem est quod prono capite vehementer incurvari, aut sterni solo. Quæ species orantium professionem continet indignitatis suæ in conspectu magni Dei, estque evidens summæ venerationis et profundæ animi demissionis argumentum. Cum igitur Job et maxima, si quis unquam calamitate premeretur, et cæteris vel ipsius Dei testimonio in terra hominibus pietate præstaret, utramque simul ob causam, scilicet ad rationabilem in tot adversitatibus eumque moderatum luctum suum indicandum, et ad Numinis benignissimi in tanta rerum suarum vastitate, ac pene dixerim desperatione, opem opportune implorandam, in terram corruisse putandus est, præsertim quod istiusmodi orandi situs in afflicta potissimum fortuna, et, ut Tertullianus, lib. III *Contra Marcionem*, cap. XVIII, loquitur, « in rebus attonitis, » quales tunc Jobi erant, adhiberi plerumque soleat, ut idem ait, « facie humi volutante, » nimirum ad misericordissimi Dei in tanta necessitate auxilium facilius exorandum et impetrandum. Id enim nimium quantum ad commovendam miserationem valere sancti omnes arbitrantur. Unde Justinus Martyr in *Dialogo contra Tryphonem*, non veretur dicere, τὸν Θεὸν μειλίσσεσθαι τῇ ἐν πρηνεῖ καταπίπτειν καὶ ἐν γόνασι, id est : *Deum demulceri oratione quæ submisso in terram vultu et flexis humi genibus funditur*. Hac autem orandi specie Jobus Christi quoque Domini ac Servatoris nostri, quemadmodum aliis pluribus in rebus, typum expressisse videtur, quando nimirum postrema vitæ suæ nocte in æstu illo animi immenso et tristitiæ magnitudine, qua pene obruebatur, cœlestem Patrem oraturus « procidit in faciem suam, » sicut Evangelista testatur, *Matth.* XXVI, 39.

Job in terram corruens sese ad prælium adversus Diabolum mirifice præparat. Porro hancce Jobi in terram prolapsionem ingeniose Sanctius noster, Origenem secutus, ad agonisticam artem et industriam retulit, qua Jobus singulare cum Diabolo certamen initurus, ante omnia locum sibi maxime opportunum, et ad pugnam cum tali hoste capessendam aptissimum tutissimumque delegit. Talis autem locus terra est, quippe homini in ea nato et ab humo sic nuncupato, maxime proprius ; ad illam ergo se contulit, in illam se demisit, tanquam sapiens luctator optime intelligens sese istiusmodi antagonistæ resistere non posse, si locum suum desereret et non mordicus teneret. Quapropter ut locum suum plenius apprehenderet et securius retineret, pronus in terram corruit, unde omnes

Diaboli sagittas tam feliciter eusit atque vires infregit. Prudenter igitur se prostravit, sed minime obmutuit, nec præ dolore siluit ; quin potius statim ad opem Numinis implorandam se convertit, et Deum adoravit. Quid ad hæc Diabolus hostem suum jam tum prostratum videns ? Origenes id optime exponit dicens : « Quem cum prostratum cerneret Diabolus, gavisus est ; cum autem orantem atque adorantem audivit, obstupuit, atque expavit. » Dum sub verbere tacebat et humi sternebatur, gaudebat hostis, de silentio victoriam ominatus ; at ubi orantem et Deum invocantem excepit, illico expavit. « Prostratus, pergit ibidem Origenes, oravit Dominum Job ; prostratus dejicit Diabolum, altum humiliavit, exaltatum supplantavit, confudit fortem, deformavit elatum. Super hæc autem omnia formam ostendit ejus qui de cœlo venit, qui ut granum tritici in terram cadens Diabolum dejecit, et fortem alligavit. » In spiritali enim pugna vincit qui sic sternitur, et qui premitur coronatur. Quare hic Jobi in terram lapsus haudquaquam fuit fracti animi signum, sed peritissimi luctatoris artificium, et victoriam relaturi atque coronam accepturi indicium. Prostravit enim se, ut tolerantiæ corona tanquam victor a Deo donaretur. Huc spectavit Origenes, lib. I, dum ait : « Imperatores, qui victores exstiterunt, non stantes, sed deorsum adorantes coronam accipiunt. Sic Job in prima tentatione ad orationem se prostravit, ut perfectas tolerantiæ suæ a Deo acciperet coronas. » Sic ille. Nobilis profecto corona, quam adversitas nectit, et qua vir patiens redimitur. Adversitatibus premeris ? peteris contumeliis ? Omnia æquo animo sustine, Jobi exemplo coronaberis, adversitas ipsa vertetur in coronam. Nam, ut S. Ambrosius, lib. II *De Abraham*, cap. IV, eleganter ait, « afflictiones viro forti coronæ sunt, invalido infirmitates sunt. » Quo spectat etiam illa S. Nili in *Parænesi* monitio, Καρτέρει τὰς θλίψεις, ἐν αὐτοῖς γὰρ τοῖς ἀθλοῦσιν εἰ στέφανοι : *Perfer afflictiones ; nam in certantibus coronæ sunt.*

Præclarissima Jobi de Diabolo victoria. Cæterum, quia nunquam virtus ulla coronatur nisi per suffragium orationis, sapienter omnino Job, ut illustrem tolerantiæ coronam sibi compararet, statim sub initium certaminis « corruens in terram adoravit, » nobis relinquens exemplum, ut vestigiis ejus insistamus, atque orationis suffragio virtutum omnium coronas impetremus. Quinimo si hanc Jobi adorationem exactius nonnihil expenderimus, vel illam ipsam haud vulgarem de Diabolo victoriam retulisse comperiemus, siquidem calumniator ille jactaverat eo se calamitatibus Jobum adacturum, ut Deo malediceret, et nefandum blasphemiæ crimen incurreret. Quod tantum abfuit ut efficeret, quin potius e diverso ipsum ad Numen pie venerandum excitarit. Quæ victoria profecto minime parva censeri debet, cum tam Deo quam Jobo gloriam longe maximam pepererit : Deo quidem, quoniam ejus de Jobi pietate judicium, quod dæmon infirmare conabatur, minime falsum aut vanum, sed verum ac ratum, et Jobi cum Deo amicitiam nequaquam fictam aut mercenariam, sed sinceram et maxime gratuitam fuisse comprobavit ; Jobum vero gloriosissimum reddidit, dum virtutes ejus præstantissimas toto terrarum orbe conspicuas et sole ipso clariores apparere fecit. Nobis porro in hac victoria præclarissimum cum hoste callidissimo pugnandi exemplum est propositum, quo docemur, quonam pacto in adversitatibus et rebus jam profligatis cum Deo agere debeamus, et quam maxime tunc ipsum nobis demereri possimus, si videlicet, quando adversa nobis ingruunt, haud iniquo et ægro illa animo feramus, neque inhoneste de Deo conqueramur, sed eum tum vel maxime revereamur sinceraque mente adoremus. Hac enim ratione fiet, ut in omni adversitate præsens Dei auxilium ac præsidium, atque in afflictione maximum semper solatium simus experturi, quemadmodum Jobus luculenter satis expertus fuit ; cujus propter adorationem non modo Deus calamitates abstulit, sed duplo etiam pluribus eum bonis postmodum cumulavit, ut in decursu historiæ patebit. Nunc ejus in rebus asperis philosophiam expendamus.

Vers. 22. Vox illuc intelligenda de sepulcro. 21. ET DIXIT : NUDUS EGRESSUS SUM DE UTERO MATRIS MEÆ, ET NUDUS REVERTAR ILLUC. — Sed numquid potest homo « in ventrem matris suæ iterato introire, » quemadmodum rogabat Jesum Nicodemus, *Joan.* III, 4 ? Cur ergo Job ait se nudum illuc, scilicet in ventrem matris reversurum ? Diversi diversimode locum hunc torquent et exponunt ; mihi maxime placet illorum sententia, qui terram hic per matrem intelligunt, quæ communis est omnium mater, eodemque nomine ab Ecclesiastico vocatur, dum ait : « Jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium, » *Eccli.* cap. XL, 1. Eamdem quoque Plinius matrem nominat, lib. III *Naturalis Historiæ*, cap. LXIII : « Sequitur, inquit, terra, cui uni rerum naturæ partium eximia propter merita cognomen indidimus maternæ venerationis ; nos nascentes excipit, natos alit, semelque editos sustinet semper, novissime complexa gremio tum maxime ut mater operiens, » etc. Idem etiam quod Job, dixit Ecclesiastes his verbis : « Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur, et nihil auferet secum de labore suo, » *Eccles.* V, 14 ; et S. Paulus *ad Timotheum* : « Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus, » I *Timoth.* VI, 7. Nazianzenus quoque in disticho carmine de hominis externi vilitate loquens ait : Δὶς ταφίης ζώοντες ἐπὶ σῶμα ; *Bis sepulti sunt qui vivunt in corruptione* : a tumulo enim tumulum petunt, id est, ab utero matris in sepulcrum tendunt. Antea enim uterum matris sepulcrum appellaverat μητέρα τύμβον ἔχων, *matrem pro tumulo habens*. Unde fere convenit jam inter Commentatores τὸ *illuc* intelligendum esse

http://www.obrascatolicas.com

de sepulcro. Ita S. Hieronymus in epist. *ad Tarasiam*, S. Prosper, part. I *De Prædict.*, Gaudentius Brixianus suo tractatu *in Scripturam*, S. Cyprianus, orat. *De Mortalitate*, S. Gregorius hic, et vulgo recentiores.

Verum statim animum pulsat difficultas, quomodo dixit *illuc;* quæ vox relativa est, siquidem sepulcrum quod referat non præcessit. Hunc nodum ingeniose solvit Celada noster in doctissimo suo Commentario *in Judith*, cap. XVI, § 36, dicens : Etsi non præcedit in Scriptura, nunquam tamen discedit a Jobi mente. Tam enim frequens erat Jobo memoria mortis et sepulturæ, ut cum absolute dicit *illuc* intelligendum sit de sepulcro. Sicut Magdalena, quæ semper cogitabat Christum, dixit absolute hortulano, *Joan.* cap. XX, 15 : « Si tu sustulisti eum, dicito mihi. » Quem vocat *eum*, cum nullius præcesserit mentio? *Eum* vocat qui solus est in mente, quem solum Jesum versat in memoria. Ita Jobus sic jugi memoria versabat mente sepulcrum, ut absolute dicens *illuc* interpretandus sit agere de sepultura. Quod igitur Job dixit ex utero in uterum, S. Gregorius dixit ex sepulcro in sepulcrum. Atque ita sicut uterus matris sepulcrum dicitur, ita sepulcrum dicitur uterus terræ. In sepulcro enim veluti in utero terræ usque ad judicii tempus abscondemur, tunc demum ex illo veluti nova quadam atque admirabili nativitate in lucem prodituri.

Solidissima in adversis consolatio bona hujus vitæ aliquando a nobis necessario auferenda.

Cæterum hæc ratio, qua se vir sanctus consolabatur, et eruditissima est et simul solidissima; cujus vim omnem in eo esse sitam puto, ut demonstret externas omnes facultates, et sæculi divitias, nec non universa, quæ fortunæ bona nuncupantur, tandem a nobis auferenda et relinquenda esse, sicut aliquando, cum primum nascerer, iisdem caruimus; quod si igitur auferenda et reliquenda esse, sicut aliquando, cum primum nasceremur, iisdem caruimus; quod si igitur auferenda sint et dimittenda, quid refert utrum statim an paulo post illis privemur? Quæ ratio tanti profecto est momenti, et tam prægnans, ut si mature illam expenderimus et profunde cordi nostro impresserimus, haudquaquam opibus magnopere delectandi, nec earum jacturam nimis graviter laturi simus. Quamobrem se quidam consolabatur dicens :

Γῆς ἐπίδην γυμνός, γυμνὸς θ' ὑπὸ γαῖαν ἅπειμι.
Καὶ τί μάτην μοχθῶ γυμνὸν ὁρῶν τὸ τέλος;
Conscendi nudus terram, nudusque subibo;
Quid frustra sudo funera nuda videns?

Fiducia in divitiis insana et in sana.

Plerique autem, quod plurimorum est vitium, tam tenaciter fluxis et caducis hujus sæculi divitiis inhærent, ita toti illis sunt addicti, ac si nunquam eas deserturi, sed semper possessuri, atque æternum iis fruituri essent; quare non possunt non graviter earumdem amissione torqueri, quemadmodum dives ille evangelicus, quem S. Lucas animæ suæ his verbis lætissime gratulantem introducit : « Anima, habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare,» *Luc.* XII, 19. Ecce tibi hominem in incerto divitiarum sperantem, et animi consolationem omnem atque fiduciam in iisdem reponentem. Sed quam inanis, quam insana, quam fallax istiusmodi spes ac fiducia fuerit, ex verbis sequentibus manifeste cognoscitur : « Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem parasti cujus erunt? » Irrisit nimirum fatui hominis levitatem Deus, eumque merito *stultum* vocat, sive, ut est in Græco ἄφρονα, *vecordem*, sine mente, sine judicio, insipientem; quippe cum sibi perennes prope delicias et longissimæ vitæ amœnitatem polliceretur, illa ipsa nocte vita et opibus spoliatus fuit. Tum ore sacro ad suorum omnium documentum divinum hoc epiphonema subjungit : « Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives. » Hoc est, stultus pariter et in nocte rapiendus, inquit Beda. Ut ergo simus in Deum divites, nequaquam in incerto divitiarum, sed in solo Deo vivo sperare debemus, et in ipso totam nostram fiduciam collocare, qui dat omnibus affluenter; idque nobis penitus persuasum animisque nostris, ne decipiamur, alte infixum esse debet, divitias nempe ac reliquas hujus sæculi facultates non tam nobis datas, quam ad tempus duntaxat commodatas esse, adeo ut quocumque die ac momento Deo visum fuerit, summo jure repeti a nobis possint. Atque hæc erat illa sublimissima Jobi philosophia dicentis : « Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. » Quare sententiam sane auream ita dilatat et illustrat Origenes : « Non lugeo, inquit, rei familiaris direptionem; ablatæ namque sunt mihi cum peculio pariter et molestiæ atque curæ. Nihil habui cum venissem, nihil requiro cum iero. Nihil attuli natus, nihil hinc auferam sublatus. Nudus exivi de utero matris meæ, non peculium nec filios habens, neque divitiis vel facultatibus indutus, nudus et ibo sub terram; nudus, inquit, peculio, sed et peccato; nudus divitiis, sed et impietatibus; nudus substantia, sed et injustitia. Sicut enim carnalibus facultatibus universis nudus effectus sum, ita et ab omnibus illicitis nudus ibo sub terram; nudus malis omnibus ibo, bonis vero omnibus indutus. *Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium quia nec auferre quid possumus.* Nudus exivi de utero matris meæ. Tanquam si diceret : Quod est mortale hoc indumentum, quæ est hæc supervacua gloria, quæ sunt terrenæ hæ atque infidæ divitiæ, quæ sunt hodie, et crastina die non sunt, quæ hodie arrident isti, crastina vero die eunt ad alium? Fumus est deficiens, flos est transiens, herba est arescens. Et qui habent illas tanquam non habeant, quia diutius non habent; et qui non habent illas, tanquam nihil amiserint, quia non permanentes relinquuntur. Quæ accepi, corpus scilicet et animam habeo, quæ attuli, non amisi; superflua omnia

Non in incerto divitiarum, sed in solo Deo sperandum.

derelinquens nudus ibo illuc.» Sic ille eleganter et copiose.

Nuditas primæva quam gloriosa! necessitas vestium? subsecuta quam ignominiosa et periculosa!

Qualis igitur hic affectus dicentis : « Nudus revertar illuc? » Num fortassis affectus est hominis vicem et calamitatem suam deplorantis? absit, quin potius exultatio est hominis triumphantis, ac triumphi sui gloriam exaggerantis, quod nimirum ad illustrem istam nuditatem pervenisset, qua primævæ possessores justitiæ in ipso paradiso quondam, aureo illo sæculo, beati et plane gloriosi apparebant, quemadmodum in epist. *ad Olympiadem* S. Chrysostomus exponit, dicens : « *Nudus egressus sum de utero, et nudus revertar illuc.* » Sed cujus tandem uteri meminit? nempe primi parentis opificium imitantis. Nudus e terra divino munere conformatus sum, minime fucatus, nulla re supervacanea oneratus; ergo nudus quoque revertar illuc. Quo? nempe ad locum plangore liberum. » Ecce tibi in rerum nuditate considerat vir justus primævi illius status sortem gloriosam planeque beatam, quando scilicet omnes in Adamo nudo conditi nudi fuimus; quam nuditatem divino munere adepti, nulla re supervacanea onerabamur, nullo indigebamus amictu, nullo secreto domus opus erat. O nuditas beata! o nuditas, primorum hominum gloria et justitiæ comes originalis! Unum peccatum secuti sunt amictus, vestium splendor, magnificentia palatiorum, ingentes divitiæ; quæ omnia peccati vulneribus curandis quæsita sunt et inventa. Unde eleganter Clemens Alexandrinus lib. II *Pædagogi*, cap. XX, de pretiosa veste dicit : Οὔτε πρὸς σκέπειν ἔχει τι περιττὸν παρὰ τὴν ἀλλὰ ἐσθῆτα ἢ τὸ ψύχειν μόνον : *Neque ad tegumentum habet aliquid amplius nisi solum vituperium.* Siquidem hominis vituperium est sic affectum esse, ut tantis egeat adscitiis ornamentis ad suam turpitudinem contegendam. Tertullianus similiter, lib. *De Pallio*, cap. III et IV, contra luxum vestium agens, eleganter notavit ingenia hominum, primum quidem tegendo corpori, qua necessitas præcessit, deinde ornando, mox etiam inflando, qua ambitio successit, varias indumentorum formas promulgasse. Cujus ambitionis et inanissimæ gloriæ tanta est vis et potestas, ut fortissimorum hominum mentes aliquando infregerit. Quam ob causam inter pompas Diaboli, quibus in lavacro divino abrenuntiat Christianus, merito sancti Patres vestium cultum ornatumque reponunt; et jam inde a prima Christianæ vitæ professione voluerunt, quantum fieri potest, affectionem hanc aboleri, quæ intimo in animo illigata est et vehementer infixa. Trahuntur enim omnes incredibili cupiditate elegantissimi ornatus splendorisque vestium; quem amorem S. Chrysostomus in epist. 2 *ad Olympiadem*, jure nominat morbum animæ gravem et δυσκαταγώνιστον, *ad superandum difficilem*, additque esse argumentum magnum et apertissimum indicium γνώμης διαφθαρμένης, *corruptæ mentis*, læsi conturbatique judicii aberrantis et delirantis rationis; illius sane contagio tam late patet, dulci quadam licentia nimium et impune lenocinante, ut ab ea vix immunis ullus esse videatur. Itaque S. Jobus intelligens rerum omnium æstimator, et afflatu cœlesti plenus, iis omnibus quæ ad peccati vulnera concurrunt, divitiis, inquam, splendidis vestibus, tectis pictis, gloriosis tabulatis cæterisque terrenis rebus se penitus exutum videns, tantum abfuit ut, cæterorum more hominum, hanc rerum externarum nuditatem lugeret, quin potius quam maxime gauderet, se per eam assecutum esse spiritalem illam ac mysticam, qua ad Deum angelosque proxime accedimus, nuditatem, quam S. Dionysius, lib. *De Cœlesti Hierarchia*, cap. XV, § 3, describit, τὸ ἄφατον καὶ ἑνιαῖον καὶ ἄχραντον καὶ καθαρεῦον τῆς τῶν ἐκτὸς προσθήκης, καὶ τὸ πρὸς τὴν ἁπλότητα τὴν θείαν ὡς ἐφικτὸν ἀφόμειωτικόν : « virtutem illam abstractam et expeditam et puram ab omni externo additamento, quæ divinæ simplicitati quantum fas est assimilatur. »

Porro ex hac omnimoda sui ipsius ac rerum omnium nuditate summa illa perfectaque animi tranquillitas ac voluntatis absolutissima resignatio existebat, qua se suaque omnia plenissime Deo pro ejus arbitratu committebat, dicens :

Mira Jobi in jactura bonorum temperantiam. philosophia.

DOMINUS DEDIT, DOMINUS ABSTULIT : SICUT DOMINO PLACUIT, ITA FACTUM EST : SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM. — Considera hic mihi accuratissimam sanctissimi Jobi philosophiam, qua nihil earum rerum quas vel violenta prædonum manus abstulerat, vel missus e cœlo ignis absumpserat, vel rabiosus ille turbo dissiparat, esse suum existimabat; adeoque nihil omnino sibi in tanto facultatum omnium naufragio periisse meditabatur. Aliena quippe considerabat esse quæcumque hactenus habuerat, et nunc tam repente sublata videbat, clare cognoscens, se nihil eorum secum in hunc mundum attulisse, sed nec auferre quid posse. Quapropter nullam sibi rerum illarum ablatione illatam esse putabat injuriam, quod nimirum Dominus ea humanæ vitæ commoda, quæ ad usum illi prius gratuito munere concesserat, jam pro libitu ac jure suo subtraxisset. Tantum igitur Jobus abfuit, ut, quod maximopere dæmon satagebat, propter istiusmodi rerum ablationem Deo succenseret aut blasphemiam impingeret, quin potius pro gratuito illarum usu hactenus sibi clementer indulto quantas quidem poterat gratias ageret, ac Domino eas suo, a quo prius acceperat, jam demum restitutas plurimum gauderet. Quod autem Jobus fecit, id naturali duntaxat lumine illustratus Seneca docuit, *ad Polybium*, cap. XXIX, ita scribens : « Iniquus est, qui muneris sui arbitrium danti non relinquit; avidus, qui non lucri loco habet quod accepit, sed damni, quod reddidit; ingratus est, qui injuriam vocat finem voluptatis; stultus, qui nullum fructum esse putat bonorum nisi præsentium, qui non et in præteritis acquiescit, et ea judicat certiora quæ abierunt, quia de illis ne desinant non

http://www.obrascatolicas.com

est timendum. » Id ipsum, cap. XXX, adhuc amplius illustrans ait : « Si quis pecuniam redditam solvisse se moleste ferat, eam præsertim cujus usum gratuitum receperat, nonne injustus vir habebitur ? Cogita jucundissimum esse quod habuisti, humanum quod perdidisti. » Quæ ratio ad animum in rebus adversis componendum et tranquillandum, atque ad bonorum temporalium jacturam levius ferendam, momentum sane maximum habere debet, ex qua istiusmodi argumentum per modum dilemmatis formari potest : nam vel intelligimus quaslibet opes ac rerum externarum facultates gratuito liberalique Dei munere nobis tributas esse, vel non. Si hoc, stulti sumus et impii, sin illud, jam ingrati erimus, si illas ægro animo dimiserimus, quando Dei voluntate nobis subtractæ fuerint. Cum ergo quilibet vir pius Deum pro patre colere ac venerari debeat, certoque credere nihil absque Numinis providentia in orbe geri, quæ cura plusquam paterna ipsum complectatur, hoc quoque sibi persuadeat necesse est, quascumque unquam patitur calamitates, haudquaquam a Deo tanquam inimico ipsum lædere volente, sed tanquam benevolo patre filii sui commodis studente illatas esse. Quæ consideratio in adversa fortuna rebusque profligatis viro probo jure maximam adferre debet consolationem, quam D. Paulus Hebræis in tribulatione constitutis opportune in memoriam revocat ita scribens, *Hebr.* XII, 5 : « Obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur dicens : Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit. » Ubi obiter notandum ab Apostolo flagellationem et castigationem vocari consolationem, juxta illud Psalmistæ : « Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt. » Quæ sane consolatio quantumvis solidissima sit et maxima, nihil tamen aut certe parum in ærumnis levat eos qui non sunt præstanti quadam virtute præditi, adeo scilicet magnum stuporem non solum vitia flagitiaque, verum etiam non bene sedatæ perturbationes mentibus afferunt. Quod cum Satan minime ignoraret, nihil æque satagebat, quam ut Jobo persuaderet calamitates istas, quas patiebatur, non tam a Deo quam a creaturis illatas esse ac promanasse. Quamobrem multiplex ille nuntius, qui Jobo clades suas denuntiabat, vix unquam eas Deo, sed vel Sabæis, vel Chaldæis, vel turbini vehementi tribuebat, ut sic virum sanctum ad impatientiam provocaret, atque in animi perturbationem impelleret. Nam qui ad Deum calamitates suas minime refert, neque ut ab ejus paterna manu profectas mansuete suscipit, facile ad impatientiam aut indignationem stimulatur. Verum vir sanctissimus, longe aliter de Dei providentia philosophatus, divinæ beneplacito voluntatis omnem laborum ac dolorum suorum acerbitatem mitigabat et leniebat, auream illam proferens sententiam : « Dominus dedit, Dominus abstulit, » etc. Scilicet non tortorem, sed judicem, non executorem, sed auctorem pœnarum suarum attendebat, uti eleganter D. Chrysostomus, hom. 3 in I *Epist. ad Thessalonicenses*, annotavit. Hinc acerbitas cruciatuum illi a Diabolo inflicta in Deum tanquam auctorem primum et finem ultimum relata sanctissimo viro dulcescebat. Pari modo Joseph a fratribus quondam venditus, et in Ægyptum abductus, venditionem suam et exilium haudquaquam odio fraterno, sed divinæ voluntatis beneplacito adscribebat : « Non vestro, inquit, consilio, sed Dei, voluntate huc missus sum, » *Genes.* XLV, 8. Quia igitur Deum exilii sui auctorem venerabatur, nec in fratres odio laborabat, neque servitutis molestias sentiebat. Similiter Heli quando pœnæ illius intendebantur cum Deo minime expostulavit, sed potius humiliter concordavit, dicens I *Reg.* I, 18 : « Dominus est : quod bonum est in oculis suis faciat; » in quo virtus ejus haud mediocriter enituit. Facile enim est coronanti Deo consentire, flagellanti difficillimum, nisi quis sibi ipsi jam perfecte mortuus soli Deo cum sanctis vivat, ejusque voluntati in omnibus se accommodet, quinimo Dei voluntatem pro sua habeat. Ita nimirum fecit Job quando hæc verba pronuntiavit : « Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est. » Quam sententiam plane auream ita pulchre dilatat Origenes : « Quando voluit, inquit, dedit ut bonus; et quando voluit, identidem ut habens potestatem abstulit. Dominus dedit, et Dominus abstulit. Dedit sua, et iterum abstulit sua; ego nihil amisi, nullum passus sum detrimentum. Merito postquam usus sum, reddidi mutuanti mihi ea, gratias agens. Omne quod Deo placuerit, bonum et justum est. Placuit illi ut daret? bene placuit illi identidem ut auferret? juste placuit. Quamdiu illi placuit, habuimus; quando placuit ei, non habemus. Quando habuimus, non propria nostra habuimus, sed Domini; et cum perderemus omnia, non propria perdidimus, sed abstulit quæ sua erant Dominus. Sicut Domino placuit, ita factum est. Omne quod vult Dominus vita est, requies, æterna beatitudo est. *Vita enim in voluntate ejus, et ira in indignatione ejus*, Psalm. XXXIX, 6. Quodcumque ergo placuit Domino, sive percutere, sive mulctare, sive ditare, sive pauperem facere, omnia beatitudo est incorruptibilis. Sic oportet omnes Christianos dicere, et facere, et cogitare in omnibus quæ eos circumdederint atque eis occurrerint; sive pecunias perdant, sive paupertas incumbat, dicant in his omnibus cum sinceritate : *Sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum in sæcula.* » Sic ille.

In adversis sicut et in prosperis Deum Job præcelis habet: unde omnimodam accipit consolationem.

Saluberrima hæc Jobi philosophia, si unquam alias, nunc certe vel maxime necessaria est medendis animorum morbis sane gravissimis, qui

hisce calamitosis belli temporibus in tot civitatum ac provinciarum eversione ac vastitate cum maximo catholicæ religionis detrimento, nec non plurimarum perditione animarum perniciosissime grassantur. Tribus autem potissimum vir sanctus considerationibus afflictum tot tantisque calamitatibus animum erigebat : *Prima* erat, quod bona isthæc temporalia, quæ sibi jam sublata videbat, nequaquam homini propria et connaturalia, sed aliena potius et peregrina duceret, quemadmodum clare significavit cum dixit : « Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. » *Secunda*, quod illa Deus donaret et auferret; quapropter ait : « Dominus dedit, Dominus abstulit. » *Tertia*, quod in istiusmodi bonorum ablatione divinæ beneplacitum voluntatis agnosceret dicens : « Sicut Domino placuit, ita factum est. » Juxta primam ergo Jobi considerationem ob istiusmodi bonorum dispendium externorum haudquaquam debet homo succumbere dolori vel tristitiæ consternari. Propter secundam vero ne queri quidem merito potest. Ob tertiam denique oportet etiam ut gaudeat, juxta illud S. Jacobi in *Epistola* sua *Canonica* monentis, cap. I, vers. 2 : « Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri in nullo deficientes. » In nullo sane defecit Job, qui veræ patientiæ forma et perfectæ virtutis character fuit, cujus exemplum nobis omnibus ad imitandum proponit S. Antiochus, *homil.* 117, in adversis æque ac prosperis ad gratiarum exhortans actionem, cum ait : « Sive quis animi jucunditate perfruitur, sive tribulatione, sive nubilo tegitur justitiæ, afflictatur anxius, aut certe effunditur gaudio, debet nihilominus adhibere gratiarum actionem. Qualis non obscure fuit eximius ille Job; is enim perditis semel omnibus, domo insuper decem contignationibus fastigiosa adæqua a solo, sed et filiis interim, dum geniali epulo nvitant se et indulgent, ruina oppressis, quam Domino pro his rependit gratiarum actionem? Nimirum accepto hoc nuntio dicebat : *Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum.* » O quam hæ voces gratæ Deo! quam suavis earum divinis auribus concentus accidit! Vere Jobus tubæ ductili assimilatur, quæ dum tunditur et premitur, simul etiam producitur ac dilatatur, ut Dei laudes clarius resonet, quemadmodum D. Augustinus *in Psalm.* XCVII, ad illa verba, « in tubis ductilibus et voce tubæ corneæ, » eleganter annotavit dicens : « Quid sibi volunt tubæ ductiles et tubæ corneæ? Ductiles tubæ æreæ sunt, tundendo producuntur; si tundendo, ergo vapulando. Eritis tubæ ductiles ad laudem Dei productæ, si, cum tribulamini, proficiatis. Tribulatio, tunsio, profectus productio est. Tuba ductilis erat Job, quando repente percussus tantis damnis et orbitate filiorum, tunsione illa tantæ tribulationis factus tuba ductilis sonuit : *Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum.* Quomodo sonuit? quam suavem sonum dedit ista ductilis tuba? » Sed quam hæc gratiarum actio grata Deo, tam terribilis et ingrata Diabolo fuit! Potuit quidem Satan de Jobi virtute dubitare, potuit ejus servitutis obsequium extenuare, dicens : « Numquid Job frustra timet Deum? » quando in prosperitate gratias agebat; sed ubi audivit tot calamitatibus pressum dixisse : « Sit nomen Domini benedictum, » non est ausus Jobi virtutem ac probitatem imminuere, aut in dubium tanquam minime firmam veramque vocare, quemadmodum pulchre D. Chrysostomus sermone *De Job et Abraham* observavit, dicens : « Adversa fert, et gratias agit; magnitudo per quam magnæ mentis in tristibus apparet. Vides quod si in prosperitate gratias egeris, sycophanta Diabolus factum tuum extenuat et dicit : *Numquid Job frustra colit Deum?* » Gratias igitur Deo etiam in adversis age, ne quidquam elidere a bono opere malignus invidusque hostis possit. Gratiarum actio in prosperitatis autumno nata cito flaccescit, neque diu vernat; viget et solida est, quæ in calamitatis hieme nascitur; et hæc grata simul et sapidissima palato Dei; legitima est quæ flagellanti exhibetur, fucata, quæ blandienti tantum, sicut recte S. Antiochus *homil.* 117 docet, his verbis nos admonens : « Sive ipsi consolamur, sive afflictat nos quæpiam tribulatio, et quocumque in statu consistimus, juxta apostolicam sententiam gratiarum actionem Deo exhibeamus. » Et nonnullis interjectis : « Hoc, inquit, insigni argumento internoscitur, qui nihil fucate gratus est, dum inter medias deprehensus calamitates toto pectore gratias agit Domino : contra, cognoscibile indicium viri male grati, si dum angitur quapiam tribulatione, tum sit querulus, si murmure interstrepat, si discrucietur ob hoc misere, si tueatur causam suam, et excuset innocentiam, et si qua his similia. » Sic ille. Nec dissimilia docet Chrysostomus in cap. III *ad Coloss.*, homil. 8, sic scribens : « Gratias itaque agamus, inquit, in omnibus, quidquid fiat : hoc enim est gratum esse; etenim rebus prosperis hoc facere nihil magni fuerit; nam ipsa rerum natura eo impellit. Quando vero in extremis existentes gratias agimus, tunc præclarum est. Quando enim cæteri maledicunt et fastidiunt, nos gratias agimus. Vide quanta sit philosophia. Primum, Deum lætificas; alterum, Diabolum pudefacis; tertium, et quod male factum est nihil esse facis; nam et tu simul gratias agis, et Deus dolorem amputat, et Diabolus abscedit. Non potest etiam fieri ut afflictiones sentiat homo ille qui in afflictionibus gratias agit. Nihil hac lingua sanctius, quæ in adversis Deo gratias agit, » etc. Unde Joannes Avila formandis moribus magister

Tribus præcipuis considerationibus animum Job erigit.

Quanto fulgore virtutem Jobi adversitas illustrat.

http://www.obrascatolicas.com

optimus : « In ærumnis et doloribus, aiebat, plus valet unum *Deo gratias*, quam sex millia in rebus prosperis et bona valetudine. » Nam Deo gratias agere cum omnia fluunt ad votum, vix ullius est artificii : at vero cum variis ærumnis obruimur nihilominus velut pro beneficiis Deo se gratum sistere, hoc raræ artis, hoc magni est animi, hoc genuini est filii Dei. Ut igitur te legitimum Dei filium probes, flagellis cæsus, et calamitatibus pressus, gratias age exemplo Jobi, qui tanquam singulare Dei munus ac beneficium quamcumque adversitatem et afflictionem obviis resignatæ voluntatis ulnis et dilatato gratitudinis sinu promptus excipiebat, ne verbulum quidem ullum querulosum emittens. Quamobrem magnificum hoc et prorsus singulare a Deo meruit encomium, perfectissimæ virtutis eximiæque sanctitatis certissimum argumentum.

Vers. 22. 22. IN OMNIBUS HIS NON PECCAVIT JOB LABIIS SUIS. — In Hebræo latius patet hæc oratio, ubi absolute absque ulla restrictione dicitur איוב בכל-זאת לא חטא, id est : *In omnibus his non peccavit Job.* Nec apponuntur ista verba quæ Vulgatus transtulit, *labiis suis*, quæ nec in Græco textu ponuntur, qui sic habet : Ἐν τούτοις πᾶσι τοῖς συμβεβηκόσιν αὐτῷ οὐδὲν ἥμαρτεν Ἰὼβ ἐναντίον τοῦ Κυρίου : *In omnibus his quæ acciderunt ei, nihil peccavit Job coram Domino*, juxta quam translationem omnes fere Patres Græci Jobum ab omni penitus etiam cogitationum peccato liberum fuisse asserunt. Vulgatus tamen interpres, cujus canonica est auctoritas, haud temere verba illa, *labiis suis*, addidisse putandus est; sed vel correctiorem (quod Sanctius noster autumat) codicem habuisse, in quo ista verba in Hebræo etiam exprimebantur; aut certe maturo consilio, et Sancti Spiritus instinctu, explicationis gratia eadem adjunxisse aut transsumpsisse ex capitis secundi versu decimo, ubi diserte dicitur Jobus non peccasse labiis suis, ut nimirum apertius declararet dæmonem frustra et irrito conatu Jobum ad blasphemandum impellere voluisse, cum ne verbulum quidem inordinatum ab eo elicere potuerit. Haudquaquam itaque Vulgata lectio Hebræo textui, quem nunc habemus, aut Græcæ Septuaginta translationi ullo modo contradicit aut repugnat; sed paulo tantum clarius significat, longe aliter Satanæ quam cogitaverat accidisse, dum pro maledictione, quam avidis auribus exspectabat, et tanto tentationum apparatu extorquere satagebat, non nisi benedictionem et gratiarum actionem ex ore Jobi expressit. Quare ista verba, *labiis suis*, non ad virtutem Jobi restringendam, aut limitandam, quin potius ad eamdem explanandam, et quodammodo amplificandam adjecta videntur, *q. d.* « In his omnibus non peccavit Job, ne quidem labiis suis. » Hoc autem quantæ virtutis sit vel ex eo patet, quod linguam nullus hominum domare possit, ut frater Domini Jacobus asseruit. Quæ quidem Apostoli monentis magna, ut decet, et gravissima auctoritas est. Ut tamen siluisset, vel ipsa certe experientia quotidiana satis intelligeremus, nihil esse facilius quam ut lingua extra viam et officii limites egrediatur, et in præcipitium noxæ ruat. Quamobrem acute D. Augustinus in *Psalm.* XXXVIII observavit non frustra « linguam in udo esse, » quia facile labitur, quod a Theophrasto videtur mutuatus, cujus illa verba leguntur apud Stobæum, serm. 37 : ὡς ἐν ὑγρῷ ἐστιν ἡ γλῶσσα, *quasi in udo est lingua*; quo item sensu a Nysseno, homil. 1 *in Ecclesiasten* : ὑγρά ἡ γλῶσσα καὶ εὔστροφος, *lingua humida et versatilis* nuncupatur. Quæ omnia prope incredibilem labendi facilitatem significant, quemadmodum qui in humido lubricoque loco est titubante ac fallente vestigio ruit facile, et opinione citius prolabitur. Id quod S. Basilius prudenter animadvertens, homil. *in Psal.* XXXIII, linguæ peccatum « omnium maxime obvium et multimodum » nominavit. Et Agapetus Diaconus in sua ad Justinianum imperatorem *Institutione*, linguam « lubricum instrumentum » appellat. Quare cum tam facilis ac periculosus sit linguæ lapsus, jure merito prudentes omnes maximam illi cautelam et fidelem custodiam adhibendam esse censuerunt, quam regius Propheta, infirmitatis ex hac parte suæ conscius, a Deo sibi poni postulabat dicens, *Psalm.* CXL : « Pone, Domine, custodiam ori meo et ostium circumstantiæ labiis meis. » Quem locum D. Gregorius, lib. VII *Moralium*, cap. ult., et III part. *Curæ pastoralis*, admonit. 13, de servanda in loquendo ac silendo prudentia intelligit, rationemque hujus similitudinis assignans, ait : « Quia nimirum ostium et aperitur et clauditur; quia ergo inquit ori suo poni non obstaculum, sed ostium petiit, aperte docuit quod et per disciplinam retineri lingua debeat, et ex necessitate laxari, quatenus os discretum et congruo tempore vox aperiat, et rursus congruo taciturnitas claudat. » Eodem fere sensu S. Chrysostomus in suo ad prædictum psalmum Commentario locum istum exponit, addens clavem hujus ostii esse ipsam rationem : « Os ergo, inquit, nostrum perpetuo custodiamus, rationem ei tanquam clavem adhibentes. » Pulchre autem a Propheta *ostium circumstantiæ* seu *circumstans* appellatur, quod nimirum prudentia in loquendo maxime necessaria sit, quæ circumstantiarum, præsertim loci, temporis ac personarum exactam habeat rationem, ut jure merito ostium circumstantiæ dici possit, quod a discretione pro rerum exigentia modo claudatur, modo aperiatur. Neque satis fuit regio vati labiis suis ostium petivisse, nisi etiam ori custodiam postularet, hoc est, ut Septuaginta loquuntur, φυλακὴν, cohortem præsidiariam, excubias militares, fidos satellites ad os tuendum ac muniendum, ne quod ex eo verbulum erumpat, quo lex divina et communis hominum societas violetur. Acute autem loco citato D. Chrysostomus animadvertit, haud absque mysterio a Davide et ostii et custodiæ fieri men-

Omnimoda laude dignares labiis non peccare.

Quanta prudentia in usu linguæ ad hibenda.

tionem; sed ut intelligamus ostium istiusmodi neque semper apertum, neque semper clausum esse oportere; sed interdum quidem claudendum, interdum vero aperiendum esse, juxta illud *Ecclesiastæ* cap. III, vers. 7 : *Tempus tacendi, et tempus loquendi* : « Si enim, inquit, oporteret ora perpetuo patere, non factæ essent portæ; si autem perpetuo clausa esse, non esset opus custodia. » Majorem adhuc in loquendo cautelam adhibendam esse censet auctor *Ecclesiastici* XXVIII, 29, ita monens : « Verbis tuis facito stateram. » Vult nimirum nos tanta diligentia uti in loquendo et ea prudentiæ animadversione, ut verba omnia veluti aurificis statera ponderanda et examinanda videantur. Quem locum more suo docte graviterque illustrans D. Ambrosius : « Proferant, inquit, sermones ad mensuram libra examinatos justitiæ, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, in verbis modus. » Similiter D. Chrysostomus in *Psal.* CXL, eumdem locum exponens, stateram et lancem linguæ faciendam docet, ut non solum verba quæ oportet efferamus, verum etiam illa ipsa qua par est cautione veluti ponderantes expendamus : « Si enim, inquit, hoc facimus in auro, multo magis faciendum est in verbis, ut nihil desit, nihil redundet. » Vult nimirum aurei oris doctor ut verba non statera loquacium dolosa et distorta, sed veluti aurificis trutina expendantur, quæ modestia prudentiaque honestæ mentis aurea et pretiosa efficiat, et raritas commendet : quasi vir sapiens, cujus os atque lingua hominum commendationem mereatur, pro sermone uniones et gemmas fundat. Et sane si rem ipsam consideremus, non mediocris est hominis laus, quin potius longe maxima, loqui verbum in tempore suo; adeo ut Salomon, sapientissimus rerum æstimator, non vereatur verba opportune prolata rebus quibusque pretiosissimis comparare dicens, *Proverb.* XXV, 11 : « Mala aurea in lectis argenteis qui loquitur verbum in tempore suo; » ubi per mala aurea intelligi debent globuli aurei perinsignes, quales in monilibus pretiosis poni consueverunt; quare Septuaginta vertunt : *Malum aureum in monili sardii sic dicere verbum*, quod Vulgatus vertit, *in lectis argenteis*; Symmachus et Theodotion transtulerunt, *in conspicuis argenti*, subaudi *thecis*, aut *figuris*, vel quid simile; alii vertunt, *in cælatis vasis argenteis*, vel *in cælaturis argenteis*. Quomodocumque vero sumamus, hoc satis constat Salomonem veluti in emblemate incredibilem quampiam pulchritudinem nostris oculis subjicere voluisse, ut quantum verba opportuno tempore prolata decori ac venustatis habeant intelligamus. Porro istiusmodi in sermonibus apte moderandis prudentia res adeo rara est, ut omnino vere idem Salomon pronuntiaverit hanc parœmiam, *Proverb.* XVII, 27 : « Pretiosi spiritus vir eruditus, » ubi pretiosus idem est quod rarus; spiritus autem pro sermone sumitur qui spiritu fit, quem spiramus, quemadmodum apud Paulum, I *Cor.* XIV, 15, orare spiritu idem est quod sermone uti ad orandum. Significat nimirum virum eruditum ac divina sapientia præditum esse pretiosi spiritus, sermonis videlicet rari et considerati, et quod inde sequitur, vere pretiosi et electi, plurimique æstimandi. Hinc S. Jacobus pretiosam illam linguæ continentiam proprium esse vult indicium viri perfecte sapientis, qui jam ad summum virtutis apicem conscenderit, dicens, cap. III, 2 : « Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, » ex quo manifeste colligitur quantæ perfectionis necesse sit fuisse Jobum, qui vel ipsiusmet Dei testimonio labiis suis non peccavit.

NEQUE STULTUM QUID CONTRA DEUM LOCUTUS EST. — In Hebræo est, *nec dedit insulsum Deo*; quod Septuaginta reddunt; *et non dedit insipientiam Deo*; Olympiodorus, *non incusavit Deum*; Symmachus, *neque insipienter se gessit erga Deum*, id est, nequaquam de Deo conquestus est, quod tantas sine ulla sua culpa calamitates pateretur; neque divinæ quidquam providentiæ detraxit, quasi minus sapienter aut juste res humanas gubernaret atque disponeret, sinendo probos opprimi et florere perversos; quæ fere communis miserorum esse querela solet Dei providentiam atque æquitatem incusantium, quemadmodum etiam rei alicujus criminis condemnati, aut a judice mulctati, sententiam velut minus justam et æquam plerumque suggillare consueverunt. Atque hoc sensu S. Chrysostomus, id quod Hebræus textus ad sapientiam retulit, ipse refert ad justitiam, significans Jobum nullius injustitiæ calumniam Deo impegisse. Origenes vero hoc refert ad justitiam, significans Jobum nullius injustitiæ calumniam Deo impegisse. Origenes vero hoc refert ad præcedens Jobi elogium seu encomium quod Deus ei dederat, et reipsa Jobus sua in adversis constantia verum esse comprobarat, talem se præstans qualem Deus eum prædicaverat, adeo ut Deus nullius insipientiæ levitatisque aut mendacii, quod contendebat dæmon, argui ullo modo posset : « Ea, inquit, quæ Deus ad diabolum locutus est, testimonium perhibendo Job, non fecit infirma succumbendo; sed fidelia illa atque firma fecit cum gratiarum actione sufferendo cuncta sibi accidentia. Merito ergo dicit : *Non dedit insipientiam Deo.* Non exstiterunt testimonia Dei de illo infirma, neque mendacia per illum, sed fidelia, firma, vera. Non necesse habuit Deus confundi de illis, per quæ velut fideli testimonium perhibuit illi. Ostendit enim, sicut Deus dixerat, quod non propter pecuniam illum colebat. » Ita Origenes.

Latinus denique interpres vocem *stultum* refert ad ipsummet Jobum, ex cujus parte illam consideravit, ut sit sensus ipsum nihil insulsi aut stulti scommatis in Deum effutivisse, nullam plane stultam querimoniam in tot afflictionibus emisisse, nec ullam denique ingrati aut indignantis animi sanctificationem edidisse. Qui sensus Pi-

Quo sensu Job nihil stulti contra Deum locutus est?

http://www.obrascatolicas.com

nedæ nostro tum fini proposito, tum verbis ipsis jure congruentior videtur. Siquidem stultitia maxime per linguam se prodit; quapropter Cicero, III *De Oratore*, loquacitatem non dubitavit appellare stultitiam; et festive Theocritus de Anaximenis, hominis loquacis et inconsiderati, oratione, dixit illam « habere verborum quidem flumen, sed mentis guttam. » Nec minus argute Apuleius notat ita fere a natura comparatum esse, ut illi qui habent plus cordis, habeant linguæ paulo minus, significans viros insigniter cordatos ac prudentes plerumque esse taciturnos ac minime verbosos, stultos vero maxime loquaces et garrulos existere, ita et stultitia et loquacitas, sapientia et taciturnitas tam arcto inter se vinculo connecti videantur, ut omnis loquax stultus, et omnis tacens sapiens censeri merito possit, juxta illud paræmiæ Salomonis: « Os stultorum pascitur imperitia. Vir autem prudens tacebit. Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur. » Ex nulla quippe re alia tam certum de alicujus prudentia stultitiave judicium formari potest quam ex loquela. Siquidem lingua mentis index certissimus est; et « pro signo sunt interioris hominis verba erumpentia, » ut ait S. Hieronymus, lib. II *Super* 12 *Prophetas*. Quod ipsum externi quoque sapientes intellexerunt, inter quos apud Tullium, lib. V *Tusculanarum*: « Qualis cujusque animi affectus esset, talem esse hominem Socrates disserebat; qualis autem homo ipse esset, talem ejus esse orationem. » Cum itaque ipsiusmet æternæ Veritatis testimonio, Jobi sermonem et ab omni peccati labe purum atque ab insipientiæ nota prorsus immunem fuisse constet, ipsum quoque sanctissimum simul ac prudentissimum exstitisse necesse est. Atque hic est primi finis certaminis, in quo Job de infernali hoste diabolo nobilissimam victoriæ palmam reportavit, et in conspectu orbis universi tanquam pancratiastes invictissimus, toto applaudente theatro, in virtutis inauditæ testimonium ad memoriam nominis sempiternam, hunc a Deo honoris titulum et veluti stylographiam meruit : IN OMNIBUS HIS NON PECCAVIT JOB LABIIS SUIS.

Loquacitas stultitia.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Satanas, impetrata a Deo facultate, percutit Job ulcere pessimo. Jobo insultat etiam uxor propria; tres vero ipsius amici eum adeuntes, septem diebus in terra cum eo taciti sedent.

1. Factum est autem, cum quadam die venissent filii Dei, et starent coram Domino, venisset quoque Satan inter eos, et staret in conspectu ejus, 2. ut diceret Dominus ad Satan : Unde venis? Qui respondens ait : Circuivi terram, et perambulavi eam. 3. Et dixit Dominus ad Satan : Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo, et adhuc retinens innocentiam? Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra. 4. Cui respondens Satan, ait : Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua : 5. alioquin mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem, et tunc videbis quod in faciem benedicat tibi. 6. Dixit ergo Dominus ad Satan : Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva. 7. Egressus igitur Satan a facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem ejus : 8. qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio. 9. Dixit autem illi uxor sua : Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo et morere. 10. Qui ait ad illam : Quasi una de stultis mulieribus locuta es; si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? in omnibus his non peccavit Job labiis suis. 11. Igitur audientes tres amici Job omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, et Baldad Suhites, et Sophar Naamathites. Condixerant enim, ut pariter venientes visitarent eum, et consolarentur. 12. Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum, et exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cœlum. 13. Et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus, et nemo loquebatur ei verbum : videbant enim dolorem esse vehementem.

Vers. 1. 1. FACTUM EST AUTEM, CUM QUADAM DIE VENISSENT FILII DEI, ET STARENT CORAM DOMINO, VENISSET QUOQUE SATAN INTER EOS, ET STARET IN CONSPECTU EJUS;

Vers. 2. 2. UT DICERET DOMINUS AD SATAN : UNDE VENIS? QUI RESPONDENS AIT : CIRCUIVI TERRAM, ET PERAMBULAVI EAM. — Iii duo versiculi, capite præcedenti, versu sexto et septimo sunt expositi, ubi iisdem quibus hic verbis exprimuntur; unde patet hunc fuisse secundum super Jobi negotiis angelorum conventum, cui iterum Satan interfuisse memoratur. Quantum autem spatium temporis inter hunc et priorem illorum conventum intercesserit, cum id ex Scripturis non constet, nil certi habere possumus. Quare haud solido nituntur fundamento, qui ex variis, quas quisque sibi pro ingenio suo fingit, congruentiis, partim ex diaboli indole malitiosa et nocendi studiosa, partim ex ejusdem jam primo prælio devicti confusione petitis, tempus hoc vel producunt, vel contrahunt; an item hac secunda vice, ut prius, sponte sua comparuerit, ac sanctorum angelorum congregationi impudenter sese ingesserit, an vero ab iisdem citatus, ad instar rei aut capti violenter adductus et attractus sit in judicium aut triumphum, æque incertum arbitror, quod neutrum in sacro textu exprimatur; pie tamen Patres modo hoc, modo illud contemplantur. Istud sane in hoc negotio certum et indubitatum est, dæmonem, licet primo prælio victum, cum victore tamen suo pugnam denuo resumere non formidasse. Ex quo intelligitur, quanta sit hujus deterrimi hostis contumacia, ut qui prostratus ac fusus, ignominioseque in fugam actus, majori quam ante vi pugnam redintegrare non dubitet; ita quoque postmodum bis a Christo victus tertium prælium instauravit. Quam ob causam B. Macarius, *hom.* 27, vocat eum πολύπλοκον, *sinuosum*, multis utentem involucris, id est versutissimum, et summa dissimulatione præditum, qui habeat μάγγανα καὶ τρίβυχα, *machinamenta* callido artificio instructa, *et triplices veluti fores*, quibus effugiat et accedat; quemadmodum Fulgentius, epist. 3 *ad Probam*, eleganter describit his verbis : « Tanquam diversis, inquit, machinis, sic innumeris utitur argumentis; et cum certamine manifesto cedit, ad hoc se victum demonstrat, ut vincat, ad hoc fugam simulat, ut persequentem missis post tergum sagittis occidat, » etc. Et paulo post : « Armis, quibus eliditur, surgit : et virtute, qua dejicitur, dejicit. » Nullius scilicet hominis virtute et gestientis animi fiducia a conatu furioso et impressione revocatur; imo vero tum vel maxime, ut mirmillo in retiarium, sic in hostem irruit, cum objectum videt fortem et erectum animum, quem elatus victoriæ spe aggrediatur. Vidit hoc Ennodius in *Vita S. Antonii*, et sic admonuit : « Acrius circa robustos diaboli certamen est, et majoribus copiis illos aggreditur. » Et D. Cyprianus martyr inclytus, *epist.* 6 : « Fortiorem, inquit, quemque magis aggreditur; et acrior factus, hoc ipso quod victus est, superantem superare conatur. » Similia quædam multo ante gravissimus Tertullianus prodiderat; qui, cum dixisset pervicacissimum hostem nunquam malitiæ suæ otium facere, subdit : « Atqui tunc maxime sævit, cum hominem plene sentit liberatum; tunc plurimum accenditur, dum extinguitur. » Unde patet, quam male sibi consulant et imprudenter agant, qui post unam alteramque victoriam ab ipso reportatam arma deponunt, vigilias remittunt, et noxia securitate negligentiores fiunt, cum scire debeant juratum illi m animæ nostræ hostem nunquam dormitare, nunquam quiescere, neque victoria nostra frangi, sed potius irritari, crudelioremque evadere; quod si forte bellum aliquantisper intermittat, hoc astu facit, ut nos incautos ex insidiis aggrediatur, et inopinato, cum id minime cogitamus, sui nimium securos opprimat et exstinguat.

Quanta sit diaboli contumacia.

Quod autem *terram se circuire* dicat, id argumentum inflammati cujusdam ardoris ac diligentiæ in aditu undique explorando, quo penetrare in animi arcem possit ad eam devastandam et funditus evertendam. Sagacissimus quippe explorator est, qui, ut divine S. Leo, serm. 7 *De Nativitate*, ait : « Novit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ; novit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat; omnium discutit consuetudinem, ventilat curas, scrutatur affectus, et ibi causas quærit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari. » Neque vero existimandum est hunccc Diaboli circuitum minus ferocem esse quam sagacem, siquidem leoni rugienti et prædam devoranti comparatur. Vox enim *devorandi*, qua S. Petrus, in hoc dæmonis circuitu describendo, utitur, et ingens hominum periculum exprimit, et crudam Satanæ cupiditatem, cujus hoc palmarium votum est omnibus hominibus vitam gratiæ simul corporisque eripere, si quo modo id consequatur. Et ut vere aiebat idem orbis terræ Pontifex Leo Magnus, serm. 6 *in Epiphaniam* : « Quorum obtinere non potest mortes, impetit mores, » nullam omnino nocendi ansam, quam non avidissime arripiat, sibi elabi permittens. Vel *devorare* dixit, quod sceleratum illud monstrum cupiat omnes homines in malitiosam et odiosam Deo naturam suam transmutare, atque simillimos sui efficere, quemadmodum scilicet in corporis naturam ac conditionem cibi immutari solent. Cum itaque stygius ille cerberus insatiabili plane Jobum devorandi desiderio æstuaret, famem patiebatur ut canis, et circuibat terram, sitientissimus innocentissimi cruoris, præstolans illud tempus quo salutem ejus devorare posset ac spe omni felicitatis spoliare. Hac igitur de causa cum solam Dei protectionem sibi obstaculo esse cerneret, quominus rabiem suam Jobi sanguine

Ejusdem sagacitas.

Ferocitas.

http://www.obrascatolicas.com

explere posset, iterum angelorum cœtui se immiscet, ampliorem, si forte impetraret, in ipsum Jobi corpus sæviendi ac grassandi pro libitu potestatem petiturus.

Et impudentia.

Expende hic paulisper effrontem dæmonis impudentiam, quam jure merito Nazianzenus in *Catena* demiratur dicens : « O impudentiam ejus qui talia audeat! jam inde a principio in paradisum ille contra figmentum irrepserat, nuncque inter angelos medius consistit. » Nihil veretur impudentissimus ille spiritus, dummodo hominibus nocendi aditum inveniat. Cur vereatur loca sacra, qui in ipsomet cœlo ausus fuit serere scandala et apostasiam prædicare? Merito Paulus ait, *Ephes.* VI, 12 : « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus; » ubi S. Thomas legit, *adversus spirituales astutias in cœlestibus.* Quippe is est inimicus noster, qui nulli loco parcat, nullius vereatur sanctitatem, siquidem in ipsomet cœlo astutias suas et laqueos dedicavit, quos senserunt cœlestia non minima stellarum parte evacuata. Quis igitur non vigilet adversus hostem, qui in ipsomet beatitudinis penetrali laqueos tetendit, quibus multa secum millia asseclarum traxit in ruinam, qui templorum immunitatem nescit, atque in ipso sanctuario virus suum spargit? Certe Zacharias in ipsomet adyto sanctuarii, orationis tempore, incensum oblaturus, dum angelorum voces excipit, diabolicæ tela perfidiæ non evitavit; dicitur enim ipsi, *Luc.* I, 20 : « Ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis. » Id quod ponderans D. Chrysostomus, *serm.* 88, ait : « Caro nusquam de sua conscientia est secura. Zacharias ipso placationis tempore offendit, dum credit dubitat, dum postulata promeretur incurrit; condemnatur, munera ipsa cum suscipit. » Quo igitur loco erit secura caro quæ in agonali circo versatur, et luctam habet periculi plenam adversus principes tenebrarum, adversus spiritales nequitias in cœlestibus? Certe qui cœlestia infestare non dubitavit, nullum plane locum vel sanctuarii vel paradisi reverebitur. Itaque vel in ipso sanctuario, inter angelica colloquia cave astum diaboli, qui si tantum absit, in mediis etiam tempestatibus liber ac securus eris. Propone tibi ex una parte summam paradisi voluptatem, vitalium arborum amœnitatem, cœlestis auræ serenitatem, et alia ex parte arcam Noemo fabricatam, leonibus gravem, tempestatibus agitatam, fluctuum rabie percussam; attamen in arca securus homo portum attigit, cum in paradiso, exitiali veneno percussus, mille mala incurrerit. Unde hoc? Irrepserat nimirum diabolus in paradisum, cujus contagione tota illius loci sanctitas salubritasque deperiit. Aberat vero ab arca Satan, quo absente, universas ridere potuit tempestates. Pulchre D. Basilius Seleuciensis, *orat.* 5, exclamat : « O arca paradiso firmior! illic namque cum aliis navigabat serpens, illic lignum mortis fuit instrumentum, hic lignum salutis fuit gubernaculum; illic Adamum prævaricari docebat, hic perfugio Noemum petit. » Quo nimirum serpens irrepit, omnia simul cum illo mala sese insinuant, quæ nullius loci sanctitate excluduntur; ubi vero aditus serpenti occluditur, facili quoque negotio cætera mala superantur.

Nullus locus a diaboli impugnationibus immunis.

Hunc utique aditum Jobus tartareo serpenti diligentissime occluserat; quare nullum ex venenato ejus afflatu damnum percepit, sed primo aggressu inimici capite contrito, gloriosus plane victor evasit. Nihil sane homini gloriosius, quam prima diabolici furoris conamina repellere; quo nomine B. Cyprianus, *epist.* 23, Christianos athletas maxime commendat, dicens : « Vos surgentes belli impetus primos immobili robore atque inconcussa stabilitate fregistis, inde initia pugnandi orta sunt, unde vincendi initia cœperunt. » Nihil enim animos hostium magis dejicit, eorumque vires adeo frangit, et attonitos in fugam agit, quam si primo se conflictu fortiter repulsos animadvertant. Exemplum hujus rei hic præ oculis habemus in celeberrimo illo cum diabolo certamine. Conflixerat nempe Numinis permissu cum viro innocentissimo dæmon nequissimus, crebroque ictu adamantinum ejus pectus arietaverat, sed irrito plane conatu; nam optimus athleta tam valido patientiæ scuto erat undique circumdatus, ut primos eosque gravissimos hostis impetus facile retunderet atque infracto animo illæsus sustineret. Quid tunc egit Satanas? quo victus abiit? Modo audistis e Scripturæ textu, quomodo iterum inter angelos coram Domino apparuerit. Sed cur angelica cinctus corona divino tribunali sistitur? An quia nupero prælio victus, toto cœlo, ne ludibrio haberetur, aufugerat? Ita plane sentit Julianus in *Catena Græca*, dum ait : Venit in medium angelorum quasi captus, nam illum pudebat, fugamque meditabatur. Adeo nimirum pudebat illum ab homine, primo conflictu, superatum videri, ut præ confusione sese abderet, atque omnium aspectum subterfugeret, ne risum Cœlitibus propinaret. Unde patet quanti referat primis dæmonum conatibus fortiter obsistere, quibus semel elisis facile in fugam aguntur ac superantur. Cæterum quid ad Satanam Dominus dixerit, audiamus.

Unde Job e primo cum dæmone conflictu victor evasit?

3. ET DIXIT DOMINUS AD SATAN : NUMQUID CONSIDERASTI SERVUM MEUM JOB, QUOD NON SIT EI SIMILIS IN TERRA, VIR SIMPLEX ET RECTUS, AC TIMENS DEUM, ET RECEDENS A MALO, ET ADHUC RETINENS INNOCENTIAM? TU AUTEM COMMOVISTI ME ADVERSUS EUM, UT AFFLIGEREM EUM FRUSTRA, — ubi maxime notanda sunt illa verba : « Et adhuc retinens innocentiam; » admodum enim mirum erat, et ad instar prodigii merito censeri poterat, virum innocentem et nullius plane criminis conscium, sub tam

Vers. 3.

Quanta cum gloria Job calamitates pertulerit.

diris suppliciis non fatiscere, neque animo collabascere. Id quod D. Hieronymus, epist. 34 *ad Julianum*, accurate observans : « Pulchre, inquit, addidit : *Et adhuc perseverans in innocentia*, quia difficile est pressam malis innocentiam non dolere, et hoc ipso fide non periclitari, quod se videat injuste sustinere quod patitur. » Vides ubinam fides hominum periclitetur, scilicet ubi præter meritum injustas pœnas patitur. Hoc enim omnibus est commune solatium in pœnis, si non immerentibus infligantur, quo se tres illi pueri ad atrocissimas fornacis Babylonicæ flammas invicto animo subeundas comparabant, dicentes : « Peccavimus, iniquitatem fecimus, » *Daniel.* III, 29. Verum ubi quis nullius sibi conscius peccati pœnas dat, heu! quanto id ipsius fidei periculo contingit! Mirum sane si sustineat, tantoque oneri non succumbat. Hoc jure merito lamentabundus exaggerat Hugo de S. Victore, qui dum expendit illud S. Pauli *ad Galatas*, cap. VI, vers. 14 : « Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, » triplicem crucis differentiam constituit, juxta numerum illorum qui una cum Christo tribus in Calvariæ loco crucibus suffixi visebantur : « Dicunt, inquit, homines quando pœnam sustinent : Si meruissemus, non erubesceremus, nunc autem injuste pati ignominiosum est nobis. Obloquium videtur : imo si pro culpa pateris erubesce, si sine culpa, gloriare. Latro magis esse vis quam Christus? » Tanta nimirum est nostra vesania tantaque vecordia, ut Christi Domini crucem latronis cruci postponamus. Longe alius profecto Jobi sensus erat, qui innocentissime tot tantaque mala perpessus absque querimonia, in his omnibus Domino æque ac in prosperis benedicere non dubitavit. Calumniator igitur Satan, cum, in priori isto angelorum concessu amplissimis Jobi laudibus, quas a Deo in prospera fortuna retulerat, invideret atque detraheret, asserens haudquaquam genuinam atque gratuitam, sed fictam ac mercenariam esse istiusmodi pietatem, quæ, qualis quantaque omnino exstitisset, divinæ duntaxat contactu manus facile omnibus fieret manifesta, non tantum levidensa, ut Satanas postularat, manu Dominus ipse Jobi bona tetigit, verum etiam tanta quanta erant universa diabolicæ tradidit potestati ad libitum ejus discerpenda, dissipanda, devastanda; neque tamen ex florente in calamitosum mutato rerum statu quidquam immutatus est Jobi in Deum animus, quominus in adversis æque ac in prosperis ei benediceret. Quamobrem jure merito Satanæ insultat Dominus, quod a Jobo, quem jam spe devoraverat, et a statu virtutis se dejecturum insolenter jactaverat, ipsemet victus ac superatus esset, neque tot tentationum machinis et adversitatum tormentis constantiam ejus frangere aut labefactare ullo modo potuisset. Hoc enim insinuant illa verba : « Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra; » Septuaginta vertunt : Σὺ δὲ εἶπας ὑπάρχοντα αὐτοῦ διαχειρίσαι ἀπολέσαι : *Tu vero dixisti substantiam ejus frustra perdere;* ubi *frustra* in Hebræo est חנם *chinnam*, id est *gratis*, absque causa, sine suo merito. Ita D. Chrysostomus, homil. 5 *De patientia Job*, exponit. Vel *frustra* idem est, *q. d. sine tuo commodo* quod intendis. Quare Origenes, Olympiodorus ac Dominicus Thomas hoc ad frustratas Satanæ spes referunt, ac si Deus illi dicat : En fractæ sunt vires tuæ, spes elusæ, irriti conatus evanuerunt, nec quidquam abs te tanta contentione perfectum est. Stat adhuc Jobo pietas sua integra ad instar turris firmissimæ, frequenti quidem ariete muralique tormento vehementer verberatæ, sed minime concussæ aut conquassatæ, vel instar rupis in medio maris constitutæ, ad quam sævientium procellæ tempestatum confractæ atque illisæ despumant confusionem suam. En quo abiit inimica tua rabies, qua Jobi bona invasisti, evertisti, dissipasti? Quis fructus tibi odii ac furoris tui? quorsum invidiæ inflammatæ faces? Hæc scilicet et plura istiusmodi continent pauca illa verba, quibus humano modo Deus Satanæ ambitiosos spiritus et cassos conatus tacite deridet, quemadmodum Patres passim in suis de Jobi patientia constantiaque orationibus luculenter exponunt. Unum e multis adfero Chrysostomum, qui vocem illam, *frustra*, expendens, istiusmodi sensu Deum ad Satanam loquentem introducit : « Frustra, inquit, ejus rei familiari invidisti; illius erga me pietatem a bonorum possessione excitari aiebas; bonis jam omnibus spoliatus est, pietate nequaquam; » ac si diceret : Vides nunc quam falso servum meum Job haudquaquam gratuitum ac genuinum arbitratus es, sed mercenarium ac turpis lucri studiosum effinxisti, atque invidiose traduxisti, cum jam bonis omnibus exutus pietatem nequaquam minus quam ante colat? Itaque acute simul et argute Dominus illud adverbium, *frustra*, quo diabolus veteratorie superiori capite usus est dicens : « Numquid Job frustra timet Deum? » in dæmonem retorquendo, ait : « Tu autem commovisti me adversus eum ut affligerem eum frustra; » ostendens verissimam ac sincerissimam numerisque omnibus absolutam Jobi virtutem exstitisse, utpote qui germani more filii optimo parenti Deo nec mercedis intuitu, neque supplicii timore, sed meræ charitatis impulsu obsequentis, adhuc bonis omnibus spoliatus, æque ac prius studiose pietatem excoluerit.

Quo sensu Job frustra afflictus fuerit?

Quod igitur Deus ait : « Tu autem commovisti, » ἀνθρωποπαθῶς, id est humano more loquitur, ad captum nostrum accommodate, ut bene S. Gregorius, lib. III *Moralium*, cap. II, annotavit : « Quia nos ferire nisi commoti nescimus, ipsa divina percussio, commotio vocatur, et ad nostra verba divina voce descendit, ut ejus factum ab homine utcumque capiatur. » Neque enim illa passionis commotio in Deum omnis prorsus passionis ac motus expertem, cadit, sed quod hominibus,

Cur Deus Jobum tantis calamitatibus oppressum permiserit?

http://www.obrascatolicas.com

dum quempiam feriunt, usu venire solet, Deo συγκαταβατικῶς per condescensionem attribuitur, ut quorsum Jobus tantis calamitatibus affectus fuerit, intelligamus. Decreverat nimirum Deus in amico suo Jobo, cujus fidem et constantiam probe cognoverat, vivum quoddam virtutum omnium exemplar orbi universo spectandum atque imitandum proponere. Cum autem ad hoc magna viri justi probatione opus esset, qua illustres ejus virtutes magis magisque clarescerent, illud tempus, quo diabolus ei detraxerat, tanquam huic rei maxime opportunum delegit Dominus, ideoque se a diabolo commotum fuisse dicit ad Jobum affligendum, quia tunc ad calumniam, quam Satan viro justo recens impegerat, abolendam, et sinceram Jobi erga Deum pietatem declarandam, plenam ipsi in omnes Jobi facultates pro libitu grassandi facultatem concesserat. Unde simul patet adverbium illud, *frustra*, nequaquam ad Deum aut ad Jobum referendum esse, quasi nimirum Deus scopo, et Jobus fructu per istiusmodi afflictionem intento frustrati fuerint, cum illum vel maxime sint consecuti; sed ad dæmonem referri, qui frustra tot tantisque tentationibus Jobum ad impatientiam provocare atque ad blasphemandum impellere conatus est; tantumque abfuit ut virtutem ejus, quod unice satagebat, afflictionibus obscurarit, quinimo illam per eas longe clarissimam reddiderit, ad omnium admirationem et Dei gloriam ipsiusque meritum ac memoriam nominis sempiternam. Nam, ut pulchre S. Gregorius, lib. III *Moralium*, cap. II, ait, « aperta aliis virtutum exempla non daret, si ipse sine tentatione permaneret. » Et paucis interjectis, quomodo frustra et non frustra tot afflictionibus exercitatus fuerit, eleganter exponit, dicens : « Beatus Job et non frustra percutitur, quia augetur meritum ; et tamen frustra percutitur, quia nullum punitur admissum. Frustra enim percussus est, cui culpa non reciditur ; et non frustra percussus est, cui virtutis meritum cumulatur.» Simili fere sensu Origenes, lib. II *in Job*, hasce afflictiones uti Jobo perutiles, ita diabolo prorsus inutiles exstitisse asserens : « Diabolus, inquit, sine causa petivit (scilicet Jobum affligi), nihil enim peregit neque perfecit cum res ejus perdidit, nisi suam despectionem atque humilitatem ostendit ; Jobo vero hæc res non sine causa provenit, sed ad ingentem gloriam et laudem hujus rei perditio provenit coram Deo et angelis ejus.» Cæterum Satan tam illustrem Jobi victoriam æquo animo ferre non sustinens, sed præ invidia crepans, novas tantæ luci calumniæ tenebras offundere conatur.

Vers. 4. Quid sit pellem pro pelle?

4. CUI RESPONDENS SATAN AIT : PELLEM PRO PELLE, ET CUNCTA QUÆ HABET HOMO DABIT PRO ANIMA SUA.—In hac responsione iterum manifeste prodit se veteratorium Satanæ ingenium externa illa, quæ Jobo abstulerat bona, velut nimis parva extenuantis, quam ut ex iis solidum de virtute ipsius judicium formari possit, quandoquidem in periculo naufragii quilibet etiam sponte sua rerum istiusmodi jacturam facere, eamque levem, dummodo vitam servet, existimare soleat. Quamobrem istam quam hactenus in rerum externarum amissione præ se tulerat animi æquitatem, non tam virtuti quam necessitati, vel potius philautiæ vitio seu nimio propriæ cutis amori, aut timori et ingenitæ omnibus vitæ cupiditati, tribuendam esse.

Putant hic aliqui « pellem pro pelle, » vel, ut ex Hebræo verti potest, *pellem sub pelle*, significare omnis generis opes, quæ per synecdochen *supellex* appellantur, quod olim sub pellibus plerumque asservari consuevissent, aut per metonymiam, eo quod videlicet maximæ quondam divitiæ pellibus constarent, quandoquidem tunc vestes, et alia utensilia domusque instrumenta et ornamenta, atque ipsamet adeo pecunia, quæ inter opes fere primas tenet, e pellibus potissimum et corio conficerentur et cuderentur, ut videre est *Genes*, III, 21, et *Levit.* XV, 17, et alibi. Quæ expositio acuta quidem, sed non satis propria et huic loco accommodata videtur ; quare magis placet vulgata lectio, et communis interpretum explicatio, quæ præpositionem *pro* in sua ordinaria significatione sumens, locum hunc sic exponit, ut sit sensus : «Pellem,» scilicet alienam, puta boum, ovium, camelorum, famulorum et ipsorum etiam filiorum, quorum omnium Job jacturam fecerat, dabit quivis « pro pelle, » scilicet propria, quemadmodum verba sequentia manifeste explicant, ut sit idem cum eo quod sequitur : « Et cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua, » id est pro vita sua, quæ rebus externis omnibus potior existit. Ubi præpositio *pro* commutationem significat, ut *Exodi* cap. XXII : « Reddet animam pro anima, » etc., et hoc sensu S. Gregorius, Apollinarius, Lyranus, Vatablus et plerique recentiores locum hunc exponunt, ac præ cæteris elegantius et fusius Origenes, vel quivis alius ejus nomine, lib. II *in Job*, probans res viliores ac minoris momenti pro rebus pretiosis maximisque exponendas esse : « Corium, inquit, pro corio, corium divitiarum pro corio corporis, corium bonorum pro corio ossium ; rem familiarem et divitias exterius corium, interius vero corium corpus et ossa intelligens, corium quod non valde doleat, rem familiarem, corium quod valde doleat, corium corporis ; ac si diceret : Quid magnum passus est Job? exteriore corio decoriatus, hoc est, rem familiarem ablatam contempsit ; tange interius corium ejus, hoc est, carnem ejus dolore affice et contere ; et apparebit constantia ejus ; nunc facile fert dolorem leniorem pro vehementiore, pœnam minorem pro graviore ; immuta coria, hoc est dolorem ; et continuo senties illum immutari. Hujus rei exemplum in nobis videmus ; nam cum percutitur quilibet, vel cæditur, frequenter

manum pro toto porrigit corpore, et dat corium manus pro corio corporis. Et hi qui in mari navigant, cum periculum passi fuerint, omnia quæ in navi habuerint, contemnunt atque in mare projiciunt, ut ipsi evadant. Et quicumque divitum, cum in corporis infirmitatem inciderint, omnem substantiam suam libenter offerunt, tantum ut corporis incolumitatem recipiant. Sic, inquit, et Job omnes divitias et omnem rem familiarem facile contemnit, ut dolores non contingant carnes ejus. » Sic ille, significans quælibet tam naturæ quam fortunæ bona communi hominum judicio certum aliquem habere gradum æstimationis, secundum quem prudenter alia aliis præponantur, et viliora pro dignioribus facile dimittantur. Hinc apud Hebræos, ut in *Adagialibus sacris* Delrio noster annotavit, hæc sententia, « pellem pro pelle, » abiit in proverbium quo utebantur, quotiescumque cæterorum bonorum pro corpore, et etiam membrorum corporis minus nobilium pro iis a quibus vita dependet, periculum seu detrimentum erat subeundum.

Salus animæ omnibus anteponenda.

Sed quomodo, inquies, dæmon objicere Deo potuit Jobum præcedentes omnes calamitates pro vita tuenda æquo animo sustinuisse, cum ad illud usque tempus nullam adhuc in corpus Jobi potestatem accepisset? Ad quod optime respondet Olympiodorus in *Catena*, dæmonem forte suspicatum fuisse Jobum idcirco nullum contra Deum irati aut blasphemi animi indicium prodidisse, quia nimirum metuebat, ne Dei ultio in corpus ejus et vitam proserperet, quamobrem ne hoc fieret leviora illa tacitum pertulisse. Nam, uti subdit, « cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua, » pro qua tuenda quivis libenter exponit omnia temporalia, nec pensi habet divitias ut vitam servet, præ qua cætera despicit ac nihili ducit. Prima igitur eaque potissima cuilibet prudenti et cordato viro cura et sollicitudo esse debet salutis animæ suæ. « Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? » ait ipsa Veritas in Evangelio, aperte docens nimiam rerum temporalium sollicitudinem et cupiditatem moderandam et coercendam, quinimo pro æterna salute animæ conservanda vitam ipsam et quidquid in ea charum est negligendum, contemnendum et abjiciendum esse. Neque enim aliter homo in die judicii, die turbinis ac tempestatis, naufragium facile vitabit, nisi instar navis periclitantis omnia cupiditatum et divitiarum onera tempestive dimiserit et a se ablegaverit. Quod sub obscura quidem, sed eleganti metaphora insinuasse videtur Isaias, de die judicii loquens his verbis, cap. II, 12 : « Dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem : et humiliabitur : et super omnes cedros Libani sublimes, et super omnes naves Tharsis, et super omne quod visu pulchrum est. » Ubi minime mirandum est, homines peccatores, qui in die illa tremenda a Deo judicandi sunt, superbos et arrogantes aliisque istiusmodi nominibus compellari ; sed illud plane mirum videtur, quod a sacro vate *naves Tharsis* nominentur. Cur igitur homines a Deo judicandos appellat naves? Utique ut simul ostendat, quanam ratione ac via incolumes se conservare possent, et ad optatum æternæ salutis portum pervenire. Nam quisquis, instar navis, omnia divitiarum ac rerum sæcularium onera, quæ mentem deprimunt et in profundum mergunt, a se projecerit, atque ab omni similium cupiditate vacuus fuerit, in die turbinis et extremæ calamitatis a naufragio tutus ac de salute securus erit. Ad hoc itaque nos adhortans B. Nilus in *Ascetico* : « Ne navis, inquit, pondere oppressa submergatur, eam sublevant, et pretiosissima quæque vel in profundum jaciunt ; cur non etiam nos propter vitam præstantiorem ea despicimus quæ animam in profundum detrahunt? Cur idem non possit Dei timor quod potest timor maris? » Sic ille. Quod si igitur vitam hanc mortalem et caducam, brevi finem habituram, tam sollicite conservare studemus, quanta cura studioque vitam gratiæ, nunquam, si volumus, interituram, sed perpetuo duraturam custodire deberemus? Si vitam hanc naturalem per se alias, nisi in quantum vitæ spiritali subservit, non admodum pretiosam tanto amore complectimur ; quanto utique majori dilectione prosequenda esset ipsamet vita spiritalis, quæ hoc rebus antistat universis, quod ejus gratia naturalis hæc vita ducitur! Si itaque sumptibus non parcimus, et omnes opes ac facultates in vitam corporalem, quæ cum bestiis fere nobis communis est, libenter insumimus, et pro eadem conservanda genium nostrum defraudamus, et deliciis ac voluptatibus valedicimus, nec laborem aut dolorem ullum recusamus aut subterfugimus, dummodo vitam hanc miseram non amittamus, quid non faciendum ut habeamus et servemus vitam spiritalem, nobis ac cœlestibus spiritibus propriam? Quid non sustinendum ut spiritui sua sibi salus et valetudo integra constet? nullis sane laboribus et impensis, si sapimus, in hac, a qua omnis nostra felicitas et beatitudo dependet, tuenda parcemus, ne illam cum æternæ vitæ discrimine aliquando perdamus. Corporis quidem valetudinem, si forte graviori quapiam ægritudine afficiatur, molestissimis etiam remediis curare non negligimus, quin etiam ferrum et ignem cum iis opus est, experiri minime dubitamus ; salutem vero animæ variis tentationibus impugnatam, gravissimis vitiorum morbis infestatam omni præsidio spiritali destituemus, nec ullam ei medicinam adhibebimus? Certe si utriusque vitæ par esset periculum, et corporis animæque mortem incurrendi æquale discrimen instaret, æqualis saltem utriusque servandæ cura nos sollicitare deberet, quanquam maximæ sit impru-

http://www.obrascatolicas.com

dentiæ, non majorem tuendæ salutis animæ quam vitæ corporis custodiendæ sollicitudinem habere. Si enim prudens quilibet majori diligentia servet aurum gemmasque pretiosas quam plumbum aut rem aliam viliorem, majori utique sollicitudine studioque diligenda et custodienda est vita animæ, « quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua; et tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius, » *Sap.* VII, 9; vita vero corporis lutum seu « vapor est ad modicum parens; et deinceps exterminabitur, » *Jacob.* IV, 14. Hic itaque sit istiusmodi inter vitam corporalem ac spiritalem institutæ nobis comparationis fructus, ut pretiosiorem, uti par est, impensius amemus, ac præstantiorem diligentius custodiamus.

Vecordia eorum qui salutem negligant quantum lugenda.

Certe non possum non detestari plurimorum hominum vecordiam, acerbissimis sane lacrymis deplorandam, quod tam parvi vel potius nihili animam suam faciant, quam tanti æstimat inimicus noster diabolus, ut universa mundi regna simul cum divitiis et gloria illorum polliceatur et in præmium proponat unius peccati, quo animam hominis elucretur : « Hæc omnia, inquit, tibi dabo, si cadens adoraveris me, » *Matth.* IV, 9. Omnia mundi regna promittit; quodnam majus esse possit præmium? et omnem gloriam eorum; quænam hisce plura majoraque proponi possunt voluptatum ac deliciarum irritamenta? Et nos quotidie pro vilissimo quocumque lucro, pro abjectis et minutis gaudiis animas ipsi nostras exponimus ac venditamus? o vecordiam! o cæcitatem! vel ab ipsomet diabolo discamus nosmetipsos nostrasque animas magni facere, qui de Jobo, cujus opes omnes filiosque everterat, cum Deo loquens ait : « Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua, » ac si diceret : O Domine, opinione mea falsus sum, et mihimetipsi imposui, cum dixi Jobum propter temporalia duntaxat bona divino fuisse obsequio mancipatum et pietati adflictum, iisque spoliatum ac nudatum, Deo statim maledicturum, neque ullam amplius rationem religionis aut animæ suæ curam habiturum. Verum enim vero quis est homo qui non pellem et pellem det pro anima sua, id est opes ac facultates omnes, adeoque liberos ipsos non libenter exponat ac perire sinat, ut incolumem servet animam suam? saltem ita ratio præscribit, et ipsemet faciendum judico. O rem stupendam, et omni admiratione, sed et luctu dignissimam! quod nimirum diabolus animam hominis tanti æstimet, quam ipsemet homo nihili facit? et quod mercator rei quam emit pretium exaggeret, venditor autem deprimat et flocci pendat. « Scilicet, inquit Salvianus, lib. III *in Ecclesiastem*, dilectissimam esse animam homini etiam diabolus non negavit; et quia avertere omnino cunctos ab affectu animarum suarum nititur, idem tamen charissimas esse debere suas animas confitetur. » Conatur quidem modis omnibus dæmon persuadere hominibus ut animas suas vili pretio vendant; vi tamen veritatis convictus palam confitetur, nihil omnino pretiosius aut charius propria cuique anima sua esse oportere. « Quis igitur, proclamat idem Salvianus, furor est viles a nobis animas nostras haberi, quas etiam diabolus putat esse pretiosas? Quis furor est viles a nobis haberi, quas etiam ille charas nobis debere esse dicit, qui viles facere conatur? » Plane, si dictu fas sit, plus anima diabolo quam ipsemet homini, cujus illa propria est, quodammodo debet, etsi enim uterque miserlam capitali odio prosequatur, diabolus quidem emens, homo vero vendens illam in servitutem ac perditionem sempiternam; ille tamen magni, hic parvi eam æstimat, siquidem pro illa diabolus omnia regna mundi et gloriam illorum offert; homo vero etiam gratis illam profundit et obtrudit. Itaque, ut vir ille sapientissimus recte colligit, quicumque animas suas negligunt, etiam diabolo ipso minoris illas faciunt. Cæterum nunc quorsum hanc sententiam diabolus attulerit consideremus, et in causa venenum deprehendemus. Subdit enim :

Vers. 5. 5. ALIOQUIN MITTE MANUM TUAM, ET TANGE OS EJUS ET CARNEM, ET TUNC VIDEBIS QUOD IN FACIEM BENEDICAT TIBI. — His verbis hoc potissimum contendit et intendit adversarius, ut quantum Deus de Jobo honorifice locutus est, tantum de eodem male sentiat, et ut quem tanquam invictissimum athletam summis laudibus extulit, ipsum omnino mollem atque propriæ carnis amantissimum experiatur. Ex quo responso iterum manifeste patet veteratorium diaboli ingenium, invidiæ facibus inflammatum, pulcherrimas quasque virtutes detractionis atro quasi sepio inficientis et calumniose alio detorquentis. Nullum enim erat Jobi tam egregium et singulare officii munus, quod a vera virtute profectum fateri vellet, sed in aliam semper causam referret longe diversam. Hunc calumniarum patrem et architectum imitantur omnes invidi, qui, ut frequenter usu venire cernimus, vix unquam officia muniaque, quæ ab aliis bene ac laudabiliter geruntur, virtuti adscribunt, sed aliis plerumque causis vitiosis attribuere assueverunt, et in deteriorem partem accipere : sic eum, qui fortiter agit, temerarie egisse dictitant; qui vir sobrius ac frugi est, hunc parcum et tenacem sordidumque esse clamitant; virum magnanimum ac generosum ambitionis et arrogantiæ incusant, et sic reliquas fere virtutes omnes ad vicina eorum vitia detorquent, ita ut licet omnem lapidem movearis, et in omnem te partem converteris, nunquam hoc ab invidis hominibus impetraturus sis, ut eum, quem oderunt, virum probum et honestum fateri aut appellare sustineant : diaboli enim patris sui mores imitantur, a quo vel ipsemet Deus omnipotens patientiæ atque innocentiæ Jobi confessionem elicere nunquam potuit; nam, post tam

Invidiæ furor et iniquitas.

manifestum gratuiti in Deum animi argumentum, Jobi adhuc sanctitati detrahere non destitit, quam etiamnum mercenariam esse contendit, quia licet externa omnia quæ possederat bona perdidisset, adhuc tamen aliquid habebat quod posset amitti, quodque homines vel omnium maxime servatum cupiunt, salutem, inquam, corporis ac vitam, quam rerum etiam omnium dispendio haud gravate redimunt. Ait ergo diabolus eo duntaxat spectare illam Jobi benedictionem, et religionis, ut ipse interpretabatur, nudam speciem, non ut Deum veneraretur aut coleret, sed ut vitam, quæ sola illi ex tam diro et miserabili rerum omnium naufragio superstes erat, conservaret : quippe qui admodum metuebat, cum tam inopinato et luctuoso casu, momento quasi temporis, numerosam familiam penitus exstinctam cerneret, nec se magis tutum fore judicaret. Hanc porro falsam fictamque religionis speciem soli sui ipsius vitæque amori innixam tunc demum se manifeste quasi detracta larva detecturum Satan impudenter jactitat, si quando ampliorem in ipsum etiam Jobi corpus sæviendi acciperet potestatem. «Manum enim Domini, ut exponit D. Augustinus lib. II *Quæstionum ad Simplicianum*, appellabat permissam a Domino manum suam, id est, ipsam potestatem quam volebat accipere. » Et ecce Deus morem illi gessit concedendo quod petiit; sed hanc nefariam ejus voluntatem in ipsiusmet dæmonis perniciem et Jobi tutelam benignissime convertit. Dum enim Jobi tortor fieri voluit, Jobi custos factus est, et immortalem illi gloriæ coronam fabricavit.

Vers. 6. Ipsemet diabolus animarum quas impugnat custos, Deo procurante, factus.

6. DIXIT ERGO DOMINUS AD SATAN : ECCE IN MANU TUA EST, VERUMTAMEN ANIMAM ILLIUS SERVA. — His verbis Deus iterum Satanæ petitioni annuens plenam illi in corpus Jobi tradidit potestatem, ut in illud pro libitu sæviret, dummodo vitam ei non eriperet, sed animam servaret. Flagellandum igitur Jobum Satanæ permisit Deus; sed cur non ipse flagellavit? Ne videlicet Satan iterum calumniaretur mitius in eum actum, calumniam ejus antevertit, dum percutiendum ei Jobum tradit, uti præclare S. Chrysostomus, homil. I *ad Populum Antiochenum* : « Non ipsum percussit Deus, ne rursum diabolus diceret : Pepercisti, et non tantam quantam oportebat intulisti tentationem; sed ipsi tradidit diabolo. » Huc acute et ingeniose S. Augustinus, epist. 120 *ad Honorium*, cap. XVI, refert dictum illud *Jobi* IX, 20 : « Terra tradita est in manu impii, » per nomen impii diabolum intelligens, qui tantum potest quantum illi Dominus permittit; permisit autem ei Dominus, ut terram tangeret, id est bona Jobi temporalia carnemque devastaret, non vero ejus animam aut vitam auferret. Quis non videt fraudis artificem omnino sapienter a Deo fuisse illusum, et, ubi se victorem fore existimavit, victum cecidisse? Quamobrem eleganter D. Ambrosius, lib. I *De Pœnitentia*, capite XIII : « Diabolus, inquit, S. Job magis armavit postquam vulneravit; qui diris perfusus niceribus diaboli quidem morsum pertulit, sed venena non sensit. » Et paulo post subdit : « Quanta vis Christi, ut custodia hominis imperetur etiam ipsi diabolo, qui semper vult nocere. Imperante Christo et diabolus ipse fit prædæ suæ custos. » Sic apud S. Hieronymum, in *Vita Hilarionis*, non multo ante medium, leges malum dæmonem interrogatum cur in Gazensis emporii oppido virginem invasisset, his verbis : « Quare ausus es ingredi puellam Dei? » respondisse : « Ut servarem eam virginem; » quod novum non videbitur consideranti hoc Dei oraculum in summa malo dæmoni concessa facultate vexandi Job : « Animam illius serva. » Credideram hujusmodi provinciam uni e cœli mentibus demandandam, ut servetur anima, dæmoni traditur custodienda. O summa Dei bonitas, cujus beneficio diabolus e nequissimo prævaricatore fit vel invitus solertissimus procurator. Nec mirum a Deo diaboli consilium ludificari, cum etiam ab Apostolo illusum fuerit, quando, tanquam leo rugiens prædæ avidissimus, involabat Satanas in eum quem divus Paulus ei tradiderat in carnis interitum, putans cum corpore pariter et animam disperdere. Sed Apostolus velut sapiens incantator ita diabolum elusit, ut dum corpus affligeret, animum servaret, I *Cor.* V, 5 : « Judicavi, inquit, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi. » In quem locum D. Ambrosius paulo ante citatus Apostoli et potentiam et prudentiam admiratur : « Magna, inquit, potestas, magna gratia, quæ imperat diabolo, ut se ipse destruat; se enim destruit, cum hominem, quem tentando supplantare studet, ex infirmo fortiorem efficit; quia dum carnem debilitat, mentem ejus corroborat. Illuditur ergo diabolus, ut ipso mortis suæ vulnere contra se armet, quem debilitandum putavit. » Et paulo post idem S. Doctor eleganter ostendit ipsasmet diaboli tentationes, quibus ad animas in interitum trahendas utitur, non raro plurimum conducere ad easdem saluti restituendas; dum nempe Deus ita rem totam suavi sua providentia temperat atque disponit, ut homo a diabolo tentatus, ad instar pueri illius prophetici, *Isaiæ* XI, 8, « in cavernam ejus manum mittat, et de latebris eruat eum, et de veneno ejus faciat spirituale antidotum; ut quod venenum est medicamentum fiat; venenum ad interitum carnis; medicamentum ad salutem spiritus. »

Quanti faciendæ tribulationes.

Quando igitur permittit Deus ut hæc externa bona nobis auferantur, dæmonique illa in manus tradit, haudquaquam id iniquo erga nos animo facere putandus est, sed amico et benevolo, ut nimirum servetur id in nobis quod majus est atque præstantius, salus scilicet animæ nostræ, cui hac ratione prudenter consulit, quemadmodum hocce Jobi exemplo fit manifestum. Dominus enim Satanæ Jobum ad ipsum affligendum exposcenti :

http://www.obrascatolicas.com

« Ecce, inquit, in manu tua est. » Hoc autem concessit post dirutas domos, post agros vastatos, post oves combustas, post armenta erepta, post liberos denique charissimos internecione deletos. Et ne ulla diabolo Jobum criminandi occasio reliqua superesset, plenam etiam in corpus ejus pro libitu sæviendi potestatem accepit, sed sub hac conditione, ut ipsius animam servaret : « Verumtamen illius animam serva. » Ecce fructum tantæ tribulationis, quæ est animæ salus. Pulchre S. Augustinus in *Psalm.* XXVI, de hac diaboli in corpus Jobi potestate loquens, ait : « Accipit potestatem in infimis, et immisit maxima et summa; ipse expetiit ut perderet; Deus tribuit ut servaret : factus ipsemet lupus custos ovis, qui ad devorandum accesserat. » Idcirco igitur tribulamur in corpore, ut salvemus animam, amittimus temporalia, ut accipiamus æterna. Quod cum optime sciant viri sancti, quantumvis maximis afficiantur tormentis, nihil timent, nihil pavent, sed securi degunt, quia licet corpora eorum in manibus sint tyrannorum, tamen animæ ipsorum in manu Dei sunt, quorum haud dubie eadem vox est cum Apostolo exclamantium, *Rom.* VIII, 35 : « Quis nos separabit a charitate Christi? an tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? » Quæ verba Salvianus, lib. II *Ad Eccles. cathol.*, religiosis viris pulcherrime accommodans, ait : « Non Apostolus solam pecuniam, nec solas deberi a nobis divitias Deo dicit, sed et tribulationem, angustiam, famem, passionem, effusionem sanguinis, mortem denique omni pœnarum genere sublimiter conditam. Unde intelligant omnes religiosi non satis se Deo reddere, etiamsi universas dederint facultates, quia licet sua cuncta dispensent, ipsos se tamen debent. » Nempe non tam nostra quam nos ipsos Deus a nobis tanquam debitum exigit, nullumque illi gratius exhibetur spectaculum, quam cum cernit hominem patienti, constanti lætoque animo pro Dei gloria et honore cum periculis et ærumnis omnisque generis calamitatibus fortiter decertantem. Quapropter Dominus admirabili patientia Jobi supra modum recreatus, tam grato sibi spectaculo diutius oculos suos pascere cupiebat, ideoque ne per mortem e medio tolleretur prohibebat, et cum Satanæ plenam in omnes facultates, liberos, ipsumque corpus Jobi potestatem tradidisset : « Verumtamen, inquit, animam illius serva, » ac si diceret : Ne Jobum mihi occidas, ne mihi tam egregium pancratiasten de medio tollas; si enim eum de medio sustuleris, theatrum nobis non plaudet amplius, tolletur spectaculum, finietur tragicomœdia, festum, lusus quo frui diutius placet. Nam mihi nihil gratius quam videre hominem carneum, luteum, fragilem, in mediis tamen cruciatibus atque gravissimis doloribus, patientia invictum, sanctitate conspicuum, illustres de diabolo victorias referentem.

Cur Deus Voluit itaque Deus diabolo quidem permittere Jobum crudelissime torquendi facultatem, sed interficiendi negavit potestatem, quia postquam patientia ejus satis tentata, et invicta virtus abunde probata, gloriosissimisque victoriis illustrata foret, decreverat eum omnibus miseriis absolutum, gravissimisque laboribus perfunctum, condigno quoque præmio remunerari, et ea quæ illi sublata fuerant bona duplicato fœnore restituere. Nam sicut Deus Jobum in inimici manus tradendo innumeris incommodis exposuerat, ita par erat ut eum iisdem liberando ad pristinum felicitatis statum postliminio reduceret, ut exemplo Jobi et infinita Dei erga illum benignitate posteri excitarentur ad similes, quando ingruerent, miserias æquo animo tolerandas, omnemque suam in Deo solo fiduciam collocandam. Hanc utique ob causam noluit Dominus Satanæ Jobum occidendi facere potestatem, ne careret laude illa et gloria quam ex ipsius liberatione et in pristinam felicitatem restitutione potissimum intendebat. Viri enim probi, qui a malis et miseriis præsidio Dei vindicantur, mirum quantum benignissimi Numinis laudem gloriamque amplificent. Quod non ignorans David, hoc veluti potentissimo ad divinum subsidium impetrandum argumento utitur, dicens, *Psalm.* LXXXVII, 11 : « Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi? Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam et veritatem tuam in perditione? » ac si dicat : Si ego his laboribus absumptus morior, quo pacto tua misericordia, quæ in miseris opitulando maxime se manifestat, et veritas tua, quæ in promisso precantibus auxilio præstando demonstratur, cognosci poterit?

diabolo Jobum occidendi non permisit falcultatem?

Porro S. Gregorius, Origenes et Olympiodorus de spirituali morte sermonem hic esse putant, quod sane videtur durum. Nam (ut bene ad hunc locum notat Sanctius noster) Deus non prohiberet dæmoni quod in ipsius potestate non esset (nisi forte ea est Satanæ audacia, ut ultra sibi possibilia contra homines temerarie intentet).

Nec animam Jobi dementare licuit diabolo?

Alii denique existimant his verbis : « Verumtamen animam illius serva, » Deum vetuisse ne dæmon Jobi animam sic doloribus dementaret, ut mentis facultas obscuraretur aut debilitaretur, adeo ut pro eo statu meriti incapax existeret; ne patientiæ bono fraudaretur, aut dementatus in Dei blasphemias prosiliret. (Sic vel materiale peccati in viro sancto præcavet Deus.) Verum Olympiodorus, in *Catena*, animæ vocabulo intellectum ipsum seu mentem interpretatur, *q. d.* « Principem animi partem ne attinge; verum in corporis cruciatibus animi pugnam experire. » Nempe sic eum dure vexa, ut ejus intellectum non debilites, nec mentis vivacitatem obscures, orbare eum filiis tibi datur, ingentibus divitiis viduare, fœdis et peracerbis ægritudinibus eum torquere; attamen principem animi partem, mentem, inquam, incolumem serva, *q. d.* Si penitius explorare cupis inclytum pietatis athletam, ne mentem ejus debilites, aut intellectus vivacitatem obtundas, sed magis exacuere satagas, quo ipse acutiori mentis acumine vulnera refricet, dolores adaugeat, dum dolendi causas subtilius exaggerat. Pergens porro Olympiodorus : « Certe, inquit, corporis illi facit potestatem; verum ut cum corpore animam subducat (id est dementet), veniam non concedit, ut ex fœtu duplicata illi bona restitueret, atque deperdita redintegraret. » Hoc scilicet sollicite præcavebat Deus, ne Jobus, diris obrutus calamitatibus, a statione serenæ mentis subduceretur, non quia non id illi, quominus doloris sensum caperet, aliquo saltem ex ea parte solatio futurum erat, sed ne hoc generosæ postliminio ipsi aliquando nascituræ soboli vitio verteretur, ex patre vel ad tantillum temporis a mente semoto fuisse procreatam. Ita nimirum vel temporaria patris dementia insanire putantur filii, et paterno mentis stupore soboles obbrutescit.

Cæterum, quid Satan, accepta jam in Jobi corpus pro libitu sæviendi potestate, peregerit, ex sequenti versu intelligemus.

Vers. 7. 7. EGRESSUS IGITUR SATAN A FACIE DOMINI, PERCUSSIT JOB ULCERE PESSIMO A PLANTA PEDIS USQUE AD VERTICEM EJUS. — Quid sibi velit ista dæmonis a facie Domini egressio, superiori capite, vers. 13, explicuimus. Quale vero fuerit hoc ulcus, quo Job percussus dicitur, incertum est, cum de illo nihil certi Scriptura definiat, dubium tamen non est, quin longe gravissimum fuerit, quandoquidem illud pessimum vocet, eoque dicat a planta pedis usque ad verticem capitis fuisse percussum, quod facile colligi potest ex dæmonis ingenio et ampla illa licentia quam obtinuerat in carnem ossaque Jobi ab libitum desæviendi. Cum enim Deus omnia quæ erant Jobi, præter animam, Satanæ libidini permisisset, satis verosimile est hoc ulcus ad singula etiam corporis ejus membra dimanasse, et ad ossa ipsa medullamque ossium penetrasse, sic ut totum corpus contabuerit. Quare non improbabile videtur Jobum non uno duntaxat, sed plurimis, iisque gravissimis ac molestissimis simul morbis et ulceribus fuisse coopertum, adeo ut nulla esset in eo sanitas. Morbos autem hos diversi diversos assignant : *primo*, S. Chrysostomus, Apollinarius et Philo Hebræus docent lepram seu elephantiasin cum Jobi ulceribus fuisse conjunctam. *Secundo*, eum podagra, chiragra, ischiade, adeoque arthritide, id est omnium articulorum dolore laborasse, colligitur ex cap. XVI, 8, et cap. XIII, 18. *Tertio*, phthiriasi, id est pediculari morbo divexatum fuisse, colligitur ex cap. XXX, 17 et 18. *Quarto*, dysenteria discruciatum fuisse patet ex cap. XVI, 14. *Quinto*, incubo oppressum fuisse colligitur ex cap. VII, 4 et 14. *Sexto*, marasmo, id est tabe totius corporis, ex siccitate et febri hectica extenuatum fuisse patet ex cap. XIX, 20, et cap. XXX, 16. Addit Pineda noster, id ex aliis quoque locis conjectans, Jobum laborasse lue venerea, angina, fame canina, igne sacro, et cancro per totum corpus serpente, qui erecipelas nominatur, asthmate aliisque morbis innumeris nobis incognitis. Cum enim Deus ipsum dæmonis arbitrio potestatique tradiderit excruciandum, haudquaquam dubitandum est, quin pro innata sua sævitia tartareus ille tortor tot in eum plagas morbosque immiserit, quotquot salva vita sustinere humana unquam natura potuit.

Interpretum de hoc ulcere pessimo sententiæ.

Job vere martyr.

Notant passim SS. Patres Jobum plurimis iisque lethalibus ulceribus a dæmone percussum fuisse, quæ scilicet mortem ipsi certissimam attulissent, si Deus eorum virus ad cor aliamve principem corporis partem vitalem proserpere permisisset. Quapropter S. Chrysostomus Jobum inter martyres referre non dubitat, quemadmodum simili fere ratione Patres passim B. Virginem et S. Joannem Evangelistam martyres appellant, quia nimirum tanta tormenta sustinuerunt, quæ nisi miraculo impedita fuissent, mortem iis haud dubie attulissent. De morbis porro S. Jobi vide fusius Pinedam nostrum et Origenem, lib. II *in Jobum*, ubi mirifice Jobi dolores ulceraque amplificat.

Infractus ejus remanet animus.

Percussit itaque Satan Dei athletam, sed infractus ejus animus lædi non potuit, uti præclare Cæsarius *Dialogo* III ostendit, dicens : « Minime per corporea vulnera lædebatur animus; nec vermes, licet utrem perforarent, intus repositum thesaurum adoriri poterant. Non enim corpus Jobus erat, sed Jobus erat « ipsa vis animi rationis particeps. » Non ergo Jobum ipsum læsit, qui in Jobi tantum corpus sæviit, cum solus nihil fere commercii cum suo corpore haberet, totus fere in mentem immigrasset, nihil, nisi spiritus, saperet, nihil cogitaret. Quod si ad nuditatem Jobum Satan redegerit, quando ipsum opibus spoliavit, quovis tamen regio paludamento pretiosioribus ulceribus vestivit, quando corpus ejus tot plagis cooperuit, uti pulchre S. Zeno, serm. *De Patientia* : « Ipsum, inquit, postremo Jobum, quem divitiis spoliaverat magnis, magnis vestit ulceribus. » Similia dicit S. Gregorius, lib. III *Moral.* cap. VI.

Ipsemet diabolus Jobi tortor et carnifex.

Hic tantum observa quomodo dæmon, in primo illo cum Jobo conflictu, multos sibi commilitones adjunxerit, armatas Chaldæorum turmas conscripserit, quæ cæsis pastoribus armenta pecoraque abigerent; ignem e cœlo evocarit, qui oves segetesque absumeret; furentes quoque ventos excitaverit, qui domum filiorum conquassarent; sed ubi in ipsum Jobi corpus acceperat potestatem, nullos sibi ad illud torquendum socios adjunxisse memoretur, cum ipse solus sit instar omnium tortorum, ad discerpendum et dilacerandum atque exquisitissimis tormentis excruciandum ingeniosissimus, cujus vel unicus contactus quolibet tormento gravius Jobum excru-

http://www.obrascatolicas.com

ciabat, ita ut, quemadmodum D. Chrysostomus in *Catena Græca* docet, « manus dæmonis acerbiori sensu doloris quam quælibet sartago, fornax et quævis flamma, eum absumeret, et qualibet fera immanior undique corpus circumroderet ac devoraret. » Ne quæras itaque in viro patientissimo alias cruciatuum causas, neque requiras in ejus doloribus Babylonicas fornaces, aut Machabæorum sartagines, aut rugientes feras; sed unicam adesse cogita dæmonis manum, quæ cæteris tormentis omnibus durior acerbiorque existit. Hanc, credo, ob causam in *Apocalypsi*, cap. XII, vers. 12, plangitur : « Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos! » Solius diaboli in terram descendentis meminit, ac maximas inde calamitates expavescit. Non minatur mortes, non cruces intentat, neque carnificinas hominum aut membrorum lanienas recenset; unum lamentatur diabolum in terram descendisse, cujus vel solius aspectus omnibus hominum lanienis et carnificinis truculentior accidit. Hinc idem angelus Apocalypticus immanissimam Christianorum apud Smyrnam persecutionem ac lanienam describens, *Apoc.* II, 10 : « Ecce, inquit, missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini; et habebitis tribulationem diebus decem. » Nimirum haud facile immanis illa bellua ab hominum laniena desistit, sed moras in torquendo nectit, quibus summopere delectatur, ac decem omnino dierum spatio Smyrnenses Catholicos afflixisse scribitur, ut cruciatuum varietate nocendi famem exacueret, et immanissimorum excrescere faceret cumulum tormentorum. Quid igitur stygium illud monstrum non efferatæ crudelitatis in Jobi corpus exercuisse credendum est, in quod tam amplam rabiei suæ exsaturandæ acceperat potestatem? Hujus aliquod saltem specimen sumere licebit ex specie illa deformatissima, qua sequenti versu nobis describitur.

Vers. 8. 8. QUI TESTA SANIEM RADEBAT SEDENS IN STERQUILINIO. — Addunt Septuaginta, ἔξω τῆς πόλεως, *extra civitatem*, id contigisse, eo quod nimirum elephantiacus esset, ideoque a communi cœtu hominum excluderetur, in quo etiam allegorice Christi tanquam leprosi ab hominibus reputati atque extra civitatem in fœtidissimo Calvariæ loco in crucem acti typum expressit. Tropologice vero S. Gregorius : « Sterquilinia, inquit, sunt corda pœnitentium, » in quibus Christus requiescit.

De Jobi in sterquilinio sessione septem magni momenti quæstiones. Inusitatum hoc et prodigiosum Jobi extra civitatem in sterquilinio sedentis atque testa saniem detergentis spectaculum miris in cœlum laudibus efferunt SS. Patres, et circa illud plurimas non minus utiles quam curiosas movere solent quæstiones, quas brevitatis ac claritatis gratia visum est ad septem potissimum (quarum ordine resolutiones subnectam) revocare.

Pronuntiantur quæstiones. *Prima* sit, cur S. Job a planta pedis usque ad verticem capitis ulcere pessimo percussus, et plurimis gravissimisque morbis afflictus, civitatem egressus fuerit, cum, si extra urbem in istiusmodi ægritudinem incidisset, in eam potius introducendus videretur, quo commodius tantis malis remedium afferri posset. *Secunda*, postquam jam civitatem deseruerat, cur sub dio commoratus sit, quibuscumque aeris injuriis expositus, et non ad domum aliquam aut villam suburbanam se contulerit, quemadmodum Ozias, IV *Reg.* XV, quando lepra se percussum sensit, fecisse memoratur. Haud enim credibile est talem aliquam domum defuisse illi præsertim viro, qui rex erat, et quidem maximus inter Orientales. *Tertia*, postquam sub dio commorari voluit, cur non mundiorem et amœniorem quempiam sibi locum delegerit, inter flores, v. g. herbasve virides, aut saltem inter mundos lapides, juxta torrentem aliquem aut fontem, ubi fœtorem suum levius ferre atque ulcera sua emundare aliquantulum posse videretur : nam fimetum adiens, visus est non tam semetipsum emaculare quam amplius contaminare, atque immunditiam immunditiæ copulare voluisse. *Quarta*, postquam ad sterquilinium se conferre decreverat, cur tale delegerit, quod omni immunditiæ genere, scilicet cinere ossium demortuorum, putredine cadaverum et stercore fœtidissimo scatebat? *Quinta*, postquam talem omnino locum elegisset, cur in eo sederit et non potius steterit? Si enim, uti alias diximus, constitutum illi erat cum diabolo, quem ad se oppugnandum venire non ignorabat, manus conserere, surgendum illi magis quam sedendum videretur. Nam sicuti pugnantibus sessio est penitus incongrua, ita illis statio est prorsus accommodata, adeo ut David Deum ipsum in adjutorem adversus inimicos suos advocans, postquam eum quasi in solio majestatis suæ sedentem animadvertisset, exclamaverit, *Psal.* XXXIV, 4 : « Exsurge, Domine, et effunde frameam, et conclude adversus eos qui me persequuntur; » quodammodo supponens neminem congrue sese inimico posse opponere, nisi qui surrexerit et firmus steterit. *Sexta*, cur, in sterquilinio sedens, ad saniem ac vermes ex ulceribus scaturientes abstergendos nihil aliud adhibuerit quam testam, quæ ulcera magis exasperabat. *Septima*, quanto et cur tam longo tempore ibi manserit. Quamvis enim nulla laborasset infirmitate, nec ullo alio dolore torqueretur, intolerabile tamen videri poterat, toto tempore quo tentatio duravit, quod haud exiguum fuisse constat, in fœtidissimo sterquilinio commorari.

Solvuntur quæstiones. Responsio ad primam et ad secundam. Ad primam et secundam quæstionem plerique Patres et interpretes respondent idcirco S. Jobum, postquam a diabolo ulcere pessimo percussus fuerat, civitate egressum, quia tam horrendum et abominabilem toto corpore fœtorem exhalabat, ut neque cives, neque cognati, aut propinqui domesticique illum ferre ullo modo possent; quin nec semetipsum sustinere unquam valuisset, si cubiculo vel domo quapiam inclusus permansisset. Quamobrem ne fœtore proprio suffocaretur, neque ulli incommodaret, aut perniciem afferret, extra domum, extraque civitatem, a communi hominum consortio segregatus, sub dio, loco patulo et obvio, ventorum flatibus sese exposuit, ad immanem, qui ex ulceribus prorumpebat, fœtorem liberiori aliquantulum aura eventilandum. Ita Polychronius in *Catena*, cui etiam alii Patres similia docent, hunc ejus a vitate recessum lepræ adscribentes. Tam enim horribilis et noxius est leprosi aspectus halitusque, ut in lege Deus hujuscemodi extra civitatem jusserit commorari. Unde etiam Ozias et ipse rex lepra percussus, regno simul et urbe excedere coactus fuit. Job autem non quacumque, sed fœtidissima planeque abominanda lepra tactus erat, qualem D. Gregorius, homil. 39 *in Evang.*, describit, « in carne leprosi, quæ tumescentibus vulneribus scinditur, et exhalantibus fœtoribus impletur. » Quamobrem, ut bene notat Origenes, lib. II *in Job*, his qui in civitate erant, molestiam ingerere non est passus. Sedebat super acervum stercoris extra civitatem; me solum, inquiens, circumdent mala, mihi soli molesta sint vulnera mea. » His accedit, usitatum fuisse Persis, ut ex Herodoto, lib. V, notat Cælius, quibus proxima erat regio Hus, in qua Job habitabat, leprosos omnes ingenti abominatione prosequi atque civitatibus expellere, tanquam apertos Numinis inimicos; credebant enim lepræ morbum non tam ex naturæ vitio quam ex deorum vindicta provenire et immitti, præsertim illi qui grandi aliquo crimine adversus solem deliquisset. Quin et Isaias, eo ipso quod spiritu prophetico prævideret Christum quasi leprosum, exposuit ab omnibus judicandum « tanquam a Deo percussum et humiliatum, » ac si lepræ labes illi soli adhæreret, quem Deus tanquam maximum suum inimicum vellet percutere et humiliare. Enimvero satis credibile est diabolum totam adversus Jobum civitatem commovisse et concitasse, ut ipsum quamtumvis regem tanquam Numini maxime exosum et a Deo percussum omnes aversarentur, ac velut monstrum abominabile a se repellerent atque exsecrarentur. Etenim si, ut Plinius, lib. VI, cap. XXII, ac Solinus, cap. LXVI, narrant, in Taprobana insula totius populi decreto statutum fuerit, ut vel rex ipse, si quando gravius quid deliquisset, communi hominum congressu et convictu prohiberetur, et ab omnibus tabe ac mœrore conficiendus expelleretur; quanto magis diabolum ad simile quid adversus Jobum, tanquam Deo invisum caput, decernendum Hussitas instigasse credibile est, ut ipsum velut monstrum male ominosum, et Deo hominibusque exsecrandum, procul a se repellerent, et extra civitatem ablegarent?

Ad tertiam, quartam et quintam. Ad tertiam vero, quartam et quintam quæstionem, cur nimirum Job civitate egressus ad tam fœtidum locum se contulerit, et in sterquilinio consederit, diversi Patres et interpretes diversimode respondent, varias hujus rei pro ingenio quisque suo rationes ac congruentias excogitantes.

Primo. Ac *primo* quidem nonnulli credunt hoc ideo factum, ut vir sanctus hac ratione extremam, ad quam devenerat, miseriam summumque contemptum suum aliquatenus indicaret, sicuti e contra quando rebus prosperis utebatur, ad suam gloriam, qua tunc potiebatur, indicandam, et ad honorem, qui ab omnibus illi passim deferebatur, declarandum, se in cathedra seu throno regali consedisse commemorat.

Secundo. *Secundo*, alii censent Jobum elegisse locum istum ad nimiam suam tristitiam luctumque testandum. Proprium enim erat eorum quos ingens calamitas opprimebat, ad luctui ac mœrori vacandum, terram eligere, et in ea considere. Sic Esdras : « Sedi, inquit, et flevi, et luxi. » Similiter Jeremias, ut D. Ambrosius notat, introducit filias Jerusalem plorantes, et ad hoc aptum sibi locum deligentes : « Sederunt, inquit, in terra, » *Thren.* II, 10. Ita quoque Deus ingentia Babyloni mala, quæ illi eventura, et summum mœrorem allatura erant, prædicturus : « Descende, inquit, sede in pulvere, virgo filia Babylon, non est solium filiæ Chaldæorum, » etc.

Tertio. *Tertio*, alii existimant virum sanctum ad sterquilinium, vel, ut in Hebræo est, באפר *beepher*, id est *ad cinerem* seu pulverem pœnitentiæ studio se contulisse. Cinis enim et pulvis olim proprius erat pœnitentium locus, quemadmodum S. Ambrosius, lib. III *De Pœnitentia*, cap. VI, evidenter ostendit, quem propterea Ninivitæ ad prædicationem Jonæ pœnitentiam agentes, tanquam huic rei maxime opportunum ac placando Numini aptissimum elegerunt, quorum ipsemet rex in cinere ad multos dies consedisse memoratur

Quarto. *Quarto*, his addendum id quod idem S. Ambrosius, lib. III *De Pœnitentia*, cap. I, S. Jobum per hanc in sterquilinio sessionem præcipue intendisse insinuat, scilicet ut ad luctam cum diabolo felicius ineundam, usitato athletis stratagemate, talem imprimis locum occuparet, in quo omnes inimici ictus facilius eludere, atque ipsemet certius ac plenius adversarium suum ferire posset. Quis autem locus homini cum cacodæmone prælium inituro aptior aut tutior esse possit, quam sterquilinium, quam sepulcrum, quam cinis, quam pulvis? Satis utique notum, et experientia rerum magistra comprobatum est, unamquamque rem tum maxime vigere, ac validiorem fortioremque existere, quando est in centro suo, sive dum loco sibi connaturali consistit. Ita piscis Tobiæ, qui in aquis vehementer et potenter sese agitabat, simul atque ex iisdem extractus fuerat, illico palpitare atque exspirare cœpit. Ignis quoque qui inter ligna vehementissime exarserat, in puteum immersus confestim in aquam crassam commutatus legitur. Ex qua

http://www.obrascatolicas.com

doctrina Caius Princeps curiosæ cujusdam difficultatis solutionem invenit, quemadmodum refert Plinius, lib. XXXII, cap. I, mira de echeneide pisce memorans, qui a navigiis remorandis vulgo *remora* nuncupatur : « Ruant, inquit, venti licet et sæviant procellæ, imperat furori, viresque tantas compescit, et cogit stare navigia, » etc. Hic igitur pisciculus limaci non absimilis, cum Caii Principis ab Astura Antium remigantis quinqueremem solam, cæteris prosperum cursum tenentibus, subito in medio mari ad instar arboris firmiter radicatæ immobilem sisteret, exilierunt protinus qui eum quærerent, et moræ hujus causam investigarent; invenerunt autem adhærentem gubernaculo, ostenderuntque Caio indignanti hoc fuisse quod se revocaret, quadringentorumque remigum unanimem conatum frustraretur. Miranti autem et causam sciscitanti, cur pisciculus ille navi forinsecus adhærens eam tenuisset, nec idem polleret in navigium receptus, prudenter omnino sciteque responsum est, hoc ex eo provenire, quod in mari positus in loco suo naturali existeret, a quo vim omnem et retinendi facultatem acciperet, quam ex aquis extractus illico perderet sic, ut penitus extra illas nil valeret (1). Cum itaque loci proprietas ac constitutio in rebus aliis tantum valeat, tum vel maxime in bello ad victoriam obtinendam plurimum confert. Quare vir sanctus cum diabolo, hoste versutissimo nequissimoque prælium initurus, locum sibi maxime opportunum, utpote mortali naturæ proprium ac naturalem, delegit, sterquilinium scilicet sepulcrale omni spurcitia refertum. Sepulcra enim tunc temporis extra civitatem in loco quopiam suburbano non procul a portis remoto exstruebantur, ut S. Chrysostomus, hom. 2 *De Spiritu Sancto*, testatur; illa vero unum e tribus continebant, scilicet cinerem, pulverem aut putredinem. Ac cinerem quidem plerumque continebant sepulcra regum ac potentum, quorum corpora cremabantur, et in cinerem redacta urnæ imponebantur, ac sepulcro condebantur. Pulverem vero tenebant antiquiora vulgarium ac plebeiorum hominum sepulcra, quorum corpora jam a terra erant consumpta et in pulverem conversa. Putredinem vero ac fœtorem atque immunditiam omni stercore fœdiorem exhalabant illa sepulcra, in quæ recens defunctorum cadavera erant illata. Hæc itaque simul omnia S. Job in unum colligens, ad locum istiusmodi extra civitatem se contulit, in quo erat cinis et pulvis, ac fœtidissimum sterquilinium demortuorum sordibus conspurcatum, quod sepulcralia omnis generis excrementa continebat. In eo autem *sedit*, quia non transcursim aut per transennam obiter sepulcra vicina inspicere, sed constanter, quiete ac perseveranter eorumdem contemplationi inhærere, et tanquam loco mortalibus maxime proprio et connaturali commorari voluit. Non fecit sane cæterorum more hominum, qui, dum sterquilinium aliquod fœtidum pertranseunt, gressum accelerant, nares obturant, oculos avertunt; sed patulis sensuum ostiis et animæ potentiis, omnia quæ in sepulcris sunt attenta vivacique mentis consideratione lustrabat, et singula minutim expendebat, secum cogitans quales modo essent antiqui illi principes, quos olim opibus florentes atque orbi dominantes partim ex historiis noverat, partim ipse viderat, et jam opibus regnisque spoliatos, ab amicis derelictos, ab hæredibus expulsos, in cineres redactos et brevissima urna conclusos conspiciebat. Considerans itidem se paulo post ad similem quoque statum ac locum redigendum, facile omnia contemnebat, et e sepulcro, tanquam spiritali quodam armamentario ac veræ sapientiæ promptuario, acutissimas vivæ considerationis sagittas, quibus diabolum confoderet, depromebat. Inde similiter scutum humilitatis assumebat, quo undique tectus omnes inimici ictus nullo negotio eludebat, enervabat, retundebat, dum se quasi putredinem et cinerem, ac jam mortuum et in sepulcro positum reputabat. Hinc mundi, bonorum gloriæque contemptus, e quibus nihil in sepulcro manet; hinc divitiarum facultatumque temporalium, quæ mortuum minime comitari possunt, aspernatio; hinc invicta illa patientia, qua difficultates ac molestias omnes invicto animo fortissime constantissimeque sustinebat, nullam sibi, utpote pulveri et cineri, injuriam aut despectum, quo non majorem mereatur, irrogari posse persuasum habens. Atque hæc est altissima Jobi in sterquilinio sedentis philosophia.

Ad sextam porro quæstionem, cur nimirum « testa saniem raserit, » respondent SS. Patres, Jobum hac ratione illas ipsas quas diabolus ei inflixerat plagas, exasperare voluisse, et acriores in carne sua dolores excitare, quo semetipsum generosius superaret, ac de diabolo gloriosius triumpharet. Ita D. Gregorius, lib. III *Moralium*, cap. III, et Apollinarius in *Catena*, et elegantissime Origenes, lib. II *in Job*, cujus hæc sunt verba : « Non accepit molle aliquid ut abstergeret molliter, leviter, leniter, artificiose moderando atque relevando; sed accepit testam duram, asperam, ut raderet cum dolore saniem suam, et non extergeret blande aut modeste mitigans atque relevans vehementem illum atque inenarrabilem dolorem. Dic, o beate atque Deo dilecte, ob quam rem hoc facis! cur hunc dolorem exasperas? cur augmentas? cur exaggeras testa radendo lamentabile hoc vulnus atque sævissimam hanc plagam? cum potius debueras observare, levare, fovere, ungere, defricare, ut per hæc universa

Ad sextam.

Caro quanta mortificatione domanda?

(1) Minime opus est a nobis animadverti, hanc de pisce *remora*, apud veteres receptam opinionem, jamdudum, scientiis in melius progredientibus, omnino excidisse. Cæterum, non scriptori sacro, sed tantum ejus interpreti tribuendum, quod dicta opinio aliqua probatione videatur hic insignita.

mitiorem atque blandiorem redderes hunc sævissimum dolorem plagamque terribilem? Sed respondens justus dicit : Ego vici, non succumbo his doloribus, neque istis pœnis deficio, neque debilitor, neque delassor; non enim sunt dolores isti fortiores animæ meæ firmitate, non hæc tormenta duriora cordis mei duritia, exaggero atque commoveo ipsos dolores, » etc. Voluit nimirum S. Job strenuum se militem præstare, et in spiritalis militiæ disciplina probe instructum ostendere; agnovit se spectaculum factum Deo, angelis et hominibus; vidit omnia inferni agmina jam sibi opposita, et ad congrediendum accincta, ideoque stationem sibi suam minime deserendam, sed in nomine Domini adversus inimicum arma spiritalia sumenda esse. Intellexit sapiens ac doctus strategus diaboli acies in duas præcipue partes esse distributas, et in duo veluti cornua lunatas, ut ipsum utrinque aggrediantur, atque unam quidem impressionem facere ex parte corporis per inordinatas concupiscentiæ carnisque commotiones, quæ potenter militant adversus animam; alteram vero se tenere ex parte animæ, in qua varios superbiæ, quæ fons est et origo omnium peccatorum, motus excitat perniciosos. Contra duas itaque has acies se communire satagens, carnem ipse suam animo plane subdidit atque subjecit, quam, licet a diabolo satis afflictam, adhuc amplius affligere non dubitavit, dum ad dolores, quos ille intulerat, alios adjecit graviores, durissima testa scabiem ejus radens. Quis unquam ad vulnera detergenda testam, vel, ut in Hæbræo est, חרש *heres*, id est asperam tegulam aut rudem laterem adhibuit? Qui ulceribus affliguntur, solent mollioribus panniculis et linteis abstergere humorem effluentem, aut saltem blanda manuum applicatione, cum alia deficiunt, emundare; Jobus vero cruda testa ad saniem gravissimorum ulcerum detergendam utitur. Vere « vulnus ejus et livor et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo, » *Isaiæ* I, 6, sed durissima tegula magis exulcerata. Quomodo talis caro contra spiritum jam posset insurgere, aut ullum carnalem concupiscentiæ motum eructare? Magnum profecto munimentum militis spiritualis est castigatio carnis per quam dum hæc affligitur, spiritus roboratur. Quapropter eam S. Ambrosius, *serm.* 25, acute et eleganter non infirmam, sed « fortem infirmitatem » jure nuncupat; qua loquendi formula per antithesin non raro uti solet, sicut cum spiritalem ebrietatem, quam Spiritus Sanctus operatur, sobriam nominat in *Hymno* canens : « Læti bibamus sobriam ebrietatem Spiritus. » Siquidem talis ebrietas non mentem turbat nec ebrios facit, sed intellectum acuit ac sobrios reddit. Qua etiam phrasi usus S. Augustinus, epist. 121 *ad Probam*, « doctam (dixit) ignorantiam. » Pari igitur ratione ac modo fortis est infirmitas illa carnis, quæ non infirmum, sed fortem reddit spiritum, Apostolo dicente : « Cum infirmor, tunc potens sum, » II *Corinth.* XII, 10. Job itaque afflictam suam carnem testa rasit et magis exulceravit, ut spiritum rederet fortiorem. Ne autem per superbiam posset superari, ad sterquilinium confugit, ut ibidem omnes superbiæ motus assidua mortis contemplatione exstingueret.

Continua mortis meditationi inhærendum.

Aliam, eamque elegantissimam simul et ingeniosissimam hujus rei rationem, cur Job testa saniem raserit, assignat S. Gregorius, lib. III *Moralium*, cap. III, eum hoc fecisse dicens, « ut lutum luto tergeret, » juvat ipsa ejus verba audire, quæ sic habent : « Unde testa nisi ex luto conficitur? Quid vero est sanies corporis nisi lutum? saniem ergo radere testa perhibetur, ac si aperte diceretur : Luto tergebat lutum. Pensabat quippe vir sanctus unde sumptum fuerat quod gestabat, et fragmento vasis fictilis confractum vas fictile radebat. Testa radebat saniem, ut semetipsum in fragmento considerans, etiam de extersione vulneris sumeret curam mentis. » Sic ille. Haudquaquam igitur Jobus cum lutum luto tergeret, et in sterquilinio sederet, vulnerum suorum putredinem adaugebat, sed potius emundabat, quandoquidem ad fœtorem peccatorum excludendum, et ad tumentes animi plagas curandas nihil accommodatius aut efficacius esse potest, mortis et sepulcri meditatione ac continua fragilitatis humanæ consideratione, quæ in testa designatur. Edocet igitur hoc pacto Job ex imis ulceribus renasci, ex cinerea lepra ortum adoriri, ex vermium morsibus in vitam reducem evocari. Corpus prospicit continuis dolorum arietibus deturbari, concuti funditus carnem depascentibus vermibus; et memor luti, quo a primordio compactus fuerat, lutum resumit, lateritiam admovet struem, et iterum construit quod ceciderat. Ædificatus ex limo, ex limo reædificat, testam adjicit lepræ, lutum luto, et inter memorias ortus sui et exitus construit, a manibus Dei edoctus, corpus iterum quod perierat. Quam felix ingenium, o mortales! Theriaca medela adversus toxica mortis, est mortem quasi testam manu versare, corporis membris allidere, cogitatione evolvere, applicare vulneribus, et iteratis refricare curis. Sic e cadavere nova proles, e cinere vividus fœtus, ex ulcere vegetum corpus exorietur. O quot testæ, quot lateres circumquaque obvii pulverem pluunt, cuncta cinere candent! Nonne vidisti adolescentulum radiantem oculis, puniceum genis, crispatum comis, strenuis artubus, virili robore pollentem, tam cito emarcidum quam floridum? Transisti, et ecce non erat neque decor, neque vigor, exesis genis fugerant oculi, macies jam vultus est, cutis vix tegit ossa, putent dentes, dolent latera, vix movet pedem, jam fatiscit. Ecce testam, terge vulnera.

Quam pati pro Domino pretiosum.

Ex eadem quoque cogitatione piissima ortum quod Tertullianus doctrina longe celeberrimus auctor observavit, Jobum scilicet usque adeo

http://www.obrascatolicas.com

fœda sua ulcera æstimasse, tantoque in pretio habuisse, ut testa saniem radens, vermiculos tamen inde scatentes abire non sineret, sed ad carnis foramina revocaret, ad gloriosiorem de diabolo hoste victoriam atque nobilius erigendum de inimico gloriæ suæ vexillum. « Quid? inquit, lib. *De Patientia*, cap. XIV, ridebat Deus! Quid? dissecabatur malus cum Job immundam ulceris sui redundantiam magna æquanimitate distringeret, cum erumpentes bestiolas inde in eosdem specus et pastus foraminosæ carnis ludendo revocaret; » nimirum *testa ipsa*, qua, quod S. Chrysostomus et Gregorius hic ex loco Pauli notant, II *Cor.* cap. IV, vers. 7, « thesaurum (suum) in vase fictili » seu testaceo velut asservabat. Simili quid de vermibus ex ulcere scaturientibus, et magno in pretio habitis, seu instar thesauri asservatis, refert Pamelius de S. Francisco ad dictum Tertulliani locum; et in *Vita S. Dominici* Ferdinandus del Castillo, Surius et Petrus Ribadeneira, aliique de piissima femina cancro ad mammas infestissimo laborante, et nihilhominus vermes, quibus scatebat, in ulcere nutriente; a qua cum S. Dominicus vermiculum ex iis unum expostulasset, dedit illa quidem non dono, sed mutuo, moxque repetiit; qui cum in manu sanctissimi Patris versus esset in gemmam pretiosissimam, mox fuit in ulcere reversus in vermem. Quo sane ostensum, quam pati pro Domino pretiosum sit.

Ad septimam. Variæ sententiæ.

Ad septimam denique quæstionem, quanto scilicet tempore Jobus in sterquilinio sederit, varii varie respondent, tempusque illud, prout diversis conjecturis aut congruentiis nituntur, vel producunt, vel contrahunt. Ego in re incerta nil certi statuendum judico; quare aliorum sententiis in medium prolatis, quam ex iis probabiliorem existimem, indicabo.

Prima.

Ac *prima* quidem est Suidæ apud Genebrardum, lib. I *Chronologiæ*, censentis Jobum integrum septennium in sterquilinio exegisse; quam sententiam Græci aliqui Patres in *Catena* sequuntur.

Secunda.

Secunda est quorumdam apud Origenem, lib. II *in Job*, credentium tempus illud tribus annis cum dimidio durasse in typum Dominicæ prædicationis.

Tertia.

Tertia est Sederis Olam apud Genebrardum paulo ante citatum, lib. I *Chronologiæ*, dicentis Jobum uno duntaxat anno in sterquilinio consedisse.

Quarta et probabilior.

Quarta denique, quæ mihi probabilior videtur, est ipsiusmet Origenis sententia, docentis Jobum per aliquot duntaxat, v. g. tres cum dimidio, aut ad summum quatuor menses in sterquilinio fuisse commoratum; idque probat ipsiusmet Jobi testimonio dicentis : « Menses vacuos numeravi mihi, » cap. VII, 3, dicturi haud dubie annos, si per annos ejus tribulatio durasset. Nam sicut de mensibus non siluit Job, sic utique a fortiori nec de annis siluisset, si annos sustinuisset; nunc vero quia non annos sustinuit, sed menses, merito sane annos non memorat, menses autem nominat dicens, ut Septuaginta legunt, ὑπέμεινα μῆνας κενούς, *sustinui menses vacuos*. Hujus autem sententiæ congruam rationem reddens ait : « Cur enim benedictus Deus diutius esset pernecaturus justum illum, cum sufficeret brevissimum tempus ad superandum malignissimum diabolum? Non enim hoc delectabatur Deus, ut Job torqueretur, sed hoc potius, ut diabolus convinceretur, et beatus Job justus comprobaretur. Nihil ergo aliud exspectavit Deus nisi hoc solum, quando diabolus universam suam iniquitatem perficeret, et quando Job universam tolerantiam suam adimpleret, ut inexcusabiliter convinceretur diabolus, et justus vere appareret Job. Hoc nimirum non diuturno annorum spatio, sed brevissimo mensium tempore irrefutabiliter consummatum est. » Ita Origenes, qui ibidem acute annotat paucos illos menses, quibus afflictio ista duravit, longissimo etiam tempori jure merito æquiparari, satione scilicet dolorum tam ingentium, in quibus dum versamur, breve etiam tempus longissimum reputatur. Etenim si ad proximum aliquem locum quempiam tardigradum famulum miserimus, nisi confestim domum redierit, sciscitari solemus, ubinam gentium tanto tempore moratus sit, unicam etiam horam hoc loquendi modo longum tempus appellantes; quanto magis trium et amplius mensium spatium, in tot ulceribus, doloribus et plagis a Jobo transactum, sane prolixum et longum dici merito possit ac debeat!

Plena a beato Job de diabolo reportata victoria.

Hic addi possit etiam alia congruentia consideratione digna, quod nimirum Jobi carnes tot vermibus ex ulceribus ejus jugiter fluentibus, et eas assidua corrosione depascentibus, in pabulum minime ad tot annos sufficere potuisse videantur, præterquam quod tres amici ad finem usque afflictionis ac certaminis, cap. XLII, Jobo adfuisse insinuentur; qui sane cum reges essent, haudquaquam multis annis a regnis et provinciis suis abesse potuissent. Toto autem tempore, quo hæc afflictio durabat, summa constantia Job mansit residens in sterquilinio, nec locum suum deseruisse, aut inimici insultus reformidasse aut declinasse ullo modo videretur. Qua fortissimi athletæ constantia et magnanimitate ita diaboli conatus omnis fractus et dissipatus est, ut prior ipse campo excedere coactus, ac de victoria desperans Jobum plane dereliquerit, nec contra ipsum quidquam a Deo amplius petere sit ausus. Mirandum sane quod sciat aliquando fera bestia quiescere. Cur, o diabole, amplius non instas? cur non magis adhuc urges percussum? cur dolores non iteras et exacerbas? cur ampliorem permissionem atque nocendi facultatem non flagitas? Quia nimirum invictissimus athleta tormentis minime cedebat, sed majores ab iis animos sumebat, et quidlibet adhuc sustinere paratus erat. Dummodo quispiam in hac vita tribulationes

æquo animo aliquantisper sustineat, brevi tempore omnia rabidissimorum etiam inimicorum tela evacuantur ac penitus exhauriuntur, quemadmodum Origenes, lib. II *in Job*, eleganter ad hunc locum declaravit dicens : « Cum in istis ergo perseveraret Job, nequissimus diabolus obstupuit, expavit, desperavit, dicens : Ubi est præsumptio mea? ubi est audacia? omnem sollicitudinem exercui, et in Job nihil feci, omnes sagittas nequissimæ pharetræ meæ evacuavi. » Dum justus in sustinendo perseverat, quam cito temporalium omnium malorum pharetræ evacuantur et exhauriuntur! Recte Chrysostomus in *Catena* sic accinit : « Clarus hic et insignis victor impetum omnem mira virtute sustinuit, inopia, fame, morbo, cruciatu, liberorum nece, amicis, inimicis, uxore, servis in eum irruentibus. Nulla demum humanæ miseriæ fuit ærumna, quæ non sit in ejus corpore exhausta. » Cernin' ut Jobus omnem inimici impetum generose sustinendo fregerit, atque omnes ejus nocendi artes eluserit, atque ignita tormentorum jacula, quæ imbris instar in ipsum ingruebant, infracto animo exceperit, et totam diaboli pharetram evacuarit? Temporalia certe tormenta, et perituroram detrimenta bonorum, quæ in hac vita nobis accidere possunt, haudquaquam viro cordato metuenda. Quid enim timeas labores ac dolores illos, quos si paululum sustineas, prorsus evacuas? Cavendi potius ac formidandi labores futuri sæculi, qui nunquam exhauriuntur, nunquam evacuantur, juxta illud Psalmistæ : « Calix in manu Domini vini meri plenus mixto; et inclinavit ex hoc in hoc; verumtamen fæx ejus non est exinanita, » *Psal.* LXXIV, 9. Videtur quidem primo impetu Deus totum iræ suæ vas in reprobos quodammodo inclinare totumque simul effundere; attamen nunquam exhaurietur, nunquam evacuabitur. In præsenti sæculo nullum quantumvis grave malum non evacuatur sustinenti, at in futuro nihil pœnarum damnato minuitur, quemadmodum fatidico ore Isaias, cap. LXVI, 24, clamat dicens : « Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur; et erunt usque ad satietatem visionis omni carni. » Quem locum eleganter expendit divus Cyprianus, felicitatem eorum qui temporalia et brevi exhaurienda in hoc sæculo tormenta sustinent, cum miseria illorum qui in futuro sempiterna reproborum supplicia subituri sunt, conferens, et ad Demetrianum ita scribens : « Servabuntur cum corporibus suis animæ infinitis cruciatibus ad dolorem. Spectabitur illic a nobis semper qui hic nos spectavit ad tempus; et in persecutionibus factis oculorum crudelium brevis fructus perpetua visione pensabitur. *Vermis enim eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur*; et erunt ad visionem universæ carni. » Unde patet quam diversæ sint temporales nostræ, quas hic patimur miseriæ, ab æternis illis quibus reprobi cruciantur; nostræ enim exhauriuntur, illorum sempiternæ sunt, nec unquam minuuntur; nos ad breve tempus hic in mundo pressuram sustinemus, illi semper sub durissimo diaboli flagello gemunt. Felices igitur, et ter felices, qui hic cum beato Jobo temporales ad modicum tempus afflictiones sustinent in patientia, ut sic miseriam evadant sempiternam, atque immarcessibilem sibi comparent æternæ gloriæ coronam!

Non præsentis, sed futuri sæculi metuenda tormenta.

9. DIXIT AUTEM ILLI UXOR SUA : ADHUC TU PERMANES IN SIMPLICITATE TUA? BENEDIC DEO, ET MORERE.— Hæc multo fusius et enucleatius ita transferunt Septuaginta : *Tempore autem multo transacto, dixit ei uxor ejus : Quousque sustinebis, dicens : Ecce permaneo tempus adhuc parvum exspectans spem salutis meæ? Ecce enim deletum est memoriale tuum de terra, filii et filiæ, mei uteri dolores et labores, quos in vacuum laborari cum ærumnis; tu vero ipse in putredine vermium sedes pernoctans sub dio, et ego errans et ancilla locum ex loco, et domum e domo, exspectans solem, quando occidet, ut requiescam in ærumnis et doloribus qui me nunc premunt. Sed dicito aliquod verbum in Dominum, et morere* (1). Vox mulieris, non viri, quia, teste Aristotele, lib. IX *Hist. Animalium*, semper amplius ad desperationem prompta, impatienter calamitates ferat : « Mulier, inquit, magis invida et querula, et maledicentior et mordacior; propterea anxia et desperans magis quam mas, atque imprudentior, et mendacior, et facilior decipi, meminisseque aptior. » Sed expendendum quod hæc non tantum ex Jobi calamitatibus, quantum ex diuturnitate earum ac longanimitate speque sancti commota; quod præ se ferunt verba illa : « Adhuc tu permanes, » hoc est, etsi exspectans te delusum videas, « adhuc permanes in simplicitate, » hoc est, in innocentia tua. Unde Chrysostomus, homil. 3 *De Job* : « Quousque sedens exspectas de die in diem salutem tuam? » Ob quod uti fatua suasit ut benediceret, hoc est malediceret Deum, et moreretur. Ubi notandum quod, etsi in adversis laudanda sit sufferentia ac patientia, tamen amplius spes firma ac patiens longanimitas in Deo, semper de illo sperans, nunquam diffidens, etsi tardet moramque fecerit, cum non sic Deus in adversis ex patientia honoretur quantum ex spe in ipsum firma et longanimi. Ex quo sequitur non sic dæmoni sufferentiam Jobi displicuisse, quantum spem in Deo firmam. Unde quod per mulierem indoluit non tantum patientia fuit, quantum spes ejus firma evadendi; quam pertæsa mulier, beneficiorum Dei immemor, tanquam animi pusilli et vere muliebris, ex impatientia stulta viro suadens hæc dixit.

Vers. 9.

Invicta et miranda in Deum Jobi fiducia.

(1) Additamenta hæc leguntur in Patribus Græcis, uti et in codicibus quibusdam Bibliorum Latinis, atque in manuscriptis omnibus Septuaginta Nobilii : dempta sunt ab editione Complutensi, ut cum Vulgata melius congrueret. Hæc tamen haberi aliter non possunt, quam ut glossema a librariis additum, adeoque auctoritate penitus carens. (Calmet.)

http://www.obrascatolicas.com

Quænam fuerit uxor Jobi?

Hic a multis quæri solet *primo*, quænam fuerit hæc uxor Jobi? Atque aliqui quidem cum Judæis, Philone et Paraphraste Chaldæo censent fuisse Dinam, patriarchæ Jacob filiam. Sed hanc sententiam ut minus solidam merito rejicit noster Sanctius, qui probabiliorem putat illam quæ tradit Arabissam fuisse, cum Septuaginta inferius capite ultimo in libri hujus appendice, tradant Jobum ex Arabissa filium suscepisse, cui nomen Emmon. An vero eadem hæc fuerit quæ Jobo audacius insultat, incertum puto; quandoquidem eum pro temporis illius consuetudine plures uxores habuisse par est; an item hæc eadem sit, ex qua post suam in pristinum statum restitutionem filios et filias complures suscepisse in libri hujus fine memoratur, æque incertum censet Pineda. Sed hoc suo loco examinabimus.

Cur dæmon liberis Jobi solam uxorem superstitem esse voluerit?

Secundo, quæri solet, cur dæmon occisis filiis ac filiabus solam uxorem esse superstitem voluerit? Et communis Patrum et interpretum sensus est, id diabolico astu factum fuisse, ut si forte tormentis et afflictionibus superare nequivisset, sicut Adamum per Evam, sic per uxorem Jobum seduceret, per quam obtinere se posse credebat quod per alios modos longe gravissimos obtinere non potuit; norat enim quid posset in viros uxorum indulgentia mollior, et longa atque intima vitæ ac thalami consuetudo. Quamobrem ad invictam Jobi constantiam labefactandam non invenit convenientius telum lingua uxoris, uti pulchre D. Basilius in orat. *De patientia* ostendit, dicens: « Cum hosti nihil jam relinqueretur quod deinde faceret, ad veteres suas insidias descendit, uxorisque illius mentem ad insanam ac nefandam sententiam adducens, illius opera athletam frangere conabatur; ac sane illa quidem longo dolore renuntians, capite in terram demisso, justo adstabat, manus ob ea quæ intuebatur concutiens, et pietatis fructus illi exprobrans. Recensebat præterea veterem illam abundantiam rerum omnium, præsentia vero mala ostendebat, ac qualem ex qualibus adeptus esset vitam, et cujusnam modi pro multis sacrificiis ac victimis mercedem a Domino accepisset. Idem eadem ipsi inculcabat. Usurpabat autem semper verba animi parvi ac demissi plena, atque simul talia, quæ et virum fortem commovere et animum quamvis generosum inflectere possent. Errabunda et serva vagor, dicebat; regina servitutem servio, et ad servorum meorum manus respicere coacta sum; quæ quondam multos benigne nutrivi, nunc ipsa ex alienis nutrior. Ac sane, inquiebat illa, longe honestius et convenientius esset, si teipsum a medio tolleres, gladium iræ Creatoris acuendo, quam res adversas æquo animo sustinendo, molestiam et tibi et cunjugi proferres. » Hactenus Basilius. Et eodem ferme modo Chrysostomus et Origenes de illa loquuntur, quasi per sarcasmum acerbissimum Jobo insultaverit dicens: I, nunc, servi Deo, et benedic et lauda eum tam tibi amicum, ut te jam jamque morte puniturus sit, aut certe non nisi ad miserias majores inferendas vitam prorogaturus videatur. Simili prorsus ratione ac modo diabolus afflictum Tobiæ animum per aculeatam uxoris exprobrationem ad desperationem inducere conatus fuit. Postquam enim Tobias ad extremæ paupertatis ærumnam, Deo disponente, devenerat, postquam oculorum lumen amiserat, quia illum malignus spiritus vidit quidem corporeo lumine destitutum, sed divino intus splendore coruscantem, foris vacuum, intrinsecus Deo plenum, ad solita arma cucurrit, et uxoris linguam ad inferendum vehementissimæ objurgationis opprobrium concitavit, quæ dixit: « Vere vana facta est spes tua, et eleemosynæ tuæ modo apparuerunt, » *Tob.* II, 22.

Verum longe aliud videtur fuisse Luciani martyris de probitate ac prudentia uxoris Jobi testimonium, dicentis Jobum imitatum fuisse Abrahamum, et liberos atque uxorem docuisse, ut in Deum religionem et inter se justitiam colerent et exercerent, adeo ut nihil bona ista familia religiosius nihilque amabilius excogitari posse videretur. Quare illa verba uxoris, « benedic Deo, et morere, » quæ passim interpretes exponunt infandum esse consilium, quo ipsa volebat ut contumeliosissime Deo insultaret, alio prorsus modo intelligebat atque explicabat; neque enim probabile videri censebat nobilissimam illam matronam, quæ tot annos eo præceptore usa fuisset, in palæstra omnium virtutum et laudabilium officiorum repente sui et omnium oblitam, in eam fœdam impietatem et horribile scelus incidisse. Quare sensum illius dicti S. Lucianus hunc volebat, quasi diceret: Vides, o chare marite, te mecum bonis omnibus spoliatum, greges abactos, palatia cum supellectili incensa, liberos internecione deletos, nosque affligi inconsolabili calamitate, nec quidquam esse ob quod diutius in vita esse velimus; roga igitur Deum, ut accelerata morte nos probro, infortunio et non ferenda hac animi et corporis vexatione liberet. Et quidem illa verba, « benedic Deo, et morere, » si primigeniam linguam attendamus, eo sensu capi possunt. Nam vox Hebræa ברך *berech* non tantum significat *benedicere*, verum etiam *precari*, ut notat Vatablus, qui locum hunc ita vertit: *Supplica Deo ut moriaris*. Quæ explicatio ingeniosa quidem, sed minime legitima videtur, quia alioquin haudquaquam uxor a Jobo tam acrem merita fuisset reprehensionem quæ sequitur.

Vers. 10.

10. QUI AIT AD ILLAM: QUASI UNA DE STULTIS MULIERIBUS LOCUTA ES; SI BONA SUSCEPIMUS DE MANU DEI, MALA QUARE NON SUSCIPIAMUS? IN OMNIBUS HIS NON PECCAVIT JOB LABIIS SUIS. — Septuaginta Jobi hæc dicentis gestum indignabundum graphice expresserunt, cum aiunt: Ὁ δὲ ἐμβλέψας, εἶπεν αὐτῇ: *Ille vero inspiciens, dixit ei*, etc. Quem respectum omnino torvum fuisse significant D. Basilius et D. Chrysostomus in *Catena Græca*: « Cum, inquiunt, ea

Jobi zelus in vindicandis Dei juribus.

verba stomachum Jobo movissent, pleno iracundiæ vultu trucique aspectu ad uxorem convertitur. » Addit D. Chrysostomus, homil. 5 *in Job*: « Ante vocem ab ipso prospectu machinamenta repulit, leone truculentior factus, furore plenus et iracundia. » Ubi vides vocis reprehensioni torvitatem totius oris præmittendam esse, imo et solam reprehendentis tristitiam aliquando sufficere, ut ii quorum reprehenduntur vitia, emendentur. Sicut igitur Job sanctissime patiens, ita et sanctissime impatiens fuit, nam ad pœnas impulsus sanctissime tolerabat, et ad peccata provocatus sanctissime resistebat; et qui flagellatus a dæmone patientissime obmutuit, tentatus ab uxore impatientissime, ut ita loquar, exclamavit: « Quasi una de stultis multis mulieribus locuta es. » Ubi Lyranus: « Vir sanctus, inquit, quamvis afflictiones proprias patienter sustinuerit, tamen injuriam Dei absque reprehensione sustinere non potuit, quia injuriæ propriæ sunt tolerandæ, divinæ autem vindicandæ. » Bene notat ad hunc locum Sanctius noster istam, licet acerbam, simul tamen etiam modestam esse Jobi reprehensionem, qua ita impiam illam uxoris παῤῥησίαν seu loquendi libertatem carpit, ut simul religiosos ejus mores, et superioris vitæ honestatem modestiamque insinuet ac tacite quodammodo commendet. Haudquaquam enim ipsam absolute stultam, scelestam, impiam appellat, sed quasi unam de stultis mulieribus locutam dicit, quippe quæ in eo sermone stultarum mulierum mores imitata sit, et quasi a semetipsa deficiens, ad alienos mores, ingeniumque transierit, quemadmodum S. Chrysostomus in *Catena Græca* non obscure insinuat, dum sic Jobum ad eam his verbis loquentem introducit, ac si dicat: « Nihil te, nihil institutione disciplinaque dignum attulisti. » Quas porro hic stultas mulieres, quarum Jobi uxor orationem imitata sit, intelligat, non est difficile conjectare. S. Chrysostomus, loco jam in *Catena* citato, putat Evam hic stultitiæ insimulatam ac notatam esse, quippe quæ antiqui instinctu serpentis decepta virum una secum ad prævaricandum pellexerit, et e paradiso vitaque beata in ærumnarum et miseriarum voraginem pertraxerit immerseritque. Verum Pineda noster Sanctiusque textui conformius non ad unam duntaxat Evam hanc similitudinis particulam contrahendam, sed ad omnes potius insanas feminas extendendam censent, in quibus scilicet parum est mentis, parum pietatis ac pudoris; quapropter facile vel odio vel amore, aut etiam fastidio ac dolore graviter exorbitant, et in dicta factaque impia temere prorumpunt. Præcipue autem Jobus ad Idumæas mulieres tanquam sibi notissimas respexisse videtur, utpote ad omne scelus et flagitium propensas, atque in omnem audaciam projectas; quibus id cum cæteris fere gentilibus commune fuit, ut deos suos, quando iis parum propitiis usæ fuissent, male exciperent, et conviciis contumeliisque afficerent, aut etiam verberibus plagisque operirent. Ait igitur Jobus uxori procaciter sibi pietatem exprobranti, et ad convicia in Deum congerenda proritanti, religiosos ipsam mores, quibus enutrita fuerat, penitus exuisse, ac pro iis barbaram et gentilem impietatem assumpsisse visam.

Quasnam mulieres Jobi mori imitata fuerit?

Pulchre autem hoc loco Pineda noster expendit vocem *stulti*, tresque adfert illius acceptiones, omnes ad rem satis: *primam*, ut idem sit stultus quod in Hebræo *Nabal*, id est, « quod vi, vita, humore, sapore, sapientia destitutum est, quod languet atque marcescit, et veluti aridum folium decidit; » hinc rectissime infert quod sicut Nabal « secundum nomen suum stultus dicebatur, » I *Reg.* XXV, 25, quia cum tanta bona a Davide accepisset, sic abjecti, sic vilis exstitit animi, sic consilii inops, ut nec parvam benefactori gratiam rependerit: sic a Deo tantum bona sperare, mala nolle accipere, et ad Dei servitutem accedere quasi semper ad epulas invitatum et ad gaudia, hoc summæ esse stultitiæ, abjecti animi, nulliusque consilii, ac prorsus esse hominis vi, vita, humore, sapore ac sapientia destituti.

Tres vocis *stulti* acceptiones. Prima.

Secundo, nomen *stulti* in Scripturis accommodatur ei qui abjecte de Deo sentiens, ipsum non agnoscit, neque veram colit religionem; unde illud *Deuteronomii*: « Populo stulte et insipiens, » *Deuter.* XXXII, 6. Et Paulus vocat « gentem insipientem » idololatras, *Rom.* X, 19. Eodem spectat illud Davidis: « Populus insipiens incitavit, » id est blasphemavit, contempsit, « nomen tuum, » *Psal.* LXXIII, 18. Ex quo infertur eum qui a Deo tantum bona vult, et non mala, qui illi benedicit quando prospera largitur, maledicit quando adversa immittit, sic de Deo sentire sicut de idolis barbaræ nationes, quæ illa verberant ac contumeliis afficiunt, si quando infausta eis accidunt. Unde merito tales non christiani, sed insipientes, stulti, hoc est, fere idololatræ dici possunt.

Secunda.

Tertio, tandem *stultitiæ* nomen ad insigne facinus contra publicam honestatem adaptatur homine cordato indignum, uti de præpostera libidine in libro *Judic.* XIX, 23, dixit ille: « Nolite facere malum hoc, et cessate ab hac stultitia. » Quid ergo? ut dicam quod sentio; tantum bona et nulla mala a Deo exspectare, et cum eveniunt, murmurare, bonitatem virtutis ex prosperitate pensitare, judicium est præposterum, et præposteræ libidinis nomen meretur, atque homine facinus indignum. Unde non immerito Job, qui tot ærumnas et calamitates plagasque sibi a diabolo irrogatas æquissimo animo sustinuerat, insolentem hanc insultantis sibi uxoris procacitatem ferre non potuit, quin acriter illam increparet, ac manifestæ in Deum impietatis argueret. Nihil enim virum justum magis commovere, aut ad indignationem provocare solet, quam si ab ipso quidpiam quod Deo contrarium sit postuletur. Postquam ergo uxoris insipientiam acri, uti par erat, reprehen-

Tertia.

http://www.obrascatolicas.com

sione castigasset, aptam quoque illi medicinam opportune adhibuit dicens :

Mira Jobi erga Deum religio.

SI BONA SUSCEPIMUS DE MANU DEI, MALA QUARE NON SUSCIPIAMUS? — Ubi notanda est vis illativa in voce *Dei*, *q. d.* Non a cujuslibet manu bona suscepimus, sed a manu Dei, qui nulli debet, qui gratis dedit, qui bonus est, et bonum quodcumque vult; ergo cur non similiter mala? Quod equidem acutissime observavit Chrysostomus, hom. 3 *in Job*, tom. I, perpendens mala sic sustinuisse Jobum, ut nunquam ad præmium, sed tantum ad Deum respexerit, a quo omnia : unde tota ejus sustinentiæ ratio, animus, robur, non a præmio, non a corona, non a fructu, sed tantum quia a Domino mala. « Non novit » (inquit Chrysostomus, id est non attendit, non reflexit) se pro patientia coronandum, sed existimavit esse tantummodo calamitatem a Deo illatam. » Nil subtilius nihilque de Jobo excellentius dici potuit : tam alte enim tamque profunde de Deo sentiebat, ut ad tanta tantaque mala sufferenda non aliam necessariam æstimaret rationem, nisi quod Deus ea immisisset; sic supremum ejus recognoscens dominium, ut simul et in eo summam bonitatem; sic ut summa sit justitiæ et æquitatis ratio quod ipse fecit. Deus flagellat, sufficit : æquanimiter ferendum, quia Deus est, hæc summa. Quid rationes flagelli inquiris, si ob peccata, si ob demerita, si ob probationem, si multa, si parva, si maxima, si ingentia, si ut pater, si ut judex, in ultimos ex his dejicies te et inextricabiles labyrinthos? Vis quiescere? Dic : Deus flagellat, sufficit. Quare mala de manu Domini non suscipiamus? Ex eadem quippe manu sanitas et infirmitas, divitiæ et paupertas, mors et vita in manu Domini; quare solam sanitatem, divitias, vitam, et non infirmitatem, paupertatem, mortem suscipiamus? Illa placebant, quia ex manu Dei : hæc quare non placeant? Illa corpori, hæc animæ serviunt : quare ergo non suscipiamus? Inter amicos et mercatores quovis tempore negotia communia. Si cum bene res agebantur societas perdurabat; nunc quando res in transversum abire incipiunt, « quare non sustineamus? » Digna sane Jobo sententia, et ad animum, quem dura vexatio aut fortunarum honorisque jactura, conturbat, componendum potentissima; quam eleganter expendit et amplificat D. Basilius, orat. 2 *De patientia*, ubi Jobum sic ad uxorem verba facientem, et ad veram rebus in adversis philosophiam cohortantem introducit : « Veniant tibi in mentem illa bona quibus primum cumulata eras; perpende meliora cum deterioribus, et reperies nullius hominis vitam omni ex parte beatam esse; semper enim fortunatam esse solius Dei est : sed tu si ex rebus præsentibus dolorem percipis, ex præteritis consolationem pete; nunc lacrymas profundis, et tunc risum edebas; nunc inopem vitam agis, et prius deliciis affluebas : clarum vitæ laticem bibisti, nunc turbidum bibens bono animo esto. Nam neque fluminum cursus perpetuo clari apparent; vita autem nostra, ut scis, veluti flumen quoddam est perpetuo fluens, et undis vicissim succedentibus refertum; cujus una pars jam præterfluxit, altera vero in cursu est, alia jam de fontibus manat, alia vero post fluet; et universi ad commune mortis mare festinamus. Si bona suscepimus a Domino, mala cur non sustinebimus? Num cogemus judicem ejusdem generis res nobis perpetuo suppeditare? Num credimus Dominum nescire, quomodo vitam nostram gubernare debeat? Ipse suarum sententiarum potestatem habet : quomodo vult res nostras regit : sapiens autem est, et quod ex usu est servis suis suppeditat. » Hæc eadem in *Catena Græca* Comitoli nostri tribuuntur Chrysostomo, qui, homilia unica *De B. Job*, illa ipsa ejus verba expendens : « Attende, inquit, verba foris putrescentis, intus integri; » et statim illum loquentem introducens : « Pater, inquit, numquid amandus est blandiens, et respuendus corripiens? Nonne ipse est Pater et imponens disciplinam? » Deus æque Pater est, et æque bonus ac liberalis Pater est cum negat, et cum annuit; cum recreat, et cum flagellat; cum vulnerat, et cum sanat : sive blandus, sive serius sit, Pater est, nec amantissimam in nos voluntatem mutat. Eadem Dei voluntas est, quæ mulcet, et quæ pungit; quæ muneratur, et quæ punit : eadem est quæ morbum et sanitatem, quæ opes et paupertatem, quæ gloriam et ignominiam immittit. Placet prior illa mitis et benevola, hilaris et benigna? placeat et hæc altera, tristis et adstricta, acris et austera, eadem prorsus est cum priori. Salutaris sane admonitio, atque in rebus asperis opportuna, uti et illa quam a medici similitudine trahit idem S. Pater in *Psal.* cap. CXLVIII, ita scribens : « Quemadmodum medicum non solum nutrientem, sed etiam fame excruciantem; non solum ungentem, sed etiam urentem et secantem observamus, ita etiam oportet Deum laudare pro omnibus. » Audin' quisquis rebus in adversis animo es tam dejecto et in muliebres querimonias effuso? Lauda Deum tuum etiam dum secat et urit. Quid dum ureris, dum secaris, querelas evomis, et blasphema impius in Deum verba effundis? Ungit nos rebus prosperis, urit et secat adversis. Utrumque a medico est, pro utroque pariter eum lauda. Quid? quod tribulatio ipsa, si animo philosophico sis, eaque probe uti noris, unctionis tibi loco esse possit, qua rebus in adversis velut fortis ac generosus athleta exemplo Jobi ad patientiam ungaris. Quo spectat illud ejusdem S. Patris, homil. 66 *ad populum Antiochenum*, sic perorantis : « Fastum, inquit, contrahit, et omnem exscindit torporem tribulatio, et ad patientiam ungit, et humanarum rerum vilitatem revelat, et multam introducit sapientiam. » Quis prudens oleum istud rejiciat, quo fortior evadit? Similia quoque habet homil. 26 *in epist.* II *ad Corinth.*, ubi de afflictione loquens, ait eam

Adversa æque ac prospera de manu Dei obsequenti animo suscipienda.

fastum amputare, et segnitiem omnem exscindere, atque ad patientiam instruere ac veluti inungere.

Falluntur itaque gravissime qui afflictionibus oppressi, quod impatientiæ signa exhibeant, quod domos clamoribus et femineo ejulatu repleant, quod in Deum hominesque maledicta eructent, totum ab afflictione et tribulationibus provenire existimant, cum id vere a pusilli et effeminati animi infirmitate proficiscatur; in quam omnis culpa hujuscemodi rejicienda est, non in afflictionem; quæ quantum est ex se et divina destinatione magis nutrit, fovet et amplificat, quam enervet, deterat aut exstinguat patientiam, ad quam si non inungat, nonnisi ab imbecillæ mentis vitio et angustia provenit. Gaudet enim patientia duris; « et virtus in infirmitate perficitur, » II *Cor.* XII, 9. Cum igitur vides Deum vulnera nostra develare et tribulationibus bonorumque spoliatione quodammodo explicare atque exquirere, certum et evidens omnino signum est, ipsum de medela cogitare, et tanquam peritum medicum aut chirurgum plagas nostras sanare velle : ut enim illas curet, prius discooperiat et explicet necesse est, id quod flagellis ac adversitatibus facit, quas omnes ad animi nostri medelam dirigit. Quare cum S. Jobo in adversis non minus quam in prosperis, et dum pungit æque ac dum ungit, Deo gratias agere debemus : siquidem utrumque ad salutem nostram facit; idcirco enim tribulationibus nos exercet, quia hoc expedit nobis, et vitam nostram, ne vel otio torpescat, aut desperatione dispereat, modo prosperitatis, modo adversitatis salubri vicissitudine ac varietate dispensat. Quin imo temporalia hujus vitæ flagella longe certius esse divinæ electionis argumentum, majusque ad salutem nostram procurandam momentum habere, non solum e medicæ artis principiis, sed ex animalium quoque tractatione, et a stirpium arborumque educatione petita similitudine luculenter ostendit S. Petrus Damianus, lib. VIII, *epist.* 6, ita scribens : « Laudanda divina dispensatio, quæ ad hoc suos temporaliter verberat, ut a perpetuis eos flagellis abscondat; ad hoc premit, ut elevet; ad hoc secat, ut sanet; ad hoc dejicit, ut exaltet. Qui enim bona agit, et mala suscipit; quidquid sibi justæ retributionis in terra subtrahitur, hoc illi de cœlo multiplicius cumulatur. Porro autem medici corporum quos desperant ad percipienda passim quæque petierint alimenta relaxant; at quos erigendos esse conjiciunt cuncta eis noxiæ delectationis edulia minaciter interdicunt : antidota insuper et amara propinant, ut per amaritudinis haustum ad incolumitatis dulcedinem convalescant. Quid ergo mirum, si medicus animarum omnipotens Deus et quos perpetuæ morti cernit obnoxios vivere delectabiliter sinat, et quos ad vitam elegit, sub districta severitatis suæ lege constringat? Nam et animalia, quæ in proximo mactanda disponimus, indulgentius victitare permittimus, et largiora illis alimenta præbemus; illorum vero penuriam et maciem parvipendimus, quæ ad usum seminis, et ad propagandam sobolem reservamus. Vites quoque et quæque fecundæ arbores putationibus jacent; steriles autem, et quæ ignibus sunt tradendæ, ramis evagantibus quo liberius eo diffusius patent. Noli itaque hujus vitæ felicitatem pravis hominibus invidere, sed condole : imo quia ipsi non dolent potius ingemisce. Qui nimirum velut bruta animalia ad macellum edendo properant, ad gladium lasciviendo festinant. De tuis autem pressuris atque molestiis gaude, et totis in Domino visceribus gratulare; quia qui nunc, ut ita fatear, pœnarum inanium levitate deprimeris, remunerandus postmodum pretiosa auri pondera reportabis. » Sic ille.

Hortatio ad patientiam.

Quis edisserat quantis Deus tribulationibus et anxietatibus, ac modo quidem corporis doloribus, modo vero mentis angoribus animam sibi gratam ac præ reliquis charam affligere consueverit? quæ tamen ipsa istiusmodi afflictiones non iracunde suscipit, non reluctanter admittit, non mœste tolerat, sed leniter, patienter hilariterque sustinet. Quemadmodum scilicet columba a compari suo aliunde deforis veniente atque ipsam zelante rostro forsitan unguibusve lacerata nequaquam irascitur aut indignatur, sed pacata silet ac suffert, atque hac ipsa sua mansuetudine et sustinentia manifeste probat se in comparem nihil deliquisse, neque maritalem unquam torum violasse; ita quoque pia anima Dei sponsa correptionem Domini patienter sustinens, et crucem ejus amanter excipiens, palam indicat se sponso suo fidelem esse, illumque solum amare didicisse; quippe quæ non tunc tantum, cum dona recipit, verum etiam cum flagellis livet, tum vel maxime amore viget et charitate crescit, atque ab intima fiducia et familiaritate Dei minime discedit. Si ergo ad instar Jobi tentet te Dominus, ut apud alios tibi nomen justi conciliet, et suo te amore dignum ostendat, ne ab hoste seductus in contrariam partem abeas, et ad injustitiam a justitia deflectas, Jobum imitare, qui a Domino ante tentationem laudatus, et probationis ergo pugnæ expositus, post tentationem quoque Deum veracem prædicat, dum ei æque in adversis ac in prosperis gratias agit, et in utraque fortuna pariter benedicit. Similiter tu quoque fac, et ad tentationem præpara animam tuam, et viriliter sustine, et in adversis non minus quam in prosperis Deo gratias age, ne forte ad pugnam ut Deus in te glorificaretur egressus, in ipso conflictu et tentationis articulo hosti cedens atque succumbens, non Deo gloriam, sed tibi ignominiam et mortem consciscas sempiternam. Quod si igitur tentari te patitur Dominus ut tua peccata puniat, resistas quoque necesse est; quod ni feceris, tentatio ista nequaquam tibi cedet in pris-

http://www.obrascatolicas.com

tinorum satisfactionem delictorum ut pœna, sed magis te fœdabit ut culpa, quoniam balneo te inficis et lotione contaminas, atque pecunia ad solutionem debitorum tibi data nova nomina contrahis, ac novas coemis obligationes. Nonne miserrimus fuit filius ille prodigus qui, accepta paterna substantia quæ ipsi contigerat, luxuriose vivendo illam dilapidavit? Atqui tentatio non minus quam consolatio substantia tua est, qua probe exercitatus ac probatus ac fidelis inventus, virtutem tolerantiæ et perseverantiæ lucrari atque æternum cœli regnum promereri debes; noli ergo illam negligenter prodigere, aut incassum tibi oblatam putare, quod utique facis, cum tentationi succumbis, et adversario tentanti minime resistis. Sin vero Dominus te tentet, ut virtutem tuam illustriorem efficiat, et pro ea tibi ampliorem cœlestis præmii coronam retribuat, cave ne locum tuum deseras, aut certamini te subtrahas, neque ad modicam pugnæ molestiam evitandam, requiem, gaudium et gloriam perpetuo duraturam amittas. Sic Moyses Ægyptiorum divitias contempsit, et Christi improperium illis præposuit, quia aspiciebat in remunerationem. David quoque inclinavit cor suum ad faciendas justificationes Domini propter retributionem. Sic etiam Issachar vidit requiem, quod esset bona, et terram, quod optima, et supposuit humerum suum ad portandum. Pari igitur et tu ratione oculos in æternam remunerationem intende, retributionem aspice, ac requiem tibi promissam contemplare, cujus consideratione excitatus, et super omnia Dei, qui te propter bonum tuum tentationi exposuit, amore succensus, ipsi soli placendi desiderio incitatus, exemplo Jobi fortiter dimica, inimici impetum frange, et in finem usque viriliter sustine, ut te supremus agonotheta fidelem inveniat, et cum S. Jobo in hac vita dono perfectæ virtutis, in alia autem præmio æternitatis afficiat.

Dæmon plene victus.

IN OMNIBUS HIS NON PECCAVIT JOB LABIIS SUIS. — Cum hæc eadem verba superiori capite, vers. 22, explicata fuerint, hic tantum observa non absque gravi ratione iterum hoc loco illa repeti atque inculcari. Nam si recte expendatur signum, ex quo diabolus se fictam Jobi sanctitatem, et mercenarium animum manifeste deprehensurum ac palam omnibus demonstraturum receperat, in solis illud verbis impatientiæ consistebat, quæ si vel semel a sancto viro dæmon extorsisset, procul dubio tanquam Jobi victor ipsimet Deo gloriabundus insultasset. Ut enim amplissimas Jobi laudes, quas ante primam luctam a Deo audiverat, obfuscaret, earumdem an vere Jobo competerent, periculum fieri postulaverat dicens: « Tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi, » cap. I, 11, ac si Deo diceret : Tu quidem Jobum esse justum ac sanctum prædicas, at ego e contra minime veram ac sinceram, sed fictam ac mercenariam istiusmodi sanctitatem esse contendo, quæ in prosperis duntaxat se prodit, et in adversis non subsistit. Talem autem Jobi, quam tantopere laudas, sanctitatem esse, liquido constabit ex verbis quæ in adversitate prolaturus est, nam vix eum tanges, quin confestim verba blasphemiæ atque impatientiæ eructaturus sit. Trutina itaque, ad quam Jobi virtutem expendi dæmon voluit, non fuit alia quam verborum ejus in tribulatione, quam Deus adeo justam judicavit, ut ad veram servi sui sanctitatem manifestandam, quasi ex condicto amplissimam dæmoni omnes Jobi facultates dissipandi licentiam concesserit, asserens ne vel sic Jobum aliquod impatientiæ verbulum prolaturum. Cum igitur in primo illo conflictu victoria pro Jobo ac Deo stetisset, scriptor sacer illico subjunxit : « In omnibus his non peccavit Job labiis suis. » Quæ verba ob eamdem causam denuo post secundam pugnam jure merito iteravit, quia nimirum tota victoriæ vis ac laus ex condicto utrinque posita erat in prolatione verborum Jobi tempore afflictionis; quæ si fuissent impatientiæ aut indignationis, omnino fictitia et fucata existimata fuisset Jobi justitia; sin vero, uti accidit, in adversis æque ac in prosperis Dei laudes resonassent, Jobi virtus undequaque perfecta et solidissima censeretur, ac Deus in Jobo victor diaboli proclamaretur. Quod egregie more suo considerans Chrysostomus in homilia quæ inscribitur : *Nemo lœditur nisi a seipso*, ibidemque expendens diabolum sanctissimo viro substantiam omnem abstulisse non tam ut eum pauperem faceret, quam ut aliquod impatientiæ verbulum ab eo extorqueret : « Sciebat, inquit, hunc rerum ordinem diabolus, nempe quod nemo lœditur nisi a seipso ; et ideo cum expetiisset beatum Job, omnem substantiam ejus pessumdedit, non ut eum pauperem faceret, sed ut pro his dolens impium aliquem sermonem proferret in Deum. » Quare non immerito verba patientiæ atque humilitatis ac resignationis in statu tribulationis prolata sunt veluti suprema in virtutis opere manus, atque ultimum coronamentum quo tota perfectionis ratio absolvitur et consummatur, adeo ut si hoc desit, vel ipsummet perfectionis opus futurum sit quodammodo imperfectum. Quemadmodum enim in statua quapiam admodum pulchra atque affabre facta, si postrema opificis manus desideraretur, atque ultima politura inscriptioque deficerent, tota reliqua ejus pulchritudo parum saperet, parumque delectaret, pari modo ac ratione quantavis quispiam sit virtute præditus, summoque in Deum feratur amore, optimisque sit donorum cœlestium ac divinarum habitibus gratiarum exornatus, si tamen in tribulatione constitutus, verbis utatur impatientiæ atque indignationis, erit quidem virtutis, ut Græci Patres vocant, ἄγαλμα, id est *statua*, sed minime absoluta, nec undequaque perfecta, quippe in qua deficiat ac desideretur ultima politura prudensque

inscriptio, scilicet linguæ usus conveniens, id quod optime loco citato S. Chrysostomus annotavit dicens : « Quemadmodum in simulacrorum crepidine statuarumque basi solet inscribi : Hic illeve posuit, ita hoc loco libri auctor, postquam justi simulacrum verbis absolvit, in crepidine hanc verbi inscriptionem reliquit : « In omnibus his non peccavit Job labiis suis. »

Hæc est summa totius belli quod diabolus cum S. Jobo gessit, et ab eo victus campo cessit, omnibus testatum relinquens Jobum æque in adversis atque in prosperis sincerum semper ac fidelem Dei cultorem et amicum exstitisse, et minime mercenariam, sed liberalem omnino pietatem exercuisse; sic autem postremo hoc prælio omnes ejus vires exhaustæ fuerunt, ut eas nunquam amplius adversus Jobum valuerit instaurare, atque ita maledicum ejus os obstructum fuit, ut apud Deum Jobo ultra detrahere non sit ausus. Unde illustris hæc victoria et Deo gloriam et Jobo nomen immortale ac diabolo ignominiam peperit sempiternam.

Vers 11. 11. IGITUR AUDIENTES TRES AMICI JOB OMNE MALUM QUOD ACCIDISSET EI, VENERUNT SINGULI DE LOCO SUO, ELIPHAZ THEMANITES, ET BALDAD SUHITES, ET SOPHAR NAAMATHITES : CONDIXERANT ENIM, UT PARITER VENIENTES VISITARENT EUM, ET CONSOLARENTUR — Tres hos amicos Jobi reges fuisse patet ex textu Septuaginta, qui sic habet : Ἐλιφὰζ ὁ Θαιμανῶν βασιλεύς, Βαλδὰδ ὁ Σαυχέων τύραννος, Σωφὰρ Μιναίων βασιλεύς : *Eliphaz Thæmanorum rex; Baldad Saucheorum tyrannus, Sophar Minæorum rex.* Unde confirmatur Jobum quoque regem exstitisse, nam alioquin illi haudquaquam relicta regali ditione sua ex condicto ad illum consolandum accessissent. Erat sane præstantissimum hoc officium, quod inter se condixerant, ut amicum ærumnis maximis oppressum consolarentur, et simul viro calamitoso summopere necessarium, quandoquidem, ut Socrates aiebat : Τοῖς μὲν νοσοῦσιν ἰατροὺς, τοῖς δὲ ἀτυχοῦσι φίλους δεῖ παρεῖναι : *Infirmis medicos, miseris autem amicos oportet adesse.* Est enim non exiguum miserorum levamentum, cum fidem amicorum et erga se benevolentiam agnoscunt eo præsertim in tempore, cum alia omni consolatione nudi et intimis doloribus afflicti in aliena benignitate conquiescunt. Nulla certe re magis vera cognoscitur amicitia, quam si temporibus iniquis amici adsint, juxta tritum illud apud Ciceronem : « Amicus certius in re incerta cernitur; » illudque Ovidii :

Tempo-ribus adversis probatur vera amicitia.

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Hinc Chilum apud Laertium, lib. I, cap. IV, dicere solebat, promptius ad amicorum adversam fortunam, quam ad res secundas accurrendum; nam rebus prosperis advolant quilibet, etiam minus amici, at qui adsunt, cessante fortuna, hi vere sunt amici. Quamobrem prudenter monet Ecclesiasticus cap. VI, 7 : « Si possides amicum, in tentatione posside eum, et ne facile credas ei teipsum. Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis, » etc. Mirum sane, ac prorsus inusitatum, videre tres reges, propriis ditionibus relictis, ad amicum suum Jobum, bonis omnibus exutum, in afflictissimo illo statu visitandum et consolandum accurrere. Id quod suis momentis expendens et obstupescens Origenes, lib. III *in Job* : « Non erant, inquit, tales beati illi viri quales nunc profecto sunt homines, malevoli, ingrati; quicum bene est cuilibet, tunc illi amici sunt, et sinceri atque puri esse videntur; cum cuilibet tribulatio advenerit, tunc videlicet illi discedunt, et despiciunt, et obliviscuntur. » Qui enim commodi gratia sunt amici, sublata commodi spe, deserunt amicitiam. Sed amicos secundæ res parant, adversæ probant. Unde Tarquinius Superbus jam exsul factus dixisse fertur, se tum demique cognovisse quos habuisset amicos fidos, quos infidos, cum neutris gratiam referre posset. Cum igitur Job in summa sua afflictione a tribus potentissimis amicis fuerit visitatus, videri posset non omnino fuisse bonis omnibus spoliatus; nam, ut Ecclesiasticus ait : « Amico fideli nulla est comparatio : et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. » Unde etiam Socrates, omnium Græcorum sapientissimus, dicere solitus est nullam esse possessionem pretiosiorem vero bonoque amico, nec aliunde plus fructus capi, itaque præpostere facere multos, qui pecuniæ dispendium gravius ferunt quam amici jacturam, quique se beneficium perdidisse clamant gratis collatum, cum eo sibi conciliaverint amicum quovis lucro potiorem. « Amicus enim, ut Xenophon aiebat, est desiderabile nomen, homo vix apparens, infelicitatis refugium, vix invenienda possessio, secretorum receptor, indeficiens quies, amanda felicitas. » Sed, eheu! quæ Jobi erat longe maxima infelicitas illi, ipsi amici, qui ad ipsum in afflictissimo illo statu consolandum accesserant, nescio quo malo de sententia deducti, non tantum dolorem ejus non absterserunt aut levaverunt, sed potius refricarunt et exacerbarunt; fortassis diabolo singulari astu, in quo reliquam spem victoriæ suæ collocarat, illis illudente, et ad hoc instigante, ut nihil intentatum relinqueret, quo impatiens aliquod verbulum ex sanctissimi viri ore extorqueret. Unde eleganter D. Gregorius, lib. III *Moralium*, cap. XIX, cum amicis illis vitia comparat, quæ sæpenumero, ut incautos decipiant, se virtutes esse mentiuntur. Quemadmodum enim tres illi amici ad Jobum, ut eum in afflictione summa constitutum solarentur, accedentes, haudquaquam ipsum sunt consolati, sed dolores ejus novis doloribus accumularunt, atque corporeas afflictiones gravioribus mentis vexationibus exulcerarunt, sic etiam vitia, non absimili astu amicorum, id est virtutum, se

Nulla possessio pretiosior vero amico.

http://www.obrascatolicas.com

vestimentis contegunt, et quasi ad nos sustentandos ac roborandos accedunt, cum tamen ad animum omni gratia spiritali spoliandum et occidendum adveniant. Cæterum, quid hi amici Job in primo congressu egerint, consideremus.

Vers. 12. 12. CUMQUE ELEVASSENT PROCUL OCULOS SUOS, NON COGNOVERUNT EUM, ET EXCLAMANTES PLORAVERUNT, SCISSISQUE VESTIBUS SPARSERUNT PULVEREM SUPER CAPUT SUUM IN COELUM. — Describitur hoc loco gestus admirationis ac doloris, quem amici illi reges ad primum Jobi, plagis horrendis cooperti, atque in sterquilinio sedentis, aspectum attoniti ediderunt. Sed in primis spectanda verba : « Non cognoverunt eum. » Quippe cognoverant Jobum opulentum et principem; non cognoscebant inopem et calamitosum hominem. Non enim est idemmet qui fuerat rex, et qui ærumnosus et pauper est : alius est quem felicitas evehit, et quem fortuna deprimit. Etsi enim homo semper sit homo, non tamen in quavis fortuna idem homo est. Mutat homo cum honore formam, neque in prospera fortuna eumdem illum invenies. Non enim qui privatus fuerat, ille idem est qui ad honores ascendit, et contra; alius est, quamvis perseveret in eadem natura. Honores mutant mores, imo et personam. Alia persona mox est sub eodem nomine. Unde non mirandum, si amici illi quondam Jobi eum non cognoscebant jam ærumnosum, quem paulo ante florentem viderant. Cæterum, quæ admirationis ac doloris planctusque signa ediderint, contemplemur : « Scissis, inquit, vestibus sparserunt pulverem super caput; » ac scindere quidem vestimenta doloris esse significationem superiori capite, ad vers. 20, annotavimus. Eamdem quoque significationem habet illa pulveris supra caput aspersio, quam etiam in *Threnis* suis describit Jeremias, cap. II, 10, dicens : « Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion, consperserunt cinere capita sua; accincti sunt ciliciis, » etc. Iisdem igitur gestibus tres illi reges usi sunt ad vehementem suum stuporem ac dolorem in amici calamitate declarandum, et ad se aliquo tenus afflicti moribus conformandum. Prudentissimum sane erat et humanitatis plenum hoc eorum consilium, et aptissimum consolationem auspicandi principium, nisi illud postmodum, nescio quo spiritu instigati, aculeatis suis increpationibus vitiassent. Nihil enim ad dolorem alicujus alleviandum aut mitigandum accommodatius quam similem illi fieri ac lugentis gestus habitumque assumere, et sic quodammodo doloris partem in se transferre, mœroremque cum amico dividere ac dimidiare. Nam, ut recte docet Cicero, lib. V *Tusculan.*, hæc sunt officia consolantium tollere ægritudinem funditus, aut sedare, aut detrahere quamplurimum, aut supprimere, nec pati manere longius, aut ad aliam traducere. Omnibus nempe modis fulciendi sunt qui corruunt, nec cohærere possunt propter magnitudinem ægritudinis. Consolatorum ergo partes subituri tres illi reges, primum et ante omnia condolentium gestus habitumque induunt, « et exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum, » etc. Quod magno judicio accurate expendens Origenes, lib. III *in Job*, annotavit illos eo consilio hoc fecisse, ut ejus factum imitando summam ægro consolationem, et quem poterant maximum honorem exhiberent. Quasi dicerent : « Quæ fecisti, o Job, facimus, et quæ gessisti gerimus : vestimenta nostra scindimus, et terram supra capita nostra spargimus. Sic namque et tu fecisti ante paululum, o Job; utinam cæteros dolores tuos tecum dividere possemus! » Hac sane condolentia multo magis Jobum honorarunt et consolati sunt, quam si verbis tantum, etsi magnificis, intimum doloris sui sensum expressissent. Non enim dolorem alterius recte consolator sublevat, nisi simul cum eo etiam doleat, quemadmodum ferrum cum alio ferro (ut S. Gregorius ait) non bene cohæret, nisi utrumque igne mollescat, Ita nimirum Christus quoque lacrymatus fuit, *Joan.*, XI, 35, ubi Mariam fratris sui Lazari mortem deplorare vidit; et Apostolus monet nos, *Rom.* XII, 15, « flere cum flentibus. » Quæ condolendi atque collacrymandi ratio in consolando plurimum valet.

Vers. 13. 13. ET SEDERUNT CUM EO IN TERRA SEPTEM DIEBUS ET SEPTEM NOCTIBUS, ET NEMO LOQUEBATUR EI VERBUM : VIDEBANT ENIM DOLOREM ESSE VEHEMENTEM. — Istiusmodi quoque sedendi in terra situm apud veteres lugentibus fuisse proprium ac familiarem, tam ex hoc loco quam ex secundi *Threnorum* versu decimo paulo ante citato, aliisque Scripturæ locis manifeste colligitur. Quomodo autem tres illi amici septem integros dies apud Jobum in silentio ac mœrore considendo transegerint, diversimodo explicant auctores. Ac Origenes quidem ait Jobum in adventu amicorum a sterquilinio surrexisse, et in domum ac civitatem suam se recepisse, ut tantos hospites pro dignitate honesto saltem loco exciperet, ibidemque septem integros dies, divina illos virtute sustentante, sine cibo et potu exegisse. Verum hoc Olympiodoro, quem D. Thomas, Lyranus, Cajetanus, aliique passim sequuntur, minime probatur; cujus verba, quibus in *Catena* nodum hunc solvit, sunt hujusmodi : « Non dicit Scriptura totos septem dies totasque septem noctes illi assedisse amicos : perspicuum igitur est eos, ubi magnam diei partem assedissent, discedere solitos ad necessaria munera conficienda, ac rursus redeuntes ad multam noctem sessitavisse; deinde abiisse, tum de mane ad eumdem revertisse : id quod certissimorum summeque dolentium amicorum proprium est. Quotidiani vero sermonis consuetudinem complexa Scriptura simpliciter pronuntiavit septem illos dies septemque noctes propter eum sedisse. Nam cum Jacob ait annos quatuordecim servivisse et diei æstu exustum esse, ac noctis glacie obriguisse, an idcirco nunquam sub tectum consede-

Quare amici Job eum non cognoverunt?

Condolentia quantam ad alleviandum dolorem efficax.

Quomodo septem illos dies tres amici Job transegerunt?

bat? nullam toto illo tempore quietis partem capiebat? Hæc ergo velle ad calculos revocare ridiculum est. Scriptura enim, ut dixi, a sermone familiari non recedit. » Sic ille. Septem igitur dies totidemque noctes amico suo assedisse dicuntur, quia nimirum totum illud tempus sive diurnum, sive nocturnum, luctui præstitutum, legitime impenderunt, quod ex consuetudine ab illis impendi solet qui alios in suo dolore consolantur, juxta illud *Ecclesiast.* cap. XXII, 13 : « Luctus mortui septem dies. » Quo dierum spatio Jacobo quondam parentatum legimus. Neque enim vero simile est continuum illud tempus ita dolori ac luctui totum fuisse impensum, ut sine ulla intermissione toto illo tempore tres amici Jobo continenter assederint, quia hoc nimis molestum accidisset tum amicis, qui gravem illum halitum et teterrimum fœtorem, quem corpus Jobi in saniem resolutum, et tot ulceribus purulentum jugiter exhalabat, tanto tempore sustinere, aut ferre nullo modo potuissent; tum etiam fortasse multo magis ipsimet Jobo, qui suum lugendo et ejulando consolari dolorem in amicorum oculis sine pudore non poterat. Deinde parum credibile videtur, amicos illos reges totum illud septemdiale tempus jejunos transegisse. Nam in loco tam fœtenti ac sordido, in ipsomet Jobi teterrimam mephitim exhalantis conspectu quis vel in extrema fame stomacho nauseante cibos sumere potuisset? Jobum autem una cum illis in domum suam concessisse, ut ipsos honesto hospitio exciperet, gratis ab Origene dicitur, cum nullum omnino habeat in Scripturis fundamentum, præterquam quod ipsemet Job in isto statu tam calamitoso ad istiusmodi munus tractandi tales pro dignitate hospites prorsus ineptus censeretur. Probabilissimum itaque videretur, et in re incerta maxime vero simile, ipsos statis quotidie temporibus ad Jobum extra civitatem in sterquilinio sedentem accessisse, ad tam triste illud et insolitum spectaculum cum stupore contemplandum, eique externis mœstitiæ signis condolendum (uti textus Scripturæ non obscure insinuat), dolorisque magnitudinem veluti attonitos silentio monstrasse, tacite significantes majorem longe Jobi dolorem existere quam ut verbis leniri possit. Quemadmodum enim medici (inquit Plutarchus) in vehementi fluxu pituitæ non statim succurrunt pharmacis, sed foris admovent quod tempore concoquat humorem, ac tum medentur, ita in recenti dolore tacendum, donec tempore mitior admittat consolationem. Quod autem hanc postmodum non satis aptam et Jobo accommodatam attulerint (cum Origenes, lib. III, Olympiodorus in *Catena*, S. Gregorius in Præfatione *in Job* cap. V, aliique Patres passim doceant ipsos fuisse viros sanctos et cordatos, utpote sanctissimi hominis amico familiares), existimo non tam malitiæ quam ignorantiæ ipsorum tribuendum, qua communi illius temporis opinione decepti existimabant tantas pœnas nulli a Deo nisi ob gravia scelera irrogari. Sed de his postea pluribus. Nunc ad sequens caput transeamus, ut post diuturnum silentium sanctissimi Jobi oracula percipiamus.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Job, laxatis naturæ habenis, maledicit diei nativitatis suæ, præsentique vitæ, ostendens mortalium miserias, et a quot malis liberatur qui hac luce statim privatus est.

1. Post hæc aperuit Job os suum, et maledixit diei suo, 2. et locutus est. 3. Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est : Conceptus est homo. 4. Dies ille vertatur in tenebras, non erquirat eum Deus desuper, et non illustretur lumine. 5. Obscurent eum tenebræ, et umbra mortis; occupet eum caligo, et involvatur amaritudine. 6. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus. 7. Sit nox illa solitaria, nec laude digna : 8. maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan; 9. obtenebrentur stellæ caligine ejus : exspectet lucem et non videat, nec ortum surgentis auroræ. 10. Quia non conclusit ostia ventris, qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis. 11. Quare non in vulva mortuus suum, egressus ex utero non statim perii? 12. Quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus? 13. Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem : 14. cum regibus et consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines : 15. aut cum principibus, qui possident aurum, et replent domos suas argento : 16. aut sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non

http://www.obrascatolicas.com

viderunt lucem. 17. Ibi impii cessaverunt a tumultu, et ibi requieverunt fessi robore. 18. Et quondam vincti pariter sine molestia, non audierunt vocem exactoris. 19. Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a domino suo. 20. Quare misero data est lux, et vita his qui in amaritudine animæ sunt? 21. Qui exspectant mortem, et non venit, quasi effodientes thesaurum. 22. Gaudentque vehementer cum invenerint sepulcrum. 23. Viro cujus abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris? 24. Antequam comedam suspiro : et tanquam inundantes aquæ, sic rugitus meus : 25. quia timor, quem timebam, evenit mihi : et quod verebar accidit. 26. Nonne dissimulavi? nonne silui? nonne quievi? et venit super me indignatio.

Vers. 1. Quantum prodest silentium inter adversa diu religioseque servatum.

1. POST HÆC APERUIT JOB OS SUUM. — Hactenus siluerat vir sanctissimus æquo animo tribulationis pondus sustinens, nec ullam proferens querelam; quapropter post tam diuturnum silentium juro meruit, inquit Ambrosius, ut tandem aperiens os suum mysteria loqueretur. Quid enim aliud significant illa verba : « Post hæc, » nisi post acceptas plagas, post amicorum adventum, post septem dies silentio transactos, post vermiculorum famem expletam, ut argute notat Origenes, dicens morem esse Orientalium, Persarum, Medorum, Chaldæorum inter pocula non loqui? Hanc ergo gentis suæ consuetudinem observans vir patiens, dum de illius sanguine vermes convivabantur, tacuit, nec verbum ullum dixit : sed post sedatam vermiculorum sitim, post diuturnam in silentio patientiam, tandem aliquando os aperuit ac loqui cœpit, docens nos, ut si sancte digneque tribulationis tempore loqui desideremus, dudum prius sileamus, atque æquo animo ærumnas toleremus, cum certe non minus Deo gratum sit istiusmodi in principio tribulationis silentium, quam in ejus prosecutione sancta locutio. Hoc in primis fuit in sanctissimo Jobo prorsus admirabile, quod tot tantisque coopertus plagis, a principio siluerit, nec querulosum aliquod verbum protulerit. Quod accurate annotans Origenes lib. I in cap. I *Job*, merito his verbis admiratur : « Cum, inquit, unum ex pluribus videretur Jacob filium perdidisse, a cæteris omnibus consolari non potuit, sed dixit : *Descendam lugens in infernum*; magnanimus autem Job post peculii perditionem, et post bonorum omnium direptionem, omnium filiorum miserabilem interitum pariter simul cum audisset, non suspiravit, non ingemuit, non maledixit, non blasphemavit, non culpavit. » O admirandam et stupendam omnibus non solum hominibus, sed etiam angelis patientiam, ipsisque adeo dæmonibus tremendam ac formidabilem! Quemadmodum S. Chrysostomus, lib III *in Job* exclamat, dicens : « Non solum omnes homines, sed puto, quod et audeo dicere, etiam ipsos angelos atque omnes dæmones perterruit Jobi tolerantia atque constantia, quia cum Satan acciperet in eum potestatem, cuncta hæc in eo exercuit, quæ omnium corda in pavorem deducunt, et omnem animam stupere faciunt. » Et tamen tanta sustinens non gemuit, non maledixit, non est conquestus, quinimo, quietissima intra se pace fruens, totum hoc negotium in tranquillissimo silentio soli Deo dereliquit atque commisit. Quid ergo mirum, si non defecit, si sustinendo perduravit, si vicit, si Dei auxilium impetravit, et omnes insultus inimici superavit? cum nullum aptius sit medium ad tribulationem fortiter perferendam, sicut et ad opem divinam promerendam, quam sic silere, juxta illud *Isaiæ*, cap. XXX, 15, aureum vere oraculum : « In silentio et spe erit fortitudo vestra. » In silentio, inquit, id est in sustinentia et omnis auxilii humani despicientia, et in spe, id est in solius divinæ opis exspectatione erit fortitudo vestra, scilicet adversus omnium malorum incursus. Hinc si, nostro vitio et peccato divinam in nos vindictam provocante, in gravem quampiam tribulationem et ærumnam inciderimus, ex nullo sane signo certiorem cito emergendi et salutem consequendi spem elicere poterimus, quam si in ipsa tribulatione constituti humiliter siluerimus, nullum prorsus querulosum verbum proferentes, nec a rebus externis consolationem anxie requisiverimus, sed quiete ac pacifice collum divino tribulationis jugo submiserimus. Job itaque ad nostram doctrinam, priusquam loqueretur, siluisse significatur, ut discamus nobis silendum in tribulationibus, quæ nulla re facilius quam humili silentio superantur. Unde tantum abest ut, quemadmodum stulta mundialium hominum fert opinio, pusilli cordis sit aut abjecti, quin potius vere magni excelsique animi sit indicium, et latissimi regiique cordis argumentum, quo cœlestis sapientiæ thesauri reconduntur, ut tempore opportuno plurimis ditandis erogentur. Huc spectat illud oraculum Salvatoris apud S. Lucam, cap. VI, dicentis : « Bonus homo de thesauro suo profert bonum; » idque ipsum statim explicans subjungit : « Ex abundantia cordis os loquitur. » Cor itaque thesaurus est in quo verba conduntur, concipiuntur, conflantur aurea argenteaque admodum pretiosa; verum illa ipsa non statim proferenda, nisi sapientia abundaverint, quia boni hominis est ex abundantia cordis loqui; impii vero ipsammet cordis sui substantiam temere profundunt ac perdunt; cum enim angustum

nabeant cor, simul atque vel minimum tribulantur aut affliguntur, illico replentur indignatione, ac foras emittunt voces blasphemas atque impietate plenas; at justi, cum cor latum et amplum habeant, in tribulatione silent, quia non tam cito afflictionibus obruuntur aut dejiciuntur, juxta illud Sapientis : « Non contristabit justum quidquid ei acciderit; impii autem replebuntur malo, » *Prov.* XII, 21. At cur non contristabit? nisi quia, ut S. Chrysostomus, homil. 1 *in epist.* II *ad Cor.*, ait, « non afflictio, non insidiæ, non aliud quidquam prudentem animum molestia afficere queat; quin potius, quemadmodum si scintillam in magnum pelagus abjicias, eam protinus exstinxeris, eodem modo molestia omnis, quantumlibet ingens, si in animum bene sibi conscium inciderit, confestim perit, et evanescit. » Mira sane tribulationis cum corde justi comparatio, in qua afflictionem quidem vir sanctus parvam dicit scintillam, cor vero justi pelagus vocat immensum. « Ut igitur, pergit ibidem S. Chrysostomus, præ gaudio bonæ conscientiæ suæ mœrore arripi non potest, sic qui illud minime amplexus est, a quibusvis corripi et expugnari potest. » Silet ergo in tribulatione justus, et si aliquando loquitur, non nisi verba promit sanctissima, quæ sint signa veræ et non fictæ sanctitatis. Talia utique sunt etiam præsentia Jobi verba, quæ licet externa fortassis specie tenus duriter nimis sonare vulgo videantur, a peritis tamen et mysteriorum capacibus divinæ prorsus philosophiæ plenissima deprehenduntur. Atque in primis Jobum hic mysteria loqui ipsum ejus orationis exordium manifeste insinuat, quod sic habet :

POST HÆC APERUIT JOB OS SUUM. — Qua periphrasi Scriptura vix unquam utitur, nisi cum de mysteriis gravissimisque rebus sermo instituitur, quemadmodum e variis sacræ paginæ locis patet, ut cum Christus in Evangelio novam discipulis doctrinam traditurus et beatitudinis mysteria revelaturus introducitur : « Aperiens, inquit, os suum, docebat eos dicens : Beati pauperes spiritu, » *Matth.* V, 2, etc. Similiter in *Actis Apostol.* : « Aperiens Philippus os suum, evangelizavit illi Jesum, » *Act.* VIII, 35. Et alio loco : « Aperiens autem Petrus os suum, dixit, » *Actor.* X, 34, etc. Quare diligenter notandus est sermo qui immediate istiusmodi præfationem subsequitur, quoniam mysterio magno non caret.

ET MALEDIXIT DIEI SUO. — Hæc verba veluti summa sunt totius sententiæ quæ hoc capite a Jobo pertractatur, pro cujus exactiori intelligentia quædam hic quærenda, nonnulla etiam ex præcedentibus supponenda, necnon pauca obiter observanda occurrunt.

An licite et qualiter Job diei suo natali maledixerit? Deo supponitur. Primo.

Ac in primis quæritur, an licita, et qualis fuerit hæc Jobi maledictio, qua diei suo natali pessima quæque imprecari videtur? Pro cujus quæstionis resolutione suppono *primo*, S. Job virum fuisse patientissimum, ut ex iis quæ duobus præcedentibus capitibus dicta sunt, abunde patet, et consequenter nihil ex impatientia protulisse, ut volunt Judæi, qui inique opinantur Jobum, tot ærumnarum atque dolorum pertæsum, gravi et iniquo animo hæc maledicta congessisse; quos jure merito christiani auctores refellunt, cum cap. I et II expresse dicatur in his omnibus non peccasse labiis suis, et a Deo in fine libri, cap. XLII, laudetur, dicente : « Non estis locuti coram me rectum sicut servus meus Job. »

Secunda.

Suppono *secundo*, S. Jobum hic non loqui indeliberate, qualia nonnunquam verba sensus seu partis inferioris esse solent, sed maturo ac deliberato consilio proferre quæcumque proloquitur; sunt enim ejus verba rationis seu partis superioris, ut patet ex tam prædeliberato ejus exordio ac totius exinde orationis decursu, præsertim cap. VI, vers. 8, cap. VII, vers. 15, et cap. X, vers 18 et seq. Quibus suppositis,

Duo notanda. Primo.

Nota *primo*, proprie tantum maledici Deo vel creaturis ratione præditis, uti docet S. Thomas II II, *Quæst.* LXXVI, art. 1 et 2, quia sicut hæ solæ benedictionis ac boni spiritualis, v. g. charitatis, virtutis ac beatitudinis capaces sunt, ita e diverso quoque solis illis proprie maledicitur, quod idcirco gravissimum est peccatum. Rebus autem inanimatis ac ratione carentibus mali quidpiam imprecari non usque adeo est malum, nisi forte quis in odium proximi id faciat, vel quatenus sunt creaturæ Dei, ita ut injuria in proximum aut ipsummet Numen sanctum redundet. Nam creaturæ cuipiam rationis experti maledicere, est tantum optare illam non esse, aut aliquo sui ornamento carere, quod otiosum quidem est, si sine causa fiat, verumtamen id charitati proprie non repugnat, quia charitatem erga illas minime habemus, sin autem justa quæpiam et gravis causa subsit, nullum prorsus est peccatum iis hoc modo maledicere.

Secundo.

Nota *secundo*, licet aliqui cum S. Gregorio pro loci hujus explicatione ad allegoriam confugiant, proprie tamen ad litteram hanc maledictionem, prout verba sonant, accipiendam esse, cum nihil obstet quominus sensu proprio sumi possit, ut recte S. Chrysostomus et Origenes ad hunc locum, et S. Hieronymus in cap. XX *Jeremiæ*, ac S. Ambrosius, lib. II *De Bono mortis*, necnon S. Hilarius *in Psalm.* CXIX, ostendunt. S. enim Job, quemadmodum Habacuc et Jeremias, maledixit diei nativitatis suæ, hoc est, malum illi optavit, scilicet non esse et nunquam fuisse, quia videlicet optabat se nunquam fuisse natum, nec in lucem unquam prodiisse, idque justissimas gravissimasque ob causas, nempe quia dies hæc nativitatis infinitarum ipsi ærumnarum causa et exordium exstiterat, ac in primis peccati originalis aliorumque ex eo pullulantium malorum, et per consequens periculi æternæ damnationis. Quanquam, si rigide textum examinemus, S. Job hoc loco a peccato et culpa magis abstrahere, et so-

http://www.obrascatolicas.com

las suas, quibus inpræsentiarum opprimebatur, ærumnas deplorare videatur.

Solvitur quæstio.

His igitur præmissis et annotatis, ad propositam quæstionem respondeo patientissimum mortalium Jobum gravi hac querela, quam hoc capite deponit et exaggerat, *primo* tantum voluisse amicis suis posterisque omnibus testatam facere dolorum suorum, quos patiebatur, acerbitatem, necnon simul humanæ vitæ miserias, et ærumnarum, quibus illa repletur, magnitudinem ob oculos ponere, ostendendo illas ipsamet vitæ carentia, et mille mortibus longe molestiores gravioresque existere, adeo ut satius esset nunquam fuisse natum, quam tot tantisque miseriis obnoxium, eo nimirum sensu quo Ecclesiastes cap. IV, 3 : « Laudavit magis mortuos quam viventes, et feliciorem utroque judicavit qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt. » *Secundo*, justissimam ob causam in tantis afflictionibus rationem seu partem hominis superiorem, laxare appetitui inferiori habenas querelarum, ut sic dolor internus, qui erat pene intolerabilis, in verba querula foras erumpens paululum leniretur. Interim tamen S. Job secundum supremam hominis portionem absoluta voluntate patientissimum et ad divinæ beneplacitum voluntatis penitus resignatum fuisse, ad vitam etiam longissimam in tantis calamitatibus ducendam. Sicut v. g. Christus Dominus in horto parti inferiori habenas tristitiæ laxavit, ac passionem imminentem deprecatus est, quam tamen absoluta voluntate cum plenissima sui ipsius in Dei Patris voluntatem resignatione generosissime suscepit atque sustinuit.

Primo, qualiter.

Secundo, an licite Job suo diei natali maledixerit?

Quæritur *secundo*, an licite Job desideraverit non esse, et non fuisse? Multi id negant, quibus favere videtur D. Augustinus, lib. III *De libero Arbitrio*, cap. VI, VII et VIII, pro quibus etiam militat hæc ratio : quia nimirum omne esse quantumvis miserum, tamen bonum est, ac proinde amabile, et non odibile existit. Unde res omnes naturaliter amant suum esse, ergo contra naturam est illud odisse.

Respondeo nihilominus id licere, *primo*, quia quamvis omne esse secundum se nude spectatum, bonum sit et amabile, si tamen tot tantisque ærumnis involvatur, ut hæ præponderent, tunc longe satius rationique magis consentaneum censebit omnis prudens velle non esse, quam semper ita miserum existere. Et vero hic sensus, et rationis usus dono a natura datus, si nihil fructus, sed sensum duntaxat malorum exhibet, quidnam in eo boni est, cur expetendus sit?

Secundo, id evidens est in peccatoribus et damnatis, quibus citra controversiam longe satius esset non esse, quam in peccato et in damnatione perpetua versari, quemadmodum de Juda proditore Christus ipse testatur, dicens : « Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille, » *Matth.* cap. XXVI, vers. 24.

Tertio, quia huic sententiæ passim subscribunt omnes fere sancti Patres, nominatim S. Chrysostomus, Polychronius, Olympiodorus in *Catena*, S. Hieronymus in cap. XX *Jeremiæ*, quibus accedunt Theologi, D. Thomas, S. Bonaventura, et Scotus in IV *Sententiarum*, distinct. 50, cum asseclis suis. Qui et ipsa quoque Gentilium oracula, et profani sapientes, si paucos excipias, unanimiter docuerunt satius esse mori quam vivere, uti videre est apud Herodotum, lib. I *in Solone et Cræso*, et lib. VII *in Artabano et Xerxe*, apud Platonem in *Axioco*, apud Ciceronem in fine lib. I *Tusculanarum Quæstionum*, atque apud Euripidem *in Bellerophonte*. Ex Christianis autem de hoc argumento lege S. Ambrosium, lib. I *De Bono mortis*, et S. Cyprianum, tractatu *De Immortalitate*, et S. Gregorium ad hunc locum. Poterat itaque prudenter Job tædere vitæ suæ, ac nunquam in lucem prodiisse velle, eo præsertim tempore quo tot tantisque calamitatibus obruebatur; et hoc sensu consequenter poterat absque ullo peccato diei suo maledicere, id est, optare ut nunquam illuxisset. Est enim Hebræis usitata loquendi formula, qua rei, quam non esse cupiunt, maledicere dicuntur. Sic Balac vocavit prophetam Balaam ut malediceret Israel, existimans hac ejus maledictione effectum iri ut populus esse desineret. Solent etiam Hebræi maledicere tempori vel alteri cuicumque rei cunjunctæ cum ea quam non esse cuperent. Hoc modo David dira imprecatus est montibus Gelboe, quod in eis Philistæi regem Israel interfecissent, et ejusdem copias profligassent. Qua imprecatione David solummodo significavit se optare ut a Philistæis victoria illa nunquam fuisset obtenta. Jeremias quoque, non absimili a Jobo ratione ac sensu, diei qua natus fuit, maledixit, uti et nuntio, qui patri suo primus indicaverat ei filium esse natum, haud obscure verbis istis nativitatis ipsum suæ pœnitere significans, id quod Jobus quoque toto hoc capite diris imprecationibus facit. Quare nullum in illis crimen est, sicut nec crimen esse probavimus, justas ob causas optare non esse natum. Sanctorum enim virorum verba, ex Dei amore et ejusdem honoris zelo profecta, quibus calamitosæ hujus vitæ miserias aversabantur, haudquaquam temere ad alium sensum detorquenda, nec ad iræ nostræ excusationem usurpanda sunt. Talia autem hæc Jobi ac Jeremiæ verba fuisse constat, quibus Job quidem ex amore Numinis diei, quo scilicet peccato vivere cœpit, ex quo tantæ miseriæ prodierant, malum imprecatur, optans ut, inquit S. Ambrosius, lib. *De Bono mortis*, cap. II, perire diem sæculi hujus, quo sublato dies æternitatis adveniat; Jeremias vero divini honoris atque animarum zelo incitatus diei suo maledicit, miseram hanc vitam cum futura illa beata commutare desiderans, ne videret calamitatem eorum quos Dominus ex omnibus nationibus in populum sibi peculiarem elegerat, et in suam adsciverat familiaritatem; nuntium autem nativitatis suæ exsecratus fuit, non quasi viro isti mali quidpiam optaret, sed ut doloris ac zeli sui vim et magnitudinem exprimeret : Ita doleo, inquit, populi a Deo electi miseram sortem, ut, secundum hominem loquendo, mallem potius non fuisse, quam tantam pervicacium hominum incredulitatem cernere, tantamque illorum calamitatem, quæ mihi divinitus inspiratur, audire. Ita passim duorum sanctorum horum imprecationes SS. Patres exponunt. Unus pro omnibus audiatur Anastasius Nicænus, Quæst. XXX *in Scripturam*, qui, inquirens quomodo Job exsecretur diem suum, ait ipsum hoc fecisse pio erga proximum zelo, ne in ipso scandalizarentur qui ipsius noverant pietatem, et quæ non fas erat dicerent aut cogitarent, et propter ipsum peccato essent obnoxii, aut Deum esse injustum existimarent, aut justi vitam sincere non suscipientes plus damni quam commodi exinde referrent : « Mentis itaque, inquit, eorum in alteram partem propensionem et læsionem suspectam habens justus lamentabatur. Solent enim justi aliorum tanquam suas deflere calamitates, quomodo etiam Jeremias propter populi iniquitatem et templi eversionem exsecratus est simul suum natalem et diem, in quo natus prodiit in lucem. Si hic autem non ferebat labores et afflictiones quæ ex aliorum constabant iniquitate, non multo magis patientissimus Job jure ægre ferebat quod quidam supplantabantur; et propterea eum tædebat vivere, ut qui aliis inventus esset causa peccati. »

2. ET LOCUTUS EST. — In Hebræo habetur : *Et respondit Job, et dixit*. Quæ verba conficiunt secundum hujus capitis versiculum, vel potius primum versum cum tertio connectunt, in quo formalia imprecationis verba referuntur, quæ sic habent :

Vers. 3.

3. PEREAT DIES IN QUA NATUS SUM, ET NOX IN QUA DICTUM EST : CONCEPTUS EST HOMO. — Est Hebræa enallage temporis, quasi dicat. Utinam periisset, et nunquam fuisset dies illa, et per consequens nativitas mea! Tempus tolli cupit, scilicet diem ortus sui et noctem suæ conceptionis, ut ea quæ isto tempore facta sunt, nempe nativitas et conceptio, simul auferantur, sicuti paulo ante in simili Davidem montibus Gelboe offensum et mala imprecatum fuisse diximus, eo quod certamen ac prælium in illis commissum exsecraretur et ægre ferret.

Alphonsus Salmeron noster, Prolegomeno decimo, istiusmodi maledicentiam a peccato defendit, quod nimirum Job septem illis diebus, quos in silentio cum amicis transegerat, peccati, in quo conceptus ac natus fuerat, immunditiam sit contemplatus, cujus tanto horrore atque odio afficiebatur, ut in hujusmodi exsecrationis verba prorumperet, quibus haudquaquam Dei, cujus conceptus et partus sunt, operibus, aut etiam tempori vel creaturæ ulli maledicere intendebat; sed solum peccatum detestari atque exsecrari cupiebat, in quo concipimur et nascimur, et per quod anima æternæ damnationis rea constituitur. Pari fere modo S. Gregorius, lib. III *Moralium*, cap VII, Philippus Presbyter, et S. Augustinus in *Annotationibus* locum hunc exponunt, ac si Job dicat : Dies peccati et mutabilitatis pereat, et lumen justitiæ et æternitatis erumpat, redeat per Christum immortalitas, quam per Adam reatu prævaricationis amisi; et abeat mors a me, quam alio delinquente contraxi. Similiter Beda et D. Thomas censent Jobum hic detestari nuditatem justitiæ originalis in qua conceptus et natus fuit. Unde intelligitur, quam inconsulte agant principes et optimates illi, qui diem natalem suum magna lætitia celebrant, et in fastos referunt, nec non candido, ut aiunt, lapillo signant; non ita fecit Job, qui illum deleri cupit et expungi.

Qualem diem Job deleri voluerit?

Considera qualem diem homo justus deleri velit, non utique diem ærumnarum ac dolorum, in quo, dum hæc dicebat, versabatur, sed diem suam, id est diem qua in domo regia natus est, quam secuta sunt tot gaudia, tot divitiæ, tot regiæ voluptates. Hanc nimirum diem vocare solent homines suam, et misere decipiuntur. Non enim dies temporalium felicitatum sunt dies hominis justi, quemadmodum argute in *Catena* Olympiodorus observavit dicens : « Quod enim quemque delectat, id diem putat suam; ita errore animi decipimur. Quare hanc diem justus cupit deleri, ut quæ solo nomine vicinitatem lucis imitatur. » Misere fallimur, dum inter dies nostras computamus dies temporalium felicitatum; quem communem ac popularem errorem B. Job hoc loco damnans, non præsentem diem calamitatum, sed præteritam felicitatum optat deleri et exstingui ac penitus obtenebrari. Nulla enim dies proprie consenda est nostra nisi quam sustinentia condecoramus, uti pulchre Psalmista canendo docet his verbis : « Exsultavimus, et delectati sumus omnibus diebus nostris, » *Psal.* LXXXIX, 14. *q. d.* Nullam diem nostram amisimus, omnes nobis solatio fuerunt ac delectationi. Quænam autem hæ dies fuerint, quæ sic universæ steterint ad solatium, statim subjungit dicens : « Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. » Dies igitur tribulationum et sustinentiæ hæ vere dies sunt, quarum nulla viris justis et electis deperit, sed universæ illis ad gaudia reservantur sempiterna. Quod cum recte norit Ecclesia, non in die natali, sed in die potius mortis, sanctorum suorum festa celebrat, quemadmodum acute Origenes, lib. III *in Job*, ad hunc locum annotavit, dicens : « Diem mortis celebramus, quia non moriuntur hi qui mori videntur. Propterea et memorias sanctorum facimus, et parentum nostrorum vel amicorum in fide morientium devote memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis piam consummationem in fide postulantes. Sic itaque non diem nativitatis celebramus, quia in perpetuum vivent ii qui moriuntur. » Sic Orige-

Quantum diei nativitatis dies obitus præstet?

http://www.obrascatolicas.com

nes, qui ibidem pulchram hanc præmiserat admonitionem, dicens : « Hæc audientes nos, o viri, non congaudeamus terrenæ nativitati, sed timeamus a plurimis hujus mundi tentationibus, sed paveamus a terribili introitu in illud incorruptibile sæculum, ubi erit revelatio et inquisitio omnium operum atque verborum nostrorum. Animadvertamus, o homines, quæ immutatio facta est in hominibus. Non priores diem nativitatis celebrabant, unam vitam diligentes, et aliam post hanc non sperantes; nunc vero nos non nativitatis diem celebramus, cum sit dolorum atque tentationum introitus, sed mortis diem celebramus, utpote omnium dolorum depositionem atque omnium tentationum effugationem. » Hinc etiam, *Ecclesiastæ* cap. VII, vers. 2, dies mortis diei nativitatis, et mortui viventibus a Salomone longo intervallo anteferuntur, quia videlicet mortui, ut interpretes illa loca exponunt, et S. Ambrosius toto libro *De Bono mortis* fuse prosequitur, jam extra stadium sunt, et peccandi periculum evaserunt, in quo viventes adhuc assiduo versantur. Unde Olympiodorus in priorem Salomonis locum modo indicatum : « Natalitius, inquit, dies in turbulentum vitæ hujus pelagus nos inducit, ubi draco latibulum suum posuit; transitus vero dies e stadio nos abducit; » ac si diceret : Vide unius diei præ alia præstantiam et securitatem, quandoquidem dies nativitatis omnibus ærumnis, et, quod gravius est, peccandi periculis ac dæmonum fraudibus, et proinde æternæ mortis aleæ nos exponit, dies vero mortis tanto nos discrimine penitus eximit liberatque. Eamdem plane ob causam Origenes ad hunc locum scite observat Jobum haudquaquam morti mortisve nuntiis, scilicet ægritudinibus ac doloribus, sed potius diei nativitatis suæ maledixisse, quod nimirum hæc ipsum tentationibus et peccandi periculis obnoxium reddidisset, ac salutis discrimini objecisset. Quare Jobi verba cum Salomonis oraculo eleganter componens : « Non maledicatur, inquit, dies mortis, nec dies finis, nec dies exitus de hoc sæculo (est namque confirmatio et requies, et dolorum omnium transitus ac depositio), sed dies nativitatis, qui tribulationum et angustiarum, dolorum quoque ac miseriarum omnium, necnon peccatorum et impietatum initium est atque introitus. Merito igitur clamat : *Maledicta dies in qua natus sum*, quia melior est dies mortis die nativitatis. »

Confirmant id ipsum Christi lacrymæ in resuscitatione Lazari ubertim fusæ, de quibus cum a quibusdam ambigeretur, et curiosius inquireretur, cur nimirum sapientissimus Dominus eum defleret, quem continuo suscitatum ibat, S. Isidorus Pelusiota, lib. II, *epist.* 173, acute respondit, non ideo Dominum fuisse lacrymatum, quod Lazarus fuisset mortuus, sed potius quod ad declarandam gloriam suam, a loco quietis, in quo erat, ad stadium et palæstram ancipitis periculi plenam, et a placido portu, in quem incolumis pervenerat, ad altum et tempestatibus æstuans mare revocaret. Ipsamet Isidori verba spiritali eruditione plena sic habent : « Lazarus Salvatoris amicus erat; amicus porro cum esset, omnino probus erat; nec enim puræ et labis omnis experti justitiæ charus fuisset, nisi justus exstitisset. Deus enim non favore, sed judicio ad amandum duci solet. Cum autem justitia præditus esset, atque ex hujus vitæ stadio cum laude atque gloria excessisset, non est dubium, quin in requie et honore esset. Quoniam igitur ob suam gloriam a morte ad vitam excitaturus esset, collacrymavit, his propemodum verbis utens : Eum qui in portum jam appulerat rursus ad fluctus et procellas voco; eum qui jam coronam consecutus erat ad certamina rursum duco. » Hæc ille. Homines itaque perversi, quos Scriptura filios hujus sæculi nominare consuevit, magna passim lætitiæ significatione celebrant, et festivum agunt diem nativitatis suæ, quia nimirum ad hic vivendum et genio indulgendum nascuntur; deplorant vero et abominantur diem mortis suæ, quia tunc omnibus, quibus in hac vita fruebantur, deliciis privantur, et ad mortem perpetuam atque æternas miserias condemnantur; at e diverso justi, qui filii Dei nominantur, hic deplorant diem nativitatis suæ, quia in eo ad ærumnas hujus vitæ, et ad crucem Domini portandam, ac semper mortificationem Jesu in corpore suo circumferendam, nascuntur; gaudent vero in die mortis, eumque solemnem ac festivum celebrant, quia minime moriuntur, sed tunc potius mori desinunt ac vivere incipiunt, quoniam vita Jesu manifestatur in eis, cum quo regnabunt in æternum, et perpetua beatitudine perfruentur. Quod cum ita sit, quid mirum si S. Job in mediis tribulationum fluctibus constitutus, ad mortem, veluti tutissimum salutis portum, adspirarit, ac diei nativitatis suæ, tantarum origini miseriarum, male precatus sit dicens : « Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est : Conceptus est homo. » Septuaginta legunt : καὶ ἡ νὺξ ἐκείνη, ἣ εἶπεν : Ἰδοὺ ἄρσην : *et nox illa, qua dixerunt : Ecce masculus.* Quasi nobilis et invictus athleta masculus vocari minime sustineret. Sed cur non diceretur mas, qui invictus inter tot pressuras stetit? qui Satanæ tela sustinuit? qui amarissimos tot ruinarum fluctus adinstar rupis constantissime excepit, et in semetipso confregit? Prævidebat nimirum vir egregius prophetico spiritu illustratus graviorem Christi Domini passionem ac fortitudinem longe majorem, cui sua comparans certamina virilem erubuit appellationem, utpote cujus robur femineum appareret comparatione Christi patientis, qui solus viri vere masculi nomen per excellentiam merebatur, quemadmodum Olympiodorus ad hunc locum in *Catena* annotavit, dicens : « Detestatur etiam eos qui eum marem nuncuparunt, quod crederet ejusmodi Dominum solum fuisse, cique

maris nomina proprie convenire. » Postquam scilicet Jesus in arenam prodiit, et adversus principes tenebrarum dimicavit, ipse solus de mascula et virili virtute potuit gloriari; cæteri vero omnes, quantumvis invictissimi athletæ, etiam Job ipse, Christi comparatione robur potius femineum quam masculum præ se tulerunt, licet quoad nos nostrique similes non solum fortitudine viri et masculi, verum etiam gigantes merito vocari possint.

Vers. 4. 4. DIES ILLE VERTATUR IN TENEBRAS, NON REQUIRAT EUM DEUS DESUPER, ET NON ILLUSTRETUR LUMINE. — Ter eamdem repetit sententiam, qua dixerat : « Pereat dies. » Nam si in tenebras vertatur, dies non erit; similiter si Deus eam desuper non requirat, id est, in numero dierum non ponat, nec illius ullam rationem habeat, sic etiam non erit, si nullo prorsus lumine illustretur. Dies enim lumen natura sua postulat. Si igitur Jobus diei, in qua natus est, tam dira imprecetur, quanto utique diriora debet homo imprecari horæ ac diei, qua in peccatum lapsus, et per peccatum mortuus est? Pereat profecto dies illa, atque iterum et sæpius pereat, ac de numero dierum amputetur. Quod si dies, qua quis peccat, de numero dierum deleri debeat, me miserum et infelicem! quotnam tandem dies erunt vitæ meæ, in qua dies omnino nulla crimine vacavit? Nullæ profecto. Unde religiosus quidam vir de familia Franciscanorum, ut in *Chronicis* eorum, III part. lib. VIII, cap. XXVII, refertur, qui septuaginta quinque annos in Ordine transegerat, a quopiam rogatus quotnam omnino exegisset : « Ne anum quidem, » respondebat, « momentum; » quasi qui male tempus impendisset, ut ipse humilitatis causa reputabat, nihil sibi vixisse videretur. Quare D. Bernardus, sermone 20 *in Cantica* : « Dignus, inquit, plane est morte, qui tibi, Domine Jesu, recusat vivere; et qui tibi non sapit, desipit; et qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, et nihil est. Propter temetipsum, Deus, fecisti omnia; et qui esse vult sibi, et non tibi; nihil esse incipit inter omnia. » Et paulo post, suam vitam in nihilum abiisse lamentatus, sic Deum precatur : « De mea misera vita suscipe, obsecro, Domine, residuum annorum meorum; pro his vero quos vivendo perdidi, quia perdite vixi, cor contritum et humiliatum Deus non despicias. Dies mei sicut umbra declinaverunt, et abierunt sine fructu, impossibile est ut revocem; placeat ut recogitem tibi in amaritudine animæ meæ. » Sic ille. Pergit porro Job diei suo maledicere:

Dies admodum legenda in qua quis peccaverit.

Vers. 5. 5. OBSCURENT EUM TENEBRÆ ET UMBRA MORTIS : OCCUPET EUM CALIGO, ET INVOLVATUR AMARITUDINE. — Idem per contrarium amplificat. Quod enim prius per lumen et illustrationem explicaverat, id nunc per tenebras et obscuritatem exponit. Qui modus amplificandi satis usitatus et frequens est in Scripturis, et ad quidpiam asseverandum, vel exaggerandum, aut vehementius inculcandum, magnam vim obtinet. Obvia autem sunt exempla, ut in illo : « Confessus est, et non negavit. » *Joan.* cap. I, vers. 20. Item alibi : « Morieris, et non vives, » IV *Reg.* cap. XX, vers. 1. Et : « Sumus subtus, et non supra, » *Baruch*, cap. II, 5; quibus loquendi formulis nihil est in Psalmis frequentius.

« Umbra » porro « mortis » non quælibet est umbra, sed maxima; per eam enim Hebræa metalepsi densissimæ tenebræ significantur, quales sunt sepulcri et inferni, quas mors inducit. Multiplex autem est hujus umbræ acceptio.

Quid umbra mortis?

Primum enim per *umbram mortis* et tenebras tristissima rerum facies significatur, tempus ærumnarum ac desolationis, et miseriæ externæ, nihil enim tristius est umbrosis mortuorum sepulcris, sicut e contrario lux felicitatis et lætitiæ symbolum est. *Secundo*, « umbra mortis » dicuntur tenebræ, terrores ac formidines, quæ mortem adinstar umbræ comitantur. In hac umbra omnes olim Patriarchæ, et quotquot ante Christi adventum mortui sunt justi, consederunt, ubi nobis etiam omnibus parata sedes erat, nisi sol justitiæ Christus mundo illuxisset, de quo Zacharias cecinit : « Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, » *Luc.* I, 79, id est qui lucis sunt omnino expertes. Nihil enim morte rem quampiam obscurat aut occultat magis, cum longe facilius cognoscere possis quid in tenebris fiat, quam quid homini post mortem accidat. *Tertio*, « umbra mortis » sunt proxima mortis pericula, quemadmodum videlicet umbra corpori suo proxima existit. Hoc sensu Psalmista canit : « Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, » *Psalm.* XXII, 4. *Quarto*, « umbra mortis » longa est oblivio. Unde S. Gregorius, lib. IV *Moralium*, cap. XX : « In umbra, inquit, mortis est a divini amoris notitia in oblivione latescere. » *Quinto* denique, « umbra mortis » est Dei et salutis suæ ignorantia, præsertim idololatria.

Litteraliter.

Tropologice, omnibus his modis umbra mortis est peccatum mortale.

Tropologice, est peccatum mortale.

Primo enim est omnis miseriæ fons et scaturigo. *Secundo*, quia peccatum in umbra mortis, id est, in tenebris mortis et inferni, quasi in domo regia principatur. *Tertio*, quia ut umbra corpori, ita peccatum morti, id est æternæ damnationi, proximum exsistit. *Quarto*, quia peccatum a Deo traditur oblivioni, id est, manet expers omnis boni. *Quinto*, quia peccatum est Dei et salutis suæ practica quædam ignorantia, quemadmodum S. Hieronymus in cap. IX *Isaiæ* docet.

Expende quot hic tenebrarum species beatus Job congerat, quibus peccati dies offundatur; nam tenebras, et carentiam luminis, et umbram mortis, et caliginem vocat, ut vel tot obscuritatum nominibus aliquo modo depingat, vel potius adumbret, quam tetrum et tenebricosum sit peccatum, quod omni nos divina luce privat, et

Quam tetrum et tenebricosum sit peccatum!

http://www.obrascatolicas.com

tenebris plus quam cimmeriis involvit, dum gratiæ nobis lumen eripit, et humanas quoque rationes et inferiores obtenebrat. Hinc S. Dionysius *Ecclesiasticæ Hierarchiæ* cap. II, perite appellat ἀλαμπῆ κακίαν, *obscurum et illune vitium*, ipsamet caligine sua horrendum et vitandum. Quod in sacris cæremoniis declaratum fuit, cum juberentur omnes, qui ad christianam religionem accederent, in Baptismo converti ad occasum, et abrenuntiare principi tenebrarum, ereboque fonti caliginis obscuræque noctis, quæ a peccato in animam invehitur. Apposite ad hunc scopum Severianus in *Catena Græca:* « Illud, inquit, ad hanc sententiam Jobi pertinet, ut peccatum per seipsum quale sit, nempe omni privatum luce, ab hominibus cognoscatur, ne aut in simulatam sese virtutem induat, aut specie quadam lucis rudioribus animis fucum faciat, sed quo cæca ejus perspecta caligine vitari facile possit. » Hoc si profecto solum in peccato homines attenderent, cæcam dico ejus caliginem, atram faciem, imaginem tenebrarum, umbram mortis, et miserias, quæ illi supervenient, æternas; facili utique negotio vitiorum laqueos evitarent, nec sponte sua sese iis implicarent. Cæterum, præterquam quod peccati tenebræ omnium sint teterrimæ, hoc insuper mali habent, quod homines ad omne opus bonum prorsus ineptos reddant et quasi manibus pedibusque detruncent, ut nihil omnino quod quidem ad salutem prosit, operari valeant. Hujus, ut opinor, rei symbolum fuerunt triduanæ illæ tenebræ Ægypti, de quibus in *Exodo*, cap. X, 22, habetur: « Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti, tribus diebus nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco in quo erat. » Nulla sane operatio, quæ aliquam quidem lucem aut salutem adferat, præ densitate tenebrarum peccatoribus permittitur; quamobrem Sapiens merito illos vinculis tenebrarum et longæ noctis compeditos esse dixit, quippe quibus tenebræ pro vinculis sint, quibus eorum manus præpeditæ nil operari possint. Quid ergo talibus expectandum, nisi ut, juxta parabolam Evangelicam, ligatis manibus et pedibus, id est, damnatis operibus, mittantur tandem in tenebras exteriores? Ubi enim gratia deficit et peccatum adest, nullum esse opus potest, quod ad salutem conferat sempiternam, sed omnia plane opera redduntur prorsus inutilia, laqueis ac tenebris apta. Unde merito nos monet Apostolus, dicens, *Ephes.* V, 11: « Nolite communicare infructuosis operibus tenebrarum. » Ut enim arbores umbroso quopiam luci loco constitutæ, quod solaribus radiis non illustrentur, infructuosæ sunt ac steriles, ita peccatoris opera, quod luce ac vigore gratiæ destituantur, nullum omnino salutis fructum ferunt. Hanc itaque ob causam beatus Job diem nativitatis et noctem conceptionis suæ adeo detestatur, ac tam dira illi imprecatur, optans ut tenebræ et umbra mortis, caligo et amaritudo illam invadant, supprimant et obscurent, ac denique faciant ut non sit, quia se tunc peccati originalis labe fœdatum fuisse considerabat. Cæterum cum primo versu diem noctemque simul exsecratus fuisset ac diris devovisset, et postmodum diem seorsum maledictis infestasset, tandem in noctem quoque, qua conceptus fuerat, per se invehitur, dicens :

Vers. 6. 6. NOCTEM ILLAM TENEBROSUS TURBO POSSIDEAT, NON COMPUTETUR IN DIEBUS ANNI, NEC NUMERETUR IN MENSIBUS. — Pro *tenebroso turbine* in Hebræo habetur אפל *opel*, quo vocabulo tenebræ obscurissimæ significantur. Non solum autem optat noctem istam illunem et obscuram reddi, verum etiam turbine procelloso infestari, qualem ut plurimum fulgura, fulminaque et horribiles tonitruorum fragores comitari solent.

Notat hic Pineda noster turbinis nomine cœlitus ejaculati significari solere divinitus illatum supplicium. Nam Prophetæ rem arcanam humanis symbolis describentes, Deum inducunt velut in campum ingredientem contra insensatos flammifero curru invectum, cinctum fulminibus et procellis, quas dira et insuperabili potentia in caput inimicum effundat. Sunt illa *Jerem.* XXX, 23: « Ecce turbo Domini furor egrediens, procella ruens, in capite impiorum conquiescet; » apud Nahum quoque, cap. I, 3 : « Dominus in tempestate, et turbine viæ ejus, et nebulæ pulvis pedum ejus; » similiter apud Isaiam, cap. XXX, 30: « Terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris, et flamma ignis devorantis : allidet in turbine, et in lapide grandinis. » Rursus tenebræ permixto turbine pericula significant, ubi nulla evadendi spes, nulla sani consilii capiendi lux affulgeat. Quando igitur petit ut cum nocte turbo misceatur, tristissima rerum facies et deploratus omnino status inducitur.

Quo sensu nox illa computari potuerit in diebus anni et numerari in mensibus?

Sed quid est, quod cum obscuram de se noctem tot exoptatis caliginibus densius obtenebrarit, velut inconsiderate hoc excidit verbum : « Non computetur in diebus anni? » Profecto nox non inter dies, sed inter noctes computari assolet. Ecquis obscuram noctem in fulgentium dierum serie commemoret? Clara, ut opinor, diei lux obscuræ noctis tenebras vel a commemorationis sui consortio eliminabit, nec præeuntem subsequentemve diem nox pati poterit, quin ejus caligo lapsu fugitivo luci cedat. Quo ergo pacto hæc abjectissima nox inter dies poterat supputari? Exinde, ut perite notavit Pineda noster, cum non nisi dies sit, qui in diebus anni computari possit, existimarunt aliqui hanc etiam sententiam ad diem pertinere, quem propter nubila noctem appellet. Verum S. Basilius, homil. 2 *in Hexaemeron*, quem commentatorum proceres sequuntur, de nocte dictum putat, quod in diebus anni minime computetur. Scilicet nota erat a mundi incunabulis tenebricosæ noctis elatio, et ineundæ societatis cum luce lubrica ambitio, adeo ut nesse fuerit, ut Deus a luce tenebras segregaret, *Gen.* I, 4 : « Et divisit lucem a tenebris, appellavitque lucem diem, et tenebras noctem : » quasi tenebricosus noctis squalor prælustrem diei claritatem de ejus consortio ambierit. Ergo Jobus arrogantiam noctis percallens, et superbiam de vilitate excrescentem perspectam habens, cum illam ignobiliorem et abjectiorem videt, tot dehonestamentis et contumeliis obscuriorem, ne veteres phantasias adhuc patiatur, et de abjectione arrogantiam resumat, vel quod elatiori animo ambitiosius præsumeret, præmature retundit, et præpropero maledicto præcavet, « ne computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus : » nempe de obscuri hominis ingenio obscuram noctem consultissime taxat.

Job vult diem natalem suum e kalendario expungi.

Quod autem ait : « Non computetur in diebus anni, » idem est ac si dicat : E kalendario et fastis publicis expungatur. Hactenus enim dies ille, ut passim principum natales solent, a Jobi subditis in fastos relatus genialibus quotannis epulis ac festivis gaudiis celebrabatur, et inter præcipuas anni solemnitates computabatur; unde Chaldæus sic exponit, *non computetur in diebus solemnibus anni, in numerum kalendarum mensium non veniat.* Cui expositioni favet id quod in secundo dicitur hemistichio : « Nec numeretur in mensibus : » nam primi quique mensium dies, qui *kalendæ* aut *neomeniæ* vocabantur, valde olim solemnes habebantur; cæterum cum nulla omnino dies sit aut nox, quæ non anno aut mense aliquo contineatur, quando diem nativitatis et noctem conceptionis suæ ab annis et mensibus exclusam cupit, utramque penitus e dierum et noctium numero sublatam desiderat, et in rerum natura nunquam exstitisse optat.

Vers. 7. 7. SIT NOX ILLA SOLITARIA, NEC LAUDE DIGNA,—hoc est, neque utrinque neque ex altera parte noctem illam nox altera, cum qua posset numerari, complectatur, ita ut nec ex aliarum noctium caliginis suæ squalorem excusare, neque de invidiosis aliarum noctium tenebris suas ipsa tenebras defendere consimilium objectu sordium possit. Porro si nox illa *solitaria* foret, *nec laude digna*, id est neque in notitia hominum versaretur, neque in noctibus numeraretur, licet eadem sorderet caligine, tamen exgrex ab aliarum noctium numero atque consortio non tam tenebrosa quam ipsæ tenebræ diceretur; scilicet tametsi aliæ utrinque noctes, quibus nox illa adnumeraretur, illam nova caligine minime infuscarent, saltem de consimilis obscuritatis consortio tenebrarum invidiam nequaquam extenuarent. Cæterum in principum natalitiis nuptiisque, ut et in victoriis ac triumphis celebrioribus, noctes festivis ignibus illustrari, et saltibus, tripudiisque ac choreis ad musicos numeros adaptatis, et omnis generis lætitiæ signis, maximo populi concursu et plausu olim et etiamnum hac ætate nostra celebrari consuevisse omnibus notum est.

Noctes quæ festivæ sint aut inauspicatæ.

Hæc itaque omnia gaudii, laudis et exultationis signa procul a die nativitatis et nocte conceptionis suæ removet, quam ut inauspicatam et fatalem solitariam esse cupit, in qua nemo in publicum prodire, aut conventus vel convivia celebrare audeat, sed quilibet planctu et luctu vacet; unde Septuaginta locum hunc ita transferunt, ἀλλὰ ἡ νὺξ ἐκείνη εἴη ὀδύνη, καὶ μὴ δόξει ἐπ' αὐτὴν εὐφροσύνη μηδὲ χαρμονή, *sed nox illa sit dolor, et non veniat super eam lætitia neque gaudium.* In noctibus enim inauspicatis et tristibus non solent institui hominum conventus, nisi forte ad publicum aliquem planctum aut lamentum, quod animos contrahat, et lacrymas cieat.

Vers. 3 MALEDICANT EI QUI MALEDICUNT DIEI, QUI PARATI SUNT SUSCITARE LEVIATHAN. — Locus hic plane arduus est, in quo extricando valde sudat commentatorum industria. An non satis superque a se maledicta est nox, in qua Jobus conceptus fuerat? ut quid auxiliarem aliorum maledicentiam advocat? Quid, quæso, addere possunt ad dira, quæ illi nocti Jobus ipse imprecatur? *Maledicant*, ait, *ei, qui maledicunt diei*, q. d. Acerbiores his contumelias opto jactari in obscuram illam noctem, unde rei obscuræ vituperatores non advoco, sed eos qui puro, præclaro et nitido diei effusius maledicunt, scilicet qui præclarissimis quibusque rebus solent probrosius maledicere, obscurissimis parcunt. Ne ergo eorum maledicentia obscuræ nocti parcat, quin illi suas tenebras exprobret, qui in clara diei luce nævum reperit, quem lingua acerbius culpet, maledicat obscuræ nocti de mea nativitate infaustæ, et de tenebrarum lenocinio suspectæ. *Maledicant ei, qui maledicunt diei*, nimirum atrociorem maledicentiam expetit, cupitque de more ne parcat tenebris, quæ luci parcere non solet, imo ut maledicentia edocta culpare etiam ea quibus nihil inest culpandum, sed potius laudandum, transeat ad noctem caliginis ream et facinorum officinam. Maledicere porro diei solent qui gravem aliquam calamitatem acceperunt, quam cum non possint depellere, diem, qua eam subierunt, detestantur; quos vult Job ut unusquisque diem suam prætermittens secum noctem, qua ipse conceptus fuit, maledictis insectetur, *q. d.* Omnes maledictiones et imprecationes ab aliis rebus in hanc noctem convertantur.

Qui claram diem detractione vituperat obscuræ nocti parcit.

Atlantes solem execrantur.

Putat Pineda noster sanctum Jobum alludere ad morem Atlantum, qui juxta montem istius nominis in Æthiopia commorantur: hi enim, testibus Herodoto, Plinio et Mela, solem, tam dum oritur quam dum occidit, execrantur, eo quod torridus et ipsos et regionem ipsorum perdat. Sanctius vero noster censet hic alludi ad morem Hebræorum (quem Idumæos quoque imitari solitos fuisse satis probabile est), qui in luctu lamentatrices feminas virosque lamentatores pretio conducebant, quibus familiare ac venale erat artificium simulate lugendi : sic lib. II *Paralip.*

Feminæ et viri ad lamenta conducti.

http://www.obrascatolicas.com

cap. XXXV, 25 : « Omnes cantores atque cantatrices usque in præsentem diem lamentationem supra Josiam replicant : » similiter Amos, cap. V, 16 : « Vocabunt, inquit, agricolam ad luctum, et ad planctum eos qui sciunt plangere, » ubi vocantur ad planctum non solum agricolæ, qui ex animo lugent, cum lacrymas et planctum simulare nesciant, sed etiam qui *sciunt plangere*, id est qui plangendi et lacrymandi simulatoriam artem didicerunt. Alios item ejusdem farinæ homines, ut veneficos, hariolos, divinos, astrologos, genethliacos et similes impostores, quibus superstitiosa plurimum tribuebat antiquitas, ad maledicendum quoque mercede conduci consuevisse constat *Num.* XXII, ubi Balac rex Moabitarum Balaam hariolum conduxisse memoratur, ut Dei populo malediceret, sperans istusmodi maledictione vires illius populi infirmandas, et facili negotio retundendas atque infringendas fore. Simile quid Idumæis quoque non minus superstitioni deditis usu venisse satis probabile videtur, utpote qui istiusmodi verbis execratoriis vim quamdam occultam inesse existimarent, qua vel a se averterent, vel in inimicos mala omnia converterent. Id autem quod sequitur :

QUA PARATI SUNT SUSCITARE LEVIATHAN.— Septuaginta vertunt, ὁ μέλλων τὸ μέγα κῆτος χειρώσασθαι, *qui habet magnum cetum opprimere*, scilicet istum piscem grandem, cujus *infr.* cap. XL fit mentio; Aquila, οἱ παρεσκευασμένοι ἐξεγεῖραι Ασυαθάν, *qui parati sunt excitare Leviathan*; Symmachus, οἱ μέλλοντες διεγείρειν τὸν Ασυαθάν, *qui habent suscitare Leviathan*; Theodotion, οἱ ἕτοιμοι ἐξυπνίσαι δράκοντα, *qui prompti sunt expergefacere draconem*, scilicet balenam proprio nomine *Leviathan* appellatam; quæ vox hebraice *societatem eorum* significat, quia scilicet ingenti sua mole ac magnitudine ita pisces omnes superat, ut integer quodammodo mons piscium videatur. Hoc igitur modo *Leviathan* accipiendo alluditur ad istiusmodi ceti capturam, cui nautæ et piscatores intenti maledicere solent diei tanquam piscationi maxime incommodo; quos petit Jobus ut diei nativitatis suæ secum potius maledicant, utpote longe magis infortunato, quam quo ipsi sperata præda frustrantur, vel minus cauti ad illam propius quam par est accedentes, præda facti male pereunt. Ubi ad maledicorum mores aptissime notat S. Thomas, quod « illi qui hujusmodi magnos pisces piscantur, de nocte eos invadunt in tenebris; et ideo, quando dies incipit apparere, maledicunt diei, quia per hoc eorum opus et intentio impeditur; » scilicet non ideo maledico ore in diem invehuntur, quia vel nævum in eo notent, qui possit reprehendi, siquidem totus pulcher est, splendidus, proficuus, salutaris; at dum vile ipsorum opus et quæstuariam intentionem impedit, idcirco illi maledicunt, illumque maledico ore atrociter proscindunt, et quia ipsorum avaritiæ non servit, et proposito non obsequitur, ideo acerbiori vituperio illum infamant. Quare cum optime nosset Jobus quam sit temeraria illorum maledicentia, quæ vel innoxios culpat, quia ipsorum scopo, scilicet avaritiæ aut ambitioni, (etsi justissime) non favet, ad acerbiora exosæ sibi noctis vituperia non advocat obscuræ noctis vituperatores, sed quibus inculpato et præclaro munere dies nocet, dum prælustribus radiis eorum opus et scopum impedit.

Leviathan quid significet.

Alii vocem *Leviathan* cum Chaldæo, R. Kimchi, Vatablo et passim recentioribus interpretantur *lamentationem* seu *luctum suum*, uti videre est apud Pagninum in voce לוה *lavâ*, et apud Guidonem Fabricium in *Lex. Syroc.* in voce לוה *leva*; aiuntque Jobum hic alludere ad veterum tibicines, planctores ac planctrices quas Nonnius Marcellus, Festus Pomponius et M. Varro *præficas* vocant, eo quod planctui præficerentur, de quibus vide *Jerem.* cap. IX, vers. 17, et ibidem Cornelium nostrum, aliosque interpretes et Pinedam cum Sanctio ad hunc locum. Ego autem secundum litteram hoc loco existimo metaphorice Leviathan capi pro diabolo, ita ut *qui parati sunt suscitare Leviathan* idem sit quasi dicat : Qui ex impatientia vel desperatione parati sunt dæmones invocare, ac diras ciere, huic mecum diei nativitatis et nocti conceptionis meæ maledicant : omnia enim sic optime cohærent, et sensus est simplicissimus, qualis in aliis sacræ Scripturæ metaphoris; atque huic expositioni favet Lyranus ad hunc locum his verbis : « Per *Leviathan* intelligitur diabolus, quem suscitare habent mali homines ei obedientes, » qui quasi dormientem excitant, dum ex se et non ex illius suggestione peccant. Tropologice S. Gregorius, lib. IV *Moral.* cap. XXIV : « Omnes, inquit, qui ea quæ mundi sunt mente calcant, et ea quæ Dei sunt plena intentione desiderant, Leviathan contra se suscitant, quia ejus malitiam instigatione suæ conversationis inflammant. » Hæc vide fusius a S. Gregorio loco citato deducta, ubi eleganter ostendit diabolum quieto quasi jure possidere illos qui sponte sua vitiis se dedunt, eos vero maxime impugnare consuevisse, qui cœlestibus rebus expoliti sunt, et singulari animi voluntate cum Deo copulantur. Idem argumentum pulchre tractat Origenes, homil. 2 *in Exod.* cap. I, id ipsum probans exemplo Pharaonis Israelitas persequentis, quando ad sacrificium Deo offerendum abeundi facultatem sibi fieri postulabant; similiter homil. 3 *in Exod.* et homil. 12 *in Num.*, idem confirmat exemplo Idumæorum, uti et Jobi lib. I *in Job.* De eadem re lege S. Basilium, homil. 7 *in Psal.* XXIX, et epist. 79 *ad Eustoch.*; et S. Chrysostomum, homil. 3 *in Isai.* cap. VI item S. Hieronymum lib. II *Adver. Pelag.* et epist. 1 *ad Demetr.* et lib. VI *in Isai.* cap. XIV necnon S. Augustinum, serm. 18 *De Verb. Dom. in Matth*, et serm. 85 *De Temp.*

Leviathan chaldaice significat lamentum.

Leviathan pro diaboli sumitur.

Diabolum contra se suscitant qui ad perfectionem aspirant.

9. OBTENEBRENTUR STELLÆ CALIGINE EJUS : EXSPECTET LUCEM, ET NON VIDEAT, NEC ORTUM SURGENTIS AURORÆ. — Pergit nocti conceptionis suæ maledicere; et sicut vers. 7 ab ea removerat externa quæcumque ornamenta, quæ vel ob festa nuptialia, vel ob faustum magni alicujus principis ortum, vel ob insignem quampiam victoriam, aliamve ob causam, festivis ignibus, genialibus epulis, choreis ac tripudiis, aliisque lætitiæ signis et populi plausibus noctem aliquam celebrem reddere consueverunt : ita nunc naturalibus quoque illam splendoribus, a lunæ stellarumque luce promanantibus, frustrari ac penitus destitui postulat, necnon tam densa caligine obtenebrari, quæ nulla luce pelli aut dissipari valeat, adeoque perpetuis teterrimisque tenebris obducatur, quibus nulla unquam amplius succedat dies, quæ ægro aliquod animo mœroris levamentum adferre possit; unde non plenam duntaxat lucem, qualis ab exorto jam sole orbi affulget, sed imperfectam quoque et dubiam, qualis ab aurora diffunditur, prorsus excludit. Porro per tantam hanc obscuritatem non solum petitur et intenditur exterior illa tristis et horrenda tenebrarum opacitas, quæ a densissimis nubibus exsistit, sed omnimoda etiam rerum omnium calamitas, et interior animi obnubilatio, tristitia et afflictio significatur, phrasi scilicet Hebraica, qua sicut per lucem omnia bona, ita per tenebras omnia mala intelliguntur.

Lux bona, tenebræ mala designant.

Argute locum hunc Celada noster *in Tob.* cap. III, 6, § 119, expendens : Nescio, inquit, an satis idonee hæc dixerit Jobus, et calamitate turbato hæc verba minus consulte exciderint. porro cum nox tenebris constet, et ejus essentia, qualis illa sit, de tenebris subsistat, nil tam noxium et exitiale erit nocti quam albicantis auroræ lux, quæ ejus interitum prænuntiat, et nitidus fulgentis solis exortus, cujus splendoribus nox occidit, perit et tumulatur. Ergo felicitatem illi nocti apprecatur, non dire maledicit, dum exoptat, ut nox illa solem non videat, nec ortum surgentis auroræ : sic enim diuturniorem in suo esse durationem exoptat, et esse illius noctis altius fundat. Hæcne execratio dira? an benevola benedictio, et boni imprecatio? nisi forte aliquorum esse, adeo est vile et contemptum, ut nil apprecari possis illi æque infestum ac dirum. Verum valde fallor, nisi spei molestias loculenter hoc loco Jobus exaggerat, scilicet nil æque felix aut faustum illi nocti evenire poterat, quam lucem surgentis auroræ, cujus exortu splendide tumulatur, non videre; at dira maledictio est, qua exosam illam noctem ferit, cum Jobus æternam optat esse noctem, cui nulla succedat dies, ut ad hunc locum perite Sanctius noster annotavit, quasi dicat Jobus noctem dire exsecratus : Illa mihi infesta et exsecrabilis diem, id est, suum interitum et tumulum exspectet, nec illum unquam videat; nam etsi imprimis esset faustum nocti illi lucem non videre; at tanta est suspensæ et vanæ spei molestia, tamquæ est ærumnosum diu exspectare quod nunquam veniet, ut tametsi illud non advenire magna felicitas sit, acerbe tamen exspectatione diuturna torqueatur. Nempe diu duret felix illa nox exsecranda, dum tamen suæ speratæ felicitatis spebus excrucietur, plus enim molestiarum sentiet sperando, quam gaudii, suam felicitatem diu possidendo.

Inimicorum quandoque vota sunt, ut quis diu sit quod est.

Ingratis spei molestia vel ipsam felicitatem infelicitat.

Tropologice S. Gregorius lib. IV *Moral.* cap. XXIV, hæc nonnihil aliter ad pium sensum trahit, ita videlicet ut per *caliginem* levissima quædam delicta atque imperfectiones minimæ significentur, quæ viris justis insint; quas procul dubio, divina opitulante gratia, qua maxima vitia vitarunt ac superarunt, delere facile possent, sed Deo permittente non delent, ne nimia securitate superbiant, et sui cognitionem atque despicientiam amittant : « Stellæ, inquit, hujus noctis caligine obtenebrantur, quando et hi, qui magnis jam virtutibus splendent, adhuc de obscuritate culpæ aliquid retinentes sustinent, ut etiam magna vitæ claritate luceant, et tamen adhuc noctis reliquias nolentes trahant. Quod ad hoc agitur, ut mens proficiens ad virtutem justitiæ sua melius infirmitate roboretur, et inde verius in bonis luceat, unde eam etiam nolentem parva reprehensibilia humiliter obscurant. » Et paucis interjectis, quæ propositum hoc confirment, exemplis, cap. XXV *ibid.* aliam hujus loci moralem adjungit explicationem, per *stellas* viros sanctos, præsertim Ecclesiæ doctores, intelligens, qui quamvis vitæ sanctimonia et doctrinæ lumine coruscent, tetra tamen ex peccato originali relicta caligine obtenebrantur, qua fit, ut minus clare cœlestia valeant contemplari : « Nox quippe illa, consensus videlicet ad culpam, quæ ad nos primi parentis est excessu propagata, mentis nostræ oculum tanta obscuritate perculit, ut omnis homo in hujus vitæ exsilio, cæcitatis suæ tenebris pressus, quantalibet vi ad æternitatis lumen intenderit, penetrare non possit, » etc. Vide hæc fusius a S. Gregorio loco citato deducta.

Licitatem infelicitat.

Deus sinit sanctos levioribus defectibus obscurari, ne superbiant.

Vitæ præsentis tenebræ non permittunt nos cœlestia contemplari.

NEC ORTUM SURGENTIS AURORÆ. — In Hebræo est, *Nec videat in palpebras auroræ*, quæ sane pulchra est paraphrasis poetica solis orientis, quasi nimirum sol, mundi oculus, antequam exoriatur, aurora, non secus atque hominis dormientis oculus palpebra, operiri videatur. *Palpebras* autem *auroræ* vocat ipsum crepusculum, id est primum albicantis auroræ splendorem, quem alii poetæ *radios, capillos, pennas*, et Homerus *roseos auroræ digitos* appellant. Septuaginta reddunt, ἑωσφόρον ἀνατείλαντα, *luciferum orientem*; verum inter reliquas translationes mihi cum Pineda nostro maxime placet et arridet illa *palpebrarum*, quæ eleganti metaphora ad cœli oculum alludit : aurora enim videtur nobis solem, cœli oculum, quasi post nocturnum soporem et clausa lumina iterum diductis et apertis palpebris vigilantem et videntem mundo reddere.

Palpebra auroræ quid?

http://www.obrascatolicas.com

Allegorice S. Gregorius lib. IV *Moral.* cap. XXVI : « *Ortus*, inquit, *auroræ* est illa nova nativitas resurrectionis, qua sancta Ecclesia etiam carne suscitata oritur ad contemplandum lumen æternitatis; pulchre autem Ecclesia in sacris litteris auroræ comparatur, quia nimirum lux ejus adhuc accrescit usque ad perfectam diem, id est futuram beatitudinem, quæ *lux plena* jure nuncupatur, quia ibi omnia divino jubare circumfusa resplendent, et cœlesti luce splendidissima coruscant. In hac vero vita licet lux plena nemini affulgeat, pii tamen viri aliquid subinde luminis ex illo splendore trahunt, dum per virtutis exercitationem ac rerum cœlestium contemplationem nonnihil quodammodo de æterno illo beatorum gaudio prælibant.

Ecclesia cur aurora nuncupetur.

Vers. 10-12. Job optat non fuisse conceptus, natus aut educatus.

10-12. QUIA NON CONCLUSIT OSTIA VENTRIS QUI PORTAVIT ME, NEC ABSTULIT MALA AB OCULIS MEIS. QUARE NON IN VULVA MORTUUS SUM, EGRESSUS EX UTERO NON STATIM PERII? QUARE EXCEPTUS GENIBUS? CUR LACTATUS UBERIBUS? — Eamdem imprecationem eleganti gradatione amplificat, naturæ ordinem secutus, a conceptione ad nativitatem, a nativitate ad exceptionem sui factam ab obstetrice super genua, et ab hac ad lactationem procedens : *primum* enim optat non fuisse conceptus, ne ærumnosæ hujus vitæ mala sustinere cogeretur. *Secundo*, non fuisse genitus, aut editus in lucem, sed potius in vulva mortuus, aut saltem eodem, quo natus fuerat, die de medio sublatus. *Tertio*, conqueritur sibi jam nato solita tenellæ ætatis subsidia et infantilis infirmitatis fomenta fuisse impensa, quibus ad tantas, in quibus tunc versabatur, miserias et calamitates, mille mortibus molestiores ac graviores, educaretur ac foveretur. Verum hic non nemo fortasse dubitabit, ac sciscitabitur, quomodo S. Job istiusmodi vota, quæ manifestam redolent desperationem, aut licite concipere, aut prudenter pronuntiare potuerit, cum, ut verba sonant, adversus Deum murmurare sibique rem pessimam optare quodammodo videatur, scilicet mortem in peccato originali, et per consequens æternam damnationem.

Quomodo Job licite sibi mortem optarit.

Cui respondendum est S. Jobum hic tantum ærumnas suas cum morte comparare, et hanc prudenter istis præeligere : istiusmodi enim Jobi vota sunt quasi voces puræ naturæ, quam hic sinit naturales suas affectiones et miserias lamentis exprimere ac deplorare. Abstrahit igitur a peccato originali ejusque pœna et futuræ vitæ statu : non sunt enim verba istiusmodi absolutæ voluntatis, sed tantum velleitatis indicia seu signa, quippe quæ contineant votum rei jam præteritæ et irrevocabilis, ac proinde impossibilis, a qua consequenter quævis conditiones excludi, aut eidem adjici aut subintelligi possint. Poterat ergo Job optare se in vulva mortuum fuisse, seclusa scilicet morte in peccato, aut si ab eo per sacramentum ordinarium, aut modum extraordinarium, et Dei clementiam ac privilegium ante mortem in utero cum Joanne Baptista et Jeremia expiatus fuisset, ac gratia Dei donatus. Deinde, si dicamus Jobum hic naturæ humanæ personam sustinere, et non tam de peculiari sorte sua, quam de communi ætatis illius hominum loqui, facile patet, cur eo modo, quo dixi, abstrahat : cum enim tunc necdum ulla essent sacramenta ex *opere*, ut theologi loquuntur, *operato* justificantia, sed ad justificationem de necessitate medii contritio supernaturalis, cujus actus longe difficillimus nobisque admodum incertus exsistit, requireretur : cum præterea Deus tunc temporis multo parcius quam modo gratiam suam elargiretur, et magna insuper mediorum salutis esset ignoratio, ac proinde millesimus quisque vix salvaretur; æque profecto, vel potius multo magis dubium erat, an quis tunc in lucem editus a peccato originali omnino expiandus foret, et ab omni ejus labe emaculandus; et deinceps semper in justitia victurus, aut certe in illa moriturus esset : an vero ab originali labe minime purgandus, et postmodum gravius peccaturus, indeque gravius damnandus esset, quam si in sola originis culpa moreretur : prudenter utique majori malo, periculo ac damnationi minor præeligitur, juxta commune axioma, quod ex duobus malis minus eligendum docet.

Cur Jobus noctem nativitatis tot injuriis minime dehonestet.

Merito igitur tot patientissimi Jobi querelæ probro non dantur, quasi non fuerint impatientiæ nota, sed calamitatum indicium, quo ejus ærumnosus dolor taxetur, ne stolide insensibilis putaretur : audi Chrysostomum in *Caten.* hoc ipsum ejus virtuti adscribentem : « Ac vide, inquit, hominis pietatem, ut iracundiam omnem in diem effundat, nec lineam hanc transilire audeat, semperque diem ac noctem inculcet : *Quia non conclusit ostia ventris qui portavit me,* » etc.; ubi notat suspicitque viri pietatem et innoxiam iracundiam, ut quæ in diem ac noctem dumtaxat maledictorum injurias effundat, neque lineam hanc transilire audeat, ne creaturam aliquam injuriæ capacem injuriis feriat : imo neque has inanimatas et insensibiles creaturas jactatis contumeliis ullatenus dehonestat, dum frivolam jactatorum scommatum causam consultissime subdit : « Quia non conclusit ostia ventris qui portavit me. » Nempe dum inanem esse probrorum causam ostendit, contumelias fore cassas et irrito effectu nullas declarat : nam injuriæ causa est optimus illius æstimandæ interpres, siquidem infamiam non facit probrosa pœna, sed culpabilis causa; unde ut rationabilis foret jactata contumelia, quia reatum in nocte non invenit, ubi posset exercere infamiæ judicium, non modo rei injuriis affectæ non infuscat famam, sed illi sponte præbet obsequium, et illæsus contumeliis honor ipsis honoratur opprobriis, indeque sospes enatat, unde credi poterat naufragium subiisse : itaque jactatæ contumeliæ causa expultrix contumeliæ est, ac bonæ famæ vindex exsistit.

Tropologice S. Gregorius lib. IV *Moral.* cap. XXVII, quatuor in peccato gradus assignat, conceptioni, nativitati, gestationi super brachia et infantis lactationi respondentes : « Quatuor, inquit, modis peccatum perpetratur in corde, quatuor consummatur in opere : in *corde* namque suggestione, delectatione, consensu et defensionis audacia perpetratur : fit enim suggestio per adversarium, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elationem; unde et illam primi hominis rectitudinem antiquus hostis iis quatuor ictibus fregit, » etc.: ita S. Gregorius, qui hæc fusius *ibid.* cap. XXVIII, XXIX et XXX, prosequitur, ac pulchre dilatat. Non absimilem B. Jacobus in Cath. sua epist. *Jac.* I, 14, peccati conceptionem et partum describit his verbis : « Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit generat mortem, » ubi observare est insignem metaphoram ab humana generatione petitam, secundum quam mater peccati est *concupiscentia* habitualis; *semen* est titillatio seu delectatio, quam ingerit concupiscentia; *pater* est libera voluntas; *proles* est ipsum peccatum, quæ proles vel adhuc imperfecta est, ut embryo, v. g. peccatum ex indeliberatione veniale; vel omnino formata, ut peccatum mortale deliberatum : *nepos* denique est mors, scilicet æterna gehennæ. Hinc patet *primo*, concupiscentiæ motus sine conceptu et consensu voluntatis nulla esse peccata; tum quia impossibile est visis non affici et communi sensu non moveri; tum quia de ratione peccati est esse voluntarium : de quo vide D. Augustinum lib. VI *Contr. Julian.* cap. I. Patet *secundo* quædam peccata esse natura sua venialia, scilicet ea quæ non sunt plene deliberata.

Peccatum quatuor modis tam in corde quam in opere consummatur.

Peccati progenies et genitura qualis.

Vers. 13. Mors somno comparatur.

13. NUNC ENIM DORMIENS SILEREM, ET SOMNO MEO REQUIESCEREM. — Adverte mortem hic et alibi passim in Scriptura *somnum* et *dormitionem* appellari : sic III *Reg.* XIV, 31 : « Dormivit Roboam cum patribus suis, » similiter et Jeroboam; Apostolus quoque ait I *Cor.* XV, 6 : « Quidam autem dormierunt; » et I *Cor.* XI, 30, « dormiunt multi; » expressius vero Christus de principis synagogæ filia jam defuncta loquens *Luc.* VIII, 52 : « Non est, inquit, mortua puella, sed dormit; » eodem modo Lazari mortem *dormitionem* vocat dicens *Joan.* XI, 11 : « Lazarus amicus noster dormit : sed vado ut a somno excitem eum. » Sicut enim somnus ad requiem sensuum a natura ordinatur, atque adeo vitæ hominum accommodatus est, ut hæc sine illo transigi non possit, ita quoque mors justorum ad vitam et requiem conducit sempiternam; unde Spiritus *Apoc.* XIV, 13, *beatos* vocat mortuos, « qui in Domino moriuntur, » id est in Domini sinu quasi dormientes conquiescunt; quo sensu scilicet B. Stephanus, ut legitur *Actor.* VII, 60, « obdormivit in Domino. » Mors ergo justorum jure merito *somnus* nuncupatur, tum propter summam quietem mentisque tranquillitatem qua in ipsa morte potiuntur, ut dulcem potius somnum capere quam mori videantur; tum etiam, quia sicut somnus præteriti laboris intermissio et requies exsistit, ita sancti per mortem a molestis vitæ hujus laboribus requiescunt; quam ob causam Spiritus ibid. subdit *Apoc.* XIV, 13 : « Ut requiescant a laboribus suis. » Hæc quies a Psalmista quoque cum somno conjungitur cum ait *Psalm.* IV, 9 : « In pace in idipsum dormiam et requiescam, » quo etiam referri potest illud quod de Moyse dicitur *Deut.* XXXIV, 5 : « Mortuus est Moyses servus Domini in terra Moab jubente Domino, » seu, ut ex Hebræo alii transferunt, *super os Jehovah*, vel, *ex osculo Jehovah*, ut sit sensus, *q. d.* Sicut mater dormientem in sinu suo infantulum solet ore ori suaviter applicato in lectulo reclinare; ita Deum quoque Moysem servum suum charissimum veluti impacto per mortem osculo in sinu Abrahæ, quasi quietis lectulo, collocasse. Sunt et alia quam plurima in Scripturis loca quibus mors cum somno comparatur ob maximam ad invicem cognationem, quam etiam ethnici naturæ instinctu agnoverunt; unde Socrates dicere solebat mortem esse similem profundo somno aut diutinæ peregrinationi : somnus enim profundior non secus ac mors adimit omnem sensum, et animus a corpore digressus aliquando in suum domicilium rediturus est.

Justi in morte quiescunt.

Cum ergo mortui sint ad vitam revocandi, jure merito mors *somnus* nuncupatur, præsertim jam post Christi resurrectionem, per quam mors superata est, et finem accepit, quæ alioquin æternum fuisset duratura; atque hæc est mortis victoria, et mors mortis, ut Apostolus eam appellat I *Cor.* XV, 54. Quando igitur Scriptura mortem *somnum* vocat, mysterium insinuat, quod Christus morte sua nostram mortem occidendo, et resurrectione sua vitam nobis restituendo mirabiliter operatus est : « in Christo *enim* omnes vivificabuntur, » I *Cor.* XV, 22. Ab hac metaphora et veritate Paulus argumentum accipit ad consolandum eos qui defunctos lugent, ut nimirum luctui suo moderentur consideratione resurrectionis, certo credentes eos aliquando evigilaturos, et ad vitam redituros : similiter S. Ambrosius in orat. *De Excess. fratr. sui Satyri*, die septima post ejus obitum habita, eleganter ostendit et probat mortem minime lugendam esse : primum, quia communis est, et cunctis debita : deinde, quia nos ærumnis hujus sæculi absolvit; postremo, quia somni specie, postquam a mundi hujus labore requievimus, vigor nobis vivacior refunditur : « Quem dolorem, inquit, non soletur resurrectionis gratia? quem non excludat mœrorem, si credas nihil perire morte, imo ipsius celeritate fieri plus perire ne possit. » Idem in oratione funebri *De Obitu Valent.* sic ait : « Quæro utrum aliquis sit post mortem

Christes mortem nobis in somnum convertit.

Cur mors

http://www.obrascatolicas.com

trimenda non sit.

sensus, an nullus : si est, vivit; imo quia est, vita jam fruitur æterna. Quomodo enim non habet sensum, cujus anima et vivit, et viget, et remeabit ad corpus, et faciet illud cum refusa fuerit reviviscere? Clamat Apostolus I *Thess.* IV, 12 : *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent : nam si credimus quod Jesus mortuus est, et resurrexit : ita et Deus illos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.* Manet ergo eorum vita, quos manet resurrectio. Quod si gentes, quæ spem resurrectionis non habent, hoc uno se consolantur quo dicant, quod nullus post mortem sensus sit defunctorum, ac per hoc nullus remaneat sensus doloris; quanto magis nos consolationem recipere debemus, quia mors metuenda non sit, eo quod finis sit peccatorum; vita autem desperanda non sit, quæ resurrectione reparatur? Job quoque docet nec mortem timendam, et potius optandam piis, dicens cap. XIV, 14 : *Si enim mortuus fuerit homo vivet : consummans dies vitæ meæ sustinebo donec iterum fiam.* » Pulchre etiam S. Bernardus epist. 105, quæ est *ad Roman.* romanæ curiæ subdiaconum : « O quam beati, inquit, mortui qui in Domino moriuntur, audientes a Spiritu, ut requiescant jam a laboribus suis : non solum autem, sed et succedit jucunditas de novitate ac de æternitate securitas. Bona proinde mors justi propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. »

Mors justis bona et salutaris est multas ob causas.

Mors justorum dulcis somnus est.

Ex dictis patet *primo* justorum hominum occasum non tam mortem quam somnum esse (quo nomine a Jobo aliisque hagiographis Antiqui Testamenti, nec non in evangelio et apostolorum monumentis vocatur) et quidem placidissimum, qui totum hominem mirabili jucunditate perfundat, et qualis ab Homero divis attribuitur plane ἥδυμος, id est *inusitatæ* et dulcissimæ *suavitatis*, quem esse dotem eximiæ felicitatis antiqui putaverunt : quare Hesiodus in operibus bona enumerans quibus homines in aurea ætate perfruebantur, ait illos mori consuevisse ὡς ὕπνῳ δεδμένοι, *ut somno dulci perfusos.* Unde natum illud dulce scribentium mendacium, qui cum vellent Taprobanam insulam pingere ut hedenæum quemdam hortum omnium bonorum exquisita copia redundantem et eximia felicitate mirabilem, dicunt homines vitæ saturos, si occumbere morte voluerint, herbulam quamdam apud se natam capere; cui cum indormierint, ἀπόνως, ut ait Diodorus Siculus lib. II, *sine labore* et absque ullo sensu molestiæ, veluti suavissimo quodam somno correptos, extingui. Verum nullæ fabulæ, quantumvis concinnæ, atque acutissimo ingenio excogitatæ, hunc piorum hominum somnum expresserint, quorum animæ vere aureæ pro taprobanica herbula gratiam habent suavitatis conciliatricem, cui cum indormierint jucundissime emoriantur, qualem omnino mortem Job censet expetendam. Patet *secundo* nullam

Taprobanica herba qualis.

justis in hac misera vita requiem sperandam esse, sed in altera illa beata, siquidem in *Apoc.* XIV, 13, Spiritus *amodo*, id est a tempore mortis, dicit viros sanctos requieturos esse a laboribus suis, haud obscure significans labores usque ad finem vitæ duraturos, et optatam requiem a morte et non antea exspectandam esse : vide de hoc argumento plura cap. IX, 18 notata.

In hac vita non est speranda quies, sed in futura.

14. CUM REGIBUS ET CONSULIBUS TERRÆ, QUI ÆDIFICANT SIBI SOLITUDINES. — Septuaginta vertunt, μετὰ βασιλέων βουλευτῶν τῆς γῆς, εἰ ἐγχυριῶντο ἐπὶ ξίφεσιν, *cum regibus consiliariis terræ qui gloriabantur in gladiis* : expende modo in quo illa duo inter se possint convenire, scilicet *ædificare solitudines* et *gloriari in gladiis*; siquidem *in gladiis gloriari* idem est quod de multitudine exercituum extolli, et frequentiam fortissimorum militum ostentare; *ædificare* vero *solitudines* est omni frequentia et auxilio militari penitus destitui, et omni insuper hominum consortio carere. An idem possit esse in regibus et principibus *gloriari in multitudine exercituum*, quod *ædificare sibi solitudinem?* profecto idem prorsus est : dum enim princeps quispiam numerosissimum conflat exercitum, et fortissimorum militum delectum facit, copiasque suas in immensum adauget, sæpenumero *ædificat sibi solitudinem*, et populis ac regnis inducit vastitatem; et tandem aliquando ab omnibus derelinquendus, solus divinæ iræ reservatur, ut miserabili fine vitam concludat : testis hujus rei locupleS est Xerxes ille regum potentium miraculum, qui tumore et ambitione persica vel ab ipsis magnis montibus sibi honoris causa verticem inclinari cupiebat, qui minabatur fluminibus, qui oceano, quasi naturæ dominus, vincula injiciebat, duxit ad Thermopylas quingentas et viginti octo myriadas bellatorum, cum *myrias* decem hominum millia contineat : quo exercitu nescio an ullus unquam major fuerit. Itaque fluvii exsiccabantur, seges agrorum omnis, prata viridia, silvæ ingentes, Europæ et Asiæ fructus, ut a locustis numero infinitis consumebantur. Sed quis tandem finis expeditionis? regis fuga, pavor ingens, dedecus immortale, multorum millium mors, hostium præda, lætitiæ et triumphi : quis unquam adeo in gladiis gloriatus fuit, et tantam sibi ædificavit solitudinem? Simile est quod de Attalo rege Gotho scribit Paulus Orosius circa finem lib. VII, memorans ipsum cum incredibili, Xerxiana vix inferiore, ter mille et ducentarum navium classe Romam contendisse; cumque jam in littore innumerabilem fortissimorum militum exercitum ad urbem invadendam exposuisset, nescio quo panico terrore subito correptum, et in fugam versum, prima quaque arrepta navi solum Carthaginem rediisse, ibidemque continuo militari manu interfectum miserrime occubuisse. Ecce tibi Attalum inauditam maximarum navium multitudinem fabricantem; ecquid tandem in tanto navium numero princeps potentissimus

Vers. 14.

Quomodo idem sit *gloriari in gladiis* et *ædificare solitudinem.*

Xerxis in numeroso exercitu vana gloriatio.

Attali miser exitus.

sibi ædificavit nisi solitudinem, quando solus unica navi Carthaginem fugit pœnas ibi irato Numini daturus? Ex his et aliis innumeris, quæ brevitatis causa omitto, exemplis luculenter, ut opinor, patet, quam vere principes et reges, qui in gladiis gloriantur, plerumque sibi ipsis solitudinem ædificent.

Reges æque miseri et mortales ac plebii.

Cum igitur S. Job, uti sapiens erat, istiusmodi regum et magnatum miseras vicissitudines et calamitates haberet penitus exploratas, atque ipso jam usu et experientia comprobatas, jure merito ad quietem et malorum tantorum finem vel per ipsam mortem anhelat : tantis enim malis vita hæc repleta est, ut comparatione sui mors remedium putetur esse, non pœna; neque melior est regum consulumque hac in parte quam plebeiorum conditio, quos eadem manet sors, et non minus in marmoreo tumulo, quam pauperes in suo pulvere aut etiam insepulti putrescunt. Facessat igitur Tribonianus, mirus quidem civilium legum interpres, sed effractor violatorque divinarum, et a christiana religione abhorrens. Hic (ut ait Suidas) adulator καὶ ἀπατεών, *et impostor*, persuadere Justiniano imperatori conatus est eum nunquam moriturum, sed cum carne in cœlum assumptum iri : stulta omnino impiaque persuasio, quam ipsi orientis imperatores invento sane pulcherrimo, et in primis salutari confutaverunt : nam coronato imperatori inter pompam regiæ magnificentiæ gloriæque tubas undique resonantes supremi aulæ palatini e vario marmore frusta offerre solebant, et rogare, quo ex genere fieri sibi monumentum vellet, ut se moriturum agnosceret. Certe si Tribonianus cum Jobo ad regum consulumque sepulturas, et mausolæa solitudinesque, quas sibi ædificant, frequentius divertisset, atque in iisdem marcescentis gloriæ exuvias et furentis libitinæ spolia potentissimis terrarum dominis detracta sagaci mentis oculo accuratius perlustrasset, haudquaquam sane tam vesanus aut excors exstitisset, ut crederet persuadere Justiniano se posse eum nunquam extremum vitæ diem obiturum. Sed puerile omnino et ridiculum id erat, cum non modo imperatores maximi, sed ipsa quoque florentissima olim imperia jacuerint. Quare Agapetus Diaconus, cap. LXVII, in aureis suis monitis ad Justinianum morti scite attribuit παμφάγους ὀδόντας, *omnivores dentes*, quos infligit, inquit, omnibus, nihil reverita ἀξιωμάτων λαμπρότητας, *dignitatum splendores.* Hæc igitur atque similia meditari oportet eos qui sibi in vita et in morte consultum esse voluerint : nam, ut bene monet S. Leo, serm. 5 *De Jejun. sept. mensis*, « hæc sollicitissima meditatio esse debet sapientis, ut quoniam breves dies istius vitæ et incerta sunt spatia, nunquam sit mors morituro improvisa, nec inordinatum incidat finem, qui se novit esse mortalem. » Sanctus quoque Hieronymus, magnus et ipse doctor sapientiæ, tanti fecit hanc meditationem, ut ad labes vitiorum eluendas parandamque vitæ christianæ perfectionem putet sufficere; unde illud tanto ingenio dignum acroama : « Facile contemnit omnia qui se semper cogitat moriturum : » hoc utique quisquis seria secum et attenta cogitatione pervolvit, et assidua meditatione sibi penitus inculcat, conatur in primis, quantum mortalis quidem et instabilis hujus vitæ conditio patitur, inanes omnes rerum futilium ac noxiarum cogitationes excludere, omnes pravas animi affectiones in gyrum rationis reducere, omnesque morum labes emaculare, et quasvis etiam minimas imperfectiones, quoad cum divina gratia fieri potest, sedulo emendare ac penitus oblitterare studet, ad omnimodam spiritus puritatem et omnis terrenæ concretionis vacuitatem ac solitudinem cum Jobo mystice suspirans et exclamans : « O utinam dormiens silerem, et sumno meo requiescerem cum regibus et consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines. »

Tribonianus frustra Justiniano pollicitus est immortalitatem.

Quibus verbis arcano quodam ac recondito sensu summa cordis ac vitæ puritas veluti nativis ac pulcherrimis suis coloribus depicta nobis repræsentatur : hæc est enim veluti quieta quædam dormitio et inquietarum sedatio cogitationum, nec non inutilium desideriorum soporatio, quæ mentem suavissimo quasi somno reficit vegetatque : hæc est item arcana illa solitudo, quæ per omnigenam immoderantiæ cujuscumque vacuitatem in singulis animæ viribus spiritaliter exstruitur, quam illi consules et reges ædificant, qui sano prudentique consilio omnem a se imperfectionem amoliuntur, et impotentibus animi motibus imperant, ac super semetipsos censura districtionis regnant, prout pulchre S. Gregorius lib. IV *Moral.* cap. XXVIII, hunc locum mystice exponit : « *Solitudines*, inquit, *ædificare* est a secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere, et una intentione æternæ patriæ in amorem intimæ quietis anhelare. An non cunctos cogitationum tumultus a se expulerat qui dicebat *Psalm.* XXVI, 4 : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ?* a frequentia quippe terrenorum desideriorum fugerat, et ad magnam videlicet solitudinem semetipsum contulerat, ubi eo tutius nihil extraneum conspiceret, quo incompetens nihil amaret; a tumultu rerum corporalium magnum quemdam secessum petierat, quietam mentem, in qua tanto purius Deum cerneret, quanto hunc cum se solo solum inveniret : » sic ille. Ad hanc eamdem mentis puritatem regius quoque vates suspirabat ex intimo cordis affectu clamans *Psal.* LIV, 8 : « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam? » *columbæ*, avis timidæ et circumspectæ, *pennas* optat, quibus ab omni prorsus immunditia declinet, atque in pace se et interna quiete conservet; de quo desiderio ita divine S. Bernardus, serm. 52 *in Cant.* : « Utinam, inquit, hac morte ego frequenter cadam, ut evadam la-

Vitæ puritas est quieta dormitio et mystica solitudo.

Mystica mors justorum.

Melitatio mortis necessaria ad vitæ puritatem assequendam.

http://www.obrascatolicas.com

queos mortis, ut non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, ut non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum avaritiæ, ad iracundiæ et impatientiæ stimulos, ad angores sollicitudinum et molestias curarum. Moriatur anima mea morte justorum, et nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius : bona, qua non corpus cadit, sed anima sublevatur; verum hæc hominum est. Sed moriatur anima mea morte etiam (si dici potest) angelorum, ut præsentium memoria excedens, rerum inferiorum corporearumque non modo cupiditatibus, sed et similitudinibus exuar, sitque ei pura cum illis communicatio, cum quibus est puritatis similitudo : » ita S. Bernardus. Ad hoc igitur aspirandum, ut mentem puram tranquillamque habeas, et lectum sponso cœlesti dignum efficias, ille enim non in spinis imperfectionum, neque inanium tribulis sollicitudinum, sed in sanctarum floribus suaveolentibus cogitationum requiescere, et cœlestium halitu desideriorum foveri nec non bysso puritatis involvi amat : quo magis in his profeceris, eo perfectius et diutius ejus aspectu et amplexu perfrueris.

Vers. 15. 15. AUT CUM PRINCIPIBUS QUI POSSIDENT AURUM, ET REPLENT DOMOS SUAS ARGENTO. — Eamdem adhuc sententiam illustrare pergit et amplificare, divites et optimates ex aliis potentiæ et copiarum speciebus, præsertim auri et argenti, describens, quibus illorum domus replentur ac resplendent, quæ propterea doctus a divino Spiritu vates *gloriam domus* ingeniosissime appellat dicens *Psal.* XLVIII, 17 : « Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, et multiplicata fuerit gloria domus ejus; in cujus loci expositione merito exclamat Chrysostomus : O egregiam sententiam ! quæ, inquit, philosophiæ doctrinam omni studio complectendam induxit : non dixit *opulentiam divitum* et splendidissima ornamenta, quibus ædes magnificentissime instruuntur, esse gloriam hominis, sed *gloriam domus* : nam stragulæ vestes, aurea mensa, picturæ exquisitæ, fontes, aquæductus, ornata cubilia, et alia hujusmodi, decora sunt *domorum*, non *dominorum* : quid enim illis conferet, quod aurea sint columnarum capitella, si ipsi caput luteum habeant, et stultitia aut pravis opinionibus ut fuligine tinctum et deforme ? Vide hæc fusius longa oratione vere aurea a S. Chrysostomo deducta, ubi pulchre ostendit non aurum et argentum, sed virtutes veras esse hominis divitias, quippe quæ solæ etiam post mortem nobiscum perennant, et æternum beant, atque ipsiusmet Dei possessione ditant, terrenæ vero fluxæque opes præterquam quod nunquam hominem satient, magnis insuper molestiis et periculis circumdatæ sunt, et in morte tandem possessorem suum deserunt, ipsique pereunt, et æternæ non raro perditionis causa exsistunt. Istiusmodi ergo divitem haudquaquam reverendum aut in pretio habendum censet Psalmista, *ibid.* vers. 18 : « Quoniam cum interierit non sumet omnia; neque descendet cum eo gloria ejus, » id quod ipsemet Dei Filius eleganti parabola in evangelio nobis ob oculos ponit, ubi divitem quemdam avarum, ardore magno et insatiabili cupiditate divitiarum totum in thesauris terrenis congregandis occupatum, acriter reprehendit, ut stultum, cœlestium ignarum, et præter exspectationem ab hac vita et usura fortunarum eripiendum : adfert enim de homine quodam similitudinem, qui bonis terrenis circumfluens animæ suæ lætissime gratulabatur, quod haberet bona in annos plurimos reposita : eumque merito *stultum* vocat, sive, ut est in Græco, ἄφρονα, *vecordem*, sine mente, sine judicio, insipientem : quippe cum sibi perennes prope delicias et longissimæ vitæ amœnitatem polliceretur homo fatuus, illa ipsa nocte vita et opibus spoliatus fuit *Luc.* XII, 20 : « Stulte, inquit, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti cujus erunt? » Tum ore sacro, ad suorum omnium documentum, divinum hoc monitum addidit : « Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives, » hoc est, stultus pariter est, et in nocte rapiendus, inquit Beda. Sic cuilibet accidit, qui congerendis studet opibus, ut stultissima opinione delusus jucundissimæ beatissimæque fortunæ, præter omnium spem, et cum minime putat, eripiatur e vita, et quæ scelere ac infinitis prope animi angoribus conquisiverat, aliis fruenda relinquat.

Stulti sunt qui terrenas opes congregant et non cœlestes.

Aurum et argentum et supellex pretiosa non sunt hominis, sed domus gloria.

Cæterum ut ad textum ejusque sensum litteralem, a quo nonnihil digressi sumus, revertamur, non tam ad domos auro argentoque refertas, et splendidissima supellectile relucentes, quam ad ipsa regum principumque sepulcra et mausolæa Job alludit, quæ merito etiam *domus* illorum dici possunt, juxta illud Psalmistæ *Psalm.* XLVIII, 12 : « Sepulcra eorum domus illorum in æternum : » reges enim ac principes proceresque non solum cum vestibus et ornamentis gloriosis, sed etiam cum ingentibus auri argentique et pecuniarum thesauris sepeliri olim consuevisse manifeste colligitur ex Josepho lib. VII *Antiq.*, cap. XII, ita de Davidis sepultura loquente : « Sepelivit, inquit, eum filius Salomon Hierosolymis magnifice, præter solemnia illa in regum funeribus, illatis etiam in monumentum ejus maximis divitiis, quarum magnitudinem facile sit conjectare ex hoc quod dicemus : nam post annos mille trecentos Hyrcanus pontifex oppugnatus ab Antiocho cognomine Pio, Demetrii filio, volens pecuniam ei dare, ut abducto exercitu obsidionem solveret, nec valens aliunde sumere, aperta cella monumenti Davidis, et prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumque parte Antiocho numerata, oppugnationis periculo se exemit; sicut et alibi indicavimus. Ac rursum post multos annos elapsos Herodes rex alia cella aperta magnam pecuniam sustulit; ad loculos tamen qui regum cineres continent neu-

Olim divitiæ una cum defunctis sepeliebantur.

ter eorum pervenit : singulari enim arte ita erant sub terram conditi, ut ab ingredientibus monumentum inveniri nequirent : » ita Josephus. Sensus itaque hujus loci proprius est iste quem tradit Pineda, quasi Job dicat se, licet in extrema qua premebatur inopia moreretur, nec divitum principumque more ullam auream argenteamve supellectilem secum in sepulcrum deferret, non ideo tamen minus quam illi, quin potius longe magis jucunde ac pacate quieturum.

Vers. 16. 16. AUT SICUT ABORTIVUM ABSCONDITUM NON SUBSISTEREM, VEL QUI CONCEPTI NON VIDERUNT LUCEM. — Illic idem repetit quod *supr.* vers. 10, 11 et 12 dixerat, nimirum optare se nunquam fuisse natum, sed tanquam fœtum immaturum, maternis adhuc inclusum visceribus, antequam in lucem ederetur periisse, aut saltem mortuum ex utero prodiisse, et illico absconditum fuisse, ne miserrimæ hujus vitæ mala cernere aut sustinere coge-

Abortivi dicuntur sancti Veteris Testamenti.

retur. Allegorice, S. Gregorius lib. IV *Moral.* cap. XXXVI, velut abortivos ait fuisse primos illos orbis incolas, qui ante legem datam verum Deum coluerant, et jam in limbo quasi in materno utero absconditi quiescebant, tempus redemptionis et spiritualis ac gloriosæ per Christum nativitatis præstolantes; quibus Job apponi et aggregari summopere desiderabat : « Abortivum, inquit, quia ante plenum tempus oritur, exstinctum protinus occultatur. Quos ergo sanctus vir alios *abortivos* vocat, cum quibus se quiescere potuisse considerat, nisi electos quosque, qui ab ipso mundi primordio ante redemptionis tempus exorti sunt, et tamen huic mundo semetipsos mortificare curaverunt? qui conscriptæ legis tabulas non habentes quasi in utero mortui sunt : quia auctorem suum naturali lege timuerunt, et cum venturum mediatorem crederent, studuerunt summo opere mortificandis voluptatibus, etiam quæ scripto non acceperant præcepta servare. Tempus itaque illud, quod juxta mundi initium mortuos huic sæculo patres nostros protulit, quasi abortivi uterus fuit : » sic ille.

Abortivum primo designat mortalem conditionem;

Tropologice, Berchorius tres hujus vocis *abortivi* tradit morales expositiones, ac *primum* quidem per *abortivum* ait designari mortalem conditionem, quia nimirum vita præsens est ita brevis et misera, ut quodammodo videatur mori antequam nasci, juxta illud Sapientis *Sap.* V, 13 : « Nos statim nati desivimus esse, » et ideo bene potest abortivo assimilari præsertim ob peccatum originale, quo prius morimur quam nascamur.

Secundo peccati infectionem;

Secundo, signat peccati infectionem seu operis imperfectionem, juxta illud *Num.* XII, 11 : « Obsecro, domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum quod stulte commisimus, ne fiat hæc quasi mortua et ut abortivum quod projicitur de vulva matris suæ. » Quemadmodum ergo mulier multis variisque de causis aborsum patitur; aliquando quidem ex tonitrui fragore et subita concussione aut lapidis projectione; nonnunquam etiam ex sanguinis effusione, mutatione, aut intuitione, non raro item pharmacis humana industria ad informem fœtum vel abolendum vel ante tempus expellendum compositis aborsus procuratur : sic etiam haud paucioribus de causis anima spiritalem aborsum facit, et boni propositi fœtum ex divini Spiritus inspiratione in mentis utero conceptum occidit et suffocat per peccatum, et velut abortivum projicit et abscondit; nonnunquam quidem per diabolicæ tonitruum tentationis; aliquando item per respectum humani timoris a bono proposito resiliens, aut saltem illud exsequi procrastinans, et tandem omittens; quandoque etiam per sanguinis emissionem, id est nimiam in res externas effusionem, omnem devotionis ac pietatis succum, quibus conceptus a Spiritu Sancto fœtus foveri debuerat, evacuans ac perdens; aliisque similibus de causis, quæ vel bonorum propositorum oblivionem inducunt, aut ut ea quis sponte ac deliberata voluntate frangat efficiunt. *Tertio* denique *abortivum* in meliorem partem acceptum designat *humilem animi dejectionem*, quam ascetici *submissionem* vocant, qua quis se pro nihilo et abjecto reputat, et aliis postponit; quo sensu Apostolus de semetipso dicebat I *Corinth.* XV, 8 : « Novissime autem omnium tanquam abortivo visus est et mihi, » se minimum apostolorum vocans, et indignum tali nomine ac Christi apparitione.

Tertio humilem dejectionem.

17. IBI IMPII CESSAVERUNT A TUMULTU, ET IBI REQUIEVERUNT FESSI ROBORE. — Septuaginta vertunt, ἐκεῖ ἀσεβεῖς ἐξέκαυσαν θυμὸν ὀργῆς ἐκεῖ ἀνεπαύσαντο κατάκοποι τῷ σώματι, *ibi impii accenderunt furorem iræ, ibi requieverunt fatigati robore*; atque hoc modo notat Olympiodorus in aliis libris legi; ipse tamen habet ἔπαυσαν; itemque aliud Scholion et S. Augustinus, *deposuerunt furorem suum*, in quibusdam codicibus est ἐξέπαυσαν, quod idem valet; Theodotion reddit ἐκόπασαν, *cessarunt*; Symmachus, ἐκόπασαν ὀργῆς θυμὸν, *sedarunt iræ furorem*; Aquila, ἐπαύσαντο κλονῆσαι, *cessarunt turbare*, seu tumultum ciere, aliisque metum incutere, et vim inferre, *q. d.* Qui vix pacem cum aliis habere poterant, et sua tyrannide et malignitate omnes opprimebant ac perturbabant, hos quidem verberantes, aliorum vero bona diripientes, alios denique diversimode divexantes; eorum tandem pervicacitas furorque finem in sepulcro inveniet, et quorum robur ac vires vel labore, vel morbo aliove casu fessæ et afflictæ sunt, ut militum, agricolarum, opificum, infirmorum, in morte quiescent; unde Seneca mortem describens ait :

Vers. 17. In morte cessat vis omnis tyrannorum.

Portus æterna est placidus quiete;

et Euripides apud Stobæum *serm.* 274, malis eam omnibus mederi asserit dicens :

Mors est remedium omnium malorum.

Τὸ γὰρ θανεῖν
Κακῶν μέγιστον φάρμακον νομίζεται :
Mors enim
Maximum existimatur malorum esse remedium.

http://www.obrascatolicas.com

Quibus similia Sophocles edisserit, ubi ait:

Ἀλλ' ἴδ' ὁ θάνατος λεῖσθος ἰατρὸς νόσων :
Ultimus morborum medicus est mors,

Denique plenissime omnium atque elegantissime una cum rationibus suis deducit ac describit Diphilus in *Frag.* suis vere aureis dicens :

Εὐμετάβολος μὰλ' ἐστὶν ἀνθρώπων βίος.
Οὐκ ἔστι βίος ὃς οὐχὶ κέκτηται κακά,
Λύπας, μερίμνας, ἁρπαγὰς, στρέβλας, νόσους·
Τούτων ὁ θάνατος καθάπερ ἰατρὸς φανείς,
Ἀνέπαυσε τοὺς ἔχοντας ἀναπαύλης ὕπνῳ·
Vita hominum res est admodum mutabilis.
Nulla usquam vita est plena quæ non sit malis,
Furtis, dolore, morbis, tormentis, metu :
Tantis malis ut medicus mors intervenit,
Requiemque fert hominibus in sumnum datis.

Plena similibus sunt poetarum, præsertim tragicorum, monumenta, sed hic nonnihil enucleatius expendenda sunt illa textus verba : « Ibi requieverunt fessi robore : » id alte dictum, quis enim a robore fessus est, et non potius ab imbecillitate? nam in mundo fortes *robore* non *fessi* dicuntur; siquidem a robore nemo viribus deficit, imo a robore robustus et vegetus evadit, et sic indefessus. Verum adverte quod humanum robur imbecillitatis instar est, et sic viri isti præpotentes et validi non fatigantur et cadunt ab imbecillitate et impotentia, sed a potentia et robore fessi sunt; ab humana gloria inglorii, ab humano robore fessi, ab humana salute infirmi.

Humanum robur fatigatio et imbecillitas est.

Tropologice hic locus optime ad viri justi quietem, quam inordinatarum mortificatione passionum obtinet, referri potest. « Ibi enim (id est in mystica illa solitudine, de qua *supr.* vers. 14, paulo ante egimus, in quam vir justus a strepitu peccatorum fugit, et ab omni se perturbatione curarum temporalium abscondit : in qua hi qui erant quondam) impii (sed jam per Dei gratiam ab impietate liberati, atque ad justitiam et pietatem informati sunt) cessant a tumultu » vitiorum, quia ne ab iis perturbentur, semetipsos ab omni peccatorum labe diligenter expurgant, et ab omni criminum clamore se segregant, et procul elongant. « Et ibi fessi (seu rerum mundanarum pertæsi, robore divinæ virtutis, quæ ipsos ad sæcularia infirmos atque ad spiritualia fortes efficit, læti exsultantesque) requiescunt: » quoniam virtutum divitiis cumulati nullo amplius voluptatum aut honorum desiderio importune torquentur.

Mortificatio quietem animæ parit.

Vers. 18. 18. ET QUONDAM VINCTI PARITER SINE MOLESTIA NON AUDIERUNT VOCEM EXACTORIS; — Septuaginta vertunt, ἐμοῦμαδὸν δὲ εἰ αἰώνιοι οὐκ ἤκουσαν φωνῆς φορολόγου, *pariter autem sæculares non audierunt vocem exactoris*, ubi *sæculares* idem est quod *temporales*, rebus et negotiis sæcularibus seu temporalibus ac transitoriis et terrenis addicti, qui in Scriptura *filii hujus sæculi* appellantur. Significat ergo tales negotiatores, qui in hoc sæculo valde distrahuntur, et in continuis laboribus versantur, ac sollicitudinibus anxiisque curis excruciantur (præsertim quando tempus solvendis nominibus præstitutum jam elapsum est, et rigidus exactor cum tabellis instat, etni extemplo id quod debent solverint, obtorto eos collo ad tribunal trahit, et in jus ambulare compellit) per mortem omni molestia curisque liberari, nec ullam in sepulcro exactoris vocem amplius percipere aut pertimescere, quam dum vivebant pessime oderant. Hunc genuinum hujus loci sensum esse patet ex aliis versionibus et ipso scholio Septuaginta interpretum, quod sic habet, ἐκεῖ γὰρ εἰσιν οἱ ἐξ αἰῶνος τελεστήσαντες τῆς τῶν πρακτόρων ἀπαχθείας ἀπαλλαγέντες, *illic enim sunt qui a sæculo obierunt ab exactorum molestia liberati*, ubi obiter nota vocem αἰών, id est *ævum* sive *sæculum*, apud Septuaginta, uti et in textu græco Novi Testamenti, non semper in stricta sua significatione sumi pro *æternitate*, sed frequenter sumi pro extensione sive durationc ipsa temporis, et hoc modo αἰώνιον vocari id quod in hoc sæculo sive tempore transit. Sic quod apud S. Paulum II *Tim.* I, et *Tit.* I, 3, est πρὸ χρόνων αἰωνίων Vulgata vertit, *ante tempora sæcularia*. Cæterum Aquila magis conformiter Vulgatæ vertit, ἅμα δέσμιοι εὐθύνησαν, *simul vincti sine molestia fuerunt*, seu *prosperati sunt;* Symmachus, ὁμοῦ δεσμῶται ἀχλητοι, *simul in vinculis habiti*, *a turbatione liberi*. Pro voce autem φορολόγου, qua utuntur Septuaginta, et propria est tributi seu vectigalium exactoris, Aquila vertit εἰσπράσσοντος, quod idem quidem valet, sed quid communius videtur ac generalius : Symmachus reddit ἐπαναγκαστοῦ, *cogentis* et *extorquentis*. Significat ergo Jobus se optare mortem tanquam portum placidæ quietis, ut vel cum illis saltem, qui in hac vita propter æs alienum in carcerem detrudebantur, et ab exactoribus plurimas molestias sustinere cogebantur, in sepulcro ab omni vexatione liber tandem aliquando possit conquiescere.

Mortui hujus vitæ curis ac molestiis liberati sunt.

Tropologice S. Gregorius lib. IV *Moral.* cap. XXXI, hæc viris justis accommodat, qui *quondam* quidem *vincti* inanibus desideriis, sed nunc subsidio gratiæ divinæ a nexibus peccatorum soluti *sine* vincente aut perturbante concupiscentiæ *molestia* tranquille vivunt, *nec audiunt vocem exactoris*, diaboli scilicet tentantis, aut mundi, aut carnis ad malum trahentis et peccati consensum, quasi vectigal quoddam exigentis, sæculares quidem dum adhuc in vivis sunt hanc exactoris vocem frequenter audiunt, sed justi erunt si eam non exaudiant, neque in peccatum sibi propositum consentiant. « Hujus ergo exactoris vox (ut S. Gregorii verbis utar) est tentatio miseræ suggestionis; audimus autem vocem miseri exactoris cum ejus tentatione pulsamur; sed non exaudimus, si pulsanti resistimus : *audit* enim qui tentationem sentit; *exaudit* vero qui tentationi consentit. Dicatur itaque de justis : Non exaudierunt vocem exactoris, quoniam suggestionem

Justi non exaudiunt vocem exactoris diaboli, mundi aut carnis.

ejus etsi audiant, quia tentantur; non exaudiunt, quia consentire contemnunt. »

Vers. 19. Mors omnia æquat.

19. PARVUS ET MAGNUS IBI SUNT, ET SERVUS LIBER A DOMINO SUO. — Concludit hic sententiam, quam nonnihil fusius deduxit, ostendens omnes morte æquales fieri, quippe quæ naturæ lege tenuiores homines principibus ac potentissimis quibusque regibus exæquet, juxta illud Horatii lib. I *Carm.* :

Mors sceptra ligonibus æquat.
Mors æquo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres.

Quibus consentit illud Poetæ græci :

Κοινὸς χῶρος ἅπασι, πένησί τε, καὶ βασιλεῦσιν :
Communis locus manet omnes, et pauperes, et reges.

Quæ sane magna consolatio est iis qui hic in miseriis versantur, et cum adversa fortuna conflictantur, quibus mors in votis est tanquam præsentissimum malorum omnium remedium : dum enim spiritu hoc vitali fruimur, necesse est ut qui fortuna sunt tenui gravia non raro a potentioribus incommoda sustineant; et qui aliis servilem operam et libertatem suam addixerunt recusare non possunt, quin cum duris plerumque conflictentur ingeniis, et graviora subeant quam vel ingenuus pudor honeste ferre vel mortalis infirmitas tolerare commode possit. At ubi semel ex hac mortali vita decesserint, quoad humanam attinet œconomiam æqualem omnes sortiuntur conditionem : quemadmodum enim in morte regum et optimatum insolens ambitio et tyrannicus cessat dominatus, ita quoque pauperum et plebeiorum servilis ac misera conditio finem capit : id quod præclare Seneca in *Cons. ad Mart.* cap. XX, his verbis docet : « Mors servitutem invito domino remittit : hæc captivorum catenas laxat : hæc e carcere educit quos imperium impotens vetuerat : hæc est in quo nemo humilitatem suam sensit : hæc quæ nulli pepercit : hæc quæ nihil alieno fecit arbitrio : hæc ubi res fortuna male divisit, et æquo jure genitos alium alii donavit, exæquat omnia. »

In cœlo nulla invidia inferiorum ergà superiores.

Anagogice in hanc spiritalis solitudinis seu tranquillitatis domum (de qua *supr.* vers. 14 egimus) non tantum magni, verum etiam pravi recipiuntur, quia unusquisque pro mensura virtutis a servitute peccati liberatur, et in requiem a vanis desideriis admittitur : non enim solis sanctis, qui Deum nunquam gravius offenderunt, sed peccatoribus etiam per pœnitentiam conversis æterna cœlorum habitatio parata est. Ibi parvus licet non in loco magnorum, tamen in eadem domo cum magnis Deo donante victurus est, ubi jam liber ab omni servitute peccati nulla magnorum invidia tangetur, et nullo livore consumetur : « quia in illa beatitudinis regione, ut ait S. Prosper lib. I *De Vita contempl.* cap. IV, nec majoris meriti sibi aliquid quisquam arrogabit, quia arrogantia ibi nulla erit; nec superiori inferior invidebit, quia ibi invidus nullus esse poterit. Mirandum sane in futuro beatitudinis regno, ubi tranquillitas summa, pax imperturbata, felicitas perfecta, ubi nullus invidiæ, nullus tristitiæ locus est, dici nihilominus ibi esse *parvos* et *magnos* : ubi enim parvi magnique differentia est, qui fieri possit, ut parvi ad majorum dignitates non adspirent aut afficiantur? Quis tollet a parvis illis desideria majoritatis et inde ortam tristitiam, si non adipiscantur quæ concupiscunt? Verumtamen ibi parvi sunt, sed qui perfectissimam hominis rationem possident, qua fit ut nemini invideant, sed suum lucrum reputent quidquid in aliis magnum exsistere conspexerint.

Perfectus homo suum lucrum æstimat quod aliis tribuitur.

Pulchre hanc concordem sanctorum in gloria inæqualitatem exponens D. Gregorius lib. IV *Moral.* cap. XXXI : « Quia, inquit, in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa discretio dignitatum, ut qui hic alius alium superat merito, illic alius alium retributione transcendat. Unde ait *Joan.* XIV, 2 : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* : Sed in iisdem multis mansionibus erit ipsa retributionum diversitas concors, quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exsultet. » Quo quid perfectius excogitari possit? fallar si hominis perfectio ultra possit ascendere, quam ut eo charitatis perveniat, qua sibi acceptum tribuat id quod alteri donatur, et quasi de proprio sic lætetur de fratris lucro : quod cum veræ perfectionis sit sicut in hoc sæculo maligno raro reperitur, ita in cœlo perfectissime invenietur; unde D. Ephrem lib. *De Tim. Dei* cordate monet : « Promotioni fratrum ne invideas; ait enim Scriptura III *Joan.* IV, 4 : *Majus gaudium non habeo, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare*; » quidquid scilicet in aliis videbat perfectum, id suum gaudium putabat vir divinus. Quo spectans quoque sponsa aiebat *Cant.* I, 3. « Exsultabimus, et lætabimur in te, » ubi non solum de sua ipsius, sed de omnium etiam aliorum lætitia quasi de propria sibi congratulatur : quamobrem eleganter Philippus abbas lib. I *in Cant.* cap. XV : « Tantus, inquit, ejus amor æmulam vel pellicem non veretur, nec damnum suum putat, si ad amandum illum altera provocetur. » Merito sane perfecta Dei sponsa non damnum, sed lucrum suum æstimat id quod boni in aliis erga Deum intuetur; unde S. Paulus *Philip.* IV, 1 : « Itaque, inquit, fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea, » at cur illos *gaudium suum* et *coronam suam* vocat, nisi quia quod ipsi gaudeant in Domino ac coronentur, id suum reputet : eodem spiritu et sensu D. Bernardus in *Apol. ad Guill.* omnium sacrorum ordinum virtutes in sua numerare non refugit dum ait : « Denique requiratur etiam a me, cur cum omnes ordines laudem, omnes non teneo? laudo enim omnes, et diligo,

Vera charitas aliena bona sua reputat et facit.

http://www.obrascatolicas.com

ubi pie vivitur in Ecclesia. Unum opere teneo, cæteros charitate. Faciet autem charitas, ut ne illorum quidem fructu frauder, quorum instituta non sequor. Plus aliquid dicam : Tu tibi caute age : potest autem contingere, quia tu frustra laboraveris; ut autem ego frustra diligam bonum quod operaris fieri non potest. » Quid sapientius? id quod S. Bernardus dicit de virtutibus sacrorum ordinum puta dictum de omnibus bonis quæ in proximo relucent, in quibus dum per charitatem gaudes tanquam de propriis, eorum tibi certum manet lucrum apud Dominum; et quod fortasse possessor perdit tu integrum custodis. Cæterum ad Jobi querimonias, a quibus nonnihil digressi sumus, revertamur.

Vers. 20. Mors vitæ miseræ præferenda.

20. QUARE MISERO DATA EST LUX ET VITA HIS QUI IN AMARITUDINE ANIMÆ SUNT? — Probat inutilem sibi esse vitam eo argumento quod jam dudum tractavimus, quia scilicet nihil ex ea commodi, sed plurimum incommodi molestiarumque percipere t : nam quid juverit habere lucem, qua non nisi damna et detrimenta conspicias, cui merito præferenda sit caligo, quæ tot mala occultaret atque absconderet? hinc pro magno beneficio Deus promittit Josiæ dicens II *Paral.* XXXIV, 28 : « Colligam te ad patres tuos, et infereris in sepulcrum tuum in pace : nec videbunt oculi tui omne malum quod ego inducturus sum super locum istum. » Quid enim refert illos vitam degere qui dolore conficiuntur? quod tantum malum est, ut vel ipsa morte depellendum jure merito censeatur; quandoquidem non sine ratione sic a natura instructi et comparati sumus, ut quando maximis, quibus explicari nequeamus, malis implicamur, vitam illico cum morte commutare cupiamus : nam hic sensus et rationis usus dono a natura datus si nihil omnino fructus nihilque utilitatis, sed sensum duntaxat malorum et incommodorum exhibet, quidnam boni in eo est quod expetendum sit? Cum enim *vivere* apud optimos quosque auctores idem sit quod lætum atque alacrem esse, quæ tandem erit vita, perpetuo cruciatu aut mœrore contabescere? quare prudenter admodum Apostolus scribit, II *Cor.* I, 8, his verbis : « Non volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra quæ facta est in Asia : quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. » Tobias quoque cum se undique ærumnis circumventum cerneret aiebat cap. III, vers. 6 : « Expedit mihi mori magis quam vivere. » Admirabilis plane est et theologo digna Euripidis sententia apud Stobæum *serm.* 285, quam ex vitæ hujus malis concludit dicens :

Ὦ φιλζωοι βροτοί!
Οἱ τὴν ἐπιστείχουσαν ἡμέραν ἰδεῖν
Πόθεν ἔχοντες μυρίων ἄχθος κακῶν.
Οὕτως ἔρως βροτοῖσιν ἔγκειται βίου.
Τὸ ζῆν γὰρ ἴσμεν · τοῦ θανεῖν δ' ἀπειρία
Πᾶς τις φοβεῖται φῶς λιπεῖν τόδ' ἡλίου.

O vitæ cupidi mortales!
Qui posteram intueri lucem
Semper cupitis plurimorum onus malorum.
Adeo vitam mortales amant.
Scimus quidem vivere; præ inscitia vero moriendi
Nullus non relinquere metuit hoc solis jubar.

Interdum satius est non esse quam in tormentis versari.

Sed hanc moriendi scientiam, quam in hominibus desiderabat Euripides, Christus copiose docuit, qua probe imbutus erat Paulus *Philip.* I, 23, « desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo; » ex quibus facile patet quam gravia sint vitæ hujus detrimenta, quæ vel vita ipsa redimere prudentissimus quisque cuperet : quare cum Tollenario nostro *in Eccles.* cap. IV, hoc etiam affirmo; quandoquidem recta ratio docere videatur tantum posse esse cruciatum tamque diuturnum, ut vitæ fructui præponderet, etiam superiorem animæ partem judicare (quod Victor Antiochenus *in Marc.* ac D. Hieronymus *in Eccles.* diserte affirmant) interdum satius esse omnino non esse quam in tormentis versari, ac proinde id etiam secundum rectam rationem optari posse, nisi forte ratio aliqua altioris ordinis intervenial : cum enim ex miseriis et cruciatibus hominum, sive in pœnam peccatorum inflictis, sive ad virtutis exercitium comparatis, Deus gloriam suam eliciat (qui aut ad majestatem ejus, aut justitiam, aut aliam perfectionem declarandam pertinent) hominis est recte instituti potiorem divinæ gloriæ quam suæ commoditatis habere rationem. Itaque cum aut Ecclesiastes aut S. Job meliorem esse conditionem judicant eorum qui nunquam nati sunt, quam qui in tanta hic acerbitate versantur; aut cum alii viri sancti huic judicio consentanea sibi vovent, ita semper animo comparati sunt, ut si nossent Deo aliter visum esse, aut hoc ad ejus gloriam pertinere, mallent etiam cum suo cruciatu ac miseria divinæ gloriæ subservire. At si nulla necessitas cogit Deum per hujus aut illius cruciatum majestatem suam aut gloriam declarare, quid vetat quo minus hi tales absolute et secundum rectam rationem vovere possint non esse potius quam sic esse? sed pleniorem horum tractationem scholasticis relinquentes, ad ærumnas vitæ præsentis contemplandum cum S. Jobo revertamur.

Vers. 21. et 22.

21 et 22. QUI EXSPECTANT MORTEM, ET NON VENIT, QUASI EFFODIENTES THESAURUM : GAUDENTQUE VEHEMENTER CUM INVENERINT SEPULCRUM. — Pergit describere eos qui amaro sunt animo, ut ex adjunctis sumat argumentum ad id quod propositum est probandum, scilicet satius esse mori quam miseram vitam ducere : nam homines hujusmodi, qui semper cum doloribus conflictantur, mortem sæpius invocare et avidissime exspectare solent, tanquam unicum anxietatum suarum perfugium et salutis suæ portum securissimum; qui tamen cum sic avide mortem exspectant cupito frustrantur affectu, illamque optando longius abigunt, non propius accersunt. *Et non venit*, quod in Hebræo est, *et non ipsa*, nempe ardenter expetis et desideras mortem? non modo *non venit*, sed *non ipsa* : periit mors illam invocanti. Parum foret quod vocata mors non veniret eam cupide desideranti, non ipsa; abiit, inquam, evanuit, periit, mortua illam cupienti mors est; desiderii tui sepulcro tumulatur, et de fastidii tui vulva nascitur. Cupis longius vivere? mortem impensius votis sollicita; optas citius emori? illam effugere solerter satage, siquidem perit sui desiderio, quæ nascitur ex sui fastidio. Huc spectat illud *Apoc.* II, 6 : « Quærent homines mortem, et non invenient eam; desiderabunt mori, et mors fugiet ab eis. » Pulchre autem hoc loco additur, *quasi effodientes thesaurum*, quia scilicet illam, quantum fas est, magis quam thesauros exquirunt; consuetum autem erat illis temporibus, et inter reges et proceres maxime usitatum (uti paulo ante ad vers. 15 annotavimus) in sepulcris thesauros recondere una cum corporibus defunctorum : quamobrem pauperes, qui istiusmodi thesauris maximopere inhiabant, vehementissime lætabantur, si quando terram effodientes in sepulcrum aliquod inciderent, sperantes inde se thesaurum aliquem eruturos. Vere tamen verba ista in viros sanctos rerum terrenarum pertæsos et cœlestium amantes in primis quadrant, « qui exspectant mortem, et non venit, » cum e contra perversos, et hujus sæculi vanitatibus deditos mors ipsamet exspectet, atque ex insidiis incautos aggrediatur et opprimat : nam *Eccle.* IX, 12, « nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit; » hinc unum capit in convivio temulentum, alterum in ludo gestientem, alium in voluptate lascivientem, et omnes illos (ut Christus ait *Luc.* XII, 46), hora qua minime putant invadit et obruit, quia nullus illorum mortem exspectat; « sperat autem *Prov.* XIV, vers. 32 justus in morte sua, » in qua sibi lucrum esse repositum agnoscit, juxta illud Apostoli *Philip.* I, 21 : « Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum. »

Sancti gloriam Dei suæ commoditati præponunt.

Viri sancti mortem exspectant, prævi a morte ex insidiis obruuntur.

Sancti ad mortem anhelant

Porro pro *exspectant* in Hebræo est verbum חכה *hachah*, quod, ut Pineda noster observat, vehementem animi affectum significat, quo quis inhiat in rem aliquam vel consequendam vel apprehendendam : sic apud Oseam cap. VI, 9, ubi Vulgatus noster interpres legit, *quasi fauces virorum latronum*, in Hebræo est, *sicut exspectant latrunculi virum* : latrunculi enim quando quempiam ad deprædandum exspectant, omnes aditus observant, omnia loca vicina circumspiciunt, et in prædam eminus venientem sagaces oculos intendunt, et quantavis mora præ desiderio cruciantur, et cum non multum tardet, videtur tamen illis longissimas moras nectere : ita quoque viri sancti mortem quam avidissime exspectant, et votis omnibus tanquam malorum depultricem et bonorum omnium proxenetam exoptant; et quamvis Sapiens *Eccli.* XIV, 12, eam minime tardare dicat, ipsis tamen videtur moras trahere præ nimio desiderio, quo ad cœlestes thesauros sibi per mortem aperiendos anhelant. Veri quippe Dei servi (ut bene notat Alphonsus noster Rodriguez *tract.* I, cap. XIV) quo longius provehuntur, et fini suo propinquiores atque perfectioni viciniores sunt, eo majori constantia, accuratione ac fervore procedunt, et quasi effodientes ad thesaurum aspirant : « sicut enim (inquit S. Gregorius lib. IV *Moral.*), thesaurorum fossores quo magis effoderint, et profundius terram penetrant, eo majori in opus suum incumbunt diligentia, quia cum norint ad thesaurum absconditum, quem indagant, se jam propius accedere, et parum ab eodem abesse, ad diligentius et animosius fodiendum animantur, majorique cum voluptate et gaudio terram eruunt : ita qui profectus et perfectionis suæ ex animo studiosi sunt, quo longius in ea provehuntur, et fini suo fiunt propiores, eo laborant contentiosius : » tanto enim labor et contentio major esse debet, quanto præmium est vicinius. « Gaudent *ergo* vehementer cum invenerint sepulcrum; » id est cum jam ad mortem et sepulturam se pervenisse cognoscunt; ideoque, quo propinquiorem sciunt esse diem mortis, hoc magis lætantur : quare Paulus hunc absconditum æternæ patriæ thesaurum quærentibus ait *Hebr.* X, 24 : « Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem (fidelis enim est qui repromisit) et consideremus invicem in provocationem charitatis et bonorum operum; non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, et tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem; ubi expendit optime D. Gregorius illud *tanto magis quanto videritis appropinquantem diem*, tunc scilicet magis consolantes vosmetipsos, ex ipsa propinquitate patriæ et consummatione peregrinationis, quod jam ad metam laborum perveneritis, bravium præstolantes.

Sancti gaudent de mortis propinquitate.

Mystice per *sepulcrum* hic intelligitur vera philosophia quæ in mortis meditatione consistit, et a fortiori contemplatio, quam viri spirituales tanquam thesaurum inquirunt, et gaudent vehementer cum invenerint : est enim contemplatio (ut noster Alvarez de Paz tom. III, ejus elogia recensens ait) requies laborum, complementum desideriorum, perfectio virtutum, præmium abnegationis, finis orationis, et ad assequendam mentis puritatem instrumentum efficacissimum : hæc inter omnia exercitia mentalia est rectior, mundior, securior, quietior, jucundior, permanentior, sublimior, rarior, et vitæ beatæ similior : hæc item est sepulcrum illud gloriosum et desiderabile in quo a perturbatione mentis abscondimur, de cujus amatoribus Job ait : « Qui exspectant mortem, et non venit, quasi effodientes

Contemplatio est sepulcrum mysticum.

Elogia contemplationis.

http://www.obrascatolicas.com

thesaurum : gaudentque vehementer cum invenerint sepulcrum; » mortem quidem exspectant tum carnis, ad quam quotidie se præparant; tum mentis, qua peccatis et pravis animi affectionibus moriuntur, ut soli Deo vivant, juxta illud Apostoli *Colos.* III, 3 : «Mortui enim estis, sed vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. » Quamdiu vero hæc mors adeo desiderata plene necdum venit, sunt quasi effodientes thesaurum, laborant quippe, ut mortem hanc, quam jure merito thesauri adinstar æstimant, consequantur; gaudent vero vehementer cum sepulcrum contemplationis invenerint, quia in eo mortem istam, qua perfectissime mundo moriuntur, et thesaurum quo divites sunt, virtutum accipiunt : « Sicut enim (inquit S. Gregorius, lib. V *Moral.* cap. V), sepulcrum locus est quo absconditur corpus : ita divina contemplatio quoddam sepulcrum est mentis quo absconditur anima : quasi enim huic adhuc mundo vivimus cum mente in eum foris vagamur; sed mortui in sepulcro abscondimur, cum mortificati exterius in secreto internæ contemplationis celamur. Sancti igitur viri ab importunitate desideriorum temporalium, a tumultu inutilium curarum, a clamore perstrepentium perturbationum semetipsos sacri verbi gladio mortificare non desinunt, atque intus ante Dei faciem in sinu mentis abscondunt. » Nequaquam igitur ad *sepulcri* nomen exhorreamus, nam quod amabo palatium augustius ipsa Dei facie, quæ contemplantes abscondit, juxta illud Psalmistæ *Psalm.* XXX, 21 : « Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum? » quando enim in conspectu Dei adstant ita ab eo proteguntur, ut ex affectibus suis perturbationem non sentiant.

Contemplatio mentem in Deo abscondit.

Cæterum ne variantes hujus textus interpretationes omittamus, pro eo quod Vulgata legit, *gaudentque vehementer cum invenerint sepulcrum.* Hebræa, si verbum ex verbo interpreteris, ita sonat, *lætantes ad exsultationem gaudent si inveniant sepulcrum*; Chaldæa, *Qui lætabantur exsultatione, modo lætantur cum invenerint locum sepulcri*; Septuaginta, περιχαρεῖς δὲ ἐγένοντο ἐὰν κατατύχωσι. Θάνατος ἀνδρὶ ἀνάπαυμα, *læti autem facti sunt si fuerint consecuti* (scilicet mortem, aut sepulcrum) : *mors viro requies.* E quibus omnibus, ut paulo ante dicebamus, recte concluditur viro justo mortem haudquaquam horribilem, sed optabilem; nec amaram, sed jucundam accidere; hinc videre est non raro illos qui eximie Deum in vita coluerant in morte lætos ac ridentes, cujus horribili metu alii exanimantur, quod expressum in Gerardo viro sanctissimo vidit Deus, de cujus mirabili in morte lætitia D. Bernardus serm. 26 *in Cant.* in hunc modum meminit : « Accitus sum ego ad id miraculi, videre exsultantem in morte hominem et insultantem morti : *Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus?* jam non est stimulus, sed jubilus : jam cantando moritur homo, et moriendo cantat. » Felix profecto anima quæ in morte exsultat, et insultat morti, atque inexplicabili dulcedine colliquescit. Felicissima item dies illa, qua Dei amicus et beatitudinis candidatus, in patriam et cœli domicilium evocatur : vix enim lumina morte occludenti sese lux aperit atque dies, quam nox nulla vel tenebræ sequuntur, sed aurea serenitas et æterna quies; nec est quod tali mœrorem adferat de sepultura et humo cogitatio, stat enim ratum cœli decretum, sepulcrum ejus fore gloriosum, *Isai.* XI, 10. Habeant ergo in melle (ut Herodotus lib. I, tradit) Babylonii sepulcra sua; at viri sancti in pietatis dulci ambrosia humantur. Gloria in rerum administratione parta viro civili (ut Plutarchus ait) καλὸν ἐνάφιον, id est *pulchram sepulturam,* statuat; at longe pulchrius honoratiusque sepulcrum ipsa pietas religiosæ vitæ hominibus suis veluti manibus ædificat : ubicumque enim siti fuerint ibi memoria eorum in benedictione erit. Jam iterum ad textum et Jobi querelas redeamus.

Mors lata justorum.

Sepulcrum justi gloriosum.

23. VIRO CUJUS ABSCONDITA EST VIA, ET CIRCUMDEDIT EUM DEUS TENEBRIS? — Agit hic de viro suæ sortis et conditionis in extrema calamitate constituto, qui circumdatus tenebris miseriarum et ærumnarum nullam invenire possit viam, qua ad lucem, id est lætam vitam et felicitatem evadat. Hoc itaque, ut sensus et constructio cohæreat, referendum est ad illud quod vers. 20 dixerat : « Quare misero data est lux? » id est *vita*, quæ scilicet non tam vita est miseris quam longa mors; aptissime his verbis exponens calamitosi hominis conditionem, ut probet ei prorsus inutilem esse lucem, quemadmodum ad versum istum vigesimum fusius explicatum est, quo hæc referuntur, ut sensus sit hujusmodi ac si dicat : « Cur datur lux viro, cujus abscondita est via? » id est qui nullam viam invenire potest, qua hujus vitæ mala, in quibus versatur, effugiat, et quem ita latet suæ salutis iter ac si ab eo penitus absconderetur, quippe omni luce destituto, et densissimis undique tenebris circumdato, ne ex diei solisque luce ullum capere valeat emolumentum; quæ consequenter ei frustra tribuitur. Cum autem Vulgatus vertit, *circumdedit eum Deus tenebris,* Chaldæum secutus fuisse videtur, qui hunc locum ita interpretatur, *et umbravit Deus apud eum* : in Hebræo enim tantum est, *circumdedit circa eum Deus,* quemadmodum quoque vertunt Septuaginta, συνέκλεισε γὰρ ὁ Θεὸς κατ' αὐτοῦ, *concluditenim Deus super eum*; eamdemque quam modo explanavimus refert sententiam. Verbis porro hebraicis diserte exprimitur status hominis infortunati, cujus conatus semper irriti cadunt, neque exitum unquam felicem sortiuntur; sed quidquid moliatur, et quocumque se vertat, detrimentum facit, et ad tantas angustias redigitur, ut quodammodo circumdatus a Deo et malis undique circumseptus esse videatur, ne evadat

Vers. 23. Cæteri in miseriis versantur quasi tenebris circumdati.

ullo modo possit. Hoc sensu Psalmista de seipso dicit *Psalm.* LXXXVII, 9 : « Traditus sum, et non egrediebar, » id est effugere non poteram; et clarius ipsemet Job *infr.* cap. VII, 12 : « Numquid mare ego sum aut cetus, quia circumdedisti me carcere? » se vero cum mari comparat, quia mare a Deo ostiis ac littoribus conclusum fuisse dicitur, ne terram obrueret, sicut *inf.* cap. XXXVIII, 10 narratur : « Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem et ostia. » Ita nimirum Job se undique miseriis conclusum et immersum fuisse memorat, ut emergendi nullam haberet potestatem : pari igitur modo hic etiam miserum et afflictum hominis statum describens ait : « Circumdedit circa eum Deus, » miserias scilicet et calamitates, quas per *tenebras* significari non semel in præcedentibus exposuimus.

Nemo scit an opera sua Deo placeant.

Cæterum ista verba, *viro cujus abscondita est via,* etc. hunc etiam sensum habent, ut significent, ipsa opera nostra se nobis abscondere, adeo ut omnino ignoremus an recte facta sint, an secus, quod multum doloris et timoris nobis parit, atque hoc modo locum hunc exponit S. Gregorius lib. V *Moral.* cap. IV dicens : « Sæpe unde placari judex creditur, inde ad irascendum placidis instigatur, Salomone attestante, qui ait *Prov.* XIV, 12 : *Est via quæ videtur homini recta, novissima autem ejus ducunt ad mortem.* Unde postquam dictum est : *Quare data est misero lux?* adjungitur : *Viro cujus abscondita est vita,* ac si dicatur : Cur hujus vitæ successus appetit, qui sub qua sit existimatione judicis iter sui operis nescit. » Atque hoc erat quod Jobum gravissime angebat, nempe quod ignoraret, an bona quæ gesserat, aliqua ex parte ad malum vergerent.

Jobo erant cibi fastidio, quod miseram ei vitam prorogarent.

Vers. 24. 24. ANTEQUAM COMEDAM SUSPIRO : ET TANQUAM INUNDANTES AQUÆ SIC RUGITUS MEUS; — Septuaginta reddunt, πρὸ γὰρ τῶν σίτων μου στεναγμὸς ἥκει, δακρύω δὲ ἐγὼ συνεχόμενος φόβῳ, *ante escas quippe meus gemitus adest, et fleo ego coarctatus timore*; Aquila vertit, ὅτι εἰς πρόσωπον ἄρτου μου στεναγμὸς ἐλεύσεται, *quia ad faciem panis mei gemitus veniet,* quod fere ad verbum respondet Hebræo textui, qui sic habet : כי לפני לחמי אנחתי תבא, *chi liphne lachmi anchati tavo,* id est, *nam ad facies panis mei suspirium meum veniet mihi;* ubi in primis notanda est particula כי *chi,* quæ hæc loco commode verti posset *quare,* vel *quamobrem,* vel *ideo,* tum ut causa tanti gemitus et rugitus indicetur; tum ut ex præcedentibus optima cum iis quæ paulo ante protulit colligatio nexusque appareat. Deinde notanda est phrasis hebraica, *ad facies panis mei* : significare namque potest non solum, ut Vulgatus interpres vertit, *antequam comedam,* sed etiam aliquid majus, *q. d.* Tanta est animæ meæ amaritudo, tantumque tenet me vitæ meæ tædium, ut statim atque cibi ante oculos meos ad miserrimam hanc vitam meam utcumque sustentandam apponuntur, ultro mihi erumpant suspiria emanentque lacrymæ, nec non intensissimos cogar rugitus eructare, a cibo prorsus abhorrens, atque ita mecum ratiocinans : Ad quid mensa apponitur ei qui vehementissime gauderet, si extemplo mori liceret, ac sepulcri compos fieret?

Phrasis hebraica *ad facies* quid significet.

Alia tamen adhuc subtilior hebraicis istis verbis subest significatio, secundum quam in sacro eloquio passim denotant similitudinem, æqualitatem aut proportionem veluti cum dicitur *Exod.* XX, III : « Non erunt tibi dii ante me, » in Hebræo est *super facies meas,* hoc est quamdiu ero et exsistam, nempe in æternum deos alienos non habebis : item in Psalterio, *Psalm.* LXXI, 5, ubi habetur « Et permanebit cum sole, et ante lunam, » in hebraico textu legitur *ad facies lunæ*; et paulo post *ibid.* vers. 18, pro *ante solem* Hebræus vertit, *ad facies solis,* hoc est, quamdiu durabit sol, quamdiu durabit luna. Quibus in locis ista phrasis *ad facies* æqualitatem temporis sonat; in quibusdam vero aliis significat similitudinem, ut cum hic *infr.* cap. IV, 19, de impiis dicitur « consumentur velut a tinea, in Hebræo habetur *ad facies tineæ.* Itaque si phrasim hanc hebraicam in priori *æqualitatis* notione accipias, illud *ad facies panis mei suspirium meum veniet,* idem est, *q. d.* Tantum suspiro quantum comedo, sive tot suspiria emitto quot panis vel cibi buccellas accipio. Atque hoc ita intelligendum est, ut verbum *venire* significet *erumpere,* et cum impetu exire, quemadmodum suspiria solent et singultus, qui præ nimia cordis angustia suopte motu prodeunt : hos ergo Job ultra cohibere non poterat; sicut repugnantiam illam, qua *Psalm.* VI, 7 David « laboravit in gemitu suo, » S. Ephrem serm. *De Pœnit.* interpretatur laborem illum, qui in gemitu, ne foras prorumpat, comprimendo sentitur. Et certe interpres Vulgatus hunc hebraismum elucidare voluit dum vertit, *antequam comedam suspiro,* idem enim est, *q. d.* Quantum vel quoties comedo, tantum vel toties suspiro et lacrymas fundo. Cui modo loquendi haud dissimilis est in *Psalm.* CI, 5 : « Oblitus sum comedere panem meum. A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ; » et paulo post additur : « Quia cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam, » *q. d.* Tam crebri ac sine intermissione sunt gemitus mei, ut vix mihi ad cibum sumendum tempus supersit, quinimo etiam ipso refectionis tempore inter bibendum mihi lacrymæ ubertim erumpant, et in calicem meum defluant : atque hoc est tantum flere quantum bibere; unde subdit :

ET TANQUAM INUNDANTES AQUÆ SIC RUGITUS MEUS (1),

(1) Apud interpretes dupliciter hic locus accipi solet : quidam enim putant Jobi suspiria cum ingenti aquarum conferri inundatione, ex eo quod illa non sine ubere lacrymarum fluxu ederentur : alii vero Jobi clamores et singultus comparant cum rauco illo aquarum murmure, dum vel per occultos meatus cum strepitu labuntur vel dum exundantes excedunt alveum et per arva spatiatæ diffluunt. Sed imprimis notandum quam poetice hic Job

http://www.obrascatolicas.com

— id est, præ doloris magnitudine tantus est gemitus et ejulatus meus, ut aquarum inundantium fragorem ac sonitum exprimere quodammodo videatur. Intelligenter autem hac Vulgati interpretis versione verba hebræa explicantur, quæ paululum obscuriora videbantur, et sic ad verbum sonant, *effusi sunt sicut aquæ rugitus mei*, pro quo Septuaginta vertunt, δακρύω δὲ ἐγὼ συνεχόμενος· φόβῳ, *fleo autem ego coarctatus timore;* ex quo manifestæ arguitur stultitiæ stoicorum illa cruda nimis et humani sensus expers opinio, affirmantium viro forti nullum unquam concessum esse gemitum aut ejulatum, tametsi maximis doloribus premeretur : sicut enim non dedecet virum fortem dolor, cum illum ratio et natura postulet (uti *supr.* cap. I, 20, probavimus), ita nec summi doloris signa nobis a natura indita hominem etiam sapientem ullo modo dedecere putanda sunt; qualia vel ipsummet Christum in horto et cruce atque alias aliquando edidisse constat.

Stoicorum stulta sententia doloris signa vituperat.

Tropologice S. Gregorius lib. V *Moral.* cap. IV, hunc versiculum exponens docet perfectionem istiusmodi naturæ cibum esse qui lacrymis emendus, et gemitibus atque suspiriis comparandus sit : « Nisi enim, inquit, anima suspiret non comedit, quia qui se in hoc sæculo per desideriorum cœlestium lamenta non humiliat, æternæ patriæ gaudia non degustat : a veritatis enim pabulo jejuni sunt qui in hac peregrinationis inopia lætantur. Suspirat autem qui comedit, quia quos veritatis amor afficit etiam refectio contemplationis pascit. Suspirans Propheta comedebat cum diceret *Psalm.* XLI, 4 : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes :* luctu enim suo anima pascitur cum ad superna gaudia flendo sublevatur; et intus quidem doloris sui gemitum tolerat, sed eo refectionis pabulum percipit, quo vis amoris per lacrymas emanat » : sic ille, satis aperte et diserte docens non nisi ferventibus piorum desideriorum suspiriis et profusis ubertim lacrymis veræ devotionis gratiam obtineri. Hæc autem talia desideria sint oportet, quæ nos dormitantes excitent, oblitos ad memoriam revocent, et in alia distractos colligant, et ad solam perfectionem quærendam quotidie magis magisque sollicitent, et quæ in alia re quam in virtutis officio nos requiem invenire non sinant, quæ nos singulis momentis ignavia reprehendant, quæ ad sanctam quamdam impatientiam adigant, quia Deum diligentius non quærimus, et post sponsum velocius non currimus; et quia necdum illum perfecti amoris brachiis adstrictum ligatumque tenemus. Talia denique sint quæ ad ferventissimas postulationes moveant, quæ ad largam profusionem lacrymarum provocent, et quæ ex imo pectore suspiria, gemitus et singultus eliciant : hujusmodi enim desideria non tepida et infirma, sed ardentia atque robusta, quæ difficultates superent, quæ animam lacrymis gemitibusque conficiant, solent ipsimet Omnipotenti vim inferre, in Dei cor penetrare, ibi conturbare sententiam, iram discutere, veniam mereri, pacem extorquere.

Perfectio lacrymis et gemitibus comparanda.

Vera devotio non nisi suspiriis et lacrymis obtinetur.

Hinc omne fere genus divinarum litterarum fletum, suspiria, planctum hominibus indicit ut pœnitentiæ veræ condimentum et pabulum devotionis : pleni sunt prophetarum libri aliaque oracula sacrosancta in quibus nos monet Deus, ut ad ipsum convertamur in fletu et planctu, et scindamus potius corda nostra quam vestimenta, *Joel.* cap. II, 12. Evangelium quoque totum lacrymis et imbre illo salutari madet, in quo risus inanesque lætitiæ damnantur, fletus et lamenta commendantur; idque auctore Filio Dei, qui inauditis suis monitis orbem instruens *Luc.* VI, 25 et 21 : « Væ, inquit, vobis qui ridetis nunc : quia lugebitis et flebitis; » et e diverso : « Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. » Quod arcanum Christi dictum acute subtiliterque expendens S. Augustinus, serm. 9 *De Verb. Apost.* : « Ergo, inquit, in ploratu officium est, in risu præmium sapientiæ : » vult nimirum hominis christiani officium esse plorare quam longa est vita præsens; post migrationem vero ab hoc mundo operiendam esse lætitiæ usuram et sempiterni gaudii fructum, quem pollicetur Deus. Cæterum quæ tantorum Jobo causa suspiriorum et gemituum exstiterit expendamus; quam versu sequenti assignat dicens :

Fletus est pœnitentiæ condimentum et pabulum devotionis.

25. QUIA TIMOR QUEM TIMEBAM EVENIT MIHI : ET QUOD VEREBAR ACCIDIT. — Ideo nimirum tot imo corde suspiria tantosque rugitus et ejulatus Job emittebat, quia *timor*, id est res omnino timenda et formidanda, quam olim in rebus prosperis constitutus pro humanæ conditione naturæ sibi aliquando evenire posse prudenter metuerat, jam ipsum opprimebat; et vel invito, dolorum et ærumnarum immensitati præ mortali imbecillitate succumbenti, exprimebat. *Timor* enim (ut bene Pineda noster observat) μετωνυμικῶς hoc loco pro *re timenda* sumitur, effectum pro causa accipiendo, et abstractum pro concreto ponendo, quemadmodum in *Prov.* I, 26, pro eo quod nos legimus, *cum vobis id quod timebatis advenerit*, in Hebræo ponitur, *cum venerit timor vester :* sic enim vocem illam hic accipiendam esse posterius hujus versiculi hemistychium (quod phrasi Scripturæ, præsertim Psalmis usitata, prioris explicatio est) manifeste declarat : *Et quod verebar accidit;* quibus verbis nihil aliud significat quam

Vers. 25.

Timor metonymice pro re timenda.

præ doloris angustia suæ animæ amaritudinem exhalet : *primo* enim suspiria sua et planctus vocat *rugitus* suos, et equidem non absque quadam verisimilitudine, nam ejulantium atque lamentantium clamores et gemitus, inconditi et rauci esse solent, atque ideo leonum rugitibus similes. Deinde singultuum atque ejulatuum sonitus comparat Job cum sonantibus ac strepentibus aquis, et equidem satis eleganter : nam, sicut in fluctibus resonantibus est fragosus ac raucus ille strepitus conjunctus cum aqua maris amara, ita dolentium atque lamentantium gemitus et suspiriorum sonitus amarissimæ lacrymæ comitari solent.

timorem suum non fuisse vanum, cum nihil ante timuerit quod non deinceps expertus fuerit cumulate, quippe qui in tantam e summo felicitatis fastigio calamitatem repente inciderit, qualem ante se nemini evenisse umquam certum erat; sed vel sibi aut ulli mortalium ingruere aliquando posse vix credibile videbatur : tanta enim erat calamitatum ejus magnitudo et enormitas, ut omnem humani sensus captum imo et mentis cogitationem longe superaret. Hæc itaque vera et satis idonea erat tot suspiriorum et rugituum causa, quod nimirum ærumnas, quas in florente statu timuerat sibi forte aliquando eventuras, in præsentiarum re ipsa longe graviores et acerbiores experiretur quam vel ipse vel quicumque alius præsaga sibi mente fingere aut concipere potuisset : dæmonis enim exquisitum in cruciatibus excogitandis atque irrogandis ingenium et artificium, quod in Jobo affligendo et torquendo propemodum exhaustum fuit, quis vel dicendo eloqui vel cogitando assequi ullo modo possit?

Job majora passus quam quisquam possit concipere.

Atque hic, ut opinor, est maxime simplex et genuinus hujus loci sensus et commodissima explicatio : quippe quæ in suspiriis et rugitu humanæ carnis infirmitatem agnoscit, et Jobi in malis, antequam accidant, prævidendis sagacitatem atque prudentiam, nec non postquam ingruerint generose sustinendis constantiam fortitudinemque commendet : significat enim Jobum semper præ oculis habuisse humanarum rerum vicissitudinem, et in rerum omnium affluentia solitum adversa omnia formidare, quasi jam proxime ex insidiis ipsum invasura : quia ut eximius erat philosophus, exacte noverat res humanas variis obnoxias esse mutationibus, et momento nonnunquam temporis ita converti, ut nullum penitus pristini sui status post se relinquant vestigium. In prosperis ergo adhuc constitutus ita regiam suam fortunam intuebatur, ut eam deficere posse meditaretur : sic mensam instructu regio instratam et frequentibus oneratam ferculis videbat, ut tamen non ignoraret in aureis non raro poculis venenum propinari, et extrema gaudii luctum excipere : quamobrem neque arridenti sibi fortunæ nimium fidebat, neque ob regiam dignitatem sese insolenter efferebat, aut præ se alios despiciebat, quos jacere videbat in sordibus et adversæ fortunæ incommodis urgeri; sed eorum necessitatibus prout poterat subveniebat; in die bonorum, ut Sapiens monet *Eccli.* XI, 27, non immemor malorum; neque cum homo esset humani quidquam a se alienum putans. Hæc multis eleganter explicat S. Chrysostomus hom. 14 *De Avarit.*, ubi fuse ostendit, quomodo Job in rerum omnium affluentia et secundissimo fortunæ flatu minime inflatus, sese in angustis animi moderati spatiis semper continuerit; ac deinceps admirandæ ipsius in adversis constantiæ rationem reddens : « In causa, inquit, fuit, quod cum dives esset exspectabat egestatem; cum tot liberorum esset pater exspectabat ut subito fieret orbus : atque hunc timorem semper apud se suscepit, et hanc anxietatem semper apud se aluit, intelligens rerum humanarum naturam momentaneamque volubilitatem negotiorum considerans, eoque dixit : *Timor quem timebam evenit mihi; et periculum quod metuebam occurrit mihi.* »

Job in prosperis semper adversa metuebat.

Hoc nempe proprium est prudentiæ non ea modo quæ ante pedes sunt considerare, sed illa quoque quæ longe sita vel postmodum futura sunt prospicere : absque hac enim providentia nec præcipitia videntur, nec apparet portus boni eventus, quo cymba negotiorum tuto et molli appulsu dirigatur, et coguntur multi acroama illud imprudentium ore invito ejicere : *Non putaram* : quod opusculo plane festivo et eleganti Joannes David noster merito eliminandum et amputandum docet. Quare non probo hic quorumdam explicationem dicentium idcirco Jobum in suo illo bonorum omnium naufragio ante cibi sumptionem plorare et rugire solitum, quod illa tunc pateretur quæ dudum antea prævidisset ac timuisset, quasi istiusmodi malorum præcognitio seu prævisio dolorem ejus ampliaret aut augeret, cum e diverso potius illum lenire atque imminuere debuisset; quia ut proverbio dicitur : « Prævisa tela minus feriunt; » et ut Seneca, lib. *De Cons.* cap. IX sapienter ait : « Quæ multo ante provisa sunt languidius incurrunt; » nec minus scite alio loco *Epist.* 76 : « Præcogitati mali mollis ictus venit. » Quare, ut jam exposui, dicendum idcirco Jobum tanta doloris signa edidisse, quia mala quæ timuerat, et aliquo modo confusa saltem cogitatione anticiparat, præter exspectationem longe immaniora et acerbiora quam cogitando assequi potuisset accidissent : nam, ut sapiens Hebræorum scriptor Josephus lib. V *Antiq.* cap. ult. ait : Τὰ παρὰ προσδοκίαν δεινὰ, id est *casus inopinati sunt acerbi :* longe enim gravius solent afficere quæ præter exspectationem accidunt.

Providentia est mala futura prospicere.

26. NONNE DISSIMULAVI? NONNE SILUI? NONNE QUIEVI? ET VENIT SUPER ME INDIGNATIO. — Septuaginta hæc sine interrogatione efferunt hoc modo, οὔτε εἰρήνευσα, οὔτε ἡσύχασα οὔτε ἀνεπαυσάμην, ἦλθε δέ μοι ὀργή, *neque in pace fui, neque in silentio, neque in requie; venit autem mihi ira*, q. d. Non me segniter et inerter gessi in meo munere administrando, sicut multi alii reges et judices, qui dissimulant peccata, et gravissima etiam facinora connivendo non puniunt; qui silent ubi vel maxime clamare deberent; qui inerti otio sese dedunt, et genio indulgent suo, cum iis vigilandum, et pro reipublicæ salute assidue laborandum foret, ut officii sui debito satisfacerent : ita Pineda noster. Quem sensum Aquila clarius expressit hunc locum ita vertens, οὐκ διεπάθησα, *non me oblectavi, non indulsi genio*, id est minime deliciosa, sed laboriosa mihi visa fuit; et tamen gravis hæc plaga et ira Dei in me venit.

Vers. 26.

http://www.obrascatolicas.com

Boni principis et magistratus officium.

Optimi principis ac magistratus officium hoc versu insinuatur, quorum est si quod sciant indignum aliorum facinus et maleficium corrigere, devios reducere in viam, uno verbo emendare, hinc probi et providi reipublicæ rectores in Scripturis *canes* appellantur, quod reos scelerum atque impios allatrare, et cum opus fuerit morsibus impetere atque suppliciis coercere debeant : id ni faciant ab Isaia cap. LVI, vers. 10, graviter reprehenduntur, et dicuntur *canes muti non valentes latrare*; vel, ut legit S. Augustinus *in Psalm.* LXXXI, *canes muti nescierunt latrare*; sed de multis verius dici potest, *noluerunt* quam *nescierunt*, qui si forte muti sint, aut interclusam vocem habeant, non id patiuntur, quod nescio quis lupus illos prior viderit, sed ignavus potentiæ alienæ timor et spes commodorum, aut alius quispiam respectus humanus linguam illorum fœde ac perniciose illigaverit; hinc oritur illa dissimulatio peccatorum, quam sapientes communibus sententiis damnant ommes, cum in sceleribus connivent illi qui emendare debuissent.

Dissimulatio peccatorum maxima damna parit.

S. Hilarius *in Psalm.* CXXXVIII istiusmodi dissimulationem ac conniventiam *adulans silentium* appellat, atque acriter perstringit, nec immerito, quoniam incredibile est quot et quanta mala inde promanent : nam in primis illi ipsi quod nefarium scelus non corrigunt admittunt, quemadmodum Agapetus, num. 28, diserte docet dicens : Ἴσον τῷ πλημμελεῖν τὸ μὴ κωλύειν τοὺς πλημμελοῦντας, *idem est delinquere et non coercere delinquentes*; aliis autem incredibiliter nocent, quibus fenestram aperiunt late patentem ad similem audaciam concipiendam, ut vere et acute Arnobius lib. IV *Contr. Gent.* : « Quisquis, inquit, patitur peccantem is vires subministrat audaciæ; » neque in uno sistit malum, sed ut pestilentissimum quoddam virus in consequentes quoque ætates influit, ad quas peccandi consuetudo transmittitur; quemadmodum pulchre docet Ennodius in *Vita Epiph.* dicens : « Vitia transmittit ad posteros qui præsentibus culpis ignoscit. » Job itaque secundum Septuaginta interpretum lectionem ab omni noxia dissimulatione, atque adulante silentio, nec non inerti otio aut desidiosa quiete, quæ vitiis pabulum et fomenta subministrant, atque criminibus patrocinantur, quam maxime semper alienum se fuisse profitetur; cum non dissimulaverit se scire aliorum peccata, neque ad illa connixerit, et impune abire passus sit, neque siluerit cum reprehensione severoque edicto impudens sceleratorum hominum improbitas coerceri deberet; neque tandem quieverit, donec aut peccatum aut peccatores de terra exterminaret.

Chaldæus cum Vulgato hæc per interrogationem efferens sensu prorsus alio versum hunc exponit, et περιφραστικῶς interpretatur hoc modo, *nonne quievi? et nonne pacatus fui in nuntio de bobus et asinis? et nonne tranquillus fui in nuntio de incendio ovium? et nonne sedatus fui de nuntio camelorum? et venit indignatio per nuntium de filiis?* ubi dissimulatio et silentium illud, cujus Vulgata versio meminit, ex Chaldæi sententia refertur ad eam animi tranquillitatem, qua Job fortunarum suarum jacturam absque querimonia pertulit. Quod autem illa verba postrema : « Venit super me indignatio, » ad mortem filiorum referat, merito improbat Stunica et Pineda noster, quod potius hæc ad acerbissimam illam calamitatem, quam in corpore ipse suo a diabolo percussus sustinuit, referenda videantur : ita nimirum ut prima pars versiculi : « Nonne dissimulavi? nonne silui? nonne quievi? » ad calamitates illas quatuor, quibus patientia ejus primum tentata fuit, referatur, *q. d.* Omnium plane facultatum mearum et possessionum amplissimarum, quin et pignorum insuper charissimorum jacturam et luctuosissimum interitum patienter atque æquo animo tuli; *dissimulavi*, nullum indignantis animi signum edens; *silui*, nullum querulosum verbum proferens; *quievi*, nihil omnino reluctans; sed divinæ in omnibus voluntati me accommodavi, et æque sereno ac tranquillo animo de manu Domini mala sustinui quam bona susceperam : cumque hac ratione sperarem mihi Deum fore propitium atque benevolum, e diverso expertus sum durum, non quasi muneratorem recte factorum, sed quasi scelerum censorem ac vindicem. Hoc enim sibi volunt illa verba ultima : *Et venit super me indignatio*, id est affectus animi indignantis et irascentis, quales sunt plagæ et ærumnæ quas Job patiebatur. Porro extrema hæc verba notat Sanctius noster occasionem et materiam præbuisse longæ illi disputationi, quam amici cum Jobo sequenti capite auspicantur.

CAPUT QUARTUM

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliphaz rupto tandem silentio viam aperit longæ disputationi, Jobum arguens impatientiæ, et supponens neminem unquam justum periisse, nec impium impune tulisse scelus suum, conatur illi persuadere quod propter peccata sua tantas ærumnas sustineat; quandoquidem nemo sit adeo justus, in quo Deus non reperiat aliquam pravitatem, quam merito puniat, si summo jure agat.

1. Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit : 2. Si cœperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies : sed conceptum sermonem tenere quis poterit? 3. Ecce docuisti multos, et manus lassas roborasti. 4. Vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti. 5. Nunc autem venit super te plaga, et defecisti : tetigit te, et conturbatus es. 6. Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, et perfectio viarum tuarum? 7. Recordare obsecro te, quis unquam innocens periit? aut quando recti deleti sunt? 8. Quia potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, 9. Flante Deo perisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos. 10. Rugitus leonis, et vox leænæ, et dentes catulorum leonum contriti sunt. 11. Tigris periit, eo quod non haberet prædam : et catuli leonis dissipati sunt. 12. Porro ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus. 13. In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines. 14. Pavor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt. 15. Et cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ. 16. Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, et vocem quasi auræ lenis audivi. 17. Numquid homo, Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir? 18. Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem. 19. Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea? 20. De mane usque ad vesperam succidentur : et quia nullus intelligit, in æternum peribunt. 21. Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis : morientur, et non in sapientia.

Vers. 1. Amici Job fuere vere sapientes ac pii.

1. Respondens autem Eliphaz Themanites dixit : — Disputat hic Pineda noster, utrum Eliphaz cæterique amici Job, quibuscum ei tam longa fuit disputatio, vere sapientes fuerint, ac religionis pietatisque cultores; et concludit affirmate, quoniam eorum sermones vere doctissimi atque omni eruditionis genere referti id luculenter declarant; quos jure merito plurimi faciendos esse ipsiusmet S. Pauli auctoritate confirmatur, qui I *Cor.* III, 19, Eliphazi testimonio utitur ad doctrinam suam admirabilem ac plane theologam comprobandam dicens : « Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. Scriptum est enim : Comprehendam sapientes in astutia eorum, » quam sententiam Eliphaz protulit cap. seq. vers. 13. Quare de illorum probitate, sapientia et eruditione minime dubitandum; quandoquidem S. Jobo, viro integerrimo, sapientissimo eruditissimoque usi fuerint familiariter, cujus *amici* passim in Scriptura nominantur; pares autem cum paribus, ut in proverbio est, plerumque congregantur et conversantur; nec vera sine virtute amicitia conglutinari potest; sed nec viro probo cum iniquis esse potest amicitia. Adde quod Eliphaz hoc, et cum eo simul socii postremo capite, divino alloquio atque apparitione digni sint habiti : nec refert ipsos a Deo fuisse reprehensos, quod amici sui consolationem imprudenter tractassent, adeoque peccassent. nam ab ipsomet Numine edocti, ab errore liberati, et in gratiam recepti fuerunt : quare haudquaquam idcirco penitus rejiciendi sunt, cum et complures alii prophetæ et ἀγράφοι, quorum libri et oracula in Scripturæ canones relata sunt, graviora longe crimina commiserint, et acerbiorem meruerint atque tulerint reprehensionem, etiam ipsemet Moyses et David, sacrorum scriptorum primipili.

Quis fuerit error amicorum Job.

Horum porro amicorum error in eo potissimum versari videtur, quod cum S. Jobo de proborum virorum et iniquorum differentiis disputantes ve-

http://www.obrascatolicas.com

rissimas quidem instituant propositiones, sed assumptiones plerumque falsas ac temerarias subinferant, in quibus turpissime hallucinantur : nihil enim de toto genere bonorum et malorum edisserunt, quod non doctissime sapientissimeque loquantur; imprudenter tamen S. Jobum iniquitatis arguebant, qua in re non adeo mirum est ipsos fuisse deceptos : nam cum pœnæ natura sua propter culpam institutæ sint, et infligi soleant, communis hominum fert opinio, ut eum culpæ alicujus reum putent, quem pœnas pendere videant, adeo ut *Isai.* LIII, 12, vel ipsemet Christus infinita bonitate præditus, quod in crucem suffixus cerneretur, « cum sceleratis reputatus sit; » hinc barbari quoque videntes viperam e manu Pauli pendentem dicebant ipsum homicidam esse, quod ultio non sineret eum vivere, ut in *Act.* XXVIII, 4 narratur : quare mirum non est Jobi amicos de ipsius probitate addubitasse, ubi cum fortunis omnibus spoliatum et tam exquisitis tormentis a diabolo excruciatum cernerent.

Pœna propter culpam potissimum instituta.

Licet ergo D. Gregorius et quidam alii dicant illos gessisse typum hæreticorum, nefas tamen sit existimare ipsos vere hæreticos fuisse : nam tunc necdum Jobi sanctitas tam manifesto Dei testimonio fuerat comprobata, ut eam religiose credere tenerentur; neque vero etiam S. Paulus, si hæretici fuissent, eorum testimonio uti voluisset ad doctrinam suam theologicam confirmandam : quamobrem tanti criminis labe aspergi nullo modo possunt, cum nulla eorum hæresis in medium proferri possit (1). Cæterum quid Eliphaz suo sociorumque nomine præfatus sit attendamus.

Amici Job non fuerunt hæretici.

Vers. 2. 2. SI COEPERIMUS LOQUI TIBI, FORSITAN MOLESTE ACCIPIES : SED CONCEPTUM SERMONEM TENERE QUIS POTERIT? — Septuaginta reddunt, μὴ πολλάκις σοι λελάληται ἐν κόπῳ; ἰσχὺν δὲ ῥημάτων σου τίς ὑποίσει, *non sæpe tibi sermo est habitus in molestia? Pondus autem verborum tuorum quis sustinebit?* id ita exponit Olympiodorus, *q. d.* Nosti, optime Job, nos molesta tibi loqui, aut quæ ad iram incitarent proferre nunquam solitos; nunc vero quoniam verborum tuorum asperitatem concoquere minime valemus, cogimur (quod pace tua liceat) iis aliquid opponere. Theodotion vertit, εἰ λαφύσσεθα λαλῆσαι πρός σε κοπιάσεις, *si aggrediamur loqui tecum defatigaberis;* Symmachus, ἐὰν ἀναλάβωμεν λόγον μοχθήσεις, *si assumpserimus sermonem ægre feres.* Hæc Eliphaz tanquam dignior, senior et sapientior cæterorum omnium communi nomine præfatus est, *q. d.* Ne sit tibi molestum, o amice Job, si querimoniis tuis sane gravissimis respondere aliquid incipiamus, ea etenim quæ locutus es tam copiosam tamque justam nobis dicendi quidpiam tibique respondendi ansam et materiam præbent, ut plurima eaque maximi momenti argumenta, quæ iis opponamus, in promptu sint, et quasi suopte nutu (quod premi diutius nequeant) ex ore pridem erumpere gestiant. Ubi notanda est elegans metaphora a parturientis utero desumpta, sicut enim fœtus, qui dudum latuit in utero, ubi jam maturus est partui, teneri ultra non potest, quin vel ipso genitricis alvo disrupto erumpat : sic etiam sermo, qui fœtus quidam mentis est, postquam animo conceptus et in mentis utero plene formatus fuerit, ubi se jam maturitas, id est loquendi opportunitas obtulerit, contineri vix potest, quin ruptis silentii repagulis sponte quodammodo per os foras erumpat. Unde hæc sententia : « Conceptum sermonem tenere quis poterit? » jam in proverbium abiit, ad significandum, quam difficilis sit linguæ, membri maxime lubrici, continentia; unde pythagorei, ut Jamblicus in *Vita Pythagor.* cap. XXXI, tradit, non sine ratione dixerunt : Coercere linguam atque moderari, πάντων ἐγκρατευμάτων χαλεπώτατον, id est *omnium quæ ad frænandos animorum impetus* atque domandos *pertinent esse difficillimum.* Est enim tam potens linguæ ille pruritus impotens, ut multi pestem ante oculos positam, quam silendo vitare potuissent, loquendo admittant, atque in sinum recipiant; unde eleganter Plinius lib. XIV, cap. XXII : « Mortifera, inquit, loquuntur, rediturasque per jugulum voces non continent : » vox nimirum temere emissa per fauces redit per jugulum inimica manu perfossum ad ulciscendam inconsiderati sermonis injuriam. Ex quo patet quam difficile sit silere, quam item facile sit sermone diffluere.

Eliphaz illorum nomine respondet Jobo præfationem præmissa.

Sermonis et linguæ difficilis continentia.

Artificiose prorsus Eliphaz usus est istiusmodi præfatione, cum ut Jobi animum ad ea quæ dicturus erat benevole accipienda disponeret; tum ut verbis suis majorem vim ac pondus adderet. Tunc autem potissimum talia usurpari solent præludia quando aliquem offendere timemus, vel ne fastidio simus ei quem reveremur : sic Abraham ad Deum humiliter præfatus *Gen.* XVIII, 30 et 31 : « Ne quæso indigneris, Domine, si loquar, » et iterum : « Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum; » aut cum aliquem nobis superiorem ac digniorem corrigere volumus, id quod videtur Eliphaz hic potissimum intendere : sic illa mulier Thecuitis pluries jam regem allocuta, II *Reg.* XIV, 12 : « Loquatur, inquit, ancilla ad Dominum meum regem verbum. » Simile est illud Telemachi ad Antinoum I *Odyss.* :

Modus præfandi qualis esse soleat.

Ἄντινο' εἶπερ μοι καὶ ἀγάσσεαι, ὅττι κεν εἴπω :
Antinoe, an mihi irasceris, si quid dixero?

Istiusmodi formulæ præfandi tam sacris quam profanis auctoribus satis usitatæ sunt et obviæ, atque inter honestos etiamnum quotidiano usu frequentantur, præsertim quando ad proceres aut

(1) Certe haud immerito addendum, eos minime Jobum tam acriter arguturos fuisse, et cum eo e contra maxima indulgentia, admiratione, quin etiam veneratione acturos, si concilio cœlesti cujus primo secundoque capite hujus libri prospectus expanditur, interfuissent, penitusque non ignorassent Dei erga servum suum agendi rationem.

primores nobis sermo est. Hic obiter observandum (id quod Sanctio nostro persuasum fuit, neque aliis improbabile videtur) hosce tres amicos consolationis specie et humanitatis, quam inter se amici colere consueverunt, aut inductos a dæmone, aut, si sua ipsi sponte hoc officium obire statuissent, instructos fuisse, quibus Jobum verbis exciperent et aggrederentur, ut scilicet per illos id tandem consequeretur, quod aliis machinis atque tormentis extorquere minime potuerat. Cæterum quam callido artificio veterator ille pessimus rem hanc totam adornarit ex sequentibus liquido patebit.

Tres amici a dæmone contra Jobum instigati.

Vers. 3. 3. ECCE DOCUISTI MULTOS, ET MANUS LASSAS ROBORASTI. — A Jobi laudibus exorditur, ut tanto gravius ipsum inde postmodum perstringat : acrior enim illum mordet reprehensio, quem suavior antea laudatio titillaverat, sicut infelicior est lapsus qui ex altiori specula contingit, turpior culpa quam gloria antecedit; hinc Scriptura sacra quos vult acerbius perstringere, eosdem prius laudare consuevit, ut a dignitate personæ facti indignitas magis denotetur, quod paucis non abs re fuerit exemplis illustrare. Mirum profecto est in quanta supremi angeli encomia divinum oraculum excurrat *Ezech.* XXVIII, 12 : « Tu, inquit, signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore : in deliciis paradisi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum, etc. : sed cur tam multas laudes præmittit ejus de quo postea dicturus est *ibid.* vers. 16 : « Peccasti, et ejeci te de monte Dei? » D. Hieronymus ad eum locum respondet, ut major de pœna dolor consequatur : « Commonetur, inquit, quid fuerit, ut doleat se perdidisse quod habuit. » Similiter Jacob filium suum Ruben ob peccatum incestus, quod patrarat, reprehensurus præmittit ejus laudes dicens *Gen.* XLIX, 3 : « Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea et principium doloris mei, prior in donis, major in imperio, etc.: quorsum tanta ejus commendatio, cui statim tanta vituperatio et maledictio impingenda erat? Respondet egregie Origenes hom. 17 *in Genes.* dicens : « Quod in initiis laudis ei aliquid videtur adscribere ideirco fit, ut gravius notetur in crimine, qui cum virtus patris haberetur et initium filiorum, nescivit servare reverentiam patri. » Similis est omnino illa locutio apud Jeremiam dicentem *Thren.* IV, 2 : « Filii Sion inclyti, et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea? » ubi filios Sion, id est Ecclesiæ, prius *inclytos*, et *amictos auro primo*, hoc est omni virtutis ac doctrinæ genere præcellentes appellat, et postmodum in *vasa testea* conversos ait, hoc est in abjectissima vitia præcipitatos, ut quo magis præteritam eorum sanctitatem decantaverat, eo magis præsentem quoque illorum nequitiam lamentaretur.

Scriptura prius laudat illos quos acerbius vult reprehendere.

Ruben ut gravius notetur prius laudatur.

Præteritam sanctitatem præsentia vitia turpius dedecorant.

Hac igitur eadem arte in Jobo arguendo usus fuit Eliphaz Themanites, nam inprimis a Jobi laudibus exorditur dicens cap. IV, 6 : « Ecce docuisti multos, » etc., postea vero in probra et contumelias despumat quando rogat : « Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua? » etc., *q. d.* Docuisti quidem patientiam, sed de patientia decidisti; virtutes, quibus aliorum animos exornasti, a tuo procul abjecisti; ubi Lyranus : « Ut ostendat, inquit, impatientiam Jobi esse turpiorem, primo inducit præcedentem ejus de patientia doctrinam : nam turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum. » Quamobrem tradunt Ecclesiæ lumina S. Patres ecclesiasticorum noxas longe majores atque fœdiores quam aliorum esse putandas : est enim mystagogiæ probrum ignominiaque non ferenda, si quando Ecclesiæ magistri, qui lux mundi et virtutum omnium exempla esse debuissent, reperiantur in operibus suis caliginosi et tenebriones, quorum vita fœda sit, mores sordes, et exemplum aliis scandalum et præcipitium : qui utinam Cassiodori sapientissimi viri monitum acciperent lib. I *Var. Epist.* epist. 18, ita scribentis : « Non licet ei delinquere qui alios creditur sub æquitatis regula continere; ne fiat exemplum pravum, qui electus ad laudabile cognoscitur institutum. » Hinc crimen, quod a sacerdote admittitur, universæ multitudinis scelus exsæquare S. Chrysostomus *in Psalm.* VI et lib. VI *De Sacerd.* cap. XI, aliique Patres affirmant, et acute colligunt e *Levit.* IV, ubi Deus de peccatis cæremoniisque Judæorum legem ferens, tantum sacrificium pro solo sacerdote quantum pro universo populo indicit, cujus rei rationem idoneam reddit Isidorus Pelusiota lib. II, *epist.* 121, et lib. III, *epist.* 15 : Οὐ ταὐτόν ἐστι λαϊκὸν ἁμαρτάνειν καὶ ἱερέα· ὅσῳ γὰρ ταῖς τιμαῖς προέχει τοσοῦτῳ καὶ τὸ ἁμάρτημα, *non idem est laicum peccare quod sacerdotem : quanto enim hic honoribus alios antecellit, tanto quoque ipsius peccatum gravius efficitur* : in formoso nimirum corpore nævus omnis animadvertitur acrius, et displicet magis, et, ut eleganter aiebat S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 31, ἐσθῆτες λαμπρᾶς σὶ σπίλοι περιφανέστεροι, *splendidæ vestis manifestiores sunt maculæ atque sordes* : ita etiam quo quis dignitate sublimior est, eo ipso deformior evadit, ac Deo hominibusque ingratior, si sordibus vitiorum conspurcetur. Id quod diserte simul et docte Salvianus lib. IV, aureis hisce sententiis expressit : « Atrocius, inquit, sub sancti nominis professione peccamus : ubi sublimior est prærogativa, major est culpa, ipsa enim errores nostros religio quam profitemur accusat : criminosior est impudicitia qui promiserit castitatem; fœdius inebriatur sobrietatem fronte prætendens. Sic ille.

Ut igitur Eliphaz Jobum solidius et irrefragabilius confutaret, primum adfert argumentum, non ab alterius cujuspiam auctoritate, sed ex ipsiusmet Jobi doctrina petitum, cap. XIX, vers. 21 : « Ecce docuisti multos, » prout Jobus de semetipso profitetur dicens « Qui me audiebant exspec-

Jobi reprehensionem.

Laudibus exordium.

Peccatum ecclesiasticorum gravius est quam aliorum.

Quanto quis dignior tanto fœdius in eo crimen apparet.

Eliphaz conatur Jobum proprio suo argumento convincere.

http://www.obrascatolicas.com

tabant sententiam, et intenti tacebant ad consilium meum : verbis meis addere nihil audebant ; » item *ibid.* vers. 15 : « Oculus fui cæco et pes claudo, » etc. : huc nimirum respiciens Eliphaz propriis (ut in proverbio est) Jobum telis configere nititur, et doctrinæ ipsum suæ prævaricatorem ostendere, utpote qui dum opibus floreret solitus sit alios ad tolerantiam instruere, et compositis apte rationibus confirmare; nunc vero ipsemet ærumna tactus animo concidisset, veramque patientiæ disciplinam, cujus se doctorem profitebatur, repulisset : Ecce, inquit, cum prospere tibi cuncta ex voto succederent, gravi magisterio alios erudiebas, pusillanimes consilio tuo erigebas, nutantes stabiliebas et plurimis opem ac salutem adferebas; jam vero calamitate pressus doctrina ipse tua non uteris, et cum aliis profueris negligis temetipsum : non est prudentis et cordati doctoris aliis duntaxat sapere, et sibi ipsi non consulere aut prodesse, nam, ut Sapiens ait *Eccli.* XIV, 5 : « Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? » Hinc est quod Judæum quoque Paulus simili fere modo reprehendat *Rom.* II, 20 : « Confidis, inquit, teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ et veritatis in lege : qui ergo alium doces teipsum non doces, » quasi nimirum hæc extrema sit iniquitas atque dementia, cum quis bona agnoscens et docens in mala dilabitur. Istiusmodi ergo iniquitatis atque dementiæ Jobum insimulat atque arguit Eliphaz Themanites, utpote cujus, ut ipse perperam judicabat, doctrina a vita, lingua a manu, sermones a moribus, toto, ut dicitur, cœlo discreparent, et cum bene ac recte alios docuisset, pessime ipsemet desiperet. Quod autem addit : « Et manus lassas roborasti, » id est eos qui labore, torpore, morbo vel adversa fortuna fracti tardius ac remissius quam par erat officio suo fungebantur, excitasti, animasti, confirmasti ; prout seq. vers. latius explicatur.

Vers 4. S. Job peritus erat animorum medicus.

4. Vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti. — Boni pastoris ac medici spiritalis munia recenset, quæ summo studio et diligentia S. Jobum obivisse constat, et in pastoribus Israel Dominus maxime requirebat, et defuisse graviter conqueritur dicens *Ezech.* cap. XXXIV, 4 : « Quod infirmum fuit non consolidastis, quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis, et quod perierat non quæsistis. » Hæc itaque cum eximie prorsus atque excellenter S. Jobus præstiterit, singulare specimen virtutis reliquit regibus et principibus, quorum plerique magno errore capti existimant hæc ad se nullatenus pertinere, cum tamen eo carere ornamento sine scelere infamiaque non possint; quandoquidem nemo bonus sapiensque sit princeps, qui non idem sit hujuscemodi medicinæ peritus : Ὅπερ γὰρ ἐστιν ἰατρὸς, τοῦτό ἐστιν ἄρχων, μᾶλλον δὲ καὶ ἰατροῦ πλέον; *quod enim est medicus, hoc est princeps, vel potius plus quam medicus*, ait divine S. Chrysostomus *in Psalm.* CXIII, quibus verbis ostendit non mediocrem ejus artificii cognitionem in principibus, præsertim ecclesiasticis, requiri, sed excellentem et perfectam; id quod hujus artis peritissimus summusque theologus S. Gregorius Nazianzenus eximie intelligebat, cujus hac de re oraculum plenum sapientiæ ab omnibus Ecclesiæ præsulibus et pastoribus excipi meretur, ut muneris sui partem a tanto præsule intelligant : sic enim habet *Orat.* I : Ἡμεῖς θεραπείας ὑπηρέται καὶ συνεργοὶ ἐσμεν τῶν ἄλλων προκαθιζόμεθα, *divinæ animorum medicinæ nos ministri et adjutores sumus quicumque aliis præsidemus*; et paulo post ait sacrorum hominum esse proprium ἰᾶσθαι δύνασθαι καὶ ἀνακαθαίρειν ἐπιστάμενοι, *aliorum morbos curare ac scite repurgare posse.*

Hisce similia vide apud S. Augustinum *homil.* 12 ex 50, et apud Clementem Alexandrinum lib. VII *Strom.* et omnium fusissime S. Chrysostomum in lib. *De Sacerd.* Illorum igitur munus est, mor- Quæ sint partes et munia medici spiritualis. bos in primis spirituales eorumque causas et principia exacte nosse, ac deinde apta cuilibet infirmitati remedia præscribere et adhibere, nec in ægritudine quantumvis magna et difficili salutem facile desperare, sed in spem contra spem eniti, morbi magnitudinem artificio superare, calculum obstinati animi frangere, orexin appetitionum sedare, intimis e pectoribus peccatorum pus educere, excrescentem avaritiæ hydropem sapienti diæta coercere, commalaxare partem illam quæ cupiditatibus rigere solet, fugientem animam revocare : eorum est cum divo Joanne collyrio inungere, fovere oleo et malagmate cum Ezechiele, cum Isaia vate pastillos adhibere, cum servatore Jesu ἰᾶσθαι, *sanare*, aliaque omnia præstare, quæ Scribanius noster in suo *Med. Relig.* fuse ac pulchre præscribit. In hoc igitur clarissimorum principum et Ecclesiæ præsulum virtus eluceat, et curionum, qui curam habent aliorum, desudet industria, ut cum S. Jobo vegetos omnium animos efficiant et valentes, noxia expurgent, debilia corroborent atque confirment. Cæterum ubi Eliphaz Jobi in aliorum infirmitatibus curandis peritiam commendarat, ipsi false et acerbe improperat, quod sibimetipsi illam quam aliis fecerat medicinam non adhibuisset, tantum non objiciens illi tritum illud, quod Christus in evangelio *Luc.* IV, 23, citat proverbium : « Medice cura teipsum, » id quod sequentia tacite quidem, sed haud obscure insinuant, cum ait :

Omnis bonus princeps debet esse peritus medicinæ spiritualis.

Vers. 5. Amici Job perperam putant ipsum ex desperatione aut perturbatione locutum.

5. Nunc autem venit super te plaga, et defecisti : tetigit te, et conturbatus es. — Arguit Jobum impatientiæ et defectionis in tempore adversitatis, qui dum prospera fortuna uteretur aliis calamitate quapiam oppressis et patientiæ documenta et constantiæ consilia longe saluberrima suppeditaverat, juxta tritum illud Comici : « Omnes cum valemus recta consilia ægrotis damus, hic si sis aliter sentias. » Ita præclare quidem philosopharetur Eliphaz, si cum innumeris viris prosperitate in speciem piis, adversitate impiis ageret (nihil enim familiarius quam in secunda fortuna sententias pias, consilia sana verbis eleganter concinnatis efferre, cum plane constet hujuscemodi præceptores et consiliarios adversis casibus nihilominus dementari); at hæc reprehensio in Jobum, virum constantissimum, de adversis æque ac prosperis, uti superius luculenter demonstratum est, Deo gratias agentem minime quadrat. Quamobrem ista Eliphazi ratiocinatio, qua velle videtur concludere Jobum diei nativitatis suæ maledicendo graviter deliquisse, haudquaquam solido aut vero, sed futili et erroneo nititur fundamento, scilicet opinione seu suspicione prorsus temeraria et falsa, qua sibi persuadebat Jobum ex animi imbecillitate ac desperatione in istiusmodi querimonias ac lamenta prorupisse; cum, uti capite præcedenti declaravimus, nihil molliter aut effeminate, nihil perturbate aut desperate a Jobo vel dictum vel factum sit; sed omnia fortiter et generose, mature ac prudenter, sancte et pie dixerit et gesserit, quæcumque dixit et gessit. Falso igitur Jobum sub plaga defecisse criminatur, qui ipsiusmet Dei testimonio velut aurum igne probatum multo inde splendidior et gloriosior evasit.

In calamitate non festinandum, sed auxilium Dei patienter exspectandum.

Quod autem dicit *conturbatus es* ita quidem ad verbum est in Hebræo; doctissime tamen transferunt Septuaginta interpretes ἐσπεύδασας, id est *festinasti*, quod proprium est ejus qui de sua salute desperat, nec magno animo, sed impatienter casus suos tolerat; et ob eam rem monet Ecclesiasticus cap. II, 2 : « Ne festines in tempore obductionis, » sive ut in Græco est, ἐν καιρῷ ἐπαγωγῆς, *in tempore illationis*, scilicet pœnarum et calamitatum. Ille autem tunc festinat, qui nisi pro voto statim liberetur, aut auxilium adsit, spem illico et fiduciam abjicit, et in querelas ac blasphemias erumpit; contra vero ille minime festinat, qui in maxima calamitate et in summa rerum atque humanæ opis desperatione viriliter agit, et sustinet Dominum, id est fortem, se et magnanimum præstat, Dei semper opem sperando, in quo solo totam suam spem et fiduciam collocat. Porro quam exitiosa sit nimia præcipitantia abunde significat David *Psalm.* CV, 13, ubi ostendit eam fuisse causam idololatriæ : vide si lubet quæ ad istum locum tom. II *in Psalm.* annotavimus. Eliphaz itaque Jobo hic improperat animi impatientiam, et nimiam in die nativitatis suæ exsecrando præcipitantiam, et in morte exoptanda festinationem ac desperationem; exinde arguens ipsum fictæ et fucatæ sanctitatis, quæ in adversitate, qua velut aurum in fornace probari debuerat, penitus defecisset : quamobrem documentur aliquod et experimentum a Jobo exigit virtutum illarum, quas de ipso jampridem fama celebraverat, dicens :

Vers. 6. Eliphaz requirit in Jobo virtutes, a quibus ipsum laudari audiverat.

6. Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, et perfectio viarum tuarum? — Requirit hic Eliphaz in Jobo virtutes illas prorsus eximias, a quibus ipsum maxime commendari intellexerat; sed diabolica, ut opinor, persuasione delusus nullum penitus earumdem vestigium deprehendebat, quin potius ex iis quæ cernebat et audiebat contraria omnia ipsi inesse vitia suspicabatur, minime capiens, quomodo virtutes istiusmodi per se prorsus eximiæ ac singulares cum abominanda illa (ut ipsi quidem videbatur) diei natalis exsecratione, quam præced cap. ex ipsiusmet Jobi ore perceperat, consistere potuissent : quamobrem ipsum antea virtutis duntaxat larva et inanem umbram ad decipiendos homines assumpsisse, et non re ipsa veram virtutem ac sanctimoniam coluisse existimabat. In *primis* itaque requirit in Jobo veræ virtutis ac salutis fundamentum, quod ignoranter ei deesse putabat, *timorem*, inquam, *Domini*, sine quo cæterarum structura virtutum minime assurgit, et cœlestis ædificii moles non stat, utpote cui omnes actiones inclytæ ac Deo dignæ innitantur, et superædificentur necesse est; quemadmodum sapienter Fortunatus in *Vita S. Hilar. ad Pascent.* episcopum : « Culmen, inquit, fabricæ cœlestis continuare festinas non sine timore divino : » sciebat enim, nisi illud timoris casti fundamentum solide jaciatur, pulcherrimam omnem structuram, clarissimis virtutibus ut marmorum varietate nobilem, auro et argento radiantem pessum ruituram. Quam ob causam S. Gregorius Nyssenus tract. I *in Psalm.* cap. VIII, timorem Domini jure merito vocat φυλακτήριον τῶν ἀγαθῶν, id est *bonorum custodiam*, ἀκρόπολιν τῶν ἀρετῶν, *virtutum arcem* et donorum cœlestium munimentum : quo item sensu S. Hieronymus in epist. *ad Fabiolam* de 40 mans. : « Timor, inquit, virtutum custos est; » S. Bernardus *Epist.* 87 eamdem ob causam significat timorem hunc sanctum esse matrem virtutum sedulamque nutricem, cum monet e timore pio et fructuoso oriri, et ab eodem nutriri humilitatem, mansuetudinem, patientiam, longanimitatem, etc. Quapropter etiam S. Basilius *in Psalm.* XXXIII, timorem hunc ait ῥυθμίζειν τὸν ἄνθρωπον, id est *hominem apte formare*, decentissime componere, et exquisita quadam ratione in omnibus concinnum reddere, ut nihil sit quod in vita moribusque dedeceat, aut quod Dei filio probo ac verecundo non conveniat; unde ipsum alio loco *in Psalm.* XXXIII, appellat ἁγιασμοῦ ποιητικὸν, *opificem sanctitatis*, quo titulo nihil potest dici augustius ad eximiam commendationem. Hunc igitur timorem sanctum cum in Jobo Eliphaz desiderat, aut abesse putat, omnem ipsi veræ sanctitatis laudem derogat.

Timor Dei fundamentum salutis, cur?

Custos virtutum:

Mater et nutrix earum.

Informat hominem ad sanctitatem.

Secundo, requirit in Jobo *fortitudinem*, vel, ut in Hebræo est, et Septuaginta transferunt, *spem*, quæ nimirum roborat, et fortem reddit animum, Spes est animæ

http://www.obrascatolicas.com

fortitudo.

et in adversis potissimum confirmat; pulchre autem fortitudinem cum timore conjunxit, quoniam, ut ait Sapiens *Prov.* XIV, 26, « in timore Domini fiducia fortitudinis; » unde Chaldæus paraphrastes hunc Jobi versum scite interpretatur, *nonne timor tuus erat spes tua?* ac si Eliphaz Jobum his verbis argueret mercenariæ virtutis, qua Deum coluisset et observasset, eo duntaxat fine ut ab illo terrenas opes atque divitias impetraret; quibus cum jam spoliatus esset, nihilque amplius a Deo speraret, aut exspectaret, omnem repente pietatem exuisset, atque in blasphema verba prorupisset, timore Domini cultuque Numinis profligato. Sed aliis Hebræis longe magis placet contraria hujus loci expositio, ac si Eliphaz diceret : Nihil est, o Job, quod animum despondeas aut abjicias facultatibus omnibus spoliatus, et bona valetudine privatus : quia in hisce rebus caducis et transitoriis spes ac rationes tuas minime collocaveras, sed in Dei timore cultuque Numinis venerando tota erat spes tua et fortitudo tua, eoque tanta viarum tuarum perfectio spectabat. Quæ sane lenior est sententia, et ad Jobi in afflictione summa constituti dolorem aliquantisper relevandum accommodatior, nec Eliphazum tantæ redarguit acerbitatis; utramque tamen Stunica censet probabilem et aptam hebræo textui expositionem; sed Septuaginta interpretum illi difficilis videtur interpretatio, eo quod hebræum כסלה *chislah* non *spem* aut *fortitudinem*, ast ἀφροσύνην, id est *stultitiam*, transferant; et תם *tom* non *perfectionem*, sed κακίαν, hoc est *malitiam*, interpretentur; versum autem totum ita vertunt, πότερον οὐχ' ὁ φόβος σου ἐστὶν ἐν ἀφροσύνῃ; καὶ ἡ ἐλπίς σου καὶ ἡ κακία τῆς ὁδοῦ σου, *nonne timor tuus est in stultitia? et spes tua et iniquitas viæ tuæ?* ubi unus codex in *Annot.* Sixt. edit. pro κακία notatur habere ἀνακία, *innocentia*, Aquila vero posteriorem hujus versiculi partem reddit hoc modo, ἡ ὑπομονή σου καὶ ἡ ἁπλότης τῶν ὁδῶν σου, *patientia tua et simplicitas viarum tuarum*; S. Augustinus denique Septuaginta fere et Aquilam secutus vertit, *nonne timor tuus stultus est, et spes tua et simplicitas viæ tuæ quasi stultitia?*

Eliphaz Jobum arguit fictæ pietatis et mercenariæ virtutis.

Conciliantur variæ interpretationes.

Verum enim vero cum vox hebræa כסלה *chislah* significat quoque *stultitiam*, omnes istæ versiones cum hebræo textu et inter se haud difficulter conciliari possunt, si illas hoc modo explices, ac si Eliphaz ad Jobum dicat : Numquid, o Job, cum ita desperate loqueris, manifeste significas omnino stultum, simulatum et evanidum fuisse timorem illum, quo antea divinum Numen colere ac revereri videbaris? nam si prudens, verus ac solidus fuisset, haud minus in adversa quam in prospera fortuna eluxisset, sed semper sibi similis exstitisset, atque a verbis te tam impiis cohibuisset : numquid item spem tuam minus rectam fuisse prodis, quæ vias tuas iniquas fecerit, teque mercenarium potius et humanarum rerum amatorem quam verum Dei cultorem constituerit, dum tempore calamitatis (quo vel maxime, si vera fuisset, vim suam exerere debuisset) tam turpiter in desperationem versa degeneravit? Quo sensu dictæ versiones expositæ satis bene, uti patet, cum hebræo textu consentiunt, nec earum sententia quoque a latina nostra interpretatione admodum dissentit. Superest duntaxat difficultas ratione vocis תם *tom*, quam Septuaginta κακίαν interpretantur, quæ similiter tollitur, si per antiphrasin exponatur, *q. d.* Stultitia erat illa viarum tuarum perfectio, quæ scilicet aliis quidem talis apparebat, sed revera erat iniquitas palliata, quippe quæ pecuniam potius et quæstum quam pietatem redoleret atque spectaret. Plane tamen convenient si ἀκακία legatur, ut habet alia lectio, vel ἁπλότης, prout Aquila transtulit : *innocentiæ* enim et *simplicitatis* nomine perfectionem in Scripturis passim significari demonstravimus *supr.* cap. I. 2. Cum itaque Eliphaz audiret Jobum tam acerba diei suæ maledictione diuturnum illud quod hactenus tenuerat silentium abrumpere, existimabat ipsum pristinam suam constantiam et virile animi robur ac fortitudinem penitus amisisse, et reliquam spem salutis omnem abjecisse : quæ ejus opinio haud ita temeraria vel insolens videri debet, quandoquidem ipsemet Dominus apud Isaiam silentium ponat fortitudinis argumentum dicens *Isai.* cap. XXX, 15 : « In silentio et spe erit fortitudo vestra. » Quare cum Job non solummodo silentium abrupisset, sed insuper in maledicta, ut ipse perperam interpretabatur, impia erupisset, omnino judicabat Jobum tentatione victum, spem in Deum anchoram animæ sacrosanctam, et cum ea constantiam omnem perdidisse atque abrupisse; unde consequenter

Eliphaz requirit in Jobo patientiam.

Tertio, requirit in Jobo *patientiam*, cujus potissimum laude celebris habebatur, quæ cum istiusmodi natalis sui exsecrationibus, perturbati et indignantis animi non obscuris (ut quidem Eliphaz interpretabatur) indiciis, consistere nullo modo posse videbatur : « Qui enim (inquit S. Bernardus lib. II *De Consid.*) pertubationi suæ minime resistunt, etiam si quæ fuerant a se tranquilla mente bene gesta confundunt, et improviso impulsu destruunt quidquid forsitan diu labore provido construxerunt. » Quare cum Jobum Eliphaz in calamitate sua querelis acerbissimis ex animi impotentia et perturbatione fræna laxasse, nec non semetipsum natalemque suum diris ac morti devovisse audivisset, omnem illum præstantissimarum, quem in prosperis maxima cum omnium laude atque admiratione sibi comparasse visus fuerat, virtutum apparatum et instructum unico indignantis et impatientis animi impulsu destruxisse ac penitus dissipasse existimabat; adeoque minime veram, sed falsam et simulatam fuisse omnem illam patientiam, cujus tanta passim laude claruerat. Quoniam, ut loco paulo ante citato idem mellifluus Doctor ait : « Nunquam est virtus patientia in prosperis; ille vero patiens est qui adversis conteritur, et tamen a tramite suæ rectitudinis non curvatur : » gaudet enim patientia duris, quæ proinde tam similis est fortitudini, ut cum ea vel ex ea nata videri possit, et una deficiente alteram simul deficere necesse sit. Cum ergo hanc quoque, quæ Jacobi fratris Domini testimonio *Epist.* I, 4 sola opus perfectum habet, penitus defecisse existimaret.

Eliphaz requirit in Jobo perfectionem.

Quarto, desiderat in Jobo *perfectionem*, quam, quod in omnimoda virtutum omnium integritate sita sit, cum tam gravi, quem in ipso notaverat, defectu nullo modo consistere posse judicabat, adeoque Jobum a recto virtutis ac perfectionis tramite procul deviare, et per hypocrisin externo religionis ac pietatis palliolo interiora sui animi vitia contegere; unde fiebat ut Eliphaz firmiter crederet, sibique plane persuaderet, illam, quæ hactenus in Jobo apparuerat, simulatam duntaxat fuisse ac vanam, non veram ac genuinam speciem sanctitatis. Quod ut evidentius convincat, illique fucatæ virtutis larvam detrahat, ulterius ipsum interrogando subjungit :

Vers. 7. 7. RECORDARE OBSECRO TE : QUIS UNQUAM INNOCENS PERIIT? AUT QUANDO RECTI DELETI SUNT? — Quandoquidem Job sup. cap. asseveraverat se innoxium gravissimis tormentis subjici, et exquisitissimis atque inauditis pœnis excruciari, adeoque sibi satius esse mori quam adeo miseram vitam trahere; hoc non eo quo dictum erat, et quo intelligi debebat sensu accipiens Eliphaz, Jobum hic tacite redarguit, ac si Deum quidem, quod se innoxium affligeret, injustitiæ insimulasset, ipse vero præ dolorum magnitudine ex animi impotentia mortem sibi imprecando turpiter desperasset. Huic ergo utrique malo, prout ipsi quidem videbatur, gravissimo quo suavius et efficacius remedium adferret, obsecrandi formula utitur, ipsum benevole rogans ut superiorum velit temporum memoriam repetere, et simul quærere, an aliquis innoxius perierit, quasi id acciderit nunquam : nam probi, inquit, viri licet aliquando in gravissimas incidant calamitates, aut innocentes ac recti ærumnis quandoque opprimi videantur; nunquam tamen a Deo, cujus præsidio fulciuntur, ita penitus deseruntur ut intereant, aut in finem usque succidantur : (hanc enim verbis illis *pereundi* et *delendi* significationem inesse Septuaginta declarant, dum locum hunc ita transferunt, πότε ἀληθινοὶ ἐξερρίζωνται ἀπώλοντο, *quando veraces radicitus perierunt?* Quare cum Job se immerentem adeo affligi conquereretur, et tam anxie mortem et interitum, quem Eliphaz ad virum bonum minime spectare existimabat, votis omnibus exoptaret, eum ab officio viri boni descivisse, Deumque injustitiæ insimulasse, atque de ipsius ope et auxilio desperasse arbitrabatur.

Jactum non perire quomodo intelligendum.

Verumtamen toto, ut dicitur, cœlo aberrabat : nam istiusmodi argumentationis propositio : « Justus seu innocens non periit, » si quemcumque interitum complectatur tam hujus quam futuræ vitæ, sic ut significetur, nec in hoc nec in futuro sæculo justum plane neminem perire, nequaquam vera est : multi enim viri magna virtute præditi indigna morte absumpti sunt. Id quod vel in ipso mundi ac sæculorum exordio in Abelis nece illustri documento didicimus, et ex Christi servatoris et apostolorum ignominiosissima morte luculentissime confirmatur : quin et Isaias, qui et ipse crudelissimo supplicio vitam finivit, dicere non dubitavit cap. LVII, 1 : « Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo : et viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat. A facie enim malitiæ collectus est justus. » Si autem de interitu illo sempiterno tantum propositio intelligatur, tunc omnino est verissima, et sic innocens nemo perit : « Justorum enim animæ (*Sap.* III, 1) in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis : visi sunt oculis insipientium mori, et æstimata est afflictio exitus illorum, et quod a nobis est iter exterminium; illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est, » etc. Hinc *Apoc.* II 11, Spiritus dicit Ecclesiæ : « Qui vicerit non lædetur a morte secunda : » ab hac enim morte nos Deus per Christum vindicavit, « ut omnis qui credit in ipsum non pereat (sicut dicit Joannes cap. III, 15) sed habeat vitam æternam. » Quin et Christus ipse promittit *Joan.* VIII, 53 : « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum. » Quod si igitur Eliphaz de interitu æterno propositionem suam intellexerit, nihil contra Jobum dicit, ut qui non hunc, sed vitæ mortalis finem, et quidem justissimis de causis *supr.* cap. vers. 1 recensilis exoptabat.

Vers. 8. 8. QUIN POTIUS VIDI EOS QUI OPERANTUR INIQUITATEM, ET SEMINANT DOLORES, ET METUNT EOS. — Sicut præced. vers. negarat insontem ullum periisse, ita hic e diverso affirmat eos omnes qui iniquis sese studiis manciparunt male semper a Deo fuisse mulctatos; quod autem Vulgatus transfert, *qui operantur iniquitatem*, in Hebræo est חרשי און *chorse aven*, id est *arantes iniquitatem*; et ita vertunt Septuaginta, τοὺς ἀροτριῶντας τὰ ἄτοπα, *qui arabant absurda*, ut sit perpetua elegansque metaphora ex agricolis petita, qui arando, seminando et metendo totum munus suum exsequuntur. Ita nimirum homines iniqui scelus *arant*, id est mente concipiunt, cum illud admittere secum decreverunt; *seminant*, id est moliuntur, cum dant operam, rationes et auxilia quærunt ad illud perpetrandum; *metunt*, id est exsequuntur, et in lucem edunt, cum scelus quod cogitaverant et moliebantur jam opere perficiunt. Perquam apte atque eleganter hac similitudine describuntur peccatores, quorum vita plane misera est, et innumeris laboribus ac doloribus referta : sicut enim hi qui seminant haud parum laborant, ita qui operantur iniquitatem haud exiguis molestiis fatigantur, juxta illud Prophetæ de labore impio-

Qualis sit peccatoris agricultura, seminantis et messis.

http://www.obrascatolicas.com

rum dicentis *Jerem.* v, 3 : « Ut inique agerent laboraverunt, » et sicut quam quis sementem facit eamdem colligit et messem, quemadmodum Paulus ait *Galat.* vi, 8 : « Quæ seminaverit homo hæc et metet : » ita qui peccando labores seminant labores metunt, et quidem multiplicatos, sicut accidit in messe, quæ multis partibus uberior provenit quam sementis : nam sæpenumero ex unico peccato quod seminant, hoc est cum labore operantur, innumera colligunt infortunia, quibus torquentur.

Vel unica iniquitas multos dolores parit.

Hanc ob causam Propheta non dixit numero plurali *iniquitates*, sed singulariter *iniquitatem*, ut sicut ex unico grano seminato multa pullulant, sic vel ex unica iniquitate hic admissa plurimos in inferno dolores nasci intelligeremus, id quod Psalmista quoque insinuavit cum ait *Psalm.* xvii, 5 : « Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me, » significans vel ex unica iniquitate *torrentes* dolorum et molestiarum in morte exsurgere ; unde sicut agricolæ, qui bonum semen seminarunt, messis tempore incredibili gaudio replentur, juxta illud *Isai.* ix, 3 : « Lætabuntur coram te sicut qui lætantur in messe ; » et illud Davidis de justorum messe loquentis *Psalm.* cxxv, 5 : « Venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos : » sic e contra peccatores in hac sua messe, quæ tota laborum et suppliciorum est, miserrime torquentur, incredibiliter anguntur, et inconsolabili tristitia consumuntur. Quamobrem peccatum jure merito *labor* et *dolor* nuncupatur, tum quia tam præsentis seu temporalis quam futuri ac sempiterni doloris causa exsistit, tum quia quando perpetratur non raro quoque cum labore ac dolore conjungitur ; unde apud Hebræos ex voce מעל *mahhal*, id est *prævaricatione*, per metathesin fit עמל *hhamal*, hoc est *labor*, quia nimirum hæc vicina sunt et reciproca : nec dissimili etymologica ratione *improbitas* græce πονηρία dicitur, ab eo quod πόνος, hoc est *laborem*, et ærumnam peccatori adferat.

Discrimen inter messem agricolarum et peccatorum.

Peccatum semper cum dolore conjunctum.

Addit hic Pineda noster, quia peccator dum hic voluptatem consectatur, solum dolorem quasi semen futurum in inferno recondit, illum ibi messurus ; quemadmodum videlicet segetem statim comedimus, et ad propagationem solum semen servamus. Quantumvis ergo improbi dum flagitia perpetrant voluptates immodicas haurire sibi videantur, profecto dolores serunt, quos postmodum infelici proventu vel nolentes percipiunt : ecquid enim doloris, mœroris atque infamiæ non serit libidinosus illecebra turpi captus, qui paulo post inops, venerea lue correptus, tabeque consumptus, ac totus putridus atque omnibus invisus calamitose interit, æterno dolore cruciandus ? cui non absimilis est ambitiosi, avari cæterorumque peccatorum sementis, aliqua quidem subinde fallacis dulcedine voluptatis delibuta ; sed amara tristique prorsus laborum ac dolorum messe cumulanda : quin imo, ut plurimum, quemadmodum hic significatur, « qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos ; » ita videlicet, ut vel ipsamet iniquitatis operatio nihil liquidæ voluptatis habeat, sed meri doloris seminatio exsistat ; ut enim D. Chrysostomus *in Psalm.* vii ait : « Nemo est qui vivit in scelere, qui non innumerabiles dolores sustineat, et de malis consultans, et consilium exsequens, » quod ab uno scelere et irati animi motibus probat : « Si voluerit quis ulcisci quempiam, vel prior injuriam facere, vide quot mala patitur : furore repletur ; ab ira discerpitur ; movet innumerabiles fluctus cogitationum ; mille vias ingreditur ; invadit timor ac tremor, quomodo offendet, quomodo rem perficiet, et ante eum quem est injuria affecturus seipsum perdit. » Adeo verum est quod alio loco *in Psalm.* cxxiv, protulit idem Chrysostomus : « Deus ante supplicium supplicium infligit : peccatum enim in se continet pœnam antequam puniatur ; » quo spectat etiam illud Senecæ *Epist.* 97 : « Prima et maxima pœna peccantium est peccasse : nec ullum scelus impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est, » vim scilicet animo inferente conscientia, quæ horribilem metum et infandam undique perniciem intentat, quam ille a Stoa doctus summam esse criminum pœnam atque ultionem, putat, tametsi alia nulla constitueretur. E quibus luculenter patet quam perniciosa sit peccatorum agricultura, cujus et sementis et messis nil nisi labor et dolor est et interitus sempiternus, quem seq. vers. insinuat cum iniquos subdit

Improbi dum falsas voluptates captant veros dolores serunt.

Ipsamet sementa peccatorum dolor est.

Peccatum sibi pœna est.

9. Flante Deo perisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos. — Describit hic repentinum peccatorum interitum, eamdem quam super. vers. ortus erat allegoriam pertexens, sicut enim ibi peccatoris labores ac dolores seminantis metentisque metaphora explicuit, ita hic per *ventum*, ac *tempestatem* segetibus calamitosam et exitialem, irati Numinis vindictam extremum peccatori supplicium infligentem designat : frequenter enim Scriptura solet *spiritus* et *venti* ac *flatus* nomine divinam iram et ultionem significare : sic in *Exod.* xv, 8 Moyses Dei de Pharaone ultionem describens : « In spiritu, inquit, furoris tui congregatæ sunt aquæ, » etc., ubi ventus ille validus a Deo immissus *spiritus furoris* ejus appellatur, tum quia vehemens erat, tum quia ab irato numine ad rebellem Pharaonem puniendum ac perdendum immittebatur : nam, ut mox sequitur : « Flavit spiritus tuus, » id est ingens ventus aquas concitans, « et operuit eos mare : submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. » Eadem *spiritus* acceptio in *Psalm.* x, 7, frequens est, ubi *spiritus procellarum* dicitur pars calicis impiorum ; et *Psalm.* xvii, 16, « ab inspiratione spiritus iræ divinæ » apparuisse fontes aquarum, et revelata esse fundamenta orbis terrarum, ad impios scilicet absorbendos, et ad tartara detrudendos, ut ibi condignas sceleribus

Vers. 9.

Spiritus et ventus iram et vindictam Dei significant.

suis pœnas luant ; hinc *Psalm.* xlviii, 8 : « Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, » dicuntur facere voluntatem Dei, quando armantur in vindictam inimicorum ejus, et de impiis supplicium sumunt ; inde fulminat æther, nubes sonitu et incendio crepant, aret tellus, sol stupet, diluvium effundunt cœli cataractæ.

Hoc igitur sensu Eliphaz ait peccatores « flante Deo perisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos : » pro quo Septuaginta vertunt, ἀπὸ προστάγματος κυρίου ἀπολοῦνται· ἀπὸ δὲ πνεύματος ὀργῆς αὐτοῦ ἀφανισθήσονται, *a præcepto Domini peribunt ; a spiritu autem iræ ejus delebuntur* ; quibus verbis haud obscure significatur quam facile sit Deo, cum voluerit, iniquos omnes perdere, et dicto citius abolere, aut in infernum demergere perpetuo supplicio cruciandos : cum enim Deo placet mundum punire nequitia pollutum, magnis sceleribus contaminatum, ad præceptum et nutum voluntatis ejus, vel ad flatum oris ipsius defluunt gentes, montes liquefiunt, terra dehiscit, cœlum ut liber involvitur, natura tabescit. Quamobrem ira Dei eleganter vento vel spiritui comparatur, tum ob facilitatem, inquit Polychronius in *Caten.*, tum ob vehementiam et celeritatem, ut *ibid.* notat Chrysostomus : id quod Sodomorum eversio et totius orbis inundatio luculenter demonstrarunt ; verumtamen acerbitas hæc vindictæ non a Deo, qui totus dulcis est, sed a peccatore provenit, qui procrastinando pœnitentiam, et continuo peccata peccatis et iniquitates felleas iniquitatibus accumulando suavissimum alioquin Deum sibi reddit amarum. Unde et Eliphaz dicebat : « Vidi eos qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo perisse, et spiritu oris ejus esse consumptos ; » sed numquid ventus est Deus qui flare dicitur ? non ventus est qui flat, sed spiritus qui perflat, et eo modo quo nos mortales dum vivimus inspirando acrem ad præcordia dimittimus, respirando vero quem hauseramus deflamus : eodem modo si dictu fas sit, immortalis Deus, et Deus totius miserationis, qui nisi prius peccata nostra hauserit, unde nos puniat non habet, cum crimina nostra, ut sic dicam, in pectus quodammodo attraxerit, pœnam decernit, et decretam mulctam vel deflens vel difflans infligit, et juxta mensuram peccatorum supplicium irrogat. Atque hæc est Gregorii papæ sententia lib. V *Moral.* cap. xv dicentis : « Nos cum flamus aerem ab exterioribus introrsum trahimus, et introrsum tractum hunc exterius reddimus ; *flare* ergo Deus in vindictæ retributione dicitur, quia ab exterioribus causis introrsum judicii consilium concipit, et ab interno consilio extrorsum sententiam emittit. Quasi flante Deo ab exterioribus aliquid introrsum trahitur, quando foris mala nostra conspicit, et intus judicium disponit ; et rursum quasi flante Deo ab interioribus spiritus extrorsum extrahitur, quando ab interno concepto consilio exterius judicium damnationis infertur. » Eliphaz itaque hoc versu Jobum tacite taxat occulti cujusdam criminis, ob quod iram Dei meritus justam ejus in se vindictam concitaverit, quod ut magis probet variis ferarum symbolis mores ipsius vitiosos, ut ipse quidem censebat, adumbrat, et jure merito punitos insinuat.

Facile est Deo peccatores punire.

Deus in se suavis vitiis nostris provocatur ad vindictæ amaritudinem.

10. Rugitus leonis, et vox leænæ, et dentes catulorum leonum contriti sunt. — *Rugitum leonis* Jobo tribuit sive propter immanem, qua ipsum florente adhuc fortuna in subditos abusum fuisse existimabat, tyrannidem, ob quam modo tam graviter a Deo puniretur ; sive propter acerbissimas, quas ipsemet superiori capite ex ore illius perceperat, querimonias blasphemiæ, ut quidem Eliphaz interpretabatur, plenissimas, atque immansueti et impatientis animi indices non obscuras. Vocem vero *leænæ* uxori ejus assignat ob non dissimilem a mariti moribus ferocitatem, et insolentem verborum, quibus ipsum ad maledicta in Deum effutienda instigaverat, procacitatem. *Catulos* denique *leonum* vocat Jobi filios, quorum dentes tunc contriti sunt, quando illos domus, in qua simul epulabantur, ruina oppressit. Hac itaque leonis principis, leænæ uxoris et leunculorum filiorum nominibus allegorice, tropo satis Scripturæ usitato, totam tyranni principis familiam eleganter descripsit, Jobum tacite insimulans crudelitatis, cujus jam justo Dei judicio pœnas pendat : leo enim fortissimus et ferocissimus belluarum, et in iram maxime propensus, regum ac tyrannorum hieroglyphicum habetur, ideoque regis ira cum rugitu leonis a Salomone comparatur dicente *Prov.* xx, 2 : « Sicut rugitus leonis, ita et ira regis, » ad quem locum auctor *Caten. Patr. Græc. in Proverb.*, quam Peltanus noster vertit, et Schottus edidit : « Regum, inquit, minæ recte leonum rugitui assimilantur, nam si illis ita visum fuerit indicta causa statim occidunt : quis enim, si voluerint, prohibebit eos ? siquidem exsequendi facultas adjuncta est voluntati. » Plures alias rationes, proprietates et congruentias, in quibus rex cum leone et ira regis cum fremitu seu rugitu leonis conveniat, vide apud Salazarium et Cornelium nostrum *in Proverb.* cap. xix, 13 et cap. xx, 2, qui plurimas *ibid.* adferunt ac fusius deducunt.

Vers. 10.

Cur Eliphaz Jobo rugitum leonis et uxori vocem leænæ tribuat ?

Leo symbolum regis et tyranni.

Ira regis cum rugitu leonis comparatur.

Mystice per *leonem* in Scriptura sacra diabolus intelligitur ; unde S. Petrus I *Epist.* v, 8 cum symbolice malum dæmonem effingeret non modo nominavit *leonem*, sed etiam addidit *rugientem* : « Quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. » Ob hunc rugitum Isidorus Pelusiota lib. II *Epist.* 284, leonem vocat φελερὸν καὶ ἀφόρητον, *horrendum et intolerandum* : addit enim solo rugitu montes concutere. Scribit etiam S. Ambrosius lib. VI *in Hexaem.* ita rugitu omnes alias animantes obstupefacere, ut prope exanimentur, et commovere se loco non audeant : est enim horribilis ille sonitus, quem

Diabolus leo rugiens et rapiens.

Rugitus leonis terribilis.

http://www.obrascatolicas.com

de leone loquens Cyrillus Alexandrinus *in Sophon.* num. 29, vocat βροντὴν, *tonitru*; adeoque formidabilem esse rugitum, ait, cum in prædam inciderit, ὡς ἀποπεπῆχθαι τὰ ζῶα, id est *ut animantes præ timore gelascere et defigi videantur* : similia animadvertit S. Gregorius Nyssenus de creatione hominis : « Vix gravem, inquit, leonem frendentemque aspicis, cujus vel nomen ipsum ferri non potest; et illius rugitus ὑπότρομον ποιεῖ τὴν γῆν, *terram tremefacit*. Quæ omnia Satanæ vim et immanem ferociam illustrant præsertim mortis tempore, quo maxime timet ne præda sibi eripiatur; et quidem evenire aliquando videmus, ut tum quidam illius tentationibus velut leonis unguibus et sævitia lacerantur; quibus idem quod olim Carano Macedoniæ regi accidit, qui, teste Pausania in *Bœot.* de Cisseo provinciæ finitimæ domino cum victoriam reportasset, et trophæum Argivorum more ad perennandam suam gloriam erexisset, illud postea leo ex Olympo egressus evertit ac dissipavit. Sic etiam aliquando reperias qui sæpius in vita laurea donati, et ut victores invicti ac triumphales coronati fuerint, quorum tamen pulcherrima trophæa clarissimarum virtutum collocata in extremo illo vitæ actu impressione sua furiosus hic leo non ab Olympo monte, sed a nigro Averno egressus turpiter evertat : quare quisquis in finem usque in virtute perseverans hujus immanis belluæ et tartarei leonis gloriosus ex hac vita victor decesserit, næ ille jure optimo confidenter dixerit : « Rugitus leonis, et vox leænæ, et dentes catulorum leonum contriti sunt. » Cæterum Eliphaz idem argumentum magis adhuc amplificans, et Jobum tacite vellicans subdit :

Diabolus in morte maxime ferox.

Vers. 11.

11. TIGRIS PERIIT EO QUOD NON HABERET PRÆDAM, ET CATULI LEONIS DISSIPATI SUNT. — Hic versus eumdem sensum habet cum præcedenti : tigris enim ferocitate leoni nequaquam cedit, adeoque per eam Eliphaz Jobi quoque ferociam haud obscure indicat et taxat : est quippe symbolum seu hieroglyphicum immanitatis, quo, teste Pierio, utimur ad indomitos et efferatos alicujus animos indicandum; unde poetæ cum hominis cujuspiam immanitatem egregie notare volunt, hyrcanas illi tigrides ubera prædicant admovisse. Pro *tigride* in Hebræo est לִישׁ *laisch*, quod Vulgatus noster interpres alibi *leonem* Septuaginta vertunt μυρμηκολέοντα, id est *formicarium leonem*, vel *formicoleonem*, qui, teste S. Gregorio ad hunc locum (quod ipsum etiam tam græci quam latini lexicographi notant) genus animantis pusillum quidem, sed astutissimum est : idem et terribile formicis non secus ac leo aliis animantibus; quod se sub pulvere abscondit, unde formicas frumenta gestantes quasi ex insidiis observat, quas in foveam, ad hoc ab illo prorsus admirabili artificio structam, delapsas insidiator callidus intercipit devoratque. Verum quia hic a rebus magnis petuntur similitudines, et hebræum לִישׁ *laisch* proprie *leonem* significat, aptius pro vera specie leonis aut tigride

Tigris symbolum ferocitatis.

Formicoleo qualis bestia.

supponit, quæ magnitudine et ferocia leoni non cedit; præsertim cum Strabo lib. XVI *De Situ orbis*, et ex eo Gesnerus *De Leon.* cap. II, ut Pineda noster notat, in Pseudocasia, qui locus est in finibus Arabiæ, scribant esse copiam leonum qui *formicæ* appellantur, quod forma corporis formicarum quamdam similitudinem referant. Porro cur Eliphaz Jobum cum leone et tigride compararet in promptu ratio est, quam refert Sanctius noster, scilicet quia diabolus ipsi plus satis credulo persuaserat avarum fuisse Jobum, et usque adeo cupiditate captum, ut quo rem augeret suam nullam habuisset rationem humanitatis et officii; sed subjectum sibi populum deglubisset, ac non secus ac leo et tigris prædam, in quam incidunt, dilaniasset. *Perire* ergo tigris dicitur, « eo quod non haberet prædam, » qua rabidam famem expleat; tacite insinuans Jobum jam in sterquilinio, regno et bonis omnibus exutum, contabescere ac perire, quod *non haberet prædam*, id est subditos, quos amplius deglubere ac devorare posset.

Cur Eliphaz Jobum cum tigride conferat.

Pro eo autem quod nos habemus, *eo quod non haberet prædam*, Eucherius notat in Hebræo esse, *eo quod non fuerit prædum assecuta*, id quod ad usitatam catulorum tigridis venationem aliquo modo referri posset : nota enim est historia quemadmodum venator tigridis fœtus recens editos observet, ad quos cum mater pabulatum abierit auferendos pernicissimo fertur equo, surreptisque catulis, qui sunt semper numerosi, cursu se inde proripit quam potest citatissimo. Reversa tigris ubi nidum vacuum reperit, velocissimo cursu totam extemplo circumlustrat regionem, donec fugientem venatorem deprehenderit, in quem tunc omnem impetum convertit; ille vero simul atque se deprehensum animadvertit, statim unum e catulis post tergum projicit; suscipit hunc tigris mordicus, et retroversa in nidum refert : alacri mox cursu eadem vestigia repetit, exiguoque temporis intervallo venatorem aggreditur : ille rursus alterum catulum abjicit, cursuque nunquam intermisso navem versus provolat : suscipitur hic quoque, et rapidissima velocitate reportatur; idque et tertio, et interdum quarto fit, donec venator conscensa navi vix duobus et nonnunquam uno tantum catulo ablato aufugiat equo relicto; in quem, posteaquam frustra toto littore frendens desæviit, omnem convertit ultionis sævitiam, totumque discerpit, et miserabiles pro auctore furti pœnas pendere compellit. Quod si vero maris aut fluvii tanta forte fuerit vicinitas, ut antequam ad nidum suum tigris reverteretur, et catulos ablatos deprehenderet, matura fuga se simul cum præda integra subduxerit, adeo ferlur impotenti erga catulos suos amore affici, ut eorumdem orbitatem non ferens, præ nimio et inconsabili mœrore intereat et contabescat, eo quod prædam non sit assecuta catulis a venatore abductis ac dissipatis.

Venatio catulorum tigridis.

Mystice tam *tigris* quam *myrmicoleon* sive formicarius leo symbola sunt diaboli, uti S. Patres passim exponunt; ac *tigris* quidem, quod animal sævum est et implacabile, idemque plenum varietate macularum, sed præcipue fulvum habet colorem nigricantibus segmentis interundulatum, apte mali dæmonis, ut nocentissimæ belluæ, varium maxime et fraudulentum figurat ingenium : incredibilis enim est illius in tentando et decipiendo versutia, qua nihil magis veteratorium dici potest, aut ad fraudem callidum, et eruditum artificio simulationis, hinc a S. Ignatio martyre in *Epist. ad Philipp.* dicitur πανοῦργος, κακὸς στρατηγὸς κλεψίνους, id est *versutus, malitiæ dux, fallendis hominum mentibus egregie peritus.* Idem significare cupiens S. Hieronymus ait esse multimoda diaboli ingenia, quibus ad nectendam hominibus fraudem abutatur : eamdem ob causam B. Macarius *Hom.* 27 vocat eumdem πολύπλοκον, id est *vafrum* et callidum veteratorem, qui habeat μάγγανα καὶ τρίθυρα, id est *excogitatas machinas et fores triplices*, quibus effugiat et elabatur, vel præter exspectationem redeat. *Myrmicoleon* vero, novum quoddam genus monstri, e naturarum varietate compositum, quod cum simul formica sit atque leo, S. Gregorio ad hunc locum et Olympiodoro in *Caten.* testibus, manifestum quoque symbolum diaboli est : quippe qui ut formica quidem titillat, ut leo vero sævit atque bacchatur, ac piis quidem et in virtute constantibus formica est, impiis vero ac timidis leo, potissimum autem, ut S. Augustinus ait, formicis, id est in terra thesaurizantibus dominatur.

Tigris symbolum diaboli maxime varii et versuti.

Myrmicoleon symbolum diaboli, qui piis est formica, impiis leo.

Animi passiones myrmicoleoni comparantur.

Tropologice S. Nilus in *Cat. Græc.* per μυρμηκολέοντα seu *formicoleonem* intelligit perturbationes animi, quæ initio a tenuioribus visis exoriuntur et quasi formicæ latenter obrepunt; ubi vero se confirmarint adeo violentæ fiunt atque insolentes, ut leones videantur.

Vers. 12.

12. PORRO AD ME DICTUM EST VERBUM ABSCONDITUM, ET QUASI FURTIVE SUSCEPIT AURIS MEA VENAS SUSURRI EJUS. — Significat hic Eliphaz se per revelationem divinum aliquod oraculum idque clam et subtiliter a Domino accepisse, quapropter vocat illud *verbum absconditum*, id est arcanum, occultum, mysticum, qualia scilicet prophetarum esse plerumque solent, quibus divina ipsis mysteria vel res futuræ revelabantur, quæ ut plurimum obscura erant et ænigmatica et quasi caligine involuta, ne passim ab omnibus perciperentur aut intelligerentur, sed tantum ab iis quos divina mystagogia erudivisset, atque istiusmodi mysteriorum capaces reddidisset. Quoniam hi soli *Matth.* XI, 15 habent « aures audiendi, » quas requirit Christus, quæ in cœli sonitum intentæ sint, Deique voces avidissime simul ac subtilissime excipiant, quo pertinet magnifica illa Numinis pollicitatio *Baruch.* II, 31 : « Dabo eis cor, et intelligent : et aures, et audient, » quibus in rebus jure merito Deus partem maximam humanæ felicitatis constituit : neque enim id simpliciter intelligendum est de vi audiendi, quæ nobis cum belluis est communis, quæ sonos percipiunt, sed de illa præsertim auditione, quæ ad mysteria salutis percipienda et intelligenda pertinet, et est veluti quoddam pignus inchoatæ beatitudinis. Istiusmodi ergo res arcanas et divinas audiendi facultate præditum sese jactitans Eliphaz, quo majorem dictis suis auctoritatem conciliaret, Jobumque magis attentum redderet, sibi verbum aliquod absconditum, quod ad salutem ejus plurimum conduceret, a Deo revelatum significat. Ut autem illud maxime arcanum et occultum, ideoque tanquam valde mysticum et plane divinum, pluris esse faciendum declararet : « Et quasi furtive, inquit, suscepit auris mea venas susurri ejus, » id est clanculum et occulte : ut enim occulta furta sunt, sic etiam furtiva dicuntur quæ clam et occulte fiunt, cujuscumque illa demum generis sint. Sic furtive incedimus, cum suspenso quasi pede clanculum aut in tenebris ambulamus : sic *furtivæ* locutiones sunt, quas aliis in aurem susurramus, et celatas esse volumus : *venas* itaque *susurri* vocat sibilum quemdam tenuem et exilem, eumque obscurum et confusum fractæ vocis, quo clare nihil exprimitur, sed confuse quidpiam opprimitur, ita ut sonum quidem percipias, sed, quod ille non satis formatus et articulatus sit, minime intelligas. Est autem metaphora ab amnibus et rivulis desumpta, qui cæco, ut dicitur, meatu decurrunt, ac tacito murmure devolvuntur, neque aliud quam informem sonum auribus objiciunt : is enim proprie est susurrus, de quo S. Gregorius lib. V *Moral.* cap. XX : « Qui susurrat, inquit, occulte loquitur, et vocem non exprimit, sed imitatur. »

Verbum absconditum quid significet?

Aures audiendi quales.

Quid si susurrus.

Porro quod Vulgatus *furtive* transfert Chaldæus non male exponit *repente*; et pro *venas susurri ejus* clarius in Hebræo est שֶׁמֶץ מִנֵּהוּ *semets menhu*, id est *pusillum ex ea* : in Græco hæc obscurius habentur, imo totus versus acerbam sapit increpationem, et S. Jobum falsitatis ac fictæ fucatæque pietatis arguere videtur dum ait, εἰ δέ τι ῥῆμα ἀληθινὸν ἐγεγόνει ἐν λόγοις σου, οὐδὲν ἂν σοι τούτων κακὸν ἀπήντησε, πότερον οὐ δέξεταί μου τὸ οὖς ἐξαίσια παρ' αὐτοῦ, *si quod autem verbum veræ fuisset in sermonibus tuis, nihil tibi horum malum occurrisset. Numquid non capiet auris mea ab eo magnifica.* Quibus verbis Eliphaz Jobum perstringit, tanquam qui occulta peccati labe aspersus justi nomen sit simulandi artificio adeptus, et plenam gravitatis orationem sæpenumero usurparit : nisi enim, inquit, solis verbis religionem prætulisses, sed factorum etiam fuisses veritatem consecutus, nihilque ab officii religione declinasses, haudquaquam tantorum malorum acerbitatem degustasses, cum justorum hominum actiones nullo pacto Deus aspernetur : ita Polychronius et Chrysostomus in *Caten.* locum hunc exponunt. Cæterum, an hæc fuerit vera revelatio, et a Deo immissa; an vero ab ipsomet Eliphazo vel a dæmone conficta, dissentiunt auctores :

An, et qualis hæc fuerit revelatio

http://www.obrascatolicas.com

Iatio, incertum.

D. Thomas quæstionem hanc indecisam relinquit; Lyranus revelationem hanc commentitiam asserit, et ab Eliphazo confictam cupit; verosimilius tamen arbitror Eliphazum aliquid per quietem accepisse a spiritu, qui bonusne an malus fuerit cum pulchre in utramque partem ventilet, atque momentis suis accurate expendat noster Sanctius, non est quod iisdem immoremur. Hoc certe falsum et parum pium est quod Judæi tradunt, Eliphazum de peccatis Jobi oraculum accepisse.

Inspiratio divina est verbum absconditum.

Mystice S. Gregorius, lib. V *Moral.* cap. XIX, hunc versum exponens : « Potest, inquit, per *verbum absconditum* allocutio intimæ aspirationis intelligi, de qua Joannes dicit I *Epist.* II, 27 : *Unctio ejus docet vos de omnibus.* Absconditum ergo verbum audire est locutionem S. Spiritus corde concipere, quæ profecto sciri non potest, nisi a quo haberi potest» : idem cap. XX exponens illa verba sequentia : *Et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus,* ait : « *Venas* superni *susurri auris cordis furtive suscipit,* quia subtilitatem locutionis intimæ afflata mens et raptim et occulte cognoscit : nisi enim se ab exterioribus desideriis abscondat, interna non penetrat; occultatur autem ut audiat, et audit ut occultetur : quia et subtracta a visibilibus invisibilia conspicit, et repleta invisibilibus visibilia perfecte contemnit. » Anima nimirum spiritalis divina luce illustrata, atque ab aliis curis atque negotiis soluta, libenter se ad Deum vertit, et mundi omniumque rerum inanium oblita cum sponsa ait *Cant.* II, 13 : « Sonet vox tua in auribus meis : » sive illa sit spiritus ille tenuis numerose velut resonans, qui suaviter in animæ aures illabitur, Heliamque solatur ac beat; sive amici monentis seu doctoris instruentis, sive medici παρηγορικὰ seu *consolatoria* instillantis. Huic autem animæ sapienti, et apud se constitutæ, non temere peregrinanti, nec ignaviter otiosæ, quid dulcius et amabilius esse potest cognitione veritatis, in quam prono a natura motu et affectu rapiatur? Quid beatius, quam discipulum fieri Dei, atque in secreto audire illius monita arcanasque voces, atque in modesto animi otio illius familiaritate perfrui?

Quomodo animus ad audiendum Deum præparandus.

Ad levitatem itaque inconsultam fugiendam, quæ utilis otii fructum atque bonum honestarum cogitationum eripit, commodum est initio considerationis sitim quamdam et certum propositum adferre, et hoc satagere, ut non liberas menti habenas relinquamus evagandi quo lubet, sed fortibus eam retinaculis cohibeamus; id denique quod facere proponimus non temeritate juvenili atque improvida, sed vera atque certa animi inductione appetamus : hoc enim desiderium constansque voluntas constabilit mentem, ac velut in sapientiæ officinam et virtutis scholam inducit exedramque docentis Dei *Psalm.* CII, 20, « ad audiendam vocem sermonum ejus, » ut quilibet Deo dicatus dicere possit *Psalm.* LXXXIV, 9 : « Audiam quid loquatur in me Dominus. » Loquetur sine dubio in illo præsertim otio, si hoc ipsum petimus, si vacuas aures damus, si alienas cogitationes excludimus; et quidem nihil nisi pacem loquetur, nihil, nisi ut justificati pacem habeamus, prædicabit; loquitur autem nobiscum Deus non externa, quæ quidem auribus percipi possint, verba pronuntiando, sed eorum ad quos loquitur mentem ita informando, ut non solum res tanquam præsentes mentis oculis cernant, verum etiam a Deo se divinitus moveri sentiant, perinde affecti, ac si ipsum loquentem audirent, aut intelligerent. De qua loquela ita præclare D. Basilius *in Psalm.* XXVIII : « Vox, inquit, Dei diversa est ab iis vocibus quas aurium sensu percipimus, nam illa fit per visionem ut in somniis : ut enim in his animus noster quorumdam veluti verborum notis imbuitur nulla voce ad sensum aurium accedente, sed mente quibusdam rerum formis insignita : sic Dei vox existimanda est, quam prophetæ audivisse memorantur. » Talem utique vocem Eliphaz hoc loco *verbum absconditum* nominat, et se a Deo percepisse significat.

Deus in intimo animæ loquitur, et auditur.

Porro ut absconditum hoc Dei verbum et vena susurri ejus percipi a nobis possit, silentium quoddam in animo requiritur sacrum ac venerandum quod sit comes reverentiæ ac pietatis; hinc Sophonias monet cap. I, 7 : « Silete a facie Domini : » Septuaginta dicunt, εὐλαβεῖσθε, *reveremini.* Oportet, inquit S. Basilius *in Psalm.* XXXIII, πᾶσαν σχολὴν ἄγειν, *otium agere* liberrimum ab omni exteriore tumultu, et tranquilla quiete frui eum ἐν κρυπτῷ τῆς καρδίας βουλευτηρίῳ, *in arcano veluti cordis recessu* et oraculorum penetrali, qui cupit velut e vestigiis persequi contemplationem veritatis. Hanc animi quietem Plotinus lib. VIII *Ennead.* 3, cap. III, vocat σιωπῶντα λόγον, *silentem rationem;* sed divinissime S. Dionysius Areopagita *Myst. Theol.* cap. I. κρυφιομύστην σιγήν, *arcanorum mystam silentium* appellat, de verbo illo abscondito seu mystica theologia loquens : Ἔνθα τὰ ἁπλᾶ καὶ ἀπόλυτα καὶ ἄτρεπτα τῆς θεολογίας μυστήρια κατὰ τὸν ὑπέρφωτον ἐκκαλύπτεται τῆς κρυφιομύστου σιγῆς γνόφον ἐν τῷ σκοτεινοτάτῳ τὸ ὑπερφανέστατον ὑπερλάμποντα, καὶ ἐν τῷ πάμπαν ἀναφεῖ καὶ ἀοράτῳ τῶν ὑπερκάλων ἀγλαϊῶν ὑπερπληροῦντα τοὺς ἀνομμάτους νοῦς, *ubi simplicia et absoluta et immutabilia theologiæ mysteria aperiuntur in caligine plusquam lucenti silentii arcana docentis, quæ in omnimoda intangibilitate præpulchris splendoribus mentes oculis captas superadimplet* : uberius de eodem argumento vide S. Dionysium loco citato et *ibid.* nostras *Annot.* Quale autem oraculum Eliphaz acceperit deinceps exponit dicens :

Absconditum Dei verbum in silentio audiendum.

Vers. 13. Non reperiebatur accommoda.

13. In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines. — Descendit modo ad circumstantias visionis hujus explicandas, primo loco describens tempus, quod nocturnum erat, adeoque propter quietem magis congruum revelationibus percipiendis : in die enim a tumultibus hominum et occupationibus sensuum mens quemdam quasi strepitum patitur, quo fit ut verbi

absconditi susurrum plane tenuissimum percipere nullo modo possit : ita Danieli quoque noctu obtigit revelatio, quam describens ait cap. VII, 2 : « Videbam in visione mea nocte : » similiter et Zachariæ dicenti cap. I, 8 : « Vidi per noctem, et ecce vir ascendens, » etc. : simile est quod Eliphaz hic dicit : « In horrore visionis nocturnæ. » Quæ est paraphrastica quædam noctis descriptio narrationi visionis accommodata, quam Septuaginta sic efferunt, φόβῳ δὲ καὶ ἤχῳ νυκτερινῷ ἐπιπίπτων φόβος ἐπ' ἀνθρώπους, *timore autem et sonitu nocturno incidens timor super homines* : nox enim *timida* et tenebræ *horridæ* dicuntur, eo quod homini timorem et horrorem adferant, et quæ incidunt noctu cogitationes aut visa non raro quoque horripilationem causare solent. In Hebræo ad verbum est, *in ramusculis a visionibus noctis*, vox enim hebræa שעפים *seghipim*, eleganti metaphora ex supereminentibus arborum ramusculis desumpta (quæ est primigenia istius vocis significatio) ad phantasmatum extremitates et veluti teneras cogitationum summitates suam extendit notionem, et significat *cogitationes* (quæ sunt velut rami, germina et conceptus mentis) præsertim illas, quæ peculiare quidpiam et magnificum habent, cujusmodi sunt revelationes, quæ reliquas excedunt, et velut cacumina et summitates arborum prominent eminentque.

Deus in somnis olim concedebat visiones.

Notandum hic obiter, frequentissimas olim visiones ac revelationes inter dormiendum et somniandum a Deo prophetis et aliis viris sanctis concedi solitas fuisse, quemadmodum Deus ipse distortis verbis promiserat dicens *Num.* XII, 6 : « Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum; » et alibi ait, *Joel.* II, 28 : « Effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ : senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt : » ita ut non sit dubium, quin istiusmodi somnia sint divina, quæ a Deo immittuntur, vel per novas species intelligibiles in mentem, vel per novas imagines in phantasiam, aut certe per novam earum, quæ in ea jam inerant, compositionem. Atque hoc postremo modo (quantum ex tota Eliphazi narratione non improbabili conjectura colligi putant) videtur quibusdam hæc visio contigisse; sive quod audita Jobi clade, cum animo percelleretur, cogitare cœpisset, quam ob causam virum innocentia vitæ spectabilem tam acerbe Deus tractaret, et pro responso hanc revelationem acceperit, ut consulte credit Vatablus; sive quod Eliphaz in præcedenti vita post profundam forte aliquam de divina providentia meditationem talem aliquando seu veram revelationem seu imaginariam visionem habuisset, quam alta mente repostam nunc ad suum intentum, tanquam ex penu depromptam, Jobo proponeret, utpote quæ tum ad ejus consolationem, tum ad id quod probandum jam assumpserat pondus ac momentum aliquod allatura videretur, id quod tanquam verosimilius amplectitur Bolducus.

Qualis fuerit Eliphazi visio.

Ego autem, ut sensum meum exponam, non tam divinam visionem quam diaboli illusionem Eliphazo in somnis oblatam censeo, qua dæmon se in angelum lucis transfigurans ipsum simili astu in erronea et iniqua, quam de Jobo jam conceperat, opinione confirmaret : hoc enim dæmoni satis usitatum est, ut istiusmodi ratione viris etiam sanctissimis non raro imponat et illudat. Quod ut credam Eliphazo hic etiam usuvenisse persuadet omnino veteratorium Satanæ ingenium, totam hanc Jobi tentationem, cujus hæc cum amicis disputatio non minima pars fuit, tam aperta vi quam occultis fraudibus (prout ad sanctissimi viri virtutem et constantiam labefactandam magis opportunum videbatur) artificiosissime adornantis : ut enim ex S. Chrysostomi Origenisque sententia *supr.* cap. I, 14 allata, nuntii qui de armentorum furto ac cæde, de domus ruina, deque filiorum repentina strage Jobum docuerunt, aut fuere dæmones, aut instructi a dæmone, quomodo patientis animum magis urerent et exulcerarent : quod pariter in uxore fecit, per quam ipse aut locutus est, usus alieno habitu linguaque pro sua; aut certe præscribens illi verba, quæ religiosum mariti animum magis erant commotura. Ita quoque dæmonem Eliphazo cæterisque amicis ad consolandum Jobum accedentibus cum per somnia tum per visiones illusisse credibile est, ut malo instincti spiritu male de Jobi religione sentirent, et illum, quem amabant antea propter morum suavitatem, et propter illustria virtutum exempla venerabantur, tunc propter cogitationes alias longe dissimiles aversarentur, et de illius vita iniquius judicarent; dumque solatio esse misero debuissent, potius eum affligerent, et vehementius exacerbarent. Cæterum quomodo in hac visione Eliphaz affectum se senserit deinceps exponit dicens :

Dæmon Eliphazo illusit.

Tota Jobi tentatio a dæmone facta fuit adornata.

Vers. 14. Spiritum apparitiones timorem incutiunt.

14. Pavor tenuit me et tremor : et omnia ossa mea perterrita sunt. — Hoc nempe omnibus spirituum apparitionibus commune ac familiare est, ut primo aspectu iis quibus accidunt timorem ac pavorem incutiant, quem, si magnus sit, tremor etiam totius corporis sequi plerumque solet; hunc autem minime vulgarem aut superficialem, sed omnino vehementem et intimum fuisse necesse est, cum universa Eliphazi ossa concusserit, uti Septuaginta verbo συνέσεισε significanter expresserunt; quod autem Vulgatus noster vertit, *et omnia ossa mea perterrita sunt,* metonymia est : quoniam ossa proprie non sentiunt neque dolent, sed membranæ aut nervi aliæve partes iis cohærentes, quarum affectio græce vocatur ὀστεοπόρος ὀδύνη, id est *ossium dolor,* quo veluti tunduntur, sic dictus eo quod tendones ipsis ossibus adhærentes infestans intima quodammodo ossa afficere videatur, ut Galenus lib. III *De Sanit. tuend.* cap.

Quo sensu dicantur ossa fuisse perterrita. Ὀστεοπόρος quid?

http://www.obrascatolicas.com

v, et lib. II *De Loc. affect.* cap. VII, docet; qui item lib. II *De Sympt. caus.* cap. II, et *De Trem. palp. convul. et rigor.*, cap. V, solas eas partes, quæ distendi possunt, palpitationis ac tremoris capaces esse tradit, ideoque istiusmodi affectiones in ipsamet ossa non cadere. Attamen summum pavorem et dolorem ad ossa usque penetrare vulgo dicimus: qui loquendi modus ipsi quoque Scripturæ familiaris est; veluti cum David ait *Psalm.* VI, 3: « Conturbata sunt ossa mea; » quomodo etiam loquitur Virgilius, lib. II *Æneid.*:

> Gelidusque per ima cucurrit
> Ossa tremor.

Optime autem hic per *ossa* intelligi possunt interiora corporis, *q. d.* Omnia viscera mea commota sunt, et interiora mea cohorruerunt; neque profecto mirum est Eliphazum ad istiusmodi spiritus aspectum toto corpore contremuisse, aut etiam in animi deliquium incidisse, cum a divinis etiam visis viros alioquin sanctissimos totos nonnunquam exanimatos fuisse constet; quemadmodum de semetipso Daniel diserte profitetur dicens cap. X, 8: « Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc, et non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me, et emarcui! nec habui quidquam virium. » Similiter et Moyses *Exod.* III, 6, et Gedeon *Jud.* VI, 22, et Josue *Josue* V, 14, plurimique alii in Veteri Testamento; uti et in Novo Zacharias *Luc.* I, 12, 29, B. Virgo, ac sanctæ mulieres aliique ad aspectum angeli cohorruisse leguntur *Matth.* XXVIII, 8.

Discrimen inter bonorum et malorum spirituum apparitiones.

Verumtamen hæc fere inter proborum pravorumque spirituum apparitiones intercedit differentia, quod nimirum probi, quando probis hominibus apparent, licet primo statim aspectu, ob nimium splendorem et personæ majestatem, timorem aliquem aut horrorem adferant, eumdem tamen illico abstergant, et consternatos erigant, et insolita consolatione afficiant, summaque animi tranquillitate ac lætitia spiritali perfundant: sic ab angelo Zachariæ dictum *Luc.* I, 14: « Ne timeas, Zacharia, » similiter mulieribus *Matth.* cap. XXVIII, 10: « Nolite timere; » et cum Daniel cap. X, 10, aspectu angelorum consternatus et exanimatus in terram corruisset, ab iisdem extemplo recreatus et animatus surrexit. Mali vero spiritus quem semel incusserunt horrorem nunquam auferunt, et timoris aculeum quem infixerunt minime evellunt; neque animo serenitatem ac tranquillitatem quam ademerant restituunt; sed majoribus potius eum tenebris involvunt ac perturbant magis, quod signum evidens est eorum malignitatis, uti S. Antonius spirituum discernendorum peritissimus apud S. Athanasium in ejus *Vita*, et S. Hieronymus et Theophylactus *in Matth.* cap. XXVIII luculenter docent. Quare cum ex hac visione Eliphaz se totum cohorruisse fateatur, nec illum deinceps abstersi timoris mentionem faciat, confirmatur hinc nostra opinio, in quam totus etiam propendet Sanctius noster, scilicet istam apparitionem non a divino, sed a satanico spiritu fuisse adornatam; præsertim cum per eam iniquis contra Jobum suspicionibus fuerit informatus, nec non fallacibus imbutus argumentis, quibus ad dæmonis votum et injustam Jobi vexationem abuteretur: quod haudquaquam boni, sed nequissimi spiritus officium esse constat.

15. ET CUM SPIRITUS ME PRÆSENTE TRANSIRET IN- Vers. 15.
HORRUERUNT PILI CARNIS MEÆ. — Septuaginta vertunt, καὶ πνεῦμα ἐπὶ πρόσωπόν μου ἐπῆλθεν, *et spiritus in faciem meam irruit*, quod Pineda noster de vento seu flatu spiritus Eliphazo mox apparituri prænuntio dictum interpretatur; qui scilicet ipsum prius afflaverit et consternaverit, quam se conspiciendum exhibuerit. Manifestum est autem, inquit S. Thomas ad hunc locum, virtutem spiritus esse majorem quam carnis, unde non est mirum si ad præsentiam spiritus pili carnis inhorrescant, quod ex subito timore procedit; præsertim cum præsentia spiritus insolito aliquo corporali indicio sentitur: quæ enim insolita sunt admirationem ac timorem inducere consueverunt. Cum igitur hic spiritus, sive bonus is fuerit, ut plerique auctores volunt, sive malus (quo, ob rationes superius allatas, cum Sanctio magis inclino) sensibili specie se conspiciendum exhiberet, sive in vento velociter transeunte per transennam loqueretur (utrumque enim verba sacri textus insinuant) merito Eliphaz imbecillitatis suæ sibi conscius ad potioris virtutis præsentiam timore percellitur ac consternatur.

Caro naturaliter horret ad spiritus præsentiam.

16. STETIT QUIDAM, CUJUS NON AGNOSCEBAM VUL- Vers. 16.
TUM, IMAGO CORAM OCULIS MEIS, ET VOCEM QUASI AURÆ LENIS AUDIVI. — Septuaginta negandi formula sententiam hanc efferunt hoc modo, d. q. Ἀνέστην, καὶ οὐκ ἐπέγνων· εἶδον, καὶ οὐκ ἦν μορφὴ πρὸ ὀφθαλμῶν μου· ἀλλ' ἢ αὔραν καὶ φωνὴν ἤκουσα, *surrexi, et non cognovi: vidi, et non erat figura ante oculos meos; sed auram et vocem audiebam*; ita nimirum ut horrore illo et vehementiori flatu expergefactus Eliphaz surrexerit e lecto, neminem tamen viderit. Sed nostra lectio videtur conformior originali, quæ habet, *stabit, et non agnoscam aspectum ejus: imago coram oculis meis, et silentium et vocem audiam*, q. d. Constitit ante me umbra seu obscura forma, cujus figuram plene ac distincte cognoscere non potui, neque de totius habitu corporis judicare. Qui hanc visionem a Deo adornatam fuisse sentiunt eam isti Eliæ similem faciunt, qua primo spiritum grandem et fortem, atque postremo deinde loco sibilum auræ tenuis percepit, cum ei dictum est III *Reg.* XIX, 11: « Egredere et sta in monte coram Domino: et ecce Dominus transit, et spiritus grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras ante Dominum. Non in spiritu Dominus, et post spiritum commotio: non in commotione Dominus, et post commotionem ignis: non in igne Dominus, et post ignem sibilus auræ tenuis. » In qua visione symbolum divinæ essentiæ, sublimis et subtilis, efficacis et mansuetæ agnoscunt, uti et in hac Eliphazi, qua similiter nobis describi dicunt modum cognoscendi Deum per negationem, qui theologiæ mysticæ proprius est ac familiaris: nam quid est, inquiunt, *Deum coram nobis stare*, nisi se nobis præsentissimum exhibere? et quid est *ejus vultum non agnosci*, nisi sub quadam caligine majestatem ejus intueri? Unde S. Gregorius lib. V *Moral.* cap. XXIX, in *sibilo auræ tenuis*, in quo Dominus apparuit Eliæ, censet eamdem Dei notiam, quæ per negationem habetur, designari: « Spiritui, inquit, commotionis et igni non inesse Dominus dicitur, esse vero in *sibilo auræ tenuis* non negatur: quia nimirum mens cum in contemplationis sublimitate suspenditur, quidquid perfecte perspicere valet, Deus non est; cum vero subtile aliquid conspicit, hoc est quod de incomprehensibili substantia æternitatis audit. Quasi enim sibilum tenuis auræ perspicimus, cum saporem incircumscriptæ veritatis contemplatione subita subtiliter degustamus. Tunc ergo verum est quod de Deo cognoscimus, cum plene nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus. » Itaque Deum hac ratione cognoscere quasi nihil cognoscere est, quia omne creatum abjicimus, ut ἀγνώστως, quemadmodum dixit S. Dionysius, id est, *sine notione*, ipsimet fonti omnis substantiæ et pulchritudinis per amorem copulemur.

Qualis fuerit visio Eliphaz.

Elihæ et Eliphazi visio in quo mysticam Theologiam refert.

Notitia Dei per negationem maxime accendit amorem.

Ut Deum noscamus per negationem oportet cœlos et angelos transcendere.

De hac etiam mystica notitia Dei forte sponsa gloriabatur, cum transcursis ac relictis vigilibus *Cant.* III, 4: « Inveni inquit, quem diligit anima mea; » siquidem ipsam quoque cœlestem civitatem transilire, et in ea spiritus angelicos prætelire necesse est, ut ipsummet hoc modo Deum contemplari valeamus; id quod pulchre S. Gregorius Nyssenus serm. 6 *in Cant.* exemplo sponsæ docet ita scribens: « Atque illa quidem scrutans obit omnem angelicum exercitum; et cum in bonis inventis non vidisset id quod quærebatur, hoc apud se cogitavit: *Num comprehendi potest illud quod a me diligitur?* et dicit eis: *Numquid vos quem diligit anima mea vidistis?* Cum autem illi tacuissent ad eam interrogationem, et silentio indicassent illis quoque esse incomprehensibile id quod apud eos quæritur, postquam nimis curioso studio cogitationis egressa est illam supermundanam civitatem, tunc relicto universo quod inveniebatur, ita cognovit id quod quærebatur; cujus omne signum ac indicium comprehendens fit impedimentum iis qui quærunt ad ejus inventionem. Propterea dicit: *Quamprimum parum ab eis transii*, relicta omni materia, et prætermisso universo quod intelligitur in creatura, et dimissa omni vita et ratione comprehendendi, *inveni eum qui diligitur*, etc. » Omnia ergo creata relinquenda sunt et fortissima mentis aversione deserenda, ut aliquid supra universa Dei opera cogitemus, in quo ipsum quasi absconditum inspiciamus. Ibi autem mens quanto minus creaturarum conspicit, tanto magis amore illius, quem intellectualiter præsentem sentit, exardescit. « Quo præsente (ut ait Richardus Victorinus *in Cant.* V) renovatur anima, et quasi ei adhærens sentit interni gustus dulcedinem, intelligentiam spiritualem, fidei illuminationem, spei augmentum, charitatis incentivum, compassionis affectum, justitiæ zelum, delectationem virtutum; habet in oratione cum Deo familiare colloquium audiri se sentiens, plurimumque exaudiri, facie ad faciem cum Deo loquens, et audiens quid loquatur in ea Dominus Deus, in oratione Deum cogens, et interdum eum convincens. » Sic ille. Non est igitur notitia illa, ut quidam male putant, arida, quam de Deo per omnium subtractionem habemus, ex qua in voluntate tam præstantes affectus emergunt: de quo vide fusius S. Dionysium Areopagitam toto lib. *De Myst. Theol.* et *ibid.* nostras Annot. Nunc ad textum revertamur.

Ex voce auræ tenuis colligunt aliqui visionem hanc falsæ divinam.

ET VOCEM QUASI AURÆ LENIS AUDIVI. — Pro quo in Hebræo est דממה וקול *demamah vacol*, id est *silentium et vocem*, vel, ut Symmachus reddit, ἡσυχίαν φωνῆς ἤκουσα, *quietam vocem audivi*; unde qui hanc apparitionem divinam fuisse volunt potissimum sumunt argumentum; quandoquidem post horrorem et spiritum vehementem vox deinde auræ lenis successerit, quæ præteritum pavorem sedaret, et consolationem adferret; quod signum esse diximus visionis a spiritu bono proficiscentis, cujus proprium est timore pulso mentem reddere serenam ac tranquillam, ideoque mystice per *vocem quasi auræ lenis* seu per *vocem quietam* intelligunt internam Dei locutionem, quæ non sonat in aure corporis, nec percipitur imaginatione capitis, sed pure spiritaliter intellectu mentis. De qua plura vide apud nostrum Alvarem de Paz tom. III, lib. V, part. III, cap. VI. Sed ad hoc argumentum optime responderi potest, *primo*, inde tantum sequi, Satanam in hoc angelum lucis imitatum, quo facilius Eliphazo illuderet: nihil enim novum est, quod in angelum se lucis transfiguret, ita ut non nisi ab illis, quibus divina lux affulsit, cognoscatur: id quod tunc potissimum facit, quando cum viris probis illi negotium est, quos vel in errorem inducere, aut jam lapsos in eodem confirmare ac stabilire conatur, tunc enim divina, ut tanto facilius iis imponat, quam potest, artificiosissime fingit, et imitatur oracula ad conciliandam sermonibus suis auctoritatem. *Secundo*, eadem facilitate qua illi vocem istam *quasi auræ lenis* in bonam partem accipiunt, atque inde divinam fuisse revelationem colligunt, in malam posse partem accipi, atque idem argumentum retorqueri, ut exinde diabolicam fuisse impostu-ram intelligamus: vox enim *quasi auræ lenis*, ut exponit Sanctius noster, idem est quod vox exilis, et obscura, aut informis, aut male formata, qualis est in perstrepenti ac murmurante aqua, aut in aura leniter sibilante. Qua in re aliquid notat pythonicum aut pythonico simile, nam cum

Vocem auræ tenuis non esse solidum argumentum divinæ visionis.

http://www.obrascatolicas.com

Vocem aurœ tenuis hic aliquid pythonicum redolere.

Pytho, *id* est diabolus, aut manes defunctorum loquuntur, obscuro plerumque et exili sono qui solent, ut tam ex sacris quam e profanis luculenter probat noster Sanctius ad hunc versum. Et sane boni spiritus non adeo loquuntur obscure, præsertim cum de rebus ad mores et institutionem pertinentibus quempiam erudiunt, ut hic fit, et ex sequenti versu patet : quare modus ille revelationis, quem Eliphaz hic introducit, magis quid pythonicum quam divinum redolere videtur. Nunc ipsum oraculum quod fingit examinemus, quod sic habet :

Vers. 17. 17. NUMQUID HOMO DEI COMPARATIONE JUSTIFICABITUR, AUT FACTORE SUO PURIOR ERIT VIR? — Hæc interrogatio vehementem includit negationem, qua neget hominem cum Deo de justitia vel vitæ puritate contendere ullo modo posse : impossibile enim est ut homo quantumvis innocens, quantumvis sanctus, quantumvis perfectus, causa non cadat sua, si cum Deo in jus ambulaverit, aut de injuria expostulaverit, quasi scilicet ipse sit justus; Deus vero ipsum affligens injustus : quandoquidem quisquis de Deo conqueritur, aut contra Deum murmurat, quod citra vel supra meritum puniatur suum, hoc ipso, ut antea justus scelerisque purus fuerit, certe maximum crimen ac scelus admittit, quantovis etiam supplicio expiandum. Quæ quidem ratiocinatio ut per se verissima sit, et millies a prophetis inculcata, handquaquam tamen tempore opportuno prolata fuit, aut afflicto Jobo accommodata, qui non tam compungi stimulis debuit quam fomentis leniri. Eliphaz autem e contra sententiam hanc, quam pro oraculo venditat, quasi telum quoddam acutissimum ac prorsus virulentum in Jobi animum mœstitia sauciatum crude nimis ejaculatur : etsi enim sit sermo ejus universalis atque indefinitus, eo tamen dirigitur, et hoc potissimum spectat, ut Jobum alicujus criminis et injustarum adversus Deum arguat querelarum, ac tandem convictum ad silentii metam adigat. Sensus ergo verborum ejus est istiusmodi, *q. d.* Ego Eliphaz hoc certe ab angelo didici fieri non posse, ut creatura mortalis creatore suo innocentior sit; cur ergo, mi Job, te innocentem jactas, Deoque factori tuo crimen injustitiæ impingis? ais quippe te vacare culpa, et tamen crudelissime a Deo tractari, quod quid aliud est, quam justissimum ac clementissimum Numen tyrannicæ immanitatis et manifestæ injustitiæ insimulare, quasi puniat immerentes atque innocentes opprimat? ac consequenter temetipsum (cum te judice sis innocens) auctore tuo puriorem reputare, et contra jus et fas ipsum quodammodo exauctorare velle, tibique supremi judicis munus insolenter arrogare, dum ipsius sententiam ad insanæ mentis tuæ tribunal revocare, annullare, et inaudita temeritate atque audacia injustitiæ condemnare minime vereris? Atque in hunc sensum fere Pineda noster hæc Eliphazi verba interpretatur, quæ Bolducus in partem longe mitiorem accipit, ac si non increpandi, sed Jobum vere consolandi animo prolata forent.

Nemo non causa cadit cum Deo contendens.

Eliphaz vera quidem, sed non opportuna loquitur.

Verum quidquid de Eliphazi intentione sit, ut optima fuerit, et sententiæ sint verissimæ gravissimæque quas profert; hoc tamen negari non potest, quin plane intempestiva fuerit et nimis cruda istiusmodi monitio, quæ in talibus circumstantiis exulcerare potius quam lenire Jobi dolorem poterat : tanti refert quo quid tempore ac modo proferatur, opportunitas enim non observata cum omnibus quidem in rebus ingens adfert malum, tum vero maxime in admonendo detrahit utilitatem, uti præclare Plutarchus lib. *De Amic. et adul.* docet. Quamobrem sapienter, meo quidem judicio, et vere quidam ex antiquis philosophis dixit ante omnia quærendam et spectandam in rebus opportunitatem, quæ si absit, quod pretiosum est et ad magnos effectus potentissimum sæpenumero vilescit et inutile efficitur; et quod alias prodesse plurimum solet si intempestive fiat, non raro vehementer nocet, juxta illud Ovidii lib. I *De Rem. Amor.* :

Opportunitas maxime servanda in monitionibus.

Temporibus medicina valet : data tempore prosunt :
Et data non apto tempore vina nocent.
Eripit interdum, modo dat medicina salutem.
Nil prodest quod non lædere possit idem.

Est plane saluberrimum ac prorsus necessarium nosse Deum esse severum judicem et rigidum cujuscumque criminis ultorem, qui nullum scelus impune permissurus sit abire, pro quo (nisi per condignam pœnitentiam in hac vita deletum aut remissum fuerit) non gravissimas postmodum pœnas sit inflicturus. Quod si forte alicui profligatæ audaciæ nebuloni et in omne vitiorum genus projecto proponas et serio inculces, salutaris omnino erit medicina, et tali homini nulla fortassis opportuna magis; at si hæc cuipiam timido et de salute sua desperabundo ante oculos ponas, perdes hominem, et ab animi imbecillitate pronum in desperationis barathrum conjicies : eodem utique modo Eliphaz licet omnino salutaria verissimaque adferat documenta, quia tamen tempore non opportuno illa Jobo ingerebat, tantum aberat, ut jacentem erigeret, ac mœrentem ejus animum recrearet, ut potius ipsum amplius dejiceret, et afflictum gravius exulceraret. Quare cum Eliphaz prorsus importunam (licet alioquin in se non malam, quin imo in alio rerum articulo etiam bonam) Jobo medicinam adhibuerit, jure merito censendus est illam non divino, sed maligni spiritus instinctu propinasse : quis enim nescit doctrinam sæpe sanam et sanctam a dæmone doceri, cui per se nulla labes erroris admixta sit? Hoc tamen veteratorie facit tempore non suo, quo nimirum non tam prosit ut vera, quam ut importuna noceat; aut certe hoc astute facit, ut veritatis ac virtutis externa specie deceptus homo, in occultam et perniciosam

Res per se utiles fiunt nonnæ, si adhibeantur importune.

Dæmon etiam vera proponit ut iis noceat.

fraudem et errorem inducatur, aliquid scilicet inde deinceps deducendo et eliciendo, quod saluti plurimum officiat. Simile quid in his Eliphazi monitis observat Sanctius noster, et res ipsa demonstrasse videtur; quandoquidem ante illud tempus, cum vel maxime tentationis et calamitatum æstus fervebat, dictus sit Deo approbante Jobus non peccasse labiis suis; postmodum vero in hac longa cum amicis disputatione aliquid ipsi exciderit, propter quod cap. ult. a Deo reprehensus fuit, atque ipsemet culpam agnoscens suam confessus est se imprudenter locutum, sacrificiisque et hostiis piacularibus expiavit.

Quomodo nullus homo sit justus si comparetur cum Deo.

Cæterum quod ad ipsam sententiam ab Eliphazo hic pro oraculo allatam attinet in se verissima est et plane divina : constat enim Deum esse justissimum purissimumque, cui nulla possit labes adhærescere; et hominum justitiam ac puritatem omnem, quantumcumque eximiam et excellentem, si cum divina justitia et puritate comparetur, ne nomen quidem justitiæ ac puritatis mereri; quod ipsum huic non absimile Davidis oraculum manifeste declarat cum ait *Psalm.* CXLII, vers. 2 : « Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, » *omnis* enim *vivens*, ut notat ibi Bellarminus, aut est peccator, aut justus in via, aut justus in patria. Qui peccatores sunt, ut homicidæ, adulteri et similes, poterunt quidem justificari coram hominibus, apud quos aliorum crimina sæpe occulta sunt, vel juridice probari non possunt; sed in conspectu Dei non justificabuntur, quia Deus videt corda et conscientias, et ex ipsiusmet conscientiæ testimonio convincet eos. Qui justi sunt, sed adhuc in via, non justificabuntur in conspectu Dei, quoniam non audebunt se justificare; sed cum Apostolo dicent I *Corinth.* IV, 4 : « Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum : qui enim judicat me Dominus est : » fortasse enim ille videt in me quod ego non video; et proinde *Job* IX, 15 : « Si habuero quidpiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor. » Item non justificabuntur in conspectu Dei, quoniam intelligunt justitiam suam non a se acquisitam, sed a Deo donatam esse, et ideo non justificabunt se coram Deo, quasi ex se justi sint, sed gratias agent justificatori suo. Denique non justificabuntur in conspectu Dei, quoniam etiamsi justi sint, quia criminibus carent, tamen etiam peccatores esse intelliguntur, quia delictis quotidianis non carent, et dicunt cum aliis sanctis, *Matth.* VI, 12 : « Dimitte nobis debita nostra, » et I *Joan.* I, 8 : « Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. » Qui autem justi sunt in patria, et criminibus ac peccatis non solum carent, sed etiam inquinari non possunt, non justificabuntur in conspectu Dei, tum quia justitiam suam non sibi tribuunt, sed Deo, a quo illam habent; tum quia tanta est puritas Dei, ut comparatione ejus omnis alia justitia injustitia esse videatur *Job.* cap. XXV, 5 : « Stellæ enim non sunt mundæ in conspectu ejus » quod ipsum magis confirmans subdit :

Vers. 18. Cum angeli defecerint, nil mirum est homines deficere.

18. ECCE QUI SERVIUNT EI NON SUNT STABILES : ET IN ANGELIS SUIS REPERIT PRAVITATEM. — Est argumentum a majori ad minus, *q. d.* Si angeli, qui sunt inter creaturas omnes nobilissimi, ad Dei ministerium in cœlo creati, principatum suum non tenuerint, sed per peccatum a Deo deficientes eumdem amiserint, quanto minus fieri possit, ut homines crassa carne concreti, quorum animi luteas corporum domos male fultas incolunt, tinea fomitis non exedantur et culpa fœdentur? Septuaginta reddunt, εἰ κατὰ πλίθων αὐτοῦ οὐ πιστεύει, κατὰ δὲ ἀγγέλων αὐτοῦ σκολιόν τι ἐπινόησε, quod sic verti potest, *si in servis suis fidem non habet, in angelis vero suis pravum quid advertit;* Symmachus, ἐν δούλοις αὐτοῦ ἀδιαστατε, καὶ ἐν ἀγγέλοις αὐτοῦ εὑρήσει ματαιότητα, *in servis suis instabilitas, et in angelis suis reperiet vanitatem* : angeli enim cum sint creaturæ non sunt natura sua immutabiles sicut Deus, et per consequens nec immobiles a bono et virtute : ita S. Chrysostomus, Olympiodorus et Didymus in *Caten. Græc.* In Hebræo autem est, *in angelis suis posuit stultitiam* תהלה *tahalah*, quod Pagninus vertit *lumen*, Tigurina, *vesaniam*, Regia, *gloriationem* : quæ tanta varietas orta est ex fecunditate radicis הלל *halal*, quod significat *laudare, gloriari, vocem attolere*, scilicet cum gloriatione, fulgore, splendore aut etiam insania; ut per antiphrasin significet gloria et nominis splendore indignum, id est pravum : sola nempe pravitas coram Deo stultitia est. Potest etiam verti cum Vatablo, *in servis suis non posuit veritatem; nec in angelis posuit lucem exactissimam*, q. d. Angeli non sunt creati a Deo in omnimoda veritate et absolutissima perfectione, sed in statu quodam medio inter summum et immutabile bonum, sive Deum, et bonum commutabile, quod est creatum; ea scilicet lege, ut si ad summum, quod supra ipsos erat, bonum immutabile amandum converterterentur, ad gratiæ gloriæque statum promoverentur; sin ad bonum commutabile, quod infra illos erat, sese incurvarent et abjicerent, hoc ipso a sua dignitate degenerarent, et in malum culpæ ac pœnæ dilaberentur atque corruerent. Quæ quidem sententia, ut notat D. Thomas ad hunc locum, secundum doctrinam catholicæ fidei plana est : tenet enim fides catholica, omnes angelos in statu bono fuisse creatos, et quidem præ cæteris creaturis optimo; quippe qui (ut S. Dionysius *Cæl. Hier.* cap. IV loquitur) Deo proximi sint, atque divini principatus munere hoc cæteris omnibus antecellant, quod primario pluribusque modis Deum participarint; siquidem non sôlum substantiam et vitam, sed etiam rationem et sapientiam humana longe præstantiorem, aliaque charismata spiritalia naturæ intellectuali proportionata, in prima sua creatione excellentissimo modo rece-

Angelis in quo statu sint creati.

http://www.obrascatolicas.com

Angelica natura qualis.

perunt. Angelica enim natura, secundum Damascenum lib. II, cap. III, est « substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans, immortalis : » cum itaque tales tantique ab initio conditi essent angeli, qui quidem ex iis præ ingenti ad summum bonum propensione statim sese totos ad divinum Numen converterunt, non solum principatum suum naturalem tenuerunt, sed per gratiam indissolubili charitatis vinculo immutabili æternoque Deo colligati, et in summo bono stabiliti, ad supernaturalem et prorsus immutabilem æternæ beatitudinis statum longe felicissimum evecti sunt. Qui vero e contra non custodierunt principatum suum, sed sponte sua libero abusi arbitrio, a Deo creatore suo per peccatum desciverunt, divina gratia spoliati, de luce in tenebras, de scientia in ignorantiam, de innocentia in culpam, de felicitate in miseriam extemplo corruerunt; et post tam miserabilem casum facti sunt impœnitentes et obstinati in malo, aberrantes a vero, declinantes a bono, infirmati in virtute, et exclusi a Dei contemplatione, ut Judas ait *Epist.* I, 5, « in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservantur. »

Quæ sit sors bonorum angelorum.

Quæ malorum angelorum.

Mirum est angelos ad pravitatem delapsos cum essent tam perfecti.

Mirum profecto et valde mirum est angelos, tot naturæ gratiæque dotibus cumulatos, tantisque cum ad contemplativam tum ad activam eorum vitam rite ordinandam præsidiis instructos, a statu tamen rectitudinis excidisse : ex parte enim *vitæ contemplativæ* summa videtur ipsis inesse debuisse stabilitas, siquidem manifestum est causam mutabilitatis esse potentiam, sicut e diverso causa immutabilitatis est actus. Est namque de ratione potentiæ, ut sese habeat indifferenter ad esse et non esse, sicut de ratione actus est, habere aliquod esse determinatum : atqui quanto aliquid magis perficitur, tanto etiam magis in perfectione sua actuatur ac stabilitur, minusque est in potentia aut obnoxium mutationi; unde Deus, quod per se actus purus sit, prorsus etiam immutabilis exsistit : quare cum angeli inter omnes creaturas natura sua perfectissimi exsistant, et ad Deum, actum purissimum, proxime accedant, mirum est in ipsos tantam cadere potuisse in deterius immutationem. At libero, inquies, prædíti fuerunt arbitrio, et consequenter tam ad malum quam ad bonum indifferentes, ideoque mutabiles, scilicet secundum sententiam, non secundum substantiam; attamen sicut materia comparatur ad formam, velut potentia ad actum, ita voluntas ad bonum : quare id quod est ipsum per se bonum (quod est divinum Numen) omnino immutabile est, utpote actus purus; cæterarum vero naturarum voluntates, quæ non sunt ipsum bonum, comparantur ad ipsum ut potentia ad actum, unde quanto magis inhærent ei, tanto quoque magis in bono stabiliuntur. Quapropter cum angeli præ cæteris creaturis excellentius Deum participarent, et clarius sublimiusque contemplarentur, consequens quoque ac rationi consonum videbatur, ut e propinquo etiam intimius illi conjungerentur, et per amorem ac dilectionem arctius adhærerent, et in ipso, ut summo bono, firmarentur ac stabilirentur : nihilominus, ut res ipsa docet, et eorum casus miserandus et abominandus luculenter testatur, minime stabiles fuerunt, qui tam turpiter ceciderunt. Unde multo minus homines, quantumcumque sancti et Deo intime conjuncti videantur, omnino stabiles aut ab omni lapsu immunes esse putandi sunt, quoniam « ecce qui serviunt ei non sunt stabiles. »

Cum angeli ceciderint, homines non sunt stabiles.

Ex parte vero *vitæ activæ* videtur in angelis vel nihil vel minimum quid seu valde parum pravitatis esse potuisse, quanto enim quis propinquior est primæ summæque rectitudini, minus profecto de obliquitate participet necesse est. Cum autem Deus, qui suprema primaque rectitudo est, et omnis recti gnomon ac norma, inferiores creaturas per superiores dirigens atque gubernans, angelis tanquam suis vicariis, ac legatis totius quodammodo universitatis, et omnium gentium ac nationum regimen commiserit, par omnino erat, ut nihil aut parum admodum in iis reperiri posset pravitatis; quæ cum tamen in ipsis adeo abundaverit, verendum est ne in hominibus quantavis etiam sanctitatis opinione florentibus non desit; ut non male hoc loco D. Thomas a majori ad minus argumentatur : qui simul tamen provide monet cavendum, ne quis hinc in errorem incidat Origenis, qui etiam quoscumque spiritus creatos instabiles esse asserit et obnoxios pravitati. Constat enim spiritus illos beatos, qui ad Deum conditorem suum ab initio creationis sese totos per dilectionem converterunt, in eodem per gratiam ita stabilitos, ut ab eo nunquam amplius dimoveri possint, sed prorsus immutabiles per gloriam æterna Numinis fruitione beentur : quinimo quibusdam hominibus, licet angelis natura sua longe inferioribus, majorique mutationi obnoxiis, in hac vita variabili et inconstanti per singularem Dei gratiam privilegio prorsus eximio conceditur, ut ab omni pravitate peccati immunes exsistant, quod de B. Virgine ac S. Joanne Baptista fidelis nemo ambigit. Cæterum nunc alterum argumenti membrum, quod ex humanæ conditionis fragilitate sumitur, expendamus; cui simul conclusio præcedentis rationis conjungitur, et sic habet :

Gratia Dei tam angelos quam homines reddit in bono stabiles.

Vers. 19.

19. QUANTO MAGIS HI QUI HABITANT DOMOS LUTEAS, QUI TERRENUM HABENT FUNDAMENTUM, CONSUMENTUR VELUT A TINEA? — Est perelegans terreni hominis periphrasis, qualis fere est ista S. Pauli II *Corinth.* V, 1 : « Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur; » alludit autem ad nostri corporis e luto seu terræ limo efformationem, *Genes.* II, 7 : corpus enim hominis nil nisi lutum est, et, ut eleganter Tertullianus lib. *De Resur. carnis* cap. XVI dixit, « limus titulo hominis incisus. » Quod

Corpus nostrum est lutea domus.

veluti imitatus consimili certe venustate D. Gregorius Nyssenus, orat. 1 *De Beat.* hominem vocat γήινον ἀνδριάντα *luteam statuam;* D. Paulus *vas fictile* II *Corint.* IV, 7 : addit Isidorus Pelusiota lib. II *Epist.* 5 remque etiam amplificat, corpus nostrum esse πηλοῦ παντὸς ἀσθενέστερον, *omni luto imbecillius.* Quamobrem antiqui olim, teste S. Hieronymo *in Jerem.* cap. XXIX, πηλωσώτας, id est *totos luteos* vocabant illos, qui in luto istius corporis constituti et penitus immersi non possunt sentire cœlestia, quos pari elegantia Tertullianus *e limo figulatos* dicit, quod nihil supra lutum sentiant : eosdem illos pelusiotas carni suæ auctoratos, et sordidis affectionibus illitos, ut luteos imperatores S. Chrysostomus *in Isai.* cap. VII vocat χαμαὶ συρομένους, *humi repentes,* vilissimis rebus affixos, corpori suo tanquam luto immersos. Hoc ergo luteum corpus *domus animæ* dicitur, quia nimirum anima humana certo quodam modo est in corpore, sicut homo in domo aut nauta in navi, in quantum scilicet est motrix corporis; verum cum idcirco aliqui dixerint animam non uniri suo corpori substantialiter, sed illi tantum accidentaliter assistere sicut homo domui quam inhabitat, aut vestimento quo amicitur, vel nauta navi quam dirigit; ut hanc opinionem excluderet, non abs re subdit : *Qui terrenum habent fundamentum,* quo datur intelligi, non secus animam humanam corpori quam formam materiæ uniri; siquidem materia *fundamentum formæ* a philosophis nuncupatur, eo quod sit prima pars et veluti subjectum in generatione, non secus ac fundamentum in domus constructione, uti D. Thomas ad locum hunc scite annotavit. Hoc porro fundamentum dicitur *terrenum,* quia nimirum corpus, quo veluti fundamento ac basi totius hominis structura et vita nititur, non e cœlo, sed e terra exsistit, et in terram postea resolvitur.

Homines carnales *pelusiotæ*, id est lutei, vocantur.

Luteum corpus domus animæ dicitur, et quo sensu.

Fundamentum hominis terrenum est.

Quamobrem S. Patres jubent nos sæpe considerare qui simus, et in corpus aciem mentis retorquere; de quo sacris imbuti litteris afflatuque divino sic loquuntur, ut horrorem ejus omnibus atque despicientiam odiumque justissimum merito incutiant. Hinc Arnobius lib. II *Contr. Gent.* « animas dicit corporum esse indutas carceribus : » et S. Ambrosius *in Luc.* cap. XX, *carcereum* corpus appellat; uti et Clemens Alexandrinus lib. III *Strom.* Platonem imitatus, nominat φρουράν, *custodiam*; et D. Basilius *Hom.* 24 similiter δεσμωτήριον, *carcerem*; quo etiam sensu apud Stobæum *Serm.* 119, δίμας, id est *vinculum,* appellatur, quod anima sit in eo δεδεμένη, *alligata,* et quasi vinculis constricta; unde Themistius βίον, id est *vitam,* παρὰ τὴν βίαν, *a vi* et violentia, quam animus in corpore patitur, dici putat, quod nimirum in vita quasi in carcere et vinculis sit invitus; cui Seneca consentiens *Epist.* 65 : « Corpus, inquit, non aliter aspicio quam *vinculum* aliquod libertati meæ circumdatum : » ab hoc utique vinculo expediri et absolvi cupiens cum gemitu Apostolus exclamat

Corpus est animi carcer.

Rom. VII, 24 : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » scilicet calamitatis et infortunii loco habebat illam, quæ in carne transigitur, vitam : quippe cui sic vivere nihil aliud erat quam continuo mori, quemadmodum de se profitetur I *Corinth.* XV, 31 : « Quotidie morior. » Totius porro mortalitatis hujus ac miseriarum inde resultantium fons et origo unica est « corpus quod *Sap.* IX, 15 corrumpitur (et pondere ipso corruptionis) aggravat animam (et plumbea veluti mole imbecillitatis sic abjicit et premit humi, ut beatissimis illis alis nudetur, quibus sese evehit ad Deum); et terrena habitatio (vel ut in Græco est, χοῦς σκῆνος, id est *terrenum habitaculum,* diversorium fœculentum, luteum corporis et vile tugurium, putidum umbraculum) deprimit sensum multa cogitantem : » pro quo in Græco est τὸν πολυφρονοῦντα, *mentem prudentem,* quam eleganter Cresollius noster in *Mystag. dædalam vividamque* interpretatur, « illustribus commentationibus assuetam, pulcherrimarum rerum machinatricem, in curriculo sapientiæ versantem : » sunt enim φρονῖδες, ut Galenus ait, σοφὰ βουλεύματα, *sapientia consilia,* eruditæ cogitationes, commentationes animæ doctæ, et sublimes. Hinc olim sapientes, qui in magnis honestissimisque studiis omne tempus ætatis suæ consumebant, φρονισταὶ appellabantur, quod nimirum sapientiam seriis, doctis et assiduis meditationibus sibi compararent. Talem ergo mentem Salomon πολυφρονῖδα nominat, quæ pulcherrimis et perennibus meditationibus addicta, in arcanis et cœlestibus curis occupatur, quam sane mirum quantum corpus hoc terrenum impediat, et quodammodo sua fœce oblimet. Quod autem hic pro conclusione subjungitur :

Corpus terrenum mentem aggravat.

CONSUMENTUR VELUT A TINEA, — posset quidem secundum litteræ superficiem de corporali quoque morte intelligi, quam homo naturaliter incurrit ex eo quod terrenum habeat fundamentum, quia sicut tinea corrodit vestimentum, ex quo nascitur, ita mors naturalis ex causis corpori internis oritur, illudque consumit; bene tamen notat D. Thomas non hanc esse primariam litteræ intentionem, sed eam quæ in præcedentibus egit de morte seu defectu peccati cum diceret : « Et in angelis suis reperit pravitatem : » quare ut conclusio præmissis respondeat, hoc hemistichium similiter ad peccatum, per quod justitia in homine consumitur, referri debet, sic ut per *tineam* hoc loco metaphorice peccati fomes significetur : quemadmodum enim tinea e re ipsa quam corrodit enascitur, ita fomes ex homine peccatore, in quem desævit, dum eum ad peccandum impellit, et universam, si quam habuerit, justitiam consumit. Id quod S. Gregorius, lib. V *Moral.* cap. XXVII et XXVIII eleganter expressit, cujus oraculum ut *ibid.* consulas licet, quo etiam mors tacita et proditrix manifestatur descripta : sicut enim tinea vestem tacitis morsibus

Mors est tinea corporis.

Fomes peccati est tinea animæ.

http://www.obrascatolicas.com

rodendo tuguriolum sibi ædificat, ibique abscondita commoratur : ita et impii nullum strepitum mortis, nullam interitus cogitationem admittendo, dum strepitum hujus cogitationis abigunt, magno cum silentio pereunt, morte instar tineæ sic eos consumente. Cæterum ad hanc internam nobisque congenitam naturæ corruptelam ac defectionem externa nonnunquam vis et violentia accedit, quæ nos incautos et nihil minus cogitantes non raro obruat et succidat. Unde subdit :

Vers. 20. Impii subito succiduntur.

20. DE MANE USQUE AD VESPERAM SUCCIDENTUR : ET QUIA NULLUS INTELLIGIT, IN ÆTERNUM PERIBUNT,— id est, citissime et continuo succidentur : est enim, ut bene notat Sanctius noster, modus dicendi proverbialis, quo tempus brevissimum significamus, quale est illud, quod inter matutinum et vespertinum intercedit : sic Ezechias ait *Isaï.* XXXVIII, 12 : « De mane usque ad vesperam finies me; » et Psalmista *Psalm.* XXXIX, 6 : « Mane floreat, et transeat, vespere decidat, induret, et arescat. » Verbum autem *succidendi*, ut bene observat divus Thomas, violentiam importat, succisio enim arboris ab exteriori causa procedit, et violente accidit, nec prævideri potest, cum a libera succidentis voluntate dependeat. Significat ergo secundum litteræ superficiem illos repente ac subito e medio tollendos, idque ipsos ignoraturos : mors enim naturalis per aliqua signa naturalia, quæ κρίσεις medici vocant, præcognosci potest; sed mors violenta penitus ignota est, utpote diversis casibus inopinatis et a libera plerumque malevolorum voluntate dependentibus obnoxia; unde non potest sciri mane, an homo ad vesperum usque victurus sit. Secundum primariam vero litteræ intentionem, conformiter iis quæ ad superiorem versum notata sunt, loquitur hic de morte peccati ex tentationibus potissimum extrinsecis proveniente, quæ plerumque magis repentina solet exsistere : quemadmodum enim præc. vers. dixerat tentationem, quæ ab intrinseco aliquo principio exoritur, non solere subito aut repente hominem prosternere, sed paulatim et sensim sine sensu ad lapsum disponere, dum quis initia peccati in semetipso reprimere non curat, secundum illud *Eccli.* XIX, 1 : « Qui spernit modica, paulatim decidet. » Et sicut vestimentum, quod non excutitur aut ventilatur, a tinea consumitur : ita vicissim hic significat, quomodo illa quæ ab extrinseco ingruit tentatio hominem plerumque subito prosternat, et in gravem præcipitet ruinam, quemadmodum II *Reg.* XII, 2, David rex ad incautum aut curiosum nudæ mulieris aspectum illico in concupiscentiam ejus exarsit, et amoris telo ictus occubuit; et in persecutione ac tormentis multi fidem negaverunt, quam pacis tempore profitebantur; et in adversis plurimi defecerunt, qui in prosperis constantes ac fortes apparebant. Cæterum quoniam quocumque quis modo peccaverit, dummodo culpam suam agnoscat, et per pœnitentiam diluat, misericordiam consequitur, et remissionem accipit peccatorum; hinc, quia plurimi peccatores culpam suam non agnoscentes opportuna peccatis suis delendis remedia minime adhibent, fit ut tam pauci salventur, et longe maxima pars hominum in interitum ruat sempiternum, atque hoc est quod subdit :

Interna tentatio sensim hominem consumit.

Exterior tentatio plerumque subito hominem sternit.

QUIA NULLUS INTELLIGIT, IN ÆTERNUM PERIBUNT : — pro quo Septuaginta vertunt, παρὰ τὸ μὴ δύνασθαι αὐτοὺς ἑαυτοῖς βοηθῆσαι ἀπώλοντο, id est, *eo quod non possent sibi ipsis subvenire perierunt* : agunt nimirum de spiritualibus subsidiis, quæ pietas et vera religio, et præsertim pœnitentia, hominibus adferunt, quibus et a perpetua morte liberentur, et vitam vere beatam consequantur, quibus peccati remediis et pietatis officiis homines improbi dare operam, perturbationibus animi ac vitiosis affectionibus sua culpa impediti, minime potuerunt; utramque autem versionem hebræa verba patiuntur, quæ sic habent, מבלי משים לנצח יאבדו, *mibbeli mecim lanetsa iovedu*, quod verbum de verbo transferentes ita possumus interpretari, *eo quod non sit qui apponat in sæculum peribunt*. Illud autem, *non est qui apponat*, doctissime explicat Vulgatus, *quia nullus intelligit*, sive, *non est qui apponat corde vel mente;* Septuaginta vero interpretes cum לנצח *lanetsa* conjunxerunt id quod Vulgatus traduxit *in æternum;* sed tamen significat etiam hebraice *fortitudinem* sive potentiam, quam significationem Septuaginta spectantes intellexerunt, *qui non ponat fortitudinem* sive potentiam, ut scilicet semetipsum adjuvet, ut illi transtulerunt. Uniformiter autem omnes significant, peccatores plerosque defectu pœnitentiæ in æternum perire ac suæ sibi damnationis causam exsistere, dum nimirum tam necessarium salutis remedium procrastinando de die in diem differunt, donec morte præventi, et cum minime cogitant ejus falce succisi impœnitentes occumbunt.

Impii sibi ipsis subvenire non valent.

Vers. 21. Impiorum posteri cito pereunt.

21. QUI AUTEM RELIQUI FUERINT AUFERENTUR EX EIS : MORIENTUR, ET NON IN SAPIENTIA, — q. d. *Reliqui*, id est impiorum posteri, scelerum non minus quam possessionum ac latifundiorum paternorum hæredes, qui pravis majorum vestigiis insistunt, similiter præmatura morte succidentur, et insipientiæ stoliditatisque suæ condignas pœnas dabunt æterno supplicio puniendi : id ipsum quoque David inculcat dicens *Psalm.* XXXVI, 40 : « Reliquiæ impiorum peribunt, » quia nimirum cum opibus et peccatis pœnas quoque peccatorum hæreditabunt, nec quidquam eis boni reliquum erit, cum omnia in concupiscentiis suis sceleribusque consumpserint. Explet itaque his verbis Eliphaz primam partem sermonis sui, oraculo, ut jactat, sibi revelati, quo significat peccatores subito e medio tolli, et cum minime putant ad infernum detrudi sempiternis ignibus excruciandos; posteritatem vero ipsorum adinstar pravæ herbæ pariter exterminari ac stirpitus eradicari : qua ratione haud obscure Jobum e

summa felicitate ad extremam usque miseriam repente deturbatum ejusque liberos inopinato plane interitu consumptos quasi gentem stolidam vitaque indignam sugillat. Ita Lyranus et Joannes a Jesu Maria quoque locum hunc exponunt, ubi notandum obiter, ea quæ hac tota revelatione seu potius illusione Eliphaz sibi manifestata profitetur, in Jobum et ejus liberos, quorum vita virtutibus prorsus singularibus et eximiis semper resplenduit, minime quadrare, adeoque ipsis ab Eliphazo perperam accommodari; sententias tamen per se verissimas gravissimasque complecti, quæ ad salutarem Dei timorem peccatoribus incutiendum perquam opportunæ videantur.

Impiis deletis Deus servabit justos.

Alii aliam eamque contrariam hujus loci adferunt interpretationem, putantes hic de viris probis sermonem institui, ut sit sensus : *Qui autem*, impiis jam e medio sublatis, *reliqui fuerint* ipsis superstites, *auferentur ex eis*, id est ab iis segregabuntur (scilicet tanquam agni ab hœdis, sicut triticum a palea et aurum a scoria) et *morientur* quidem (nam piis pariter et impiis moriendi necessitas incumbit) sed *non in sapientia* : quoniam illorum sapientia et pietas non peribit in æternum, nec interitum subibit, *q. d.* Impii quidem cito et repente succidentur, et postquam subito et quasi momento brevissimo succisi fuerint, aut brevi aut exiguo tempore, sed tota æternitate gravissimis tormentis cruciabuntur; reliqui vero, scilicet justi et humiles, qui iniquorum et superborum hominum actibus non consenserunt, sed contrarium prorsus vitæ institutum tenuerunt, ab illis auferentur, ne ipsorum cladibus et calamitatibus simul involvantur, et ad magnam gloriam provehentur; et cum mors naturalis ipsis acciderit, eorum sapientia non delebitur, nec unquam excidet : ita S. Gregorius lib. V *Moral.* cap. XXIX hunc locum interpretatur dicens : « Quos alios *reliquos* nisi hujus mundi despectos accipimus? quos dum præsens sæculum ad nullius gloriæ usum eligit, quasi minimos indignosque derelinquit. Sed mundi reliquos auferre Dominus dicitur, quia despectos hujus sæculi eligere dignatur, Paulo attestante, qui ait : « *Non multi sapientes secundum carnem*, » etc.; quam veritatem *ibid.* fusius idem S. Pater prosequitur, et quibusdam Veteris Testamenti exemplis illustrat. Verum istiusmodi sensus magis mysticus quam litteralis est, licet divus Thomas, et Glossa, et Sanctius noster aliique hanc D. Gregorii sententiam litteræ accommodent et sequantur.

Deus humiles eligit et erigit.

Reliqui pro potentibus.

Tertia est Pinedæ nostri sententia putantis per *reliquos*, vocum proprietate servata, potentissimos et locupletissimos quosque intelligi, qui tandem justas superbiæ stultitiæque suæ pœnas luant, ita ut Eliphaz significet nihil omnino prodesse impiis excellentiam dignitatis aut opum maximarum affluentiam, qua supra reliquos mortales efferuntur, quo minus tandem justo Dei judicio bonis omnibus exuti æternis ignibus cruciandi addicantur : quem sensum licet hujus textus germanum esse asserat Pineda, prima tamen Lyrani expositio, uti simplicior, ita litteræ congruentior videtur ob rationes superius allatas, quare ab illa minime recedo. Septuaginta denique hunc locum nonnihil aliter interpretantur vindictam Dei per *ventum* exprimentes, quo flores exsiccantur, aduruntur et convelluntur : sic enim habent, ἐνεφύσησε γὰρ αὐτοῖς, καὶ ἐξηράνθησαν· ἀπώλοντο, παρὰ τὸ μὴ ἔχειν αὐτοὺς σοφίαν, *insufflavit enim eis, et exaruerunt : interierunt, quia non habent sapientiam* : quemadmodum etiam *sup.* vers. 9 hujus capitis dicuntur scelesti *flante Deo perisse*, qua metaphora eleganter declaratur, quam facile Deo sit impios perdere cum voluerit. Haud enim magno apparatu bellico, aut militum instructu operoso, aut copioso exercitu opus habet, siquidem illo tantum volente, flante, aut jubente plectuntur et exterminantur mortales, nulla iis vitandi ictus aut repellendi relicta potestate. At ne quisquam objiceret, Deum, imperio libituque suo cuncta moventem et gubernantem, temere atque indicta causa hominibus irasci, aut iis pœnas infligere, idcirco negat hæc sine certa ratione consilii accidere, sed ideo evenire hominibus, quia non habent sapientiam, id est quia Deum non timent aut reverentur : nam *Psalm.* CX, 10 « initium sapientiæ timor Domini : » ita Olympiodorus in *Caten. Græc.*

Deo facile est impios delere.

Quam auctoritatem habeant dicta amicorum Job.

Cæterum circa ea quæ hoc et sequentibus hujus libri capitibus in prolixa cum Jobo disputatione ab Eliphazo cæterisque amicis adferuntur quæri solet, quam eorum dicta obtineant auctoritatem, præsertim quoad illas sententias, de quibus inter illos et Jobum convenit; quibus aliqui quidem canonicam tribuunt auctoritatem, eo quod ut tales ab aliis hinc inde in Scripturis extra controversiam canonicis citentur, ac confirmationis loco adhibeantur; ut patet ex loco Apostoli I *Corinth.* III, 19 sub initium hujus capitis ad versus primi expositionem allato, et aliis Scripturæ locis a Pineda nostro in annot. prævia ad cap. IV recensitis. Verumtamen cum, ut superius annotavimus, illa quæcumque adferunt haudquaquam a Spiritu Sancto excitante, et illuminante, aut peculiariter dirigente vel assistente dictata sint, quin potius ab ipsomet diabolo, qui gravissimas illis ad Jobum magis affligendum sententias suggerebat, inspirata videantur, canonicam iis (præsertim prout ab ipsis processerunt) auctoritatem arrogandam minime censeo; quandoquidem ad id quod falsum erat approbandum assumantur : quapropter etiam in fine libri reprehenduntur. Continent nihilominus veritatem certam, et Scripturæ auctoritati proximam, ut argumentum probat, quoniam a Deo implicite probari videntur : nam si quando aberrent statim illos refutat Job, et a Deo arguuntur, nosque illorum erratis erudimur et admonemur. Quinimo familiariter illos cum Deo locutos fuisse satis patet ex cap. V, vers.

http://www.obrascatolicas.com

16. quamobrem Origenes et Nicetas in *Caten.* et Anselmus *in* I *Corinth.* cap. III, vers. 19, plurimum iis merito tribuunt; unde colligitur et confirmatur id quod *supr.* ad vers. 1 hujus capitis annotavimus, amicos hos fuisse viros probos simul et sapientes, quippe qui generales et indefinitas sententias passim proferant gravissimas verissimasque, licet diaboli impostura et illusione decepti, qua parte Jobo illas applicant plerumque errent et hallucinentur. Cui errori haud parum patrocinari videbatur usitatus illius temporis divinæ providentiæ cursus, quo fere bona temporalia probis, et mala improbis immittebat, et vix unquam aut admodum raro adversa probis evenire permittebat; unde ipsi falso decepti universaliter colligebant neminem omnino innocentem in hac vita flagellari, et adversis a Deo tentari, et consequenter Jobum, quem tam dire flagellatum aspiciebant, haud dubie gravi aliquo scelere implicari debuisse concludebant. Itaque majores eorum propositiones veræ sunt; minores falsæ, uti et conclusiones. Sic enim plerumque argumentantur :

Amici Job erant viri probi.

Unde in errorem inducti.

> Quisquis juste punitur a Deo, est impius :
> Atqui tu, Job, juste puniris a Deo;
> Ergo oportet ut sis impius.

Quem tamen syllogismum subinde sic invertunt :

> Omnis impius juste punitur a Deo :
> Tu es impius;
> Ergo juste puniris a Deo.

Atque hanc ob causam S. Gregorius, Philippus et alii dicunt illos gerere typum hæreticorum.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliphaz jubet Jobum consulere oraculum, et alicujus sancti patrocinium implorare, ostendens quid vir stultus et pusilli animi patiatur mali; occultæ per hoc Jobum arguens iniquitatis, cum Deus nihil frustra faciat, nec sine culpa quemquam puniat : quare ipsum hortatur, ut ad Deum per orationem se convertat, qua ratione illi cuncta fore prospera pollicetur, mirabilem Dei erga suos providentiam deprædicans; cui, ut se suaque omnia concredat multis argumentis persuadet, maximos hujus rei fructus enumerans.

1. Voca ergo, si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere. 2. Vere stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia. 3. Ego vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim. 4. Longe fient filii ejus a salute, et conterentur in porta, et non erit qui eruat. 5. Cujus messem famelicus comedet, et ipsum rapiet armatus, et bibent sitientes divitias ejus. 6. Nihil in terra sine causa fit, et de humo non oritur dolor. 7. Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum. 8. Quamobrem ego deprecabor Dominum, et ad Deum ponam eloquium meum : 9. Qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero : 10. Qui dat pluviam super faciem terræ, et irrigat aquis universa; 11. Qui ponit humiles in sublime, et mœrentes erigit sospitate : 12. Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possent implere manus eorum quod cœperant : 13. Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat : 14. Per diem incurrent tenebras, et quasi in nocte sic palpabunt in meridie. 15. Porro salvum faciet egenum a gladio oris eorum, et de manu violenti pauperem. 16. Et erit egeno spes, iniquitas autem contrahet os suum. 17. Beatus homo, qui corripitur a Deo : increpationem ergo Domini ne reprobes : 18. Quia ipse vulnerat, et medetur : percutit, et manus ejus sanabunt. 19. In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum. 20. In fame eruet te de morte, et in bello de manu gladii. 21. A flagello linguæ absconderis, et non timebis calamitatem cum venerit. 22. In vastitate et fame ridebis, et bestias terræ non formidabis. 23. Sed cum lapidibus regionum pactum tuum, et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi. 24. Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum, et visitans speciem tuam, non peccabis. 25. Scies quoque quoniam multiplex erit semen tuum, et progenies tua quasi herba terræ. 26. Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo. 27. Ecce, hoc, ut investigavimus, ita est : quod auditum, mente pertracta.

Vers. 1. 1. VOCA ERGO, SI EST QUI TIBI RESPONDEAT, ET AD ALIQUEM SANCTORUM CONVERTERE. — Septuaginta legunt, ἐπικάλεσαι δὴ, εἴ τις ὑπακούσεταί, ἢ εἴς τινα ἀγγέλων ἁγίων ὄψῃ, *invoca autem, si quis exaudiat, vel si quem angelorum sanctorum aspicias*; quæ verba post revelationem seu oraculum sup. cap. recensitum ab Eliphazo prolata hunc sensum habent, *q. d.* Si mihi ex Dei revelatione loquenti non credis, ipsemet, si potes, Deum consule, aut ad aliquem sanctorum sive hominum sive angelorum convertere, qui errorem sane gravissimum, in quo versaris, a te auferat, et ignorantiæ tuæ tenebras luce suæ irradiationis illustret, ut tandem manifestam defæcatis animi oculis aspicias veritatem : ita D. Thomas locum hunc exponit, clare quidem meo judicio ac dilucide, ut non opus sit alias, loci alioquin non obscuri, plurimas diversissimasque interpretum explicationes adferre, præsertim cum eas Pineda noster et Sanctius fuse satis recenseant, et accurate expendant; adeo ut iis prolixius repetendis immorari velle sit actum agere : quamobrem illis omissis, tantum hic paulum exactius expendendum judico id quod ab aliis obiter duntaxat et quasi per transennam tangi et insinuari animadverto, scilicet quantum Deus nobis in sanctorum cultu et invocatione præsidium cum ad hujus calamitosæ vitæ molestias superandas, tum ad futuræ gloriæ beatitudinem consequendam situm esse voluerit.

Sanctorum invocatio probatur.

Ac in primis locus hic illustre nobis pro sanctorum religioso cultu præbet testimonium contra hujus temporis hæreticos, qui sanctos ullo modo aut ratione a nobis invocandos esse negant, quin imo summi hoc piaculi loco ducunt, et manifestæ impietatis atque idololatriæ insimulare minime verentur, quos fuse ac solide omnino, more suo, refutat noster Bellarminus tomo II, ubi dicit, magnum ex hoc loco firmamentum sumere orthodoxorum sententiam, non quidem ab auctore Eliphazo, qui, uti sup. cap. notavimus, scriptor canonicus non est, in cujus persona hæc a canonico scriptore recitantur; sed quia textus hujus verba manifeste probant et convincunt, ex tunc sanctorum præsertim angelorum patrocinium invocandi consuetudinem viguisse : quam sane non humana adinventione introductam, sed divina inspiratione jam inde ab orbis initio primis hominibus instillatam fuisse minime inficiabitur, quisquis hunc hierarchicum a Deo ordinem institutum non ignorat; « quo, ut S. Dionysii Areopagitæ verbis utar *Cœl. Hier.* cap. IV, ipsi primum a Deo illuminantur, et per ipsos nobis nostræ revelationes transmittuntur. Sic igitur lex, ut divinus sermo testatur, per angelos nobis data est; et illos celebres ante legem et post legem patres nostros angeli ad Deum adducebant, aut quod agendum erat exponentes, aut ab errore et vita profana ad rectam viam veritatis traducentes; aut manifestantes sacros ordines, aut mysteriorum, quæ supra mundum sunt, abditas visiones, aut divinas quasdam prædictiones, tanquam ipsius Dei interpretes, explanantes, » etc.; quæ sanctus ille Pater toto libro vere divino *Cœl. Hier.*, in quo angelorum ordines ac functiones angelico potius quam humano stylo describit, fusius prosequitur, ad tantorum nos patronorum cultum et observationem ubique provocans excitansque; et jure quidem meritissimo, nam maxima illorum erga humanum genus beneficia, quibus quotidie nos afficiunt, omne omnino gratæ ac piæ mentis obsequium venerationemque meretur : quod enim in primis cæcas atque erroribus involutas hominum mentes et in rerum divinarum ignoratione versantes illuminent atque erudiant, quantum, Deus bone! beneficium est!

Angelos invocandi consuetudo antiquissima.

Angeli sunt nostri ad Deum duces.

Atqui proprium est angelorum munus communicare lucem mortalibus, in cujus rei symbolum legimus *Exod.* XXXIV, 29 angelum mirifica prorsus luce ita faciem Moysis illustrasse, ut cornua habere videretur, ob scintillantes radiantesque splendores : per illud enim quod externa in specie Moysi eveniebat dabatur intelligi, quid in animo ipsius angelus efficeret. Porro istiusmodi angelica illuminatio nihil est aliud quam infusa quædam piis mentibus rerum arcanarum atque cœlestium cognitio, quæ quanam ratione fiat, cum a scholasticis ex professo fuse et argute disputetur, non est nostri instituti ab iis subtilem orationem mutuari, cum ad illustrandum beatarum mentium beneficium parum faciat de modo, quo res fiat, inquirere, si fieri constiterit. Constat vero nos ab illis erudiri, cognitionemque capere rerum maximarum atque utilissimarum; denique mentem nostram tetra ignorationis caligine circumfusam humanissime illustrari : quare D. Athanasius, seu quis alius, qui misit *Quæst. ad Antioch.* quæst. XXXI, ait cœtum angelorum esse τάξιν διδασκαλικὴν, *ordinem ad docendum* et illuminandum comparatum, et lib. *De Com. essent.* vocat illos ἀνθρώπων διδασκάλους, *mortalium præceptores*, quemadmodum Magnus Dionysius lib. *De Cœl. Hier.* cap. V, δυνάμεις ἐκφαντορικὰς, *virtutes manifestatorias*, id est rerum divinarum atque cœlestium et arcanarum internuntias et interpretes; quem locum S. Maximus et simul *angelici* nominis rationem scite expendens ait angelos proprie sic nominatos : ὅτι ἀναγεύσι τοὺς ἱερεῖς ἀνθρώπους ἐπὶ τὰς ἐγνωσμένας αὐτοῖς θείας αὐγάς, *quia sacros homines attollunt ad cognitos sibi divinos splendores* : atque hæc potissima, ut opinor, causa est cur Eliphaz hoc loco Jobum, quem gravissime circa res divinas hallucinari existimabat, ad sanctum aliquem angelum pro cœlesti lumine invocandum exstimulet.

Angeli sunt præceptores hominum

Neque vero minus beatorum illorum spirituum in nos beneficium est, quod orationes hominum sæpe per se flaccidas et inanes, sæpe fæculentas, et terrenis affectionibus ponderosas, suis quasi alis excipiant, et ad solium divinitatis attollant, iisque vim et gratiam ac pondus adjiciant, quo divinum Numen nobis concilient; id quod

Nostras preces ad Deum deferunt.

http://www.obrascatolicas.com

excellenter expendens D. Hilarius *Can.* XVIII *in Matth.* ait illos « hominum desideria et postulationes ad æternum et invisibilem Deum ambitioso famulatu et ministerio pervehere, quod ipsum D. Athanasius orat. 2 *Contr. Arian.* admiratur dicens eos nobis inservire ἀναχωμένους καὶ κατερχομένους, *sursum et deorsum commeantes*: alludit nimirum doctissimus Pater ad Jacobi scalam *Gen.* XXVIII, 12, mysteriis arcanis plenissimam, in qua Cyrillus Alexandrinus lib. IV *Glophyr.* expressam vult divinorum spirituum ἄνω καὶ κάτω διαδρομήν, *sursum et deorsum discursum*, pro salute et bono universitatis. Id quod more suo pie S. Augustinus expendens *Soliloq.* : « Adsunt, inquit, nobis solliciti discurrentes inter nos et te, Domine, gemitus nostros atque suspiria referentes ad te, ut impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, et referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. » Hos ergo salutis et felicitatis nostræ patronos gratiosos, dies noctesque de nobis sollicitos, non omni officio prosequamur et studiosissime veneremur? Absit a nobis tam fœda et detestanda ingrati animi labes, quæ in solis Orco jam devotis hæreticorum pectoribus infixa residet; quin potius e diverso omnem iis cultum et reverentiam tribuamus, atque intimo animi sensu illos amemus, sic tamen, ut fateamur omnes, et præ nobis feramus, nullis officiis et religione consequi posse, ut eorum erga nos studium et præstantem voluntatem æquasse videamur; quo proinde nobis est providendum studiosius, ut saltem memori mente inexplicabilem eorum benevolentiam et illustria promerita versemus, et quotidianis votis celebremus.

Omni studio nobis venerandi.

Eamdem ob causam sanctis quoque hominibus, quos Deus ob eximiam vitæ innocentiam et animi puritatem, divinasque virtutes beatissimorum spirituum cœtibus aggregavit et, ut S. Dionysius *Eccl. Hier.* cap. IV loquitur, ἰσαγγέλους, *pares angelis* reddidit, par quoque piæ religionis cultus merito debetur : quamobrem S. Patres tam sedulo nos monent, ut frequenter mentis oculos animique religionem in beatos cœli cives et Dei amicos intendamus, idque propter duo potissimum quædam præstabilia commoda, quæ ab illis in nos derivantur, scilicet præsidium et exemplum; quemadmodum diserte S. Leo Pontifex Maximus in orat. *De S. mart. Laur.* profitetur dicens : « Mirabilis Deus in sanctis suis, in quibus nobis et præsidium constituit et exemplum. » Eodem sensu S. Augustinus lib. XX *Contr. Faust. Manich.* ait populum christianum religiose viros sanctos colere « ad excitandam imitationem, et ut eorum orationibus adjuvetur, » ubi id quod S. Leo vocat *exemplum*, S. Augustinus *imitationem*, et quod ille *præsidium*, hic *orationum adjumentum* appellat, qui sunt eximii duo illi fructus, quos ex sanctorum sacro ac religioso cultu referimus; de quibus apud se cogitans Nyssenus Gregorius hom. 7 *in Cant.* dicere non dubitavit, quæcumque fiebant a sanctis, quos vocat Θεοφόρους, id est *Deiferos*, Deo plenos, et a Numine afflatos, fuisse τύπους καὶ διδασκαλίαν, *typos et doctrinam*, sive eruditionem eorum quæ fiunt ex virtute. Id quod divine expendens B. Theodorus Studita, qui et ipse fuit multorum millium pie et religiose viventium ductor et antesignanus, *Serm.* 109 dicebat illos qui præclare vixerunt esse illices quosdam præclaræ posteris æmulationis objectos, quod nimirum præstans eorum vita exemplis omnium virtutum illuminata clarissimis ad mortalium imitationem in consequens omne tempus recordatione transmitteretur : hæc est enim divina vere suadela, quæ non verbis, sed virtutibus loquitur, nec mulcet aures dictionis politæ sono atque dulcedine, sed cor vibrat et attollit in cœlum.

Sanctis hominibus par angelis honor et veneratio debetur.

Sancti sunt nobis in præsidium et exemplum.

Sancti sunt Deo pleni, typi et doctrina nostra.

Huc spectat laudabilis illa consuetudo jam inde a primis Ecclesiæ exorientis temporibus S. Dionysio teste frequentata, qua juxta canones antiquos sacro Missæ officio adjungebatur τῶν ἱερῶν πτυχῶν ἀνάῤῥησις, *sacrarum tabularum recitatio*, in quibus nomina continebantur eorum qui vitam pie religioseque concluserant; unde etiamnum hodie usus obtinet, ut quotidie in *Hor. Can.* ad Primam publice in choro martyrologium recitetur. Hujus autem sacræ commemorationis ritum et utilitatem S. Dionysius *Eccl. Hier.* cap. III, part. III, § 9 his verbis sane pulcherrimis describit : Τῶν δὲ ἱερῶν πτυχῶν ἡμῖν τὴν εἰρήνην ἀνάῤῥησις ἀνακηρύττει τοὺς ὁσίως βεβιωκότας, καὶ πρὸς ἐναρέτου ζωῆς τελείωσιν ἀμεταστάτως ἀφικομένους· ἡμᾶς μὲν ἐπὶ τὴν δι' ὁμοιότητος αὐτῶν μακαριότην ἕξιν καὶ θεοειδῆ λῆξιν πρότρέπουσα καὶ χειραγωγοῦσα, τοὺς δὲ ὡς ζῶντας ἀνακηρύττουσα, καὶ ὡς ἡ θεολογία φησίν, οὐ νεκρωθέντας, ἀλλ' εἰς θειοτάτην ζωὴν ἐκ θανάτου μεταῤῥυθμίσαντας, *Sacrarum porro tabularum quæ post pacem adhibetur recitatio deprædicat eos qui sancte vixerunt, atque ad probæ vitæ perfectionem constanter pervenerunt; nos quidem eorum imitatione ad beatissimum illum statum divinamque sortem adhortando et manuducendo, illos vero ceu viventes celebrando, quippe, ut theologia docet, nequaquam mortuos, sed ex morte ad vitam divinissimam translatos.* Quare de omnibus μακαρίταις, qui lætissima Dei societate et conspectu fruuntur, jure merito id dici potest, quod S. Augustinus serm. 5 *De Sanct.* de B. Stephano principe illo martyrum pronuntiavit, scilicet sanctos « omni Ecclesiæ datos esse ad profectum : » proficiunt enim nobis plurimum exemplo, præsidio, meritis, gratia apud Deum, benevolentissima sua charitate atque oratione, quibus quam maxime juvamur, instruimur, ad cœlestia attollimur, et omni bonorum genere cumulamur : quoniam tanguntur omnino rebus nostris, et de nobis cogitant ut mystici corporis Christi membra, quæ sibi invicem compatiuntur, ut ejusdem matris filii, qui mirifico et perenni amore se diligunt : hinc pro nobis summo Regi et Dominatori indesinenter supplicant, de salute sua securi, de nostra solliciti, fratrum suorum curam

Sanctorum commemoratio in Missa et horis canonicis quid sibi velit.

Quantum sancti nobis prosint.

Sancti curam nostri gerunt.

providentiamque gerunt. Quod si enim nos tueri cœlites et juvare nollent, abesset illa patriæ charitas, quæ tamen a doctissimis theologis *consummata* et *perfecta* dicitur; si non possent, deesset illa cumulata gloria, quæ omnem imbecillitatem inscientiamque absorbet; quæ omnia cum indigna sint felicissimo gloriæ statu quo perfruuntur, fateamur necesse est, et velle sanctos atque posse nos favore apud Deum suo meritisque protegere, nos continuis attollere precibus et auctoritate, nos amore illo suo vivido et invicto ad eumdem honoris sinum et sempiternæ lætitiæ voluptatem velle adducere. Hoc qui negat, næ ille impius est, et ingratus, atque invidus gloriæ sanctorum, utpote qui nimio livore ac scelerati animi vitio excæcatus pulcherrimum eorum decus splendoremque non videat toto terrarum orbe radiantem; ideoque non modo in Deum ac sanctos ejus contumeliosus et impudens est, sed in omnem etiam rerum universitatem, quæ sanctorum clarissimis beneficiis ejus exornata est atque distincta. Quamobrem in eam qui tam claræ sanctorum gloriæ detrectat, cum vere stultus sit et invidus, jure optimo quadrat illud quod hic in sacro textu subjungitur :

Vers. 2. Ira et invidia possessorem suum destruunt.

2. VERE STULTUM INTERFICIT IRACUNDIA, ET PARVULUM OCCIDIT INVIDIA. — Habet nimirum hoc vehemens iræ fervor, ut hominem impotenter ac stolide irascentem gravissime lædat, et nonnunquam occidat; habet id ipsum quoque ingens invidentiæ livor, ut invidum aliorum prosperitate tabescentem consumat et interimat; est autem verborum Eliphazi sensus istiusmodi, *q. d.* Animadverto te, o Job, nimis impatienter excanduisse, et eo prorupisse vesaniæ, ut te tuus furor interimat; immane profecto stultitiæ monstrum est hoc ita furere ut temetipsum discerpas, atque ita invidere alienæ felicitati, a qua justo Dei judicio excidisti, ut præ livore contabescas, eo ipso parvulus et omnino vilis effectus, quod alienam beatitatem tuam esse miseriam arbitreris. Atque hic est proprie sensus verborum Eliphazi, quæ quidem in terminis generalibus proposita longe sunt verissima; sed perperam ex mente Eliphazi Jobo, utpote viro innocentissimo, et ab istiusmodi passionibus alienissimo, applicantur : quamobrem ut in particulari verificentur, in homines iracundos et invidos, illos quidem dementes, hos vero degeneres et exiles derivanda sunt.

Expende autem adverbium *vere*, pro quo in aliquibus codicibus legitur *virum;* sed in Hebræo habetur adverbium כי *chi*, quod significat *certe, equidem, sane dubio*; Septuaginta vertunt καὶ γάρ, *etenim*. Observa itidem quam aperte iracundum ore pleno *stultum* appellet, est enim iracundia inimica consilio, et bonas mente collectas rationes disturbat, sic ut tanquam amens se homo gerat, unde prudenter priscus ille Cato :

In vix « Iratus, inquit, non nisi tempore distat ab insano; » et Philæmon ait : Μανήμεθα πάντες ὁπόταν ὀργιζόμεθα, *insanimus omnes cum irascimur*, cui consentit Arnobius lib. I *Contr. Gent.* dicens : Quid aliud est *irasci* quam *insanire*, quam furere? sane si Senecam audimus lib. I *De Ira*, cap. I : « Nihil moderatum suadet hic affectus, totus in impetu doloris est, armorum, sanguinis, suppliciorum, minime humana furens cupiditate; dum alteri noceat sui negligens; in ipsa irruens tela, et ultionis secum multa tracturæ avidus. Quidam itaque e sapientibus iram dixere *brevem insaniam* : æque enim ac illa sui impotens est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in id quod cœpit pertinax et intenta, rationi consiliisque præclusa, vanis agitata causis, ad despectum æqui verique inhabilis, ruinis simillima, quæ super id quod oppressere franguntur. » Ita bene quidem stoicus ille; sed divinius longe S. Gregorius lib. V *Moral.* cap. XXXI : « Per iram, inquit, *sapientia perditur*, ut quid quove ordine agendum sit omnino nesciatur, sicut scriptum est *Eccle.* VII, 10 : *Ira in corde stulti requiescit*, quia nimirum intelligentiæ lucem subtrahit, cum mentem permovendo confundit. Per iram *justitia relinquitur*, sicut scriptum est *Jacob.* I, 20 : *Ira viri justitiam Dei non operatur*, quia dum perturbata mens judicium suæ rationis exasperat, omne quod furor suggerit rectum putat. Per iram *gratia vitæ socialis amittitur*, sicut scriptum est *Prov.* XXII, 24 : *Noli assiduus esse cum homine iracundo, ne discas semitas ejus et sumas scandalum animæ tuæ* : item *Prov.* XVIII, 14 : *Quis poterit habitare cum homine, cujus spiritus facilis est ad irascendum?* quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est ut bestialiter solus vivat. Per iram *lux veritatis amittitur*, sicut scriptum est *Ephes.* IV, 26 : *Sol non occidat super iracundiam vestram*, quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit. Per iram S. *Spiritus splendor excutitur*, juxta quod scriptum est *Isaï.* LXVI, 2 : *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos?* cum enim *humilem* diceret, *quietum* protinus adjunxit. Si ergo ira quietem mentis subtrahit, suam S. Spiritui habitationem claudit, cujus recessione animus vacuus ad apertam mox insaniam ducitur, et usque ad superficiem ab imo cogitationum fundamento dissipatur : nam iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, et nequaquam recognoscuntur noti. *Lingua* quidem clamorem format, sed *sensus* quid loquatur ignorat, » etc. Ita divine sanctus ille Pater, qui *ibid.* iræ mala gravissima fusius prosequitur iratos cum arreptitiis comparando, quibus meo quidem judicio nihil præclarius, nihil ad hunc locum illustrandum aptius adferri potest. Plura qui volet iræ damna intelligere, consulat S. Basilium *Orat.* 10, quæ tota est de hoc argumento, et Tollenarium nostrum in *Spec vanit.*

distat ab insania.

Ira virtutes omnes pessumdat.

http://www.obrascatolicas.com

ad Ecclesiastæ cap. VII, vers. 10 et quæ *infr.* ad cap. XVIII, vers. 4, annotavimus.

Invidia vitium est pusillorum.

PARVULUM OCCIDIT INVIDIA : — hoc enim pusillorum proprium est vitium, quibus invidia maxime dominatur, ut ad hunc locum D. Thomas et reliqui interpretes animadvertunt, quemadmodum scilicet planeta superior haudquaquam inferiorem, sed vice versa inferior superiorem eclipsat et obscurat : ita viri magni nunquam parvis et abjectis hominibus invident; sed e contra pusilli et vilissimi homunciones herois et majoribus plerumque invidere consueverunt; siquidem invidia necessario est potentiæ comes, adeo ut nulla fuisset in terris hominum invidia, si æqualis fuisset hominum conditio : quoniam, ut Cicero lib. II *De Orat.* ait, « invidetur tantum

Romani minime invidi, et cur.

præstanti florentique fortunæ. » Unde Romani quamdiu cæteris nationibus potentia opibusque præstabant, quod essent in primis generosi, nulla olim agitabantur invidia, de quibus diserte dicitur I *Mach.* VIII, 16 : « Non est invidia neque zelus inter eos, » quanquam postmodum eorum animis una cum potentia decrescentibus inter eos quoque invidentia gliscere cœperit, et in tantæ reipublicæ ruinam accreverit, ut *ibid.* Lyranus

Angeli non sunt invidi, sed dæmones.

advertit. Quin nec angeli quamdiu in statu gratiæ fuerunt nulla hominum invidia laborarunt, si vera est S. Chrysostomi opinio hom. 22 *in Genes.* : « Quomodo rationi consonum est angelum incorporeum, et in tali dignitate constitutum, homini invidere corpore circumamicto? Sed invidit, qui a superna gloria in extremam ignominiam dejectus est, » quasi scilicet invidiæ conditio adeo vilis sit et abjecta, ut non nisi in vili abjectaque natura, aut certe in vili abjectoque statu reperiatur; unde pulchre ad hunc locum S. Gregorius lib. V *Moral.* cap. XXXII : « Invidere, inquit, non possumus nisi eis quos nobis in aliquo meliores putamus; parvulus ergo est qui livore occiditur, quia ipse sibi testimonium perhibet, quod eo minor est cujus invidia torquetur, » quod deinde plurimis exemplis et testimoniis confirmat.

Notandum in Hebræo pro *parvulo* haberi פתה *pote*, quæ vox ut varia significat, ita varias hoc loco patitur expositiones; Septuaginta transtulerunt πεπλανημένον, *errantem*; Aquila θελγόμενον, *illecebris deceptum*; Chaldæus vero שברא *sebara*, id est *stultum*; quidam Hebræi *inclinantem* exponunt, id est cujus inclinatio sive animi propensio ad optima et felicissima quæque tabescit invidia. Sed verbum פתה *patah* Pagnino proprie significare videtur *declinare*, scilicet cor ad ea quæ sunt præter rationem et veritatem; unde etiam *errare*, *decipi* et *seduci* significat, prout transtulit Vulgatus noster dicens *Jerem.* XX, 7 : « Seduxisti me, Domine, et seductus sum; » et hac de causa Septuaginta interpretes converterunt eo modo quo diximus. Et quoniam stulti est decipi, atque ad ea quæ pulchra videntur facile inclinari, idcirco Chaldæus *stultum* transtulit; et quoniam puerorum proprium est esse rerum imperitos (juxta illud Pauli I *Corinth.* XIV, 20 : « Nolite pueri effici sensibus ») idcirco Vulgatus *parvulum* vertit, Symmachus νήπιον, *ignarum* : in qua significatione hoc loco proprie sumitur, non autem pro eo qui pusillo animo sit.

Porro pro *invidia* in Hebræo est קנאה *chinah*, a verbo קנא *chana*, quod proprie significat *iracundia efferri*, eo scilicet quod alius habeat id quod ipsemet amas et appetis : quam animi affectionem Græci proprie ζῆλον, id est *zelum*, appellant, quomodo etiam Septuaginta hoc loco transtulerunt; sumitur autem *zelus* hic pro summo affectu odii, ut sit sensus, parvulum, id est rerum omnium ignarum, et rebus frivolis atque caducis totum addictum, quam maximum ex invidia qua laborat incommodum accipere. Quare quisquis divitiarum et rerum amissionem temporalium nimis ægro fert animo, manifeste suam indicat stultitiam, cum ignoret quam fugaces et momentaneæ sint natura sua istiusmodi possessiones, quamque cito evanescant et pereant : rerum itaque contemptio humanarum et invicti in adversis animi magnitudo atque constantia in eum duntaxat cadit qui res humanas probe cognoscit, sicut ille qui dixit *Philipp.* III, 8 : « Omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora. » Quapropter quoque David monet, ne ob res tam viles et caducas livorem aut invidiam suscipiamus, dicens *Psalm.* XXXVI, 1 : « Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem, » ubi in Hebræo quoque est idem verbum קנא *chana*, de quo jam egimus; in Græco vero παραζηλεῦν καὶ ζηλεῦν, *æmulari et zelare*, quæ duo significant, scilicet *imitari* seu *sectari*, et *commoveri* seu *irritari* ad zelotypiam aut invidiam, ut sit sensus Prophetæ nos monentis : Ne improbos et rebus terrenis addictos æmulemur, neve prosperis eorum successibus irritemur aut commoveamur, neque illis invideamus, aut eorum exemplo ad peccandum provocemur. Et rationem, cur illis minime invidendum sit hanc subjungit : « Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, et quemadmodum olera herbarum cito decident : » res quippe tam viles et caducæ nulla invidentia aut æmulatione dignæ sunt. Cogita igitur nihil magnum esse aut invidendum eorum quæ mundus hic totus in maligno positus amat et admiratur, solamque virtutem revera magnam exsistere ac pretiosam, quam nemo tibi invito ac nolenti unquam poterit surripere; hanc autem terrenis opibus spoliatus aut orbatus, et ab omni sæculari pompa semotus, atque extra hominum plausum et admirationem constitutus, longe facilius invenies, et securius conservabis : nam nostra jam natura per peccatum vitiata usque adeo imbecillis et misera est, ut hujuscemodi illecebris non secus ac visco aves capiatur et inhærescat, ne ad veram solidamque virtutem assurgere aut evolare ullo modo valeat.

Zelus quid.

Stultus et pusillus et qui res caducas magni facit.

Remedium contra invidiam est res humanas contemnere.

Accipe igitur longe saluberrimum a D. Basilio vere magno juxta et peritissimo morborum spiritualium medico contra hanc invidentiæ pestem antidotum, quod *Orat.* 11 his verbis præscribit : « Primum quidem invidiæ remedium sit, si nihil rerum humanarum magnum aut supra naturam existimemus : non enim in rebus fluxis bonum constituimus, sed ad sempiternorum et verorum bonorum participationem vocati sumus. Itaque nec dives æmulandus est propter divitias, nec potens ob dignitatis ac magistratus culmen, nec fortis ob corporis robur, nec eloquens ob dicendi facultatem; instrumenta sunt hæc virtutis, nihil per se veræ felicitatis habentia. Miser est qui his abutitur, non aliter quam qui in pugna contra inimicos ensem corripiens in se ac interitum suum convertit. Cum hæc ita se habeant, stultum omnino est ob res viles et caducas ab alio possessas, quæ possessori sæpe suo sunt exitio, semetipsum excruciare, cor suum mœrore consumere, invidia tabescere, et pretiosissima divinæ charitatis gemma sese spoliare : « optimum *autem* est, juxta monitum Apostoli *Hebr.* XIII, 9, gratia stabilire cor, » et in se ferventia perfectionis desideria atque æternæ patriæ amorem excitare, qui amorem rerum visibilium et cum eo simul invidentiam livoremque expellet, uti præclare D. Gregorius lib. V *Moral.* cap. XXXIV his verbis docet : « Qui livoris peste plene carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat, quæ et omnibus una est et singulis tota : quæ tanto largior esse ostenditur, quanto ad hanc percipientium multitudo dilatatur : » vide de his plura apud S. Basilium et Gregorium locis jam citatis, ubi hoc argumentum fuse pertractant.

Vers. 3.

3. EGO VIDI STULTUM FIRMA RADICE, ET MALEDIXI PULCHRITUDINI EJUS STATIM. — Eliphaz hic ab exemplo atque ipsamet experientia probat id quod præc. vers. dixerat, scilicet *stultum*, id est superbum, et *parvulum*, id est invidum, *perire*; comparat autem illum cum arbore patulis diffusa ramis, onerata baccarum pondere, et frondium amœnitate conspicua; quæ cum firmissimis esse nixa videretur radicibus, nec ab ullo ventorum turbine convelli posse, ipsa tamen eradicationi proxima sit; unde idem verbum seu radix hebræa שרש *scaras*, quæ in pohel *radicare*, in pihel est *eradicare* : nimirum sicut opes nullibi radices agunt, ita neque in se agi radices patiuntur; sed eradicatos longe projiciunt. Quamobrem illi maledixit Eliphaz, id est speciem illam et tantam foliorum ambitionem exsecratus est, quasi haberet quidpiam quod divinam in se provocaret indignationem. Aut certe maledixit, id est male illi ominando prædixit id quod ei a divina maledictione eventurum putabat, ut scilicet illi idem accideret quod ficui evangelicæ postmodum evenisse compertum est *Matth.* XXI, 20, quæ Christi maledicto non secus ac fulmine percussa confestim exaruit : ita Sanctius et Pineda aliique passim interpretes hunc locum exponunt.

Superbi et invidi subito pereunt.

Nota in Hebræo fonte pro *maledixi* esse verbum נקב *nakab*, quod hic proprie significat *male ominari*, ut sit eadem sententia, *q. d.* Dum stultum florentem nullisque laboribus obnoxium vidi, malum equidem omen de illius salute accepi, et tantam frondium amœnitatem tamque ambitiosam fructuum luxuriem divinæ indignationis securi devotam esse conjeci, sed quare? quod nimirum causæ malorum sub diversa specie pateant, nec alio quam ad victimam pingues hostiæ ire videantur. Sic primum conspecta amatorum sæculi felicitate dicebat Jeremias cap. XII, vers. 1 : « Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus qui prævaricantur, et inique agunt? plantasti eos, et radicem miserunt; proficiunt, et faciunt fructum, » *q. d.* Omnia ipsorum cumulantur ex votis, nihilque ad felicitatem reliqui esse videtur; sed statim nodum sic solvit : « Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis, » ubi illud *congrega* non ad imprecationem, sed ad prædictionem referri debet, ut interpretes observarunt, ut sensus sit : Video quidem hos dulci rerum successu fortunate ex voto frui, et sæculi bonis saginari, quod sicut greges, qui in pascuis opimis et quasi in sagena educantur, macello destinantur, ita felicissimi illi fortunæ candidati, quos nihil triste tangit, et quibus corporis summa cura, virtutis summa incuria est, ad gladium segregati sint. Quod si mali hujus ominis experimentum sive exemplum videre velis, notissimam divitis avari historiam primum perlege *Luc.* XVI, 19; deinde cum S. Bernardo in *Declam. ad verb. S. Petri* : *Ecce nos reliquimus omnia*, animadverte, nullius mortiferi criminis sigillatim argui, præterquam quod florenti utens fortuna summa illi corporis cura esset, et in eo totus hæreret.

Ex nimia felicitate licet conjecturare malum quod imminet.

Septuaginta postremum hujus versiculi hemistichium ita vertunt, ἀλλ' εὐθέως ἐδρώθη αὐτῶν ἡ δίαιτα, *sed statim absumpta est illorum habitatio*, quod hebræo conformius est, ubi pro *pulchritudine* habetur נוה *nave*, quæ vox omnibus Hebræis consentientibus proprie significat *habitaculum*, a verbo נוה *navah*, id est *habitare*, cum igitur opes et familiæ decus pulchritudine ac splendore domestico in primis repræsententur et commendentur (ita ut ipsamet sponsa speciem suam et pulchritudinem suam cum tabernaculo Salomonis conferre non dubitet dicens *Cant.* I, 4 : « Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis ») hinc vocis נוה *nave* ductam fuisse translationem existimo, ad speciem, decus et pulchritudinem prorsus eximiam significandam. Sed quoties in sacris litteris ita conversum reperitur, plerumque intelligenda est *species* decusque *domus* sive habitaculi, uti Stunica bene observavit : itaque hoc loco : « Maledixi pulchritudini ejus, » id est splendido

http://www.obrascatolicas.com

magnificoque habitaculo ejus, *q. d.* Male ominatus sum seu præsagivi quod futurum erat, scilicet ut cito ac subito tot opes funderentur, et tanta magnificentia labefactaretur, quantumvis altas et firmas egisse radices videretur, id quod David adhuc illustrius pronuntiavit dicens *Psal.* XXXVI, 35 : « Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani, et transivi, et ecce non erat : et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus. » Ex quo loco discant divites et opulenti homines, qui opibus præfisi nullas res adversas reformidant, quid eis futurum sit, et quam infirmis fundamentis universum eorum præsidium nitatur : quæ enim domus aut familia ita bene fundata est, ita sui fortunæque secura, et contra rerum vicissitudines humanarum casusque asperos et inopinatos ita undique tuta et munita est, ut nullam unquam cladem metuat? non plurima indies incommoda et adversa experiatur? Quin imo dum prospere succedunt ex voto omnia, et blandientis fortunæ zephyri ad ipsummet beatitudinis portum felicissime impellere videntur, tum vel maxime ut ludentibus in salo delphinis timenda est tempestas et periculosa jactatio, quæ pristinæ felicitatis naufragium sit allatura. Id observatum est a sapientibus et magno judicio viris, prosperrimam illam fortunam et sublimius elatam esse ruinæ finitimam, et e jucundissimo illo statu pronam esse viam ad mœrorem, ad fletum, ad infelicitatem, quasi providentiæ sit commune ratumque decretum, quæ maxime lucent et efferuntur, ea inclinari et prosterni et inobscurari oportere : ut enim solent arbores protinus nonnunquam emori, si quando præter solitum fecundæ fuerint, ita fortuna præter morem blandiens ac favens exitium imminere sæpenumero significat.

Prosperrima fortuna ruinæ proxima.

Hujus rei minime ignarus Mediolanensium pontifex Ambrosius cum ad beatulum quemdam divertisset, quem unum furiosæ fortunæ manus intactum semper habuerat, eumque didicisset tam secundis uti rebus tamque ex voto bonorum omnium copia circumfluere, nihil ut unquam accidisset quod perennem illam malaciam turbare posset, ne temporis quidem punctum iisdem in ædibus cum illo versari voluit; cum præsagiret animo mox futurum, ut improvisa et luctuosa pernicie opprimeretur : quemadmodum enim non raro fit ut cœlo maxime sereno sævus imber subito cooriatur, ita rebus maxime prosperis ac lætis sæpenumero gravissima rerum incidit perturbatio. Varia nimirum est vitæ commutabilisque ratio, vaga volubilisque fortuna, inquit Cicero; quam jure merito insanam esse et cæcam et brutam perhibent philosophi : *cæcam* quidem, quia nihil cernat, quo sese applicet; *insanam* autem, quia atrox, incerta instabilisque sit; *brutam* denique, quod nullis officiis aut obsequiis deliniatur, sed maxime sæviat in eos qui studiosissime illam coluerant, et quibus arctissime devincta videbatur, scilicet sicut hedera complexu suo necat arbores, ita fortuna prospera dum blanditur strangulat et perdit quos complexa est. Testis hujus rei luculentus est Aman Assueri regis potentissimi purpuratus, et supremus aulæ regiæ palatinus *Esth.* v, 6, 7, qui cum polleret potentia maxima, splenderet opibus, fulgeret honoribus plane regiis et amplissimis, omnia denique alia haberet quæ beatissimum efficere putantur, in media illa gloriæ pompa Mardochæi contemptu atque animo alto urebatur, et fortunæ oblitus suæ, et post regem gloriosissimæ amplitudinis et majestatis, se miserrimum, nudum et egentem pronuntiabat. An non vere eo ipso quo maxime gloriabatur, et omnibus lætitiis incedebat, ad ærumnas et extrema omnia est dejectus? ita sane est. Cum præciperet jam animo incredibilem voluptatem e supplicio Mardochæi, pro quo patibulum cubitorum omnino quinquaginta exstruxerat, cum magnifice prædicaret sortem suam, quod apud regem unice gratiosus, reginæ Estheri charus, et vocatus ad convivium esset, subito se vidit ab Esthere proditum, a rege damnatum, horrore confusum, ante mortem exanimem, in ipso denique patibulo, quod Mardochæo præparaverat, ignominiosissime pereuntem. Lubet hic cum Cicerone exclamare, o miseram vitæ rationem, quæ tamdiu residet in voluptate quamdiu fortunæ poscit libido! o volucrem fortunam, quam cito omma ex lætitia et voluptate ad luctum et lacrymas recidunt! o fallacem hominum spem, fragilemque fortunam et inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpe franguntur et corruunt, et ante in ipso portu obruuntur, quam portum conspicere potuerint! Sunt innumerabilia in omni genere annalium istiusmodi fortunæ ludibria et exempla, quæ ne justo prolixior sim prætereo; neque vero parentes duntaxat impios tam dira sors versat, quin et filios non raro posterosque ruinæ majorum involvit.

Aman et felicissimo repente miserrimus effectus.

Fortuna cæca, insana, bruta.

4. LONGE FIENT FILII EJUS A SALUTE, ET CONTERENTUR IN PORTA, ET NON ERIT QUI ERUAT. — Prædicit et auguratur quoque filiis mala obventura, siquidem parentum iniquitas impiorum in filios veluti transfusa in pœnæ et infamiæ sementem verti solet, uti eleganter D. Petrus Chrysologus *Serm.* 3 : « Parentis, inquit, vitium filiorum exitium. Numquid non in semine tota arbor? vitium ergo seminis vitium est totius arboris. » E contrario argumentatur divus Paulus dicens *Rom.* XI, 16 : « Si delibatio sancta est, et massa; et si radix sancta, et rami : » nam, ut exponit Theophylactus, necesse est fermento massam, et radici ramos, hoc est parentibus filios, assimilari. Itaque quales sunt majores, tales plerumque et posteri esse solent, adeo ut bona vel mala quæ faciunt non tam patrare quam hæreditare videantur, juxta illud *Isai.* v, 18 : « Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, » ubi idem est *trahere in funiculis* atque *hæreditare* : nam apud Hebræos funiculis hæreditates dividebantur, juxta illud *Psalm.* LXXVII, 54 : « Sorte divisit eis terram in funiculo distributionis, » quod cave ita intelligas, ac si natura ipsa parentum peccata in filios transfundantur, quemadmodum pessimi quidam in suorum excusationem peccatorum prætexebant, pro umbone usurpantes illud Prophetæ dicentis *Jerem.* XIII, 23 : « Si mutare potest æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas; et vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum; » ex quibus verbis colligebant non minus naturalia esse filiis vitia parentum, quam æthiopi et pardo nativos colores. Non sunt, inquam, hæc Scripturæ loca sic intelligenda, sed solum secundum figuratam et hyperbolicam loquendi formam explicanda, ita nimirum, ut velit uterque vates tam ordinarium esse filios *patrissare*, seu parentum mores referre, ut hoc illis naturale quodammodo videatur. Alioquin non necessitatis ista sunt, sed libertatis, ut egregie D. Hieronymus ex illis verbis *Jerem.* XIII, 23 : *Cum didiceritis malum*, concludit dicens : « Quidquid enim discitur non naturæ est, sed studii, et propriæ voluntatis, quæ nimia consuetudine et amore peccandi quodammodo in naturam convertitur. » Unde infero : Sicut filii se faciunt participes culparum, quæ in parentibus hæserunt, ita se facere participes et pœnarum ac suppliciorum. Cujus rei plurima eaque evidentissima libri Regum exempla nobis subministrant, in quibus sæpe narratur regnum Israel ab una familia in aliam longe diversam fuisse translatum, filiisque non raro propter parentum scelera ereptum fuisse imperium, quemadmodum de Baasa diserte scribitur III *Reg.* XV, 29 : « Cumque regnasset, percussit omnem domum Jeroboam : non dimisit ne unam quidem animam de semine ejus, donec deleret eam. » Simile quid hoc loco insinuatur cum dicitur, *longe fient filii ejus a salute*, ubi est hypallage, pro *longe a filiis ejus salus*, quomodo habetur *Psalm.* CXVIII, 155 : « Longe a peccatoribus salus, » id est non dabitur eis auxilium : simile est et illud *Psalm.* XXI, 2 : « Longe a salute mea verba delictorum meorum. » Et *infr.* cap. XXX, 15 Job ait : « Velut nubes transiit salus mea, » id est mox longe a me secessit auxilium. Quando igitur filii hominis impii vexabuntur, et calamitatibus opprimentur, nemo eis aut ope aut consilio aut alio quovis modo aderit, sed omnes eos deserent, et ab illis secedent : hoc enim significat id quod sequitur :

Vers. 4.

Parentum vitium filiorum exitium.

Parentum vitia non natura, sed imitatione in posteris propagantur.

Quales sunt parentes tales fere filii.

Filii uti culpæ sint et pœnæ parentum participes.

ET CONTERENTUR IN PORTA, ET NON ERIT QUI ERUAT; — Septuaginta vertunt, κελαβρισθείησαν δὲ ἐπὶ θύρας ἡσσόνων, καὶ οὐκ ἔσται ὁ ἐξαιρούμενος, *et conterantur super januas minorum, et non erit qui eripiat*, ubi verbum illud κελαβρισθείησαν notat Olympiodorus idem valere atque ἐπιτριβείησαν, *conterantur*, itemque quod ἐξωτιλισθείησαν, *attenuentur*; ideoque pro ea dictione Aquilam quidem dixisse ἐπιτριβήσονται, *conterentur*, quam lectionem habet Complutensis; Theodotionem vero κατελάσθησαν, *confracti sunt*; Symmachum denique ταπεινωθήσωσαν, *humilientur*: in alio tamen scholio Theodotioni tribuitur ταπεινωθήσονται, *humiliabuntur*. Quod autem dicit *in porta*, id est palam, loco publico, vel a judicibus : fiebant enim olim judicia in portis civitatis, ut colligitur ex *Gen.* XXXIV, 20; *Deuter.* XXII, 24; *Ruth* IV, 1; *Amos* V, 10 et passim alibi; cujus consuetudinis multiplex est ratio; *una*, quam D. Gregorius lib. XXI *Moral.* cap. XV, inculcat, « ut urbem, in qua concorditer oportet vivere, discordes minime intrarent; » et eamdem jam antea assignaverat dicens lib. XIX, cap. XI : « Ut tanto esset pacificus urbis populus, quanto ad hanc discordes ingredi non liceret. » *Altera* ratio est, quam tradit S. Hieronymus *in Amos* cap. V, his verbis : « In porta judicia fuisse legimus, ne agricola ad causam veniens frequentia civitatis et novo terreretur aspectu; » quasi rusticana illa simplicitas inter urbanos strepitus ita posset perturbari, ut etiam ab agenda et peroranda causa impediretur. Addi posset *tertia* ratio, ne videlicet probitas illa et innocentia et candor rusticanus inter urbanas fraudes, dolos et flagitia aliquod peccandi periculum incurreret, a quo ut facilius eriperetur, etiam a primo civitatis ingressu arcebatur. *Quarta* denique et verissima ratio videtur fuisse illa, ut nimirum judices in promptu essent, et facile possent a litigantibus conveniri : quæ est sententia Lyrani ad hunc locum; aut certe ut omnes judicum præsentia in officio continerentur, loco maxime publico erant constituta judicia; uti et patibula ad terrorem scilicet malorum, securitatem vero bonorum. Prædicit itaque futurum, ut filii hominis impii publice in judicio damnentur, et infami ac probrosa morte pereant, nec ullus eorumdem commiseratione tangatur. Simile est illud quod inter diras Hebræorum numeratur *Psalm.* CVIII, 7 : « Cum judicatur exeat condemnatus; » et paulo post *ibid.* vers. 11 : « Nec sit qui misereatur pupillis ejus; » ita nimirum ut neque judicem neque advocatum ullum habituri sint propitium, quos Deus ob parentum scelera punire decreverit.

Cur olim judicia in portis urbium exercerentur.

Alii per *portam* hoc loco non publicam civitatis, sed privatarum ædium januam intelligunt, eo quod Septuaginta vertant, κελαβρισθείησαν δὲ ἐπὶ θύρας ἡσσόνων, *conterantur super januas minorum*, vel, ut alii transferunt, *tanquam porci versentur in portis inferiorum*, verbum scilicet κελαβρίζειν a nomine κάλαβρος derivantes, quod *porcellum* significat, ut sit sensus, filios impiorum contemptos, viles et abjectos adinstar porcorum micas, quisquilias et putamina nucum, et simillium rerum abjectissimarum porrecto rictu præ fame et inedia, quibus pascantur, rimaturos et infami modo quæsituros, idque in *januis minorum*, id est ignobilium et plebeiorum hominum, qui quondam illis minores et ignobiliores fuerant, significans illos ad extremam inopiam et mendicitatem redigendos; quemadmodum in *Psalm.* LVIII, 7, de impia progenie

Impiorum filii ad mendicitatem redigun-tur.

http://www.obrascatolicas.com

dicitur, quia « famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem, » ostiatim scilicet mendicato victum quærentes : quod, teste Fulgentio de prisco sermone, a Latinis *catillare* dicitur, id est, ut ipse exponit, per alienas domos instanter gyrare, verbo a catulis vicatim civium ædes et tabernas circumcursantibus derivato.

Vers. 5. 5. CUJUS MESSEM FAMELICUS COMEDET, ET IPSUM RAPIET ARMATUS, ET BIBENT SITIENTES DIVITIAS EJUS. — Pergit stulto diviti, præsertim avaro et injusto maledicere, et sicut ejus filios præc. vers. male perituros prædixerat, *ita* nunc opes ejus a furibus et latronibus diripiendas ac dissipandas non in vanum auguratur, messem quidem ejus furi famelico, ipsum vero prædoni armato, divitias denique ipsius (quæ tunc temporis potissimum copiosis vini, frumenti et olei proventibus constabant) siticulosis pauperibus destinans. Frustra igitur, inquit, vir dives, stultus et avarus amplissimam frumenti ac frugum messem convehere et in horrea recondere festinat, cum fur fame incitatus eam vel antevertat, vel jam reconditam clepat; quin et ipsemet non raro prædoni armato præda fiat, ac tunc reliquiæ ejus opes domino destitutæ a latronibus avidissime diripiantur, et non secus ac aquæ vinive poculum a siticulosis facillime exhauriantur : hæc fere propria et quasi ordinaria est divitis avari sors ac pœna ipsismet diris Hebræorum a Davide inserta *Psalm.* CVIII, 11, ut scilicet « diripiant alieni labores ejus, » id quod plurimis eventibus tam antiquis quam recentioribus confirmari potest, et quotidiana constat experientia, qua fieri videmus ut plurimorum, qui opes injuste corraserant, aut nimis sordide coacervaverant, amplissimæ alioquin familiæ in extremam repente calamitatem incidant, et omnibus plane facultatibus exutæ vel miserrimam servire servitutem vel fame perire cogantur. Quod iusto Dei judicio accidere non dubitandum est, ut quantum iniqui exactores et infames frumenti flagellatores inopum sanguinem exsorbere crudeliter maturant, tantum ira Dei gliscat, et eorum maledictas opes subita ultionis flamma depascat. Hæc ut in se verissima sint, male tamen, ut jam sæpe monuimus, ab Eliphazo ipsimet Jobo, qui ab omni avaritia omnique injustitia semper alienissimus exstitit, applicantur; cujus quod opes a Chaldæis et Sabæis latronibus direptas ac dissipatas cerneret, id in criminis alicujus occulti vindictam accidisse contendebat; cujus hoc loco tacite Jobum insimulat.

Stulti avari opes male perennt.

Hominis impii messem comedunt alieni.

Quæ impii injuste congregarunt sæpe justis obveniunt.

Alii hoc loco per *famelicum*, qui viri stulti messem comedit, non furem aut latronem, sed justum pauperem intelligunt, in cujus usum et sustentationem Deus non raro facultates impii providentia prorsus admirabili convertere consuevit: favet huic expositioni versio Septuaginta interpretum, quæ sic habet, ἃ γὰρ ἐκεῖνοι συνήγαγον δίκαια ἔσονται· αὗται δὲ ἐκ κακῶν σὺν ἐξαίρετοι ἔσονται· ἐκσιφωνισθείη αὐτῶν ἡ ἰσχύς, *quæ enim illi congregaverunt justi comedent; ipsi vero de malis non liberabuntur: exhauriatur fortitudo eorum;* ubi duo significantur, scilicet ea quæ impii magno labore congregarunt in utilitatem et alimenta pauperum justorum esse convertenda, idque sine ullo ipsorummet impiorum emolumento aut fructu : quippe qui, quod justi opibus eorum fruantur, haud quidquam idcirco mitius punientur propter scelera in mammonæ iniquitatis corrogatione admissa; quandoquidem bonus ille iniquarum divitiarum, quibus justi pauperes aluntur, usus non sit illorum virtutis aut industriæ fructus, sed solius divinæ providentiæ rem male partam bene dispensantis. Ita legimus *Gen.* XXX, olim amplissimas iniqui Labani opes justo Jacobo divinitus concessas, et fertilissimas impiorum regum Chanaan regiones in pium Hebræorum populum translatas. Id quod et vesanam hujus sæculi divitum præsertim avarorum vecordiam manifeste arguit, et divinæ erga suos benignitatis providentiam mirifice commendat, quæ *Matth.* VI, 26 viros sanctos, per volatilia cœli, « quæ neque serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, » intellectos, ex aliorum etiam impiorum nonnunquam hominum labore, semente, messe horreisque luculenter sustentat, iisque omnia ad victum et amictum necessaria suppeditat abundanter; cum ipsi interim impii, qui ista congregaverant, rerum omnium penuria laborent, ac fame pereant et contabescant. Id enim vox græca ἐκσιφωνισθείη, *exhauriatur*, qua hoc loco Septuaginta utuntur, manifeste declarat; quam Polychronius eleganter interpretatur idem significare quod ἐκροφηθήσεται, δαπανηθήσεται, παντελῶς κενωθήσεται, *exsorbebitur, absumetur, penitus evacuabitur*, ducta nimirum translatione ab iis qui per siphonem vas aliquod exhauriunt donec nihil amplius humoris in eo sit residui; additque Symmachum quidem reddidisse, ἀναῤῥοφῆσαι διψῶν τὴν δύναμιν αὐτῶν, *absorbeat sitiens potentiam et facultatem eorum*; Aquilam vero, ἀφειλκύσαντο διψῶντες εὐπωρίαν αὐτῶν, *attraxerunt et hauserunt sitientes opulentiam eorum.* Hoc eodem sensu *infr.* cap. XXVII, 16 de divite impio pronuntiat : « Si comportaverit quasi terram argentum, et sicut lutum præparaverit vestimenta : præparabit quidem, sed justus vestietur illis; et argentum innocens dividet. » De quo suo loco,

Judæorum messem comedunt christiani.

Allegorice, vir ille *stultus* intelligitur populus judaicus, cujus *messem*, id est gratiam ceu cibum spiritalem accipit et comedit *famelicus*, scilicet populus christianus : nam, ut bene D. Gregorius lib. VI *Moral.* cap. II : « Hujus, inquit, stulti messis fuerat sacri seges eloquii : quædam namque spicarum grana sunt verba prophetarum quæ stultus habuit, sed non comedit, quia judaicus populus legem quidem verbo tenus tenuit, sed per fatuitatis fastidium ab ejus intellectu jejunavit. Hujus vero *stulti messem famelicus comedit*, quia nimirum gentilis populus verba legis intelligendo edit, ad quæ plebs judaica sine intellectu laboravit. » En ut judæus in mediis sibique propriis Scripturarum epulis esuriat, et vacuus ac jejunus remaneat; gentilis vero populus iisdem, licet quodammodo alienis, plane saturetur et cœlesti benedictione repleatur : hoc nimirum est quod Vates ait *Isai.* V, 17 : « Deserta in ubertatem versa advenæ comedent, » ubi *advenæ*, seu, ut alii ex Hebræo vertunt, *agni*, hoc est gentiles, leonina seu taurina feritate deposita, et agnina mansuetudine assumpta, juxta Glossam interlinearem dicuntur Scripturas a Judæis desertas et in ubertatem spiritalis intelligentiæ versas epulaturi. Quo quid stultius aut stolidius excogitari aut dici possit, quam ut eo quis vesaniæ vecordiæque deveniat, ut uberrimam messem habeat, nec fructibus ejus vescatur? ut panibus abundet, ac fame pereat, eosque aliis in pabulum et alimentum relinquat? Quapropter Judæis Deus merito comminatur dicens *Isai.* III, 1 : « Ecce Dominator Dominus exercituum auferet ab Jerusalem et a Juda validum et fortem, omne robur panis et omne robur aquæ; » in quem locum D. Hieronymus : « Habent, inquit, Judæi panem, sed absque fortitudine; habent aquas, sed absque robore, legunt enim Scripturas, sed non intelligunt : tenent membranas, et Christum, qui in membranis scriptus est, perdiderunt : » sic ille. Cæterum ne quis temere aut casu fortuito hæc geri arbitretur, prudenter subjungit :

Vers. 6. 6. NIHIL IN TERRA SINE CAUSA FIT, ET DE HUMO NON ORITUR DOLOR. — Docet non sorte vel fortuna, sed Dei providentia mundum administrari, quæ consulit rebus humanis, non solum universis, verum etiam singulis : Dominum quippe omnium rerum ac moderatorem esse Deum, eaque quæ geruntur ejus geri directione atque numine; adeoque haud sine causa impiis calamitates istiusmodi evenire, quandoquidem nihil adversi accidat in mundo sine causa vel temere, quod Deus non prævideat atque dispenset, aut saltem non permittat, cum tamen facile posset impedire. Hæc tamen quæcumque est calamitatum omnium et miseriarum causa nequaquam extra hominem quærenda est, nam « de humo non oritur dolor, » id est, terra ipsa non suapte sponte mala ista progerminat; neque casu ex humo, ut promiscue solent herbæ, ista nascuntur; sed jacto prius peccati semine, ex quo tota malorum pullulat seges. Non ergo terra, non aqua, non sol, non luna, non stellæ, non malus aer aut alia quævis creatura per se dolores hominibus creant, sed ipsemet homo sibi dolorum omnium et miseriarum, quæ vitam mortalium exagitant, fons et origo exsistit, dum peccatis suis iram Numinis accendit, et ad vindictam creaturas sollicitat, et ingentes in se ruinas extorquet. Id quod pulchre D. Gregorius lib. VI *Moral.* cap. V his verbis declarat : « De humo dolor non egreditur, quia nequaquam pœna de ea nascitur creatura quæ percutit, sed de ea procul dubio quæ peccando vim percussionis extorsit. » Non ab æstu solis, non ab aeris intemperie, non a violentia hominum, non a nequitia dæmonum, sed a seipso trahit impius tormenta sua : ipse solus prava sua voluntate in causa est, quod mille doloribus pungatur : hæc enim si nullam peccati labem mundo intulisset, nec Libitina foret malefica, nec a belluis furor, nec ab hostibus injuria, nec a dæmonibus pœna fuisset. Nunc autem peccato lethi via semel patefacta, omnigenæ calamitates qua data porta ruunt, et quasi agmine facto morbi, mutilationes, cruciatus corpus obruunt : animum ægritudines, invidiæ, horrores et turbulentissimæ passiones de statu mentis dejiciunt; unde pugnæ, doli, malitia, incensiones urbium, interneciones civium, provinciarum vastitas, rerumpublicarum interitus, eversiones imperiorum, cum damnorum et incommodorum iliade, cum horrore stygio, cum formidanda et ærumnosa æternitate. Horum sane omnium malorum unica et fontalis causa est peccatum, seu potius perversa hominis voluntas, qua peccatum admittitur, divinum Numen offenditur, et vel invitum ad vindictam provocatur.

Omnia Dei providentia administrari.

Calamitates non ab elementis, sed a peccatis nostris causantur.

Patet hoc in excidio Sodomitarum *Gen.* XIX, ad quos puniendos misit Dominus duos angelos visibili et eleganti forma conspicuos, quibus totum supplicii negotium demandavit, ut flammis sulphureis nefandam urbem perderent. Sed quid opus erat tam diræ ultionis administros tam formosa specie inter perdendos homines apparere, nisi ut, dum in illos quoque scelesti Sodomitæ nefanda patrare moliuntur, evidenter pateat, quam ipsi soli sibi perditionis causa exsistant, et a tardantibus et quodammodo invitis et reluctantibus angelis sulphureum ignem extorqueant. Quod expendens Salvianus lib. I *De Gub. Dei*, eleganter ait : « Cum angelos Sodomam Deus mitteret hoc nobis probare voluit, scilicet, ut cum legeremus quæ a Sodomitis angeli pertulissent, et videremus scelerum immanitatem, criminum turpitudinem, libidinum obscœnitatem; probaret utique nobis Deus, quod ipse eos noluerit perdere, sed ipsi extorserint ut perirent. » Uni ergo sibimetipsi imputare debet peccator perditionem suam et calamitatem quam patitur; quoniam ipse solus auctor est sui damni, sola causa est sui supplicii; quemadmodum Deus *Ose.* XIII, 9 manifeste declarat dicens : « Perditio tua Israel, » id est ut Glossa exponit, *tu es ipse causa tuæ perditionis.* Hinc si universas, quæ in peccatorem armantur, creaturas expenderis, nullam sane præter ipsum invenies, in quam referri possit ejus causa damnationis : in sole enim et luna, et stellis, et igne, cæterisque, quibus non raro peccatores affligantur, creaturis signa mera sunt, et interdum instrumenta humanæ perditionis, at vera ejus causa in solo homine residet.

Deus et angeli quasi inviti ad peccatores puniendos descendunt.

Solus peccator causa est suæ perditionis.

Hinc male tamen Eliphaz S. Jobum gravioris alicujus criminis arguere conatur, tantum non istiusmodi formans argumentum, *q. d.* Expende,

Eliphaz male putat homi-

http://www.obrascatolicas.com

nem ob solam culpam in hoc modo affligi.

mi Job, causarum effectorumque contextum, boni namque philosophi est nexum rerum, quarum aliæ nascuntur ex aliis, contemplari. Cum ergo nihil in orbe terrarum sine causa eveniat, consequens est hanc etiam calamitatem tuam non absque certa et determinata causa contigisse : atqui sola pœnæ causa est culpa : quare omnino necesse est te gravem et enormem culpam ac delictum admisisse, quod tam horrendo supplicio affligeris. Ita quidem Eliphaz argumentatur, sed male, quia Dei providentiam obtruncat et mutilat, arbitratus solam culpam unicam esse causam irrogandæ calamitatis, cum, uti in super. cap. non semel indicavimus, satis constet, non eam solam, nec adæquatam esse calamitatum, hujus præsertim vitæ, causam; quandoquidem pii non raro viri omni culpa vacantes et animi robore præstantes, ad virtutem eorum perficiendam et constantiam coronandam a Deo permittantur cum maximis in hac vita difficultatibus conflictari, atque exquisitis interdum tormentis excruciari : quod ipsum tanquam eximium amicorum Dei argumentum et nota maxime illustris in ipsomet Christo Domino, adeoque Jobo ejus antitypo, communi Patrum præconio celebratur.

Vers. 7. Dei providentia cuilibet naturæ congruenter prospicit.

7. HOMO NASCITUR AD LABOREM, ET AVIS AD VOLATUM. — Præced. vers. Eliphaz dixerat nihil sine causa, id est sine Numinis providentia, in orbe geri; quod jam allato hominis avisque exemplo confirmat, quorum unicuique naturæ suæ congruenter Deus necessaria, quibus vitam sustentet ac tueatur, præsidia contulit; *homini* quidem manus ad laborandum, et super omnia dædalum ingenium, ad quidlibet quod ex usu sit excogitandum sibique comparandum apprime sagax et accommodum; *avi* vero, quod ratione careat, et agriculturam nesciat, alas, quibus ad cibum advolet, ac manus aucupis effugiat. Ita D. Thomas ad hunc locum, quem libens sequor, licet Pineda noster et Sanctius ab illo recedant, qui varias adferunt alias hæc cum præcedentibus connectendi rationes, quas sigillatim recensere ac refellere non est mei instituti; cui satis est eam, quam simpliciorem ac textui conformiorem judico, indicasse, ut ex ea deinde aliquid, quod ad doctrinam et morum institutionem conferat, eruamus. Sensus itaque verborum Eliphazi, et vis argumenti, quo Jobum vel consolatur vel perstringit, est hujusmodi, *q. d.* Non frustra, mi Job, tantis cruciatibus affligeris, cum non de humo aut ex aere, sed ex culpa et peccato, quo non cares, dolor ac pœna oriatur; at esto, ut temetipsum insolenter jactas, vere innocens esses, et omni prorsus culpa vacares; homo tamen cum sis, natus es ad laborem et dolorem, sicut avis ad volatum : quare non est quod indigneris, quod conqueraris, quod ira et furore temetipsum consumas et occidas, singultibus et ululatibus cuncta replens; cum id solum tibi accidat, quod cuilibet communi, qua in hanc lucem editi sumus, naturæ lege, vel ob solum peccatum originale potest accidere. Hanc itaque calamitatem tuam ut æquo animo feras, et a tantis querelis abstineas necesse est.

Deus ab initio creavit hominem ad laborandum.

Videtur autem hic alludere ad id quod Moyses in cosmopœia de architecto rerum omnium Deo post hominis creationem immediate subjungit; illum scilicet cessavisse ab omni opere suo « quod creavit Deus ut faceret, » *Gen.* II, 3, hoc est ad faciendum, sive ad operandum : volens nimirum (sicut ad illum locum Ambrosius Catharinus animadvertit) hominem similiter sex diebus, id est toto hujus mortalis vitæ tempore, operari; ut in septimo, id est futuræ vitæ sæculo, possit requiescere, exemplo scilicet Domini sui, qui non nisi post laborem et sex dierum opus ad dulcissimam quietem venire voluit. Hebræa lectio manifeste hoc insinuat, quæ sic habet, אשר ברא אלהים לעשות, *aser bara Elohim, lahhasot*, id est, *quod creaverat Deus ad faciendum*; ita ut opus et continuus in agendo labor homini vel ipsamet creationis lege incumbat. Cum enim homo ex rebus diversis ac repugnantibus configuratus sit, animo et corpore, id est spiritu et carne, æviterno ac temporali, intelligibili et sensibili, luce prædito atque tenebroso, ratio et necessitas exigebat et bona homini proponi et mala; *bona* quibus utatur; *mala* quæ vitet et caveat, quamobrem illi data est intelligentia, ut cognita bonorum malorumque natura, et in appetendis bonis et malis declinandis vim suæ rationis exerceat. In quo cum ob continuam spiritus et carnis luctam haud exiguus labor exantlandus sit, jure merito dicitur homo *nasci ad laborem;* quod non de fine, sed de medio ad consequendum finem intelligendum est; adeoque certum exsistit, ut in felicissimo etiam innocentiæ statu de Adamo scriptum sit *Gen.* II, 15 : « Posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum, » quod more suo eleganter D. Chrysostomus hom. 14 *in Gen.* his verbis exponit : « Cum homines, inquit, omnibus deliciis potirentur ibi vitam agentes, tam oblectamentis eorum quæ videbant, quam lætitia eorum quibus fruebantur; ne immodica prosperitate homo insolesceret (omnem enim malitiam docuit otium) propterea præcepit Deus, *ut operaretur, et custodiret illum :* si enim laboris omnis esset expers, protinus ex multo otio in ignaviam prolapsus esset. Prius autem ait, *ut operaretur*, deinde addit, *ut custodiret illum*, significans (ut S. Augustinus lib. VIII *De Gen. ad litt.* cap. VIII notat) paradisum bene operando custoditum iri, quoniam sic nihil admitteret, propter quod ab eo expelli mereretur.

Etiam ante peccatum homo creatus ad operationem.

Post peccatum homo damnatus ad laborem et dolorem.

Post peccatum autem multo magis homo nascitur ad laborem, quia nimirum Deus sententia in peccatorem lata ejecit eum de paradiso, ut victum sibi labore conquireret, dicens *Gen.* V, 17 : « Maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, et in sudore vultus tui vesceris pane tuo. » Hanc sane miseram conditionem quotquot sumus Adæ filii hæreditario quasi jure sortimur, ut merito de se quisque dicere possit illud *Zach.* XIII, 5 : « Homo agricola ego sum : quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea, » id est, homo sum natus ad laborandum sequens exemplum Adæ, qui laborando vescebatur pane suo. Septuaginta pro *exemplo* vertunt, διότι ἄνθρωπος ἐγένησέ με, *quia homo genuit me*, id est, quia sum filius Adæ, idcirco sortitus sum conditionem ejus qui me genuit. Vere igitur « homo nascitur ad laborem; » quidni etiam ad dolorem? omnes enim laboramus, omnes pariter et dolemus : nec est a supremo rege usque ad vilissimum et abjectissimum mancipium qui se valeat ab hoc duplici onere laboris et doloris eximere : « Vides quoniam tu laborem et dolorem consideras, » ait David *Psalm.* IX, 14, quia videlicet Dominus in actionibus nostris laborem, et in passionibus dolorem agnoscit : quapropter idem Vates se bis paratum exhibet dicens *Psalm.* LVI, 8 : « Paratum cor meum Deus, paratum cor meum : » paratus quippe erat ad laborandum, atque ideo dicebat *Psalm.* CXVIII, 60 : « Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua : » paratus etiam ad dolorem æquo animo ferendum *Psalm.* XXXIX, 18 : « Nam et ego, inquit, in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper. » Nemo igitur est qui sine labore ac sine dolore vivat, sed si levissimum virtutis laborem et suavissimum dolorem detrectemus, in alium utique molestissimum atque amarissimum vitiorum incidemus : de impiis enim dictum est *Psalm.* LXXII, 5 : « In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur; » sed num ideo sine labore et sine dolore vivunt? nequaquam : quinimo, quia in labore hominum non sunt, in labore dæmonum detinentur, quamobrem subjungitur *ibid.* vers. 6 : « Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua. » Quisquis igitur levissimum laborem hominum fugit (qui est labor virtutis, quem nemo solus sustinet, sed nobiscum simul Dominus ipse omnipotens portat) et quisquis suavissimum dolorem rejicit, cujus extrema æternæ suavitatis sunt plena, is superbiæ et iniquitatis labori ac dolori cervicem submittit, qui et cum talento plumbi et cum gemitibus mortis confertur. Satius est ergo in fervore spiritus utiliter laborare, quam in tepiditate mentis majore ac prorsus inutili, imo et noxio labore torqueri.

Nemo est sine labore et dolore.

Qui non est in labore hominum est in labore dæmonum.

Hujus vitæ felicitas in honestis laboribus sita est.

Itaque magna pars philosophiæ christianæ in eo posita est, ut intelligamus hujus vitæ felicitatem honestissimis in laboribus esse collocatam, quos qui mente sapientiaque præcellunt sponte et generose debeant adsciscere. Luculentum hujus rei testimonium et exemplum habemus in apostolo Paulo, qui vitæ otium atque desidiam cane pejus et angue duxit fugitque, et in gyro utilium laborum incredibili constantia semper est versatus; cujus propterea gloriosum symbolum fertur gladius et corona, quibus illud breve, sed divinum epigramma adjungitur II *Cor.* XI, 23 : « In laboribus plurimis, » ut omnes intelligant, summa prope tum animi tum corporis contentione opus esse, quæ *gladio* significatur, et magno invictoque animo exsorbendos esse labores, si quis corona potiri velit. Hæc enim est illius clara professio, cum de spargendo Christi evangelio docendisque hominibus loquitur *Coloss.* I, 19 : « In quo et laboro certando. » Sufficere posse videbatur ad indicandum laboriosissimum illius animum tolerantiamque invictam, si dixisset tantum : « In quo et laboro; » sed addidit *certando :* in Græco est ἀγωνιζόμενος, metaphora ducta ab illis qui in agone contendunt, hoc est, laboro ut strenuus pugil et olympionices, totis viribus, nervorum omnium contentione, vehementi ubique nisu conatuque depugnans. Mihi certe videtur D. Paulus non minus otium quam improbissimum dæmonem fugisse, et socordis vitæ delicias pari cum vitio et crimine loco posuisse.

S. Paulus otii osor.

Cæterum quia sæpe labor hominum imbecillitati durior et gravior videri solet, hoc divina quoque bonitas machinata est, et providit, ut honestissimis e laboribus suavitudo quædam animi sequatur, plena humanissimæ voluptatis, quæ mirifice ad laborandum exsuscitet, uti pulchre Pindarus *Nem.* 7 canit : Εἰ πόνος ἦν, τὸ τερπνὸν πλέον παδέρχεται, *si labor fuit, delectatio eo major accedit.* Verum sanctius elegantiusque Isidorus Pelusiota lib. II *Epist.* 136 ait πόνους καὶ θυμηδίας διὰ τῶν ἀκρῶν κορυφῶν συντυχθῆναι, *labores et jucunditates per summitates* seu *extrema conjungi* : nam ad quem, inquit idem sanctus, labores accesserunt, voluptates etiam atque oblectamenta postmodum subsequentur. Videtur id a Platone mutuatus, qui in *Phæd.* dolorem et voluptatem ἐκ μιᾶς κορυφῆς, id est *ex eodem vertice*, connexa et suis capitibus jugata monet, sic ut unum sine altero nemo queat accipere. Eo, ut opinor, etiam collineabat Cyrillus Alexandrinus, cum *in Michæ.* scribens breviter et rotunde sic ait, τέλος τῶν πόνων εὐκλεια καὶ τρυφή, *finis laborum gloria et voluptas*, nimirum ex conscientia recte factorum et complurium meritorum : laborantibus enim oritur cornucopia meritis, opulenta donisque magnis, quibus in æternum felicissime jucundissimeque fruuntur : sic quippe *Amaltheæ cornu* interpretari solitum aiunt, et ἀμαλθείαν illum significare, qui minime μαλθων, id est *dissolutus*, sed gnavus, et in agendo industrius foret, uno verbo ἄμαλκτος, *durus*, strenuus, laboriosus; per cornu vero bovis, quod animal est laboriosissimum, ἐργατὴν, *opificem* innui; botros autem et fructuum varietatem in eodem esse cornu, ut dives omnium copia significetur. Denique ubi hujusmodi cornu fuerit eo subito induci ἀγαθὸν δαίμονα καὶ ἀγαθὴν τύχην, *genium et bonam fortunam*, ut est apud Joannem Stobæum *serm.* 54. E quibus omnibus luculenter patet quanta sit labori merces, et quam vere homo

S. Paulus exemplar laborantium.

Labor conjunctus est cum voluptate.

Finis laborum gloria et voluptas. Cornucopia laborantibus obvenit. Amaltheæ cornu quid significet.

http://www.obrascatolicas.com

nascitur ad laborem. Quod autem additur :

ET AVIS AD VOLATUM. — In Hebræo est בני רשף יגביהו עוף *bene resceph iagbihu huph*, id est, *filiæ avium se volando elevant;* sed non satis constat inter Hebræos quid רשף *resceph* significet : pluribus placet *prunas* significare, qui locum hunc ita explicant, *filiæ prunarum*, id est scintillæ quæ excutiuntur e prunis, *se volando elevant*. Aliis placet *avem* significare, quos hoc loco Vulgatus interpres secutus est, atque etiam Septuaginta, qui sic vertunt, νεοσσοὶ δὲ γυπὸς τὰ ὑψηλὰ πέτονται, *pulli autem vulturis ad sublimia volitant;* Symmachus, τὰ τέκνα τῶν πετεινῶν ὑψοῦσι πτερὰ, *filii volatilium attollunt pennas;* Aquila, καὶ υἱοὶ πτανοῦ, *et filii volucris;* Complutensis habet, νεοσσοὶ δε ἀετῶν, *pulli autem aquilarum*. Vulgatus tamen *in Cant.* cap. VIII, 6 sequitur priorem Hebræorum interpretationem dum illud cap. VIII, רשפיה רשפי אש, *rispeha rispe es*, ita vertit, *lampades ejus lampades ignis;* Septuaginta vero etiam isto loco in secunda perstiterunt sententia vertentes πτερύγια αὐτῆς πτερύγια πυρός, *alæ ejus alæ ignis*. Primam tamen tam ipsi quam Vulgatus sunt secuti *Psalm.* LXXVIII, 48, ubi legitur : « Tradidit grandini jumenta eorum et possessionem eorum igni, » hebraice לרשפים *larsaphim*, id est *carbonibus ignitis;* Septuaginta πυρί, Vulgatus *igni*. Aliis denique Hebræis magis placet *diabolum* significari, quibus hoc loco assentitur Chaldæus vertens *filii dæmonum*, quomodo etiam Vulgatus vocem illam interpretatur *Habac.* III, 5 : *Egredietur diabolus* (hebraice רשף *resceph*) *ante pedes ejus* : sic autem vocatur ob nimiam qua pollet celeritatem; unde etiam in evangelio *Luc.* VIII, 5 per *volucres cæli*, qui alienum semen in terram jactum rapiunt, intelliguntur dæmones, qui hominibus insidiantur, ut verbum Dei rapiant de cordibus eorum, ne credentes salvi fiant. Quod si igitur hoc loco etiam pro *ave* diabolum vertamus (ut ex Vulgati sententia possumus, et quibusdam Hebræis placet) prorsus admirabilis erit similitudo rem declarans inauditam, quæ validam continet rationem, ad eos, qui opes et potentiam nimis avide quærunt, vehementer (si saperent) percellendos et compescendos; et tunc vertendum erit, *filii dæmonum elevabunt volatum*, ut sit sensus istiusmodi, *q. d.* Homo quidem natus est ad laborem, impii vero filii dæmonum volare nituntur per superbiam et divitiarum cupiditatem, e rapto vivere satagentes.

Vox *resceph* quid significet.

Avis pro diabolo accipitur aliquando.

Aliter homo, aliter avis victum parat.

Notandum hic verba illa, *et avis ad volatum* bifariam accipi et explicari posse, *primo* quidem, quasi per dissimilitudinem inter homines et aves assignando discrimen modi, quo sibi victum parant : quoniam *Matth.* VI, 26 aves « non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; » sed Deus pascit illas ex alieno agricolarum labore; soloque volatu, qui ipsis simul suavis ac jucundus accidit, sibi victum parant. Non sic homo, cui et semente et messe ac multo labore opus est, ut cibum sibi congruum paret, ac vitam sustentet; alioquin in superbiam et elationem erigeretur, socordem et inertem vitam ageret, aliena concupisceret ac raperet, non secus atque avis aut diabolus, quem per avem in Scripturis designari diximus. Fortassis etiam hoc dictum fuerit ad hominem ad honestos labores exstimulandum, eo quod diabolus adinstar vulturis aut avis cujuspiam rapacis jugiter circumvolitet, quærens quem devoret : quamobrem adversus ipsum assidue vigilandum, et orationi jugiter vacandum monet Apostolus I *Petr.* V, 8, ne nos otiosos ac desides inveniat, et opprimat ac discerpat incautos. Huic expositioni favet etiam D. Chrysostomi interpretatio dicentis aves nasci ad volandum, quia volatu sibi consulunt, et laqueorum vitæque discrimina facile evadunt, juxta illud Salomonis *Prov.* I, 17 : « Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum; » homo autem non tam facili negotio pericula, quibus circumdatus est, evadit, sed magno labore se tueri, atque ingentes tentationes sustinere ac fortiter superare debet, ne pereat; ideoque ad laborem esse natum constat. *Secundo* etiam hic locus explicari potest per modum similitudinis, quemadmodum D. Gregorius lib. VI *Moral.* cap. VII insinuat, ut nimirum sicut avis maxima cum voluptate volat, sic homo etiam alacriter summa devotione atque animi propensione piis sese studiis et laboribus dedat, seque totum in Dei sui obsequium impendat : hoc enim Christo Domino gratissimum est, « qui, ut Apostolus ait *Tit.* I, 14, dedit semetipsum, ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, » hoc est magna cum alacritate atque ingenti studio et animo virtutis opera capessentem.

Homo debet esse alatus ad laborem sicut avis ad volatum.

Mystice cum S. Gregorio ad hunc locum in *homine* hæredem primi parentis et inobedientiæ ipsius imitatorem; in *avi* vero novi hominis Jesu Christi filium et sectatorem intellige : ille enim ut filius terreni solum terrenis inhiat, et infima, quæ corruptioni obnoxia sunt, desiderat; iste vero ut filius cœlestis in cœlum evolat, atque ad immarcescibilem æternæ gloriæ coronam anhelat. *Homo* ergo (id est conditione terrenus atque peccator) *ad laborem natus est*, quia undique curarum spinis et molestiarum tribulis circumpungitur, et in ipsis etiam lautis opiparisque conviviis pane doloris ac laboris vescitur, ut pœnam suæ inobedientiæ sustineat illa Domini sententia decretam *Gen.* III, 19 : « In sudore vultus tui vesceris pane tuo; » at *avis* (id est vir justus, cujus conversatio in cœlis est, et ab omni terrena colluvione semota) *nascitur ad volatum*, quia dum meritis præsentibus et spe futurorum bonorum alatus mente in cœlum evolat, molestiis hujus mundi sese eximit, et in arcem deliciosæ tranquillitatis ascendit. Hic itaque ad volatum natus est, quia dum se amore a terrenis elongat, et in terra se peregrinum reputat, si quæ forsitan adversa incidant, in illis tanquam in alienis et vix

Homo terrenus ad laborem et spiritualis ad volatum nascitur.

ad se pertinentibus non laborat. Unde S. Gregorius lib. VI *Moral.* cap. VII : « Sancti, inquit, viri, quia transeuntia non amant, non solum nulla temporalium desideriorum pondera tolerant, sed et si quæ adversa consurgunt, in ipsis suis pressuris et languoribus non laborant : quid enim flagellis durius? et tamen flagellatis Apostolis scriptum est *Actor.* V, 41 : *Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Quid ergo eorum mentibus labor est, quibus et pœna verberum labor non est? *Homo* ergo *ad laborem nascitur*, quia ille hujus mundi veraciter mala sentit, qui ejus bona inhianter appetit : nam cujus mens ad alta suspenditur, sub ipsa est quidquid exterius contra ipsam movetur : » sic ille. Vere igitur magna est vitæ studiosæ et perfectæ jucunditas, qua homo, sive ad cor suum ingrediatur, sive ad exteriora egrediatur, sive lana et pelle spolietur, semper tamen uberrima sanctarum deliciarum pascua inveniet.

Qualem laborem exigat a nobis Deus.

Homo nascitur ad laborem non ut finem, sed ut medium.

Ex dictis, ut opinor, satis liquido constat hominem nasci ad laborem non quidem ut finem, sed ut medium, quo ad Deum, qui finis noster est, perveniatur : sicut enim mundum non propter se Deus fecit, sed propter hominem, qui eo utitur : ita ipsum hominem propter se, non quasi obsequio ejus indigeat, sed ut esset qui opera ejus intelligeret, qui providentiam disponendi, rationem faciendi, virtutem consummandi et sensu admirari et voce proloqui posset; quorum omnium summa hæc est, ut Deum colat. Quod cum sine studio et assiduo labore præstari non possit, consequens etiam est, ut ad laborem, præsertim mentis et ingenii, natus sit, qui haudquaquam minor est quam corporis : nam *Eccle.* I, 18 « qui addit scientiam, addit et laborem : » et « sine dolore non vivitur in amore, » ut pius scriptor Thomas de Kempis ait; unde ulterius facile colligitur, quales labores qualiaque opera potissimum a nobis exigantur, scilicet pietatis ac religionis, quæ ut Deo grata sint, non ex tristitia aut necessitate, non cum tædio aut pigritia, sed alacriter, libere, ferventer et diligenter obeunda sunt. Hilares enim, strenuos, veloces et ferventes operatores diligit Deus, qui prompto lætoque animo ipsum quærant, juxta illud *Psalm.* XXXIX, 17 : « Exsultent et lætentur super te omnes quærentes te; » et iterum *Psalm.* CIV, 4 : « Lætetur cor quærentium Dominum. Quærite Dominum, et confirmamini : quærite faciem ejus semper : » dum ait *confirmamini*, robur exigit et fortitudinem ad pigritiam et pusillanimitatem expellendam; dum vero addit *semper*, jugem postulat continuationem ad animi evagationem et mentis inconstantiam coercendam omnemque inanem interruptionem excludendam; per *faciem* denique significat divinam præsentiam, ut nimirum opera nostra in conspectu Dei et ipso intuente faciamus, quod ad devotionem et spiritus fervorem excitandum et continuandum plurimum juvat. Bis autem dicit, *quærite Dominum*, et *quærite faciem ejus*, insinuans Deum per duplicis, activæ scilicet et contemplativæ) vitæ opera quærendum esse, quandoquidem ad utriusque vitæ labores et opera nati et formati sumus, licet non parem omnes ad utramque habeant capacitatem : nam quidam quasi peculiariter nati videntur ad contemplationem, ad quam, teste D. Gregorio lib. VI *Moral.* cap. XVII, naturalem habent aptitudinem et propensionem; alii vero e contra toti potius ad activæ vitæ labores nati videntur, cum ad contemplationem prorsus sint inepti : quales fere sunt homines rudiores, ut fabri ferrarii, et ejuscemodi opifices, quos Ecclesiasticus ad sapientiam ineptos esse profitetur, cum alioquin ad opera mechanica sint aptissimi, et sic a natura formati, atque usu exculti, ut in iis non raro ad stuporem omnium mirifice excellant.

Deus quærendus per vitam activam et contemplativam.

Unusquisque igitur pro virili suo Deum ante omnia quærere debet, idque potissimum per ea opera, ad quæ peculiariter a natura formatus ac natus, aut per Dei gratiam singulariter vocatus ac renatus videtur : gratia etenim mirifice naturam perficit, unde sicut homo naturæ lege nascitur ad laborem, ita per baptismum renascitur ad amplius et perfectius laborandum, secundum propensionem quam unicuique Dei gratia et virtus infusa divinitus impertitur, dum speciali vocatione singulos non raro excitat et ad labores pro Dei gloria suscipiendos, et ad pia opera statui suo convenientia fortiter simul ac suaviter quodammodo impellit. Hanc opinor ob causam comparatur in Evangelio *Matth.* XX, 1 Deus homini patrifamilias, qui uno eodemque die a primo mane usque ad vesperam quinquies exivit ad conducendum operarios in vineam suam, et quos invenit otiosos acriter increpuit, quod a natura statuque suo per otium et desidiam degenerarent; haud obscure insinuans nobis omnibus a primo mane rationis elucescentis usque ad mortis vesperam operandum et instanter laborandum esse; siquidem propterea nati et regenerati sumus.

Homo natus et renatus ad labores.

Vers. 8. In necessitatibus et ærumnis ad Deum confugiendum.

8. QUAMOBREM EGO DEPRECABOR DOMINUM, ET AD DEUM PONAM ELOQUIUM MEUM. — Cum, inquit, in hac vita non ad quietem et gaudia, sed ad laborem et dolorem nati simus, ideirco haudquaquam impatienter agam, nec obmurmurabo; sed humiliter me geram, et supplex Dominum deprecabor ut mihi opem ferat, et ad Deum confugiam, qui tutissimus est laborum ac malorum omnium portus. Hisce verbis Eliphaz Jobum adhortatur ut ad Deum se convertat, ejusdemque auxilium in suis adversitatibus imploret; quoniam ipse solus tot tantisque malis remedium adferre et omnes omnino calamitates abstergere ac penitus tollere cum voluerit potest, *q. d.* Si hoc idem mihi quod tibi infortunium evenisset, haudquaquam certe, ut tu facis, ita me torque-

http://www.obrascatolicas.com

rem, aut in querelas tam acerbas prorumperem, nec diei nativitatis meæ maledicerem; sed supplices ad Deum preces funderem, et ad ipsum converterem eloquium meum: existimabat enim Eliphaz Jobum ira præcipitem de statu mentis dejectum, pro precibus, quas in tantis ærumnis constitutus Deo supplex offerre debuisset, impia et blasphema omnino verba reposuisse; in quo gravissime decipiebatur, quod verborum Jobi sensum ac vim minime intellexisset, ad externam duntaxat speciem eorum superficie tenus attendens, nec altissima quæ iis continebantur mysteria ullo modo penetrans. Unde accidit ut pharisaici quidpiam pateretur, Jobum in animo suo apud semetipsum despiciendo, seque ipsi tacite præferendo, tantum non dicens: Ego sane non probo Jobi mentem parum mitem, quin potius prosperis rebus utens ac bene valens Deum precor, ut bonam mihi mentem conservet, atque ad communes hujus vitæ labores perferendos, nec non ad graviores, si quando ingruerint, calamitates generose ac constanter sustinendas roboret augeatque. Homo quippe sum, humani nihil a me alienum putans, et ex hoc luctuoso Jobi spectaculo manifeste disco ac video nihil fidendum prosperitati: quare mihimetipsi bene consulo, dum calamitatis tempus anteverto, et animum meum ad quemvis eventum constanter excipiendum ac fortiter tolerandum comparo, et auxilium Dei imploro.

Natura nos docet in magnis difficultatibus opem Dei implorare.

Prudenter sane in ærumnis et difficultatibus per deprecationem confugit ad Deum, qui in natura ipsa inseruit tacitos veluti igniculos, quibus in duris gravibusque rebus animus attolleretur ad potentissimum cœli Dominum et tutorem universitatis invocandum; quod naturæ testimonium divine urget Tertullianus lib. *De Testim. animæ*, cum ostendit homines, qui de divinitate, deque magna Numinis potentia et augusta ejus majestate ac providentissima in omnes benevolentia nihil unquam acceperint aut intellexerint, in miseris tamen afflictisque rebus oculos in cœlum tollere consuevisse, et ebulliente in amicum sonum corde illud dicere: « Deus adjuva, » quasi foret non dubia ipsius animi et naturæ professio, nullum sibi satis esse; pollens autem ac summum aliquod esse Numen et dominantem in orbe Deum, ad quem spectaret communibus vitæ ærumnis et impotenti aliorum violentia oppressum e calamitate eripere ac liberare. Ita Plato in *Theæt.* egregie asseruit homines in belli casibus, morbis, tempestatibus et summis periculis constitutos habere Deos ἀρχοντας καὶ σωτῆρας, *præsides et servatores*: sic enim academici cum aliis præstantibus in philosophia viris disputabant, pios omnes, qui animum suum a vitiis et libidine avocarent, esse divis charissimos, a quibus non poterant non bonis eximiis ornari et in adversa fortuna defendi: quam ob causam Themistius *Orat.* 5, τὴν τοῦ Θεοῦ εὐνοιαν, id est *Dei benevolentiam*, vocat δυσκαταγωνιστότερον φυλακτήριον, *inexpugnabile præsidium*, quod nimirum amicus ille Numinis favor pro lorica et clypeo esse videatur. Quod adhuc clarius et longe sanctius Propheta regius innuit, quando ingenti lætitia delibutus ita canit *Psalm.* v, 13: « Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos: » bonam ipsam Dei erga nos voluntatem divinitus appellat *scutum*, quo non modo potentissime in acerba fortuna tegimur, verum etiam, quasi omen sit victoriæ, vincimus ac triumphamus, et proinde nos illo dicit coronari, non aureo gemmeoque diademate, sed insigni Dei humanitate, quæ fiduciam nostram inaurat, et palmis victricibus decorat; vel nos ait *scuto coronari*, hoc est velut aheneo vallo circumcingi, et undique muniri, ut intelligamus ad illos, qui pia fiducia Deo se committunt, nihil adversi, nisi illo volente, penetrare posse.

Academici in præsidio Dei fiduciam ponebant.

Propitia Dei voluntas scutum inexpugnabile.

Sed quid scutum ad coronam? quid scuti horror ad coronæ pulchritudinem? scutum aheneum est, corona aurea; scutum ad belli pulverem, corona ad victoriæ lætitiam comparatur: qui dat *scutum* bellum clamat, sudores et vulnera innuit; qui *coronam* offert, victoriam, pacem, lætitiam prædicat. Hoc quidem in hujus mundi stadio sic se habet, at Deus omnia simul largitur athletis suis, qui cum dat scutum non sinit etiam coronam desiderari; sed quem scuto armat simul corona condecorat, ut nihil desit, quod tibi non veniat in munere divino. Hinc utique apostoli, et religionis christianæ lumina, viri sancti, qui omnes, quasi forent sub Dei lato et flammifero umbone tuti et muniti, pro communi et heroico symbolo hoc sumpsisse videntur: « In Domino confido, » Christi nimirum imitatione, de quo Judæi fatebantur dicentes *Matth.* XXVII, 43: « Confidit in Deo: » sic expresse D. Paulus honorato hoc elegio gloriatur *Rom.* XIV, 14: « Confido in Domino Jesu; » et ante evangelium David *Psalm.* X, vers. 1: « In Domino confido. » Item Machabæi victoriis inclyti, quas non tam ferro quam divinæ fiduciæ armis retulerunt, qui cum agerent apud suos de multitudine et potentia inimicorum in hunc modum loquuntur II *Mach.* VIII, 18: « Illi quidem armis confidunt simul et audacia; nos autem in omnipotente Domino, qui potest et venientes adversum nos et universum mundum uno nutu delere, confidimus. » Sic apud Hebræos, quamdiu legis amor Numinisque timor viguit, velut tessera illa communis audiebatur: « In Domino Deo nostro confidimus, » ut Isaias testatur cap. XXXVI, vers. 7. Denique plenæ sunt utriusque Testamenti paginæ et omnium litterarum monumenta gloriosis factis divinisque oraculis ac monitis, quæ fiduciam hanc suadeant; pro qua hic Eliphaz aliquot versibus sequentibus præclara quædam ex divinæ gubernationis ratione depromit argumenta.

Dei scutum simul corona est.

Sanctorum symbolum est confidere in Deum

9. QUI FACIT MAGNA ET INSCRUTABILIA ET MIRABILIA ABSQUE NUMERO. — Quoniam super. vers. admo- Vers. 9. Dei ad

tantis non fiduciam excitare debet.

nuerat ut ad Deum se converteret, ejusque clementiam et opem in suis afflictionibus imploraret, ne ex pusillanimitate de sua desperans salute a divino auxilio invocando retardaretur, quod omnes fortunas suas jam amissas et insanabili se morbo insuper affectum cerneret; aptissime hic infinitam Dei potentiam magnificentiamque commemorat, ut doceat nullius res adeo afflictas ac deploratas exsistere, quas non facillime Deus, cum voluerit, possit erigere, atque in integrum restituere; ideoque in solo Deo fiduciam omnem esse collocandam. Ad hanc porro fiduciam duobus præcipue modis erudit nos Deus et quasi manuducit, nimirum declaratione invictæ potentiæ suæ gloriosæque majestatis, cui nihil resistat; et immittendis calamitatibus, e quibus nulla humana vis eripere et tueri possit, ut homines cognita imbecillitate sua, atque insuperabili Dei robore percepto, ad illum velut unicum in rebus profligatis perfugium recurrant, qui solus possit omnia, et reliqua sine ipso nihil: quamobrem in Scripturis *Exod.* XV, 3, vocatur *Omnipotens nomen ejus*, quod divine exponens S. Dionysius lib. *De Div. Nom.* cap. VIII docet duplici modo Deum dici παντοδύναμον καὶ ἀπαρεδύναμον, id est *omnipotentem et infinitipotentem*;

Omnipotens nomen Dei.

Deus est causaliter et eminenter omnipotens.

PRIMO *causaliter* et *eminenter*, « quatenus nimirum omnem potentiam in semetipso anticipat, et eminenter continet, ut omnis potentiæ causa, nec non omnia per potentiam inenarrabilem et incircumscriptam producit, ut auctor ipsius esse potentiæ tam universalis quam cujuslibet particularis; » siquidem ab ipso est omnis potentia omnisque virtus, seu vis agendi et operandi, omnis vigor, omnis efficacitas in omnibus rebus creatis, in terra, in mari, in astris, in lapidibus, metallis, plantis, animalibus, ipsisque angelis; in quibus omnibus vis omnis operandi aliquid est tenuis duntaxat participatio potentiæ divinæ.

Deus est formaliter omnipotens et infinitipotens.

SECUNDO dicitur *formaliter* « Omnipotens, quatenus *scilicet* infinitipotens est non solum omnem potentiam producere, sed etiam quod supra omnem quoque ipsam per se potentiam exsistat, et quod desuper possit infinities infinitas alias rerum potentias producere, et quod infinitæ et in infinitum producendæ potentiæ non possint supraquam infinitam potentiæ illius potentificæ effectionem hebetare. » Deus igitur ipse in se formaliter est potentiæ infinitæ, vel potius ipsamet potentia infinita per se subsistens: potest enim omnia quæ mens creata potest concipere; quæ prorsus in omni genere et specie sunt infinita, v. g. infinitos mundos huic nostro mundo similes, et alios huic dissimiles, infinitos angelos, infinitos populos, infinitum aurum, argentum, lapides pretiosos, etc., nec solum potest omnia quæ mens creata potest concipere, idque in quantavis magna multitudine, quantitate ac perfectione, sed etiam quidquid ipse sua infinita sapientia potest extra vel intra se concipere; quæ infinities plura et magis mirabilia sunt, quam ea quæ possunt concipi a mente creata. Quidquid enim sua mente infinita potest interius concipere seu formare intelligendo, potest exterius producere et formare creando, et hoc modo potentia ipsius sapientiæ coæquatur: porro hæc omnia potest facere repente, sine mora temporis, et sine ullo labore, summa et infinita facilitate, solo nutu suæ voluntatis, et solo verbo; quare longe facilius illi esset mille mundos novos excitare quam nobis nomen *mundus* pronuntiare; et tamen nobis nihil facilius verbo. Notandum tamen (ut in quæstione prorsus theologica præcise loquamur) quando Deum dicimus posse facere in omni genere infinita, hoc intelligi de infinitis *syncategorematice* (ut scholastici loquuntur) non *categorematice* sumptis, id est posse illum tot res cujusvis generis facere, ut semper possit plures et plures sine fine, adeo ut nullus numerus tam magnus concipi queat, quin tot et plures sine fine possit facere; sic tamen, ut nunquam faciat infinitum actu, juxta probabiliorem S. Thomæ et multorum aliorum sententiam, quia repugnat creaturæ actu esse infinitam, ut passim theologi docent.

Quomodo intelligatur Deus posse facere infinita.

Hic igitur infinitipotens Deus hoc loco ab Eliphazo dicitur facere « magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero, » quod fere coincidit cum illa Davidis sententia præ admiratione exclamantis *Psalm.* CX, 2: « Magna opera Domini! » item cum illa *Psalm.* CXXXV, 4: « Qui facit mirabilia magna solus, » quibus verbis profitetur Propheta Deum solum et magna facere, et mirabilia operari; quæ licet ejus potentiam et sapientiam potissimum manifestent, attamen ejusdem quoque benignitatem non obscure declarant: quod enim adeo magna et pulchra sint, opificis potentiam ac sapientiam indicant; quod autem propter nos et in usum nostrum facta sint, conditoris eorum benignitatem ac immensam bonitatem mirifice commendant. Quapropter Vates quidem regius ex magnis Dei operibus nos ad potentissimi benignissimique Numinis confessionem ac laudem ubique excitat; Eliphaz vero eadem hic commemorat, ut proposita divinorum operum magnitudine vel insolentem, ut ipse perperam opinabatur, Jobi animum deprimeret aut saltem erigeret desperantem: quoniam ad utrumque divinæ potentiæ consideratio plurimum valet, quæ in magnis, inusitatis ac formidandis operibus (quæ *Psalm.* LXV, 3, *inscrutabilia*, *mirabilia* et *terribilia Dei* nominantur) maxime relucet, quibus omnes, etiam superbissimi gigantes, qui vel cœlum ipsum violare ferro et impia manu stulte moliuntur, et coronati reges, et augusti imperatores, velint nolint, caput suum inclinent, et majorem quamdam manum robustioremque agnoscant necesse est; quod ut Jobo magis inculcet, ad particularia quædam Dei mirabilia descendit dicens:

Opera Dei magna sunt.

In iis relucet Dei potentia, sapientia et benignitas.

http://www.obrascatolicas.com

Vers. 10. Dei potentia et providentia relucet in pluviarum immissione.

10. QUI DAT PLUVIAM SUPER FACIEM TERRÆ, ET IRRIGAT AQUIS UNIVERSA. — Mirabilem Dei in pluviæ imbriumque generatione ac dispensatione potentiam providentiamque commendat, quam eodem sensu David et iisdem pene verbis deprædicat, atque inter magnifica Dei opera recenset, dicens *Psalm.* CXLVI, 8 : « Qui operit cœlum nubibus, et parat terræ pluviam, » id est, qui facit e terræ vaporibus nubes in sublimi concrescere ac cœlum quodammodo operire, ut deinde solaribus radiis aut aliarum planetarum influentiis præparatæ ac solutæ, terram ipsam, unde humorem collegerant, fœcundis imbribus augeant, gravidentque ad mirificos et multiplices fœtus. Quod haud dubium esse omnipotentis atque divinæ virtutis indicium oracula testantur, dum hanc supremam pluviæ potestatem soli Deo propriam et aliis incommunicabilem esse tradunt; ac veluti certum et infallibile veræ divinitatis argumentum assignant, quo tanquam signo distinctivo a falsis Gentium diis distinguatur : sic enim Jeremias ait cap. XIV, 22 : « Numquid sunt in sculptilibus Gentium qui pluant? aut cœli possunt dare imbres? Nonne tu es Dominus Deus noster, quem exspectavimus? tu enim fecisti omnia hæc, » ubi Aquila legit, *μὴ ἔστιν ἐν τοῖς ματαίοις τῶν ἐθνῶν ὑετίζων, numquid est in vanitatibus gentium qui pluat? q. d.* Vanum esse numen, cui non adsit potestas pluendi : quam Paulus quoque *Actor.* XIV, 16 esse verum divinatis testimonium profitetur Deum vivum prædicans, « qui non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de cœlo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda nostra. » Per *pluviam* quippe Deus cunctis mortalibus testatam esse voluit suam omnipotentiam ac providentiam (quæ enim mortalium vis hoc opus admirabile tam frequens tamque utile perficeret?) nec non beneficentiam erga genus humanum prorsus singularem, quæ homines hoc admirabili artificio sustentat; quod, præter usus mortali naturæ necessarios, delicias quoque parit innumerabiles, quibus non solum justi et amici Dei *Matth.* V, 55, sed etiam injusti (super quos etiam pluit) perfruuntur.

Potestas pluviæ est solius Dei.

ET IRRIGAT AQUIS UNIVERSA. — Hoc posterius hemistichium a quibusdam interpretibus non tanquam prioris explicatio, et veluti amplior ejusdem rei expositio, ac vocabulis synonymis (prout in Psalmis passim fit) repetitio accipitur; sed de fluminibus explicatur; quorum videlicet exundatione, non secus ac Nili in Ægypto, pluviarum defectus suppleatur *Deuter.* XI, 10: « Ubi jacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ; « vel sicut in paradiso, olim deliciarum loco *Genes.* II, 5 : « Priusquam pluerat Dominus Deus super terram, fons ascendebat e terra irrigans universam superficiem terræ. » Verum ut bene cum Sanctio nostro Pineda notat, si textum hebræum et græcum consulamus, hoc etiam ad pluvias, de quibus in priori hemistichio agitur, referendum esse intelligemus : in Hebræo enim est ושלח מים על פני חוצות *vescoleahh maim al pene hutsot*, id est, *et irrigat aquis superficies platearum*, significans non solum agros et hortos agricolarum et hortulanorum labore ac industria subactos et consitos, sed plateas etiam et loca infrugifera cœlesti pluvia irrigari. Septuaginta vertunt, ἀποστέλλοντα ὕδωρ ἐπὶ τὸν ὑπ' οὐρανόν, *qui mittit aquam super eam quæ sub cœlo*, quod Scholion exponit, ἐπὶ πρόσωπον ἐξωτάτων, *super faciem extimorum*; quod de fluminibus dici non potest, quæ nec totam quæ sub cœlo est terram operiunt unquam, neque universam ejus superficiem irrigant, quemadmodum a pluvia quotidie fieri videmus, quæ ipsamet etiam montium cacumina et quælibet loca hominibus inaccessa pervadit, juxta illud *Job* XXXVIII, 25 : « Quis dedit vehementissimo imbri cursum, ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur? » de quo suo loco.

Flumina suppleentem pluviarum.

Cæterum cum pluviis nonnunquam Deus, ut justitiæ instrumentis, ad vindictam et supplicium de improbis sumendum et orbem sceleribus inquinatum diluvio delendum usus fuerit, huc ego potissimum alludi censeo; quandoquidem, ut ex præcedentibus et sequentibus patet, tota hæc Eliphazi oratio ad Jobum perstringendum, et occulti alicujus criminis, ob quod in tantas calamitates inciderit, arguendum et convincendum ordinetur, ut tandem aliquando culpam suam agnoscens, et cum Deo in gratiam rediens, delicti sui veniam ac supplicii remissionem obtinere mereatur : suadet enim Jobo ut ad Deum se convertat, quemadmodum vers. 8 dictum est, eumque deprecetur, « qui dat pluviam super faciem terræ, et irrigat aquis universa, » id est, qui imperat nubibus, ut se cogant et addensent onerentque imbre, tum patefactis subito cataractis fluvios immittant in orbem terrarum, quibus, si voluerit, eluvione perdet omne genus humanum : quod enim semel Deus fecit id cum libuerit facere potest. Eant nunc de stirpe Enacim famosi illi a sæculo et robusti bellatores; eant purpurei principes, qui ut dii coli voluerunt, quibus nihil dominetur; videant sub aquis in denso illo luto et ranarum vermiumque regno, an in fortitudine brachii sui, aut divitiarum copia, aut multitudine armatorum fiduciam ponere possint, et adversus Deum magnifice triumphantem et dominantem consistere. Merito hic cum regio Vate liceat exclamare *Psalm.* LXXXVIII, 7 : « Quis in nubibus æquabitur Domino! » illi, inquam, qui roris pluviæque dominus est, « qui levat nubes ab extremo terræ, » ut ait Jeremias cap. LI, 16, de quo eleganter quoque Job in physiologiæ arcanis theologus cap. XXXVIII, 28 : « quis, inquit, pluviæ pater, vel quis genuit stillas roris? » Sed de his suo loco, cap. XXVI, 8 et cap. XXVIII, 36 et cap. XXXVIII, 28, ubi etiam mysticas et morales pluviæ acceptiones explicabimus.

Pluvia etiam divini supplicii instrumentum.

Vers. 11. Deus cum sit altus humilia respicit.

11. QUI PONIT HUMILES IN SUBLIME, ET MŒRENTES ERIGIT SOSPITATE, — id est, eos qui sub pedibus omnium esse videbantur attollit quasi in aureum currum misericordiæ triumphantis, et per oculos non dicam hominum verum et angelorum circumducit, ut miserationes Numinis infinitas ipsi agnoscant : non solum enim improbos puniendo atque superbos deprimendo potentiam suam ostendit Deus; sed vel maxime illam humiles exaltando, et mœrentes consolando et sospitando manifestat, summæ enim potestatis argumentum est posse excitare jacentes, et ruentes sustinere; hi ne cadant, illi ne in sordibus ac pulvere tabescant. Plurima sane sunt in Scripturis monumenta et exempla, quibus aperte ostenditur Deus exaltandis humilibus quasi totus incumbere, nec ulla re magis quam humilium exaltatione gloriari, adeo ut illud præ cæteris eximium et veluti proprium quodammodo Dei munus esse videatur; quod experientia compertum habens et admirabunda mente considerans David jure merito exclamat *Psalm.* CXII, 5 : « Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat et humilia respicit in cœlo et in terra! » ubi inter alias admirabiles divinæ potentiæ ac providentiæ rationes hanc potissimum admiratur et extollit; quod nimirum excelsus cum sit Dominus humilia respiciat, nam magni plerumque magnos diligunt, et supremi sæculi principes alios sui similes, nempe nobilissimos et illustrissimos, amore suo dignos ducunt. Non ita Deus noster « qui in altis habitat; » et cum natura sua immensus et excelsus sit, « humilia respicit in cœlo et in terra. » Ad quem locum pulchre Prosper : « In altis, inquit, Dominus habitat, id est in sanctis et spiritualibus atque cœlestibus; et humilia respicit, id est ipsos sanctos nunquam in se, sed semper in Domino gloriantes : delectatur enim altitudine humilium et humilitate celsorum in cœlo et in terra : hoc est, quorum conversatio in cœlis est, licet mortali sint carne circumdati. »

Propriam Dei est humiles exaltare.

Humilibus solus Deiboni cura est.

Respectus itaque humilium, quo a Domino respiciuntur ut cœli sui, ut ipsa humilitate sublimes, respectus est benignitatis et amoris : respicit enim eos ut ipsius honoris avidos, atque humilitate decoros; et ad eos diligendos trahitur, quia cum eos justos et sui similes fecerit, eximio quodam ipsos amore dignatur. Humilibus nempe nihil aliud curæ est nisi honor Dei : nam illum honore afficiunt, dum eidem omne bonum tribuentes, scipsos conatusque suos apertissima compulsi veritate contemnunt; illos autem qui Deum honorant ipse gratissimos habet, eisque abundantissimam gratiam impertit. Qua ratione nos Ecclesiasticus cap. III, 20 ad humilitatem hortatur dicens : « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam : quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. » Nihil sane pretiosius, nihil desiderabilius, quam apud Deum invenire gratiam, et ejus amorem ac benevolentiam promereri; si hanc igitur tibi conciliare cupis, quanto major fueris, tanto magis te abjice, tanto modestius de te cogita, tanto verius aliis te submitte, ut hunc thesaurum gratiæ Dei possidere merearis. Neque vero gratiam duntaxat, sed et gloriam, eamque eximiam, humilitas promeretur apud Deum, qui, ut in Annæ cantico est I *Reg.* II, 8, « suscitat de pulvere egenum, et de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat; » quo spectat etiam illud Davidis *Psalm.* CXII, 7 : « Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui, » quod ab Anna videtur mutuatus Propheta regius, minime erubescens a femina, insigni humilitatis exemplo, discere, illiusque doctrina suam illustrare. Quem locum Theodoretus cum altero componens, utrumque deinde explicat de vicissitudine temporalis miseriæ ad temporalem felicitatem; quamvis illam aliam vicissitudinem spiritalis miseriæ ad spiritalem felicitatem non excludat : « Cernimus, inquit, hæc ipsa a Deo universitatis continuo fieri : sic B. Davidem, cum pastor esset, regem fecit; et Josephum, cum in servitutem incidisset, in regali constituit solio : sic Moysen, cum opilio esset, populi gubernatorem declaravit, Pharaonisque deum elegit : sic gentes impietatis paupertati servientes, et in peccati stercore sedentes, bonis, quæ Israeli concessa fuerant, dignatus est : sic humanam naturam, cum in ipsum mortis profundum incidisset, assumpsit, et sursum erexit, et collocavit super omnem principatum et dominationem et omne nomen, quod nominatur non modo in sæculo hoc, sed etiam in futuro. » Atque hoc est quod B. Virgo Deipara in cantico suo cecinit *Luc.* I, 52 : « Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles, » quæ cum sint obvia notissimaque, et passim decantata, et a pluribus scriptoribus atque interpretibus illustrata, non opus habent majori explicatione.

Humilitas meretur gloriam exaltationem.

Deus mœrentes erigit et solatur.

ET MŒRENTES ERIGIT SOSPITATE, — id est homines luctu et mœrore confectos, de quorum salute omnes diffidunt, subito recreat, reficit, et cunctis doloribus liberat : sic liberavit Henoch et Eliam de communi morte, Noe de diluvio, Abraham de Ur Chaldæorum, Isaac de hostia et de manu patris sui Abrahæ, Lot de Sodomis et de flamma ignis, Moysen de manu Pharaonis regis Ægyptiorum, Danielem de lacu leonum, tres pueros de camino ignis ardentis et de manu regis iniqui, Susannam de falso crimine, Davidem de manu regis Saul et de manu Goliæ. Quam divinæ tutelæ providentiam sane maximam in se luculenter expertus David etiam alios secum ad laudes Deo decantandas invitat dicens *Psalm.* XXXIII, 4 : « Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum, » et post pauca de se dicit : « Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, et de omnibus tribulationibus

http://www.obrascatolicas.com

ejus liberavit eum : » eodem modo passim alibi Deum ut refugium, ut salutem, ut protectorem et adjutorem, ut patrem pauperum, ut mœrentium consolatorem deprædicat : nam ea est in destitutos et calamitatibus obnoxios illius benignitas, et singularis benevolentia, ut velut glorioso et honorifico titulo excellentis gloriæ ab Apostolo vocetur II *Corinth.* I, 3, « Deus totius consolationis ; » hoc est abundantissima quædam velut apotheca, unde omne genus consolationis promitur ; et *Rom.* XV, 5, « Deus patientiæ et solatii, » quod, ut recte ibi notat Cornelius a Lapide noster, sit totus consolatio et oceanus consolationis, unde non tenues rivuli, sed ingentia flumina suavitudinis infinitæ ad afflictos mœrentesque dimanent.

Deus est velut oceanus consolationis

Vers. 12. 12. QUI DISSIPAT COGITATIONES MALIGNORUM, NE POSSINT IMPLERE MANUS EORUM QUOD COEPERANT. — Nihil profecto Numinis potentiam providentiamque hominibus adeo admirabilem commendabilemque reddit, quam si ejus suavi dispositione, præter omnem exspectationem, malignorum et iniquorum hominum, quibus nemo resistere valebat, conatus et machinationes eludi ac dissipari videant : quam ob causam regius Propheta Deum laudare non cessat *Psalm.* XXXII, 10 : « Quia Dominus dissipat consilia gentium, reprobat cogitationes populorum, et reprobat consilia principum : » ita *Genes.* XI, 5 Babyloniorum impia in turris ac civitatis ædificatione consilia dissipavit, et simul ipsos ædificatores per universum terræ orbem dispersit. Sic cum Salmanasar rex Assyriorum in Hierosolymæ eversionem conjurasset, et obsessi extremum exterminium pavidi exspectarent, ecce inopinato Deus (ut regum narrat historia IV *Reg.* XVIII) vocat nomine suo unum e beatis spiritibus, qui cœlestis sunt curiæ principes numero prope infiniti, imperatori illi summo obedientissimi ; jubet ut claras et numerosas Assyriorum legiones, quæ populum Dei magno terrore complebant, vi et impressione deleat. Dictum, factum ; fortissimum exercitum centum et octoginta quinque millium rhomphæa sua mirabili uno impetu laceravit, occidit. Hæc mirificam illius potentiam ostendunt, a qua pendet natura omnis et creatarum rerum varietas, proindeque denuntiant absque illo hominum vim, robur, consilium et quamlibet exaggeratam potentiam esse inanem, ad eumque, ut commune mundi præsidium recurrendum : nam ut a cœlo doctus divine pronuntiavit *Sap.* IX, 14, « cogitationes mortalium timidæ et incertæ providentiæ nostræ : » *cogitationes*, vel, ut Septuaginta vertunt, λογισμοὶ, *ratiocinationes*, animi commentationes, consilia, machinationes mentis, ad intelligendum aut efficiendum intentæ ; *mortalium* inquam, et brevis ævi hominum cogitationes sunt *timidæ* (græce δειλαὶ, *miserandæ*, laceræ) in tenebris gradiuntur, et titubant, ac pleniori lumine destitutæ falluntur. Hinc eleganter et vere dixit Aristoteles mentis oculos in pervestigatione veritatis, maxime rerum sublimium et arcanarum, vespertilionum luminibus videri similes, quæ ad diei lumen caligant : hoc ipsum est quod addit Sapiens, *providentias nostras esse incertas*, sive, ut in Græco est, ἐπιφοβεῖς, *fallaces*, errori obnoxias, dubias ; quamobrem sæpe a destinato scopo aberrant, successu carent, et in media ipsa contentione franguntur.

Deus dissipat cogitationes et conatus impiorum.

Homines cogitationes timidæ et fallaces.

Quem latet omnium hominum memoria, et singulis non tantum ætatibus, sed etiam annis ac pene diebus fuisse repertos quosdam siculo Polyphemo non absimiles, qui cum grandi oculo prudentiæ ornati esse viderentur, miserrime tamen excæcati sint et infatuati ? Exemplum hujus rei clarum habemus II *Reg.* XVI in Achitophele cujus os cum esset in hebræo populo ut delphici Apollinis cortina, vel antrum Sibyllæ veratricis, vecordi mente consilioque detestando inter patrem filiumque bellum incendit patriæ luctuosum ; unde ipse merito suo pestem et perniciem et dedecus nominis sui reportavit : nam cum videret Absalomum juvenem animosum et ambitiosissimi animi, qui gloriæ impotenti cupiditate raperetur, jam regni diadema cepisse, et anhelare ad imperii magni possessionem, auctor illi fuit, ut per nefas communi luce patefactum ad concubinas patris sui ingrederetur, ut per scelus immanemque audaciam sibi viam aditumque ad bonam mentem intercluderet, cum gnaviter semel ruere cœpisset. Quid deinde est consecutum ? cum pergeret in malitiosum pectus advocare veluti senatum, et vires omnes adhibere mentis atque ingenii ad ea molienda quæ Davidi cladem et interitum adferrent, dissipavit Deus hominis consilium judicio suo prudentis, et belle, ut illi quidem videbatur, structas animi cogitationes providentiasque illusit. Itaque homo infelix os et guttur, per quæ verba in hominum aures instillaverat, laqueo stringenda et exanimanda putavit. Hic sane docere potest, atque ex alta illa trabe, in qua pependit, ad memoriam posteritatis monere, fallaces esse hominum providentias, et Deum dissipare cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant. Id ipsum adhuc magis illustrans et inculcans subdit :

Achitophelis consilium Deus dissipavit.

Vers. 13. 13. QUI APPREHENDIT SAPIENTES IN ASTUTIA EORUM, ET CONSILIUM PRAVORUM DISSIPAT. — Hunc locum Paulus quoque Apostolus citat dicens I *Cor.* III, 19 : « Comprehendam sapientes in astutia eorum : » mira quidem in cogitationibus malignorum dissipandis relucet Dei providentia ; sed longe tunc mirabilior apparet, quando astutissima ipsorum consilia per illa ipsa, quibus vel maxime stabilienda firmandaque videbantur, evertit ; et in auctorum capita perniciemque retorquet, uti pulchre ad hunc locum D. Gregorius lib. VI *Moral.* cap. XII de his perversorum consiliorum architectis agens ostendit : « Inde, inquit, voluntatem Dei peragunt, unde hanc immutare contendunt : omnipotentis Dei consilio dum resistere nituntur obsequuntur ; Dei consiliis humana facta etiam tunc congrue serviunt cum resistunt. » Hoc ipsum deinde plurimis Scripturæ testimoniis confirmat, et inter cætera illustri exemplo Josephi *Gen.* XXXVII, 28, quem fratres vendiderunt, ne adorarent ; sed Deo suaviter ac fortiter sic omnia dirigente *Gen.* XLIV, 6, quia vendiderunt adorarunt ; unde D. Chrysostomus hom. 61 *in Genes.* divinam hanc providentiam in his fratrum consiliis ab illorum ad suum scopum detorquendis, vel potius suavissime dirigendis, ostendens : « Consultant, inquit, et attentant, et suam declarant malitiam : at sapiens et omnipotens Deus insidiatores ministrare etiam invitos facit dispensationi futurorum ; » et D. Gregorius paulo ante citatus : « Divino, inquit, judicio quod declinare coacti sunt retinendo servaverunt ; » et paulo post : « Sic divinum consilium dum devitatur impletur ; sic humana sapientia dum reluctatur comprehenditur. Timuerunt ne Joseph super eos excresceret ; sed hoc quod divinitus dispositum fuerat cavendo factum est ut eveniret ; unde humana sapientia voluntati Dei per intentionem resistit, inde ejus impletioni militavit. »

Mirabilis Dei in malitiosi consiliis evertendis providentia.

Exemplum providentiæ Dei in Josepho.

Sic etiam Pharao Moysem dum perdere voluit illustriorem reddidit, nam, ut bene S. Chrysostomus hom. 34 *in Acta* : « Jussit, inquit, Pharao in flumen projici pueros. Nisi projecti fuissent pueri, non fuisset servatus Moyses, non in aula educatus fuisset : quando servabatur non erat in honore : quando expositus fuit tunc factus est in honore : » itaque cruentum Pharaonis de perdendo Moyse consilium non modo incolumem servavit Moysem, sed insuper ad summam provexit dignitatem, et in auctoris tandem sui tantique sceleris architecti ruinam et interitum conversum fuit ; dum is qui Moysem adhuc puerum in flumen projici et submergi jusserat, ab eodem a se servato et educato una cum exercitu in Mari Rubro submersus periit. Vere dixit Sapiens *Prov.* XXI, 30 : « Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum : qui apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat. » Multus est Propheta regius in hac singulari Numinis providentia hominibus inculcanda et variis psalmorum modulis decantanda, præsertim *Psalm.* VII, 15, quem cecinit Domino pro verbis Chusi filii Jemini, qui Achitophelis consilium dissipavit, et in auctoris caput convertit, de quo sic loquitur : « Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem. Lacum aperuit, et effodit eum : et incidit in foveam quam fecit. Convertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet ; » ubi S. Basilius recte notat hanc esse insidiis non additam pœnam, sed insitam naturam, ut in ipsos insidiatores retia convertantur. Idem Psalmographus *Psal.* IX, 16, quem *pro occultis filii*, scilicet Absalomi occisi, inscribit : « Infixæ, inquit, sunt gentes in interitu quem fecerunt, » ubi D. Chrysostomus ait : « Improbo homine nihil imbecillius, propriis armis capitur : quemadmodum ferrum a rubigine, et lana a tinea, ita etiam improbus a vitio ; » et statim eodem loco subdit Vates : « In laqueo isto quem absconderunt comprehensus est pes eorum. » Sic etiam principes sacerdotum optimam se inivisse rationem existimarunt, ne gens eorum et regnum a Romanis labefactaretur, si Christum servatorem interficerent ; at ejus cæde effectum fuit ut eorum respublica præcipitaretur, et tandem convulsa periret. Id etiam frequenter usuevenire videmus, ut res aliqua magnum adferat incommodum iis, qui ex illa commodum ingens se capturos sperabant, aut perniciem aliis parabant. Quod malignos ac perversos homines jure merito vehementer terrere deberet, atque iniquos eorum conatus reprimere, ut tandem bonis viris infesti esse desinerent.

Providentia Dei in Moyse exaltando et Pharaone de eodo.

Improbi propriis vitiis pereunt, et insidiatore suis tur.

Vers. 14. 14. PER DIEM INCURRENT TENEBRAS, ET QUASI IN NOCTE SIC PALPABUNT IN MERIDIE. — Versus hic paraphrasis quædam elegans est cæcitatis illius, quam peccatores, quantumvis astutia et dexteritate valentes, incurrunt : scelestis quippe hominibus sol occidit sereno die, cum ipsi in altam rerum gerendarum ignorationem velut in tenebricosam abyssum incidunt : hinc efficitur, ut tanquam cæci perrectis vice oculorum manibus obvia quæque tentare dicantur : etenim plerumque adeo stupide exerrant in negotiis quoque non admodum implexis, ut omnino pateat animos impios justo Dei judicio excæcari, ut videntes non videant, et in medios hostes suos incauti incidant : quod Syris militibus ab Eliseo propheta in mediam Samariam inductis contigisse sacra prodit historia IV *Reg.* VI, 19 : ita peccatoribus futurum esse vaticinatus est David dicens *Psalm.* XXXIV, 6 : « Fiat via illorum tenebræ et lubricum. » Quod eodem sensu et iisdem pene verbis expressit Jeremias cap. XXIII, 12 : « Via eorum erit quasi lubricum in tenebris : impellentur enim, et corruent in ea, » significans vias peccatorum tenebrosas simul et lubricas exsistere, ne qua fugiendum sit videant, neque firmiter consistere aut gressum figere valeant, sed insuper impellantur et corruant. Id ipsum quoque adumbratum fuit, *Exod.* X, 21, in triduanis illis Ægypti tenebris, quæ (quod omnino prodigiosum erat) Israelitis in eadem regione gratissima luce fruentibus, solis Ægyptiis, Dei inimicis, tam densæ, ut palpari possent, offundebantur, ipsosque adeo excæcabant, ut nec frater fratrem, nec amicus amicum agnosceret. Fieri certe necesse est, ut in densissimas mentis tenebras incidant ii, qui legem Dei et doctrinam ejus negligunt, quæ una certum hominibus lumen adfert ad res quaslibet prudenter et inculpate gerendas, juxta illud Davidis *Psalm.* CXVIII, 105 : « Lucerna pedibus meis verbum tuum, » quam lucem quod non cernant neque sentiant iniqui, sæpenumero in Scriptura *cæci* et

Peccatores cæci sunt, et in tenebris ambulant.

http://www.obrascatolicas.com

Peccatum tenebras mentis effundit.

non videntes appellantur : quis enim nescit per peccatum menti tenebras offundi, et ea ratione totam animam fieri ludibrium inimicorum, atque in fraudem induci? Ac in primis omni vitio animi lumen imminui tum vitiosorum quotidiana experientia, tum Philosophi ratum illud axioma declarat : « Omnis peccans errans. » Tenebris certe involutus est atque cæcus quisquis in malum se facinus induit, et in fauces inferorum ac dæmonis servitutem præcipitat : est nimirum infandi illius hostis consuetudo ante omnia mentis oculos fraude malitiaque sua obnubere, subducere cognitionem cœlestium, ut in vitæ cursu laxis habenis quasi nigra in nocte Andabatarum more modoque ferantur.

In illa sceleris umbra piscatur ille orci prædo, et reti suo mortales involvit : interpositu lethiferi peccati solis semper luctuosam eclipsin et defectionem creat, unde plurimæ et gravissimæ calamitates oriuntur. In Jure π. *De Servit. urb.* lib. XV et XVI, prohibetur « ne luminibus officiatur, et ne prospectus offendatur : est enim illud defugiendæ et molestæ servitutis genus cum multis et magnis incommodis conjunctum, ubi gravissimi et doctissimi jurisconsulti aiunt *lumen* id esse, ut cœlum videatur ; *prospectum* ad inferiora loca pertinere. Utrumque facit ille humani divinique juris pernicies : nam per peccatum et conspectum cœli nobis eripit, et humanas quoque rationes et inferiores obtenebrat. Est quidem omnibus hoc vitiosis hominibus commune, ut, sicut dixi, tenebras animi incurrant; unde S. Dionysius Areopagita *Eccles. Hier.* cap. II, perite vocat ἀλαμπῆ καὶ σκοτεινὰ, *obscurum et illune vitium;* id tamen invidis est quasi proprium et peculiare, ut etiam « per diem incurrant tenebras; et quasi in nocte sic palpent in meridie : » nam reliqua quotquot sunt vitia tenebras quidem incurrunt, sed in nocte; quod non adeo mirum est; at invidia tenebras etiam incurrit per diem, et cæcutit ac palpat in meridie, quia dum de aliorum bonis tristatur, illa ipsa lux quæ aliis affulget invidiæ tenebras offundit : quod sane gravissimum miseriæ genus est, quemadmodum ad hunc locum D. Gregorius lib. VI *Moral.* cap. XVI pulchre docet his verbis : « Quia mens eorum dum de aliorum melioratione affligitur, de radio lucis obscuratur : quia sæpe in proximis dum bona aperta considerant, si qua mala lateant investigant; et sollicitis inquisitionibus laborant, si quid forte quod accusare possint inveniant : » reliquorum nempe vitiorum genera multa quidem mala et difficultates secum adferunt; at invidia de ipsa felicitate laborem trahit. Proprium hoc est invidorum ingenium, ut dum proximi miseriis urgentur, ipsi sibi felices videantur; dum vero proximis felicitas aliqua vel sors lætior affulgere cœperit, ipsi quidem cæci efficiantur, et aliena claritas ipsis tenebras offundat.

Luminis et prospectus effusio est servitus gravis.

Invidi palpant in meridie.

Vers. 15. 15. PORRO SALVUM FACIET EGENUM A GLADIO ORIS EORUM, ET DE MANU VIOLENTI PAUPEREM. — Postquam Dei miram in consiliis impiorum dissipandis providentiam, nec non formidandam in eorumdem excæcatione justitiam præcedentibus versiculis inculcasset, jam benignissimi Numinis erga egenos atque omni humano auxilio destitutos curam ac patrocinium commendat, et vaticinando prædicit inopem et humilem, in solius Dei ope sperantem, a calumniis et criminationibus iniquorum qui lingua veluti gladio ad necem insontis utuntur, et a violenta tyrannorum crudelitate tandem aliquando liberandum. De hac Dei erga pauperes et egenos providentia et amore prorsus singulari multa in divinis Litteris exstant testimonia; et cum omnes quidem justos complectatur, peculiari tamen ratione ac modo pauperum et egenorum veluti bonus quidam et amabilis tutor ac patronus esse videtur. Id quod regius Propheta sagaci mente expendens *Psalm.* IX, 36 : « Tibi, inquit, derelictus est pauper : » afflictus nempe et desertus ab omnibus pro beatissimo refugio habet Deum, cui relictus est; quia illius curæ tum maxime committitur, cum neminem habet alium qui curet. Tunc scilicet libentius Deus accurrit ut soletur, ut opituletur, et dulcissimi affectus sui vim et charitatem expromat : in Hebræo est verbum ex verbo, *super te deseret se pauper*, Deo enim nixus, et magno illius patrocinio fruens nihil est quod de se curet : qui tam bonum et providum curatorem habet, se totum illius fidei amorique potest committere. S. Hieronymus vertit, *tibi derelinquetur fortis tuus*, quasi idem sit *pauper* et *fortis*, ex se quidem imbecillis et abjectus, sed ex Dei præsidio incredibiliter robustus, omnique ex parte munitus.

Deus patronus egenorum.

Deo derelictus est pauper.

Hic animadvertendum, quod cum ab impiis plurima in viros pios tela intenta sint, non vincula, non carceres, non ergastula, non gladios, non virgas, non cruces et alia exquisita tormentorum genera commemoret, sed linguam tantum, quam *oris gladium* eleganter appellat; qua item phrasi Psalmista usus, de Judæis Christi occisoribus agens *Psalm.* LVI, 5 : « Lingua, inquit, eorum gladius acutus : » quem locum D. Augustinus etiam de Judæis Christum linguæ gladio ferientibus elegan'er exponens : « Noli, inquit, attendere inermes manus, sed os armatum : inde gladius processit quo Christus occideretur. » Et post pauca : « Quando ergo percusserunt, nisi quando clamaverunt : *Crucifige, crucifige?* » ex quo aliisque sacrosanctæ Scripturæ oraculis facile intelligitur, a nulla re magis viros sanctos quam a petulanti et dolosa lingua vexari. Illa nimirum gladios, tela et nefarios pugiones suppeditat, quibus frater cum fratre et amici inter se confligant, seque bonis et vita spolient; illa communem urbium pacem intervertit, adigit multos ad laqueum, qui probris odioque indigno vexantur; illa honorem plurimis detraxit, et

Lingua est oris gladius.

Lingua mala omni gladio nocentior.

principum virorum gratiam eripuit, ac subita calamitate multos oppressit; illa cursum studiorum optimorum præstantesque piorum hominum conatus repressit, et malitiose retardavit, quibus Dei gloria et religionis bonum amplificari potuisset. Quot ea lites procreavit? quæ dissidia familiarium? quæ divortia conjugum? Ubi lingua pestilens est malo dæmoni auctorata, subito exsulat pax, fides, concordia; succedunt in eorum locum suspicio, perfidiæ et dolosæ machinationes, quibus innocentia illuditur, et ad pœnam rapitur : non enim malæ linguæ simplex atque unicum vitium est, sed ex plurium aggregatione vitiorum ut chimæra quædam infamis horrescit. Nunquam apis sola procedit, ut naturæ interpretes animadvertunt, verum semper duæ tresve aut etiam plures inveniuntur : sic ubi linguæ vitium se prodit, videas subito ut turbam viperarum invidiam, odium, inhumanitatem, effrænatam iracundiam, legum divinarum contemptum, victricem in calumniando malitiam, acerbitatem quamdam animi jus omne fasque proterentis, adeo ut homines velut circæo poculo in naturam et conditionem belluarum migrasse videantur.

Linguæ est multiplex malum.

Quin imo S. Chrysostomus etiam feris immaniores pejoresque esse contendit *in Psalm.* XIII ita scribens : « Feræ, inquit, cum carnem humanam gustaverint mox cessant, propter insuetum nutrimentum erubescentes; improbi autem et invidi perpetuo fidelem maledictis exedentes non satiantur; » ubi etiam *devoratores leones* appellat, et ex mente regii Vatis *Psalm.* XIII, 4, in classe iniquorum reponit, « qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam, » etc.; alii vertunt ex Hebræo, *qui deprædantur*, ut nocturni veluti lupi esse videantur, qui avidis faucibus et ore toto in prædam inhient involentque. Eamdem ob causam maledicentiæ crimen cum aspidum veneno comparatur *Psalm.* CXXXIX, 4 : « Acuerunt linguas suas sicut serpentis : venenum aspidum sub labiis eorum : » rei certe opportunissima imago, nam venenum aspidum mortiferum est, et, ut physici aiunt, immedicabile, seu, ut Moyses in *Deuter.* XXXII, 33 loquitur, « insanabile : » haud minus mortiferum est linguæ virus, quam non abs re pius Vates acui dicit ut serpentis. In quo S. Bernardus tract. *De Tripl. cust.* mysterium agnoscit : vidit enim dici a Plinio lib. XI, cap. XXXVII linguam esse tenuissimam serpentibus et trisulcam, nominari autem *trisulcum* seu trifidum *telum*, quod triplici cuspide ferit, idque ipsum bellissime in linguam et aptissime convenire. Linguam igitur detractoris ait esse viperam venenatam, quæ cum virus evomit detractionis, ut triplici cuspide et trisulca tres lethaliter inficit flatu uno : quippe absentis famam, auscultantis conscientiam, detrahentis animam gratiæ vita spoliatam crudelis interimit.

Maledicti feris et belluis comparati.

Maledicentiæ venenum insanabile.

Detractor tres simul lædit.

Calumniatoris

Quid de mordaci et calumniosa lingua dicam? sunt enim aliqui tam impotentis et effrenatæ linguæ, ut non modo non absentibus parcant, sed, quod impudentis audaciæ est, ne præsentibus quidem, quos sævo dente lacerant, eorum linguam intemperantem et maledicendi consuetudinem Propheta regius in hunc modum expressit *Psalm.* LVI, 5 : « Dentes eorum arma et sagittæ : » apud Symmachum est ὀδόντα, *lanceæ*; unde S. Hieronymus ita vertit, *dentes eorum lanceæ et sagittæ*. Divino plane judicio armorum duo genera posuit ad vulnus infligendum accommodata : illud ad præsentes, hoc ad distantes pertinet. Lanceis cominus, sagittis eminus ferociunt : ut lanceis, ita probris et contumelia illos cum quibus agunt transverberare solent crudeliterque impetere : sagittas autem in procul positos et absentes mittunt : uno verbo, omnium hominum nomen atque famam impunita licentia rodunt atque violant. Magna est ergo Dei benignitas atque potentia, quæ hominem egenum et pauperem, omni amicorum ope atque humanis præsidiis destitutum, ab immani hostium truculentissimorum vi liberet, et eorum venenata tela retundat.

Lingua dentata et armata lanceis et sagittis.

Septuaginta versum hunc ad rem bellicam transferunt, et ita vertunt, ἀπόλοιντο δὲ ἐν πολέμῳ· ἀδύνατος δὲ ἐξισθῆναι ἐκ χειρὸς δυνάστου, *pereant autem in bello : infirmus autem egrediatur de manu potentis :* ita nimirum ut impii in bello injusto, quod adversus pios gerunt, internecione deleantur; justi vero et pii victoriam ex impiis consequantur. Per *egenum* quoque D. Gregorius lib. VI *Moral.* cap. XVI intelligit *virum justum*, qui nulla vi a pietate dimoveri possit. Duplicem autem statuit modum, quo quis ad peccandum adducitur, scilicet exemplo et suasione, quod exponit illis verbis : « Salvum faciet egenum de gladio oris eorum : » tum etiam minis, terroribus atque suppliciis, quod exposuit verbis sequentibus : « Et de manu violenti pauperem, » ut sit sensus, hominem pium ita virtuti addictum et penitus affixum esse, ut neque malorum sociorum suasionibus, neque tyrannorum terroribus atque suppliciis vel latum ab ea unguem dimoveri patiatur. Ipsa S. Gregorii verba sunt istiusmodi : « Recte dicit : *Salvum faciet egenum de gladio oris eorum, et de manu violenti pauperem*, ac si aperte diceretur : Sic in se Deus humilium mentes solidat, ut eas ad perpetrandam nequitiam neque blandimenta persuasionum pertrahant, neque dolores suppliciorum frangant. »

Viri justi nec blanditiis nec tormentis a virtute dimoventur.

Vers. 16. 16. ET ERIT EGENO SPES : INIQUITAS AUTEM CONTRAHET OS SUUM. — Ex istiusmodi nimirum Dei patrocinio ac tutela egeno ac pauperi justo spes accrescet, cum se viderit ab iniquo invasore et injusto oppressore divina mirabiliter ope liberatum. « Iniquitas autem (id est iniqui invasores, qui justum inopem oppresserant, cernentes ipsum tam valido Dei præsidio munitum, et ex omnibus periculis ereptum) contrahet os suum, » id est præ stupore attoniti obmutescent, cum vi-

Ex Dei præsidio spes pauperi accrescit.

http://www.obrascatolicas.com

derint omnes suas contra virum justum machinationes plane irritas cecidisse atque evanuisse. Huc spectat illud Davidis in eamdem omnino sententiam iisdem pene verbis dicentis *Psalm.* CVI, 42 : « Videbunt recti, et lætabuntur; et omnis iniquitas oppilabit os suum, » ita nimirum ut iniqui tantam Dei potentiam adversum se pro pauperum defensione timentes ac stupentes neque mussitare neque hiscere audeant. Septuaginta hoc loco vertunt, ἀδίκου δὲ στόμα ἐμφραγήσεται, *injusti autem os obstruatur.* Quod insinuat quasi vim quamdam extrinsecus illatam a Deo, qua os iniquo etiam invito ac reluctanti quodammodo obstruatur; cum quo congruit illud Davidis *Psalm.* LXII, 12 : « Obstructum est os loquentium iniqua. » Mirum sane est quam vivida egeno spes succrescat, quando Deus insontem a calumniis et inermem ab armatis insecutoribus illæsum custodit : tunc enim dejectus erigitur, et prostratus vires amissas resumit, ac semetipso fortior evadens, valide in posterum discit dimicare totamque in Deo adjutore suo fiduciam collocare, qui solus, ut idem Vates canit *Psalm.* IX, 10, « factus est refugium pauperi, » vel, ut alius apud S. Chrysostomum vertit, τῷ ἐπιτρίπτῳ, *attrito*, alius τῷ τεθλασμένῳ, *confracto*; S. Hieronymus legit, *elevatio oppresso* : ad Deum quippe tanquam ad ἀκρόπολιν, et arcem tutissimam, ad quam vis iniquorum evadere non possit, sese recipiunt pauperes in eum sperantes, atque illi tutelam suam deferunt : *refugii* enim nomine intelligi solet locus editus ac munitus, in quem tempore necessitatis et periculi, ut ab hostium incursu tuti simus, nos recipimus.

Deus est refugium pauperum.

Deus semper præsto est ad se confugientibus.

Triplici autem titulo Deus *refugium* nostrum dicitur, *primo,* quia in omnibus afflictionibus animi et corporis, in omnibus tentationibus et periculis, in omnibus angustiis et necessitatibus, quando aliunde subsidium et opem non speramus, apertum semper et certum per orationem in ipso refugium habemus, qui cum firma spe et fiducia ad se confugientes nunquam repellit, sed semper exaudit, præstando id quod ab ipso petimus, vel certe aliquid longe præstantius nobisque utilius. *Secundo,* quia ubi omnes aliæ creaturæ nos deserunt, vel opem ferre non possunt, ipse solus nunquam deserit, sed semper et intra nos, et extra nos, et circum nos undique et ex omni parte adest nobis, paratus juvare, consolari et salvare, unde merito cum Psalmista dicere possumus *Psalm.* XLV, 2 : « Deus refugium nostrum et virtus, adjutor in tribulationibus, » etc. *Tertio,* quia est singulare refugium omnium justorum, qui hujus sæculi pertæsi, ejusque fallaciam, malignitatem et ærumnas fugientes, ad Deum tanquam ad fontem vitæ et bonorum omnium abyssum in qua sola perfectam quietem obtinebunt, toto desiderio suspirant : ipse enim est ultimus finis et extremus desideriorum omnium terminus, ad quem omnes toto mentis impetu confugere debent, ut beatissimam quietem assequantur. Eamdem ob causam ipse etiam *spes* nostra dicitur, tum quia ipse est summum bonum, quod supra omnia et præ omnibus bonis desideramus et speramus, ad quod cor nostrum et tota spes nostra ultimo anhelat : tum quia ipse est, per cujus infinitam benignitatem, sapientiam et potentiam speramus, sive de mediis sive de ultimo fine agatur, nam præter illum nemo ista nobis præstare potest : itaque ipse est spes nostra, et tanquam summum bonum quod speramus, et tanquam auctor et adjutor, cujus ope speramus illud obtinere. Peculiariter autem Christus ab Apostolo I *Timoth.* I, 1, dicitur *spes nostra* ratione meritorum, per quæ confidimus nos omnia ad salutem necessaria et ipsam salutem obtenturos, sine quibus nulla spes salutis superest.

Deus cæteris deficientibus nos nunquam deserit ex parte sua.

Deus est singulare refugium justorum.

Deus est spes nostra, sive finem sive media spectemus.

Christus peculiariter spes nostra.

17. BEATUS HOMO QUI CORRIPITUR A DEO : INCREPATIONEM ERGO DOMINI NE REPROBES. — Felix profecto ille qui ita corripitur a Deo ut corrigatur atque emendetur : cavendum propterea ne increpantem nos Dominum proterve repellamus : amat enim quem flagellis castigat, urit tentationibus, affligit morbis, et variis tribulationibus punit. Quis nescit patrem amore affici erga filium quando illum corrigit, et pro excessibus admissis castigat? præsertim cum scriptum sit *Hebr.* XII, 6 : « Quem diligit Dominus castigat : flagellat autem omnem filium quem recipit. » Benefactor est dum punit : punitio et castigatio beneficium; quis benefactori gratias non agit? Probe S. Nilus in *Parœn.* : « In omnibus, quando a Deo corriperis, ne murmura : castigat enim ut pater, ideoque ut benefactor dignus est ut gratiarum actione celebretur : » non celebrat profecto benefactorem, nec ei gratus est qui murmurat, qui conqueritur, et sub tribulationis flagello verba impatientiæ plena evomit. Quod si flagellum, pœnæ et calamitates graves videantur et magnæ, gratias age, et leviores fient, easque vix senties, aut ne vix quidem; quemadmodum idem S. Nilus in *Parœn.* citata pulchre docet his verbis : « In tristibus gratias age, et jugum afflictionum leve erit; » undenam putandum est ignem, ferrum, sartagines et cujusvis generis tormenta per se gravissima, et plane formidanda, sanctis martyribus tam levia et accepta accidisse, nisi a Dei gratia et supera virtute, qua roborati fuere, ac simul a gratiarum actione, quam in mediis etiam cruciatibus Deo offerebant? »

Vers. 17. Correptio Dei paterna et utilis.

Gratiarum actio afflictiones reddit leviores.

Legimus primævos olim christianos ita sanguinem pro Christo effundere optavisse, ut ad supplicia damnati gratias agerent, et ad tormenta non minus alacres quam ad convivia properarent et exsultarent. Meminit hujus rei Tertullianus in *Apol.* cap. I : « Si denotatur, inquit, gloriatur : si accusatur, non defendit : interrogatus, vel ultro confitetur : damnatus gratias agit. » Hoc præstitit S. Lucius martyr apud Eusebium lib. IV *Hist.* cap. XVII : nam cum esset damnatus ad

Christiani olim ad mortem damnati gratias agebant.

mortem : « Gratias ago, inquiebat, quod me nequissimis dominis absolutum ad summum cœli terræque regem remittis. » Aurea sane vox et christiano pectore digna, quam utinam audiant qui vel leviter puncti statim erumpunt in querelas : in tribulationibus enim et molestiis etiam agendæ sunt Deo gratiæ, quia dum nos iis premit, se nostri memorem esse ostendit. Fertur olim apud nonnullas gentes hunc morem viguisse, ut qui a rege juberetur cædi ac flagellari gratias regi ageret, quia memor ejus rex esset. Is præcipue fuit Persarum mos, cujus meminit Nicolaus *De Mor. Gent.* apud Stobæum, de legibus *serm.* 44 sic scribens : « Persis quod facere illicitum id ne dicunt quidem : si quis patrem interfecerit, spurium aut subdititium esse putant, non verum Persam. Regi gratias agit, qui flagellari ab eo jussus fuerit, tanquam feliciter secum actum sit, quod rex memor ipsius fuerit : » sic ille. Non pudeat ethnicos imitari, et probum ritum reddere sanctiorem; quod facies, si non a rege terreno, sed a cœlesti, qui Rex regum est, jussus flagellari, jussus cædi, jussus torqueri, uri secarique gratias ei agas : quia memor est tui dum te flagellat. Præstiterunt id gentiles a terreno rege percussi, non præstabit christianus, dum cœlestis Regis jussu cæditur et flagellatur? Hæc scilicet manifesta probi viri nota est in adversitatum fluctibus Deo gratias agere : hoc solidæ virtutis argumentum est, si non tantum in prosperis, sed etiam in tribulationibus gratum Deo animum exhibeamus. Quidni? medicus nimirum Deus est dum flagellat, chirurgus est dum urit et secat : opportuna vulnerum medicina tribulatio est. Gratus sit cœlesti medico qui ab eo curatur, aliam enim ille mercedem a nobis non quærit quam gratiarum actionem. Nimis sordidus est, imo indignus sanitate, qui hanc negat.

Persæ jussi a rege flagellari gratias agebant.

Deus est memor nostri dum nos flagellat.

Deus medicus est dum flagellat; cui pro mercede debetur actio gratiarum.

Vers. 18.

18. QUIA IPSE VULNERAT, ET MEDETUR : PERCUTIT, ET MANUS EJUS SANABUNT. — In Hebræo est, *ipse vulnerans medetur*, ut plagæ Dei dici possint plagæ vitales, non mortales : optimus nempe medicus est Deus peritissimusque chirurgus; unde non mirum si ferro tribulationis utitur, si ærumnarum ignem adhibet, si adversitatis et pressurarum acrimoniam in salubris medicinæ potum temperat, ut nostra vulnera curet, nostra peccata sanet, morbis animæ et languoribus opportuno occurrat remedio. Jure Procopius Deum, dum plagas incutit, *salutis nostræ artificem* appellat : sic enim scribit *in Isai.* cap. IX : « Tam est nostræ salutis peritus artifex Deus, ut vel plagas incutiens medeatur, utrinque nos ad pietatem provocans. » Proh quam pius, quam peritus hic medicus, qui plagis plagas curat! Cum igitur vides Deum vulnera nostra develare, et tribulationibus bonorumque spoliatione quodammodo explicare et exquirere, signum est illum cogitare curationem, et tanquam medicum et chirurgum sanare plagas velle; quemadmodum significat dicens *Ose.* VII, 1 : « Cum sanare vellem Israel, » ubi Chaldæus legit, *cum exquirerem peccata Israel* : nempe sanare vult cum explicat vulnus et discooperit, et adversitatibus ac flagellis exquirit; omnia siquidem peritus medicus in medelam dirigit. Deum agere medicum dum flagellat testatur S. Antiochus *Hom.* 117, his verbis : « Dominus animarum nostrarum procurator providentissimus, nostrorum omnium usui consulens tribulationes infligit, et acrimoniam asperitatemque urentis cauterii adversus coalescentem morbum admovet, integer ut sit homo et incolumis. » Cauterium hoc admittant, qui cauteriatam habent conscientiam, ut anima sanetur, corpus affligatur : nam, ut præclare S. Gregorius lib. XXVI *Moral.* cap. XV : « Internus medicus abscindit virus putredinis ferro tribulationis : » hoc ferrum æquo animo ferat, qui languentis animæ vulnus curatum cupit. Eleganter S. Bernardus tract. *De Grad. humil.* : « Sicut medicus, inquit, non solum unguento, sed igne utitur et ferro, quo omne quod in vulnere sanando superfluum excreverit secet, urat : sic medicus animarum Deus hujusmodi animæ procurat tentationes, immittit tribulationes, quibus afflicta et humiliata gaudium vertat in luctum. » Felices qui salutiferum cœlestis hujus medici ferrum æquo et hilari animo admiserint! Intrat enim per ista vulnera salus, et perfecta sanitas per istiusmodi pressurarum incisiones recuperatur. Quid igitur tribulationem fugis, et adversitatis nomen exhorres? cogita medicinam esse, et punientem Deum optimi medici obire munus, atque omnia adversa non solum forti, sed æquo etiam animo feres. Audi S. Augustinum *in Psalm.* XXI his verbis monentem : « Intellige homo medicum esse Deum, et tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. » Noli adeo desipere ut morbo correptus salubre medicamentum rejicias, quod ab illius medici manu est, quin in porrigendis morborum remediis falli non potest.

Deus ut peritus medicus tribulationis ferrum adhibet ut sanet.

Amaræ medicinæ salubres.

Omnium autem pulcherrime ad Eliphazi mentem hoc monet et exemplis illustrat S. Hieronymus in epist. *ad Amic. ægrot.* ita scribens : « Qui curandus est non dicit medico qua lege curetur; nec miles eligit quo mittatur; nec servus quo verbere castigetur : quod enim ex majoris pendet arbitrio non est in potestate subjecti. Ergo qui superna regimur potestate, et inter mundi miserias multiformes corrigendi versamur, nec nostrum est de potestate Domini aut plagas eligere, aut talia certamina, quæ ferendo vincamus : sicut nec servorum est eligere de dominis genera flagellorum. Potestatis est emendare, conditionis est subjacere. Regis est onus imponere, et militis sustinere : quippe cum et ab ipso rege nil geratur injustum, qui suis legionibus pro virium qualitate bellicos sudores imponens fortes mittit ad fortia, inferioribus competentia jubet, ut nec inferior contra proprias vires certamine potentioris arceatur, aut potentior inferioris cer-

Infirmi non est medico præscribere modum quo curetur.

Medicus vulnera explicat ut curet.

http://www.obrascatolicas.com

tamine degradatis meritis humilietur. Nec inimicus est medicus, qui ferit ut periculum tollat, et vulnere vulnus excludat. Nec adversatur paternus affectus, si liberos doceat amplexibus flagellorum : paterna enim flagella exercitia sunt innoxia pietatis. Ergo quoniam castigatio corrigentis amoris est causa, cum de pietate descendat, ama medicum percussorem, cujus plaga mater est medicinæ : *Ego* (inquit Dominus *Deuter.* XXXII, 39) *occidam, et vivere faciam; percutiam, et ego sanabo.* Cum non desit in homine quod curetur, ferit ut curet; ut sunt manus medici, quæ multum lædendo conferunt sanitatem non sine murmure patientis. Aggredere igitur frater sustinentiæ remedium, quo valeas gravidam tentationibus sarcinam levigare, et pericula dum pateris superare, » etc. Hisce et similibus monitis visus est Eliphaz Jobi afflictum animum relevare et curare voluisse, sed parum, uti non semel monuimus, perite; quod in primis principiis circa causas afflictionum Jobi hallucinaretur, eumque quo minime laborabat animi morbo teneri existimaret. Unde fit, ut optimas quidem sententias et per se saluberrimas proferat, sed male illas Jobo applicare pergat.

Vers. 19. 19. IN SEX TRIBULATIONIBUS LIBERABIT TE, ET IN SEPTIMA NON TANGET TE MALUM : — est poeticus hebraismus, certum pro incerto, numerum multitudinis significans, *q. d.* Licet septies et pluries in mala incidas, semper liberabit te. Hic loquendi modus frequens est in Scripturis, ut patet ex illo *Prov.* VI, 16 : « Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus : » item *Prov.* XXX, 15 : « Tria sunt insaturabilia, et quartum, quod nunquam dicit : Sufficit; » et in *Amos* cap. I, 3 : « Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum. » In quibus locis numerus ille seorsum additus priorem complet.

Septenarius est numerus universitatis et multitudinis.

Septenarius autem, ut alibi notavimus, solet poni pro numero multitudinis aut universitatis, estque Spiritui Sancto familiaris, ut S. Augustinus lib. II *De Civit.* cap. XXXI observat. Eliphaz autem hac loquendi formula significat nihil esse timendum illi qui Deum omnipotentem et justum agnoverit, et se illi totum subjecerit, ac suæ vitæ tutelam rationesque omnes sine ulla exceptione tradiderit. Anagogice locum hunc exponit Didymus in *Caten.* hoc modo, *q. d.* In sex diebus hujus vitæ, id est in hoc sæculo laboribus deputato, exercebit te Dominus tribulationibus mortali familiaribus, e quibus te liberabit; in septimo autem, scilicet Sabbato resurrectionis, non tanget te malum ullum; sed impassibilitate et gloria cumulaberis.

Septem tentationum modi.

Tropologice septem istæ tribulationes sunt septem tentationes, a quibus nos divina miseratio, si volumus, adhibitis auxiliis puros illibatosque custodit. Porro septem hasce vias seu rationes tentandi, quibus adversarii nos aggrediuntur, ita pulchre describunt Richardus Victorinus *in Psalm.* XC, et ex eo Dionysius Richelius lib. *De Rem. tent.* art. 8 his verbis : « Diabolus enim et alii hostes nostræ salutis *primo* nos tentant tentatione importuna; *secundo* tentatione dubia; *tertio* tentatione subita; *quarto* tentatione occulta : *quinto* tentatione violenta; *sexto* tentatione fraudulenta; *septimo* tentatione perplexa. » Ad hosce septem tentandi modos universa tentationum genera referuntur, a quibus nos scuto veritatis omnino tutos fore Propheta regius pollicetur dicens *Psalm.* XC, 5 : « Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano, » etc., ubi *veritas ejus*, est verbum Dei, quod omnem ejus veritatem ad salutem necessariam complectitur, et habet rationem *scuti*, quo contra omnes tentationes munimur atque protegimur : sicut enim scutum omnibus corporis partibus tuendis, omnibus hostium telis eludendis et repellendis accommodatur, ita etiam verbum Dei omnes virtutes servat, et omnia vitia repellit; unde Burgensis ad locum jam citatum : « Cum, inquit, adversarius tentando circumiret per diversa vitia, Christus circumdedit se scuto veritatis : quamlibet enim tentationem contra eum commissam evacuavit per auctoritatem sacræ Scripturæ, quæ est veritas divina. » Per hanc ergo *veritatem* a tentationibus liberamur, dum earum notione imbuimur, et virtute divina protegimur; hæc est lux illa cœlestis, quæ tentationum nobis qualitates aperit, et ex luce ad calorem, id est ex cognitione ad pugnandi dexteritatem procedens, nos erudit; quoniam *Proverb.* XXIV, 16, « septies in die cadit justus, et resurgit : » quia saltem in rebus levibus sæpe hac multiplici tentatione ligatur, et potentia cœlestis virtutis erigitur, ut propter septemplicem liberationem cum regio Vate canat *Psalm.* CXVIII, 164 : « Septies in die laudem dixi tibi propter judicia justitiæ tuæ. » Vere enim judicia sunt justitiæ simul et benignitatis, quando hostis injuste animam impetens juste cadit, atque anima miserandum in modum tentationibus oppressa benigne se Dei ope liberatam intelligit.

Verbum Dei est scutum contra omnes tentationes.

Vers. 20 Justus Deus non patitur perire fame : et quo sensu hoc intelligendum sit

20. IN FAME ERUET TE DE MORTE, ET IN BELLO DE MANU GLADII. — Sigillatim Eliphaz commemorat tribulationes humano generi maxime familiares et molestas, quibus Jobum, si in spiritu humilitatis toto corde ad Deum vere conversus fuerit, absque dubio liberatum iri prædicit : ac in primis calamitoso famis tempore, quando plurimi panis et cibi ad vitam sustentandam congrui defectu contabescere consueverunt, nihil ei unquam ad victum, etiam commodum, necessariorum defuturum pollicetur. De istiusmodi a fame et inedia exemptione ac præservatione satis frequens exstat in Scriptura viris justis facta promissio; de quibus Psalmista canit *Psalm.* XXXVI, 20, quoniam « non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur : » licet enim in calamitates quandoque incidant, nunquam tamen a Deo deseruntur; sed ejus in se benignitatem ac providentiam prorsus singularem experiuntur, qua communi rerum inopia grassante non solum id quod ad vitam utcumque tolerandam satis, verum etiam ad opipare vivendum abunde sit, iis liberaliter suppeditatur. Ad cujus rei confirmationem, et majorem ejusdem veritatis asseverationem *ibid.* vers. 26 Propheta regius tanquam testis oculatus ac fidelis mox subjungit : « Junior fui : etenim senui : et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem, » diserte significans se longa multorum annorum experientia doctum comperisse, nunquam a Deo virum justum penitus fuisse derelictum, aut ejus posteros cibi potusve penuria laborasse.

In Ecclesia multi mendicantes justi; sed non derelicti.

Ad quem locum recte notat Bellarminus sententiæ istius veritatem minime tolli aut elidi per hoc, quod indies modo in Ecclesia videamus quam plurimos fideles pauperes mendicato sibi victum et panem quærere : nam quod ad religiosos quidem mendicantes attinet, hi sua sponte, non tam ex inopiæ necessitate quam ex paupertatis amore mendicant, neque dici possunt *derelicti*, cum Deus eos mirabili sua providentia sustentet, nec quidquam fere iis rerum ad victum necessarium deesse patiatur; cæteri vero mendici ut plurimum non sunt filii eorum qui consueverint aliorum pauperum misereri et eleemosynas dare, ad quos proprie hæc promissio pertinet; sæpenumero etiam ipsimet neque justi sunt, neque filii justorum. Quod si vero etiam inter illos aliqui nonnunquam justi et sperantes in Domino reperiantur, qui cum evangelico Lazaro micas quærant *Luc.* XVI, quibus famem depellant, hi profecto melius aliquid a Domino accipiunt quam sit copia rerum temporalium; neque tales mutare vellent meritum patientiæ cum omni temporali felicitate. Talibus enim fames et penuria istiusmodi non tam infligitur in pœnam, quam immittitur ad eruditionem, ut illa tanquam optimo magistro ad virtutem et honestatem utantur; siquidem magister hic non ad prima duntaxat rudioribus elementa virtutis proponenda idoneus reperitur, verum etiam ad sapientissimos quosque doctores ad apicem perfectionis promovendos aptissimus judicatur. Hoc professore gentium doctor Paulus ad tantam, quam merito miramur, sanctitatem se provectum testatur II *Corinth.* XI, 27 « in fame, et siti, in jejuniis multis. » Quin et Christus Dominus, cum esset Filius Dei, famem sibi ipsi magistram adaptavit, quam non semel perpeti voluit, ut disceret ex iis quæ passus est, teste Apostolo *Hebr.* V, 8.

Fames magistra virtutis.

Verum de hac fame optima et perfectissima quæque suadente non hic sermo est, sed de illa alia, de qua Poeta canit VI *Æneid.* vers. 276 :

Et male suada fames et turpis egestas :

quam a viro justo David loco jam citato ejusque filius Salomon *Proverb.* X, 3 jure merito removet dicens : « Non affliget Dominus fame animam justi; » ad quem locum vide nostrum Salazar, qui illum eleganter illustrat, et plurima ex varia eruditione adfert, quæ ad hanc, in qua explicanda versamur, Eliphazi sententiam illustrandam conducunt : quin et Hesiodus auctor profanus de viro justo ausus est asserere nunquam eum fame periturum ita scribens :

Οὐδὲ ποτ' ἰθυδίκαισι μετ' ἀνδράσι λιμὸς ἑπηδεῖ·
Οὐδ' ἄτη δαλίη· δὶ μαιμάουτα ἔργα νέμονται,
Τοῖσι φέρει μὲν γαῖα πολὺν βίον :

Nunquam dira fames justos divexat in orbe
Aut noxa : ast illis convivia pinguia præbent
Cœlicolæ, et tellus his victum præbet abunde.

Nec in fame duntaxat a morte, sed etiam in bello de *manu gladii* liberum fore pronuntiat, ubi Polychronius in *Caten. manum gladii* vim et potentiam gladii exponit; alii vero *ictum ensis* interpretantur : Pineda per hypallagen dictum cupit pro *gladio manus*, gladius enim manu apprehensus et elevatus symbolum est extremi discriminis et præsentis hostis atque imminentis cædis. Significat ergo Jobum, si ad Deum confugerit, omni periculo liberandum. Hoc singulariter experti sunt Jacob cum filiis suis, et Elias, et Eliseus, aliique complures viri pietate et fiducia illustres, quos Deus a fame et gladio ac minis hostilibus incolumes præstitit. Plurima sunt istiusmodi in sacris litteris et historiarum monumentis divinæ erga suos protectionis exempla; quæ, quod satis obvia sint, omitto.

Justus etiam in bello tutus est.

Vers. 21. Flagellum linguæ quid.

21. A FLAGELLO LINGUÆ ABSCONDERIS : ET NON TIMEBIS CALAMITATEM CUM VENERIT, — id est aculeatæ ac virulentæ obtrectatorum linguæ te Deo protegente non lædent, et pacatæ conscientiæ testimonio fretus ingruentia mala minime formidabis; ubi nota linguam detractoris ac maledici, quam *supr.* vers. 15 *gladium* appellaverat, nunc *flagellum* nuncupari, a quo ait pios homines abscondi, ac si Deus eos clypeo suæ protectionis ambiret; Vatablus hic per *flagellum linguæ* calumniam intelligit, a qua eum qui perfecte Deo servit tanquam a supremo malo liberandum exponit. Est autem calumnia, ut Nonnus Marcellinus explicat, *malitiosa et mendax infamatio;* hinc proprie loquendo *calumniator* dicitur, qui falsa crimina imponit apud omnes, signanter autem apud judices, et viros præcipuos, uti docent Nonius et Marcianus lib. I *ad Senat. Turpil.* lib. *Si calumniatus*, de verb. sign. Nec ulla re magis commovetur sapiens quam falsi criminis impositione, juxta illud *Eccle.* VII, 8 : « Calumnia conturbat sapientem, et perdit robur illius; » quem locum expendit egregie S. Basilius epist. 79 *ad Eustach.*, qui ita legit, *calumnia virum humiliat : calumnia pauperem conturbat*, intelligens omne genus hominum conturbari calumnia. Nec mirum, nam, ut

Calumnia quid, et quantum malum.

http://www.obrascatolicas.com

Sapiens ait, suprema plaga, qua quis percuti potest, est quam infert calumniatoris lingua, juxta illud *Eccli.* XXVIII, 21 : « Flagelli enim plaga livorem facit : plaga autem linguæ comminuet ossa; » et sicut is, cujus ossa comminuta aut confracta sunt, summo dolore torquetur, ita is qui calumnia percussum se intelligit; quam Eliphaz Themanites hic jure merito *flagellum linguæ* appellat. Quin et ipse Christus non tam de tormentis, quibus ipsum summis tortores affecerunt, quam de Judæorum calumniis, omni tortura gravioribus, conquestus legitur : de hoc calumniæ malo vide pulchre ac fuse Tollenarium nostrum in *Spec. vanit. eccles.* cap. VII, sect. 6. Ait ergo Eliphaz Jobum, si ad Deum conversus fuerit, divina protectione ab omni penitus obtrectatorum calumnia liberum et immunem futurum; et si quam forte prius infamiæ maculam contraxisset, illam a superveniente felicitate ita prorsus detergendam, ut nullus in posterum maledicis hominibus ipsum infamandi locus futurus sit reliquus, splendore scilicet posterioris gloriæ priorem omnem calumniæ nebulam dissipante.

Deus suos accurate protegit.

Cæterum hic mihi attentius considera qui Deo etiam juvante hoc malum propellatur, ut quis etiam a maledicorum ore immunis sit : enucleate rem tetigit Polychronius præfata verba sic exscribens et exponens, ἀπὸ μάστιγος γλώσσης σε κρύψει · τουτέστι, καὶ λοιδορίας κρείττονα ἐργάσεται, *a flagello linguæ abscondet te, id est, contumelia superiorem te reddet :* nimirum a flagello maledicæ linguæ eximi non est linguam maledicorum compesci, sed ea sublimiorem fieri. Nempe ope divina hoc obtinebis, ut patientiam obdures, ut constantiam armes, ut magnanimitatem exeras, quo fiet ut vituperantium contumelias muta tolerantia et consulto neglectu facile superes. « Haud exiguum autem, quin imo valde magnum est, inquit in *Caten.* Chrysostomus, liberari ab homine qui nihil boni unquam loquatur; » ac si instar prodigii sit censendum, si quis etiam vel cum singulari auxilio Dei maledicæ linguæ vulnera evadat illæsus.

Patientia et magnanimitate calumniæ superandæ.

Et non timebis calamitatem cum venerit.—Spondet insuper in calamitate, quæcumque tandem posset ingruere, ipsum omnino tutum et intrepidum constitutum; quod inculpati hominis, Deoque accepti argumentum est et illustre signum divinæ protectionis. Vult igitur significare nulla tanta et tam metuenda esse mala, nihil tam pestilens atque noxium, nullos tantos molestiarum fluctus, in quibus non tueatur suos Deus admiranda et inexplicabili charitate. Hanc divinam protectionem humanissimi et beneficentissimi domini scriptores cœlestium arcanorum multis symbolis et insignibus modis celebrarunt, Deum appellantes murum, vallum et propugnaculum, acropolim in arduo sitam et inexpugnabilem, scutum, gladium, robur, virtutem, refugium, etc. Unde factum ut inter hebræa Dei nomina unum sit צור *tsur*, hoc est *arx*, munitio, petra. castellum in vivo saxo editoque positum : quo nomine regius Vates Deum sæpissime appellat, ut cum ait *Psalm.* LXXII, 26 : « Deus cordis mei, » ubi in Hebræo est צור *tsur*, proprie *petra cordis mei* : alio in loco *Psalm.* XCI, 16 : « Rectus Dominus Deus noster, » ubi pro *Deus* est eadem vox, et Cajetanus vertit *rupes mea*, hoc est *arx*, non in rupe tarpeia, sed in cœlo atque Deo posita : item in eo *Psalm.* LXXVII, 35 : « Deus adjutor eorum est. » Habet lingua sancta, *Deus* צור *tsur*, hoc est *rupes eorum est*; hac scilicet consideratione rex ille devotus se vehementer excitabat non modo ad piam in Deum fiduciam, a quo sæpe tristissimis in rebus et calamitate præsidium fuisset consecutus, verum etiam ad eumdem sospitatorem suum magno et singulari amore diligendum, cum ait *Psalm.* XVII, 1 : « Diligam te, Domine, fortitudo mea : Dominus firmamentum meum, et refugium meum; » ubi in Hebræo pro *firmamentum* habetur סלעי *salhi*, hoc est *petra mea*, videlicet firmum ac solidum fundamentum, quo stetit invictus, cum procellæ furentium inimicorum stantem evertere et affligere conarentur : pro *refugium meum* est מצורתי *metsurathi*, hoc est *arx mea*, seu valida munitio, ad quam mihi patuit refugium, *q. d.* Cum in tuto sum Deus mihi est firmamentum; cum in periculum incidi est tuti perfugii locus : hac igitur Dei protectione securi sumus et tuti : « nam (ut pulchre S. Cyprianus *De Orat. Domin.* ait) quis ei de sæculo metus est, cui in sæculo Deus tutor est? » Hanc porro viri justi ac Deo chari securitatem magis inculcans et amplificans subdit :

Protectio Dei multis symbolis adumbratur.

Deus firmamentum et refugium.

22. In vastitate et fame ridebis, et bestias terræ non formidabis, — id est, cum a prædonibus vastata fuerit regio, et cum a sterilitate fames ingruerit, tu opulentus intactusque lætaberis, neque timebis, ne forte lupi aliæve belluæ feroces in te vel in greges tuos a Deo immittantur : luctuosum certe spectaculum exhibere solet vastitas camporum et agrorum, quos spinis, urticis aliisque herbis noxiis squalentes sterilitas conficit, et invisos reddit : ibi belluæ vix pastum reperientes sævire in homines consueverunt, a quibus immunem fore Jobum, si recte agat, Eliphaz pollicetur : quia nimirum pro viro justo stat potestas major, quæ humanos casus moderatur et frangit. Illa porro vox *ridebis* indicat animum prorsus liberum atque securum, quem neque tempestas aliis formidanda conturbet, vel a sereno ac tranquillo mentis statu dejiciat, aut ullo modo impediat, quo minus jugi ac solida liquidaque fruatur voluptate. Ita *ventos ridere* dicitur et *imbres*, qui domum in rupe fundatam et bene compaginatam incolit, quam propter firmitatem ventus dejicere, et propter compactam solidamque materiam imbres penetrare non possunt : sic scopuli et cautes rident illisos fluctus confusionem suam despumantes, a quibus nullum pati possunt detrimentum. Quin et Martialis de endromide, id est villosa et hirsuta veste bene texta induto, loquens ait :

Vers. 22. Sanctos vastitas et fames non affligit.

Ridebit ventos hoc munere tectus et imbres.

Justus iniquos deridet.

Septuaginta hoc loco vertunt, ἀδίκων καὶ ἀνόμων καταγελάσῃ, *injustos et iniquos deridebis*, id est ludibrio habebis tyrannos, prædones ac violentos pauperum oppressores; vel quasi ludens ac ridens illos fugabis, debellabis, conculcabis et subsannabis : quo sensu de impiis regibus ac tyrannis dicitur *Psalm.* II, 4 : « Qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos; » et *Habac.* I, 10 : « Ipse super omnem munitionem ridebit, et tyranni ridiculi ejus erunt : » item ad impios vocationis suæ desertores et consiliorum divinorum illusores ipsemet Dominus ait *Prov.* I, 26 : « Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo : » quibus locis *ridere* pro *illudere* sumitur, seu contemptui et despectui habere (quemadmodum etiam Septuaginta hoc loco accipiunt) ita ut Deus simul cum justis ita rideat, id est eos ridere faciat, ut injustos irrideant, risuque ac damnatione dignos ostendant. Quemadmodum hostili exercitu adversus civitatem castrametante, et eam variis insultibus oppugnante, tum obsidione commeatum excludendo, tum desolatoriis machinis mœnia quatiendo, tum variis excursibus regionem depopulando, arx fortissima, in præcelsa rupe firmiter ædificata, et omni necessario instructu probe munita, nil timens hostiles conatus omnes ridet et irridet : ita justi divino præsidio freti adversarios non formidant, sed irritos eorum conatus et astus irrident et explodunt; et jure quidem, inquit Gregorius lib. VI *Moral*, cap. XV « sancti enim viri quia contra multiformem adversarium se pugnare considerant, semetipsos in certamine multipliciter parant : habent enim contra famem divini verbi pabulum; contra belli gladium, continentiæ scutum; contra flagellum linguæ, protectionem patientiæ; contra exterioris calamitatis damnum, interni amoris adjutorium. Unde miro modo agitur, ut quo eos hostis callidus numerosius tentat, eo circumspecti Dei milites virtutibus ditiores fiant : » ideo cuilibet eorum dicitur : « In vastitate et fame ridebis, » neque hoc tantum obtinebis, verum etiam a ferarum et belluarum injuriis liber eris; unde mox subjungit :

Per bestias significantur homines feri.

Bestiæ sceleratis exitio et sanctis obsequio fuerunt.

Et bestias terræ non formidabis. — Constat ex sacris litteris et historiarum monumentis Deum nonnunquam scelestis hominibus iratum feras belluas immisisse, quæ de illis vindictam sumerent ut ignitos serpentes in populum murmurantem *Num.* XXI, 6, leones in Assyrios a Salmanazare in Samariam missos IV *Reg.* XVII, 25, ursos in petulantes pueros Elisei derisores IV *Reg.* II, 24 : sicut e contra legimus viros sanctos immanissimas etiam belluas refrænasse *Heb.* XI, 33, obturasse ora leonum, et cum iis non secus ac cum agnis lusisse, ursis imperasse; pantheras et tigrides cicurasse, ut in *Vit. Patr.* et S. Francisci, Vedasti, Galli et nostri Josephi Anchietæ, hoc nomine prorsus admirabilis, historia memoriæ proditum reperitur : quorum similia sexcentis aliis vitæ ac morum innocentia conspicuis contigisse ex sanctorum annalibus diligens lector cognoscet. Significat ergo Eliphaz viro justo et innocenti nihil quoque a feris belluis metuendum esse. Alii cum Olympiodoro et Philippo hic per *bestias* intelligunt homines silvestribus ac ferinis moribus, qui propter sceleris infamiam atque sordes in belluarum conditionem similitudinemque demigrant : in iis enim affectio illa deprehenditur, quam Aristoteles lib. VII *Ethic.* cap. I θηριότητα vocat, id est *feritatem*, quæ in eos cadit, qui vitio reliquis antecellunt; et definitur ab eodem cap. VI ὑπερβάλλουσα κακία, *modum superans vitiositas*; additque alio capite hominem vitiosum μυριοπλασίαν, id est *infimitis partibus plura illaturum mala* quam feram. De istiusmodi hominibus S. Ignatius, eodem quoque genere loquendi usus, ad Romanos scribit his verbis : « De Syria usque ad Romam pugno ad bestias in mari et in terra, nocte dieque ligatus cum decem leopardis, hoc est militibus, qui me custodiunt : quibus et cum benefeceris pejores fiunt : » in eamdem quoque sententiam S. Paulus ait I *Corinth.* XV, 32 : « Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi : » similiter II *Timoth.* IV, 17 : « Liberatus sum, inquit, de ore leonis, » Neronem intelligens. Sic alibi passim in Scriptura homines improbi ex similitudine morum brutorum *bestiarum* quoque appellationem sortiuntur; uti ad cap. I, 4 et alibi me annotasse memini. Verumtamen hoc loco *bestias* in propria significatione sumi censeo, ut sit sensus, hominem justum divina protectione fretum neque hostium neque bestiarum incursum metuere.

Tropologice S. Gregorius lib. VI *Moral.* cap. XX per *vastitatem* intelligit orbis consummationem et extremum judicium, cum impii pane cœlesti ac Dei gratia destituti peribunt fame, atque bestiis, id est diabolis, præda fient : tunc nimirum justi salutis suæ securi in interitu impiorum ridebunt, nec dæmones formidabunt.

In die judicii justi securi impios ridebunt, nec dæmones formidabunt.

23. Sed cum lapidibus regionum pactum tuum, et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi. — Recensuerat Eliphaz versibus præcedentibus mala quæ a Jobo procul abfutura protestatus est, modo ipsum peccati, cujus eum sibi male conscium putabat, pœniteret; nunc vero subdit genus quoddam felicitatis temporaneæ, isto præsertim sæculo, justitiæ atque integritati vitæ passim adnasci solitæ; spondens scilicet Jobum, ubi cum Deo in gratiam redierit, adeo fore fortunatum, ut cum regiones ac latifundia sua certis finibus circumscripserit, terminosque ac limites erectis de more lapidibus designarit, neminem eos refigere ausurum, aut ullo modo transilire, vel columnas maceriasve evertere; sed adeo immobiles ac firmos istiusmodi terminos futuros, ac si cum eo pactum per-

Vers. 23.

Temporalis felicitas aliquando est fructus justitiæ.

Quid significet pactum cum lapidibus regionum.

http://www.obrascatolicas.com

petuum sanxissent, ne se a quopiam transiri aut violari unquam sinerent, *q. d.* « Ponet Deus fines tuos pacem » *Psalm.* CXLVII, 14 : quin et feras quoque ipsas et infestas agris bestias, puta lupos, apros, vulpes, et similes, nihil unquam frugibus et arboribus ac vineis nocumenti allaturas pollicetur : quippe quæ pietatis ac divinæ protectionis vim sentiant, et per impiorum potius arva grassentur. Hic sensus præ aliis, quos plurimos ad hunc locum adfert Pineda noster, mihi maxime probatur, tanquam simplicissimus et clarissimus, ac cum præcedentibus et sequentibus optime cohærens. Posset quoque prima pars hujus versiculi ad fœcunditatem soli pertinere, ut pactum cum lapidibus percussum idem sit ac semen in petrosam terram jactum, et velut ex pacto quasi contra naturam singulari benedictione Dei proventum amplum refundens : sicut enim terra fructifera *Psalm.* CVI, 34, vertitur « in salsuginem a malitia habitantium in ea, » sic e contrario solum sterile lapidibus exasperatum mitescit ac fœcundatur ob pietatem cultorum, quibus Deus propitius est et benedicit. Quin imo virorum etiam sanctorum precibus et benedictioni nonnunquam id concessum fuit, ut agri steriles et lapidosi longe fœcundissimi evaderent : ita in *Vita Patr.* S. Copres arena benedicta maximam agrorum sterilitatem correxisse scribitur. Multo autem adhuc frequentius bestiis terræ pacificis usi sunt sancti, quibus etiam non raro obediverunt et servierunt, ut leones Antonio, Macario Romano, Simeoni Prisco, Gerasimo, Sergio, Paulo Helladico, Joanni Anachoretæ, aliisque; serpentes Paulo, Hilarioni; crocodili Pachomio, Benoni, Heleno; hyænæ Macario Alexandrino et Pachoni; onagri Antonio; hippopotamus Benoni; dracones Ammoni; ut alios taceam, quos in *Vita Patr.* et *Fast. Sanct.* videre licet atque admirari.

Incolarum pietas aliquando terram sterilem fœcundavit.

Feræ Sanctis pacificæ et obsequiosæ.

Allegorice S. Gregorius lib. VI *Moral.* cap. XXI : « Quid, inquit, per *regionum lapides* nisi ecclesiarum electos accipimus? quibus primi instructoris voce dicitur I *Petr.* II, 5 : *Vos autem tanquam lapides vivi superædificamini*; de quibus sanctæ Ecclesiæ Dominus per Prophetam pollicetur dicens *Isai.* LIV, 11 : *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos.* Qui igitur recte vivit pacto se cum lapidibus regionum jungit; quia in eo quod mundi desideria superat, vitam suam procul dubio ad sanctorum præcedentium imitationem ligat. » Tropologice *ibid.* S. Gregorius per *bestias terræ*, quas Dominus nobis pacificat, motiones carnis intelligit, et pravas affectiones; quas quasi feras in nos missas, pacatas nobis sentimus, cum ex illis divinum amorem et cœlestia desideria comparamus. Considera hic mihi quantum bonum et quanta sit hominum felicitas, compressis et edomitis illis belluis jucunda animi pace gaudioque potiri. Certe qui affectus suos domuerunt, sic ut placida animi quiete et tranquillitate fruantur, sunt veluti æternitatis candidati, qui jam cœlitum beatissimam conditionem delibent, et in atriis prope empyreæ domus versentur : « Hoc est, inquit D. Ambrosius *Epist.* 27, esse divitem æternitati, cum pace animi, cum tranquillitate quietis nihil concupiscere, nullis exagitari cupiditatum procellis : » sic a S. Petro I *Epist.* III, 4 spiritus quietus dicitur *in conspectu Dei locuples*, quasi cum pace copiæ cornu cœlestibus donis refertum liquidisque lætitiis affluens sese totum in piam mentem effunderet. Hic placidus animi status, et vacuitas a perturbationibus, est insigne donum divinæ benedictionis; de quo regius Propheta canit *Psalm.* XXVIII, 11 : « Dominus benedicet populo suo in pace, » ubi S. Basilius hanc pacem, quæ motus animi et affectiones componit, dicit esse τελειοτάτην τῶν εὐλογιῶν, *omnium Dei benedictionum perfectissimam*; illos vero qui bellantium inter se perturbationum motum et turbellam sentiunt negat esse compotes illius pacis, quam discipulis suis Christus impertivit; quamque deinde apostoli omnes in oraculis suis moniisque divinis apprecari solent.

Viri sancti sunt lapides Ecclesiæ.

Sancti pacatas habent passiones.

Pacatus animus quantum bonum sit.

Agnoverunt etiam profani sapientes quanta in edomitis animi perturbationibus sita sit virtus et perfectio; quo nomine plurimi Socratem summis in cœlum laudibus efferunt, quod affectus suos ita plane subditos habuerit in potestate, ut eodem vultu et exiret et rediret domum, nec quidquam esset quod ab illa animi æquabilitate ipsum posset dejicere : quamobrem Jamblichus in *Vita Pythag.* cap. II, ait ipsum in omnibus habuisse εὐδίαν καὶ ἀμίμητον γαλήνην, *serenam quamdam et inimitabilem tranquillitatem*, sic ut neque ira unquam, neque risu, nec æmulatione, nec contentione, neque ulla graviori perturbatione jactaretur. Plane venuste graviterque Seneca *Epist.* 59 : « Talis, inquit, est sapientis animus, qualis mundi status supra lunam : semper illic serenum est. » Sed quæ ab illis doctissimis hominibus celebrantur in suis, illa in nostris multo majora et mirabiliora fuerunt : nam magnus Antonius, exemplar innocentiæ veræque virtutis, et Pythagoram et Socratem et quosvis alios e sophorum natione longe in eo genere superavit : de illo D. Athanasius in *Vita* ejus magnifice memorat ut de cœlesti homine, qui in vultu gratiam mentis et quieti animi lumen pictum ostenderet, cum turbidas omnes affectiones incredibili et constanti virtute domuisset. De aliis prope infinitis similia etiam prostant exempla in *Fast. Sanct.* et clarissimorum hominum monumentis; quæ, ne prolixior sim, omitto.

Philosophorum in frænandis animi passionibus perfectio.

S. Antonius exemplar animi bene compositi.

24. ET SCIES QUOD PACEM HABEAT TABERNACULUM TUUM, ET VISITANS SPECIEM TUAM NON PECCABIS. — Promittit Eliphaz Jobo *pacem*, id est bonorum omnium abundantiam, si consilio suo acquieverit, et ad Deum se converterit, a quo bona cuncta procedunt; spondens hinc omnia prospera tabernaculo seu domui ejus obventura, sic ut nihil habeat quod animum excruciet, aut oculos offendat; nihil absit quod expetunt, et impenso

Vers. 24.

Pacis nomen Hebræis bonorum omnium abundantiam significat.

comparant pretio, qui videri volunt aut esse fortunati : *pacis* enim nomen hebraice שלום *salum*, salutem, incolumitatem et bonorum omnium affluentiam significat; unde in fine epistolarum et occursu mutuo Hebræi solemni hac pacis apprecatione utebantur, ואתה שלום, *veatta salum*, quod latine dicimus, *et tu salvus*, subaudi *esto*, id est *vale*, salve, pax tibi; quibus verbis designantur omnia quæ homines optare debent aut solent. Hæc salutandi formula ipsimet Christo et apostolis quoque fuit familiaris, quibus ea pro viatico et rerum omnium ad vitam sustentandam necessariarum promptuario abunde sufficiebat : nam ubi Christus discipulos suos ad evangelium omnibus gentibus promulgandum per universum terrarum orbem missurus eis præcepisset *Marc.* VI, 8 et *Luc.* X, 4, ut non portarent « sacculum, neque peram, neque calceamenta; » ne quid sibi defuturum vererentur, ipsis externorum domos intrantibus instar symboli bonorum omnium proferre pacis verbum jussit dicens *Luc.* X, 5 : « In quamcumque domum intraveritis primum dicite : Pax huic domui, » haud obscure significans cum hac fausta pacis apprecatione omnium illico bonorum copiam adfuturam. Nam (ut ad istum locum pulchre Chrysostomus in *Cat. Patr.*, quam in S. Lucam edidimus) « nihil, inquit, paci par est aut æquale; quapropter et nos ubique pacem poscimus, in Ecclesiis, in precationibus, in præfationibus ac denuntiationibus; semel, iterum, tertioque ac sæpius eamdem prælatus Ecclesiæ impertitur dicens : *Pax vobis.* Et quare illud? quia videlicet ipsa bonorum omnium mater exsistit atque gaudii argumentum. »

Pacis apprecatio est formula salutandi familiaris Christo et apostolis.

Quamobrem apostolico quoque Societas nostra exemplo edocta omnes fere quascumque scribit litteras auspicari solet solemni hac salutandi formula, *pax Christi*, quibus verbis illi, ad quem scribimus, a Deo bonum omne postulamus, quod *pacis* nomine significatur : « ipse enim est pax nostra, » inquit Apostolus *Ephes.* II, 14, a quo edoctus S. Dionysius inter divina nomina pacem hanc recenset, ac velut conciliationis principem pacificis laudibus prosequitur. Quinque autem potissimum modis Deus *pax nostra* dicitur, *primo*, tanquam auctor omnis pacis et quietis animorum; cum ipse sit auctor omnis boni, quod homines concupiscunt, et quo obtento quiescunt. *Secundo*, peculiariter Christus dicitur *pax nostra*, eo quod nimirum ipse sit auctor magnæ illius reconciliationis cum Deo, et justitia divina, a qua nobis propter peccatum nostrum æterna damnatio impendebat; Christus autem ita nos reconciliavit, ut non solum Dei a nobis iram averterit, sed insuper etiam nos ex inimicis filios Dei atque cœlestis regni hæredes constituerit. *Tertio*, dicitur *pax nostra*, quatenus dissidium, quod inter Judæos et gentes intercedebat, e medio sustulit, utrosque copulans in unum populum, juxta illud Apostoli *Ephes.* II, 14 : « Qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. » *Quarto*, quia omnis animi quies omnisque consolatio ab ipso est, et per ipsum confidimus nos vitam æternam et plenissimam animi quietem obtenturos. *Quinto* denique, in Deo erit omnium desideriorum nostrorum impletio, et perfectissima quies animorum, cum nihil amplius erit desiderandum : nam quidquid secundum rectam rationem desiderare poterunt plenissime possidebunt. Plura de hoc amabili *pacis* nomine divinitus explicata vide apud S. Dionysium Areopagitam lib. *De Div. nom.* cap. XI.

Pax est inter Dei nomina. Deus dicitur pax nostra quinque modis.

Christus peculiariter *pax nostra* dicitur.

Septuaginta hoc loco « quod pacem habeat tabernaculum tuum » vertunt, ὅτι εἰρηνεύσει σου ὁ οἶκος, *quod in pace erit domus tua*, quod eumdem plane sensum habet : nam olim in tentoriis seu tabernaculis habitabant; post domus exstructæ sunt, quæ eodem nomine appellantur. Hæc est sane summa felicitas viri, quod omnia domus suæ pacata, et tranquilla et virtutis studiosa cognoscat : pulchre ad hunc locum S. Chrysostomus in *Caten.* sic ait : « Non exteri modo tecum pacem habebunt, sed domus etiam pace fruetur incredibili; et nimirum pacatæ domui nihil par potest reperiri : quid enim profuerit externis eum non tentari bellis, qui turbis redundat intestinis? » Et quidem una domestica disciplina et tranquillitas longe superat omnes quascumque externas felicitates interna pace carentes; unde cap. XXXII, 18 vates Isaias felicissimum reipublicæ statum describens ait : « Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta, » quæ ex Hebræo sic sonant apud Forerium, *habitabit populus meus in mapalibus pacis, et in cohabitaculis securis, et residentiis tranquillis* : quas si componas versiones, ubi Hebræus legit, *in residentiis tranquillis*, Vulgata posuit, *in requie opulenta* : enimvero sola illa opulentia vera reputatur, quæ e domestica disciplina et tranquillitate promanat.

Domestica pax et quies præstantior est omni externa felicitate.

ET VISITANS SPECIEM TUAM NON PECCABIS. — Hoc Vulgatus mutuo sumpsisse videtur ab Aquila, qui prius ediderat, καὶ ἐπισκεψῇ ὡραιότητά σου, καὶ οὐ μὴ ἁμαρτήσει; : per *speciem* autem plurimi interpretes hoc loco *uxorem* intelligunt, quæ est species et solatium viri, si proba sit et forma liberali, in qua vir sine fastidio ullo atque peccato amatoriæ suæ siti satisfaciat. Sed rectius Pineda hoc ad domus speciem referendum censet, idque verbum *visitandi* exigere videtur, quod proprie est *requirere* quid domi geratur, recensere domesticos, rationem ab illis exigere, castigare etiam si opus sit, et ad opus ac labores excitare; quod clarius fit ex textu hebræo, qui sic habet, ופקדת נוך ולא תחטא, *upakadta navecha, velo techeta*, id

Species pro uxore.

Visitare quid proprie?

http://www.obrascatolicas.com

est, *et visitabis habitaculum tuum, et non peccabis*, ut sensus sit, *q. d.* Domus seu familiæ tuæ rationem habebis, aut curam geres et non aberrabis : qui enim curam habet familiæ suæ reique familiaris dicitur *visitare habitaculum suum*, et officium implere boni patrisfamilias, qui non debet diu abesse a domo, ut esse opportunus visitator possit.

Officium boni patrisfamilias.

Septuaginta quoque hæc ad domesticam disciplinam referunt cum ita vertunt, ἡ δὲ δίαιτα τῆς σκηνῆς σου οὐ μὴ ἁμάρτῃ, quod Sixtina reddit, *habitatio autem tabernaculi tui non peccabit* : ad verbum e Græco est, *ratio autem victus tabernaculi tui non peccet* ; quibus verbis exactissima et omnibus suis numeris absoluta œconomiæ ratio indicatur, ad quam ex doctrina pythagoræorum Callicratides, petito a cithara exemplo; tria potissimum requirebat, scilicet ἐξάρτησιν, συναρμογὴν, καὶ ᾠδήν τινα μέλους, id est *instructionem, coagmentationem, et tactum quemdam musicum;* quæ si ad chelyn seu instrumentum harmonicum referantur, ἐξάρτησις est *apparatus* et omnium partium integritas ; συναρμογὴ est earum *inter te nexus*, et apta compositio, ad quam cum musici artificii gnara et docta manus accesserit, mira sonorum suavitas exoritur. Sic in domo est illa ἐξάρτησις totius familiæ *apparatus* et instructio, qualis apud honestissimos viros esse solet ; tum συναρμογὴ, *ordo* quidam *plenus decoris* et speciosissimæ venustatis, qui omnes in officio suo contineat, sic ut ibi habitare putes ipsam honestatem. Auget deinde hanc pulchritudinem et œconomiæ præstantiam domini virtus, imperium, et exemplum, et sapiens omnium moderatio, quæ velut tactus quidam est musicus, et sonora mulcedo, qua singulari voluptate omnium intuentium animi capiuntur. Hinc cum regina Saba in palatio Salomonis istiusmodi œconomiam prorsus admirabilem intueretur, et eximiam domini sapientiam ut musicum citharæ tactum suavissime resonantis, et servorum ordines et officia numerose concinna, in multitudine prope infinita omnia geri sine tumultu et insolenti temeritate ; tanto exinde gaudio et stupore afficiebatur III *Reg.* x, 5, ut « non haberet ultra spiritum, » quemadmodum annales sacri testantur. Similem quamdam regiæ domus speciem ac splendorem Eliphaz Jobo polliceri videtur, si ad Deum vere conversus fuerit : sic enim illi cuncta ex voto prospera, imo supra votum et exspectationem obventura.

Ad œconomiæ rationem optimam quid requiratur.

Mira Salomonis œconomia.

Propria notitia necessaria ad peccatum evitandum.

Tropologice hic locus etiam commode de sui ipsius notitia intelligi potest, ut sit sensus istiusmodi : « Visitans speciem tuam non peccabis, » id est, si temetipsum cognoveris, peccatum declinabis : *species* sane, philosophis etiam attestantibus, cujusque rei naturam significat : atque adeo visitas speciem tuam non solum, ut S. Gregorius ait, cum humanæ proximorum infirmitati per opera misericordiæ subvenis, sed etiam, ut S. Augustinus in suis ad hunc locum *Annot.* indicat, cum temetipsum cognoscis. Hæc porro tui ipsius *visitatio* ac propriæ naturæ perscrutatio peccatis obsistit, quoniam si tuam nobilitatem animadvertas, qua ab animo tuo insignitus es, indignum duces te diabolo servum addicere, et peccatorum contagione sordere. Lucifer, quia se ignoravit, cecidit, et primus noster parens Adam, quia seipsum nescivit, in peccatum incidit : « Si quis ignorat inquit, Apostolus I *Corinth.* XIV, 38, ignorabitur, » audietque illam vocem, qua omnes impii feriendi sunt *Matth.* VII, 23 : « Nunquam novi vos ; discedite a me qui operamini iniquitatem. » Justissime autem Deus illum non noscit, qui semetipsum cum jactura ignorationis Dei scire et considerare contemnit : quid porro faciet homo a Deo ignoratus, id est reprobatus, nisi in barathrum damnationis incidere, et ex via summæ miseriæ, nimirum ex peccato, ad summam miseriam pœnæ æternæ transire ? Principio igitur homo in cognoscenda natura sua operam omnem collocet, ut quomodo sibi vivendum sit et conversandum ex investigatione suæ speciei et dignitatis eliciat. Postquam ergo quis, secundum S. Augustini doctrinam, ex suæ speciei consideratione in sui ipsius notitiam devenerit ; eamdem quoque speciem in proximo consideret necesse est, hominis enim species est alter homo : quamobrem hanc etiam speciem visitare debemus, et proximorum miserias attendere, ut eis subveniamus : quod si diligenter, uti par est, fecerimus, minime peccabimus : quoniam *Tob.* IV, 11 « eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, » scelus tollit, crimen delet, atque malum facinus pœnamque expungit : clarum est Christi oraculum *Luc.* XI, 41 : « Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. » Nullum sane balneum ita mundat, nulla herba borith sic detergit, non creta fullonum ita excandificat, nullum smegma adeo expurgatorium est : ubi enim facta est pia erogatio cadit lema ab oculis mentis, a corde maculæ, ab omni anima sordes, gratiæ amictus fit splendidior, virtutum ornatus elegantior.

In proximo nostram speciem agnoscere debemus.

Eleemosyna tollit peccatum.

Per hanc ergo « visitans speciem tuam non peccabis, » id est in paupere temetipsum considerans, et speciem tuam agnoscens, non aberrabis, sumpta nimirum metaphora ab iis qui speculum consulunt, in quo ad vivum expressam faciei suæ imaginem contemplantur. In proximo igitur tanquam in speculo nosmetipsos contemplemur, id est, eos nobis per omnia similes reddamus : etenim qui se in speculo intuetur eamdem oculis repræsentat figuram, indumenta eadem, denique per omnia sibi similem imaginem exprimit. Itaque temetipsum, o dives, in paupere considera, eumque tibi per omnia similem effinge : si tu satur es, et mero mades, videris autem inopem pene fame ac siti enectum, cibum illi potumque porrige, quo et ipse satur te saturum referat : si vestis tibi auro sericoque niteat, videris autem pauperem seminudum frigore algentem, præbe

In proximo tanquam in speculo nos ipsos considerare debemus.

Quomodo dives paupereum sibi assimilare debeat.

illi vestimentum, quo nuditatem tegat, et frigus arceat, ne tibi tam dissimilis exsistat : si crumena tua nummis turgeat, stipem ei eroga, qua ejus indigentiæ succurras : quod si hac ratione speciem tuam visitaveris, ab omni prorsus delicto vacuus eris. Hoc modo S. Gregorius lib. VI *Moral.* cap. XVI, hunc locum exponit his verbis : « Recte, inquit, *species nostra* dicitur proximus noster, quia in illo cernimus quod ipsi sumus : corporali enim visitatione ad proximum gressuum accessu venimus ; spiritali vero non gressu, sed affectu ducimur. Speciem ergo suam visitat, quisquis ad eum, quem similem sibi per naturam conspicit, passibus amoris tendit, ut in altero sua considerans, in ipso colligat, quo infirmitati alterius condescendat. »

Ut ergo pauperi opem feras, nihil aliud in illo considera nisi teipsum, hoc est, cogita ipsum esse hominem, et ejusdem tecum naturæ participem : considera esse Dei imaginem, hac enim ratione facilius necessitati ejus succurres : noli examinare, an alienus, an proximus, an tibi charus, an morosus, an sceleratus, an sanguine vel amicitia junctus sit ; satis idoneum miserendi argumentum est, quod homo sit qui opis tuæ indiget. Ex temetipso alterum finge, et facile miseriis ejus subvenies : memineris quantum te fames excruciet, ut proximum saties ; quomodo te sitis urat, ut ei pocula ministres ; qua ratione frigore algeas, ut proximum vestias ; uno verbo, cogita hominem esse, non brutum. Sunt enim nonnunquam divites aliqui usque adeo in pauperes duri et inhumani, ut eos deteriori quam canes aut equos suos loco habeant, et si quid forte iis largiantur, id plerumque vel mucidum sit, vel rancidum, aut corruptum, quod vix bestiis suis projicerent ; et cum ipsi purpura et bysso vestiantur, vix laceros et viles panniculos pauperi porrigunt, quo suam tegat nuditatem ; cumque epulentur quotidie splendide, et altilibus vescantur, vix micas de mensa cadentes et ciborum superfluorum reliquias pauperibus impertiunt : tales utique, quod speciem suam in pauperibus non visitent, neque illorum necessitatibus succurrant, graviter peccant. Ne igitur cum istiusmodi divitibus, evangelico epuloni similibus, peccemus, et pereamus ; speciem nostram in pauperibus visitemus, eorum necessitatibus tanquam propriis humano et opportuno remedio occurrentes, atque ex nobismetipsis proximum metientes : nam, ut pulchre ad hunc locum S. Gregorius paulo ante citatus ait, « speciem suam visitat, qui ut in se alterum reficiat, se in altero pensat : hinc namque per Moysem veritas cum gesta describeret gerenda signabat dicens *Gen.* I, 12 : *Protulit terra herbam virentem, et afferentem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque semen secundum speciem suam.* Lignum quippe secundum speciem suam semen producit, cum mens nostra ex sui consideratione se in alterum colligit, et recti operis germen parit ; hinc quidem sapiens dicit *Tob.* IV, 16 : *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Hinc in evangelio Dominus dicit *Matth.* VII, 12 : *Quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis*, ac si aperte diceret : Speciem vestram in altero visitate, atque ex vobismetipsis agnoscite, quid vos oporteat aliis exhibere, » etc.

In paupere sola natura et egestas consideranda.

Ex nobis aliis metiri debemus.

25. SCIES QUOQUE, QUONIAM MULTIPLEX ERIT SEMEN TUUM, ET PROGENIES TUA QUASI HERBA TERRÆ, — id est, experimento pernosces, si inculpate vixeris, numerosam fore tibi prolem instar salubris herbæ sub clementi cœlo nascentis : *semen* hic vocatur fructus quem uterus reddit, id est filii ac nepotes, progenies, soboles, posteritas. Septuaginta vertunt, γνώσῃ δὲ ὅτι πολὺ τὸ σπέρμα σου, τὰ δὲ τέκνα σου ἔσται ὥσπερ τὸ παμφόρτιον τοῦ ἀγροῦ, *scies autem quod multum semen tuum, et filii tui erunt quasi omnis herba campi*, ubi *herba terræ, campi*, seu *agri*, est proverbiale multitudinis, sicut etiam « pulvis terræ, arena maris, et stellæ cœli, » quæ præ multitudine numerari non possunt ; quemadmodum in Abrahami promissione exprimitur, quæ sic habet *Gen.* XIII, 16 : « Faciamque semen tuum sicut pulverem terræ : si quis potest hominum numerare pulverem terræ, semen quoque tuum numerare poterit ; » quo respiciens Balaam *Num.* XXIII, 10 : « Quis, inquit, dinumerare possit pulverem Jacob (quod mox explicat) et nosse numerum stirpis Israel ? » Similiter Oseas cap. I, 10 : « Erit, inquit, numerus filiorum Israel quasi arena maris, quæ sine mensura est, et non numerabitur : » eodem spectat illud *Gen.* XXII, 17 : « Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris. » Hæc est illa felicitatis pars, quæ in Veteri Testamento maximi semper habita, et votis omnium expetita fuit, scilicet fœcunditas uxoris, et soboles numerosa, quam David viri Deum timentis benedictionem censet esse maximam dicens *Psalm.* XXVII, 3 : « Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ : filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ, » ubi uxorem fœcundam et verecundam ac pudicam describit ; *fœcunditatem* quidem in similitudine vitis fructum copiosum ferentis indicat ; *verecundiam* vero ac *pudicitiam*, quod ea non in foribus versetur ut mulier illa, quam Salomon in *Prov.* IX notat ; sed in lateribus domus, seu intimis domus locis ac penetralibus modesta sedeat. Pulchre autem comparantur filii novellis olivarum et herbis terræ, non solum propter multitudinem, sed etiam propter speciem, herba enim viridis est, et mirifice recreat intuentes : vivis sane coloribus Propheta regius hanc piorum virorum generationem expressit, tamque dulcis illi visa est ejusdem rei memoria, ut in alio psalmo similia cecinerit, aut aliquanto etiam uberiora, dum ait *Psalm.* CXLIII, 13 : « Quorum filii sicut novellæ plantationes in juventute sua : filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi ; » quem locum pa-

Semen sumitur pro sobole et progenie.

Proverbia multitudinis.

Proles numerosa Dei benedictio est.

http://www.obrascatolicas.com

raphrastes Chaldæus divinitus exposuit in hunc modum, *filii vestri sunt sicut plantationes dactylorum, in doctrina legis innutriti a juventute sua. Filiæ eorum splendidæ, et acceptæ sacerdotibus qui ministrant in medio templi.* Plura de his vide in *Annot.* nostris ad prædictum psalmi locum, et ad *Psalm.* CXXVII, tom. III. *Expos. Patr. Græc. in Psalm.*: Consule item quæ *supr.* cap. I, 2 annotavimus, ubi ostendimus fœcunditatem esse donum Dei, et liberorum copiosam multitudinem fuisse benedictionem Antiqui Testamenti; quæ cum istis locis sat fuse exposita, et *infr.* cap. XXI, 8 iterum attingenda, et uberius illustranda sint, ad sequentem versum transeamus, qui sic habet :

Vers. 26. 26. INGREDIERIS IN ABUNDANTIA SEPULCRUM, SICUT INFERTUR ACERVUS TRITICI IN TEMPORE SUO. — Pollicetur Eliphaz Jobo, si ad Deum vere conversus fuerit, posteriorem ejus gloriam haudquaquam similem fore priori, quæ in medio vitæ cursu defecit, ipsumque deseruit, sed in longam senectutem usque perennaturam, nec in sepulcro quidem ipso defecturam; sed postquam in hac vita diutissime feliciter in rerum omnium abundantia vixerit, cum insigni pompa funebri corpus ejus sepulturæ mandandum, non secus ac triticum maturum ac plenum magna sollicitudine et cura in horreum convehitur, et in pretio habetur. Pro *in abundantia* Vatablus et Pagninus ex Hebræo transferunt *in senectute,* quæ sit veluti quædam bonorum omnium abundantia : sic olim longa vita viris justis in præmium virtutis tribuebatur, juxta illud *Psalm.* XXXII, 10 : « Convertetur populus meus hic, et dies pleni invenientur in eis; » item illud *Psalm.* XC, 16 : «Longitudine dierum replebo eum;» et illud *Psalm.* XCI, 15 : « Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi; » unde ex illis tribus, Moyse inquam, Aarone et Maria, primo loco Maria, secundo Aaron, tertio Moyses obierunt, ordine scilicet sanctitatis, interprete Procopio, ut quo quis majorem sanctitatem colebat, eo longiorem vitam propagaret, quæ in veteri lege magni loco præmii dabatur.

Longa vita olim erat præmium virtutis.

Justus acervo tritici comparatur.

Quod autem dicitur, *sicut infertur acervus tritici in tempore suo,* Vatablus in *Annot.* legit explicatius, *sicut succiditur acervus aut messis in tempore suo;* Tigurina, *quemadmodum frugum acervus increscit;* Septuaginta, ὥσπερ σῖτος ὥριμος κατὰ καιρὸν θεριζόμενος, ἢ ὥσπερ θιμωνία ἅλωνος καθ' ὥραν συγκομισθεῖσα, *tanquam frumentum maturum quod in tempore messuerunt, vel sicut acervus areæ in tempore comportatus,* ubi pulchro exemplo explicatur virtutum abundantia, quæ ostendenda est tempore mortis. Ut enim tempore messis omnia sub falce sunt, et falcis beneficio frugum acervus passim increscit; et qui in principio vix unius culmi erat, hinc inde jactis culmis in molem exsurgit grandem : ita homo, dum mortis falci appropinquat, de beneficio mortis appropinquantis hoc habeat, ut multiplices virtutum manipulos congerat, ditissimosque divini amoris thesauros aperiat. Optime autem talis comparatur acervo non *hordei,* quod est cibus jumentorum, quia opera jumentis similia omnino respuit; sed *tritici,* quod nutrimentum est hominum ratione utentium, et dicitur *acervus,* ut omne genus fructuum comprehendat, sive trigesimum, sive sexagesimum, aut centesimum : omnes enim, sive conjugati, sive cælibes, aut virgines, copiosos fructus ferre debent sanctorum operum, juxta proprium cujusque statum. Sicut autem acervus tritici ab inferioribus ad superiora crescendo ascendit, ita ut inferiori parte latior sit, angustior vero in superiori : sic incrementa debemus curare virtutum a minoribus ad majora sensim progrediendo, æmulantes semper charismata meliora, amplius nos in dies constringentes in iis quæ ad carnem spectant, ut spiritus ad supera subtilius elevetur.

Magna perfectio in minimorum observatione relucet.

Rursus, sicut acervus tritici ex multis exiguis granis simul unitis ascendit et elevatur : sic profectus animæ ex multis operibus non solum maximis, sed etiam minimis, et ex plurimis etiam minutis cogitationibus et affectibus per eamdem charitatem unitis consurgit : quidquid enim ad impletionem legis ac divinæ voluntatis spectat, etsi minimum videatur, cumulum istum auget, et animam reddit pulchriorem : velut qui vestem sericam minutis stellulis aureis interspergit venustiorem illam efficit, ita ut alia ab illa priore appareat : sic justus per minimorum observantiam maximum adipiscitur splendorem, ut quasi alius videatur a seipso cum hæc negligebat. Tandem quo acervus iste fuerit altior et copiosior, eo spiritualibus operibus animam amplius locupletat; unde adveniente hora mortis, sicut hic dicitur : « Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo, » id est, morieris cum magna divitiarum spiritualium abundantia, et cum ingenti segete bonorum operum, quæ morientes in Domino sequuntur; cum quibus introduceris in cœlum eo modo quo acervus tritici tempore suo in horreum infertur. Etenim prius triticum in agro increvit, deinde deductum cum paleis ad aream teritur, et ventis concussum mundatur, ac tandem separatum a paleis portatur ad horreum : sic justi post incrementa virtutum, multasque perpessas tribulationes, quibus a paleis separantur grana, in cœlestia horrea congregantur, uti pulchre D. Gregorius lib. VI *Moral.* cap. XXIX : « Deum post afflictionem, inquit, justi præmia patriæ cœlestis inveniunt, quasi post pressuras ad horreum grana deferuntur; et in alieno quidem tempore persecutiones sentiunt, sed in suo a persecutione requiescunt, electis quippe alienum tempus est vita præsens, suum autem æterna : vide fusius S. Gregorium cap. XXV, XXVI, XXVII, XXVIII, XXIX.

Vers. 27. 27. ECCE HOC UT INVESTIGAVIMUS ITA EST : QUOD AUDITUM MENTE PERTRACTA; — quibus verbis Eliphaz declarat hæc quæ duobus hisce capitibus attulit neque temere neque inconsiderate prolata fuisse, sed post longam sive experientiam sive meditationem : quare monet Jobum ut ea conservet in animo suo, et memori mente reponat, ne effluant, aut oblivioni tradantur; sed secum diu multumque de iis meditetur, si modo rebus suis in posterum melius esse consultum velit, et illud quod ei reliquum superest vitæ sine ullo errore atque offensione peragere desideret. Septuaginta vertunt, ἰδοὺ ταῦτα οὕτως ἐξιχνιάσαμεν, ταῦτα ἐστιν ἃ ἀκηκόαμεν· σὺ δὲ γνῶθι σαυτῷ, εἴ τι ἔπραξας, *ecce hæc ita exquisivimus, hæc sunt quæ audivimus : tu vero scito tibi ipsi, si quid egeris;* S. Augustinus *Annot. in Job* legit, *tu vero scito te ipsum,* id est examina conscientiam tuam, eamque serio discute, numquid forte occultum in ea crimen lateat, propter quod a Deo puniaris, quasi dicat Eliphaz (ut quidem Olympiodorus et Polychronius in *Caten. Patr.* interpretantur) illud tibi in primis cogitandum ac sedulo investigandum est, quorumnam peccatorum pœnas luas; deinde ratio tibi ineunda est, quemadmodum omni adhibita diligentia divinum Numen tibi placatum et propitium reddas : malum enim quod ignoratur minime curatur, ita Eliphaz hic finit longam orationem duobus cap. præced. comprehensam; quibus satis abunde ostendit se conceptum sermonem tenere minime potuisse : sicut autem pluralis numeri verbo suorum amicorum nomine sermonem exorsus erat; ita etiam eodem numero eorumdem nomine illum concludit : cui Job sequenti capite graviter ac sententiose respondet.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jobus hic rationem reddit gemituum suorum, quos a doloris, quem patiebatur, magnitudine superari contendit, asserens se longe graviora perpeti, quam peccatis suis secundum legem Dei ordinariam promeritus sit; simulque affirmans se tantos corporis animique dolores naturaliter non posse diutius sustinere, ideoque mortem, quæ tantis miseriis finem imponat, jure merito exoptare; præsertim cum sibi ipsi in tantis cruciatibus subvenire non possit, neque ab aliis, qui fidem et officium prodiderunt, levamentum exspectet; quibus propterea gravius aliquid minatur. Deinde in amicis, qui ipsum consolaturi advenerant, et fidem requirit, et inclementiam reprehendit : ab ipsis tamen doceri non recusat, dummodo et ipsi vicissim ei æquas aures præbeant, atque ab omni pertinaci contentione abstineant.

1. Respondens autem Job, dixit : 2. Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui : et calamitas, quam patior, in statera. 3. Quasi arena maris hæc gravior appareret : unde et verba mea dolore sunt plena : 4. Quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, et terrores Domini militant contra me. 5. Numquid rugiet onager cum habuerit herbam? aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit? 6. Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? 7. Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia, cibi mei sunt. 8. Quis det ut veniat petitio mea : et quod exspecto, tribuat mihi Deus? 9. Et qui cœpit, ipse me conterat : solvat manum suam, et succidat me? 10. Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti. 11. Quæ est enim fortitudo mea ut sustineam? aut quis finis meus, ut patienter agam? 12. Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est. 13. Ecce, non est auxilium mihi in me, et necessarii quoque mei recesserunt a me. 14. Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit. 15. Fratres mei præterierunt me, sicut torrens qui raptim transit in convallibus. 16. Qui timent pruinam, irruet super eos nix. 17. Tempore, quo fuerint dissipati, peribunt : et ut incaluerit, solventur de loco suo. 18. Involutæ sunt semitæ gressuum eorum : ambulabunt in vacuum, et peribunt. 19. Considerate semitas Thema, itinera Saba, et exspectate paulisper. 20. Confusi sunt, quia speravi : venerunt quoque usque ad me, et pudore cooperti sunt. 21. Nunc venistis : et modo videntes plagam meam timetis. 22. Numquid dixi : Afferte mihi, et de substantia vestra donate mihi? 23. Vel, liberate me de manu hostis, et de manu robustorum eruite me? 24. Docete

http://www.obrascatolicas.com

me, et ego tacebo : et si quid forte ignoravi, instruite me. 25. Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit qui possit arguere me? 26. Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, et in ventum verba profertis. 27. Super pupillum irruitis, et subvertere nitimini amicum vestrum. 28. Verumtamen quod cœpistis explete : præbete aurem, et videte an mentiar. 29. Respondete obsecro absque contentione : et loquentes id quod justum est, judicate. 30. Et non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.

Vers. 1. Prudentis est respondere pro veritate.

1. RESPONDENS AUTEM JOB DIXIT. — Postquam Eliphaz finiisset orationem suam Job ei respondit, rationem reddens ejus quæ in ipso erat fidei, constantiæ ac pietatis ; et simul objecta diluens, ne, si forte accusatus taceret, aut criminis convictus aut certe suspectus videretur, juxta tritum illud Juris axioma : « Qui tacet videtur consentire : » neque enim viri prudentis et cordati est, quam respondendo defendere possit, silendo traducere aut deserere veritatem; præsertim si interrogatus fuerit, et reddere debeat rationem postulanti; verbum ergo *respondendi*, ut bene notat Pineda, hoc loco in maxime propria significatione sumendum est : pro quo Septuaginta reddunt, ὑπολαβὼν δὲ Ἰὼβ λέγει, *excipiens autem Job dicit* : quod eodem recidit; et Sixtina editio vertit *respondens* : nam qui alicujus excipit sermonem ei respondet; quo sensu Livius ait : « Sermonem eorum ex servis unus excepit. » Virgilius pro eo *suscipere* dixit VI *Æneid.* :

Suscipit Anchises, atque ordine singula pandit.

Cæterum quid Job Eliphazo responderit audiamus.

Vers. 2 et 3.

2 et 3. UTINAM APPENDERENTUR PECCATA MEA, QUIBUS IRAM MERUI, ET CALAMITAS QUAM PATIOR, IN STATERA. QUASI ARENA MARIS HÆC GRAVIOR APPAREret : UNDE ET VERBA MEA DOLORE SUNT PLENA. — Hic locus

Quo sensu Job dicat se non fuisse promeritum tantam pœnam.

diversimode exponitur ab auctoribus : communis fere est interpretum sententia, hoc loco Jobum dicere peccata sua (ut quæ non fuerint tam gravia) durius a Deo punita fuisse quam illorum demeritum exigeret : ita S. Thomas, Hieronymus, Gregorius, Beda, Cajetanus, Dionysius, Hugo, Lyranus, Cyprianus et alii : quæ sententia sic exponi potest, *primo*, q. d. Si vos, qui ex solius pœnæ magnitudine de peccati gravitate judicatis, peccata mea in statera æquitatis appendi videretis, utique vel vestro ipsorum judicio pœnæ, quas modo perpetior extremas, delicta mea, quæ venialia tantum sunt, infinities excederent. *Secundo*, ut supplicium non cum peccatorum meritis commensuretur, sed cum eo, quod vel a lege vel ex consuetudine subeunt peccatores : solent enim certis delictis certæ pœnæ a legibus constitui ; v. g. quibusdam infamia, aliis mulcta pecuniaria, aliis exsilium, aliis flagellatio, aliis pœna capitis gladio, patibulo, rota, etc. Quibus omnibus licet vel minimum mortale peccatum, si intrinseca ejus malitia spectetur, non satis puniri possit; nihilominus si judex ebrietatis aut simplicis fornicationis reum in crucem ageret, illum supra peccatorum merita punire diceretur, quia lex vel consuetudo longe minus ejusmodi peccatis supplicium decrevisset. Sic etiam quia in hac vita Deus non solet peccata levia, qualia in se Jobus hærere non negaret, tam diro et atroci mulctare supplicio ; ideo Dei consuetudinem veluti legem quamdam seu judicium legitimum considerando ait Jobus, quod si quis æqua penset trutina et peccati merita et supplicii pondus, hoc præ illis multo gravius appariturum.

Minor erat Jobi gemitus quam doloris acerbitas.

Alii hoc loco non divinam iram seu supplicium conferri putant cum Jobi peccatis (quia Job sibi conscius non agnoscit ulla peccata, ob quæ tantam iram pœnamve meruisset) sed Jobi gemitum et querelam cum dolore comparari, quem ex dura illa carnificina capiebat; quasi videlicet non tantum ipse quereretur ac gemeret quantum exigeret provocaretque calamitatis atque doloris magnitudo : quod Sanctio nostro mihique placet magis, *q. d.* Utinam ille meus gemitus et interni doloris significatio, quod vos peccatum dicitis et divini furoris irritamentum, cum dolore quem patior in statera poneretur, et fideli penderetur examine, plane cognosceret, qui recte de utroque judicaret, longe dolore meo minorem esse gemitum, cum dolor sit omnium acerbissimus, neque expressus ab eo gemitus minimam illius partem assequatur : quare mirum nemini videri potest, si quid oratio mea querulum resonet et amarum. Quæ Sanctii nostri expositio videtur Jobi modestiæ conformior, a qua non longe abeunt quotquot translationem Septuaginta interpretum sequuntur, quæ sic habet, εἰ γάρ τις ἱστῶν στήσαί μου τὴν ὀργήν, τὰς δὲ ὀδύνας μοῦ ἆραι ἐν ζυγῷ ὁμοθυμαδόν, καὶ δὴ ἄμμου παραλίας βαρυτέρα ἔσται, *si enim quis appendens appenderet iram meam, et dolores meos tolleret in statera pariter, utique etiam arena maris gravior erit* : ubi S. Chrysostomus annotat εἰ γάρ τις dictum esse pro εἴθε γάρ, *utinam*, quod Symmachus transtulit, ὡς εἴθε ἐσταθμίζετό μου ἡ ὀργή, *quin utinam ponderaretur ira mea*. Iram porro Chrysostomus et Polychronius hoc loco exponunt ἀθυμίαν, *dejectionem* atque *ægritudinem animi*; videtur autem Job hic respondere ad dictum Eliphazi supra cap. V, vers. 2 : « Vere stultum interficit iracundia. » Vox autem βαρυτέρα respondet hebræo textui, qui תַּכְעִיסֵנִי, *dolores* exprimit per nomen singulare feminini generis, ac si diceremus, *calamitas erit gravior arena maris*; in aliis græcis codicibus est βαρύτερα, *graviora*, et supplet Olympiodorus, τὰ συνεχθέντα μοι, καὶ ἀθυμίαν παρασκευάζοντα, *quæ simul irruerunt in me, et ad mœrorem adducunt*. Hebraicus textus habet, *utinam appendendo appenderetur iracundia mea et quidquid mali contingit in bilancibus, elevaretur simul*; eodem prope modo Chaldæus, *utinam appenderetur ira mea et conturbatio mea in statera* : juxta quas translationes ira non est Dei, qua de Jobi peccatis pœnas exigit; sed Jobi ipsius, qua suum dolorem significavit, verbis animi commotionem et indignationem quamdam indicantibus, scilicet quoad externam verborum speciem : nam in his omnibus, vel ipso Deo teste, non peccavit Job labiis suis. Quare hæc sententia mihi magis probatur, et præter Græcos ex Latinis sequuntur Eugubinus, Vatablus, Pineda et Sanctius; et eo inclinant Mariana et Ludovicus Legionensis, uti Sanctius testatur.

Ira idem hic quod mœror et animi ægritudo.

Stateræ nomine significatur divina justitia.

His ita secundum litteram explicatis, illud duntaxat observatione dignum videtur, in sacris literis *stateræ* nomine divinam significari justitiam, veluti apud Ezechielem cap. V, vers. 1, ubi Propheta jubetur caput et barbam suam radere, et omnes capillos in unum collectos, in quadam justissima statera ponderare, eosque deinde in tres partes æqualis ponderis dividere, partemque unam igne comburere, alteram gladio minutatim concidere, postremam demum in ventum spargere. Ubi, quemadmodum in ipsomet contextu explicatur, pili Hebræos significabant, quorum sceleribus divinæ justitiæ statera ponderatis, eorum alii famis et pestis incendio in ipsa civitate, alii extra civitatem Assyriorum gladio perimendi; alii in captivitatem abducendi, in variasque regiones et provincias quasi in ventum dispergendi ab Ezechiele prædicebantur. Sic etiam IV *Reg.* XXI, 13 : « Extendam, inquit Dominus, super Jerusalem funiculum Samariæ et pondus domus Achab, » pro quo Septuaginta transtulerunt, καὶ ἐκτενῶ ἐπὶ Ἰερουσαλὴμ τὸ μέτρον Σαμαρείας καὶ τὸ στάθμιον οἴκου Ἀχαάβ, *et extendam in Jerusalem mensuram Samariæ et trutinam domus Achab*, id est, easdem pœnas ab Jerusalem deposcam quibus in Samariam animadverti, quemadmodum exponit D. Chrysostomus hom. *in Psalm.* XCV, ubi in eamdem sententiam affert illud quod dictum est ad Baltassarem, *Dan.* V, 27 : « Appensus es in statera, et inventus es minus habens : » quo loco docet S. Chrysostomus Deum cum punit trutina librare ultionem. Eumdemque locum expendens Rupertus lib. VII *De Vict. verb. Dei* cap. IV, duobus modis exponit id quod dicitur : « Inventus es minus habens : » uno modo, ut sit sensus : Ego te excitavi ut peccantes mihi populos emendares; sed minus est in facto tuo quam in proposito meo : in meo namque proposito bona est intentio, quæ defuit in facto tuo; siquidem tuæ superbiæ et crudelitati serviisti : multum itaque deest in pondere, quia deest totum quod esset laudabile; id est intentio justitiæ. Altero modo in hunc sensum, inventus es minus habens, quia me non glorificasti. Ita Rupertus.

Baltassar positus in statera inventus est minus habens.

Ratio vero cur divina justitia stateræ nomine exprimatur ea est, quod tam culpa quam pœna justo examine ponderentur, ne pœna culpam excedat; quanquam semper minus inferatur a Deo supplicium quam culpæ promereantur; juxta illud *Psalm.* CII, 10 : « Non secundum peccata nostra fecit nobis : » quare eo tantum statera adhibetur, ne criminum atrocitatem pœnæ superet magnitudo; quo sensu dictum est *Prov.* XVI, 11 : « Pondus et statera judicia Domini sunt, » et *Isai.* XXVIII, 17 : « Ponam in pondere judicium et justitiam in mensura; » item *ibid.* XXVII, 8 : « In mensura contra mensuram cum abjecta fuerit judicabis eam : » id est, punies eam in mensura pœnæ quæ respondeat mensuræ culpæ, quemadmodum exponit D. Thomas *Comment. in Isai.* : quod non est ad proportionem arithmeticam, sed ad geometricam revocandum, ut minoribus quidem peccatis minora, majoribus autem majora supplicia inferantur; nunquam tamen peccatis æqualia. Ut itaque S. Job hoc loco Eliphaz calumniam diluceret, seque non ob peccata, sed ob aliam ipsi ignotam divinæ providentiæ justissimam rationem tantis afflictionibus et cruciatibus exercerei ostenderet, securus ad justitiæ trutinam nullius sibi gravioris culpæ conscius appellat, non ut cum Deo contendat judicio, sed ut falsam Eliphazi sententiam coarguat, qua putabat præsentis vitæ adversitates semper esse pœnas peccatorum, adeoque viros justos nunquam gravibus adversitatibus subjacere : quod patet esse falsum, si ad justitiæ trutinam expendatur. Quare Job sic argumentatur : Si propter peccata mea hasce paterer adversitates, debuisset saltem in statera justitiæ appendi calamitas et peccatum, ut secundum æqualitatem et proportionem unum alteri responderet; jam autem cum per Dei gratiam tantum venialium delictorum mihi conscius sim, et graviores in hac vita pœnas sustineam quam ulli unquam mortalium, etiam scelestissimo, inflictæ sint, utique est consequens, me non ob peccata sola cruciatus hosce perpeti, præsertim cum constet etiam multos sceleratos usque ad extremum fere vitæ spiritum in hoc mundo prosperis rebus uti, et justos sæpe affligi. Quare, mi Eliphaz aliter tibi de afflictionibus philosophandum est; quandoquidem cum culparum pœnæ sunt in statera positæ, culpas nunquam omnino exæquent, nedum excedant. Ita D. Thomas ad hunc locum.

In divina statera pœna minor quam excedit culpam.

In hac vita non omnes pœnæ et afflictiones sunt propter culpas.

Allegorice S. Gregorius lib. VII *Moral.* cap. I, *stateræ* nomine Christum ipsum intelligit dicens : « Quis alius *stateræ* nomine nisi mediator Dei et hominum exprimitur? qui ad pensandum vitæ nostræ meritum venit, ac secum misericordiam suam simul ac justitiam detulit; sed misericordiæ lance præponderans culpas nostras parcendo levigavit : in manu enim Patris quasi statera miri

Christus statera.

http://www.obrascatolicas.com

libraminis factus hinc in se calamitatem nostram et illinc peccata suspendit. » Verum Rupertus lib. II *De Oper. Spirit. Sanct.* cap VIII stateram hanc non Christum, sed crucem ipsam interpretatur : « Erat, inquit, crux statera Patris habens disposita hinc in lance judicii peccata mundi, inde in lance misericordiæ calamitatem generis humani; sed vicit pondere calamitas in lance misericordiæ, lancemque sustollens judicii deeussit peccata in profundum maris; juxta illud *Mich.* VII, 19 : *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* » Christi enim dolentis passio totius generis humani doloribus superaddita præponderavit : plus enim pœnarum de humano genere sumptum fuit quam culpa meruisset : quod encomium tanquam illustrissimum de cruce canit Ecclesia in hymno illo de Passione Domini, a Sedulio, secundum plurimorum sententiam, composito :

Crux Christi statera.

Beata cujus brachiis
Sæcli pependit pretium,
Statera facta corporis.

Hinc collige, non omnes afflictiones esse propter peccata ejus qui affligitur, ut patet in Christo, et S. Jobo, qui figuram Christi gessit, et aliis sanctis, qui plus perpessi fuerunt quam essent meriti; unde in Ecclesia exsistit thesaurus indulgentiarum ex meritis passionis Christi et sanctorum, quæ in utilitatem nostram redundant, et piis suffragiis eorum nobis prosunt ad satisfaciendum pro peccatis nostris.

Christus, Job aliique Sancti plus perpessi sunt quam mernerant.

Porro illud, *unde et verba mea dolore sunt plena*, placuit interpreti ad sensum vertere; id quod sic per elegantem hebraismum dicitur, *ideo verba mea absorpta sunt*, per verbum לוּע *lugh*; quod significat *deglutire*, absorbere; *deglutire* autem *verba* aliquando significat præcipitanter et inconsiderate loqui : sicut de impio per hoc verbum dixit aliquando Psalmista *Psalm.* LI, 6 : « Dilexisti omnia verba præcipitationis (proprie devorationis) lingua dolosa : » sic per idem verbum dicitur a Salomone *Prov.* XX, 25 : « Ruina est devorare sanctos (alias *sanctitatem*) et post votum retractare, » id est, exitium est devorare verba sancta, et præcipitanter et inconsiderate proferre verba tua in oratione, et post vota reverti ad peccata : sicut e contra de verbis mature et sensate prolatis dixit Sapiens *Prov.* XXV, 11 : « Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo : » juxta hebraicum textum esset, *verbum dictum super rotis suis* : multæ enim sunt rotæ, super quas si verbum deportetur non præcipitabitur; si vero nimis inconsideranter pronuntietur, quasi de curru in terram desiliet; unde auctor Ecclesiastici cap. XXVIII, vers. 29 auribus adhibet *spinas*, ne audiant « linguam nequam; » ori autem *ostia*, *seras*, frena ac stateram verbis : conflari quoque vult illa « sicut aurum et argentum, ne labatur lingua, et cadat quis (velut e curru ruptis rotis) in conspectu inimicorum insidiantium sibi, et sit casus ejus insanabilis in mortem. » Apta quidem est cum aliis metaphrasis poeticæ talis hujus hebraismi applicatio, ut *absorpta* dicantur verba, id est justo breviora, juxta tritum illud :

Deglutire verba quid significet.

Vix satis esse queunt tanto jam verba dolori.

In hoc autem loco hæc forma loquendi significat festinanter et minus distincte verba proferre, ita ut vehementissimus ob recentes gravissimasque calamitates dolor verba quædam amaritudine plena ab eo extorserit, et erumpere fecerit; ideo Vulgatus vertit, *unde et verba mea dolore sunt plena*, id est, ex abundantia afflictissimi cordis cum aliquo zelo prolata; quem immerito iracundiam et impatientiam nuncupas : ita Bolducius.

Septuaginta reddunt, ἀλλ' ὡς ἔοικε τὰ ῥήματά μου ἐστὶ φαῦλα, *sed ut videtur verba mea sunt mala*: ita quoque S. Augustinus legit; Aquila, ἐπὶ τοῦτο ῥήματά μου κατεπατήθησαν, *propter hoc verba mea conculcata sunt*, quam lectionem sequitur Complutensis; Symmachus, εἰ λόγοι μου κατάπικροι, *sermones mei peramari*; Theodotion ἔγκοποι, *intercisi*, aut *molesti*. Diluit autem hic notam impatientiæ, quam visus est incurrere diei suo maledicendo, ostendens verba illa, licet Eliphazo viderentur, non tamen revera fuisse mala, neque ex indignatione, execratione aut turbidiori aliquo affectu processisse, sed doloris, molestiarum, amaritudinis et afflictionis magnitudine et vehementia illi extorta esse : significabat enim quid pateretur, non quid aliis precaretur male, aut quid injustum accepisset a Deo, *q. d.* Ne mireris animove commoveasimilis poeticæ talis hujus hebraismi applicatio, ut *absorpta* dicantur verba, id est justo breviora, juxta tritum illud :

Verba Jobi non erant indignationis, sed doloris.

ris, quoniam permissione Dei facta erant, *Domini sagittas* nominavit cum ait : *Sagittæ Domini in corpore meo sunt; quarum indignatio exhaurit sanguinem meum* : sic verosimile est etiam Davidem hic *sagittas Domini* dixisse, quoniam permissione Dei adversarius ipsum impugnabat, ut disceret non dicere : *Non commovebor in æternum*, etc. Quapropter merito traditus est tentatori, qui animam ipsius attingens majori damno ipsum quam Job affecit. » Simili fere ratione mythologi et poetæ fictos suos deos arcu, jaculis sagittisque instruentes, Jovi fulgur dederunt ob facultatem puniendi; Apollini sagittas propter facultatem persuadendi; Cupidini tela, quæ amorem concilient, sed quæ ipsis ficte, hæc altiori ac sanctiori sensu in sacris symbolis Deo vero tribuuntur.

Job et David a Deo sagittis confixi sint?

Diis cur a poetis sagittæ tribuantur.

Porro hæ *sagittæ*, quæ hic *Domini*, in Hebræo שדי *saddai* dicuntur, quod verbum ad Dei benignitatem et amorem refertur; unde facile apparet Jobum, licet harum sagittarum Dei vehementiam in inferiori parte valde sentiret, eas tamen per rationem superiorem tanquam amoris sagittas a benigna Dei manu submisso prorsus animo susscipere; neque vero caret mysterio, quod eas in se esse dicat; quod boni ominis esse ex Jonathæ jaculatione colligitur. Jaculabatur scilicet arcana significatione sagittas in gratiam Davidis intimus ejus amicus Jonathas : et hic quidem sagittarum scopus sensusque erat I *Reg.* XX, 22 : « Si dixero puero : Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas, tu veni ad me : quia pax tibi est, et nihil est mali, vivit Dominus : si autem sic locutus fuero puero : Ecce sagittæ ultra se sunt, vade in pace : quia dimisit te Dominus. » Aptissime quidem hoc mysticum loci hujus sensum illustrat : etenim si Dei sagittæ ultra peccatorem sunt, actum est de illo, et dimisit eum Dominus secundum desideria cordis ejus *Psalm.* LXXX, 11 : at enim vero si sagittæ intra illum sunt, si percussus et tribulationibus vexatus est, pax illi erit; « et nihil est mali, vivit Dominus. » Quare? explicat hic Job : « Quia sagittæ Domini in me sunt; » quæ scilicet id quod in me humanum et terrenum erat interimunt, et ad Deum redire cogunt : ita S. Gregorius lib. VII *Moral.* cap. III : « *Sagittæ*, inquit, *Domini* spiritum hominis ebibunt, cum supernæ animadversionis sententiæ afflictam mentem ab elatione compescunt. Sagittæ Domini spiritum hominis ebibunt, quia intentum exterioribus introrsus trahunt; » et post pauca in eamdem sententiam : « *Sagittarum*, inquit, *indignatio* justi spiritum ebibit; quia supernæ sententiæ electos, quos in peccatis inveniunt, dum vulnerant immutant; ut duritiam suam transfixa mens deserat, atque ex salutifero vulnere sanguis confessionis currat. » Sed hæc in utramque partem ita pulchre versat hoc loco S. Chrysostomus : « Si quem, inquit, vides habentem ulcus, vermes et saniem a corpore defluentem, nec vulnus tamen aut ulcus curantem; alterum vero pariter affectum, qui medicorum utatur opera, qui uratur, secetur, et acerba medicamenta deglutiat, utrum istorum quæso lugebis? eumne qui æger est, nec curatur? an eum qui æger est, et curatur? haud dubie quin eum potius, qui cum æger sit non curatur. Ita quoque peccatores sint duo, quorum unus quidem puniatur, alter vero non puniatur; ne dicas : Beatus hic est, quia divitiis affluit, orphanos spoliat, viduas opprimit, tametsi non ægrotat; sed cum rapiat est in existimatione, cumulatur honore, dominatur, nullis adversis rerum humanarum casibus læditur, non febri, non afflictatione, non alio quovis morbo, liberorum cingitur choro, senectutem beate transigit : at hunc tu maxime luge, quod ægrotet, nec tamen curetur. » Hactenus S. Chrysostomus. Sed ut ad sagittarum imaginem redeam, sic eam ad hanc rem usurpabat Habacuc dicens cap. III, vers. 11 : « In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ, » *q. d.* Tunc e tenebris vitiorum erumpent cum tribulationum jaculis eos sagittaveris; ita fere Rupertus : « Sagittæ tuæ et fulgurans hasta tua, id est plagæ tuæ et eruditio tua lumen populo tuo præbuerunt. » Vide istum locum fusius a me explicatum, tom. III *Expos. PP. Græc. in Psalm.*; ubi Scripturæ quoquæ cantica explicantur.

Sagittæ Domini id quod terrenum in nobis est interimunt.

Job itaque adversitates suas *Domini sagittas* nuncupat, tum quia Dei amor arcum suum tetenderat, jaculaque paraverat, quibus Jobi corpus tanquam scopum attingeret, ut amoris telis confixum remaneret, et sicut cervus majori siti inardescens ad fontem æternæ vitæ velocius curreret : tum quia explorant interiora pectoris. « Dominus enim, inquit Ambrosius *in Psalm.* XXXII, ideo dat tentatori potestatem, ut hominum in tentationibus probetur affectus : ideo fit persecutio, ut fides luceat, virtus excellat, mens interna omnibus manifestetur; ergo tentatio quasi sagitta penetrat interiora hominis, et quasi gladius Dei, qui scrutatur interna, » ut nimirum latitans virtutis decor magis illucescat.

Cur Job adversitates appellet sagittas.

Cæterum Septuaginta significanter hunc versum vertunt hoc modo, βᾶλε γὰρ Κυρίου ἐν τῷ σώματί μου ἐστὶν· ὧν ὁ θυμὸς αὐτῶν ἐκπίνει μου τὸ αἷμα, *sagittæ enim Domini in corpore meo sunt; quarum furor earum ebibit sanguinem meum* : certe corpus Jobi quasi scopus fuit, in quem Deus fidem probaturus tela intorsit, quibus sanguinem propemodum exhausit. Illud βᾶλε Κυρίου Scholion exponit ἰσχυρῶ, *potentis*, ut brachium validum jaculantis ostendat; *furor* autem seu *indignatio* hic dicitur vehementia et frequentia plagarum, quæ symbolum est indignationis Dei, id est acris castigationis, licet ex amore et non ex odio profectæ : ita Olympiodorus et Polychronius in *Caten.* Vatablus denique ex hebræa origine vertit, *sagittæ Domini in me sunt, quarum venenum ebibit spiritus meus*, q. d.

Deus S. Jobum et suos multipliciter probat.

http://www.obrascatolicas.com

Cogitatio ærumnarum gravior ærumnis gravior.

Hæc sævior plaga est, quod positus in tanta calamitate spiritus meus ebibit venenum sagittarum, quas Deus in me torquet : non enim tam graviter et acerbe me vexat tot ærumnarum numerosa plaga quam mea cogitatio, quæ avide ebibit et exsugit venena ærumnarum : quippe vix cogitare possum quæ dolorem minuant et animum levent, ad venena plagarum sitit animus, acerbitates cogitat et molestissimas rationes, et in eis molestissime deliciatur. Hæc intolerabilior calamitas est, et quæ me gravius angit; mentis acie exacuo rationes molestiæ, venenum ærumnarum ebibit animus meus; ego mei plagiarius sum; ego cogitatione mea adversus me sævio crudeliter, et præ plagis ipsis acerbius fero : hoc gemo. Non sagitta, sed venenum, quod ego e sagitta sugo, intolerabilem facit dolorem, et spiritum ebibit meum, id est me exanimat : itaque per *sagittas* hoc loco molestissimas curas et turbidas cogitationes intellexit, hæ enim et a bonis auctoribus *aculeatæ* appellantur et *spinosæ*, et sagittæ similitudinem habent, quatenus, quæ longissime a nobis sunt, et quæ nunquam erunt, per vana terriculamenta nos pungunt et vellicant. His porro dicit spiritum suum ebibi : quod idem est ac se illis adeo cruciari, ut spiritu pene et anima deficeret. Addit deinde more Scripturæ clarius quænam essent istæ sagittæ dum subdit :

Justitia Dei ante vulnera terrores præmittit.

Et terrores Domini militant contra me. — In Hebræo est יערכוני *iahharcuni*; id est *ordinati sunt*, instructa acie in me veniunt; quemadmodum scilicet in acie inimicorum prius auditur strepitus, deinde manus conseruntur, ac tandem cædes passim fiunt, et vulnera infliguntur, non aliter Dei justitia quasi instructa acie homines aggreditur; verum in hoc sæculo quantumcumque sævire videatur, quantacumque mala immittere, tantum strepitus auditur; in futuro sæculo tormenta explodenda, signa conferenda, homines impii prosternendi lethoque et neci dandi. Rem confirmat Psalmista dicens *Psalm.* LXXXVII, 17 : « In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me : » *iræ* quæ *transeunt* ad homines adhuc viventes; *terrores* qui *conturbant* ad vita functos referri possunt : præsentia enim supplicia transeunt, et instar vocis vix aurem percellunt dum evanescunt; futura vero grassantur, dissecant, conterunt, delent, nec tamen unquam abeunt : audi S. Gregorium lib. VII *Moral.* cap. III hæc ita explicantem : « Justorum, inquit, mens non solum perpendit quod tolerat, sed etiam pavet quod restat : vidit qualia in hac vita patitur; metuit ne posthac graviora patiatur; jam ergo sententiam tolerat in pœnam, sed minas adhuc futuri judicii formidat ex culpa; hinc Psalmista ait : *In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me* : interni quippe judicii postquam iræ pertranseunt etiam terrores conturbant : quia jam aliud de damnatione patimur, et adhuc aliud de æterna damnatione formidamus : » sic ille. Non solum igitur vulnera et detrimenta, sed etiam terrores atque formidines in hac vita nonnunquam sanctos exagitant atque conturbant : non enim possunt non vehementer timere et expavescere ii qui Deum, in quo uno spem præsidii sui posuerant, sibi adversari sentiunt, qua de causa David ait *Psalm.* LIV, 6 : « Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me. Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ : » sic de Christo quoque Salvatore in horto agonizante scribitur in Evangelio *Marc.* XIV, 33, quod cœperit pavere et tædere. Sed Septuaginta interpretes ultimam hanc versus partem omiserunt, forte quia continebatur in altera, et ejus loco posuerunt, ὅταν ἄρξωμαι λαλεῖν κεντοῦσί με, *cum cœpero loqui stimulant me*, sagittæ scilicet, de quibus ante facta est mentio; ut nimirum indicarent causam, cur antea dixerat verba sua doloris esse plena.

Viri boni in adversis nonnunquam valde timent.

Vers. 5. 5. Numquid rugiet onager cum habuerit herbam? aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit? — *q. d.* Non mirum vos ut onagros vel boves longe abesse a miseriæ meæ sensu, cum omnia sint vobis prospera et abundantia : facile hoc pacto est a lamentatione esse alienos, quia neque onager rudit cum in pascuis moratur abundantibus, neque mugit bos cum fœni satis habet in præsepio : tolle ab utroque pabulum, neque ille a ruditu neque a mugitu iste querulo cessabit. Est autem *onager*, ut nomen ipsum indicat *asinus silvester*, qui licet moribus a domestico plurimum differat, ex eodem tamen genere esse totius corporis figura indicat : Nicephorus Callistus lib. IX *Hist. Eccles.* cap. XIX agens de India sic eleganter eum describit : « Hæc eadem regio et asinos feros magnitudine ingentes fert, pelle mirifice præter morem versicolores, albo scilicet et nigro colore admodum inter se variatis; et zonæ quædam a summa dorsi spina ad latera et ventrem demissæ, atque ibi divisæ et conversionibus quibusdam inter se implicatæ mirificam et novam efficiunt plicaturam et varietatem. » Eodem modo describit illum Oppianus lib. III. Apte autem Job onagro herbam tribuit, alitur enim, inquit Oppianus, pastu herbarum, quas abunde fundit terra; unde Græci ὀναγρόβοτα vocant loca, ubi onagri pascuntur, ut ἱππόβοτα, ubi equi pabulantur; videtur autem inter alias herbas oleribus potissimum delectari, nam legimus apud D. Hieronymum in *Vita S. Hilar.* istiusmodi miraculum his verbis : « Postquam autem ad hortulum venerant : Videtis, inquit, Isaac, hoc pomarium arbusculis consitum et oleribus virens? Ante hoc ferme triennium cum onagrorum grex vastaret, unum e ductoribus eorum stare jussit, baculoque tundens latera : Quare, inquit, comeditis quod non seminastis? et exinde acceptis aquis, ad quas potandas ventitabant, nunquam ii nec arbusculam nec olera contigerunt : » sic ille.

Onager qualis sit bestia?

Herbis vescitur.

Onager est typus dæmonis et peccatoris.

Multa in oraculis psalmorum ac prophetarum de hac bellua leguntur mysticis plena symbolis et doctrinis : ac in primis ob silvestrem feritatem typum gerit dæmonis ac peccatoris, uti S. Chrysostomus ad illud *Psalm.* CIII, 11 : « Exspectabunt onagri in siti sua, » annotavit. D. Gregorius etiam exponens illud *Job* XXIV, 5 : *Alii quasi onagri in deserto egrediuntur* : « Onagris, inquit, comparantur hæretici, quia in suis voluntatibus dimissi, a vinculis sunt fidei et rationis alieni. » Recte quoque per onagrum carnalis Israel sive Judæus hic intelligitur; qui vinculo Domini ligari et ad præsepe ejus duci contempsit, sicut ipse Dominus ait *Isai.* I, 3 : « Cognovit bos possessorem suum et asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognovit, et populus meus me non intellexit : » nam sicut per *bovem*, qui possessorem suum, et per *asinum*, qui præsepe Domini sui cognovit, credens et fidelis quisque intelligitur, ille de Judæis, iste de gentibus : sic Israel, qui Dominum eumdem non cognovit, vel populus, qui eum non intellexit, imo cognoscere aut intelligere noluit, recte *onager* dicitur, id est asinus quidem, sed superbus; asinus præ stultitia, sed infrenis et præsepii dominici contemptor vel ignarus præ superbia. Plura de onagri natura, victu ac proprietatibus vide apud Ulyssem Aldrovandum lib. I *De Quadr. solidip.*; de bove vero fusissime sub initium lib. *De Quadr. bisulc.*

Hæretici onagris comparati. Judæi onagris similes.

Septuaginta reddunt hoc modo versum istum, τί γὰρ; μὴ διακενῶς κεκράξεται ὄνος ἄγριος, ἀλλ' ἢ τὰ σῖτα ζητῶν; Εἰ δὲ καὶ ῥῆξει φωνὴν βοῦς, ἐπὶ φάτνης ἔχων τὰ βρώματα; *quid enim? numquid frustra onager clamabit, nisi escas requirens? Numquid et erumpet vocem bos, cum habeat in præsepi cibos?* Symmachus vertit : μὴ στένει λιμῷ ὄναγρος παρούσης χλόης; *num ingemiscit fame onager si adsit gramen?* q. d. Onager non rudet frustra, nisi quia eget, quanto magis intelligendum est me non frustra hos clamores edere, nisi quod ea res me deficiat, qua deficiente clamare cogor; utitur autem similitudine duorum animalium, quorum alterum indomitum naturali quadam immunitate fruitur; alterum subjugale, quod licet serviat, pastu tamen suo neutiquam frustratur. *Onager* autem eos significat homines, qui neque conjugio religati, neque curis publicis addicti licentius vivunt, et spontanea quasi pabula carpunt; *bos* vero conjugatos, vel curis et muniis variis obstrictos, quibus pastus non absque vinculis provenit. Sensus ergo Jobi est : Ego non sum in hac extrema calamitate cum aliis hominibus comparandus sive solutis sive alligatis, qui optatis suis minime fraudantur : ii quippe cur lugubria carmina edant? si enim fruuntur iis quæ cupiunt, quorsum querimonias et lamenta geminent? sic sane tu Elipbaz et socii, qui tametsi reipublicæ, cujus curam geritis, adstricti sitis; opes tamen vobis et honores et oblectamenta circumfluunt. Quid ergo mirum, si nihil nisi suave loquamini? At infelix ego, cujus opes, valetudinem et honorem ingruens adversitatis turbo decoxit; quo pacto non efferam verba mœroris plena, et sortem adversam defleam? Ecquid mirum aut insolitum me more animantis pabulo carentis gemere, cum familiare sit aliis pene universis levia quoque detrimenta lucri, honoris aut salutis lugere?

Onager liberos, bos conjugatos repræsentat.

Vers. 6. 6. Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? — *q. d.* Grani salis defectum sentit natura palati, quid ni ego tot mala tam acerba, tam inimica, tam insipida naturæ sentiam, nisi sensus expers sim, et plane stupidus? quid ni etiam sensum et acerbitatem verbis exprimam, et qua possim ratione significem? Vel quis adeo fatuus et emotæ mentis, qui venenum lubens glutiat, et mortem cum veneno trajiciat? Septuaginta hæc ad verba et consilia Eliphazi referunt, quæ, quod prudentiæ sale condita non fuissent, Jobi stomacho grata esse non poterant : sic illi reddunt, εἰ βρωθήσεται ἄρτος ἄνευ ἁλός, εἰ δὲ καὶ ἔστι γεῦμα ἐν ῥήμασι κενοῖς; *numquid potest sine sale edi panis, aut est sapor in sermonibus vanis?* q. d. Insipidos et insulsos cibos aversaris, et insulsos sermones et sine prudentiæ sale aut promptus effundes, aut male feriatus excipies? Certe, mi Eliphaz, qui sapit insipidos non amabit verborum cibos, quales sunt tui, sed sapidos et prudentiæ sale conditos.

Insulsa gustus refugit et venenata.

Quod sal cibis, hoc prudentia virtutibus.

Quod enim sal cibis, hoc prudentia sermonibus, quin imo virtutibus præstat : quamobrem divinis juxta humanisque testimoniis commendata est prudentia symbolo honorato salis, et vero in eo maxime, quod a sale obveniat rebus sapor et gratia quædam jucunda et veluti perfectio, quæ pulchritudine omnes sua delectet; hinc sal communi omnium sensu apud doctos celebratosque scriptores significat χάριν, id est *gratiam*, seu *venustatem*, quam qui non habet dicitur *insulsus*, absque sale, invenustus; quænam vero esse potest in humana vita gratia et pulchritudo sine prudentia, quæ decor est vitæ et virtutis ipsius formositas? Et cernitur illa quidem in omni vitæ parte, et charitibus suis comitata rapit omnium animos ad amandum suum decus et prædicandum; sed in primis in congressu et commercio cum hominibus lucet maxime in sermone illius gratia tincto et moderato : quod S. Paulus faciendum gravissime prudentissimeque monuit, dum Colossenses instruit in hunc modum *Colos.* IV, 6 : « Sermo vester semper in gratia sale sit conditus. » Quæ ne cui forte obscura videantur ob metaphoricam dicendi rationem, ut de prudentia loqui se ostenderet adjungit : « Ut sciatis quomodo vos oporteat unicuique respondere : » quasi ipsa prudentiæ virtus sit regula moderationis, doctrina honestatis, lux decoris; atque illuc forte Pythagoras, qui more divinarum litterarum symbolis utebatur lubens ut integumentis sapientiæ, retulit mo-

Sal symbolum gratiæ et venustatis.

Prudentiæ sale sermones maxime condiendi.

http://www.obrascatolicas.com

nitum illud suum, « Salem et mensuram ne prætereas, » ut prudentiam et decentem cum hominibus familiaritatem et amicitiam commendaret. Ex quibus patet quam docte et apte salis symbolo Job insipidam Eliphazi sententiam, et insulsam ejus monitionem, ne dicam an verius increpationem, redarguat atque perstringat, indicans illam non tantum discretionis sale destitutam, verum etiam mortifero calumniæ veneno tinctam esse, cum subdit :

AUT POTEST ALIQUIS GUSTARE QUOD GUSTATUM AFFERT MORTEM? — In Hebræo est אם יש טעם בריר חלמות *im ies tagham berir chalamuth*, quod ita exponitur a recentioribus Hebræis, *si est gustus in albumine vitelli*; alii cum Chaldæo vertunt, *num sapit saliva albuminis ovi?* verum certius cum nostro ad verbum vertes, *num sapor est in saliva*, id est gustatu (metonymice enim ejus præcipuum instrumentum est saliva) *doloris*, vel vulneris, vel mortis? hebræum enim חלמות *chalamuth* compositum est ex חול *chol*, id est *dolore* (quod verbum in poel *dolore afficere* aut vulnerare significat) et מות *moth*, id est *mors*, q. d. Quod si homines tolerare non possunt, sed respuunt cibum insulsum; si indigne ferunt, clamantque, si cibum amarum aut mortiferum gustare cogantur; quanto potiori jure ego horreo et gemo, qui non cibum insulsum, sed cibum mortiferum, non tantum summis labiis gustare, sed capere, et penitus exhaurire cogor. Potest hoc etiam exponi de improperiis et calumniis, quas Job in suis afflictionibus sustinebat, quæ quovis veneno mortifero acerbiora ipsi existebant : de quibus vide quæ præced. cap. vers. 15 et 21 annotavimus.

Vers. 7. 7. QUÆ PRIUS NOLEBAT TANGERE ANIMA MEA, NUNC PRÆ ANGUSTIA CIBI MEI SUNT, — id est, non solum gusto rem insulsam atque mortiferam; sed eo miseriarum redactus sum, ut necessitate compulsus nullo in tantis angustiis vescar alio cibo quam illo, quem antea adeo horrebam, ut vel tangere nollem; quid ergo mirum, inquit, si in tanta rerum diversitate gemam? Septuaginta hic aliquid immutant, et aliquid præterea addunt, dum versum hunc ita reddunt, οὐ δύναται γὰρ παύσασθαί μου ἡ ὀργὴ. βρόμον γὰρ ὁρῶ τὰ σῖτά μου ὥσπερ ὀσμὴν λέοντος, *non potest enim cessare ira mea : fœtorem enim video escas meas sicut est odor leonis*. Quid fœtidius ore leonis? juxta illud Martialis lib. VI ad finem :

Leonis halitus teter et gravis.

Tam male Thais olet quantum non ora leonis.

Unde D. Ambrosius lib. VI *Hexaem.* cap. III loquens de leone : « Cibum, inquit, fastidit hesternum, et ipsas suæ escæ reliquias aversatur; » non aliam ob causam, nisi quia tam tetro odore ex suo halitu illas imbuit, ut eas nec repetere velit, nec sustinere possit. Huc ergo allusit Jobus cibos suos detestatus, *q. d.* E meis cibis non minus teter odor quam ex ore leonis exhalat : fœtet quippe leoni anima, quod et Plinius notavit lib. I, cap. LIII, his verbis : « Anima leonis virus grave. contacta halitu ejus nulla fera attingit, citiusque putrescunt afflatæ reliquiæ. »

Leonis fœtorem habent qui verbis superbiam suam produnt.

Tropologice juxta lectionem Septuaginta recte dixeris leonem superbos homines referre, qui cæteris se præferunt, et fœtidum halitum per superba verba emittunt : quo respexit S. Augustinus in *Annot. in Job*, sic dicens : « Nam verba mea fœtida sunt sicut leo vel propter superbiam, per quam jactantes putent; vel propter quod amplexantes carnalia fœtorem leonis habent, qui propriis verbis gaudent. » Proh quam pestilens hic halitus, quam tetrum exhalant hæc verba odorem! contacta leonis halitu cæteræ feræ non contingunt, ut ex Plinio mox dicebamus; nobis quoque ea respuenda quæ superbiam sapiunt, et superborum pestilenti halitu sunt infecta.

Mystice S. Bernardus lib. I *De Consid. ad Eug.* cap. II, hunc locum sic exponit, quasi Jobus in typum peccatoris ex peccandi consuetudine obdurati lamentaretur : « Noli, inquit, nimis credere affectui tuo qui nunc est : nil tam fixum animo, quod neglectu et tempore non obsolescat. Vulneri vetusto et neglecto callus obducitur; et eo insanabile quo insensibile fit. Denique dolor continuus et acerbus diuturnus esse non patitur : nam si non aliunde extunditur, necesse est cedat vel sibi : enimvero cito aut de remedio consolationem respiciet, aut de assiduitate stuporem. Quid non invertat consuetudo? quid non assiduitate duretur? quid non usui cedat? Quantis, quod præ amaritudine prius exhorrebant, usu ipso male in dulce conversum est? Audi justum quid lamentetur super hujuscemodi : *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt*. Primum tibi importabile videbitur aliquid; successu temporis si assuescas judicabis non adeo grave, paulo post et leve senties, paulo post nec senties, paulo post etiam delectabit : ita paulatim in cordis duritiam itur : » sic ille. Quemadmodum nempe ventriculus male affectus eo progreditur, ut noxii cibi, quos sanus respuebat, soli ob intemperiem placeant; ita et æger animus hominis, qui mœstis cogitationibus pasci videtur, quas lætus et alacer ne ad primos quidem motus admittebat : et hoc modo Joannes a Jesu Maria locum hunc interpretatur; qui simul annotat statum hujusmodi non solius Jobi fuisse, sed ait se nosse plurimos similes Dei famulos adeo graviter affectos, ut prolixa consuetudine malorum vix aliquid nisi mœstum mente pertractare possent. Unde recte dicitur consuetudo altera natura, qua videlicet fit quasi naturalis cibus, qui est ex genere suo naturæ inimicus.

Consuetudine acerba dulcescunt.

Pulchre etiam D. Gregorius lib. VII *Moral.* cap. VII hæc verba, *quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt*, exponit de eo qui alienis malis compatitur, *q. d.* Olim, quando adhuc virtuti et perfectioni minus sedulo studebam, ab alienis malis ac miseriis facile

oculos et mentem avertebam, neque aliis compatiebar; nunc autem postquam ad virtutem propius accessi, et alienis malis ex charitate compati, et proprias calamitates fortius sustinere didici : « Mens enim justi proficiens, inquit Gregorius, quæ prius dum sola propria curaret ferre aliena fastidiebat, et quæ minus alienis compatiens convalescere contra adversa non poterat; cum ad toleranda proximi infirma se attrahit, ad adversa superanda convalescit, ita ut pro amore veritatis præsentis vitæ cruciatus tanto post fortius appetat, quanto prius infirma fugiebat. » Unde subdit :

Vers. 8. Sancti fere semper ad mortem aspirarunt.

8. QUIS DET UT VENIAT PETITIO MEA, ET QUOD EXSPECTO TRIBUAT MIHI DEUS? — Vox optantis est, et a mortalitatis hujus vinculis absolvi postulantis; quæ mortis pia et immensa cupiditas propria et perennis semper fuit divinorum hominum et vere sapientium; quos videmus omnibus retro sæculis ut aviculas dolo inclusas e corporis inamœna custodia evolare cupientes. Sic *Exod.* XXXIII, 13, Moyses incredibili animi motu petit ostendi sibi faciem Dei. Sic Elias, qui ab æthere ignem evocabat, et legem dicebat pluviis, ac pro arbitratu cœlum claudebat aperiebatque, tolli animam cupit, et ab ista valle plorationis discedere III *Reg.* XIX, 4 : sic Tobias, sic Abrahamus, cæterique viri pietate ac vitæ sanctimonia illustres, cum hic illis inter peccatores mora omnis nimia videretur, hinc quam celerrime evolare cupiebant, et ob exsilii prolongationem comploratione et lamentis omnia complebant, cum David incolatum suum nimium prolongari conquerentes *Psalm.* CXIX, 5. Sed post evangelium, cum Servator cœlum prius clausum et obstructum feliciter aperuisset, et piorum desideria magis acuisset, patefactis iis thesauris et cœlestium bonorum abundantia, quam morte et cruore suo nobis comparaverat, tum nimirum ardere cœpit vehementius justorum æmulanda cupiditas perfruendæ gloriæ Dei, et potiundæ æternitatis : tum vita cœpit esse in fastidio, mors in desiderio; quæ janua vitæ beatæ futura videbatur, ut multi sint reperti, qui longiorem in hoc mundo moram genus quoddam luctuosi acerbique martyrii esse putarent. In hoc genere clarissimum nobis desiderii sui documentum reliquit D. Paulus apostolus, dum vitæ pertæsus dissolvi cupiebat, et ad Christum anhelans exclamabat *Rom.* VII, 24 : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus! » *corpus mortis*, ut vult D. Ambrosius, appellans universitatem vitiorum, omnigenas calamitates, et iliadem incommodorum ac miseriarum, quibus mortalis hæc vita premitur et opprimitur : cujus sane status adeo est redundans periculis magnis, et cum primis miserandus, ut ipsi prope diuturnæ morti æquiparandus videatur. Quod cum probi et innocentiæ amantes intelligunt, et ipsi desiderium suum eo intendunt, ut evolent citissime ex hoc corpore, quod vallum est interjectum, ne in gloriæ campum atque lucem introeant : quamobrem in precatione dominica Deum quotidie rogant *Matth.* VI, 10 : « Adveniat regnum tuum; » quibus verbis, ut ait Tertullianus *De Orat.* cap. V, « optamus maturius regnare, et non diutius servire; additque : « illud esse votum christianorum, confusionem nationum, exsultationem angelorum, propter quod conflictamur. » Quod idem a S. Hilario *in Psalm.* CXIX, animadversum fuit, Dominum in evangeliis suis docuisse accelerationem regni cœlestis orandam : charitatem enim eorum qui amant impatientem esse debere; additque, ut plurimum sanctos tarditatem spei suæ et morosam corporis dissolutionem deflere consuevisse cum Vate regio lamentantes *Psalm.* CXIX, 5 : « Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est! » Et sane quis nisi plane stolidus et vecors, cum modum hujus vitæ gustaverit, et salutis pericula, quæ passim occurrunt, consideraverit, et cum animo suo reputaverit diligenter, non cupiat quam citissime hinc excedere, et cum Jobo, Paulo cæterisque sanctis dissolvi petat, et esse cum Christo? Quod votum suum Jobus adhuc magis explicans et urgens subdit :

Vers. 9. 9. ET QUI COEPIT IPSE ME CONTERAT, SOLVAT MANUM SUAM, ET SUCCIDAT ME. — Pergit instanter petere celerem miseriarum et vitæ finem, quasi nimirum mitior videretur celer interitus quam prolixus : quod iis qui mœrent familiare est, ut scripsit afflictus ille :

Celer interitus longo præstat.

Mitius ille perit subita qui mergitur unda,
Quam sua qui liquidis brachia lassat aquis.

Cui consonat illud Æschyli :

Κρεῖσσον γὰρ εἰσάπαξ θανεῖν,
Ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς :

Nam semel satius mori,
Quam trahere miseros vita quot numerat dies.

Quod autem ait, *solvat manum suam*, translatio est ab iis qui manum vinctam habent : nam quamdiu vincta est aut ligata nihil agere possunt; id quoque Dei clementiam commendat, quasi manum qua ferit clementiæ vinculo habeat religatam, opusque sit eam absolvere, si velit interficere. Hoc ergo dicit : Soluta manu conficiat aut succidat me : nihil enim aliud optabat, quam cito finire vitam, quam et tunc ægre trahebat, et peccandi periculo expositam timebat.

Deus virtutem in nobis per flagella perficit.

Mystice et arcano sensu Jobus hic a Deo petit in virtute consummari, *q. d.* Qui me ictibus dolare et efformare cœpit donec perficiat, et statuam et imaginem virtutis perfectissimam in animo meo effinxerit, ultimamque manum operi imposuerit, ab ictibus non cesset : sicut enim faber ferrarius malleo et igne ferrum domat, et ex arte ad formam sibi propositam effingit; non aliter Deus noster humanum cor, quantumvis ferreum et adamantinum, dolorum et afflictio-

http://www.obrascatolicas.com

num ictibus ad omnem virtutem et pietatem efformat. Hanc sententiam sic illustrat S. Gregorius lib. VII *Moral.* cap. VIII : « Sanctus igitur vir, qui appropinquare Deo etiam per flagella desiderat, per spiritum humilitatis dicat : *Et qui cœpit ipse me conterat* : plerumque enim vitiorum contritionem in nobis agere Dominus inchoat; sed cum mens ex ipso exordio profectus extollitur, cumque se jam quasi de virtutibus erigit, sævienti contra se aditum pandit, qui cordis intima penetrans, omne quod in ea de studio bonæ inchoationis invenerit confringit, tantoque se vehementius in ejus confractione exhibet, quanto et gravius, quia vel ad modicum fuerat projectus, dolet, unde et, teste Evangelio *Matth.* XII, voce Veritatis ad neglectam domum conscientiæ spiritus immundus, qui solus exiit, cum spiritibus septem redit. Ne ergo post divinæ correptionis exordia antiquus hostis surripiat, atque ad virtutum confractionem trahat, sanctus vir congrue exorat dicens : *Qui cœpit ipse me conterat;* ac si aperte dicat : Hoc quod in me exorsus est perficere feriendo ne desinat, ne desertum me adversario ad contritionem tradat : » hæc ille. Qui itaque cœpit opus salutis nostræ ipse nos veram et perfectam humilitatem doceat, et mediis quæ ipse novit, dummodo in peccatum labi non sinat, in hanc virtutem, quæ janua est cæterarum, inducat. Dicat unusquisque cum S. Job, et non sine magno desiderio dicat : « Qui cœpit ipse me conterat, solvat manum suam, et succidat me : » ipse nimirum Deus, qui cœpit me quasi humilitate conterere, opus suum hoc perficiat, et penitus mentem elatam conterat : qui cœpit me a terrenis avellere et a desideriis ambitionis abstrahere solvat manum suam, et penitus ab eis succidat me, ne per superbiam præceptis illius contradicam, cui debeo obedientia et humilitate submitti.

Deus rogandus ut bonum opus quod cœpit perficiat.

Porro verba illa, *solvat manum suam, et succidat me,* exponenda sunt sumpta metaphora ab iis qui vi magna brachia tollunt, et securim ad radicem arboris adigunt; qua icta tandem arbor decidit. Eadem prorsus ratione Deus, cum vitiorum in nobis silvam demoliri decernit, laborum et ærumnarum ictibus rem totam nullo aut facili negotio conficit : audi S. Gregorium ad eumdem locum : « Recte autem subjungitur; *et succidat me* : cum enim securos nos ac de virtutum affluentia elatos repentinus vel flagelli dolor vel infirmitatis tentatio percutit, protinus ab statu sui vertice mentis nostræ elatio succisa cadit, ut de semetipsa nihil audeat, sed infirmitatis suæ ictu prostrata manum levantis quærat : » hactenus ille. Hæc autem mors consummatove dicenda sit, an consolatio, sequentia declarant.

Vers. 10. 10. ET HÆC MIHI SIT CONSOLATIO, UT AFFLIGENS ME DOLORE NON PARCAT : NEC CONTRADICAM SERMONIBUS SANCTI. — Hoc, inquit, habeo pro levamine, ut majoribus doloribus et pœnis usque ad mortem afficiar, quia hinc ereptus securus evadam, quod est solatio. nunquam mei Conditoris sanctissimi præceptis obsistam, *q. d.* Quia in hac vita quibusdam Deus parcit, ut eos postea in altera in sempiternum puniat, ne obsecro hoc modo mihi in hac vita parcat, ut postmodum supplicio afficiat sempiterno; quin potius hic me castiget velut clementissimus pater, ne me post hanc vitam velut judex implacabilis cruciet in æternum : quamobrem hic ob ejus flagella non murmurabo, non conquerar, « nec contradicam sermonibus sancti; » quin imo summæ mihi erunt consolationi. In hunc modum etiam orabat S. Augustinus dicens : « Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas. » R. Abraham hunc locum ita reddit, *si interfecerit me Deus subsiliam* : hoc idem optime habetur *Psalm.* LXXXIX, vers. 10 : « Quoniam supervenit mansuetudo, et corripiemur : » quænam isthæc mansuetudo? legunt alii, *est qui resecet, et avolabimus;* sumpta metaphora ait Genebrardus a Parcis, quæ vitæ filum resecant. Hæc autem mansuetudo est et maxima consolatio viris Deum timentibus, dum consummantur et intereunt : sic Didonis agentis animam, ut est in fabulis, miserata Juno Iridem demisit, quæ vitale stamen succideret : misericordia enim erat sic male affectæ vitam auferre. Sed sanctius longe viri sancti mortem desiderant dummodo aliter Deo visum non sit; unde Tobias ait cap. III, 6 : « Et nunc Domine secundum voluntatem tuam fac mecum, et præcipe in pace recipi spiritum meum : expedit enim mihi mori magis quam vivere. » Non alia mihi videtur Jobi hoc loco quam Tobiæ precatio.

Mors sanctis

Ubi observandum maxime quanti fecerit vir iste sanctissimus divinam voluntatem, quando ultro vitam cum illius observatione commutat : imo ideo mortem optat, ne contingat sic dolorum vi impotenter abripi, ut impie aliquid contra Deum loquatur faciatve; in quo ejus virtus non mediocriter enituit : facile enim est Deo coronanti consentire, flagellanti difficillimum, nisi quis diligenter attendat Deum appellari *verbum,* seu, ut Græci loquuntur, λόγον, hoc est *rationem,* quod nihil contra aut præter rationem exsequatur. Hinc se in suis laboribus consolabatur D. Gregorius Nazianzenus *Epist.* 63 : « Gratias, inquit, ago sicut in lætis rebus ita etiam in acerbis, quandoquidem illud exploratum habeo nihil rerum nostrarum apud summam rationem expers esse rationis : » atqui hoc est quod S. Job dicit : « Nec contradicam sermonibus *seu* rationibus Sancti. » Qua in re perfectissimum cum divina voluntate consensum ostendit, dum a Deo flagellatus sic exsultat, ut eam flagellationem suam *consolationem* appellet; nec in Deum punientem indignetur, sed *Sanctum* per excellentiam confiteatur. Sic etiam Jacob moriturus, ut *Gen.* XLVII, 31 scribitur, « adoravit Dominum conversus ad lectuli caput; » seu, ut D. Paulus transcripsit *Hebr.* XI, 21, « adoravit fastigium virgæ ejus : »

Deo coronanti consentire facile, flagellanti difficile.

nam cum in illa Josephi virga divinam ad flagellandum potestatem mystice recognosceret, ei se posterorum nomine percutiendum submittebat, ut ostenderet, quæcumque a Deo supplicia infligantur libenti animo amplectenda. Nec sine mysterio id quod in Genesi dicitur *lectulus* a D. Paulo *virga* nominatur, quia probi et justi homines non minus inter divinas virgas quam inter molles lectulos conquiescunt; quod mihi videtur exprimi in Esther cap. V, 2, quæ tunc felicissime regnavit, et regis gratiam promeruit, cum Assuerus, « extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu : ipsaque accedens osculata est summitatem virgæ ejus : » nam illi e suppliciis divinis facilius et felicius evadunt, qui supplicia divina humilius et libentius amplectuntur; unde S. Job salva conscientia, cujus puritati præcipue studebat, pœnas non admodum sollicitus evitabat, sed hoc unum in acerbissimis suis suppliciis verebatur, et omnibus modis præcavere nitebatur, ne tam diuturnis iisque et acerrimis doloribus exagitatus, et intima mœstitia dejectus, impatientiam, quam Eliphaz ei affinxerat, vere incurreret, et post victorias tantas supremo iræ ictu concideret : quare salvo divinæ placito voluntatis non tolli supplicia, sed ad mortem usque intendi postulabat. Qui quidem mortem exoptandi modus valde timorati castique animi proprius est, cum certum puritatis argumentum sit culpam exhorrescere, votisque ac precibus occasiones ejus provisas qua licet declinare. Per hoc itaque Job innuit se malle mori quam fœdari; unde constat longe alia esse viri justi vota quam impatientium hominum desideria, qui si morbo, inopia vel dedecore aliquo tangantur, extemplo furere incipiunt; et interitum, non culpam evitandi studio, sed laborem et molestiam evadendi desiderio sibi ipsis nefarie imprecantur.

Job non pœnas, sed peccandi periculum evadere desiderabat.

Septuaginta quædam hic addunt.

Hic Septuaginta interpretes multa addunt, quæ non sunt in hebræo textu, nec improbabiliter Sanctius noster censet ea fortassis ex glossemate aliquo, ut subinde fieri amat, per incuriam vel imperitiam librariorum in textum ipsum irrepsisse; sic autem habemus in Sixtiano codice (neque enim omnes eodem legunt modo), ἀρξάμενος ὁ Κύριος τρωσάτω με· εἰς τέλος δὲ μὴ με ἀνελάτω· εἴη δέ μου πόλις τάφος, ἐφ' ἧς ἐπὶ τειχέων ἥλλόμην ἐπ' αὐτῆς· οὐ φείσομαι· οὐ γὰρ ἐψευσάμην ῥήματα ἅγια Θεοῦ μου, *qui cœpit Dominus vulneret me : in finem autem ne me tollat : sit autem mea civitas sepulcrum, super cujus muros saltabam in ipsa : non parcam : non enim mentitus sum verba sancta Dei mei.* Pro eo autem quod hic dicitur, εἴη δέ μου πόλις τάφος, *sit autem mea civitas sepulcrum,* Aquila et Theodotion dixerunt, καὶ ἔσται ἔτι παράκλησίς μου, *et erit adhuc consolatio mea.* Hujus autem versus hæc est sententia, *q. d.* Illud mihi ad solatium ægritudinisque medicamentum erit satis, si in ipsa mihi civitate mori atque humari contingat; illud vero quod subdit : « Super cujus muros saltabam in ipsa, » id est, in qua gestiebam, et in qua mihi fiducia erat, et in qua cum voluptate versabar : ita Chrysostomus in *Caten.* hunc locum exponit. Quod autem ait, *non parcam; neque enim mentitus sum verba sancta Dei mei,* difficile, et intellectu in primis arduum videtur; et quidem præterquam quod id non objectaverit Eliphaz, indeque responsum hoc orietur, vix capit mens humana, qui homo possit mentiri verba Dei : si enim homo verba Dei proferat verum dicit, quia dicit quæ Deus vere dixit; et sic vere ac verum dicit, nam verba Dei falsa esse non possunt, cum summa Veritas mentiri nequeat : sin verba quæ Deus non dixit pronuntiet, non mentitur verba Dei qui mentiri non potest, sed suis verbis, quasi verba Dei forent, egregie mentitur. Quo igitur pacto innocentia sua confisus ait : « Neque enim mentitus sum verba sancta Dei mei? » Vidit hanc difficultatem Olympiodorus in *Caten.* quam sic enucleat : « Vobis, inquit, contradicere non parcam, neque timide, sed libere loquar; quandoquidem divini mandati violati mihi conscius non sum, ut vexationem hanc justam esse existimem : non enim alia in mente habere possum, nec verba animi sententiæ contraria proferre; sed quæ mente cogito ea veraciter eloquor. Propter hunc ejus animum et loquendi libertatem cum veritate conjunctam Scriptura eum laudans dixit *Job* I, 1 : *Et erat homo ille verax, irreprehensibilis* : » nempe vir innocens, sanctus, irreprehensibilis, et qui nullius præcepti violati conscientia tangitur, ille, ille inquam *verus homo* dicitur, et dum sermones Dei usurpat, et ad auditorum profectum ore versat : « Non est mentitus verba sancta Dei sui; » ac si ille, qui violati præcepti malitia reprehensibilis verissima Dei verba loquitur, illa quodammodo mentiatur, cum neget opere quod ore testatur. Cæterum quanto erga Deum studio formet orationem sequentia manifestius declarabunt.

Vita irreprehensibilis facit ne quis Dei verba mentiatur.

Vers. 11. 11. QUÆ EST ENIM FORTITUDO MEA, UT SUSTINEAM? AUT QUIS FINIS MEUS, UT PATIENTER AGAM? — Conscius quippe sibi vir sanctissimus humanæ fragilitatis, licet tot tantasque de inimicis suis victorias gloriosissimas reportasset; nihilominus dum vita suppetebat nunquam sui securus tanto amplius metuebat, ne fractus aliquando aut defatigatus luctando, vel deceptus diaboli dolo, aut inimici telo sauciatus, inhonesto tandem vulnere caderet; et quas hactenus fortiter pugnando et constanter sustinendo consecutus fuerat palmas, in fine victus amitteret, et hostibus suis ludibrium fieret. Hoc enim insinuant illa verba : « Quis finis meus, ut patienter agam? » pro quo Septuaginta vertunt, τίς μου ὁ χρόνος, ὅτι ἀνήξεταί μου ἡ ψυχή; *quodnam tempus meum, ut sustineat anima mea?* id est quam longe distat mors, ut patienter illam exspectem : quo quidem sermone perspicue declarat se nescire quantum sibi supersit temporis, optareque ut sit brevissimum, quo pa-

Vers. 11. Job fragilitatis humanæ conscius merito timet.

http://www.obrascatolicas.com

tienter ærumnas suas sustinere, ac sine culpa vel crimine diem suum obire possit. Justa profecto timoris causa, quam lubet aliquanto pensiculatius expendere, ut periculum nostrum exemplo Jobi exactius considerantes, salutarem Domini timorem, quo solo tuti sumus, animo concipiamus : circumstant nos salutis pericula quotidiana, furit dæmon, et nunquam intermissa crudelitate in caput nostrum imminet, volitant furiæ insaturabiles, et ubique tentationes excitant, pedem movere non possumus, quin occupet laqueus, et irretiat; obcæcat nos carnis amor et blandissimæ voluptates, nec memores esse Dei sinunt; lites, morbi, clades, invidiæ nos conturbant; circumfusi tenebris in dubio veluti mari jactamur; regnant ubique doli, circumscriptiones, atroces in bonos calumniæ, funesta bella, exempla vitiorum, omnium prope hominum studio consecrata. Inter hæc omnia ponamus ante oculos nostros hinc lethale crimen, quo nullum majus et nocentius est malum, inde humanam imbecillitatem in vitium pronam atque scelus; mille deinde et mille moventia, quæ nos circumstant, et sic impellunt ad peccandum, ut portenti non absimile videatur, si quis possit sine lapsu et ruina consistere. Quis ergo sanus et judicio præditus in his tot et tantis periculis non salutis naufragium metuat?

Quanto in salutis discrimine vita nostra versetur.

Visio S. Carpi.

Placet hoc periculum, quo magis caveamus, exemplo illustrare. Carpus olim, quem divino viso Deus ad virtutem et religionem instruebat, ut refert S. Dionysius Areopagita *Epist.* 8, puteum vidit inferorum late patentem fumantemque, cujus in fundo teterrimæ fuere belluæ, quæ hominum vitam et cruorem sitirent; ad os autem illius voraginis duo visebantur homines lapsabundo vestigio in lubrico loco, qui nisu minimo et impulsione in eas fauces miseriarum dejici facillime potuissent. Quasi in tabula vivis coloribus vita in eo nostra picta videtur : in ora sumus Erebi æstuantis et aperti tam lubrico vestigio, ut pondere ipso nostro absque ullius impulsione cadamus. Quantum igitur periculum nobis impendet in acumine ipso peccati constitutis ? Itaque D. Bernardus serm. 85 *in Cant.* cum regii Vatis illud attulisset *Psalm.* CXVII, 13 : *Impulsus, eversus sum ut caderem* : « Quæris, inquit, quis ille impulsor? non est unus : impulsor diabolus est, impulsor mundus, impulsor homo, » etc. Pergit autem pluribus ostendere tantam esse hominum imbecillitatem aut vecordiam, ut sibi quisque sit ruinæ causa, et sine alio impellente se miserrime ultro præcipitet. Quid igitur fiet, cum tam multi eversores objiciantur ? Et quidem sæpe visum est, cum plurimi, qui plenis veluti velis ad beatam vitam navigabant, sine turbinibus ullis securi, sine tempestate quieti, per se naufragium in ipso portu facerent. Exponit id venuste gravis Tertullianus *De Anim.* cap. LII sic scribens : « Navigia longe a Caphareis saxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quassata decumanis, adulante flatu, labente cursu, lætante comitatu, intestino repente perculsu cum tota securitate desidunt. » Vix dici potest quam fluctuet voluntas, quamque incerta et ubique mobilis inconsideratissima levitate potius ad malum quam ad bonum rapiatur; adeo pauci reperiuntur, qui velut in Simonideo quadro firmi stabilesque hæreant : quare Isidorus Pelusiota lib. II *Epist.* epist. 126 *ad Timoth.* : «Time, inquit, ne ascendas; » et subdit causam eleganter, μεθύει γάρ πως ἐν ἀνθρώποις τὸ ἀγαθόν, καὶ οὐδενὸς καταστέντος ἕστηκε μᾶλις, *temulentum est enim quodammodo inter mortales bonum, et nemine etiam concutiente vix consistit* : vult significare, nihil esse facilius quam averti a bono, labi, errare et flagitium concipere; ut non sine causa monuisse videatur esse timendum. Quæ fuit mens atque consilium S. Hieronymi epist. 22 *ad Eustoch.* : « Nolo tibi venire superbiam de proposito, sed timorem : onusta incedis auro, latro tibi vitandus est; » et paulo post subdit : « Magnis inimicorum circumdamur agminibus : hostium plena sunt omnia. »

Voluntatis nostræ magna inconstantia.

Periculosissima tentatio, non timere tentationem.

Quare meo judicio est subtile et periculosissimum illud genus tentationis, tentationem non timere, et sibi quemdam statum polliceri diuturnæ quietis et tranquillitatis, quem nullæ res adversæ, nec conscientiæ damnum, nec divinæ legis violandæ periculum labefactet : hoc nimirum agit dæmon, hoc studet artificio elaborato et callido, in hoc specimen veteratoriæ artis suæ malitiæque ponit, ut nos securos efficiat nihilque metuentes : quo genere machinæ multos alioqui sapientia nobiles et claros antea viros evertit. Id egregie animadvertit S. Augustinus *Hom.* 46 ex 50, et tanquam Sibyllæ folium verissimum hoc dictum nobis reliquit : « Facit hostis securos, quos cupit esse captivos : » sumptum est illud e disciplina militari, et est commune stratagema, quo incauti et securi periculorum miserrime et periculosissime obruantur. Quo magis præceptum illud Æmilii Probi omnium in animis esse debet, « Nihil in bello oportere contemni, nec sine causa dici, matrem timidi flere non solere : » id nusquam verius, quam spiritali in militia esse cognoscitur, semper enim hostis in lateribus est, et Numidarum in morem cum evolasse putes, et e campo atque regione digressum, novus occurrit : hæret in speculis, plagæ locum, inferendæ cladi horam designat paulo post furiosissime involaturus. Qua de re S. Hilarius *in Psalm.* LXIII, sic admonet : « Ad doctrinam cœlestis eruditionis pervigilem curam fidei impendere admonemur, timere insidiantem semper hostem, ne incautam securitatem nostram ipse in speculis positus incurset. » Illud idem vidit S. Ambrosius *De Parad.* cap. IV, et sapienter usus monito Servatoris, qui *Matth.* XXV, 13 apostolis diu jam eruditis aiebat : *Vigilate*; contendit, nemine etiam perfectiorem, nisi vigilaverit, sui debere esse securum.

In militia præsertim spiritali semper timenda insidia.

Neque vero est, quod quisquam palmas numeret suas atque victorias, et quasi liber ac solutus ab omni periculo ea re glorietur, ut deorum filii, quos Pindarus ἀτρώτους, *invulnerabiles* appellat; hinc idem S. Ambrosius II *Apol.* cap. III, breve, sed aureum dixit verbum : « Nemo diu fortis est. » Cum ea semel ficta et ementita securitas mentem occupavit arma defluunt e manibus, remittitur animi contentio, languor succedit, aditus hosti aperiuntur. B. Macarius, vir notæ sanctimoniæ, multus est in prodendis eorum hominum exemplis, qui cum multa et miranda præstitissent, tandem illusi a callido inimico, et tentatione superati, deinde in scelus perfidiamque ceciderunt : inter alios, *Homil.* 27, quemdam ait, qui quo tempore impii tyranni vexarent Ecclesiam, et igneo quodam furore grassarentur, captus fuit, in equuleo positus, et post multos et acerbissimos cruciatus, quos Dei causa pertulerat, tandem in carcerem conjectus fuit : ubi cum illi ut fortissimo Dei athletæ fidei causa et religionis virgo ministraret, quæ a Macario dicitur κανονικὴ, *canonica*, religioni mancipata, orta inter eos familiaritate miser in stuprum est delapsus. Ille ignis ferrique victor, mundi prope mortisque dominus, in ipso carcere, sub ipsa martyrii palma et triumpho, prope in introitu sempiternæ gloriæ, cum securus esse videretur corruit, et indigno se flagitio contaminavit. Ergone martyr, qui uncos ferreos, ignes, equuleum generosissime tulerat, in squalore carceris et ærumnis libidinis aculeo victus fuit; tu inter homines, rebus ad votum fluentibus, in gynæceo, in virginum et matronarum familiaritate nullam tentationem metuas, te securum putes ? D. Prosper Aquitaniæ lux lib. II *De Vocat. Gent.* cap. XXVIII, pulcherrimum et salutare monitum in hanc rem protulit : « In præsentis agonis incerto, ubi tota vita tentatio est, et ab insidianti superbia nec ipsa est tuta victoria, mutabilitatis periculo non caretur. » Hoc illustrat exemplo S. Petri, qui cum magno ardore ferretur ad dura omnia pro Domino subeunda, quassu tamen violentæ et inopinæ tentationis concidit, ne quis deinceps viribus suis et anteactæ vitæ præfideret; itaque sancti omnes hanc securitatem vacuam metus et religiosæ cautionis periculosissimam esse ducunt, et omni studio fugiendam, ut teporis fontem et prænuntiam calamitatis : quare non immerito S. Job post tam præclaras de diabolo victorias adhuc sibi diffidens clamat : « Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam ? » etc.: atque hoc ipsum amplius amplificans subjungit :

Nemo diu fortis.

Etiam fortissimi cadunt.

Anteactæ vitæ meritis et victoriis non præfidendum.

Vers. 12. S. Job non saxeus aut æneus, ut dolorem non sentiret.

12. NEC FORTITUDO LAPIDUM FORTITUDO MEA : NEC CARO MEA ÆNEA EST, — *q. d.* Certe nec saxeus sum, nec æneus, ut afflictiones meas non sentiam : fortitudo enim lapidum sine sensu est; fortitudo autem hominis est cum sensu eorum quæ noxia sunt; hinc, quantumcumque ratio mortalis hominis fortis sit, necesse tamen est, ut ex parte carnis experiatur sensum doloris; atque per hoc eliditur increpatio Eliphazi, qui B. Jobum tristitiæ arguebat : etsi enim Jobo inesset fortitudo mentis, aderat tamen ex parte carnis vehemens sensus doloris, quem tristitia sequebatur. Similiter etiam per hoc confutatur opinio stoicorum, dicentium sapientem non tristari, cujus opinionis Eliphaz fuisse videtur. Beatus autem Job, ut notat D. Thomas, defendere intendit, sapientem quidem tristari, sed per rationem ita tristitiam moderari, ut propter eam nihil se dedecens decernat faciatve; quod etiam peripatetici docuerunt. Job igitur his verbis imbecillitatem suam ipse agnoscens prædicavit in posterum mortalibus, ne sibi ullus unquam in tot adversitatibus insensibilitatem potius quam veram hominis, etsi natura imbecillis, patientiam inesse arbitraretur. Quo quidem et divina gratia, quæ nostram adjuvat infirmitatem, magis commendatur; et hominis a Deo adjuti virtus gloriosior ostenditur, et fortius cæteris mortalibus atque efficacius præbetur exemplum patientiæ, cui nemo nostrum, quo minus imitari aut possit, aut debeat, aut velit, jure imbecillitatis humanæ prætendet excusationem. Observat hic Joannes a Jesu Maria, nonnullos fortissimos Dei cultores ita severe interdum in hac vita cædi ac si ænei forent aut lapidei, quod ad invictissimam divinæ gratiæ vim prodendam mirifice conferre dicit; neque obstare, quod mortem cupiant et precentur : sicut enim Jobi patientiam et longanimitatem minime detrivit ejusmodi optatum aut precatio, ita neque istorum. Sed non omnes, inquit, capiunt verbum hoc : qui potest capere capiat. De electorum autem ac reproborum fortitudine vide pulchre ac fuse S. Gregorium lib. VII *Moral.* cap. VIII et seq.

Jobi patientia non est insensibilitas.

Deus permittit quosdam sanctos ita tribulari ac si essent ænei.

13. ECCE NON EST AUXILIUM MIHI IN ME : ET NECESSARII QUOQUE MEI RECESSERUNT A ME. — Quo me vertam, inquit, nescio, nam neque ego mihi possum opem ferre, neque vero illam ferunt amici, a quibus desertus sum : pro voce *necessarii* in Hebræo est תושיה *tuschiah*, id est *essentia*, seu subsistentia, vel sapientia, vel consilium et ratio, qua scilicet res et essentiæ subsistunt, a radice יש, *iesch*, quod significat *est*, q. d. Essentiales mei amici et necessarii cognati et consiliarii recesserunt a me, vel essentia recessit a me, mea sapientia, ratio, etc. Docemur hic in primis nihil esse in nobis ipsis, aut externis humanisque rebus, in quo certo possimus confidere, spemque reponere; quod, nisi lemam in oculis haberemus fœdam et tenebricosam, sine dubio animadverteremus : quid enim homo est, aut quid potest ? loquatur ipsa natura, et confundat superbi animalis inanissimam opinionem et tumorem, si quis sit, qui sibi aliquid magni esse videatur : homo ex nihilo subito emicuit obstetricante manu Dei, in nihilo prosapia ejus, in nihilo ut proprio insidet, in eodem vis illius omnis atque potentia, et si breviter definire lubet, homo est nihil imbecil-

Vers. 13.

Neque in nobis neque in rebus externis confidendum.

Homo ex se nihil potest.

http://www.obrascatolicas.com

litate vestitum. Quod si vere gravissimi theologi dixerunt, physiologiam secuti, potentiam sequi ad esse, qui per se nihil est, quid magnopere per se possit? itaque divinæ litteræ hominem vocant meram vanitatem, idolum, mendacium, imaginem, umbraticam speciem et fugientem, rem videlicet inanissimam, uno verbo, nihil. Ex quo concluditur neminem in se prudenter fiduciam collocare posse, quod hic Job clare profitetur cum ait : « Ecce non est auxilium mihi in me ; » sed neque in copia amicorum aut aliorum hominum officio, studio aut industria fidere oportere significat, cum subdit : « Et necessarii quoque mei recesserunt a me. » Præclarum Davidis illud effatum est *Psalm.* LIX, 13 : « Quia vana salus hominis : » homo enim sæpe in officio et amicitia languet, et obliviscitur, et contemnit, spemque frustratur, et quod vult nequit, et quærit potius sua quam aliorum commoda; vanus est, vanitasque ipsa, denique facile emoritur; et proinde est verissimum : « Quia vana salus hominis. »

Non in amicis fidendum.

Vana salus hominis.

« Audiant hæc, inquit S. Hieronymus *in Psalm.* LIX, qui spes suas in potentatibus hominum vel in terrenarum divitiarum splendoribus ponunt : *Quia vana salus hominis* : » *potentatus* vocat magnorum virorum excellentem præstantiam, honorem, dignitatem, auctoritatem, late patentem et diffusam potentiam atque dominatum : principes enim clarique sapientia viri, quique magnificis opibus excellunt, vim magnam habent ad tenuiorum voluntates commovendas, ut fiduciam in illis suam reponant; unde fit ut sæpe multi dynastarum et optimatum gratiam pluris faciant, et majora exspectent ab iis bona quam a Deo, plusque spei in iisdem collocent quam in summo et beneficentissimo Numine, a quo uno salus, juxta illud regii Prophetæ *Psalm.* III, 9 : « Domini est salus, » quod eleganter ante oculos posuit D. Augustinus *in Psalm.* CXLV : « Dicatur homini in afflictione aliqua constituto : Est quidam homo magnus, per quem possis liberari : arridet, gaudet, erigitur; quod si dicatur illi : Liberet te Deus, quasi desperatione frigescit, » etc. Sic nimirum contemnitur Deus, dum humani splendor favoris perstringit oculos, spesque boni perituri titillat, et rejecta potentissima a Dei manu ad juvandum beandumque parata brachium suum homines carnem ponunt. Istius generis homines non dubitavit Jeremias cap. XVII, 5 gravissimo verbo nominare *maledictos* : « Maledictus homo qui confidit in homine, » quem *ibid.* vers. 6 ait myricæ in deserto simillimum, quæ se non tollat in sublime, neque fructuum abundantia gaudeat : est enim myrica, opinione veterum, portentis inferorum devota; quam Plinius arborem infelicem et religione damnatam vocat; quamque Hebræi symbolum esse volunt hominis abjecti et despicati, qui in sordibus atque summa contemptione hæreat. Unde illud est hymnopœi Regis *Psalm.* CI, 18 : « Respexit in orationem humilium : » ubi in Hebræo est *in orationem myricæ* ; sed maxime in hac arbore notatur illudenda sterilitas, quæ nullo fructu hominum utilitati et jucunditati consulat : quare de illa subdit Vates *Jerem.* XVII, 6 : « Et non videbit cum venerit bonum, » hoc est, imbre et cœli donis non fruetur; unde necesse est, ut confecta siccitate nullum fructum exspectatione dignum efficiat.

Homines passim plus fiduciæ in hominibus ponant, quam in Deo.

Maledictus qui confidit in hominibus.

Confidens in homine myricæ similis est.

Contra vero divinæ fiduciæ bonum idem ipse Jeremias cap. XVII, vers. 4 cœlesti afflatu et heroico veluti cantu prosequitur, cum intima lætitia delibutus in hunc modum exclamat vers. 7 : « Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus; » subdit continuo de optabili et prædicando fructu : « Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas; et non timebit cum venerit æstus : et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. » O thesauros divinæ fiduciæ immensos ! in quibus plena et redundans cornucopia semper redundet : sim nimius, si coner illos copiosius exponere. Qui diffidunt viribus suis, et prudentiæ, et fallentibus hominum consiliis, atque in Domino spem locant suam, arbores sunt ἀειθαλεῖς, quæ jucunda viriditate et perenni velut honore vestiuntur; neque modo pulchræ sunt, et ad hominum commendationem decoræ atque amabiles, verum etiam ad communem utilitatem fructum ferunt; non timebunt si tentationes ingruent, si venerit æstus, si difficultates objicientur; siccari non possunt, quas irrigua semper unda fovet Deus, unde efflorescunt in dies magis, atque ad inclyta facinora conficienda renovantur. Facit illa cum Deo conjunctio, quam pia fiducia conciliavit, ut humana imbecillitate superata, et disjectis impedimentis, feliciter multa conficiant, quæ alioquin per se nunquam potuissent efficere.

Confidens in Deo arbori fructiferæ assimilatur.

14. QUI TOLLIT AB AMICO SUO MISERICORDIAM, TIMOREM DOMINI DERELINQUIT. — Hi, inquit, qui amicum, cum illius dolorem aut juvando aut consolando levare debuissent, in afflictione deserunt, non tam erga amicum fidem quam Dei timore u dereliquisse ac prodidisse existimandi sunt :] ungit hic amicos suos, quod acerbi in se fuerint, et eorum illiberalitatem et inclementiam exaggerat, quod ab illis eo prodatur et deseratur articulo, in quo magis illorum desiderare poterat officium et fidem, quare illis eamdem minatur rerum vicissitudinem, cum pietatis et benevolentiæ officium prodiderint : ita Sanctius noster. *Timorem* autem hic, ut sæpe fit, accipe pro religione cultuque Dei, quem nec reveretur nec novit quidem infidus in amicitia, maxime qui jacentem amicum non solatur, non juvat omni qua potest ope, aut saltem non dolet. Huic non absimilis est aurea illa S. Joannis evangelistæ, dilectionis fraternæ præconis celeberrimi, sententia I *Epist.* III, 17 : « Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo ? » ubi notandum per *viscera* misericordiam proprie denotari; cui nomen *viscerum* in Scripturis passim attribuitur, ad significandam veram et ex intimo corde misericordiam; ad quam nos Apostolus adhortatur dicens *Coloss.* III, 12 : « Induite viscera misericordiæ, » id est, ut Chrysostomus et Œcumenius interpretantur, *habetote affectum charitatis erga proximos; quasi nimirum patres prosequuntur filios, quos ex suis generant visceribus* : sic etiam Deus, quia nos paterno est affectu prosecutus, habere viscera misericordiæ perhibetur. Ut autem hæc accuratius intelligantur, sciendum est *misericordiam* esse voluntatem subveniendi alterius calamitatibus et miseriis, quæ tunc vera est et perfecta, quando ex dilectione erga eum, cui subvenimus, procedit; solet tamen non semper ex dilectione alterius proficisci, sed ex quodam commiserationis affectu, quo pars inferior ac sensitiva in alterius calamitatibus afficitur. Quam quidem affectionem mirabili providentia Deus indidit hominibus, ut aliis compatiantur; non quod hæc sit per se virtus misericordiæ, sed ut ea nos impellat ad subveniendum, quia non semper diligimus eos quorum miseremur : si enim diligeremus vehementer ut oportet, minime opus esset appetitus commiseratione. Qui ergo commiseratione moti subveniunt indigenti, magna ex parte sibi subveniunt, dum alteri subvenientes propriam minuunt commiserationem; atque hæc est causa, cur potissimum huic virtuti misericordiæ *viscerum* nomen conjungamus : non enim dicimus *viscera* castitatis, justitiæ aut humilitatis, sed *misericordiæ*, quia hæc particulari quodam corporeo et viscerum affectu excitatur; sicque intelligendum est illud Apostoli *Philip.* II, 1 : « Si qua viscera misericordiæ in vobis, » id est, si qua commiseratio. Deus autem noster cum non habeat hunc commiserationis affectum, quia passionis expers est, nec eo indiget, quia vehementissime amat nos; amor autem sit præcipua causa miserendi ac subveniendi; hinc quod in homine facit commiseratio cordis et viscerum, hoc in Deo ipso fecit amor et dilectio ejus ardentissima erga nos.

Misericordiæ tribuuntur viscera in Scripturis.

Misericordia quid proprie sit.

Affectus commiserationis a Deo nobis inditus, non est per se virtus.

Cæterum advertendum est hanc commiserationem, quæ in nobis actum misericordiæ seu voluntatem alienam miseriam sublevandi præcedere solet, virtutem non esse, sed ad virtutem impellere; at quando sequitur actum miserendi, quia scilicet voluntaria est, et is qui miseretur non tantum vult subvenire, sed etiam condolere, tunc esse virtutis effectum, et ex magna et perfectissima misericordia procedere, siquidem alterius calamitates non tantum auferre, sed etiam in nos per commiserationem quamdam transferre volumus : de hac locutus est D. Gregorius, lib. XX *Moral.* cap. XXVI, et ad hæc viscera nos exhortatur Paulus dicens *Coloss.* III, 12 : « Induite viscera misericordiæ, » quæ nimirum Deus etiam propter nos suscipere dignatus est : tanta enim ejus fuit misericordia, ut non solum subvenire, quod sola voluntate poterat, sed etiam calamitatem nostram magna ex parte in se suscipere voluerit; quod fieri non poterat nisi carne suscepta. Hæc divine exponens Paulus *Ephes.* II, 4 : « Deus, inquit, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo : » vere dives in misericordia abundans et superabundans, nam qui per *solam voluntatem* poterat subvenire (quod misericordiæ solius est) voluit etiam per *commiserationem* id præstare carne suscepta, quod procedebat ex nimia charitate qua nos dilexit; quæ recte dicitur *nimia*, quia plus quam necessarium erat contulit ad salutem : hæc sunt « viscera misericordiæ, in quibus visitavit nos oriens ex alto, » *Luc.* I, 78. O nimia et admiranda Dei charitas ! quæ induit viscera misericordiæ propter nos; quibus sine his subvenire poterat; nec ad hæc visceribus seu commiseratione præcedenti motus est, sed dilectio eum indui visceribus fecit. Hinc sancti uberem materiam sumpserunt prædicandæ summæ divinitatis atque amandæ : D. Paulus velut in censu et patrimonio Numinis nihil videbat esse majus, nihil gloriosius, unde *opulentissimus* appellari posset, unde abundantissimam divinæ misericordiæ copiam vocat *Rom.* II, 4 *divitias bonitatis ejus*, ut hujus unius comparatione potentia illa miranda, et infinita pulchritudo, aliæque Dei virtutes immensæ, parcæ et restrictæ quodammodo esse videantur. Regius Vates cum in Deo considerando mentem figeret, quod sæpius pro incredibili sua pietate faciebat, misericordiæ luce perfusus undique radianti, nihil prope videbat aliud, vel suspiciebat; cumque gentiles vanitate illusi transmutatos suos faterentur esse deos in leonem, in aurum, in olorem, aliaque similia, ipse novum et inauditum genus metamorphoseos attulit, ut Deum in misericordiam versum diceret; et si olim Persarum magi Deo pro corpore lumen tribuerunt, proque anima veritatem, ipse pro corpore, proque vita et anima solam Deo misericordiam tribuit, unde suum Deum *misericordiam* suam indigitat *Psalm.* LVIII, 18 : « Deus meus, misericordia mea : » quare minime mirandum est in sacrosanctis oraculis nihil æque ac misericordiam nobis commendari, cum ex ea salus, vita et beatitudo nostra dependeat; cujus omnino expers sit necesse est, qui proximo suo in angustiis constituto subvenire cum posset detrectaverit. Hujuscemodi inhumanitatem et misericordiæ defectum in amicis suis Job reprehendit.

Dei nimis copiosa fuit in nos misericordia.

Deus dives in misericordia.

Misericordia Dei præ ceteris virtutibus eminet.

15. FRATRES MEI PRÆTERIERUNT ME, SICUT TORRENS QUI RAPTIM TRANSIT IN CONVALLIBUS. — Amicos suos arguit illiberalitatis, quod in eum id officii munus minime præstiterint, quod lex amicitiæ postulabat; eosque confert cum torrentibus, qui

Vers. 14. Jobi amici illiberalitatis arguuntur.

David vocat Deum suum misericordiam suam.

Vers. 15. Amici infidi cum torrente comparantur.

http://www.obrascatolicas.com

multis quidem pluviis cadentibus aut nive liquescente exundant, æstate tamen ita exarescunt ut penitus non appareant : ita et ipsi, cum Job dives esset, et prospere illi cuncta succederent, in ejus se amicitiam vehementer insinuabant, suamque ei operam ac studium prolixe pollicebantur ; at cum Job tanto miseriarum æstu urgeretur, non solum amicorum operam non præstiterunt, sed etiam ei molesti et acerbi exstiterunt. De hujusmodi amicis Ecclesiasticus ait cap. VI, vers. 8 : « Est amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis : » id quod poetis etiam tritum et decantatum :

Non permanent in tempore tribulationis.

Dum fueris felix multos numerabis amicos;
Tempora si fuerint nubila solus eris.

Id quod Poeta græcus uno versu expressit :

Ἀνδρὸς κακῶς πράσσοντος ἐκπροὶν φίλοι :
Fugiunt amici quem fugit felicitas.

Quod alius adhuc brevius dixit :

Ἔρημός ἐστ' ἄνθρωπος ἠπορημένος :
Solitarius est homo inops.

O miseram et invisam omnibus filiis hujus sæculi paupertatem ! Cæterum pro eo quod dicit : *Fratres mei præterierunt me*, alia lectio habet, *fratres mei fefellerunt me*, q. d. Sicut iter agens viator hiemis tempore torrentem in via offendit, copiam aquæ multam, eamque dulcem et limpidam ferentem ; dum æstatis tempore isthac iterum iter peragit, siti fatigatus ad locum illum anhelat, et aquam ex illo torrente abundantem sibi promittit ; verum ubi accesserit, sua se spe frustratum cernens, et alveum plane siccum inveniens, ait : Fefellit me torrens ille. Ita etiam Job adversitatis tempore incidens in amicos, qui in prosperitate, quando illorum opis minime egebat, torrentis copiam bonorum ipsi sponte obtulerant, ab iis plane se destitutum et delusum reperit, ac despectum ; unde Septuaginta vertunt, οὐ προσιδόν με οἱ ἐγγύτατοί μου· ὥσπερ χειμάρρους ἐκλείπων ἢ ὥσπερ κῦμα παρῆλθόν με, *propinqui mei non respexerunt me : tanquam torrens deficiens aut sicut fluctus transierunt me*. Talis nimirum est hominum amicitia, ut plurimum fallax ; at Dei amicitia fidelissima est, siquidem nullum in adversitate amicum deserit, qui Jobum etiam ab omnibus derelictum, uti postea dicetur, recepit, adjuvit, reparavit, et non solum ad pristinum statum reduxit, verum etiam omnia illi bona restituit duplicata. Hoc igitur attendant qui in hominibus spem suam collocantes, ab eis ambitiose honorari et promoveri quærunt.

Humana amicitia fallax.

Vers. 16. Qui fugiunt leviora mala incidunt in majora.

16. QUI TIMENT PRUINAM, IRRUET SUPER EOS NIX. — Hæc sententia jam abiit in proverbium, quo significatur sæpenumero fieri ut in majora mala incidant qui fugiunt leviora ; tacite autem arguit amicos suos, qui ab illo procul fugerant, ne quid ab ejus ulceribus et pestilenti morbo dira contagione contraherent : sed accidit illis multo aliter, nam dum a contactu fugiunt laborantis amici, in Dei iram, amicitiæ fideique proditoribus præparatam, incurrerunt ; quod perinde est, atque si *pruinam* declinantes in *nivem* inciderent, quæ multo nocentior est, et ab illa minus expedita fuga.

Timor mundanus noxius.

Propriissime hic notatur *timor mundanus*, cum quis damnum pœnamque ita metuit, ut eorum vitandorum causa non dubitet sese magno et inexpiabili scelere astringere, et divinam legem violare ; quem timorem propterea D. Basilius nominat ἐχθρὸν, *hostilem* seu *inimicum*, et salutis oppugnatorem, qui animæ atque vitæ insidietur. Regius Vates magno illum affectu repudiabat, et deprecabatur, dum apud Deum sic contendit *Psalm.* LXIII, 2 : « A timore inimici eripe animam meam, » ut *ibid.* etiam notat idem clarissimus et eruditissimus Pontifex, e cujus mente paulo diceretur clarius : « A timore inimico (vel hostili, qui nimirum gratiæ vitam et jugulum petit) eripe animam meam. » Alio in loco miseratur eorum hominum genus, quos hic perduellis fœdam in labem et perniciem induxit, *Psalm.* XIII, 9 : « Illic trepidaverunt timore ubi non erat timor ; » et paulo ante dixerat : « Non est timor Dei ante oculos eorum : » nimirum alia potius omnia quam Deum metuunt ; unde necesse est ut sæpe vano et flagitioso timore commoveantur. In hac classe plurimi sunt in orbe terrarum, qui dum formidant, ne ambitionis suæ fructu spolientur, ne frustrentur insignium spe commodorum et sperata voluptate, neve opes minuantur, dum dedecus infamiamque metuunt, et imperiti vulgi rumusculos et sermones, deserto atque postposito Numinis metu, indignis se facinoribus perfidiose contaminant atque polluunt, in quos illud convenit Aristotelis lib. III *Ethic.* cap. XI, πολλὰ κενὰ τοῦ πολέμου, *belli esse* (*vitæ* nos dicamus) *terrores inanes multos ;* quod in minutum, et abjectum et inanissimis mundi opinionibus victum animum referunt sapientes : Itaque ille idem lib. VII *Polit.* cap. I, ait esse quosdam qui metuant παραπετομένας μυίας, *circumvolitantes muscas*, in quibus nulla nimirum sit animi fortitudo atque virtus. Quod etiam commune fuit Academiæ judicium, in qua, teste Stobæo *Ethic.* cap. IV, docebatur : Qui timet omnia, etiam τὴν σκιὰν, *umbram suam*, ἀγενῆ καὶ δεῖλον, *ignavum et meticulosum* appellandum. In Evangelio *Matth.* VIII, 26, Christus *modicæ fidei homines*, ut fracto animo degeneres, vocat discipulos, qui præsente Filio Dei, de cujus ope atque præsidio securi esse debuissent, in coorta sæva tempestate, ut in certo et inevitabili naufragio exhorrescebant. in cujus rei contemplatione Basilius Seleuciæ pontifex *Orat.* 22, de importuno illo metu exclamat : « Infidelitatis argumentum est timor : » nimirum qui se potius in difficillimis rebus atque metuendis quam Deum videt et considerat, nec ullam capit christiano pectore dignam constantiam, et in impios sæpe timores inanissimosque labitur.

Timor inanis quis ?

Inordinatus timor signum est infidelitatis.

Timor supervacuus quis in jure ?

Atque hunc eumdem mundanum timorem *supervacuum* Jura dicerent, quem censoria velut virgula notant et puniunt ; nec sufficere pronuntiant ut excusari homines possint, et beneficio legum juvari : sic cum aiunt prætoris edicto adjuvari illos, qui metus causa abfuissent, providentissime addunt π ex quibus causis : « Si non supervacuo timore deterriti abfuissent ; » et lege consequenti dicitur non sufficere quolibet terrore adductum timuisse, sed hujus rei disquisitionem ad judicem pertinere. Unde meo judicio regula ea juris manavit π. *De Reg. Juris* lib. CLXXXIV : « Timoris vani justa excusatio non est. » In cœlesti quidem foro et divina curia mundani timoris nulla justa excusatio est, ut non sit mirum ut gravissime acerbissimeque illi puniantur, qui vanissimo timore delusi, ne leve damnum incommodumque sentirent, Dei legem voluntatemque abjecerunt : fit enim sæpe Dei providentia, ut illud ipsum, quod magnopere stulta et impia contentione refugiebant, illis eveniat, et quidem inexspectatis incommodis et ignominia cumulatum ; itaque dicunt vel inviti cum Jobo cap. III, vers. 25 : « Timor quem timebam evenit mihi : » aut quod hoc loco in arcanis symbolis suis posuit : « Qui timent pruinam, irruet super eos nix. » Celerem deinde interitum eorum in eadem metaphora persistens exponit.

Timor vanus non excusat.

Vers. 17. 17. TEMPORE QUO FUERINT DISSIPATI PERIBUNT : ET UT INCALUERIT SOLVENTUR DE LOCO SUO. — Sicut, inquit, nix et matutinus humor in pruinam concretus, ubi sol incaluerit liquescunt et evanescunt, neque in locis, in quibus candicarunt antea, amplius inveniuntur ; et sicut torrens etiam æstatis ardore ustus siccatur et perit : eodem modo timidi illi et immisericordes, qui quam poterant et debebant opem amico extrema patienti non tulerunt, ab æstu et fervore divinæ indignationis ac pœnæ tunc subito solventur, et peribunt de loco suo, gloria et felicitate. Septuaginta hæc aliter legunt, et ipsimet Jobo accommodant in hunc modum, εἴτινές με διεψεύσαντο ὧν ἐπιπεπτώκασί μοι ὥσπερ χιὼν ἢ κρύσταλλος πεπηγώς· καθὼς τακεῖσα θέρμης γενομένης οὐκ ἐπεγνώσθη ὅπερ ἦν· οὕτω κἀγὼ κατελείφθην ὑπὸ πάντων, *qui verebantur me, nunc irruerunt super me sicut nix aut gelu concretum. Quemadmodum quod liquefactum est calore exorto non cognitum est quod erat : ita et ego derelictus sum ab omnibus ;* quæ verba S. Chrysostomus in *Caten.* sic explicat, quasi Job ipse suam doleat vicem et subitam mutationem, qualem subit pruina vel nix, quæ repente ad Austri flatum aut solis calore solvuntur : sic nimirum ipse prius amicis opibusque potens, domi forisque inclytus et charus, omnia repente perdidit, familiam, amicos, bonum et amabile nomen, speciem et totum ferme corpus : neque quidquam ferme relictum est præter miseram animam.

Immisericordes peribunt in die iræ Dei.

Pœnitentiam procrastinantes in fine perennat.

Tropologice S. Gregorius lib. VII *Moral.* cap. XI, locum hunc exponit de iis peccatoribus, qui pœnitentiam nimis procrastinant, et in finem usque vitæ differunt : tales enim *Psalm.* I, 4, « tempore quo fuerint dissipati, » id est sub tempus mortis, quando terrena omnia dissipantur, vel audito solum mortis nuntio, exanimabuntur, et « peribunt, *facti* tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ : » impii enim cum nullum habeant humorem virtutis, quo contineantur et constringantur, instar pulveris omni vento erroris circumferuntur, et perversis suis opinionibus distrahuntur, et quasi ad nihilum rediguntur, ac si amplius futuri non essent post mortem. « Et ut incaluerit » furor Domini magnus ad vindictam impiorum accensus, irati judicis faciem sustinere minime valentes, præ timore « solventur de loco suo, » et ad nutum æstuantis oculi ejus diffluent, liquefient et tabescent : « quos enim, inquit Gregorius, præsentis vitæ sollicitudo ordinat, amissio dissipat, et tunc etiam exterius pereunt, qui intus dudum æterna negligendo perierunt, de quibus recte additur : *Et ut incaluerit solventur de loco suo.* Iniquus enim quisque cum incaluerit de loco suo solvetur, quia judicio intimæ districtionis appropinquans, cum jam per cognitionem pene fervere cœperit, ab ea, cui dudum inhæserat, carnis suæ delectatione separatur : tunc mens æstuat, et infructuosæ pœnitentiæ se ignibus inflammat, duci ad supplicium timet, præsentem vitam ex desiderio retinet ; sed de loco suo solvitur, quia oblectamenta carnis deserens ejus duritia per supplicium liquatur. »

Impii sicut fumus et cera deficiunt et liquescunt a judicio Dei.

Hæc scilicet est sors impiorum et pars calicis eorum, inquit regius Propheta *Psalm.* LXVII, ut cum exsurgit in judicio Dominus, illico « dissipentur inimici ejus : et sicut deficit fumus deficiant : sicut deficit cera a facie ignis sic pereant peccatores a facie Dei : » nequaquam enim iratum Numen videre sustinent, sed vel solo ejus aspectu impii percelluntur, et præ nimia consternatione animi deficiunt, ac penitus abolentur instar fumi, qui in nihilum redigitur ; vel instar ceræ, quæ igni apposita colliquescit ac perit. Iliane fumi ceræque similitudinem expendens S. Hilarius ad prædictum Psalmi locum sic eamdem illustrat : « Fumus, inquit, cum emerserit licet globosus et crassus, tamen paulatim ille deficit aboleturque, ne exstet ; et in conspectu ignis cera sic liquescit, ut non sit ; fumo quidem in igne per levitatem sui tenuitatemque dilapso, cera autem vi et calore ignis absumpta ; quia infirmæ ipsa per se naturæ potioris diripiatur ardore. Hunc in modum omnis iniquorum potestas ab igne Dei, id est Dei judicio, liquescit. » Eodem hic sensu accipe illud : « Et ut incaluerit solventur de loco suo ; » ut vere in illos quadret illud, quod de impio similiter alibi Psalmographus ait *Psalm.* XXXVI, 11 : « Quæres locum ejus, et non invenies, » id quod ante ipsum Job dixerat cap. VII, vers. 10 : « Nec cognoscet eum am-

http://www.obrascatolicas.com

plius locum ejus; » quod vide sequenti cap. vers. 10 explicatum.

Vers. 18. Ficlorum amicorum involutæ sunt semitæ.

18. INVOLUTÆ SUNT SEMITÆ GRESSUUM EORUM : AMBULABUNT IN VACUUM, ET PERIBUNT. — Invehitur adhuc in fallaces illos et infidos amicos, quorum involutæ sunt et flexuosæ viæ, id est actiones, multis simulationibus et dolis intricatæ; quibus nihil promovent, et tandem inauspicato fine desinunt, et æterna damnatione se involvunt : tales Scriptura divina *Eccle.* I, 15, σκολιὺς, *obliquos* et obtortos appellare solet; Salomon etiam διεστραμμένους, *curvos et distortos*, quorum mores plane Jobi moribus contrarii sunt, cujus candidæ et ingenuæ simplicitati repugnant. Et forte Jobum intuebatur ut magistrum divinorum æmulator Pythagoras, cum in aureis symbolis illud posuit, ἐν ὁδῷ μὴ χίζε, *in via ne scindito* : simplicitatem et veritatem sectandam monet in vita tanquam in via, nam fraus, dissimulatio et mendacium est πολυσχιδὴς, *multipliciter scissum* atque lacerum; unde is qui simulationibus et fraudibus utitur, vulgo *duplex* appellatur, de quo D. Jacobus *Epist.* I, 8 : « Vir, inquit, duplex animo inconstans est in omnibus viis suis : » cui quid impendeat mali Ecclesiastici auctor, cap. I, vers. 14, divino afflatu providit, cum horribile væ denuntiat : « Væ duplici corde; » illud *væ* rei gravitatem, et diris jam devotum caput suppliaque significat : est enim scelus Deo invisum, qui summa veritas est, quæ simulatione convellitur; est et infestum hominibus, cum fides, et mutua inter se communio candorque tollatur : itaque Plato in *Hipp. min.* laudat hoc magni Poetæ votum, IX *Iliad.* vers. 312 :

Duplicitas execrabilis est.

> Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν,
> Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ :
> Inimicus sit ille mihi non minus quam orci portæ,
> Qui aliud in præcordiis tegit, aliud vero loquitur.

Capræ, ut notat Plinius lib. VIII, cap. L, lambunt arbores, et lambendo exsiccant; et cum illas osculari videantur occultum venenum infundunt, quo pereunt : sic nonnullos ore blando velut suaviari et vim amoris expromere putes, cum detestabili quadam machinatione insidias ponant, et nocere velint. Apostoli διψύχους, *duplices animo* nominare solent, ut patet *Jac.* I, 8, et *Const. Apost.*, quod idem est cum *duplici corde*; quasi duas animi cellas haberent, in quarum una rectitudo atque veritas; in alia fraus, mendacium perfidiaque versetur.

Spiritus Sanctus effugit fictum.

Hoc genus hominum damnant in primis sacratorum codicum oracula, in iisque Dei voces granditer et magnifice resonantes : « Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, » ait Sapiens *Sap.* I, 5 : *fictum disciplinæ* vocat simulationem erudito artificio et malitioso coloratam, ad quam improbe concinnandam velut doctrina quædam solertiaque studii adhibeatur, quæ non potest non perniciosa videri. Non amat falsum auctor veritatis : « Adulterium est apud illum omne quod fingitur, » inquit Tertullianus lib. *De Spect.* cap. XXIII; Clemens quoque Alexandrinus lib. III *Pædag.* cap. III, fieri posse negat ut quis animam habeat ἀληθινὴν, *veram*, qui caput, inquit, habet κίβδηλον, *adulterinum*, fictum videlicet os atque simulatum. Neque minus perspicuum est quid humana jura de illo eodem pronuntient, pertinet enim ad dolum malum, qui justitiæ est dehonestamentum : ubicumque insederit boni viri nomen commaculat, christianæ simplicitati opponitur. Itaque π. lib. I *De Dol. malo*, definiunt dolum malum jurisconsulti : *Machinationem quamdam alterius decipiendi causa, cum aliud simulatur, et aliud agitur*; quæ cum pestis longe perniciosissima esse videatur, multæ excogitatæ sunt leges ad eam coercendam, quæ vetant quidquam sanctum et ratum esse, quod dolo malo et simulatione sit confectum. Non profero plura ex Jure, cum plurimarum legum justissimis aculeis dolus malus passim agitetur, fallacia puniatur : communis quoque nationum omnium sensus ab omni ævo satis vidit eam fraudem simulatorum esse improbandam, ut indignam bono viro, et e moribus eliminandam; maxime inter christianos, quibus nihil affectatum, improbe fictum et simulatum esse debet.

Dolum malum jura prohibent puniuntque.

Tropologice S. Gregorius lib. VII *Moral.* cap. XII, locum hunc de reprobis exponit, « quorum involutæ sunt semitæ gressuum eorum; quia recta quidem deliberando appetunt, sed ad consueta sæpe mala replicantur; et quasi extra se tensi ad semetipsos per circuitum redeunt, qui bona quidem cupiunt, sed a malis nequaquam recedunt. » Alludere videtur ad illud *Psalm.* XI, 9 : « Impii in circuitu ambulant; » de quibus item Isaias ait cap. LIX, 8 : « Semitæ eorum incurvatæ sunt in eis : » vitia enim et passiones sunt illæ volubiles rotæ, in quibus impiorum animæ tanquam Ixiones continua rotatione volvuntur. « Cæterum quid omni suo laborioso circuitu proficiunt, qui nihil secum de fructu sui laboris portant? Alius namque adipiscendis honoribus desudat; alius multiplicandis facultatibus æstuat; alius promerendis laudibus anhelat; sed quia cuncta hæc quisque moriens deserit, labores in vacuum perdit, quia secum ante Judicem nihil tulit : » quo quid infelicius dici potest? Si ex Indis ad nos per mare navigans quis auro et argento dives properaret, et post totius maris cursum in portu naufragium pateretur; nonne miserum illum affirmares, et in vacuum apud Indos laborasse divitias accumulando? Id utique omnino contingit divitibus hujus sæculi : anhelant enim ad hæc mundi bona conquirenda et acquirenda; cum tamen in fine vitæ quando alterius vitæ portum jamjam ingrediuntur, omnia quæ hic acquisiverant amittant. O infelix labor totius vitæ! omiserunt miseri pro bonis æternis laborare, ut temporalia acquirerent, et tunc simul et temporali-

Improborum labor in vanum perit.

bus et æternis destituuntur : *temporalibus* quidem, quia hæc omnia tollit mors; *æternis* vero, quia nihil eorum negotiati sunt, quapropter misere pereunt. Porro hæc verba quoque imperfectos christianos et religiosos pungunt, adurunt frigescentes et ignavos, qui vana reverentia hominum, aut levissimo timore difficultatis, quæ omnes virtutes reddit pretiosissimas, in magnæ deficiunt negligentiæ frigus, ut periculum aliquando sit ne excidant loco suo : hi siquidem sunt, quorum involutæ sunt semitæ, qui non progrediuntur quantumvis gradiantur; qui non magis eunt quam redeunt; qui simul ac procedunt statim recedunt; qui vix convertuntur, cum facillime revertuntur; qui perambulant in vacuum, cum tantumdem recurrant quantum cucurrerant, replicantes in semetipsos eosdem sæculi mores, easdem imperfectiones; quorum semitæ merito dicuntur *involutæ*, quia, ut S. Gregorius dixit, « omne quod involvitur in semetipsum replicatur, » non aliter quam equus cum in gyrum ducitur, aut cum trochum circumagitant pueri. Tres autem causas tepiditatis invenio juxta S. Gregorium, sive triplex tepidorum genus, qui involutis semper semitis potius regrediuntur, quam iter aggrediuntur virtutis : *primum* genus eorum qui optimis desideriis nutriti, nullum aut pauca opere complent, cum omnia valent; *alterum* genus est, quorum desideria ipsa in integrum deficiunt; *tertium* genus medium inter duo dicta intercedit, eorum scilicet, qui quædam volunt, quædam nolunt; neque tantum operibus ipsis claudicant, sed et votis, de quibus vide S. Gregorium lib. VII *Moral.* cap. XII.

Imperfectorum semitæ involutæ.

Vers. 19.

19. CONSIDERATE SEMITAS THEMA, ITINERA SABA, ET EXSPECTATE PAULISPER. — Superiori versu falsorum amicorum atque hominum impiorum *gressus*, id est conversationem, multis simulationibus, dolis et deceptionibus implexam atque involutam esse pronuntiaverat; quibus ipsi tandem dolorum et fraudum architecti, propriis irretiti laqueis, malo pereunt; nunc Themanorum et Sabæorum, utpote Eliphazo sociisque notissimorum, ac subditorum exemplo rem confirmaturus, rogat ut illorum *semitas*, id est actiones, et *itinera*, id est negotiandi et conversandi rationes, sedulo considerent, et inspiciant; quemque tandem omnes illorum circumventiones et fallaciæ finem habituræ sint attendant. Occulte autem hic ipsummet Eliphazum taxat, qui erat Themanites, seu rex Themanorum, et socium ejus Sopharem, qui erat rex Ammonitarum, seu Naamathæorum urbis primariæ, non admodum a Saba distantis; quos tacite perstringit, et violatæ arguit amicitiæ, quod sibi in tanta necessitate constituto minime opitularentur; atque hic mihi videtur genuinus hujus loci sensus, qui optimam cum præcedentibus et sequentibus connexionem habet, in qua quærenda plurimi interpretes multum laborant, et se torquent. Idem igitur est ac si Job diceret : Ut te, o Eliphaz, et socios tuos violati juris amicitiæ et proditæ humanitatis reos agam, non multis aliunde accersitis opus est argumentis aut testimoniis; vosmetipsos duntaxat inspicite atque actiones vestras, modumque procedendi vestrum, quem mecum tenuistis, paulisper attendite, atque ipsomet vestro ipsorum calculo, si modo æqui esse judices velitis, vos ipsos condemnabitis, et violatæ reos amicitiæ pronuntiabitis ad vestram confusionem.

Job Eliphazum et socios arguit amicitiæ violatæ.

Tropologice locum hunc pro remedio tepiditatis exponit Nierembergius noster lib. VI *Ascet.* doct. 5, cap. XLVIII : Postquam enim, inquit, tepiditatis morbum et pericula significavit Job, nunc medelam adhibet, et salutare porrigit pharmacum. Quod tandem remedium? hoc quidem maximum, considerare ipsos tepidos, eorumdem miseriam et vilitatem, hoc satis putavit ut omnem cordis languorem, omnem animi torporem deponeremus, ne similes iis essemus, et in aliena vita nostram formidaremus; sicut Salomon contemplatus miseriam et paupertatem tepidi exemplo tantum malum exhorruit *Prov.* XXIV, 30 : « Per agrum, inquit, hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat : quod cum vidissem posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam : » stupuit conspicatus desolationem quam vidit in rebus ignavi et negligentis, quem merito *stultum* vocat; doctusque alieno exemplo proposuit sollicite et strenue res suas curare. Quod si pigritia rerum temporalium sic commovit regem locupletissimum, ut diligenter sua procuraret timens paupertatem, ad quam trahere solet pigros; negligentiam spiritualium bonorum multo magis formidare nos pauperculi debemus : quapropter merito S. Job idem quod Salomon pro temporalibus fecit nos jubet pro spiritalibus facere, monens ut animum ad tepidos vertamus, eorumque miseriam perpendamus, ut caveamus id esse quod pavemus : « Considerate, inquit, semitas Thema, itinera Saba, et exspectate paulisper : » « Thema quippe, teste Gregorio lib. VII *Moral.* cap. XIV, *auster*; Saba autem *rete* interpretatur. » Quid hic per *austrum*, qui afflata teporibus membra dissolvit, nisi fluxa vivendi remissio; quid per *rete*, nisi actionis obligatio demonstratur? qui enim dissoluta mente ea quæ terrena sunt appetunt, nec gressu libero ad Deum pergunt, ipsi se suis inordinatis conatibus ligant; cumque se fluxis conversationis suæ actibus implicant, quasi remansuros in retis vinculis pedes ponunt. Bene autem tepidorum facta describens Job considerare hæc admonet : « quia, ut inquit *ibid.* S. Gregorius, perversa agendo diligimus; sed hæc visa in aliis dijudicamus, et quæ in nobis minus dijudicanda credimus, quam sint turpia in aliorum actibus cognoscimus : sicque fit ut ad seipsam mens redeat, et agere quod repre-

Remedium tepiditatis est considerare mala ipsius.

http://www.obrascatolicas.com

hendit erubescat, quasi enim a speculo fœda facies displicet, cum mens a vita simili in seipsa quod aversetur videt. »

Vers. 20. 20. CONFUSI SUNT, QUIA SPERAVI : VENERUNT QUOQUE USQUE AD ME, ET PUDORE COOPERTI SUNT. — Pergit adhuc carpere infidelitatem amicorum suorum ipsum in ea necessitate deserentium, a quibus in tanta calamitate opem et solatium merito sperare debuisset; sed postquam ad visendum eum accesserant, præ pudore et confusione amicitiam prodebant, et humanitatis jura turpiter violabant. Septuaginta hunc et præcedentem versum nonnihil aliter interpretantur dicentes, ἴδετε ὁδοὺς Θαιμανῶν, ἀτραποὺς Σαβὰν οἱ διερῶντες· καὶ αἰσχύνην ὀφειλήσουσιν οἱ ἐπὶ πόλεσι καὶ χρήμασι πεποιθότες, *vias Themanorum videte, semitas Sabæorum intuentes; et confusionem debebunt qui in civitatibus et pecuniis confidebant.* Ubi videtur esse synecdoche, qua Themanos et Sabæos ponat pro toto genere eorum qui mercaturam exercent; conjungiturque cum eo quod vers. 18, ex versione Septuaginta interpretum dixerat, κατελείφθην ὑπὸ πάντων· ἀπωλόμην δὲ καὶ ἔξοικος ἐγενόμην, *derelictus sum ab omnibus : perii autem et exsul de domo mea factus sum :* id Stunica sic exponit, *q. d.* Ex me exitum eorum discite qui divitiis comparandis incumbunt, ponuntque suæ salutis spem in opibus et urbibus quas possident, hoc est, in me uno apparet fallaces esse divitias. Chaldæus vertit, *confusi sunt qui speraverunt in idolis suis*; significans spem omnem extra Deum inanem esse ac fallacem; verum cum Job nunquam in idolis aut divitiis, sed in solo Deo spem omnem suam collocaverit, hic sensus minime est litteralis, sed is quem ante tradidimus, quo amicos violatæ arguit amicitiæ, uti sequentia manifeste declarant.

Vers. 21. Arguit tres amicos inhumanitatis. 21. NUNC VENISTIS : ET MODO VIDENTES PLAGAM MEAM TIMETIS. — Modo ad præsentes tres amicos directe dirigit sermonem suum dicens : Vos, o tres amici mei, Eliphaz, Baldad et Sophar, recens quidem ad me accessistis, sed nunc intuentes cladem meam præ pudore et horrore me aversamini : quid igitur mirum si alii, vel quia sumptus in mea salute procuranda facere recusant, aut quia aliquid a pestilentis morbi contagione metuunt, non accedant, cum vos ipsi viri principes, quos inter omnes sapientiæ nomen maxime commendat, a mea plaga aliquod timeatis lethale contagium, aut vestrarum facultatum in amico fovendo liberale dispendium : ita Sanctius noster cum D. Thoma. Septuaginta reddunt hoc modo, ἀτὰρ δὲ καὶ ὑμεῖς ἐπιβήτε μοι ἀνελεημόνως· ὥστε ἰδόντες τὸ ἐμὸν τραῦμα φοβῆσθε, *nunc autem et vos insurrexistis in me sine misericordia : itaque videntes vulnus meum timete*, q. d. Hoc potius timendum vobis esset, ne immisericordes in me sitis, quam ne vobis ego sim oneri : si enim omnis qui peccat vexatur ærumnis, atque ex me hujus rei argumentum petitis; ergo et vobis quoque timendum est, ne ob immisericordiam vestram, quam modo exhibetis, a Deo gravius puniamini. Videntur autem tres amici isti duo potissimum præpostere timuisse, *primo*, ne scilicet consortes criminum, quibus Jobum obstringi crediderant, putarentur; vel certe ne minus inculpati viderentur, si homini opinione ipsorum flagitioso faverent. *Secundo*, ne illis officium amicitiæ nimis magno constaret : nam vir clarissimus Jobus, si cum eo pro generis et virtutis celsitudine ageretur, magna pecuniæ vi, labore multo, et repetitis regum officiis tractandus, et e fimeto in locum tanto viro dignum educendus esset : quæ expositio cum sequentibus optime cohæret.

Cur amici Job timuerint illi opitulari.

Vers. 22 et 23. 22 et 23. NUMQUID DIXI : AFFERTE MIHI, ET DE SUBSTANTIA VESTRA DONATE MIHI? VEL : LIBERATE ME DE MANU HOSTIS, ET DE MANU ROBUSTORUM ERUITE ME? — Non obscure amicos suos notat avaritiæ, quasi timuerint suis facultatibus extremam illius inopiam sublevare, propterea dicit : Non est quod timeatis, ne morbus hic meus diraque necessitas quidquam de vestris facultatibus exhauriat, cum nunquam a vobis neque prius in florente, neque nunc in afflicta fortuna aliquid exegerim, neque ut de vestris rebus aliquid præberetis indigenti, neque ut tunc mihi ferretis auxilium, cum viderem a robustorum armata manu vel etiam ab hostili acie periculum impendere. *Hostes* et *robustos* forte intelligit Sabæos et Chaldæos, qui ejus fortunas invaserant, et in prædam abduxerant, ut capite primo narratum est, vel forte *hostes* et *robustos* appellat calamitatem et totam miseriam suam; de qua etiam cap. XXX, 11 ita locutus est : « Pharetram suam aperuit, et afflixit me, et frænum posuit in os meum. Dissipaverunt itinera mea, insidiati sunt mihi, et prævaluerunt, et non fuit qui ferret auxilium. » In quo vehementer elucet et se prodit ingens animi magnitudo Jobi, quæ in tantis jacturis gravissimisque incommodis adduci non potuit, ut ab alio quam a Deo opem auxiliumque postularet. Quo animo Ecclesia et ejus præstantissimi duces omnes christianos et Deo deditos viros esse optant, quando cum adversa conflictantur fortuna, et multos iniquos homines infestos habent, ut auctor est Zacharias, cap. XII, 5, de bellis Ecclesiæ verba faciens : « Et dicent, inquit, duces Juda in corde suo : Confortentur mihi habitatores Jerusalem in Domino exercituum Deo eorum; » id est solo Deo et sanctis ejus nitantur, et ab alio nemine præsidium quærant : « quia vana salus hominis, » ut Psalmographus canit *Psalm.* LIX, 13, qui creber est in vada illa et stulta in hominibus fiducia amolienda, et aliquando quidem generatim negat spem in homine collocandam; aliquando vero nominat diserte principes, in quibus plus periculi videbatur, dicens *Psalm.* CXVII, 9 : « Bonum est sperare in Domino quam sperare in principibus : » ubi stylo Hebræorum, qui comparativo carent, *bonum* idem est quod *melius*, et ita vertit S. Hieronymus. Idem iterum

Job amicos arguit avaritiæ : ab iis nunquam opem petiit.

In solo Deo spes collocanda.

Non sperandum in principibus aut filiis hominum. inculcat his verbis *Psalm.* CXLV, III : « Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus : » per *principes* intelligit, ut Septuaginta vertunt, ἄρχοντας, omnes dignitate et auctoritate præcellentes, qui jus in alios obtinent. Ad hujusmodi homines qui inferioris sunt notæ facillime adhærescunt, eos verentur, eos colunt, ob potentiam, decus, opes, et gratiam ac juvandi potestatem; illos demereri omni genere officiorum conantur, eisdem serviunt et adulantur, neque timent eorumdem causa divinam sæpe legem impie et indigne violare; quod qui faciunt, in divinis litteris ἀνθρωπάρεσκοι, *hominibus placentes* nominantur; quorum Deus ossa dissipat, ut idem regius Vates canit *Psalm.* LII, 6 : « Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent. » Intelligit autem illos, qui in gratiam hominum Dei metum deserunt, et religionem dissimulant : sumit nempe homines in malum pro vanis, carnalibus, mundanis, de quibus Apostolus ait *Galat.* I, 10 : « An quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem Christi servus non essem : » homo enim suapte natura, nisi Spiritu Sancto ducatur, quid aliud quam vanitas, et, ut loquitur Scriptura, caro et sanguis est? *Ossa* igitur *eorum*, hoc est, vis atque robur omne concidet; animi virtus, quæ velut ossa pietatem et cujusque religionem sustentat, confringetur; verum non talis fuit Job, cujus erat solus Deus fiducia ejus; qui tantum abfuit, ut hominibus placere vellet, aut in principibus et filiis hominum confideret, ut ne in extrema quidem rerum omnium penuria quidquam ab ipsis, quo inopiam suam sublevaret, subsidii, vel quo hostilem exercitum arceret ac propulsaret, præsidii postularit; sed nec verbulo ipsis adulari aut ad os loqui visus sit unquam; quin imo e contra fortissime semper veritatem defenderit, et illorum errores liberrime refutarit. Unde subdit :

Ἀνθρωπάρεσκοι qui?

Malum est hominibus placendi studium.

Job ab omni hominibus placendi studio alienissimus.

Vers. 24. 24. DOCETE ME, ET EGO TACEBO : ET SI QUID FORTE IGNORAVI INSTRUITE ME. — Cupit edoceri, si quid forte unquam ab ipso dictum aut admissum sit, quod vel damnet religio, aut quod non probent honesti atque urbani mores; seque fore docilem discipulum pollicetur, et in nullo honestæ disciplinæ repugnantem. Ex quo in primis humilitas ejus elucet, quod illorum disciplinæ ac censuræ se subjiceret; nec minus integritas et innocentia ejus summa cognoscitur, cum lucem minime vereatur, sed etiam potius exoptet : non enim boni viri argui timent, imo secum amant de officio suo disceptari, parati ad operum suorum rationem reddendam; contra vero iniqui homines vehementer reprehendi formidant, vitamque suam redargui, siquidem lucem fugiunt, quoniam sordidi et inquinati sunt. Id quod Christus declaravit dicens *Joan.* III, 20 : « Omnis qui male agit odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus : » quare iniquus aversatur lucem? quare videri vel ab amicissimis erubescit, nisi quia se peccato turpem videt, et suam fœditatem ab aliis timet agnosci? hinc, *Genes.* III, 8, Adam a facie Domini venientis absconditur, ne qui pulcher conditus est, ab eo qui ipsum creavit non jam gratia formosus, sed inobedientiæ delicto turpis et deformis videatur; hinc II *Reg.* XII, 12 David tot ambagibus adulterium suum celare contendit, quia semetipsum regem amabilem ac venerandum propter peccatum turpem et abominabilem judicavit. « Qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta : » lux enim opus bonum, juxta divinum præceptum, et legem esse factum ostendit; hinc qui bene vult operari venit ad lucem, ut per eam cognoscat opera sua recte et secundum Deum esse facta. Ita experientia docet eos qui bene agere student libenter amplecti doctrinam veritatis, per quam intelligant se recte et secundum Deum operari : Dei enim doctrina, quæ mala quæve bona sint opera, et quæ secundum Dei voluntatem, quæ vero contra eamdem sint perfecte tradit. Job itaque tanquam veritatis amans secundum legem Dei instrui minime recusat; sed cum illi, qui ipsum arguere satagebant, ab ipsa veritate toto, ut dicitur, cœlo aberrarent, merito subjungit :

Boni viri argui non timent.

Mali oderunt lucem.

Viri boni amant lucem.

Vers. 25. 25. QUARE DETRAXISTIS SERMONIBUS VERITATIS, CUM E VOBIS NULLUS SIT QUI POSSIT ARGUERE ME? — id est, cur reprehenditis verba mea, quæ de humana vita feci, illam improbando, cum verissima sint, nec aliter rem habere ab ullo demonstrari possit? Perstat in sententia sua; ex quo etiam vera fuisse cognoscitur et viri gravis constantia declaratur, qui nullo modo a veritate abduci se patitur : in Hebræo est מה נמרצו אמרי ישר, *ma nimretsu imre yoser*, quod Hebræi exponunt, *quam fortia sunt eloquia recta*, quæ nimirum se per seipsa defendunt, et a nemine refelli possunt. Porro verbum *arguere* non significat hoc loco reprehendere, sed argumento et ratione convincere et probare : sic dicitur *Joan.* XVI, 8 : « Arguet mundum de peccato, » et *Tit.* I, 9 : « Potens sit eos qui contradicunt arguere : » sic etiam apud profanos auctores sumitur, ut videre est in Aristotele, *De Elench.*, verbum enim græcum id significat; alioquin clarum est Jobum per injuriam et contra rationem graviter ab eis increpitum fuisse, aliquoties etiam redintegrato bello, ut ex totius libri decursu liquebit. Huc spectat illud Christi, cujus Job typum gessit, ad Judæos dicentis *Joan.* VIII, 46 : « Quis ex vobis arguet me de peccato? » magna hæc est Christi Jobique innocentia, quæ judicium et examen non unius aut alterius, sed omnium operum in manu persecutorum constituunt : at potuerunt quidem adversarii per injurias et contumelias peccatum utrique per calumniam imponere, sed eorum nemo probare; nec Jobum Christumve peccati illius convincere præsumpsit, adeo vera et manifesta erat utriusque puritas et innocentia.

Arguere quid significet?

Jobi et Christi innocentia irreprehensibilis.

http://www.obrascatolicas.com

Septuaginta hunc versum reddunt ita, ἀλλ' ὡς ἔστιν ψεῦδα ἀληθινοῦ ῥήματα· οὐ γὰρ παρ' ὑμῶν ἰσχὺν αἰτοῦμαι, οὐδὲ ἔστιν ἔλεγχος ὑμῶν ῥήμασί με παῦσαι, *sed ut videtur vilia veracis verba : non enim a vobis fortitudinem peto, neque correptio vestra verbis me sedabit* ; Aquila, τί ἠμεχθηρώθησαν λόγοι εὐθοῦς, *quid molesta fuerunt verba recti ?* S. Augustinus, *sed ut video prava veri hominis verba dicitis*, id est, meis verbis tanquam pravis, vilibus, pessimis ac molestis detrahitis, cum verissima sint atque recta; proindeque minime acerba videri debeant; verumtamen vestras ego refutationes et increpationes minime formido, neque in vestra oratione acquiescam.

Vers. 26. Eliphazi oratio ad increpandum composita.

26. AD INCREPANDUM TANTUM ELOQUIA CONCINNATIS, ET IN VENTUM VERBA PROFERTIS. — Eliphazi orationem illam taxat, quam cap. IV et V, suo et duorum sociorum nomine ad Jobum habuit admodum prolixam; quæ fuit istiusmodi, ut tantum videretur ad reprehensionem et vituperationem esse composita, cum tamen prius præ se tulisset speciem consolationis. Illa igitur oratio tam eleganter concinnata, tam artificiose ad increpandum composita, cum non haberet scopum quem feriret, quia in Jobo vitium nullum erat, quod jure reprehenderet, ventis ludibrium debuit; id est in cassum et in vanum prolata fuit : hoc enim valet dictum illud proverbiale, « in ventum verba jactare, seu proferre, aut aerem verberare, » neque enim aliter lingua maledica verberat innocentem quam stulti gladiatores feriunt aerem, qui neque sanguinem habet, quem effundat, neque spiritum vitæ, quem amittat; imo neque ejusmodi corpus, quod ictum sentiat aut etiam excipiat : ita Sanctius noster. Pulchre autem S. Gregorius lib. VII *Moral.* cap. XXIV : « *In ventum*, inquit, *verba proferre* est *otiosa dicere* : nam sæpe dum ab otiosis verbis nequaquam lingua compescitur, ad meritum quoque stultæ increpationis effrænatur : quibusdam enim ruinæ suæ gradibus desidiosa mens in foveæ lapsus impellitur, nam dum otiosa verba cavere negligimus, ad noxia percurrimus, ut prius loqui aliena libeat, et postmodum detractionibus eorum vitam, de quibus loquitur, lingua mordeat, » etc.; pluribus exinde prosequitur mala ex effrænata lingua provenientia, quæ velim considerent omnes, atque ante oculos objiciant, quod sint ejusmodi, ut loquendi studium importunum et effusi oris temeritatem coercere possint. Divine S. Chrysostomus hom. 6 *in Titum* : Περιττὰ φλύαρησθαι πολλὴ ζημία, *superflua loqui damnum ingens*, et a quo plurimum incommodorum nascitur; et proinde ait non plus opibus temperare quam verbis oportere : imo, inquit, major hic habenda cura exactiorque diligentia, ut non passim nos ipsos omnibus exponamus : rarissimi enim sunt, quos non pœniteat se in usu et consuetudine cum hominibus aliquid aliquando fuisse locutos, quod magna pecuniæ vi tacitum et abolitum vellent. « Levis sermo facile volat, et facile violat, » ait S. Bernardus serm. *De Tripl. cust.* cui consentit illud Poetæ prudentis :

Quid sit in ventum verba proferre?

Verba otiosa multorum malorum causa sunt.

Et semel emissum volat irrevocabile verbum :

quia scilicet non amplius est in dicentis potestate; hinc David inter miserias, quibus in hac vitæ humanæ conditione affligebatur, ait *Psalm.* CXVIII, 28 præ tædio *stillasse animam suam* : ita enim Origenes, qui στάζειν habuit, noster autem Vulgatus interpres νυστάζειν legit, vertitque *dormitare* : ex Hebræo quoque D. Hieronymus reddit *distillare;* Isidorus Clarius *diffluere;* Vatablus *stillatim perire.* Id vero S. Ambrosius ad πολυλογίαν, sive ad *diffluentem* garruli hominis *sermonem* temeritatemque retulit, qui sit fractis et incompositis ædium fastigiis non dissimilis, quæ summo domini incommodo jacturaque distillent.

Anima loquacis stilatim perit.

Eodem spectat illud monitum Sapientis *Prov.* III, 21 : υἱὲ μὴ παραῤῥυῇς, *fili, ne diffluas*, quasi animam confirmandam esse dicat et studiose operiendam, ne stillet : « nam quicumque, ait S. Ambrosius *in Psalm.* CXVIII, est facilis in verbis, velut plenus rimarum hac atque illac effluens, interiora evacuat, et exterioribus passionibus inundatur : » quapropter alio loco *in Psalm.* XXXVIII, idem S. Doctor loquacitatem vocat *innocentiæ virtutisque naufragium,* atque *incentivum prolapsionis et culpæ.* Ubi complexus mihi omnia videtur, e quibus statum animi miserrimi intelligamus, qui vitio et culpa dives præcipuis bonis spolietur : nam qui linguæ temeritate virtutem innocentiamque perdidit, quid usquam est, in quo possit cum solida animi voluptate conquiescere? est enim Salomonis acroama verum, et mysteriis plenissimum, cum pronuntiat *Proverb.* XXVII, 15 : Σταγόνες ἐκβάλλουσιν ἄνθρωπον, ἐν ἡμέρᾳ χειμερινῇ, ἐκ τοῦ οἴκου αὐτοῦ, *stillicidia ejiciunt hominem in die hiemali de domo sua.* Quamobrem divina sponsa cum mores sponsi amoresque purissimos dulci cantu prosequitur, acclinationem ejus ait esse σύσκιον, *umbrosam,* aut *opacam,* ut S. Ambrosius interpretatur : quod Vulgatus *lectulum floridum* dixit, *Cant.* I, 15. *Opaca* nempe est Christi Domini reclinatio, non patens omnibus, non aperta, non profusione oris impotentis animæque vagæ libidine patefacta. Causam adfert idem S. Pontifex et doctor Ambrosius : « Non, inquit, in tabernaculo loquacis et garruli, quia multiloquio peccatum admittitur, sed in viri serii, qui sit parcus alloquii, nec sermonis intemperans, et verborum sobrietate temulentiam loquacitatis evitans, caput suum Christus reclinat. » Ubi cum doctissimus Pater temulentiam linguæ tribuit, ad vetus proverbium videtur alludere, quo Theophrastus apud Plutarchum in *Symp.* belle tonstrinas ἄοινον μέθην, id est, *ebrietatem sine vino* nominabat; quod illic desidentes, velut mente judicioque temulenti, temere omnia effutiant, ut ad mensam vino onerati inconditos sermones imprudentissime et inconsideratissime profundunt, quos sibi David quoque molestos fuisse conqueritur dicens *Psalm.* LXVIII, 13 : « In me psallebant qui bibebant vinum; » de quibus *Psalm.* CXXXIX, 10, ait : « Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos : » ubi verba omnia profana, lasciva, detractoria cæteraque id genus, quibus istiusmodi homines incredibiliter delectantur, non immerito laborem labiorum appellat : quia licet in præsentiarum os et linguam oblectare videantur, tamen in posterum ingentem doloris fornacem in animo accendunt; ad quem locum pulchre S. Chrysostomus : « *Laborem*, inquit, vocat improbitatem : res est enim hujusmodi improbitas : affert ei qui illam possidet exitium, et ut obruatur efficit. » Ac si ipsa verba, sive maledica, sive adulatoria, sive ridicula, sive turpia, quibus quis magnopere delectatur, magnis eum deinde doloribus mordeant et pungant : quamobrem de garrulo *ibid.* vers. 12 Propheta regius mox apte subjungit : « Vir linguosus non dirigetur in terra; » id est loquax, maledicus, mendax, impostor, calumniator, et quivis alius, qui lingua abutitur ad malum, non prosperabitur, vel, ut alius apud S. Chrysostomum ex Hebræo vertit, οὐχ' ἑδραθήσεται, *non stabilietur, non firmabitur* : « lingua enim (ut Hugo Victorinus lib. III *De anim.* cap. III, ait) labilis est, et teneri non potest, sed labitur et fallitur : labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, seminat discordias, uno ictu multos percutit et interficit : blanda est et subdola; lata, et parata ad exsibilanda bona, et miscenda mala. Qui custodit linguam suam, custodit animam suam, quoniam mors et vita in potestate linguæ est. » Eamdem ob rationem Agapetus diaconus *Instit. ad Justin. imper.* linguam nominat εὐόλισθον ὄργανον, id est *lubricum instrumentum*, propter ejus incredibilem labendi facilitatem : de qua vide plura *supr.* cap. I, 22 et cap. IV, 2 annotata.

Verba mala laborem pariunt.

Vir linguosus non prosperabitur.

Linguæ labricitas.

Adulatio et detractio, duo linguæ vitia taxantur.

Cæterum S. Gregorius lib. VII *Moral.* cap. XXIV, hisce Jobi verbis duo potissimum censet linguæ vitia taxari, scilicet adulationem et detractionem; ac de priori quidem dictum esse, *eloquia concinnatis*; siquidem adulatores potentiorum facta, tametsi impia, compta solent oratione extollere, quod apte vocat *concinnare*, ut coci et pictores facere consueverunt, qui quibusdam succis pro condimento additis gustum irritant, et palatum demulcent. Detractoribus vero accommodat illud : « Et in ventum verba profertis, » utrumque vitium apta similitudine exponens cum ait : « Duo sunt genera locutionum importuna valde et noxia generi humano : unum, quod curat etiam perversa laudare; aliud, quod studet semper etiam recta corripere : illud deorsum cum fluvio ducitur; hoc vero contra fluenta veritatis obserare et alveum conatur : illud metus premit; hoc elatio erigit : illud gratiam ex favoribus captat; hoc iram, ut ex certamine ostendatur, exagitat : illud in promptu subjacet· hoc semper e diverso tumet. » Ubi S. Doctor illos qui virtuti oblatrant similes facit eis qui flumine adverso navigant; ideoque non raro subsistere coguntur, et magno molimine vix quidquam proficiunt; adulatores vero comparat his qui fluminis impetum sequuntur, et secundo fluxu brevi tempore absque labore longum iter conficiunt.

Loquacitas est quædam temulentia.

Opaca est Christi reclinatio.

Vers. 27. Job ut pupillus injuriis expositus.

27. SUPER PUPILLUM IRRUITIS, ET SUBVERTERE NITIMINI AMICUM VESTRUM. — Hic, ut bene notat Sanctius noster, subaudienda est nota similitudinis, *q. d.* Perinde ac si essem pupillus, natura debilis, et ab auxilio nudus, quique referire neque audeam neque possim, sic in me omnes impotenter irruitis, in id prorsus intenti, ut amicum vestrum, quem levare potius deberetis, opprimatis. Vel certe pupillum se vocat, quia destitutus erat humano præsidio; sed etiam quia quodammodo in puerili ætate constitutus videbatur, eo quod morum innocentia, quam gerebat, senilem ætatem in puerilem revocasset. Illud *super pupillum irruere* proverbium subolet, quo significamus illum opprimi, qui omnium injuriis expositus semetipsum defendere non possit; cui idcirco humanæ æque ac divinæ leges jure meritissimo variis subsidiis subveniendum decreverunt; atque in jure quidem romano, si cui nullus omnino tutor fuit, ei dabatur in urbe a prætore aut a majori parte tribunorum plebis, in provinciis autem a proconsule, ab ejus legato, a præsidibus, a præfecto Ægypti, et in municipiis ab omni magistratu, ut imperatoriæ leges variis in locis edicunt. Et quia nonnunquam absentes nominabantur tutores, ne pupillo interim id fraudi esset, dandum temporarium tutorem, qui tutela fungeretur, ex rescripto D. Pii Ulpianus censuit. Quin etiam præterea inducti sunt honorarii tutores, honoris videlicet causa, non oneris, ut eruditissimi homines dicunt; qui otiosi observarent gerentes tutelam, ut, quoniam pupilli ipsi in teneritudine annorum et ingenii imbecillitate prospicere sibi non possent, Dei nutu et legum instinctu multi oculos intenderent ad eos tuendos atque juvandos : nam præclare Theodoricus rex apud Cassiodorum lib. IV, epist. 9 : « Adolescentia, inquit, pervia videtur incommodis, cum facile possit surripi; » unde etiam circumscriptio adolescentium lectoria lege fuit prohibita. Atque ut magis providentia legum in hoc genere videatur, ne qua mora illius opis et præsidii ferendi objiceretur, eodem in Jure conceditur, ut tutor dari possit etiam tempore feriato in honorem Dei. Sancitur præterea, si tutor datus a judice male rem gerat, teneri judicem in subsidium, quo pupillorum inopiæ et solitudini consulatur.

Jus romanum pupillis subsidia decernit.

Jure civili tutor destitutis datur.

Magna legis in pupillos providentia.

Hoc sane jus ab æterna Dei lege manavit, cujus idem ille summus omnium rerum Parens in seipso exemplar effinxit, quod mortales imitarentur : nam ea est in destitutos et calamitatibus obnoxios illius benignitas et singularis benevolentia, ut velut glorioso et honorifico titulo excellentis glo-

Deus pupillorum et viduarum pater.

http://www.obrascatolicas.com

riæ in divinis litteris *Psalm.* LXVII, 6 appelletur *pater orphanorum* et *judex viduarum*. Quod genus amabilissimæ et efferendæ providentiæ sæpe David carminibus suis concelebrat, cum raptus in incredibilem admirationem ita pium Numen affatur *Psalm.* IX, 35 : « Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor, » ubi divine S. Chrysostomus ait hoc esse ἔργον ἐξαίρετον, *opus egregium* et palmarium benignissimi Dei, et addit : « Quemadmodum enim est artificis ædificare, et gubernatoris navim dirigere, et solis illuminare : ita etiam tuum est subvenire orphanis, manus præbere pauperibus. » Miratur non sine ratione Philo *De Vict. offer.*, quod cum Deus sit inexplicabilis gloriæ et majestatis, tamque potens, ut totius universi imperium pro animi sui voluntate moderetur, curam tamen pupillorum atque viduarum suscipiat : causam putat τὴν ὅλων φύσιν αὐτοῦ, *naturam illius propitiam, et copia miserationum affluentem*. Recte ille quidem, nam tanta est illius naturæ bonitas, ut non modo pupillis, verum etiam corvorum pullis cura et ope aliena destitutis benignissime provideat; quod docti rerum æstimatores physici, et maxime rex David, omni profanitate major et sapientum coryphæus, summa religione prædicat *Psalm.* CXLVI, 7 : « Qui dat escam pullis corvorum invocantibus eum. » Illi autem per se imbecilles divino præsidio tuti miris modis e calamitate eripiuntur, ut quos Deus in sinu prope dicam suo aut super humeros plusquam atlanteos bajulat, quod eleganter pius Vates loco superius laudato expressit : « Tibi derelictus est pauper : » quippe in Hebræo est, *super te relinquet pauper*, videlicet rerum suarum curam et ingentium molestiarum pondus super tuas cervices reponet, in humeros tuos injiciet, ut tuo ductu et fortissima providentia gerantur omnia : ita profecto fecit Job, qui in extremis suis calamitatibus ab omnibus non solum derelictus, sed ab amicis insuper et propinquis, qui naturæ sanguinisque lege subsidio esse debuerant, calumniis et improperiis oneratus, ab hac pia in Deum fiducia ne latum quidem unguem se dimoveri unquam passus est; et omnes calumnias conscientiæ puritate fretus constantissime contempsit, et gloriosissime superavit.

Dei benignitas etiam in pullos corvorum se extendit.

Pauper Deo curæ est.

Susurrones evertunt famam alienam.

ET SUBVERTERE NITIMINI AMICUM VESTRUM. — In originali est, *suffoditis mendacia contra amicum vestrum*; id quod proprium est susurronum, qui alienæ famæ detrahunt, et splendori nominis tenebras offundunt, idque ex insidiis et quasi structis cuniculis agunt. Huc spectat illud Sapientis *Prov.* XVI, 27 : « Vir iniquus fodit malum, et in labiis illius ignis ardescit, » ubi ad vivum depingit cuniculos, quibus aliena fama non secus atque supposito et accenso pulvere urbis alicujus mœnia funditus evertuntur. « Lingua quippe *Jac.* cap. III, 6, ignis est, universitas iniquitatis : et inflammat rotam nativitatis inflammata a gehenna, » ut frater Domini testatur.

28. VERUMTAMEN QUOD COEPISTIS EXPLETE : PRÆBETE AUREM, ET VIDETE AN MENTIAR. — Quocumque tandem, inquit, animo ista protuleritis quæ mihi objecistis, non subterfugio rationibus vobiscum agere, neque durum et censorium examen vestrum detrecto : quare incœpta ad finem usque perducite; ita tamen, ut mihi, quod disceptationis lex et consuetudo præscribit, non negetur respondendi facultas : quamobrem aures diligenter advertite, et videte, an in verbis meis aliquid resonet affine mendacio. In fonte est, *velitis, et respicite in me*, id est, nolite a vestra disputatione cessare; quod semel voluistis et aggressi estis prosequimini; quod autem dicit, *respicite in me*, vel in faciem meam, hoc Pineda refert ad constantiam quamdam et firmitatem animi, et vultus minime dejecti aut aliquid reverentis, quod sibi posset objici. Vulgatus hoc retulit ad attentionem quamdam, in cujus signum solemus oculos in dicentem figere, cum attente dictis ejus auscultamus : quapropter reddidit, *præbete aurem, et videte*; S. Augustinus, *nunc autem aspicientes vacate mihi*. Septuaginta vero quasi commutatis oculis vice versa legerunt, νυνὶ δὲ εἰσβλέψας εἰς πρόσωπα ὑμῶν οὐ ψεύσομαι, *nunc autem inspiciens in facies vestras non mentiar*, q. d. Explicata fronte, et ore libero, facies vestras minime reveritus, proferam veritatem, quæ non confunditur, nec latebras quærit, sed luce publica gaudet.

Vers. 28. Job non refugit examen adversariorum.

Job adversariis in faciem resistere non veretur.

Significanter autem Hebræus et Septuaginta *faciei* sive *vultus* mentionem faciunt, in quo *os*, veluti in totius corporis scena, pars est una omnium maxime conspicua, et in hominibus veneranda; quæ nuntia est animi et arcanæ voluntatis, ut reginæ dominantis interpres. « Quid est os hominis, inquit S. Ambrosius *in Hexam.*, nisi quoddam sermonis adytum, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis? » vocat *adytum* bene et egregie, nam revera os augustum est delubrum, in quo lingua ut illustre Numinis donarium consecrata est; donarium longe pretiosius et cubito Ægyptiorum, et mystica vanno Græcorum, et palladio Romanorum. Os, inquam, adytum sacrosanctum, unde velut e regali throno *Apoc.* IV, 5, procedunt fulgura, et voces, et tonitrua et lampades ignis ardentis, vel ad terrendos impios resonanti murmure commonitos ad sanctissimum Numen venerandum, vel ad pios inflammandos inexplicabilium bonorum cupiditate, quæ pollicetur Deus. Os divina cordis apotheca, unde egregiæ merces ad beandum hominum genus funduntur. Os mirandum phrontisterium, exedraque erudita, quæ ebullit sapientias et encyclopædiam salutarem : tale nimirum erat sanctissimi Jobi os; quare illud minime obturare aut abscondere debebat, sed palam proferebat eloquia sapientiæ, quibus resistere non poterant omnes adversarii ejus.

Os Jobi sacrosanctum adytum et promptuarium sapientiæ.

29. RESPONDETE, OBSECRO, ABSQUE CONTENTIONE, ET LOQUENTES ID QUOD JUSTUM EST JUDICATE. — Quod si

Vers. 29.

ego, inquit, aliquid interdum objiciam aut interrogem, respondete obsecro sedate et amice, non tam contradicendi studio quam veritatis cognoscendæ desiderio; ita ut omnis absit a nostra disputatione tumultuosa contentio : illi enim cum contentione disputant, qui non veritatem indagare, sed evincere potius, ut sua concedatur sententia, volunt, ut nonnihil ex eo gloriæ consequantur. Hujusmodi mens si semel imbibatur, in magnos et periculosos impellet errores. Quod optime perspectum habens S. Abbas Isaias *Orat.* 8, contentionem omnium malorum *seminarium* appellat : ait enim : « Noli esse contentiosus, ne in te habitet improbitas. » Ut ergo eam a lingua eliminemus, considerandum est, ita omnia cum proximis esse tractanda, ut sine pugna verborum finis optatus eveniat; et si quidem finis hic veritas fuerit, quam decursu disputationis inquirimus, vel illa necessaria est ad sciendum, vel ad bene agendum, vel ad aliquod malum propulsandum; vel e contrario penitus necessaria non est, quam sola otiositas aut curiositas alit, libido loquendi vestigat. Si veritas necessaria est, tunc ex honesto fine eam inveniendi licet rationum momentis et aliorum auctoritatibus cum modestia disputare, non autem clamore et incomposito sermone, et verbis arrogantiæ aut contumeliæ contendere : id namque prohibet Paulus II *Timoth.* II, 14 : « Noli contendere verbis : ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium; » quo loco S. Anselmus, « non ait, inquit, Apostolus, *noli rationibus contendere*, id est ad investigandam veritatem disputare; sed *noli contendere verbis*, ubi procax garrulitas est; » rursusque idem Paulus hujusmodi contentiosos imperfectos appellat I *Cor.* III, 3 : « Cum sit, inquit, inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? Si autem veritas nullius est momenti, ut si frater dicat aliquid mane dictum factumve esse, cum non nisi prope meridiem factum fuerit, et nihil omnino interest qua diei hora contigerit; tunc nec rationibus nec verbis agendum est, sed omnino tacendum, ne disputatio nulla necessitate suscepta in contentionem transeat, et aliquam turbationem aut inquietudinem gignat; quod profecto monuit Ecclesiasticus cum dixit cap. XI, 9 : « De ea re, quæ te molestat, ne certeris; » pro re scilicet, quæ tua non interest, ne verbis cum alio contendas, sed spiritum cohibe, et ab inanium sermonum contentione cave, ne pro eo quod nullius momenti est pacem cum tuo fratre amittas.

Non contendendum ut vincamus, sed ut veritatem inveniamus.

Quomodo veritas investiganda sit.

Si vero aliquid operis agendum, nullus prohibet, ut in spiritu lenitatis rationes afferantur, quæ illud sic aut aliter faciendum suadeant; at cum res jam ad contentionem procedit silendum est, et aliis mediis incommodo, si emergat, occurrendum; verba autem et clamores omnino amputandi, ita Abraham discessione a cognato suo Lot simultates et rixas vitavit : quare dixit illi, *Gen.* XIII, 8 : « Ne quæso sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos : fratres enim sumus; » in quem locum egregie S. Chrysostomus hom. 33 *in Genes.* : « Quomodo, inquit, rationi consentaneum est, quod homines, qui fratres sunt, qui eamdem naturam sortiti, qui ejusdem sunt familiæ, qui eodem loco habituri sunt, quos mansuetudinis, lenitatis et omnis philosophiæ doctores esse oportebat, inter se contendant, et digladientur? » Huc etiam pertinet illud Pauli *Philip.* II, 3 : « Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam : » etsi enim operandum est et laborandum, nunquam tamen quidquam ob studium contentionis, sicut nec ob vanitatem, faciendum. Tandem, si commoditas aliqua aut lucrum intercedat, potius aliquid detrimenti sustinendum est, quam ad contentionem veniamus : nam et Paulus vitio vertit Corinthiis, quod in judicio contenderint I *Cor.* VI, 7 : « Jam, inquit, omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos : quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? » Dominus quoque conducibilius censet lucrum temporale perdere, quam cum aliquo judicio contendere, ait enim *Matth.* V, 40 : « Et qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium, » *q. d.* Melius est partem substantiæ surripere gestienti quidquid habes relinquere, quam ad rixas et contentiones venire. Juvabit autem ad contentiones evitandas considerare mala quæ ex iis oriuntur; quæ S. Laurentius Justinianus *De Discip. et perfect. monast. convers.* cap. XIII, more suo ita pulchre describit : « Contentio est ignita diaboli sagitta ad perdendas animas. O quanta jurgia, quanta odia ex contentiosis oriuntur sermonibus! o quoties veritas occultatur, et falsum pro vero defenditur timore confusionis! Pessimum namque malum est contentioni vacare, per quam amicitiarum compago dissolvitur, et animorum dulce vinculum dissipatur. Qui contentiosus exsistit, antiqui hostis in se immissiones admittit, diaboli ministerium operatur, dirumpit pacem, rixas concitat, parit odium, furorem nutrit, denigrat honestatem, sapientiam perdit, rationem confundit, oculum mentis obnubilat, gratiæ lumen repellit, fraternum dilectionem frangit, et ipsam cœlestem in se occidit charitatem. » Sic ille.

Potius damnum aliquod temporale sustinendum quam contentiose agendum.

Mala contentionis quanta.

Quomodo agendum quando quæstio est de re alicujus momenti.

De re futili nunquam altercandum.

Similia quoque tradunt alii Patres, qui ad contentionem omnem evitandam cum hæreticis haud temere disputandum docuerunt; « quod, ut S. Augustinus *in Psalm.* XVIII, ait, litigiosi essent pessimi; » hinc, teste Sozomeno lib. VII, cap. XII, Sisinnii consilium illud prudens habitum fuit, et probatum Nectario Constantinopolitano episcopo, cum auctor esset, ἀποφυγεῖν τὰς πρὸς τοὺς ἑτεροδόξους διαλέξεις, *ut catholici disputationes cum sectariis fugerent*; quod essent molestarum contentionum fomites, et hæreticorum ingenia, quæ pugnandi libidine pruriunt, eo ipso acuerentur magis, et ad clamores et tumultum impellerentur, quem

Non contendendum etiam cum hæreticis.

Hæretici sunt contentiosi.

http://www.obrascatolicas.com

earum in disputando morem bene expressit Justinus Martyr, *Dialog. cum Triph.* : « Dant operam, inquit, non ut ea quæ dicuntur intelligant, sed ut se ipsi exacuant, si quid tandem in medium adferre possint. » Quocirca S. Gregorius Nazianzenus epist. 62 (alias 86) *ad Eustach.* seipsum temeritatis incusat, quod sophistam redarguens ejus in se convicia conscivisset : « Quale illud est, inquit, quod ignoravi? quam stultum et ineptum! Virum sophistam castigare institui. O singularem audaciam! ac ne vulgari quidem proverbio eruditus sum, ut cum calvus essem, cum ariete adversa fronte ne congrederer, nec crabronem lacesserem et irritarem, hoc est linguam ad maledicendum paratiorem. » Hanc sine dubio ob causam S. Dionysius Areopagita, ut ipsemet epist. 7 *ad Polyc.* de se testatur) nunquam in animum suum inducere potuit, ut adversus gentiles aut hæreticos calamum stringeret, aut verbis invehe-

Quomodo sint instituendæ disputationes.

retur; « ratus viris probis esse satis, si ipsam in se veritatem et agnoscere et proferre possint prout revera se habet : ubi enim quidquid est ex lege veritatis demonstratum fuerit, clareque constiterit quidquid aliter se habet, ac veritatem simulat, arguetur etiam aliud esse ab eo quod vere est, etc. Ex quibus clare patet omnem semper a disputatione contentionem abesse debere, et id quod verum et justum est perspicue proponendum, et firmis rationibus stabiliendum esse : « nam si vera ratio, ut ait S. Dionysius, rite fuerit stabilita, cæterisque omnibus irrefragabilis persistat, quidquid cum ea non eodem modo per omnia se habet, id ipsum per se insuperabili ejus quod verum est stabilitate dejicitur : » ita S. Dionysius Jobum imitatus, qui Eliphazum et socios jubet « respondere sine contentione, et loquentes id

Contentio non consistit cum vero judicio.

quod justum est judicare, » haud obscure insinuans cum contentione justum judicium consistere nullo modo posse. Quamobrem Apostolus, *Rom.* II, 8, quoque *contentionem* cum iniquitate conjungit perstringens garrulos Judæos, veritatis impugnatores, « qui sunt ex contentione, qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati. »

Non absimili quoque ab hoc Jobi sensu David terræ judices admonet *Psalm.* LVII, 2 : « Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate filii hominum, » *q. d.* Si ex animo, e mentis sententia, et non fucate ac hypocritice, atque externa duntaxat specie justitiam loquimini, id in judiciis faciendis operibus et factis ipsis ostendite : non enim est in verbis ipsis justitia, sed in virtute; ad quem Psalmi locum ita pulchre Origenes in

Quid sit vere justitiam loqui.

Cat. Patr., quam e Græco transtuli : « Videamus, inquit, quid sit *vere justitiam loqui*, et quacumque ratione id fieri possit; atque uno quidem modo potest quis loqui justitiam, quando sanas circa justitiam doctrinas habens, de iisdem disserit; altero autem modo justitiam quis loquitur, quando ex insita in animo ipsius justitia cuncta dicit; verum si quis utraque conjunxerit, repe-

riet eum qui vere justitiam loquatur : qui enim aforis parent hominibus justi, intus autem hypocrisi et iniquitate pleni sunt, etsi loquantur justitiam; non tamen vere illam loquuntur : nam vere loqui justitiam sequitur ex recto judicio, ita ut nihil sit obliquum in judiciis et cogitationibus ejus qui vere justitiam loquitur. » Hoc utique sensu Job quoque Eliphazum una cum sociis monet, ut a contentione abstinentes vere justitiam loquantur, et rectum judicium ferant. In Hebræo autem hic versus ad verbum ita sonat, *revertimini obsecro, ne sit iniquitas; et revertimini adhuc, justitia mea in eo*, id est, redite in viam, et sanius judicate de mea calamitate ac de verbis meis; alii vertunt *convertimini*, alii *avertimini*, videlicet ab hoc iniquo vestro judicio, *q. d.* Novam disputationem sine contentione resumamus : nam in ea patebit mea justitia. Septuaginta legunt, κάθισατε δή, καὶ μὴ εἴη, ἄδικον· καὶ πάλιν τῷ δικαίῳ συνέρχεσθε, *sedete jam, nec sit iniquum; ac rursum cum justo convenite* : Par est, inquit, ut animis in unam veritatem sincere ac candide intentis habeatur ratio justitiæ, quæ reddit cuique quod suum est : veritati nimirum debetur assensus, falsitati dissensus, atque in hunc modum sedatis et compositis animis, contentione seclusa, verbis ad numerum prolatis, aure linguaque reciproca, modeste, uti decet, disputatio pro rei gravitate procedat.

30. ET NON INVENIETIS IN LINGUA MEA INIQUITATEM, NEC IN FAUCIBUS MEIS STULTITIA PERSONABIT. — Job optime sibi conscius, candide promittit ac profitetur, se in hac cum amicis dissertatione linguam ab omni iniquitate, hoc est mendacio, dolo malo, cavillatione, amphibologia cæterisque similibus, quæ disputationem vitiare solent, vitiis omnino puram et immaculatam servaturum : quin et fauces, quæ voci formandæ serviunt, ab omni incondito et inordinato clamore, qui stolidi aut impotentis animi signum esse solet, cohibiturum, quo tanto clarius veritas elucescat. Hebræus hæc per interrogationem exprimit his verbis, *numquid est in lingua mea iniquitas? An palatum meum non intelligit pravitates?* vel, ut alii vertunt, *calamitates*, vox enim hebræa utrumque significat; *palatum* autem non corporis, sed animæ significat; quamobrem utitur verbo *intelligendi*. Porro formula interrogandi fortem hoc loco sonat negationem, subaudiendo scilicet *minime gentium*, vel quid simile, quod vehementer neget, *q. d.* Erratis graviter, si talem de me habetis opinionem, ut putetis me vel iniqua loqui, vel non intelligere quid pravum aut vitiosum sit.

Vers. 30. Jobi in verbis perfectio.

Formula interrogandi negationem sonans.

Septuaginta legunt, οὐ γὰρ ἐστιν ἐν γλώσσῃ μου ἄδικον· ἢ ὁ λάρυγξ μου οὐχὶ συνίσιν μελετᾷ; *non est enim in lingua mea iniquitas : aut fauces meæ nonne intellectum meditantur?* ubi jure merito Job cap. I, 22 et cap. II, 10, et quidem absque jactantia, omnem a se linguæ lapsum et errorem removet, cum ipsismet Dei testimonio « non peccaverit labiis suis; » quod perfecti omnino viri indicium et infallibile argumentum assignat Jacobus *Epist.* III, 2 dicens : « Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, » etc., ubi fuse ac pulchre Apostolus ille bona et mala linguæ prosequitur, ac virtutis summam in ejus recta moderatione sitam esse ostendit. Vide quæ hac de re supra cap. I, 22, et cap. II, 10, annotavimus. Hic tantum observa *faucibus* usitata Scripturæ phrasi attribui id quod mentis et intelligentiæ proprium est, scilicet *meditari* aut *intelligere*; ut nimirum rationis ac sermonis cognatio ostendatur; atque hic ut bonus sit meditatione opus esse significetur.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Job hominis vitam cum militia comparat, et suos dolores exaggerat : Deum deinde juxta Eliphazi consilium deprecatur, ut, quoniam vita brevis est, non permittat ipsum exiguo illo, quod ad mortem reliquum est, tempore ita continenter doloribus urgeri, ut nullus ei respirandi locus aut facultas relinquatur; sed quamprimum aut removeat, aut remittat manum eousque gravem, ne, quod orat et sperat, beneficium mors antevertat.

1. Militia est vita hominis super terram : et sicut dies mercenarii, dies ejus. 2. Sicut servus desiderat umbram, et sicut mercenarius præstolatur finem operis sui : 3. Sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi. 4. Si dormiero, dicam : Quando consurgam? et rursum exspectabo vesperam, et replebor doloribus usque ad tenebras. 5. Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris, cutis mea aruit, et contracta est. 6. Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ulla spe. 7. Memento quia ventus est vita mea, et non revertetur oculus meus ut videat bona. 8. Nec aspiciet me visus hominis : oculi tui in me, et non subsistam. 9. Sicut consumitur nubes, et pertransit : sic qui descenderit ad inferos, non ascendet. 10. Nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus ejus. 11. Quapropter et ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei : confabulabor cum amaritudine animæ meæ. 12. Numquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere? 13. Si dixero : Consolabitur me lectulus meus, et relevabor loquens mecum in strato meo : 14. Terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties. 15. Quamobrem elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea. 16. Desperavi, nequaquam ultra jam vivam : parce mihi, nihil enim sunt dies mei. 17. Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? 18. Visitas eum diluculo, et subito probas illum : 19. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me ut glutiam salivam meam? 20. Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum? quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis? 21. Cur non tollis peccatum meum, et quare non aufers iniquitatem meam? ecce, nunc in pulvere dormiam : et si mane me quæsieris, non subsistam.

Vers. 1. Vita nostra militia est et tentatio.

1. MILITIA EST VITA HOMINIS SUPER TERRAM : ET SICUT DIES MERCENARII DIES EJUS. — Præclare, meo quidem judicio, magnus athleta Jobus, totus et ipse sub armis sudans, divinitus illuminatus asseruit, nostram vitam omnem super terram nihil esse aliud nisi castra, bellum, militiam, vel, ut in Græco est, πειρατήριον, *tentationem*, seu locum tentationis, aut exercitium piraticæ, vel locum piratis infestum : itaque nascimur ad laborem, ad luctam, ad tentationem, ad militiam, ut divinæ tubæ canunt; vix lucem vidimus, cum vidimus hostem, et undique frementium copiarum hastas in cervicem intentas igneaque stygii latronis tela vibrantia, quamobrem excellenter Græciæ olim sapientes apud Stobæum, *Serm.* 119, γενέθλιον, hoc est *natalem* uniuscujusque *diem*, appellarunt ὡς ἀρχὴν ἄθλων, *tanquam principium certaminum*, uti sagaciter Themistius animadvertit. « Quid est mundus, inquit S. Ambrosius *in Gen. ad Horont.*, nisi quidam agon plenus certaminum? » Vult mundum circum esse agonalem, palæstram, pulverem olympicum, arenam cruore purpurascentem, ubi certent, ut alio in loco dicit idem S. Pater *in Psalm.* XXXVI, παῖδες,

Genethlion unde dicatur.

Mundus hic est agon plenus certaminum.

http://www.obrascatolicas.com

ἔρηδοι, πύκται, vel, ut ait Origenes in eumdem Psalmum, παῖδες, ἀγώνιοι, ἄνδρες, hoc est omnis ætas; sic ut nec pueri eximii sint et liberi a contentione : subito atque lux emicat rationis in hunc agonem ingrediuntur cum pammachis sævo ardore frementibus, cum pyctis malivolis et robustis dimicant, sæpe laceris capitibus cruentantur : ubi cum sudent omnes et contendant, pauci tamen inveniuntur quos possis nominare ἀκαθαιρέτους, *inexpugnabiles* : ita enim pugiles animosiores et præstantissimos appellari consuevisse prodit lib. *De Provid.* S. Chrysostomus. *Agon* denique est, in quo nulla sit liquidæ lætitiæ voluptas, sed qui sit plenus certaminum; uno verbo, multis et perennibus tentationibus refertus.

Nobis in hac vita bellum est induciarum expers.

Porro genus hoc belli, ut Græci dicunt, ἄσπονδον, fœderis seu induciarum expers et irreconciliabile exsistit, tamque diuturnum quam longa est humana vita. Præclare Seneca e penu hauriens philosophiæ *Epist.* 51, dixit : « Nobis quoque militandum est, et quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur : » hoc ille dicit doctus a stoicis, qui cum signa virtutis sequerentur, solas habere videbantur inimicas voluptates, cum quibus armis philosophiæ confligerent; unde subdit : « Debellandæ sunt in primis voluptates. » Quid igitur si christianis oculis videre hostes animi potuisset, quanta asseveratione dixisset, nullas pacis conditiones, ac ne inducias quidem esse posse? Verumtamen ipse dixit, ut etiam ex rescripto principali Ulpianus π. *De Feriis*, lib. IX, cum generatim pronuntiat « in militia nullas ferias et vacationes admitti. » Sed divinius S. Chrysostomus *in Psalm.* VI, cum militiam nostram intueretur : « Hoc genus, inquit, belli non patitur ἄοπλον στρατιώτην ἰδεῖν, *ut miles sine armis videatur.* » Semper Hannibal stat ad portas, intus, foris periculum est, et ubique hostis : qui nunquam periculosius occurrit quam cum putatur absens; et tunc vehementius oppugnat, cum se persuasit non pugnare. Hac stulta persuasione delusus impie Jovinianus docebat, christianos, qui baptizati sunt, nullo modo a diabolo tentari posse. Quam dementis animi delirationem D. Hieronymus, multarum palmarum et coronarum pugil, lib. II *in Jovin.*, potentissime gloriosissimeque refutat. Et sane mirandum est fanaticum illum tam cæcum improvidumque fuisse, ut non viderit, quod divini codicilli tam perspicue et diserte, quod Ecclesiæ Patres, et omnium temporum sapientes, quod experientia ipsa comprobat: quorum omnium voce et monitione constat tentationes velut in insidiis ubique subsidere, ubique occurrere, et a fronte, a tergo lateribusque in jugulum involare. Atque hoc ipsum Ecclesiastici auctor in schola Dei doctus splendido in emblemate suis coloribus admirabiliter expressit : pingit enim hanc vitam ut viam quamdam laqueis interspersam frequentibus, et stimulis horrentibus acuminatam. pereuntium luctu et dolore funestam, per quam omnibus ingrediendum est usque ad illum diem, quo e corporis domicilio emigrabimus, ad eamdem picturam hoc addit epigramma *Eccli.* IX, 20 : « Scito quoniam in medio laqueorum ingrederis, et super dolentium arma ambulas. » O viam impeditam et periculosam! in qua nostra eo magis est miseranda conditio, quod eos laqueos in nostram perniciem structos luminibus oculorum non videmus : quæ res nobis magnum sine dubio metum inculeret, et mentem pavore compleret : itaque expendit illam sententiam graviter S. Chrysostomus hom. 15 *ad popul.* et animadvertit non sine causa dictum fuisse a Sapiente ἐπίγνωθι, *scito, agnosce*, non autem *vide* : quod ipsi laquei tantum mente et intelligentia percipiantur, nulliusque oculus ad gordios illos funium et laqueorum nodos pervadat ita callide tota via positos, ut tecti sint, et, ut aureus Doctor ait, obumbrati modo lucri et blandæ voluptatis illicio, modo alterius commodi et fucati boni delinimento : nec vacare præterea dicit, quod ponitur : « In medio laqueorum transis : » quod ex omni parte voragines et foveæ et pericula insunt. Processit quispiam, inquit, in forum; vidit inimicum, exarsit ex solo aspectu; vidit amicum honoratum, invidit; vidit pauperem, contempsit; vidit speciosam mulierem, et captus est. Et uxor sæpe non advertentibus laqueus facta est, sæpe filii, sæpe amici, sæpe vicini, etc. : addit Ecclesiasticus : « Et super arma dolentium ambulas. » Ita quidem noster habet Interpres, qui videtur in Græco legisse ἐπ' ἀλγεόντων ὅπλα, *super dolentium arma*, sed jam Græca habent ἐπὶ ἐπάλξεων πόλεων, *super pinnas civitatum ambulas* : utrumque peropportunum est ad periculi magnitudinem intelligendam, quo assidue in humana vita cingimur : nam cum dicit unumquemque super arma dolentium ambulare, significat omnes in vitam ut in campum horribilium duellorum ingredi, ubi strati prope innumeri bellatores, et in sanguine suo volutati, ad hoc tantum spirent, halitumque tenuem retineant, ut cladis suæ atrocitatem, vim et robur crudelissimorum hostium testentur. Ubicumque pedem ponimus, « super dolentium arma » ingredimur, ut eorum gemitus et lamenta, qui satanæ furentis impetu et tentatione victi prostratique jacuerunt, nos commoneant, ne socordis animi perfidia et languore in eamdem calamitatem incidamus. Vel sanctus auctor per *dolentes* intelligit dæmones invidia corruptos, qui vehementissime doleant nos sanctimoniæ operam dare atque virtutibus, et continuo studio in cœlum rapi; hinc crudeles eorum insidiæ et stratagemata e bellica disciplina petita, ad quæ locus hic divinæ Scripturæ alludit. Solebant enim callidi hostes eam fraudem sæpe machinari, ut omnes aditus atque vias stipitibus acutis, tribulis et cippis complerent levi terra obductis, artificio simulato, et potenti ad cladem inferendam : nam palantes inimici dolique inscii liberius volitantes in acuta illa instrumenta nec opinantes incurrebant, pedibusque fœde laceris debilitabantur. Hos ergo ferreos stimulos, hos acutos murices, *arma dæmonum* vocat Ecclesiasticus, aitque : « Super arma dolentium ambulas, » super hostium tela ubique sparsa atque horrentia, hoc est inter inimici tentationes, perniciem et funestum casum minantes ubique ingrederis; ut constet, quanto in vitæ salutisque discrimine versemur. Hoc eleganter illustravit in hunc modum Salvianus lib. VI : « Sicut exercitus pugnaturi ea loca, per quæ venturas hostium turmas sciunt, nunc foveis intercidere, aut sudibus præfigere, aut tribulis infestare dicuntur; scilicet ut etiam si non in omnia ea quispiam incidat, nullus tamen penitus evadat : ita etiam dæmones tam multas in vita ista humano generi illecebrarum insidias prætenderunt, ut etsi plurimas earum aliquis effugiat, tamen quacumque capiatur. » Verum, ut dixi, græca lectio hujus loci hæc est, ἐπὶ ἐπάλξεων, *super pinnas civitatum ambulas;* et ita legunt græci omnes Patres qui hoc effatum attigerunt. Sunt autem ἐπάλξεις, pinnæ murorum, vel turrium summæ partes vulgo in acumen desinentes : itaque hoc loco Scriptor eruditus adhibet pulchram et ingeniosam dicendi imaginem, ut periculum hujus vitæ et formidolosissimi temporis conditionem ante oculos subjiciat : Supra, inquit, murorum fastigia, supra turrium pinnas sublimes et acuminatas ingrederis; si titubas, ruis; si non titubas, in acumen tamen irruis; vix moveri potes sine damno; quamdiu vivis periclitaris; quot passus, tot discrimina, tot imminent mortes, tot præcipitia, tot fati metuendi fauces aperiuntur.

Sed ecce pugil noster olympionices charus Deo Job vitæ nostræ miseriam, tentationibus inquietæ et obsessæ quotidianis periculis alia in imagine hic proponit ab undis oceanoque petita, ut neque in terra ac ne in mari quidem locum ullum tutum esse putemus : hæc enim est illius viri divinitus afflati vox : « Piraterium est vita hominis super terram : » ita secundum Septuaginta hunc locum vertunt clarissimi duo pontifices, et sancta eruditione præditi, Ambrosius Mediolanensis et Maximus Taurinensis, qui hoc vitæ humanæ curriculum dici *piraterium* volunt; « quod in hac vita circa homines diabolus tanquam pirata desæviat : piraterium enim habitaculum piratarum esse. » Itaque significant improbissimum satanam, quem D. Paulus *munditenentem* Tertulliani stylo nominat, esse magnum et furiosum archipiratam, qui delectam prædonum manum ubique habeat, piraticis lembis dromonibusque volitantem; sic ut a tergo atque lateribus clausi undique teneamur. Oram solvere, aut coronato navigio in portum succedere nemo potest sine pugna, sine jacturæ periculo et contentione; hinc perfossæ plurimorum naves, depressa bona consilia, spoliatæ non puppes, sed virtutes, consecuta naufragia; quorum etiamnum tabulas misere fluitantes videre licet.

Quid intestinum illud bellum commemorem, quod a carne ingeritur, continuum, sociale, periculosum, cui regia mens et nobilis Dei cognatione plerumque succumbit? propter quod impii manichæi non vecordi minus judicio quam scelerato consilio asseruerunt corpus humanum a malo dæmone, non ab opifice rerum omnium Deo generatum; quorum dementiam confutant Patres, et destinato quidem eruditissimus Augustinus, qui lib. IV *De Civit.*, et uberi et gravissima oratione docet falli eos, et errare vehementer, qui putarunt omnes motus vitiosos et inordinatas animorum affectiones e corpore tantum exsistere, nec esse causam, cur illud esse malum opinarentur : vitia enim et depravatas animi commotiones ab utraque parte, a toto videlicet homine proficisci : non defuit sane ratio, cur ille S. Pater monumentis hæc mandaret suis ad contundendam insanientium hominum audaciam, qui parenti omnium Deo contumeliam inferebant. Sed negari tamen non potest, quin pars magna vitiosorum affectuum a corporis societate et contagione velut a fonte promanent : nam Gregorius Theologus carmine decimo octavo carnem vocat πάθων ῥίζαν, *radicem perturbationum;* et S. Basilius *Hom.* 24, ait a corpore adversus animam θερμότης ἐγγίνεσθαι, *tumultus et perturbationes exsistere.* Hinc doctissimi viri in omnibus prope corporis membris alicujus perturbationis seminarium posuerunt : nam medici, ut auctor est Lactantius lib. VI *Instit.* cap. XV, dicunt lætitiæ affectus in splene esse, iræ in felle, libidinis in jecore, timoris in corde : hos affectus liberator vitæ nostræ Deus ut Jebusæos in beatissima terra promissionis, sic in animo restare voluit, qui hostili et quotidiana impressione cautionem industriamque nostram acuerent, ne quando falsa et præpostera securitate perniciem ipsi nobis adduceremus, et haberemus quoque e pugna segetem et materiam insignium triumphorum. Quatuor autem sunt principes et tribuni velut militares in contrario exercitu, quorum tela vibrantesque gladios sæpe experimur, et a rege poetarum ita pinguntur :

Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque.

Non desunt e genere omni scriptorum illustrium qui quaternionem istum affectuum doctis imaginibus expresserunt : ponam hic tantum Aristonis magni viri et a sophiæ tabernaculo prodeuntis acroama, qui eleganter quatuor animi perturbationes vocat τετράχορδον, *tetrachordum* : illius hoc dictum laudat Clemens Alexandrinus lib. II *Strom.* sic scribens : Πρὸς ὅλον τὸ τετράχορδον (nisi legendum sit ὀλεῖν, *perniciosum*) ἡδονὴν, λύπην, φόβον, ἐπιθυμίαν πολλῆς δεῖ τῆς ἀσκήσεως καὶ μάχης, *adversus totum tetrachordum, voluptatem, inquam, dolorem, metum et cupiditatem exercitatione magna et pugna opus est.* Magnam pugnam ille denuntiat, bellum atrox et

Jovinianus errore nec docebat, christianos baptizatos a diabolo tentari non posse.

Vita nostra laqueis plena.

In hac vita supra arma dolentium ambulamus.

Dæmonum plena insidiis sunt omnia.

Diabolus archipirata violentus.

De bello carnis intestino.

Perperam manichæi corpus a malo dæmone conditum volunt.

Pertubationes e corpore ut radice ortam habent.

Quæ sint sedes quatuor passionum.

Dicuntur τετράχορδον.

http://www.obrascatolicas.com

Magna pugna perturbationum est.

intestinum, quo animi cruor sæpe et miserandum in modum spargitur. Verum jam inde a mundi initio corrupta natura classicum illud cecinerat pyrphoro et clarigatore Deo, qui cum primum nos, immane scelus! innocentiæ præsidio spoliavit, clare indixit bellum, insidias, subjugationem, mortem, internecionem *Genes.* III, 15 : « Ponam inimicitias : insidiaberis calcaneo : conteret caput : sub te erit appetitus, » etc. Neque vero in hoc bello tantum illi quatuor sunt, quos nominavi velut tribunos militares : nam magnum exercitum secum rapiunt, atque instar Abrahami ducunt vernaculos domi natos, et iisdem parentibus generatos. Ægritudinis vexillum sequuntur invidentia, æmulatio, obtrectatio, angor, luctus, mœror, ærumna, dolor, lamentatio, sollicitudo, molestia, afflictatio, desperatio, etc. Metus secum rapit terrorem, pudorem, pigritiam, exanimationem, conturbationem, formidinem, etc. Sub aliis stipendia faciunt malevolentia, lætans malo alieno, delectatio, jactatio, gloriæ cupiditas, mulierositas, ira, excandescentia, odium, inimicitia, discordia, pervicacia, et aliud vulgus infinitum, quod numerari et distingui vix potest. Hæ omnes affectiones, ut plurimum dæmonis stipendiariæ et fulminatrices legiones, ferro et igni armatæ furiosissime bacchantur, volitantque nigrum vexillum ferentes, ut stygio duci auctoratas intelligamus. Et quidem ille, quem paulo ante nominavi, Clemens ibidem ait animi perturbationes esse οἷον ἐναποσφραγίσματα τῶν πνευματικῶν δυνάμεων, *velut obligationes potestatum spiritualium*, adversus quas nobis est colluctatio. Opinor vir doctus alludit ad stigmata et notas quæ militibus inurebantur, quas S. Chrysostomus homil. 3 *in* II *Corinth.* vocat σφραγῖδας; Prudentius *Hymn.* I, *sphragitidas*; S. Augustinus lib. I *Contra Crescent.* cap. XXX, *regium characterem*; quod imperatorum nomen exprimerent, *q. d.* Perturbationes satanæ esse characteres, quibus sibi militantes insigniat, et earum impetu atque armis glorietur.

Quas turmas secum trahant.

Perturbationes sunt Satanæ characteres.

Defugere hoc bellum contentionemque non licet, nisi premi durissima et intoleranda servitute velimus : irruunt enim in nos, et impressionem veluti militarem faciunt, aut potius instar vulgi seditiosi, quod telis facibusque armatum cupit in arcem irrumpere. Et quemadmodum apud Evagrium lib. IV *Hist.* cap. XII, plebs Constantinopolitana seditione furens tesseram habet νῖκα, *vince*, cum in communem perniciem immineret : ita singulæ perturbationes hoc videntur habere propositum, ut vincant, et mentem atque rationem de gradu potestatis et gloriæ suæ deturbent : itaque monet sapienter Methodius apud Epiphanium, *hæres.* 64, bellandum esse adversus cupiditates, nosque similes esse militibus qui obsidentur, quibus, si minimum de vigilantia constantiaque remiserint, inimico ferro sit pereundum. Hoc nimirum est στάδιον ἄϑρατον, *invisibile stadium*, palæstra illa laboriosa periculisque plenissima, formidandum amphitheatrum ; in quo dicit Isidorus Pelusiota lib. I *Epist.* 4, nos in omni vita versari, et dimicare non cum feris, quæ oculis cerni possint, sed νοητοῖς τοῖς πάθεσι, *cum pertubationibus, quæ animo et ratione intelliguntur* : Si nos, inquit, superent, animæ mortem accersunt ; sin autem superentur, consequemur ingentes coronas et gloriosæ laudis prædicationes. Plura de hoc perturbationum bello vide apud Cresollium nostrum lib. IV *Mystag.* cap. IV, e quo hæc potissimum attulimus, quæ luculenter satis confirmant vere « militiam esse vitam hominis super terram : » itaque sic debemus cogitare *ducem* nostri exercitus esse Deum ; *militiam* vitam christianam ; *bellatores* homines ; *tesseram* Dei voluntatem ; *arma* pias precationes et pulcherrimas actiones ; *hostes* diabolum, mundum, carnem ; *cladem* peccatum ; *victoriam* vero virtutem ; *præmium* denique gratiæ torquem, et coronam immortalitatis ; quæ cum legitime certantibus in mercedem laborum strenue exantlatorum obtingat, apte subjungit :

Strenue bellandum adversus cupiditates.

Qualis sit militia nostra, dux, arma, etc.

ET SICUT DIES MERCENARII DIES EJUS. — Tempus vitæ nostræ simillimum esse dicit diei, quo mercenarius laborat, ut vesperi mercedem accipiat : habet nimirum ille tempus labori præstitutum, cujus finem avide exspectat ; unde a quovis facile perspici potest, quam apte cohæreat cum militia hominis mercenarii similitudo : quid enim poscit aut cupit miles, quem tot agones, et tot ictus, tot pericula perturbant, et propemodum examinant, nisi a malis creberrimis et molestissimis eripi, et ad mercedem, hoc est pacem bello partam, demum pertingere ? Mercenarius portat pondus diei et æstus, juxta phrasim evangelicam *Matth.* XX, 12 ; laborque improbus eum ad requiem exoptandam vehementer impellit, quod versu proximo confirmatur.

Dies nostri similes diebus mercenarii.

2 et 3. SICUT SERVUS DESIDERAT UMBRAM, ET SICUT MERCENARIUS PRÆSTOLATUR FINEM OPERIS SUI : SIC ET EGO HABUI MENSES VACUOS, ET NOCTES LABORIOSAS ENUMERAVI MIHI. — Quemadmodum, inquit, is qui a duro atque moroso domino in ipso æstatis ardore intolerabili servitute premitur, umbram desiderat, quæ æstuantem refrigeret : et sicut qui ad diurnum laborem mercede conducitur, cui non permittitur pars ulla diei a labore vacua, finem desiderat diurni laboris ac pensi ; sic ego diebus ac noctibus, in quibus non mitius exercebar quam mercenarii ac servi, quietem aliquam tanquam mercedem et umbram desidero ; quam quia non invenio, dies me ac noctes laboriosas et a mercede vacuas habuisse puto. Ita Sanctius noster. Et certe fatendum est præmiorum spem multum juvare ad piæ vitæ labores subeundos, et exsorbendas graviores difficultates, quæ in via Dei sæpe occurrunt : itaque S. Gregorius Magnus lib. VIII *Moral.* cap. V, eleganter ait christianos « remunerationis linteo sudores laboris sui tergere ; » dat exemplum in D. Paulo, qui II *Corinth.* XI, 8 longissimum texit catalogum earum acerbitatum, quas in omni prope vita patiebatur, quibus aliquando gravabatur supra modum, supra virtutem, ita ut tæderet etiam vivere, quod vehementem animi vexationem et ærumnas inexplicabiles ostendit ; in iis tamen solabatur animum suum, et dejectum erigebat, quod « non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, » *Rom.* VIII, 8. Lux illa futuræ gloriæ in mediis laboribus intermicans offusas menti nubes et mœrorem animi discutiebat ; adeo ut pius ardor generoso conatu se ad nova certamina et triumphos liquida spe renovaret. Quonam modo in multiplici tempestate, et decumanis fluctibus, quibus tantum non obruebatur, Job patientissimus durare potuisset, nisi in diem illum expertem miseriarum et felicitatis omni genere cumulatum intendisset ? nam cap. XIX, vers. 26, certissima spe et cogitatione sustentabatur se visurum Salvatorem suum in Ecclesia triumphante in amplissima gloria, cujus et ipse communione erat fruiturus ; se choreas cum beatis seraphinis acturum circa illud adorandum solium divinitatis, unde erumpens lætitiæ et beatitudinis fons immensus omnium animos sempiterno gaudio perfundit. Spes illa immortalium bonorum mirum quantum attollebat illius mentem, et adamantem illum efficiebat, quem nullus incommodorum impetus, nullus aries innumerabilium afflictionum posset evertere. Itaque servo se componit atque mercenario, qui diurnis in laboribus spe futuri præmii et mercedis se consolantur : « Sicut, inquit, servus desiderat umbram, » hoc est noctem, dulcissimæ tempus quietis et relaxationis, post continuas ærumnas diei ; « et sicut mercenarius præstolatur finem operissui. » Tunc nimirum *Matth.* XX, denarius diurnus redditur, tunc audiunt suavissimam illam vocem magni Patris familias, cujus animi liberalis magnificentia cum inexplicabili opulentia certat *Genes.* XV, 1 : « Ego ero merces tua magna nimis. » Quid igitur ? an hæc ipsa verba parum momenti et ponderis habuisse putamus erga fidelem Abrahamum, cui regificam illam pollicitationem faciebat Deus ? cum e penatibus suis egrederetur, qui blandimento quodam familiæ et naturæ dulcibus vinculis illum retinebant ; cum in sinum divinæ se providentiæ immitteret, ut peregrinas adiret provincias orasque terrarum, in quibus nudus a suis et paternis bonis spoliatus moraretur ; cum filium immolaret suum, dimidium animæ suæ, et levamentum senectutis ; cum sceleris omne genus cane pejus et angue defugeret, et in omnium virtutum exercitatione consenesceret, nonne ipsam æternitatem, quæ inclytis bonæ vitæ facinoribus desponsa est ? Quod acute D. Ambrosius lib. I *De Abrah.* cap. II animadvertit cum ait : « Sicut coacervanda fuerunt præcepta, ne quid lateret, ita etiam proponenda præmia, ne forte desperaret. » Quin idem ipse venerandus Pontifex morti vicinus mirabili quodam modo reficiebatur, cum diceret se *bonum Dominum* habere, ad quem proficisceretur ; cujus nimirum beneficentissima voluntas munerandi servos suos post quotidianos hujus vitæ labores magnum illi animum in omni vitæ cursu attulerat, vivos aculeos subdiderat ad virtutem omni studio et diligentia prosequendam. Itaque in hunc etiam modum Jobus durissimam ferens laborum et ærumnarum servitutem mortem expetivit, non modo ut ærumnis careret, verum ut candidissima Dei luce cumulatissimoque præmio frueretur ; quod significat apposita et repetita similitudine mercenarii, post diurnum laborem mercedem accipientis. Causam vero vehementer urgentem attexit aiens :

Præmiorum spe animus pluri-mum erigitur.

Job spe præmii se solatur.

S. Job spe præmii afflictiones omnes superat.

Job se cum servo et mercenario comparat.

Abraham spe præmiorum suffultus fuit.

S. Amb. Pontifex morti vicinus mirabili modo reficiebatur.

Jobus spe præmii multum in morte solabatur.

MENSES VACUOS ET NOCTES LABORIOSAS ENUMERAVI MIHI. — Quod ad vexationis tempus præsertim referendum est : etsi enim vita hominis justi, quantumvis bonis temporalibus affluens, vacuum quiddam sit, vacuumve hominem ipsum relinquat, æternis duntaxat bonis explendum ; negari tamen non potest tempus calamitatis ac derelictionis peculiari quadam ratione inanitatem molestiorem repræsentare, quæ bonis futuris implenda sit. Hi sunt *menses vacui*, qui non habent promptuaria consolationis plena, quos una cum noctibus laboriosis Jobus æquus rerum æstimator recenset. Potuit autem enumerare noctes illas præ tædio, nam in labore prolixo non menses et noctes tantum, sed horas quoque singulas ægroti percensent : potuit quoque præ rei æstimatione, cum horæ singulæ sempiterna remuneratione essent ei repensandæ : quod cum mercenarii similitudine mirifice cohæret. Quemadmodum enim mercenarii dies omnes diligenter numerantur, ut laboris præmium persolvatur, sic hominis cujusque dies omnes ad calculum vocantur, ut operum, cogitationum verborumque omnium stipendium reddatur. Discant reges principesque viri famulorum numerare annos : discant præclara numerare opera, ut meritis illa præmiis afficiant. Ita Assuerus rex jussit sibi afferri historias et annales temporum priorum, ut redderet pro meritis præmium Mardochæo, *Esther.* VI, 1. Discant quoque cæteri omnes, qui aliorum opera utuntur, et dies operariorum numerare, et debitam illis mercedem cito dare : sic paterfamilias operarios conducit, mittitque in vineam suam ; eadem vero die mercedem debitam solvit, *Matth.* XX, 8. Imitare hunc patremfamilias, operariis quod debes cito redde, ne merces retenta et fraudata ad Deum clamet *Jacob.* V, 4. Denique ne in fine vitæ de teipso conqueraris, et dicas : « Ego habui menses vacuos et noctes laboriosas enumeravi mihi, » opera tua in Deum dirige, et propter ejus amorem exsequere quæ menses tuos impleant, et a nocte hujus vitæ tanquam dulcedine amoris illita laborem depellant : nam non amore Dei, sed amore hujus sæculi aliqua bona facere, vel aliqua ad-

Tempus desolationis peculiari ratione vacuum appellatur.

Mercenarii die omnes numerandi.

Famulis debita stipendia præmia solvenda.

Curandum ne menses meritis vacuos habeamus.

http://www.obrascatolicas.com

versa pati, vacuum est et laboriosum. « Mens enim afficitur (inquit S. Gregorius lib. VIII *Moral.* cap. V), et remunerationis præmio non repletur. »

Vers. 4. 4. SI DORMIERO DICAM : QUANDO CONSURGAM? ET RURSUM EXSPECTABO VESPERAM, ET REPLEBOR DOLORIBUS USQUE AD TENEBRAS. — Anxietatem animi corporisque intolerabilem eleganter describit, quippe qui longa dierum et noctium serie captasset requiem, nec invenisset; quod in supremis infortuniis accidere solet. Pro *doloribus* in Hebræo est נדדים *nedudim* : quod proprie significat *jactationibus*, seu *inquietudinibus*, id est curis, anxietatibus, doloribus, qui me in omnem partem agitant nocte et die, nec ullam quietem capere sinunt.

Nunquam ex futuro pendere, sed præsens tempus semper bene collocare oportet.

Tropologice hinc disce nunquam ex futuro pendere, sed tempus quodcumque præsens diligenter impendere : hanc enim unam mensium et annorum perditionem enumerat, nempe spem semper jactam ad futura; nihil de præsenti fatur, sed totus occupatur in exspectatione futuri; et hinc menses et anni et sæcula vacua evolant, quando in spe viventibus proximum quoque tempus elabitur. Cum enim proximum et præsens nunquam suum faciunt, semper appellant ad futurum, ita D. Thomas hunc locum exponit dicens : « Quomodo habuerit menses vacuos ostendit subdens : *Si dormiero dicam; quando consurgam? Rursus exspectabo vesperam*, sic semper in futurum per desiderium tendens. » Vacuum est et inane sæculum illis, quibus vel præsens dies est irrita. Felix ille est, qui singulos dies singulas vitas putat, intra præsens suam componit vitam; is nullius temporis indiget; huic ad beate vivendum satis sunt momenta singula. Audi hac de re Senecam *Epist.* 103, ita pulchre disserentem : « Qui quotidie suæ vitæ summam manum imposuit non indiget tempore; ex hac autem indigentia timor nascitur et cupiditas futuri exedens animum : ille enim ex futuro suspenditur, cui irritum est præsens. Ideo, mi Lucili, propera vivere, et singulos dies singulas vitas puta : qui hoc modo se aptabit, cui vita sua quotidie fuit tota, securus est. In spe viventibus proximum quoque tempus elabitur. » Hoc unum itaque curandum, ne nobis irritum sit tempus præsens, cui enim præsens irritum est, totum futurum non sufficit; at cui cordi est tempori usura, et sic unam diem exegit, quasi solam illam haberet, hic non eget tempore, hic vel una hora plenus dierum efficitur. S. Gregorius lib. VIII *Moral.* cap. VI, hunc Jobi locum de somno tribulationis exponit hoc modo, *q. d. Si dormiero* (id est si somno tribulationis premar) *dicam : Quando resurgam?* id est angor animo, et summis precibus a Deo efflagito a malis eripi : cæterum a tribulatione erutus, statim video me ad mala prolabi, et in deterius vergere. *Et rursus exspectabo vesperam*, id est, cum videam adversa me in virtute solidare, et prospera e diverso me in vitia impellere, iterum a Deo exposco, ut me malis premat, et ærumnis exerceat : « quia in peccati somno lumen justitiæ quæritur; et cum virtutum prospera mentem elevant adjutrix adversitas desideratur : » sic ille. Ubi expende cum eodem S. Gregorio illud verbum *exspectabo* : non ait *timebo* vesperam, sed *exspectabo* : ea enim *timemus* quæ mala sunt; ea vero *exspectamus* quæ nobis grata sunt. Ut ergo ostendat tribulationes et ærumnas, quas, justus patitur, gratas illi fore non dixit, *formidabo*, aut *trepidabo*, sed *exspectabo*, scilicet tanquam rem gratissimam. Gregorii verba sunt ista : « Unde nequaquam *formidabo vesperam* dicitur, sed *exspectabo* : exspectamus enim prospera, formidamus adversa. Vir igitur sanctus vesperam exspectat, quia cum eum exerceri hic in tribulatione necesse sit, ipsa ei fit adversitas prospera : » itaque nec novum nec inauditum videri debet, si dicamus justorum esse ex adversitate nil adversi pati. O felices animæ bono in lumine justitiæ positæ! quæ tantum abest ut irrumpentis adversarii impetum formidare debeant, ut potius magna cum voluptate præstolentur ea alacritate, qua egregii bellatores decora adorearum expetunt ac triumphorum.

Justi adversitas prospera.

Contemplatio cum actione conjungenda.

Mystice contemplatio somnus est, ex quo anima desiderat surgere, quando statuit ad actionem ex Dei voluntate revocata sancte et diligenter operari; sed in actione posita rursum exspectat vesperam, quia ad somnum contemplationis anhelat : in eo profecto ad virtutem omnem roboratur, ad felicitatem cœlestibus donis decoratur, et ad unionem Deo similis redditur. Atque in hunc fere sensum S. Bernardus præsentem Jobi locum exponit serm. 57 *in Cant.* agens de negotio vitæ activæ et otio contemplativæ : « Inter has, inquit, vicissitudines mens fluctuat, metuens, ne forte alteri eorum plus justo inhæreat; et fortasse hoc S. Job patiebatur cum dicebat : *Si dormiero dicam : Quando consurgam? et rursum exspectabo vesperam?* Et quietus neglecti operis, et occupatus perturbatæ quietis me arguo. Vides virum sanctum inter fructum operis et somnum contemplationis graviter æstuare; et in bonis licet semper versantem, semper tamen quasi de malis pœnitentiam agere. »

Justi somnum tribulationis exspectant.

Vers. 5. 5. INDUTA EST CARO MEA PUTREDINE ET SORDIBUS PULVERIS : CUTIS MEA ARUIT, ET CONTRACTA EST. — Adeo, inquit, extabui, ut corpori meo obducta fuerit crusta quædam purulenta, et pulvere adhærente sordida : absumptus est vitalis humor; unde cutis arida in rugas sese contraxit : quod autem *putredine* dicit in Hebræo est רמה *rimah*, quod *vermes* etiam significat, et ita vertit Vulgatus *infr.* XVII, 14, et XXV, 6. *Sordes* autem *pulveris* vocat ramenta scabiei, sive furfures, vel porriginem, ut Celsus dicit, quæ corpore cum se scalperet decidebat, quod Septuaginta expresserunt vertentes, φύρεται δέ μου τὸ σῶμα ἐν σαπρίᾳ σκωλήκων· πίνω δὲ βώλακας γῆς ἀπὸ ἰχῶρος ξύων, *et conspergitur*

Putredo corporis Jobi quanta.

corpus meum putredine vermium : liquefacio autem glebas terræ a sanie radens. Vermes ergo putredini permixtos, et copiam tabi fluentis terramque perfundentis Jobus oculis piis exhibet, quo pateat in eam ærumnam virum justum devenisse, ut optabilior ei fuerit interitus quam vita, qua nihil videbatur esse posse infelicius. Quanta porro putredine, scabie ac vermibus caro ejus induta fuerit explicuimus *supr.* II, 7, ubi morbos et ulcera recensuimus, quibus S. Patres et interpretes a vertice capitis usque ad plantam pedis Jobi corpus opertum fuisse commemorant, quod eleganter Vulgatus interpres hoc loco *induendi* verbo expressit, et quasi ob oculos ponit miserandum Jobi spectaculum in sterquilinio sedentis, et testa saniem radentis : nam *indui* proprie dici solet in re quavis, cujus accessione vel dedecoramur, vel ornamur, ut cum dicimus, *indui decore magnificentia, fortitudine*, etc., quia his ornamur; et e diverso, *indui ignominia, confusione, maledictione, opprobrio*, etc., quia illis dehonestamur. Exempla passim in Scripturis sunt obvia, præsertim *Psalm.* XCII, 1 : « Dominus regnavit, decorem indutus est : indutus est Dominus fortitudinem; » item *Psalm.* CIII, 1 : « Confessionem et decorem induisti : » quæ laudi dantur, sicut e contra vituperio, cum dicitur *Psalm.* XXXIV, 26 : « Induantur confusione et reverentia; » item *Psalm.* CVIII, 18 : « Induit maledictionem sicut vestimentum; » quo sensu etiam ipsimet latinitatis auctores eodem verbo usi sunt, ut Cicero *in Verr.* : « Sua confessione induatur et juguletur necesse est; » item : « In idipsum se induit quod timebat. » Cæsar quoque lib. VII *Bel. Gall.* : « Se ipsi, inquit, acutissimis vallis induebant, » et alibi : « Se stimulis inopinantes induebant. »

Indui quid proprie significet.

Putredo est peccatum, præsertim carnis.

Tropologice S. Gregorius lib. VIII *Moral.* cap. VI, per *putredinem* hoc loco intelligit peccatum, præsertim carnis, quo dum anima induitur illico computrescit et tabescit, quin imo et corpus, quo perpetratur, non raro infamem illam tabem contrahit, quam vulgo *luem veneream* appellamus, malum prorsus putidum, et fœtore ac sordibus suis plane abominandum, dignum tali crimine supplicium : ipsa S. Gregorii verba sic habent : « Soliditatem ingenitam voluntarie homo deseruit, et sese in corruptionis voraginem mersit; unde nunc per immunda opera labitur, vel per cogitationes illicitas fœdatur : ut enim ita dixerim, culpæ suæ pœnaliter subdita ipsa jam natura nostra facta est extra naturam; et remissa usque ad perversa opera ducitur; restricta autem perversorum operum importuna cogitatione fuscatur. Per expletionem ergo actionis illicitæ carnem putredo afficit; per levitatem vero cogitationis improbæ quasi ante oculos pulvis surgit. Consentiendo vitiis putredine atterimur; vitiorum vero imagines in corde tolerando sordibus pulveris fœdamur. Ait ergo : *Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris*, ac si aperte diceret : Carnalem vitam, quam patior, aut tabes lubricæ operationis polluit, aut ex vitiorum memoria caligo miseræ cogitationis premit : » sic ille. Eadem quoque fuit cæterorum Patrum de hoc peccato sententia; unde S. Gregorius Nyssenus orat. 5 *De Orat. Dom.* vocat illud αἶσχος, *probrum*, turpitudinem, insignem deformitatem; aitque summum esse malorum, atque omni supplicio luendum : Aponius lib. III *in Cant.* illud idem monet, omni lepra fœdiorem notam animis inurere. Nostri vero Ordinis fundator ac patriarcha S. Ignatius, vir plurimis Dei donis et lumine ornatus, cum de istiusmodi corde hominis cogitaret, labe vitiorum et scelerum infecti, sibi aiebat videri persimile ulceri magno, unde sanies et purulentæ quædam sordes copiose fluerent, quæ fœda et horribili contagione cœlo et terræ nauseam ingenerarent. Nihil sane est abominandum magis beatis angelis, qui oculis præditi sunt, quibus hunc turpitudinum omnium fontem videant; hinc quævis anima, quamlibet pretiosis sit vestita Dei donis atque virtutibus, et gratiæ torque venusta, simul atque se in crimen et gravius aliquod flagitium induit, tametsi corpus purpura, gemmis et auro colluceat, in temporis puncto spoliatur, et nuda pandit ignominiam suam, quam beatæ mentes et fugiunt, et incredibili animi sensu miserantur. Felicissimi nimirum illi spiritus clare animæ statum intuentur, nos, quibus corneum specular est, non videmus; alioquin futurum esset, ut nequitia pollutos et maculosos remis atque velis fugeremus, adeo horrifica est species animæ peccatricis. Obtinuit hoc a Deo Catharina Senensis virgo sanctissima, ut intimum hominum statum cognosceret : quod illa in bonum vertebat, ad eos miserandos atque juvandos, quos peccati labes inquinaverat : quare si forte in aliquem incidisset crimine fœdum et contaminatum, ex illius abominandi spectri contuitu eum horrorem concipiebat, et fœtore tam intolerando cruciabatur, ut animam prope ageret.

Animæ peccatricis ingens fœtor et turpitudo.

Vers. 6. 6. DIES MEI VELOCIUS TRANSIERUNT QUAM A TEXENTE TELA SUCCIDITUR, ET CONSUMPTI SUNT ABSQUE ULLA SPE. — Huic similis est ista Ezechiæ sententia in cantico ejus *Isai.* XXXVIII, 12 : « Præcisa est velut a texente vita mea; dum adhuc ordirer succidit me : » comparat vitam humanam telæ instabili, quæ pro voluntate textoris pertexitur, aut succiditur. Vitæ nostræ textor est Deus, in cujus manu ac potestate est vita et mors : cum placet illi filum secat, telam scindit, nec protrahitur amplius quam ipse disponat. Quidam statim post ortum rapiuntur, « de utero translati ad tumulum, » *Job.* X, 19; quidam in pueritia, quidam in adolescentia, quidam in juventute, quidam in virili ætate, quidam in senectute : et unicuique periodum vitæ certam statuit Dominus, ad quam pertinget, et non procedet ulterius : scriptum est enim *Job.* XIV, 5 : « Breves dies hominis sunt,

Humana vita telæ similis quæ a texente succiditur.

http://www.obrascatolicas.com

numerus mensium ejus apud te est : constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. » Unde antiqui philosophi paganorum, ut S. Augustinus lib. XX *Contr. Faust.* cap. IX notavit, ad designandam incertitudinem et volubilitatem humanæ vitæ, tres Parcas seu tria Fata constituebant, in colu et fuso digitisque filum ex lana torquentes, propter tria tempora; præteritum, quod in *fuso* jam emensum atque involutum est; præsens, quod inter *digitos* nentis trajicitur; futurum in *lana, quæ colu* implicata est : quod adhuc per digitos nentis sursum versus, tanquam per præsens ad præteritum trajiciendum est . itaque velox hujus vitæ gyrus est, et cito finitur; adeo ut nentis fuso comparari possit, quod celerrime gyrum suum perficit dum circumagitur. Quod Hebræus clarius exponit ita reddens, ימי קלו מנני ארג, *Iama callu mini areg,* quod vertit Montanus, *dies mei velociores radio* : Vatablus hic et Oleaster *Exod.* XXXV, vertunt *radio texentis;* possetque bene verti, *velociores fuerunt involutorio, seu fuso filantis* aut involventis. Quia nimirum vita etiam in modum fusi volvitur, et citissime suos circuitus absolvit; uti breviter, sed vere de hac brevitate Phocylides, cum ait, ὁ βίος τροχὸς, *vita rota* : et B. Joannes Chrysostomus Orat. 6 *Contr. Jud.* βραχὺς ὁ παρὼν βίος, *vita præsens brevis.* Videtur quidem aliquibus labilis vertibilisque hæc vita stare; sed videtur tantum, non stat; semper abit, vertiturque, imo velocius celeriusque volvitur, cum moveri non videtur. Vertat quis lignum aut quid aliud in gyrum, minus movetur, si oculis credas, quo celerius in orbem agitur; circulum esse dixeris, non in circulum rapi. Idem et in præsentis vitæ cursu accidit, citius labitur, cum stare falso putatur ipsa celeritas mortalium oculis imponit : huc flecti possunt S. Gregorii Nazianzeni verba, sic enim habet *Sentent.* : « Rota est incerto fixa, brevis hæc et multiplex vita sursum movetur, et deorsum trahitur : neque enim stabilis est, quantumvis ita videatur, fugiens tenetur, et manens effugit : » sic ille. Decipitur itaque qui vitam hanc indesinenter volvi non percipit.

Tres Parcæ quid designent.

Vita nostra nentis fuso comparata.

Vita præsens celerius volvitur, quo magis stare videtur.

Rotæ similis.

Quotidie vita nostra consumitur.

Elegantur hunc Jobi locum expendit S. Gregorius lib. VIII *Moral.* cap. XI : « Congrua, inquit, similitudine tempus telæ comparatur, quia sicut telæ filis, sic vita mortalis diebus singulis proficit; sed quo ad augmentum proficit, eo ad incisionem tendit : cum enim tempora percepta præteriunt, ventura breviantur, tela enim duobus lignis innectitur ut texatur; sed quo inferius texta involvitur, eo superius texenda deplicatur; et unde se ad augmentum multiplicat, inde fit minus quod restat. Sic nimirum vitæ nostræ tempora et transacta quasi inferius involvimus, et ventura a superiori deplicamus, quia quo plus fiunt præterita, minus esse incipiunt futura : » hactenus S. Gregorius. Hujus telæ tegmen est humana mortalitas, juxta illud *Gen.* III, 19 : « Pulvis es, et in pulverem reverteris : » subtegmen autem est humanarum rerum vicissitudo et vanitas.

Moraliter locus hic mortales omnes admonet, ne telas aranearum, id est res frivolas, texere audeant, et in incerto vitæ habeant confidentiam, multa et varia in posterum disponentes et mente tractantes, cum tamen ignorent quid futura pariat dies.

Non in incerto vitæ confidendum.

ET CONSUMPTI SUNT ABSQUE ULLA SPE; — Septuaginta reddunt, ἀπόλωλε δὲ ἐν κενῇ ἐλπίδι, *perit autem in vana spe* : consumpti ponuntur dies absque ulla spe, et simul ipse periisse in spe vana; si in spe vana periit, quomodo dies ejus periere absque ulla spe? An potest quis perire in spe, et in spe simul non perire? Crediderim ibi a Jobo duorum hominum vitas repræsentari, et simul mortes; alteram quidem qua moritur electus, alteram vero qua reprobus perit : ille ad finem et consummationem dierum pervenit ita satur, ut nullam spem nec cupiditatem nutriat temporalem; hic in ipso mortis limine et vanissimas bonorum temporalium spes alit, et pro illis suspirat et angustiatur, illorum sustinens etiam tunc rabidissimam famem : pulchre enim ait D. Gregorius lib. VIII *Moral.* cap. VII : « Electi igitur quia præsentis vitæ momenta decurrere sub festinatione conspiciunt , nequaquam in hoc tantæ mobilitatis itinere cordis intentione figuntur; unde subditur : *Et consumpti sunt absque ulla spe.* Reproborum mens erga dies vitæ præsentis tanto amore constringitur, ut sic semper hic appetant vivere; quatenus, si valeant, vivendi cursum desiderant nunquam finire; unde fit, ut sæpe jam corpus molestia quatiat, et vicina mors virtutem vitalis spiritus incidat; nec tamen curare quæ mundi sunt desinant. » In mortis sunt falce, et misere affliguntur fame et siti rerum mundialium quibus avidissime inhiant, etiam dum agunt animam : quamobrem merito de illis dici potest, quod in spe vana pereant.

Electi moriuntur sine affectu rerum temporalium; reprobi vero pereunt in spe vana rerum transitoriarum.

7. MEMENTO QUIA VENTUS EST VITA MEA; ET NON REVERTETUR OCULUS MEUS UT VIDEAT BONA. — Vitam nostram vento similem esse dicit, quod auctores diversimode exponunt; ac Græci quidem pro respiratione et spiritu, quem ducimus respirantes, *ventum* hunc accipiunt : sic enim verterunt Septuaginta, ὅτι πνεῦμά μου ἡ ζωή, *quia spiritus est vita mea;* unde cum Deus primum hominem creavit, « inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem, » *Gen.* II, 7. Ait ergo S. Job : Obsecro, Domine, ne permittas sic me laboribus vexari, et mortem accelerari; memento vitam meam satis ex se miseram ac fragilem esse, utpote quæ ex oris et narium flatu dependeat. Alii vero comparationem cum vento intelligunt, cujus motus velocissimus est, et fuga et lapsus irrevocabilis, sicut scriptum est *Psalm.* LXXVII, 39 : « Recordatus est quia caro sunt, spiritus vadens, et non rediens : » ventus enim nunquam repetit originem suam unde erupit, et sic evanescere solet : talis est vita nostra, velut ventus quidam velociter currens, nunquam reversurus. Notum est in vento tam apud profanos quam apud sacros scriptores velocitatem indicari. De profanis est illud Horatii lib. II *Carm.* od. 16 :

Vers. 7.

Vita nostra præterit a respiratione.

Ventus comparatur.

Ventus symbolum velocitatis.

Ocyor ventis, et agente nimbos
Ocyor Euro.

Virgilius quoque ait lib. V *Æneid.* :

Emicat et ventis, et fulminis ocyor alis.

Apud sacros etiam auctores sæpe comparatio e ventis sumitur ad explicandam celeritatem, et ideo ventis attribuuntur pennæ, et Deus in illis insidere dicitur, quia omnia cursu quam celerrimo lustrat, juxta illud *Psalm.* CIII, 3 : « Qui ponis nubem ascensum tuum : qui ambulas super pennas ventorum; » ubi S. Augustinus ait insinuari Deum per verbum ejus ubique præsentem, velocitate motus nihil deserere; et hanc comparationem adhibuisse, quia tu non noveras aliquid vento velocius : ut per *pennas ventorum* intelligas velocitatem ventorum, et verbum Dei intelligas velocius omnibus ventis. Eamdem ob causam tradit S. Dionysius *Cælest. Hier.* cap. XV, angelos in Scriptura *ventos* appellari, cum ait : τὸ δὲ ἀνέμους αὐτοὺς ὀνομάζεσθαι τὴν ὀξεῖαν αὐτῶν ἐμφαίνει, καὶ ἐπὶ πάντα σχέδην ἀχρόνως διήκουσαν πείσιν, *quod autem* venti *nominentur, hoc eorum in agendo celeritatem indicat, ad omnia ferme absque mora penetrantem.*

Reges et principes per modum venti cum sonitu transeunt.

Ventus idem non revertitur.

Præterea ventus, qui semel transiit, nunquam revertitur; qua etiam in re vita mortalium simillima est vento, neque enim vis est ulla in natura, quæ vitam revocet : ex quibus ventorum proprietatibus, ut bene notat Sanctius, verus elicitur hujus loci sensus, qui deinde sequentibus explicatur magis, *q. d.* Vita mea præcipiti labitur cursu, quem brevi admodum absolvet; neque revertetur, ubi primum abierit : quare nisi statim mihi porrexeris manum, non erit tempus, in quo mecum possis agere clementer, quare obsecro, Domine, memineris brevitatis vitæ et dolorum, quos patior, et fac, ut pauxillum hoc spatii, quod superest, a dolore reficiat, et pacifice transigam. Ventus igitur est vita nostra, quantumvis regum et imperatorum illa sit : videas ventum validum omnia commoventem, pulverem magnum excitantem, arbores concutientem, et strepitum eximium facientem, quo transacto nullum ejus superest vestigium : simul enim ventus et strepitus ejus evanescunt. Sic in mundo isto magnates et principes videbis magno cum strepitu famulorum, equorum et negotiorum transeuntium , sed morte interveniente id experimento probabis quod Psalmista dicit *Psalm.* IX, 8 : « Periit memoria eorum cum sonitu. » De peccatoribus hic Psalmistam loqui testatur S. Hieronymus : hi cum sonitu transeunt, quia magnas excitare tragœdias solent, memoriam sui et nomen in terra celebrare volentes : sed periit memoria eorum cum sonitu, in morte videlicet : cum primum enim vitam cum morte commutant cessat omnis ille sonitus et strepitus vanitatis eorum. Præterea etiam aliam ob causam horum hominum vita *ventus* merito appellari potest : etenim quemadmodum ventus inconstans est flando, ita illi inconstantes sunt vivendo. Ventus modo ex septentrionali flat polo, paulo post ex oriente, postea ex polo australi, nullibi figitur : sic hominum istiusmodi vita modo in virtute versatur, paulo post ad vitia transit; hodie crimina confessione eluunt, cras instar canum resorbent vomitum, neque in virtute firmam faciunt mansionem, nec mansionem stabilem facit apud ipsos Deus.

Mundialium hominum vita ventus est ob inconstantiam.

NON REVERTETUR OCULUS MEUS UT VIDEAT BONA. — Quod ita S. Gregorius exponit lib. VIII *Moral.* cap. XII, *ad videnda bona exstincti oculus non revertitur; quia ad exhibenda recta opera exuta carne anima non recurrit,* et confirmat sententiam hanc ex illo, quod de epulone divite narrat S. Lucas, et ait : « Hinc est quod dives, quem inferni flamma cruciabat, quia semetipsum reparare operando non posse agnoverat, nequaquam jam sibi, sed relictis in mundo fratribus prodesse satagebat dicens *Luc.* XVI, 27 : *Rogo te, pater Abraham, ut mittas eum in domum patris mei : habeo enim quinque fratres : ut testetur illis, ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum* : solet namque mœstum animum spes vel falsa refovere; sed ut pœnam suam reprobi gravius sentiant, spem de venia amittunt; unde flammis ultricibus traditus non sibi, ut diximus, sed opitulari fratribus concupivit, quia nunquam se ignium carere tormentis adjuncto desperationis supplicio agnovit : » ita S. Gregorius. Subdit tandem Job :

Anima defuncti non revertitur ad faciendа bona opera.

8. NEC ASPICIET ME VISUS HOMINIS : OCULI TUI IN ME, ET NON SUBSISTAM, — id est, si semel e vita migravero, nemo me amplius aspiciet, ut ex me sublevato tuam discat bonitatem; jam autem tanta est mea calamitas, ut diutius in vita permanere non possim : quin et vix me respicies ad sublevandum, cum animam efflavero, quare maturandum, si mihi auxiliari volueris. Vel potest etiam sic accipi, *q. d.* Iram tuam, quæ oculis declaratur, amplius perferre non potero : quare si me severius aspexeris, statim emoriar. Quis porro sit *visus* iste, cujus carentiam potissimum deplorat S. Job, audi S. Gregorium lib. VIII *Moral.* cap. XIII : « *Visus hominis,* inquit, est misericordia redemptoris, quæ insensibilitatis nostræ duritiam cum respicit emollit; unde in Evangelio dicitur *Matth.* XXVI, 72 : *Respexit Dominus Petrum, et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat Jesus; et egressus foras flevit amare;* exutam vero carne animam nequaquam jam *visus hominis aspicit,* quia post mortem non liberat, quem ante mortem gratia ad veniam non reformat. » Expavenda igitur omnis morula in salutis negotio est illi, cujus vita in ictu oculi potest finiri; et talis est humana conditio, quam luculentius exprimunt

Vers. 8.

Visus hominis est misericordia redemptoris.

Summa vitæ incertitudo nullam mo-

http://www.obrascatolicas.com

ram admittit conversionis.

Septuaginta vertentes, οὐ περιβλέψεταί με ὀφθαλμὸς ἑρῶντός με· οἱ ὀφθαλμοί σου ἐν ἐμοί, καὶ οὐκ ἔτι εἰμί, *non circumspiciet me oculus videntis me ; oculi tui in me, et non ultra sum*, q. d. Conjiciet in me oculos quisque, et antequam bene me videat jam non ero : sic Olympiodorus in *Caten.* : « Sæpenumero acciderit, ut dum in me forte quispiam figit obtutum abeam ipse atque decedam; estque ita vitæ nostræ volucris exitus, ut qui nos hodie viderunt, cras non sint visuri omnino, siquidem sub tuo voluntatis nutu uno oculorum conjectu, cum me non amplius in vita morari volueris, statim interimes. » Quis ergo audebit retro respicere, quando nec unus oculi ictus est illi certus et securus? quis morulam statuet, quando in ictu oculi potest finiri? Hinc quemdam Thomam præpositum de Beverle, tardantem Deo respondere, pungebat D. Bernardus *Epist.* 107, ita scribens : « Generositas sanguinis, proceritas corporis, forma elegans, juvenilis decor, prædia, palatia, immensa supellex, infulæque dignitatum, adde et mundi sapientiam, de mundo sunt hæc, et mundus quod suum est diligit; sed quousque? Non solum enim non semper, utpote qui non semper erit, verum nec diu quidem. Diu siquidem ista in te mundus habere non potest, et te quippe ipsum in brevi non habiturus : nam breves dies hominis sunt. Mundus quidem transit, sed te prius emittit quam ipse pertransit. Quid te sine fine delectat amor mox finiendus? » Miserum est, ubi finis instat, negotiis hærere vitæ; ubi omnia nos in mortem præcipitant, morulas effingere, quæ et cum temporalibus bonis Deum etiam nobis præripiant. Ad Lot dicebant angeli *Genes.* XIX, 17 : « Salva animam tuam : noli respicere post tergum : » nec otiosa est tanta celeritatis commendatio in via adeo præcipiti, quando et in ictu oculi possumus finiri. Nonne *ibid.* vers. 26, in ictu oculi periit ipsa Loti uxor? « Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis : » non diu stetit, non longas fecit moras, oculos solum conjecit, et in ictu oculi amisit salutem.

OCULI TUI IN ME, ET NON SUBSISTAM, — id est, oculi tui in me intenti erunt, vel me quærent quem aspiciant, et non ero uspiam in vivis : nam non subsistere seu non esse dicitur, qui diem suum obiit, quia non est amplius in vita, juxta illud *Psalm.* CII, 16 : « Spiritus pertransibit in illo, et non subsistet, » id est, non erit inter vivos : sic *Matth.* II, 18 : « Rachel plorans filios suos, quia non sunt, » nam erant mortui. Unde pulchre et acute Lactantius : « Quando, inquit, nos non sumus mors est : quando nos sumus mors non est : » quo sensu item Plautus ait : « Nunc illud est, cum me fuisse quam esse nimio mavelim. » Huc pertinet etiam gymnosophistæ illud, qui dicebat plures esse vivos quam mortuos, eo quod mortui non essent, et non subsisterent.

Tropologice S. Gregorius lib. VIII *Moral.* cap. IX, locum hunc de stricto Dei judicio exponit, in quo, si Deus intentis oculis omnia nostra peccata exacte speculetur, lustret, disquirat, non tantum peccator, sed ne vel sanctissimus quisque subsistet, id est coram Deo stare poterit, quin oculos dejiciat, vel cum pudore discedat, vel causa cadat, « ac si aperte diceret : Districtus ad judicium veniens, et ad salvandum non vides, et ad feriendum vides; quia quem in præsenti vita dispensationis tuæ miseratione non respicis, respiciendo postmodum per justitiam extinguis : nunc enim peccator quisque Deum non metuit, et vivit; blasphemat, et proficit; quia scilicet misericors creator, quem exspectando vult corrigere, aspiciendo non vult punire; sicut scriptum est *Sap.* XI, 24 : *Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* Sed tunc peccator cum respicitur non subsistit, quia cum districtus judex merita subtiliter inquirit, reus ad tormenta non sufficit. » Et post pauca justis hanc eamdem sententiam accommodat : « Quia apud Deum districte judicati, ipsi quoque maculas inquinationis habent, qui per mundiciam sanctitatis lucent. Bene ergo dicitur : *Oculi tui in me, et non subsistam*, ac si aperte justi voce diceretur : Si subtili examinatione discutior, ad perferendum judicium non assurgo; quia ad pœnam vita non sufficit, si hanc immanitas justæ retributionis premit. » Si ergo sanctissimi viri divinæ disquisitioni strictoque examini sese committere non audent; qua fronte nos miseri homunciones coram Deo judice comparebimus? « Qui respicit terram, inquit David *Psalm.* CIII, 33, et facit eam tremere; qui tangit montes, et fumigant. » Ad quem locum pulchre S. Augustinus exponit, quæ sit ista terra quæ tremit ad aspectum Dei; et quinam sint isti montes, qui ad tactum Dei fumigant : « O terra, inquit, exsultabas de bonitate tua, tibi tribuebas vires opulentiæ tuæ : ecce respicit Dominus, et fecit te tremere : respiciat te, et faciat te tremere : melior est tremor humilitatis quam confidentia superbiæ; » et post pauca : « Montes superbi erant, jactabant se, non eos tetigerat Deus : tangit illos, et fumigabunt. Quid est *fumigare montes?* precem Domino reddere : impius quilibet et infelix anima rogare Deum nescit, et vult se rogari ab hominibus. Mons est, opus est ut tangat illum Deus, et fumiget. Quando cœperit fumigare, dabit Deo precem tanquam sacrificium cordis fumigat ad Deum, deinde tundit pectus, incipit et flere, quia et fumus excutit lacrymas. » Hisce ergo similibus pii viri meditationibus imbuti cum Davide exclamant *Psalm.* LXXXIX, 11 : « Quis novit potestatem iræ tuæ? » Cum nempe placet mundum punire nequitia pollutum, sceleribus inquinatum, ad nutum æstuantis oculi tui defluunt gentes, montes liquefiunt, terra dehiscit, cœlum ut liber involvitur, natura tabescit. « Aspexit, inquit Habacuc cap. III, vers. 6, et dissolvit gentes » ad perdendos enim et internecione obruendos homines, et labefactandum hoc universum, solus irati Numinis aspectus sufficit.

Peccatores in judicio Dei vultum non sustinent.

Sed nec justi coram eo subsistunt, si stricte examinentur.

Deus dum respicit superbos facit eos tremere.

Vers. 9 et 10.

9 et 10. SICUT CONSUMITUR NUBES, ET PERTRANSIT; SIC QUI DESCENDERIT AD INFEROS NON ASCENDET. NEC REVERTETUR ULTRA IN DOMUM SUAM, NEQUE COGNOSCET EUM AMPLIUS LOCUS EJUS. — Exemplo nubis consumptæ ostendit eos, qui semel mortui fuerint, ad vitam redire non posse, ut illustret illud quod proxime dixerat : « Ventus est vita mea, » etc. : nihil enim videtur esse levius aut futilius nube, quæ si afflatu solis incaluerit, cum bombo crepat et dissilit; si fuerit imbrifera, diffluit; si aliquanto levior exstiterit, modico aquilone dissipatur, et ne tenui quidem vestigio derelicto evanescit : quare de rebus vanissimis *nubes* dicitur : et Horatius in *Arte poet.*, cum præposterum et nullius mentis virum vult exprimere, « nubes et inania captare » dixit. Illo in genere doctis fabularum inventis nobilitata fuit Ixionis furens libido atque vecordia, qui nubem pro Junone est complexus : ut propemodum verum id videatur, ad summam inanitatem adumbrandam nihil esse accommodatius, quam si nubem quispiam coloribus atque penicillo depingat : nubis itaque simi itudo perquam apposita est ad vitæ præsentis inconstantiam et subitaneum interitum significandum. Coit nubes e materia fragili, levi, vaga, sæpeque oculis arcis, turris aut muri imaginem objicit; quam mox, ut incertus contigerit flatus, in quædam recisamenta discindit, quæ citissime tenuata ex oculis evanescunt : sic hodie in platea media, ceu prolixæ vitæ conscius, consistit homo dives, ingenuus, secunda lætus fortuna; nocte proxima corripitur febri, et tanquam flatu inopinato leviter attingitur; summo mane animam efflat, effertur, et tumulo conditur; « neque cognoscet eum amplius locus ejus, » quia scilicet non redibit in eum, et si rediret, non cognosceret, utpote occupatus ab alio : vel per hypallagen, non cognosceret ipse locum suum, quia non revertetur; et quamvis reverteretur, immutatum reperiet. Hoc ipsum iisdem propemodum verbis Psalmista in simili dicit *Psalm.* XXXVI, vers. 10 : « Quæres locum ejus, et non invenies, » id est, non invenies illum in isto statu ac loco, in quo paulo ante ipsum florentem videras, nam paulo post jam nusquam apparebit, ejusque locus tibi contemplanti nusquam occurret, ut qui de illa sua prosperitate dejectus sit : sic etiam dicitur *Psalm.* CII, 15 : « Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet : et non cognoscet amplius locum suum. » Homo nimirum, inquit Vates, sic floret ac viret quomodo flos agri, qui ad modicum tempus admodum speciosus, lætus et festivus apparet; sed nimium cito exsiccatus decidit omni ornatu spoliatus : nam statim ut flatus venti super illum fortiter utcumque vel parvo impetu flaverit, illico abripitur a flatu, nec habet firmam consistentiam, qua adversus venti flantis impetum resistat, sed ab eo prosternitur et deficit; neque amplius poterit cognosci, inveniri, aut demonstrari locus ejus; sicque est ac si nunquam fuisset, nusquam ejus apparente vestigio. Spiritus quoque humanus et rationalis anima pertransit in homine, dum in corpore moratur, ipsumque vivificat, sed non habet ullam in eo firmam subsistentiam sive durationem, cogiturque nimium cito emigrare. Simul atque autem spiritus exit a corpore, statim revertitur homo in terram suam, et paulo post nullum remanet defuncti vestigium corpore in terram abdito, et anima in occultum locum sub Dei manu recepta, atque ita efficitur alienus a loco habitationis suæ ac si nunquam ibi habuisset mansionem : quippe prorsus auferetur de terra viventium, eritque mundo ipse incognitus, et ipsi vicissim erit incognitus mundus.

Nubes symbolum vanitatis.

Homo ut nubes evanescit.

Homo ut flos perit.

Cæterum hinc magna vetustos inter interpretes lis oritur, an Jobus hic resurrectionem agnoverit mortuorum : negat hoc diserte Chrysostomus in *Caten.*, qui per ævi sui, quod legem diu præcessit, ruditatem ipsum excusat. « Alii autem, inquit *ibid.* Didymus, non ut resurrectionem mortuorum tolleret, hæc a Jobo dicta esse volunt; sed primum quidem, ut humanæ vitæ fragilitatem, et deinde eum qui semel obierit, ad corruptibilem hanc vitam minime rediturum, nec consueta munia obiturum, ostenderet. » Quasi nimirum vita hominis operatione constet; et ubi cessatum est a pristinis muniis, non eadem vita moraliter censeatur : non quia ille ipse qui moritur non resurgat; sed quia ille ipse qui resurget otiabitur a muniis, quæ dum viveret exequebatur; ac si hominis nota et individuus character operatio sit et veluti vitæ typus, quo viventes insigniuntur.

Operatio est hominis character.

Vers. 11.

11. QUAPROPTER ET EGO NON PARCAM ORI MEO, LOQUAR IN TRIBULATIONE SPIRITUS MEI : CONFABULABOR CUM AMARITUDINE ANIMÆ MEÆ. — Cum tanta, inquit, sit humanæ vitæ brevitas et instabilitas, in hac mea miseria, qua premor maxima, non parcam ori meo, nec continebo me, quin querulas voces effundam; significans se a morte parum abesse, ideoque illud, quod sibi superest, temporis affectui indulgere velle, ut testatum faciat se cum gravissimis ærumnis conflictari, atque in sententia sua persistere, qua superius censuerat calamitatem illam, quam patiebatur, culpa seu reatu suo longe graviorem exsistere; pro cujus veritatis assertione absque impatientiæ vitio querimonias plurimas effundit. Ubi animadvertendum, quam magnanimus sibique constans ad extremam usque horam in casta divinæ providentiæ doctrina perseverare constituat, quidquid Eliphaz aliique verborum ejus censores rigidi, vel potius cavillatores importuni, obloquantur atque obganniant. Poterat nimirum Job, et jure quidem optimo, cum judicaret jam supremum

Job indulget affectui mœroris, et se non pro peccatis affligi protestatur.

Moderata querimo-

http://www.obrascatolicas.com

nia affli-tis non licita.

sibi instare diem, affectui verba permittere, ad mœrorem quo sane maximo obruebatur, nonnihil relevandum; ne forte anxietas nimia nequidquam extenuata modum excederet, atque ad desperationis tandem barathrum aut in culpam saltem aliquam graviorem afflictum ejus animum præcipitaret. Hæc quippe leniendi doloris ratio et culpa vacat, et viris affectionum internarum peritis admodum probatur; cujus oblivione vel incogitantia notat Joannes a Jesu Maria nonnullos interdum theologos parum sapientes, animos, alioquin vitæ sanctimonia conspicuos, sed immenso afflictionum pondere oneratos, penitus opprimere ac suffocare. Horum igitur verborum sensus est hujusmodi, *q. d.* Cum sentiam me ad extrema redactum, et angustiæ mihi sint undique, e quibus emergendi non habeo facultatem, credo equidem consilium viro prudenti non indignum et gravissimo dolorum prælio attemperatum esse, lamentorum et gemituum impetum minime reprimere, ne gravius inde torquear, et pejus animo afficiar. Indulgebo itaque aliquantulum naturæ, ut mœstitudinem nimiam exhalet, atque in hunc modum ab impatientiæ culpa remotior optata morte defungar.

Tempo-ris hujus brevitas exigit instan-tiam ora-tionis.

Tropologice Jobus hoc loco recte ex brevitate temporis infert non esse cessandum a precibus, neque quidquam de illarum contentione remittendum: quod etiam faciunt quibus exigui temporis facta est facultas, qui nullam illius partem inertem esse sinunt; acuunt autem vocem, et ad ingeminandas preces conferendosque cum Domino sermones impellunt spiritus afflictio, ægritudo animi, vis doloris maxima, quæ uberrimum etiam lacrymarum fontem aperiunt: quare D. Gregorius lib. VIII *Moral.* cap. XI locum hunc de utilitate confessionis ac pœnitentiæ sic exponit:

Confessio debet fieri animo contrito et contribulato.

« Tribulatio quippe spiritus linguam commovet, ut reatum pravi operis vox confessionis impugnet. Sciendum quoque est, quia sæpe et reprobi peccata confitentur, sed deflere contemnunt; electi autem culpas suas, quas vocibus confessionis aperiunt, districtæ animadversionis fletibus insequuntur; unde B. Job bene, postquam se ori suo non parcere spopondit, tribulationem mox spiritus subdidit. Ac si aperte fateretur dicens: Sic reatum lingua loquitur, ut nequaquam expers a mœroris stimulo per alia spiritus vagetur, sed culpas loquens vulnus aperio: culpas vero ad correptionem cogitans salutem vulneris ex medicamine mœroris quæro. » Sic ille, qui hæc deinceps toto illo capite perquam eleganter ac fuse deducit et amplificat, ostendens Jobum se hic veræ nobis proposuisse exemplum pœnitentiæ; quale nimirum Ezechias rex postmodum quoque edidit, quando pro corona et paludamento regio pudore ac verecundia indutus, iisdem pene quibus Job verbis ejulando Deum sic affatur *Isai.* XXXVIII, 15: «Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: » quid est *recogitabo?* S. Hieronymus vertit *reputabo*, hoc est, diligenter expendam et versabo in animo meo, ut quales fuerint probe intelligam. Tigurina editio ex Hebræo vertit, *motando caput, concutiendo corpus meditabor*: quæ præteritorum scelerum detestationem et paventis animi dolorem significant magnitudine periculi sui exhorrescentis. Ex hoc fonte manabant illæ lacrymæ indices pœnitentiæ et compunctionis, quibus stratus abjectusque princeps fœdas animi labes eluere conabatur: addit enim «in amaritudine animæ meæ,» hoc est in profusione lacrymarum, quæ natura sua salsæ amaræque sunt, ad expiandas prpinde sordes accommodatæ; vel in doloris acerbitate, quem ipsa criminis memoria cogitatioque suggerit, atque ut aloes potum inducit.

Job et Ezechias sunt exemplar pœniten-tiæ.

Vers. 12.

12. NUMQUID MARE EGO SUM AUT CETUS, QUIA CIRCUMDEDISTI ME CARCERE? — Alludit hic ad caput primum Geneseos, ubi mare in carcerem quodammodo conjectum fuisse videtur, quando illud Deus certis limitibus circumscripsit dicens *Gen.* I, 9: « Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum unum: » de qua re ita loquitur David *Psalm.* CIII, 7: « Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt; terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram; » significans Deum mari et per consequens ceto posuisse terminos, scilicet littora, ne totam terram obruant, quæ Job *carcerem* vocat; tyrannos autem superbos et violentos confert cum ceto vel dracone marino, *q. d.* Adeone, bone Deus! tibi visus sum ferus, et noxius inter homines, quasi cetus inter pisces, ut in hujus corporis ærumnosi carcere tot plagis me deprimere, vincire et compescere a violentia oportuerit? unde Chaldæus paraphrastice sic reddit: « Numquid sicut Ægyptii, qui condemnati sunt ut submergerentur in Mari Rubro, condemnatus sum ego? aut sicut Pharao, qui suffocatus est in medio ejus; quoniam constituis super me custodiam? » Sed bene notat Sanctius hunc paraphrasten, quicumque fuit, non considerasse quo tempore hæc a Jobo dicerentur, et nondum tunc in Mari Rubro Pharaonem fuisse demersum; cum historia hæc supra ducentos annos Ægyptiorum et Pharaonis exitum antecesserit.

Tyranni ceto si-miles.

Nota, quod Vulgatus *cetum* transtulit in Hebræo esse תנין *tannin*, quam vocem D. Hieronymus et cæteri divinarum litterarum interpretes varie solent exponere: quidam enim, ut Septuaginta, vertunt *draconem* sive *colubrum*, alii *cetum*, nonnulli *sirenem*, *ericium*, aut *lamiam*; quæ omnia dæmonis ingenium exprimunt: blanditur ut siren; ut lamia prophetica nudat mammam, et papillis tumentibus prolicit; ut ericius pungit et lancinat; deglutit ut cetus; ut draco ferocissime invadit, et cauda impia circumligat: vere draco tribus ordinibus dentium horribilis, et quales in Phrygia esse dicebantur, tam noxio et potenti halitu, ut aves superne volantes attraherent, et

Vox *tannin* quid significet.

Diabolus est cetus, draco, siren, lamia, etc.

tetris faucibus exciperent; fit denique omnia omnibus, ut omnium vitam et salutem exhauriat; cum modus unus atque via non succedit, aliam tentat et molitur, simul lamia, siren, draco et cerastes. Divine S. Leo Magnus serm. 6 *in Epiph.*: « Quorum, inquit, obtinere non potest mortes, impetit mores: » versipellem etiam eleganter describit Fulgentius epist. 3 *ad Prob.*: « Tamquam diversis machinis sic innumeris utitur argumentis: et cum certamine manifesto cedit, ad hoc se victum demonstrat, ut vincat; ad hoc fugam simulat, ut persequentem missis post tergum sagittis occidat; » et paulo post: « Armis quibus eliditur surgit, et virtute qua dejicitur dejicit, etc. Pingit quoque lamiam simul et draconem S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 40: «Dæmon, inquit initio σαίνει *blanditur*, lenocinatur, τέλευτᾷ δὲ εἰς πονηρὸν, *verum in malum desinit*; » cumque tanta sit illius fallacissimi ingenii fraus, et invicta in excogitando malitia, hoc præterea ad hominum perniciem adjungit, quod de die, de nocte nec tempus ullum prætermittat, neque nocendi opportunitatem ullam, sed in insidiis semper versetur. Itaque illum ait Isidorus Pelusiota lib. II *Epist.* 164, semper ἀγρυπνεῖν in perpetua quasi *vigilia excubare*, ut nos decipiat; et S. Hieronymus *in Matth.* cap. XV ait eum ita nobis insidiari, « ut vel levem cogitationum nostrarum scintillam suis fomitibus inflammet. » S. Martinus iter faciens aliquando cum discipulis cum mergos in flumine vidisset pisciculorum multitudinem captantes, et insidias undique molientes, ad suos conversus: « Hæc, inquit, forma est dæmonum, » ut prodit Alcuinus serm. *De Transl. S. Martini*. Hem nos miseri et minuti pisciculi, quorum vitam et spiritum non solum innumeri undique mergi, sed et ceti prægrandes insaturabiliter appetunt; quot oculis et quanta provisione est nobis opus, ut infandam eorum gulam effugiamus? Sed ut ad textum revertamur, pro istis verbis,

Dæmonis in decipiendo homine fallacia.

Deus viro justo compedes et custodes adhibet labores.

QUIA CIRCUMDEDISTI ME CARCERE, — Septuaginta reddunt, ὅτι κατέταξας ἐπ' ἐμὲ φυλακὴν, *quia statuisti super me custodiam*, quasi Deus viro justo compedito etiam custodes addiderit, ne forte perfossis parietibus evaderet: Olympiodorus refert aliam versionem, quæ pro *custodia* habet πόνους, *labores*: quasi labores a Deo immissi custodes aut excubitores sint. Proprie autem Job hoc loco per *carcerem* corpus suum intelligit tot ulceribus oppletum, in quo ejus anima veluti in nervo et compedibus desidebat, et tympano tundebatur, et in oculeo tendebatur, atque devota exitio videbatur; hinc passim S. Patres corpus hoc mortale immortalis animæ *carcerem* appellare consueverunt; ac in primis Arnobius lib. II *Contr. Gentes*: « Animæ, inquit, corporum indutæ carceribus sub procellis agunt tempestatibusque quotidie fortunæ; » unde S. Ambrosius *in Luc.* cap. XX, nove simul et ingeniose *carcereum* corpus dixit, et Clemens Alexandrinus lib. III *Strom.* Platonem secutus, nominat φρουρὰν,

Corpus nostrum est carcer animæ.

custodiam, ut est, inquit, ἐν ἀπορρήτοις, id est *in arcanis litteris*: consimili animi sensu D. Basilius miratur Pythagoræ sapientiam, qui corpus δεσμωτήριον, *carcerem* esse aiebat, qui cum vidisset ganeonem quemdam lauta mensa et quotidianis epulis corpus suum saginantem: « Hic, inquit, non cessat duriorem sibi in dies carcerem instruere. » Hinc antiqui sapientes δῆμας, id est *corpus*, nominaverunt, quod anima sit in eo δεδεμένη, *alligata*, ut apud Stobæum *Serm.* 119 monet Themistius; sed longe divinius ante illos David *Psalm.* CXLV, 7, homines ea causa nuncupaverat *compeditos*; et eum secutus Jeremias *Thren.* III, 34 *vinctos terræ*, cum de vinculis corporis loqueretur, ut *ibid.* Origenes interpretatur. Eadem utique ratione Job sese diutius hoc molestissimo corporis ergastulo carcereque durissimo detineri ac compediri conqueritur, a quo quam citissime liberari desiderabat. Hæc tamen verba Jobi non sunt impatientis animi, ut Hebræi et Vatablus volunt, sed amari spiritus (prout superiori versu exposuimus) sub Dei tamen et rationis fræno sese cohibentis.

Quid per mare, cetum et carcerem tropologice significetur.

Tropologice S. Gregorius, lib. VIII *Moral.* cap. XI per *mare* corda carnalium; per *cetum* vero spiritum malignum; et per *carcerem* carnis corruptelam ait significari: ipsum, si lubet, consule loco indicato, ubi eleganti prorsus similitudine hominem cum mari componit vir sanctus, quia nimirum mare turgentes fluctus et procellam sævientem ad littus usque perducit; cum vero primum arenam allabendo unda tetigerit, illico resilit ac dissolvitur. Sicut ergo mare tumentes fluctus suos ad arenam allidit et elidit, sic etiam homo turgentem spiritum suum ad terram corporis sui allidendo confringit: etenim homo spiritali prædilus est animo, quo angelis, imo ipsi Deo appropinquat, et similis est: ne ergo ex hoc insolesceret, circumdatus est corpore non secus ac mare molli arena, ad quam procellas despumantes allidat, ne turgescat aut superbiat; et sane nescio qua ratione quis superbire possit, qui corporis sui miseriam et vilitatem serio considerat.

Vers. 13.

13. SI DIXERO: CONSOLABITUR ME LECTULUS MEUS, ET RELEVABOR LOQUENS MECUM IN STRATO MEO. — Solent nimirum hi qui mœsto et afflicto sunt animo in lectulum se conjicere, ut exanimati dolore ac tristitia quietis saltem aliquam partem capiant, et spiritus fatiscentes sufulciant aut instaurent; significat ergo se ad lectulum tanquam ad placidum quemdam et tranquillum a diurnis laborum ac dolorum tempestatibus portum aspirasse, ut in illo saltem corpusculum qualicumque somno, animum vero piis considerationibus tantillum relevaret; ac somnum quidem esse omni animanti necessarium exedræ omnes philosophorum et scholæ definiunt. Rationem reddit Aristoteles lib. *De Somn. et vigil.* dicens, ἀδύνατον γὰρ ἐστὶ ἐνεργεῖν, *nam fieri nequit, ut quidpiam semper agat*

Somnus est animanti necessarius.

http://www.obrascatolicas.com

et moliatur : itaque ab Homero ingeniosissimo naturæ interprete, nominatur somnus παυδαμάτωρ, *omnia domans*. Scite et venuste Clemens Alexandrinus lib. II *Pædag.* cap. IX, simillimum illum esse vult exactori, qui tributum ab unoquoque repetit : « Somnus, inquit, non secus ac publicanus dimidium vitæ tempus nobiscum dividit. » Pari elegantia Chrysostomus *in Psalm.* XLI, agnoscit

Ejus tyrannis suavis. ὕπνου τυραννίδα, *tyrannidem somni*, cui connivere et obsecundare omnes oporteat; sed hæc tyrannis non ferro et igni armata est, aut supplicio minisque horribilis, sed comis et benigna, et qualis a poetis dicitur νήδυμος, *somnus dulcis et jucundus*, qui se placide ac suaviter in sinum animi insinuet : quare Themistius apud Stobæum *Serm.* 119, somnum ait esse παθῶν ἥδιστον, nostrorum *affectuum suavissimum*, qui infusa dulci voluptate ægritudinis et doloris sensum exstinguat, et alias cupiditates superet. Hinc passim sapientes omnes som-

Somnus donum Dei. num inter maxima Dei dona hominum generi concessa et singularia beneficia reponunt : neque enim, ut notavit egregie D. Augustinus, in hoc fragili et imbecillo corpore diu anima vigere posset, continuo motu actionibusque exercita, quin labori et fatigationi succumberet : « Ideo, inquit *Enarr. in Psal.* LXI, Deus donavit somnum, quo reparantur membra corporis, ut possint vigilantem animam sustinere. » Eamdem providentiæ partem magnifica sua oratione usque in cœlum attollit Chrysostomus lib. II *De Compunc.* cap. V, et noctem prædicat οὐχ' ἧττον χρησιμωτέραν ἡμέρας, *non minus diei lumine fructuosam* : quod, inquit, in ea dulci quiete vires instaurentur, quæ continua operum fatigatione deficerent. Addit vero idem videri fecisse Deum, quod piæ solent matres atque nutrices, cum pusiones forte suos ad quietem provocant : complecti enim in gremiis positos, et astringere brachiis, ac tunica faciem atque oculos operire consuevisse, ut obscurior eis aer redditus somnum per quietem facilius invitet; ita et Deum tanquam velamen quoddam per universum mundum tenebras inducentem hominum genus ad silentium gratissimæ quietis invitare. Illud quoque suspicit Epiphanius *Hæres.* 48, ubi clare dicit homini donatum beneficentia Numinis et singulari bonitate, ut se posset a quotidiana negotiorum cura et sollicitudine εἰς ἀνάπαυσιν ὕπνου, *ad somni requiem* traducere. Job itaque diurnis molestiis ac laboribus jam totus exhaustus ad vesperam, uti vers. 4 dictum, aspirabat, quo ei divino hoc quietis munere, omni animantium generi a natura concesso, aliquantisper saltem frui pacifice liceret, et simul animum afflictum sanctis cogitationibus in noctis illo silentio liquidius refocillare; atque hoc est quod ait :

Job nocta secum in lecto meditabatur. ET RELEVABOR LOQUENS MECUM IN STRATO MEO. — Septuaginta reddunt, ἀνείσω δὲ πρὸς ἐμαυτὸν ἰδίᾳ λόγον τῇ κοίτῃ μου, et *referam ad meipsum privatim sermonem thoro meo* ; S. Augustinus, *et referam ad meipsum consolationem in thoro meo* ; Theodotion, συμβαστάσει με ἐν τῇ ἀδολεσχίᾳ μου ἡ κοίτη μου, *comportabit me in confabulatione mea stratum meum* ; Pagninus ex Hebræo vertit, *et ardebit in eloquio meo cubile meum*. Quod declarat ipsum tanto ardore mentis et contentione voluntatis meditatum, ut quemadmodum e gravida nube, sic e fœtu illo animi flamma gigneretur. Hoc est quod David dixit *Psalm.* XXXVIII, 4 : « Et in meditatione mea exardescet ignis : » *ignis*, qui nævos omnes animique labem exurat; *ignis*, qui mentem inflammet summi Numinis amore, de cujus infinita in omnem partem bonitate meditatio exquirit; *ignis* denique, qui splendore suo et scintillantibus radiis illuminat operta atque recondita : quod meditatio, ut egregie dixit Ptolomæus, sit « clavis veritatis. » Pulchre autem ait *loquens mecum*, ut significet hanc sermocinationem non fuisse cum hominibus, sed cum seipso, vel cum Deo, quod Septuaginta passim reddere solent ἀδολεσχῆσαι, quæ vox in divinis litteris, ut ait Suidas, significat μελετᾶν, *meditari*. S. Hieronymus interpretatur *exerceri in meditatione*; S. Augustinus, *studiose et delectabiliter cogitare*; Etymologici auctor paulo etiam magnificentius, ἀδολεσχεῖν esse φιλοσοφεῖν, *philosophari*, ut proborum hominum meditationem esse intelligamus quoddam genus pulcherrimæ et præstantissimæ philosophiæ, quæ in humanis divinisque rebus contemplandis versetur.

In meditatione ignis exardescit amoris.

Meditatio clavis veritatis.

Hoc iter excellentis sapientiæ Job, et ejusdem imitatione David, studiosissime inibat, cujus vitam prope continuam fuisse meditationem accepimus : nam cum dies præteriisset meditabatur cum corde suo, et scopebat spiritum suum *Psalm.* LXXVI, 7; quæ S. Augustinus exponens : « Scrutabatur, inquit, spiritum suum, et cum spiritu suo loquebatur, seipsum interrogabat, seipsum examinabat, in se judex erat. » Quod *judicem* nominat, id etiam dici video ab aliis Patribus cum de sui discussione agunt, ut non nobis ipsi blandiamur, sed investigemus sedulo, et quæ perperam acta fuerint non intueamur tantum, verum etiam puniamus : quo refert illud Salomonis Gregorius Magnus : « Cogitationes justorum judicia, » *Proverb.* XII, 5. Sic Diadochus cap. XVIII agnoscit in homine tribunal judiciique suffragia, quæ incorrupta esse nequeant, nisi mens, inquit, a molestis vitæ curis soluta sit atque libera : id tribunal nihil est aliud, ut quidam volunt, nisi conscientiæ vis, quam Dorotheus nominat λογισμὸν, *rationem* dominantem, quæ mentem illuminat instar luminis aut scintillæ inhærentis, qua malum a bono dignoscitur. S. Leo serm. 3 *De Quadrag.* censorium judicium esse vult et severum, cum sic monet : « Scrutetur quisque conscientiam suam, seque ante se statuat proprii censura judicii; » sed elegantissime D. Augustinus serm. 88 *De Temp.* : « Peccata, inquit, nostra judices nos sentiant, non patronos; » et paulo post : « Tu agnosce, et Deus ignoscit; » et alio quodam

Conscientiam examinandi ratio.

Conscientiæ tribunal quale.

loco *in Psalm.* XLIV : « Puniendum est peccatum aut a te, aut a Deo : tu agnosce, ut ille ignoscat. » Sed clarius etiam de areopagitico hoc tribunali et nocturno judicio lib. I *Homil.* hom. 2 : « Ascende tribunal mentis tuæ, esto tibi judex, torqueat te timor, erumpat confessio, dic Deo

Compunctionis utilitas. tuo : *Quoniam iniquitatem meam cognosco* : » vult nimirum, ut cognito animi statu, et ex seria disquisitione diei noxis patefactis, concipiamus verum intimumque dolorem, justam ægritudinem et compunctionem, quæ reum veluti in equuleo ponat et torqueat, quamque Sapiens μάστιγας, *flagella* nominavit, dum orat in hunc modum, *Eccli.* XXIII, 2 : « Quis dederit in mente mea flagella, ut ignorantiis meis non parcant? » ita quidem locum citat D. Chrysostomus *in Psalm.* CXL. Valet plurimum ille dolor et in se versa piæ mentis indignatio, ut potentius scelus deinde vitetur labesque minuantur : quod idem S. Chrysostomus alio loco significat *in Psalm.* L : « Horrendum, inquit, tibi tribunal effice, animum leviorem redde, ut postera die ad perpetranda peccata cunctantius accedas. »

Cognitio sui scientiarum maxima : Difficile dictu est, quot et quantæ utilitates in examine sui positæ sint ad puritatem vitæ, ad innocentiam, ad perfectionem : cujus momentum in omnem partem gravissimum ille in primis facilius intelliget, qui apud se reputaverit, quid magni sapientes et veteris ævi lumina de cognitione sui prodiderunt. Primi illi, quos illustri honoris titulo Græci nominavere *sophos*, breve illud et augustum vitæ humanæ documentum, γνῶθι σεαυτὸν, *nosce teipsum*, Deo sapientissimo dignum esse putarunt, atque in delphici templi propylæo consecratum esse voluerunt; sanctus vero Dionysius, grandiloquus hierophanta, et in humano corpore prope dicam seraphinus, *Eccles. Hier.* cap. II, eam cognitionem appellat πρῶτον ἱερὸν δῶρον, *primum sanctum munus*, quod ad homines e divinæ lucis communione descendit. Clemens Alexandrinus lib. III *Pædag.* cap. I, vocat πάντων μέγιστον μαθημάτων, *disciplinarum omnium maximam*, quam qui fuerit consecutus facile possit ad ipsius Dei cognitionem et similitudinem provehi. Eamdem S. Augustinus in proœmio lib. IV *De Trinit.* anteponit omni aliarum rerum scientiæ; et inter alia hæc de viro probo, « præposuit, inquit, scire infirmitatem suam magis, quam scire mundi mœnia, fundamenta terræ, et

Oritur ex diligenti examine conscientiæ. fastigia cœlorum. » Illa vero scientia infirmitatis suæ a nemine parari solet absque sui inquisitione et examine diligenti, sine quo cæcus ut plurimum animus est, atque in propriis videt nihil : est enim sui lena dissimulatrixque natura, cor profundum et tortuosum, homo vetus mille et mille involucris obtegitur, quem eleganter vocat B. Macarius *Hom.* 42, κάλυμμα σκότους, *velamen tenebrarum*. Itaque monent sancti ut mentis aciem in nos atque nostra intendamus : Isidorus Pelusiota lib. III, epist. 387 *ad Leont. episc.* ωμίας ὀφθαλμῖς, « *sexcentis*, inquit, *oculis* vitam tuam ac mores circumspice, ne alioqui neglectum abs te quidpiam virtuti tuæ labem et perniciem adferat : » ita Magnus Dionysius paulo ante a me laudatus ait opus esse intueri se atque sua ἀπροσπάθεσι ὀφθαλμοῖς, *oculis ab omni perturbatione liberis*; quod illustrans S. Maximus vult in eo divinam legem observari, quæ sic præcipit, πρόσεχε σεαυτῷ, *attende tibi ipsi*, quod Moysis quoque apophthegma ad cognitionem sui et discussionem tum S. Basilius tum ejus frater Nyssenus Gregorius, uterque pontifex sapientia et eloquentia clarissimus, retulerunt. Ex eo vero, quod quis se penitus introspiciat atque examinet, eximius ille fructus sequitur, quem optare et quærere omnes debent, ut e luto vitiorum emergat, et defectus animique ægrotationes abs se notatas et animadversas emendet.

14. TERREBIS ME PER SOMNIA, ET PER VISIONES HORRORE CONCUTIES. — Se ne noctu quidem in somno quietis ullam partem capere posse lamentatur, diris somniis ipsum continuo infestantibus; quod uti molestissimum est tormenti genus, ita olim apud gentiles infelicissimi augurii loco et futuri mali præsagium habebatur, uti Servius lib. III *Æneid.* observavit. Potuerunt autem hæc Jobo accidisse partim naturaliter, diurnæ miseriæ imaginibus noctu, ut fieri solet, recurrentibus; partim per dæmonem somnia terrifica et spectra immittentem, uti Chrysostomus et Philippus volunt; partim etiam per humorum commotionem, præsertim phlegmatis et melancholiæ, incubum gignendo. Quidquid hac de re fuerit, eleganter profecto Jobus seipsum malis obsessum et sine requie infestatum depingit. Exploratum est, animum doloribus exasperatum necessitate perurgente varias evasiones fugasve mali sibi confingere : nimirum genus quoddam solatii est sperare solatium; et quidem adeo, inquit Joannes a Jesu Maria, anxietas virorum fortium, quos Deus experitur ad palmam, solet invalescere, ut et spes hæc tenuissima videatur, minimumque aut fortassis nullum vexationis temperamentum afferat. Quod, quantum capio, ex eo provenit, quod animus creberrimis experimentis didicit incassum se id sperare, quod neutiquam indulgetur; aut certe, quod Deus id quoque solatium imaginarium secretis modis adimit, neque sinit rationes ingenio quidem suo efficaces patientis animo imprimi, ut quemadmodum animos alios afflictos recreant, ita et animum ipsum, quo cogitantur, afficiant : status certe miserrimus est, incognita regio, quæ viris sapientibus horribile spectaculum exhibet. Sic ergo Jobus agere credendus est, *q. d.* Ego vir inter mortales afflictissimus requiem capto, nec invenio, nulla mihi statio fida, nulla sors læta; diurno tædio delassatus lecti requiem animo pertracto, si forte recreer, et cogito fore ut solus ibi mecum ratiocinem more sapientis, qui se dejectum erigit, desolatum solatur :

Vers. 14 Job diris somniis infestatur.

Animo afflicto quoddam solatium est ipsa spes solatii.

Gravissimum est etiam spe solatii frustrari.

Valde afflicti tam dormientes quam vigilantes imaginibus inauspicatis vexantur.

http://www.obrascatolicas.com

at rationes, quas excogito atque connecto, parum certe prosunt animo somniis et spectris perturbato atque concusso. Somnus inauspicatus est, et formidinis solius ferax : nam quæ interdiu tristia cogito, ibi raptim ac vix sopito terribilibus formis variata succurrunt; statimque experrectus hærentibusque animo imaginibus attonitus obstupesco, quin etiam vigilans corripior, et spectacula mœstissima intueri cogor. En quis Jobi status, cujus acerbitatem utcumque calamo aut verbis attingimus, at profecto rem æquare non possumus. Jam vero quod ad alios Dei cultores Jobo non absimiles attinet, compertum est eos horriculamentis gravium somniorum et spectris deformibus plerumque infestari, quod et afflictis aliis familiare est, uti in exsilio suo Poeta canit :

Somnia me terrent veros imitantia casus,
Et vigilant sensus in mea damna mei :
Aut ego Sarmaticas videor vitare sagittas,
Aut dare captivas in fera vincla manus :

Ærumnæ imaginatio timenda est præ ipsa ærumna.

quippe nihil tam molestum homini est quam a propria imaginatione angi et excruciari. Tyrannice desævierat malus dæmon adversus immeritum Jobum; charissimorum filiorum orbitatem patiebatur Jobus honore et divitiis spoliatus, et amicis obsessus ad ruinam ærumnissime ægrotabat, nullo non morbi genere excarnificatus, ut vivum cadaver Jobum dixeris in calamitate : at ille, si non mutus, saltem flecti nescius, patientissime stabat adversus hostiles diaboli impetus; verum postquam innumeros dolores quibus agitabatur recensuisset, de hoc uno unice conqueritur, Deum querule sic alloquens : « Si dixero : Consolabitur me lectulus meus, terrebis me per somnia, » hoc est, ut Glossa interlinearis commentatur, *per imaginationes*. Nempe excruciatus Jobus tot veris cruciatibus, qui impatientiam extorquerent a patientissimo quoque, et tamen usque eo ab imaginatione sua fatigatur, ut maxime de imaginatione conqueratur sua. Qui tot vera mala tolerantissime tulit sic horret timores quos patitur non in prudenti vigilia, sed in fatuo et insipienti somno? quid ultra jam timeat qui tanta patitur? Fere exhausta est pharetra infernalis sævitiæ, nec ultra sagittæ suppetunt dæmoni ad Jobum feriendum, et sic horrescit ad timores, quos fertilis somniorum imaginatio repræsentat. Itane Jobus patientiæ miraculum perhorret a metu, quem imaginatur in somnis? a phantasia timoris sic vexatur, excruciatur, exacerbatur, ut quasi calamitate oppressus suspendium et mortem eligat, et dicat?

Vers. 15. 15. QUAMOBREM ELEGIT SUSPENDIUM ANIMA MEA, ET MORTEM OSSA MEA, — id est, crudelem et infamem mortem præoptarem quam imaginationis meæ calamitatem; hinc ergo metiendum est, quam grave malum ab imaginatione sua patiatur homo, cum Jobus tot tantisque acerbissimis ærumnis exagitatus tam ægre tulerit hoc suæ imaginationis malum, minusque doloris et molestiæ expertus sit a vera calamitate quam a calamitatis assidua cogitatione : nempe tolerabat Jobus quantum mortalis homo pati poterat; metus vero per somnia a dæmone immissus fingebat et ampliabat mala supra quam pati poterat : nam timor est arbitrium multiplicandi molestias, et ingenium amplificandi calamitates; unde Jobus, qui stabat constans ad veros dolores, sic perhorrescit ad ærumnas, quas metus in somnis imaginatur, ut quasi nutans, ne dicam cum Philippo ibi *corruens*, suspendium et mortem eligat ad levamen intolerabilium dolorum, quos a metu patitur. Et quidem tanta est acerbitas metus etiam per somnia immissi, ut Hippocrates lib. *De Virgin. morbis*, ita scripserit de attonitis et timoribus : « Ex his adeo fortiter pavere homines, ut delirent, et dæmones quosdam se videre putent ipsis infestos quandoque nocte, quandoque interdiu, aliquando vero utroque tempore; et ab ejusmodi spectris multos se jam strangulasse, et prosiliisse in puteos, tanquam meliora sint hæc, et omnem vitæ utilitatem excedentia : » sic ille. Quibus non absimilia dæmonis astu odioque immissa Jobo verisimile est, quæ vitam ipsi redderent odiosam, ita ut præ illa *suspendium* eligeret; Aquila ἀγχόνην, *laqueum*; Chaldæus *suffocationem* dixit; originalis vero hebræa vox proprie *strangulationem* significat, *q. d.* Optarem potius mortem violentissimam quam vitam hanc miserrimam : ita Chrysostomus et Polychronius. Quod autem dixit *ossa mea* est synecdoche, pars pro toto : nam ossa proprie nec vitæ nec animæ, multo minus electionis, capacia sunt.

Suspendii mors infamis.

Non ignorabat certe vir sanctissimus, uti vero simile est, nationum prope omnium sensum de suspendiosis, quos vulgo detestabiles putant et infames, nam cum heros ille vivebat communem etiam fuisse opinionem illam puto, quam deinde celeberrimi sapientes et scriptores omnis generis celebraverunt : Euripides in *Helen.* ἀγχόνας μεταρσίους, *sublimes laqueos*; quibus homines suspenduntur, vocat ἀσχήμονας, *turpes*, imo et in servis id censeri δυσπρεπὲς, *indecorum*; informe genus lethi dicunt Latini, atque præposterum : et, ut notat Servius in XII *Æneid.*, pontificalibus libris cautum fuerat, ut qui laqueo vitam finisset, insepultus abjiceretur; quod ea mors esset infamissima.

Mystice autem viri sancti genus quoddam honorati suspendii repererunt, unde gloriam et sempiternum nominis decus, non infamiam consequantur; præit ergo Job exemplo suo, et laqueum non a celsa nectit arbore aut infelici trabe, sed ab amore et potentissimi Numinis charitate, qua in sublime attollitur : « Elegit suspendium anima mea, » quod generosi animi propositum sic illustrat Gregorius Magnus lib. VIII *Moral.* cap. XIV : « Sancti viri suspendium eligunt, quia nimirum desideria terrena deserentes ad alta animum attollunt, » toti scilicet in Dei providentiam et crucem Christi ac desiderium beatitudinis defixi. O nobile suspendii genus, quo non corpus vita spoliatur, sed anima vim vitalem capit : laqueus ille honoratus libra est, pondus autem quod sustinet pondus sanctuarii, et sanctitas pretiosa, quæ terram et omnia mundi bona deprimit! Illic pendens et sublimis animus ridet profecto mortalium inanes curas, sordes avaritiæ, libidinis cœnum, conviviorum luxum, futiles voluptates : unus Deus instar illi omnium est, mentis cura, fons liquidæ voluptatis, lætitiarum apotheca, gemmeus thesaurus, deliciæ cordis infinitæ. Cur non igitur Jobum imitemur ante evangelium christianum, ante Messiam fidelem, ante apertum Olympum dignum cœlo? Cur potius non sequamur Filium Dei, ut sublimes a terra vivamus, sublimes moriamur? hoc est nimirum sanctum esse; unde in arcanis Prophetarum « aquila, ut notat S. Basilius *in Psalm.* XXVIII, dicitur *sancta*, διὰ τὸ μετεωρότερον, *quod sublimius volitet*, et a terra longissimo intervallo sit disjuncta. » Anima igitur sancta instar aquilæ in cœlo taliter suspensa omnia calcat, de omnibus triumphat, et triumphans canit : « Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea : » implens etiam id quod per Oseam prophetam est præscriptum cap. XI, 7 : « Pendebit populus meus ad reditum meum; » et quod a Guerrico in *Alleg.* est additum : Pulchre omnino et proprie pendebit tanquam inter cœlum et terram, ut licet adhuc apprehendere cœlestia non valeat, non velit tamen tangere terrena : et si aliquando tangit, non nisi extremis articulis, id est extremis partibus animæ, propter necessitatem corruptionis nostræ, cui servire cogimur quamdiu vanitati subjicimur. Ego autem dico : Fideliter exspectat qui sic pendet : quamobrem elegit hoc suspendium anima mea, et in ipso suspendio mortem ossa mea, ut perseveranter in cruce ista pendere merear dum immoriar. Quis non lætabundus et laudans in momento ex hac cruce pendeat, ut inde æternum gloriæ pondus victor mortis et vitæ inventor acquirat? Vide plura de mystica in contemplando suspensione apud Alvarem de Paz, tom. III, lib. V, part. II, cap. VIII.

Sancti e cœlo suspensi vivunt.

Mysticum suspendium honoratum.

Vers. 16. 16. DESPERAVI, NEQUAQUAM ULTRA JAM VIVAM : PARCE MIHI, NIHIL ENIM SUNT DIES MEI. — Septuaginta reddunt, οὐ γὰρ εἰς τὸν αἰῶνα ζήσομαι, ἵνα μακροθυμήσω· ἀπόστα ἀπ' ἐμοῦ· κενὸς γάρ μου ὁ βίος, *non enim in sempiternum vivam, ut longanimiter agam : discede a me : vana est enim vita mea*; Symmachus, ὅτι ματαιότης αἱ ἡμέραι μου, *quoniam vanitas sunt dies mei* : alius interpres, ἀτμὸς γὰρ αἱ ἡμέραι μου, *vapor enim sunt dies mei*. Quod autem dicit *desperavi* nequaquam de beatitudine, sed de vita et sanitate naturaliter recuperabili intelligendum est : quapropter Deum rogat ut ei parcat, id est ne tantopere ipsum cruciet, vel ut supernaturaliter ei vires addat, et vitam reddat : « nihil enim, inquit, sunt dies mei, » id est brevissimi et paucissimi, scilicet post quos nullus erit in me locus misericordiæ tuæ. Hoc est nimirum quod David cecinit *Psalm.* LXXXIX, 5 : « Quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt : » de fuga humanæ vitæ et brevitate loquitur, et verba ad clariorem intelligentiam in hunc modum ordinanda sunt, ut animadvertit Genebrardus, *eorum anni erunt ea quæ pro nihilo habentur*; Septuaginta dicunt uno verbo ἐξουδενώματα, *vanitates* sive *nihilum anni eorum erunt*; sed vim græce dictionis latina vox una nequit explere, itaque periphrasi ambituque verborum noster est usus interpres; et viri eruditi ad rem melius exprimendam vocabula nova excogitant. Tertullianus diceret *nullificamina*; Augustinus Eugubinus vertit *nihilitudines*, extenuationes in nihilum; Delrius noster, *nihileitates anni eorum erunt*. Sensus est : Hominum vita est inanitas quædam subito volans, et relabens in nihilum est quasi non esset, propter incredibilem fluxum et celeritatem. Sed ejusdem sententia loci alio quodam modo in Hebræo concipitur, et pro varietate expositionum symbola etiam alia duo præferunt opportuna ad eamdem rem illustrandam : quidam enim interpretantur *somnium* vel *somnum*, quod anni vitæ instar somni aut somnii transvolent, nec consistant : itaque S. Hieronymus hunc Davidis locum ita vertit, *percutiente te eos ut somnium erunt*; Isidorus Clarius, *diffluunt velut somnus*; alii volunt Hebræa significare *fluctum* vel *fluxum* subito intumescentem, subito etiam corruentem, hoc est rem quamdam in continuo interitu positam, qua nihil sit fragilius aut vanius : quemadmodum Oseas cap. X, vers. 11, celerem mortem regis Samariæ concinne vocat *spumam transeuntem*. Unde Genebrardus post Eugubinum ait hunc locum recte verti potuisse, *bulla eorum anni erunt*: quod cum ab illis doctissimis utriusque linguæ viris dicatur, argumento est ex hoc fonte proverbium illud profluxisse, πομφολὺξ ὁ ἄνθρωπος, *homo bulla*. Quod documentum, ut salutare hominibus ad animos in gyro modestiæ continendos, mirum est quanta varietate purpureus *ibid.* Cantor illuminet : hominem enim herbæ similem esse dixit nunc pubescenti, mox arescenti; cujus vita atque duratio unius diei limitibus includatur : « Mane sicut herba transeat, vespere decidat : » qualem prudens Poeta in Comœdia describit :

Vita nostra nihili est.

Vita somnium et flatus.

Homo bulla.

Homo herbæ similis.

Quasi solstitialis herba paulisper sui,
Repente exortus sum, repentino occidi.

Quale colchicum est ephemerum, quod matutino cum lucifero nascitur, cum meridiano sole viget, cum hespero lucente arescit. Et paulo post idem pius Vates adhibet in eamdem rem excogitatum ænigma cum ait, « nostros annos sicut araneas meditari, » et confici; quod varie a variis exponitur : Vatablus ita vertit ex Hebræo, *annos nostros finimus dicto citius*; quæ peropportuna est

Anni nostri ci-

http://www.obrascatolicas.com

to finiunt.

imago celeriter fluentis vitæ, et effusis velut habenis ad interitum contendentis : sermo enim est aeris percussio atque sonitus, qui deficiendo crescit, et crescendo deficit, evolat, et evanescit; unde verba πτερόεντα, *alata*, scite et eleganter poetarum princeps appellat. Chaldæus vere paraphrastes sic illam sententiam illustrat, *consumpsimus dies vitæ nostræ tanquam vaporem oris in hieme* : vapor oris est halitus, qui ob frigidum aerem fit crassior, et mox tenuatur et vanescit. Quid igitur hic illi mihi dicent vitæ longioris candidati, qui non solum montes sibi aureos, verum et aurea vitæ fila quam longissima et felicissima pollicentur, qui excubant omni mente atque animo in exquirendis arripiendisque rationibus, quibus diutius miseri esse possint, et quæ falli aut vitari nequeat, mortem effugiant. An est opus ut a Jacobo apostolo testimonium mutuer ad illam nimium vitæ amantium falsam et inanem opinionem convellendam? cujus illa est præclara Ecclesiæ prodita monitio, *Epist.* IV, 14 : « Quæ est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens : » sumpsisse videtur a regio Vate, apud quem est cœleste illud oraculum *Psalm.* CXLIII, 4 : « Homo vanitati similis factus est : » græcus interpres apud S. Chrysostomum legit ἀτμῷ, *vapori similis est*. Tu te forte aliquid esse magnum putabas, vapor es, inanissima atque levissima res, et quidem ad modicum parens, et, ut gravissimus aiebat Nazianzenus in sui meditatione diu versatus, ὄναρ, *volans somnium*.

Vita nostra vapor.

Vers. 17. Miranda est Dei erga hominem providentia.

17. QUID EST HOMO, QUIA MAGNIFICAS EUM? AUT QUID APPONIS ERGA EUM COR TUUM?—Extenuaverat prius humanam conditionem, dum vento ac nubi similem esse diceret, quæ momento temporis evanescunt et transeunt; nunc miratur, cur Deus naturam hanc fragilem tamque brevi perituram tantopere magnificet, illique tam sedulo atque accurate provideat, et nunquam ab eo cogitationem avertat : eamdem benignisimi Dei erga hominem miserum providentiam demiratur David, et hoc dulci ac religioso carmine divinam beneficentiam una cum Jobo extollit *Psalm.* VIII, 3 : « Quid est homo, quod memor es ejus? » *q. d.* Unde fit, ut tu Dominus universitatis, affluens omni bonorum copia et felicitate, nulliusque egens, homuncionem tamen vilem et abjectum, rem nihili, habeas in memoria, et benevolentia tua digneris? Quidam Græci apud S. Chrysostomum ita dictum psalmi locum vertebant, τί κατ' ἄνδρα, ὅτι μνημονεύεις αὐτοῦ, *quid est ad hominem pertinens, quod ejus recorderis?* quasi miretur pius vates, quod cum nihil sit in homine, nec in iis quæ hominem circumstant, quod divini amoris vim excitare possit, ejus tamen continuo Deus meminerit; sed tam Davidicæ quam Jobianæ mirationis causam liquidius intelligemus, si consideremus vocem hebræam, sic enim utrobique legitur, *quid est* אנוש *enos?* quod *hominem* quidem significat, sed proprie, si interpretari velis, *obliviscentem*, ut Eusebius lib. XI *De Præpar.* cap. IV, docte animadvertit. In hoc igitur uterque vir divinus obstupescebat, quod illius Deus meminisset, qui esset obliviosus, et de illo ornando cogitaret, qui deponeret memoriam beneficiorum. Quæ Jobi ac Davidis admiratio viro sapiente ac naturæ divinæ majestatem æstimante digna est : etsi enim hominis anima immortalis et divinæ fruitionis capax sit, corpus tamen adeo abjectum et sordidis affectionibus obnoxium gerit, ut mirandum sit, Deum de corpore quoque ipso decorando, exornando, prosperando curam gerere, nullumque benefaciendi officium prætermittere. Et hæc plane Dei cura per se mirabilis visa est Jobo mirabilior, ubi se in sterquilinio marcentem, fœtidum, inopem, derelictum circumspexit, quem sic loquentem inducere par est, *q. d.* Quorsum sapientissime Deus, hominem evehis ad temporalem gloriam, qui tam cito exstinguitur? Quænam res mortalis homo est, quam firma, quam constans, ut in eo bonis multis cumulando operam ponas? Profecto tam fragilis et mutationi obnoxius est, ut frustra valere, fortunari, honorari videatur, qui e vestigio in morbum, inopiam infamiamque prolabitur.

Hominis obliviosi Deus memor est.

Job in sterquilinio miratur Dei in homines curam.

Hæc de temporali divinæ magnificentiæ opere : at si eximia divinæ gratiæ opera sempiternamque beatitudinem, ad quam homo cœlesti ope provehitur, oculos attollamus, porro admirationis ratio vires acquiret immensas : quid enim stupore dignius, quam hominem mortalitati servientem Christi beneficio e cœno, in quo jacet squalidus, et sui ipsius tædio fatigatus, ad immortalis vitæ gaudia et amplissimos honores extolli? Ille vero dicendi modus, *apponis erga eum cor tuum*, plane suavissimus est, cum Dei cor cum hominis corde conjunctum repræsentet, quasi Dei cor ex illa conjunctione aut connexione caperet voluptatem ; quæ tandem excellentior hominis magnificatio esse potest, quam ut Deum in se ipso gestet, et non solum ejus dona, sed ipsius etiam majestatem in se recondat : de donis quidem dixit S. Gregorius lib. VIII *Moral.* cap. XVI : « Hominem Deus magnificat, quia largitate rationis ditat, infusione gratiæ visitat, honore collatæ virtutis exaltat : » si his donis homo magnificatur, quanto majori gloria et splendore afficitur, cum datorem donorum in intimo cordis sedentem aspicit, et suum habitatorem agnoscit?

Quanta sit hominis magnificatio.

Dei gloria et magnificentia in sanctis ejus.

Considera igitur quam ardenter Deus perfectos amet; siquidem eos in tantam dignitatem et gloriam exaltat, ut domus Dei et cœli sint, in quibus ipse Deus habitat, et gloriam suæ majestatis ostentat. Sicut nulla domus æque gloriosa Domino fuit ac ea quam Salomon II *Paral.* III, ei in area Ornam Jebusæi ædificavit, quæ structuræ pulchritudine, divitiarum copia, vasorum pretiosorum et utensilium multitudine, sacrificiorum jugitate, et ministrorum cultu ac reverentia omnes basilicas regum et templa numinum falsorum excelluit : ita nulla est spiritualis domus aut æque magnifica, aut æque gloriosa Deo, ac est animi viri sancti atque perfecti, cujus structura usque in cœlum assurgit, cujus opes rex terrenus non diripit; cujus vasa non sanguinem taurorum aut hircorum, sed sanguinem Christi agni immaculati suscipiunt; cujus holocausta pinguia et ardentium affectuum sacrificia nunquam cessant; in qua non reverentia exterior solum sicut in templis materialibus, sed internus cultus, et ille a maximo amore profectus exhibetur. Domus illa magnifica solum in monte Moria ad gloriam et honorem divinum exstructa est; et Judæis cautum erat, ne alio loco templum pro sacrificiis et holocaustis ædificarent. At domum istam Dei, quæ in vitæ perfectione consistit, et non ex lapidibus, sed ex virtutibus construitur, nec terra, sed cœlesti charitate tegitur, quisque in suo corde potest exstruere : Deus impensas abunde suppeditat, ædificationem adjuvat, ad laborem animat, et non exspectata perfectione domus, si aliquid semifactum illi offeratur, si aliquod tuguriolum concedatur, statim in eo cum gaudio habitare festinat. Abjiciamus ergo moras, relinquamus excusationes, contemnamus nostræ socordiæ et otiositatis prætextus, et hanc domum Deo in corde nostro ædificemus : jaciamus primum humilitatis profundæ fundamenta, super illa virtutum parietes construamus, quas amoris Dei et proximi tectum operiat : non desit in ea altare orationis, nitor confessionis, sacrificium affectionis, et thymiama sanctorum desideriorum semper redoleat. Sic et nos magnificabimur templum Dei facti, et ex sterquilinio imperfectionum in domum sanctitatis conversi : et Deus glorificabitur in nobis, qui in sanctis suis gloriosus apparet, et ex eorum vita magnam sibi gloriam decerpit. Ita noster Alvarez de Paz tom. I, lib. IV, part. II, cap. XV.

Vir perfectus est domus Dei spiritalis.

Domus spiritalis e virtutibus construitur.

Vers. 18. Quo pacto Deus visitare dicatur.

18. VISITAS EUM DILUCULO, ET SUBITO PROBAS ILLUM. — Dicitur Deus visitare non *localiter* (quia immensus est et immutabilis, sed *efficienter*, alios atque alios effectus circa homines exercendo; et quia aliquando beneficia, aliquando supplicia operatur, inde fit ut verbum *visitandi* in Scripturis tam in bonam quam in malam partem usurpetur : in *malam* quidem partem accipitur quando damnat, punit, flagellat, aut ulciscitur; et sic dicitur visitare homines quos punit, et quandoque causa exprimitur propter quam castigat et punit, ut cum dicitur *visitare peccata*, aut *super peccata* seu *super idola*; et aliquando explicatur flagellum in plaga, virga, egestate, et his similibus, quibus castigat. Sunt hujusmodi multa testimonia, e quibus unum aut alterum producam *Isai.* XXVI, 14 : « Visitasti, et contrivisti eos, et perdidisti omnem memoriam eorum ; » *Num.* XIV, 18 : « Visitas peccata patrum in filios; » *Thren.* IV, 22 : « Visitabit iniquitatem tuam, filia Edom; » *Psalm.* LXXXVIII, 33 : « Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum; » *Jerem.* XXVII, 8 : « In gladio et in fame et in peste visitabo super gentem illam; » et *ibid.* cap. XXI, 14 : « Visitabo super sculptilia Babylonis : » his omnibus modis exprimitur hæc visitatio quæ est ad pœnam et punitionem. In *bonam* vero partem dicitur *visitare* quando utitur misericordia consolando, liberando, defendendo, benefaciendo, juxta illud *Exod.* IV, 31 : « Audierunt quod visitasset Dominus filios Israel; » item *Psalm.* LXIV, 20 : « Visitasti terram, et inebriasti eam; » et *Isai.* LX, 17 : « Ponam visitationem tuam pacem; » hinc quando Dominus veniet judicare orbem dicitur *visitans*, et actus ejus *visitatio*, quia tunc et malos puniet, et bonis mercedem tribuet : quare Petrus rogat I *Epist.* V, 12, « ut nos exaltet in die visitationis. » Peculiari autem et præcipuo quodam modo dicitur Deus *nos visitasse*, quando carne assumpta in mundum ad nos liberandos advenit; de qua visitatione Zacharias apud Lucam canit *Luc.* I, 68 : « Quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ; » item *ibid.* vers. 78 : « Visitavit nos oriens ex alto. »

In bonam partem sumptum quid significet.

Verbum *visitandi* in malam partem sumptum.

Hoc loco autem verbum *visitas* licet aliqui illud in malum accipiant, præstat tamen cum Pineda et Sanctio, et ex antiquioribus S. Gregorio et Olympiodoro in bonam partem accipere, q. d. *Visitas eum* consolando, beando, *diluculo*, id est cito et diligentissime : *et subito*, id est mox, *probas illum* tentando et affligendo : Septuaginta reddunt, ἡ ἐπισκοπὴν αὐτοῦ πρωΐ; καὶ εἰς ἀνάπαυσιν αὐτὸν κρινεῖς; *num visitationem ejus facies usque mane? et in requie judicabis eum?* id est tota vita eum exercebis, et veluti bello tentabis, cum vita nostra sit militia; ac in morte quæstionem de illo institues, et severam exiges rationem. Ex quo intelligitur, quam vigilantes et attentos nos esse semper oporteat, cum omni temporis momento Deus nobiscum pugnet atque contendat : est enim Deus tanquam magister solertissimus, qui totos dies dat operam, ut nos in officio contineat, et ad veram pietatem vel flagellis vel alia quavis ratione informet : quocumque enim modo fiat, ad hujusmodi pugnam spectat. Hanc disciplinæ rationem optime describit Isaias dicens cap. L, vers. 4 : « Dominus erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus : faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. » Quod si hac ratione Filium suum unigenitum infinita sapientia præditum erudivit, quid (malum!) alia via nos doceri posse arbitramur? Cavendum sane maxime est, ne ita rudes et vecordes simus, ut tanto Dei studio et assidua sollicitudine nihil proficiamus : quin potius satagendum est, ut divina visitatione emendati et probati, cum regio Propheta dicere possimus *Psalm.* XVI, 3 : « Probasti cor meum, et visitasti nocte : igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas : » ubi notanda est distinctio

Deus visitat consolando, et probat tentando.

Vigilantes nos esse oportet in exercitio Dei.

Distinc-

http://www.obrascatolicas.com

tio inter *probare*, *visitare*, *perficere*.

verborum istorum, *probasti*, *visitasti*, *examinasti*, quæ sic explicat D. Thomas : « *Probat*, inquit, Deus, cum dijudicat, an habeat quis cordis rectitudinem ; *visitat* juvando et corrigendo ; *examinat*, utrum habeat firmitatem ; » igne autem tribulationis justus examinatur, quia perfecta virtus in adversitate cognoscitur. Porro divina omnis visitatio ad duo potissimum ordinatur, scilicet ad animam sanctam ad culmen perfectionis adducendam, et in eodem stabiliendam ; id quod Vates regius haud obscure insinuat dum sic orat *Psalm.* LXXIX, 15 : « Domine Deus virtutum, visita vineam istam, et perfice eam quam plantavit dextera tua : et super filium hominis, quem confirmasti tibi ; » ubi per *vineam* S. Patres tam Ecclesiam quam unamquamque animam sanctam intelligunt : utraque enim plantata est a dextera seu omnipotentia Altissimi, quem pius Vates deprecatur ut e cœlo respiciat in opus manuum suarum, et visitet vineam ad hunc finem, ut eam benigne dirigat, gubernet, tueatur, defendat, et undique reddat perfectam : quia solius Dei perfecta sunt opera, qui id quod cœpit bonum opus ipse perficit atque consummat ; hæc autem præstat, dum vineam suam visitat, et benigno eam oculo intuetur. Quod autem addit : « Et super filium hominis, quem confirmasti tibi, » duplicem habet sensum ; quorum *prior* refertur ad eum qui visitatur, qui vocatur *filius hominis*, seu *filius Adam*, quasi repræsentando ejus infirmitatem et indigentiam quam habet visitationis Dei, qua in bono ad ipsius gloriam confirmetur, ut in vase fragili magis divina virtus resplendeat. *Posterior* vero refertur ad Messiam seu Christum Dominum, qui seipsum semper *filium hominis* appellat ; quem Deus firmissimo consilio suo æterno in mundum mittere decreverat, ut esset firmamentum, salus, vita et protectio hominum. Petit igitur Propheta, ut Deus ad Christi merita respiciens vineam suam visitare dignetur atque perficere. Cui interpretationi favet Chaldaica paraphrasis ita vertens, *et super regem Messiam, quem confirmasti tibi*, id est, cujus regnum voluisti coram te esse stabilitum et firmum ; regnum autem Messiæ sunt justi, in quibus ipse regnat ; quos divino beneficio visitationis in bono cupit esse stabilitos.

Divina visitatio ad quid ordinetur.

Vers. 19. 19. USQUEQUO NON PARCIS MIHI, NEC DIMITTIS ME, UT GLUTIAM SALIVAM MEAM ? — Queritur Job Deum, præter morem suum, nimis rigide ac severe secum agere, nihil impunitum relinquere, nec imbecillitati parcere aut indulgere ; sed nullum suppliciis et afflictionibus modum statuere, neque ullas in tantis doloribus inducias concedere, quibus fatiscentem animum aliquantulum relevare, ut vel modico salivæ humore fauces aridas rigare ac refocillare suo solatio possit. Multis hic saliva movetur, ut quærant, cur Job peculiariter salivam glutiendi petierit facultatem ; ad quam quæstionem diversimode respondent interpretes : ac *primo* quidem aliqui cum S. Hieronymo et Beda hoc ad συνάγχην, seu *anginam* referunt, quæ fauces ejus obstruebat, nec quidquam ex ore ad stomachum transglutiri sinebat. Quæ ratio satis est probabilis, licet non omnino certa, cum incertum sit utrum angina laborarit. Hoc saltem constat Jobum gravissimis animi angustiis et corporis doloribus fuisse discruciatum, e quibus maxima solet faucium ariditas exsistere, quæ cæteris tormentis omnibus molestior plerumque accidit ; de qua primario passim ægri et miseri gravissime conqueri consueverunt, quemadmodum ipsemet Christus inter acerbissimos crucis dolores de sola siti seu faucium ariditate conquestus fuisse legitur. *Secundo* alii tribuunt hoc virium imbecillitati, quæ morituris solet esse familiaris, qua fit, ut cum salivam habeant in ore plurimam, eam tamen ob deficientem naturam deglutire non possint ; sed hoc neque perpetuum est, neque tunc Job sic erat affectus, ut extremum ageret spiritum. *Tertio* alii hoc in querelarum et gemituum nunquam interruptam continuationem rejiciunt, quæ nullum respirandi aut salivæ trajiciendæ spatium relinquerent : ut enim simul sorbere et flare nemo potest, sic etiam nec loqui, aut gemere, et salivam simul glutire ; verum hæc ratio non satisfacit, cum gemitus ejus non tam assidui aut continentes fuerint, quo minus aliquando dormire, cibum sumere aliisque naturæ necessitatibus satisfacere potuerit ; quinimo et prolixam ac difficilem cum amicis disputationem instituerit, quod sine salivæ ac quidem frequenti trajectione fieri haudquaquam potuit. *Quarto* denique Pineda et Sanctius noster agnoscunt hic proverbialem loquendi modum cum hyperbole conjunctum : conqueritur enim, uti mox dicebam, Job Deum, ex quo durum illud examen et probationem aggressus est, nunquam sibi pepercisse, id est, nunquam parca aut remissa manu in ipso discruciando usum fuisse ; illam autem contentionem continuationemque plagarum proverbiali forma eleganter exprimit, qua significat se usque adeo continenter ac vehementer urgeri, ut neque respirare liceat, neque levissimum quoque naturæ opus obire ; quale v. g. sit salivam deglutire, aut sputa jacere : qui videtur maxime genuinus ac verus hujus loci sensus.

Quo sensu Job non potuerit glutire

salivam suam.

Mystice per *salivam* quandoquidem ex ore defluit infirmitas, dum vero deglutitur, contemplationis gratiæque divinæ suavitas designatur : atque illius quidem sententiæ S. Augustinum *in Psalm.* XXXIII, hujus vero Gregorium lib. VIII *Moral.* cap. XVIII, idoneum auctorem habes. Nec immerito saliva cum Dei gratia comparatur : sicut enim saliva ex capite in os descendens vel sputo projicitur, vel in ventrem demittitur, ita quoque Dei gratia, quæ a Christo capite nostro in animam derivatur, vel per peccatum quasi exspuitur et perit, vel spiritaliter deglutitur, seu mentis sinu excipitur, et animæ vigorem suppeditat. Quia igitur dum in hac carne peccati vivimus saliva gratiæ per peccatum facile nobis effluit, jure merito Job dimitti postulat, ut glutiat hanc gratiæ salivam qua in æternum vivat.

Saliva quid mystice.

Vers. 20. 20. PECCAVI, QUID FACIAM TIBI, O CUSTOS HOMINUM? QUARE POSUISTI ME CONTRARIUM TIBI, ET FACTUS SUM MIHIMETIPSI GRAVIS? — Esto, inquit, peccaverim, ut amici objiciunt ; tamen quomodo tibi, qui Deus es, satisfaciam ? licet enim infinitas de me pœnas sumpseris ; tamen a me nunquam satis, quia Deus meus es, habebis, nisi mihi precanti pro tua clementia ignoscas : hæc enim in omni merito et satisfactione interveniat necesse est. Septuaginta vertunt, εἰ ἐγὼ ἥμαρτον, τί δυνήσομαι πρᾶξαι ; id est *si ego peccavi, quid potero facere?* quasi nesciat an peccarit : quod ad justitiam Jobi apprime facit. Pro verbis autem illis, *o custos hominum*, reddunt, ὁ ἐπιστάμενος τὸν νοῦν τῶν ἀνθρώπων, *qui scis mentem hominum*, q. d. Qui ut perspicax speculator bene nosti corda hominum. Quasi miratur vir sanctus quod Deus illius observet peccata, et non potius statim solvat ; sed unde hoc miratur? plane ex eo quod jam suggesserat, dicens : « Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum? » hoc est, peccavi, et peccatum meum pono coram eo qui custos est hominum, qui apprime novit quid faciant omnes homines ; qui debet vel ex officio custodis ad omnes homines respicere, illorumque errores scire : quod si omnes sciuntur peccatores, cur, qui peccatum fateor, non statim recipio peccati curationem? Ita apud Cyrillum Alexandrinum in *Apolog. ad Theod.* se explicat Job : « Etenim si fieri potest ut nullo pacto mens humana prævaricetur, inquirat exactissime Judex, obsignet iniquitates ; si vero plurimum impingimus omnes, et prorsus inculpabilem esse ipsi soli competit, delictorum oblivionem largiatur iis qui imbecilles esse consueverunt : » ubi enim peccator dolet, ubi pœnitentiam agit, maxime juvat, quod non fuerit in peccando solus, sed potius unus e pluribus exstiterit : peccantium enim multitudinem in pœnitente sæpenumero respexit Deus, ut medelam acceleraret. Quod ergo Jobus ait sic apertius exprimi potest, *q. d.* Esto peccator universorum hominum scelestissimus fuissem, pœnam de me adeo acerbam sumptam hucusque contemplans, clementissime Deus, posses pro tua immensa bonitate angorem lenire meum ; et quia sat afflixisti me, et quia profecto perspicis, diris me doloribus torqueri, qui verendum est ne me in culpam aliquam præcipitem agant : decet quippe lenitatem tuam sic punire, ut salus peccatorum, qui resipiscere malunt, tuta consistat. Desiste ergo a tot præliis quibus me adoriris, ne me tam potenter aggrediaris : nam te mihi contrarium, aut me tibi ferre non possum ; unde subdit :

In omni merito et satisfactione clementia Dei intervenit.

Deus custos hominum, maxime pœnitentium.

Quomodo dicatur Deus

QUARE POSUISTI ME CONTRARIUM TIBI? (scilicet ut hostem ducendo et opponendo tibi, ut ferires : hebraice enim est לְמִפְגָּע *lemiphgahh, in offendiculum* : S. Gregorius id explicat de contrariis animi et corporis affectionibus et mutationibus, quibus post lapsum homo miser obnoxius, Deo sibique contrarius evasit ; et talem dicitur *posuisse* Deus, quia peccantem hominem justitia originali privavit, ex qua privatione necessario ista contrarietas nata est, quæ est omnium molestiarum nostrarum causa ; unde merito subdit) : ET FACTUS SUM MIHIMETIPSI GRAVIS : — hic nimirum effectus est et merces contrarietatis adversus Deum. Extollat se quantum voluerit pulvis humanus, Deique se in omnibus ostendat adversarium, illi acriter repugnet, non Deo, sed sibi gravis erit, ipse gravissimum onus telorum a se jactorum reportabit : integra enim manet et illæsa Dei gloria inter blasphemantium injurias, inter contumelias et hominum opprobria : post quæ omnia solus peccator sibi, non Dei majestati apparet attulisse nocumentum. Aureum plane dictum est illud S. Augustini lib. I *Conf.* cap. XII, justissimam Numinis providentiam in cœlum extollentis : « Jussisti, Domine, et sic est, ut animus omnis inordinatus sua sibi pœna sit. » Eleganter quoque Tollenarius noster in *Specul. vanit. eccles.* cap. III, sect. I, in prima Prosa Exegesi, quam sibimetipsi animus humanus gravis sit ostendit dicens : Theatrum hujus universitatis, si placet, ante oculos constitue, hominesque pugnantibus inter se studiis, nec semper iisdem distractos intuere : invenies alios fastidio sui languentes ad nova suspirare solatia ; alios ad speciosam professionem alligatos, et sub ingenti titulo laborantes, hoc agere, ut jugum excutiant et sibi vacent ; alios assidua mutatione propositi fluctuantes, ut viduæ mulierculæ ad defunctos solent maritos, ad id suspirare quod reliquerunt. Adjice illos, qui, ut ait Seneca *De Tranq. animi* cap. II, non aliter quam quibus difficilis est somnus, versant se in omnem partem, donec lassitudine quietem inveniant, statum vitæ subinde formando ; in eoque novissime manent, in quo illos non mutandi odium, sed senectus ad novandum pigra deprehendit. Adjice etiam illos, quos animi, votorum exitum non invenientis, misera torquet jactatio, dum nec cupiditatibus suis imperare, nec obsequi possunt ; unde paulatim languens obrepit cunctatio vitæ parum se explicantis, et inter destituta vota torpentis animi situs. Alios deprehendas perpetuis amicorum offensionibus et conciliationibus alternantes, et modo eos odisse quos arctissime sibi devinxerant, modo eorum, quos abdicarant, desiderio contabescere : sic Alexander, ut lib. VIII Curtius testatur, modo in Clitum sibi charissimum excandescens inter epulas eumdem confodit ; modo ejus desiderium non ferens ipse mori voluit : sic Andronicus imperator, Niceta teste, quos heri complexus intimorum consiliorum consortes habuerat, mox in eosdem atrocissime sæviebat : quinimo videre erat eumdem uno die (quod de Navarcho Xerxis me-

hominem sibi contrarium posuisse.

Peccator sibi ipse gravis est et nocet, non Deo.

Inordinatus animus sibi pœna est.

http://www.obrascatolicas.com

moriæ proditum est) ab illo laudari et conviciis proscindi, coronari et securi percuti.

Plerosque homines sui torquet impatientia.

Sed plerosque hominum sui torquet impatientia, et nusquam residentis animi volutatio : si vitam laboresque suos reipublicæ consecraruntur, se sibi ereptos esse conqueruntur, ad otium adspirant, et cum Augusto aliquando se victuros sperant; simul atque tamen odio infelicitatis operosæ ad otium profugerunt, o quæ tormenta parietibus suis imputant, dum animus ad civilia erectus, et agendi cupidus, in sua solitudine contabescit ! iidem, si cum adversa fortuna conflictantur, quibus non lamentis infelicitatem suam deplorant! quas non tragœdias excitant! si tamen fortuna novercam exuerit, et blandior arridere perrexerit; non minus felicitatis suæ fastidio suspirant, quam ante calamitatis impatientia torquebantur. Quid, quod nec deliciæ, nec voluptates semper placent? et nonnunquam ipsa delectatione suavius irritantia delectant? ut ulcera quædam, ait Seneca *De Tranq. animi* cap. II, nocituras manus appetunt, et fœdam corporum scabiem delectat quidquid exasperat; non aliter dixerim his mentibus, in quas cupiditates velut mala ulcera eruperunt, laborem et vexationem esse voluptati; et quemadmodum Achilles ille homericus Patrocli funere mœstus modo pronus jacet, modo supinus, modo in latus incumbit, modo se in pedes erigit : ita proprium est ægrientis animi nihil diu pati, et mutationibus ut remediis uti. Hinc vagæ peregrinationes modo per amœna Campaniæ littora, modo per horridos Bruttiorum saltus, et post ruris solitudinem urbanus iterum plausus, et raucum fori murmur arridet, et humano sanguine pinguis arena et spectacula spectaculis mutantur.

Hoc se quisque modo semper fugit,

ait Lucretius. Sed quid prodest, si non etiam effugit? sequitur ipse se, et urget gravissimus comes, nec sui nec ullius rei diutius patiens, donec tandem fastidio incipit esse vita, et ipse mundus, et subit illud tabidarum deliciarum : « Quousque eadem? » ita Tollenarius noster. E quibus manifeste patet quam vere animus inordinatus sit sibimetipsi semper gravis. Cæterum pro verbis istis : « Factus sum mihimetipsi gravis, Septuaginta reddunt, εἰμὶ δὲ ἐπὶ σοὶ φορτίον, *sum autem super te onus* : alii vero φορτικὸς, *onerosus*, molestus; S. Augustinus, *ut esset tibi oneri*, quo alluditur ad importunos precatores, qui auribus principum aut judicum perstrepunt adacti necessitate, qualem in se Jobus agnoscit, ac si diceret : Remitte jam pœnam, ne tibi vocibus et clamoribus obstrepam molestusve fiam. More hominum loquitur, at pro affectu significanter ac suaviter.

Vers. 21. 21. CUR NON TOLLIS PECCATUM MEUM, ET QUARE NON AUFERS INIQUITATEM MEAM? ECCE NUNC IN PULVERE DORMIAM, ET SI MANE ME QUÆSIERIS NON SUBSISTAM, — *q. d.* Cur tardas remittere mihi peccata mea? id est supplicia quæ pro peccatis irrogari solent : hoc est enim *tollere et auferre peccatum et iniquitatem*, ejus pœnam remittere, sive illam condonare; inde ducta locutione, quod munera antiquitus apud Hebræos, quæ divino cultui offerebantur, simul tollebantur et elevabantur; unde *tollere* est condonare, et similiter *auferre*, quando cum peccato conjungitur. Fortassis etiam in sacro sermone sic placuit Deo peccati condonationem appellare, quod non aliter peccata remittantur, nisi quatenus a Dei Filio tolluntur, quasi onus scilicet, quod a nobis nostrisque cervicibus depellitur, et cui ipse succedit humerosque supponit de quo *Isai.* LIII, 4 : « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. » Rogat itaque hoc loco Job, ne Deus veniam diutius differat, *q. d.* Profecto si amplius differs remissionem, jam non me invenies super terram : morti enim jam proximum me prospicio. Non aliter expostulare posset, si illi remissio ex justitia deberetur. Quod expendens D. Cyrillus Alexandrinus in *Apolog. ad Theod.* sic ait : « Dicet ad hoc quisquam. Quid igitur, o generosissime athletarum, criminisne loco Deo impingis, quod ejus qui deliquit non miseretur? culpasne legislatorem, quod peccatorum meminit? Etiam, inquit : qui enim misereri consuevit nec vulgarem ex eo gloriam habet; ob quam causam, cum talis sit, non et mei rationem habet? » ubi enim Deus, ex eo quod miseretur et parcit, ingentem sibi gloriam venatur, id juris acquirunt in eum rei ipsi, quo cum Deo de venia expostulent, et quasi ipsum judicio sistant. Hoc etiam alio exemplo declaro. Si celebris medicus aliquis adventasset, ad quem accersendum infirmus morti vicinus famulum misisset suum; quo tardante, haudquaquam mirandum foret, si infirmus secundo ad eum famulum destinaret dicens : Ut quid moras nectis? nam si venire distuleris, jam non subsistam; et insignem artis ostentandæ occasionem amittes, qua famam tuam reddere poteras celebriorem : quod si salutis intersit meæ, at non minus gloriæ ac famæ tuæ, ut me sanes. Eodem modo Job ait : « Usquequo non parcis mihi, » Domine? nonne tu medicus es animarum nostrarum, et magni medici nomine gaudes? Quomodo igitur, Domine, tam illustrem misericordiæ tuæ declarandæ occasionem elabi permittis, cujus famam mirifice affectas? quod si remedium mihi utile sit; at tibi ad nominis gloriam ac celebritatem conducit. Unde magnam spem concipere debemus divinæ erga nos pietatis ac remissionis peccatorum : cum enim veniam a Deo postulamus, id ab eo petimus, quod illi non solum gratissimum, verum etiam quam maxime honorificum est nobis concedere; unde licet nos indigni venia sumus, digna tamen est misericordia ejus, dignum nomen ejus,

Job urget celerem a pœna liberationem.

Gloria medici salus ægroti.

Misericordia nobis utilis et Deo honorifica est.

digna gloria ejus, propter quam misereatur nostri.

Sanctissimi quique judicium Dei verentur.

ECCE NUNC IN PULVERE DORMIAM, — id est, in terram revertar, et mane deprehendar mortuus, *q. d.* Accelera igitur priusquam moriar. Fatetur se jam pulveri reddi, et nihilominus sollicitatur de inquisitione divina dum ait : « Si mane me quæsieris (hoc est, si matutinus veneris ad meorum operum inquisitionem, ad rationem vitæ expostulandam) « non subsistam; » te judice causa cadam, nihil inveniam, quo me in judicio fulciam. Cur hoc dicat lectissimus vir? sane sic universi electi afficiuntur voce judicis, ut nihil in se videant, quo ejus sententiam fugiant; quod pulchre S. Gregorius lib. VIII *Moral.* cap. XXI, exponit : « Quantalibet enim justitia polleant, nequaquam sibi ad innocentiam vel electi sufficiunt, si in judicio districte requirantur; sed hoc nunc ad solatium suæ ereptionis inveniunt, quod nequaquam se posse sufficere humiliter sciunt. » Quid ni igitur ante Dei tribunal non arescant timore homines terreni, quando et cœlestes virtutes, hoc est sanctissimi viri, movebuntur, et cavebunt sibi? sane in Dei judicio districto nullus homo, etsi sanctissimus, non metuet, et sibi cavebit. Pulchre D. Cæsarius Arelatensis in parabolam decem virginum dicit : « Tantus terror et tanta exinanitio erit in die judicii, ut etiam illi, qui oleum misericordiæ se intelligunt abundantius præparasse, metuant, ne eis possit ad omnia peccata redimenda sufficere. » Quævis superabundantia apparebit inopia; nemo tot meritorum cumulos repositos habebit, qui dum ad tribunal Christi accedat, non dubitet an satis sibi providerit. Quis plura congessit misericordiæ opera quam Job? is oculus fuit cæco, pes claudo, etc., *Job* XXIX, 15, et tamen posita divina inquisitione non subsistit : « quia non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens, » *Psalm.* CXLII, 2.

Gravissimum peccati onus.

Tropologice hæc de peccati onere levando geminata petitio congruit piæ animæ iniquitatis grave jugum detestanti, et ad suave Christi jugum adspiranti. Immane profecto pondus peccatum est, quod mentem humi affigat potentissimeque deprimat, nec attolli ad sublimia vel amanda vel cogitanda patiatur. Quod propterea David appellat *Psalm.* XXXVII, 5, *onus grave*, S. Chrysostomus homil. 1 *De Pœnit.* φορτίον δυσβάστακτον, *sarcinam portatu difficilem;* S. Augustinus *in Psalm.* XXXIX, *molem;* Isaias cap. LVIII, 6, *fasciculos deprimentes;* Jeremias *Thren.* I, 14, *jugum iniquitatum* collum opprimens; Zacharias cap. V, 7, *talentum plumbi*, quo impietas ad inferos deprimitur. Quisquis ergo tam gravi onere gravatur invocet Agnum Dei « qui tollit peccatum mundi, » *Joan.* I, 29, et ad eum contrito corde cum Jobo exclamet : « Cur non tollis peccatum meum? cur non aufers iniquitatem meam? » qui omnes laborantes et oneratos invitas, ut illos reficias, intolerabile peccati pondus cum suavissimo Christi jugo commutans, *Matth.* XI, 28 : nam sine aliquo onere in hoc mundo vivi non potest, quia pondus nostrum amor noster, illo ferimur quocumque ferimur; ut pulchre S. Augustinus in suis confessionibus ait : quare ne durissimo iniquitatis pondere ad inferos deprimamur, suavi jugo Christi nos submittamus necesse est; uti eleganter S. Bernardus *Epist.* 11, hunc Jobi versiculum expendens, et cum præcedentibus componens, sic ex aliis Scripturæ locis illustrat : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom. VII, 24, quo utique sic premor, ut *nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus in inferno habitasset anima mea*, Psalm. XCIII, 17, sub hoc onere gravatus gemebat, qui dicebat *Job* VII, 20 : *Quare me posuisti contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis?* ubi dixit, *factus sum mihimetipsi gravis*, ostendit quod lex ipse sibi esset, nec alius hoc quam ipse sibi fecisset. Quod autem Deo loquens præmisit : *Posuisti me contrarium tibi*, Dei se tamen non effugisse legem indicavit. Hoc quippe ad æternam justamque legem Dei pertinuit, ut qui a Deo noluit suaviter regi, pœnaliter a seipso regeretur; quique sponte jugum suave et onus leve charitatis abjecit, propriæ voluntatis onus importabile pateretur invitus. Miro itaque modo æterna lex fugitivum suum et posuit sibi contrarium, et retinuit subjectum, dum videlicet nec justitiæ pro meritis legem evasit, nec tamen cum Deo in sua luce, in sua requie, in sua gloria remansit, subjectus potestati, et submotus felicitati. Domine Deus meus, « *cur non tollis peccatum meum, et quare non aufers iniquitatem meam?* ut abjecta gravi sarcina propriæ voluntatis sub levi onere charitatis respirem, nec jam servili timore coercear, nec mercenaria cupiditate illiciar, sed agar spiritu tuo, spiritu libertatis, quo aguntur filii Dei, qui testimonium reddat spiritui meo, quod ego sum unus ex filiis, dum eadem lex mihi fuerit quæ et tibi, et sicut tu es, ita et ipse sim in hoc mundo. » Ita S. Bernardus tract. *De Dilig. Deo*, paulo ante finem, cupiens abjecto onere propriæ voluntatis leve subire pondus charitatis. I nunc, et nega liberam esse filiorum Dei servitutem, servam impiorum libertatem.

Spiritu libertatis aguntur filii Dei.

http://www.obrascatolicas.com

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Baldad Jobum arguit loquacitatis, contenditque Jobi liberos justo Dei judicio ob sua scelera deletos; spondens nihilominus Deum ipsi propitium fore, et domus ruinas instauraturum, si ex animo illum coluerit. Quam porro caduca et instabilis sit hypocritæ domus, scirpi et aranearum telæ similitudine declarat. Et sicut simplicibus et rectis prospera pollicetur, ita hypocritis et iniquis adversa comminatur.

1. Respondens autem Baldad Suhites, dixit : 2. Usquequo loqueris talia, et spiritus multiplex sermones oris tui? 3. Numquid Deus supplantat judicium? aut Omnipotens subvertit quod justum est? 4. Etiam si filii tui peccaverunt ei, et dimisit eos in manu iniquitatis suæ : 5. Tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum, et Omnipotentem fueris deprecatus : 6. Si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te, et pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ : 7. In tantum, ut si priora tua fuerint parva, et novissima tua multiplicentur nimis. 8. Interroga enim generationem pristinam, et diligenter investiga patrum memoriam : 9. (Hesterni quippe sumus, et ignoramus quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram.) 10. Et ipsi docebunt te : loquentur tibi, et de corde suo proferent eloquia. 11. Numquid virere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum sine aqua? 12. Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit : 13. Sic viæ omnium qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritæ peribit : 14. Non ei placebit vecordia sua, et sicut tela aranearum fiducia ejus. 15. Innitetur super domum suam, et non stabit : fulciet eam, et non consurget : 16. Humectus videtur antequam veniat sol, et in ortu suo germen ejus egredietur. 17. Super acervum petrarum radices ejus densabuntur, et inter lapides commorabitur. 18. Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, et dicet : Non novi te. 19. Hæc est enim lætitia viæ ejus, ut rursum de terra alii germinentur. 20. Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis : 21. Donec impleatur risu os tuum, et labia tua jubilo. 22. Qui oderunt te, induentur confusione : et tabernaculum impiorum non subsistet.

Vers. 1 et 2. Baldad in quo Jobum judicat se condemnat.

1 et 2. RESPONDENS AUTEM BALDAD SUHITES DIXIT : USQUEQUO LOQUERIS TALIA, ET SPIRITUS MULTIPLEX SERMONES ORIS TUI? — Baldad, dignitate inter amicos secundus, non uti Eliphaz urbana quapiam præfatione, sed ex abrupto verbis indignatione plenis utens : Usquequo, inquit, verba hæc ventosa et vana, et clamosas voces et sonitus multitudine innumeros, a sana tamen et religiosa mente vacuos effuties? ita nimirum Baldad arcano sermonis Jobi sensu minime intellecto nimis temere de illo judicabat, ipsemet in illud vitium gravissime impingens, quod in innocente Jobo reprehendebat, ut illud Apostoli *Rom.* II, 1 optime in ipsum quadret : « Propter quod inexcusabilis es, o homo, qui judicas : in quo enim judicas alterum teipsum condemnas : eadem enim agis quæ judicas : » quippe qui appellas Jobum in loquendo audacem et superbum, loquacem et vaniloquum; talis ipsemet esse convinceris, dum falsa ista de Jobo dicis. Illud autem *spiritus multiplex* ex omnium sententia significat verba ventosa, sonantia sine sensu, qualia proferri solent ab hominibus clamosis et loquacibus, in quibus videas « verborum quidem flumen, sed mentis guttam : » quod festive Theocritus aiebat de Anaximenis oratione, loquacis hominis et inconsiderati. Septuaginta reddunt, πνεῦμα πολυῤῥῆμον τοῦ στόματός σου, *spiritus multiloquus oris tui*; Theodotion βαρύτατον, *gravissimus*; Chaldæus, *sicut ventus magnus*; Pagninus, *spiritus fortis*; Tigurina, *verba oris tui sonabunt pertinaciam*. S. Hieronymus indicat significari a Baldado, non esse sobrium aut sanæ mentis Jobum, sed a furioso et vesano spiritu abreptum, illa verba, quæ duobus capitibus præcedentibus protulerat, tanquam vanos sine mente sonos fuisse locutum. Sed nil mirum est Baldadum tam inique de Jobi verbis sane sanctissimis sensisse, cum arcanum eorum sensum minime perciperet, atque ipsemet diaboli fascino impediretur, ne veritatem iis contentam intelligere ullo modo posset; unde factum, ut in sinistram semper illa partem acciperet, et in contrarium sensum detorqueret.

Spiritus multiplex quid hoc loco significet.

Pulchre ad hunc locum S. Gregorius lib. VIII Injusti

gravia sunt verba justorum.

Moral. cap. XXII : « Injustis, inquit, semper gravia sunt verba justorum, et quæ ad ædificationem prolata audiunt, hæc quasi superimpositum pondus ferunt, quod de se aperte Baldad Suhites indicat dicens : *Usquequo loqueris talia?* qui enim usquequo dicit, quia ædificationis verba jam portare non possit ostendit. Sed cum corrigi iniqui despiciunt, bene prolata criminantur. Unde et protinus subjungit : *Et spiritus multiplex sermonis oris tui.* Cum multiplicitas in sermone reprehenditur, esse procul dubio intelligentiæ gravitas in sensu denegatur : qui enim multiplicitatem sermonis ori tribuit, profecto cordis inopiam reprehendit. » In quibus Baldadi verbis haud obscure S. Doctor pharisaicum quid notat, quod tam libere doctorem suum dijudicet, carpat atque proscindat : solent quippe pharisæi non discendi studio audire, sed contradicendi; non ut aliquid salutis acquirant, sed ut aliquid calumniæ invehant. Quo vitio etiamnum plurimi laborant, qui animo plane pharisaico conciones frequentant, non ut aliquid audiant, unde proficiant; sed ut aliquid habeant quod calumnientur; et si quid forte concionatori minus illis gratum exciderit, cum risu excipiant, sinistre interpretentur, et alio detorqueant; et tunc quidem liberius, si quem defectum eorum carpserit. In quo araneis haud absimiles videntur, quæ ex iisdem floribus, e quibus apes dulcissima mella legunt, noxia venena referunt.

Pharisaicum est vitium dicta omnia in pejorem partem accipere.

Eamdem rem Auctor *Operis imperf.* homil. 38 *in Matth.* alio exemplo illustrat, verbum Dei cum stomacho componens : sicut enim alimentum, cum sit unum et simplicissimum, tot induit formas, colores et virtutes, quot sunt diversa membra corporis, in quibus recipitur : non aliter Dei verbum, cum sit unum et simplicissimum, tot diversos effectus sortitur, quot sunt auditores, qui illud excipiunt. Ipse nobis Auctor rem totam suis verbis aperiat, quæ sic habent : « Et sicut stomacho subministrante unumquodque membrum suscipit nutrimentum, et convertit ipsum in se secundum ipsam suam naturam, ut puta, quod suscipit jecur totum fit sanguis; quod autem suscipit fel bilis efficitur totum; quod autem ascendit in pulmonem, phlegma fit; quod autem in mamillas totum efficitur lac : sic in Ecclesia sacerdotibus loquentibus verbum omnes suscipiunt; unusquisque autem convertit illud secundum proprium cor, ita ut unum quidem verbum in cordibus rectis procedat ad vitam; in cordibus autem perversis suscitatur ad iracundiam quasi bilis; in aliis autem operatur dilectionem dulcissimam quasi lac; in aliis vero odium quasi phlegma nocivum et expuendum : » sic ille. E quibus jam facile erit cuilibet cognoscere qualem Dei verbum Jobi ore prolatum in Baldadi et sociorum cordibus effectum habuerit, cum tam acerbas in ipsum regerant reprehensiones, ne dicam scommata despuant. « Cæterum (ut argute ad hunc eumdem versum idem S. Gregorius observavit) pravi cum recta reprehendunt, ne ipsi quæ justa sunt nescire videantur, nota omnibus bona, quæ audiendo didicerunt, quasi incognita proferunt; unde et Baldad protinus adjungit : »

Verbum Dei cum alimento comparatur.

Vers. 3. 3. NUMQUID DEUS SUPPLANTAT JUDICIUM? AUT OMNIPOTENS SUBVERTIT QUOD JUSTUM EST? — Verum hæc B. Job nec loquens negaverat, nec reticens ignorabat, qui in superioribus duobus capitibus Eliphazi sententiam, dicentis adversitates in hoc mundo non nisi pro peccatis hominum immitti, et si peccatores a Deo flagellati converterentur, illos etiam in hac vita ad pristinum prosperitatis statum esse reducendos, doctissime simul ac solidissime refutaverat ostendens pœnas peccatorum et justitiæ præmium non in hac, sed in futura vita esse a Deo exspectanda; sed Baldad, qui vel futuram vitam nesciebat, vel saltem nullam ejus habebat rationem, sic Jobi verba intellexit, ac si dixisset Deum absolute peccata non punire, nec benefacta remunerari; quod sine dubio divinæ justitiæ adversaretur, cui proinde Baldad opponit dicens : « Numquid Deus supplantat judicium? aut Omnipotens subvertit quod justum est? » inferendo scilicet hoc ex Jobi verbis sequi, si Deus in hoc mundo aliquos peccati expertes affligeret, aut ultra delicti meritum pœnis temporalibus puniret, vel a peccato resilientibus et ad eum reversis bona pristina non redderet.

Baldad male putat Jobum dicere viæ justitiæ quidquam derogasse.

Cæterum cum justitia duplici ut plurimum ratione ac via corrumpi soleat, scilicet vel per astutiam alicujus sapientis, aut per violentiam alicujus potentis; Deus autem simul et perfecta sapientia et omnipotentia prorsus infinita prædituς sit; haudquaquam, ut D. Thomas ad hunc locum annotat, per sapientiam (quæ hic Dei nomine intelligitur) quasi astute agens supplantat judicium; nec per omnipotentiam quasi violenter opprimens subvertit quod justum est : quin potius (ut pulchre S. Dionysius, lib. *De Div. Nom.* cap. VIII, docet) « universa ordinat et determinat, omniaque ab omnium mixtione et confusione libera servans cuique convenientia rebus omnibus tribuit, prout cujusque congruit dignitati : » quamobrem nomen hoc *justitia* nequaquam simplici ratione, sed quadrupliciter omnino a theologis de Deo prædicatur; *primo*, quidem causaliter, in quantum Deus fons est et causa omnis justitiæ : quoniam omnis justitia, rectitudo et sanctitas tam angelorum quam hominum ab ipso est, tanquam tenuis quædam adumbratio justitiæ illius infinite perfectæ, et infinite supra omnem justitiam creatam elevatæ. *Secundo* formaliter, quia cum suprema justitia consistat in amore Dei (per hunc enim efficimur supremo modo conformes legi æternæ) et Deus ipse sit sublimissimus et plenissimus amor sui, necesse est ipsum esse formalem justitiam, sublimissimam et plenissimam, infinite per-

Justitia Dei nec astutia corrumpitur nec potentia evertitur.

Omnia ordinat et servat.

Est fons justitiæ hominum et angelorum.

Deus est formalis justitia, quæ in amore ipsius consistit.

http://www.obrascatolicas.com

fectam, et infinite supra omnem beatorum justitiam elevatam. *Tertio* dicitur *justus* objective, quia ipse est objectum et regula omnis justitiæ et rectitudinis, ipsum enim amare suprema justitia est; nec obstat, quod reddere unicuique quod suum est justitia vocetur, quia hæc est justitia humana et politica, quæ infima est; nos autem hic de suprema justitia loquimur, per quam homo absolute *justus* dicitur coram Deo, et a qua etiam Deus *justus* nominatur; quæ consistit in amore Dei et conformitate suprema cum lege æterna, in qua justitia illa humana eminenter continetur. *Quarto* dicitur *justus* ut legislator et judex, quia summe amat justitiam, et infinite odit injustitiam (id est opera mala divinæ legi ac majestati repugnantia) eamque sub æterna pœna vetat, juxta illud *Psalm.* XLIV, 8: « Virga directionis virga regni tui : dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : » Denique ordinem justitiæ a dæmonibus et hominibus decursu totius hujus sæculi violatum restituet et instaurabit, unicuique secundum opera et merita sua reddendo; hoc autem fiet in extremo judicio, quando Christus, cui Pater omne hoc judicium dedit, judicabit omnes homines et dæmones in conspectu et præsentia omnium angelorum. Tunc enim, ut habetur *Matth.* XVI, 27, « Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis : et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. »

Dei justitia prorsus incorrupta.

De justitia ergo Dei pro conclusione id breviter dici potest, eam summam esse, infinitam, inflexibilem, quam neque ulla cupiditas, aut impotens animi furor aut timor aliorum possit corrumpere : est enim in Deo justitia, qualis a sapientibus solet pingi, virgo incorrupta, quam nulla constupret avaritia, nullæ violent sordes aut levitas ambitionis, nulla inflectat vis aut metus; quæ non clausos habeat oculos, aut tænia obductos, sed usque ad profundum ipsius animi persequatur scelus, et pervideat : neque ut Areopagitæ de nocte fert judicium, sed clarissima in luce, atque, ut Nathan aiebat II *Reg.* XII, 11, « in oculis solis; » cujus gladius pertingit utque ad divisionem animæ, et statera etiam otiosum verbum et jocos urbanitatis expendit; cujus denique in animadvertendo severitas sine exemplo est, hoc est tanta, quantam vix ullus cogitatione assequatur. Unde Baldad Jobum sic arguit, *q. d.* Deus æquus est judex, qui neque leges in judicando violat, neque puniendo insontem et impium absolvendo judicia pervertit : quare cum te tantopere discruciat, aliquid profecto deprehendit injustum quod puniendo coerceat : ipsius quippe opinione nisi Job delictis suis cruciatus illos meruisset, non ita fuisset a Deo flagellatus; in quo plane aberrabat, ex eodem ipso erroneo principio ducens argumentum, ad persuadendum quoque Jobi liberos peccasse, utpote horrendo supplicio peremptos; unde subdit :

Vers. 4.

4. ETIAM SI FILII TUI PECCAVERUNT EI, ET DIMISIT EOS IN MANU INIQUITATIS SUÆ, — quasi dicat Baldad: Sicut filii tui propter peccatum ab ultrice Domini dextera sublati sunt, sic tu ab eadem manu et modo cruciaris, et nisi mature divino furori occurras pœnitendo, tandem peribis : ita Sanctius noster, qui ait eodem principio quo Eliphaz deceptum fuisse Baldad, dum Jobi filios peccatores fuisse asserit, et eam ob rem oppressos a ruente domo; neque quid admiserint sceleris ostendit. *Dimisit* autem dicuntur *in manu iniquitatis suæ*, id est traditi peccato, ut illud quasi divinæ justitiæ satelles et carnifex illatas aut Deo aut proximo ulcisceretur injurias; dicitur autem peccatum punire scelerum reos, quia in causa fuit ut illi punirentur; quomodo dicimus aliquem ab avaritia seu ambitione exstinctum, quia illum duo isti affectus in vitæ periculum conjecerunt. Qui dicendi modus non solum sacris, sed etiam profanis scriptoribus usitatus est : sic dictum est ad Cain *Gen.* IV, 6 : « Nonne si bene egeris recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? » quasi ultor, quod causam mortis undecumque locorum accersat, et teipsum alieno vulnere conficiat. Ita Cicero *ad Atticum.* : « Ulciscentur, inquit, eum mores sui, » id est, pravi atque difficiles mores irritabunt homines, qui pœnas exigant ingenii morosi et intractabilis. Explicuit optime Isaias cap. LXVII, 7, hujus loci sententiam iisdem pene verbis : « Allisisti nos in manu iniquitatis nostræ, » quod statim in altero hemistichio per epexegesim exposuit : « Et peccata nostra abstulerunt nos : » idem quoque Psalmista docet his verbis *Psalm.* CXXXIX, 12: « Virum injustum mala capient in interitu. » Ubi pro *capient*, in Græco est θηρεύσει, *venabuntur*, involvent retibus, venabulo transfigent; hinc alii vertunt apud S. Chrysostomum, παρανομίαι ἄνδρα ἀγρεύουσιν, *iniquitates virum venantur* : quod doctus pontifex pulchre illustrat, aitque *venationis* nomen a pio vate hic positum, ut intelligamus tutum neminem et securum esse, qui vitio irretitur, tametsi opibus atque fama et inter homines gloria celebrari videatur. Latet in insidiis linea, pinnæque obtenduntur, stygii canes ordine exspectant, venatorii cultri splendescunt. Iniquitates virum venantur, cum nihil minus cogitabit in plagas immittetur, vitam et sanguinem fundet suum : hoc utique Baldad etiam significat cum ait : « Et dimisit eos in manu iniquitatis suæ. » Septuaginta reddunt, ἀπέστειλεν ἐν χειρὶ ἀνομίας αὐτῶν, *misit in manu iniquitates eorum.* Quod sic exponit auctor *Caten.* : « Si nati tui sua culpa lapsi sunt, an non justam pœnam tulerunt? » Ubi *iniquitates* scelerum pœnas esse dicit, et *in manu* actionem intelligit, malam utique, quæ supplicio dignum opus molita est; Chaldæus reddit : *Dimisit eos in locum transgressionis suæ*; Tigurina, *permisit eis evenire quod scelus eorum postulabat*; Pagninus, *expulit eos e mundo propter prævaricationes eorum.* Quod autem Jobi filii, contra quam hic temere affirmat Baldad, non peccaverint asserit D. Chrysostomus tom. I *Hom.* 1 *De Job*; et patet ex iis quæ superius ad cap. I, vers. 2 et 4 annotavimus.

Male Baldad ex Jobi pœnis eum culpæ arguit.

Quomodo peccator tradatur in manu iniquitatis.

Iniquitates virum venantur.

Vers. 5 et 6.

5 et 6. TU TAMEN SI DILUCULO CONSURREXERIS AD DEUM, ET OMNIPOTENTEM FUERIS DEPRECATUS : SI MUNDUS ET RECTUS INCESSERIS, STATIM EVIGILABIT AD TE, ET PACATUM REDDET HABITACULUM JUSTITIÆ TUÆ. — His verbis Baldad Dei facilitatem proponit, excitatque Jobum, ut resipiscens assuescat primo mane preces castas fundere atque innoxie vivere; mane nimirum hoc modo placatum iri, et amplam domum justitiæ cultu fortunatam restituendam, nullis perturbationibus obnoxiam. Hinc discant omnes religionis studiosi mane simul ac evigilaverint quam celerrime ad Deum confugere, atque ad illum mentem suam attollere : de justo enim eximia est illa commendatio *Eccli.* XXXIX, 6, quod « cor suum tradit ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum : » ita Salomon laude et prædicatione illum prosequitur, qui ad sapientiam, *Sap.* VI, 15, « de luce vigilaverit : » in Græco est ὀρθρίσας, *qui manicaverit*, qui summo mane, prima luce, subito a somno aciem mentis et promptam animi voluntatem ad parentem suum Deum adjecerit. Certe illud est piorum omnium, diluculo consurgere ad Deum; de qua consuetudine est idoneus testis, et omni exceptione major, divino afflatu pangens odas suas David *Psalm.* LXII, 1 : « Deus Deus meus, ad te de luce vigilo : » sciebat enim quietis solutionem et primum illud diei auspicium magni esse momenti ad felicem rerum omnium cursum, quæ deinde consequentur, ut dixisse mihi belle et perite videatur Hesiodus, « auroram operis tertiam sortiri partem; » quasi plurimum jam in negotiis processisse putandus sit qui bene incœperit. Debent igitur christiani omnes statim atque evigilant mentem attollere ad potentissimum rerum omnium Dominum adorandum, a quo nobis vita, spiritus, salus, omnia, et singulari demissione se suaque illius sanctissimæ et augustæ voluntati subjicere. Nihil enim est convenientius et rationi magis consentaneum, quam ut creatura in suum artificem, radius in solem, stilla in oceanum, effectus in causam feratur, et non prius lux solis aut lucernæ oculos quam lumen piæ devotionis mentem illustret. Illud adeo vi naturæ cognitum fuit, ut profani etiam auctores faciendum esse monuerint; unde est aureum præceptum Hesiodi in operibus, « venerandum esse Numen. »

Mane diluculo ad Deum consurgendum.

Statim a somno Deus adorandus est.

Ἠὼ μὲν ὅτ' ευνάζῃ, καὶ ὅταν φάος ἱερὸν ἔλθῃ :
Et quando cubitum ieris, et quando sacra lux venerit;

Ethnici deos mane placabant.

quem versum profani quidem poetæ, sed vera tamen divinitus canentis, velut consecrat in opere suo variegato Clemens Alexandrinus lib. II *Strom.*; fuit enim illa communis ethnicorum opinio, mane deos esse placabiles, et maxime in tribuendo benignos, et proinde adhibita modulatione illos veluti excitabant a somno et illis esse quiete, ut prompte ad sua dona largienda et bene faciendum accurrerent : quam in rem solemnes excitationes habuerunt, ut vespere dormitiones sive auspicabiles salutationes; quibus eosdem venerabantur deos et propitios habere connitebantur. Meminit ejus moris Arnobius lib. VII *Cont. Gent.* : « Quid sibi volunt, inquit, excitationes illæ quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? obdormiscunt enim superi remeare ut ad vigilias debeant. Quid dormitiones illæ, quibus bene ut valeant auspicabili salutatione mandatis? » Sed in schola Christi nos monemur Deum optimum maximum habere oculum, ut Isidorus Pelusiota lib. IV *Epist.* 47, nominat ἀκοίμητον, *non conniventem*, nunquam indormientem rebus nostris; neque opus adhibere illas veterum auspicabiles excitationes, cum ille præveniat omnes potius incredibili genere benevolentiæ, nosque excitet, ut in ejus sinum confugiamus. Animadvertunt enim S. Patres divini amoris magnitudinem in hominibus excitandis, quod statim ut elucet rationis vis in pueris donum quoddam mirandum impertit, quo icta mens et voluntas ut a magnete potentissimo in bonum rapiatur. Id donum S. Diadochus cap. LXVII, vocat *theologiæ charisma et fœtum matutinum gratiæ Dei*; Ecclesiastici auctor cap. XXIV, 44, *antelucanum* illuminatum omnibus; magnus Apostolus *Rom.* I, 19, *notum Dei* in omnibus manifestum; regius Vates *Psalm.* IV, 7, *lumen vultus Dei.* Hoc idem mihi facere quotidie videtur idem bonus omnium parens Deus, ut mane subito atque animus somno solutus est fœtum illum matutinum inspiret, et ni stulte ac scelerate prohibeamus, dulciter illuminet, ad diei curriculum pie et christiane inchoandum. Id ipsum Baldad hic non obscure insinuat cum subdit :

Deus numquam dormit, sed ipse nos excitat ad pietatem, dummodo ad eam attendamus.

SI MUNDUS ET RECTUS INCESSERIS, STATIM EVIGILABIT AD TE. — Ubi notandum, quod licet, ut paulo ante dicebamus, nihil a beata et felicissima mente sit alienum magis et remotum quam iners otium, quam languor, quam inutilis somni abjectio (semper enim agit et molitur quidpiam illa Numinis benefica providentia omnium moderatrix et custos, quæque omnem universitatem cura et præsidio suo complexa est); in arcanis tamen theologiæ symbolis divino Numini non sine mysterio sacrum quemdam somnum et ex eo evigilationem attribui, de quibus pulchre S. Dionysius mystagogus sublimissimus epist. 9 *ad Caium*, ait, θεῖον ὕπνον εἶναι τὸ ἐξῃρημένον τοῦ Θεοῦ, καὶ ἀκοινώνητον ἀπὸ τῶν προνοουμένων· ἐγρήγορσιν δὲ τὴν εἰς τὸ προνοεῖν αὐτοῦ τῆς παιδείας ἢ σωτηρίας δεομένων προσοχήν, *divinum quitem somnum esse id quod in Deo arcanum est, et incommunicabile rebus iis quæ providentia gubernantur; evigilationem vero esse ipsius providentiæ attentionem circa eos qui disciplinæ vel salutis indigi sunt.* Somnum itaque Deo tribuit ut sibi ipsi vacat, se contemplatur ipsum, seipso perfruitur :

Quid mystice sit in Deo somnus et evigilatio.

http://www.obrascatolicas.com

sub hac quippe ratione concipitur a nobis se supra res universas attollens, seque intra se velut condens aut colligens quadam soporis similitudine. At evigilationem eidem adscribit, ut res creatas administrat, omnia perlustrans, omnia fortiter suaviterque disponens; quod sane discrimen luculenter expressit David in hæc verba *Psalm.* XLIII, 24: « Exsurge, quare obdormis, Domine? » etc.; postulabat nimirum opem et auxilium, rerumque suarum defensionem et promotionem, ad quam cupit Deum exsurgere somnove solvi, ac si obdormiret dum nos nobis derelinquit, dum, velut sibi duntaxat intentus, minime aliis favet. Sensus ergo Baldadi est, *q. d.* Ne cadas animo, mi Job, quod te Deus justus abjecerit, et tanquam dormiens te nihil curare videatur : rependit nempe tibi quod tuum est, pro crimine pœnam; attamen bono animo esto, non enim tecum adeo acerbe ac cum liberis tuis agere decrevit; illos videlicet in æstu peccati corripuit, tibi vero, ut cernis, vitæ tempus indulsit, si forte ad meliorem mentem revertaris. Agedum igitur culpam celeriter deprecare, et horis matutinis quæ precibus aptissimæ sunt, Dei clementiam implora, experimentoque disces Omnipotentem facile exorari, et velut ad opem tuam expergisci, reddereque tibi prostrato domum pace ac justitia prosperandam. Sane si Baldad hoc de culpæ remissione, ac divinæ gratiæ amicitiæve reparatione dixisset, non omnino aberrasset : catholicum enim assertum est *Zach.* I, 3 : « Convertimini ad me (scilicet per gratiam excitantem, qua homo prævenitur) et ego convertar ad vos. » At non debuit Baldad amissæ prosperitatis temporalis restitutionem cum conversione ad Deum universe conciliare, atque huic illam infallibiliter attribuere : etsi enim ea instauratio interdum contingat, verumtamen neque semper neque tunc sane ex pacto, sed ex miseratione divina provenit. At Baldadi verborum sensum audiamus, Jobo, si resipuerit, prospera cuncta pollicentis.

Baldad promittit Jobo ad Deum converso omnia prospera.

Vers. 7. Baldad addicit Jobo ad Deum converso bona prioribus majora.

7. IN TANTUM, UT SI PRIORA TUA FUERINT PARVA, ET NOVISSIMA TUA MULTIPLICENTUR NIMIS, — *q. d.* Longe aliter tibi accidet, o Jobe, si offensum propter peccata tua Deum orando et pœnitendo placaveris, qui non tantum domus tuæ instaurabit ruinas, sed etiam omnibus cumulabit bonis multo quam antea luculentius, si illam pro communi scelerum diversorio justitiæ domicilium et pietatis reddideris. Eodem modo Nathan ex oraculo correpturus Davidem, postquam Dei nomine beneficia amplissima ei collata recensuit, subjecit verba hæc II *Reg.* XII, 8 : « Et si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora. » Atque in hunc quoque modum Baldad Jobum adhortatur ut pœnitentiam agat, qua speret statum fortunatissimum : Deum quippe adeo liberalem, et in eos qui ad ipsum confugiunt misericordem esse, ut nullum beneficentiæ modum præfigat; speret proinde bona, non tantum qualia ipse amisit, certe maxima; sed si ea parva videantur, multo ampliora, quæ largitori tanto facile congruant. Hæc sane Baldadi doctrina in arcano sermone divinæ liberalitati mirifice consonat : David nimirum, S. Petrus et alii minime pauci, quos errati pœnituit, auctiore post lapsum quam antea gratia divinitus cumulati sunt. Septuaginta vertunt, ἔσται σὺ τὰ μὲν πρῶτά σου ὀλίγα, τὰ δὲ ἔσχατά σου ἀμύθητα, *et erunt priora quidem tua pauca, novissima vero tua inenarrabilia* : quæ certe verba ultimæ sortis exuberantiam aperte demonstrant. Cæterum licet id aliquando etiam in hac vita quoad temporalia bona viris sanctis contingat, ut B. Jobo et Josepho, semper tamen eventurum non est viro bono sperandum; sed in futura vita rationes et spes suas repositas habere debet : nam hujus vitæ bona non debentur bonis viris, siquidem pro præmio suorum officiorum non sunt eis a Deo proposita; sed ea tantum quæ in futura æterna vita speramus. Quæ quidem toleranter crucem ferentes, et Christum caput nostrum imitantes, a Deo merebimur. Nec etiam hujus vitæ incommoda et detrimenta pro pœnis sunt a Deo sceleratis hominibus instituta, sed ea tormenta, quæ in futuro sæculo eos manent.

Non semper in hac vita propter pœnitentiam Deus bona temporalia restituit.

Tropologice docemur tam in bonis quam in malis parva minime parvi ducere, ut quæ successu temporis multiplicantur et augentur in immensum : in bonis profecto modica initia despicienda non sunt, quæ paulatim in magnam abundantiam excrescunt, quod significat illa sententia Baldadi Jobum ad justitiam adhortantis : « In tantum, ut si priora tua fuerint parva, et novissima tua multiplicentur nimis. » Deus, inquit, ob justitiæ opera mentem tuam placatam reddet, et modica virtutum semina ita multiplicabit, ut ex incipiente perfectus et ex paupere dives fias. Et scriptum est *Zach.* IV, 10 : « Quis despexit dies parvos, » *q. d.* Nemo debet divitiarum tenuitatem aspernari, quia paucis bonis asservatis bonorum abundantia superveniet : ita vicissim nec sunt malorum initia contemnenda, quia ex initio mali ad malum progredimur, et ex modico malo ad magnum malum currimus, et ex illo ad cordis duritiam festinamus. Proverbium est non hominis, sed Dei *Eccli.* XIX, 1 : « Qui spernit modica paulatim decidit : » nam, ut pulchre S. Gregorius lib. X *Moral.* cap. IX, « si curare parva negligimus, insensibiliter seducti audenter etiam majora perpetramus; » et alio loco *Pastor.* : « Qui peccata minima flere ac devitare negligit, a statu justitiæ non quidem repente, sed partibus totus cadit. » Modica itaque tenenda sunt, ne post parum relictum reliqua abeant, et nos pauperes vacuosque dimittant.

Parva non parvi facienda sunt in bonis sive in malis.

Eximia Dei in pœnitentes liberalitas.

Vers. 8. Baldad provocat ad antiquitatem.

8. INTERROGA ENIM GENERATIONEM PRISTINAM, ET DILIGENTER INVESTIGA PATRUM MEMORIAM. — Ex praxi et veterum traditione probat id quod dixit, omnia Jobo prospere eventura, si ad Deum toto corde convertatur illumque deprecetur. Recogita

quæso, inquit, et mente revolve generationes præcedentes, et per annos eorum, qui nos immediate præcesserunt, discurre; deinde ad illorum patres proavosque meditando conscende, et videbis Deum simili semper modo et ordine, nunquam suam agendi seriem formamve pervertendo, processisse : quæ talis est, ut iis qui ad eum convertuntur, eumque deprecantur, auxilium suum impertiatur; et si aliquando in ruinam corruerint eos sublevet et erigat, illisque ut plurimum majorem quam antea bonorum omnium abundantiam largiatur. Similis omnino locus est in Deuteronomio cap. XXXII, 7 : « Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas; interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; majores tuos, et dicent tibi : » doctrina nempe per manus piorum religiosorumque virorum ad nos traducta debet etiam haberi pro oraculo; ex quo fit ut Ecclesia religiose traditiones, quas vocat, merito amplectatur, quas S. Dionysius, apostolorum coætaneus et doctor gravissimus, pari cum Scripturis sacris honore ac veneratione dignas censet *Eccl. Hier.* cap. I, cum ait : « Substantia enim hierarchiæ nostræ sunt divinitus tradita oracula; maxime vero ista oracula dicimus veneranda, quæ a sacris nostris initiatoribus, divino Spiritu afflatis, in Scripturis sacris librisque theologicis tradita nobis sunt; uti et illa quæ ab iisdem viris sanctis subtiliori, non omnino dissita ab ordine cœlesti insinuatione, de mente in mentem mediante verbo, corporeo quidem illo, simul tamen immateriato, sine scriptione, institutores nostri sacra quadam traductione sunt edocti. » Ubi diserte *traditionem* cum *oraculis* componit, diciturque illam magis ad angelorum locutionem accedere quam Scripturam : quia licet ore quidem corporis instrumento fiat, in quo ab angelica locutione deficit, qui sibi mutuo immediate conceptus suos patefaciunt; fit tamen modo minus materiali quam Scriptura, quia solo verbo, ubi in scripturis et calamus et atramentum, materiæ crassiores, adhibentur.

Traditiones magni faciendæ.

Descriptio Scripturæ et traditionum.

Vers. 9. Vita brevis ara longa.

9. HESTERNI QUIPPE SUMUS, ET IGNORAMUS QUONIAM SICUT UMBRA DIES NOSTRI SUNT SUPER TERRAM, — id est, recens nati paucos dies vivimus, et ob eam rem non possumus per nos multam rerum scientiam comparare : fit enim scientia præsertim de officiis, experientia, ut docet Aristoteles lib. II *Metaph.*; requirit autem experientia longum rerum usum : quocirca debemus in majorum nostrorum doctrina versari, ut docti simus, et ut ex multorum hominum experientia scientia constet. Eodem argumento cum Baldado docet in principio *Aphor.* Hippocrates artem esse difficilem, ὅτι ὁ βίος βραχύς, ἡ δὲ τέχνη μακρή, *quoniam vita brevis, ars vero longa.* Hinc narratur Theophrastus animam agens naturam accusasse, quod corvis ac cervis aliisque nonnullis animalibus, quæ ad pastum et ventrem prona finxit, tam diuturnam ætatem dederit, homini vero ad intelligendum et agendum nato vitam dederit tam angustis limitibus circumscriptam, ut non posset omnibus perfectis artibus et doctrina erudiri. « Hesterni quippe sumus » (inquit Baldad); id est *nuper nati*, novi et recentes, more scilicet Hebræorum, sicut *hodie* præsens, ita *heri* nuper præteritum, *nudiustertius* vero aliquandiu præteritum tempus significat : sic ait Apostolus *Hebr.* XIII, 8 : « Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula, » pro eo quod est nunc, et antea, et semper : sicut ex profanis Terentius in *Eunuch.* habet :

Hodie heri et *nudiustertius* quid significent in Scriptura.

O populares, ecquis me vivit hodie fortunatior!

et Cicero in *Orat. pro domo sua* : « Hodieque Volaterrani non modo cives, sed etiam optimi cives fruuntur nobiscum hac civitate. » *Heri* vero et *nudiustertius* dum simul conjunguntur proverbialem conficiunt hyperbolem, tempus nuper actum significantem, non solum in sacro codice pluribus locis, ut *Exod.* IV, 10, II *Reg.* V, 2 et alibi, sed etiam apud Græcos, Platonem et Plutarchum, χθὲς καὶ πρώτ. Unde cum tam recentes simus, consequens est ut multa ignoremus, exiguam scientiam et modicam rerum experientiam habentes : nam, ut postea Job dicit cap. XII, 12, « in antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia. »

Porro sicut *hesternus dies* jam præteritæ ac elapsæ vitæ, sic *umbra* fugax futuræ advenientisque denotat brevitatem, ut ex aliis Scripturæ locis colligere facile est : ita postquam rex David orando dixerat I *Paral.* XXIX, 15 : « Peregrini enim sumus coram te et advenæ sicut omnes patres nostri; » statim addit iisdem quibus hic verbis : « Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora : » juxta hebraicum textum, *nulla est exspectatio.* Similiter postquam per futurum dixerant impii *Sap.* II, 5 : « Nemo memoriam habebit operum nostrorum, » mox subjungunt : « Umbræ enim transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri : » notum satis est quam vana, fluxa et brevis sit umbra; talis humana vita significatur. Hinc Job *infr.* cap. XIV, 2, cum dixisset : « Homo brevi vivens tempore, » addit eum fugere sicut umbram, et nunquam in eodem statu permanere : ubi lege quæ annotavimus. Eadem umbræ similitudine non raro etiam utitur Psalmista ad eamdem vitæ nostræ brevitatem fugacitatemque declarandam, cum ait *Psalm.* CVIII, 23 : « Sicut umbra cum declinat ablatus sum : » quia cum nocturnæ seu vespertinæ umbræ plus spatii occupent, citius tamen dilabuntur, et sunt propiores nihilo. Quo sensu etiam Hesychius apud Agellium ait, παρ' αὐτὰς εἰμὶ τὰς τοῦ βίου δυσμάς, καὶ ἤδη σκιᾷ κλινούσῃ, καὶ λειβούσῃ λειπὸν, *ad ipsum vitæ occasum perveni, et sum umbræ jam inclinatæ atque ad finem properanti similis* : hoc a Davide jam citato vel a filio ejus Salomone videtur mutuatus, qui ait *Sap.* II, 5 : « Umbræ enim transitus est tempus nostrum; » et *ibid.* cap. V, 9 : « Transierunt omnia illa tanquam umbra. » Quæ est res refuga

Hesternus dies præteritum, umbra futurum tempus significat.

Præsens vita umbræ comparatur.

http://www.obrascatolicas.com

et fugitiva, nec potest detineri, uti nec ventus, cui ob eamdem rationem Job cap. VII, 7, vitam nostram comparavit : ubi vide quæ annotavimus.

Quisquis itaque fugaci huic vitæ nimium afficitur et adhæret, quid aliud quam ventum stringit et umbram amplectitur, id est frustraneo et inani labore consumitur? Vere pronuntiavit David *Psalm.* CXLIII, 5 : « Homo vanitati similis factus est : dies ejus sicut umbra prætereunt; » Theodotion vertit ἀτμίδι; Symmachus, ἀτμῷ ὡμοιώθη, id est, *vapori similis factus est :* quo S. Jacobus alludere videtur cum ait *Epist.* IV, 14 : « Quid est enim vita vestra? Vapor ad modicum parens : et deinde exterminabitur, *q. d.* Tu te forte aliquid magnum esse putabas atque diuturnum, vapor es, inanissima et levissima res, et quidem ad modicum parens. Quid instabilius eo quod nunquam stat, sed more fluminis rapidi non ad mare, sed ad interitum decurrit? quid inutilius eo, quod inanibus occupationibus distentum, sæpissime sine ullo fructu pertransit? quid vilius eo, quod in modum vaporis dissipatur, et ad nictationem oculi nusquam comparet? Homo revera vanitati similis factus est, et dies ejus sicut umbra prætereunt, ut sicut nihil vanitate inanius, nihil umbra instabilius est : ita humanam vitam et inanem et instabilem et brevissimam esse discamus.

Hinc nata sunt proverbialia ista tam in sacris quam profanis auctoribus passim obvia : « Dies umbra, » et σκιὰ ὁ βίος, *vita umbra;* ut σκιὰ ὁ ἄνθρωπος, *umbra homo :* quinimo a Pindaro vocatur homo σκιᾶς ὄναρ, *umbræ somnium;* et a Sophocle καπνοῦ σκιὰ, *fumi umbra;* et ab Æschylo εἴδωλον σκιᾶς, *umbræ imago* aut *idolum :* ad quæ sine dubio allusit doctissimus Lipsius, dum epitaphium suum his versibus clausit :

Humana cuncta fumus, umbra, vanitas,
Et scenæ imago; et verbo ut absolvam, nihil.

10. ET IPSI DOCEBUNT TE : LOQUENTUR TIBI, ET DE CORDE SUO PROFERENT ELOQUIA. — Hæc ad versum octavum referuntur, ubi Baldad jusserat Jobum interrogare generationem pristinam, et diligenter investigare patrum memoriam, id est priorum temporum annales et historias pervolvere, ut ex iis earum rerum, quas ignorabat, condisceret veritatem. « Historia enim, ut Tullius lib. II *De Orat.* ait, est testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis : » neque enim aliter cum iis, qui aliquot nos sæculis præcesserunt, colloqui possumus quam per scriptorum monumenta, in quibus vel ipsorum res fortiter ac prudenter gestæ nobis ad imitandum proponuntur; vel ipsimet docto calamo animi sui sensa candide, sine ullo fuco, de corde suo, cum littera non erubescat, ad totius posteritatis institutionem exararunt. Ab initio enim semper fuerunt aliqui, quos Deus multis et magnis cum naturæ tum gratiæ donis atque ornamentis illuminavit, ut essent oracula orbis terrarum, prodidascali humani generis, fidei et morum præceptores, qui divinas revelationes et utiles animi sui commentationes posteritati reliquerunt : sunt illi quidem jam huic mundo et vitæ mortui, et ad præmia perfruenda evolaverunt, quorum gustum et suavitatem vivendo præceperant; sed vivunt tamen in doctissimis suis monumentis, et nobiscum versantur, et eruditum omnes qui ad acroases illas divinas animum adjicient.

Ad istiusmodi itaque mutos ac mortuos doctores, qui nudam, ut in se est, veritatem sincerissime simul ac candidissime omnibus patefaciant, Jobum hoc loco Baldad remittere videtur, ut ex eorum disciplina doctior simul et melior evaderet : « Et ipsi, inquit, docebunt te, loquentur tibi, et » non ex ore suo tantum, sed etiam « de corde suo proferent eloquia sapientiæ : » cor enim, utpote cognitionis et intelligentiæ sedes, ea duntaxat profert quæ animus præmeditatus fuit (præsertim quando ad utilitatem posterorum scripto quidpiam mandatur) os vero loquitur sæpe temere, et a corde dissentit. Hinc Zenoni Cittico, apud Laertium lib. VII, numen consulenti, quonam modo in virum optimum posset evadere, responsum e cortina fuit, εἰ συγχρωτίζηται τοῖς νεκροῖς, *si mortuis concolor fieret;* quod ille, ut erat alta mente præditus, ad legenda veterum monumenta retulit, quod sibi videretur cum illis fructuosissime suavissimeque colloqui, et colorem inducere veluti quemdam mortuorum vitæ et morum imitatione. S. Augustinus *in Psalm.* CIII, scribens eodem refert Davidicum illud oracultum *Psalm.* CIII, 2 : « Extendens cœlum sicut pellem, » id est tanquam membranam, in qua Deus sui notitiam descripsit : ibi enim divinam Scripturam ait intelligi, quæ extenditur ut pellis animantium mortuorum, quod post mortem prophetarum, et apostolorum et heroum aliorum, qui divino instinctu afflati cœlestia nobis documenta dederunt, extendatur in omnem posteritatem, atque ad nos dilatetur, plusque etiam pertineat, quam eorum hominum vox in vita patuerit.

Ex sacrorum sane librorum lectione mirabiles in omnem partem fructus exsistunt, qui plurimum uniuscujusque animum excitare et inflammare debent, ut serio in id studium incumbat, sine quo languet omnium mens et infatuatur. Præclare S. Augustinus, vel quisquis sub ejus nomine est auctor *Quæst. Novi et Vet. Test.* quæst. CXX : « Tale, inquit, est ingenium naturæ nostræ, ut torpescat, si usus destiterit lectionis : quia sicut ferrum, nisi in usu fuerit, æruginem contrahit, ita et anima, nisi frequenter divinis exerceatur lectionibus; » hanc ob causam S. Diadochus lib. *De Perfect. spirit.* cap. LXVIII, vult in primis Deo votos plurimum in S. Scripturarum lectione occupari; tum addit : « Neque commentationes virorum disergorum negligamus, quorum fides ex sermone dignoscatur. » Hujusmodi autem libros a divinis ho-

Homo vanitas et vapor.

Proverbia humanæ vitæ inanitatem declarantia.

Historiæ et librorum utilitas maxima.

Libri sunt doctores muti, qui veritatem optime docent.

Quid sit mortuis concolorem fieri.

Scriptura per cœlum intellecta velut pellis extenditur.

Sine sacra lectione languet animus.

Libri

minibus compositos Clemens Alexandrinus lib. I *Strom.* eleganter vocat λήθης φάρμακον, *oblivionis medicamentum,* quod assidue hominum memoriam exsuscitent ad divina. At S. Dionysius omnino magnifice cap. I *De Div. Nom.* θεουργικὰ ῥητὰ, *deifica lumina* nuncupat τὰς διδασκαλίας τῶν ἁγίων, *doctrinas sanctorum :* quod nimirum, ut S. Maximus *ibid.* exponit, lumen divinæ cognitionis efficiant, eosque divinos reddant, qui proditæ ab illis sapientiæ paruerint. Postquam ergo Baldad Jobum ad antiqua scriptorum monumenta investiganda stimulasset, assertum suum naturali exemplo fulcire nititur.

Vers. 11. 11. NUMQUID VIRERE POTEST SCIRPUS ABSQUE HUMORE? AUT CRESCERE CARECTUM SINE AQUA? — Notat S. Hieronymus *in Matth.* cap. XVIII, familiare esse Syris, et maxime Palæstinis, ad omnem sermonem suum parabolas jungere; ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exemplaque teneatur; Baldad itaque gentis suæ morem servans, ad propositi sui probationem ex rebus corporeis desumptam introducit similitudinem, scirpi scilicet et carecti, quæ ad sui conservationem copiosum exigunt humorem, et loca admodum aquosa et palustria requirunt; et per solam humoris et aquæ subtractionem facillime, nulla alia interveniente causa, siccantur. Pro *scirpo* in hebræo fonte est גמא *gome,* quod Septuaginta πάπυρος vertunt : quæ planta frequens est in Ægypto, et in sat magnam molem excrescit, et multiplicem usum habet, ita ut ejus quidem ligna navibus fabricandis apta sint, phylira vero scriptioni pro charta subserviant, flores denique ad Deos coronandos, Plinio teste, adhiberi soleant; qui lib. XIII *Natur. Histor.* cap. XI : « Papyrum, inquit, nascitur in palustribus Ægypti aut quiescentibus Nili aquis, ubi evagatæ stagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum, brachiali radicis obliquæ crassitudine, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine, in gracilitatem fastigiatum, thyrsi modo cacumen includens; semine nullo, aut usu ejus alio quam floris ad deos coronandos. Radicibus incolæ pro ligno utuntur; nec ignis tantum gratia, sed ad alia quoque utensilia vasorum. Ex ipso quidem papyro navigia texunt; et e libro vela tegetesque, nec non et vestem, etiam stragulam ac funes. Mandunt quoque crudum decoctumque succum tantum devorantes. Nascitur et in Syria ac in Euphrate circa Babylonem : » sic ille. Quod autem papyrus nascatur in palustribus Ægypti, vel in aquis Nili stagnantibus, etiam poetis notum est; quo spectat illud Ovidii, lib. XV *Metam.* :

Perque papyriferi septemflua flumina Nili.

Eodemque alludit Lucanus lib. IV :

Cum tenet omnia Nilus,
Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.

Item Martialis lib. XIII :

Perdite Niliacas, Musæ, mea damna papyros.

Sed hisce sacratius Isaiæ oraculum audiamus, quod de fluminibus Æthiopiam meridionalem, quæ prope Ægyptum est, alluentibus ita loquitur cap. XVIII, 1 : « Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ : quæ mittit in mare legatos et in vasis papyri super aquas. »

Istiusmodi ergo scirpo seu papyro Jobum, et carecto, id est loco caricibus seu juncis consito, Jobi filios comparat; quorum ille quidem defectu humoris gratiæ divinæ, ut Baldad temere suspicabatur, virorem illum terrenæ felicitatis, quo non ita pridem floruerat, penitus amiserit; illi vero aquis divinæ benedictionis in medio prosperitatis cursu destituti ulterius crescere non valuerint, sed subita domus ruina oppressi misere interierint. Est enim scirpus et carex symbolum humanæ fragilitatis, simul et felicitatis, quam utriusque viriditas adumbrat; humor autem, quo hujusmodi scirpus augetur et viret, Deus est, seu gratia divina, quæ cum a Jobi filiis, ut Baldad perperam argumentatur, abesset, statim aruerunt ac defecerunt : neque aliam causam esse putat, cur Jobus nunc proximus sit interitui, nisi quod ab eo Deus procul abesset, qui fucatam odit sanctitatem, qualem in Jobo hactenus fuisse criminatur. Quamobrem ipsum hortatur, ut ad Deum vere atque ex animo convertatur, a quo solo ad pristinum statum reduci, et antiquum robur ac vigorem recuperare possit; quod si fecerit, et per veram pœnitentiam ad Deum reversus fuerit, spondet omnino fore, ut, sicut *supr.* vers. 3 et 6 indicavit, longe uberius quam ante divinæ benedictionis rore perfundatur; et fiat « tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, » *Psalm.* I, 3. Dummodo quippe divinis fluentis proxime assistat, quodcumque demum lignum fuerit, quantumvis aridum et siccum, in flores et in fructus aletur immortales; siquidem tota justi felicitas ab adjunctis gratiæ aquis oritur, quibus cum careat impius penitus exarescit, et tandem exscinditur, et in ignem mittitur. Sed postquam quis exaruit, unde poterit sibi denuo acquirere viriditatem? sane ab adjunctis lacrymarum aquis, quibus homo reparatur ad vitam æternam; et licet aridus omnino fuerit, pœnitentiæ lacrymis perfusus virorem gratiæ recuperabit, et justitiæ fructus uberrimos germinabit. Quod enim præstabat vitalis olim fons in paradiso voluptatis, hoc in terra peccati modo præstat aqua veræ pœnitentiæ, quæ vel aridissimos quosque truncos repullulare facit, et in arbores fructiferas commutat : ad illam eleganti plane stylo adhortans Tertullianus lib. *De Pœnit.* : « Rape, inquit, occasionem inopinatæ felicitatis, ut ille tu, nihil quondam penes Deum nisi stilla situlæ, et arcæ pulvis, et vasculum figuli, arbor exinde

Sanctorum doctrinæ sunt lumina deifica.

Papyrus quid; ejusque usus multiplex.

Scirpus et carectum aquam amant.

Parabolis multum utuntur.

Job per scirpum et filii ejus per carectum significantur, et cur?

Scirpus est symbolum humanæ felicitatis.

Aquis pœnitentiæ peccator virorem recipit et fructum profert.

http://www.obrascatolicas.com

fias illa, quæ penes aquas seritur, et in foliis perennat, et in tempore suo fructus agit, quæ non ignem, non securim videbit. » Ecce tibi quam inopinata felicitas a squalore et contritione pœnitentiæ nascatur : mediante enim illa, qui vel pulveris instar vel confracti vasculi jacebat, exsurgit in arborem, et ad alta tendens mirificos salutis fructus affert.

Vers. 12. 12. CUM ADHUC SIT IN FLORE, NEC CARPATUR MANU, ANTE OMNES HERBAS ARESCIT. — Pergit sub eadem scirpi et carecti parabola hominis impii, qualem esse Jobum opinabatur, momentaneam felicitatem et celerem interitum ob oculos ponere atque exaggerare, *q. d.* Quid mirum est scirpum absque humore non virere, aut carectum sine aqua non crescere, cum etiam adhuc in flore exsistens, antequam alicujus manu decerpatur, aut falce demetatur, cæteris herbis omnibus citius exarescat et marcescat? significans scilicet impios, quibus Jobum accensebat, tum etiam, cum vel maxime opibus florere videntur, suopte nutu repente sæpenumero marcescere, et ante mortem bonis omnibus exutos præ mœrore penitus contabescere. Non absimili omnino sensu ac comparationis ratione David eamdem ob causam impios fœno assimilat dicens *Psalm.* CXXVIII, 5 : « Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit : » ubi bene notat S. Chrysostomus in *Catena* (quam in Psalmos Græco-latinam edidimus) non frustra addi *tectorum* : Quanquam enim, inquit, illud ipsum etiam quod in terra pingui nascitur celeriter diffluat; maxime tamen id quod in tectis oritur, quia radicis robore caret a semetipso marcescit, cum ob suam imbecillitatem minime pertingat ad perfectionem. Aptissime sane Propheta sacer cum ex natura fœni tum ex constitutione loci impiorum hominum vilitatem fragilitatemque declarat : talis nempe est prosperitas eorum qui vivunt in scelere et rerum sæcularium jucunditate : quamobrem alibi, cum tales minime æmulandos ac zelandos monuit, rationem illico subjunxit *Psalm.* XXXVI, 2 : « Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, et sicut olera herbarum cito decident; » S. Hieronymus vertit, *sicut herba velociter conterentur*, in Hebræo enim est vox חציר *chatsir* (quæ etiam hoc versu habetur) et significat *gramen longum*, quod sit pabulum bestiis, aut igni; et generaliter herbam sponte provenientem, quæ dicitur עשב *hheseb*, pro quo Septuaginta sæpe vertunt χόρτος, *fœnum*, licet aliquando etiam a fœno condistinguant, ut in alio psalmo, ubi de terra dicitur, *Psalm.* CIII, 4, quod sit « producens fœnum jumentis et herbam servituti hominum. » Ubi Septuaginta vertunt χόρτον καὶ χλόην, quod in Hebræo est חציר *chatsir* et עשב *hheseb*. Eadem similitudo in hoc sensu frequens est in Scripturis, ut in illo *Psalm.* LXXXIX, 6 : « Mane sicut herba transeat, vespere decidat, induret et arescat : » qualem nimirum in hoc puncto prudens Poeta in Comæd. describit his verbis : « Quasi solstitialis herba paulisper fui, repente exortus sum, repente occidi : » quale item colchicum est ephemeron, quod matutino cum lucifero nascitur, cum meridiano sole viget, cum hespero lucente arescit. Vide plura de his *infr.* cap. XIV, 1 annotata. Sic etiam dicitur IV *Reg.* XIX, 26 : « Facti sunt velut fœnum agri, » etc.; et alibi sæpius eadem similitudine humanæ conditionis imbecillitas declaratur, uti et hoc loco momentanea felicitas improborum. Cæterum ipsam modo parabolæ applicationem ex ipsomet Baldado audiamus.

Felicitas impiorum flori scirpi similis.

Gloria impiorum ut fœnum exarescit.

13. SIC VIÆ OMNIUM QUI OBLIVISCUNTUR DEUM, ET SPES HYPOCRITÆ PERIBIT. — Septuaginta vertunt, οὕτως τοίνυν ἔσται τὰ ἔσχατα τῶν ἐπιλανθανομένων τοῦ Κυρίου, *sic igitur erunt novissima eorum qui obliviscuntur Domini*, id est, talis sors manet illos omnes, quos Dei præceptorumque ejus oblivio cepit : nam licet illis in præsentiarum blandiori vultu fortuna rideat, et ad tempus florere videantur adinstar scirpi aut caricis in virore suo exsistentis; attamen ante alios arescunt, et pereunt, Deo tarditatem pœnæ ipsorum gravitate compensante. Nominatim autem taxat eos *qui obliviscuntur Deum*, id est pessimo ingratitudinis vitio laborant, quod divinæ largitatis ac beneficentiæ fontem (quantum quidem est ex parte Dei in nos alioquin jugiter manantem) penitus obstruit, et quodammodo exsiccat; unde tales cum nullum amplius cœlestis gratiæ influxum percipiant, cito marcescant et exarescant necesse est : nam ut pulchre S. Bernardus lib. *De Cont. mundi* ait : « Ingratitudo est ventus urens, siccans fontes pietatis et fluenta gratiæ. » Deterrimus autem ingratitudinis gradus, teste Seneca, est *oblivio* : nam « ingratus est, inquit, qui beneficium accepisse se negat quod accepit; ingratus item qui non reddit; ingratissimus omnium qui oblitus est : » cujus rei causam hanc attulit gravis Auctor lib. III *De Ben.* cap. I : « Quia nunquam fieri gratus potest, cui totum beneficium elapsum est; » unde nemo gratiarum immemor est unquam gratus inventus. Hoc certe naturæ lumine cognitum est, in eoque gentes omnes consentiunt, homine ingrato atque immemori alienæ beneficentiæ nihil esse odiosius, nihil detestabilius, adeo ut comicus quidam non inepte dixerit : « Ingrato homine nihil pejus terra creat. » Sic Apostolus II *Timoth.* III, cum sæculi fæcem et colluvionem describeret, atque homines scelere perditos et irreligiosos velut in classes diversaque genera dispertiret, nominat inter alios ἀχαρίστους, *ingratos*, beneficiorum immemores; unde inter multa crimina, quorum in idololatriam causa rejicitur, a Sapiente numeratur *Sap.* XIV, 26 « Dei immemoratio, » vel, ut in Græco est, χάριτος ἀμνησία, *gratiæ immemoratio* : Dei quippe dona illustrissima nulla unquam debent oblivione deleri, nulla ingratitudinis significatione extenuari. Quia vere dignus est beneficium amittere qui non agnoscit, et ingratus exsistens oculos et affectum in cœlum non tollit, et

Vers. 13. Qui obliviscuntur Deum cito arescunt.

Ingratitudo siccat fontem gratiæ.

Oblivio est summus gradus ingratitudinis.

Deum in se beneficentissimum munerum largitorem extollere et prædicare non curat : certe « si gratiam homini non referre simile homicidio est, quantum crimen est, Deo non referre? » inquit Ambrosius.

Hypocritæ scirpo et carecto similis.

ET SPES HYPOCRITÆ PERIBIT : — quia nimirum frustrabitur eo quod speraverat, et excidet spe sua; atque hæc est totius de scirpo et carecto parabolæ applicatio, nam, ut bene S. Gregorius lib. VIII *Moral.* cap. XXIV notat, « *scirpi* vel *carecti* nomine hypocritæ vitam signat, quæ speciem quidem viriditatis habet, ad humanos usus fructum utilitatis non habet; quæ sterilitate operis arida permanens solo sanctitatis colore viridescit, » etc. Sicut ergo scirpus sine humore non viret, nec pulchram illam viriditatis speciem ostentat, nisi aquis irriguus sit : sic et hypocritæ, si non adsint spectatorum oculi, quorum laudem exoptant, ab operibus bonis cessant, et illam, qua præstare solebant, viriditatem depouunt. In cujus rei confirmationem id possumus observare quod Ludovicus Vives, Scholiastes S. Augustini, in lib. XXI *De Civit. Dei* cap. XVI, de Diogene Cynico refert : ille cæterorum more philosophorum, qui solam hominum laudem intendebant, ut S. Augustinus *ibid.* docet, multa sane horrenda faciebat, ut omnium oculos ad se suspiciendum mirandumque converteret : idcirco cum media hieme in gelidissima se lavaret aqua, et frequens populus id spectans misertus hortaretur, ut sibi parceret, Plato, qui simili infirmitate laborabat, et ex seipso quid Diogenes intenderet noverat, exclamavit : Si vultis ejus misereri discedite : cessantibus enim oculis spectatoribus cessabit ejus opus; quod tantum durabit quamdiu permanentes oculos spectantes se viderit : hypocrita enim opera sua perdidisse se putat, si a nemine conspiciatur. Hoc nempe proprium est hypocriseos, ut sit genus quoddam simulationis et vitium, quo quis fictis et adscititiis operibus callido artificio usurpatis, ad sanctimoniam in hominum luce oculisque ponendam, famam sibi et nominis existimationem aucupatur : non enim sanctus esse appetit, sed videri, et vocari; vult scire divina eloquia, nec tamen facere; vult recte loqui, non tamen vivere.

Diogenes Cynicus vanæ gloriæ manipum.

Quid sit hypocrisis.

Est plane stultum vitii genus, index puerilis animi et minuti, ultro in equuleum et crucem incurrere, difficilia opera suscipere, gravia pati, ut falsi honoris umbra fruaris, nullo alio fructu, nisi ut homines te irrideant, Deus vivum mortuumque excruciet. Hinc hypocritæ in Apocalypsi D. Joannis cap. VI, symbolice describuntur equi pallidi effigie, in quo mors inequitet, ut volunt Hugo Cardinalis, Richardus a S. Victore, aliique : pallidumque volunt dictum, horridiorem, exhaustum, debilitatum, non lætum et nitentem, ob labores quos sustinent in simulanda sanctimonia : nam seduli ædes sacras et domicilia pietatis circumeunt, carnis macerationem adhibent, jejunio exterminant facies suas, et alia faciunt, quæ evangelii scriptores enumerant dum agunt de scribis et pharisæis, quorum vita specimen fuit hujus impiæ et infandæ simulationis. Apud D. Paulum, I *Timoth.* IV, 2, dicuntur in hypocrisi loquentes mendacium et cauteriatam habere conscientiam, videlicet afflictam et igneo ardore vexatam, qui patientissime notas a dæmone impressas doloresque magnos pro nihilo ferant, et tetro ardore puteant. Ita pharisæi, cum pietatem fingerent, everterent innocentiam, Dei sapientiam illuderent, in ima ora vestis talarisque togæ spinas abhibebant non sine cruciatu corporis acerboque sensu, ut aculeis icti cum ingrederentur, visique ab hominibus, patientis animi laudem colligerent. Quæ stultitia est atque impiæ mentis error, sustinere gravia nullo lucro, nisi ut pœnam fœnereris; religionem adhibere ad conculcandam religionem; virtute abuti in ipsius virtutis opprobrium; adhibere divinum cultum in contumeliam sanctissimi Numinis; artificio malitiæ bonum velle videri? Illudunt impiam illam vecordiam Patres et miserantur, et auctoratos illos dæmoni et vanitati cum Simone Cyrenæo componunt, qui fumo angariati sint ad crucem ferendam, ad laboriosæ vitæ genus inutiliter exsorbendum. S. Petrus cognomento Chrysologus *Serm.* 7, vocat *pestilentiam*, « quæ remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimen : » ubi etiam eleganter hypocrisin nominat « virtutum fucum, tineam sanctitatis, quæ creduli arte virtutes truncat mucrone virtutum, jejunium jejunio perimit, oratione orationem evacuat, » etc. Quomodo autem spes hypocritæ pereat ostendit Baldad cum subdit :

Hypocritæ martyrestudiosi.

Hypocritæ sine lucro se affligunt.

Hypocrisis est pestis et tinea sanctitatis.

Stultum hypocriseos vitium.

Hypocritæ equo pallido assimilantur.

14. NON EI PLACEBIT VECORDIA SUA, ET SICUT TELA ARANEARUM FIDUCIA EJUS. — Vecors plane est, inquit Sanctius noster, et stuporis intolerabilis ille, qui placere se Deo putat specie tantum externa atque fucata sanctitatis, quasi Deus illudi posset et capi falsa rerum imagine. Qui autem in ejusmodi sanctitate sibi placet, nititurque quasi aliquo fundamento solido, similis est illi qui vestigia sua aut domum in tenui ac fragili aranearum tela fundare velit, aut illa tela suam induere nuditatem : qua in re et suum ostenderet stuporem ac vecordiam, et aliis se irridendum præberet. Aranearum tela proverbiali forma apud Hebræos sumitur pro re vilissima, quæque facile dissipari potest; cum tamen magno aranearum labore ex earum visceribus elaborata sit. Sæpe hoc proverbium in Scriptura legimus : illius sensum explicuit Isaias cap. LIX, 5, qui cum dixisset de impiis : « Telas araneæ texuerunt, » mox addidit : « Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis : opera eorum opera inutilia. »

Vers. 14. Hypocritæ stupor et vecordia.

Aranearum tela pro re futili dicitur per proverbium.

David quoque in omnem partem oculatus, qui

http://www.obrascatolicas.com

clarissimo in lumine et naturæ et gratiæ cursum intuebatur, cum vellet vitæ humanæ imbecillitatem ante oculos subjicere, hanc imaginem excogitavit : pingit enim vilem araneam inutili se labore cruciantem et penitus eviscerantem, tum similem esse hominem pronuntiat *Psalm.* LXXXIX, 10 : « Anni nostri sicut aranea meditabuntur, » vel, ut legunt Septuaginta, ἐμελέτησαν, *meditati sunt*; quem locum illustrat in hunc modum Scholiastes : Hæc, inquit, vita nostra omnis est imbecilla sicut telæ aranearum : subdit hic vocari meditationem συνεχῆ ταλαιπωρίαν, *assiduam afflictationem* et miseriam; et S. Hieroymus epist. *ad Cyprian.* aranecæ meditationem ait dici *infirmitatem operis illius.* Quid igitur sunt anni nostri? quid vita, quam hic degimus, in qua prudentia consilioque nostro gestimus, et magnifice glorioseque extollimur, in qua nos posse humana omnia moderari ad reliquorum omnium admirationem confidimus? Nihil aliud nisi araneæ meditatio ταλαιπωρία, laboriosa quædam mentis exercitatio, frivolum opus atque inutile, et difficilium nugarum plenissimum, in quo dies et noctes ordiendo et texendo casso labore mens consumitur. Hinc tenduntur cogitationum fila tenuia, et in orbem atque in gyrum ægri capitis consilia nectuntur, animi proposita figuntur, ilia rumpuntur, cor exsuccum et exenteratum languescit; muscæ captantur, jamque spe et exspectatione devorantur, cum modicus venti adversi flatus inanem illam paraturam, subtilium textum cogitationum, vana molimina, perennium vigiliarum meandros, sollicitudinum plexus, illam denique araneæ meditationem, ut pompam quamdam imbecillitatis humanæ, subito frangit et evertit.

Vita humana similis meditationi aranearum.

Quæ in aranearum opere consideranda sint maxime.

Consideranda hic cum D. Gregorio multa circa aranearum telas, ex quibus domunculas sibi faciunt, quæ cum moribus hypocritarum apprime consentiunt : primum, nullum esse opus subtilius, nec majori ordine compositum inter animalium opera cæterorum, quam telam araneæ, quam sæpe admirantes conspicimus. Deinde, nullum esse animal, quod ita laboret in opere suo sicut aranea : cætera enim animalia conficiunt opera ex his quæ illis extrinseca sunt, v. g. ex paleis luto coagulatis hirundo aliæque aves nidum exstruunt; aranea vero ex intimis præcordiis, ex ipsismet suis visceribus fila trahit, quibus telam ordiatur : deinde cætera animalia domunculas aut nidos, aut foveas sibi sub brevi spatio conficiunt; aranea autem hinc inde texens procedit, egreditur et regreditur, et sæpe ab uno loco in alium longe distantem opus extendit. Denique, nullum esse opus, quod facilius dissipetur et pereat : nec enim requiruntur mallei ferrei, aut secures, aut bombardarum ictus, aut lancearum vibrationes; sufficit levis aer ad telam penitus dissipandam, ut ultra non solum ipsa tota, sed nec ejus pars aut filum appareat. Tandem totum opus tanto labore confectum, ordinatum tantummodo est ad muscas et ciniphes capiendos, quibus aranea sustentatur : talis quippe pastus tali animali dignus.

In quibus opera hypocritarum aranearum telis similia sint.

Istiusmodi prorsus sunt hypocritarum opera, telis aranearum simillima : *primo* videntur eorum opera esse ordinatissima, magna discretione perfecta, hoc enim tanto magis procurant, quanto sollicitius contendunt, ne aliquis defectus in eorum operibus et in eorum actionibus deprehendatur. *Secundo*, summo cum labore talia opera faciunt : « Mira abstinentia se affligunt (inquit D. Gregorius lib. VIII *Moral.* cap. XXX) omne robur corporis atterunt, et quasi carnis vitam in carne viventes exstinguunt; sicque per abstinentiam morti appropiant, ut pene quotidie morientes vivant, Veritate attestante, quæ ait *Matth.* VI, 16 : *Exterminant facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.* Nam ora pallescunt, corpus debilitate quatitur, pectus interrumpentibus suspiriis urgetur, » etc. *Tertio*, tam facile opus eorum dissolvitur, et tela, quam orsi fuerunt, consumitur, ut levi flatu venti dissipetur et pereat : « quia quidquid hypocrita cum labore peragit inquit, *ibid.* S. Gregorius, aura humani favoris tollit; et dum in appetitu laudis opus deficit, quasi in ventum labor evanescit. » Tandem si inquiras, quid miser grandi suo labore intendat; invenies ejus spem similem esse aranecæ, quæ nihil aliud nisi muscas et ciniphes resonantes captare constituit, humanam scilicet laudem, transitoriamque, momentaneam ac inanem gloriam, qua pascitur, quam aucupatur, similis Ephraimo, de quo Propheta dicit *Ose.* XII, 1 : « Ephraim pascit ventum. »

Merito igitur fiduciam hypocritæ cum araneolæ textu comparat, qui levissimæ rei attactu et ventulo exiguo frangitur : vere « sicut tela aranearum fiducia ejus, » *q. d.* Qui in se confidit, infirmissima re nititur, quæ sustentare non possit; ruet igitur, et illudetur : Septuaginta vertunt, ἀράχνη δὲ αὐτοῦ ἀπεδύσεται ἡ σκηνή, *aranea autem evadet ejus tabernaculum*; S. Augustinus transtulit, *araneis implebitur tabernaculum ejus*, id est, interibit ipse cum posteris suis, ita ut non supersit qui habitet in tabernaculo ejus, et vacuam domum araneæ occupent : quo fere sensu etiam Osee ait cap. VIII, 6 : « Quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ, » id est, non coletur amplius pro Deo, sed ut vile quid et abjectum sordibus, et cassibus aranearum implebitur; vel potius in nihilum redigetur, sicut solent telæ aranearum in fila resolutæ difflari et dissipari. Est quippe aranea ejusque tela symbolum fragilitatis ac tabitudinis, uti S. Augustinus *in Psalm.* XXXVIII annotavit dicens : « Quid tabidius aranea? animal ipsum dico. Quanquam et ipsis telis aranearum quid tabidius? Attende et ipsum animal, quam tabidum est : pone supra leviter digitum, ruina est : nihil omnino tabidius. » Unde David ait *Psalm.* XXXVIII, 12 : « Tabescere fecisti sicut araneam animam ejus, » pro quo Symmachus vertit, καὶ διαλύεις ὡς εὑρῶτα τὸ ἐπιθυμητὸν αὐτοῦ, *et dissolvis tanquam cariem desiderabile illius*; S. Hieronymus, *et posuisti quasi tineam desiderabilia illius* : sicut enim aranea facile perit, et tinea, si objiciatur soli, diffluit et interit abiens in auras : ita hominis hypocritæ desiderium et spes, vita, status, conditio fugacissima sunt, et corruptelæ maxime obnoxia.

Aranea symbolum tabis et fragilitatis.

Vers. 15. 15. INNITETUR SUPER DOMUM SUAM, ET NON STABIT : FULCIET EAM, ET NON CONSURGET. — Explicatur vis et usus proverbii paulo ante allati, et quare hypocrita dicatur aranearum telas operatus : quia scilicet non plus habebit firmamenti in domo, quam magnis ædificavit impensis, quam si telas e suis visceribus aranearum in morem texuisset; unde liquet, quam sit stultum re adeo fragili niti velle, quæ levissimo fortunæ tactu flatuve dejicitur. Liquet etiam vanos esse conatus impii satagentis rem inconstantissimam stabilire, cum nequeat illa diu consistere : nihil enim firmum, nihil fixum et stabile est, quod Dei sit præsidio destitutum. Atque adeo ædem suam Deus, quam sibi in Hierusalem ædificari imperaverat, in qua ob eam rem Judæi, cum essent scelerati, spem maximam subsidii posuerant, ut vanam hujusmodi spem et fallacem ostenderet, everti voluit, sicut est per Jeremiam minatus dicens *Jerem.* VII, 14 : « Faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, et in qua vos habetis fiduciam, et loco quem dedi vobis, et patribus vestris, sicut feci Silo, et projiciam vos a facie mea. » Septuaginta hunc versum reddunt hoc modo, ἐὰν ὑπερίσῃ τὴν εἰκίαν αὐτοῦ, οὐ μὴ στῇ· ἐπιλαβομένου δὲ αὐτοῦ, οὐ μὴ ὑπομείνῃ, *si suffulcerit domum suam, non stabit; et cum cœperit, non permanebit*; ubi conatus impii domum firmam perpetuamque molientis, e contrario vero ira Dei demolientis evertentisque notatur; hinc ampla divitum iniquorum palatia vel cœpta non perficiuntur, vel absoluta brevi corruunt. Ostendit autem quam sit stultum et futile hypocritarum opus, quod et nullum apud Deum pondus habebit, et quod stolido homini hypocrisis imponit, onus non solum inutile, sed etiam intolerabile est : est enim durum simulare diu quod non est alieno fuco, aut quod est perpetuo quodam artificio et immenso labore dissimulare. Hæc sane doctrina Baldadi, si bene adaptetur, deriveturque in eos, qui abjecta Dei cura res caducas diligentissime conquirunt, ad mores corrigendos prodesse poterit, quidquid ille cogitaret, dum eam promeret : multa quippe amicorum Jobi pronuntiata et vera et gravia sunt, tametsi Jobo, qui eis minime indigebat, obtrudi non debuerint. Pergit autem Baldad sententiam poetice excurrentem pertexere cum subdit :

Domus et opus impii non fulcietur.

Nil stabile absque præsidio Dei.

Opus hypocritarum futile et stultum.

Vers. 16 et 17. 16 et 17. HUMECTUS VIDETUR ANTEQUAM VENIAT SOL, ET IN ORTU SUO GERMEN EJUS EGREDIETUR. SUPER ACERVUM PETRARUM RADICES EJUS DENSABUNTUR, ET INTER LAPIDES COMMORABITUR. — Hic locus difficilis est et obscurus, quem variæ interpretum lectiones et auctorum expositiones, quas Sanctius et Pineda recensent, difficiliorem reddunt. Sed non errabimus, sequentes mentem S. Patrum tam Græcorum quam Latinorum, signanter Philippi diaconi, B. Gregorii, D. Thomæ et Bedæ, qui existimant Baldadum his verbis persistere in ea quam comperat metaphora scirpi, explicaturum hypocritæ mores et sortem : quam, quantum existimo, ita ad vivum exprimere conatus fuit, ut incipiens describere hypocritam a scirpo, deinceps de ipso hypocrita solummodo loquatur; et quæ hic dicit non scirpo, sed hypocritæ tantum conveniant. *Solis* nomine, inquit S. Gregorius lib. VIII *Moral.* cap. XXXIII, Christus exprimitur : hic adveniet tanquam sol, et orietur clarus in die judicii, I *Cor.* IV, 5 : « Quando illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, » de quo ad litteram per Malachiam dixit Deus cap. IV, 3 : « Ecce dies veniet succensa quasi caminus (diem judicii indicat) : et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ : » Apte, inquit S. Hieronymus *in Malach.* cap. IV, dicitur, quod orietur ut sol, quia omnia patefaciet, et manifestissima reddet : Sol, inquit *ibid.* Ribera noster, quasi restituit rebus suum colorem, quem nox abstulisse visa fuit, juxta illud Poetæ lib. VI *Æneid.* :

Hypocritæ merces per metaphoram scirpi explicantur.

Christus *solis* nomine intelligitur.

Et rebus nox abstulit atra colorem.

Quod imitatus Prudentius dixit :

Rebusque jam color redit
Vultu nitentis sideris.

Orietur propterea Christus sicut sol, quia unusquisque sub claritatis illius splendore verum ac genuinum vultum suum referet; unde, quod noster legit I *Timoth.* IV, 8 : « Iis qui diligunt adventum ejus; » S. Augustinus sæpe legit, *qui diligunt manifestationem ejus*, quasi adventus ejus futura sit illius manifestatio, et tanquam quidam solis ortus, qui se splendentem et omnia illuminantem exhibebit. « Antequam hic sol veniat, inquit S. Gregorius, humectus videtur scirpus, quia priusquam divina districtio in judicio candeat, omnis hypocrita infusum se sanctitatis gratia ostentat; quasi virens aspicitur, quia justus æstimatur; honoris locum obtinet, gloria sanctitatis pollet, a cunctis ei veneratio defertur, opinione laudis extenditur. Ante solis adventum germen suum scirpus ostentat, quo pulcher apparet, » etc.

Scirpus ante solis ortum, et hypocrita ante judicium viget.

Et si quæras quid hypocrita per hujusmodi opera intendat : « Super acervum, inquit, petrarum radices ejus densabuntur, et inter lapides commorabitur; » Septuaginta vertunt, ἐπὶ συναγωγὴν λίθων κοιμᾶται, *in congregatione lapidum dormit*, aut quiescit; Scholion habet, ἐπὶ βουνὸν ῥίζαι αὐτοῦ, *super collem radices ejus*; quæ verba sunt ex eo difficilia, quod scirpo non videantur convenire, qui non radices super petras mittit, nec

http://www.obrascatolicas.com

inter lapides oritur, sed ad aquarum decursus, et in locis humentibus, non in collibus nascitur, sed in convallibus. Omnem tamen difficultatem aufert, quod diximus Baldadum, qui in scirpo hypocritam primo describendum assumpserat, nunc relicto scirpo, ea quæ ipsi tantum hypocritæ conveniunt elegantissime exprimere. « Quid *radicum* nomine, inquit *ibid.* S. Gregorius cap. XXXV, nisi latentes cogitationes et intentiones accipimus? quæ in occulto prodeunt, sed in ostensione operum per apertum insurgunt. Sicut et de verbi semine per Prophetam dicitur *Isai.* XXXVII, 31 : Hoc quod salvatum fuerit de domo Juda, et quod reliquum est, mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum : *radicem* quippe *deorsum mittere*, est cogitationem bonam in abditis multiplicare; *fructum* vero *sursum facere*, est per efficaciam operis recta quæ cogitavit ostendere. *Lapidum* vero nomine in S. Scriptura homines designantur, sicut S. Ecclesiæ per Isaiam dicitur cap. LIV, 12 : *Ponam jaspidem propugnacula tua et portas tuas lapides sculptos.* Quid namque *lapidum* nomine intelligi vellet explicuit subdens; *universos filios tuos doctos a Domino;* et sicut admonente Petro dicitur I *Epist.* II, 5 : *Et vos tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis* : hoc itaque loco quia *lapides* dicti sunt, sed tamen *vivi* minime dicuntur, nuda appellatione *lapidum* permixti possunt reprobi et electi figurari. »

Cogitationes sunt radices operum.

Hypocritæ tantum laudes humanas spectant, et in acervis petrarum radices mittunt.

Scirpus itaque iste, qui inter lapides commoratur, super acervum petrarum radices densat, quia hypocrita omnes suas cogitationes in exquirenda hominum admiratione multiplicat : per omne enim quod hypocritæ faciunt, quia occultis cogitationibus laudes hominum requirunt, quasi radices scirpi in acervum petrarum mittunt; unde et factis suis perpetuo arbitros requirunt, ibique mentis suæ intentionem avidius reponunt, ubi majorem hominum acervum et congeriem vident; de quibus Dominus *Matth.* VI, 16 : « Exterminant facies, ut appareant hominibus jejunantes, » etc. : ex his intelliges illorum stoliditatem, qui petras inquirunt, ut super eas mittant radices. Quem humorem putas extrahere posse herbas, quæ super acervum lapidum suas radices miserint? parvum certe et exiguum, quamobrem et semen, quod, *Luc.* VIII, 6, « cecidit super petras, natum statim aruit : quoniam non habebat humorem. » Sunt aliqui homines lapidibus ipsis duriores, ex quibus aquam abundantem trahere opus est divinæ virtutis, per quam eduxit aquam de petra. Optime istorum hominum duritiem Philosophus ille intellexit, qui ut assuesceret non commoveri, nec irasci contra homines petita negantes, primo ad petras accedebat, petens supplex ab eis quod ab hominibus postulare intendebat : sæpe enim idem est ab hominibus atque a durissimis petris aliquid præstolari aut exspectare. Qui omnes mentis suæ cogitationes ac intentionis suæ radices super petras collocat, quem credis extracturum humorem? exilem sane et exiguum, ad minimum caloris æstum, aut ad levem stantis venti auram exsiccandum et consumendum. Alium profecto nobis locum designat Christus, in quo radices mittamus, ipsum scilicet Patrem cœlestem, qui est pelagus infinitæ substantiæ, ex quo omnia bona promanant; in quem qui radices miserit « non erit sollicitus in tempore siccitatis, neque cum venerit æstus, » ut dixit Jeremias cap. XVII, 8 : in Deo item justorum radices fixas exponebat Spiritus Sanctus de illis dicens *Sap.* V, 17 : « Cogitatio eorum apud Altissimum. »

Quidam homines lapidibus duriores.

Radices cogitationum in Deo Patre ponendæ.

18 et 19. SI ABSORBUERIT EUM DE LOCO SUO, NEGABIT EUM, ET DICET : NON NOVI TE. HÆC EST ENIM LÆTITIA VIÆ EJUS, UT RURSUM DE TERRA ALII GERMINENTUR. — Quod si, inquit, Deus iratus (uti solet) injecta indignationis flamma impium absorpserit, et avulserit a domicilio suo, ubi arboris more radices defixerat, ipsemet locus, aut domus ab aliis, puta creditoribus, occupata quasi tacita loquetur aiens : Nescio quis sis. Hæc scilicet est prosperitas vitæ viri impii, qui ut arbor noxia stirpitus evellitur, ut alii tanquam fructuosæ plantæ nascantur, et prosperentur. Ita sane convincunt exempla pleraque antiqua et recentia, quæ timorem incutiunt : quis enim non animadvertat homines impios honoribus et opibus affluentes in extremam calamitatem sæpenumero conjectos, qui ad januas domorum amplissimarum, in quibus floruerant, pene stipem corrogantes multiplices referunt repulsas ; quasi locus ipse per prosopopœiam diceret : Non novi vos? Sic intercidit prosperitas peccatorum, quæ per agri lætitiam hoc loco eleganter designatur, et alii pro eis locupletantur, sicut scriptum est *Eccli.* X, 17 « Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis. » Exemplo sunt Lucifer cum angelis apostaticis, quos detraxit e thronis cœlestibus, in quibus eorum loco apostolos aliosque viros humiles ac mites collocavit : sic superbo Baltassare e monarchia Assyriorum dejecto surrogavit Darium et Cyrum, qui mites fuere erga Israelitas. De hypocrita autem hunc locum conformiter superioribus recte sic exposueris, *q. d.* Cum Deus eum e vivis subtraxerit, nequaquam pro suo servo agnoscet, sed dicet id quod fatuis virginibus dixit *Matth.* XXV, 12 : « Amen dico vobis : Nescio vos, » quia opera, licet ex genere bona, accepta non habet ; quæ præpostera intentio captandæ laudis humanæ a sua bonitate dejecit. Est ergo vanus honor ex sancta conversatione quæsitus, qui nos cœlestibus præmiis evacuat, et thesaurum illum, quem in æterna patria speramus, pro inani favore et momentaneo commutat. Hoc usque Baldad argumentum ab exemplis majorum et a naturali similitudine contexuit, ut Jobum ad pœnitentiam promoveret; modo vero ex iis, quæ graviter, et opinione quidem sua, pie præmisit atque amplificavit, deducit id quod in principio posuit,

Vers. 18 et 19.

Impii a Deo exterminantur.

Hypocritis a Deo alienat.

scilicet, Deum non pervertere judicium insontes plectendo, foreque propitium, si Jobus supplices ad eum preces emiserit.

Vers. 20.

Deus simplices amat, malignos detestatur.

20. DEUS NON PROJICIET SIMPLICEM, NEC PORRIGET MANUM MALIGNIS. — Concludit totius statum controversiæ, et ex parte Dei discrimen statuit inter hominem malignum seu hypocritam, et eum qui simplici est ac sincero pectore ; siquidem hunc Deus ut sibi similem diligit, et amice suscipit ; illum vero tanquam inimicum a se rejicit ac detestatur, juxta illud *Prov.* XXXV, 32 : « Abominatio Domini est omnis illusor : et cum simplicibus sermocinatio ejus ; » atque ex his non obscure videri potest quantum sit malum et fugiendum simulatio et hypocrisis (quam superius capite quinto ad versum 18 omni juri tum divino tum humano repugnare ostendimus) quantumque bonum et omnibus amplectendum sit simplicitas et candidi pectoris innocentia, quæ Deo nos familiares reddit et participes munerum divinissimorum. Unde S. Dionysius Areopagita, quo nemo post apostolos sublimius atque magnificentius de Numine disseruit *De Div. Nom.* cap. I § 3, ponit simplicitatem : « Deus, inquit, est τῶν ἁπλουμένων ἁπλότης, *eorum qui simplices fiunt simplicitas,* » quem forte imitatus Tertullianus lib. *De Bapt.* cap. II, proprietates Dei ait esse *simplicitatem* et *potestatem,* ipsumque simplicia quædam in sacramentis elegisse ; theologiæ vero scholæ omnes personant Deum esse simplicissimum ens, sine ulla compositione ; in quo nihil varium, mixtum, et turbulentum, et dissimilibus concretum; summe unum. Quam simplicitatem omni ratione perfectam etsi nulla creatura consequi potest, monemur tamen ut vita et moribus, quantum fieri potest, ad illam accedamus ; hanc autem quanti etiam in hominibus æstimet et amet Deus, ipsamet corporata sapientia Jesus Christus luculenter ostendit, quando non ex superba quapiam, auro gemmisque turgida mundi regina; sed ex humillima et immaculata Virgine Maria, simplicitate candida, pudore rubicunda, carnem assumere ac nasci dignatus est : nam vix natus lucem intueri cœpit, quam crearat, humanis oculis ducere diem, cum cœlestes misit nuntios ad cogendam pastorum simplicium pompam, superbis quidem homuncionibus despicabilem, sed angelis venerandam, qui nec potentia tumidi aut philosophia gloriosi, sed moribus culti, simplicitate verecundiaque decori adventantem in mundum Messiam honorarent. Quod divinæ providentiæ consilium magnifice prædicat D. Ambrosius lib. II *in Luc.*: « Non gymnasia, inquit, choris referta sapientum, sed plebem Dominus simplicem requisivit, quæ phalerare audita et fucare nesciret : simplicitas enim quæritur, non ambitio desideratur. » Par judicium deinde Christus in apostolis legendis ostendit, quos principes religionis et lumina orbis terrarum esse cupiebat : neque enim illos cepit e scribarum arrogantium cœtu et supercilio pharisæorum, qui ad fraudem et malitiam eruditi, populi applausum et reverentiam callido artificio emerebantur ; sed e communi vita simplices, innocentia vitæ et bonitate commendatos. Quam ob causam Petrus Chrysologus *Serm.* 28, apostolos divine vocat *simplicitate pretiosos.* Noluit profecto habere alios discipulos quam simplicitate candidos, et moribus animi innocentis Dei Filio simillimos : quæ omnia præsentem sententiam luculenter confirmant, quoniam « Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis. »

Deus est simplicitas, et amat simplicia.

Quanti Christus fecerit simplicitatem.

Christus noluit eligere alios quam simplices.

His igitur exemplis primi christiani, et hoc magisterio sacrosancto imbuti, nihil pulchrius feliciusque ducebant, quam hac pia et candida simplicitate præcellere ; unde Tertullianus lib. *De Spect.* cap. XXIX ait esse in vita christiana « non strophas, sed simplicitates ; » et lib. *De Cult. femin.* cap. ult. ornamenta apostolorum esse « de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, » etc.; D. Ambrosius cum eamdem virtutem in Satyro fratre mirifice commendavisset, suæ dictioni axioma hoc divinum adjunxit : « Anima benedicta omnis simplex, » quod ante ipsum pius Propheta cecinit *Psalm.* CXI, 2 : « Generatio rectorum benedicetur, » sic vocans gentem et nationem simplicium, hoc est eos qui recto sunt corde, et præponunt Dei voluntatem sibi, ut interpretatur S. Augustinus *in Psalm.* CXI. Hæc ergo generatio benedicetur, hoc est a Deo bonis omnibus affluenter et copiose cumulabitur : ea enim vis verbi est, ut apud Isaiam cap. LXI, 9 : « Isti sunt semen, cui benedixit Dominus. » Breviter ingentium bonorum cumulum et magnificentiam expressit, quæ simplicibus reponuntur, atque in eorum sinum quotidie a Deo liberalissime et plena veluti manu conferuntur : quid enim deesse illis potest, quibus Deus benedicit? Isaias cum justi hominis felicitatem vellet exponere consimili brevitate est usus cap. III, 10 : « Dicite justo quoniam bene. » Simplicium scilicet comes Deus, cum ad eorum semper latus ubique versetur, ubique benedicit, hoc est, aperit suæ benevolentiæ thesauros, ut in candidas illas animas cœlestia dona dispergat, easdemque mirificum in modum soletur et attollat : sicut e diverso malignos aversatur, ideoque « non porrigit iis manum, » id est, minime illos adjuvat, nec amicitiæ fœdus cum illis jungit, aut ab iis munus accipit, ut Septuaginta vertunt, πᾶν δὲ δῶρον ἀσεβοῦς οὐ δέξεται, *nec ullum munus impii accipiet;* quem admodum scilicet *Gen.* IV, 5 « respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus; ad Cain vero et ad munera illius non respexit ; » cujus nullam aliam Scriptura reddit rationem, quam quod Abel simplex esset, Cain vero malignus. Quo Baldad hic alludere videtur, et haud obscure David quoque respicit cum ait *Psalm.* V, 5 : « Mane adstabo tibi, et videbo : quoniam non Deus volens iniquitatem tu es : neque habitabit juxta te malignus : neque permanebunt injusti ante oculos tuos, » etc. Ut

Simplices a Deo benedicuntur.

Malignos Deus aversatur.

http://www.obrascatolicas.com

itaque Job malignorum abominationem evadat, et simplicium benedictionem obtineat, jubet eum Baldad sincero corde ad Deum converti, cuncta tunc illi prospera promittens.

Vers. 21. 21. DONEC IMPLEATUR RISU OS TUUM ET LABIA TUA JUBILO, —*q. d.* Adeo te, mi Job, si simplex et perfectus fueris, non projiciet Deus, ut etiam inter intimos suos habiturus sit, et bonis omnibus ac gaudiis ad risum et jubilationem usque cumulaturus; siquidem ex virtute tanta exoritur animi lætitia, ut justi et puri a peccato semper ovare et triumphare quodammodo videantur: quare Propheta regius ita invitat *Psalm.* XXXI, 11 : « Gloriamini omnes recti corde, » ubi *gloriari* est vehementer gaudere; unde quidam ita vertunt, *incitate ad ovationem rectos corde* : apud Septuaginta est καυχᾶσθε, quod victorum et triumphantium est proprium, qui fractis domitisque hostibus tripudio quodam gestiunt, cantu et lætitia efferuntur. Hebræa vox, qua David utitur, *jubilationem* significat; id Septuaginta et græci Patres passim dicunt ἀλαλάζειν, in rebus lætissimis *jubilare*; hinc ἀλαλαγμός, ut ait Hesychius, est *oda pro victoria*. S. Chrysostomus *in Psalm.* XLVI, exponit rem disertius : « Solent, inquit, exercitus, quando inclinat hostium acies, non uti extrema victoria, sed concordi voce et jubilo quatere eorum animos jam abjectos : quod est claræ victoriæ et trophæi argumentum maximum. » Hoc igitur lætitiæ genus promittit hic Baldad Jobo cum ait : « Donec impleatur risu os tuum et labia tua jubilo; » quæ nihil aliud significant, quam (ut S. Chrysostomus diceret) ἡδονὴν μεθ' ὑπερβολῆς, *insignem* quamdam *exquisitamque lætitiam* : virtus enim incredibilem animi voluptatem ingenerat, ut e contra scelus angorem turbulentum et pungentes curarum molestias, quæ diurnam et nocturnam quietem penitus exhauriunt, comes enim sceleris est mala formido, et conscientiæ horror, et impendens pœnæ metus, ut Tantalo saxum. Gravissime Tertullianus lib. IV *Contr. Marci.* cap. XVII : « Nullum, inquit, maleficium sine formidine est : quia nec sine conscientia sui; » sed divinius ea de re habemus oracului *Sap.* XVII, 11 : « Semper sæva præsumit perturbata conscientia, » inquit Sapiens : contra gestit et lætatur virtutis studiosus, et mirum quantum intimo in animo consolatione perfunditur. Quæ varietas in clypeo poetico aureo expressa mihi videtur, in quo Vulcanus elegantissimo artificio urbes duas effinxerat; in quarum una sunt convivia, festus Hymen, et tripudia, et cantus, tædarumque festa luce nitentium magna copia; in altera vero bella, contentiones, rapinæ, pugnæ, ululatus, luctusque audiuntur et gemitus. Imago est utriusque animæ tum gratia ornatæ, tum vitio deformatæ : in illa est læta et profunda pax, cantuque et choreis velut divinis plena sunt omnia; in hac vario dissonoque strepitu et tumultu ac concursu molestissimarum difficultatum omnia miscentur.

Quantum sit gaudium justis.

Virtus lætitiam, vitium tristitiam parit.

Atque ut e sacris potius quam ab Homeri ingenioso commento hæc illustrentur, si licuit erudito Poetæ fingere choros, et pæanes, et lucernarum accensiones, et εὐφροσύνας, hoc est magnifica et apparatissima convivia, ad animi lætitiam et alacritatem vitæ innocentis exponendam; paria prope vetustior Musis amicus Salomon *Prov.* XV, 15 : « Secura, inquit, mens juge convivium. » In hoc convivio defæcatum vinum est germinans virgines et honestissimas cogitationes, ubi non tibia strepit, non cinyra ludit, non chelys resonat, sed gratia modos facit, virtutes succinunt humanissima symphonia, cor justi liquida pace gaudioque perfruitur, et Dei laudes celebrat cantu læto jubilantis conscientiæ, adeo ut non raro etiam os ipsum risu impleatur et labia jubilatione : quod fit tum, quando exuberans animi lætitia cordisque hilaritas per vociferationem, risum et exsultationem aut hujusmodi exteriora signa se prodit. Hoc sensu David etiam eadem phrasi utitur ad ineffabilem populi israelitici, e babylonica captivitate liberati, lætitiam declarandam, cum ait *Psalm.* CXXV, 1 : « In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati : tunc repletum est gaudio (hebraice *risu*) os nostrum, et lingua nostra exsultatione : » risus enim et exsultatio, jubilatio atque confessio, laudatio et benedictio, vociferatio, et his similia, ad quæ Vates regius in Psalmis pios omnes frequenter invitat et adhortatur, sinceræ et abundantis lætitiæ signa sunt, quæ Baldad Jobo minime defutura pollicetur, dummodo non ficto, sed sincero corde Deum colat, ac revereatur : quippe qui simplicem amplectitur, neque ab illo exornando manum aufert, donec ipsum perfecto spiritali gaudio cumularit; quod nemo in posterum ab eo tollere possit, adeo ut si quis ausu temerario ejus gaudium interturbare præsumpserit, tantum abfuturum sit, ut voti sui compos fiat; quin e contra potius sibimetipsi molestiam creaturus, et perpetuam confusionem allaturus videatur. Quapropter subdit :

Jubilum bonæ conscientiæ.

22. QUI ODERUNT TE INDUENTUR CONFUSIONE : ET TABERNACULUM IMPIORUM NON SUBSISTET. — Jobo jam ad Deum sincere converso mirificam divinæ protectionis manum prorsus propitiam addicit Baldad, quin imo futurum omnino vaticinatur, ut non tantum nihil ab iis, qui plusquam vatiniano ipsum odio prosequuntur, incommodi relaturus sit; sed e contra visurus (quod erat votum Davidis, *Psalm.* CXX, 14), ut confundantur et deficiant detrahentes animæ ipsius, et operiantur confusione et pudore, qui quærunt mala illi. Illa autem confusionis significatio, *induentur confusione*, perelegans est, qua notari videtur illud rubeum quasi velum, quod vultui erubescentium tanquam quoddam indumentum obducitur. Eodem modo David inimicis suis imprecatur *Psalm.* CVIII, 28 : « Induantur qui detrahunt mihi pudore, et operiantur sicut diploide confusione sua, »

Vers. 23.

Quomodo pudor

indoi dicatur.

id est sic eis adhæreat confusio, sic eos totos operiat, sic penitus circumvestiat, sic eam ubique circumferant, quomodo diplois sive vestimentum adhæret corpori, et ipsum operit. Est autem hebraismus, quo exprimitur omnimoda et undique confundens verecundia, scilicet propter inhærentiam, assiduitatem ac perpetuitatem, qualis est in vestimento, sine quo nemo saltem in publicum procedit. Vel aptius forsitan dicemus Baldadum generaliter loqui de opprobrio et infamia, qua iniquos affici solitos pro eorum sceleribus frequenter Scriptura commemorat, præsertim eos qui viris sanctis detraxerunt : hi enim vehementer conturbantur, et magno pudore afficiuntur, cum viros sanctos, quibus antea illuserant et detraxerant, a malis postea vindicatos, felicem vitam agere et gloria florere conspiciunt. Id quod forte Baldad ipse aliique amici Jobi postmodum experti sunt, cum Job et e malis emersisset, et multis a Deo ornatus fuisset beneficiis; ipsi vero Dei reprehensionem incurrissent, quod non locuti fuerint rectum coram eo, sicut servus ejus Job, ut in fine libri narratur.

Tabernaculum

Cæterum cum subdit, « et tabernaculum impiorum non subsistet, » non tantum illos rubore ac confusione suffundendos, verum etiam penitus exterminandos significat : *tabernaculum* enim vocat habitaculum in terra, quo sensu etiam David ad impium dicit *Psalm.* LI, 7 : « Propterea Deus destruet te in finem : evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium, » significans eum tanquam domum non recte ædificatam, aut tabernaculum male compositum solo coæquandum, et penitus destruendum; aut tanquam arborem infrugiferam evellendum, et radicitus exstirpandum, id est genus et prosapiam ejus totam delendam et abolendam; quandoquidem cunctis hominibus per modum radicis est genus cuique suum, *q. d.* Ex omni domo et omni cognatione tua te eliminabit, et emigrare faciet ab hac habitatione et ab hominum super terram viventium conversatione ad diversorium mortuorum, quod est sepulcrum.

Impiorum destruetur a Deo.

Tropologice S. Gregorius lib. VIII *Moral.* cap. XXXII, hæc exponit de confusione, ignominia et ruina extrema, quam impii in die judicii sustinebunt; in quo minime subsistent, uti cap. VII, vers. 8 explicatum est.

Cæterum, quid ad hanc Baldadi orationem Job responderit sequens caput declarabit.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Admittit Job Deum per omnia justum esse, nec posse hominem cum eo de justitia expostulare; ostendens Deo non deesse rationes, ob quas possit, et interdum soleat, non solum impios, sed etiam justos et innocentes in hac vita percutere et affligere; qui tamen de injuria minime conqueri, nec Deum in jus vocare possint, sed judicem suum deprecari debeant, quod nemo satis æquitati causæ suæ confidere possit.

1. Et respondens Job ait : 2. Vere scio quod ita sit, et quod non justificetur homo compositus Deo. 3. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille. 4. Sapiens corde est, et fortis robore : quis restitit ei, et pacem habuit? 5. Qui transtulit montes, et nescierunt hi quos subvertit in furore suo. 6. Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur. 7. Qui præcipit soli, et non oritur : et stellas claudit quasi sub signaculo : 8. Qui extendit cœlos solus, et graditur super fluctus maris. 9. Qui facit arcturum, et oriona, et hyadas, et interiora austri. 10. Qui facit magna, et incomprehensibilia, et mirabilia, quorum non est numerus. 11. Si venerit ad me, non videbo eum : si abierit, non intelligam. 12. Si repente interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest : Cur ita facis? 13. Deus, cujus iræ nemo resistere potest, et sub quo curvantur qui portant orbem. 14. Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo? 15. Qui etiam si habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor. 16. Et cum invocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam. 17. In turbine enim conteret me, et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa. 18. Non concedit requiescere spiritum meum, et implet me amaritudinibus. 19. Si fortitudo quæritur, robustissimus est : si æquitas judicii, nemo audet pro me testimonium dicere. 20. Si justificare me voluero, os meum condemnabit me : si innocentem ostendero.

http://www.obrascatolicas.com

pravum me comprobabit. 21. Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, et tædebit me vitæ meæ. 22. Unum est quod locutus sum, et innocentem et impium ipse consumit. 23. Si flagellat, occidat semel, et non de pœnis innocentem rideat. 24. Terra data est in manus impii, vultum judicum ejus operit : quod si non ille est, quis ergo est? 25. Dies mei velociores fuerunt cursore : fugerunt, et non viderunt bonum. 26. Pertransierunt quasi naves poma portantes, sicut aquila volans ad escam. 27. Cum dixero : Nequaquam ita loquar : commuto faciem meam, et dolore torqueor. 28. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. 29. Si autem et sic impius sum, quare frustra laboravi? 30. Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ : 31. Tamen sordibus intinges me, et abominabuntur me vestimenta mea. 32. Neque enim viro qui similis mei est, respondebo : nec qui mecum in judicio ex æquo possit audiri. 33. Non est qui utrumque valeat arguere, et ponere manum suam in ambobus. 34. Auferat a me virgam suam, et pavor ejus non me terreat. 35. Loquar, et non timebo eum : neque enim possum metuens respondere.

Vers. 1 et 2.

1 et 2. ET RESPONDENS JOB AIT : VERE SCIO QUOD ITA SIT, ET QUOD NON JUSTIFICETUR HOMO COMPOSITUS DEO. — Job sui sententiæque suæ securus nequaquam quærit diverticula, nec Baldadi argumentum subterfugit, sed pro veritate in forma libere respondet, concedenda concedens, neganda negans : objecerat ei Baldad, ac si Deum injustitiæ redargueret, qui innoxios puniret, justitiam judiciumque subvertens : hoc ipso nempe quod Jobus se insontem excruciari conquestus est, semetipsum ex Baldadi sententia Deo prætulerat, ut qui justo immerenti pœnam inflixisset. In eo quippe cruciatu (si modo Baldad vera censeret) Deus injustus, Job justus appareret : ac proinde ut tumorem Jobi, quo se Deo propriæ opinione innocentiæ antetulisse videbatur, supprimeret, præcedenti capite, quasi ex abrupto, verbis indignatione plenis ipsum aggressus fuerat dicens cap. VIII, 3 : « Numquid Deus supplantat judicium? aut Omnipotens subvertit quod justum est? » Quo sensu item Eliphaz cap. IV, 17, dixerat : « Numquid homo Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir? » Ex quo perspici potest, quam serio et ferventer in unam eamdemque sententiam importuni illi certatores conspirent. Jobus ergo tanquam veritatis fidissimus assertor, qui omnia ratione, non afflictionis sensu metiebatur, tam ingenue fatetur et commendat vera, quam generose falsa depellit; quod tum alibi, tum in hoc præsertim capite liquido demonstrat, dum verum utriusque disputatoris assertum non admittit modo, sed etiam elegantissime disertissimeque integro fere capite amplificat et exornat : sic enim auspicatur aiens : « Vere scio quod ita sit, et quod non justificetur homo compositus Deo, » *q. d.* Absit ut ego hoc intendam, aut temerario prorsus ausu tentem, quod vos suspicamini, scilicet hominem cum Deo committere; quin potius cedo lubens Deo, cujus nomen hebraicum hoc loco est אל *el*, quod *fortem* significat; cui si componatur humana fragilitas (quæ per antithesin a misera conditione hic in Hebræo אנוש *enos* appellatur, et a Septuaginta βροτὸς, id est *mortalis*, interpretatur) omnino marcescat et succumbat necesse est. Cum autem dicit *vere*, hebraice אמנם *amnam*; quæ vox ejusdem significationis est ac אמן *amen*, id est *veritas*, certitudo, firmitas; omnino significat se minime fucate, aut hypocritice, ac simulate, sed candide ac sincere, ex animi mentisque sententia sic sentire, nosse, exploratum habere, ac fateri tanquam certum et indubitatum; scilicet neminem quantumvis sanctum, quantumvis justum cum Deo comparatum justificari : nam justus quidem aliquis esse potest, si quidem cum aliis hominibus, non autem si cum Deo comparetur, cum quo vel ipsimet supremi angeli collati, rigide loquendo, nec justi, nec sancti sunt, imo nec sunt, ut S. Dionysius lib. *De Div. Nom.* non semel docet : quia finiti ad infinitum nulla est proportio, ut philosophorum ratum ac certum fert axioma; neque Dei ad creaturam ulla proprie vera est similitudinis comparatio, quia scilicet ita est super omnia elevatus, ut cum nulla re creata vel creabili similitudinem habeat. Quomodo igitur creaturæ, et quælibet res factæ, quæcumque vocabulo entium significantur, conferri possint cum natura, quæ ultra omnia est? immensis enim mensuris, et quæ conferri non possunt, causa omnium supra effectus locatur et eximitur, et ab eis abest. Quod cum Jobum, qui summus erat theologus, minime lateret, libere asseverans, et quasi jurejurando confirmans : « Vere, inquit, scio quod ita sit, et quod non justificetur homo compositus Deo. »

Job tam ingenue vera fatetur, quam generose falsa refutat.

Quomodo nemo justus, si cum Deo comparetur.

Creaturæ ad creatorem non est collatio.

Ubi notandum est S. Jobum non dixisse, quod vere homo non justificetur; sed *non justificetur compositus Deo*, quod sic exponunt et intelligunt Patres, vel quia justitia justorum vera quidem est, sed ab ipsis non est quasi propriis viribus acquisita, sed a Deo gratis donata, ita S. Augustinus ad hunc locum, et *in Psalm.* CXLII; vel quia justitia eorumdem justorum vera, sed non pura est, cum admixta sit peccatis venialibus, ita S. Gregorius hoc loco, et S. Hieronymus epist. *ad Ctesiph.*, et S. Augustinus in lib. *De Perf. justit.*; vel denique quia ut vera et pura esset, comparata tamen justitiæ Dei increatæ et infinitæ, justitia esse non videtur, quemadmodum lux lucernæ in radiis solaribus pleno die collocata non lucet : ita S. Hilarius, et S. Hieronymus *in Psalm.* CXLII, et alii. Job itaque ultro concedit fundamentum disputationi a Baldado suppositum, scilicet Deum non supplantare judicium, nec Omnipotentem subvertere quod justum est, quod planum et contestatum esse demonstrat ex eo, quod homo cum Deo comparatus non possit justificari; justificaretur autem, si Deus in eo puniendo supplantaret judicium : pro jure enim suo diceret ei : Cur me immerentem punis? in quo peccavi? quid commerui? cur iniquus erga me es? Justificatur autem Deus cum hominem ulciscitur atque vindicat, idque ingenue hominem fateri necesse est, ut Esdras dicebat I *Esdr.* IX, 10 : « Et nunc quid dicemus, Domine Deus noster, post hæc, quia dereliquimus mandata tua : Domine Deus Israel, justus es tu, quoniam derelicti sumus, qui salvaremur, sicut die hoc : ecce coram te sumus in delicto nostro : non enim stari potest coram te super hoc. » Vel ut Christus dicebat *Matth.* XXVI, 39 : « Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste : verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu : » semper enim existimandum est Deum æquum exercere judicium quacumque in nos ratione animadvertat. Vide quæ *supr.* cap. IV, ad vers. 17, dicta sunt de hoc argumento.

Homo non potest cum Deo compositus justificari.

Vers. 3.

3. SI VOLUERIT CONTENDERE CUM EO, NON POTERIT EI RESPONDERE UNUM PRO MILLE, — id est, si quispiam temerarius homo auderet se cum Deo comparatum justificare, ac judicio cum illo contenderet quærens : Quid commerui? ex mille delictis quæ a Deo objicerentur ei vel unum non diluere t. Ratio asserti hujus petenda est a divina sapientia et magnitudine, de qua in proximo versu, et ab ignorantia et imbecillitate hominis : etsi enim justus alta sui cognitione subnixus, et divinæ liberalitatis largitione gratus, Deo judicanti ac roganti respondere ipsius ope valeat, minime tamen cum eo contendere vel altercari : verbum quippe originale רוב *rob* forense est, et *contendere*, contestari ac litigare seu rixari significat. Manifeste autem liquet, et justum ipsum, qui cum Deo suæ fidens causæ intemperanter agere auderet, causa cadere, et prima interrogatione tactum prosterni. Et hic profecto sensus satis apte videtur argumentis Eliphazi et Baldadi congruere. Septuaginta quoque hæc ad judicialem contentionem manifeste referunt cum ita vertunt, ἐὰν γὰρ βούληται κριθῆναι αὐτῷ, *si enim voluerit judicari cum eo*, id est, « si voluerit judicio contendere : » sic enim κρίνομαι passim accipitur, ut in illo *Psalm.* CVIII, 7 : ἐν τῷ κρίνεσθαι αὐτὸν ἐξέλθοι κατάδικος γενόμενος, *cum judicabitur exeat condemnatus* : nam sensus est : Cum litigabit, et in judicium descendent, exeat reus sons, cadat causa sua, et condemnetur. Sic etiam S. Paulus accepit cum ait I *Cor.* VI, 6 : ἀδελφὸς μετὰ ἀδελφοῦ κρίνεται, *frater cum fratre judicio contendit*, et passim alibi. Significat ergo Job haudquaquam homini consultum aut tutum esse cum Deo litigare, aut judicio contendere : nam, ut prudenter monet David *Psalm.* XVIII, 13 : « Delicta quis intelligit? » ubi *delicta* quotidianos vocat defectus, qui sanctimoniæ notas inurunt : Septuaginta ponunt παραπτώματα, hoc est proprie, *non opinantis animi prolapsiones*; unde S. Ambrosius vertit, *lapsus quis intelligit?* S. Hieronymus *errores*; Aquila ἀγνοίας, *ignorantias*, hoc est delicta, quæ minus sentientibus et cogitantibus excidunt. Unde παραπτώματα sunt proprie *lapsus*, qui non opinantibus contingunt, non πτώματα, id est *casus*, qui (ut docte *in Psalm.* XXXVI animadvertit S. Ambrosius) industria et erudito artificio in athletico certamine fieri solebant. In quotidiana igitur vita præter mentem ut plurimum et cognitionem eveniunt prolapsiones, a quibus etiam justi non sunt immunes. Ait ergo pius Vates conscientia obscura sollicitus : « Delicta quis intelligit? » Quis tam Argus tamque Lynceus in humanis invenietur, ut quotidianas suas prolapsiones numeret, dæmonis impetus, cordis motus, conscientiæ maculas, fraudes mentis, et impuras voluntatis affectiones intelligat? nam sæpe in communibus actionibus mundani pulveris sordes contrahimus, neque exeuntes. Circæum velut poculum nobis a carne porrectum ebibimus, nec sentimus. Sæpe a prædone animorum tela et venena vibrante de nobis lauri et et trophæa reportantur, et securi sumus, et victi ridemus : « Delicta quis intelligit? » Par D. Pauli animadversio, qui lapsus, inque iis notandis consimiles animi nebulas patiebatur : sic enim scribit *Rom.* VII, 15 : « Quod enim operor non intelligo; » quod Methodius apud Epiphanium *Hæres.* 63 sic illustrat : Nam sæpe, inquit, nobis bona facientibus insinceræ et illicitarum rerum cogitationes obrepunt etiam nobis nolentibus, et tamen dissimulantibus et peccantibus.

Nemo potest cum Deo contendere.

Non est tutum cum Deo venire in judicium.

Justi quotidianos suos defectus non satis intelligunt.

Jam si vere S. Prosper asseruit etiam illos, qui sancte per donum Spiritus Sancti vivunt, tamen propter quasdam difficultates, quas trahunt sive scientes sive nescientes, aliquando aut suo peccato cedere, aut alieno consentire; quid illis fiet, qui nec sancti sunt, neque usu et divinis doctrinis corroborati ad superandas inimici tentationes, proni in vitium, capi faciles, suopte nutu proruunt et prolabuntur? *Job* IV, 18 : « Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles; et in angelis suis reperit pravitatem : quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea? » *Ibid.* cap. XV, 15 : « Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis; et cœli non sunt mundi in conspectu ejus : quanto magis abominabilis et inutilis homo, qui bibit

Incautis sæpe peccata obrepant, etiam nescientibus.

http://www.obrascatolicas.com

Quam temerarium sit cum Deo judicio contendere.

quasi aquam iniquitatem? » Quis ergo tam vecors sit et malesanus, qui cum Deo audeat expostulare, et judicio contendere, cui « non poterit respondere unum pro mille, » id est ad unum crimen, quod ex mille criminibus quæ patravit illi objicietur; vel ad unum argumentum, quod ex mille contra ipsum proferetur : seu ut est in Græco, οὐ μὴ ὑπακούσῃ αὐτῷ, ἵνα μὴ ἀντείπῃ πρὸς ἕνα λόγον αὐτοῦ ἐκ χιλίων, id est *non exaudiet eum*, seu *non obaudiet ei, ut non contradicat ad unum sermonem ejus de mille* : ubi illud *unum pro mille* vulgatissima Scripturæ phrasis est, pro unum e plurimis; estque numerus finitus pro infinito, sicut dixit David *Psalm.* LXXXIX, 4 : « Mille anni ante oculos tuos sicut dies hesterna : » quare non contendere cum Deo, sed tacere debet homo in malis et incommodis quæ patitur, sicut narrat Amos monendum esse eum qui tot funera e domo sua efferri visurus erat : « Et dicet (inquit *Amos* VI, 11) ei : Tace, et non recorderis nominis Domini. Quia ecce Dominus mandabit, et percutiet domum majorem ruinis, et domum minorem scissionibus; » David etiam de se scribit *Psalm.* XXXVIII, 10 : « Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti; amove a me plagas tuas : » etenim qui de sexcentis piis operibus rogandus decerneret cum Deo de justitia unius altercari, ad primam primi operis discussionem obmutesceret, atque ita respondere nequiret. Hunc Jobi locum expendens S. Augustinus lib. II *De Peccat. merit. et remiss.* prope finem, sic ait : « Ecce Job confitetur peccata sua, et in veritate dicit se scire, quia non est justus quisquam ante Deum : proinde secundum modum conversationis humanæ perhibet ei Deus tam magnum justitiæ testimonium; ipse autem se metiens ex regula illa justitiæ, quam sicut potest conspicit apud Deum, in veritate scit, quia ita est, et adjungit : *Quemadmodum enim justus erit homo ante Deum? si enim velit contendere cum eo, non poterit obedire*, id est, si judicandus ostendere voluerit non in se inveniri posse quod damnet, non poterit obedire ei : amittit enim etiam illam obedientiam, qua obedire possit præcipienti confitenda esse peccata. Quod si fuero justus, os meum impie loquetur : hoc est enim : Si me justum dixero contra judicium ejus, ubi perfecta illa justitiæ regula me convincit injustum; profecto impie loquetur os meum, quia contra Dei voluntatem loquetur : » sic ille. Si quis vero hujus rei rationem sciscitetur, e versu sequenti sic illam accipiat.

Unum pro mille quid in Scripturis significet.

Vers. 4. Cur tuta homini non sit cum Deo contendere.

4. Sapiens corde est, et fortis robore : quis restitit ei, et pacem habuit? — Rationes adducit cur tutum homini non sit judicio aut alia quavis ratione cum Deo contendere : nam primum sapiens est, atque ideo cum illius intelligentiam nihil lateat, nulla potest hominum calliditate aut tergiversatione deludi : quare apud illum otiosa sunt et inania, quæ in humano judicio intercedere solent artificia et fraudes. Deinde, quia fortis, potest facile cogitata ac judicata complere, cum sit nemo qui possit illius infringere aut certe vel modicum debilitare potentiam : ita Sanctius noster. Pro cujus exactiori intelligentia notandum primo, ex S. Dionysio Areopagita *De Div. Nomin.* cap. VII, et ex D. Thoma I *Quæst.* XIV, Deum dici sapientem et sapientiam, *primo* causaliter, ut est causa omnis sapientiæ et cognitionis tam parvæ quam magnæ in beatis, in angelis, in hominibus, in animalibus : nam ipsius sapientia etiam causa est illius tenuis cognitionis omnisque industriæ, quæ est in animantibus. *Secundo* formaliter dicitur *sapiens*, non ut sapientia præditus et imbutus, sicut mentes angelicæ; sed ut ipsa sapientia per se subsistens, in qua omnis plenitudo sapientiæ eminenter continetur : per hanc quasi in primo signo rationis cum infinita claritate comprehendit essentiam suam, et processiones personarum et ipsas divinas personas; deinde in secundo signo rationis ex omni æternitate in omnem æternitatem extendit se actu et cum infinita claritate ad omnia possibilia, idque ex vi cognitionis essentiæ suæ; in tertio signo extendit se ad omnia, quæ quælibet vis creata vel creabilis potest facere; in quarto signo ad omnia quæ essent eventura, posita qualibet hypothesi, quæ dicuntur futura conditionata, et sunt infinities infinita, nam circa quamlibet rem liberi arbitrii possunt circumstantiæ rerum infinities variari, et ipsa infinitis modis potest excitari; in quinto signo rationis videt omnia futura absolute in omnem æternitatem cum omnibus circumstantiis. *Tertio* eminenter dicitur *sapiens* ob singularissimum et eminentissimum modum nulli creaturæ communicabilem : cum enim duo ad sapientiam requirantur, nempe lux intelligentiæ, et objectum quod intelligitur, ipse utrumque in se habet in gradu eminentissimo et cum perfectione infinita : nam ipsemet est infinita intelligentiæ lux per se subsistens, et ipsemet ex se est omne objectum intelligibile, vel illud in ipso eminenter continetur : itaque nemini debet lucem intelligentiæ, nemini objectum intelligibile : ita Lessius lib. VI, cap. I *De Perf. divin.*

Quomodo Deus dicatur sapiens. Primo causaliter.

Secundo formaliter.

Tertio eminenter.

Notandum secundo ex eodem Dionysio *ibid.* cap. VIII et S. Thoma ibid. *Quæst.* XXV, art. 3, Deum dici *fortem*, seu potentem, et potentiam, *primo* causaliter, quia nimirum ab ipso est omnis potentia, omnis virtus, seu vis agendi et operandi, omnis vigor, omnis efficacitas in omnibus rebus creatis, in terra, in mari, in astris, in lapidibus, metallis, plantis, animalibus et angelis : in his enim omnibus quævis vis operandi aliquid est tenuis quædam participatio potentiæ Dei. *Secundo* formaliter, quia ipse in se est potentiæ infinitæ, vel potius ipsa potentia infinita per se subsistens : potest enim omnia quæ mens creata potest concipere, quæ prorsus in omni genere et specie sunt infinita, v. g. infinitos mundos huic nostro mundo similes, et alios huic dissimiles;

Quomodo Deus dicatur fortis seu potens. Primo causaliter :

Secundo formaliter.

infinitos angelos, infinitos populos; infinitum aurum, argentum, lapides pretiosos, etc., intelligendo scilicet hæc omnia *syncategorematice*, ut philosophi loquuntur, non *categorematice* infinita, id est, posse illum tot res cujusvis generis facere, ut semper possit plures et plures sine fine; adeo ut nullus numerus tam magnus concipi possit a mente creata, quin tot et plures sine fine possit facere; sic tamen ut nunquam faciat infinitum actu, quod, juxta probabiliorem S. Thomæ et multorum aliorum sententiam, ex parte creaturæ implicet aliquid extra Deum actu esse infinitum. Addo, Deum non solum posse omnia, quæ mens creata potest concipere, idque in quantavis magna multitudine, quantitate et perfectione, sed etiam quidquid ipse sua infinita sapientia potest extra seu intra se concipere; quæ infinities plura et magis mirabilia sunt quam ea quæ possint concipi a mente creata : quidquid enim sua mente infinita potest interius concipere seu formare intelligendo, potest exterius producere et formare creando; et hoc modo potentia adæquatur sapientiæ. Denique hæc omnia potest facere repente, sine mora temporis, sine ullo labore, summa et infinita facilitate, solo nutu suæ voluntatis, et solo verbo, uti pluribus probat Lessius lib. V *De Perf. divinis.* Recte igitur Job ait neminem unquam cum tam sapiente ac forti concertatore habuisse congressum, qui pacem ex illo certamine retulerit, id est, cui non infeliciter successerit tam inepta contentio. Non opus est hic Pharaones Antiochosve producere, qui obduruere, ac restitere Deo sapientissimo atque fortissimo, et pace omni sublata horrendo judicio interierunt; cum viri etiam justi, si levi fortasse de causa Deo in rebus modicis repugnent, ut appetitui quadantenus indulgeant, incredibili nonnunquam animi perturbatione discrucientur; neque prius acquiescant, quam se demittant ipsos, et sub vexillo Christi mitissime se gerant. Quænam ergo pax sit iis, qui tetris culpis Deum lacessunt, quando e levibus erratis tanta cooritur animi anxietas? Certe sicut pacem non habet servus qui jussis heri reluctatur, ita nec homo, qui inspirationibus Dei sapientis et fortis resistit.

Nemo resistens Deo pacem habet.

Vers. 5. 5. Qui transtulit montes, et nescierunt hi quos subvertit in furore suo. — Sapientiam et potentiam divinam versu præcedenti Jobus commendaverat, quam deinde longo excursu effectuum mirabilium amplificat, ut Deo minime repugnandum evincat : qui enim attentius opera Dei vel naturali ordine disposita, vel ob arcana Dei judicia præter naturam contingentia contemplatur, omnino esse Deo parendum, credendum ac minime reluctandum facile animadvertit. Hic igitur Job in effectu quodam prodigioso Dei potentiam sapientiamque connectit : potentiam quidem in montibus concutiendis, evertendis, et tanquam vibratum telum explosamque glandem plumbeam alio ejaculandis; sapientiam vero in homi-

Potentia Dei in montibus transferendis, et sapientia in sceleratis hominibus puniendis elucet.

nibus improbis terræ motu capiendis, ac supplicio justo sceleribus reddito interimendis. Quod quidem etsi miraculose divina virtute fieri possit, cum hoc videatur firmitate fidei repromissum, secundum illud *Matth.* XXI, 21 : « Si habueritis fidem, et non hæsitaveritis : et si monti huic dixeritis : Tolle, et jacta te in mare, fiet; » tamen congruentius videtur D. Thomæ, ut hoc ad naturalem cursum rerum referatur : hoc enim, inquit, habet naturæ ordo, ut omne quod naturaliter generatur etiam determinato tempore corrumpatur; unde cum generatio montium sit naturalis, necesse est ut quandoque montes naturaliter destruantur. Et hanc quidem naturalem montium corruptionem *translationem* vocat, eo quod dissolutio montium et ruina cum quadam translatione partium ejus accidat. Nec est absonum ea quæ naturaliter contingunt divinæ virtuti attribui, cum natura agat propter finem; omne autem quod ad finem certum ordinatur vel seipsum dirigit in finem, vel ab alio dirigente in finem ordinatur : comparatur enim tota naturæ operatio ad intellectum dirigentem res naturales in finem, sicut comparatur motus sagittæ ad sagittarium; unde sicut motus sagittæ convenienter sagittario attribuitur, ita consequenter tota naturæ operatio attribuitur naturæ divinæ, et consequenter etiam montium translatio subversioque, quæ nonnunquam ita subito et insensibiliter fit, ut etiam illi qui circa montes habitant per subversionem montis pereant, et sibi cavere non possint, eo quod eam minime præcognoscant; adeo ut aliquando integræ una cum incolis suis civitates repentinis montium ruinis obrutæ sint atque sepultæ, nullo earumdem extante vestigio : id quod ante paucos annos Plurio, in Lombardiæ confinibus, Grysonum civitati non ignobili, contigisse accepimus. Nec minorem proximis annis regno Neapolitano Vesuvius, et Siciliæ mons Ætna ingentem hoc ipso anno 1635, quo hæc scribo, cladem, et vicinis agris plane inexspectatam flammivomis suis tempestatibus atque ignitis eluvionibus vastitatem attulerunt. Et hoc est quod subditur :

Et nescierunt hi quos subvertit, — *q. d.* Adeo subito Deus tantam rem operatur, ut etiam ii qui circa montes habitant interitum suum præcognoscere non possint; quod manifeste evidens fuit, quia si præcognoscerent, sibi caverent ne ruinis involverentur. Addit autem *in furore suo*, ad ostendendum quod Deus interdum naturales operationes secundum ordinem providentiæ suæ moderetur, prout necessarium est aut conveniens ad peccata hominum punienda; quibus quidem peccantibus metaphorice *irasci* dicitur, cum in eos vindictam exercet, quæ apud nos solet esse iræ effectus : ita D. Thomas. Ex corporibus autem mixtis ad elementa transit, inter quæ firmissimum et stabilissimum videtur esse terra, quæ est immobilis, utpote centrum motus

http://www.obrascatolicas.com

totius; attamen si philosophis credimus, ex vapore incluso secundum aliquas sui partes naturaliter movetur, et hoc est quod subjungitur :

Vers. 6. 6. QUI COMMOVET TERRAM DE LOCO SUO, ET COLUMNÆ EJUS CONCUTIUNTUR. — Hoc non ita intelligendum, quasi tota terra naturaliter moveatur (ut voluerunt pythagorœi, Heraclides Ponticus, Numa Pompilius et Plato, teste Plutarcho in *Numa* et in *placit. philos.*, ac nuper Copernicus, et ex eis Stunica hic : id enim falsum esse noster Clavius in caput primum *Sphær.* convincit, et repugnat Scripturis, in quibus dicitur *Psalm.* XCII, 2 : « Etenim firmavit orbem terræ qui non commovebitur : » item *Eccles.* I, 4 : « Terra autem in æternum stat, » et passim alibi); sed quia partes terræ, ut urbes, montes, insulæ terræ motu a Deo commoveantur; et quod ipse pari modo totam terram commovere posset, si vellet. Imo hic Didymus ait illo terræ motu, qui in passione contigit, totam ipsam terram quassatam et e centro convulsam fuisse. Per *columnas* autem terræ ad litteram hic intelligi possunt montes et colles, qui sunt quasi columnæ super terram fundatæ, vel etiam turres ædificiaque, et quæcumque alia istiusmodi quæ terræ adhærent, et in terræ motu concutiuntur et conquassantur. Vel possunt etiam per *columnas* intelligi inferiores et intimæ partes terræ, quod sicut ædificii firmitas columnis innitur, ita terræ stabilitas ex centro, ad quod omnes ejus partes natura sua tendunt, oriatur. Unde cum omnes inferiores partes terræ superiorum sustentatrices et quasi columnæ sint, ac terræ motus ex profundis terræ partibus procedat, hinc fit ut quasi ex concussione columnarum ejus fieri dicatur : ita D. Thomas. Atque hæc sententia conformior est Aristoteli et communi aliorum ferme omnium philosophorum opinioni, qui immobilitatis terræ causam in nativam ejus referunt gravitatem, qua fit ut sedem illam appetat, quæ maxime a cœlo distet, nempe mundi meditullium, quod *centrum* appellamus, quo suis conglobata nutibus magno impetu feratur; hoc autem centrum *stabilitas* vocatur, supra quam terra fundata est, juxta illud *Psalm.* CIII, 6 : « Fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi; » atque alibi vocat columnas terræ dum ait *Psalm.* LXXIV, 4 : « Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea : ego confirmavi columnas ejus. » Quia vero centrum punctum est, quod instar sit nihili, a Jobo alibi *nihilum* dicitur cap. XXVI, 7 : « Qui appendit terram super nihilum. » Hoc igitur mundi medium seu centrum *columna* nuncupatur, ducta similitudine ab ædificiis, quæ manu molimur et industria : nam ut illa columnis fulciuntur, ne cadant, sic centrum, quo terræ gravitas nititur, conglobatam terram omni ex parte sustentat.

Terra naturaliter non movetur.

Quæ sint columnæ terræ.

Porro hæc commotio terræ videtur hic irato Deo ascribi, quanquam posset etiam tribui divinæ majestati aut magnitudini, cujus timore olim motam fuisse terram Psaltes divinus cecinit *Psalm.* CXIII, 7 : « A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob : » etenim terra contremuit, quando Deus in Sina ad legem ferendam descendit, et *Num.* XXI, 15, quando populus transiit torrentem Arnon, ejus scopuli velut saltu quodam se in aquas immiserunt.

Mystice autem Deus terram commovet de loco suo, dum affectum rerum terrenarum ad cœlestia transfert, ita ut pars hominis inferior pio timore tacta legi æternæ juxta mentis præscriptum adhæreat. Tunc certe columnæ seu bases affectus terreni, quæ sunt duæ vires appetitus sensitivi, scilicet vis concupiscibilis et irascibilis, contremiscunt, hoc est fræno divini timoris et obedientia legis contrahuntur. S. Gregorius autem lib. IX *Moral.* cap. II, hæc de Synagoga Judæorum exponit : ubi eum, si lubet, lege. Denique a terra progreditur ad corpora cœlestia, ostendendo illa quoque divinæ virtuti cedere, sicut autem naturæ terræ congruit immobilitas et quies, ita natura cœli motum exigit indesinentem : quare sicut in illius commotione, sic in hujus cessatione ac quiete mirabilem suam virtutem Deus manifestat.

Quomodo in nobis mystice terra commoveatur.

Vers. 7. 7. QUI PRÆCIPIT SOLI, ET NON ORITUR : ET STELLAS CLAUDIT QUASI SUB SIGNACULO. — Non solum, inquit, Deus in hæc inferiora, ut puta montes, quos quando vult transfert, aut dissipat, et terræ massam, quam solo nutu concutere, et ab imis sedibus revellere potest; sed etiam in cœlos suum exercet imperium et potentiam, ita ut unico verbo stellarum et ipsius solis cursum inhibeat, lumenque supprimat, atque in hæc subcœlestia influxum eorumdem impediat. Id autem quod in Hebræo hic habetur *dicit* optime interpres transfert *præcipit* : solo enim voluntatis actu hanc suam Deus exercet in creaturas potentiam, juxta illud *Psalm.* CXLVIII, 7 . « Ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit et creata sunt. » Sanctius noster hoc loco particulam conditionalem *si* subaudiendam censet, ut sit sensus : Si Deus præceperit soli, non orietur : tanta enim Dei est potentia, ut sol, qui suos a mundi exordio ratos habet et certos cursus, ad divinum imperium contineat sese a suo circulari motu; neque mundo deinceps suam lucem ostendat. Hanc autem solaris cursus inhibitionem ac retardationem tanquam evidentissimum divinæ potentiæ argumentum Apollophani opponendum censuit S. Dionysius epist. 7 *ad Polycarp.* : « Scire debebat Apollophanes, cum sapiens esset, nihil unquam cœlestis ordinis ac motus immutari ullo modo potuisse sine instinctu auctoris sui, a quo et ut esset accepit, et cujus potentia conservatur, qui secundum Scripturæ testimonium cuncta perficit ac mutat. Cur igitur non colit eum, quem hinc quoque cognovimus veraciter esse omnium Deum, admirando ejus, a quo cuncta subsistunt, admirabilem potestatem? Quandoquidem ab ipso sol et luna potentia statuque mirabili simul cum hac rerum universitate ad omnimodam immobilitatem redacta sint, nec non ad integri diei spatium in iisdem universa signis constiterint; vel quod amplius est, etiam cunctis orbibus primariis, qui cæteros complexu suo continent, more suo gyrantibus, ea quæ illorum complexu continebantur non una in orbem circumlata sint, » etc. Ingens sane miraculum fuit, solem stare cursumque cohibere suum, præsertim hominis jubentis virtute; id autem contigisse post Jobi tempora compertum habemus sacris litteris : Josue enim cum adversus reges Gabaon obsidentes pugnaturus esset, ut victoria diuturniore potiretur in profligandis hostibus, sic locutus est cap. X, 12 : « Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Aialon : steteruntque sol et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis : stetitque sol in medio cœli, et non festinavit occumbere spatio unius diei : non fuit antea et postea tam longa dies obediente Domino voci hominis. » Ideo Justinus Martyr in *Dial. cum Tryph.* hebræo, non longe a calce, diem illam triginta sex horarum fuisse ait. Stetisse autem solem egregium sane miraculum fuit; sed præferendum huic aliud, si videlicet sol regrediatur, quod etiam accidisse sacris litteris continetur : cum etenim Ezechias rex ægrotus ab Isaia incolumitatem sibi redditam accepisset, hoc signo fidem adstruendam voluit ut scilicet solis umbræ, quæ in Achazi horologio dignoscebantur, decem gradibus retrorsum reverterentur, IV *Reg.* XX; at ne putare quis possit linearum tantum immutationem fuisse factam, non autem solem retrogressum, id explicatum est ab Isaia his verbis cap. XXXVIII, 8 : « Et reversus est sol decem lineis per gradus quos descenderat. »

Deus ad nutum suum cœli cursum sistit.

Josue solis cursum stitit.

Sub Ezechia sol decem gradibus retro cessit.

Et ne solis Veteris Testamenti patribus tanta virtus collata videretur, idem Novi quoque Testamenti sanctis Deum contulisse compertum est : Mutius enim Eremita in Thebaidis deserto, ex impiissimo latrone ethnico factus christianus, per Dei visionem cum ægrotantem ex fratribus longe absentem novisset, sese itineri dedit, ægrum invisurus in eremi ipsius interioribus partibus; cum autem eo pervenire non posset jam sole ad occasum vergente, qua hora etiam ægroti mors instabat, ut dies itineri sufficeret, jussit Mutius soli in nomine Domini Jesu Christi ut staret, donec eo perveniret; admirantibus omnibus circumquaque ejus eremi incolis solem eodem climate tamdiu perseverantem; quin et non pauci audito miraculo ad Mutii disciplinam conversi sunt. Ita Ruffinus lib. II in *Vitis Patrum* de Copprete presbytero et patre Mutio : idem quoque lib. VI in iisdem *Vitis Patrum* ad Besarionis et Scithensis cujusdam senis preces contigisse memoratur. Sæpe enim compertus est sol paruisse Dei servis, non modo ut radios suos diutius emittat lucis causa, verum etiam ut obsequatur aliis in rebus : nam plures sancti memorantur suspendisse pallia ac vestes de radiis solaribus non secus ac de paxillis, ut videre est in *Vita S. Goaris* cap. IX et X, apud Surium 4 julii : item in *Vita S. Florentii* episcopi Argentinensis 4 novembris : similiter in *Vita S. Amabilis* presbyteri apud eumdem 6 novembris. Quod si Dei servis, quanto magis ipsi Domino ac creatori suo solem, lunam et stellas morem gerere, et ad nutum ejusdem, prout præceperit, lumen suum aut emittere aut contrahere semper par est?

Idem fecere Besarion et alius quidam senex.

Plures sancti vestem e solis radiis suspenderunt.

Quid Ægyptiacas tenebras commemorem? quarum fama orbe toto percrebuit, et memoria, ut non levis fert conjectura, tunc adhuc recens erat quando liber hic conscriptus fuit. Fuerunt et alii eventus ubi solis lux intercepta fuit; sed non sine admiratione est quod Zonaras habet in *Iren.* et *Constant.* : quo tempore cum Constantino forent oculi eruti sol per dies septemdecim non splenduit, sed obscuri et tenebricosi fuere dies illi. Aliquid simile contigisse narrat Plinius lib. II, cap. XIII : imperatoribus enim Vespasianis, id est ipsius etiam Plinii tempore, diebus duodecim utrumque sidus, sol et luna, quæsita sunt, nempe quod isto tempore nunquam fuerint conspecta; sed hoc diuturna pertinacique caligine aut nube crassiore factum putandum est, luce diei ex parte solis sufficienter illustrata; sicut et illa, quæ sub Irene fuit, solis obnubilatio : utraque enim eadem ex causa profecta fuisse censenda est. Sicut et sub Leone IV imperatore septemdecim diebus sol adeo nusquam visus, adeoque radios amisit, ut per mare navigantes navigandi vias amiserint errarintque, ut Theophanes Isaurieus, qui tum vixit, memorat apud Anastasium Bibliothecarium anno Domini 1783. Tremendum sane portentum est, quod jure mortales Dei timore afficiat, lucem mundo eripi per diem, noctuque eam caliginis densitatem ac nigredinem incumbere, quæ stellarum conspectum interdicat. Atque hoc est quod significat dum ait : « Et stellas claudit quasi sub signaculo : » claudit, inquam, tanquam sub signaculo tum voluntatis et beneplaciti sui, tum tempestatum et tenebrarum : cœlum enim *Isai.* XXXIV, 4, et *Apoc.* VI, 14, comparatur libro, cujus characteres sint stellæ, signaculum vero tenebræ, quibus hic liber clauditur, vel tempestates; quæ etiam sunt signacula ceu insignia potentiæ divinæ.

Sub Irene et Constantino sol per 17 dies non splenduit.

Variæ solis obnubilationes.

Tremendum portentum solis obnubilatio caliginosa.

Cœlum quasi liber obsignatur.

Ex hoc strui potest argumentum, Deo potentissimo ac sapientissimo cedendum, neque a creatura ulla ad certamen seu disceptationem esse provocandum : quod itaque ait, *non oritur*, tantumdem est ac *non apparet*, nam et ortus solis apparitio quædam est. Illud vero *sub signaculo* idem est ac *sub tegumento signato*, sicut claduntur thesauri et sepulcra et epistolæ. Finis autem obsignationis litterarum est, ne quis legat obsignata, ad eumdemque sensum atra caligo Dei jussu stellas obducens est inclusio quædam stellarum sub Dei sigillo, ne quis eas aspiciat. Hæc

http://www.obrascatolicas.com

Animæ obnubilatio maxime formidanda.

e natura. Mystice Joannes a Jesu Maria : Illud, inquit, plane tremendum, si Deus vindex interioribus tenebris animam sinat obnubi; si solis, hoc est Christi lucem et stellarum, hoc est sanctorum vel angelorum radios, præcipiat non oriri, et sub nigro velamento contegat; tunc profecto mortales, qui navigant hoc mare magnum, neque cursum dirigere, neque lætum ac secundum quidpiam intueri ingenio quidem suo valebunt.

Vers. 8. 8. QUI EXTENDIT CŒLOS SOLUS, ET GRADITUR SUPER FLUCTUS MARIS. — Agit de cœlorum fabricatione, quam ex Jobo quoque David et Isaias iisdem prope verbis describunt *Psalm.* CIII, 3 : « Extendens cœlum sicut pellem; » item *Isai.* XL, 22 : « Qui extendit velut nihilum cœlos, et expandit eos sicut tabernaculum; » quæ maximam Dei in creandis cœlis facilitatem declarant, cui longe facilius fuit de nihilo cœlos condere, quam sit homini pellem expandere, et in tabernaculum arcuare. In quo maxime admirabilis Dei potentia sapientiaque relucent; potentia quidem in cœlorum creatione, quæ Dei solius est opus, cum juxta veriorem theologorum sententiam creatura ne instrumentum quidem creationis esse possit; sapientia vero in eorumdem dispositione : nam et figura sphærica perfectissima, et quantitas certis finibus circumscripta, licet propemodum immensa, et illa siderum mira dispositio, ac stellarum suis in sedibus intermicantium discretio, aliaque permulta ineffabilem tanti opificis sapientiam eximia quadam ratione proloquuntur, juxta illud Regii Psalmitæ *Psalm.* XVIII, 1 : « Cœli enarrant gloriam Dei. » Ubi vox *enarrant* non implet vim hebræi nominis מספרים *mesapperim*, quo David est usus ad cogitationes suas magnificentius explicandas : significat enim *narrare, scribere, numerare*, atque, ut notat Augustinus Eugubinus, καταλεγειν, *multa recensendo* et *numerando complecti*. Vult proinde pius Vates cœlum esse librum scriptum aureis litteris grandibusque, qui narrationem contineat inauditæ varietatis, et quemdam veluti catalogum et insignium rerum enumerationem. Vide plura de hoc argumento cap. XXXV, vers. 5 et cap. XXXVIII, vers. 37 notata.

Cœlorum creatio Dei potentiam et sapientiam manifestat.

Cœli enarrant gloriam Dei.

ET GRADITUR SUPER FLUCTUS MARIS. — Est poetica metalepsis, *q. d.* Imperat maris fluctibus, eosque vel cœrcet, vel excitat, ceu eques equum, cui insidet : sic Deus dicitur ambulare et volare super pennas ventorum *Psalm.* CIII, 3. Septuaginta locum hunc explicatius ita reddunt, καὶ περιπατῶν ὡς ἐπ' ἐδάφους ἐπὶ θαλάσσης, *et ambulat super mare tanquam super pavimentum;* quæ ultima verba sic addita ad sensum litteralem ac tropologicum non parum conferunt : significant enim Deum per oceani superficiem, veluti per plateam latissime patentem, minime titubante, sed firmo gressu incedere, majestateque sua tumentes undas vorticesque compescere, et adinstar pavimenti consolidare, ac complanare, quod ad summum spectat imperium. Unde Olympiodorus et Athanasius hæc allegorice referunt ad Christum super mare coram apostolis ambulantem *Matth.* XIV, quod etiam ad plurimos sanctos extendi potest, qui divina virtute sine navigio maria trajecerunt : ita nimirum fides ac pietas facit omnia homini subdita, ipsumque mare velut solum inambulari siccis pedibus : duo enim anachoretæ Rubrum Mare pedibus trajiciebant usque in Raythu, accepturi sacrosanctam Eucharistiam in die Cœnæ Domini, rursumque redibant : quod se vidisse testatus est abbas Stephanus Cappadox, ut memorat Sophronius in *Prat. spirit.* cap. CXXII. Sed et Charitines virgo et martyr in mare injecta quidem fuit colligato cervici lapide, sponte autem lapis profundum petiit, at ipsa firmo ac stabili pede stetit super dorsum maris, et tanquam terram solidam ingrediens profecta est ad littus, teste Metaphraste in *Vita* ejus 5 octobris. Nazarius quoque ac Celsus in mare projecti ut mergerentur, ope divina incolumes evaserunt e profundo, ut tradit idem Metaphrastes 14 octobris. Pantaleon quoque Maximiani tyranni jussu alligato ad collum lapide in mare injectus, supernatante lapide ligni modo ipse super fluctus suis pedibus inambulavit usque ad littus; apud eumdem Metaphrastem 27 julii. Neque tantum viventium corpora vim maris superasse memorantur, sed et ipsa mortuorum sanctorum cadavera etiam alligatis saxis mergi nescierunt : corpus enim Vincentii a diacono insutum corio, adalligatoque saxo super undas innatans ad littus delatum perhibetur, uti testatur Ado Trevirensis 2 kalendas februarii.

Christus siccis vestigiis mare pertambulavit.

Idem plures sancti fecerunt.

Deus mare reddit tadabile cum voluerit.

Non eget sane instructis navigiis trajiciendo mari fides in Deum singularis : nullis enim fluctibus absorberi potest ille, quem Christus tuetur, qui siccis pedibus maritimos fluctus inambulavit. S. Petrus etiam fluctus firmo siccoque vestigio permeasset, nisi dubitasset; cujus proinde fides prius quam gressus titubavit. Peccator certe nec prosperis flatibus nec instructissimis navigiis secure æquor navigat. Omnia adversantur hominibus, quorum culpæ reliquis omnibus oneribus graviores sunt. Id exemplo perspicuum faciam ex Sophronii *Prat. Spirit.* cap. LXXVI, ubi narratur navigium, in quod admissa fuerat mulier infanticida, reliquis navibus prospera navigatione utentibus, prorsus immobile ad dies quindecim, tametsi secundi essent ventorum afflatus, substitisse summa itinerantium omnium nautarumque mœstitia; cum navarchus ad divinam opem confugiens responsum audiit divinum, ejiciendam mulierem cui Mariæ nomen erat : accitam igitur rogavit ut scelera indicaret sua, quæ navis cursum retardabant : aperuit illa peremisse se filios duos, ut sibi ad secundas nuptias viam aperiret, nec tamen voti compotem factam. Quo audito navarchus illico mulierem in scapham descendere jussit, quæ, mirum dictu, quinquies in gyrum acta, extemplo una cum muliere in profundum demersa est. Quo facto navis postmodum tanta velocitate iter confecit, ut tridui spatio illud omne absolverit, quod non nisi quindecim diebus confici potuisset : ita Sophronius.

Fide singulari fluctus superantur.

Peccator neque firmis in navigiis tute se æquori committit.

Quomodo Deus in nobis mystice gradiatur super æquas.

Mystice autem seu arcano sensu Deus graditur super fluctus maris, quando concitatas efferatasque passiones nostras jussu coercet, ut sedatis motibus anima cœlos extensos, dulcissima serenitate nitentes, hoc est cœlestis beatitudinis tranquillitatem ævo sempiterno permansuram, contempletur. Ex quo etiam capite Dei potentia et sapientia in admiratione habenda est.

Vers. 9 9. QUI FACIT ARCTURUM, ET ORIONA, ET HYADAS, ET INTERIORA AUSTRI; — id est polum arcticum et australem antarcticum, qui significatur per *interiora*, vel penetralia, vel abscondita austri : quia ille polus nobis est omnino ignotus; Septuaginta interpretes habent, ὁ ποιῶν πλειάδα, καὶ ἑσπερον, καὶ Ἀρκτοῦρον, καὶ ταμιεῖα Νότου, id est, *facit pleiada, vesperum, et arcturum, et recessus austri* : Chaldæus Interpres, *qui fecit arcturum, oriona, et hyadas, et cubiculum siderum, constellationem planetarum in latere australi* : loco *arcturi* alii vertunt *cynosuram*, id est ursam minorem, sicut major dicitur *Helice*. *Arcturus* autem stella est Booræ sideris post caudam ursæ majoris circa polum arcticum. *Orion* sidus est australe juxta frontem tauri, stellis triginta octo constans; sic dictum ἀπὸ τοῦ ὀρίειν, *a concitando*, quod nimirum concitet tempestates. *Hyades* sunt septem stellæ in capite tauri, ἀπὸ τοῦ ὕειν, id est *a pluendo* dictæ, quia pluviam creant, Latinis *suculæ*, errore etymi, inquit Tyro apud Agellium lib. XIII *Noct. Attic.* cap. IX, quod putarent eas dici *hyades* ἀπὸ τῶν ὑῶν, *a suibus*. Septuaginta vertunt *pleiades*; quas easdem esse cum Hyadibus docet Proclus in *Sphæra*; licet alii distinguant, et dicant esse virgilias, quæ ad genua tauri collocantur, pertinentque ad naturam Saturni, et aliquantulum ad naturam Veneris. *Interiora austri* vocat absconditas seu occultas australis, id est antarctici poli constellationes, quæ solis patent antipodibus nostris : sub his autem per synecdochen accipe omnes stellas et sidera, in quibus miram Dei sapientiam et potentiam prædicat S. Job. Plura de his stellis vide apud Stunicam, Pinedam, et Sanctium nostrum, et omnium fusissime Bolducium.

Quid sit Arcturus, Orion. Hyades. interiora austri.

Arcturus apostolos designat.

Allegorice juxta S. Gregorium lib. IX *Moral.* cap. VI et VII, cœli significant Ecclesiam, in qua arcturus circa polum arcticum semper versatur, id est apostoli, post Christum fundatores Ecclesiæ semper agitatæ, sed nunquam loco dimovendæ : « Quemadmodum igitur, inquit, arcturus semper versatur, et nunquam mergitur; ita Ecclesia persecutiones ethnicorum sine cessatione tolerat, sed tamen usque ad mundi terminum sine defectu perdurat. » Post arcturum autem ponitur nimbosus orion et horridus, quia apostolos secuta sunt agmina martyrum : quemadmodum enim oriones in ipso pondere temporis hiemalis oriuntur; ita martyres pondus persequentium molestiasque tolerantes quasi in hieme veniunt. Illud porro addiderim orionem cum districto gladio depingi; qui tamen gladius ex sideribus constat : quoniam ille ipse persecutionis gladius, quo martyres feriuntur, sideribus coruscat, imo totus siderebus est, ex sideribusque confectus. Siquidem martyres totidem sideribus rutilant quot persecutionibus exercentur. Sicut autem post orionem ponuntur hyades pluviosæ, ita post martyres sequuntur Ecclesiæ doctores, qui pluviam salutaris eloquentiæ suæ doctrinæque cœlestis placide in omnium animos demittant, unde uberrimi et divinissimi fructus oriantur : pluviam enim symbolum esse eruditionis atque facundiæ tum sacri tum profani auctores voluerunt. Græci proinde cum arcanis fabularum involucris sapientiam suam obtegerent, aiebant eo die, quo Minerva doctrinarum præses in lucem edita fuit, auream e cœlo pluviam cecidisse. Ægyptii vero cum eamdem eruditionem atque Pithus suavitatem hieroglyphicis suis notis adumbrare vellent, σὺραγὸν δρόσον βάλλοντα, *cœlum* aut splendidam nubem *dulcissimo rore stillantem* pingebant, ut Horus Apollo testatur : itaque Moyses, cum abditis eorum disciplinis eximie foret instructus, illis forte hauriens e fontibus ita cecinit *Deuter.* XXXII, 2 : « Concrescat in pluviam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum : » ubi duobus clarissimis symbolis magnæ copiæ in dicendo suæ dulcedinem et doctrinæ præstantiam illuminat. Quam ob causam Paraphrastes Chaldæus ita vertit, *suavis sit sicut pluvia doctrina mea.* Sed necesse non est ad Ægyptiorum abditos fontes recurrere, cum ejusdem rei documenta in divinis oraculis habeamus : nam orando sublimis Isaias cap. LV, 10, verbum Dei vocat *imbrem* de cœlo venientem et inebriantem terram; atque ut linguæ sanctæ majestatem et divinitatem prope dicam, in significando videamus, eadem vox apud Hebræos et *docere* et *pluere* significat, ita in Oseæ prophetia de Christo cap. 10, 12 : « Qui docebit vos justitiam : » Isidorus Clarius et Forsterus ex Hebræo vertunt, *donec pluat justitiam vobis;* et Joel, cum eumdem servatorem « Doctorem justitiæ » nominasset cap. II, 23, continuo subdit : « Et descendere facies ad vos imbrem matutinum : » ubi in fonte est dictio מורה *moreh*, quæ et *doctorem* et *pluviam* sonat; unde Hebræi montis Moriæ nomen deducunt, et מורה יה *more iah* doctrinam Domini interpretantur, ut animadvertunt eruditi. Denique per *interiora austri* mystice designantur occulti angelorum ordines, et secretissimi patriæ cœlestis sinus, quos Spiritus Sancti calor adimplet.

Hyades doctores.

Pluvia symbolum eruditionis atque facundiæ.

Interiora austri quid designent.

Orion martyres,

10. QUI FACIT MAGNA, ET INCOMPREHENSIBILIA, ET MIRABILIA, QUORUM NON EST NUMERUS. — Mirificam Dei potentiam extollit et admiratur, quæ facit opera ita magna, ut ea neque comprehendere

Vers. 10.

Opera Dei magna et in-

http://www.obrascatolicas.com

comprehensibilia.

nec satis admirari possit humana ratio; et ita multa, ut certo numero definiri non possint. In horum operum divinorum meditatione multum versatus David, se iis eloquendis longe imparem agnoscens, admirabundus exclamat *Psalm.* CV, 2: « Quis loquetur potentias Domini? » vel, ut est in Chaldæo, *quis poterit eloqui fortitudines Domini?* ita vocat opera mirabilia et gloriosa, ad quæ necessaria est immensa quædam potentia atque fortitudo quam *brachii potentiam* Virgo parens in Cantico suo nominavit *Luc.* I, 51; et Judas apostolus vers. 25, μεγαλωσύνη, id est *magnificentiam* appellat; quam Cajetanus ait esse factivam magnorum operum, et Propheta regius *Psalm.* VIII, 2, multum deprædicat, et supra cœlos elevatam agnoscit, utpote qui ab illa omnem suum decorem splendoremque acceperint, quo veluti pulcherrimo magnificentissimoque vestimento adornantur: hinc cum pro more suo altius se in eorumdem contemplationem immersisset, totus in conditoris laudem absorptus clamat *Psalm.* CX, 2: « Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, » græce ἐξιζητημένα, pro quo apud Chrysostomum alius legit ἠκριβωμένα *accurata*; alius παρασκευασμένα, *parata*, instructa; ubi magna illa opera, qualia sunt cœli terræque creatio, conservatio et gubernatio universitatis, dicuntur eximie et exquisite facta juxta omnes voluntates Dei *Psalm.* CXXXIV, 6, quia scilicet « omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo, in terra, in mari et in omnibus abyssis; » Euthymius vero sic interpretatur, *q. d.* hæc opera Domini exquisite facta esse, ut fideles istiusmodi opera Dei considerantes, omnes voluntates et mandata Domini adimplerent. Excitat enim nos operum Dei consideratio, ut præcepta Dei facilius impleamus. Hebræus autem textus pro relativo *ejus* habet *eorum* numero plurali, quod quidam ita vertunt, *exquisita omnibus volentibus ea*, ut sit sensus, quod opera Domini exquirantur, et diligenter investigentur ab omnibus his quibus complacitum est in eis, et qui ea amant; alii vero vertunt, *exquisita ad omnia beneplacita eorum*, et interpretantur opera Dei esse hujusmodi, ut si exquisita fuerint ab hominibus, possint satisfacere omnibus eorum desideriis. Unde subdit:

Confessio et magnificentia opus Dei.

« Confessio et magnificentia opus ejus: » omnia enim quæ Deus facit et magnifica, et eximia, et omnium hominum celebratione digna sunt; unde alius apud S. Chrysostomum vertit, ἔπαινος καὶ ἀξίωμα ἡ ἐργασία αὐτοῦ, *laus et dignitas operatio ejus:* quapropter ubique Psalmista Deum in omnibus operibus mirifice laudat, et omnes simul creaturas ad conditoris sui laudem invitat, manifestum est enim omne id quod fecit Deus et gratiarum actione et magnificentia repletum esse; *magnificentia* quidem propter Conditoris et rei dignitatem; *gratiarum* vero *actione* propter nostram utilitatem. « Soli *igitur*, ut Apostolus ait I *Tim.*, 17, Deo honor et gloria » debetur, qui « facit mirabilia magna solus; » quemadmodum ex eodem cum Jobo spiritu David dixit *Psalm.* CXXXV, 4. Ubi duo notanda sunt, tum quod ea faciat, tum quod solus faciat; siquidem opera creationis, de quibus hic sermo est, per se solus operatus est Deus, cum in cæteris ministerio etiam usus sit angelorum et aliarum creaturarum.

Hæc itaque licet Dei potentiam sapientiamque potissimum declarent, simul tamen ejus erga nos amorem et benevolentiam haud obscure testantur: quod enim ea fecerit adeo magna, pulchra et mirabilia, vires ejus sapientiamque manifestant; quod autem propter nos usumque nostrum facta sint, singularem Dei erga nos benignitatem bonitatemque commendant. Hic itaque versus conclusio est præcedentium, siquidem generatim in eo Job enuntiat quæ speciatim antea pronuntiarat. Habet autem eamdem plane sententiam, et quidem iisdem verbis in Hebræo elatam, quam Eliphaz attulerat dicens cap. V, 9: « Qui facit magna, et inscrutabilia, et mirabilia absque numero: » quod magno est argumento sermones amicorum Job esse plurimi faciendos, cum eos ipse sibi vendicet ad suam causam defendendam. Hoc etiam probat id quod cap. IV, 1 annotavimus, scilicet propositiones eorum plerasque esse veras atque doctissimas, sed assumptiones ratiocinationis duntaxat esse falsas; unde fit, ut nihil concludant, quod Jobi summæ dignitati deroget. Non solum autem Job verba sententiasque Eliphazi, ut Stunica bene observavit, sed ipsam quoque methodum ac disserendi rationem secutus et imitatus fuit, dum ex effectis primum naturalibus ac deinde ex moralibus summam Dei potentiam sapientiamque declarat dicens:

Jobi amicorum propositiones veræ, sed assumptiones falsæ.

Vers. 11. Cum Deo invisibili non sit tutam contendere.

11. SI VENERIT AD ME, NON VIDEBO EUM: SI ABIERIT, NON INTELLIGAM. — Postquam ex mirabilibus et innumeris effectibus, quos Deus in creaturis et per creaturas tam cœlestes quam elementares producit, summam ejus sapientiam potentiamque declaravit, ut palam faceret, quam vere se et omnem hominem prorsus imparem agnoscat, qui cum Deo litiget, aut de viribus scientiave concertet: nunc hanc generalem regulam atque doctrinam sibimetipsi distinctius applicando, easdem perfectiones iterum prædicat, et eleganti admodum stylo plures simul alias explicat et exponit. Ac primum ab ejus *invisibilitate* exordium facit; pro cujus intelligentia nota Deum triplici ratione dici invisibilem, *primo*, quia nullis oculis corporeis videri potest, quo sensu S. Joannes ait cap. I, 18: « Deum nemo vidit unquam; » cui S. Paulus addit I *Tim.* VI, 16: « Sed nec videre potest: » nimirum prout in se est, quia res omnino spiritalis est, extra objectum visus corporalis, cum sit formæ, figuræ, speciei et coloris expers. quapropter S. Diadochus lib. *De Spirit. perfect.* prudenter monet illos, qui nonnunquam in suis contemplationibus et exercitiis spiritualibus apparitiones aliquas aut visiones percipiunt, ut sibi caveant ab imposDeus invisibilis oculo corporeo.

tura et illusione, qua se Deum vidisse autument: « Nemo, inquit, cum sensum mentis audit speret videre oculis gloriam Dei: sentiri enim eam dicimus gustu quodam, qui expromi non potest, divinæ consolationis, cum quis animam purgaverit; non autem apparere ei aliquid eorum quæ sub aspectum cadunt: siquidem nunc per fidem, et non per speciem ambulamus, sicut Apostolus ait II *Corinth.* V, 8. Si cui igitur eorum qui certant (*certamen* intelligit quo certamus cum lege carnis) vel lumen vel figura quæpiam, vel aliquid ad similitudinem ignis appareat, ne amplectamur hujusmodi visum: est enim fallacia inimici manifesta; quæ quidem res multos fefellit qui propter ignorantiam a via veritatis male deflexerunt. » Sic ille, et meo quidem judicio prudenter; siquidem proprium signum divinæ naturæ est, esse celsius omni signo. Qui igitur aliquid eorum quæ videntur Deum esse arbitratur, ab eo qui vere est male ad id quod comprehensione fictæ imaginationis esse existimatur, deflectit.

Intellectu etiam Deus est invisibilis naturæ lumine.

Secundo Deus dicitur *invisibilis*, quia a nullo intellectu creato vi luminis naturalis clare ut est in seipso videri potest; neque ullus intellectus est possibilis, qui id viribus naturæ possit; et hoc modo Deus est invisibilis omni creaturæ, et soli sibi visibilis ac notus; quippe « qui, ut Apostolus ait I *Tim.* VI, 16, solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem; quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest: » quomodo enim videatur aut intelligatur, quem nihil eorum quæ notescunt declarat? Non forma, non color, non circumscriptio, non figura, non quantitas, non qualitas, non locus, non conjectura, non similitudo, non proportio, non ratio, non intelligentia: quin potius semper est extra omnem viam videndi et intelligendi, uti S. Dionysius lib. *De Div. nom.* cap. I, et *De Myst. theol.* cap. IV et V, fuse ac pulchre demonstrat. Unde Cyparissiotus *Mater. theol.* dec. 2, cap. VI, optime infert Deum nulla naturali repræsentatione aut intelligentia cognosci posse; et concludit cum S. Dionysio veriorem esse theologiam, quæ per negationes, quam quæ per affirmationes de Deo philosophatur; quanquam æquo intervallo utraque adhuc a Deo absit, qui est supra omnem affirmationem et negationem, quæ sit cognitio ejus. Quamobrem longe præstat cum S. Dionysio secundum theologiam mysticam nescienter, et sine omni intelligentia eorum quæ intelligentia percipiuntur per amorem cum eo conjungi et copulari: quæ verissima et sublimissima viatorum est theologia.

Nullam habemus viam veniendi in quidditativam Dei cognitionem.

Deus est invisibilis visione comprehensiva.

Tertio Deus dicitur *invisibilis*, quia etsi a mente creata per lumen gloriæ aliquo modo clare videri possit, non tamen visione comprehensiva, qua nihil lateat videntem: omnis enim visio beatorum, tam angelorum quam hominum, infinite abest ab ipsius visione comprehensiva, et ipse infinite omnem illorum visionem superat; hinc quantumvis Deus a beatis clare et objective quidditative et intuitive cognoscatur, non tamen simpliciter comprehensive, quia non tam clare ac plene, sicut ex natura sua cognoscibilis est: etenim sicut infinitæ est actualitatis ac perfectionis, ita et infinitæ cognoscibilitatis; sicque sibi soli comprehensibilis et cognitus est: a qua comprehensione omnes beati infinite deficiunt. Et hoc modo quidam Patres dicunt Deum omni creaturæ invisibilem et ignotum, et sibi soli notum ac visibilem.

Ignorat homo quid sibi prosit aut obsit.

Hinc igitur Job optime probat quod vers. 3 dixerat, minime tutum esse cum Deo contendere, quod humanis oculis cerni non possit ejus adventus aut pugnandi tempus, et ratio cognosci, quia cum invisibilis sit, neque sciri potest cum pugnaturus veniat, neque quando a pugna recedat; quæ res in humano congressu, quicumque ille fuerit, multum habet momenti; imo hac una in re spectari solet summa victoriæ. Id enim agunt diligentissime duces, ut sua consilia sint occultissima, ita ut non adversarii solum, sed etiam commilitones et socii quid fieri aut quid tentari debeat, prorsus ignorent. Hoc argumento usus est S. Paulus, dum ad spiritalem pugnam christianum armat militem dicens *Ephes.* VI, 12: « Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem. » Ita Sanctius noster et Pineda; videturque hæc explicatio litteræ conformior. Aliæ expositiones sunt ad mores valde opportunæ, utpote quæ timorem Dei maxime fovent, ut illa D. Thomæ locum hunc sic explicantis, ut ignoret homo quando Deus veniat, id est, auxilium conferat ad salutem, vel abeat, id est, auxilia detrahat aut protectionem: multa enim beneficia sunt quæ homo putat esse detrimenta, qualia sunt quæ modo patitur Jobus. Alia existimantur esse beneficia quæ hominem perdunt, qualia sunt quæ honori sunt homini, aut humanæ commoditati; hæc autem homo ignorat, neque adventum Domini aut recessum videt. Alii de incertitudine gratiæ exponunt, et in his D. Gregorius; quæ res quieto et securo animo esse non sinit, cum nemo sciat, utrum odio an amore sit dignus; unde homo suæ conditionis ignarus, qui quo in statu sit nescit, et an Deum pro se ad auxiliandum amicum, vel contra se ad oppugnandum inimicum habeat; justam profecto timendi causam habet, cum illum fortem esse sciat, neque de illius animo aut de statione constet, cum sit invisibilis, et ipse semper sit in tenebris, neque adversarium videre possit; cum tamen Deus semper sit in luce, neque quisquam possit illius oculos latere. Alii enim sunt oculi Dei, atque ut dicam ore Sapientis *Eccli.* XXIII, 28: « Multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes. » Cumque ipse corporis

Homo nescit an amore an odio dignus sit.

http://www.obrascatolicas.com

animique ædificator usque in animi centrum intueatur, intimosque sinus voluntatis et contortiplicatas intentiones, multis mæandris et labyrinthis flexuosas; videt ibi forte quædam quæ non videmus, quæque tamen pœnam et odium merentur.

Profunda et metuenda Dei judicia.

Agnovit hoc S. Gregorius Magnus Papa, et ut bonus ab evangelio senex timoratus utilem hunc metum ubique circumtulit : « Apud Deum, inquit lib. VIII *Moral.* cap. IX, districte judicati ipsi quoque maculas inquinationis habent, qui per munditiem sanctitatis lucent : » quæ causa

S. Agathon moriturus Dei judicium timebat.

fuit, cur Agathon (ut narrat Ruffinus lib. III *De Vit. Patr.*) plurimorum monachorum pater, cum longam vitam gloriosis operibus inclytam beatissimo fine clauderet, tres continuos dies oculis apertis stetit attonitus, et, ut videbatur, anxius non tam cum morbo atque morte, quam cum animo ipse suo et cogitatione luctabatur; et mirantibus ea causa fratribus, se dixit in theatro judicii Dei positum vehementissime reformidare : nam tametsi nullius criminis sibi conscius esset, et toto animo contendisset in vita, ut Dei legibus obsequeretur; enimvero homo, inquit, sum, et minime scio, utrum opera mea placeant Deo; addebat et metus sui hanc rationem, « aliud esse judicium Dei, et aliud hominum. » Hæc opinor ea-

Similiter S. Arsenius et S. Hilarion.

dem cogitatio Arsenium, plenum meritis et gratia virum, in ingentem formidinem conjecit; qui in abitu ab hac vita, cum lacrymarum vim magnam effunderet, interrogaverunt qui tum præsentes adfuerunt seniores bene multi et religiosi viri, num timeret : In veritate, inquit, timeo, et hic timor semper in me fuit, ex quo monachus factus sum. Quid aliud bonum Hilarionem, qui septuaginta totos annos incredibili religione et angelicis prope moribus innocentiaque Deo servierat, in occasu vitæ magno horrore perfundebat animumque debilitabat, nisi quod statum animi sui ignoraret, quem videbat et judicabat Deus? Hæc nimirum de miseriis nostris una est prope maxima, quod qualis sit quisque ignoret, nec humanum sufficiat lumen, sed lucerna Dei sit opus ad latebras conscientiæ pervidendas : e quibus forte Numinis imperio, ut colubri e latibulo venenati, exsilient aliquando noxæ, et in conspectum omnium inducentur gravi judicio puniendæ; de quibus ille qui admiserat nec susceperat cogitationem prius ullam, nec suspicatus fuerat. An non igitur causa est, cur prudentes viri, qui ratione omnia expendunt atque moderantur, continuo in metu sint, ne pavore deinde sempiterno exhorrescant? An non illuc intuebantur apostoli, cum tam serio graviterque monent *Philip.* II, 12, ut cum timore et tremore salutem nostram operemur? Accedit, quod divina judicia profunda sint, et velut in recondita abysso latentia, eo ipso formidabilia humano generi, quæque magni timoris materiam subministrent : de quibus utinam sæpius cogitaremus; quod non fieri nisi a paucis Deum verentibus dolet regius Vates, et apud Deum ita queritur *Psalm.* X, 5 : « Auferuntur judicia tua a facie ejus, » vel ut est proprie in Hebræo, *altitudo sunt judicia tua a conspectu illius*, hoc est, remota sunt, magna quadam intercapedine ab eo distant, non videntur, non cognoscuntur.

Vers. 12. Nemo satis idoneus ut respondeat Deo repente interroganti.

12. SI REPENTE INTERROGET, QUIS RESPONDEBIT EI? VEL QUIS DICERE POTEST : CUR ITA FACIS? — quis enim tam perspicax ut valeat idonee respondere Deo ex inopinato ad tribunal conscientiæ rapienti et interroganti? præsertim cum superiorem judicem non habeat, qui ab eo facti sui rationem exigere possit. Bene observat hic Joannes a Jesu Maria, interrogationem hanc repentinam raptum quemdam esse ad conscientiæ tribunal, ubi coram Deo sistitur homo; a quo si Deus velit rationem exigere obmutescit, quemadmodum qui de gravissima quæstione aliqua repente rogatur solet obstupescere, licet ingenio ac doctrina excellat, cum imparatus præoccupetur : aliud quippe est rem scire, aliud inexspectato rogatum respondere; et hoc quidem apud mortales : at coram divina majestate omnis hominum sapientia et perspicacitas stupor quidam est et ignorantia. Cæterum hæc interrogatio repentina in hac mortali vita fieri solet, cum Deus hominem, tametsi justum, nescientem tamen utrum odio vel amore dignus sit, intra conscientiam propriam ad quæstionem vocat, et velut extemporaneo telo percellit. Potest quoque subita quæstio ad raptum in judicium pertinere, ut is repente interrogari dicatur, quem mors inopinata imparatum offendit, quem constat Deo sciscitanti respondere non posse; et quoniam fecimus mortis mentionem, an non ea cogitatio commovere quoque animum debet, et continuum hunc metum suadere? Nihil enim est certius quam esse aliquando moriendum, nihil incertius quam quo tempore, et quo modo id sit futurum, quæ res semper in Ecclesia Dei prudentum et sanctissimorum hominum animos incredibiliter anxios et sollicitos habuit: nam deprehendi imparatum, rapique ex hac vita non supputatis nec digestis bene rationibus ad exponendam villicationem suam, tam horribile malum est, ut nullum majus aut formidabilius esse putem. Itaque Deus ut supplicium longe maximum atque miserrimum apud S. Vatem illud minatur populo ingrato, duræ et sceleratæ mentis, quem mollire nulla beneficia queunt et reducere ad meliora : comparat enim Jeremias populum Hebræum impunita malitia furentem cum onagro, et addit cap. II, 24 : « In menstruis ejus invenient eam. » Pro *menstruis* Aquila vertit *in kalendis*; Chaldæus aliique, *in tempore suo* : alludit ad onagri consuetudinem, quem prodit R. Salomon uno anni mense dormire, quo capi solet, cum cæteris vigilet. Ita fore dicit Propheta ut divinarum legum obliti, qui quasi continuo stertunt, nunquam mentem ad abitum ex hoc

Incertitudo hæc mortis et imminentis jud cii Dei timorem suadet.

Peccatores onagro similes.

mundo et divinorum judiciorum magnitudinem cogitandam admovent, certa hora, inexspectato olim tempore, in somno illo suo de improviso capiantur, atque prius horrifico solio et tribunali Dei sistantur, quam de morte et judicio cogitaverint.

Quam nonium sit extremorum cogitationem abjicere.

Illud idem quam sit hominibus calamitosum ex Propheta quoque Amos licet colligere, qui cap. VI, 3, lamentabile canit exitium iis qui extremarum rerum cogitationem a se rejiciunt, nec ullo metu continentur : « Væ qui separati estis in diem malum; » Tigurina vertit, *qui in longinquum rejicitis diem malum*; Pagninus, *qui longinquum putant diem malum* : nam quia nec igneas vident manubias fulminantis e solio Dei, nec theatrum vallis Josaphati conseleratis metuendum, nec fauces Erebi apertas ad eosdem recipiendos, putant judicium aut nunquam futurum, aut tam longe positum, ut commoveri tragœdiis illis minime oporteat. Vere enim ait Aristoteles lib. II *Rhetor.* cap. VI : « Quæ longinqua sunt non metui. » In illa vero opinione confutanda atque evellenda ex omnium animis auctor primum religionis Deus, tum apostoli, Ecclesiæ deinde lu-

Deus repente et cito veniet ad judicium.

mina S. Patres, magno studio elaboraverunt, dum contendunt proxime abesse judicii diem, et pari cursu cum extremo vitæ die concurrere. Ita magnus mundi Judex cito se venturum denuntiat ad rationes omnium repetendas et severo judicio puniendas. In Apocalypsi, cap. III, vers. 11 : « Ecce, inquit, venio cito; » et alibi cap. XXII, vers. 7 : « Ecce venio velociter. » Quasi forum subselliis jam instrueretur, et tribunalia judicum et sedes Christi gloriosa terrifico fulgore collucens; quasi modo signum Filii hominis cruore suo et clavis inauratis late rutilaret; quasi denique jam vocalis et fortissimus ille angelus inclamaturus esset : « Surgite mortui, venite ad judicium; » quam tubam continuo resonantem audiebat S. Hieronymus, et toto animo atque omnibus artubus horrebat. Cum vero in obitu cujusque par futurum sit Numinis sancti judicium, quod in decretorio magno die pronuntiabitur, atque in omnem æternitatem sit ratum atque fixum, quod de unoquoque sua in morte statuitur, verissimum est cito venturum, atque adeo jam instare judicii magni diem respectu singulorum. Sic S. Joannes I *Epist.* II, 18, jam novissimam horam esse denuntiabat, et Christus in Evangelio *Matth.* XXIV, 33, esse prope

Dies per antonomasiam pro extremo sumitur.

in januis. Itaque ex apostolorum institutione ac monitis veteres christiani vix unquam *diem* nominari audiebant, quin subito mentem et cogitationem ad extremum horribilemque diem judicii magni referrent; et quidem ita loqui solet Apostolus, ut *diei* nomine illum ipsum intelligat; ut cum agit de corona beatæ vitæ atque sempiternæ II *Tim.* IV, 8, « quam reddet, inquit, mihi in illa die justus Judex. » Quænam autem est illa dies? neque enim ullius ante mentionem fecerat; sed tum quidem de hoc dubium nullum esse potuit christianis, cum per antonomasiam ita scirent nuncupari mundi ultimum et metuendum diem. Ita quoque Filius Dei loquitur *Matth.* VII, 22 : « Multi dicent mihi in illa die : » quod eodem plane modo intelligendum est, cum nullius prius diei meminerit. Hæc igitur si cogitatio mentem occuparit, non poterit in piis quidem atque probis non exsultantem animum componere, atque ad metum pectore christiano dignum revocare, ne in illo ipso die imparati et confusi reperiantur; insidiantem quasi mortem semper ad latus sibi habere videntur, cujus telum nullo artificio possint effugere : cum timore ad ictum parant se, et cum Davide animam in manibus suis circumferunt, ut cum illam Rex cœlestis, qui creavit ornavitque donis suis, repetierit, spe bona pleni et gaudio recreati possint tradere.

Utilissima extremi diei cogitatio.

VEL QUIS DICERE POTEST : CUR ITA FACIS? — hoc ad extollendam Dei altitudinem plurimum conducit, et in rem præsentem impendio quadrat : est quippe allusio ad judices supremos, qui non timent actuum suorum cognitores, qui facta rescindant. Idem posset quoque non solum de supremo Dei in res omnes dominatu exponi, verum etiam de absolutissima ipsius in universis operibus et judiciis perfectione, *q. d.* Nunquam ita demens sim, ut cum Deo disceptem, cujus opera et judicia ea puritate et justitia nitent, ut nemo possit ei quidquam objicere; nemo possit jure dicere : « Cur ita facis? » cum exploratum sit nihil ab eo nisi purissimum et justissimum proficisci posse : quia, ut Psalmista canit *Psalm.* CX, 6, « opera manuum ejus veritas et judicium, » id est vero judicio stabilita, nihil injusti secum trahentia : nam, ut idem Psaltes alibi ait *Psalm.* XVIII, 10, « judicia Domini vera, justificata in semetipsa : » ita ut a nemine redargui possint.

A Deo non datur appellatio.

Vers. 13. Ira Dei nemo valet resistere.

13. DEUS, CUJUS IRÆ NEMO RESISTERE POTEST, ET SUB QUO CURVANTUR QUI PORTANT ORBEM. — Eodem modo clamat ex oraculo Nahum cap. I, 6 : « Ante faciem indignationis ejus quis stabit? et quis resistet in ira furoris ejus? » Similia passim occurrunt in aliis prophetis, quibus providit amantissimus hominum Deus, ut divinitus afflati scriptores de ipsius ira et ultione multa magnifice terribiliterque dicerent, ut vesani homunciones intelligant, quam sit formidabilis, et in omnem partem metuendus, adeoque Dei timorem salutarem semper retineant. Hinc prophetæ rem arcanam humanis symbolis describentes Deum inducunt velut in campum ingredientem contra insensatos flammifero curru invectum, cinctum fulminibus et procellis, quas dira et insuperabili potentia in caput inimicum effundat. Sunt illa *Jerem.* XXX, 23 : « Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens, in capite impiorum conquiescet; » apud Isaiam, cap. XXX, 30 : « Terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris et flamma ignis devorantis : allidet in turbine et in lapide grandinis. » Hunc igitur potentiæ Dominum et ferocientem in

Ira Dei variis symbolis in Scripturis expressa.

http://www.obrascatolicas.com

scelus armatum sustinere quis possit, quin ad nutum ipsum venientis et terroris significationem pavore exanimetur? illius verba sunt tonitrua, minæ fulmina, tela mors, et accessus ad puniendum ruina extremaque desolatio. « Deus majestatis intonuit (inquit David *Psalm.* XXIX, 3 et XXVIII, 5). Vox Domini confringentis cedros : » *cedros* appellat aut elatos tumida superbia, aut potentia opibusque præcellentes, aut supra mortales alios dignitate atque imperio subvectos; quos hoc loco Job intelligit per eos *qui portant orbem*, ne quis putet magnitudine potentiæ suæ et humanæ gloriæ pompa se gravem illius manum, ut vitam eripientem, posse defugere.

Nemo quantumvis potens Dei manum evadit.

Itaque divinæ litteræ ad instructum apparatumque Numinis adumbrandum, quo cœlum terramque tremefacit, ex humana consuetudine, quæ in hoste maxime horrifica sunt, illi tribuunt arcum et sagittas, vasa furoris Dei, fulgurantem hastam, frameam carnes devorantem, flammam, turbinem, nigram tempestatem; quibus sacri vates nulla majora aut magnificentiora excogitare potuerunt ad percellendos hominum animos qui utuntur ratione, ad vindicis scelerum Dei incredibilem majestatem tum cogitandam, tum pro eo ac convenit formidandam. Habet turbinem, qui humana vi sisti nequit; tam rapida tamque ignea utitur celeritate, ut prius te læsum et exanimatum sentias, quam feriri posse suspiceris; nulla laurus illius fulmen arcet et defendit : atra e caligine erumpit sæva et immani tempestate, qua pestem, cladem et calamitatem immittit; ad cumulum inauditi horroris anteambulones habet duos, mortem et satanam, quorum tela et inevitabiles ictus nunquam frustrantur. « Ante faciem ejus ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes ejus, » canit Habacuc cœlestium monitorum interpres cap. III, 5. Hæc et similia cum apud se reputarent prophetæ, omni animo cohorrescebant, Deumque reverentes cum Davide exclamant *Psalm.* LXXXIX, 11 : « Quis novit potestatem iræ tuæ? » quis, o pollens orbis Dominator, prout par est vim, robur, magnitudinem iracundiæ tuæ cogitat? quis meditando et ratiocinando consequitur? Cum placet mundum punire nequitia pollutum, magnis sceleribus contaminatum, ad nutum æstuantis oculi tui defluunt gentes, montes liquefiunt, terra dehiscit, cœlum ut liber involvitur, natura tabescit. « Aspexit, » inquit Habacuc cap. III, 6, justo videlicet furore inflammatus; quid igitur inde sequitur? « Et dissolvit gentes; » vel, ut est apud Septuaginta, καὶ διετάκη ἔθνη, *et distabuerunt gentes* : Amos pari sapientia præditus, et timore consimili obstupefactus : « Dominus, inquit cap. IX, 5, Deus exercituum qui tangit terram, et tabescet, et lugebunt omnes habitantes in ea. » Quis ergo novit potestatem iræ Dei? In iisdem meditandis versati deinde apostoli, nullum finem faciebant monendorum mortalium, ut æternum adorandumque Numen et immensam illius potentiam reformidarent : clare D. Paulus, ut in evangelio tuba, illud resonat *Hebr.* X, 31, esse « horrendum incidere in manus Dei viventis; » et B. Joannes *Apoc.* VI, 16, ait reges auro et gemmis coronatos, purpura insignes, gloriæ suæ majestate conspicuos, dominatu et potentia feroces, et minitantes pene dicam cœlo, ad occursum tamen fulminantis iræ Dei linqui animo, obstupefieri ut sideratos, fugere in speluncas, metu fractos, momentis prope singulis emorientes, idque ob iram Agni, cum moderatissime capita scelerata comprimit, quod ipsum B. Job hoc loco significat cum subdit :

Magna vis iræ Dei.

Formidabilis est ira Dei.

SUB QUO CURVANTUR QUI PORTANT ORBEM; — hebraice עזרי רהב *hhozre rahab*, id est, *adjutores altitudinis* seu *superbiæ*; vel, ut Chaldæus vertit, *adjutores fortis*, id est angeli, et principes tum boni tum mali, qui mundum gubernant, et potentia, sapientia, imperio suo quasi manibus et humeris suis portant. Symmachus accipit de malis principibus, dum sic vertit, ὑπακάτω δὲ αὐτοῦ καμφθήσονται οἱ ἐπειρημένοι ἀλαζονείᾳ, *sub ipso incurvabuntur qui nituntur arrogantia*; Septuaginta quoque de malis accipiunt, ὑπ' αὐτοῦ ἐκάμφθησαν κήτη τὰ ὑπ' οὐρανόν, *sub ipso incurvati sunt ceti qui sub cœlo sunt*, iisque magis favent Hebræa; doctissime autem, et huic libro aptissime, potentes homines parabolice appellant *cetos*, præsertim eos qui tyrannice imperant, qui sicut ceti pisciculos minores ita subditos deglutiunt, et eorum facultates absumunt : qui omnes sub potenti manu Dei incurvantur, et ejusdem iræ subjiciuntur. S. Gregorius lib. IX *Moral.* cap. XIII, hunc locum de bonis principibus exponit : « Ipsi enim, inquit, orbem portant, qui curam præsentis sæculi tolerant : tantorum quippe pondera unusquisque sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur; unde et terræ princeps non incongrue græco eloquio βασιλεὺς dicitur (λαὸς enim *populus* interpretatur) : βασιλεὺς igitur βάσις λαοῦ vocatur, quod latina videlicet lingua *basis populi* dicitur, quia videlicet ipse super se populum sustinet, qui motus illius potestatis pondere fixus regit : quo enim subjectorum suorum onera tolerat, eo quasi superpositam columnam basis portat. » Et paulo post cap. XIV, per eos « qui portant orbem » etiam angelos intelligit, qui incomprehensibili Dei fortitudini, celsitudini et sapientiæ quam humillime se inclinant : « Ipsi enim, inquit, orbem portant, qui regendi mundi curas administrant, Paulo attestante *Hebr.* I, 14 : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis?* »

Principes sunt orbis portitores.

Rex idem quod basis populi.

Angeli orbis portitores se Deo inclinant.

Allegorice idem S. Gregorius *ibid.* cap. XIII, hæc accipit de vocatione gentium, quarum reges et principes fidei christianæ colla submiserunt, supremam Christi auctoritatem et potestatem profitentes. Sicut etiam post Jobum Ezechiel cap. I,

Tyranni cetis comparantur.

Allegorice et tropologice.

Ira Dei omnia dissolvit et delet.

Reges orbem portant.

supremos monarchas sub typo animalium orbes aut rotas portantium vidit habere super capita sua Deum in solio gloriæ tanquam supremum gubernatorem considentem; ad cujus vocem animalia demittebant alas, et se omnino subdebant. Tropologice S. Hieronymus hunc locum interpretatur de viris sanctissimis, qui suorum meritorum gratia, qua pollent apud Deum, sustinent orbem sive humanum genus, ne propter scelera impiorum a divina justitia dissolvatur. Verba S. Hieronymi sic habent : « Portantes orbem *sancti* recte intelliguntur, qui gloria meritorum suorum magni et potentes sunt apud Deum; hi ergo cordis humilitate ad interveniendum pro peccatoribus in conspectu ejus sunt incurvati : ita sancti portant mundum, dum eum ne ruat ac pereat orationum fortitudine sustinent. » Quemadmodum in Breviario Romano quarta octobris in Lectionibus secundi Nocturni de S. Francisco legitur, quod eum Summus Pontifex Innocentius III in somnis viderit divinitus collabantem Lateranensem Basilicam suis humeris sustinere.

Sancti portant orbem.

Atlanteus portitor quis.

Nonnullis visus est interpres noster allusisse ad fabulam Atlantis, regis Mauritaniæ, celeberrimi mathematici, aut etiam Atlantis montis; quorum alter sua scientia matheseos singulari, alter prodigiosa altitudine cœlum quodammodo fulcire dictus est : sed hæc ut fabulosa, ita etiam non satis digna sunt, ad quæ sacer interpres in re tam seria et gravi alludere censendus sit. Ad sanctos potius angelos respexerit, rerum naturalium et humanæ salutis procuratione orbem quasi portantes; qui *curvari* dicuntur, dum, uti dictum est, coram divina majestate seipsos demittunt, ejusque potentiam et sapientiam demirantur, ut sit argumentum a majori ad minus, *q. d.* Nunquam tulit animus ut repugnarem ei, cui a nemine resisti potest; vel ut me erigerem adversus eum, cui potentissimæ creaturæ sese submittunt atque prosternunt; unde subdit :

Vers. 14.

Argumentum a majori ad minus.

14. QUANTUS ERGO SUM EGO, UT RESPONDEAM EI, ET LOQUAR VERBIS MEIS CUM EO? — *q. d.* Si robusti illi Atlantes, orbis portitores, nihil adversus Deum valent, sed sese supplices ante divinam majestatem incurvant; quanto minus ego debilis et infirmus homuncio adversus eum prævalebo, ut audeam illi respondere, aut, quod audacioris est ingenii, repugnare? Sunt verba vires suas extenuantis, et imbecillitatem propriam confitentis, certamen subterfugientis, et sub potenti manu Dei sese humiliantis, et cum Abrahamo, divinæ majestati vilitatem suam opponderantis, ac præ submissi animi reverentia dicentis *Gen.* XVIII, 27 : « Quantulus sum ego, ut verbis meis loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis? » Utilis profecto et S. Jobo digna consideratio, quam utinam omnes adhiberemus, antequam coram Deo preces nostras effundimus, haud paulo sane attentius, quam plerumque facimus, oraremus.

Cum Deo acturus suam vilitatem et Dei majestatem attendat necesse est.

Quod cum probe nossent S. Patres, quantum ad orationem rite instituendam momentum adferat, sedulo nos monent, ut ante orationem cum animo nostro reputemus, quem affari, cujus frui conspectu colloquioque appetimus. *Cogita*, inquit S. Chrysostomus *in Psalm.* CXLV, τίνι προσέρχῃ, καὶ ἀρκεῖ σοι εἰς νῆψιν, *ad quem accedis, et sufficiet ad inducendam tibi vigilantiam*, etc. : acturi enim sumus cum angelorum Domino, quem beatæ illæ mentes inusitato metu oppletæ, et pudore vultum inumbrantes demississime venerantur, nam, ut pie et eleganter Petrus Chrysologus *Serm.* 5 ait : « Archangeli tremunt, pavent angeli, potestates metuunt, in faciem proruunt cœli seniores, elementa fugiunt, solvuntur saxa, montes defluunt, terra tremit, et homo terræ intrepidus intrabit? » Cum rege colloqui vel imperatore existimatum fuit olim munus divinum, ad quod insignis quædam modestia cultusque requirebatur; hinc Theodoricus rex apud Cassiodorum lib. III *Epist.* 22, ait : « Quilibet habere nostra colloquia, munera credit esse divina. » Nos ergo elati, et nihil minus quam de augusta Numinis potentia et gloria cogitantes, non ferenda animi temeritate ad Dei commercium ruemus? Certe in primis opus est, ut S. Bernardi serm. 7 *in Cant.* verbis utar, « verecundia comitari precem, commendare precantem : » opus reverentia et pavore quodam sancto filiorum Dei proprio, quem his verbis commendat Lactantius Firmianus lib. VI *Divin. instit.* cap. XXV : « Summus, inquit, colendi Dei ritus est, ex ore justi hominis ad Deum directa laudatio; quæ tamen ipsa, ut Deo sit accepta, humilitate, et timore, et devotione maxima opus est, ne quis forte integritatis et innocentiæ fiduciam gerens, tumoris et arrogantiæ crimen incurrat, eoque facto gratiam virtutis amittat. » Ad hunc itaque plurimorum naufragiis infamem scopulum caute devitandum prudenter Job subjungit :

Vers. 15.

15. QUI ETIAMSI HABUERO QUIDPIAM JUSTUM, NON RESPONDEBO; SED MEUM JUDICEM DEPRECABOR, — id est, etiamsi justus et pius fuero, non contendam cum eo, neque pro jure meo expostulabo, ut me de tantis malis et calamitatibus vindicet; sed id tantum precabor, ut mihi clementiam et misericordiam suam impertiat : ubi nota particulam conditionalem *si* diserte additam, ad incertitudinem humanæ justitiæ designandam, secundum illud Apostoli I *Cor.* IV, 4 : « Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum : » et ad ostendendum, cujuscumque hominis justitiam valde parvam et imperfectam exsistere, si ad divinum examen expendatur, addit particulam diminutivam *quidpiam*, juxta illud *Isai.* LXIV, 6 : « Omnes justitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ, sic sunt coram illo. » Quare tantum aberat vir sanctissimus, ut cum sublimissima Dei majestate tanquam cum pari vellet judicio contendere : quin potius e contra decerneret, non tan-

Humana justitia incerta et imperfecta.

http://www.obrascatolicas.com

tum quando de culpis plectendis quæstio institueretur; verum etiam cum de bonis ejus remunerandis ageretur, nihil omnino hiscere, nihil pro se loqui; sed judicem æquissimum deprecari, ne justitiam ipsam scrutetur, sed prostrato ignoscat. Divino nimirum Spiritu instinctus ex tunc præcognoverat vir sanctus Deum, cum ad judicium venerit, ipsas etiam justitias judicaturum; quemadmodum postea per os Davidis diserte minatus est dicens *Psalm.* cap. LXXIV, vers. 2 : « Cum accepero tempus, ego justitias judicabo; » quo etiam sensu postmodum a Malachia dictum est cap. III, 3 : « Colabit filios Levi, » id est, districte examinabit justos, qui per filios Levi designantur.

Deus etiam justitias judicabit.

Terribile profecto verbum, quod jure debeat maximum mortalibus timorem incutere, quemadmodum mox paulo post de semetipso Job confitetur dicens cap. IX, 28 : « Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. » Eadem judicii divini severitas, secundum S. Hieronymi expositionem, significatur his verbis *Soph.* I, 12 : « In tempore illo scrutabor Jerusalem in lucernis, » quæ loquendi formula duo significat, primum, scilicet exactissimam occultorum etiam criminum inquisitionem (nam qui domos rei alicujus investigandæ gratia scrutantur, accensam lucernam adhibent, quam ad omnia loca et omnes angulos perferunt, quo lumen solis penetrare non potest); deinde, reddendam esse rationem rerum etiam minimarum, et quæ oculorum aciem subterfugere videntur, cujusmodi sunt non verba tantum otiosa, sed otiosæ etiam cogitationes : hujusmodi enim, id est minutissima et subtilissima esse solent, quæ in domibus accensa lucerna investigantur. Denique eamdem severitatem expressit alibi regius Vates dicens *Psalm.* XCIII, 14 : « Quoniam non repellet Dominus plebem suam, quousque justitia convertatur in judicium, » ubi Theodoretus hanc *justitiam* ipsummet Christum interpretatur, hic enim in primo quidem adventu conversus est in misericordiam; sed in secundo convertendus est in judicium. Verum communiter interpretes accipiunt de ipsamet divina justitia, quam Dominus in judicio exercebit : hoc sensu futurum est, ut justitia Dei, quæ modo dissimulat, et vindictam differt, in ultionis judicium convertatur, et ad exsecutionem procedat, ut significetur modo justitiam divinam ferre quidem sententiam secundum præsentem justitiam, sed interpellante misericordia non semper progredi ad exsecutionem; illo autem extremo die ad exsecutionem processuram.

Judicii divini severitas.

Judicii tempus et ultionis.

Est autem hic judex adeo perspicax et acutus, ut ubi homines de justitia præsumunt, ibi malitiam deprehendat, juxta illud Paræmiastæ *Prov.* XVI, 2 : « Omnes viæ hominis patent oculis ejus, » seu, ut est in Hebræo, *mundæ sunt in oculis ejus*, hoc est, plerique hominum ita sunt erga seipsos affecti, ut omnes eorum actiones illis mundæ videantur; et statim subditur *ibid.* : « Spirituum ponderator est Dominus, » *q. d.* Videte quid de vobis sentiatis, non enim vos vestrarum actionum censores et æstimatores esse debetis, sed ipse Dominus : quare licet vos vestra opera bona esse credatis, tamen cum ad divini judicii trutinam vocabuntur, in qua subtilissimi spiritus et abditissimæ intentiones expenduntur, mala fuisse cognoscentur. Nemo igitur de sua justitia superbiat, sed de divino judicio contremiscat, et cum Jobo judicem suum deprecetur. Vide plura de divini judicii districtione *supr.* cap. VII, 8 et 21 annotata et explicata. Quid autem sua deprecatione Job consequatur ostendit, cum subdit :

Deus humanarum intentionum exactus trutinator.

16. ET CUM INVOCANTEM EXAUDIERIT ME, NON CREDO QUOD AUDIERIT VOCEM MEAM. — Adeo, inquit, veneror et revereor majestatem Dei, ut si quando me orantem exaudiat, mihi persuadere non possim vocem mei miselli homuncionis ab excelsissimo Deo exauditam fuisse. Quæ Jobi verba plane mirabilia exactam demissi ejus animi significationem continent : sic nimirum solet interdum usu venire, ut vir aliquis plebeius et gregarius, nullo nobilitatis titulo insignis, potentissimo cuipiam regi dudum famulatus, officium aliquod lautum et lucrosum, aut favorem quempiam rarum a rege per libellum supplex postulet, et obtineat; cujus certe rei, præter opinionem, felix exitus ut primum homini isti nuntiatur, nuntios prima fronte nonnunquam rejicit, jubens illos abire salvos, et dictitans se in animum suum inducere non posse, aut ullo modo credere regem homini abjecto tantum indulsisse : non quod nuntios istos mendaces esse opinetur, sed quod bonus et æquus suæ vilitatis et regiæ celsitudinis æstimator allato nuntio attonitus hæreat, neque tam cito rem tantam sibi persuadere possit. Plane similis est hic Jobi sensus, qui ex alta suæ imbecillitatis divinæque majestatis cognitione ac comparatione si quidpiam obtinuisset, sibimetipsi non satis credebat. Potuit etiam hæc credendi difficultas ex aliis capitibus proficisci, quæ ad orationem theologico more requiruntur : quis enim novit ita se orare ut exaudiatur? Non ergo diffidit de bonitate Dei (ut Hebræi volunt, et Robertus Stephanus *Schol. Biblic.* annotare minime erubescit) sed tantum significat sibi non constare se exauditum esse : persistit enim in ea, quam dudum posuit, sententia, scilicet nos de Dei nobiscum amicitia nequaquam esse certos.

Vers. 16. Job ex nimia humilitate non persuadet sibi se a Deo exauditum esse.

S. Thomas et Cajetanus idem aliter explicant, et dicunt, neque Jobum, neque alios, qui Deum assidue et ferventer orant, intelligere, an a Deo obtinuerint vota sua, vel quod ipsis magis futurum sit ex usu : quia cum a morbo aut hominum injuriis crucientur graviter, orentque ut ab illis naturæ aut fortunarum incommodis liberari concedat; etiamsi exorent quod vehementer orant; dubitant tamen, an ipsis ad salutem expediat magis sustinere adversa, quam optatis et secundis frui. « Contingit, inquit D. Thomas, quandoque quod hominem Deus exaudit non ad votum, sed ad profectum : sicut enim medicus non exaudit infirmum ad votum postulantem amoveri medicinam amaram, eo quod sciat eam esse salutiferam; exaudit tamen ad profectum, quia per hoc sanitatem inducit, quam maxime infirmus desiderat : ita Deus homini in tribulationibus constituto tribulationes non subtrahit, quamvis deprecanti, quia scit eas expedire ad finalem ejus salutem. Et sic licet Deus vere exaudiat, tamen homo in miseriis constitutus exaudiri se a Deo non credit. » Itaque hæc negatio concessio est, quia tam utiliter male petita negantur, quam utiliter bene petita conceduntur. D. Paulus II *Corinth.* XII, 8, ter Dominum rogavit, hoc est (interprete D. Chrysostomo ad eum locum) sæpe Dominum rogavit, ut discederet ab eo stimulus carnis suæ, angelus Satanæ, qui eum colaphizabat; et tamen nunquam impetravit, dicente Domino : « Sufficit tibi gratia mea. » An contemnebat Dominus suum Apostolum, cujus orationem non audiebat? minime profecto, imo potius majori virtute cumulabat; unde D. Augustinus *Epist.* 121, cap. XIV : « Nonnullis, inquit, impatientibus Dominus Deus quod petebant concessit iratus; sicut contra Apostolo negavit propitius. » Quod Apostolus non ignorans repulsam modeste tulit, imo alacrius et festivius exsultavit repulsam passus, quam si voti sui compos redderetur, dicens : « Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi, » quasi diceret, inquit S. Chrysostomus hom. 30 *in Genes.* : « Non solum postea liberari non requiro, sed etiam magna voluptate gloriabor in illis; » et paulo ante : « Nam cum Deus, inquit, aliquid nobis negat, non minus est quam si concessisset. » Cæterum Jobus cum æque ac Paulus liberari cuperet a diuturna illa duraque carnificina, idque iterum atque iterum oraret ardenter; neque tamen se labor ille remitteret, neque præterea (secus quam Paulus, qui divinum responsum acceperat) nosset sibi durum illud certamen futurum ex usu, immissumque magis a benevolo quam ab infenso Deo, dubitare merito poterat suas a Deo preces fuisse repulsas; quo dubio durante non poterat esse sine metu, quemadmodum is, quem sua culpa supplicio addixit capitali, etiamsi sibi ab eo, qui summam in eo genere potestatem habet, remissa sit culpa, et supplicium illud capitale depulsum; timet tamen non minus quam antea, nisi quis illum faciat de remissione et principis voluntate certiorem.

Sæpe Deus non exaudit ad vota, sed ad utilitatem.

In Deo aliquando concedere iræ est, negare misericordiæ.

Negatio aliquando non minus est quam concessio.

Vers. 17. 17. IN TURBINE ENIM CONTERET ME, ET MULTIPLICABIT VULNERA MEA ETIAM SINE CAUSA. — Reddit rationem cur timeat, et cur in eodem sit angore, etiam post adhibitas preces, quia num ad salutem et pacem fuerit exauditus ignorat : est enim valde horribile dubitare quemquam, an sibi habeat infensum Deum, a quo momento temporis exstingui possit, aut torqueri vehementius. Illud *in turbine* metaphora est Scripturis usitata, ad declarandam vehementem Dei iram vel aliquam ab eo immissam afflictionem, quæ ad modum fragosi turbinis tumentisque procellæ omnia per quæ transit perdit, dissipat et convellit, pavoremque maximum animis injicit : sic dicitur *Jerem.* XXIII, 19 : « Ecce turbo dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet : » item *Isai.* XXVIII, 2 : « Ecce validus et fortis Dominus sicut impetus grandinis, turbo confringens. » Pro *in turbine* Septuaginta transferunt θύελλαν, *caligine*, seu horribili obscuritate; quod autem ait *sine causa*, idem est quod sine culpa, sine meo merito : *causa* enim hic pro *culpa* accipitur, quæ propria pœnæ causa sive origo est. Et hic profecto sensus fidissimum Jobi animum in Deum demonstrat, quasi judicaret, se non ob crimina, sed ad meriti augmentum tot calamitatibus obsideri. Potest quoque illud *sine causa* sic exponi, ut subaudiatur aliquid, scilicet *manifesta*, et ab homine afflicto perceptibili : si enim homo afflictus perciperet causam, quare Deus eum affligit, et quod afflictiones sint ei utiles ad salutem, manifestum est, quod crederet se exauditum; sed quia hoc non intelligit, credit se non exauditum; et ideo non solum exterius affligitur, sed etiam interius : sicut infirmus, qui si nesciret se per medicinam amaram sanitatem obtenturum, non solum affligeretur in gustu, sed etiam in animo; et ideo subdit :

Horribile est dubitare, an Deum quis habeat infensum. Turto est symbolum furoris Dei.

Job sine culpa affligitur, et nescit causam afflictionis.

18. NON CONCEDIT REQUIESCERE SPIRITUM MEUM, ET IMPLET ME AMARITUDINIBUS. — Non cessat, inquit, Deus animum meum stimulis perpetim urgere, ex quo efficitur ut amarulento afflictionis cibo exsaturer : non solum enim gratis et sine causa, id est sine ullo peccato, quod quidem in me sit, me ad extremum usque torquet et affligit; sed etiam absque ulla intermissione nullam quietis morulam concedit. Septuaginta reddunt, οὐκ ἐᾷ γάρμε ἀναπνεῦσαι, *non enim sinit me respirare;* quibus certe verbis Deum vigilem congressorem depingunt, qui omnes captet occasiones, neque ullas elabi permittat : etenim dum negotiorum dolorumve multitudine atque congerie nos fere opprimi animadvertimus, non posse nos respirare vulgo dictitamus; unde hoc abiit in proverbium jam a priscis illis temporibus, ad significandum nos facere aliquid indesinenter, et absque ulla vel minima intermissione. Sic postea Theophrastus *Charact.* cap. *de adul.* dixit omnia sedulo, diligenter et ἀπνευστί, id est *sine respiratione*, seu uno spiritu facere, quod idem est quod S. Hieronymus in quadam Epistola dixit « una saliva. » Jam vero nonnulli explanatores illa verba : « Non concedit requiescere spiritum meum, » vel illa : « Non sinit me respirare, » ad asthmaticum Jobi morbum pulmonisque arterias obturatas referunt, quod verosimile videtur; potest-

Vers. 18. Job absque cessatione affligebatur.

Job asthmate laborabat.

http://www.obrascatolicas.com

que hæc interpretatio cum prima coalescere; quandoquidem affectio utraque animi corporisque cohæreat, ex qua cooriatur amarulenta saturitas.

Denique potest etiam sic explicari: *Non concedit requiescere spiritum meum*, id est, *non sinit me mori*: mors enim, præsertim justorum, in Scriptura *somnus* et *requies* appellari solet; unde *Apoc.* XIV, 13, dicitur: « Beati mortui qui in Domino moriuntur: amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos. » Universim autem mors *somnus* dicitur, *primum*, quia sicut post labores diurnos homo se quieti ac somno tradit, ut die sequenti ad intermissos labores iterum vegetior resurgat: ita post vitam hanc laboriosam corpus hominis in sepulcro, tanquam quietis lecto, collocatur, in novissimo judicii die denuo a morte, velut a somno, divina virtute resuscitandum. *Deinde*, quia sicuti in somno cessant quidem exteriorum sensuum operationes, sed vires adhuc interiores vigent, ita in morte corpus quidem ab omni operatione cessat; anima vero viget, et suis adhuc utitur potentiis. Quoniam autem hæ rationes peculiariter sanctis competunt, jure merito in Scripturis non raro antonomastice sola illorum mors *somni* et *requietis* nomine insignitur: illi enim soli in hac vita proprie ac vere utiliter laborant, cum e contra iniquorum opera nil nisi vanitas sint, et res plane futiles ac inanes. Et quoniam in hac vita, quæ laboribus destinata est, quietem semper quærunt, in morte non requiescunt, sed a quæsita quiete ad perpetuam transeunt inquietudinem; justi autem soli, qui vitam honestis laboribus consecrarunt, in morte ab iis requiescunt, et sempiternis eorum fructibus reficiuntur: vide plura de justorum somno et quiete cap. IV, 13 annotata.

Mors sanctorum requies.

Mors in quo comparetur somno.

Peculiariter mors justorum somno assimilatur.

Vers. 19. et 20. 19 et 20. SI FORTITUDO QUÆRITUR, ROBUSTISSIMUS EST: SI ÆQUITAS JUDICII, NEMO AUDET PRO ME TESTIMONIUM DICERE: SI JUSTIFICARE ME VOLUERO, OS MEUM CONDEMNABIT ME: SI INNOCENTEM OSTENDERO, PRAVUM ME COMPROBABIT. — De Dei fortitudine vide quæ *supr.* vers. 4 dicta sunt; de judicii vero æquitate actum cap. VIII, 3: cæterum quoniam *sup.* vers. 14 breviter et summarie dixerat Job: « Quantus sum ego, ut respondeam ei, » id ipsum consequenter hic diffusius explicat, et simul assignat causam, quare non respondeat, sed judicem deprecetur. Quod enim aliquis audacter judici respondeat, potest ex duabus causis provenire, *primo* quidem si judex sit debilis, qui subditos coercere non possit; sed hoc excludit dicens: « Si fortitudo quæritur (scilicet in Deo ad subditos coercendum) robustissimus est, » utpote robur omne excedens, cujus potestati nemo valet resistere. *Secundo*, aliquis audacter respondet judici, quia confidit de sua causa, quod aliquando contingit, quia multos habet defensores seu excusatores; sed hoc excludit dicens: « Si æquitas judicii (sicut *requiritur* secundum quam aliquis habens pro se multos testes absolvitur) nemo audet pro me testimonium dicere, » id est, nemo, nisi temerarius, dicere pro testimonio audebit me pium esse, cum id fugiat vi sua omnes non solum homines, verum etiam angelos. Nam in Deum tantum convenit quod dicit David *Psalm.* VII, 10: « Scrutans corda et renes Deus, » id quod ipse per Jeremiam confirmat cap. XVII, 10: « Ego Dominus scrutans cor et probans renes; » et ob eam rem Christus hominis etiam sanctissimi et singulari virtute prædíti testimonium non magni facere, sed respuere videbatur dicens *Joan.* V, 33: « Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati: ego autem non ab homine testimonium accipio; » et paulo post: « Ego autem habeo testimonium majus Joanne. » Quare vani et futiles homines sunt, qui hominum laudem aucupantur, et vehementer quærunt, eaque re se claros esse opinantur, quæ sit populari fama gloriosa; vanaque illa est et adumbrata, non solida et expressa gloria, quam *summam* atque *perfectam* lib. II *De Offic.* Cicero appellat, si constet ex tribus his; scilicet, si hominum vulgus diligat, si credat, si admiretur. Quam vanam potius gloriam esse extrema mortalium dies planum atque exploratum faciet: quare Job recte dicit pietatem et æquitatem suam bene alieno testimonio probari Deo non posse, nec etiam suo: aliquando enim in humanis quidem judiciis homo etsi non habeat aliquos testes pro se, confidit tamen de causa sua, innitens testimonio conscientiæ suæ.

Quibus de causis possit quis audacter resistere judici.

Nemo pro nobis potest dicere testimonium adversus Deum.

Christus pro se Joannis testimonium non magni fecit, utpote hominis.

Laus hominis vana.

Sed hoc testimonium conscientiæ non potest valere homini contra redargutionem Dei, et hoc ostendit per singulos gradus, quos conscientiæ testimonium habet omnino tres: *primus* est, quando alicui conscientia sua testimonium reddit, quod sit justus, juxta illud *Rom.* VIII, 16: « Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filii Dei; » sed hoc testimonium non valet contra divinam reprehensionem, unde subdit: *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me*, id est, si testificari audeam apud Deum me justum esse, ex ipsa mea testificatione secus esse convinceret, cum delictum non leve sit in tanto judicio, quod quispiam ignorat, pro certo aliquid affirmare, apostolo Joanne nos arguente I *Epist.* I, 8: « Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. » Adde, quod testimonium, quo quispiam laudat et commendat seipsum, vulgo inter homines pro nihilo ducatur, quanto magis a Deo contemnetur? omnibus enim exploratum est, unumquemque seipsum amare; ac propterea non malum se ducet, quem amat, præsertim cum suum sit, ut aiunt, unicuique pulchrum; et ob eam rem S. Paulus ait II *Cor.* X, 18: « Non qui seipsum commendat ille probatus est; » et proverbii locum obtinuit tritum illud: « Proprio laus sordet in ore: » neque raro accidit, ut qui recte egit, culpa fœdetur, dum recte facta commemorat, sive jactat. Cum igitur certum sit, neminem scire an sit Deo acceptus vel invisus, justus an injustus (excipe casum peculiaris revelationis) hoc ipso, quod quis seipsum decerneret justum ostendere, culpa temeritatis minime vacaret, sermoque ipse ad incertam justitiam asserendam intentus quædam audaciæ ostensio et præmatura sui ipsius condemnatio foret. *Secundus* gradus testimonii conscientiæ est, quando aliquis, etsi non præsumat se esse justum, tamen non reprehendit eum conscientia de aliquo peccato, secundum illud I *Cor.* IV, 4: « Nihil mihi conscius sum; » sed nec hoc testimonium valet contra Deum, unde subjungit: *Si innocentem ostendero* (id est ostendere tentavero) *pravum me comprobabit*, in quantum scilicet mihi vel aliis manifestabit peccata, quorum mihi non sum conscius; vel quod memoriam effugerint, vel certe, quod illa pro peccatis non reputaverim, quia, ut dicitur in Psalmis *Psalm.* XVIII, 13: « Delicta quis intelligit? » *Tertius* denique gradus est, quando aliquis etsi sibi sit conscius de peccato, tamen præsumit, vel quia non habuit malam intentionem; aut quia non fecit illud ex malitia vel dolo, sed ex ignorantia et infirmitate. Atqui nec hoc testimonium valet homini contra Deum; quapropter subdit:

Conscientiæ testimonium non valet contra Dei reprehensionem.

Primus gradus testimonii conscientiæ.

Qui se justum dicit coram Deo seipsum condemnat.

Laus in ore proprio vilescit.

Secundus gradus testimonii conscientiæ.

Tertius gradus testimonii conscientiæ.

Vers. 21. 21. ETIAMSI SIMPLEX FUERO, HOC IPSUM IGNORABIT ANIMA MEA, ET TÆDEBIT ME VITÆ MEÆ. — Apertissime fatetur Jobus catholicam doctrinam de incertitudine divinæ gratiæ, quæ ad comprimendos grandes animos et pia mansuetudine subjugandos opportunissima est: licet enim possimus gratiam in nobis esse nonnullis conjecturis advertere, non tamen aut scientiæ evidentia aut fidei divinæ certitudine agnoscere; id quidem scientia non assequitur, quæ rem aut per causam aut per effectus venatur; causa autem gratiæ divina voluntas est, ad quam cognoscendam nulla ratio naturalis ascendit *Rom.* XI, 34: « Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? » quasi diceret Paulus, neminem hanc voluntatem posse cognoscere, nisi Deus ipse illi sensa suæ mentis aperiat. Effectus vero gratiæ adeo occulti sunt et absconditi, ut eos neque sensus percipiat, nec cogitatio apprehendat, nec ipse intellectus, an a gratia manent, quæ nos Deo gratos facit, certo cognoscat. Neque fides divina ad credendum nos gratiam et amicitiam Dei habere citra specialem revelationem movet: quoniam licet fides asserat, hominem verbi gratia vere et ut necessarium est detestantem peccatum, divinam gratiam adipisci; tamen opinio et moralis existimatio falsitati ac deceptioni subjecta profitetur, me aut alium quempiam hanc peccati sufficientem detestationem promeruisse. Ex hac autem opinione non elicitur certa nostræ gratiæ cognitio, sed probabilis ac verisimilis quædam existimatio. Merito igitur Tridentina Synodus *Sess.* VI, cap. IX, can. 14 et 15, anathema dicit hæreticis asserentibus nos, divina ac speciali revelatione seclusa, certo et ex fide credere, gratiæ vitam et Dei amicitiam accepisse; quam S. Patrum verissimam certissimamque sententiam certe Scriptura divina non siluit: Salomon enim ait *Proverb.* XX, 9: « Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum a peccato? » *q. d.* Nullus id potest dicere, et sine ulla hæsitatione affirmare. Quam sententiam evolvens Venerabilis Beda in hunc modum scribit: « Non ait: *Quis potest cor mundum habere, et purus esse a peccato?* sed: *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato?* » quia sunt qui largiente divina gratia possunt juxta humanum modum et cordis et operis munditiam habere; unde est illud dominicum *Matth.* V, 8: « Beati mundo corde; » nec tamen seipsum quisquam mundum credat corde, et immunem esse a peccato absque temeritate pronuntiet. Et idem Salomon alio loco ait *Eccles.* IX, 1: « Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei: et tamen nescit homo, utrum amore aut odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta: » munditiam et mentis puritatem adstruit, sed certam puritatis cognitionem negat; quam quidem possumus quibusdam conjecturis venari, non tamen infallibili notione apprehendere, Deo minime revelante: quoniam ex multis, quibus aliquid falsum subesse potest, puta ex eo quod bene sacramentum susceperim, aut sufficienter me disposuerim, aut ex aliis similibus, hæc gratiæ cognitio dependet. Quapropter non immerito Job ait: « Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, » ac si aperte diceret: Conditoris contra me judicia qua temeritate redarguo, qui ipsum me ex infirmitatis caligine ignoro? Hæc ergo vita spiritalis animæ non est nobis pariter ac vita naturalis comperta; cujus notionem tot impedimenta minus certam faciunt, tot dubitationes obscurant. Et quisque justus potest sibi precationem Davidis assumere *Psalm.* XVIII, 13: « Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo: » quoniam ipsa quæ nescimus nos sæpe maculant, nisi Deus, qui occultorum est conditor, quæ sibi displicent occulta detergat. Ob hanc autem gratiæ incertitudinem subjungit:

Nemo potest sine speciali Dei revelatione scire se esse in gratia.

Possumus et debemus esse pari a peccato; sed id non possumus scire, neque dicere.

ET TÆDEBIT ME VITÆ MEÆ, — quia scilicet nimis toleratu videtur difficile tanta mala pati, et interim hærere incertum, an in tantis malis sis simplex et Deo placeas, an vero displiceas; et sic potest vitæ tædium cum tenebricosa divinæ gratiæ ignoratione apte conciliari, ut æquum sit, tædeat nos ejus vitæ, quæ rei pretiosissimæ et felicissimæ dubium inducit. Profecto licet Jobus tot calamitatibus non infestaretur, merito exosam potuit habere vitam, cui certitudinem divinæ benevolentiæ deesse cognovit: hoc nimirum maxime angit Dei cultores, quod postquam se laboribus prolixis confecerunt, ignorent quo pertigerint;

Ob gratiæ incertitudinem merito sanctos tædet vitæ hujus.

Cognitio gratiæ pendet a multis quæ possunt fallere

http://www.obrascatolicas.com

hinc vehementer dolent, cum alte considerant, vel uno celerrimo affectu solere nonnunquam animum lethali culpa fœdari, et sempiterna morte interire. Nec immerito viros cordatos semper anxios atque exercitos habuit illa, quam oculis nostris offusam videmus, rerum humanarum nebula; præsertim ubi per hasce tenebras divina illa vox *Eccle.* IX, 1, auget terrorem : *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit* : « Terribilis est locus iste, ait D. Bernardus serm. 23 *in Cant.*, et totius expers quietis : totus inhorrui, si quando in eum raptus sum. » Qui horror ne in ipsa quidem morte B. Hilarionem deseruit, qui licet præclare sibi conscius esset vitæ per annos prope septuaginta Deo consecratæ, cæco tamen horrore quasi per caliginem obversante his verbis animum jam e senili ac ruinoso corporis ergastulo eluctantem confirmavit : « Egredere, anima mea, quid times? egredere, quid dubitas? septuaginta prope annis servivisti Deo, et mori times? » Tametsi enim viri illi summi communi hominum suffragio, a quibus pene usque ad nominis consecrationem colebantur, in spem non dubiam venire poterant se Deo charos esse, et ipsi recte factorum se conscientia solabantur; non ignorabant tamen alia esse judicia Dei, alia hominum *Isai.* LV, 8 : « Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ; neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris. » Et tamen ab hac lance divinorum judiciorum pendet momentum amoris aut odii, electionis aut abdicationis, felicis aut infelicis æternitatis : uti Tollenarius noster eleganter ostendit *Spec. vanit. Eccles.* cap. IX, sect. 1.

Vers. 22. 22. UNUM EST QUOD LOCUTUS SUM, ET INNOCENTEM ET IMPIUM IPSE CONSUMIT. — Assertum istud unicum, de quo hic agit, totius doctrinæ Jobi caput est, quod ipse ingenue proponit, statuitque propugnare, scilicet justum æque ac impium vitæ hujus calamitatibus et ærumnis subjacere, divexari atque consumi : idem superius proposuerat, eo ipso quod se innoxie vixisse, et nihilo secius gravissima calamitate exerceri conquestus est, quod ipsius amici et concertatores sat intellexerant, et indigne ferebant, atque omnibus modis convellere nitebantur. Verbum illud *consumit* multa pollet energia ad vexationis magnitudinem exprimendam, significat enim illam vergere in mortem et interitum, *q. d.* Ergo incertus manet status gratiæ et peccati, cum justo et impio eadem æque obveniant : Deus enim non peccatores modo, quod libenter Baldad acciperet, sed etiam justos divexat, et sicut morte corporali indiscriminatim interimit, ita et afflictionibus mortalis vitæ promiscue obtundit. Illud quidem apud omnes in confesso est, veram virtutem ac sapientiam Deo displicere non posse, sed tamen in hujus universi gubernatione pœnarumque ac præmiorum dispensatione relinquitur obscurum, cujus vitam Deus acceptam habeat, aut contra supplicio vindicandam judicet : nihil enim in orbe lætum invenies, quod non improbos æque ac probos recreet; nihil illætabile, quod non probos æque ac improbos affligat. Mirabantur olim novella christianorum germina plantæque tenellæ D. Cypriani ævo in illa celebri Africæ contagione, se non minus quam ethnicos communi peste corripi; at Cyprianus occurrens huic errori lib. *De Mortal.* docuit, eos non idcirco vitæ communis ac miseriarum exsortes fore, quod Christo nomen dedissent; sed plus aliquanto passuros, cum Christus tanto ante prædixerit *Joan.* XVI, 33 : « In mundo pressuram habebitis. » Itaque neque communis contagio ullum genus hominum præterit, neque adversæ prosperæque fortunæ casus inter virtutem ac vitium discrimen agnoscunt; nec cœlum, dum beneficio suo inflexu mundum hunc sublunarem fovet, impios ab hoc beneficio excludit; neque terra, cum horrendo hoatu aperitur, urbesque deglubit, justos a communi exitio servat indemnes : ita Tollenarius noster, qui loco supra citato hæc pulchre ac fusius deducit. In his igitur omnibus calamitas similis, ratio absimilis; et quidem in re christiana, sicut Servator ipse noster ejusque purissima Mater acerbissimos dolores sustinuere, cum innocentia summa niterent, ita et virgines et martyres pene innumeri cum intemerato vitæ candore acerrimos cruciatus subiere, donec ingruente novissimo persecutionis nimbo gloriose tandem occumberent.

Probis ac improbis in hac vita omnia promiscue contingunt

Vers. 23. 23. SI FLAGELLAT, OCCIDAT SEMEL, ET NON DE POENIS INNOCENTUM RIDEAT. — Alludit ad id quod cap. VI, 9 dixerat : « Qui cœpit ipse me conterat, solvat manum suam, et succidat me; » quæ verba, uti et hæc, quibusdam valde dura videntur, sed non est cur asperior censendus sit hic loquendi modus, cum explanari pie ac leniter possit et debeat, uti Joannes a Jesu Maria in simili optime ostendit : Statuamus, inquit, hominem pium immani anxietate, dolore, derelictione tabescentem in hunc modum cum suspiriis altisque gemitibus cum Deo agere : Animadverto, summe Deus, te non impios tantum, sed pios etiam in hac mortali vita ærumnis conficere : age ergo, me cœpisti graviter exercere, perge precor, interfice me diu suspirantem, ac pro dolore leniendo tibi supplicantem : videris quippe pios cultores tuos orantes despicere, dum eos minime exaudis, neque ullum benevolentiæ aut beneficentiæ signum exhibes : interime precor, ne me diuturnior cruciatus mœrentem in aliquam culpam propellat. Qui conquestionis et precationis modus nihil durum apud æquos rerum æstimatores portendit : quocirca neque Jobus hoc ipso sensu verba hujus versus efferens dure locutus censeri debet. Sane viri sanctimonia vitæ clarissimi dum morbis, tentationibus et afflictionibus infestarentur non

Job et sancti in calamitatibus sæpe mortem optant, idque laudabiliter.

raro mortem expetiere tanquam optabile redemptionis genus, quod votis multis flagitandum videretur.

Minime igitur hoc loco blasphemat Job, sed amare queritur, quia Deus tam lentis pœnis tamque variis ac reciprocis secum agit, tanquam his delectari videatur : videtur nempe Deus in humanis rebus ludere hominibusque ut pilis uti, idque vere et recte justissimas ob causas quas habet, de quibus vide Tertullianum in *Scorp.*, præsertim cap. VII. Licet Jobo et sanctis hic lusus peracerbus accidat, ideoque eum secundum se præcise spectatum exhorreant ac deprecentur, Deo tamen jucundum præbet spectaculum, ut ex S. Chrysostomo ad cap. II, 6 ostendimus : Dominus enim spectator orbis de cœlo in terram aspiciens super omnes filios hominum, vidensque illos in duos exercitus divisos; in quorum altero justi apparent læti, clypeis patientiæ ornati; in altero injusti truces, gladiis offensionis instructi : his iratus irridet, de illis lætatur; et tanquam judex et spectator in cœlo tunc ridet, cum videt justos tribulari ac pati. Hinc Job : « Si flagellat, occidat semel, et non de pœnis innocentum rideat, » *q. d.* Oporteret quidem, si tam innocentem quam impium ipse consumat, ut vel utrumque semel subitoque occideret, vel utrumque productiori cruciatu divexaret; cum tamen impii supplicium brevissimum sit, piorum vero diuturnum atque longissimum. Id forte demonstrans Psaltes dicebat *Psalm.* LXXII, 4 : « Quia non est respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eorum. » Id quod ad propositum nostrum S. Ambrosius sic interpretatur : « Ergo et Job et David, qui flagellati hic sunt, firmamentum habuerunt in plaga sua : quia flagellat pater filium quem recipit; qui autem hic non flagellantur, ibi non recipientur ut filii. » O mirum! Ecce non aliud et non tutius pignus hæreditatis datur filiis Dei nisi flagellum, et qui non fert flagellum non admittitur ad regnum. Ex hoc igitur fonte varietas oritur inter justorum et injustorum flagella : horum enim flagella nec Dominus prospicit, nec ipsi firmamentum habent in plagis suis, quia vel fortunæ, vel hominibus vel casui illa referunt accepta; justi vero dum flagellantur et respiciuntur a Deo, et habent firmamentum in plagis suis : reputant enim apud se hæc non sorti et aleæ adscribenda, sed a Patre luminum tanquam filiis ut vermiculatas murænulas, ut aureos stimulos, ut amoris pignora, ut salutis signa et ut coronarum materiam esse immissa.

Deus certaminum nostrorum spectator.

Justis cur molestiora decernat in hac vita.

Justi fiant omnipotentes in tolerando.

Jure igitur patientes filios et innocentes prospicit Pater luminum de cœlo, nam videt in eis similitudinem quamdam divinæ omnipotentiæ suæ; siquidem Deus omnipotens est in operando, filii autem Dei per gratiam ejus omnipotentes evadunt in patiendo : sicut enim proprium est Dei omnia facere, ita proprium est filiorum Dei omnia mala patienter sustinere. Non mihi credatur hac in parte, sed Philoni lib. *De Cher.* sic alte ac pie philosophanti : « Certe Deo proprium est facere, neque fas est illud ulli creaturæ adscribere; proprium autem creaturæ pati, quod quisquis ut peculiare necessariumque præceperit animo, facile feret casus vel gravissimos : contra, si alienum a se putarit, oppressus mole intolerabili sisyphiam pœnam sustinebit : » sic ille. Moralis vero philosophus Seneca in libro, cui titulus : *Quare bonis viris mala accidant*, constantiam Catonis sic extollebat : « Non video quid habeat in terris Jupiter pulchrius, si convertere animum velit, quam ut spectet Catonem jam partibus non semel fractis, stantem nihilominus inter ruinas publicas rectum; » sed Jovem nec oculos habentem nec videntem ad hæc spectacula inaniter invitabat. At sedens in cœlis, qui de cœlo prospicit super filios hominum, quid pulchrius in terris prospicere potest, quam videre innocentem cum ferro, cum feris, cum igne, cum tortoribus, cum efferis tyrannis prœliantem, et non semel fractum, sed undique laniatum, concisum undique, inter ruinas rectum persistere, constantem durare, tormenta vincere, carnifices superare, et simul triumphum de tyrannis ducere? Tunc vere Deus de pœnis innocentum ridet; uti S. Gregorius lib. IX *Moral.* cap. XV, alias XXI, philosophatur his verbis : « Si Job risum Dei, ejus *lætitiam* appellat, de innocentum pœnis ridere Dominus dicitur, quia quo a nobis ardentius quæritur, eo de nobis suavius lætatur : quasi quoddam quippe ex pœna gaudium facimus. »

Justorum patientia Deum maxime recreat.

Vers. 24. 24. TERRA DATA EST IN MANUS IMPII, VULTUM JUDICUM EJUS OPERIT : QUOD SI NON ILLE EST, QUIS ERGO EST? — *q. d.* Afflictionis meæ ac bonorum in hac vita hæc prima causa est, quod terra data et permissa sit impio, scilicet diabolo ejusque ministris impiis, regibus et hominibus; ille autem impius, sive diabolus, excæcat judices, eosque instigat, ut bonos deprimant, malos extollant, et omnia turbent. Quod si vero impius, ipsaque Dei permissio, licet justa, et occulta, hujus perturbationis et afflictionis causa non sit, dic ergo quis alius sit. Argumentum Jobi firmissimum est : cum enim verum assertum posuisset, pios, inquam, et impios laboribus et cladibus consumi, optassetque proinde supremo vulnere confici, ut ad requiem ex hac vita migraret, eamdem sententiam et votum confirmaturus in hunc modum eloquitur : Animadverto me neque in sententia neque in mortis optato exerrasse : res quippe mortalium ita inter se aptæ et connexæ sunt, ut necesse procul dubio sit eum qui in orbe terrarum versatur, quantumvis innocens sit, intolerantia mala perferre. Terra nimirum æquo judicio, id exigente hominis peccato, permissa est Satanæ, qui antonomastice *impius* nominatur, ut quasi princeps hujus mundi multo cum comitatu dæmonum nocere cupientium, cum quibus nobis est colluctatio, « vultum judicum terræ operiat, »

Terra impiis a Deo permissa.

Innocentes hic in terra necessario multa patiuntur.

http://www.obrascatolicas.com

hoc est, obtenebret atque excæcet, ne candidissimam justitiæ lucem aspiciant, et insontes spolient, carcerique mancipent, ac supplicio afficiant, qui omnino absolvi deberent. Ex quo perspici apertissime potest, justos in hoc exsilio labore carere non posse. Neque vero de hac rerum dispositione declinanda mihi agendum, cum sit ineluctabilis divinæ providentiæ ordo : Deus enim id permittere decrevit, cum non sit alius supremus rerum Dominus, qui possit ea, quæ ad universalem mundi gubernationem pertinent, providere, bona efficere, mala item permittere, ut inde bonorum proventus copiosus exsistat. Si ergo terrarum orbis tot malis obnoxius est, ut justi omnino torquendi sint; profecto verum erit, permissam immissamque a Deo calamitatem culpæ argumentum non esse : neque mihi exprobrandum erit, quod jam dudum excruciatus, et in summum discrimen adductus, mortem pacatam ac tranquillam exoptem, quæ me a periculo delinquendi demum eripiat.

Er calamitatibus non judicandum de proximo.

Vel etiam sic, *q. d.* Esto Deus terram corporis mei Satanæ impiissimo pro libitu discruciandam tradiderit, vultum nihilominus hominum me judicantium sic operuit, ut licet infirmitates meas videant, veram tamen earum causam minime cognoscant, quam ipse sibi ad tempus servavit arcanam. Nec ullo modo vult Deus, ut ex calamitatibus externis de interno proximi nostri statu unquam judicemus. Atque hoc est quod Christus sibi voluit, quando quidam *Luc.* XIII, 1 nuntiarunt illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum sacrificiis eorum : item de aliis quibusdam, quos in Siloe ruina turris oppresserat, eos nimirum necessario maximos fuisse peccatores, a quibus tantas Deus pœnas exegisset; temerarium siquidem judicium eorum corrigens subjunxit : « Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Putatis quia et ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jerusalem? Non, dico vobis : sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. » Porro notandum illud *vultum judicum ejus operit*, q. d. Propterea diabolum totius terræ possessionem invasisse, ut terrenis muneribus judices excæcaret, excæcatosque in mille injustitias præcipitaret. Ne igitur judices internis animorum oculis excæcarentur, sine corporeis oculis ab antiquis pingebantur : adeo credebant vel ipsi ethnici suscepta etiam per solos oculos munera incorruptis judiciis adversari, et propterea in judices minime eligendos, qui se oblatis muneribus inescari paterentur : qua de re optimum tulit judicium Pontius ille Samnites apud Tullium lib. II *Offic.* qui dicebat, si sibi nasci contigisset quo tempore Romani dona accipere cœperunt, non fuisse passurum diutius eos imperare, ne scilicet munerum cupiditate abducti, a judiciorum integritate averterentur. Fuerunt quoque alii olim, qui judices sine manibus pingebant, ut Plutarchus, Isidorus Siculus, Clemens Romanus, D. Basilius pluresque alii testantur, significantes munera nec manibus capienda, nec oculis usurpenda : nam qui manibus capiunt, a pravis affectibus capiuntur : et qui vel solis oculis usurpant etiam animis excæcantur.

Diabolus terræ possessionem invasit, ut judices excæcaret. Judices olim sine oculis et sine manibus pingebantur.

Vers 25 et 26.

25 et 26. DIES MEI VELOCIORES FUERUNT CURSORE : FUGERUNT, ET NON VIDERUNT BONUM. PERTRANSIERUNT QUASI NAVES POMA PORTANTES : SICUT AQUILA VOLANS AD ESCAM. — Tres hic proponit similitudines elegantes ad fugam vitæ humanæ celeritatemque exprimendam : *prima* petitur a cursore seu viatore, qui felicia nuntiaturus neque die neque nocte interquiescit, ne alius celerior boni nuntii gratiam præcurrendo defloret, et munera præripiat : sub hac similitudine ait Jobus fugisse dies, neque vidisse bonum, quod ad significandum velocissimum transitum confert. Profecto viator sollicitus et sedulus vix ad mensam in hospitio sedet, vix modicum sibi somnum permittit, et licet obvias habeat res jucundissimas, puta congressores equestres, bellique simulacra, concentum suavissimum, amœnissimos hortos, salubres aquas, perbenevolos comites ei placere impense cupientes, aliaque similia oblectamenta, nihil cunctatur, nihil ex eis nisi obiter et per transennam delibare potest, et id quidem sollicite, ne cursum retardet : sic Jobus sibi visus est e bonis, quibus affluxerat prosper, vix quidquam et primoribus, ut aiunt, labiis ac festinato degustasse.

Dies vitæ cursori comparatæ.

Vita navium cursu celerior.

Secunda similitudo sumitur a navibus poma portantibus, quæ validis flatibus actæ celerrime transeuntes nullum sui vestigium post se relinquunt, quam similitudinem recte expendit S. Ambrosius *in Psalm.* I, ita scribens : « Etsi non videmur corporaliter ire, progredimur : nam sicut in navibus dormientes ventis aguntur in portus, etsi nullus quiescentibus sensus est navigandi; tamen cursus eos urget ad finem, et impellit ignaros : sic vitæ nostræ spatio defluente ad proprium unusquisque finem cursu labente deducitur : tu enim dormis, et tempus tuum ambulat : » sic ille, ubi multo plura addit eleganter in hanc rem. Sed cur Jobus non solum *naves*, sed *naves poma portantes*, dies suos appellat? ratio credo est, quia sicut hæ naves velocissimæ sunt, tum ne poma putrescant aut marcescant; tum ut alios mercatores præveniant, et citius ac carius sua vendant, ita et illi dies : ex Hebræo legi potest, *sicut naves piratarum*, vel *sicut naves voluntatis*; utraque lectio ad rem præsentem accommodata, *prior* quidem, quia naves piraticæ, cum sint insidiatrices, et mercibus vacuæ, et ad navigandum expeditæ, hujus vitæ fallacitatem, et vanitatem et fugacitatem optime repræsentant; *posterior* vero, quia sicut naves voluntatis, id est quæ secundum voluntatem navigantium feruntur, velocissime currunt, seu potius volant : ita velocissimos humanæ vitæ cursus, seu potius volatus, quam aptissime adumbrant. Quid si dicam humanam vitam nave celeriorem? profecto non erraverim, quia navis solum extra portum educta pelago decurrit; at humana vita etiam intra portum clausa suum interitum velificatur : testor illos duos geminos fratres, Jacob et Esau, de quibus textus *Gen.* XXV, 22 : « Collidebantur, inquit, in utero, » seu, ut Symmachus transfert, *διέπλεον, in similitudinem navis ferebantur*. Quid insolentius? adhuc erant quodammodo in portu et in anchoris, et jam velorum sinus in altum expandebant; nondum nati, et jam proscripti; nondum ab utero egressi, et jam ad tumulum propensi; nondum lumen aspicientes, et jam ad mortem festinantes. Porro Biblia Regia, Sanctes Pagninus, Cajetanus et Isidorus Clarius notant vocem originalem אבה *ebeh*, pro qua Vulgata *naves* posuit, nomen esse rapidissimi fluminis in Arabia, qui rapiditate sua secum quidquid in ipsum injicitur impetu incredibili abripiat, ita ut non tam cum velocissimis navibus, sed cum rapidissimi illius fluminis impetu comparatio sit, quo vita nostra non solum quam velocissime ad mortem decurrere, verum etiam retrorsum nunquam converti significetur.

Homines prius ad mortem quam ad lucem currunt.

Vitæ cursus nunquam retrogreditur.

Vita humana cum volata aquilæ comparatur.

Tertia similitudo est ab aquila, quæ mox ac prædam inspexit, tanquam fulmen se e sublimi in terram jaculatur, ut animantia humi repentia corripiat atque discerpat. Pingit itaque campum uberem atque lætum et vernantem floribus, in eoque lepusculum erectis auriculis pedibusque ludentem, et securum sui; tum sublimem e nubibus aquilam, micantibus oculis acribusque tuentem, quæ composito alarum motu celerrime in prædam feratur. Addit hoc epigramma rei illustrandæ : « Dies mei pertransierunt sicut aquila volans ad escam : » hic impetus volantis aquilæ velocissimus omnino est, et prius leporem capreamve intercipit quam umbram ipsam videre potuerint; quæ plurimorum est hominum conditio, in quos suæ mortalitatis oblitos, et deliciis vitæ inhiantes, futuri ignaros, et nihil minus cogitantes mors involat, spoliatque celerius vita, quam suspicari de illius adventu in ea vitæ longioris opinione desierioque potuerint. Id ipsum B. Job multis aliis locis inculcat, ut fere tantum in eam rem a Deo afflatus esse videatur : plurimæ enim sunt apud eum picturæ elegantes bono in lumine collocatæ, ad hanc fugam vitæ humanæ celeritatemque exprimendam : trecentæ visuntur apud illum imagines, emblemata illustria magno judicio excogitata, quorum utinam vel saltem unum in eorum mentibus inhæreret, qui toti in procurationem vitæ longioris intendunt, et seram beatissimamque senectutem sibi somniant.

Vers. 27.

27. CUM DIXERO : NEQUAQUAM ITA LOQUAR, COMMUTO FACIEM MEAM, ET DOLORE TORQUEOR. — In principio capitis præcedentis arguerat Baldad Jobum, quod verba ejus dolore et nimia amaritudine plena essent, eo quod sæpius statim se moriturum dixisset *Job.* VIII, 2 : « Usquequo, inquit, loqueris talia, et spiritus multiplex sermones oris tui? » Ad hoc nunc respondet Job dicens : Si ad sermones meos, quos acrimonia plenos esse dixisti, perspexero, et juxta consilium tuum, o Baldad, statuero nequaquam ita loqui, nec amare plangere, sed tristem tetricumque vultum meum deponere, animumque resumere; vereor ne in hoc operam ludam, et in vanum sic meos singultus comprimam : tunc enim magis torqueor, ita ut vultus etiam meus immutetur, quia levamen est miseris posse flere, nam in dolore excitatur spiritus vehemens in præcordiis, qui si comprimatur, intus angustiam et dolorem non mediocriter auget. Hinc familiare est iis qui graviter afficiuntur verba gemituum et querimoniarum plena proferre, ut mœrorem exhalent suum, invalescit quippe, animumque pejus exasperat cohibitus mœror, non secus ac humor noxius, qui e corpore pellendus sit. Est tamen prudentis et constantis animi dolorem interdum dissimulare, aut saltem externo signo non prodere, præsertim si quis familiam alat, aut cum potestate aliis præsit, ne dolore suo aliis dolori sit; quandoquidem ita fere natura comparatum est, ut superiorum vultus subditorum imprimat et informet animos, et quos habet sensus ad aliorum pectora transmittat : quare Job quoad poterat dolorem suum non raro supprimebat.

Mœror compressus magis torquet.

Prudentis est nonnunquam dissimulare dolorem.

Vers. 28.

28. VEREBAR OMNIA OPERA MEA, SCIENS QUOD NON PARCERES DELINQUENTI. — Nihil excipit qui dicit *omnia* : in omni loco, de die, de nocte, quidquid ageret diceretve, aut intimi animi cogitatione reputaret : « Verebar, inquit, omnia opera mea. » Quid est *vereri*? Septuaginta exposuere disertius, σείομαι πᾶσι τοῖς μέλεσιν, *omnibus artubus commoveor*, ut non levem inanemque fuisse metum intelligamus : subdit rationem ad commovendum unumquemque meo judicio potentissimam, quod sciret oculum illum magnum atque luminosum æterni judicis arbitrique mundi in omnia intentum, et singula quæ fiunt et dicuntur aurea lance expendere, et acerbius quam humana mens cogitando consequi possit scelus puniturum. Hæc fides et puræ mentis cognitio cautum in omnibus et sollicitum pavidumque efficiebat; inde constantia in adversis, et demissi animi humilitas, et invictus in Deum amor, et aliæ magnæ et egregiæ virtutes effloruerunt. Hic Dei timor illum in sterquilinio honoratum, in acerbis doloribus quietum, in bonorum exspoliatione contentum, in amicorum despicientia humanum, in uxoris contumelia fortem et generosum reddidit : hoc timore munitus et cataphractus stetit in acie contra Satanam, illiusque dolos, vim, crudelitatem innocentis animi tolerantia et demissione superavit. Paria prope de aliis magnis viris dici possunt, quorum vita moresque divinis litterarum monumentis commendantur, in quibus sanctus hic metus semper eluxit; et vere mihi videor esse dicturus, timorem Dei dotem esse christianæ

Job omnia sua opera verebatur.

Timor Dei Jobum reddidit omnibus superiorem.

http://www.obrascatolicas.com

fidei, quam singulari omnes affectu exambire debeant : sapienter enim illud Tertullianus lib. *De Idol.* cap. ult. : « Inter scopulos, inquit, et sinus velificata spiritu Dei fides navigat, tuta si cauta, secura si attonita. » Hoc ergo timore quasi gubernaculo sic dirigitur vita justi adinstar navis, ut nullum unquam timere possit naufragium, nullum pavere malum, ac tempestatem culpæ trepidare nullam, peccatique nullum expavescere naufragium ; sed inter prospera et adversa semper ad salutis portum proram dirigit, dum navarchum habet timorem ; timorem quidem, sed tutum, cum ex sententia S. Augustini lib. IV *De Symb. ad Catech.* cap. I, sit « pavor ipse omni securitate appetendus : » nam pavoris pretio secura redditur animæ navis. Tali utebatur gubernaculo justus Job, et de tali regimine gloriabatur, cum asserebat : « Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti, » ubi expende hoc verbum *omnia*, quia perfectio oritur ex causa integra : nam *Jac.* II, 10, si quis « offendat in uno, factus est omnium reus. »

Timor Dei gubernaculum justi

Sed qua via quave semita potuit ingredi timor in cor talis justi, qui ad fastigium perfectionis caput erexerat, quique ad cumulum bonorum operum jam pervenerat, qui holocaustis multiplicibus Deum placare studuit, qui affectum commiserationis exercuit, qui ministerium pietatis impendit, qui humilitatis culmen medullitus tenuit, qui beneficia largitatis expendit, quique ad virtutis metam currens per excellentiorem viam charitatis etiam inimicos dilexit? Quid ergo vir sanctus sua opera verebatur, qui illa semper exhibuit, ex quibus placari Deus erga iniquitates solet? Quid ergo est, quod mira opera faciens hæc ipsa etiam veretur pavens cum dicit : « Verebar omnia opera mea? » Consulatur oraculum S. Gregorii Magni, lib. IX *Moral.* cap. XVII, alias XXV, quod etiam sanctis pavorem incutere videtur, dum clare demonstrat de bonis quoque operibus esse timendum : sic enim ait : « Si placere Deo veraciter cupimus, postquam perversa subegimus, ipsa in nobis etiam bene gesta timeamus : » et jure quidem meritissimo : quis enim non pavebit? quis non formidabit, dum de cœlo Deus vel auditum faciet, vel jaculabitur judicium sic intonans *Psalm.* LXXIV, 2 : Cum accepero tempus, ego justitias judicabo ? » Quis non repetet cum Hugone *ibid.* : « Terribile verbum, quod non tantum peccata judicabit, sed et justitias, id est, bona opera examinabit? » Prudenter ergo S. Gregorius loco supra citato addit, « Sancti omne quod agunt metuunt : dum considerant ante quem judicem stabunt, considerant prava quam districte judicet, et bona opera quam subtiliter penset. » Revocentur ad trutinam ultima verba : « Bona opera quam subtiliter penset; » et ad memoriam revocetur differentia inter stateram, qua fœnum; et bilancem, qua ponderatur aurum : in illo parvipenduntur et libræ ; in hoc magni fiunt etiam scrupuli et dragmæ. Eadem diversa lege vel in statera penduntur iniqua opera, quæ fœnum sunt, sub quo justitiæ currus stridet, sed pingui minerva examinantur : quia in fronte portant bestiæ ac mali publici characterem. At bona opera quasi aurum subtili libratam subtiliter pensantur, ut intentionis dragma, finis grana, cogitationis atomi et pulveris etiam ratio sic æstimentur, ut si ob vanam et nullius momenti gloriam facta sint, ob ipsam damnentur. Merito igitur verebatur justus Job, ut Nicolaus de Lyra ad hunc locum insonat, « ne esset ibi aliquid injustum : modus enim hominis diligenter suam innocentiam custodientis est semper timere, ne aliquid injustum faciat. » O terque quaterque beatus justus, qui duos habet innocentis vitæ custodes, timorem hinc, inde amorem : nam, ut S. Hieronymus, a Beda in *Scint.* cap. XII, de timore citatus, ait, « nulla res nos servat ab omni peccato immunes sicut timor supplicii et amor Dei. »

Unde Job timeret, cum non conscireti sibi de malo.

Quia Deus justitias judicabit.

Bona opera auri statera examinantur.

Sed quomodo Job vere hoc dicere potuit : « Sciens quod non parceres delinquenti ? » si enim delinquenti non parcitur, quis unquam ab æterna morte eripietur, cum a delicto nemo mundus reperiatur? Si delinquenti non parcitur, quomodo dicitur *Rom.* III, 23 : « Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei ?» Si delinquenti non parcitur, quomodo nos Præcursor hortatur, *Matth.* III, 2 : «Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum ? » Sed certe aliud est non parcere delinquenti, et aliud non parcere pœnitenti : illi jure non parcitur; huic autem indulgentia non denegatur. Non est mea solutio, sed oraculum Pontificis loco superius citato sic statuentis : « An pœnitenti parcit, et delinquenti non parcit? Quia cum delicta plangimus, nequaquam tamen delinquentes sumus; delinquenti ergo Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine ultione non deserit : aut enim ipse aut homo pœnitens punit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur. » Sic contraria contrariis curantur, et dedecus decore emendatur; unde, ut Lyranus *ibid.* ait, « Ad Deum non pertinet dimittere dedecus culpæ sine decore justitiæ ; at justus ab hoc dedecore non per arma, per cædes, sed per timoris frænum invictus declinat. Denique eamdem Dei judicis severitatem expressit alibi regius Vates dicens *Psalm.* XCVIII, 14 : « Quoniam non repellet Dominus plebem suam, etc., quoadusque justitia convertatur in judicium, » ubi Theodoretus hanc *justitiam* ipsummet Christum interpretatur : hic enim in primo quidem adventu conversus est in misericordiam, sed in secundo convertendus est in judicium. Verum communiter interpretes accipiunt de ipsa divina justitia, quam Dominus in judicio exercebit : hoc sensu futurum est, ut justitia Dei, quæ modo dissimulat, et differt vindictam, in judicium ultionis convertatur, et ad exsecutionem procedat ut

Deus non parcit delinquenti, sed pœnitenti.

Judicii divini severitas magna.

judicetur : quia modo justitia divina fert quidem sententiam secundum præsentem justitiam, sed ad exsecutionem interpellante misericordia non semper progreditur ; illo autem extremo die mandabitur exsecutioni. Est autem Deus judex adeo perspicax et acutus, ut ubi homines de justitia præsumunt, ibi malitiam deprehendat, juxta illud Parœmiastæ *Prov.* XVI, 2 : « Omnes viæ hominis patent oculis ejus, » seu, ut est in Hebræo, *mundæ sunt in oculis ejus*, nempe ipsius hominis, seu *in oculis suis*, hoc est, plerique hominum ita sunt erga seipsos affecti, ut omnes eorum actiones illis mundæ videantur. Et statim subditur : « Spirituum ponderator est Dominus, » *q. d.* Videte quid de vobis sentiatis : non enim vos vestrarum actionum censores et æstimatores esse debetis, sed ipse Dominus : quare licet vos vestra opera bona esse credatis ; tamen cum ad divini judicii trutinam vocabuntur, in qua subtilissimi spiritus et abditissimæ intentiones expenduntur, mala fuisse cognoscentur; nemo igitur de sua justitia superbiat, sed cum Jobo de divino judicio contremiscat.

Intentionum etiam trutinator est Deus.

Vers. 29. 29. SI AUTEM ET SIC IMPIUS SUM : QUARE FRUSTRA LABORAVI? — Appetitus sensitivi affectus est, ac si Jobus diceret : Nescio quid agam in summo hoc agone : ego sic vixi, ut omnia opera cum Dei timore ad legis divinæ lineam exigere studerem, certo sciens, Deum de me pœnam sumpturum, si quid mali committerem, et tamen nunc æque ac sceleratus quisque discrucior; quid ergo mihi profuit labor meus? *Impius* autem hoc loco dicitur, non qui sit, sed qui ut impius tractetur, vel qui impius videatur ; et quidem compertum est, Jobum suis amicis impium visum fuisse, ut in hoc Christum præferret, qui *Isai.* cap. LIII, 10, et *Marc.* XV, 28, « cum iniquis reputatus fuit. » Potest ergo sensus Jobi ad partem hominis inferiorem pertinere; in quo certe sensu ad afflictorum solatium observandum est, ejusmodi lamentum esse hominibus piis desolationem, tenebrasque interiores patientibus familiare. Satis quippe frequenter tales, postquam longam vitæ inculpatæ viam emensi sunt, in hos modos lugubres verba faciunt : Ego quoad potui Deum colui; ab omni labe vigilanter abstinui; Deum quam impense valui precatus sum ; quomodo ergo tam severe a Deo repellor ? quomodo Deo invisus sum? quid mihi profuit labor perseveranter exhaustus? etc. Non absimiles animi affectiones perpessus est David, quando post vitam cum exacta pietate transactam in afflictione constitutus quasi quæribundus dixit *Psalm.* LXXII, 13 : « Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas? Et fui flagellatus tota die : et castigatio mea in matutino, » id est, ergo frustra tam sedulo conatus sum ab omni crimine purum me servare, et cum innocentibus habere communicationem, frustra cogitationes, frustra actiones emundavi; et cor quidem justificavi nihil mali cogitando, manus vero inter innocentes lavi nihil iniqui agendo : et tamen æque ac si flagitiis operam dedissem, et sceleribus me coinquinassem, de piis cogitationibus probisque operibus assidue fui reprehensus, et increpitus singulis matutinis, ac si ad hoc evigilassem ut castigarer pro peccatis et flagellarer. Similis omnino est verborum Jobi sensus, *q. d.* « Si autem et sic, ut vos Eliphaz et Baldad censetis, impius sum, » hoc est, si cum pietatem colere studuerim adhuc pietatis expers remaneo; « quare frustra laboravi ? » quare incassum desudavi? Profecto frustra pro pietate laboratum est, si pietas parta non sit; frustra item pietas a me parta est, si mihi res inutilis sit, et nullum ex ea fructum percipiam, sed impiorum sustinere cogar supplicia : istiusmodi nempe sensum habent hæ Jobi expostulationes et querimoniæ, quibus illico respondens, et semetipsum quodammodo erudiens corrigensque subjungit :

Job in figuram Christi impius reputatus fuit.

Quales esse soleant querelæ hominum spiritalium in tribulatione.

Vers. 30 et 31.

30 et 31. SI LOTUS FUERO QUASI AQUIS NIVIS, ET FULSERINT VELUT MUNDISSIMÆ MANUS MEÆ : TAMEN SORDIBUS INTINGES ME, ET ABOMINABUNTUR ME VESTIMENTA MEA. — Quantumvis, inquit, mihi mundus videar, et aquis ex liquefacta nive manantibus studiose lotus, et in manibus meis, magnorum operum administris, splendor appareat puraque mundities; nequaquam tamen omnino innocentem coram Deo cardiognoste me jacto : quia quantumcumque ad puritatem conor, tamen sordibus quibusdam occultis, « intinges me (id est intinctum ostendes : quoniam « necesse est de terreno pulvere humana corda sordescere, » ut S. Leo ait), et abominabuntur me vestimenta mea, » id est, abominabilem ostendent me membra vel opera mea : ita S. Gregorius ad hunc locum. Vel per hypallagen : Abominabor ego vestimenta mea, hoc est opera et studia, quæ antea mihi ut decora et pulchra placuerant : hæc enim in tuo judicio videbo esse fœdata, et aliqua labe inquinata. Cæterum hæc possunt quoque cum S. Chrysostomo et Pineda nostro intelligi non de culpa, sed de pœna, *q. d.* Sordibus morbi et ulcerum immerges me, licet insontem adeo, ut vestes meæ nitidæ videantur exhorrescere sordidissimum corpus contingere, ut sit quasi prosopopœia. Notat hic Philippus hanc Scripturæ sacræ regulam, scilicet, ubi est aliquarum rerum excessus non raro sensum insensibilibus rebus attribui : sic *Luc.* XVII, 40, lapides dicuntur clamare : sic *Deuter.* XXXII, 1 ; *Sap.* V, 21 ; *Gen.* XVIII, 20, cœlum et terra audire, testari, pro Deo pugnare orbis terrarum, peccata clamare in cœlum, et hoc loco vestimenta abominari. Cæterum hic in illa lotionis mentione alluditur ad antiquissimum purificandi ritum per lotionem fieri solitum, priscis valde familiarem et usitatum, qui in hunc finem ante fores et templorum vestibula cantharos et salientes aquas habere consueverunt, quibus oraturi atque in templum ingressuri manus lavarent.

Nemo tam mundus, in quo Deus non aliquid labis reperiat.

Antiquissimus per lotionem purificandi ritus.

http://www.obrascatolicas.com

Hebræi multas adhibebant lotiones.

Hæc spectat labrum illud æneum *Exod.* XXX, 18, quod postmodum ex divino præcepto Moyses confici curavit; in quo Aaron et filii ejus manus et pedes abluerent; hinc frequentes apud Hebræos lotiones, et quæ *Marc.* VII, 4 dicuntur in Evangelio *baptismata*. Quo in genere ita fuerunt in purganda omni contaminatione diligentes, ut non modo volam et digitos, sed usque ad cubitum ipsum e communi ritu manus lavarent, ut auctor est Theophylactus *in Marc.* cap. VII, 4. Mosaici porro præcepti vim ac mysterium expendens Philo librum suum *De Vict. offer.* sic auspicatur: « Offerenti victimas lex præcipit, ut purus fiat corpore et animo: *animo* quidem a passionibus, et morbis ac vitiis tum dicta tum facta corrumpentibus; *corpore* vero a maculis, quibus coinquinari solet. Utrique autem congruentem excogitavit expiationem: *animo* quidem per bestias sacrificio præparatas; *corpori* vero per lavacra et aspersiones; » atque ex hac forte disciplina Septuaginta interpretes apud Josephum lib. XII *Antiq.* cap. II, aqua marina manus abluentes seque purgantes ad librorum divinorum interpretationem accesserunt.

Lotio a lege præcepta sacrificiis cæteris.

Ægyptii hieroglyphico aquæ puritatem designant.

Ab Hebræis lustrandi ritum didicerunt Ægyptii, apud quos sacerdotes bis quoque de die, bis de nocte se lotione purgabant, ut Herodotus lib. II testatur. Quare cum hieroglyphicis, quæ ipsis solemnes erant, litteris puritatem ac sanctitatem exprimere vellent, non modo ignem, verum etiam aquam pingebant, ut Horus prodidit. Ad gentiles deinde prope omnes manavit consuetudo, ut in atriis adituque templorum aquam vivam et grandia haberent vasa, quæ scriptoribus græcis περιῤῥαντήρια λοῦτρα, id est *aspersoria lavacra* dicuntur, in quibus se nimirum expiabant priusquam in fanum ingrederentur. Sanctæ vero Ecclesiæ moderatores eam consuetudinem ad excitandam augendamque pietatem converterunt, dum peculiari quadam precum formula elementum aquæ consecratum in vestibulis Ecclesiarum exponi publice voluerunt, quo intraturi sese aspergentes simul corporis animique munditiem curarent, ut puriores in conspectum Numinis arœque divinæ succederent. Eusebius lib. X *Eccl. Hist.* cap. IV, morem hunc exponens ait esse ἱερῶν καθαρσίων σύμβολα, *sacrarum purgationum symbola*. Quare hujus aquæ lustralis usum nemo sapiens parvi momenti æstimabit, aut contemnendum ducet, qui cum animo suo reputaverit, quantam vim Ecclesiæ preces undæ conciliant ad devotionem animi excitandam labesque eluendas: qua de re theologos consule in III part. D. Thomæ, *Quæst.* LXXXVII, art. 3, præsertim nostrum Vasquez, qui hanc quæstionem pulchre, et Stephanum Durantium *De Rit. Eccles.*, qui hoc argumentum fuse docteque tractat. Hic tantum addo docti Philonis commendandam animadversionem, qui loco supra citato mosaica περιῤῥαντήρια illustrans, illam undæ aspersionem ante ingressum templi fieri solitam, notat non fuisse puram aquam, sed admixtam cineri: quo, inquit, admoneantur illi qui ad Dei cultum accedunt, ut ante omnia se suamque naturam intelligant, et se terram et aquam esse recognoscant; in quæ etiam morte sunt redituri. Hoc nempe modo in animo gignitur modestia Numinisque veneratio, qua quisque cum magno Abrahamo dicat *Gen.* XVIII, 27: «Loquar ad Dominum, cum sim pulvis et cinis: » simile quid Job de se insinuat cum ait: « Tamen sordibus intinges me; » vel, ut in Hebræo est, *tunc in foveam*, vel, ut alii vertunt, *in sepulcrum intinges me*, significans se in sordes, pulverem ac putredinem in sepulcro redigendum; et quantumvis immaculatæ vitæ innocentia et candore morum conspicuus exstitisset, nequaquam tamen in conspectu Dei se purum ac mundum repertum iri, si Deus summo secum jure velit agere.

Ecclesia aquam benedictam ad corporis animique lustrationem adhibet.

Cur ab Hebræis aqua lustrali cineres adjiceretur.

Vers. 32. 32. NEQUE ENIM VIRO QUI SIMILIS MEI EST RESPONDEBO; NEC QUI MECUM IN JUDICIO EX ÆQUO POSSIT AUDIRI. — Profitetur valde imparem esse hominis cum Deo congressum, quia nimis dispar est, et inæqualis utriusque conditio, cum ab invicem infinito distent intervallo; ac proinde nolle se cum eo, quin imo nec posse contentiosum, ut dicitur, funem trahere aut judicio disceptare: (hoc enim vocat *respondere*, quo verbo non semel hoc cap. in ista significatione usus est). Hinc licet, inquit, in me acerbissimus sit, et tanquam sceleratissimum supplicio atrocissimo afficiat, minime obmurmurabo aut contradicam ei, quia non possum ei sicut homini litem intendere, aut in jus, quo teneatur, vocare. Id quod Septuaginta nonnihil clarius expresserunt his verbis, οὐ γὰρ εἰ ἄνθρωπος κατ' ἐμέ, ᾧ ἀντικρινοῦμαι, ἵνα ἔλθωμεν ὁμοθυμαδὸν εἰς κρίσιν, *non enim es homo sicut ego, cui contradicam, ut veniamus pariter in judicium*: in judicium proprie veniunt partes litigantes; qui ergo cum Deo litigat venit cum eo in judicium, ubi idem est judex et pars adversa, quod longe reddit inæqualem ac deteriorem litigantis cum eo conditionem. Quamobrem Job, quantumvis conscientia teste insons sibi videretur, prudenter nihilominus omnem cum Deo subterfugit litis contestationem, quam omnes etiam sancti semper horruerunt ac detractarunt, illud Davidis usurpantes *Psalm.* CXLII, 2: « Non intres in judicium cum servo tuo, » ubi Deum intrare cum aliquo in judicium, non est Deum venire ad judicandum illum, et judicem illius se exhibere; sed est Deum cum aliquo contendere, expostulare, et quasi adversarii personam in judicio suscipere, eo nimirum sensu, quo præsens Jobi locus, cum quo consentit, jam expositus est: nam qui cum Deo contendit, etiamsi fuerit insons ad alios homines comparatus; semper tamen deprehenditur esse reus et sons apud Deum. Quocirca David *ibid.* subdit: « Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, » quod idem est cum eo quod Job *supr.* vers. 2 dixit: « Quod non justificetur homo compositus Deo, » ubi satis hoc explicatum est.

Impar est homini cum Deo litigare.

Job non vult cum Deo congressus.

Sancti omnes subterfugiunt judicialem cum Deo contentionem.

Vers. 33. 33. NON EST QUI UTRUMQUE VALEAT ARGUERE, ET PONERE MANUM SUAM IN AMBOBUS. — Hoc ad idem pertinet argumentum, quo probat Deum in jus vocari non posse, quia scilicet nemo est qui valeat ei jus dicere, vel possit eum arguere, si causam suam male ageret, « et ponere manum suam in ambobus, » id est, qui auctoritate sua quasi manu imposita utrumque coerceat, si opus sit: nam ubi duo litigant, ibi fere ambo delinquunt et exorbitant, ut opus sit aliquo, qui eos arguat et compescat. Quis autem id faciet Deo cum homine disceptante? Septuaginta vertunt, εἴθε ἦν ὁ μεσίτης ἡμῶν, καὶ ἐλέγχων καὶ διακούων ἀναμέσον ἀμφοτέρων, *utinam esset nobis mediator, et arguens et disceptans inter utrumque*, ubi in Edit. Rom. perperam *meditans* pro *medians* legitur, est enim μεσίτης proprie *sequester* seu *mediator*, qui dissidentes componit; ἐλέγχων vero dicitur, qui æquitati acquiescere nolentem *arguit* increpatque; διακούων denique dicitur is qui *audit* disceptantes inter se ut judex aut arbiter, qui utramque partem non tantum audire debet, sed peraudire, hoc est ad finem usque audire, quod διακούειν proprie significat. Itaque « ponere manum in ambobus, » vel, ut Hebræa habent, *super ambos*, est partes dissidentes junctis utrinque dexteris conciliare, litemque dirimere ac componere, quasi sequestrum, et mediatorem arbitrumque: hoc enim modo Arabes fœdus inire vel renovare solitos docet Herodotus in *Thal.* Hac item ratione qui duos dissidentes inter se conciliat solet modo hunc modo illum increpare, ut ita mutuo sibi invicem cedant: quemadmodum S. Paulus facit in Epistola ad Romanos, dum arbitrum agit inter gentilem et judæum, modo deprimens gentilem, et modo humilians judæum. Atque hoc ipsum erat quod Job ait, non esse qui possit « ponere manum suam in ambobus, » quasi utrumque detinendo ne pergat in alterum; vel quasi utrumque percutiendo, ut humilientur invicem, et justa satisfactione utique compescatur. Nullus certe Deum inter et hominem sequester et mediator, qui quasi manum in ambobus poneret, esse potuit præter Christum: « unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, » ait Apostolus I *Timoth.* II, 5. Quem locum pulchre sic illustrans Theodoretus: « Unus, inquit, est conciliator pacis, qui ea quæ erant inter se disjuncta et distantia conjunxit. Christum autem hominem nominavit, quoniam vocavit intercessorem: homo enim factus fuit intercessor. Et quemadmodum qui duos quospiam manibus inter se conserentes et confligentes vult reconciliare se medium interponens, et hunc quidem dextera, illum vero sinistra tenens ad amicitiam deducit et conjungit: ita ipse, cum divinam naturam humanæ unisset, inviolabilem, et quæ non potest dissolvi, pacem conciliavit. » Vide plura de Christo mediatore apud S. Gregorium lib. IX *Moral.* cap. XXI, et Pinedam hic atque Cornelium ad locum Apostoli iam citatum.

Nemo potest esse judex aut arbiter Dei.

Christus unicus fuit mediator inter Deum et hominem.

Vers. 34 et 35. 34 et 35. AUFERAT A ME VIRGAM SUAM, ET PAVOR EJUS NON ME TERREAT. LOQUAR, ET NON TIMEBO EUM: NEQUE ENIM POSSUM METUENS RESPONDERE. — Si, inquit, Deus virgam auferret, qua me percussit, et quam etiamnum habet ad plagam intentam, liceretque mihi a dolore et metu pauxillum respirare, loquerer cum minore perturbatione ac motu; nunc autem pavor ex dolore et divina majestate conceptus omnem mihi respondendi facultatem præcludit; quo sepositio, et liber exsistens a mea calamitate, audebo secundum considerationem humanæ imbecillitatis ex testimonio conscientiæ nonnihil pro me meaque innocentia Deo respondere. In Hebræo ad verbum est, *non sic ego mecum*, et ita interpretatur Chaldæus, id est, non enim talis sum, qualem me tot calamitates significant iis qui animi conscientiam ex commodis vel incommodis externis æstimant; quod etiam Septuaginta intellexerunt ita transferentes, οὐ γὰρ οὕτω συνεπίσταμαι, *non enim sic mihi conscius sum*, id est, mihi conscius non sum talem esse, qualem vos me putatis. In quo maxime considerandum est, tantam habere vim conscientiam bene actæ vitæ, ut homo infirmus natura sua et culpæ obnoxius audeat cum Deo, infinita potentia et bonitate prædito, de sua integra et inculpata vita disceptare, ac dicere quod hic Job ait: « Loquar, et non timebo eum: » quare merito S. Paulus de isto testimonio gloriatur dicens II *Corinth.* I, 12: «Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, » in hoc suam gloriam et exsultationem collocabat, non quod ab hominibus laudabatur, quorum attestatio sæpissime fallit; sed quod a conscientia sua coram Deo non increpabatur; cujus testimonium communiter non errat; et S. Joannes ait I *Epist.* III, 21: « Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, » non sane vanam et temerariam, sed verisimilem et probabili persuasione fulcitam. Modeste tamen huic conscientiæ testimonio fidendum est nobis illud S. Pauli cogitantibus: « Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; » illud quoque S. Augustini: « Debet quisque cum tremore exsultare, quia donum Dei est unde exsultat, non meritum suum. » Et hoc modo hæc conciliandæ sunt cum iis quæ *supr.* vers. 20 allata sunt. Optandum quidem maxime est ejusmodi vitam agere, ut cum adversa et calamitosa fortuna fuerimus oppressi, nullius nobis conscii criminis simus, cujus pœnas Deus a nobis ne repetat vereamur: ita enim magno et erecto animo cum molestiis et ærumnis conflictabimur. Non enim dubium est, quin optimorum consiliorum conscientia firmissima sit rerum incommodarum consolatio, quæ S. Jobum in tot tantisque malis vehementer confirmavit, ne desertus ab omnibus, circumventus a multis, animo et spe caderet; ubi

Petit Job a morte liberari, ut respondere Deo valeat.

Quanta sit conscientiæ bene actæ vitæ fiducia.

Modeste fidendum testimonio conscientiæ.

http://www.obrascatolicas.com

pro arcana afflictorum disciplina cum Joanne a Jesu Maria observandum, duo certe mirabilia in veteranis Dei cultoribus cohærere, scilicet magnanimitatem cum Deo agendi, et quamdam velut oppressionem animi a Dei majestate per immissa afflictionum tela deterriti : illud a conscientiæ testimonio, hoc a cruciatuum magnitudine genitum videtur.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Leniendo dolori varias vias tentat Job : lamentatur, plangit, tantorum cruciatuum causas inquirit, misericordiam implorat, rogans a tam acerbis doloribus liberari; tum quia Dei figmentum est; tum quia Deo minime opus est istiusmodi pœnali examine ad veritatem ab ipso tanquam reo extorquendam : ad extremum orat ut remissius agat, et sibi tempus respirandi ac plangendi indulgeat antequam moriatur, optans non fuisse natus, aut ab utero translatus ad tumulum, ut tantarum expers esset ærumnarum.

1. Tædet animam meam vitæ meæ, dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ. 2. Dicam Deo : Noli me condemnare : indica mihi cur me ita judices. 3. Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, et opprimas me opus manuum tuarum, et consilium impiorum adjuves? 4. Numquid oculi carnei tibi sunt : aut sicut videt homo, et tu videbis? 5. Numquid sicut dies hominis dies tui, et anni tui sicut humana sunt tempora, 6. ut quæras iniquitatem meam, et peccatum meum scruteris? 7. Et scias quia nihil impium fecerim, cum sit nemo qui de manu tua possit eruere. 8. Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu : et sic repente præcipitas me? 9. Memento quæso quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me. 10. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? 11. Pelle et carnibus vestisti me : ossibus et nervis compegisti me : 12. Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum. 13. Licet hæc celes in corde tuo, tamen scio quia universorum memineris. 14. Si peccavi, et ad horam pepercisti mihi : cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris? 15. Et si impius fuero, væ mihi est : et si justus, non levabo caput, saturatus afflictione et miseria. 16. Et propter superbiam quasi leænam capies me, reversusque mirabiliter me crucias. 17. Instauras testes tuos contra me, et multiplicas iram tuam adversum me, et pœnæ militant in me. 18. Quare de vulva eduxisti me, qui utinam tuam adversum me, et pœnæ militant in me. 18. Quare de vulva eduxisti me, qui utinam consumptus essem ne oculus me videret! 19. Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum. 20. Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum : 21. Antequam vadam et non revertar, ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine : 22. Terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Vers 1. Job exemplum hominis afflicti solatium quærentis.

1. TÆDET ANIMAM MEAM VITÆ MEÆ, DIMITTAM ADVERSUM ME ELOQUIUM MEUM, LOQUAR IN AMARITUDINE ANIMÆ MEÆ. — Loquitur hic S. Job in persona hominis afflicti secundum animi conceptiones, quas ei tristitia subministrat; unde primum recenset tædium, quo afficitur in hac vita, propter tribulationes, quas adeo graves patiebatur, ut etiam ei vitam ipsam redderent exosam : licet enim vitam Aristoteles lib. IX *Ethic.* cap. IX, in iis quæ per se bona et jucunda sunt ait numerari; unde colligit αἱρετὸν τὸ ζῆν *vivere esse optabile*, maxime viris bonis, quorum vita beatissima est et cum virtute conjuncta; tamen negari non potest tantum posse esse cruciatum ut vitæ fructui præponderet, ideoque merito mors vitæ anteponenda videatur. Job itaque in tali rerum articulo constitutus de sua miseria queritur, et laxatis ori habenis lamentatur, tentans omnes vias doloris leniendi; et simul satagens, ut afflictis vivum in se exemplum præbeat luctæ carnis et victoris spiritus. Nimirum egregius virtutis actus est mœrorem ingravescentem elevare, ne animum, uti solet, opprimat, et in delirium aut verba parum pia præcipitet : quod iis qui de gravissimis affectionibus curandis consultant expendendum est, ut Jobi et aliorum virorum sanctimonia vitæ insignium exemplo norint animum in angustias compulsum non esse importuno silentio aut intempestiva severitate exacerbandum, sed modis multis leniendum, adeoque multa dexteritate opus esse ad subtrahenda irritamenta, et ad casta oblectamenta vel saltem refrigeria invenienda.

Porro modus ille dicendi : « Dimittam adversum me, » perelegans, et ad animi anxietatem significandam appositus est, ac si Jobus diceret : Ne precor malis obruar; liceat, quæso, paulo fidentius loqui, non enim cruciatum immanem ferre possum; equidem nec divinam providentiam reprehendere, nec de Deo conqueri; sed adversus meipsum infelicem verborum jacula contorquere volo. « Loquar in amaritudine animæ meæ, » id est, ex abundantia cordis mei mœstitia pleni jam eructabo verba mea coram Deo. Simili omnino phrasi usus est cap. VII, 11, ubi postquam se statim moriturum dixit, addidit hæc eadem verba : « Quapropter ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei, confabulabor cum amaritudine animæ meæ. » Ad Deum autem eloquium suum convertit, ut consolationem, quam ab hominibus recipere nequit, a Deo obtineat.

Partes veri pœnitentis.

Tropologice hæc Jobi verba optime congruunt ei qui confiteri peccata sua cupit, et eorumdem remissionem impetrare, quem in primis vitæ in peccatis transactæ tædium habere ac fastidium necesse est : talis itaque cum Jobo dicat : « Tædet animam meam vitæ meæ, » displicet mihi valde vita improba, mirum in modum illius me pœnitet. Deinde seipsum accusare debet, non excusare, quapropter ait : « Dimittam adversum me eloquium meum : » quo loco D. Gregorius sic scribit : « Quasi pro se eloquio suo utitur, qui prava quæ gessit defendere excusationibus conatur; sed adversum se eloquium dimittit, qui accusare in se hoc incipit quod erravit, » etc. Præterea dolorem adferre ac contritionem oportet : « Loquar, inquit, in amaritudine animæ meæ. » Ad quem locum pulchre S. Gregorius : « Qui culpas, inquit, suas detestando loquitur, restat ut has in amaritudine animæ loquatur, ut hæc ipsa amaritudo puniat quidquid lingua per mentis judicium accusat, » etc. Cui conformiter D. Bernardus serm. 3 *De Apost. Petro et Paulo* ad illa verba *Matth.* XXVI, 75 : *Petrus egressus foras flevit amare* : « In *egressu*, inquit, confessionem, in *amaro fletu* compunctionem cordis intellige, » etc. Hunc in modum si pœnitens os aperiat ac loquatur, confessariique præceptis pareat, veniam consequetur.

Vers 2. Job rogat a se criminis suspicionem amoveri.

2. DICAM DEO : NOLI ME CONDEMNARE : INDICA MIHI CUR ME ITA JUDICES? — Ista verba : « Noli me condemnare, » ad culpæ ostensionem seu promulgationem judicialem pertinent, ut patet ex interpretatione Septuaginta interpretum ita vertentium, μή με ἀσεβῆ δίδαξαι, *noli me docere impium esse*, id est, noli more docentis ostendere aliis me impium esse, quod in judicio fit, dum judex patibulo reum addicens, crimen testibus probatum ostendit. Hoc ipso quippe, quod Deus Jobum acerbius quam reum quemlibet afflictabat, ostendere videbatur illum sceleris convictum; qui sane sensus optime cohæret expensis circumstantiis, et opinione adversariorum arbitrantium neminem nisi ob sua scelera graviter a Deo accipi. Tantumdem ergo Job agit dum ait : « Noli me condemnare, » ac si precaretur in hæc verba : Ne me, summe Deus, peccatorem pronunties per hanc vexationem : Ne, quæso, ita tantumque me affligas, ut omnes qui hoc vident, aut aliquo modo norunt, judicent me propter peccata gravissima talia perpeti : nam dum sic mecum agis, antagonistarum meorum opinione reum me peragis scelerum immanissimorum. Qui sensus ex Hebræo evidentius patet : « Ne peragas reum me, » id est, ne declares vel ostendas esse me tali pœna dignum, et ad eam a te condemnatum pro criminibus meis. Ita plerique interpretes hunc locum exponunt. Possunt tamen æque commode hæc verba sic accipi cum D. Thoma et Sanctio quasi præambula sint, et ad captandam Dei benevolentiam proferantur; quomodo etiam ad præviam futurorum verborum excusationem pertinent. Dixerat quippe se tædio victum verba velle profundere, ubi crebro aliquid minus limatum et expensum solet animis afflictis excidere : quocirca « noli, inquit, me condemnare, » si videlicet verbum aliquod parum mite protulero, qui tam immaniter infestor, ut nequeam per otium verba præmeditari atque disponere. Orat itaque Jobus ne irascatur Deus, aut vitio vertat, quod tantum sibi libertatis assumat, ut ad Deum videri possit locutus esse liberius. Eodem modo Abraham *Gen.* XVIII, 30 : « Ne quæso, inquit, indigneris Domine, si loquar; » et iterum *ibid.* vers. 32 : « Obsecro ne irascaris, Domine, si loquar adhuc semel. » Hoc idem nunc agit Jobus, orat enim sibi ut liceat non invito Deo coram ipso loqui; quod nihil est aliud quam petere loquendi facultatem, qua veluti obtenta Deum interrogat.

Job a Deo petit licentiam liberius loquendi.

INDICA MIHI CUR ME ITA JUDICES? — Id est affligas et punias. Est metonymia frequens in Scripturis. Hæc verba sunt animi plane purissimi, qui nihil sibi conscius sit, *q. d.* Quonam merito meo scelestus videor a te haberi, cum in me tanquam in hominem iniquum animadvertas? Non sibi persuadebat Job, quod Deus illum, ut amici ejus opinabantur, judicaret, nec credebat se merito suo tot accepisse vulnera, cum nullius flagitii sibi conscius esset : quare interrogat id, non quod dubitet, aut secus opinetur, sed ut spe bonitatis et æquitatis Dei confirmetur : est enim hæc interrogatio negatione explicanda, sicut illa quæ post pauca sequitur : « Numquid oculi carnei tibi sunt? » etc. Felix autem ille qui perver-

Job petit cur nullius sibi criminis conscius ita affligatur.

http://www.obrascatolicas.com

sis hominum sermonibus vexatus, fretus conscientia sua id a Deo petere, et ita cum illo possit expostulare : plus enim eum ejus conscientia consolabitur, quam iniqui hominum rumores animi angent. Sanctius noster paulo modestius censet Jobum de se sentire, et in illum finem hic Deum rogare, ut peccatum suum cognoscat et ploret, ac tandem sciat, quid minus in suis actionibus probet Deus, quas cupit illi esse probatissimas, ne deinceps aliquid audiat a Deo non probabile : aut etiam, ut hujus tam severi judicii causa comperta, qui peccatis gravibus suadente diabolo illum obligatum esse putant, et tale supplicium sceleribus non deberi vulgaribus, cognoscant tandem esse falsam, et vexare desinant, si non prorsus innocentem, minus tamen quam ipsi sibi persuaserant nocentem. Neque vero mirum videri debet, si culpæ ignarus roget, an quid culpæ lateat, ut per correctionem Deum placet : quare etiam sic exponi posset, quasi flagellorum et dolorum causas inquirat, ut si ea fortassis esset minima aliqua mandati transgressio aut consilii incuriosa prætermissio, quæ conscientiam ejus effugiebat, eam corrigeret, et Domini judicium et castigationem effugeret.

Vers. 3. 3. NUMQUID BONUM TIBI VIDETUR, SI CALUMNIERIS ME, ET OPPRIMAS ME OPUS MANUUM TUARUM, ET CONSILIUM IMPIORUM ADJUVES? — Modus hic interrogandi negationem suppressam continet, *q. d.* Scio tibi minime videri bonum, ut calumniis et cavillis evertas et opprimas me, quem tuis ipse manibus formasti; aut ut eorum foveas fraudulenta consilia et adjuves vota, qui innocentibus moliuntur insidias, aut malum meditantur : nam id prorsus alienum est a tua bonitate et sapientia; unde in sequentibus omnes vias injustitiæ, quibus terreni judices corrumpi et jus pervertere solent, a Deo removet, *q. d.* Velim ergo mihi insonti parcas, aut significes quare, quo fine et fructu ita me exerceas : ita S. Gregorius. Observandum est autem istiusmodi locutiones per frequentes interrogationes non solum æquivalere negationibus, sed vehementiam et energiam in negando continere, profundiusque affirmatur vel negatur aliquid per sic frequentatas interrogationes quam per simplicem affirmationem vel negationem : eo quod qui sic interrogat, absurdum omnino indicat id de quo interrogat : qui modus loquendi frequentissimus est apud Hebræos, sed potissimum in hoc libro.

Deus ab omni calumnia et injuria alienus est.

Porro calumnia, oppressio et impium consilium hoc loco Satanæ, cui Job permissus fuit; et amicis ejus, quos impio errore delusos divinam providentiam oppugnasse constat, litterali sensu tribui possent : hæc enim et similia Deo solummodo tribuuntur, quatenus ea permittit, et malis bene utens, in suam gloriam et patientis salutem cœlesti consilio dirigit. Quæ universorum Patrum et scholasticorum theologorum consensio est; unde Bellarminus lib. II *Controv.* cap. XVI, docet Deum erga peccata non habere positive velle aut nolle, sed negative velle : Non habet, inquit, positive velle peccata, quia bonus et justus est; nec esset bonus et justus, si peccata, id est mala, et iniquitates vellet : non habet etiam positive nolle, quia omnipotens est; neque esset omnipotens, si aliquid fieret ipso invito : fieret autem aliquid ipso invito, si fieret aliquid quod ipse fieri nollet; non igitur habet velle aut nolle circa peccata, sed non velle, juxta illud *Psalm.* V, 4 : « Non Deus volens iniquitatem tu es. » Quare, ut bene Genebrardus *ibid.* notat, Deus non vult mala esse vel fieri, sed duntaxat permittit, idque ne homo naturæ suæ libertatem amittat, sitque deterioris conditionis quam aliæ res, quas sic ipse administrat, ut eas sinat propriis motibus agi ducique : item propter bonum universi et per accidens, ut inde aliquod bonum oriatur : Etsi enim privatus rector malum ab iis, quorum gerit curam, debeat excludere, quod e malo bonum elicere non possit; Deus tamen universalis rector sive provisor, qui e singulis malis plurima bona potest elicere, ut ex persecutione tyrannorum patientiam martyrum, ex operibus hæreticorum purgationem sive probationem fidei justorum; non debet omnia mala impedire, ne bona plurima deesse contingat universo, quæ ex malis a se permissis elicit. Ut igitur hanc divinæ gubernationis regulam huic proposito nostro applicemus, eadem infestatio seu tentatio Jobi a Satana ut tentatore, a Deo ut permissore, ac satanici conatus mali in bonum finem directore, duxit originem; idemque de calumnia et oppressione hoc loco asserendum. Neque desunt passim in Scripturis exempla, quibus Deo adscribuntur ut bono directori quæ a peccatoribus perperam committuntur, qualis fuit Hierosolymæ devastatio, quæ cum Chaldæorum impie agentium opus fuerit, sæpenumero a Jeremia in lamentationibus Deo attribuitur. Job itaque per modum admirantis et sortem suam deplorantis Deum interrogat, quomodo, cum summe bonus, æquus ac justus sit, consilium nihilominus impiorum adjuvet conatibus eorum favendo, quibus opus manuum Dei protectione dignum opprimere moliuntur; dum se innocentem malevolorum injuriis appeti, contumeliis et maledictis onerari, probro et calumniis indignissime lacerari permittit : ita ut in ea vexatorum inhumanitate nihil jam aliud sperare posse videatur, nisi ut e bonorum finibus ejectus, fama et fortunis spoliatus, miserrime pereat; in hoc ipso tamen justum, licet sibi occultum, Dei judicium agnoscit ac veneratur cum subdit :

Deus non vult positive peccata seu mala.

Cur Deus mala permittat.

Justa de causa Deus mala permittit, eaque in bonum dirigit.

Vers. 4. 4. NUMQUID OCULI CARNEI TIBI SUNT : AUT SICUT VIDET HOMO ET TU VIDEBIS? — Alteram assignat rationem, cur Dei judicium non possit esse non justum, quia scilicet et hominum merita et eorum pondera ignorare non poterat, qui oculos non habet carneos, qui sæpe lippi sunt et languidi, atque in rebus etiam clarissimis hallucinantur; et ut bene fuerint a natura constituti, certe interiora non vident aut coloris expertia; Deus autem oculos habet plusquam linceos, quibus neque objecti parietes impedimento sunt, ne, quæ abscondita sunt, penitus inspiciat : quare *Eccli.* XXIII, 28, dicuntur « oculi Domini multo plus lucidiores super solem, » ubi apposite *oculum*, id est aciem mentis, qua Deus omnia inspicit, comparat et præfert soli; cui Poeta rerum omnium inspectionem attribuit dicens :

Dei oculi sole clariores.

Ἥλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει,
Sol qui omnia videt, et omnia audit;

sed longe melius Sophocles in *Œdip.* Dei oculum παντόπτην, *omnia intuentem* appellat, quod non solum ea quæ in extrema terræ superficie constituta sunt videat, sed absconditos mundi angulos, cubicula, lectos, antra, cavernas, latibula, fossas, hiatus, ipsum terræ centrum, et infinita alia, quæ solis aspectum fugiunt, penitissime penetret, et clarissime intueatur; præsertim actus hominum etiam internos, quos tanquam καρδιογνώστης acerrima mentis acie circumspicit et intuetur, ut suo tempore æternis pœnis vel præmiis eos puniat aut remuneretur : nam, ut pulchre Salomon ait *Prov.* XVI, 11 : « Omnes viæ hominis patent oculis ejus : spirituum ponderator est Dominus : » ex Hebræo quidam vertunt, *omnes viæ viri vitreæ in oculis ejus*, id est diaphanæ et transparentes. Significat omnes rationes et consilia hominis Deo esse manifesta, aut, si licet dicere, vitrea et crystallina, ita ut illa penitus inspiciat et intensissimam illius aciem nihil fugiat; interim tamen dum vitro perlucenti et crystallo diaphano comparantur, insinuatur quam fragiles et inanes sint providentiæ humanæ et cassa hominis consilia apud Deum : non solum enim ea penetrat, quia diaphana sunt, sed etiam nullo negotio infringere et comminuere potest, quia vitrea sunt. Addit : « Et spirituum ponderator est Dominus, » Deus enim, inquit Lyranus, appendit spiritus ad retribuendum secundum merita et demerita; alii hoc ad intentiones animi referunt, ex quibus operum valor penditur. Genuinus autem sensus esse videtur, Deum internas hominum cogitationes non solum penitus inspicere, sed etiam appendere et librare, et levesne sint, an graves, lance suæ æstimationis explorare : *leves* cogitationes sunt joculares, inanes, vanæ, superbæ, et aliæ id genus; *graves* autem humiles, demissæ, seriæ, et quæ cum his concinunt : quas omnes exactissima divinæ justitiæ trutina apponderabit.

Dei oculos nihil effugit.

Deus cordis inspector et judex.

Hominum consilia vitro fragiliora.

Vers. 5 et 6. 5 et 6. NUMQUID SICUT DIES HOMINIS DIES TUI, ET ANNI TUI SICUT HUMANA SUNT TEMPORA, UT QUÆRAS INIQUITATEM MEAM, ET PECCATUM MEUM SCRUTERIS? — Excludit hic a Deo defectum illum humanæ cognitionis, qui provenit ex temporis successione, qua fit ut homo de die in diem plura cognoscat, et vicissim per temporis longitudinem obliviscatur ea quæ prius noverat, ut sic oporteat eum iterato quasi addiscere. Quod in Deo non habet locum, in cujus amplissima illa scientia hoc quoque est mirabile, quod nec tempore augetur, nec oblivione minuitur, sed attingit a fine usque ad finem; et præterita, atque illa quæ in omnem sæculorum continuationem futura sunt, tam clare et distincte videt, quam quæ modo in oculis geruntur : præterea videt omnia possibilia, innumerabiles eorum species, dissimillimas qualitates, actionum infinitam varietatem, perenni annorum curriculo motiones animorum, et cogitationes in omnem partem immensas; quas omnes sine comparatione facilius et distinctius habet in numerato quam nos tria dinumerare possimus. Deus immortalis! quam acutus summæ mentis intuitus! quanta sapientiæ vis! quam immensus oculus! vere παμφαής, *omnibus illucens*, ut a Græciæ doctoribus vocatur. Hujus porro perspicacitatis nostro concipiendi modo quasi radix ejus est æternitas, cui nihil præteritum, nihil futurum, sed totum simul et semper præsens. Hanc antiqui variis symbolis, modis et figuris adumbrare conati sunt. Plotinus lib. VII *Ennead.* 3, cap. I, æternitatem ait esse maxime venerandam, eamque definit esse primam essentiam, vel idem cum Deo; peripatetici vero Numinis durationem cum pingerent, pyramidem adumbrabant, sive lucem igneam incorporei et immaterialis mundi, ait Cœlius Rhodiginus lib. II, cap. X, qui vocetur, inquit, ἀιών, sive *æternitas* et æther; hinc animos corpore abjecto in liquidum æthera venientes fieri deos immortales, quod pythagoræi docuerunt. Andabatarum illi more gradiebantur, et per nebulam et transennam videbant, quod in luce clara docti a Deo collocarunt, qui aiunt solum Deum æternum esse, temporis dominum, cujus regnum sit regnum omnium sæculorum; alia omnia labi et fluere, et pondere suo tendere in nihilum : nam tametsi animæ et beatæ mentes dicantur sempiternæ, non tamen semper fuerunt, nec nisi alieno beneficio sunt futuræ, ut quodammodo fœneratitiam æternitatem et precariam habere videantur : hinc ἀιώνια, *æviternæ* tantum dicuntur, non ἀΐδια, *sempiternæ*, ut docti monent : et ea causa lux Areopagi S. Dionysius *De Div. nom.* cap. V, αὐτοαιῶνα, *ipsum per se ævum* Deo tribuit ut propriam æternitatem. Ridiculi fuere illi gloriosi quondam Cæsares, qui pro æternitate imperii, teste Suetonio in *Neron.* cap. XI, ludos faciebant, quibus ludis consequebantur, ut imperium ludus fieret et ipsi illuderentur. Itaque ipsa Roma laureis triumphisque superbiens, quam *æternam urbem* indigitabant, quamque Augustus e lateritia marmoream se fecisse gloriabatur, e marmorea in luteam recidit, si veterem Quiritium pompam et magnificentiam consideremus : hoc uno jam felix, quod ob augustam Petri sedem plane gemmea est, catholicæ religionis sacramen-

Deus non tempore uti nostra; nec est successiva, sed simul.

Philosophorum sensa de æternitate.

Solus Deus æternus.

Angeli et animæ æviternæ.

Dei notitia non pendet a

http://www.obrascatolicas.com

tis atque virtutibus ut sapphiris unionibusque pellucens.

Deus rex sæculorum et antiquus dierum dictus.

Cæterum clare oracula divina pronuntiant solum Deum esse proprie æternum; quam ob causam *Rex sæculorum* nuncupatur a D. Paulo *Timoth.* I, 17; *Antiquus dierum* a Daniele cap. VII, 9; ab Isaia cap. LVII, 15, *Excelsus* et *sublimis, habitans æternitatem*; a Syris *Gigas sæculorum*, ob magnitudinem potentiæ et majestatem æternitatis. De Deo non est verum dicere : Fuit aut futurus est, sed *Qui est* in momento æternitatis est verissimum nomen ejus : id momentum, ut est perfecta et interminata beatæ vitæ possessio, exsistendi fons atque principium; ita nec cœpit aliquando, nec fato minui aut pati occasum potest. Præclare Seneca *Epist.* 57: « Nulla immortalitas cum exceptione est, nec quidquam noxium æterno est; » sed male id tribuit animo, qui si malus est noxiam æternitatem consequitur. Solus Deus æternitate sua tutus et totus est, nusquam variabilis, qui omnem temporis fluxum et sæculorum commutationem idem exsuperat. Cogitemus non Nestorem aliquem trisæcli senem, ut Nævius apud Gellium ipsum vocat, sed Adamum, Mathusalemum, aut e macrobiis illis proceribus unum, qui singulis diebus longissimæ illius ætatis aliquid novum et admirabile didicerit, novas animi intelligentias, novas rationes et lumina perceperit necesse est, post mille annorum curriculum magnum esse quemdam acervum scientiarum et pulcherrimarum notionum, quæ cum temporum successione veritateque accesserint. Ex alia vero parte pusionem consideremus, quem nascentem sic illustraverit Deus et docuerit, ut quæcumque immenso illo annorum curriculo percepturus esset, uno momento perfectissime et firmissime complectatur, et totius illius temporis vivam et præsentem et distinctam habeat simul et eodem momento imaginem; in illo tenuem quamdam effigiem æternitatis comperiemus. Nam quæ Deus serie quadam inexplicabili sæculorum alia atque alia comprehendisset, in momento habuit quod perenne est, atque unius modi futurum in omnem æternitatem : pari enim modo Deus omnes suas cogitationes, omnia consilia, omnia decreta simul ab æterno immutabiliter concepit et retinet, ita ut nihil novi possit cogitare, nihil novi possit occurrere, nihil etiam velle aut decernere, quod ab æterno non cogitarit, voluerit, statuerit, decreverit; nihil permittere fieri in tempore, nisi id ab æterno statuerit permittere; nihil facere in tempore, nisi quod decreverit in æternitate : semper enim æternum decretum circa omnia et singula debuit præcessisse, sine quo in tempore nihil fieri potest. Non quod Deus absolute non possit facere alia quam quæ fecit aut facturus est : absit : potest enim alia et alia sine fine, etsi re ipsa non decreverit facere; fieri tamen non potest, ut re ipsa aliquid faciat, nisi decretum faciendi ab æterno præcesserit. Itaque potest omnia absolute, considerata ipsius potentia et sapientia et summa libertate ab æterno quidlibet decernendi : non potest omnia ex suppositione, nempe supposito quod decretum non præcesserit. Postulat ipsius eminentissima æternitas et immutabilis celsitudo, ut omnia quæ fiunt in tempore, et quæ non fiunt, in sua luce infinita tam perfecte consideraverit, expenderit, ponderaverit, atque si infinito tempore de singulis deliberasset et consultasset; unde facile illi fuit de omnibus et singulis statuere semel et simul, quæ infinito post tempore facienda vel permittenda erant : imo id erat necessarium, ne voluntas ejus circa aliqua objecta maneret quasi suspensa, quod est imperfectionis : quare nulla est in Deo actuum intellectus aut voluntatis successio, quod semel cogitat aut videt, semper cogitat et videt, quem semel amat semper amat, sed pro eo tempore quo erat amabilis, nempe pro tempore status gratiæ : quem semel odit semper odit, non absolute, sed pro tempore quo odio dignus; pro alio vero tempore quo amore dignus est illum amat. Hi actus qui nostro modo concipiendi in Deo exsistunt ab æterno non cessant proprie, nec exstinguuntur, neque de novo emergunt vel eliciuntur, sed manent invariabiles respectu sui objecti pro certo tempore, et in certo statu considerati; nec tribuunt absolutam denominationem, nisi eo tempore quo objecta in certo statu exsistunt, et pro illo tempore quo in eo statu exsistent vel exstiterunt. Quæ sane res magnam quamdam et singularem divinæ mentis præstantiam arguit, et apud omnes admirationem; uti pulchre Lessius lib. *De Div. perfect.* docet.

In Deo seu æternitate nullus fluxus.

Ab æterno Deus omnia simul novit, vult, decernit, etc.

Job itaque hujus theologiæ minime ignarus : « Numquid, inquit, sicut dies hominis dies tui? » etc., *q. d.* Nequaquam, Domine; sed cum æternus sis, et omnia videas, penitusque cognoscas ab initio priusquam fiant, non opus est tibi longa temporis mora, ut in causam inquiras; non opus est testibus, vinculis, equuleo, ut veritatem explores; quod fieri solet in humano judicio, ut iniquitatem meam longo hoc carcere et carnificina perscruteris : cur igitur me contractis nervis, quasi constrictum vinculis, in hoc fimetum quasi in obscurum et tetrum carcerem conjecisti, quasi timeas ne a tua potestate fugitivus elabar? Sic ille amanter ac suaviter querimonias doloribus et angoribus admiscet, ac si per hæc verba pro pœna relaxanda Deo supplicaret. Sed quorsum, inquit, criminalis processus iste, ac si tu fores judex aliquis mortalis, qui per dies multos reum torqueres ad scelerum confessionem scrutinio accurato exprimendam, cum intima mea noveris exactissime? Unde subdit :

Job Deum rogat ut a tortura cesset, cum ipsum exacte noverit.

7. ET SCIAS QUIA NIHIL IMPIUM FECERIM, CUM SIT NEMO QUI DE MANU TUA POSSIT ERUERE. — Modus hic conquerendi modestissimus est, et afflictissimo animo valde congruus : evenire passim solet, ut judices mortales a flagitiosis et protervis homi- Vers. 7.

nibus adacta multa tormentorum vi nequeant criminis confessionem extorquere, quocirca in dies singulos graviores cruciatus excogitant, reos ad quæstionem revocant, minantur, terrent, neque ob id audaces et intrepidi rei concidunt aut pallescunt, donec repetita tortura fracti, atque se neci tradendos animo persuasi, concedunt tandem judicibus, seque a morte illa multiplici redimunt. Huc Jobus respexisse videtur, ut oppositа vitæ integritate lamentum exaggeret. Magna profecto bonæ conscientiæ fiducia, quæ ipsummet Deum innocentiæ suæ testem adhibet, dicens eum scire, quia nihil impium fecerit. Fundamentum scilicet solidum fiduciæ nostræ in sceleris vacuitate innocentiaque consistit, ut diserte charus Deo Joannes monet I *Epist.* III, 20 : « Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. » Si tuta placidaque est conscientia, si nulla synteresis immurmurat, si mens in recessus et latebras animi contuens nihil videat, quod divinæ legi voluntatique repugnet; oritur illa dulcis et jucunda fiducia propria filiorum Dei, et tristibus in rebus atque deploratis vadimus ad bonum et amantissimum genitorem, et depressum animum et ægrum attollimus certa spe opis et humanitatis. Quod autem subdit, « Cum sit nemo qui de manu tua possit eruere, » hunc sensum habet, *q. d.* Timens te, Domine, nihil iniquе feci : sciebam enim me tuas manus atque oculos non posse evadere. Plerique sane pii viri hoc genere considerationis plurimum proficiunt ad virtutis omne genus et perfectionis, cum præsentem ubique Deum cogitant et verentur; multosque scimus a scelere et maleficio revocatos, quod adorandum omnibus Numen adesse cognoscerent, cujus fallere oculos aut ultricem criminum manum effugere nulla ratione possent. Quare quis sceleratus vivens in Dei præsentia non erubescat, ne dicam exhorrescat? Sane potentissimum est hominibus frænum istiusmodi cogitatio, qua usus etiam David in magna fortunæ licentia suum animum componebat. Divine S. Leo serm. 5 *De Quadr.* : « Ista ergo, inquit, scientia summi Judicis, iste est tremendus aspectus, cui pervium est omne solidum et apertum omne secretum, cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, et sine voce mens loquitur. »

Bona conscientia solidum fiduciæ fundamentum.

Consideratio præsentiæ Dei judicis multos retinet in officio.

Vers. 8. 8. MANUS TUÆ FECERUNT ME, ET PLASMAVERUNT ME TOTUM IN CIRCUITU : ET SIC REPENTE PRÆCIPITAS ME? — Aliam hic eamque prægnantem adducit rationem, ob quam mitius et clementius secum agi debeat, quia nimirum opus est Dei; quæ ratio apud homines multum habet momenti, ægre enim adducuntur, ut opus sua industria sumptibusque perfectum demoliantur. Ex verbo autem *plasmare*, quod hebraice est rem *ornate*, polite et omnibus numeris absolutam *perficere*, affabre et artificiose elaborare; nec non ex verbo *præcipitare*, pro quo in Hebræo est *deglutire*, sive uno haustu absorbere, is resultat sensus, ac si dixerit Job : Num quem tanto artificio, sapientia, subtilitate, elaboratissimo opere fabrefecisti repente uno ictu præcipitabis, absorbebis, et ad nihilum rediges? Ideo scilicet *supr.* vers. 2 dixerat : « Indica mihi cur me ita judices? » non enim ibi de judicio Dei declinando, sed de indaganda ratione, cur præter Dei morem, qui lento semper gradu omnibusque modis causa examinata ad judicium ferendum accedit, tanta celeritate duplicatas illi plagas infligeret, sermo esse videtur.

Job itaque cum malis undique urgeretur orat conditorem, ut opus suum respiciat ac tueatur, quando in eo nihil est quod non divina manus singulari quodam artificio efformaverit. In hac certe rerum universitate, quam tuemur, nihil homine est perfectius, nihil admirabilius; ad illius constitutionem, quam ut specimen magnæ mentis et potentissimæ suæ manus omnium rerum ædificator exhibuit, uterque mundus, cœlum et terra concurrerunt, ut notavit presbyter Anastasius; qui tract. *De Hom. creat.* constitutionem illam nominat φοβερὰν καὶ δυσεμβάτευτον, *horrore quodam sacro verendam et difficilem explicatu*, reconditis mysteriis plenam; in eaque mixtum quemdam esse mundum e duobus mundis compaginatum, et cognatum utrique. Eamdem eximie mirantur et prædicant S. Patres; ac Joannes quidem Chrysostomus hom. 2 *De Prophet. obscur.* cum mentis aciem in hominem intenderet, illum vocabat διπλοῦν ζῶον, *duplicem animantem*, e diversissimis naturis conflatum, cœlesti et terrena, quarum ipse communione sit utriusque σύνδεσμος, *nexus* vinculumque mirandum. S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 26, nullum finem facit hujus tanti opifici laudandi et oratione celebrandi, et hanc mixtionem ait esse μυστικὴν καὶ ἄῤῥητον, *mysticam, et arcano modo perfectam et inexplicabilem*; in cujus admiratione creata omnia ingenia conterantur : quare non est negandum, e tam mirifica societate hominum corpori, tametsi luteo, et e pulvere atque argilla temperato, magnam quamdam speciem dignitatis pretiumque accedere. Deus enim ut metator circumspectus et prudens animæ domicilium apparavit, quod præstantiæ regiæque illius dominationi opportunum et decorum esset : sapienter enim animadvertit Galenus lib. I *De Usu part.* cap. II, cum sit corpus, ut appellat ipse, ὄργανον, *instrumentum* animæ, omni animanti corpus aptum esse animæ motibus et facultatibus; quod in equo, leone et aliis multis declarat. Homini proinde, cum sit maxime sapiens, et solus inter animantes divinus, anima decoratus, quæ beatarum mentium cognatione et similitudine quoque Dei teneatur, corpus dari tanta excellentia non indignum et ornatum ad omnium admirationem; unde brevi et arcano elogio præclare dictum est ab Hippocrate cap. XV, homines consecutos corpus δίκαιον, *justum*, hoc est, meo judicio, tam perfectum suis omnibus numeris et partibus expolitum, ut nihil desit, ni-

Constitutio hominis mirabilis.

Corpus aptum animæ motibus.

Corpus cur δίκαιον

Job Deum rogat ut operi suo parcat

http://www.obrascatolicas.com

vocetur. hil redundet, omnia vero sint ad normam et amussim exacta, ut statera expensa, et divino judicio composita et descripta videantur : ea causa nos tanti Opificis magnitudinem et potentiam et inusitatam sapientiam tum mirari, tum nervis animi omnibus prædicare oportere.

Trismegistus quoque, antiquæ theologiæ parens et inventor, omnes ad amussim humani corporis artus exsecutus, ex iis gloriam Demiurgi, et magnificum hoc opus divinis manibus elaboratum hymno sacro et lætiori veluti cantu in cœlum efContinet Dei symbola. ferebat; et in eodem humano corpore Epictetus σύμβολα Θεοῦ, *Dei symbola* animadvertebat, et vestigia clara divinitatis potentissime et sapientissime operantis : ad Deum enim structuræ hujus pulcherrima compositio referenda est, quod cœlesti mentis afflatu S. Job hoc loco profitetur dicens : « Manus tuæ fecerunt me, » quasi summus rerum architectus in humano corpore ædificando specimen collocare voluisset dædalæ manus suæ artisque omni cogitatione majoris. Et sane corporis partes omnes quasi mysteriis consecratæ magnis sunt, et a Deo providentissime figuratæ, in quibus velut in sacris Ægyptiorum litteris arcana divina possint intelligi : quare Salomon cum de sui corporis structo opificio et compositione disputat *Sap.* VII, 1 : « In ventre, inquit, matris figuratus sum caro : » in Græco est ἐπλάσθην, *sculptus sum*, divina manu hieroglyphicis veluti notis insignitus, admirabiliter effigiatus, arcanæ providentiæ symbolum, effectricis omnium sapientiæ clarum argumentum. Hinc nostri sapientes, qui in artium contemplatione et speciosissimæ rerum varietatis, quæ in mundo visuntur, partem curæ suæ posuerunt, aiunt Deum non multiplicem modo suam interminatamque sapientiam in singulis corporis nostri membris eorumque muneribus ostendisse, verum in iis pulchritudinem quoque suam veluti in pulchro elegantique vestigio declaravisse; ex quo fit, ut qui arte industriaque sua opus aliquod expolitum et perfectum Corpus humanum est exemplar optimæ symmetriæ. velit efficere, id nulla ratione consequi possit, nisi illud humano corpori, partiumque illius consensioni et descriptioni mirificæ pro cujusque ratione respondere faciat. Certe omnem architectandi rationem ex hominis symmetria tanquam ex perfectissimo naturæ artificio desumptam fuisse affirmat Vitruvius. Quod in templo Salomonis longe exquisitius demonstrant eruditi, quod ex corporis humani similitudine et proportione mirabili et delineatum fuit divinitus et perfectum, ut pluribus ostendit noster Vilalpandus *in Ezech.*

Hoc igitur corpus tanta perfectione fabricatum rogat Job ne destruatur, et quidem ab auctore suo; qui sane rogandi modus a conditoris bonitate et sapientia velut ab argumenti sede petitus plurimum valet ad clementiam impetrandam : eo quippe ipso quod quis alicujus operis auctor est, bene afficitur ad operis sui conservationem et remotionem eorum quæ utcumque illud lædere possent. Quis enim architectus non ægre ferat destructionem domus, quam operose construxit? quis agri cultor devastationem horti peramœni, quem artificiose ac sollicite coluit? profecto non modo demolitionem, verum etiam neglectum aut leve detrimentum auctor quisque indigne tolerat, operisque perfectionem quanta potest maxima sedulitate procurat : quædam enim velut generatio est, quæ paternam quamdam providentiam propensionemque producit. Pondus auget ille dicendi modus, *totum in circuitu*, quo totius hominis partes indicat, ita ut nihil in homine sit, quod divini artificii solertiam non testetur et prædicet, nihil quod omnipotentem Dei manum et ineffabilem sapientiam non ostendat. Videtur autem Job alludere ad morem artificum, qui opus pene absolutum curiose circumspiciunt, et si quid detortum, declive, exuberans ac denique oculis ingratum deprehendant, corrigant, totumque opus exspoliant, quasi Deus in corpore hominis formando ad eum modum se habuerit; id quod singularem Dei erga hominem curam et providentiam arguit, etiam ipsismet angelis invidendam, utpote quos Deus sola voce creaverit, cum hominem propriis suis manibus efformaverit. Unde D. Ambrosius lib. II *in Luc.* cap. III : « Non otiose, inquit, corporalibus quibusdam manibus circa Adam et Evam Moyses Deum inducit operantem. Mundum Deus fieri jussit, et factus est, et uno verbo opus mundi Scriptura indicat absolutum : ad hominem venitur, et manus ipsas quodammodo studuit ibi Propheta Dei laborantis ostendere, plus nescio quid in his intelligere quam lego opera Dei elaborata me cogunt, » ubi expende illa verba, *plus nescio quid in his intelligere quam lego*, q. d. Satis exprimere non possum hominis excellentiam, cum ipse Deus suas manus demittat ad eum efformandum. Pulchre item hanc formationem exDeus animam nostram fecit, et corpus plasmavit. pendens S. Basilius hom. *in Hexæm.*, verbum illud *fecerunt* ad animam, *plasmaverunt* vero ad corpus referendum censet, quod ex Genesi et regio Psalte probat : « Nam quo loco, inquit, dictum est *Gen.* I, 27 : *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum*, ibi expresse positum est verbum ἔπλασεν, id est *fecit* : jam vero deinceps quando de corporis substantia sermo est, verbum infert hoc ἔπλασε, id est *formavit*, finxit, plasmavit. Regius item Psaltes hoc esse discriminis inter facturam et formationem edocuit suo illo versiculo *Psalm.* CXVIII, 73 : *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me. Fecit* utique interiorem et arcanum hominem; *plasmavit* sive finxit hunc externum : » congrue enim ad cœvum sive lutum plasmatio aut figmentum refertur, de quo subdit :

Vers. 9. Materia corporis humani est lutum. 9. MEMENTO, QUÆSO, QUOD SICUT LUTUM FECERIS ME, ET IN PULVEREM REDUCES ME. — Particularius jam prosequitur modum formationis corporis humani, quem magis universe atque confuse versu præcedenti proposuerat; et primum edocet ma-

teriam, ex qua Deus primum hominem plasmaverit, alludens ad illud *Gen.* II, 7 : « Formavit Deus hominem de limo terræ, » ubi, qui litteras hebraicas noverunt, pro certo aiunt vocem, cui in nostra versione respondet *limus*, significare minutissimum ac vilissimum *pulverem*, qui adjecta aqua, ut notavit Tertullianus, coaluit, et formationi hujus statuæ luteæ aptam materiam præbuit : *lutum* namque non siccam terram et dissolutam, sed humore temperatam designat, quæ primum in statuam figurata, et postea veluti calore solis exsiccata, aliquam consistentiam haberet, nec ob mollitiem huc illucque difflueret. Meminit etiam Esdras, aut quisquis fuit auctor libri non canonici, sed eruditi IV *Esdr.* III, 6 : « Dedisti, inquit, Adam corpus mortuum (id estanime, et quod nunquam vixerat, e terra formatum) : sed et ipsum figmentum manuum tuarum erat, et insufflasti in eum spiritum vitæ, et factus est vivens coram te. » Fecit igitur Deus homiCui Deus fecerit hominem de limo terræ. nem de limo terræ, ut disceret quid esset, quemadmodum ait Laurentius Justinianus serm. *De S. Georg. mart.* : « Ne de se superbiendo præsumeret, qui se de limo vilissimo sciret esse plasmatum. » Fecit de limo, quia id hominis natura poscebat, ut caro ejus ex luto et cœno fingeretur, cui anima rationalis unita nobilius luto et excellentius esse præstaret; fecit ex luto, ut in exaltanda materia vilissima suam potentiam et largitatem ostenderet; fecit ex luto, ut suaviter hæc inferiora regeret, et lutum luto præficeret; fecit tandem ex luto, ut arrogans et superbus hominis spiritus quasi luto mersus, et suæ conditionis vilitate compeditus, disceret Deo obtemperare.

Multis locis Deus se figulum et nos figmentum vocat. Multis autem modis a Deo est homo hujus suæ naturalis vilitatis admonitus : vocat enim Deus seipsum *figulum*, cum opus creationis humanæ commemorat, cujus circa argillam et lutum desudat industria. « Ecce, inquit per Jeremiam cap. XVIII, 6, sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel; » et per Isaiam cap. XLV, 9 : « Numquid dicit lutum figulo suo : Quid facis? Et opus tuum absque manibus est? » et S. Paulus *Rom.* IX, 20 : « Numquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? » Sæpe etiam in Scripturis suis Deus nos *figmentum* appellat, quod proprie est opus ex luto; vocat etiam *terrenos* et *terram* : hoc indicant illa verba Isaiæ, cap. LXIV, 8 : « Et nunc, Domine, Pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster es tu, et opera manuum tuarum omnes nos; » Davidis *Psalm.* CII, 14 : « Ipse cognovit figmentum nostrum; » Salomonis *Sap.* VII, 1 : « Sum quidem ego mortalis homo similis omnibus, et ex genere terreni illius, qui prior factus est; » Apostoli I *Cor.* XV, 47 : « Primus homo de terra terrenus; » Jeremiæ cap. XXII, 29 : « Terra, terra, terra, audi verbum Domini. » Quibus multa similia passim occurrunt.

Ac tandem hæc luti nostri memoria hominis nomini affixa est, ut in venturis sæculis nunquam deleatur : vocavit enim Dominus hominem *Adam*, quod nomen *terram* significat, ut sciat homo se terram esse, atque ex luto et cœno in hanc quam habet naturam emersisse. Diceris ergo, o homo, *Adam*, quia terra vilis es : diceris *homo*, quia humus : terra nomen tuum, ex terra corpus tuum, in terra habitatio tua, in terram conversio tua. Diceris *terra*, quia ex terra compositus. Jam consoletur nos Philo Judæus lib. *De Opific.* dicens hoEx quali terra formatus sit homo. minem non ex quavis terra, sed ex selectissima fuisse compositum : « Non, inquit, ex quavis terræ parte sumpta humo videtur Deus hanc humana specie statuam formare voluisse, sed selecta undequaque optima, ex pura materia purissimum excolasse accurate, quod maxime ad hoc opus aptum erat. » Consoletur et nos S. Augustinus tract. 9 *in Joan.* asserens « quatuor litteris nominis *Adam* quatuor terræ partes contineri, orientem, occidentem, septentrionem, meridiem, » quasi primus homo ex quatuor pugillis terræ sumptis a quatuor mundi partibus fuisset compositus. Quod clarius docuit S. Cyprianus, qui postquam dixisset nomina hebraica eo consilio fuisse indita, ut proprietates hominum, quibus imponebantur, designarent, hæc addit : « Ex ipso protoplasto probamus veritatem : nomen Vox *Adam* quid interpretatur. accepit a Deo *Adam* : hebraicum *Adam* in Latino interpretatur *terra caro facta*, eo quod ex quatuor cardinibus orbis terrarum pugno comprehendit, sicut scriptum est *Isai.* XL : « *Palmo mensus sum cælum, et pugno comprehendi terram, et finxi hominem ex omni limo terræ, ad imaginem Dei feci illum.* Oportuit illum ex his quatuor cardinibus orbis terræ nomen in se portare Adam. » Sed o quam exigua et longe petita consolatio! Quid enim refert, si homo ex terra munda fuerit effectus, Parum refert ex qualiterra facti simus. cum ex eo terra vilis esse non desinat? Certe si superfluum est, ut dicebat S. Hilarion, munditiam in cilicio quærere, multo delicatius est eam in luto, in cœno et in stercore quæritare : quid enim prodest si ex pugnis terræ a quatuor orbis partibus sumptis fuerit compactus, cum ex hoc solum habeamus, quod ex quatuor lateribus (ut aiunt) nulla nobilitate insignitur, sed undequaque conspectus humillimo genere natus reputatur? Fiat, fiat ex quatuor pugnis terræ a quatuor plagis orbis acceptis, ut in toto universo cunctæ creaturæ notionem vilitatis hominis habeant, et nullo loco, licet homo velit, et conetur, suam vilitatem abscondat.

Cæterum Job non solum originis suæ fœditatem, sed etiam exitus sui fragilitatem commemorat cum addit : « Et in pulverem reduces Corpus nostrum in pulverem resolvendum. me, » *q. d.* Miserere meæ vilissimæ fragilitatis : sum enim quasi fictile vasculum in pulverem brevi redigendum. Quid igitur ultra persequeris

http://www.obrascatolicas.com

hoc vile fluxumque figmentum? nonne satis fuit stirpem suam et genus ex sordida ac lutea duxisse materia, ac tandem in pulverem, ex quo formatum est, iri resolutum? Cur hoc breve vitæ ac ærumnosum spatium sine novis laboribus et angustiis peragi non sinis? Hæc sane hominis formatio, et adjuncta carnis lutique fragilitas, movere potuit Deum, ut si quid ab homine peccatum esset, veniam lubens facilisque concederet. Secus est in angelis, a quibus cum abesset carnis infirmitas, multo potuere magis tentationi resistere: qua de re optime ad hunc locum S. Gregorius: « Angelorum, inquit, spiritus idcirco irremissibiliter peccaverunt, quia tanto robustius stare poterant, quanto eos carnis commixtio non tenebat; homo vero idcirco post culpam veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid, quo semetipso minor esset, accepit. Unde et apud respectum judicis argumentum pietatis est hæc eadem infirmitas carnis. Quo argumento usus est David *Psalm.* LXXVII, 38: « Multiplicavit (Vulg. *abundavit*) ut averteret iram suam ab eis, et non accendit omnem iram suam: et rememoratus est, quia caro sunt. » Et alibi *Psalm.* CII, 13, eadem fere repetit quæ Jobus: « Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum, recordatus est, quoniam pulvis sumus. » Quare dum dicit Jobus: « Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, » hoc est: Revoca obsecro in memoriam, ut mei misereris, et erratis veniam des. Recordare animum humanum generosum quidem et pene divinum, cœno et luto mortalis hujus corporis, a quo aliquando non infici non possit, undique circumdatum, atque ejus necessitatibus ita obnoxium, et quasi alligatum et subditum, ut vix animi intentio queat subsistere, quin hinc detineatur, inde laxetur. Ita S. Ambrosius lib. *De Bon. mort.* cap. III, his verbis: « Multas occupationes nobis corporis hujus necessitas gignit atque usus invehit, quibus impeditur animæ vigor, revocatur et intentio; unde de se pulchre dicit S. Job: *Memento, quia sicut lutum me finxisti.* Si ergo lutum est corpus, oblinit nos utique, non diluit, et coinquinat animam inquinamento intemperantiæ. » Quare bene S. Gregorius hunc locum sic exponit, quasi Job Deo dicat: « Infirmitatem carnis considera, et reatum iniquitatis laxa. » Hanc orandi formam Thais, quæ magnis se peccatis onerarat, accepit a magistro suo; neque aliam per aliquot annos permisit, utpote maxime suis moribus opportunam: « Qui plasmasti me miserere mei. »

Miseria nostra et vilitas Deum ad misericordiam inclinat.

Animus in tam fragili corpore sibi non constat.

Vers. 10. 10. NONNE SICUT LAC MULSISTI ME, ET SICUT CASEUM ME COAGULASTI? — Pulchre humani corporis generationem lactis coagulo assimilat: nam, ut Plinius lib. VII, cap. XV et medici docent, semen mulieris est instar lactis album, liquidum et diffluens; sed accedente virili semine calore illius quasi coagulatur, consolidatur et concrescit, ut fiat embryo, ita Tirinus noster. Ubi expende Jobum non tantum affirmasse opus Dei, atque id maxime elaboratum se esse, quod ad rem suam non leviter faciebat; sed etiam signate divinis se oculis tanquam e molli blandaque materia, in qua non possent non undique impressarum manuum vestigia apparere, recenter efformatum proposuisse, ut dicere videatur: Exstant in me, o Domine, tuarum manuum expressa signa et lineamenta, quæ me tuum opus esse clarissimis vocibus proloquuntur; cur ergo tuam imaginem potius demoliri, quam opem ei ferre vis?

Humani corporis generatio lactis coagulo similis.

Vers. 11. 11. PELLE ET CARNIBUS VESTISTI ME: OSSIBUS ET NERVIS COMPEGISTI ME. — Jam ad corporis organizationem prorsus admirabilem procedit, quam eleganter Sanctius noster ita describit: Femineus, inquit, sanguis eo quem diximus modo a virili semine dispositus nihilo magis densus ac durus est quam lac coagulatum, quod usque adeo molle est, ut parum absit a liquido, a quo ad significandas res molliculas, et in quibus nihil est firmitatis, comparatio ducitur. Ex eo admirabilis naturæ solertia, seu potius divina sapientia varias finxit diversasque naturas, quibus humani corporis fabrica compacta est: pars enim quædam lentescit in nervos, pars mollescit in carnem, pars duratur in ossa, pars in pellem extenditur. Denique ex re tantula tamque sibi simili organa finguntur plurima ad varia naturæ ministeria; illa autem omnia carnibus quasi interula veste, et pelle quasi externo teguntur et ornantur pallio. Tota vero humani corporis moles ab ossibus quasi a columnis et tignis sustentatur, quæ nervi quasi quædam vincula constringunt et continent. Hæc scite atque eleganter optimus philosophus Jobus hoc loco describit, ut nihil a quoquam desiderari posse videatur. Quod item fecere plures alii, ex quibus unum dabo Lactantium lib. *De Opific. Dei*, cap. VII: « Deus, inquit, solidamenta corporis, quæ *ossa* dicuntur, nodata et adjuncta invicem nervis alligavit atque constrinxit: hæc autem visceribus (*viscerum* nomine *carnes* intelligit) operuit ut quemque locum decebat, ut quæ solide essent conclusa tegerentur. Item visceribus ipsis venas admiscuit quasi rivos per corpus omne divisos, per quos discurrens humor et sanguis universa membra succis vitalibus irrigaret. Et ea viscera formata in eum modum, qui unicuique generi ac loco aptus fuit, supertecta pelle contexit. » Sic ille.

Admirabilis hominis fabrica.

Plura circa modum et rationem tam admirabilis opificii nil attinet curiosius investigare, cum ipsemet Salomon profiteatur *Eccles.* XI, 5, ab hominibus ignorari, « quæ sit via spiritus, et qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis: » ad quem locum ita pulchre Tollenarius noster: Circa spiritus, inquit, seu animæ substantiam magna fuit olim philosophorum medicorumque hallucinatio, quemadmodum etiam circa formationem fœtus in utero materno: de

Formatio corporis humani nobis obscura est.

quibus sapienti quadam ignorantia olim tutissime pronuntiavit celeberrima illa Machabæorum mater II *Machab.* VII, 22: « Nescio qualiter in utero meo apparuistis: neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam. » Eamdem ignorantiam professus est sagacissimus rerum naturalium indagator Galenus: sic enim scribit in lib. *De Form. fœtus*: « Cum nullam de structura animalium inveniam opinionem cum scientiæ certitudine demonstratam, fateor me de fœtuum effectrice causa nihil certi habere: hoc tantum de ea pronuntiare me posse confido, quod ars et sapientia in ea sit maxima: » quamobrem cæteros alibi monet ne in hanc inquisitionem pertinacius incumbant: « Hæc, inquit lib. XV *De Usu part.*, Creator noster talia fieri voluit. Quæ autem facta jam sunt neque tentes, neque audeas quærere, quemadmodum facta sint: quæ enim facta esse ignorabas, nisi ab anatomia edoctus fuisses, quo pacto nunc audes quærere, qua ratione facta sint? Satis ergo tibi sit novisse unamquamque particulam pro rerum exigentia et usu constructam fuisse. Si vero præterea conabere quo pacto ita facta sit inquirere, palam fiet, te nec tuam imbecillitatem nec opificis sentire potentiam. » Cæterum cum post partium organizationem a Deo statim anima rationalis infundatur, recte subjungit:

Ratio fabricæ corporis humani non est curiose quærenda.

Vers. 12. 12. VITAM ET MISERICORDIAM TRIBUISTI MIHI, ET VISITATIO TUA CUSTODIVIT SPIRITUM MEUM. — Postquam de corporis compositione locutus est, agit hic Jobus de animæ creatione, qua corpus mirifice compactum atque connexum vitam motumque acquirit; tres vero beneficentiæ gradus discrevit, vitam misericordiam, visitationem: *primus* ad vitæ principium, *secundus* ad conservationem, *tertius* ad perfectionem pertinet. *Misericordia* hoc loco est *beneficentia*, liberalitas, largitio; unde phrasis illa frequens in Scriptura *Gen.* XX, 13 et alibi: « Facere misericordiam. » *Visitatio* hic est idem ac *prosperatio*, fœcunditas, felicitas: sic phrasi Scripturæ familiari Deus *visitare* dicitur quos prosperat, fœcundat, ut Saram et Annam, Samuelis matrem. Ex his ergo precatio Jobi vires acquirit, ne Deus, quem tot beneficiis auxit, repente perimat: verba illa: « Visitatio tua custodivit spiritum meum, » licet ad tutamentum animæ, ut vitam naturalem corpori confert, referri valeant; pertinere tamen litterali sensu possunt ad spiritualem animæ custodiam, et quamdam Dei velut excubantis vigiliam, qua animam, quam sempiternæ felicitatis capacem creavit, præsentia sua servat, divinæ gratiæ ac virtutum supernaturalium muneribus amplissimis exornat. Favet expositioni huic quod auctores aliqui graves *misericordiæ* nomine naturalia virtutum semina intelligunt, ut in hunc modum terna beneficia gradatim ascendant, *vita* per animæ creationem, *misericordia* per indita virtutum semina, *visitatio* per collata virtutum supernaturalium dona; atque ad hunc sensum oratio Jobi fiet multo nervosior.

Misericordia pro beneficentia. Visitatio pro prosperatione.

Mystice sic optime exponi potest, q. d. *Vitam* mihi tribuisti gratiam infundendo, nam gratia Dei vivimus; *misericordiam* elargitus es ad sancte vivendum, et ad usum gratiæ ac virtutum ab ea promanentium supernaturale auxilium impertiendo) et hac misericordia provehimur); et *visitatione*, id est assidua inspiratione tua, spiritum mihi infusum et a te donatum custodisti: quia nisi ad modum avis mihi incubares, et intellectum edoceres, et voluntatem afficeres, et ad opus roborares, jampridem vitam et misericordiam a te prærogatam perdidissem. Huc spectat illud Davidis *Psalm.* CV, 4: « Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui (secundum benignitatem tuam nobis exhibitam): visita nos in salutari tuo (scilicet salubri inspiratione tua) ad videndum in bonitate electorum tuorum (ut scilicet contemplatione videam quæ bona præparasti electis tuis): ad lætandum in lætitia gentis tuæ (ut voluntate, gaudio spiritali et justorum lætitia perfundar): ut lauderis (a me laude vocis et operis) cum hæreditate tua. » Porro ut hanc vitam gratiæ melius intelligamus, ex vita naturali nobis consideranda est: ita enim natura comparatum est, ut ex corporalibus ad spiritalia et ex manifestis ad occultorum cognitionem transeamus; unde cum naturalis vita clarior nobis et evidentior sit; ipsa spiritalis vitæ lucem ac notitiam paret. Vita autem naturalis, si philosophos consulamus, nihil aliud est quam natura rei potentis seipsam movere, in actumve ac perfectionem redigere: id quod nullo negotio exemplis intelligitur. In plantis vita est illud, quo primo succum sive alimentum attrahunt, retinent, et in universas partes distribuunt, quo seipsas alunt, augent, et in debitam provehunt magnitudinem; in brutis vita est, qua primo sentiunt, et huc illuc que discurrunt; in hominibus vita est, qua primo ratione; et in angelis, qua primo intelligentia liberoque utuntur arbitrio. Itaque *vita* dicitur illud primum initium operationum vitalium, quo mediis facultatibus ac viribus suis vitales actiones exercet, et quo res vivens seipsam in debitam perfectionem adducit. Quia vero vita hæc propter actiones vitales est viventibus attributa (in hunc enim finem arbores et plantæ vegetatricem vitam perceperunt, ut se alant ac nutriant; et animalia sentientem, ut sentiant, et se loco moveant; hominesque intelligentem, ut intelligant, et proprio arbitratu se gubernent) hinc ortum habuit, ut actiones istæ non solum vitales, sed etiam *vita* nuncupentur; et has duas vitæ significationes S. Hieronymus ad hunc Jobi locum annotavit dicens: « Ipsa anima est *vita* hic appellata, non vita animæ; quia possunt et actus ani-

Gratia est vita animæ spiritalis.

Visitatio Dei sunt bona inspirationes.

Vita spiritalis ex analogia vitæ naturalis cognoscitur.

Vita quid in plantis, in brutis, in hominibus.

Vita est principium operationum vitalium.

http://www.obrascatolicas.com

mæ *vita* nuncupari:» hæc ille. Ideoque hic dicitur habere vitam studiosam, ille vero voluptuosam, quia alter studiosis actionibus, alter vero voluptatibus ac deliciis deditus est.

Hæc doctrina ex philosophia naturali petita nos in spiritalis vitæ cognitionem adducat: quemadmodum enim vita hominis, quam animam rationis participem nuncupamus (hæc namque ut nobis familiarior hujus quod quærimus præstabit notitiam) est illa interior spiritualisque substantia, qua homo se spiritualiter et corporaliter movet ac perficit; quæ illi tribuit ut homo sit, et est facultatum quibus operatur origo, et mediis illis ipsarum operationum principium: ita vita spiritualis est aliquid intra nos manens, quod et nos spirituales efficiat, et fons sit facultatum spiritualium, nec non et actionum spiritualium exordium. Hoc autem si diligentius quid sit inquiratur, inveniemus nihil aliud esse quam illud augustissimum donum divinitus attributum, quod *gratiam* nuncupamus: hoc porro donum *gratia* vocatur, quoniam gratis et liberaliter nobis datur: « Quare *gratia?* (inquit S. Augustinus *in Psalm.* XXX, sibique respondet) quia gratis datur. Quare gratis datur? quia merita tua non præcesserunt, sed beneficia Dei te prævenerunt. Est autem gratia affectio manens seu habitus quidam supernaturalis mentibus justorum infusus per Spiritum Sanctum qui datus est illis. Gratia est, quæ ipsam animæ naturam perficiens, eam facit veluti deiferam, participemque et consortem divinæ naturæ: gratia est, quæ dividit inter filios Dei et filios diaboli, quæ Deum placat, et homines suo creatori conciliat. Hæc est, cujus præsidio justificamur, et Deo grati, accepti ac amici reddimur: hæc est, quæ I *Pet.* IV, 8, *operit multitudinem peccatorum*, non quidem ea dum manent tegendo; sed ea ut non maneant destruendo; hæc est semen æternæ vitæ, sine qua nulli in cœlestem patriam patet ingressus. Est decor et pulchritudo, qua anima Deo apparet amabilis; est lumen divinitus inditum, et mentem reddens illustrem et splendidam; » de quo S. Paulus *Coloss.* I, 12: « Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. » Est vestis illa nuptialis hominem eximie dignum efficiens, ut in summi Regis convivium admittatur; est *Joan.* IV, 14; «fons aquæ salientis in vitam æternam, » unde S. Paulus ait *Rom.* VI, 23: « Gratia Dei vita æterna, » quia opera a gratia emanantia illius vitæ, quam speramus, sunt merita; est quæ nos efficit membra Christi, quare et a Christo capite et per Christi merita datur, et ut ei adhæreamus benigne confertur; est denique vita nostra spiritalis, quia nos ex peccatoribus convertit in sanctos, ex defunctis viventes facit, et in spiritaliter mortuis manere non potest.

Vita spiritalis quid proprie sit?

Gratia unde dicta, et quid sit, ac quid præstet?

Hæc autem spiritalis vita in multis est naturali vitæ similis, nam sicut vita naturalis dat corpori ut sit et vivat secundum naturam, ita vita gratiæ dat animæ ut sit et vivat supra naturam: illa corpus limitat, et ad propriam, ut aiunt, speciem cujusdam viventis restringit; hæc animam circumscribit, ne divina mandata transiliat, et a debita fide sponsæ deflectat: illa corpus venustat, et motum ac vires subministrat; hæc affectus in res divinas et gressus tribuit, ut contendamus in cœlum, et intus spiritum nostrum exornat. Illa radix est facultatum, quibus operamur, ut intelligentiæ, qua cognoscimus, et voluntatis, qua volumus; hæc origo virtutum, ut humilitatis qua nos ipsos dejicimus, paupertatis qua divitias mundi contemnimus, charitatis qua Deum proximumque diligimus: Illa est principium operationum vitalium, nam ministerio facultatum suarum videt in oculo, audit in aure, et irascitur in corde; hæc est meritorum initium, quia virtutum ab ea manantium præsidio perfert injurias, ministrat infirmis, et desideriis se infert cœlestibus choris. Illa denique, deficiente debita sanitate et humorum temperie, a membrorum necessaria integritate discedit; hæc, si absit fidelitas, qua Dei mandata observare debemus, etiam amittitur. Si ergo tanta sollicitudine servamus vitam mortalem post non multos annos finem habituram, quanta sollicitudine custodire deberemus gratiæ vitam, si volumus, per totam æternitatem duraturam? si tam eximio amore complectimur vitam certe non admodum pretiosam, nisi quatenus vitæ spirituali subservit, quanto majori amore amplectenda esset ipsa spiritualis vita, cujus gratia naturalis diligitur? spiritualis, inquam, vita, quæ jure universis rebus naturalibus imperat? Ita pulchre noster Alvarez de Paz lib. II *De Vit. spir.* part. I, cap. I.

Vitæ spiritalis et naturalis similitudo in quo consistat.

13. LICET HÆC CELES IN CORDE TUO: TAMEN SCIO QUIA UNIVERSORUM MEMINERIS. — Jobi sensus est plane suavissimus, et eximia ejus pietate dignissimus: Etsi, inquit, suspicari posset aliquis, quem alienior de te imbuisset opinio, te non curare hæc humana, neque meminisse tuarum manuum, atque operæ nos esse figmentum, cum tam acerbe atque inclementer jactari permittas, neque tui aut amoris aut curæ humanis oculis argumentum appareat; ego tamen, cui clarius abs te lumen affulsit, non dubito, quantumcumque in animo consilia celes, quin nostra cures atque dispicias; neque unquam te rerum nostrarum tuique figmenti oblivio teneat. Scio enim te, clementissime Deus, meminisse beneficiorum in me collatorum, quam liberaliter me habueris, quantum operæ ac pretii in me creando, servando, prosperando exornandoque posueris, neque velle te munera hæc tua aspernari, ac momento pene uno structuram demoliri tuam; celas quidem hæc, iramque simulas, at ego non propterea animum a me tuum alienatum suspicabor. Videor enim mihi te videre egregium erga opus tuum studium de industria ad horam celantem; minime dubitans nullam te illius oblivionem capere posse, quin suo tempore a primis imaginis tuæ lineamentis et manuum tuarum vestigiis attractus opem illi feras, atque eam mire excolas atque perficias. Hinc sane S. Irenæus lib. IV *Advers. hæres.* cap. LXXVI, perutilem atque opportunam hanc elicit admonitionem, ut curandum nobis maximopere fuerit aliqua semper virtutum lineamenta divinarumque manuum vestigia in nobis retinere, quæ ipsum ad nobis subveniendum et dexteram operi manuum suarum porrigendam alliciant; ne dum nihil suum in animis nostris agnoscit viles illi simus; nec habeat unde ad opem ferendam pertrahatur. Verba Irenæi sunt: « Præsta Deo cor tuum molle atque tractabile, et custodi figuram, qua te figuravit artifex, habens in temetipso humorem, ne indurans amittas vestigia digitorum: » hæc enim dum exstant, dum durant, et sese divinis oculis ingerunt, quantumvis prodigus, quantumvis tepidus, quantumvis divinæ imaginis pulchritudinem obscuraveris, divinam clementiam ad opem suo operi ferendam adducent. Ex hoc versu, inquit Joannes a Jesu Maria, struitur argumentum ad multorum in speciem fortium ac fidorum Dei cultorum cæcitatem coarguendam, qui dum ærumnis, morbis, desolatione interna tanguntur, mox Dei animum aversum dictitant, ægreque ab hac mente dimoventur.

Vers. 13.

Etsi Deus celet interdum, non tamen erga nos amorem dimittit.

Peccata præterita etiam post remissionem molesta sunt.

Deus nunquam deserit eos qui aliqua ejus licamenta retinent.

Vers. 14. 14. SI PECCAVI, ET AD HORAM PEPERCISTI MIHI: CUR AB INIQUITATE MEA MUNDUM ME ESSE NON PATERIS? — Si, inquit, peccata mea pristina sint causa hujus meæ afflictionis, quæ ad hanc usque horam punire distulisti, cur jam saltem, quando id tam obnixe precor, non mundas me ab illa iniquitate, pro qua abolenda deinceps innocenter vivendo laboravi, ut sic tollas et causam plagarum, et simul ipsas plagas: ita Tirinus noster. Aliqui referunt ad scrupulos, qui peccato jam sublato non parum infestare sæpenumero solent viros pios; unde S. Gregorius ad hunc locum: « Si, inquit, culpam venia abstulit, cur sane a memoria non detersit? » quamvis enim quis peccatis valedicat, et novam vitæ rationem ineat, nihilominus præteritorum peccatorum memoria et delectatione tangitur quodammodo invitus; adeo ut istiusmodi tentamenta liquidam pœnitentis causam esse non patiantur. Et sic verba hæc ejus erunt, qui invitus trahitur ad illicitas delectationes, ut sit sensus, *q. d.* Cum jam peccata commissa deleverim, et per pœnitentiam abjecerim, quid est quod iterum memoria et delectatio invitum me trahit, et quodammodo impellit ad iterum peccandum? Hujus expositionis habes Gregorium his verbis patronum: « Ad horam Dominus peccatori parcit, cum reatum culpæ concessis protinus fletibus diluit; sed ab iniquitate nostra mundos nos esse non patitur, quia volentes quidem culpam fecimus, sed nonnunquam nolentes ejus memoriam cum delectatione toleramus: sæpe namque hoc, quod a conspectu jam judicis fletu interveniente deletum est, ad animum redit, et devicta culpa ad delectationem rursus inserpere nititur, atque in antiquo certamine rediviva pulsatione reparatur. » In quibus verbis ultimis videtur respexisse Gregorius fabulam, qua traditur Hercules devicisse gigantem immanis molis Terræ filium, qui quoties pedibus terram tetigisset, resumptis viribus certamen sanus et vegetus repetebat, donec fraude comperta Alcides eum tamdiu suspensum inter brachia tenuit, donec omnino animam efflaret. Luctamur quotidie cum peccatis nostris: vincimus, cum nos a terra per contemplationem sublevamus, et per opera sancta ad Deum erigimur; si vero iterum tantisper ad terram inclinemur, resumptis viribus iterum ad certamen redeunt.

Septuaginta sic convertunt, ἐὰν τι γὰρ ἁμάρτω φυλάσσεις με: ἀπὸ δὲ ἀνομίας οὐκ ἐλεύσῃ με παιδεῦσαι, *quod si et peccavero custodis me: ab iniquitate autem non insontem me fecisti*, quæ sic exponit Olympiodorus in *Caten.*, *tuam decet humanitatem, ut aliquam veniam tuo tribuas opificio, neque velis pro tua rerum omnium scientia cunctas actiones meas et peccata acri studio observare;* « quæ quidem sanctus hic iterat humanæ naturæ persona suscepta: Nil te, inquit, latet, Domine; verum et nostra observas opera, id enim est φυλάσσεις; ac licet non subita in eum qui peccavit animadversione utare, haud eum propterea dimittis insontem. »

Hebræi paulo aliter vertunt: Pagninus, *si peccavi, in custodiam ponas me, et ab iniquitate mea non mundes me*; Tigurina, *si quid peccavi, annotavisti mihi, neque sinisti meam iniquitatem abire impune*; Hebræus apud Cajetanum, *si peccavi, et custodies me, et ab iniquitate mea non mundabis me*: eodem modo Biblia Regia, nisi quod ad extremum habent, *non mundes me*. Quæ tam Hebræi quam hebraizantes quidam cum interrogatione legunt in hunc sensum, *numquid si peccavi observabis me super, et infensis me oculis intuebere? neque a peccato meo aliquando mundabis?* ita legit et exponit Eugubinus, et, ut idem dicit, Hebræorum aliqui; neque hinc longe abiit Vatablus. Alii, inquit Sanctius, interrogationi non putant esse locum, et hunc in modum accipiunt, quasi nimis sit durum ea, quæ ab hominibus peccantur, observari omnia, neque concessa a Domino venia laxari. Est et qui putet hic esse aliquam jurisjurandi aut imprecationis formam, quasi neget Jobus se peccasse, preceturque, si scelus unquam admiserit, ut in æternam detur custodiam, neque ullo tempore peccatorum vincula aut supplicia laxentur. Sed ex his prima explicatio videtur magis litteralis.

Vers. 15. 15. ET SI IMPIUS FUERO, VÆ MIHI EST: ET SI JUSTUS, NON LEVABO CAPUT, SATURATUS AFFLICTIONE ET MISERIA. — Conclusio esse videtur ejus quod dixit hactenus, id est, sive impius sive pius sim, iram tuam non effugiam: sicut dixit *supr.* cap. IX, 22: « Innocentem et impium ipse consumit. » Cæterum « non levare caput » habitus est mœrentis et afflicti hominis; quem etiam expressit David dicens *Psalm.* XXXVII, 1: « Miser factus sum et cur-

Nec impios nec pios a miseris hujus vitæ esse immunes.

http://www.obrascatolicas.com

vatus sum usque in finem; tota die contristatus ingrediebar. » Ostendit autem, quod sæpe jam explicuimus, pios neque impios homines ab hujus vitæ malis esse securos : quis enim sanctorum mortalitate circumdatus, quantumvis virtutibus fulgeat, et rerum cœlestium desiderio ardeat, non sæpe curis pungatur, tentationibus urgeatur, persecutionibus affligatur, aut saltem corporea molestia et infirmitate turbetur? Quod minime mirandum est, quia perfectionis mons licet possit terram superare, et terrenam conversationem deserere; at non potest omnino a terra se eximere, nec terrenam necessitatem effugere : quare in hoc exsilio non est qui se penitus ab onere alicujus laboris expediat, etiamsi innocens et sanctus exsistat. Multum tamen interest inter piorum et impiorum hominum conditionem in afflictionibus et miseriis, uti pulchre ad hunc locum docet S. Gregorius lib. IX *Moral.* cap. LII : « Impius væ habet et justus miseriam, quia et æterna damnatio reprobum sequitur, et electus quisque doloribus transitoriæ adversitatis expiatur. Impius caput levat, sed elatus evadere væ, quod sequitur, non valet : justus labore sui certaminis afflictus caput levare non sinitur, sed pressus a perpetua afflictione liberatur. Ille se in voluptatibus erigit, sed suppliciis sequentibus mergit; iste se in dolore deprimit, sed tamen a pondere æternæ animadversionis abscondit : » sic ille. Istud itaque discrimen inter impium et pium constituamus, quod impius, dum a terrenis curis opprimitur, etiam ab iniquitatibus absorbetur; at vir justus atque perfectus ita supra terrenam conversationem sese elevat, ut tamen in terra et inter homines statum suum habens, necessario aliquas terræ perturbationes et miserias sentiat. Verum hic labor ab inevitabili corporis necessitate proveniens æquo animo a sanctis et perfectis viris ferendus est, quia si eorum vita per corpoream infirmitatem sicut mons est terræ conjuncta, at per desiderium et mentis puritatem sicut mons est versus cœlum erecta. Notanda est hic elegans antithesis inter impium et justum; inter væ impii et *elevationem capitis* justi : itaque sensus Jobi est : Si peccavi, quodlibet supplicium vel malum merui; si vero justus sum, non propterea debeo superbire, vel de me præsumere, tanquam sit aliquid ex me, sed Dei erga me misericordiam et bonitatem humiliter confiteri.

Discrimen afflictionis impiorum et piorum.

Vers. 16. 16. ET PROPTER SUPERBIAM QUASI LEÆNAM CAPIES ME, REVERSUSQUE MIRABILITER ME CRUCIAS, — id est, videris me sicut leænam insectari, et ut hominem superbum, crudelem et rapacem exagitare; *reversusque*, id est iterum atque iterum mirabiliter me crucias, plagam plagæ superinducendo; ubi nota hebraismum, quo verbum ponitur pro adverbio, nam *reverti facere* significat *iterum facere* : eodem modo dicitur in Psalmis *Psalm.* LXXXIV, 7 : « Deus tu conversus, (id est *iterum*) vivificabis nos. » Septuaginta illud *propter superbiam* omittentes sic versum hunc reddunt, ἀγρεύσμαι γὰρ ὥσπερ λέων εἰς σφαγὴν, πάλιν δὲ μεταβαλών δεινῶς με ἐλέγχεις, *capior enim sicut leo ad occisionem, rursus vero commutatus sævissime crucias me* : ita S. Augustinus, *q. d.* Non capior ad vitam ut animalia, quæ solent haberi in deliciis, sed ad necem ut animantia fera, quibus fidendum non est, si supervivere permittantur. Cæterum id quod Vulgatus *propter superbiam* reddit, in Hebræo est ורגאה *veigeh*, quod Hebræi vertunt *multipliciter augeatur, crescat*, nempe afflictio atque miseria, de qua proxime; et per optandi modum interpretantur in hunc sensum, *q. d.* Utinam afflictio mea et dolor sic augeatur et invalescat, ut me quamprimum conficiat et exstinguat, ne tamdiu meus protrahatur dolor et interitus.

Verbum pro adverbio per hebraismum.

Porro in aliquibus Latinæ Editionis codicibus illud *quasi leænam* in nominandi casu legitur *quasi leæna*; qua etiam ratione accipiunt omnes hebraizantes apud Pinedam, tum etiam textus ipse Hebræus et Chaldæus apud Cajetanum, ita ut cum leæna comparetur Deus propter supplicii justitiæque severitatem, quam effugere nulla vis humana possit : nam si Deus semel capiat prædam, illique incubet quasi leæna, quis eam de manibus ejus eripiet? Sic alibi passim in Scripturis Deus leoni quoque ac leænæ comparatur, quo spectat illud *Gen.* XLIX, 9 : « Catulus leonis Juda : ad prædam, fili mi, ascendisti : requiescens accubuisti ut leo et quasi leæna; quis suscitabit eum? » Quod SS. Patres ad litteram de Christo prophetatum accipiunt; eodem refertur et illud *Ose.* V, 9 : « Ego quasi leæna Ephraim, et quasi catulus leonum domui Juda : ego capiam, » etc. Leo enim fortitudinis et magnanimitatis semper symbolum fuit, et omnium terror dictus : quapropter, ut refert Pausanias, in superbi Agamemnonis clypeo depictum visebatur caput leonis cum hoc versu :

Deus leoni et leænæ comparatus.

Leo symbolum fortitudinis.

Οὗτος μὲν φόβος ἐστὶ βροτῶν, ὁ δ' ἔχων Ἀγαμέμνων,
Hic quidem terror est mortalium, illum vero gerit Agamemnon.

Id ipsum inter Hieroglyphica Ægyptiorum fuisse docet Horus Apollo : « Terrorem, inquit, significantes leonis caput pingunt : quoniam hoc fortissimum animal omnibus aspicientibus formidinem incutit; » ipse autem neminem timet, juxta illud Salomonis *Prov.* cap. XXX, vers. 30 : « Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum, » quare Isidorus Pelusiota lib. II *Epist.* 284, leonem vocat φοβερὸν καὶ ἀφόρητον, *horrendum et intolerandum* : quis ergo esse posset horrifici timoris expers, cum victor leo de tribu Juda rugiet, terroribus septus, non juba, sed robore et potentia coronatus? Quanquam igitur hic eo sensu *leæna* vel *leo* in casu recto intelligi possit de judice vindiceque Deo, nihilominus a Sixtina et Clementina editione, juxta Vaticanum exemplar castigata, minime recedendum censeo, quæ *leænam* accusandi casu expressit, cui se Job comparat : quippe quem Deus non secus ac venator leænam aut leonem multis irretitum calamitatum laqueis, variis insuper dolorum jaculis configat; unde subdit :

Vers. 17. 17. INSTAURAS TESTES TUOS CONTRA ME, ET MULTIPLICAS IRAM TUAM ADVERSUM ME, ET POENÆ MILITANT IN ME. — *Testes* appellat Jobus vel dæmones satanico œstro incitatos, vel tres amicos suos in pugiles mutatos, vel dolores acerbissimos a Deo immissos : quæ sunt tres veluti cohortes, quibus dispositis et per tempora, vel etiam simul accitis, sic Jobi causa agitur, quemadmodum rei cujusdam scelestissimi causa in tribunali gravissimo actitari solet testibus multis succedentibus, per quos veritas inquiritur. Similitudo ergo in eo sita est, ut sicut testes producuntur ad veritatem indagandam, ita dæmones concertatores et dolores produci videantur, ut Jobus veritate pervestigata convincatur; ac si res tota Deo sat perspecta non foret. Posset autem Jobus sic loquens induci, *q. d.* Quorsum æquissime judex tot testes interrogas? quorsum alios aliis succedere pateris? quorsum interrogationem tam sæpe reparas, redintegras, restauras? Profecto per hoc ipsum multiplicas iram, hoc est supplicium, adversus me; et pœnæ tanquam milites armati lanceis infestis me impetunt atque transfigunt. Cesset oro hic judiciarius processus, hæc militum recensio : tibi quippe cognita est causa et candor conscientiæ meæ perfectius multo, quam si mihi in eadem causa multa testium millia jurata faverent. Septuaginta legunt, ἐπανακαινίζων ἐπ' ἐμὲ τὴν ἔτασίν μου, *instaurans in me inquisitionem meam*, quod ad interrogationem testium seu praxim scisitandi et inquirendi luculentius refertur. Porro illud, *et pœnæ militant in me*, id est, variæ calamitates me simul exagitant, quod obscurius ponit Hebræus; quem ita verbum de verbo traducit Stunica, *mutationes exercitus mecum*, q. d. Ilias malorum in me incumbit, et impetor variis et sibi invicem succedentibus dolorum agminibus, uti in pugna aut urbis oppugnatione militibus fessis recentes succedunt.

Quinam sint testes qui adversum Job insurgant.

Sanctorum exempla sunt testes Christi.

Tropologice S. Gregorius lib. IX *Moral.* cap. XXXV, per *testes* intelligit sanctorum exempla sic scribens : « Testes Dei sunt, qui per exercitium sancti operis testantur quæ electos secutura sint præmia veritatis; unde hos quoque, quos pro veritate passos agnoscimus, græco eloquio *martyres*, id est testes vocamus, » etc. : qui itaque aliis bonum exemplum præbet testis est Christi, qui conversatione sua possibilem esse Christi doctrinam affirmat, et ei non se accommodantes operibus increpat. Quis hanc gloriam hancque dignitatem contemnat, qua testis constituitur sanctitatis, dum alios exemplo vitæ suæ ad sequelam virtutis vocat? Quod si hæc dignitas contemnenda non est, semper bonum virtutis odorem spiremus, et libertate aut laxitate vivendi alios offendere timeamus. Sed hic attendendum qua intentione et quonam fine fratres nostros bonis exemplis adjuvare curemus : profecto non studio vanitatis, et opinionem virtutis apud homines quærendi, et inanis gloriæ captandæ (hoc enim puerile est) sed ut Deum in nobismetipsis magnificemus, et ejus honorem et gloriam quæramus; ad quod Christus nos hortatur dicens *Matth.* V, 16 : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. » Sic doctrina vestra resplendeat, inquit, ut eam sanctæ actiones approbent, et opera bona confirment : sic vero opera bona hominibus ostendatis, ut non vanam laudationem ex eis, sed veram æterni Patris gloriam aucupetis.

Cavendum ne exempla virtutis per vanam gloriam corrumpamus.

Porro ad illud, *et pœnæ militant in me*, ita pulchre *ibid.* S. Gregorius : « Consideratis, inquit, Dei testibus pœnæ militant in nos, quia dum miranda illorum facta conspicimus, vitam nostram, quæ ex eorum comparatione displicet, studiosa afflictione cruciamus; ut quidquid in nobis polluerunt opera diluant lamenta; et si quid adhuc culpa delectationis inquinat pœna mœroris tergat. Beatus igitur Job, quia vitam patrum præcedentium conspicit, quid in se gemere debeat subtilius agnoscit : » sic ille. Quid dignius, quid gloriosius, quam ut Dei milites non ad capiendas urbes, nec ad expugnanda regna terrena, sed ad convertendas animas sancta conversatione simus? quid illustrius, quam ut Deo cœlestes sedes implenti cooperemur, et Christum animas ad se vocantem sequamur? quid desiderabilius, quam vita nostra omnibus testatum facere quæ præmia bonos maneant, et quæ supplicia malos et iniquos exspectent? Hæc autem adipiscimur, cum exemplo vitæ omnibus nos cognoscentibus prælucemus : nam qui bonum exemplum aliis præbet miles est Christi, pro cujus gloria adversus peccatores pugnat; cujus militiæ laudator est S. Paulus I *Timoth.* I, 18 : « Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam : » fides quippe et bona conscientia ostensa sanctis actionibus potentissime pro Christo militat, et animas pravis moribus assuetas expugnat; qui bonum exemplum præbet cooperator est Christi, qui veluti ejus vox, quam nullus non audit, ad virtutem vocat, et quid malum sit, quid imperfectum manifestat, de se quippe et de aliis rectam vitam sectantibus dicere potest I *Cor.* III, 9 : « Dei sumus adjutores : » quia quod Dominus Scripturis sanctis et internis inspirationibus et prædicatorum vocibus dicit, ipse vita et actione suadet.

Bonis exemplis militandum adversus peccatores ut eos convertamus.

Qui alios vitæ exemplo ædificat testis est Christi.

Vers. 18. 18. QUARE DE VULVA EDUXISTI ME? QUI UTINAM CONSUMPTUS ESSEM NE OCULUS ME VIDERET. — Conqueritur se in miseram hanc lucem fuisse editum, quæ læti nihil aut jucundi, sed tristia dun-

http://www.obrascatolicas.com

taxat et acerba ei exhiberet, ac proinde optat magis se nunquam fuisse natum, aut saltem a nativitate statim exstinctum fuisse, ne tot tantisque, quibus assidue exercebatur, calamitatibus et doloribus obrueretur. Id ipsum iisdem pene verbis *supr.* cap. III, 11, queribundus petierat : « Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii? » etc.; unde hujus versiculi explanatio et illustratio petenda est : hic tantum.

Deus viros sanctus peculiariter educit a vulva.

Nota Deum in Scripturis peculiariter dici educere de vulva et extrahere ab utero viros sanctos, præsertim eos, quos prærogativa privilegii singularis adhuc in matris utero exsistentes ab originali culpa emundavit, ut S. Joannem Baptistam, et, secundum aliquos, Jeremiam; aut saltem ad illustre aliquod seu prophetiæ seu apostolatus aut simile in Ecclesia munus deputavit. Ac de Jeremia quidem et Joanne legimus *Jerem.* I, 5 : « Priusquam te formarem in utero novi te : et antequam exires de vulva sanctificavi te, et Prophetam in gentibus dedi te. » Quin et Isaias de se, quod et Joanni similiter appropriatur, ait cap. XLIX, 1 : «Dominus ab utero vocavit me : de ventre matris meæ recordatus est nominis mei : » nec dissimili ratione Paulus de sua ad apostolatum vocatione loquitur dicens *Galat.* I, 15 : « Qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus. » Sic etiam David in sua, et excellenter in Christi, quem præfigurabat, et cujuslibet justi persona loquens, ad Deum ait *Psalm.* XXI, 9 : « Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meæ; in te projectus sum ex utero, de ventre matris meæ Deus meus es tu : » eodem sensu alibi *Psalm.* CXXXVIII, 12 dixit : « Quoniam tu possedisti renes meos, suscepisti me de utero matris meæ. » Quæ omnia singularem et plusquam paternam Dei erga sanctos et electos suos curam ac providentiam eximie commendant; uti et illud ejusdem Vatis *Psalm.* LXX, 7 : « In te confirmatus sum ex utero : de ventre matris meæ tu es protector meus, » id est, in te stabilitus robur accepi, cum ex me infirmissimus essem, et vix natus protectione tua frui cœpi, cum adhuc te invocare non possem. Quæ sane haud exigua pars est laudis ac providentiæ Dei : qui enim nos de vulva educit, et de utero extrahit, confirmat, possidet, utique, ut *ibid.* Chrysostomus ait, κήδεται καὶ προνοεῖ, *et curam gerit, et providet*; hinc illa magnifica Dei pollicitatio ad spem et fiduciam erigentis *Isai.* XLIII, 1 : « Noli timere, quia te redemi, et vocavi te nomine tuo : meus es tu, » quæ verba dulcissima sunt, et mirifica jucunditate replent animum. Res Dei sumus, ad illum pertinemus; nocere nobis nemo potest, quin eo ipso Dei potentiam irritet, majestatem violet.

Cum ergo Job in summis afflictionibus constitutus solitam hanc Dei protectionem et consolationem minime perciperet, suaviter ita conqueritur, *q. d.* « Quare de vulva eduxisti me, » et antequam nascerer etiam providentiæ tuæ participem fecisti; et jam natum et virilem usque ætatem tam benevole educasti, et sollicite conservasti; si repente, post tot beneficia sane amplissima in me collata, ita destituas, et in summis tribulationibus omni penitus auxilio et consolatione orbatum relinquas, cum solus sis qui possis opitulari? Certe satius fuisset nunquam tot beneficia recepisse, quam sic accepta perdidisse, et cum extremis miseriis commutasse : gravior enim accidit post felicitatem adversitas, post ubertatem calamitas, post gaudia dolor : quare secundum humanum sensum, et appetitus sensitivi affectum, cui aliquantisper ut dolorem suum mitiget rationabiliter indulget, magis optat nunquam natus esse, vel aborsum fecisse, quàm jugiter cum tantis malis et doloribus conflictari; unde subdit :

Vers. 19. 19. FUISSEM QUASI NON ESSEM, DE UTERO TRANSLATUS AD TUMULUM. — Hoc nempe proprium est abortivi de utero transferri ad tumulum; et convenit hic versus cum illo cap. III, 16 : « Sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem, » ubi duplicem videtur ponere descriptionem, unam abortivi statim a nativitate mortui, et ideo a matris utero statim terra contecti; alteram abortivi mortui in utero priusquam nasceretur; utrovis modo significans se futurum minus infelicem et despectum a suis. Pulchre autem et docte dixit : « Fuissem quasi non essem, » siquidem abortivus pro non nato censetur in Jure l. III, Cod. *De posth. her. inst.*; et Paulus I, C. leg. *Qui mortui*, de verborum significatione, sapienter dixit : « Qui mortui nascuntur neque nati neque procreati videntur, quia nunquam *liberi* appellari potuerunt. » Huc spectat etiam illud Hippocratis de aborsu dicentis, ἐστὶ καὶ οὐκ ἐστὶν ὀκτάμηνος τόκος, *est et non est octimestris partus*: quamobrem etiam qui statim obiit, aut parum vixit, ac si non vixisset in Jure habetur; præsertim si ante nominis impositionem decedat: ideoque primis illis octo aut novem a nativitate diebus exspectari olim solet, ut, si vitalis partus esset, accepto nomine inter homines censeretur : nam qui sine nomine est est quasi non sit.

Abortivus censetur pro non nato.

Vers. 20. 20. NUMQUID NON PAUCITAS DIERUM MEORUM FINIETUR BREVI? DIMITTE ERGO ME UT PLANGAM PAULULUM DOLOREM MEUM. — Præcedenti versu Jobus impense optaverat non vixisse, et modo ardenter precatur vitam aliquantulum prorogari : ibi affectus sensitivi appetitus invaluit; hic ipse appetitus inferitu imminente sese contraxit, et pars hominis superior proximam mortem præsagiens piissima quadam ratione permota postulat inducias; ut si quid pecasset (non enim quod sibi culpæ conscius non foret ideo in tuto se positum censuit) lacrymis detergeret. Pulchre autem docet tam brevem esse vitæ humanæ durationem, ut possit dici

Vitæ summa brevitas.

ipsa *brevitas* et *paucitas* : non enim dixit, ut communiter dicere solemus, et ipse alibi dixit « Dies mei pauci finientur brevi; » sed : « Paucitas dierum meorum, » *q. d.* Eorum duratio tam pauca et brevis est, ut verius ipsamet paucitas et brevitas dici possit : eodem prorsus loquendi modo videmus Davidi non satis fuisse hominem appellare *vanum* et *inanem*, sed, ut omnia quæ dici poterant complecteretur, vocasse illum ipsam *vanitatem*, Psalm. XXXVIII, 6 : « Universa, inquit, vanitas omnis homo vivens, » qua dicendi phrasi significavit, in homine contineri omnium rerum vanarum et inanium vanitatem et inanitatem, hæc enim vis est nominum abstractorum, ut sæpe D. Thomas eleganter docuit. Similiter ergo S. Job rem totam concludere volens, non satis illi fuit dies hominis vocare *paucos*, sed ipsammet *paucitatem* nuncupavit, ut indicaret illos omnium rerum, quæ parum durant, brevitatem et paucitatem complecti : quare orat ut paululum sese remittat et hostium acerbitas et dolorum atrocitas, ut dolorem suum juxta miserorum consuetudinem legitimo prosequatur planctu, ne id sibi ab irato atque offenso Domino negetur, quod miserorum dolori negari non solet : ut sibi ipsi, quando funebre officium ab aliis sperare non potest, brevi illo spatio, quod reliquum est vitæ, exsequias impendat. Quod autem Vulgatus transtulit *ut plangam*, in Hebræo est, *confortabo me*; Chaldæus reddit, *recolligam me*; Septuaginta vertunt, ἐάσόν με ἀναπαύσασθαι μικρόν, *sine me requiescere pusillum*. Id est, paululum recreer et confirmer, ita ut consolationi mihi sit plangere mala præterita, et lacrymas fundere, quas jam nimius dolor compressas tenet.

Vers. 21 et 22. 21 et 22. ANTEQUAM VADAM, ET NON REVERTAR, AD TERRAM TENEBROSAM ET OPERTAM MORTIS CALIGINE : TERRAM MISERIÆ ET TENEBRARUM : UBI UMBRA MORTIS ET NULLUS ORDO, SED SEMPITERNUS HORROR INHABITAT. — Poetice describit regionem mortis, quæ vulgi opinione tenebris, miseriis et horrore scatet; neque ullus ibi ordo, cum neque ex ætate, neque ex censu, neque ex pietate, neque ex scientia, neque ex eloquentia, neque ex ullo certo capite citemur : ita Tirinus noster. Plurimi hæc ad litteram de umbrosis mortuorum sepulcris dicta accipiunt, a quibus neque horror neque caligo abest; sed placet magis cum Sanctio nostro, ut proprie hic de inferni pœnis agatur, quo gravissimorum Patrum et interpretum inclinat sententia. Ac in primis S. Hieronymus : « Quod terram, inquit, inferorum descripserit nulli dubium est : nullus ordo ibi est vitæ; tenebrosa est procul dubio velut carcer, in quem peccatores et impii, qui lucem odio habuerunt, et tenebrarum filii contrudentur. Quæ terra caligine mortis operta est, ut clausi in nocte æterna nullam pœnitentiæ lucem aliquando aspiciant. » Cum S. Hieronymo sentit S. Gregorius lib. IX *Moral.* cap. XLV et sequentibus, S. Thomas in II *Exposit.* S. Augustinus in *Annot. in Job* pœnas intelligit æternas; et indicat quod verum est illud, *antequam vadam*, idem esse atque *ne vadam* : sic enim exponit : « Vult requiescere antequam eat in pœnas æternas, ad hoc utique ut non eat : quemadmodum si dicamus alicui : Corrige te antequam damneris : non enim cum se correxerit damnabitur. » Per hanc itaque dicendi formulam, *antequam vadam*, etc., non significat sane se postea iturum, sed antevertit pœnitentiam, ne abeat; quam, antequam abiret, agere velle consilium fuit. Simili omnino sensu et loquendi ratione de S. Josepho et B. Virgine dicit Evangelista *Matth.* I, 18 : « Antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto, » quibus ex verbis non ducitur argumentum (ut *ibid.* bene probat S. Hieronymus) ut purissima Virgo et castissimus ejus sponsus postea convenerint; sed Scriptura quid factum non sit ostendit. Jam vero cum hoc plane casto Tartari timore bene concrevit spes descensus ad limbum patrum, ubi candidissimam Christi lucem decreto tempore apparituram firmius quam dici queat vir justissimus speravit. Cæterum hæc graphica est inferni descriptio, in qua notanda est quaterna tenebrarum repetitio, tenebræ, caligo, umbra et horror : tenebrosa sane terra est sine ullo vel minimo lucis radio : quia ignis ille calorem habet et concremat, lucem non habet, nec radiat, nisi quoad personæ tristes, ac vultus illi tetrici, et nocti similes, ut ait S. Basilius, videantur. Merito igitur illam Job vocat « terram tenebrosam, et opertam mortis caligine. » Per *mortis caliginem* intelligit hoc loco D. Thomas originale peccatum, et cætera mala pœnæ ac culpæ, quæ ex ipso proveniunt. Cogita igitur locum peramplum, et hunc totum repletum tenebris et peccato : locus etenim ille totus est velut massa peccati eumdem replens, ut quoquo te vertas non nisi peccatum videas, blasphemias et maledictiones audias : nam ut in peccato miseri moriuntur, sic in eo miserrime perseverant.

In regione mortis omnia sunt plena confusionis.

Joh prudenter sibi prospicit ante mortem pœnitendo.

Quadruplices in inferno tenebræ.

TERRAM MISERIÆ ET TENEBRARUM : UBI UMBRA MORTIS, ET NULLUS ORDO, SED SEMPITERNUS HORROR INHABITAT. — *Terram miseriæ et tenebrarum; miseriæ* quidem, inquit *ibid.* D. Thomas, quantum ad pœnas, quas ibi patiuntur damnati; *tenebrarum* vero, quantum ad earum principes qui ibi regnant : illa nimirum proprie est terra miseriæ, quam nulla sublevat misericordia; ibi edax flamma comburit, quos hic carnalis delectatio polluit, inquit Gregorius; terra tenebrarum, in qua ipsi principes tenebrarum dominantur. *Ubi umbra mortis*; D. Thomas, *similitudo mortis*; Albertus, *agonia perpetua mortis*; D. Gregorius, *erit miseris mors sine morte*: desiderabunt mortem, et mors fugiet ab eis : *mors depascet eos*, Psalm. XLVIII, 15. *Et nullus ordo*, quod per se solum potest infernum constituere : nam quid aliud proprie esse potest quam infernus locus, in quo nullus sit ordo? Non est ibi

Infernus locus miseriæ.

Locus confusionis.

http://www.obrascatolicas.com

ordo naturæ, quæ sine medio extremorum transitum non admittit, cap. XXIV, 19, ibi enim ab aquis nivium transeunt ad calorem nimium, id quod intensissimum auget dolorem, ex pugna scilicet extremorum, ut patet in manu gelidissima ad ignem admota : item ordo naturæ duo in eodem subjecto contraria in gradu intenso non admittit, sed ibi sunt multa contraria simul *Isai.* LXIV, 2 : « Aquæ arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis : sic calor et frigus, labor et otium, desiderium et odium ejusdem rei quam desiderant. Locus confusionis et Babylonia, ubi nullus ordo charitatis, nullus ordo pœnarum : ita enim, teste Gregorio, supplicia per Dei justitiam ordinata in mente damnatorum ordinata non sunt. *Sed sempiternus horror inhabitat :* si post millia millium annorum finem haberent pœnæ, felix faustumque vobis esset, o damnati : pœnæ vestræ non essent sempiternæ : si post millia millium ac millium annorum inciperent vel insensibiliter minui pœnæ, felices adhuc forent; « sed sempiternus horror inhabitat : » quamdiu divina justitia perdurabit, tamdiu durabunt pœnæ. « Justitia tua justitia in æternum » *Psalm.* CXVIII. O æternum! o æternum! « Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante, et cum ardoribus sempiternis? » *Isai.* XXXIII, 14.

Locus horroris æterni.

Pœnitentia non differenda usque ad mortem.

Hoc igitur prudens sit consilium in hoc genere, ut ante mortem tempestive pœnitendo delicta nostra expiemus in quo omnis mora dilatioque nimium periculosa est : nam multa hominum millia cunctando et differendo pœnitentiam rem funditus perdiderunt. Et si laudem in antiqua memoria Fabii cunctatio illa consecuta est, valeat in bello, ut temeritati via intercludatur, verum jaceat in pœnitentiæ castris et virtutum expeditione, in qua dictum aureum Alexandri Magni audiendum et sequendum est : qui potentissimus fortissimusque princeps cum rogaretur quonam modo tam brevi temporis intervallo universum orbem domuisset : Μηδὲν ἀναβαλλόμενος, *nihil cunctando,* inquit, nihil procrastinando. Hauserat dictum atque prudentiam forte a præstanti poeta Hesiodo, cujus in operibus illud est arcanæ sapientiæ præceptum, μὴ δ' ἀναβάλλεσθαι εἰς ἐπ' ἄῤῥιον, *non differendum in crastinum.* Denique nusquam est effatum illud verius quam in pœnitentia et virtutum actionibus, quod Herous in Historia vates Lucanus lib. I, cecinit :

Semper nocuit differre paratis.

Mors præmeditanda antequam accidat.

Hæc atque similia meditari oportet eos, qui sibi in vita atque morte consultum esse voluerint, ut non exspectent, donec caligine lumina obducantur, et sensuum vigor deficiat, et obsolescat usus rationis, sed occupent, et prope dicam experiantur illum statum priusquam eveniat : hoc qui sæpe in vita fecerit, multo erit in morte robustior ad sustinendam formidabilium rerum impressionem, et jucundum genus consolationis percipiet. Dictum est D. Cypriani *Epist.* 52, sane aureum, quod præstaret in omnium animis alte inscribi : « Nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum. » Est genus quoddam sapientiæ longe clarissimum, arsque una omnium excellentissima, bene mori : quæ subito atque uno die non discitur. De qua vere dici potest quod pronuntiat de bellica scientia Cassiodorus *Epist.* 40 : « Ars bellandi si non præluditur, cum necessaria fuerit non habetur. » Est ergo mortis præmeditatio necessaria, de qua pulchre S. Leo serm. 5 *De Jejun. sept. mensis* : « Hæc sollicitissima meditatio debet esse sapientis, ut quoniam breves dies istius vitæ, et incerta sunt spatia, nunquam sit mors morituro improvisa, nec inordinatum incidat finem, qui se novit esse mortalem. »

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sophar tertius amicorum tertio Jobum loco aggreditur, loquacitatis ipsum et jactantiæ incusans, quod se in conspectu Dei purum pronuntiasset, et immerentem affligi conquereretur; cum tamen secretorum Dei consiliorum ignarus longe minores quam pro merito suo pœnas penderet : ac proinde suadet, ut Omnipotenti cervices suas submittat, et inscrutabilia Dei judicia vereatur, et a delictis atque iniquitatibus suis resipiscat, tunc illi prospera omnia et secunda fore spondens.

1. Respondens autem Sophar Nahamathites, dixit : 2. Numquid qui multa loquitur, non et audiet? aut vir verbosus justificabitur? 3. Tibi soli tacebunt homines? et cum cæteros irriseris, a nullo confutaberis? 4. Dixisti enim : Purus est sermo meus, et mundus sum in conspectu tuo. 5. Atque utinam Deus loqueretur tecum, et aperiret labia sua tibi. 6. Ut ostenderet tibi secreta sapientiæ, et quod multiplex esset lex ejus, et intelligeres quod

multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua. 7. Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies? 8. Excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? 9. Longior terra mensura ejus, et latior mari. 10. Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei? 11. Ipse enim novit hominum vanitatem, et videns iniquitatem, nonne considerat? 12. Vir vanus in superbiam erigitur, et tanquam pullum onagri se liberum natum putat. 13. Tu autem firmasti cor tuum, et expandisti ad eum manus tuas. 14. Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te, et non manserit in tabernaculo tuo injustitia : 15. Tunc levare poteris faciem tuam absque macula, et eris stabilis, et non timebis. 16. Miseriæ quoque oblivisceris, et quasi aquarum quæ præterierunt recordaberis. 17. Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam : et cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer. 18. Et habebis fiduciam, proposita tibi spe, et defossus securus dormies. 19. Requiesces, et non erit qui te exterreat : et deprecabuntur faciem tuam plurimi. 20. Oculi autem impiorum deficient, et effugium peribit ab eis, et spes illorum abominatio animæ.

Vers. 1 et 2. Loquacitas quale vitium.

1 et 2. RESPONDENS AUTEM SOPHAR NAAMATHITES DIXIT : NUMQUID QUI MULTA LOQUITUR, NON ET AUDIET? AUT VIR VERBOSUS JUSTIFICABITUR? — Sophar hic Jobum loquacitatis arguit, quod vitium proprie a Gracis λαλιὰ dicitur : illud enim est, per quod non solum verba indiscrete, et, ut S. Chrysostomus ait, sine mente prolixeque effutiuntur; sed qui hac γλωσσαλγίᾳ loquendique morbo laborant loqui semper, tacere nunquam volunt, nec aliis loquendi respondendive tempus concedunt. A Platone autem sic definitur, λαλιά ἐστιν ἀκρασία λόγου ἄλογος, *loquacitas est intemperantia sermonis sine ratione,* ut cum v. g. seriis nugæ, profana divinis, in gravissimis disputationibus stulta et puerilia miscentur; excidunt multa quæ offendant, quæ dicentis existimationem minuant, quæ despicientiam et contemptum apud graves et prudentes viros concilient, ita ut videas « verborum quidem flumen, sed mentis guttam, » id quod festive Theocritus aiebat de Anaximenis oratione, loquacis hominis et inconsiderati. Isiusmodi ergo linguæ temulentiam Sophar hic Jobo temere impingit, dum illum multa loqui et nil audire asserit : est enim proprium loquacis et garruli velle omnia loqui, et nihil audire.

In Hebræo est, *numquid verboso non respondebitur? Et si vir labiorum justus erit?* quod Septuaginta sic vertunt, ὁ τὰ πολλὰ λέγων, καὶ ἀνταποδοθήσεται; ἢ καὶ ὁ ἴδιαλος εἴπαι εἶναι δίκαιος; *qui multa dicit, et vicissim audiet? aut etiam eloquens putat se esse justum?* Symmachus reddit, μὴ ὁ πολύλαλος ἀνανεῤῥητος ἔσται; id est, *numquid multiloquus,* seu verbosus, *hujusmodi erit cui non respondeatur?* Prioris ergo hemistichii sensus apud omnes interpretes est hujusmodi : An quia multiloquus es, ideo non erit qui tibi respondeat? persæpe namque accidit ut ad verbosi hominis orationem sileamus, eo quod loqui incipiens desinere non possit ἀπαύστως, *semper loquens.* Posteriori vero hemistichio significatur non esse insons, qui verbosus aut eloquens est, sed qui justam causam tuetur : nam garrulitate nemo se justum facit apud judices æquos et juris peritos. Quam sententiam hac ratione exponit S. Gregorius lib. X *Moral.* cap. II : « Neque fallacem quidem Sophar sententiam protulit, quod vir verbosus justificari nequaquam possit, quia dum quisque per verba diffluit, perdita gravitate silentii mentis custodiam amittit; » ubi expende illud, *mentis custodiam amittit* : est nempe silentium animæ custodia, qua ablata, necesse est ut in animam omnia vitia irrepant. Videtur autem S. Gregorius alludere ad illud *Gen.* III, 24 : « Ejecitque Adam, et collocavit ante paradisum voluptatis cherubim, et flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ : » est animus noster paradisus, quem ne peccata ingrediantur custodit silentium; quod quidem *cherubim* dicitur, quia qui silet multa pollet scientia, et *flammeus gladius,* qui vitia procul abigit. Vel forte etiam allusit ad illud II *Reg.* IV, 5 : « Et ostiaria domus purgans triticum obdormivit; ingressi sunt autem domum latenter assumentes spicas tritici, et percusserunt eum in inguine : » en tibi malorum caput, « ostiaria domus obdormivit. » Quid inde? ingressi sunt latrunculi, surripuerunt frumentum, id est alimenta virtutum, et occidunt Miphiboseth : ablato enim silentio ædificium virtutum ruit, et animus misere perit, uti pluribus ostendimus *supr.* cap. VI, 16, ubi animam loquacis et garruli stillatim perire declaravimus. Verum hoc ipsimet Sophar ac sociis evenisse idem S. Doctor lib. III *Moral.* cap. X testatus est : « Nam cum tacent, inquit, justi habentur; cum loquuntur, a Domino reprobantur; et præcipiti locutione perdiderunt bonum, quod multo labore mercati sunt, » ut non immerito in ipsos retorqueri possit calumnia, quam Jobo faciunt.

Silentium est animæ custodia.

Silens Cherubino similis dicitur.

3. TIBI SOLI TACEBUNT HOMINES? ET CUM CÆTEROS IRRISERIS A NULLO CONFUTABERIS? — Hic versus longe aliter in Hebræo et Græco sine interrogatione effertur; ac primum quidem hemistichium

Vers. 3. Variæ lectiones.

http://www.obrascatolicas.com

Interpretationem. in Hebræo sic habet, *mendacia tua mortales obmutescere faciunt*. Mendacia vocans, quod se justum diceret, nec ullius criminis reum aut affinem agnosceret : item quod profiteretur se nihil falsi dixisse, omniaque quæ locutus fuisset vera esse. Septuaginta vero longe alio sensu hoc interpretantur, εὐλογημένος γεννητὸς γυναικὸς ὀλιγοβίου, *benedictus natus mulieris brevis vitæ*. Quam sententiam accipiunt Græci ut ad Jobum refellendum pertineat, quod mortem sibi optasset; S. Augustinus vero refert ad sententiam Jobi, qua dixit benedictum esse eum qui non diu vixit, quasi ad eam Sophar hic alludat ipsum increpando, quod nimis temere de rebus soli divinæ providentiæ subjectis decerneret. Posterius vero hemistichium in Hebræo est, *subsannas, nec est qui afficiat ignominia*, q. d. Irrides nos, et sannis excipis, eo quod dixerimus te juste a Deo affligi; nec tamen quisquam te adhuc confutavit rubore suffundens : hoc Septuaginta transtulerunt, μὴ πολὺς ἐν ῥήμασι γίνου· οὐ γάρ ἐστιν ὁ ἀντικρινόμενός σοι, *ne multus sis in verbis : non enim est qui contradicat tibi*. Quod sic accipit Olympiodorus, *q. d.* Nugaris, quando agere cum Deo postulas : nam neque ille tibi respondere, neque nos fas esse judicamus. Sed acriorem longe reddit sententiam ista formula interrogandi qua Vulgatus utitur : « Tibi soli tacebunt homines? » etc.

Sophar Jobo indignatur temere. Non satis æquo scilicet animo ferebat Sophar tam longam Jobi orationem, qua et suam causam tuebatur, et amicorum objectiones aut depellebat aut elevabat : quare in hæc verba veluti defessus exspectando indignabundus erupit, *q. d.* Æquumne putas, o hominum audacissime, ut tibi libere atque procaciter verba jactanti contumeliosa et fatua obloquatur nemo? et cum aliis subamaris convitiis intemperanter illuseris, nemo tuam in loquendo libertatem coerceat, aut dicta insipienter prolata confutet? Age ergo temperantius, et considera apud quos viros incondite loquaris. Num deceat, ut te solummodo blaterante, alii tanquam ignari aut inertes conticescant? Num æquum sit, ut qui oratione prolixa, concitata, impietatis in Deum et arrogantiæ plena nos aspernari visus es, a nemine nostrum objurgeris? Profecto tua procacitas et audacia ferenda minime videtur; neque par est, ut ego tibi quæ commeruisti minime rependam. Ubi notandum occurrit intolerabile prorsus superborum hominum ingenium, intolerabile fastidium, quo illa reprehendunt et insectantur, quæ minus ad illorum sensum aut voluntatem dicuntur : irrideri se putant, si ad suam insaniam alii non connivent : imo si quæ dicta fuerant inscite et temere non laudant, etiam cum illis, si Deo placet, in publico ac legitimo foro injuriarum agunt. Nihil, ut vides, dixerat Jobus non modeste, nulla in re amicorum nomen aut dignitatem violarat; et liberius et contumeliosius acceptos ab illo amicos dicit fuisse Sophar; et tandem dignum, qui de se audiat non dissimilia; imo ut eo loco ac tempore confutetur acerrime ad pudorem usque.

Quale sit ingenium superiorum.

Vers. 4. 4. DIXISTI ENIM : PURUS EST SERMO MEUS, ET MUNDUS SUM IN CONSPECTU TUO. — Accusat Jobum arrogantiæ et tumoris in loquendo, ut qui se jactitasset neque verbis neque moribus labem ullam contraxisse; Septuaginta pro eo quod Vulgatus vertit, *purus est sermo meus*, reddunt, καθαρός εἰμι τοῖς ἔργοις, *purus sum operibus*; ex quo patet quam magna sit sermonis operisque cognatio, cum promiscue unum pro altero in Scripturis usurpetur. Purus ejus sermo est, cujus pura et munda operatio; falsi sunt, qui in puro sermone gloriantur, et se inaniter jactant, cum lutulenta eorum vita sit, fœculenti mores : eodem spectat hebraici nominis notio דבר *davar*, quæ sermonem simul et rem significat; unde illud *Psalm.* CXI, 5 : « Disponet sermones suos in judicio; » Marinus vertit *res suas*, facta scilicet et opera. Simili significatu alibi sæpe hoc nomen gaudet, ut statim colligeremus verba rebus vidua esse non debere, sed in opera vertenda, adeo ut ob necessarium nexum unius vocis complexu continerentur : eamdem ob causam eadem est *manus*, quæ symbolum operationis est, et *sermonis* affinitas, nam ubi Vulgatus in Proverbiis legit cap. I, 24 : *Extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret*, Septuaginta verterunt, καὶ ἐξέτεινον λόγους, *et extendebam sermones*; Symmachus τὴν χεῖρα habet, ut Vulgatus, nam ut vivus sit sermo, manus operibus debet animari atque fulciri. Hinc est quod dextera de lege quoque dicatur *Psalm.* CXLIII, 8 : « Et dextera eorum dextera iniquitatis; » Chaldæus vertit, *lex eorum lex falsitatis* : superiorum enim facta, sive proba illa sint sive improba, subditorum quædam lex esse videntur, adeo ut majorum exemplis minores quodammodo illigentur.

Sermonis purus qui operibus.

Verborum factorumque cognatio.

Munus et sermonis nexus.

Purus autem sermo hic idem est quod fidelis, verax, sincerus, quando is qui loquitur nullos habet cordis anfractus malitia implexos, veteratoria fraude simulatos, quos inobscuret et tegat oratio : quando cor et lingua symphonia dulci modulantur et concinunt, sibique respondent, hymnumque veritati et principi illius Deo assidue persolvunt; quæ candidi animi gratia est, et rationis in linguam prodeuntis et loquentis pulchritudo. Chrysologus sane præclare *Serm.* 57 : « Inter cor et linguam totum salutis humanæ versatur et geritur sacramentum; » totus fidei apparatus in iis reponitur, atque ex silentio et sermone textura fit quædam mirabilis, quam cœlum et terra mirentur, quod denuntiat Apostolus *Rom.* X, 10 : « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem : » neque mirum si doctissimus ille Pontifex huic negotio tribuat *sacramentum*, numen siquidem intervenit : cor Deo loquitur, os et lingua homini satisfaciunt, vel, ut verius dicam, utrumque nexum et religiose copulatum et Deo et humano generi

Cordis et linguæ debet esse concordia.

servit, disjungi et discordare non possunt, quin sancta veritas mundi regina fidesque violetur. In iisdem illis duobus ut aurcis in cardinibus non modo fides, verum et charitas et omne humanæ vitæ commercium volvitur : labante uno atque resoluto mystici corporis elegantissima species et decora structura subsidit, et ruinam molitur : nam quæ potest esse in eo charitas genuina et christiana, cujus cor ait, lingua negat? cujus pectus amaro felle obducitur, lingua melle sacharoque dulcescit? An non monstrum horrificum est hoc biforme, cœlo inimicum, hominibus odiosum, in corde strictum habere gladium invidia et crudelitate politum atque vibrantem; in lingua pacem amoremque ventilare? Pius Cantor regiusque Vates in hujusmodi monstra sæpe inciderat, quæ oratione sua pungebat, atque omni animo ac mente abominabatur, cum ait *Psalm.* XI, 3 : « In corde et corde locuti sunt; » hoc est duplici corde, ut Paphlagonicis videantur similes perdicibus, quas duplici corde constare Plinius lib. XI, cap. XXXVII, aliique prodiderunt : in quibus est omen insitæ malitiæ, quod illas maxime fraudulentas et afferre perniciem dicat Ælianus lib. X *De Anim.* cap. XXXV, et lib. XVI, cap. XV, ut non sit mirum, si ab Ægypto sapientes in hierographia sua, teste Pierio lib. XXIV, perdicem pro contumelioso posuerint. Sed quod natura in illis volucribus fecit, hoc improbitas atque scelus machinatur in hominibus, ut geminum cor præferant, verum unum, aliud fictum : illud tectum, et in arcano delitescens; quales *profundo corde* vocat Isaias cap. XXIX, 15; hoc in os promptum atque eminens, ad fallendum compositum, cor ementitum, non ut Aristomenis olim pilosum, sed perfidia malitiosum. Sed non talis Job, qui vel ipsiusmet Dei testimonio « erat vir simplex et rectus, » græce ἀληθινός, *verus*, sincerus, minime fucatus, ἀνυπόκριτος, *non*, ut ita loquar, *hypocriticus* (ut perperam de ipso tres hi amici sentiebant) omnia in eo clara, pura, simplicia, nihil dolose fictum, nullum oris animique tectorium, nihil tortuosum et fallax, nihil ad fraudem compositum; sed « sermo ejus purus, et ipse mundus in conspectu Dei. » Quod Apostolus nobis ante omnia commendat *Ephes.* I, 4 : « Ut simus sancti et immaculati in conspectu ejus, » hoc est Deo sacri, a terrena omni contagione vitioque purissimi, uno verbo sancti; et quod addit *immaculati*, in Græco ἄμωμοι, sic ut ne Momus quidem reperire possit aliquid in nobis, quod vel carpat aut irrideat. Præterea adjungit *in conspectu ejus*, ut intelligamus quæri a nobis sanctitatem non fictam, pictam et adumbratam, quæ fuco ambitioso et fallacia puerili hominum oculis judicioque serviat; sed veram probatamque Deo, quam alio loco idem Apostolus *Ephes.* IV, 24, *sanctitatem veritatis* appellat.

Mendaces et corde duplices Deo hominibusque exosi.

Perdices Paphlagonicæ sunt bicordes

Verbi hieroglyphicum versuti et contumeliosi.

Job maxime sincerus et rectus ac mundus in conspectu Dei.

Vers. 5. Sophar optat Deum loqui Jobo ipsumque convincere. 5. ATQUE UTINAM DEUS LOQUERETUR TECUM, ET APERIRET LABIA SUA TIBI. — Optat Sophar, ut ipsemet Deus Jobum alloquatur, et amicorum monitis minime acquiescentem compescat et confundat, sua illi crimina, ob quæ puniebatur, ostendens, ut longe majori illa supplicio esse digna cognoscat, ne se de sermonis ac operum puritate amplius efferat insolenter; et sic non de qualibet, sed judiciali locutione, seu sententiæ prolatione, qua Job reus ac sons declaretur, hæc intelligenda sunt. Septuaginta tamen ad familiarem cum Deo collocutionem referre videntur, quam Job exoptasse creditur, quando petiit, ut Deus videlicet deposita sua auctoritate se alloquio dignaretur, et secum tanquam cum pari ageret, eo quod nimis alioquin impar esset hominis cum Deo congressus, nisi se humanæ capacitati accommodaret; unde sic vertunt, ἀλλὰ πῶς ἂν ὁ Κύριος λαλήσαι πρός σε, καὶ ἀνοίξαι χεῖλη αὐτῷ μετὰ σου; *sed quomodo Dominus loquetur ad te, et operiet labia sua tecum?* quasi nimirum Sophar significet Jobum Dei alloquio prorsus indignum esse, ideoque illud frustra postulare aut exoptare; quibus sane verbis, habita personæ ac temporis ratione, haud leviter pungit ipsum, quasi Deus nunquam ei locutus sit; cum tamen istis temporibus non raro Deus viris justis appareret ac loqueretur, ut ex facta Eliphazo revelatione, quæ superius cap. IV describitur, et ex historiæ hujus decursu, sub finem præsertim disputationis, et aliis Scripturæ libris luculenter patet.

Sophar optat Jobum Dei alloquio indignum.

Quomodo Deus loqui et apparere hominibus soleat. De modo autem istiusmodi divinarum locutionum et apparitionum, de quo fuse disputant theologi, hoc breviter dici potest, eas ut plurimum fieri solitas per imagines et formas rerum sensibilium in phantasia repræsentatas, sive per somnium dormienti, sive per visionem imaginariam, vel etiam vere sensibilem, externis sensibus vigilanti objectam; quam communiter internæ illustrationes simul comitari solent, quibus res revelata melius percipiatur. Nonnunquam tamen viris perfectioribus et Deo charioribus perfectiori quoque atque eminentiori modo divinas allocutiones et revelationes accidisse ex Scriptura colligitur, et Patrum et interpretum auctoritate atque expositione comprobatur. Quomodo fere explicant illud *Num.* XII, 6 : « Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum : at non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est : ore enim ad os loquor ei : et palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt; » quibus verbis, juxta Bonfrerium, ex communi interpretum sententia Moysi cæteris prophetis eminentior prophetandi modus attribuitur, videlicet per intellectualem visionem et mere spiritalem allocutionem, absque imaginationis et formarum sensibilium admixtione aut interventu, quod significatur per illa verba : « Ore enim ad os loquor ei : et palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt. » Eam-

http://www.obrascatolicas.com

dem ob causam David quoque cæteris præfertur prophetis, qui imaginarias visiones sortiti sunt, quod ipse anagogice et pure immaterialiter sine phantasmatum velamento divina præviderit mysteria, et sacra cognoverit arcana *Psalm.* L, 8 : « Incerta, inquit, et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi; » et iterum II *Reg.* XXIII, 2 : « Spiritus, inquit, Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam : sicut lux auroræ oriente sole mane absque nubibus rutilat, et sicut pluviis germinat herba de terra; » quæ omnia simul summam quamdam Moysis et Davidis cum Deo conjunctionem familiaritatemque declarant.

Cæterum qua ratione Deus per internam allocutionem quæ vult nobis manifestet res est obscura, neque nostri instituti est eam theologice disputare; satis nobis esse debet Deo non deesse modos, quibus nos alloquatur, sive novo lumine indito, novasque, si necesse sit, rerum species imprimendo, ipsoque hominis intellectu utendo ad ipsius rei manifestationem, sive sopitam rerum antecedentium memoriam suscitando, ac veteres, si quæ sunt in animo, species ordinando. In perfectis certe Dei revelationibus atque locutionibus, quomodocumque tandem fiant, sive verbo sensibili et externo, sive imaginario et interno, sive spiritali et mere intellectuali : ita plerumque illorum, ad quos loquitur, mentem efformat, ut non solum res tanquam præsentes mentis oculis cernant; verum etiam a Deo se divinitus moveri sentiant, perinde affecti, ac si ipsum loquentem audirent atque intelligerent. Duo enim ad locutionem requiruntur, ut sit undequaque completa : unum, ut ad alterum conceptus dirigatur; alterum, ut ita dirigatur, ut per illam directionem alter in notitiam conceptus loquentis veniat, sive, ut ita quis loquatur, ut alter audiat, et rem de qua agitur percipere valeat. Utrumque igitur Sophar Jobo hic optare videtur, ut nimirum intelligat longe aliud esse Dei de se judicium quam ipse arbitretur.

Vers. 6. 6. UT OSTENDERET TIBI SECRETA SAPIENTIÆ, ET QUOD MULTIPLEX ESSET LEX EJUS, ET INTELLIGERES QUOD MULTO MINORA EXIGARIS AB EO QUAM MERETUR INIQUITAS TUA. — Sophar censet Jobum convictum iri, si cum Deo de sua integritate disputaret : quoniam si Deus ei semel infinita et inscrutabilia secreta detegeret, facile intelligeret Job longe diversa ratione Deum de nobis quam nos ipsos judicare, quia multa in nostrorum pectorum recessibus nos latent, quæ Deo aperta et manifesta sunt; quam Dei infinitam sapientiam, quod S. Paulus revereretur, prudentissime scripsit I *Corinth.* IV, 4 : « Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum : qui autem judicat me Dominus est; » et *Rom.* XI, 33, vehementer divinam sapientiam admiratur dicens : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? » David etiam ait *Psalm.* XXXV, 7 : « Justitia tua sicut montes Dei : judicia tua abyssus multa. » Quare dubium non est quin scientia atque sapientia Dei infinita vehementer vel virum debeat terrere sanctissimum : qua de causa dicit David *Psalm.* CXLII, 2 : « Non intres in judicium cum servo tuo : quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. » Et ipse Job cap. XLII, 3, postquam Deum secum loquentem audivit, reverentior et formidolosior factus, quosdam suos loquendi modos a rectæ voluntatis conscientia profectos reprehendit dicens : « Insipienter locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam. Audi, ego loquar : interrogabo te, et responde mihi. Auditu auris audivi te : nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere. » Non dubium igitur est, quin sapientissimum sit Sophari argumentum; ex illo tamen non concluditur quod ipse concludi vult, cum ait : « Et intelligeres quod multo minora exigaris ab eo quam meretur iniquitas tua, » id est, quod minores quam pro meritis pœnas pendas : certum enim est Jobum non ob scelera sua tot accepisse vulnera; sed ut ejus eximia et constantissima virtus omnibus plana et manifesta fieret, quare si Deus tunc sapientiæ suæ secreta detegeret, ut optabat Sophar, potius ipse quam Job pudore convictus suffunderetur, ut postea planum factum fuit cum Sophar et alii amici Dei jussu Jobum precati sunt, ut eis a Deo stultitiæ suæ veniam impetraret, quoniam non ita recte sicut ipse Job locuti essent. Ex quo intelligitur non minus admirabilem esse infinitam divinæ sapientiæ rationem in iis probandis qui hominum judicio condemnantur, quam in iis damnandis qui multorum sententiis probi et integri habentur : imo profecto longe majora judicia immensæ magnitudinis suæ illo quam hoc modo exhibuit. Ut ex Jesu Christo Salvatore nostro cognosci potest, qui una populi voce ad supplicium postulatus, et iniqua judicis sententia tam nefariæ libidini permissus : Dei tamen judicio non solum innocentissimus fuit, sed etiam eximia ejus innocentia ad omnium reorum salutem per se vique sua manavit. Quem hominum in re tanta errorem nonnihil amicorum Jobi error præfiguravit, narraturque *Isai.* LIII, 4 : « Nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo, et humiliatum : ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. » Quocirca valde moderati homines esse debent in ferendis de aliorum improbitate sententiis.

Multa nos latent quæ Deo aperta sunt.

Mirabilis Dei sapientia in iis probandis quos homines condemnant.

Porro *multiplex* lex Dei dicitur, id est multa exigens, multa præscribens, multis rationibus fulta, multum obligans, ac proinde multis quoque modis in eam peccatur : in Hebræo autem pro *multiplex* est כפליים *chiplaim*; id est *duplicia*; et pro voce *lex* est תושיה *thusiah*, quæ vox generalior est, *q. d.* Dei ratio, sapientia, æquitas, justitia, judicia (hæc enim omnia significat) multiplicia sunt, ac proinde longe te superant et fugiunt.

Lex multiplex.

Lex charitatis quomodo sit una et multiplex.

Tropologice S. Gregorius lib. X *Moral.* cap. IV, hæc explicat de lege charitatis, quæ unica cum sit, si tamen mentem plene ceperit, hanc ad innumera opera multiformiter accendit; sed necesse est ut prius nobis interius loquatur Deus, et labia suæ lucis nobis aperiat, ut arcanum ejus occultissimum et utilissimum cognoscamus; arcanum autem illud est, legem charitatis esse *multiplicem*, et ad omnia præcepta valere : verba S. Gregorii sunt ista : « Lex enim Christi quid congruentius intelligi quam charitas potest? quam tunc vere perficimus, cum fraterna onera ex amore toleramus; sed hæc eadem lex *multiplex* dicitur, quia studiosa sollicitudine charitas ad cuncta virtutum facta dilatatur. » Ad omnia sane protenditur facta virtutum, quia velut magistra sapientissima in nostris cordibus clamitat *Tob.* IV, 16 : « Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias; » et rursus verbis summæ veritatis exhortatur *Matth.* VII, 12 : « Quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis : » *primo* consilio charitas a malis nos avocat; *secundo* vero ad bona nos provocat : « In his autem duobus tota lex pendet et prophetæ. » Hæc enim tantum postulat Isaias cap. I, 16 : « Quiescite agere perverse, discite bene facere; » et fructum hujus rei subdit : « Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur : et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. » Cum ergo dilectio declinet a malo, et faciat bonum, ad quæ duo omnia legis divinæ et humanæ præcepta referuntur; jure optimo *multiplex* dicitur, quæ mirabiliter præceptorum multitudinem ipsa custodit. Sed hæc vide fusius a S. Gregorio ad hunc locum explicata, ubi per inductionem eadem prolixius ostendit. Cum ergo fraterna dilectio sit omnium mandatorum custodia, bonarum actionum compendium, et universarum virtutum finis, ac plane simul cum dilectione Dei spiritualis vitæ perfectio : merito Christus eam *suum* vocat *mandatum* dicens *Joan.* XV, 12 : « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. » Jure optimo hanc legem in manu sua tollere gloriatur, ut scriptum est *Deuter.* XXXIII, 2 : « Et in dextera ejus ignea lex. » Non tantum habet Christus hanc legem in *corde*, fratres suos, hoc est nos omnes, tenerrime diligens; non tantum in *ore*, verbis et doctrina dilectionem edocens; sed etiam in *dextera* operibus exhibens, ut non decipiamus nosipsos, existimantes corda esse igne charitatis accensa, si verba sunt detractionis plena, et opera felle indignationis referta : « et ut diligamus non verbo neque lingua, sed opere et veritate, » I *Joan.* III, 18.

Lex charitatis dum jubet declinare a malo et facere bonum, cuncta præcepta complectitur.

Lex charitatis lex Christi.

Vers. 7. 7. FORSITAN VESTIGIA DEI COMPREHENDES, ET USQUE AD PERFECTUM OMNIPOTENTEM REPERIES? — Docet Deus humana intelligentia comprehendi non posse; *vestigia* autem *Dei* appellat creaturas, quas pulchra metaphora S. Dionysius Areopagita *Cœlest. Hierar.* cap. II, § 4, ἀπτύσματα appellat, id est *ultimos soni sibilos*, ubi echo quasi desinit, eo quod subobscure nobis Deum et improprie repræsentent, ac quasi vestigium aliquod exhibeant, e quo in obscuram, qualem de Deo in hac vita habere possumus, cognitionem deveniamus : in creaturis enim Deus velut vestigia sui impressa relinquit, ut ibi signa quædam divinæ mentis, rationes scilicet ordinatissimæ gubernationis, deprehendi possint; et quidem possunt pro exiguo mortalium captu rationes eæ investigari, et ex parte inveniri; comprehendi vero minime. Ecquis enim rationes exhauriat, cur vel minimus lapillus ad hanc figuram, quantitatem, pondus, colorem, duritiem, et cum hac illave proprietate creatus fuerit? Patet profecto nihil sine divinæ mentis præscriptione fieri; at in re quantulacumque tot insunt rationes adeo mirabiles, ut a mortalibus pernosci non valeant. Quapropter ex his Dei vestigiis evincitur minus multo posse Omnipotentem usque ad perfectum reperiri, hoc est exacte cognosci : etenim si quæ incorporeæ substantiæ sunt et simplices, et intellectiles et unitæ, non solum non subjiciuntur sensibus, ut angeli et animæ, ut per eos cognosci possint, sed neque per sensilia, quæ inferioris ordinis sunt, cognitione eas comprehendere, nec earum essentiam spectare possumus; quanto magis excellit Deus sensus et sensilia, qui non est substantia, sed supra substantiam; neque simplex, sed supra quam simplex; neque intellectus, sed supra intellectum; neque unitas, sed supra unitatem; nec ullo termino circumscriptus, sed infinitate sua omnibus solutus, qui ut in se est neque ratione investigari, nec intelligi, neque nominari potest, ut S. Dionysius Areopagita *De Div. Nom.* cap. I et alibi passim docet.

Deus non nisi ob scura ex creaturis cognosci, sed minime comprehendi potest.

Hinc Joannes Cyparissiotus in præmeditatione *Expos. mater.* primum hoc ponit axioma, « unum esse Deum, impartibilem, infinitum, expertem coloris, inaspectabilem, ex nulla naturali repræsentatione cognitum, qui notionem, quando aut quomodo sit, omnino repellit : quem nullo modo quavis parte mens capere potest, nisi tantum per fidem ex creaturis ejus quod sit, non autem quid sit. » Ex nulla, inquit, naturali repræsentatione cognoscitur Deus, sicut v. g. lapis cognoscitur per speciem et similitudinem quæ est in oculo; quia ἀνείδεος est, ut S. Dionysius ait, id est *omni specie caret* et similitudine : ipse enim nullius creaturæ similitudinem habet, nec habere potest. Deum itaque non cognoscimus videntes, quod est cognoscere ἐποπτικῶς, sed ἐπιστητῶς ex creaturis per rationem, id est ex similitudinibus Dei, quæ in creaturis cernuntur, cognoscitur Deus, non quid sit, sed quod sit. Quomodo igitur reperiatur, quem nihil eorum quæ notescunt declarat?

Deum solum cognoscimus quod sit, non quid sit.

Nihil hic Deum re-

http://www.obrascatolicas.com

præsentat prout est.

non forma, non color, non circumscriptio, non figura, non quantitas, non qualitas, non locus, non conjectura, non similitudo, non proportio: quin potius semper est extra omnem viam comprehendendi; unde optime concludit S. Dionysius magis propriam theologiam esse quæ versatur in negantibus quam quæ in aientibus, quanquam æquo intervallo ambæ istæ theologiæ a Deo absint. Est enim Deus supra omnem negationem et affirmationem, quæ sit cognitio ejus; adeoque juxta Dionysium verior est theologia mystica, nihil videlicet de eo cognoscere aut philosophari, sed potius nescienter, et sine omni intelligentia eorum quæ intelligentia percipiuntur, cum eo per fidem, spem et charitatem conjungi ac copulari. Vide plura de hac re apud S. Dionysium lib. *De Myst. Theol.*, et nostras *ibid. Annot.*

Deus incomprehensibilis intellectu.

Dicitur autem Deus incomprehensibilis quadruplici ratione, *primo* quidem *intellectu*, quia nullus creatus intellectus, quantumvis sublimis, potest viribus naturæ illum attingere, ita ut illum clare videat, aut cognoscat sicut in se est; sed quantumvis ascendat mente in altum, semper infinite aberit ab ejus clara cognitione; quin imo nec ulla mens creata etiam cum lumine gloriæ quantumvis magno potest illum comprehendere, hoc est ita illum cognoscere, ut nihil ipsius lateat intuentem seu cognoscentem. Semper enim infinita, imo infinities infinita restabunt, quæ distincte non cognoscentur seu concipientur, nempe infinitæ rerum notiones et conceptiones, infinitæ rerum complacentiæ ut ad res possibiles terminantur, infinita decreta conditionata, infiniti modi quibus essentia divina est imitabilis. Et quamvis hæc omnia a mente creata in Deo distincte viderentur per lumen aliquod gloriæ, quale est animæ Christi (quod omnino est impossibile) adhuc tamen Deus proprie et perfecte non comprehenderetur: quia illa cognitio claritate non adæquaretur essentiæ divinæ, nec per eam cognosceretur Deus tam perfecte et clare quam est cognoscibilis; sed infinite ab hac claritate deficeret, cum sit finita; unde ei non adæquaretur, nec esset perfecte comprehensiva, sed solum secundum quid, nempe quoad multitudinem objectorum, non quoad claritatem et perfectionem cognitionis. *Secundo* est incomprehensibilis *affectu*, quia nulla mens creata potest illum amare, honorare, æstimare, laudare, revereri, quantum dignus est; sed ipse omnem amorem, honorem, æstimationem, laudem, reverentiam omnis creaturæ, etiam omnium beatorum, infinite superat, juxta illud *Eccli.* XLIII, 30: « Gloriantes ad quid valebimus? Ipse enim omnipotens super omnia opera sua. Terribilis Dominus et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis: major enim est omni laude: exaltantes eum replemini virtute. Ne laboretis: non enim comprehendetis. » *Tertio* est incomprehensibilis *tempore*, quia cum sit æternus, est ante omnem durationem conceptibilem, et quidem sæculis infinitis: similiter est post omnem durationem conceptibilem sæculis infinitis, uti Lessius pulchre et fuse explicat *De Divin. Perfect.*, lib. IV. *Quarto* est incomprehensibilis *loco*, quia cum sit immensus, nullo spatio quantumvis magno concludi potest: vide *ibid.* Lessium lib. II; et de hoc sequenti versu ait:

Deus est incomprehensibilis affectu.

Deus incomprehensibilis tempore et loco.

Vers. 8 et 9.

8 et 9. EXCELSIOR COELO EST, ET QUID FACIES? PROFUNDIOR INFERNO, ET UNDE COGNOSCES? LONGIOR TERRA MENSURA EJUS, ET LATIOR MARI. — Pulchra sane periphrasi nobis ob oculos ponit immensitatem Dei quatuor usus dimensionibus, altitudine, profunditate, longitudine, latitudine rerum corporearum, quas novimus maximarum; ex quibus ad incorpoream Dei naturam per excessum construit argumentum. Dicitur autem Deus immensus ratione magnitudinis et extensionis, quia nimirum ita in omnem partem sursum, deorsum, antrorsum, retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum extenditur, et quasi diffunditur; ut nullis locorum spatiis, nullis terminis circumscribi queat. Quæ res est valde stupenda: cogita extra mundum spatium mille leucarum in omnem partem extensum, adhuc ulterior est Deus: cogita mille milliones leucarum, Deus ulterior invenitur: cogita tot milliones leucarum quot arenæ in omnibus littoribus, quot guttæ in omnibus aquis, imo quot pulvisculi necessarii ad implendum totum universum, adhuc Deus infinitis leucarum millionibus ulterior exsistit, idque perfectissime et completissime, nempe in tribus personis, et cum omnibus suis perfectionibus, opibus et donis, quæ in ipso eminenter continentur. Denique nullum spatium tam magnum ab ulla mente creata concipi potest, quin Deus infinite sit major, et infinite extra et ultra illud in omnem partem diffundatur; non per partes sicut aer, vel aliud corpus, sed per se totum, et per suas, ut ita loquar, totalitates sicut spiritus; ita ut in puncto quolibet totius spatii sit totus non quasi fluctuans et mobilis, sed firmiter prorsus et immobiliter tanquam omnium fundamentum. Tota magnitudo universi respectu magnitudinis et extensionis Dei est instar unius parvæ guttæ ad Oceani immensitatem, vel unius pulvisculi ad vastitatem totius mundi, ut insinuatur *Sap.* XI, 23, ubi dicitur: « Tanquam momentum stateræ sic est ante te orbis terrarum, et tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram: » imo ut verius dicam, nulla inter Dei et universi magnitudinem et extensionem est proportio, cum magnitudo extensionis divinæ infinite excedat non solum magnitudinem universi, sed etiam omnem magnitudinem ab intellectu creato conceptibilem. Neque his obstat quod magnitudo corporalis et spiritualis non videantur posse comparari, quia etsi non possint comparari in natura, possunt tamen in ratione extensionis, ut passim philosophi et theologi tradunt de anima et corpore, de angelis et eorum locis adæquatis: plura de his vide Lessium lib. II *De Perfect. divin.*

Qua ratione Deus immensus sit et rebus omnibus coextensus.

Hanc divinæ immensitatis cœlum terramque adimplentis et ubique præsentis magnitudinem admiratus atque reveritus David, eodem quo hic Sophar sensu exclamat *Psalm.* CXXXVIII, 6: « Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum ades: si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, » etc.; ubi per *cœlum* quoque et *infernum*, divini Numinis altitudinem profunditatemque, et per *diluculum* et *extrema maris*, longitudinem latitudinemque ad captum nostrum accommodate designat; ad quem locum ita pulchre S. Chrysostomus in *Cat. Patr. Græc. in Psalm.*: « Quo, inquit, a te proficiscar? omnia imples, omnibus ades non per partes, sed omnibus simul totus. Et non dixit: *Quocumque abiero sequeris me; sed, Quocumque abiero tu illic es*; illic te invenio me prævenientem; » unde probat neminem esse qui possit evadere manum Dei, quia videlicet Deus ubique est, et omnia penetrat atque pervadit, sic ut nullus locus sit, ac ne cogitari quidem possit, quem Deus non repleat, in quo præsens divinæ mentis amplitudo non reperiatur. Hinc etiam *Jerem.* XXIII, 24: « Numquid non cœlum et terram ego impleo? dicit Dominus. » Hujus sententiæ vim simili quopiam seu exemplo exponere cupiens Mercurius Trismegistus, ait Deum circulum esse, cujus centrum ubique sit et circumferentia nusquam; at S. Augustinus lib. VII *Conf.* cap. V, hanc omnium rerum universitatem velut spongiam cogitabat, quam undique mare infinitum ambiret ac penetraret; sic vero hunc mundum occupat, ut loco nullo divina mens definiatur et claudatur, sed simul, uti modo dictum est, in omni spatio, quod ulla fingi cogitatione potest, versetur, quod de spatiis extra mundum infinitis gravissimi theologi asserunt, et fortassis hoc loco Sophar insinuat, cum Deum cœlo excelsiorem pronuntiat; hinc quoque S. Dionysius Areopagita lib. *De Div. Nom.* cap. III, Deum ait esse vim et substantiam ἀπαντταχῆ παρεῦσαν καὶ οὐδαμοῦ, *ubique præsentem et nusquam*; D. Athanasius eodem sensu, ἐν τοῖς πᾶσι καὶ ἔξω τῶν ὅλων, *in omnibus et extra omnia*, quod Isidorus Hispalensis lib. I *De Sum. bon.* cap. II, erudite in hunc modum illustrat: « Immensitas divinæ magnitudinis ita est, ut intelligamus eum intra omnia, sed non inclusum; extra omnia, sed non exclusum; et ideo interiorem, ut omnia contineat; ita exteriorem, ut incircumscripta magnitudinis suæ immensitate omnia concludat, » etc. Pii viri hoc genere meditationis plurimum proficiunt, cum præsentem ubique Deum cogitant et verentur. Multosque scimus a scelere et maleficio revocatos quod adorandum omnibus Numen adesse cognoscerent, cujus fallere oculos aut ultricem criminum manum effugere nulla ratione possent. Sane potentissimum est hominibus frenum, quo usus David in magna fortunæ licentia suum animum componebat. Divine S. Leo Serm. 5 *De Quadr.*: « Ista ergo, inquit, scientia summi Judicis, iste est tremendus aspectus, cui pervium est omne solidum, et apertum omne secretum; cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, et sine voce mens loquitur. » In eodem genere considerationis versatus Minutius Felix ita profitetur: « Ubique non tantum nobis proximus, sed infusus est. » Diserte quoque ac eleganter S. Bernardus serm. 6 *De Dedic. Eccles.* ait: « Deus ubique est non diversus, sed diversa distinguens, apud homines malos præstolans atque dissimulans; apud electos operans et servans; apud superos pascens et cubans; apud inferos arguens et condemnans. » Quare quis sceleratus vivens in Dei præsentia non erubescat, ne dicam exhorrescat?

Deus omnia replet, et ubique præsens est.

Quomodo sit homo cœlum, infernus, terra et mare, et Deus hæc omnia excedat.

Tropologice S. Gregorius lib. X *Moral.* cap. VII: « Cuncta, inquit, hæc ad solum hominem referri possunt, ut ipse sit *cœlum*, cum jam per desiderium summis inhæret; ipse *infernus*, cum tentationum suarum caligine perturbatus in infimis jacet; ipse *terra*, quia in bono opere fixæ spei ubertate fructificat; ipse *mare*, quia in quibusdam trepidus quatitur, et aura suæ mutabilitatis agitatur. Sed *cœlo* est *excelsior* Deus, quia potentiæ ejus magnitudine vincimur, etiam cum super nosmetipsos elevamur; *inferno profundior*, quia nimirum plus judicat quam ipse humanus animus in tentationibus investigat; *terra longinquior*, quia fructus vitæ, quos in fine retribuit, nequaquam nunc vel spes nostra comprehendit; *mari latior*, quia humana mens fluctuans multa de iis quæ ventura sunt conjicit: sed cum jam cernere quæ æstimaverat cœperit, angustam se fuisse in sua æstimatione cognoscit, » etc. Eleganter quoque Cyprianus lib. *De Idol. vanit.* de vero Deo loquens: « Hic est, inquit, unicus mundi rector, qui universa quæ sunt verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat; hic nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari, sensu major est; et ideo sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. »

Vers. 10.

Potentia Dei admirabilis in rebus producendis, conservandis et destruendis.

10. SI SUBVERTERIT OMNIA, VEL IN UNUM COARCTAVERIT, QUIS CONTRADICET EI? — Admirabilem divinæ potentiæ vim gloriamque deprædicat, quam tantam esse ait, ut totam hanc universitatis molem nutu et voluntate contineat, quam, si Deus vellet, posset uno momento in nihilum redigere: præterea, quod maxime potentiæ magnitudinem arguit, hanc eamdem machinationem tam vastam, tam partium dissimilitudine variam et compositione mirabilem, conservato omnium ordine et integritate, non modo in nuce includere, quod de Iliade Homeri fuisse factum memoravit Plinius lib. VII, verum et in punctum coarctare posset.

http://www.obrascatolicas.com

A Deo non est exigenda facti ratio.

Quod si fecerit, inquit Sophar, quis contradicet ei? quis poterit inficiari, aut dicere : Cur ita facis? Stultarum quippe mentium est divinæ potentiæ quidquam derogare, aut rationem a Deo exigere, cur hoc vel illud faciat, etiamsi rerum mutet et inverlat naturas, si diffusa coarctet, et compressa et coarctata dissolvat et distrahat. Quare illi contumeliam inferunt Deo non vulgarem, qui negant posse Deum Christi corpus in hostia exigua ponere, quod genus stultissimæ impietatis an illudendum sit magis, an lugendum nescio, cum pueriliter negent Deo potentiam, et se funesto exitio perditum eant. « Quis loquetur potentias Domini? » ait Psaltes *Psalm.* CV, 2, vel, ut est in Chaldæo, *quis poterit eloqui fortitudines Domini?* Ita vocat opera mirabilia et gloriosa, ad quæ necessaria est immensa quædam potentia atque fortitudo; quam *brachii potentiam* Virgo parens in cantico suo *Luc.* I, 51, nominavit: eamdem potestatem præconio suo exornans Judas apostolus ita infit *Jud.* XXV : «Soli Deo gloria, et magnificentia, et imperium, » etc., quod ait *magnificentiam*, græce μεγαλωσύνην, Syrus interpres reddit *potentiam* : itaque ipsam magnificentiam Cajetanus ait esse factivam magnorum operum. Nihil certe potest homo vel angelus mente concipere, et depingere cogitatione, quamlibet novum, peregrinum, insolens, operosum, mirabile, quod Deus efficere non possit, si modo non involvat contradictionem; imo vero multo plura et majora, et perfectiora, atque pari facilitate, qua totum hoc universum perfecit verbo, nutu, voluntate. Potest mundum infinitis partibus nostro hoc majorem vastioremque efficere, in quo cœlum, terra, mare, atque hic complexus omnia orbis pilæ instar ad beatorum spirituum voluptatem et recreationem jactetur. Etiam mundos innumerabiles posset condere inexplicabili creaturarum varietate, quæ ab his quas videmus infinitis rationibus discriminentur; alias invenire species tum elementorum, tum animantium, tum etiam intelligentis naturæ: quæ species natura, perfectione et pulcherrimis dotibus cogitationem omnem nostram anteeant. Denique quanta est sapientia Dei, quæ exemplaria et ἰδέας possibilium rerum innumerabiles continet, tanta est illius vis et in efficiendo potentia, et amplam illam mentis intelligentiam exæquat, uti cap. IX 4 declaravimus.

Potentia Dei est infinita ejusque sapientiæ simpar.

Deus aliquando dat extraordinaria potentiæ suæ specimina.

Cæterum sicut magni solent artifices animi causa ingenii sui dare specimina, ut intelligatur quid in eo genere possint, si quando serio agere et contendere animum voluerint : sic numinis interminata potentia ludit in orbe terrarum, et scenam velut inducit insuetæ majestatis : nam cum lubet solem sistit, ab æthere flammas devocat ad maleficia hominum punienda; aperit fontes abyssi, et involvit orbem; aufert spiritum principum; delet momento innumerabiles hominum legiones; in tumulo putrefactos sensu et vita et pulchritudine vestit; superbissimum et gloriosissimum dæmonem, cum spiritus sit, corporato igne torquet, et mirabilius affligit; denique subest cum voluerit posse. In quæ intendens meditationem animi sui S. Petrus apostolorum coryphæus monet I *Epist.* V, 6, ut humiliemur sub potenti manu Dei; et Christus *Luc.* XII, 5, ut eum timeamus, qui potest animam mittere in gehennam. Hæc sane meditatio divinæ potentiæ ad concipiendam Numinis admirationem, justissimum metum ac reverentiam potest sine dubio plurimum; quam proinde sancti omnes adhibuerunt. Notandum hic pro verbis illis : « Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, » in Hebræo esse, *si succidat, et concludat, aut congreget*; Septuaginta vero ἐὰν δὲ καταστρέψῃ τὰ πάντα, *si everterit omnia*, solummodo traducentes, reliqua duo verba tanquam hoc uno comprehensa prætermiserunt; quod nimirum verbum *evertendi* generieum sit, omnem excisionis et eversionis modum comprehendens. Vulgatus autem interpres et genus et unum præterea verbum transtulit, alterum prætermisit, nimirum *et concludat*, quod et genere et subjecta specie continebatur. Oportet igitur intelligere quem evertendi modum Sophar subjiciat, si congreget atque claudat : nam cum rerum distinctione compositus et ornatus fuerit orbis terrarum, quod si omnia in unum locum ab eo compellerentur, fieret illa indigesta moles et rerum confusio, quam *chaos* Græci nominarunt, quæ magna esset orbis terrarum eversio, quam præstare facile potest is qui distinxit et informavit universum. Declarat igitur Sophar scientiam Dei infinitam cum infinita etiam potentia esse conjunctam, ac proinde temerarium esse cum eo velle judicio decertare. Quod Job non ignorabat, imo luculentius de summa Dei scientia atque potentia cap. IX, 4, disputavit dicens : « Sapiens corde, et fortis robore, » etc., ejusque fortitudinem e rerum creatione demonstravit : quare hoc argumentum minime refutat eum, qui non potentia et scientia sua, sed veritate et honestissimorum consiliorum conscientia fretus audet apud optimum judicem suam causam agere.

Deus facile posset omnia subvertereet in chaos redigere.

Absolutissimum Dei in res omnes dominium.

Porro illa verba : « Quis contradicet ei? » significant neminem prorsus esse qui possit Deum impedire, aut cui teneatur facti sui rationem reddere, quod supremum et absolutissimum ejus in res omnes dominium arguit, quo omnia essentialiter ipsius sunt tanquam ipsius opera et figmenta, quæ ipse sua sapientia excogitavit, et omnipotentia ex nihilo formavit, et ad suam gloriam aliquo modo repræsentandam et insinuandam exstare voluit; ac proinde de omnibus pro suo arbitrio potest disponere, cum omnia ab ipsius nutu et libera voluntate omnibus momentis dependeant; nec ullum habeant esse, nisi quod ipse pro sua liberalitate in illa infudit. Itaque longe plus juris et potestatis habet in totum universum, in omnes angelos et homines, quam quilibet dominus in suum jumentum, figulus in figmentum, homo in actiones suas liberas : quia nec dominus suum jumentum a se habet, nec figulus lutum, artem, ignem, industriam, quæ illi ad ollam conficiendam necessaria sunt, nec homo facultates, quibus actiones suas perficit : Deus autem omnia a semetipso habet, quæ ad rem ipsam perficiendam et obtinendam pertinent, cum omnia nihil sint aliud quam liberæ ipsius operationis externæ terminus intrinsecus, quo fit ut ipsius dominium sit infinitæ perfectionis, nec ulli creaturæ communicabile, nec ulla res creata extra ipsius dominium constitui aut sui juris effici possit, cum essentialiter a Deo tanquam primo principio et ultimo fine pendeat.

Vers. 11. 11. IPSE ENIM NOVIT HOMINUM VANITATEM, ET VIDENS INIQUITATEM NONNE CONSIDERAT? — In Hebræo est, *nam ipse novit homines vanitatis*, id est *vanos*; epitheton sane convenientissimum : nihil enim vanius homine, qui non solum vanus, sed ipsa vanitas est, juxta illud regii Psalmistæ *Psalm.* XXXVIII, 8 : « Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens : » hebraice est כל הבל *col hebel*, ita ut vox *universa* sit feminini generis per constructionem substantivi et adjectivi, *q. d.* Omnis homo vivens est *universa vanitas*, id est *vanissimus* : ita ut omnis creaturarum vanitas et miseria in humana specie quodammodo aggregetur, atque omnis vanitatis omnium creaturarum aliquid aut totum habeat homo, dum quæ in aliis est dispersa, in eo uno simul invenitur atque colligitur; græce tamen alia est constructio, πλὴν τὰ σύμπαντα ματαιότης, *verumtamen omnia vanitas*, quod aliqui exponunt per eclipsin κατὰ, q. d. *Per omnia est vanitas omnis homo vivens*; sed simplicior est hebraica constructio, ut sit sensus : Omnis homo vivens est mera, summa et perfecta vanitas, ita ut non sit ficta, vel putatitia, sed vera certaque vanitas; nec particula duntaxat aut portio aliqua vanitatis, sed universa, tota quanta et integra vanitas. Nam ut homo est quodammodo omnia; siquidem cum omni creatura quidpiam commune habet, scilicet esse cum inanimatis, cum plantis vivere et vegetari, cum brutis appetere, sentire, moveri, cum angelis intelligere, ratiocinari, velle, meminisse : ita eorumdem quoque simul omnium participat et continet vanitatem, cum rebus enim animæ expertibus, corruptelæ casibus, et cœli, elementorum, locorum, temporum et variorum accidentium corporeorum injuriis est obnoxius : cum viventibus variæ mutationi et instabilitati, nec non accretionis, decretionis, nutritionis, corruptionis, mortis et interitus necessitati vel invitus subjacet : cum sentientibus universam sensuum et sensibilium affectionum et dolorum ac cruciatuum molestiam percipit : cum angelis alternationem, volubilitatem et mutabilitatem cogitationum, voluntatum, studiorum, rationum, consiliorum experitur. Quin imo longe superat horum simul omnium vanitates et inconstantias : nam præter curas vitæ varias et ancipites, hoc habet proprium, ut non uni peccatorum generi, sed variis, multiplicibus atque adeo innumeris pene subjaceat, ita ut vanitatum et miseriarum omnium epitome seu compendium merito dici possit; hinc alio loco idem Psalmographus *Psalm.* CXLIII, 5 : « Homo, inquit, vanitati similis factus est, » quod Theodotion vertit, ἀτμίδι ὡμοιώθη, *vapori similis factus est*, cui similis est illa *Jacob.* IV, 14, sententia, quam a regio Vate sumpsisse videtur : « Quid est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens : » quid vilius eo quod in modum vaporis dissipatur, et ad nictationem oculi nusquam comparet? Homo vere vanitati similis dicitur, cujus sicut umbra dies præterunt, ut sicut nihil vanitate inanius, nihil umbra instabilius est ita humanam vitam et inanem et instabilem et brevissimam esse discamus.

Homo vanitas et vapor.

Quomodo homo sit universa vanitas.

Ut igitur hanc hominum vanitatem melius perspectam habeamus, et veram nostri ipsorum notitiam, quæ ad bene vivendum prorsus necessaria est, acquiramus, considerandum nobis ante omnia, et attenta cogitatione pensandum, quid sit homo, aut quid omnino possit; atque hic loquatur ipsa natura, et confundat superbi animalis inanissimam opinionem et temorem, si quis sit qui sibi aliquid magni esse videatur. Homo ex nihilo subito emicuit obstetricante manu Dei, in nihilo prosapia ejus, in nihilo ut proprio insidet, in eodem vis illius omnis atque potentia, et si breviter definire lubet : « Homo est nihil imbecillitate vestitum. » Quod si vere gravissimi theologi dixerunt, physiologiam secuti, potentiam sequi ad esse, qui per se nihil est, quid magnopere per se possit? itaque divinæ Litteræ hominem vocant meram vanitatem, idolum, mendacium, imaginem, umbraticam speciem et fugientem, rem videlicet inanissimam, uno verbo nihil. Vates regius velut e sacro tripode loquens, plenus Deo : « Verumtamen, inquit *Psalm.* VI, 9, vani filii hominum : mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum; » quod in Hebræo paulo illustrius in rem nostram hoc modo legitur, *vanitas filii hominum : mendaces filii hominum in stateris, ad ascendendum ipsi præ vanitate in idipsum*, id est filii hominum non solum vanitas sunt et mendacium, verum etiam positi in statera cum ipsa vanitate ascendunt præ vanitate, ac per hoc leviores et magis vani sunt quam ipsa vanitas. Quæ est elegantissima amplificatio, inquit Bellarminus; nec minus eleganter homo dicitur *mendacium in stateris*, qui se videlicet ponderans magni æstimet familiari mendacio, cum sit larva tantum picta et humana pellicula colorata, quam si sustuleris, reperies nihil et ipsamet vanitatem. Quin, inquit David : « Ipsi de vanitate in idipsum, » e nihilo orti ipsi et vanitate, in eamdem ipsam pondere suo atque nutu recidunt et revertuntur, ni molitor omnium Deus impediat. Alio loco pius Vates nominat eumdem *imaginem*, picturam videlicet umbratilem et evanescentem, quæ visa celeriter evolet ab oculis, et

Homo est nihil vanitate vestitum, et merae vanitas.

Homo mendacium, et imago umbratilis.

http://www.obrascatolicas.com

tendat in nihilum *Psalm.* LXXII, 20 : « Imaginem ipsorum ad nihilum rediges. » Et pari gratia *Psalm.* XXXVIII, 7 ait : « Verumtamen in imagine pertransit homo : » ita vocat imaginariam vitæ pompam et speciem inanissimam auri, argenti, voluptatum et volaticæ gloriæ, quæ velut, inquit, somnium surgentium evanescunt. Multus est cum divinis aliis viris sacer Hymnopœus in hac veritate inculcanda, qui cum multa et illustria in eamdem rem dixisset, et paucis vellet omnia complecti, non potuit exaggerare magnificentius et sublimius quam cum dixit *Psalm.* XXXVIII, 6 : « Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens. » Neminem excipit : *Omnis homo*, inquit, *vivens*, dum vivit, dum viget et floret, vel, ut est proprie in Hebræo, נצב *nitsab*, hoc est *dum stat*, dum firmiter consistit ; qui nixus adamantino fundamento videatur, potens et gloriosus, nihil est aliud nisi universa vanitas, sive universitas vanitatis, quidquid enim in illo est, robur, sanitas, pulchritudo, opes, dignitas, potentia, totum fragile et momentaneum est ; fatuos ignes imitatur aeris ardore expressos in tenui materia, subito lucent, subito emoriuntur. Et notandum est, in hac parte sacræ philosophiæ exponenda fere semper a Davide magno consilio adhiberi particulam *verumtamen*, ut e tribus hic allatis a me locis constat ; quæ nimirum sit index intercalaris sententiæ in omni genere sermonis, qui de vita humanisque rebus instituitur, repetendæ. Si quis tibi mirabundus occinat, ille est dynasta potens, dives, honoratus, rex, imperator, summus pontifex, etc. ; tu continuo suggere : « Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens. » Ecce tibi in theologia doctor omnium ore celebratus, hic subtilis argutusque philosophus ; ille orator in dicendo summus, Gallico Herculi par aut Suadelæ ; ille in jure interpretando clarissimus : « Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens. » Vides pompam, et gloriæ bullas et bracteatam felicitatem puerili fuco imbutam, aureamque fortunam esse reris, et suspicis : averte paulisper oculos, tum in idem spectaculum eosdem reflecte ; quem prius stantem et efflorescentem mirabaris, videbis ruentem et flaccescentem : omnis ille vitæ cursus stuppeus funiculus est e vanitatibus contextus, cum ipsa vanitate ut vapor tenuis perit et vanescit : ita Cresollius noster *Anthol.* cap. XIII. Plura de hoc argumento eleganter conscripta vide apud Tollenarium nostrum toto libro quem *Specul. vanit.* inscribit sive *Eccle. carm. ac Pro. diluc.*, potissimum autem cap. I et cap. VIII.

Homo universitas vanitatis.

Dicit igitur Sophar Deum, cum sapientissimus sit, hominum vanitatem exacte cognoscere, hoc est, tales non esse homines quales sibi videntur : quare non verebitur cum illis disceptare, quos arrogantia inflatos ac deceptos esse cognoscit. Quod autem addit : « Videns iniquitatem nonne considerat? » magis placet, quam quod ex Hebræo nonnulli sine interrogatione convertunt hoc modo, *videns iniquitatem, et eum qui non intelligit* ; quomodo etiam Chaldæus et Septuaginta interpretes intellexerunt vertentes, ἰδὼν δὲ ἄτοπα οὐ παρέψεται, *videns autem absurda non connivebit*, id est, hominum crimina judicio reservabit. Quod valde horribile Davidi videbatur cum diceret *Psalm.* CXXIX, 3 : « Si iniquitates observaveris Domine, Domine, quis sustinebit? »

12. VIR VANUS IN SUPERBIAM ERIGITUR, ET TANQUAM PULLUM ONAGRI SE LIBERUM NATUM PUTAT. — Causam quodammodo reddit cur erigatur ; quia nimirum vanus est, sic arboris rami vacui eriguntur ; fructibus vero pleni incurvantur : in Hebræo est איש נבוב *isch nabub*, id est, ut Pagninus vartit, *vir vacuus* ; Tigurina, *inanis* ; Regia, *concavus*. Quemadmodum *Exod.* XXVII, 8, altare *nabub* dicitur *inane* et cavum intrinsecus, non solidum : ita vir *nabub*, qui magnificis verbis insolentius gloriatur, est homo concavus et inanis, vacuus cerebro, dolium sonans ; in quo nihil solidæ sit prudentiæ aut virtutis. De quo hæc communis opinio est, aut esse arrogantem et odiosa superbia tumidum, aut puerili vanitate ridiculum ; hæc autem superbia in loquendo maxime se prodit ; unde Septuaginta hic legunt, νήχεται λόγοις, *natat sermonibus*, quod Scholion exponit θρασύνεται, id est *thrasonem agit*, seu inaniter se jactitat. Quæ jactantia seu gloriosa venditatio multis modis prodi et ostendi solet, qui omnes a sapientibus atque bonis repudiantur. Deterrimum est illud genus, quo quis vitia jactat sua, quod non turpe modo est, verum et insaniæ proximum. Eleganter Pindarus, excellentis judicii poeta, *Olymp.* od. 5, καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν μανίαισιν ὑποκρίνει, *gloriari intempestive insaniis consonat*. Est plane ea stolida et impudens gloriatio, et eorum tantum propria, qui propter scelerum frequentiam pudorem omnem ex animo timoremque Numinis ejecerunt, quales a Salomone describuntur *Prov.* II, 14 : « Qui lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis. » Nulla major insania dici potest.

Vers. 12.

Homo superbus est vacuus et inanis.

Stulta est in malis gloriatio.

Inducit velut in theatrum ejusmodi quosdam juvenes D. Augustinus, quorum caput cum vento plenum esset, atque nequitia inobscuratum, non videbant se captare gloriolam ex iis velle, quæ pudenda maxime et ignominiosa videri debuissent ; eo vero progrediebatur levissimorum adolescentium vecordia, ut quidam fingerent se patrasse quod non consciverant, ne minus forent gloriosi, quo magis casti et innocentes, atque ut laude, ut quidem opinabantur, illos æquarent, qui gnaviter et impunita audacia se in maleficium ingurgitaverant. Quibus et similibus dicere possumus quod S. Paulus Corinthiis, inter quos fuit quidam impurus, qui nefario et publico se flagitio polluerat : cui tamen cives sui favebant, atque adeo illo, tametsi scelerum maculis notatissimo, gloriabantur, quod esset doctrinarum varietate mirifice excultus, et de numero sapientum. Sed reprimit eorum hominum vanitatem non exper-

Cum impudentibus putet non esse impudentem.

tem stultitiæ et impietatis Apostolus II *Corinth.* V, 6 : « Non est, inquit, bona gloriatio vestra. » Quæ cum litteris prodita sint divinitus ad componendos hominum mores et retinendam modestiam, et in manibus oculisque versentur, mirum est tamen reperiri etiamnum quosdam in christiana politia, qui ob scelus se nefarium venditent, et eo ipso glorientur, quod peccaverint. Videas quosdam qui superbe et gloriose eos numerent, quos singulari certamine obtruncaverint ; in quo ipso Ecclesiæ leges, et supremi Numinis majestatem jusque omne et divinum et humanum violavissent : alios qui jactent a se offusas tenebras judicibus, ut litem obtinerent, quam jure perdebant : non neminem triumphantem, quod vendita sententia, et prostrata æquitate, multis et pretiosis donis familiam suam locupletaverit : quosdam etiam, qui velut facinus palmarium prædicent, fucum a se factum virgini aut matronæ. Quæ omnia sunt ejusmodi, ut appareat in schola dæmonis eruditos, cujus proprium est et probare scelus et promovere.

Mala in sceleribus gloriatio.

Est aliud hominum genus non tam quidem malum et sceleratum, sed quorum tamen sermo haud exiguam animi vanitatem superbiamque redoleat : si quid enim de se loquantur aut suis, omnia mirabilius amplificant, et in cœlum tollunt : in quo non modo reprehendi solent ut aucupes inanissimæ laudis, verum etiam quidam ludibrio sunt, atque omnium irrisione luduntur, cum rebus ipsis oratio non respondeat. Ea causa gentes quædam male audiunt, quæ se atque sua ita crepant, et magnificæ linguæ bombo attollunt in dicendo, ut arcem e cloaca faciant, et e musca elephantum. Vitium illud dici καυνότητα prodit Aristoteles lib. II *Ethic.* cap. VII, quæ a nobis *elatio animi* nominatur, et deflectit a magnitudine animi in extremum vitiosum. Quanquam in eo quod rem extollunt supra omnem veritatem, hæc vanitas eodem Aristotele auctore ἀλαζονεία dicitur, hoc est *arrogantia*, et ἀλάζων, *arrogans* : qui magnificis sermonibus utitur et inanissima pompa verborum ad mendaciter ea prædicanda et sublimius ornanda quæ ad se pertinent : res non modo christiana moderatione indigna est, verum etiam apud omne hominum genus reprehensa, qui morum elegantia et honestate capiuntur. Præfectus urbi Symmachus lib. X *Epist.* 22, minuti animi putat esse indicium : « In magnos, inquit, animos non cadit affectata jactatio. » Pusillorum est artificio quodam adjuvare staturam suam, et se in ungues erigere, ut majores videantur, ita illi qui stolido sunt ingenio et gloriolæ appetentes, cum desint quæ vere laudent, tumorem affectant et granditatem, suaque omnia in majus amplificant : quæ quanta vanitas sit quis non videat? Ad majorem autem istiusmodi hominis stoliditatem declarandam subdit :

Vanitas est aucupari laudes, et res proprias commendare.

Pusillorum est gloriolam captare.

Onager

ET TANQUAM PULLUM ONAGRI SE LIBERUM NATUM PUTAT. — *Onagrum*, id est asinum silvestrem, stoliditatis symbolum præ se ferre superius declaravimus cap. VI, 5, ubi ejusdem proprietates vide fusius explicatas et moralizatas. Hic tantum nota similitudinem istam hominis vani, vecordis, insani, qui superbit, et vitæ commodis abutitur more junioris aselli silvestris per campos licenter excurrentis ; cui sors hæc libertatis et cujusdam a jugo immunitatis nativa est ; eleganter quidem quadrare in plurimos alios divinæ legis jugum excutientes, ac si ad laborem nati non essent ; in Jobum tamen minime convenire, quem his ipsis verbis proinde Sophar temere suggillat, cum legis divinæ fuerit observantissimus ac timens Deum.

Onagrum symbolum hominis vani, vecordis et insani.

13. TU AUTEM FIRMASTI COR TUUM, ET EXPANDISTI AD EUM MANUS TUAS, — *q. d.* Quid mirum si non exaudiaris, cum obduratus maneas in superbia tua, nolens confiteri peccata, propter quæ tam graviter puniris : animadverterat nimirum Sophar Jobum inter dicendum varias formas induere, nunc conquerentis nunc supplicantis ; et opinatus illum erronea sententia deceptum adversus divinam providentiam obduruisse, carpit ipsum, quod nequiter orarit externo gestu, interno depravatus affectu, quem Deus ab orantibus potissimum requirit. Affectus quippe pius orationis medulla et veluti anima est, quem Deus cordium scrutator potissimum intuetur, sicut respexit prius ad Abel et continuo ad munera ejus, non curaturus alioquin munera Abelis magis quam sacrificium Caini, nisi animum Abelis mitem piumque vidisset : est enim omnino certum externos orandi ritus gestusve, dum animus pius absit, nullius apud Deum momenti esse. Sed temerarie omnino Sophar tam malam de Jobo opinionem habuit, cum animum semper mitem gesserit, et cor suum devotissime Deo sacrificarit, uti *supr.* cap. I, 5 declaratum est.

Vers. 13.

Affectus pius est medulla orationis.

Notandus hic antiquissimus orantium habitus, quo passis seu expansis, hoc est in altum mediocriter erectis et extentis manibus precari consueverunt : id fieri a christianis cupiebat D. Paulus, et suadebat I *Timoth.* II, 8, ut orarent in omni loco « levantes puras manus : » *puras* vocat, non judaico more ablutas, sed, ut est in Græco, ὁσίους, *sanctas*, castas, innocentes, nulla peccati sorde contaminatas. Tertullianus cum de oratione disserit *manus innocuas* appellat. Hunc gestum natura ipsa docuit, tum expolivit ratio, et virorum sapientum exempla monitaque celebraverunt ; nullaque fuit natio aliquo genere pietatis erudita, quæ non tollendas in precando manus tacita Numinis præsensione duceret, « Habitus orantium hic est, inquit Apuleius, ut manibus extensis in cœlum precemur : » itaque veterum antiquissima sacra, quæ nominantur *Orgia*, nomen habuisse volunt ab ὀρέγειν, quod est ἐκτείνειν τὰς χεῖρας, *manus extendere*, vel, ut poetæ sæpe canunt : « Tendere supinas ad cœlum cum voce

Antiquissimus ritus expandendi manus in oratione.

Orgia unde nominata sint.

http://www.obrascatolicas.com

manus. » Christiani autem hoc adminiculo pietatis vario modo usi sunt, ut e libris doctissimorum hominum intelligimus : ut plurimum manus efferebant, quod modice faciendum monet Tertullianus, non ut furiosi faciunt, qui supra caput jactant manus, sed ea prope ratione, qua videmus uti pontifices ac sacerdotes in divinis aræ mysteriis obeundis : qui gestus ipsius orationis vim et contentionem multum juvat, nam animus aliarum rerum oblitus, et vix terræ corporisque memor velut alatis manibus gestit in cœlum atque ad Deum contendere. Præterea sic orans significat se cupide ad Dei præsidium ut ad sacram anchoram et parentis optimi sinum confugere, quemadmodum pueri parvi metu aliquo debilitati protensis manibus ad gremium parentis sui accurrunt, aut qui medio in naufragio versantur tendunt manus ad amicum sospitatorem. Cum enim in periculo constituti alicujus opem implorantes ramus, motu plerumque subito naturaliter manus extendimus ; quod quia in oratione frequenter accidit, hinc ab ethnicis etiam talis habitus inter orandum adhiberi solitus reperitur, juxta illud Virgilii XI *Æneid.* :

Extensio manuum multum juvat ad attentionem.

Alicujus opem implorantes solent manus extendere.

> At pater Anchises oculos ad sidera lætus
> Extulit, et cœlo palmas cum voce tetendit.

Sic et Ovidius lib. I *De Trist.* quemdam navis gubernatorem in naufragii periculo a Deo auxilium implorantem describens ait :

> Ipse gubernator tollens ad sidera palmas
> Exposcit votis, immemor artis, opem.

Quin et Scipio lib. IV apud Silium Italicum in simili periculo :

> Sic supplex geminas tendens ad sidera palmas
> Tellurem noctemque et cœlo sparsa precatur
> Astra.

E quibus patet *manuum elevationem* tam apud sacros quam apud profanos auctores solemnem esse precantium habitum ; hinc *expandere manus ad Dominum* tum *Exod.* IX, 29, tum alibi passim in Scripturis pro *orare* ponitur. Ad hæc, cum manus sint organum organorum, ut post Aristotelem D. Thomas docet, quarum vim et usum in tribus potissimum experimur, scilicet in dando, in agendo, in repellendo : qui manus pie in orationibus ad Deum attollit, quidquid est ei tradere penitus et committere videtur, et velut cum Davide animam in manibus suis habere. Vide plura cap. XVI, 18.

Expandere manus ponitur pro *orare* in Scripturis.

Manus sunt organum organorum.

Cæterum tam Hebræus quam Septuaginta huic versui particulam conditionalem *si* præposuerunt, quam mirum est cur omiserit Vulgatus : sic enim est in Hebræo, *si tu præparaveris cor tuum, et expanderis ad eum manus tuas*, quod Septuaginta transferunt hoc modo, εἰ γὰρ σὺ καθαρὰν ἔθου τὴν καρδίαν σου, ὑπτιάζεις δὲ χεῖρας πρὸς αὐτὸν, *nam si tu mundum posuisti cor tuum, extendis autem supinas manus ad eum.* Hortatur nimirum Sophar Jobum, ut ad Deum redeat non ficte aut simulate, sed corde, hoc est sincere : Deus enim cor requirit in oratione, id est pium precantis affectum, nec non puras manus, id est actiones, quarum symbolum sunt manus, omni scelere vacuas. Id quod disertius explicans et Jobo adhuc magis inculcans subdit :

14 et 15. SI INIQUITATEM, QUÆ EST IN MANU TUA, ABSTULERIS A TE, ET NON MANSERIT IN TABERNACULO TUO INJUSTITIA : TUNC LEVARE POTERIS FACIEM TUAM ABSQUE MACULA, ET ERIS STABILIS, ET NON TIMEBIS. — Per *iniquitatem*, quæ manibus attribuitur, peccata externa designat ; et per *injustitiam*, quæ in tabernaculo, hoc est in corde, commoratur, delicta interna et necdum ad opus prodeuntia significat. Si ergo, inquit, interius et exterius te a peccato mundaveris, et puritatem in te virtutis expresseris, faciem coram omnibus confidenter levabis, quia nihil erit, propter quod debeas pudore suffundi ; sed constans et firmus eris in accepta justitia, nec timebis astu dæmonis ab illa detrudi. Præscribit hic Sophar orandi modum, jubetque primum manus tergere, ne quid mali orator operetur ; deinde injustitiam e domicilio animoque ablegare, quod ad affectum corrigendum attinet : ita pulchre S. Gregorius lib. X *Moral.* cap. XI, locum hunc exponit : « Prius a manu iniquitatem subtrahi, et post a tabernaculo admonet injustitiam abscindi : quia quisquis jam prava a se opera exterius resecat, necesse profecto est, ut ad semetipsum rediens solerter sese in mentis intentione discernat, ne culpa, quam jam in actione non habet, adhuc in cogitatione perduret ; » unde si posterior cogitationum moderatio tanquam difficilior expetitur, per quam puritas animæ nostræ stabilitasque completur, merito post mortificationem operum et desideriorum etiam inanium adhibenda est compressio cogitationum. Hinc S. Apostolus I *Timoth.* II, 8, jubet « orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione : » in Græco est χωρὶς λογισμοῦ, *sine multiplici cogitationum varietate*, quæ distrahat mentem et conturbet : nam de mentis evagatione id sumit S. Ambrosius lib. VI *De Sacram.* cap. V. Illos autem in precibus irreligiosos græci Patres nuncupare solent διψύχους, *animo duplices* ; qui mentem, quam in eo genere pietatis Numini uni votam et consecratam habere oporteret, in varia eaque alienissima discerpunt ; hinc illud Ignatii claro martyrio coronati scribentis ad Diaconum Heronem : « Ne sis in oratione δίψυχος, *animo ambiguo* et discerpto, » subdit, μακάριος ὁ μὴ διαστάσας, *felix cui præsens ibi animus et certus contigit* : sine dubio a beatis apostolis id sumpserat, quorum ista Constitutio lib. VII, cap. XII, a Clemente proditur : Μὴ γίνου δίψυχος ἐν προσευχῇ σου, *ne sis duplex animo in oratione tua.* Qua eadem voce D. Jacobus utitur cum eum reprehendit, cujus mens in oratione divulsa et dissipata est : vocat enim hominem

Vers. 14 et 15.

Oranti exterior interiorque purificatio adhibenda.

Ad orationem requiritur puritas affectuum et cogitationum.

δίψυχον, *duplicis animi* et distracti *Jac.* I, 8 ; et, ut evangelii *Luc.* XVI, 41, verbis utar, turbati circa plurima ; cum tamen e doctrina Servatoris tum maxime unum sit necessarium ; quam labem cupiebat a se demoliri David, cujus princeps palmariumque negotium fuit precatio : sic enim Deum alloquitur *Psalm.* LXXXV, 11 : « Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum ; » S. Hieronymus vertit ex Hebræo, *unicum fac cor meum* ; quemadmodum etiam Symmachus ἕνωσον, *aduna cor meum* ; Aquila vertit, *sit cor meum* μοναχῶς, *unice*, sit ab omni alia cogitatione secretum, sit liberum ab humilium rerum affectione, ut tibi, sanctissime Deus, quantum quantum est uni serviat, te unum in precibus intueatur, tecum omni animi impetu copuletur, totum denique sit tuum, nullam partem humanæ curæ et cogitationes sibi vendicent.

Duo fundamenta bonæ orationis.

Hic duo quædam fundamenta collocanda sunt bonæ orationis, quorum Patres meminerunt, quorum unum est, neminem esse oportere tam creatoris omnium Dei tamque sui oblitum, ut volens atque e certo animi proposito mentem a Deo revocet, et deflectat ad alias cogitationes. Hoc primum velut orationis præceptum dat S. Gregorius Nyssenus cum de scopo christiani disputat : Μηδαμοῦ κατὰ τὴν διάνοιαν ἑκουσίως περιπλανᾶσθαι, *nunquam sponte cogitatione circumvagari* : hoc enim foret præpotentis Numinis injuria, cujus præsentis adorandam majestatem qui non veretur, dedecorat, et sceleris importuni fraudem concipit. Alterum est, debere omnes qui ad precandum accedunt motus animi et aliarum humilium rerum affectiones deponere, si quæ mentem occupaverunt. Hæc videtur illa esse dispositio, quam Ecclesiastici auctor sapienti quodam admonito suo requirit cap. XVIII, 23 : « Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum : » sunt enim quidam ita vanis cogitationibus assueti curisque intenti communium rerum et negotiorum, ut perpetuo illas in mente circumferant, similes Theophilo medico ægrotanti, de quo refert Galenus lib. III *De Sympt. differ.* cap. III, qui cum prudens aliis in rebus et consideratus esset, tamen audire et videre se putabat canentes in cubiculo tibicines, et eos sonos de die, de nocte assidua cogitatione versabat : medici opinor ἀπαθίαν dicerent, hoc est *invaletudinem perpetuam* ; cujus item meminit alio in loco Galenus lib. I *De Dieb. decret.* cap. VI. Debent igitur precaturi turbulentos animi sui motus diligenter pacare, et ab æstu illo negotiorum et curarum in placidum quietis portum succedere ; quod qui faciunt « levare poterunt faciem suam absque macula, » id est, qui antea demisso capite ex conscientiæ remorsu languebant habitu læto erigentur, cœlumque Dei subsellium fidentius suspicient, bonoque affectu et gestu orabunt. In precibus enim manus oculosque attollere pium est, et sanctis viris usitatum : quare Tertullianus in *Apolog.* cap. XXX, ait christianos « in cœlum suspicientes manibus expansis » orare consuevisse. Contuitus ille si religiose fiat et amorem incendit, et fiduciam auget, et cum oculis animi votum adjungit ad Patrem qui in cœlis est, ut dicere nos et cogitare Servator hominum Deus edocuit : id Vates pius eodem spiritu eruditus faciebat, et proprium id amantium filiorum servorumque bonorum esse ait *Psalm.* CXXII, 1 : « Ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis. Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum : ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum. » S. Martinus illo intuitu mirifice recreabatur, et fructum eximiæ devotionis capiebat, et in lecto, ubi felicissime ad beatam vitam migravit, supinus voluit ea gratia consistere, ut in æternum beatorum domicilium intenderet, ubi cor fixum et spes omnes sitas habebat. Eusebius lib. IV *De Vita Const.* cap. XV, memorat in nummis tabulisque pictis fuisse expressum Constantinum passis manibus oculisque in cœlum elatis : quod vocat τὴν ἐμὴν σχῆμα, *precantis habitum* et compositionem.

Religiosa orantis compositio.

Cæterum pro verbis istis : « Tunc levare poteris faciem tuam absque macula, » Septuaginta reddunt, οὕτως γὰρ ἀναλάμψει σου τὸ πρόσωπον ὥσπερ ὕδωρ καθαρόν, *sic enim fulgebit facies tua tanquam aqua pura*, quod ad bonum, nitidum et lucentem habitum orantis, non internum modo, sed etiam externum pertinet : fit quippe species vultus orantis altera, ut cum Christus in vertice Thaboris oravit, ac luculentissime facies ejus resplenduit, ut videatur quædam lucis divinæ in faciem orantis immissæ reflexio. Quod vero ad internam spectat faciem, apposita satis est aquæ puræ similitudo, nam dum orat animus similitudinem quamdam Dei ipsum spectantis animum concipit, qualis a tranquilla puraque aqua reddi solet, ita nimirum qui cor suum ab omni affectione turbida emundavit, in propria pulchritudine imaginem divinæ naturæ perspicit : mensura enim perspicientiæ Dei, quæ a nobis capi potest, in nobis est ; igitur qui se ipse videt, in se quod desiderat videt, atque ita mundus corde efficitur beatus, cum intuens in suam munditiem, in imagine sua videt exemplar. Unde patet quam necessaria sit illa cordis mundities ad veram contemplationem : de qua vide quæ diximus tom. II S. Dionysii in *Isag. ad myst. theol.*, et quæ *ibid.* ad cap. I S. Dionysii annotavimus.

Fulgor spiritus interdum redundat in faciem orantis.

Puritate cordis Deus conspicitur.

Sedatio passionum tribuit fiduciam orationi.

16. MISERIÆ QUOQUE OBLIVISCERIS, ET QUASI AQUARUM QUÆ PRÆTERIERUNT RECORDABERIS. — Quod si, inquit, vere resipueris, dignosque fructus pœnitentiæ protuleris, ea tibi accedet rerum abundantia, ea instauratæ et in meliorem statum renovatæ familiæ, valetudinis et existimationis antiquæ vicissitudo, ut non amplius superioris miseriæ recorderis quam aquæ quæ in flumine defluxit, in cujus locum longe major aquarum abundantia successit : nam qui pœnitentia Deum placat ad statum adeo prosperum consurgit, ut

Vers. 16.

Per pœnitentiam aboleantur mala et instaurantur bona.

http://www.obrascatolicas.com

colluvies anteactæ vitæ imber præceps qui evanuit animo jam persanato validoque videatur. O felix status! o tempus desiderabile, in quo anima hostibus et tentationibus septa hac miranda securitate gaudebit! obliviscetur enim præteritorum peccatorum, quorum memoriam Dominus misericorditer velut spinam cordi infixam evellit, ut ait Cassianus *Collat.* XX, cap. VII, et animam jam defæcatam non tam ad lugenda præterita quæ mari compunctionis suffocata sunt, quam ad laudes Deo canendas, et ad affectus amoris invitat. Et sicut periculi jam elapsi, quod effugimus, cum exsultatione recordamur, illudque aliis cum risu et gaudio narramus, sic ita vitæ præteritæ recordabitur, non quia mala ei placeant, sed quia se evasisse et fugisse gaudet illa quæ summe displiceant.

In cœlesti beatitudine præsentis vitæ labores omnes absterguntur et compensantur.

Anagogice hæc ad statum beatitudinis referri possunt, ubi cor illud, quod in mortali hac peregrinatione inquietum semper est, ut aiebat D. Augustinus, Deum suum sitiens, ad quem unum perenni motu ferebatur, suavissime conquiescit: « Universa cessant desinuntque moveri, cum venerint suum in locum, » ait Aristoteles lib. I *De Cœl.* cap. IX: sic cum Deus sit boni centrum, et totius beatitudinis complexio, qui perfecte illum possidet, nihil aliud est cujus desiderio capi et teneri queat: absorbebitur mens in beatissima illa fruitione, et præteriti omnis doloris et molestiæ obliviscetur, quam in hoc vitæ cursu Dei causa toleravit: « Pycles ipse, ait Tertullianus in *Scorp.* cap. VI, post difficilia certamina consecutus victoriam, sævi doloris injuriarumque non meminit, sed corona premit vulnera, palma sanguinem obscurat: » imo dura ipsa et acerba, quæ ob virtutem et pietatem exsorbuerit, jucundissimæ lætitiæ materiam suppeditabunt, nisi me magnum philosophiæ lumen Aristoteles decipit; cujus illam lib. I *Rhetor.* vocem exaudio: ἡδὺ σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων, *jucundum est meminisse laborum quibus sis liberatus.* Corona et gloriæ sertis premet vulnera, et palmis folio inaurato sudorem exterget, et in ægritudine aliquando fuisse molestiaque lætabitur: vix satis mirari poterit superefluentem Dei bonitatem atque magnificentiam in minimis compensandis, quorum vix habenda ratio ulla videbatur.

Vers. 17. **17. Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam: et cum te consumptum putaveris orieris ut Lucifer.** — Si Deum, inquit, placaveris, inclinata jam ætate tua, et calamitatum ac miseriarum æstu elapso, velut ad vesperum apparebit tibi lux prosperitatis ut meridiana: cumque advenisse tibi putes extremum diem, tunc experieris affulsisse vitæ quasi primum ineuntis jucunda primordia et redire fortunam meliorem, de qua jam actum videbatur omnino, non aliter quam si sub ipsum vespertinum crepusculum Lucifer exoriatur matutinus, scilicet clarior, illustrior, ac lætior illa stella Veneris, quæ utriusque fortunæ figuram refert, nigræ quidem seu adversæ, quando solem occidentem sequitur; albæ vero, candidæque seu prosperæ, cum solem orientem præcurrit. Habes hic egregium hieroglyphicum: una quippe eademque stella est, quam cum comitatur solem orientem vocant *stellam Veneris*, aut Dianam luciferam, aut luciferum; et cum comitatur solem occidentem, vocant *hesperum*, aut vesperum, aut vesperuginem. Comitatur hæc stella solem, et primum ad vesperam, cum sol occidit, illa ipsum præcedens, se quasi sub terra recondit, et multis horis a nostris aspectibus manet separata, et solem præcedens lustrat omnes inferiores partes terræ, et eas quasi luce sua percurrit: deinde vero quasi ex terra egrediens oritur splendida, clara, lucida, solem antecedens, quasi lucem ferens, et diem sua luce inchoans; quæ ideo vocatur *Diana lucifera*, id est ferens lucem diei. Sic etiam homo cum prius seipsum mente et cogitatione sub terra recondit, et quasi abscondit, ibique luce meditationis omnes inferiores terræ partes penetrat, considerans statum, quem mortuus est habiturus, quam expers sit sepulcrum mundanæ gloriæ ac sæculi voluptatum, quam nulla quæ secum sit reportaturus, quam nudus relinquendus sit vermibus et putredini; inde orietur ut Lucifer, mente clara, illustrata, fulgida et perspicua agnoscens mundi vanitatem et inanitatem mundanæ gloriæ transeuntis, et non impinget amplius pes ejus: quia jam in luce ambulat, atque opera diei faciet. Nunc quoad externam quidem speciem justus quasi in nocte occultus vivit, et a tenebris tribulationum conculcatur; impius autem splendet quasi in die, honoribus elevatus, divitiis auctus, beatusque a populo dictus; at in termino vitæ hic quasi vesperus occidet, nec adjiciet ut resurgat: at justi noctem vertent in diem, et ut Lucifer matutinus sic orientur, ut cum æterno sole æviterno splendore ornati fulgeant in æternum. Sic de quolibet eorum verificabitur hoc oraculum: « Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, et cum te consumptum putaveris orieris ut Lucifer. »

Veneris proprietas et significatio.

Ex meditatione mortis oritur lux vera spiritus.

Impius in vita, justus in morte splendet.

Coloravit hanc sententiam suis coloribus S. Gregorii penicillus lib. X *Moral.* cap. XII, ita scribentis: « Sancti viri quia summa medullitus diligunt, in infimis dura patiuntur; sed in fine gaudii lumen inveniunt, quod habere in hoc spatio præcurrentis vitæ contemnunt; unde nunc per Sophar dicitur: *Et meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam*: peccatoris enim lumen in die, est obscuritas in vespere: quia in præsentis vitæ felicitate attollitur; sed adversitatis tenebris in fine devoratur. Justo autem meridianus fulgor ad vesperam surgit, quia quanta sibi claritas maneat cum jam occumbere cœperit, agnoscit. » Pulchre item hanc sententiam spiritali renovationi moraliter accommodans lib. X, cap. XI: « Fulgor inquit, meridianus in vespere est virtutis renovatio in tentatione, ut repentino charitatis fervore mens vigeat, quæ jam jamque lumen sibi gratiæ occubuisse formidabat; et justus cum se consumptum putaverit ut Lucifer oritur, quia mox ut tenebrescere tentationum caligine cœperit, ad lucem gratiæ reformatur, et in seipso monstrat diem justitiæ, qui casurus paulo ante timuit mortem culpæ. » Vita igitur justi ad vesperam, id est in postremis diebus, cum scilicet jam tempus migrationis instat, erit felicissima, et quasi meridies sanctitatis splendore clarissima; et cum in veste corporis obscurata fuerit, et pallore mortis absumpta veluti aurora consurget: sicut enim hæc procedit et crescit usque ad perfectum diem; ita anima justi a puritate hujus vitæ ad puritatem æternæ gloriæ perveniet, et non solum jam sicut Lucifer, sed sicut sol in suo fervore positus emicabit. Porro hic versus, quemadmodum et præcedens, ad ortum animi pœnitentia renascentis, et velut e senectute ad primævum ætatis florem, e caligine tartarea ad candidissimam divinæ lucis auroram revertentis congruentissime transfertur.

Novatio qualis.

Vers. 18. Justi in vita et morte securi.

18. Et habebis fiduciam proposita tibi spe, et defossus securus dormies. — Quod si, inquit, Deo placere studueris, in eoque fiduciam collocaveris, nil erit deinceps quod in vita timeas; quin et post mortem securus eris: studiosis enim Dei cultoribus conscientiæ dulcis et amœna serenitas, pia in Deum fiducia, cœlestium rerum gustus, mirificam in morte lætitiam adferre solet; quæ plurimum in ipsa ægritudine molestiisque morbi recreat, et consuetos illos dolores lenit: « Naturalis cura est, ait Cassiodorus lib. IX *Epist.* 6, ægris dare lætitiam: nam fac invalidum gaudere, sanatus est. » Si quod autem sit gaudium in hoc vitæ cursu et concursu miseriarum, in hominis justi corde esse puto. De illis qui vitam agunt negligentius, vel sordibus vitiorum obsolescunt, regius Vates ita pronuntiat *Psalm.* LXXII, 4: « Non est respectus morti eorum; » S. Ambrosius legit, *non est reclinatio morti eorum*, hoc est, in morbis, in ægritudine, in perturbatione animi, in ærumnis doloribusque trepidæ conscientiæ nulla requies, non jucundum ullum laxamentum, non pavida mens, et circumsessa pungentibus curis ulla spe aut S. Numinis consolatione recreatur. Piæ vero et religiosæ animæ, quæ post peractam pœnitentiam se cum Deo in omni vita, quantum fieri potuit, sanctitudine et operibus bonis copulaverunt; quæ pura et defæcata conscientia, atque animum sevocantes a corpore, studio magno et quotidiano ad cœlum et vitæ sempiternæ decus rapiebantur, cum eo ventum est, ut migratione ab hac vita sint brevi Deum visuræ, nimirum exsiliunt et lætantur, postque labores hujus vitæ continuasque miserias « est reclinatio morti eorum, » neque enim adolescentiæ noxæ maculæque sordium ullum negotium exhibituræ illis sunt, qui longi temporis continuatione hoc egerunt, ut accurato, studioque exquisito aciem mentis in anteactæ vitæ annos intenderent, stabulumque Augiæ purgarent, si quis forte sordium acervus exsisteret. Hinc exomologeses de vita omni comparatæ et incredibili pietate institutæ, sic ut magnis sacramentis ut herba borith et divino medicamento lustrati, pura conscientia et singulari animi pace fruerentur. Nec contenti maculas eas semel diluisse, sæpe ex corde fundunt suspiria, sæpe ex oculis undas, argumentum ingens doloris sui, et notas illas juvenili olim licentia et temeritate inustas ex anima bonis operibus student exurere. Huc referunt et demissi animi precationes, et virtutum studia quotidiana, et corporis asperitates, et zelum animarum, qui querit multitudinem peccatorum et divinorum mysteriorum usurpationem: quare cum ad extremam horam venerint, toti nitidi et in sanguine Agni dealbati, expunctis adolescentiæ nominibus, gratiæ torque insignes, atque animo virtutibus exaggerato, stant contra omnes inimicos, Dei præsidio tuti et defensi, adeo ut princeps hujus mundi nihil ut suum possit in eis agnoscere. Hæc solida sane causa est, cur probi in morte gaudeant et lætentur, quod posita scoria delictorum et devoti animi religione benevolentiam Dei consecuti, in ejus gremium animas edant in æternum cum illo victuras.

Impli in morte anxii sine ulla consolatione.

Ex conscientiæ puritate exsistit summa in morte lætitia securitasque.

Et defossus securus dormies. — Philippus legit *defessus*, metaphora sumpta ab operario: sicut operarius ex longo gravique labore, quem tota die sustinuit, nocte defessus securus dormit, quem nullus strepitus excitat, nec culices mordentes inquietant, nec qui juxta eum vociferantur somnum intercipiunt: ita justus post ingentes labores, quos tota die vitæ suæ sustinet, mortis dulcissimæ somnum incurrit, in quo secure dormit; quem nulla cura, nulla inquietudo aut pœna excitat. Bene tamen Vulgatus legit *defossus*, id est terra excavata inclusus et sepultus, et sub terra conditus; unde D. Thomas, Lyranus et alii de sepultura credunt esse sermonem. Observa nihilominus in Hebræo haberi verbum חפר *chaphar*, quod non passivum est, sed activum, ideoque illud *defossus* non passive accipiendum est, quasi ab aliis sepultus, aut sub terra excavata conditus, sed active, quomodo legunt Pagninus, Regia, et Brixianus, *q. d.* Cum foderis teipsum, aut cum excavata terra teipsum sub illa condideris, securus dormies: *dormire securum* in Scriptura est nihil mali timere, qui enim aliquid timet, non solum non secure et quiete dormit, sed vigilat: timor namque somnum fugat. Vis non timere dæmonis impetus, sæculi fallacias, mundi clamores, carnis deceptiones, quæ te tanquam Dalila Samsonem fallere conantur? vis non vinci suggestionibus dæmonum, mundi vocibus, carnis impulsibus? non exspectes ut ab aliis sepelias, aut in sepulcro alienis manibus reponaris;

Dormire securum idem est quod nil mali timere.

Utilis meditatio

Mors sepultæ. tu ipse primo terram mente excava, et sepulcrum aperito, et intra illud per considerationem teipsum includito, terraque teipsum operi, et vermibus te circumda : considera qualis ibi eris, quam parvo spatio contentus eris, quam exigua aut nulla tui memoria in mundo permanebit, quam parum tunc tibi divitiæ proderunt, quam fallacem experieris salutem et pulchritudinem : sicque sit in nobis quotidianus quidam usus moriendi.

Vers. 19. 19. REQUIESCES, ET NON ERIT QUI TE EXTERREAT : ET DEPRECABUNTUR FACIEM TUAM PLURIMI. — Requiesces, inquit, in sepulcro molliter, ita ut a somno potius videare quam a morte captus; neque erit qui te dormientem excitet, aut loco moveat : illi porro qui te miserum et inopem insectabantur hostiliter, fortuna longe in contrarium mutata humiles ad te accedent et supplices, ut erratorum veniam et pacem precentur. Ita Sanctius noster παραφραστικῶς.

Justi viri mors somnus et quies.

Sed undenam tanta quies homini accidit, quæ illum a plurimis adorari faciat, quam nullum malum perturbare possit? Sane illam notabat S. Lucas dum ait cap. XII, 33 : « Facite vobis thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropiat : » sane æterni thesauri spectatio hominem et imperturbabilem et regium declarat. Ad hæc pulchre S. Gregorius lib. X *Moral.* cap. XII : « Quisquis præsentem gloriam quærit, profecto despectum metuit; qui semper ad lucra inhiat, semper, juste licet, damna formidat : cujus enim perceptione reficitur, ejus rei procul dubio et amissione sauciatur, et quo mutabilibus ac perituris inhæret, eo longe in infimis ab arte securitatis jacet. At contra quisquis in solo æternitatis desiderio figitur nec prosperitate attollitur, nec adversitate quassatur, dum nihil habet in mundo, quod de mundo pertimescat. » Nullius mali, nullius peccati servituti subjacet, qui scit animo ad æterna et permanentia revolare. Aiebat Ecclesiastes cap. XII, 5 : « Florebit amygdalus, impinguabitur locusta, et dissipabitur capparis : quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ. » Pro verbis illis, *dissipabitur capparis*, alii legunt, *dissipabitur concupiscentia*; alii, *dissipabitur aviditas*; juxta alios, *dissipabitur voluptas*; secundum alios, *dissipabitur superbia* ; alii legunt, *appetitus respuet res oblatas* : et quidem nulla servitus appetituum et vitiorum non cadit, ubi homo incipit vel mente tendere in regiam æternitatis. Huc igitur omnis nostra sollicitudo spectet in universis negotiis mundialibus, ne qua res prius ob oculos versetur quam æterna; hoc solum semper nostris curis respondeat, nimirum quod æternum est et indeficiens, ne sicut misera mancipia verberemur metu, sed ut filii regni vivamus. Est sane regalissima sors illius hominis, cui in omni negotio et tractatu suo nihil præfixum est nisi quod ipsum faciat vivere in æternum; hoc unum efficit, ut verum esse fateamur quod divinus Cantor sacris in odis cecinit *Psalm.* CXV, 15, mortem sanctorum esse *pretiosam*, vel, ut Tertullianus lib. II *in Marc.* cap. XIX, vertit, *honorabilem*. Sane pretiosam, non quemadmodum affectabat impius et vecors Heliogabalus, qui cum ei denuntiatum esset a sacerdotibus Syriæ θυσιάνατον illum esse *futurum*, hoc est violenta morte interiturum, altissimam turrim exstruxit aureis ante gemmatisque tabulis humi substratis, ut cum se inde præcipitem ageret pretiosius moreretur. Non pretiosam e vetusto more Quiritium, qui in purpura sua mori et efferri cupiebant; sed quod eos opulentissimus cœli et terræ Dominus inusitato purpuræ genere convestiet, quæ pretio bis tinctam omnem Tyriam exsuperet : sic enim per Isaiam pollicetur cap. LXI, 3 : « Ut darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. » S. Basilius ait *pretiosam* dici mortem a regio Vate per respectum ad lapillos, quos τιμίους, *pretiosos* vulgo nominant, qui sint, inquit, ἀνθηρεῖς χρώμασιν ὑπολάμποντες, *floridis interspersi et sublucentes coloribus* : sic piorum animas in extrema dissolutione a corpore, a terrena colluvione puras et virtutum coloribus insignes mirabilius collucere; quas proinde magni æstimet Deus, et ut monile pretiosum atque regium donarium in cimeliis suis collocet. Quis ergo hujusmodi mortem pretiosam, decoram, honoratam, uno verbo τίμιον, non studio omni appetendam et quærendam putet, in qua totum benevolentissimi Numinis amor, gloria, pax et gestientis animi lætitia occupavit? Quod autem subdit,

Mors sanctorum pretiosa et honorabilis.

Considerationes æternitatis reddit hominem tranquillum et honoratum.

ET DEPRECABUNTUR FACIEM TUAM PLURIMI, — hoc, nescius quid diceret, quasi vaticinando Sophar protulit, uti in secunda Jobi prosperitate rei eventus comprobavit : etenim omnes accurrerunt Jobo gratulaturi, munera cum honorificis acclamationibus oblaturi, quorum plurimos verosimile est, visendum in sterquilinio monstrum horrentes, prostrato insultasse, despexisse, aut contumeliis exagitasse; qua sane in re Jobus Christi typum prætulit, in quem crucifixum multi caput agitantes convicia intorquebant, e quibus nonnulli ut verum Deum postea ipsum coluerunt, et adoratione summa procumbentes venerati sunt. Simili quoque post mortem honore affici solent viri sancti, qui pro Christi nomine multas in vita molestias et persecutiones fortiter sustinuerunt, quibus Propheta regius in sacris odis suis ita merito applaudit *Psalm.* CXXXVIII, 17 : « Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus : nimis confortatus est principatus eorum : » digni plane de quibus honorifice loquantur homines atque sentiant, et exemplo illustrium morum exsuscitentur. Huc spectat præclarum illud apud eumdem sacrum Psaltem morientis justi elogium *Psalm.* CXI, 7 : « In memoria æterna erit justus; » in Græco est, εἰς μνημόσυνον αἰώνιον, *ad perenne monimentum*, ad memoriam vitæ præstantis insigniumque virtutum. Id quemadmodum sit intelligendum tum

Sophar quasi vaticinando prædicit Jobi felicitatem.

Sancti post mortem honorantur.

Justi memoria sempiterna.

plurimorum sæculorum experientia, tum fide et arcanis divinorum voluminum effatis discere licet : videmus enim jam inde a mundi initio per ætates consequentes Abelem justum, Henochum, Abrahamum, Patriarchas, pios Vates, innumerabiles alios, ob vitam eximie traductam continua hominum memoria celebrari. « Memoria Josiæ, inquit Syrachides *Eccli.* XLIX, 1 in compositione odoris facta opus pigmentarii, » id est, instar mixturæ odoramenti artificio unguentarii concinnata est Josiæ memoria : pulchra et ornata similitudo. Recte fama cum exquisitis odoribus componitur, qui longe et late sparguntur dulcissima et liquidissima voluptate : jungit et alias imagines in eamdem rem luculentas : « In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, et ut musica in convivio vini. » Texit ille aliique sacri auctores longum eorum catalogum, quorum nomen benefactis et inclytis facinoribus illustre nulla unquam delebit oblivio; sed multo plures in gratiæ lege nominari possunt, quorum grata melleaque recordatio et musica omni suavior inter homines vivet in omnem posteritatem. Ut illud verissime dictum a Sidonio Apollinare lib. IX *Epist.* 8 : « Improborum probra æque ut præconia bonorum immortalia manent. » Unde subdit :

Bonæ famæ odor optimus.

Vers. 20. 20. OCULI AUTEM IMPIORUM DEFICIENT, ET EFFUGIUM PERIBIT AB EIS, ET SPES ILLORUM ABOMINATIO ANIMÆ. — Est argumentum a contrario, ut si pii prosperentur, impii deficiant; etsi autem assertum sit universale, peculiari tamen ratione directum videtur ad impios illos, qui Jobi ærumnam contuentes, afflicto insultarunt, quorum oculi quasi vim gloriæ Jobi ferre non valentes dejectionem passuri dicuntur. Effugium quoque ait Sophar peribit, hoc est, non invenietur ab eis; quæ phrasis Scripturæ familiaris, qualis illa *Psalm.* CXLI, 5 : « Periit fuga a me, » hoc est, non potui effugere, non patuit via elabendi. Dum vero Sophar ait impios non evasuros, subnotare videtur adversos eventus incursuros, quos declinare minime valeant, ut scilicet in ærumnam incidant, quæ impietati respondeat; quemadmodum pietati Jobi prosperitas credebatur responsura. Porro pro verbis illis : « Et spes illorum abominatio animæ, » Septuaginta vertunt, ἡ γὰρ ἐλπὶς αὐτῶν ἀπώλεια, *spes enim eorum perditio*, hoc est, id quod de ipsis impiis sperari potest, animæ perditio est : atque in hunc modum caput hoc antithesi pulchra concluditur.

Impiorum finis perditio.

Impii in hac vita habent aliqua effugia, sed damnationem non evadent.

Expende impiorum malum; quoniam « effugium peribit ab eis; » et quidem in præsenti multa habent malorum effugia, sed in futuro, ubi res agetur de animæ damnatione, effugium omne peribit : rem hanc pulchre tractat S. Gregorius lib. X *Moral.* cap. XIII, dicens : « Nunc iniqui cum tristia aliqua patiuntur, effugii latebras inveniunt, quia ad voluptatem protinus desideriorum carnalium recurrunt; ne paupertas cruciet, divitiis animum demulcent, ne despectus proximorum deprimat, sese dignitatibus exaltant; si fastidio corpus atteritur, antepositis epularum diversitatibus nutritur; si quo animus mœstitiæ impulsu dejicitur, mox per interposita jocorum blandimenta relevatur. Tot ergo hic habent effugia, quot sibi præparant delectamenta : sed quandoque ab eis effugium periit, quia eorum mens amissis omnibus se solummodo et judicem conspicit. » Ecce tibi de omnibus mundialibus nullum restat effugium miseræ animæ, dum ad sententiam damnationis venitur : ibi et divitiæ et epulæ et imperia diffugiunt, se solummodo anima et judicem videt. Nullus ibi advocatus, nullus qui ejus defensionem suscipiat, simul cum mundialibus bonis omni defensore et advocato diffugiente, solo judice permanente. Ad peremptorium judicium romano jure certis gradibus veniebatur, cum actor primo peteret edictum primum, mox alterum, deinde tertium, quibus propositis tum *peremptorium* impetrabat, quod perimebat disceptationem. Quanquam interdum ejusmodi edictum continuo dari consuevit, quod in legibus π. *De Judic.* l. LXVIII, *unum pro omnibus* appellatur. Hic autem nulli sunt gradus et intervalla temporum ad peremptorium judicium observanda, subito unum pro omnibus perscribitur. Statim atque anima corpus suum ut hospitium deseruit, offertur judici ad decretorium ultimumque judicium excipiendum. Ubi quantus sudor illis, quanta sit trepidatio futura, qui in reddenda ratione nihil liquidi habent quod dicant, quod objiciant, quis oratione commemoret? prius enim audituri sunt formidabile illud tonitru *Luc.* XVI, 2 : « Redde rationem villicationis tuæ, » quam de supputandis et instruendis conscientiæ suæ codicibus mente agitaverint. Quare trepida et infelix anima ut viator appetente nocte a latronibus interceptus per obscuram silvam ducitur, quo vadat, quidque ipsi futurum sit ignorat : hoc habet unum quod timeat omnia, speret nihil. Adeo quidem flens et ejulans, et mirum quantum afflicta, dicere mihi posse videtur quod moriturus imperator Adrianus teste Spartiano dixit :

Peremptorium judicium Romanorum et Dei quale.

Animula vagula, blandula,
Hospes comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, nudula,
Nec ut soles dabis jocos.

Quid dicam de impetu mali dæmonis intolerando, qui in illa migratione solet esse furiosissimus, an non merito justam formidinem adferre potest vitiosis, quique non magnum cum virtute et pietate commercium habuerunt? tetra enim immanisque illa bellua sitientissima cruoris nostri exspectat illud tempus, quo salutem vorare possit, et spe omni felicitatis spoliare. Quem metum præ se ferebat David, cum ad S. Numinis præsidium versus ita orat *Psalm.* XXI, 21 : « Erue

Judicium extremum horribile.

Dæmon in mundanorum morte sævus.

http://www.obrascatolicas.com

de manu canis unicam meam : » *unicam* suam vocat spiritum corporis sui, ut Chaldæus vertit, hoc est animam, quam Septuaginta dicunt μονογενῆ, *unigenitam*, id est, super omnia eximie charam et dilectam; vel nominat *unicam* ob solitudinem, in qua tunc anima versatur, nuda et destituta a familiaribus, sola in campum ingressa cum bellatrice dæmonum cohorte in extremo illo agone pugnatura. Igitur Aquila illud *unicam meam* vertit μονωχήν; S. Hieronymus quasi verbum ex verbo *solitariam meam*. Hanc ergo animulam solam et desertam alieno auxilio, illud ipsum tempus sibi ante oculos ponens Rex pius, erui de manu canis postulat. Quo hieroglyphico monet Eusebius diabolum intelligi, quem gentiles, inquit, Cerberum tricipitem finxerunt : neque enim satis erat caput illi unum tribuere unicasque fauces, qui tot ora semper habet hiantia, tam ardentem et immensam cupiditatem exsorbendi nostri sanguinis animæque devorandæ; tunc vero morte comitatus, tria guttura pandit, et terrifice latrat et invadit, et pavore animum complet, nec ullum effugii locum misero relinquit.

Et spes illorum abominatio animæ. — Hoc D. Thomas sic exponit, *q. d.* Quod de impio sperari deinceps potest est abominanda quædam et extrema mors et cruciatus; sed melius Pineda noster : «Spes, inquit, illorum,» utpote inanes atque fallaces, vel consequendi felicitatem, vel declinandi ærumnas, nihil afferent nisi dolorem et tristitiam : sic enim vocem originalem reddunt Pagninus *dolorem*, Hebræus apud Cajetanum *tristitiam*, Vatablus *afflictionem*; vox siquidem hebræa a radice נפח *naphach*, quod est *insufflare* vel *inspirare*, proprie reddi potest *exsufflatio* aut *exspiratio*, et inde etiam pro afflictione accipitur aut animi defectu et deliquio; quoniam afflicti crebro suspirare solent. De inani autem et de fallaci iniquorum spe vide plura *supr.* cap. VIII, 13, ad illa verba : « Spes hypocritæ peribit. »

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Job ut amicorum retundat jactantiam, ostendit jam pridem sibi perspecta ea omnia quæ de Deo proferebant: sed vicissim divinam illis vindictam minatur, quod justo insultent, et simplicem rideant : extollit deinde divinam potentiam, sapientiam et providentiam in universi gubernatione.

1. Respondens autem Job, dixit : 2. Ergo vos estis soli homines, et vobiscum morietur sapientia? 3. Et mihi est cor, sicut et vobis, nec inferior vestri sum : quis enim hæc, quæ nostis, ignorat? 4. Qui deridetur ab amico suo sicut ego, invocabit Deum et exaudiet eum : deridetur enim justi simplicitas. 5. Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum. 6. Abundant tabernacula prædonum, et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum. 7. Nimirum interroga jumenta, et docebunt te : et volatilia cœli, et indicabunt tibi. 8. Loquere terræ, et respondebit tibi : et narrabunt pisces maris. 9. Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit? 10. In cujus manu anima omnis viventis, et spiritus universæ carnis hominis. 11. Nonne auris verba dijudicat, et fauces comedentis, saporem? 12. In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia. 13. Apud ipsum est sapientia et fortitudo, ipse habet consilium et intelligentiam. 14. Si destruxerit, nemo est qui ædificet : si incluserit hominem, nullus est qui aperiat. 15. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur : et si emiserit eas, subvertent terram. 16. Apud ipsum est fortitudo et sapientia : ipse novit et decipientem, et eum qui decipitur. 17. Adducit consiliarios in stultum finem, et judices in stuporem. 18. Balteum regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum. 19. Ducit sacerdotes inglorios, et optimates supplantat : 20. Commutans labium veracium, et doctrinam senum auferens. 21. Effundit despectionem super principes, eos, qui oppressi fuerant, relevans. 22. Qui revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis. 23. Qui multiplicat gentes et perdit eas, et subversas in integrum restituit. 24. Qui immutat cor principum populi terræ, et decipit eos ut frustra incedant per invium : 25. Palpabunt quasi in tenebris, et non in luce, et errare eos faciet quasi ebrios.

Vers. 1 et 2. 1 et 2. Respondens autem Job dixit : Ergo vos estis soli homines, et vobiscum morietur sapientia?

Job amicorum insolentiam comprimit. — Egerant cum Jobo tres amici parum officiose et urbane et nimis insolenter, quasi ipsi altissimam tenerent abditarum rerum cognitionem, quam Jobus assecutus non esset : quos ipse subamare, licet modeste, reprehendit, docetque quam ipsi tenere se putant scientiam nemini esse ignotam, qui mediocri sit ingenio, et paulo attentius rerum naturas et obvias proprietates considerare voluerit : cum nulla sit creatura, quantumcumque rationis, sensus, imo et vitæ expers, a qua homo illa doceri non possit, quæ illi de se adeo superbe jactitabant. Quamobrem Job tantam amicorum insolentiam, qua sibi præ cæteris sapientiam arrogabant, ironice perstringens : Ergone, inquit, vos soli homines et sapientes? Siccine restricta est sapientia, ut ea vobiscum pariter interitura videatur? Aureum est dictum Salomonis e penu sapientiæ promptum *Prov.* XVII, 5 : «Non decent stultum verba composita;» Vatablus vertit, *non decet stultum magnificus sermo*; Pagninus, *lingua excellens;* in Hebræo est, *labium excellentiæ*, ubi *labium* pro *sermone* ponitur, et significatur oratio plenissima vanitatis, tumor imperitæ mentis in loquendo, os sublime ineptorum, lingua, ut Poeta loquitur, ventosa, puerilis et illudenda captatio gravitatis et indecoræ majestatis, qualis in Sopharis et aliorum verbis manifeste deprehenditur. Aristoteles lib. II *Ethic.* cap. VII, vitium hoc ἀλαζονίαν appellat, hoc est *arrogantiam :* et ἀλάζων dicitur *arrogans*, qui magnificis sermonibus utitur et inanissima pompa verborum ad mendaciter ea prædicanda et sublimius ornanda quæ ad se pertinent : idem etiam alio loco Philosophus lib. IV *Ethic.* cap. XIII, ejusmodi gloriosos ostentatores esse vulgo omnibus odiosos animadvertit, quod ἐπαχθεῖς αἱ ὑπερβολαί, *hyperbolicæ* illæ *orationes*, et magnificentius rem attollentes, *graves* soleant esse audientibus, et mirum quantum odiosæ? Sane declarant in loquente parum inesse judicii, frontis et modestiæ verecundæ. Symmachus vir clarissimus lib. I *Epist.* 1, elegantissime : « Jactantia, inquit, avara laudis multum decoquit de pudore : » putidum illud est, atque, ut loquar cum divina Scriptura, *vetus* et quodammodo rancidum. Sic enim monet divinum oraculum I *Reg.* II, 3 : « Recedant vetera de ore vestro. » Quod clarius dicunt Septuaginta, μὴ ἐξελθέτω μεγαλορρημοσύνη ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν, *non procedat magniloquentia de ore vestro*, quod commutatis verbis ante dixerat, *nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes*. Quod optime quadret in hos amicos Jobi, qui se doctiorem inani verborum fastu despexerant, de doctrina theologica tanquam sibi propria gloriantes : quocirca Jobus eos errati admonet, docetque (quod ad sententiam suam tuendam oportuit) non esse certe gloriandum ob ea asserta quæ vulgo nota sint, seque non despiciendum, ac si intelligentia sapientiaque sit inferior, cum Dei munere et ingenio polleat, et acri ad res discernendas judicio. Unde subdit :

Sermo jactantiæ non decet imperitam.

Jactabundus et arrogans omnibus odiosus.

Vers. 3. 3. Et mihi est cor sicut et vobis, nec inferior vestri sum : quis enim hæc quæ nostis ignorat?

Cor pertinet sat intellectam. — Quod ait : « Et mihi est cor, » ad intellectum pertinet sapientia ornatum, quæ phrasis Scripturæ familiaris est, qualis illa de Salomone III *Reg.* III, 12 : « Dedi tibi cor sapiens et intelligens. » Hinc etiam vir prudens vulgo *cordatus* dici solet : *cordatulum* enim veteres pro solerti et acuto dicebant, et animæ partem rationis participem *cor* appellari solere dicit Adamantius Origenes lib. I Περὶ ἀρχῶν cap. I. Quo etiam referri potest locus Pauli, *Rom.* II, 15 : « Qui ostendunt opus legis scriptum, in cordibus suis : » quis enim putet, quod dicit *in cordibus*, in membro corporis, quod *cor* appellatur, tanquam in membrana aliqua legem scriptam intelligi? unde enim caro tantos prudentiæ sensus concipere vel ostentare posset, aut tanta memoriæ receptacula continere? Quin et theologi nostri secuti prophetarum dictata consilium in corde residere dicunt, in eoque agendorum omnium radicem statuunt, docente Domino, in corde esse quod coinquinat hominem; et ubi *mundo corde* habent sacræ Litteræ *Matth.* XV, 18, sinceras intelligunt cogitationes *ibid.* V, 8. Eadem fere ratione quando divinæ litteræ cor Dei sæpe nominant, intelligendum ex eo arcanum illud divinæ sapientiæ, quæ a Patre est, juxta illud *Psalm.* XLIV, 2 : « Eructavit cor meum verbum bonum, » innuens Filium Jesum Christum altæ illius sapientiæ mysterio genitum : ita Eucherius. Athenarum vero lux magna Dionysius *Cœlest. Hierar.* cap. XV, § 3, e mysticæ theologiæ arcanis cor ait symbolum esse τῆς θεοειδοῦς ζωῆς, *divinæ*, et ut ita loquar, *deiformis vitæ*, quæ vitalem vim suam benigne in ea dispergit, quibus velit esse consultum; quem locum exponens S. Maximus ait cor veluti centrum esse, quod primo vitam suscipit, et auctore S. Basilio primo creatur, deinde velut e centro in omne corpus vis et vita funditur : ita enim facit cor ad animam, quæ vitæ nostræ materia est, ut prisci vates animæ receptaculum esse cor significaturi, id hieroglyphice *animæ ventrem* appellarint; atque ita intelligendum esse illud *Jerem.* IV, 19 : « Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo : » Hesychius ait : Nam quem ventrem? ipse subinfert : « Et sensus cordis mei conturbati sunt. » Ideoque intestina hujusmodi aqua lota offerre admonemur in holocaustum, hoc est abditas latentesque cogitationes eluere, et diligenter abstergere : ita Pierius lib. XXXIV *Hierog.* Cæterum ex hoc Jobi textu liquet viros plane sanctissimos de se interdum res laude dignas enuntiare, non eas modo quæ virtutum cultura studiove parantur; verum etiam quæ inter naturales dotes recensentur, qualis est ingenii perspicacitas; at hæc laus multis ex capitibus in Jobo honestatur, neque passim ad alios derivanda, uti prudenter monet Joannes a Jesu Maria.

Cor pertinet sat intellectam.

Cordatus et cordatulum quid significent.

Cor radix et sedes consilii.

Cor Dei est divina sapientia.

Cor symbolum vitæ deiformis.

Viri sancti licite interdum seipsos laudant.

http://www.obrascatolicas.com

Vers. 4

4. QUI DERIDETUR AB AMICO SUO SICUT EGO, INVOCABIT DEUM, ET EXAUDIET EUM : DERIDETUR ENIM JUSTI SIMPLICITAS. — Durum est ab aliis derideri et gravibus exagitari conviciis, quod si id ab amicis homini contingat, a quibus solatium doloris et inopiæ subsidium sperabat, multo durius : quare invocabit ultorem Deum, neque surdis orationem illam auribus accipiet, quia injuste patitur simplicis innocentia, cujus ipse tutelam et patrocinium sumpsit : ita Sanctius noster. Non legerat adhuc Jobus quæ de pauperum et miserorum afflictione Scriptura aut prodit aut præcipit, quia illius ætas divinarum Scripturarum monumenta præcessit ; sed notat, ut apparet, divinum ingenium, et ab illo interius afflatus, aut rerum experientia edoctus, noverat quantæ Deo curæ atque studio fuerit pauperum et miserorum vexata conditio, quamque facile inclamatus audiat, et intentos inimicorum stimulos retundat, atque in adversariorum exitium destinato convertat. Id sane dixit postea Deus Moysi *Exod.* XXII, 21 : « Advenam non contristabis, neque affliges eum, etc. Viduæ et pupillo (eadem est ratio de miseris aliis) non nocebitis : si læseritis eos, vociferabunt ad me ; et ego audiam clamorem eorum : et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, et erunt uxores vestræ viduæ et filii vestri pupilli. » Id quod etiam Ecclesiasticus cap. VII, 12, innuit monens ne fiat : « Non irrideas hominem in amaritudine animæ : est enim qui humiliat et exaltat circumspector Deus. » Turpe ergo et inhumanum est quemlibet hominem in luctu jacentem irridere ; immane vero et ferinum et irridere, et contumeliis vexare ; quod quantum Deo stomachum moveat ex infinita ejus et misericordia et clementia erga homines afflictos facile apparet : Dei enim mos est derelictos supplicantes exaudire atque propugnare : non fert ut derideatur justorum sinceritas, vitæve simplicitas quasi fatua contemnatur, cum Dei sapientia sit plena. *Simplicitas* hoc loco idem est quod vitæ integritas, nullo dolo, hypocrisi artificiove fucata, cui familiare est multa, quæ a politicis hominibus ingeniose curantur, minime exquirere, et affectationem omnem procul arcere. Et hæc profecto simplicitas rarum integritatis argumentum in Jobo ipso prædicatur, cui ob id fortasse insultatum est, quod majestatem et sapientiæ ostentationem neutiquam affectaret, quo certe morbo verosimile est tres illos viros laborasse.

Durissimum est derideri ab amicis.

Ferinum est afflictis insultare.

Deus non patitur simplicitatem opprimi.

Simplicitas idem est quod vitæ integritas.

Vers. 5

5. LAMPAS CONTEMPTA APUD COGITATIONES DIVITUM, PARATA AD TEMPUS STATUTUM. — Virum justum a superbis et divitibus hujus sæculi despectum eleganter comparat faci neglectæ ac contemptæ, quæ servatur ad tempus divino consilio designatum ; quo clarissime et luculentissime in sublimi loco constituta præluceat. Conqueritur hoc loco Job se opinione trium divitum amicorum despicabilem quamdam facem, abjectam et squalentem esse ; at sperat parari se nunc exercitio dolorum et laborum, ut statuto tempore clarius elucescat ; et quidem tempus hoc præstitutum in Jobo duplex fuit, scilicet illud secundæ prosperitatis, in quo multo quam antea splendidius claruit, et novissima dies, ubi beatissima et sempiterna Dei luce fulgebit, quod ad justos omnes nunc despectos derivari potest. Justus enim adversa patiens est lucerna intrinsecus ardens et lucens, sed exterius contempta a divitibus superbis, parata tamen ut tempore statuto judicii computetur inter gloriosos sanctos filios Dei, juxta illud *Sap.* V, 1 : « Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. » Impii vero quid? « Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes : Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum et in similitudinem improperii : nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam et finem illorum sine honore : ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est, » etc.

Vir justus qui in hoc sæculo est quasi lampas contempta in die judicii lucebit

splendidius.

Lampas ab impiis contempta coram Deo ardet et lucet.

Sanctus itaque Job quamlibet sanctarum animarum lampadem *contemptam* appellat, quia scilicet impiorum hominum cœtus eam apud Dominum despicabilem existimat, cum tamen sit lampas minime vacua, sed plena oleo, quæ apud Deum et homines ardet et lucet ; quam Dominus velut divitem, et ad nuptias cum æterno Rege ineundas paratam, ab ingressu sui thalami non excludit : lampas Ecclesiæ data, ut eam splendore illuminet, et opum abundantia condecoret. Sicut enim mundo corporeo duo luminaria, majus et minus, sol videlicet et luna, lumen et decorem impertiunt : ita hæc lampas, anima nempe perfecta, Ecclesiæ aut congregationi, in qua vivit, splendorem et pulchritudinem tribuit. Hanc lampadem iniqui contemnunt, et nullius valoris æstimant, quia pressuris et tribulationibus patere conspiciunt : « Sæpe namque contingit, inquit D. Gregorius lib. X *Moral.* cap. XVII, ut electus quisque, qui ad æternam felicitatem ducitur, continua hic adversitate deprimatur, non hunc rerum abundantia fulciat, non dignitatum gloria honorabilem ostendat, nulla ei obsequentium frequentia suppetat, nulla hunc humanis oculis vestium pompa componat ; a cunctis vero despicabilis cernitur, et hujus mundi gloria indignus æstimatur ; sed tamen ante occulti judicis oculos virtutibus emicat, vitæ meritis coruscat, » etc.

Sancti hic despiciuntur, ut postea exaltentur.

Sanctitatis divitiæ per tribulationes contegantur, ne pereant.

Sed quare exterius non lucet? quia Dominus sanctitatis divitias, ne ab inani gloria aut ab alio effectu elationis illidantur, tegumento tribulationis abscondit : prudentiæ enim est, in itinere res pretiosas operire, et viles atque abjectas ostentare, ne quod charissimum est aut occultus latronum dolus aut aperta violentia surripiat. Ita quoque ad admirabilem sapientiam Dei pertinet, divitias perfectorum in hoc mortalitatis itinere laborum operimentis munire, ne eas insultus adversariorum rapiat, et sanctos Dei virtute pauperes et vacuos derelinquat ; ad hoc respexit David, cum in persona sanctorum dixit *Psalm.* LIX, 3 : « Deus repulisti nos, et destruxisti nos : iratus es, et misertus es nobis : » videtur enim eos a se repellere, et malis illatis destruere ; videtur iram in illos exercere, et indignatione punire ; at revera illorum potius miseretur, dum suorum opes tribulationibus contegit, et de ipsorum novis profectibus et sanctitatis augmento hilarescit. Quamvis autem istæ sanctorum opes Deo disponente jam lateant, non tamen omnino, sed ut lucerna in lampade latent : sicut enim lux lampadis ita opaco corpore absconditur, ut tamen per rimulas aliquatenus videatur, sic thesaurus sanctitatis per patientiam et æquanimitatem ostenditur, dum tribulationibus operitur. Jam tentatio virum perfectum impugnat, jam persecutio impedit, jam ægritudo corporalis angustat ; sed quasi per lampadis rimulas elucet in facie cordis tranquillitas, in sermone mentis lenitas, et in omnibus cum divina voluntate conformitas, quæ a quolibet sapiente cunctis mundi divitiis præfertur, et supra universos thesauros æstimatur : ad hujusmodi enim homines dicitur *Philip.* II, 15 : « Lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam in diem Christi. » Videtur autem Paulus his verbis Philippenses laudare, eo quod cum sint luminaria in medio nationis pravæ, tamen lucem hanc continent ad tempus statutum, nempe ad diem Christi : neque enim ipsi gloriam suam prædicant, sed potius occultant : « Sicut Moyses, ait Paulus II *Corinth.* III, 13, ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem ejus. » Alludit autem ad radios, qui e facie Moysis cum de monte descendit emicabant *Exod.* XXXIV, 29, ubi notandum prius quidem Moysem ignorasse suam faciem radiare : sic enim habet textus : « Ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini : » sive, ut Septuaginta transtulerunt, οὐκ ᾔδει ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ, *non sciebat quia glorificatus est aspectus cutis faciei suæ* : quod ubi agnovit, « posuit, inquit Scriptura *ibid.* cap. XXXIV, 29, velamen super faciem suam ; » ad quem locum pulchre Oleaster : « Norunt, inquit, homines, imo et inflata bucca prædicant dona quæ habent, aut potius se habere a Deo putant, dolentque si non viderint prædicari ; sanctus vero iste nescit : imo cum alios admirari videt velamine faciem operit ; » modestiam utique servandam docens.

Christus fuit lampas contempta in passione.

Allegorice *lampas contempta* Christus intelligitur, qui contemptus fuit ab Herode et Pilato, a principibus sacerdotum et primoribus Judæorum, quibus scandalum erat, sicut et gentibus stultitia ; parata tamen est revelari tempore statuto, non solum in die judicii, quando omnibus clare ejus splendor apparebit, sed etiam in hac vita, in loco et tempore a Deo statuto humilibus manifestatur, et fit illis lampas ignis atque flammarum, illuminans per fidem et accendens per charitatem, ita ut tanto pluris eum faciant, tantoque ardentius diligant, quanto eum vident pro ipsis magis spretum et neglectum : et vulnera ejus, quæ incredulis sunt velut nigri carbones, fidelibus sunt sicut prunæ et carbones ignis splendentis, qui omnem culpæ nigredinem a corde tollunt, ipsumque splendidum reddunt per gratiam ardensque per charitatem. Plures alias easque diversissimas hujus loci translationes et expositiones vide apud Sanctium nostrum atque Pinedam.

Vers. 6.

6. ABUNDANT TABERNACULA PRÆDONUM, ET AUDACTER PROVOCANT DEUM, CUM IPSE DEDERIT OMNIA IN MANUS EORUM. — Insinuaverat Jobus amicos illos suos ex eo esse hominum genere, qui cum divites essent ipsum tunc inopem aspernarentur, præsertim quod egestatem hanc peccati pœnam interpretarentur ; sed bene probat Job inopiam per se non esse peccati pœnam, nec efficere viros justos neglectu dignos, quemadmodum e contrario rerum opulentia terrenarum per se non est virtutis merces, et homines scelestos nequaquam honore dignos reddit. Huc accersit exemplum prædonum, qui cum impii sint, tamen opibus abundant, quos nemo sanæ mentis non despicabiles ducit, etiam dum domos suas aut tentoria spoliis implent, et in Deum prædæ permissorem procaciter insolescunt. Illa vero verba : « Audacter provocant Deum, » subintellectam claudunt ultionem Dei prædonibus inferendam, *q. d.* Ego nunc inopia premor, neque careo spe boni exitus præstituto tempore successuri ; e contrario grassatores multi nunc divitiis abundant, et timore divinæ indignationis concutientur. Quid ergo mihi obsit penuria? aut quid illis prosit opulentia, cum inopia et opes justis et reprobis communes sint? Aliter *prædonum* nomine reges improbi et potentes significantur, vel quod ipsi revera tanquam insolentes prædones alienas involent in fortunas ; vel saltem, quod cum suas sibi opes arrogent, quas Deo acceptas referre debuerunt, perinde se habent, ac si eas omnino prædarentur : hi igitur, ut D. Gregorius ad hunc locum docet, « eo magis contra Deum elevantur, quo magis ab ejus largitate contra meritum ditantur : » sic enim ex abundantia insolescit homo, ut non solum audeat humana jura conculcare ; sed etiam temerare divina, neque solum adversus creaturas, sed etiam adversus ipsum Creatorem obarmetur.

Impii sæpe opibus abundant.

Abundantia facit homines insolescere etiam in Deum.

Nota sane est divitum superbia, quam etiam omnium temporum sapientes notarunt : est Cyrilli in canticum Habacuc verissimum illud acroama cedroque dignum, *ἐν ὑπεροψίαις τὸ πλεονέκτημα, ubi fortunæ majores, ibi superbia.* Elegantissime S. Augustinus serm. 3 *de Verb. Dom.*, cum omne pomum, granum, lignum habere suum vermem dixisset, vermem divitiarum ait

Opes sunt superbiæ fomes.

http://www.obrascatolicas.com

esse superbiam. Hi cæterique Patres, qui sapientissime ea de re disputaverunt, non modo e quotidiana experientia, verum etiam e liquido apotidiana experientia, verum etiam e liquido apostolorum fonte dictum hauriunt : nam D. Jacobus *Epist.* IV, 16, qui suis monumentis divina panxit, opes ea causa nuncupavit *superbias*, ut vult S. Thomas : « Nunc, inquit, exsultatis in superbiis vestris, » hoc est in divitiis, quibus solent homines superbire. Hinc S. Paulus I *Timoth.* VI, 17, divitibus hujus sæculi præcipiendum esse monet μὴ ὑψηλοφρονεῖν, *non sublime sapere*, hoc est, non elate, superbe, gloriose de se prædicare et sentire. Ita certe fieri solet, ut bonis tumidi, et abundantissima copia fortunarum, ut domini aliorum gestiant, et efferantur insolenti fastidio, quasi in apice fortunatæ vitæ positi; et quod inde sequitur, aliorum hominum conditionem despiciant : sed non modo altos illi spiritus gerunt, et ostentatores fiunt gloriosi, quod tolerandum forte in potentibus videatur; sed longe illud est gravius, quod evadunt inhumani, crudeles, ferrei, qui aliena calamitate non commoveantur, et damnum aliorum prædam suam faciant. Quare S. Ambrosius in *Obit. Satyr.* ejusmodi homines *accipitres pecuniæ* vocat; sed Ezechiel cap. XII, 27, gravius *lupos*, qui præda et sanguine recreentur : illos eosdem, cum Michæas cap. VII, 4, vellet symbolis suis divinitus adumbrare, *paliurum* pingit : « Qui optimus in eis est, quasi paliurus, » quod emblema D. Hieronymus egregie in hunc modum illuminavit : « Paliurus pungens et retinens : pungens appropinquantem sibi et adunco dente comprehendens. » Malus plane durusque vicinus avarus est, quem habendi sitis facit lupum alienis facultatibus inhiantem ac pungentem, et aduncum paliurum : sæpe enim æquitate contempta, et posthabitis legibus tum divinis tum humanis, rapit non sua; et dum bene sibi sit, quam male sit aliis, non admodum curat; cum sæva et impotens illa animi affectio humanitatem omnem ejecerit. Itaque Aristoteles lib. I *Ethic.* cap. III, ait illum, qui studio augendæ quærendæque pecuniæ ducatur, βίαιον, *violentum*, asperum, importunum.

Avari sunt truculenti.

Sed in dictis Patrum est longe major et gravitas et auctoritas, nam eam ob causam D. Chrysostomus in orat., *quod nemo lædatur nisi a seipso*, avaritiam nuncupat ὠμὴν καὶ ἀπάνθρωπον δέσποιναν, *crudelem et humanam dominam* eorum, quos sub jugum veluti suum duxerit; et dignus illius schola magisterioque discipulus Isidorus Pelusiota lib. III *Epist.* 209, eamdem illam inflammatam auri et argenti cupiditatem, qua divinus amor tollitur, vocat ὠμὸν καὶ τυραννικὸν ἔρωτα, *crudelem et tyrannicum amorem*. Denique ne in singulis immorer, dici potest, avaritiam esse complexum omnium vitiorum et humanæ malitiæ consummationem; quod e divinis litteris potest intelligi : nam I *Reg.* VIII, 3, ubi in Vulgata nos habemus : « Declinaverunt post avaritiam; » Septuaginta velut vitii vim interpretantes aiunt, καὶ ἐξέκλινεν ὀπίσω τῆς συντελείας, *et declinaverunt post consummationem*, quasi avari sint in omni genere perfidiæ et improbitatis consummati. Sane Paulinus bonorum gemma pontificum, et divina mente præditus *Epist.* 2, avaritiam non arcu, telo et sagittis, sed criminibus armatam viderat, cujus hoc habet elogium : « Quæ una omnibus armata criminibus vel si sola nos capiat, et zabulo ad malitiam et homini ad mortem sufficit : notabile dictum et mirandum, ait ille vir sanctissimus, qui opibus abundaverat, et hominum studia exquisitissime cognorat, hoc unum vitium improbissimi dæmonis malitiam et studium eripiendæ nobis vitæ et salutis æquare; sufficere hanc pestem ad virtutum omnium chorum evertendum, ad inducendum quodlibet scelus, ad perennem animi morbum, ad interitum. Nec sibi duntaxat aliisque exitio sunt avari, sed insuper, inquit Job, « audacter provocant Deum, » in cujus locum, proh nefas! inducunt tetrum et abominandum idolum Philargyriam, Plutum, Mammonam, cui supplices divinum honorem impertiant. Sic avari caput est delubrum impio cultu et perfidia consecratum, ubi vetusta insanorum hominum superstitio renovatur : scribit enim D. Augustinus lib. IV *De Civit.* cap. XXI, deam pecuniam a veteribus cultam fuisse; sed negat tamen templum habuisse Juvenalis *Satyr.* I :

Avari provocant Deum, et Pluti idolum ei præferunt.

Etsi funesta pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras.

Quo detestabilius est avarorum scelus et vecordia, qui huic idolo in lectissima sui parte cellam dedicant : ipsi victimæ, ipsi aræ, ipsi popæ et agones litant, cor pecuniæ ut hostiam coronatam feriunt, animi vires atque omnem contentionem immolant; vero Numini Plutum anteferunt, ipsam Mammonam non farre et saliente mica, sed cruore et usura vitæ propitiant. Tunc utique virtutes omnes ejiciuntur, et in primis nobilissima et pulcherrima religio, quam impius opum amor ejurat, ut profano et scelerato cultu fictum Numen a dæmone subornatum veneretur : hoc enim agitur, si doctori magno credimus, in quo Deus loquebatur, S. Paulo inquam, qui infandam illam habendi cupiditatem non dubitavit *Colos.* III, 5, nominare *simulacrorum servitutem*, vel, ut in Græco est, *idololatriam*; quam verissime Tertullianus lib. *De Idol.* cap. I, *principale crimen generis humani vocat* : nihil enim detestabilius eo scelere cogitari potest, nihil majori supplicio dignius, quam ut quisquam procreatis a Deo rebus, auro, gemmis, fundo, palatiis summum honorem adhibeat cum inexpiabili veri Numinis injuria; cujus minas illudit, pollicitationes contemnit, justa denique pro nihilo putat, atque incredibili vesanæ mentis audacia deridet : ita Cresollius lib. IV *Mystag.* cap. XXXI, ubi avaritiæ idololatriam pluribus prosequitur.

Crudelis avaritiæ tyrannis et malitiæ consummatio.

Vers. 7 et 8. 7 et 8. NIMIRUM INTERROGA JUMENTA, ET DOCEBUNT TE : ET VOLATILIA COELI, ET INDICABUNT TIBI. LOQUERE TERRÆ, ET RESPONDEBIT TIBI : ET NARRABUNT PISCES MARIS. — Magnam, inquit, vos et solos existimatis scientiam assecutos, eamque quasi vobis tantum notam alios docere vultis; cum tamen hæc ab animantibus, quibus nullus inest rationis usus, ediscere possimus, qualia sunt jumenta, quorum notus stupor, quæ gradiuntur in terra, et volucres cœli, quæ aerem tranant; imo et terra ipsa, quæ non rationis solum expers est, sed et sensus et vitæ. Ipsi etiam muti pisces, qui in maris profunditate sua sibi domicilia locarunt, creatorem suum prædicant. Quibus verbis incipit Jobus ostendere quæ digerenda suscepit, ne ipsius amici soli sibi sapere viderentur : incipit vero acriter, et non eis gloriandum evincit, cum res plane omnibus pervias licet fastu grandi deprompserint, quas vel ex infimis etiam creaturis unusquisque possit percipere, qui mentis oculos ad communium rerum considerationes adjecerit : mundi enim pulchritudo, ordo mirabilis procreatarum a Deo rerum, quotidianus usus et commoda, vis, efficientia, aliaque miranda, quæ in minimis quoque rebus elucent, theatrum veluti quoddam expandit, ubi singularis numinis potentia bonitasque triumphent : quod jucundissimum animo spectaculum esse solet. Ad illud autem genus meditationis ipse mundi atque omnium rerum fabricator Deus per vatum suorum oracula nos invitat. Sic enim divini Spiritus inflammatione atque instinctu loquitur Sapiens *Eccle.* III, 11 : « Mundum tradidit disputationi eorum. » Ubi nomine disputationis non intelligit curiosorum inter se concertationem et συζήτησιν, cum variæ sectæ philosophorum contrarias de rebus opiniones tuentur atque defendunt; sed profundam animi cogitationem, meditationem intimi cordis circa res, quæ mundum hunc varietate sua et compositione distinguunt. Quod disertius e græca versione potest intelligi, τὸν αἰῶνα ἔδωκεν ἐν καρδίᾳ αὐτῶν, *sæculum dedit in corde eorum* : quo eodem modo in hebræo fonte locus idem concipitur. S. Gregorius Nyssenus præclare exponens illam sententiam ait *ævum*, hoc est omnia quæ in ævo seu in omnibus spatiis ac intervallis durationis facta sunt, dedisse Deum cordi humano ad bonum, ut per magnitudinem et pulchritudinem creaturarum contemplemur eum qui fecit illas : itaque S. Basilius hom. 1 *in Hexaem.* mundum eleganter appellat διδασκαλεῖον καὶ παιδευτήριον τῶν ψυχῶν, *commune quoddam animorum auditorium*, exedram sapientiæ, ubi admirabilia doceantur; quem opinor secutus Pisides *in Hexaem.* σχολὴν κτισμάτων, *creaturarum scholam* nominavit. Atqui nihil est in hac rerum universitate tam minutum, ait Aristoteles lib. I *De Part. animal.* cap. III, tamque vile aut abjectum, quod non cum ingentem in animis nostris sciendi pruritum excitet, cum vero in stuporem nos rapiat et auctoris sui commendationem. Et quod Heraclitum Tarentinum dixisse ferunt, cum in casam quamdam fornariam divertisset : Introite, sunt hic etiam dii, hoc in minimis etiam naturæ operibus sentiendum, in quibus multiplex radius divinæ perfectionis elucet : nam, ut recte notat S. Bernardus serm. 3 *De Pent.*, « potentissime ex nihilo omnia, sapientissime pulchra, benignissime utilia sunt creata, » quod confirmans D. Augustinus in *Sent.*, sent. 141 : « Nec auctor, inquit, excellentior est Deo, nec ars efficacior Dei verbo; nec causa melior est, quam ut bonum creetur a bono. »

Creaturæ conditorem suum prædicant.

Mundus ditus disputationi hominum.

Res creatæ Creatoris notitiam nos ducunt.

Effecit hæc naturæ præstantia, ut B. Antonius ille vastæ solitudinis cultor sic universitatis hujus amœnitate caperetur, ut cum quidam ex illo scisciscitaretur, cur tam paucos ac prope nullos apud eum libros conspiceret, respondisse dicatur : Hæc mundi spectacula sic animum suum oblectare, nullum ut aliud librorum adminiculum desideraret; hic invenire se studium amœnissimum, quo semper caperetur, nec unquam satis caperet; *Codicem suum* esse rerum naturam, in quibus verba Dei legere consuevisset. Sic Leo Magnus pontifex maximus serm. 7 *De Jejun. decim. mensis*, elementa mundi vocat *publicas paginas*, quibus erudimur. Et alio quodam in loco ad eruditionem nostram ait omnia elementa servire, « dum per ipsius mundi cardines quasi per quatuor evangelia incessabili tuba discimus quod et prædicemus et agamus. » Eadem fere sunt apud S. Prosperum lib. II *De Vocat. Gent.* cap. I, qui in paginis elementorum et voluminibus temporum divinæ institutionis communem doctrinam legi prodique monet. Adjiciendi sunt igitur oculi ad librum universitatis, ne quis doctrinarum ignorationem aut librorum inopiam causetur. In eo libro non modo S. Antonius, Bernardus, aliique Ecclesiæ Dei lumina, verum etiam et summi philosophi multa miranda et egregia didicerunt : quare Athenagoras scriptor vetus Platonem ait, cum in hujusmodi considerationem incubuisset, mundum appellavisse τέχνην τοῦ Θεοῦ, *Dei artificium*, in quo divinæ sapientiæ lumen ostendisset. Illo studio gemmei libri atque pulcherrimi usi olim sapientes, ad arcana Dei cognoscenda penetraverunt, et ad sempiternam ejus virtutem et divinitatem, ut ait Apostolus *Rom.* I, 20.

Codex S. Antonii rerum natura.

Elementa sunt quasi quatuor evangelia.

Philosophi etiam ex mundi codice suam doctrinam hauserunt.

Sed non est opus ut in antiquos sophos intueamur, qui evanuerunt in cogitationibus suis, nec cognitum e mundi opificio Deum glorificaverunt, cum in nostris habeamus hujus meditationis et invitamenta et exempla. Divinitus illud a Salomone mihi dictum videtur *Prov.* I, 20 : « Sapientia foris prædicat, » vel, ut est in Hebræo apud Cajetanum, *sapientiæ foris cantabunt* : breve oraculum est, sed insigne, tribus verbis ut pyropis illuminatum atque distinctum, quæ operæ pretium est attingere. *Foris* cum dicit, extra hominem esse multa significat sparsa ubique terra-

Sapientia Dei in universo clamitat, et publice docet.

http://www.obrascatolicas.com

rum, quæ reconditam sapientiam contineant; unde paulo post sequitur de sapientia : « In plateis, » vel, ut est in Hebræo · « In latitudinibus dat vocem suam : » nam iutueamur hunc omnem mundi complexum, quam longus et latus est, ab oriente sole ad occidentem, a polo arctico ad antarcticum, plena omnia sunt magni Opificis admirabilitate, et nihil vacuum sapientia : itaque mihi considerate dixisse videtur Salomon numero multitudinis : *Sapientiæ foris cantabunt*, ut intelligamus, in omni re atque loco multiplex nobis artificium a divinæ mentis sapientia objici et proponi ad intuendum, ut intelligentiam acuentes, et singula considerantes, utilia documenta capiamus. Illæ vero sapientiæ notæ tam in oculos incurrunt, tamque animum excitare possunt, ut *cantare* dicantur, et tantum non maxima et clarissima voce in omnium auribus inclamare, ut rerum omnium architectum et agnoscamus, et veneremur, et pectore omni amemus. Sed quod in Hebræo est *cantare*, apud nostrum interpretem est *prædicare*, apud Septuaginta ὑμνεῖσθαι, *hymnis*, cantu et laudatione *prosequi* : illa enim quæ videmus omnia e tenebris et nihilo educta tanta naturæ varietate, vi multiplici, dotibus longe disparibus instructa, magnam illam Creatoris potentissimamque manum concelebrant, fontem illum et thesaurum, verius dicam infinitum in omnem partem bonorum Oceanum undique exuberantem, alto quodam et vocali silentio concinunt et in laude ponunt, ut verissime fuerit dictum : « Sapientia foris prædicat. » Ubi Sapientia foris ludens in creatis rebus quodammodo pingi videtur instar mesochori aut chorodidascali vocum peritissimi, in musica excellentis, quæ non modo cantat, prædicat, ὑμνεῖται; sed omnes universi naturas ciet ad mundi auctorem summum plenissimo et dulcissimo concentu laudandum : aut tenere manu veluti Timothei cujusdam lyram aureamque testudinem; cujus nete sint beati spiritus, et cœlestes orbes atque lumina; hypate vero terra, mare, elementa; mediæ chordæ reliqua. Quæ tanto artificio compositæ sunt atque tensæ, atque ita omnes consentiunt, ut suavissima oriatur symphonia Numinisque prædicatio. Itaque Orpheus in hymnis mundum esse aiebat musicam, et mirabilem symphoniam quæ Demiurgum laudet : Athenagoras autem in *Apol.* eumdem appellat ἐμμελὲς ὄργανον, καὶ κινούμενον ἐν ῥυθμῷ, *concinnum et musicum organum, quod movetur numerose*, cujus aspectu incitamur, ut præstantissimum illum opificem, qui tangit fides, et jucundam modulationem e dissimillimis naturis velut sonis efficit, studio omni et religione veneremur. Unde subdit :

Creaturæ hymnis et concenta quasi musico Deum laudant.

Vers. 9 et 10. 9 et 10. QUIS IGNORAT, QUOD OMNIA HÆC MANUS DOMINI FECERIT? IN CUJUS MANU ANIMA OMNIS VIVENTIS, ET SPIRITUS UNIVERSÆ CARNIS HOMINIS. — Quis, inquit, tam est stupidus atque amens, qui ignoret, aut dubitet hæc omnia a Domino fuisse formata, et ipsius benigna providentia conservari? Qui qua facilitate fecit omnia, eadem posset universa dissolvere, cum in ipsius manu posita sint; a qua ut vitam habent, sic etiam interitum timere debent. Ex qua Jobi sententia per se notum est omnia fuisse a Deo facta, nam exploratum est rem nullam posse a se oriri; siquidem causa et effectus opposita sunt, sive contraria, ut pater et filius : nam ea quæ cum aliquo conferuntur relative opponuntur, quare in eamdem rem convenire non possunt. Non potest igitur esse ut ullum animal a se oriatur, nam causa et effectus in eodem dicerentur; omnia vero animalia constat esse orta, cum omnia consenescant et occidant. Oportet igitur aliquem esse causarum exitum, nam infinitum esse causarum progressum physici fieri non posse demonstrant; ad aliquod igitur animal uniuscujusque patrem quærendo venire oportet, quod non ex alio sit animali natum, sed a Deo factum. Terram etiam et mare cæteraque a Deo effecta esse eadem rationis via philosophi cognoverunt; nec quod aliqui de hoc dubitaverint impedit, quo minus id per se notum et exploratum sit : nam nonnulli etiam de illo omnium certissimo et apertissimo principio dubitarunt : « Quodlibet vel est, vel non est. » Multi etiam lignum et lapidem Deum esse putarunt; siquidem corrupti depravatique hominum animi multas absurdissimas opiniones attulerunt. Recte ergo de iis qui sano sunt judicio Job dicit : « Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit? » Pulchre ad hoc propositum S. Augustinus lib. III *De Lib. arb.* cap. XXIII : « Revera, inquit, si pie ac diligenter attendas, omnis creaturæ species et motus, qui in animi humani considerationem cadit, eruditionem nostram loquitur, diversis motibus et affectionibus quasi quadam varietate linguarum undique clamans atque increpans, cognoscendum esse Creatorem. » Idem S. Doctor lib. XI *Conf.* cap. IV : « Ecce sunt cœlum et terra, clamant quod facta sint : mutantur enim atque variantur. Quidquid autem factum non est, et tamen est; non est in eo quidquam quod ante non erat; quod est mutari atque variari. Clamant etiam quod se ipsa non fecerint, ideo sumus, quia facta sumus. Non ergo eramus antequam essemus, ut fieri possemus a nobis. Et vox dicentium est ipsa evidentia. Tu ergo, Domine, fecisti ea qui pulcher es, pulchra sunt enim; qui bonus es, bona sunt enim; qui es, sunt enim. Nec ita pulchra sunt, nec ita bona sunt, nec ita sunt sicut tu Conditor eorum, cui comparata nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt, » etc.

Natura lumine notum est, res omnes a primo aliquo principio, scilicet Deo, creatas esse.

Omnis creatura clamat creatorem Deum.

Vers. 11 et 12. 11 et 12. NONNE AURIS VERBA DIJUDICAT, ET FAUCES COMEDENTIS SAPOREM : IN ANTIQUIS EST SAPIENTIA, ET IN MULTO TEMPORE PRUDENTIA. — Hic locus varias admittit explicationes, neque facile est statuere, quænam illorum sit germana, aut germanæ propior. S. Chrysostomus et Olympiodorus in *Caten.* sic exponunt, *q. d.* Sicut ea quæ sensibilia sunt externo sensu statim percipiuntur : ita etiam quæ intelligibilia sunt, modo quis velit animum intendere, intellectu facile capi, qualia sunt Dei opera et eorum auctor Deus; usu præsertim et experientia longæ ætatis accedente, quæ Jobo jam tum septuagenario majori defuisse minime videtur. Cui subscribens S. Thomas putat hic agi de cognitione Dei, quam homo ex rerum sensibilium contemplatione et cognitione venatur. « Invisibilia enim ipsius, inquit Paulus *Rom.* I, 20, a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus et divinitas. » Et quia antiqui multa audierunt videruntque, et aliorum sensuum usu perceperunt, majorem quam alii scientiam consecuti sunt; et ideo additur : « In antiquis est sapientia, » etc. Quæ explicatio mihi cum Sanctio maxime placet, quia neque ipsa extorquetur a textu, et optime cum Jobi sensu congruit, qui ex creaturis cognosci posse Deum proxime dixerat. Hæc porro omnia eo spectant, ut intelligant tres illi viri, qui magnam sibi sapientiæ laudem arrogabant, alios etiam attentione mediocri obtinere posse quod sibi aut solis aut cum paucis concessum esse arbitrabantur : quamvis enim ita se res habeat, quod integra et matura ætas multum adferat prudentiæ; tamen est hominibus judicium a natura datum, quo possint de rebus judicare, licet non multum sint ætate progressi; sicut etiam juvenum aures sermones audiunt, et palatus gustat saporem. Quia igitur amici Jobum ad senes et antiquos homines ablegaverant, paulo ante dixit hæc tam plana et perspicua esse, ut non senes et antiquos homines, sed jumenta et volatilia satis sit interrogare : nam ipsa de hujusmodi nos rebus docebunt; quæ ita patent, et in promptu sunt, ut ea quæ sub aures, palatum et alios sensus cadunt; ideoque non opus sit ea sapientia, quæ in antiquis reperitur, et longo tempore comparatur, sed mente et ratione tantum, quæ in singulis hominibus reperitur. Quid autem homines, dum creaturas interrogant, dicerent statim explicat dum ait, quid ex varia creaturarum natura atque operatione, et rerum omnium admirabili ratoque concentu, de illarum sapientissimo atque potentissimo architecto cognoverint, et ideo subdit :

Cognitio Dei ex creaturis.

Vers. 13. 13. APUD IPSUM EST SAPIENTIA ET FORTITUDO, IPSE HABET CONSILIUM ET INTELLIGENTIAM. — Hæc est conclusio, quam ex naturæ principiis demonstravit esse planissimam et omnibus per se notam; vis autem rationis a Jobo contextæ est ejusmodi : paulo ante dixerat in Dei manu omnem animam esse, ex quo suaviter ducitur argumentum ad asserendam Dei sapientiam : si enim ipsemet Deus sensibus hominis, a quibus petitur cognitionis origo, contulit virtutem ad objecta discernenda; si post eam rudem sensuum cognitionem homines ætate provectos per intellectus exercitium multiplicemque rerum observationem ad insignem sapientiam speculando et eximiam prudentiam agendo promovit; porro asserendum est, largitorem sensitivæ ac intellectualis, speculatricis ac practicæ notitiæ ea perfectione minime carere; quin potius asseverandum sublimissima sapientia, fortitudine, consilio, intelligentia præstare : sapientia, ut omnia pernoscat; fortitudine, ut vi fortissima quæ prænovit efficere valeat; consilio, ut miris ac prudentissimis modis omnia flectat quo velit; intelligentia, sive intellectuali visu perspicacissimo, ut omnia creata circumspiciat penetretque, neque extra providentiæ suæ metas aberrare permittat.

Creaturæ Dei sapientiam, fortitudinem, consilium et intelligentiam demonstrant.

Mystice, sapientia, fortitudo, consilium et intelligentia quatuor sunt equi, qui currum triumphalem divinæ providentiæ trahunt : ante quem currum captivi in triumphum aguntur, et toti mundo spectandi ridendique proponuntur superbi consiliarii, injusti judices, impii reges, inglorii sacerdotes : de quibus agit versibus sequentibus : ita Tirinus noster.

Cæterum ad sensum Jobi, hæc in primis mundi insatiabilis pulchritudo, in qua tanta est omnium rerum et concinna in maxima varietate compositio et insignis ornatus, sat declarat magnitudinem sapientiæ, quam esse in artifice oportuit. Quo maxime modo cum antiqui divinæ mentis cognitionem non leviter percepissent, hymnis et præconio suo Demiurgum celebraverunt : quem ea de causa Philo πάνσοφον, *omnigena præditum sapientia* nominavit; Pindarus ἀριστοτέχναν, *præstantissimum artificem*; magnificentius Areopagita Dionysius *De div. Nom.* cap. V, cum eamdem sapientiam titulis multis clarissimis exornat, vocat ὑπέρσοφον σοφίαν, *sapientiam omni sapientia superiorem*. E naturæ autem operibus, ut notis vestigiis, licet illam aliqua ratione intelligere, nam omnia quæ mundi complexu tenentur *Sap.* XI, 21, « in numero, pondere et mensura » confecit; hoc est, eo molimine sapientiæ, ea consilii luce et miranda moderatione, qua major cogitari nequit. Et quemadmodum videmus solem naturæ suæ bonitate radios undique spargere suos, et caloris sui divitias ultro fundere; sic immensa illa sapientia infiniti sui luminis scintillas mittit, et undique universum beat : ab illa, ut uberrimo et copiosissimo fonte, omnes artes, et reconditæ scientiæ, atque arcana et magnifica ingeniorum vis profluxit. Quam ob causam matrona illa nobilis parens Samuelis divino instinctu *Deum scientiarum* nuncupat, I *Reg.* II, 3. Ab illa ordo in omnibus, et mirabilium operum pulchritudo, et velut in concentu symphonia, omne artificium et admirationem superans manavit : itaque S. Paulus *Ephes.* III, 10, « multiformem sapientiam Dei » prædicat. Et David cantu extollit « ejus adinventiones, » vel, ut vertit Symmachus, μηχανήματα, *machinamenta*, excogitationes rerum mirabiles, molitiones inauditas, quas non nisi interminata Numinis sapientia potuit concipere Cumque sint

Sapientia Dei maxime relucet in mundi opificio.

Deus scientiarum Dominus.

http://www.obrascatolicas.com

in hac rerum universitate tam diversæ rerum species natura et genio dissimiles, in quibus tanquam in ingeniorum theatro curiosissime spectandis ita philosophi aliique intelligentes viri elaboraverunt, ut nihil aptius atque perfectius excogitari posse faterentur : tum maxime in homine illius sapientiæ lucem animadverterunt singularem, quam mirari satis non potuerunt. In structura humani corporis filii medicorum et physici obstupescunt, in quo vident partes omnes tum situ, tum proportione, tum connexione inter se atque usu mirabiles. In capite velut in arce collocantur sedes et domicilia sensuum nobilissimorum ; et in summo vultu vigiles oculi : quorum tanta est celeritas, ut temporis puncto milliarium octoginta milliones conficiant : quantum videlicet spatium esse inter terram et stelliferum cœlum mathematici aiunt. Et hujusmodi quidem partium admirabilitatem cum aliis multis eloquentiæ princeps copiose exponit lib. I *Quæst. Academ.* Si vero in animam ipsam ingrediamur, et pervideamus vim ingentem memoriæ, arcanos intellectus splendores, et infinitum acumen, dominatum voluntatis, qui nulla vi aut violentia frangi potest, facile viderimus in opifice tanti operis sapientiam potentiæ æquari.

Mirabilis sapientia Dei in hominis structura.

De hac autem divina potentia, quam hoc loco Job *fortitudinem* appellat, quid dicam? cum regius ipse Psaltes illius admiratione perculsus clamet *Psalm.* CV, 2 : « Quis loquetur potentias Domini? » vel, ut est in Chaldæo, *quis poterit eloqui fortitudines Domini?* ita vocat opera mirabilia et gloriosa, ad quæ necessaria est immensa quædam potentia atque fortitudo. Ut ergo illam ex hoc apparatu aspectabilis mundi cogitando saltem quadamtenus attingere valeamus (nam comprehendere penitus atque intelligentia consequi non est humanæ imbecillitatis) quis non obstupescat, attonitusque defigatur, si diligenter apud se reputet dædalam illam manum Demiurgi, quæ partes mundi tam varias, tamque inter se dissimiles, tam concinno ordine construere, tanta facilitate machinari potuerit? Nihil dico de vastitate oceani atque terræ, quæ innumerabili copia rerum abundant : nihil de aere in ea spatia diffuso, quæ non tam oculis quam ratiocinatione metiri licet : orbes cœlestes intueamur, de quorum vi, luce, efficientia doctissimi viri suis commentariis prodiderunt, et tantisper hæreamus in granditate; quæ est ejusmodi, ut cogitantis mentem sua magnitudine conturbet atque obruat. E stellis ipsis conjectura capi potest, quæ sunt positæ in firmamento, quæ cum nobis videantur non lucernæ igniculo majores, ipsum tamen terræ globum, quantus quantus est, multis partibus, ut mathematici docent, exsuperant. Cum igitur stellæ singulæ tam sint grandes supra hominum fidem et communem opinionem, sintque in eodem cœlo prope infinitæ, adeo ut divinæ litteræ nullo humano ingenio atque industria numerari posse confirment; ipsum cœlum tot et tantis velut clavis aureis distinctum, quod infinities orbis terrarum magnitudinem continet, quantum erit? Profunditas autem et crassitudo cum latitudini illi extremitatique respondeat, sane consequitur tantam esse operis molem, et fusam in omnes partes magnitudinem, cujus notionem vix hominum mentes adumbrare queant. Accedit, quod cum illa tam immani tamque obstupescenda magnitudine sit conjuncta etiam incredibilis eorumdem corporum in motu celeritas; de qua viri sapientes, qui res eas accuratissime dimensi sunt, cum in conventu populari disputant, vix obtinent fidem : nam stellæ in octavo cœlo, quæ sunt positæ circa æquinoctialem, tanta rapiditate feruntur, ut singulis horis quadraginta duo leucarum milliones aut etiam plures percurrant. Tanta igitur illa est futura celeritas, ut eo motu atque incitatione intra spatium salutationis angelicæ terra omnis septies circuiri possit. Hinc sapientissimi quidam scriptores consequi aiunt, si stella una ex omnibus, quarum minima aspectu notabilis tota terra major est, in aere tanto impetu moveretur, fore ut urbes et palatia ruerent, imo ipsi montes, rupes, oceanus dissiparentur in pulverem, cum tantam vim rapidamque tempestatem ferre non possent. Supra vero stellatum cœlum alii sunt orbes longe vastiores; et omnium ultimus empyreus, cujus amplitudinem vix ullius cogitatio percipiat. In suprema illius parte sunt beatorum sedes atque palatia, in quibus in omnem æternitatem cum Deo regnabunt. Docent autem theologi quidam et divinarum litterarum explanatores, Deum ut optimum et potentissimum metatorem singulis beatis distinctum in ipso cœlo domicilium tributurum; unde quemadmodum innumerabiles prope sunt beati ævo sempiterno fruentes, sic necesse est in cœlo ea spatia esse infinita, in quibus divi illi indigetes maneant. Quare si Deus juberet angelum, ut Ezechielem olim templum, ita cœli empyrei superficiem, quæ ora ultima est, et mundi hujus determinatio, funiculo metiri et circumcingere, tam longum tamque infinitum illum esse funem oporteret, ut toto hoc spatio, quod terram inter atque cœlum interjectum videmus, contineri posse non videatur; uti ex astrologorum sententiis colligit Cresollius lib. III *Mystag.* cap. IX.

Potentia Dei in mundi fabricatione mirabilis.

Motus stellarum rapiditas quanta.

Stellarum quanta sit magnitudo.

Hanc autem substructionem e tanta illustrium rerum admirabilitate constantem ipse pollens architectus non tota manu mirabilium effectrice, sed, ut miratur Isaias cap. XL, 12, digitulis tribus sustinet : itaque ridiculi sunt e profanis cosmopœiæ interpretes, qui Atlantem cœliferum inducunt; impia quoque Manichæi stultitia, qui aiebat, ut verbo utar Epiphanii *hæres.* 66, ὠμοφόρον, *bajulum* esse nescio quem terram omnem suis humeris sustinentem, qui trigesimo quoque anno ab humero uno pondus in alterum transferat, unde terræ motus exsistant. Solus ipse Demiurgus totam hanc molem nutu et voluntate continet, quam, si vellet, posset uno momento in nihilum redigere. Unde subdit :

Deus solo nutu totum orbem continet et voluntate sustentat.

VERS. 14. 14. SI DESTRUXERIT, NEMO EST QUI ÆDIFICET : SI INCLUSERIT HOMINEM, NULLUS EST QUI APERIAT. — Destruere et non ædificare aliquos, idem est quod excindere illorum genus, familiam, domum, nec propagare, nec prosperare; vel etiam non permittere, ut conspirantes inter se homines, præsertim impii, tanquam coagmentati in morem ædificii amplius cohæreant et consistant; quemadmodum de iis dicitur *Psalm.* XXVII, 5 : « Quoniam non intellexerunt opera Domini, et in opera manuum ejus destrues illos, et non ædificabis eos. » E contra bonis promittit Deus *Jerem.* XLII, 10 : « Si quiescentes manseritis in terra hac, ædificabo vos, et non destruam, » id est propagabo, prosperabo, non perdam, non destruam, quo sensu dicitur *Exod.* I, 21 : « Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos, » id est, reddidit fœcundas, felices, opulentas. Verbum ergo *ædificandi* generatim accipitur pro quacumque prosperitate, vel speciatim pro filiorum generatione, quæ passim in Scripturis hebraica phrasi *ædificatio* nuncupatur : sicut e contra verbum *destruendi* in genere de quocumque exterminio aut ruina tam temporali quam spirituali, vel magis specialiter de morte filiorum sumi potest, per quam domus ædificata destruitur : quo sensu etiam *inclusio* pro sterilitate, et *apertio* pro fœcunditate accipitur, *q. d.* Placuit Deo domum meam per mortem omnium filiorum meorum destruere; si hoc ita permanere statuerit nunquam ædificabor, nunquam alios filios generare potero : « Nisi enim Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam, » *Psalm.* CXXVI, 1 ; vel certe magis generatim hoc dicit, quod vindicta divina nonnunquam occultis, sed semper justis de causis quasdam seu nationes seu regiones ita deprimere perseverat, ut vana sit omnis contra nitentium industria : ita olim Deus Idumæos primo per Chaldæos graviter afflixit; deinde ad antiquam felicitatem postliminio aspirantes partim per Judam Machabæum, partim per Hircanum, ejusdem ex Simone nepotem, gravissimis cladibus contrivit : hic enim per vim circumcisos ad judaicos ritus transtulit, donec tandem sub Tito ita reliquiæ gentis profligatæ sunt, ut ne vestigium quidem Idumæorum aut posteritatis Esau reperiatur.

Destruere et ædificare quid significet in Scripturis.

Nemo Deo valet resistere punienti.

Tropologice S. Gregorius lib. XI *Moral.* cap. VIII : « Omnipotens, inquit, Deus humanum cor destruit cum relinquit; ædificat dum replet : neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo; quia ad perditionem sufficit ipsa sibi. » Et mox subjicit : « Unde plerumque fit, ut cum audientis cor exigentibus culpis omnipotentis Dei gratia non repletur, incassum exterius a prædicatore moveatur : quia mutum est os omne quod loquitur, si ille interius in corde non clamet, qui aspirat verba quæ audiuntur. Unde Propheta dixit *Psalm.* CXXVI, 1 : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* Et Salomon ait *Eccle.* VII, 14 : *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.* » Auget vero statim sententiæ pondus ex Caini exemplo; qui ab omnium optimo concionatore, nempe Deo, exterius admonitus, ad bonam tamen mentem non rediit; quod qui illi ad aures loquebatur interius non operaretur velle et perficere, sic enim ille : « Hinc est *Gen.* IV, 9, quod Cain et divina voce admoneri potuit, et mutari tamen non potuit : quia exigente culpa malitiæ jam intus cor ejus Deus reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat : » ita S. Gregorius. Male tamen Calvinus aliique ejusdem farinæ ex hoc similibusque sacræ paginæ locis conantur elicere, quosdam scilicet a Deo ante omnem culpam sic despici, et, ut vocant, obdurari, ut nullo labore nullaque industria possint ad virtutem probitatemque pertingere; tamque insuperabili fato æternis cruciatibus destinari, ut omnis irritus sit ad salutem conatus. Istiusmodi despectus et obdurationis exemplum in Pharaone nobis exhiberi contendunt; quem irrefragabili fato velut ad certamen cum Deo volunt excitatum (quemadmodum in arena Threx cum Myrmillone componitur) ut indomita cervice divinis imperiis obluctaretur, ac tandem inevitabilis rebellionis pœnas vivus mortuusque lueret atrocissimas. Sed amabo, quænam esset hæc tam dira tamque inaudita tyrannis, quæ ferrea necessitate inextricabilibus peccatorum laqueis homines irretiret, ut iisdem damnatis reorum se suppliciis oblectaret? Qui posset Deus usquequaque justissimus hanc justitiæ laudem sibi vendicare, si ab iis pœnas exigeret, quos idcirco in scelus impulisset, ne fatale sceleris decretum effectu frustraretur? « Sane justitia justa non erit, inquit D. Fulgentius lib. I *ad Monim.* cap. XXII, si puniendum reum non invenisse, sed fecisse dicatur; » major vero erit injustitia, si lapso Deus retribuat pœnam, quem stantem prædestinasse dicitur ad ruinam. Si homo a Deo despectus, necessariisque ad virtutem subsidiis destitutus, imo occulta quadam vi in facinus impulsus, nihil in salutis aut damnationis suæ negotio libere agit, sed agitur potius ut globus a projiciente, ut securis a secante, ut lutum a figulo; quibus nullum sui arbitrium est; cur non accusatur potius ille plus quam stoicus fatorum impulsus, quam inevitabilis miserorum necessitas dicam verius quam culpa? Non injuria sic olim cum Jove expostulabat quidam apud Lucianum : Si Parca omnium rerum est causa, ergo si quis patrem occiderit Parca in culpa est. Si Minos recte velit uti judicio, multo æquius Fatum pro Sisypho puniet, et Parcam pro Tantalo : quid enim illi injuste egerunt, quando Parcæ dicto audientes fuerunt? Valeant igitur, valeant hæc novatorum deliria : non ea mens est hagiographo-

Nemo a Deo ante omnem culpam rejicitur.

Deus destruit quos relinquit.

Sine Dei gratia frustra est omnis prædicatio.

http://www.obrascatolicas.com

rum, cum obdurari aliquem, despici, in reprobum sensum tradi affirmant, ut eos omni velint aut ad virtutem excitamento aut ad salutem auxilio destitutos; sed non parem omnibus divini favoris et gratiæ affluentiam asserunt communicari; rara tantum ac tenuiora subsidia, gravissimorum peccatorum meritis subinde sic exigentibus, volunt suppeditari. Ita recte Tollenarius noster in illud *Eccle.* VII, 14 : « Nemo potest corrigere quem Deus despexerit; » quod non sic intelligendum probat, quasi omnino de vitæ reformatione putet esse conclamatum (nihil enim vetat eum qui jam despicitur reconciliata postliminio gratia charum acceptumque reddi) sed familiari Scripturæ phrasi *impossibile* dicit, quod arduum ac difficile esse convincitur : quia nimirum par non est eos peculiaribus amoris illecebris a Deo prævenîri, qui se potius despectu dignos reddiderunt; nec facile est eos ex ima sceleruni abysso emergere qui Deo manum subinde porrigenti per ludibrium insultant.

SI INCLUSERIT HOMINEM, NULLUS EST QUI APERIAT. — Pulchre hoc etiam exponit S. Gregorius lib. XI *Moral.* cap. V, dicens : « Omnis homo per id quod male agit quid sibi aliud quam conscientiæ suæ sibi carcerem facit? Qui cum judicante Deo in malitiæ suæ cæcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne evadendi locum inveniat, quem invenire minime meretur : nam sæpe nonnulli a pravis actibus exire cupiunt, sed quia eorumdem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi a semetipsis exire non possunt. » Debitas utique suis sceleribus divinæ justitiæ pœnas luit peccator, dum assiduitate peccandi sibi ipsi vincula fabricat super indurati pectoris incudem, sibi ipsi carcerem ædificat nefariorum scelerum vindicem : etenim æterna inferorum supplicia aliquatenus æmulatur, dum sibi evadendi aditum præcludit, impossibilitatem non physicam, sed moralem elabendi e vinculis et carcere sibi ingenerat. Hunc peccatoris statum describit S. Patianus Orat. *De Bapt.* circa finem, ubi ait : « Si quis redemptionis ignarus rursus ad angelorum servitutem transierit, antiquis illis compedibus et catenis, id est peccati vinculis alligabitur, et fient novissima ejus deteriora prioribus : quia et diabolus eum quasi perfugam victum vehementius illigabit. » Etenim ille qui contritis dæmonis laqueis et mundi contemptis illecebris ad exercitum et partem filiorum Dei victor et ovans transierat, si postliminio rursum per peccatum quasi terga dans Christo, et socios despiciens angelos, ad Satanæ vexillum evolarit, dux impius et animarum hostis antiquum servum recognoscens, et perfugam militem severiori custodia claudens, durioribus compedibus et strictiori vinculo nectit, ne iterum fugam meditetur.

Iniquus sceleribus suis carcerem sibi adificat.

Mala pec candi consuetudo.

Diab los peccatorem in vincula conjicit

Vers. 15. 15. SI CONTINUERIT AQUAS, OMNIA SICCABUNTUR : ET SI EMISERIT EAS, SUBVERTENT TERRAM. — Hæc simpliciter primo et obvio sensu de pluviarum in terram immissione, earumdemque ad ejus libitum retentione, tanquam de divinæ potentiæ eximio opere intelligere possumus. Et quoniam aquæ fœcunditatem et rerum abundantiam denotant; illa aquarum retentio vel earumdem effusio nihil aliud significat quam penuriæ vel abundantiæ a Deo liberam et voluntariam immissionem. Quasi dicat : Quando vult potest tum sterilitatem, tum copiosam rerum omnium abundantiam elargiri : neque ad hos tam illustres ac diversos effectus instrumentis indiget, quibus salutem hominibus aut exitium afferat; sed id sine ullo rerum apparatu sola sua voluntate quam citissime perficit. Ut enim ad universi fabricam et cœlestium orbium molitionem neque ferramentis ac vectibus, neque ullis machinamentis indiguit; sic etiam neque ad demoliendum ac dissipandum, quod ante sine ullo labore atque adjutore construxerat : nihilominus sive perdere omnia sive conservare voluerit, arma habet ad utrumque consilium potentissima; quia manus illa tractat omnipotens, cui nihil esse potest infirmum. Sane quæ frigore concrescunt atque conglaciant arma dicuntur Dei, juxta illud *Job.* XXXVIII, 22 : « Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ et belli? » Nunc Jobus aquam instrumentum esse dicit divinæ potentiæ, qua vel compressa et clausa, vel affluentius et immoderatius emissa civitates plurimæ perierunt. Deficiente pluvia et multorum annorum siti arentibus agris desertam esse terram a cultoribus et incolis non semel accepimus. Neque id in sacris Scripturis et Ecclesiasticis Annalibus infrequens. Nemo paulo doctior ignorat qualiter afflicta terra fuerit septem annorum fame *Gen.* XLI, quam prædixit Joseph, et iterum tempore Elimelec *Ruth.* I, et sub Achab III *Reg.* XVII, et sub David II *Reg.* XXI. Mitto siccitates alias : illa quæ totam invasit et vastavit Hispaniam satis probat a Deo non civitates solum, quod accidit sæpe, sed provincias totas potuisse subverti : produnt namque antiquissimæ Hispanorum historiæ viginti sex annorum siccitate omnes fontes et fluvios aruisse, præter Iberum et Bœtim, et terras in hiatus usque adeo vastos atque profundos discessisse, ut qui alio victus quærendi gratia commigrare vellent, quo minus abirent obvia passim immensa voragine prohiberentur. Sic Hispania diuturna fame bestiis hominibusque consumptis in solitudinem redacta est; uti notat Sanctius noster ad hunc locum, et ipse Hispanus, in historiis regni sui minime peregrinus. Similem omnino in Gallia siccitatem, qua fontes et putei exsiccati sunt, anno Domini 1307 tradit Robertus de Monte : quod et Martinus Polonus ante ipsum tradiderat.

Aquarum copia fœcunditatem, retentio sterilitatem significat.

Creaturæ omnes armata Dei sunt.

Siccitatis diuturnæ exempla.

Quanta vastitas ex nimia siccitate contigerit in Hispania Galliaque.

Quod autem fecit inducta fame et in æneo cœlo pluvia compressa, idem fecit non semel aquis e cœlo aut e terræ scatebris immoderate profusis. Et ut prætereamus vulgatissimum illud noetico

Aquarum inundationes terribi-

sæculo diluvium, quo quadraginta diebus, nullo interpellato momento, continuis in universum orbem pluit, adeo ut supra omnes montes quindecim cubitis omnis superficies terræ obrueretur inundatione, cujus præter Moysem meminit etiam Plato, teste Eusebio lib. XII *Præpar.* cap. X. Alterum Ogygii diluvium fuit in Achaia, quod Deucalionæo et antiquius et majus exstitisse testantur Solinus, Eusebius Cæsariensis, S. Augustinus lib. XVIII *De Civit.* cap. VIII, atque Orosius lib. I, cap. VII, qui narrat illud annis mille quingentis ante urbem Romæ conditam contigisse. Tertium Deucalionis fuit in Thessalia, de quo S. Augustinus eodem lib. *De Civit.* cap. VIII et X, et Orosius lib. I, cap. IX. Utrumque illud in Græcia fuisse, non tamen in Ægyptum usque pervenisse constat ex eodem S. Augustino *supr.* cap. X, ac Platone in *Timæo*, ac Diodoro Siculo. Quæ omnia diluvia absque ira Dei contigisse nemo temere audeat asserere, cum tanta rerum perturbatio facta fuerit, tot homines civitatesque absorptæ sint. Sed et D. Gregorius *Hom.* 35, ex 40, pluvias nimias ad indignationem divinam spectare scripsit in hanc sententiam : « Notandum, inquit, quod dicit Dominus futuros terrores de cœlo et tempestates. Cum tempestates hiemales venire soleant ex ordine temporum, cur hoc loco tempestates venire in perditionis signo prædicuntur; nisi quod eas tempestates Dominus venire denuntiat, quæ nunquam ordinem temporum servant? quæ enim ordinate veniunt signa non sunt, sed tempestates in signo sunt, quæ ipsa quoque temporum statuta confundunt : quod nos quoque nuper experti sumus, qui æstivum tempus conversum in pluviis hiemalibus vidimus : » sic ille. Pluviarum quoque ingentium notabile exemplum habemus apud Evagrium lib. II, cap. XIV, in hæc verba : « Priscus memorat tam ingentem pluviam Constantinopoli et in Bithynia exstitisse, ut ad tres aut quatuor dies aquæ instar fluviorum de cœlo præcipitarent, et montes illarum violentia in planitiem deprimerentur : quin etiam sic obruerentur pagi, ut in exitii discrimen venirent, inque Boana lacu, qui non longe abest Nicomedia, ob crebram, sordidam cujusque generis materiam in eum congestam, nonnullæ fierent insulæ. » Atque hæc quidem sub Leone imperatore : quæ totidem fere verbis recenset Nicephorus lib. XV, cap. XX. Illa ipsa Constantinopolitana urbs posterioribus quoque sæculis sua ob crimina eamdem cladem experta rursum memoratur : anno enim Christi 1490, quando Turcicum jugum jam diu ferebat, auctis magnum in modum culpis, 12 julii tanta procella imbrium exorta est, ut hominum tria millia et octingentas domos absumpserit, ut Palmerius tradit, et Nauclerus, et Langius in *Chronic.* anno Domini 1490. Similia quoque in Germania non semel contigisse memorantur : nam in Bohemia Albis fluvius nimiis imbribus excrescens anno Domini 1432, multas cum plebe villas consumpsit, et juxta urbem Hallensem Sulæ muros superavit; atque in Thuringia supra 40 pagi submersi perierunt, hominibus armentisque absumptis, ut Krantzius lib. XI, cap. XXVII, commemorat. Quin et in Saxonia circa D. Nicolai festum anno Domini 1264, multæ villæ demersæ memorantur, ut ex *Append.* Schafnaburgensis constat, et ex *Compil. Chron.* ejusdem anni. Quibus accedit in Belgio nostro ob nimios imbres inundatio Mosæ fluvii et Walis juxta Dordracum : qui maris æstu accedente anno 1421, usque adeo excreverant, ut septuaginta totos pagos submerserint : quo casu una cum bonis suis centum hominum millia periisse memorantur, teste Georgio Brun in *Dordr.* suo. Unde patet quam vere Job dixerit terram omnino subvertendam, si Deus tantum aquis frena laxare voluerit.

Diluvia ab irato Deo immissa.

Exempla pluviæ prodigiosæ.

16. APUD IPSUM EST FORTITUDO ET SAPIENTIA : IPSE NOVIT ET DECIPIENTEM ET EUM QUI DECIPITUR. — Hæc est conclusio eorum quæ dixit, scilicet Deum omnibus fortitudine sapientiaque præstare : quam postquam hactenus ex rebus naturalibus abunde probavit, eamdem ab hoc versu usque ad finem capitis ex rebus quoque moralibus probare nititur. Quæ cum hominum voluntate administrentur, ne quis forte putaret eas Deo minus perspectas esse, prudenter subjungit : « Ipse novit et decipientem et eum qui decipitur; » id est illum qui infert et illum qui patitur injuriam, nempe innocentem, qui ab iniquo et callido fraudulenter traducitur, et qui illi fraudes et insidias parat : illius quidem ut causam tueatur, et injurias ulciscatur; alterius vero insolentiam compescat, et debitas ab eo pœnas exigat. Cæterum sermonem prosequitur de divina sapientia et potentia quæ præsertim erga principes, reges et magnates quotidie exerceri videntur; quos sapientissime simul et potentissime Deus e dignitatum et honorum sublimitatibus ad abjectissimas conditiones exturbat ac dejicit. Hoc autem facit Job ut Sophari respondeat, qui ei cap. IX, 19, pollicitus fuerat dicens : « Et deprecabuntur faciem tuam plurimi. » Respondet ergo, *q. d.* Haud equidem miror, o Sophar, e sublimi dignitate, ob quam multi olim faciem meam deprecabantur, ad hanc extremam penuriam abjectissimamque conditionem a Deo me fuisse redactum : ipse etenim est *Psalm.* XCIV, 4, « in cujus manu (tam plenario jure) sunt omnes fines terræ, » ut honores et dignitates habere, aut in eis permanere, ex ipso et cum ipso omnino sit. Ipse est qui sua sapientia optime novit et eum qui a statu suo decidit, aut declinat; et quidquid in causa sit, cur talis in eo permutatio fiat. Hoc autem meum non est quærere; sed unum scio, quod optime et sapienter omnia facit : nam « hunc humiliat et hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto; et inclinavit ex hoc in hoc. » Tobias quoque cap. XIII, vers. 2, et Auctor libri Sapientiæ, cap. XVI, 13, similia dicunt

Vers. 16. Deus novit decipientem et eum qui decipitur.

17. ADDUCIT CONSILIARIOS IN STULTUM FINEM ET JU- Vers. 17.

http://www.obrascatolicas.com

Politici et astuti consiliarii sæpe malum finem sortiuntur et capiuntur in astutia sua.

DICES IN STUPOREM, — id est, facit ut viri, qui prudentes habentur, vehementer errent, et ea dent vel accipiant consilia, quorum exitum non inveniant. Divinæ litteræ unum ejusmodi veluti in theatrum adducunt Achitophelem, impium sycophantam, consiliarium ad omnem malitiam instructum; qui ingenio abutebatur suo et prudentia naturali ad innocentium vitam lacerandam et evertendam pietatem. Dignus certe ille fuit, cujus fauces atque os importunum laqueus obstringeret, a quo teterrima et exitiosa consilia manabant. Similes modo sunt quos jam vulgus *politicos* nominat, qui a vanissimo Machiavello instructi et subornati ad impietatem, exuto Numinis metu, synteresi exstincta, consepulta conscientia potentissimi Dei sanctiones pro nihilo habent, dummodo reipublicæ opes augeantur, et ambitio gloriosa pompa triumphet. In quorum impunita malitia et detestabili fraude miserans gemit christiana pietas, et dicit cum Jacobo divinitus afflato *Gen.* XLIX, 6 : « In consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu eorum non sit gloria mea.»

Consiliarium talem esse oporteat.

Consiliarium certe non peritum modo scientemque esse oportet, verum etiam virum probum, justitiæ amantem, reverentem Numinis, qui conscientiæ bonæ cultum et pietatem magni faciat : nam ut hominum memoriæ proditum reliquit Clemens Alexandrinus lib. II *Strom.*. βουλαῖς ἀνδρῶν ὁσίων αὖ μὲν οἰκοῦνται πόλεις, εὖ δ' εἶκος, *sanctorum virorum consiliis civitates recte administrantur, recte et domus.* Hinc putant Sapientes magnum esse Dei beneficium, habere bonos et fideles consiliarios, quod diserte Dion Prusæus cognomento Chrysostomus *Orat.* 32 asserit : nam quibus, inquit, «Numen benevolentiæ suæ curam et singularis providentiæ tribuit, iisdem parat instruitque συμβούλους ἀγαθούς, *bonos et probos consiliarios,* qui suo tempore utiles sententias et commodum genus orationis impertiant. » Quæ docti alioquin oratoris, sed ethnici, forte levior esse videretur auctoritas, nisi illud idem Vates nostri et a Deo illuminati prophetæ dixissent : nam mundi parens apud Isaiam cap. I, 26, cum favorem explicare vellet suum inclytamque benevolentiam erga populum Hebræorum, ait se daturum illi consiliarios, quales ab antiquissimis temporibus habuissent, qui ad divinum cultum et communem gentis felicitatem suis consiliis omnia moderarentur : « Restituam judices tuos ut fuerunt prius, et consiliarios tuos sicut antiquitus. » Quod S. Basilius *in Isai.* cap. I, recte μεγάλην εὐεργεσίαν, *ingens beneficium* appellat : sanctissimus idem Vates cap. III, 3, inter horribiles Dei minas et in primis humano generi metuendas reponit quod Numen denuntiat, se a populo «consiliarium virum ablaturum,» quasi diceret, se naviculam in medio fluctu et immensis oceani voluminibus collocaturum sine velo, sine gubernaculo, quæ ludibrium sit vento futura : qui status non potest esse non miserrimus et funestus. Rem adumbrarunt docti e Græcia et fabulis erudite exornaverunt, aiunt enim Neptunum deum, Atticæ præsidem, iratum Atheniensibus quasi furiam quamdam immisisse Athenas δυσβουλίαν, hoc est *stultum et malum consilium,* inconsultam temeritatem, confusionem et perturbationem judiciorum, turbulentas sententias, inausupicatam mentem; unde multa graviaque mala consecuta sint. Isaias *spiritum vertiginis* appellat, quo impii ob sceleratam vitam correpti, et Deo odiosi, in gerendis negotiis suis agitentur, et Numine puniente ebriorum instar oberrent; hoc est nihil consilio faciant, inconsideratissime imprudentissimeque labantur *Isai.* XIX, 14 : « Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis. Et errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo sicut errat ebrius. » Septuaginta dicunt πνεῦμα πλανήσεως, *spiritum seductionis;* alii vertunt ex Hebræo *spiritum perversitatum,* vel *spiritum divaricantem.* Nec dissimili sensu D. Paulus dixit *operationem erroris,* cum ita scribit II *Thess.* II, 10 : « Mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio. » Quæ omnia miserandam eorum hominum conditionem illustrant, qui a Deo derelicti, inopia consilii et animi perturbatione circumacti, huc illuc ancipiti cogitatione æstuque rapiuntur, et vanis sæpe imaginibus delusi exerrant. Id quod Job proprie hoc loco significat cum dicit : « Adducit consiliarios in stultum finem. » Quod autem addit:

Magnum Dei beneficium habere probos consiliarios.

Bonorum consiliariorum ablatio maximum malum reipublicæ.

Διυβουλία. Quantum malum.

ET JUDICES IN STUPOREM, — id est, stupidos reddit et consilii expertes eos qui rerum potiuntur, et rempublicam capessunt; ut cum salus agatur et summa reipublicæ, nihil eam studio et opera sua juvent : cum enim judices potissimum sapientia pollere deberent, eorum casus ad animi stuporem et stultitiam reducitur, ut appareat Deum magnates spoliare posse etiam internis et spiritualibus donis, qualis est sapientia, ut qui velut Salomon sapientes erant, asino stupidiores efficiantur, imo penitus desipiant; vel potius eo usque illos deprimat, ut ab omnibus pro fatuis habeantur. Porro nomen *judicis* in hoc loco non præcise sumitur pro eo qui ex officio causas dijudicat, et tanquam justitiæ minister unicuique quod suum est reddit, sed generaliter pro qualibet suprema potestate. Sic olim qui præfuerunt Hebræorum genti ad tempus usque Heli *Judices* vocabantur; quibus idem pene jus eædemque partes erant quæ regibus, ut docet liber totus Judicum. Illi hebraice dicuntur שופטים *Sophetim,* a quibus magistratus summus apud Pœnos nomen accepit, qui *Suffetes* dicitur, ut ait Livius lib. VIII, *Decad.* 3; Pœnos autem et Phenices multa ab Hebræis accepisse vocabula docet Augustinus contra litteras Petiliani, cap. CIII. Fuit tamen inter reges et judices apud Hebræos aliquid discriminis, quod paucis explicuit Lactantius lib. IV *De Sap.* cap. X : « Primo, inquit, non dominio regum subjecti fuerunt Judæi, sed populo ac legi civiles judices præsederunt; non tamen in annum constituti sunt sicut romani consules, sed

Deus cum vult stupidos reddit judices qui habebantur sapientes.

Judices olim iidem pene qui reges.

discrimen.

perpetua jurisdictione subnixi. » Neque ulla erat illis condendi leges aut imponendi tributa legitima potestas, aut novam inducendi gubernationis formam : quare non tam Hebræi tunc a Judicibus quam a Deo gubernari dicebantur; unde Dominus Samueli dixit I *Reg.* VIII, 7 : « Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos. » Reliqua ferme judicibus cum regibus fuere communia, de quibus subdit :

Vers. 18. 18. BALTEUM REGUM DISSOLVIT, ET PRÆCINGIT FUNE RENES EORUM, — id est, in Dei potestate est reges regiis insignibus exuere et servos facere, quemadmodum etiam Daniel denuntiavit cum dixit cap. II, 21 : « Ipse mutat tempora et ætates, transfert regna atque constituit. » Pro *balteo* hebraice est מוסר *muzar,* id est *vinculum,* q. d. Gloriosam potestatem, qua alios vinciebant, a regibus aufert, facitque ut eorum loco funibus in carcere vinciantur, aut ad mortem trahantur. Noster interpres optime vertit *balteum,* tum quia gloriosæ pompæ signum erant bullæ, et inde dictus *balteus,* quasi *bullateus,* a bullis illi instar clavorum affixis, ita Varro et Pierius *Hierog.* sub nomine *bulla;* tum quia a balteo pendebat gladius potestatis et vindictæ index, balteus enim apud Romanos, teste Quintiliano lib. II, cingulum erat ex corio bullis distinctum, ex quo pendebat ensis; ducebatur autem oblique ab humero dextro ad sinistrum, eratque ornatus equestris ordinis, aut clarissimi alicujus magistratus publicive honorifici muneris, ut in Jure Civili patet Cod. lib. XII *De Metat. et epidem.* tit. 41. Hinc apud Horatium *De Arte Poet.* vocantur quidam *cinctuti,* id est cincti balteo. Hic baltei usus multis annis ante Romam conditam Judæis erat familiaris, cum tempore Davidis eo duces uti soleant : inducitur enim III *Reg.* II, 5, Joab primus Davidis dux ornatus balteo : et multo ante erat is ornatus regalis, ut ex hoc Jobi loco patet.

Balteus quid, et unde dictus.

Tropologice S. Gregorius lib. XI *Moral.* cap. VIII, vult justos appellari *reges* propter castitatem et continentiam, quæ maxima est castitatis laus; et in hunc sensum locum præsentem interpretatur : « Qui membrorum, inquit, suorum motus bene regere sciunt non immerito *reges* vocantur; sed cum de ipsa continentia elatione mens tangitur, plerumque omnipotens Deus ejus superbiam deserens, hanc in immunditiam operis cadere permittit : *regum* itaque *balteum dissolvit,* quando in his qui bene regere sua membra videbantur, propter elationis culpam castitatis in eis cingulum destruit, » etc.

Castitas et continentes sunt vere reges. Continentia perditur ob superbiam.

Vers. 19. 19. DUCIT SACERDOTES INGLORIOS, ET OPTIMATES SUPPLANTAT, — id est, non solum reges, sed etiam sacerdotes et optimates de gradu dejicit, ita ut nihil sit excelsum aut firmum in orbe quod divinæ potentiæ reluctari queat. Continetur autem in titulo *sacerdotum* eminens quædam et honorifica majestas, sic ut Hebræi viros principes, qui præstabili quadam amplitudine cæteros anteeunt, tametsi nullam sacram functionem attingant, nominent tamen *sacerdotes.* In libris certe Regum II *Reg.* VIII, 18, filii Davidis *sacerdotes* nuncupantur non proprie (neque enim e tribu fuere Levi, aut ullam partem sacræ rei habuere in potestate) sed quod in aula et palatio forent principes et dynastæ, atque in omnium oculis eximia luce gloriæ fulgerent : itaque II *Reg.* XX, Septuaginta dicunt ἀυλάρχας, *purpuratorum dominos,* aulæ ocellos. Sic et Iram Jairites Davidis nominatur *sacerdos,* hoc est unus e principibus viris, qui in ejus comitatu essent regio, qui gratia et dignitate omnium prope aliorum lucem præstingueret. Putiphar *Gen.* XLI et XLVI, vocatur *sacerdos On,* hoc est *princeps Heliopoleos,* ait Chaldæus. Adeo nimirum constabat apud veteris Ecclesiæ heroas, qui divina scripta nobis reliquerunt, *sacerdotii* nomen adsignificare quiddam magnificum, nobile, venerandum; et neminem de sacerdote cogitare, qui non pariter summæ amplitudinis virum et potentissimi dominatus principem animo concipiat.

Viri principes tametsi non sacri, dicti olim sacerdotes.

In hoc certe admiranda est opificis omnium Dei providentia, a quo linguam sanctam institutam et expolitam volunt, quod hebræum כהן *cohen* sacerdotem simul et principem significet, a כהן *cihen,* quod est *sacerdotio fungi,* vel *magnificare,* eximium esse inter omnes, præstare dignitate. Et ne forte exiguum quemdam principatum et fortunæ telis obnoxium esse putaremus, Rex hymnorum divino afflatu canit *Psalm.* CXXXVIII, 17, illum esse *nimis confortatum,* hoc est potentissimum, inconcussum, supra nubes atque ventos positum, omni instabilitate superiorem; cujus causam petere videtur a familiaritate cum Deo summo rege, in cujus domo, id est Ecclesia, velut in aula palatini primi sunt atque omnium gratiosissimi, quare illos vocat ἑταίρους, *Dei socios* et familiares : nam in eodem loco, ubi nos habemus : « Nimis honorati sunt amici tui Deus, » alius interpres apud S. Chrysostomum legit, τίμιοι οἱ ἑταῖροί σου, *pretiosi et venerandi sunt familiares tui,* qui tua beatissima societate commercioque dignantur : ut jam inde ab hac vita id consecuti videantur, quod antiqui ab Hellade sophi, quasi per nebulam excellentium animarum gloriam et felicitatem intuentes, post hanc vitam accidere magnis viris sapientibusque dicebant; illos enim ad cœlestem regionem evectos fieri Jovis ἑπαδοὺς, *comites* atque *assessores,* Plato in *Phædr.* Themistius *Orat.* I, et Philostratus tradiderunt.

Vox cadem Hebræis sacerdotem et principem significat.

Sacerdotes Dei socii nimis ab eo honorati.

Sed quid externos cito, cum in manibus sint doctissimi Patres, et divino afflatu proditæ litteræ, in quibus sacerdotio ornati nominantur *reges?* Qua de re divina quadam mente disputat S. Paulus *Hebr.* VII, ubi docet magno Servatoris mysterio translatum sacerdotium fuisse ex tribu ad tribum, de sacerdotali ad regalem. Atque, ut animadvertit S. Ambrosius in istius loci commentariis, primum fuit regale sacerdotium Melchisedech, secundum sacerdotale in Aaron, tertium in

Sacerdotes sunt reges.

http://www.obrascatolicas.com

Christo denuo fit regale. Adeo ut nullus jam sit mystes in Ecclesia catholica legitime initiatus, quin subito, non ut olim in scuto militari bellatorum claris cervicibus, sed angelorum pene dicam humeris, coronatus in sublime tollatur; quod *Exod.* XIX, 6, providens animo Moyses christianos perhonorifice compellat *regnum sacerdotale*, vel, ut est apud Septuaginta, βασίλειον ἱεράτευμα, *regale sacerdotium;* quod idem apex religionis dixit S. Petrus atque in Apocalypsi Joannes. Hinc salutis nostræ Deus *sacerdos* fuit nominatus *secundum ordinem Melchisedech*, qui ordo omnium est clarissimus, hoc est regius. Vel quod is ordo e duobus coalescat, quæ inter homines admirabilitatem summam eximiumque splendorem habent e sacerdotio et regio dominatu, ut doctissimus Hieronymus in epist. *ad Evagr.* auctor est. Fuit enim Melchisedech ille typus Servatoris augustus, id naturæ miraculum, charum Deo caput et electum, ante circumcisionem israelita, ante evangelium christianus, ante teletas consecratus; fuit inquam ille mysteriorum prodromus, simul rex Salem, et summi Dei sacerdos, ut divinæ litteræ meminerunt: ab illo ordo manavit primum ad Ægyptios, deinde Græcos, post Romanos, ut ejusdem proprium esse putaretur μοναρχεῖν καὶ ἱερατεύειν, *regnare et sacerdotio fungi*, ut prodit Aristoteles lib. III *Polit.* cap. X. Hinc in Palæstina ἱερωσύνη, *sacerdotium* nominabatur βασιλεία, *regnum*, ut loquitur Xiphilinus in *Pomp.* ita Cresollius noster lib. I *Mystag.* cap. IV, ubi hæc fusius prosequitur.

Sacerdotium regale.

Melchisedech rex et sacerdos fuit typus Christi.

Ait ergo Jobus eos qui vel hujus ignari dignitatis vel conditionis suæ immemores ita se abjiciunt, ut neque vitæ sanctimoniam habere conentur, et gradum suum infamiæ sordibus inobscurent, depellendos a Deo ex illa gloria quam antea obtinuerant, et ad vilem ac sordidam vulgarium hominum conditionem redigendos. Tales gravissimo verbo S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 21, appellat νόθους καὶ παρεγγράπτους ἱερεῖς, *spurios, nothos et perperam adscriptos sacerdotes*, quod quasi interpretans Zacharias summus Pontifex in epist. *ad Francos* seu Gallos, quæ habetur initio lib. V *Capit.*, vocat *falsos* et *erroneos sacerdotes*; quorum causa victos sæpe Francos ait a paganis fuisse, quod Galliam sceleribus suis dehonestarent. Hinc lamenta illustrium pontificum cum deteri gloriam Ecclesiæ, cum ipsius florem dignitatis infringi viderent, et presbyteros, qui magistri omnium virtutum et sanctimoniæ esse debuissent, in profanorum classem et colluvionem rejectos. De talibus, ὄνομα κενὸν ὁ ἱερεύς, *inane jam nomen est sacerdos*, ait Gregorius Theologus *Orat.* 1, effusa videlicet in principes quoque ipsos contemptione. Cujus rei indignitatem S. Bernardus in hunc modum eleganter expressit: « Monstrosa res est gradus summus et animus imus; sedes prima et vita ima; lingua magniloqua et manus otiosa; sermo multus et fructus nullus; vultus graviset actus levis; caput canum et cor vanum. » Et quidem istiusmodi aliquando futuros tanto ante oracula divina monuerunt. Ipse Christus, ut notavit Justinus Martyr in *Dialog. contra Tryph.*, prædixit fore sacerdotes falsos et pseudoprophetas, qui nomen ipsius venditarent; quem secuti quoque apostoli religionis coryphæi, excitatum iri aiebant ex numero sacrorum hominum præposteros et contaminatos hierophantas, qui perversa loquerentur, et pronam ad scelus et impietatem viam sternerent: quin et minas summi Judicis animadversorisque vitiorum et æternæ justitiæ magnitudinem ante oculos posuerunt, ut deterriti a mundi colluvione atque scelere in omnem vitæ perfectionem strenue invigilarent *Jud.* I, 13 : hic enim mystis maculosis procellas tenebrarum denuntiat; alius futurum, ut criminum ultor Deus eorum candelabrum de loco suo moveat *Apoc.* II, 5, et subito iracundiæ suæ turbine dispoliet, cujusmodi etiam tacita comminatio propositis Jobi verbis subesse videtur. Cum autem ait : « Et optimates supplantat, » significat illos inopinato aliquo lapsu interire; desumpta scilicet a luctatoribus metaphora, qui tunc supplantare dicuntur antagonistam, cum opposito aut supposito pede ingonistam, cum opposito aut supposito pede ingantum inopinato aut insidiose dejiciunt. Supplantat ergo Dominus optimates, quando nihil tale metuentes aut cogitantes e sublimi solio subito deturbat.

Spurii et falsi sacerdotes statum suum dedecorant.

Nomen inane sacerdotii cum vita sua respondet dignitati.

Sunt graves Dei minæ in malos sacerdotes.

Mali sacerdotes et doctores lumbis sedactis et illicibus comparati.

20. COMMUTANS LABIUM VERACIUM, ET DOCTRINAM SENUM AUFERENS, — puta Prophetarum et doctorum, non quod Deus iis suggerat aut inspiret falsitatem, ut Besa et alii calvinistæ blasphemant, sed quia permittit, cum impedire posset; deserit, cum juvare posset; occasiones erroris objici sinit quibus decipiantur, etc. : ita Tirinus noster. Quod tamen ex parte Dei recte fieri minime dubitandum est, qui occulto suo, sed justo judicio, propter peccata populi similive de causa facit ut prædicatores pro veritate doceant falsitatem, palpent et adulentur peccatis. Facit id, inquam, Deus non inspirando, impellendo, vel adigendo; sed permittendo, deserendo, et blanditias mundi et carnis aliasque erroris occasiones rectum ob finem ex parte sua, uti dictum est, objiciendo, quibus ipsi illaqueati alios deinde secum præcipites trahunt in ruinam. Tales adverto in oraculis Vatum *Ose.* V, 1, nominari παγίδας ἐν τῇ σκοπιᾷ, *laqueos speculationis*, sive *in specula*; quod cum saluti providere omnium debeant, mala vita et doctrina ut inserto cervicibus laqueo omnes interimant. Hos Cæsarius Arelatensis *Hom.* 35, utpote Dei munerisque oblitos, comparabat cum columbis, quas aucupes excitare solent ad alias columbas capiendas et retibus excipiendas; perite quidem vir doctissimus ad exprimendam eorum hominum imaginem ad communem morem respicit : olim enim solebant columbas in retibus exoculatas ponere ad cæteras in perniciem illiciendas, quas παλευτρίας nominant Græci, a παλεύειν, hoc est *fallere*, ut Suidas interpretatur : latine *illices* appellantur. Earum meminit Aristoteles lib. IX *De Animal.*, apud quem vertunt quidam *allectatrices;* Augustinus Niphus *hallucinatrices*, quod oculis captæ nihil videant. Oseas propheta simile quidpiam in emblemate artificioso expressit cap. VII, 11, cum ejusmodi hominem appellat *columbam seductam*, hoc est captam, ait Isidorus Clarius, reti inclusam, excæcatam; vel, ut habent Septuaginta, ἄνουν, *insipientem*, est enim hieroglyphicum insipientiæ columba; et propterea *excordem* idem etiam Vates nuncupat. Quæ vero insipientia major cogitari, aut cæcitas luminis odiosa magis et funesta, quam ut illi, qui similes davidicæ columbæ *Psalm.* LXVII, 14, esse debuissent tergo inaurato, quæ ad sublimia evolet, atque in Numinis amore quiescat, subito fiant παλεύτριαι et illicientes ad peccatum; ut quemadmodum aiebat Servator cæci ducant cæcos, et iisdem tenebris involutos perdant? S. Joannes Presbyter Damascenus cognomento eximius pietate, qui Copronymum furentem in imagines stylo et oratione repressit, cum plerique tum volitarent episcopi nimium imperatori assentantes prodentesque religionem ob ventris curam gloriæque inanis studium et ambitionem, eleganter illos non ἐπισκόπους sed ἐπισκότους appellabat, ut *tenebriones* quosdam et vitiorum pædagogos; qui, dummodo suas domos opulentas refertasque viderent, non iniquo animo ferebant omnem e templis religionem ejectam et exterminatam. Quos mihi coloribus suis pingere videtur Ephrem Syrus, cujus voces pari prope cum Evangelio honore olim excipiebantur : is ita scribit contra istiusmodi vitiosos rei sacræ administros : « Habitu, inquit, religiosi, et moribus exitiosi; habitu exercitatores seduli, moribus ignavi athletæ; habitu sobrii, corde prædones. » Eosdem S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 21, appellaret *turbines* Ecclesiæ naufragium invehentes, qui Georgium episcopum arianum *Typhonem injustitiæ* dixit. Iidem apud S. Chrysostomum epist. 2 *ad Olimp.* lupi sunt oviculorum Christi; quod certe in gravissimæ calamitatis loco ponit, dum nihil ait esse indignius, quam si Ecclesia « lupum pro pastore, vel prædonem pro gubernatore, vel carnificem pro medico accipiat. » Ejusmodi malos hierarchas et perfidiosos animarum custodes Isidorus Pelusiota lib. II *Epist.* 21 gravissime aiebat τὴν ἱερωσύνην προπίνειν, *sacerdotium prodere*, exponere omnium ludibrio atque abjicere; et alias ὅπλῳ κακίας τὴν ἱερωσύνην χρήσασθαι, *sacerdotii dignitate velut armis quibusdam ad vitium abuti.* Hæc sane proborum, veracium ac prudentum sacerdotum, doctorum et consiliariorum ablatio, et in eorum locum improborum, mendacium ac stultorum substitutio, manifestissimum est irati et aversi Numinis argumentum.

Quomodo dicatur Deus commutare labium veracium.

Episcopi perversi sunt tenebriones.

Vers. 21 Deus malos principes facit

21. EFFUNDIT DESPECTIONEM SUPER PRINCIPES, EOS QUI OPPRESSI FUERANT RELEVANS. — Sic rerum, inquit, vices mutat fortunamque convertit, ut principes, quibus alii prius fuere ludibrio, viles ipsi fiant et despecti; e contra vero illi qui ab iis fuerant oppressi, ex misera servitute libertati restituantur : sic posteris temporibus occupata a Cyro atque Dario Babylone, Baltassareque occiso, et imperio Chaldæis detracto, Dei populus fuit in libertatem assertus, facta omnibus Judæis a Cyro facultate Hierosolymam redeundi, eamque instaurandi : sic oppresso et ignominiose interfecto Holoferne populus Dei gravi fuit afflictione et rerum desperatione liberatus. Illa autem verba : *Effundit despectionem*, vim habent insignem, casumque calamitosum procul dubio notant; subestque ratio, nam quos Deus in sublimem statum evexit ut honore amplissimo colerentur, æquum est, si honore delato abutantur, extrema infamia deturpentur. Similis omnino locus est in Psalmis, *Psalm.* CVI, 40 : « Effusa est contemptio super principes, » etc., quem a Davide hinc mutuatum jure agnoscit Lorinus noster. Magna sane pœna et iræ Dei significatio est, cum sinit contemni principes, tum ecclesiasticos, tum politicos, eorumque auctoritatem nihili fieri : omnia enim tunc in pejus ruere necesse est, atque laxari leges, ac disciplinam, et quemlibet a via virtutis aberrare. Hujus porro ipsius mali tanti, quod contemptibiles evadant principes ac sacerdotes, causa sæpe in ipsis residet sacrorum antistitibus et principibus : quoniam *Ose.* IV, 9, « sicut populus, sic et sacerdos » ac magistratus. Hinc nimirum illæ lacrymæ, hinc rerumpublicarum perturbationes, hinc altarium et ecclesiarum maculæ, hinc vomicæ religionis. Animadvertit hoc sanctissimus Ecclesiæ Pontifex Leo *Epist.* 31, cujus illud est grave dictum : « Inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt quam ad desides negligentesque rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam. Præterea magna multi jam temeritate in senatum tam sacrum quam profanum adleguntur, se obtrudunt impudenter, quidam et initiantur, et subito morum fiunt magistri et tutores cæremoniarum, qui in sordibus inquinatissime volutantur. Hinc fæx illa senatorum et clericorum inutilium turba, quam miserans D. Hieronymus *Epist.* 85 : « Presbyteros, inquit, turba contemptibiles facit. » Sæpe item a populo causa petenda est, qui si perditis corruptisque est moribus, et abjecto Numinis metu in vitia se ingurgitet, hoc meretur, ut Deus, quemadmodum reges impios et crudeles dominatores, sic indignissimos episcopos et rectores eidem malos imponat atque præficiat : hoc aperte docet Anastasius pius et eruditus pater *Quæst.* XV *in Script.* : ubi exemplum memorat unius pontificis in Thebaide, qui cum fœdam animi libidinem moresque impuros speciosa vitæ larva contegeret, renuntiatus fuit urbis antistes, et in solio collocatus : huic ergo illo honore superbienti et efferenti se gloriosius apparuit angelus, monuitque ne se pulchrum et beatum putaret; illum quidem esse tanta Eccle-

contemptibiles.

Magna pœna reipublicæ præsertim principes contemptibiles.

Quæ sint causæ, cur mali principes et antistites præficiantur.

http://www.obrascatolicas.com

siæ amplitudine atque ordine indignum; sed ejus vita et contaminatissima improbitate populum fuisse dignissimum. Huc refert illud Isaiæ vaticinium, apud quem Deus ait se daturum populo rectores juvenes et ἐμπαίκτας, *illusores*. Item illud video notatum a magno Athanasio *Quæst.* CXX *ad Antioch.*, ubi ait propter scelus atque labes populi christiani Deum mundi gubernatorem ut malos principes, sic et flagitiosos ἀρχιερεῖς, *antistites* scelere affluentes concedere. Sed undecumque illud tandem eveniat, certe principes et sacrorum præsules, quorum vita flagitiosa est, et maculis vitiorum notata, vituperandi maxime sunt, ut qui magnum reipublicæ dedecus et religioni adferant : propter illos jacent leges, sacramenta vilescunt, ordo ipse, plenus alioquin excellentissimæ gloriæ et majestatis, contemnitur.

Vers. 22. 22. QUI REVELAT PROFUNDA DE TENEBRIS, ET PRODUCIT IN LUCEM UMBRAM MORTIS. — Hic versus potest vel de rebus obscurissimis et occultissimis intelligi, quæ perpetuis temporibus laterent, et in tenebris jacerent, nisi divinum lumen vel exponens vel alia ratione patefaciens accederet, sicut dixit Daniel cap. II, 22 : « Ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est; » vel potest etiam explicari de afflictionum et miseriarum tenebris, quibus Deus miseros et de sua salute desperantes inopinato quodam auxilio subito levat, sicut precabatur David *Psalm.* XVII, 29 : « Quoniam tu illuminas lucernam meam, Deus meus, illumina tenebras meas; quoniam in te eripiar a tentatione. » *Umbra* vero *mortis* opacissimas et crassissimas tenebras declarat. Potest etiam hic versus ad duos præcedentes referri, ita ut sensus et cum eis unio sit talis, *q. d.* Quando contingit ut princeps sive rex consiliarios habeat, qui labium commutent, diversaque a pristinis proferant consilia; vel cum seniores obcæcati puerilescunt, nihilque sani consilii in medium adducunt; aut cum principes, et qui prius uno ore unoque animo bonum publicum affectabant, sese invicem aspernantur; tunc utique ab effectis et a calamitate, quæ hujusmodi dissensiones, prava consilia mutuosque despectus consecuta est, Deus detegit consilia cordium, atque omnia quæ in tenebris erant manifesta fiunt, veniuntque in lucem; ut puta conspirationes, proditiones, vindictæ, perfidiæ et falsa consilia. Hæc sunt utique profunda, quæ Deus de tenebris cordium revelat. Hæc est umbra mortis, quæ in lucem a Deo producitur : « nihil enim est opertum quod non reveletur : neque occultum, quod non sciatur, » *Matth.* X, 26. Sic detestandum malignumque Achitophelis consilium revelatum fuit, et in lucem proditum.

Deus profunda mysteria fidei nobis revelavit per

Mystice possunt hæc ad cœlestes revelationes pertinere, quibus regius Psaltes *occulta sapientiæ* Dei sibi manifesta cecinit *Psalm.* L, 8. *Profunda* autem dicuntur mysteria divinitatis et arcana operum ejus, ut quod Deus in personis trinus, et in essentia unus sit; quod Verbum Dei carnem assumpserit, et homo factum sit : quod in Eucharistia, non in figura, sed in veritate Deus homo occultetur. Hæc et alia *profunda* Dei abscondita erant in puteo et in horreo Scripturarum. Sicut autem Jacob lapidem ab ore putei amovit, ut greges biberent, et Joseph horrea aperuit, ut tempore famis populo frumenta ministraret : ita et per unigenitum Filium Deus sacras litteras explicuit, ut nos cibaret pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ potaret, ac scientia sua terram repleret; id autem fecit, ut in ipsum crederemus, ipsumque diligeremus, et majestati ejus cognitæ et amatæ serviremus. Qui finis est perscrutationis revelationis profundorum mysteriorum Dei.

Filium.

Vers. 23. 23. QUI MULTIPLICAT GENTES, ET PERDIT EAS, ET SUBVERSAS IN INTEGRUM RESTITUIT. — Nunc aliud adducit argumentum divinæ potentiæ, cui nihil est factu aut dissolutu difficile : multiplicare enim potest gentes et populos, et eosdem repente disperdere, et rursus excitare, et ad illum numerum ordinemque redigere, ut nihil videatur fuisse subversum. Cujus rei satis planum exemplum fuit hominum prima procreatio magnaque multiplicatio, deinde per diluvium subversio, ac demum restitutio a filiis Noe tanta non solum hominum, sed etiam nationum et provinciarum multiplicatione, quanta numerari non possit; adeo ut eam stupore plenus expendens David, divinæ altitudini comparare non dubitet dicens *Psalm.* XI, 9 : « Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum. » Ubi in Græco legitur ἐπληθύνησας, quod proprie est *magni pendisti*, aut plurimum curasti : est enim πολυορέω, *diligenter* et *multum curo*, a πολὺ, hoc est *multum*, et ὠρέω, quod est *curo*, custodio : cujus verbi contrarium est ὀλιγωρέω, id est *negligo*, contemno. Significat itaque Deum, sicut altus est, excelsus et magnus, ita etiam magnam semper curam gessisse hominum; sive juxta bonitatis ac misericordiæ suæ magnitudinem et altitudinem nunquam genus humanum neglexisse. Hinc licet hominum peccatis, justam Dei vindictam provocantibus, integras nonnunquam regiones ac gentes peste, fame ac bello subverterit, postliminio tamen misericordiæ recordatus, ut plurimum successu temporis iterum integrum restituit.

Deus gentes multiplicat, et perdit, et restaurat.

Vers. 24. 24. QUI IMMUTAT COR PRINCIPUM POPULI TERRÆ, ET DECIPIT EOS UT FRUSTRA INCEDANT PER INVIUM. — Omnino compertum est cor principum a Deo verti quocumque velit, juxta quod Salomon ait *Prov.* XXI, 1 : « Cor regis in manu Domini : quocumque voluerit inclinabit illud : » movet quippe regum voluntatem corde significatam quod decrevit, ita ut arbitrii libertate minime læsa, id procul dubio agant, quod a Deo provisum est : sicut in corde est principium motus naturalis, sic in voluntate primordium motus moralis, ut recte *cor* appelletur. Dicitur autem Deus *decipere* seu errare facere, non certe quod errorem deceptionemve inducat, sed quod lucem juste subtrahat, cujus defectu impii homines spiritualem quamdam eclipsim patientes a recto aberrant, et graviter seducuntur. Sic legimus principes populi cæco et præcipiti consilio et sibi et suis attulisse perniciem, et prorsus instituisse viam quæ longe aberat a sana mente, et a salute communi ac propria. Testis fuit ex alienis Pharao, Nabuchodonosor, Baltassar; ex gente Israelitide Saul, Salomon, Roboam, qui dum deviis abducuntur rationibus, et se et suam pessumdedere rempublicam. Dicitur autem Deus *immutare cor principum* in malum, eo sensu quo *supr.* vers. 20 dictus est *commutare labium veracium*, scilicet permissive, ut scholastici exponunt, id est, permittit ut affectus illorum in prava et vetita feratur, et intellectus ipsorum pravis consiliis decipiatur, et ut iter per invia vitiorum faciant, et nunquam ad optatum finem perveniant. Quo sensu etiam David *Psalm.* CVI, 40 : « Effusa est, inquit, contemptio super principes, errare fecit eos in invio, et non in via : » *contemptio* nimirum tunc super principes effunditur, cum deficiente lumine veritatis atque prudentiæ, in varias sententias distracti quid faciendum sit non inveniunt. Qui prius errant in via, dum rationem exercendæ virtutis invenire nesciunt; et postmodum exerrant etiam in invio, quia peccata, quibus illigantur, non advertunt.

Deus vertit corda principum ad nutum suum quo voluerit.

Vers. 25. 25. PALPABUNT QUASI IN TENEBRIS, ET NON IN LUCE, ET ERRARE EOS FACIET QUASI EBRIOS. — Elegans descriptio est illius cæcitatis, quam peccatores et impii plerumque incurrunt; de qua egit etiam cap. V, 14, dicens : « Per diem incurrent tenebras, et quasi in nocte sic palpabunt in meridie, » ubi vide quæ diximus : Septuaginta hunc locum ita reddunt, ψηλαφήσαισαν σκότος, καὶ μὴ φῶς, *palpent tenebras, et non lucem* : Scholion, ψηλαφῶντες, *q. d.* Versantur in tenebris tam crassis, ut palpari queant. Tales fuisse memorantur tenebræ Ægyptiæ *Exod.* X, 21, quas Scriptura *palpabiles tenebras* vocat, scilicet ob aerem ipsum tenebrosum adeo condensatum, ut tangi posset; sive quia tenebrosis in locis ita palpabundi homines incedunt, quasi tenebras ipsas apprehensuri essent; hinc tenebræ palpabiles seu Ægyptiæ in proverbium abierunt, ad densissimas tenebras significandum, unde ad mentis caliginem et quamlibet spissam ignorationem transferuntur : *tenebrarum* enim nomine significatur error et ignorantia, item res adversæ ac tristes; sed præcipue peccatum, quamobrem S. Dionysius *Eccles. Hierarch.* cap. II, perite vocat ἀλαμπῆ καλίαν, *obscurum* et *illune vitium*. Hoc in sacris cæremoniis declaratum fuit, cum juberentur omnes, qui ad christianam religionem accederent, in baptismo converti ad occasum, et abrenuntiare principi tenebrarum ereboque fonti caliginis obscuræque noctis, quæ a scelere in animam invehitur. Addit idem aliquanto post, recens baptizatos, cum ejurassent omnem Satanæ mundique paraturam obscurumque sceleris antrum, ubi nihil divinæ lucis affulget, induere consuevisse φωτοειδεῖς ἐσθῆτας, *velamenta niveo splendore fulgentia*, ut qui post tenebras in admirabile lumen venissent. *In tenebris* ergo *palpare* dicuntur peccatores, quia neque conscientiam vident suam multiplici operimento latebrosam, nec periculum ingens perdendæ salutis, in quo versantur, nec virtutem summi omnium parentis et interminatam sapientiam, quam prosequi omnes veneratione debemus, et amore complecti; ut caligo vitii longe tetrior atque obscurior cimmeria nocte videatur. Merito igitur peccatores dicuntur palpare « in tenebris, et non in luce, » quod epitasim habet Hebræis usitatam, qui dum vim et pondus volunt addere sententiæ affirmativæ adjungunt contrarii negationem : sic apud Amos cap. V, 18, dicitur : « Dies Domini tenebræ, et non lux; » et Ezechiæ dictum est *Isai.* XXXVIII, 11 : « Morieris tu, et non vives; » quo genere loquendi apostolus Joannes delectatus fuit, dum de Baptista loquens ait *Joan.* I, 20 : « Confessus est, et non negavit. »

Vitium obscurum.

Cæterum quod sequitur, « et errare eos faciet quasi ebrios, » ad eorum insanam temulentiam declarandam pertinet; non longe scilicet a cæcis et in densa nocte versantibus absunt temulenti, quibus vini immoderatus usus mentem sic turbat, ut amentes credas et furore lymphatico bacchari. Cæcitas porro aut furor, cum magnus est, ab ebrietate ducta metaphora in Scripturis significari solet, juxta illud *Psalm.* CVI, 27 : « Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est : » sic etiam Deus alibi minatur *Isai.* XXIX, 9 : « Obstupescite et admiramini; fluctuate et vacillate; inebriamini, et non a vino; movemini, et non ab ebrietate; quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, » etc. Ita nimirum Deus cum vult principes quoque novit humiliare auferendo ab eis omne consilium, ita ut in meridie cæcutientes, in rebus inquam facillimis densissima ignorantiæ caligine involuti turpissime hallucinentur et exerrent

Vitium temulentos facit.

http://www.obrascatolicas.com

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Job hic idem inculcat quod præcedenti capite, amicos suos ex ipsorum verbis confutans, et a Deo arguendos asserens; nisi quod hic fortius urgeat suam innocentiam, rogetque Deum, dignetur sibi aperire, propter quæ peccata vel alias causas tam graviter affligatur.

1. Ecce omnia hæc vidit oculus meus, et audivit oris mea, et intellexi singula. 2. Secundum scientiam vestram et ego novi : nec inferior vestri sum. 3. Sed tamen ad Omnipotentem loquar, et disputare cum Deo cupio : 4. Prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum. 5. Atque utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes. 6. Audite ergo correptionem meam, et judicium labiorum meorum attendite. 7. Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos? 8. Numquid faciem ejus accipitis, et pro Deo judicare nitimini? 9. Aut placebit ei quem celare nihil potest? aut decipietur ut homo, vestris fraudulentiis? 10. Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem ejus accipitis. 11. Statim ut se commoverit, turbabit vos, et terror ejus irruet super vos. 12. Memoria vestra comparabitur cineri, et redigentur in lutum cervices vestræ. 13. Tacete paulisper, ut loquar quodcumque mihi mens suggesserit. 14. Quare lacero carnes meas dentibus meis, et animam meam porto in manibus meis? 15. Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo : verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam. 16. Et ipse erit salvator meus : non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita. 17. Audite sermonem meum, et ænigmata percipite auribus vestris. 18. Si fuero judicatus, scio quod justus inveniar. 19. Quis est qui judicetur mecum? veniat : quare tacens consumor. 20. Duo tantum ne facias mihi, et tunc a facie tua non abscondar : 21. Manum tuam longe fac a me, et formido tua non me terreat. 22. Voca me, et ego respondebo tibi : aut certe loquar, et tu responde mihi. 23. Quantas habeo iniquitates et peccata, scelera mea et delicta ostende mihi. 24. Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum? 25. Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris : 26. Scribis enim contra me amaritudines, et consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. 27. Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti : 28. Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum, quod comeditur a tinea.

Vers. 1. Vir intelligens ex sensu perceptis ad Deum tendit.

1. ECCE OMNIA HÆC VIDIT OCULUS MEUS, ET AUDIVIT AURIS MEA, ET INTELLEXI SINGULA. — Præcedentis capitis initio Job Sopharis et aliorum amicorum sermones, tanquam populares modicæque admodum scientiæ, non magni faciendos ostenderat, ideoque ipsos ad bestias terræ, ad volatilia cœli, ad pisces maris, ad terram ipsam aliaque elementa disciplinæ causa remiserat, ut se non minus ab hujusmodi rationis animæque expertibus creaturis, quam ab ipsis, qui sapientiæ nomen affectabant, erudiri posse probaret; cum istiusmodi scientia per intellectum naturaliter ex sensuum apprehensione colligeretur. Hic ergo concludit Job, se ea omnia quæ de divina sapientia, potentia, providentia nuper disseruit, quantumvis magna et admiranda, non magno studio et labore, neque ex peculiari aliqua sibi facta revelatione, sed naturali lumine intellectus, per solam scilicet oculorum, aurium aliorumque sensuum apprehensionem, qualiter etiam mediocris ingenii homines earum rerum cognitionem assequi possunt, optime capere. Pulchre autem triplicem recenset cognoscendi rationem, aurium videlicet per traditionem; oculorum per experientiam; et intellectus per ratiocinationem et scientiam, breviter eam subaudiendi, videndi et intelligendi verbis complectens. Quo loco animadvertendum est, non esse satis opera Dei audire, atque adeo videre, ut ex illis ad Dei scientiam erudiamur, nisi eadem animo nostro tractemus, consideremus, et intelligamus; nec in eo differt stultus a sapiente, quod alter viderit, alter vero non viderit opera Dei, cum omnibus proposita et manifesta sint; sed in eo potius, quod sapiens ea intelligat, stultus vero minime; sicut dixit David *Psalm.* XCI, 5 : « Quia delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo. Quam magnificata sunt opera tua, Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc; » et hoc malum illud maximum est, quod Deus per Isaiam minatur dicens cap. VI, 9 : « Audite audientes, et nolite intelligere : et videte visionem, et nolite cognoscere. » Cæterum cum tres amici se solos sapere et Jobum rerum divinarum penitus ignarum arbitrarentur, opportune ad fastum eorum supprimendum subjungit :

Opera Dei non solum sensibus percipienda, sed animo consideranda sunt.

Vers. 2. Viri sancti aliquando aliquid pro veritate in sui commendationem adferunt.

2. SECUNDUM SCIENTIAM VESTRAM ET EGO NOVI : NEC INFERIOR VESTRI SUM. — Scio, inquit, et ego id secreti, quod vos soli scire putatis, neque me in hujus rei scientia antecellitis : quare frustra de iis me docetis, quæ jam dudum a me cognita et explorata sunt. Neque vero hæc responsio modestiæ Jobi parum consona videri debet, cum et Paulus in simili de se dixerit II *Corinth.* XI, 5 : « Existimo nihil me minus fecisse a magnis apostolis : » non enim modesti et se submisse gerentis est id in se convenire negare quod conveniat, cum nulla virtus mendacium in officio suo postulet; id quod sapientem docere puto dicentem *Eccli.* XIII, 10 : « Attende, ne seductus in stultitiam humilieris : noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris, » *q. d.* Ne per pusillanimitatem nimiam contra id quod dictat sapientia veritatem silentio supprimas, aut mendacium arguere verearis, quando scilicet ad veritatis defensionem aut proximi correctionem conducere judicabitur. Porro ex his duo licet colligere : unum est, quod in diebus Jobi viguerit philosophia, nec modica etiam tum fuerit scientiæ æmulatio; alterum est, quod Job, dum amicorum philosophicam doctrinam floccipendit ac despicit, ad sublimiorem, scilicet theologicam disciplinam aspiret : quamobrem ad Deum se convertens, et cum eo religiose disceptans subdit :

Tempore Jobi erat etiam philosophia et scientiæ æmulatio.

Vers. 3. Bonæ conscientiæ vis, quantumque illa probis et honestis viris animi magnitudinis adjiciat. Quin imo immensa Dei virtus atque sapientia non solum viros probos non perturbat, sed etiam maxime reficit et consolatur : qua enim alia re levarentur ii, quos sæpe homines improbi traducunt, et imperita multitudo contemnit, viles atque adeo iniquos existimat, nisi quod Deo se suaque probari confidant? Cur enim tales non ament Dei judicium? cur non ad illud aspirent dicente Davide *Psalm.* LXXII, 1 : « Quam bonus Israel Deus iis qui recto sunt corde! » Apte igitur Job, cujus caput molesti et erronei disputatores obtuderant, fatetur malle se cum Deo disceptare; qui cum verax et sapiens sit, nec vera negabit, neque inepte verba conglobabit. Quod autem ait *disputare cum Deo*, idem est ac *verum inquirere*, rationibus ultro citroque acceptis ac redditis, utpote cum veritatis auctore et assertore; quem in adstruenda vera sententia demisso animo acturus non formidat : haudquaquam enim præfracto et pervicaci ingenio, vincendi aut concertandi studio cum Domino Job disceptat; sed quasi discipulus, qui informari desiderat a magistro, qui modeste interrogat, et causas eorum quæ fiunt aut quæ docentur exquirit; ut quæ dicuntur melius intelligat, et erroris causas omnes amputet, ne quid in posterum faciat quod magister improbet, aut alii reprehendant. In quo sane nihil apparet, quod modestum et ingenuum discipulum non deceat. Neque novum aut inusitatum est, ut in istiusmodi modesta et religiosa disceptatione rationes adducamus, ob quas nobiscum clementius agi debeat, dummodo id totum divinæ clementiæ ac voluntati permittatur : sic utique fecit vir sanctus Ezechias apud Isaiam dicens *Isai.* XXXVIII, 3 : « Obsecro, Domine, memento quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto : » sic Moyses oravit Deum, ut ignosceret populo, cui cædem in deserto minatus fuerat, ne audiant Ægyptii et dicant *Num.* XIV, 15 : « Non poterat introducere populum in terram, pro qua juraverat : idcirco occidit eos in solitudine : » sic David sæpe suam infirmitatem ac dolorem ostendit, ut clementem Deum ad misericordiam inflectat. Neque aliud facit in sua disceptatione Jobus, uti bene Sanctius observavit; prius tamen quam cum Deo agat, ait velle se adversarios convincere falsitatis, quemadmodum sequenti versu significat :

Bonæ conscientiæ vis magnitudinis adjiciat.

Quomodo dicatur Job cum Deo disputare.

4. PRIUS VOS OSTENDENS FABRICATORES MENDACII ET CULTORES PERVERSORUM DOGMATUM. — Hæc sententia non tam gravis et injuriosa est quam verba sonare videntur, ut ex Hebræo et Græco cognoscitur : nam hebræa verba verbotenus convertendo sic habent, *et vos compositores estis mendacii et medici futiles omnes;* vel, ut aliqui reddunt, *medici idoli*, hoc est, meo judicio, medici vanissimi, archiatri vanitatis, qui pro alexipharmaco salutari nescio quas nugas et figmenta proponitis. Græci autem ita convertunt, ὑμεῖς δὲ ἐστὲ ἰατροὶ ἀδι-

Vers. 4.

http://www.obrascatolicas.com

κει, καὶ ἰατροὶ κακῶν πάντες, *vos autem estis medici injusti, et curatores malorum omnes*; Symmachus, προστίθεσθε ψεύμασι, καὶ ἰατροὶ ἐπίπλαστοί μου, κατασκευάζοντες ἄλογα, *addicti estis mendacio, et medici concinnatores mei, apparantes absurda.* Fabricatores autem eos vel compositores appellat mendacii, quod ex mendaciis eorum essent orationes et ratiocinationes compositæ : diximus enim sæpe, licet eorum propositiones essent plerumque veræ, cum de toto genere iniquorum loquerentur, in assumptionibus tamen ut plurimum vehementer errare, quod subsumant, aut Jobum aliqua culpa teneri, aut scelerum suorum pœnas pendere : componebant igitur ac fabricabant mendacium, quod veris adjunctis probare aut verosimile reddere nitebantur. Iisdem prope verbis de invidis suis querebatur David dicens *Psalm.* CXVIII, 69 : « Multiplicata est super me iniquitas superborum; » in Hebræo est, *componebant super me mendacium superbi*; medicos vero *futiles*, et ex versione Septuaginta *iniquos et curatores malorum*, id est malos appellat : quia cum venissent ad consolandum eum, ut cap. II dictum est, irritabant potius sermonibus suis quam consolabantur, refricabant potius quam leniebant dolorem. Sicut etiam de se et malevolis suis dicebat David *Psalm.* LXVIII, 27 : « Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt : et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. » In hanc sententiam explicandus est Vulgatus interpres cum vertit *cultores perversorum dogmatum*, id est, perversam agendi rationem tenetis, cum contra faciatis quam consolatoris et amici munus postulabat : ita Polychronius, qui sic explicat in *Caten.* : « Supervacaneum est disceptare vobiscum, qui cum ad me sanandum accesseritis, vestris me nunc sermonibus quasi jaculis sauciatis, ipsaque, quam patior, calamitate dolorem mihi affertis acerbiorem, medicosque imperitos imitamini, qui cum sanantia negligunt medicamenta, stulte ægrotorum vulnera quasi morsu discerpunt : » eodem modo Didymus *ibid.* exponit. Et quidem consolatores illi in causa Jobi satis se stulte gerebant, nam cum lenire deberent et fovere vulnera oratione benevola, et ad detergendum doloris sensum attemperata, verbis omnino duris et ab illo rerum articulo alienissimis quasi asperso sale refricabant.

Amici Jobi quomodo dicantur *fabricatores mendacii.*

Consolatores Jobi erant medici futiles.

Idolum quia non potest orare nequit consolari.

Verum hic sciscitari juvat, quare Jobus amicos consolatores, humanam consolationem amice suggerentes ut temperent calamitatum miseriam, appellet juxta originalem textum *medicos* seu *consolatores idoli* : quid enim simile habet Jobus in sterquilinio squalidus cum idolo in sublimi ara conspicuo et splendido? quis affectet consolari idolum gentium votis et precibus inclytum? Idolum omnes supplicant, idolum supplicat neminem. Imo forte hæc est energia horum verborum, quasi dicat Jobus : Cum idolum sit mutum quoddam simulacrum, neminemque orare possit; hinc fit ut vos, o amici, perinde me consolemini ac si consolaremini idolum, quod etsi omnium orationes excipiat, errare nequit; et inde nec potest consolationem accipere, qui nequit Deo preces fundere; unde vos dum frustra nitimini me consolari, onerosi consolatores estis, seu consolatores idoli : nempe humano levamine sic me consolari nitimini, ut qui affectaret consolari idolum, quod ineptum est ad supplicandum et orandum, cum mutum idolum orare non possit, nec idolum deceat oratio.

5. ATQUE UTINAM TACERETIS, UT PUTAREMINI ESSE SAPIENTES. — Amicorum in loquendo imprudentiam et imperitiam taxat, stulte enim amicum luctu et mœrore oppressum verbis exulcerabant : stulte de ira et stomacho Dei erga impios prolixe disserebant apud eum, qui gravissimis miseriis urgebatur, cum potius, ne ad desperationem eum adigerent, sed aliquo modo levarent, de disciplina et castigatione agerent, qua Deus omnem filium quem recipit coercet : sicut Paulus disseruit in epistola *ad Hebr.* cap. XII, 7, qui adversa etiam fortuna jactabantur. Stulte etiam ex calamitatibus, in quas inciderat, Jobum esse iniquum concludebant. Quos et similes gravissimos errores utique tegerent, si silerent : nam, ut in Proverbio est cap. XVII, vers. 28 : « Stultus quoque si tacuerit sapiens reputabitur : etsi compresserit labia sua intelligens. » Huic adsimile est illud Senecæ : « Taciturnitas stulto homini pro sapientia est : tacere qui nescit, nescit loqui. » Exstat etiam illud incerti in *Anthol. Epigr.* poetæ Græci :

Vers. 5.

Amici Jobi imprudentiam suis verbis manifestant.

Stultus dum silet reputator sapiens.

Πᾶς τις ἀπαίδευτος φρονιμώτατός ἐστι σιωπῶν·
Τὸν λόγον ἐκφύγων ὡς πάθος αἰσχρότατον,

Dum tacet indoctus poterit cordatus haberi :
Is morbos animi namque tacendo tegit.

Sic enim fere non distinguitur imperitus a docto, a circumspecto prudentique homine imprudens, si linguam cohibuerit, eam ob rem facile est conjicere, cur quos Homerus ingeniorum vertex sapientissimos effinxerit, eosdem et silentes fere aut certe pauciloquos esse voluerit : noverat enim silentium, et parcum sobriumque orationis usum specimen habere gravitatis; contraque apud sapientes maxime loquacitatem indicem esse stultitiæ. Neque enim Thersitem morionem vituperatione dignum arguit quam quod loquax esset, quam quod obstreperus, quam quod importune garrulus et seditiosus, de quo *Iliad.* β', vers. 212 :

Prudentes pauciloqui.

Thersites loquax.

Θερσίτης δ' ἔτι μοῦνος ἀμετροεπὴς ἐκολώα,
Thersites autem adhuc solus loquacissimus tumultuabatur.

Nestori vero consultissimo seni tribuit orationem melle dulciorem *Iliad.* α' :

Nestor eloquens.

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή,
Cujus etiam a lingua melle dulcior fluebat vox.

Menelao argutam illam quidem et nunquam a re discedentem breviloquentiam *Iliad.* γ', vers. 214 :

Menelai oratio cordata.

Ἦτοι μὲν, Μενέλαος ἐπιτροχάδην ἀγόρευε

Παῦρα μέν, ἀλλὰ μάλα λιγέως· ἐπεὶ οὐ πολύμυθος,
Certe quidem Menelaus succincte concionabatur
Pauca quidem, sed valde acute, quoniam non erat multiloquus.

Ulyssis oratio vehemens.

Ulyssem denique grandiloquum quidem et vehementem, sed diu tamen cogitabundum facit antequam loqui incipiat.

Homines loquendi Deus tacendi magister.

Rectissime dictum est a quodam ex veteribus loquendi magistros nos habere homines, tacendi vero deos : quapropter laudatur ἐχεμυθία pythagorica et spartanus ille Lycurgus, qui suos a pueris silentio initiari voluit. Notum est adagium Græcorum, σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας, *tutum silentii præmium*; et illud Simonidis : Locutum fuisse pœnituit, tacuisse vero nunquam. Succurrit Zeuxidis pictoris ad principem Megabizum sermo : is enim princeps cum animi causa in pictoris officinam descendisset, et una cum suis de arte pingendi disputare ad ostentationem auderet : Cum primum huc venisti, inquit Zeuxis, et linguam continuisti, pueri mei nescio quid de te magni sibi pollicebantur, quippe qui tuum cultum tuamque purpuram observarent : sed ubi de arte, quam non tenes, loqui cœpisti, te continuo ut ridiculum hominem esse putarunt. Merito apud Pindarum celebratur Thebanus Epaminondas, qui quanquam multa sciret, pauca tamen lequebatur. Et certe frequenter usuvenit, ut qui plus habeant pectoris, ut ita dicam, id est, in quibus et eruditio et prudentia major, ii minus habeant linguæ. Demaratus cum in consessu quodam sileret, rogatus an id faceret stultitia, an sermonis inopia : Atqui, inquit, stultus nunquam tacere potest. Apte olim dictum est in nescio quem, qui quamdiu siluit tamdiu magnus et gravis habitus est : philosophus hic videri poterat si tacuisset. Sententiose Pindarus *Isthm.* I, in Herodoti Thebani encomio : Ἡμὰν πολλάκι καὶ τὸ σεσωπαμένον εὐθυμίαν μείζω φέρει, *sæpenumero tacuisse gloriam majorem adfert.* Ad eumdem omnino sensum occurrit ex Plutarcho id in quo gloriatur vel in primis Ino Euripidea, nimirum se scire σιγᾷν τε ὅπου δεῖ, καὶ λέγειν ἵν' ἀσφαλές, *silere quando oportet, et loqui quando tutum est.* Libet huc referre pulchrum sane Pythagoræ Samii elogium, quod scriptum reliquit Apuleius lib. II *Florid.*; et ante ipsum aliquis ex veteribus longe prius dixerat, nullos scilicet fore sapientiæ fructus, nisi qui a radicibus silentii proficiscantur. Sic igitur Apuleius : « Tot ille doctoribus eruditus (Pythagoram intellige ab Ægyptiis, Chaldæis, Pherecide Syro, Anaximandro Milesio, Epimenide Cretensi, aliisque multis edoctus) tot tamque multijugis comitibus disciplinarum toto orbe haustis, vir præsertim ingenio ingenti, ac profecto supra caput hominis animi augustior, primus philosophiæ nuncupator et creditor, nihil prius discipulos suos docuit quam tacere; primaque apud eum meditatio sapienti futuro linguam omnem coercere, verbaque, quæ *volantia* poetæ appellant, ea verba detractis pennis intra murum candentium dentium premere. Prorsus inquam hoc erat primum sapientiæ rudimentum, meditari condiscere, loquitari dediscere, » etc. Idem fuit Jamblichi Pythagorei præceptum : Τάσσας πρὸ τῶν ἄλλων κράτει θεῖς ἑπόμενος, *linguam cohibe præ aliis omnibus ad deorum exemplum.* Sed ad id argumentum copiose locupletandum consule quæ habet doctissime congesta Plutarchus comm. *De Garrul.*, et tract. *De Isid. et Osir.*, quo loco docet quid olim Harpocrates apud Ægyptios mysterii habuerit. De silentii utilitate lege Gellium lib. XI, cap. X; Plinium lib. III, cap. III, et lib. XXVIII, cap. VI, et Schottum nostrum toto libello *De Bono silent. relig. et sæcul.* Patet itaque quam prudens S. Job amicis præbeat consilium, si videri velint non insipientes, nempe ut suam inscitiam silentio tegant : nam qui silet nihilo videtur sapiente inferior, quantumcumque ille crasso sit ingenio et Abderitana, ut aiunt, mente. Iis quæ dicta sunt satis reprimi deberet multorum loquendi cupiditas, qui ut sapientes aliis videantur eas res audent tractare, quas aut ignorant, aut non multum callent : nam licet facile sit imperitos homines prolixa, licet indocta oratione decipere; docti tamen viri, quorum est judicium gravissimum, stultitiam loquacis non vestigiis, sed cubili toto cognoscent; ob eamque rem sapientissime dicit Salomon *Prov.* X, 14 : « Os stulti confusioni proximum est; » et prudenter Dionysius monuisse fertur : Εἴ τι σιγῆς κρεῖττον, ἢ σιγὴν ἔχε, *aut die quod silentio melius sit, aut sile.*

Epaminondas multis et pauciloquus.

Pythagoras silentii magister.

Silentio stultitia tegitur.

6. AUDITE ERGO CORREPTIONEM MEAM, ET JUDICIUM LABIORUM MEORUM ATTENDITE. — Rogat amicos suos Job ut vicissim correptionem suam æquo animo admittant utpote audituros aliquid quod ipsos scire magnopere expediat, quasi in magno sint errore, a quo illos liberos esse maxime cupiat. *Correptio* autem hoc loco pro objurgatione errantium aut pro confutatione erroris accipi potest; *judicium* vero *labiorum* pro oratione justa, vera, veræ sententiæ assertrice, falsæ expultrice.

Vers. 6.

Non est dubium quin bene et convenienter corripere sit res una prope omnium difficillima, quæ in christiani hominis officiis continentur. Clare D. Gregorius Nyssenus serm. *De Castig. alior.* ait : Δυσμεταχείριστος ἀγωγὴ τῆς ἀρετῆς, *institutio virtutis admodum operosa est.* Est decretum illud Anacleti sapientissimum, quod Canonum collectores diligentissime exceperunt, secunda parte, causa 24, *Quæst.* III, can. 14 : « Tam sacerdotes quam reliqui fideles omnes summam debent habere curam de his qui pereunt; quatenus eorum redargutione corrigantur a peccatis. » Est enim in corpore hoc mystico mutuus inter se membrorum amor et benevolentia, atque omnes ut cœlestis parentis filii ad eamdem familiam pertinent; et religionis illa societas, qua nectuntur omnes, ab unoquoque reposcit, ut unumquemque velit esse perfectissimum, et ab illis incommodis liberum, quæ viam obstruunt ad felicitatem : hinc decet

Congrua correptio aliorum difficilis.

Proximi correptio quibus commendata sit.

http://www.obrascatolicas.com

omnes, etiam illos qui alios corrigunt, ut sese vicissim mutuæ correptioni et instructioni obnoxios credant. Qua certe in re solet a viris interdum gravibus enormiter errari; siquidem arrogant sibi redarguendi auctoritatem, neque admoneri vicissim ferunt, cum cordati viri ac sapientis sit corripientem leniter audire, et grato animo correptionem excipere, uti pulchre docet S. Chrysostomus *Hom.* de ferendis reprehensionibus et conversione S. Pauli, locum istum Salomonis edisserens *Prov.* XII, 1: « Qui odit increpationem insipiens est, » ubi notat Salomonem non dixisse, «sic vel sic redargui, sed tantum redargui: nam si quidem juste arguit amicus, agit ut peccatum corrigat; sin absque ratione et immerito, jam laudanda est voluntas ejus, et probanda intentio mentis, agnoscendumque et testandum amicitiæ beneficium. Non enim reprehenderet, nisi multum diligeret. Proinde ne stomachemur, nec succenseamus, cum arguimur. » Quibus verbis optima ratione evincit Chrysostomus correptiones adamandas esse; de stultitia autem eorum qui easdem aspernantur brevi interstitio verborum sic attexit: « In peccatis id efficiunt reprehensiones, quod in vulneribus remedia. Idcirco sicut insipiens est qui pharmaca rejicit, ita et stultus est qui non suscipit grato animo reprehensiones. » Et sane ille qui correptiones refutat non solum in eo insipientem se prodit, quod rem adeo sibi proficuam et utilem abjicit; sed etiam ex eo, quod cum alios non audiat, multa ignorare necesse est. « Nam licet mirum in modum suspicias, inquit Chrysostomus, et perspicias ea quæ oportet; attamen homo es, et consiliario et monitore tibi opus est. Solius enim Dei est nullius indigere, et nullo opus habere consiliario, ea propter de eo solo dicitur: Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Quid lucidius sole? et tamen lux ejus deficit. Et profecto sicut lucidam illam lucem sæpenumero supervenientes tenebræ obtegunt, ita et intellectum nostrum quasi in meridie fulgentem et perspicuum inconsiderantia obrepens tenebrosum reddit. Et nonnunquam evenit, ut sapiens non videat quod oportet, et minor et hebetior clare et acute illud perspiciat. » Confirmat hoc Chrysostomus exemplo Moysis, qui ab Jethro socero suo barbaro atque indocto homine non levem objurgationem audivit, auditamque boni consuluit; nimirum ut ea ratione correptionis amatorem se præberet. Absolvit denique sanctus ille Doctor his verbis prædictum de ferenda reprehensione tractatum *Prov.* XII, 1: « Reprehensionem bene ferre non vulgaris, sed summæ philosophiæ præconium et laus est. » Quibus verbis illam Salomonis sententiam expressit, « qui diligit disciplinam, diligit scientiam. » Siquidem philosophia est amor seu dilectio sapientiæ. Postquam ergo Job benevole captavit attentionem, in hunc modum exorsus est correptionem:

Correptio amanda.

Oscr correptionis insipiens est.

Homines consiliario et monitore opus habent.

7. NUMQUID DEUS INDIGET VESTRO MENDACIO, UT PRO ILLO LOQUAMINI DOLOS? Videri volebant hi tres amici causam Dei contra Jobum defendendam suscepisse, quem, quod se innocentem profiteretur, Deo injuriam irrogasse existimabant, impingendo ipsi calumniam injustitiæ, quod immerentem tam diris suppliciis affecisset. Quare ut hanc injustitiæ suspicionem a Deo amolirentur, mendacium et dolos concinnabant sceleris Jobum arguendo, quo Dei bonitatem defenderent, quam erga bonos viros maximam esse prædicabant; asserebant autem Deum, qui non nisi sceleratos excruciat, justissime Jobo tam dira inflixisse supplicia, cum in illo non reperiretur sanctitas nisi simulata; sub cujus specie laterent multa scelera, quæ impunita abire non licebat: quare non esse cur in Deo æquitatem requireret, cum in scelerato animo non deesset materia cui divini furoris ignis adhæresceret. Sic egregii isti divinæ, ut ipsi putabant, justitiæ vindices ac propugnatores. Quasi vero bonitas et æquitas immensa Dei aliter quam virum bonum et innocentem condemnando defendi non posset; et non potius plures aliæ essent causæ quæ a divino Numine omnem injustitiæ suspicionem averterent. Neque enim una causa est, quæ Deum et juste, imo et clementer moveat, ut hominem quantumcumque innocentem et justum duris exerceat modis, et severo atque expiatorio examine et fornace ferrea excoquat ad purum. Quod si nullam humana curiositas causam inveniat; illa satis gravis est et justa, quod Deus est, a quo homo habet quod vivat et sit; neque injurius est, si quod dedit libere suo arbitratu auferat aut truncet. Merito igitur Job ait Deum ad sui defensionem non indigere mendacio, cum multis aliis modis suam posset æquitatem probare, quæ mendacio defendi nullo modo potest; cum iniquitas natura sua pugnet cum æquitate. Itaque validissime Job amicos suos urgebat, vehementerque redarguebat eos ita increpando: nam cum iniqua illa via pro Dei æquitate pugnarent, illam stulte deserebant, vel temere perimebant.

Vers. 7. Amici Jobum incusando male Deum defendere volebant

Iniqua via non est pro æquitate pugnandum.

8. NUMQUID FACIEM EJUS ACCIPITIS, ET PRO DEO JUDICARE NITIMINI? — Accipere faciem vel personam in judicio idem est quod non ex veritate et ex æquitate ferre sententiam, sed ex qualitate personæ; cum vel reverentia erga potentem, vel misericordia erga pauperem commoti, non æquum judicium reddimus, quod ne fiat cavetur *Levit.* XIX, 15: « Non consideres personam pauperis, neque honores vultum potentis: juste judica proximo tuo; » et *Deuter.* I, 17: « Nulla erit distantia personarum: ita parvum audietis ut magnum, neque accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. » Dicit ergo Job: Numquid in hac, quæ mihi cum Deo est disceptatione, vos judicium exercentes Dei personam accipitis? hoc est, eum reverentes, eique morem gerentes, illi causam adjudicatis, ut me innocentem condemnetis?

Vers. 8. Personarum acceptio in judicio vetatur.

Quod judicium ei gratum esse non potest, qui acceptionem personarum in judicio reprobat: tum quod ei valde contumeliosum sit, si non aliter quam corrupto judicio lucraretur, quod est absurdissimum; acutissime quidem argumentatur, gravissimeque amicos suos reprehendit. In hujusmodi vero reprehensiones incurrunt ii omnes, qui nullo alio argumento ducti temere judicant eos in culpa Deique odio esse, qui hujus vitæ incommodis opprimuntur. In quo stultitiam barbarorum Melitensium imitantur, qui *Act.* XXVIII, Paulum homicidam esse putarunt, eo quod ex longa jactatione cum portum teneret e manu ejus viperam pendentem viderunt. Intelligitur etiam tantum esse malum acceptionem personarum in judicio, ut pro incommodo objiciatur gravissimo vel Dei personam accipere, quod dicit: « Pro Deo judicare nitimini? » id est, conamini jure vel injuria causam illi adjudicare. Potest etiam verti ut vertit Chaldæus, *pro Deo litigatis?* id est, contenditis illum justum esse ostendere, cum per se pateat.

Stulte quispiam judicatur impius ex hujus vitæ incommodis.

Acceptio personarum Deo invisa.

Septuaginta porro interpretes in eamdem sententiam, sed obscurius, hunc versum convertunt, ἢ ὑποστελεῖσθε; ὑμεῖς δὲ αὐτοὶ κριταὶ γένεσθε, *an subtrahetis vos? vos autem ipsi judices sitis.* Est autem ὑποστέλλω, *vereor*, dissimulo, prævaricor consulto ut morem geram, vincor, et cedo. Significat igitur, *q. d.* An ut Deo morem geratis innocentiam meam dissimulatis, eique cedere simulatis, cum vos hujus nostræ causæ judices constitueritis; cum id in judicio facere longe a rectis sit alienum judicibus? Est autem perelegans corripiendi modus, quo Jobus eis nunc ut patronis, nunc ut judicibus, ad quorum tribunal causa ipsius cum Deo expostulantis delata fuisset, notam inurit. Notum videlicet ac tritum est, patronos parum pios clientes nefarie ac mendaciter tueri, sive propriæ existimationis sive injusti lucri illecebra captos; judices item iniquos, ubi cum potentiore inops litigat, jure violato potentiori favere. Notam primam præcedenti versu indicaverat verbis istis: « Ut pro illo loquamini dolos; » secundam his: « Faciem ejus accipitis. » Quæ phrasis familiarissima est pro vitio, quod græce προσωποληψία, latine *acceptio personarum* » appellatur; quando nimirum judex respectum alicujus habet in judicando, quod v. g. pauper, aut dives, aut amicus etiam sit, quod in judicio valde improbatur. Ergo idem agit Jobus, *q. d.* Absistite a sententia erronea, quam de divina providentia in mea vexatione concepistis, et falsis assertionibus tueri persistitis, quasi ego apud vos Deo litem intendam, vosque vel patroni falso Deum defendentes, vel judices injuste pro illo sententiam proferentes sitis. Etenim Deo hæc vestra censura placere nequit, qui neque quidquam ignorat, neque ab impostore ullo seduci valet. Unde subdit:

Vers. 9. 9. AUT PLACEBIT EI QUEM CELARE NIHIL POTEST? AUT DECIPIETUR UT HOMO VESTRIS FRAUDULENTIIS? — Nullum quippe malum Deo placere, nec ulla fraus vel dolus ipsum latere aut decipere potest: intuetur enim, inquit Cyrillus *in Jerem.* cap. XXIX, etiam ea quæ fiunt in tenebris, et nihil penitus ipsi est ἀπρόπτον, *inaspectabile*, juxta illud S. Pauli *Hebr.* IV, 13: «Non est ulla creatura invisibilis in conspectu Dei: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus. » Hinc quandocumque in abscondito quis peccat, invisus potius Deo est quam non visus, qui obscura clarent, tenebræ fiunt meridies, pervium est omne solidum, et apertum omne secretum; cujus oculus infinities splendidior sole, crates ipsius pectoris latebramque omnem pervadit usque ad animi fundum et abstrusas voluntates. Quare Petrus Chrysologus *Serm.* 34, cum explicaret evangelicæ mulieris pium factum *Matth.* IX, 20, quæ se videri non putavit, cum accessit retro ut tangeret fimbriam vestimenti Salvatoris, falsam opinione sua et delusam ait, quæ accessit retro, quod in Messia retro nihil esset, qui faciem ubique prætenderet, et arcana omnia animorum, nec modo facta, sed et vota videret: erat enim, inquit, *oculus totus*, qui post se supplicem sic videbat.

Deo nihil invisibile.

Deus totus oculus.

De hoc semper vigilante et nunquam dormituriente oculo D. Basilius *in Psalm.* XXXII: Quocumque, inquit, pergas, quodcumque demum efficies opus, sive in tenebris, sive in diei luce, semper habes ἐπισκοποῦντα ὀφθαλμὸν, *oculum Dei superintendentem*; quæ memoria præsentis Dei et actiones omnes intuentis potentissimum sane adjumentum est ad evitandum et ejiciendum peccatum: id quod vel ipsimet mundi sapientes naturæ lumine agnoscunt, et ut frenum morum pessimorum et vecordis nequitiæ proponunt. Quo in genere multa splendide eximieque Seneca epist. 41 *ad Lucil.* ait: « Prope est a te Deus, tecum est, intus est: ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos, » etc. Hisce similia tradit Boetius lib. V *De Cons.* dicens: « Magna vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis judicis cuncta cernentis. » Nam si vulgo solent homines ob reverentiam alicujus viri timorati a maleficio abstinere, cujus in luce et conspectu agere scelerate pudeat: quanto magis revereri debemus Deum, qui nos ubique tuetur et observat? Unde hæc nota jam robusti dominantisque peccati, et conscientiæ prorsus profligatæ haud obscurum est argumentum, cum hominis mens iis tenebris obducitur, ut putet in scelere concipiendo et patrando se a Deo non videri; quem tamen, ut Job ait, celari nihil potest, nec ullis ut homo decipitur fraudulentiis. Quod enim facinorosus putat in tenebris factum et conceptum intimo in animo tectum videri et integumentis suis involutum, subito emergit ad Deum, et in clarissimo lumine reponitur; ut peccanti id supremus Judex occinere videatur, quod Davidi scelere inquinato ore Nathanis ex-

Memoria præsentis Dei expellit peccatum.

Summæ impietatis est existimare scelera sua a Deo non videri.

http://www.obrascatolicas.com

Deum nemo potest decipere vel illudere.

probavit II *Reg.* XII, 12 : « Tu fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud in conspectu solis hujus. » Deo enim nemo potest verba dare, aut fucum facere, aut astu quopiam illudere.

Hebræus et Septuaginta interpretes hunc versum verbis nonnihil diversis efferunt, licet sensu non dissimili : ille quidem sic reddit, *an bonum cum scrutatur vos? an ut illuditis homini illudetis ei?* An putatis, inquit, bene cessurum vobis, si Deus justus judex in facta vestra inquisiverit, eaque discusserit accuratius? *q. d.* Minime gentium, nam Deo nullus potest resistere, aut impotenti, aut os oblinere, aut eum ludibrio habere. Septuaginta vero ita vertunt, καλόν γε ἐὰν ἐξιχνιάσῃ ὑμᾶς; εἰ γὰρ τὰ πάντα ποιοῦντες προστεθήσεσθε αὐτῷ, εὖθὺν ἦττον ἐλέγξει ὑμᾶς; *bonumne si invcstiget vos? nam si cum omnia feceritis ipsi proponamini, nihilominus arguet vos,* id est, nequaquam vobis bene cedet, si Deus vobiscum descenderit in judicium, et vitæ in sceleribus transactæ exegerit rationes; quia tunc orbi vestra patebit iniquitas, et simulata pietas detracta larva confundetur.

Vers. 10. 10. IPSE VOS ARGUET, QUONIAM IN ABSCONDITO FACIEM EJUS ACCIPITIS. — Habebant scilicet respectum Dei, cum Jobum impietatis accusarent, et Deum, quod ipsum propterea puniret, absolverent, justum ejus judicium prædicando, culpam autem omnem in Jobum conjiciendo; quæ tamen prorsus nulla in ipso residebat : Quapropter, inquit, ipse vos arguet, et reos peraget, atque convincet, quod augustissimam ejus faciem amplissimamque potestatem humano more reverentes non stetis in veritate, sed ad mendacia et simulationes confugiatis, dum ad justitiam Dei adstruendam insonti mihi falsa crimina affingitis, quæ novit verax Deus me minime perpetrasse. In abscondito igitur faciem Domini accipiunt, qui externo sermone humanis sensibus æquitatem objiciunt, dum simulant se in judicando nihil præter veritatem inquirere, neque ab integritate vel benevolentia dimoveri, vel odio transverti, neque parti alteri sic patrocinari, ut alteram prodant et oppugnent. Hoc illi summo studio se facere simulabant, cum interim multa confingerent, quæ Jobi causam mirum in modum aggravarent; quod utique Deo non potuit esse non ingratum, qui veritatem amat, et ad suam æquitatem defendendam nullis hominum commentis aut mendacibus umbris opus habet. Certe tot mendacia et errores adversus Jobum, omni potius commiseratione dignissimum, in tam afflicto statu fingi minime potuissent, nisi ab illo qui potentioris alicujus faciem respiceret ac revereretur. Amici enim erant Jobi omnes illi, facundi alioquin et boni viri; sed ubi inter Deum et Jobum judicare voluerunt solas personas respicientes, ita ex una parte verecundati sunt potentissimum Deum, et ex parte altera Jobum adeo contempserunt, ut pro victoria tantæ personæ in plurima adversus dejectum Jobum mendacia prorumperent, neque rectam sententiam pronuntiarent. Quod quam gravi et iniquo animo ferret Deus mox significat Job cum addit :

Acceptio personarum pervertit verum judicium, reo potest esse Deo grato.

Vers. 11. 11. STATIM UT SE COMMOVERIT TURBABIT VOS : ET TERROR EJUS IRRUET SUPER VOS, — id est, vos vehementer puniet, tantum scelus vestrum ulciscetur; in Hebræo autem sic habetur, *nonne celsitudo ejus terrebit vos?* id est, sola vultus ejus majestas etiam pavorem vobis maximum incutiet : allusit nimirum Job ad majestatis splendorem, qui in regis vel judicis in solio sedentis vultu rutilans reos percellit, *q. d.* Tacet modo Deus, et quid vos occultis consiliis agitetis aut non videre, aut ignorare se simulat; cum autem qui modo quiescere videtur, et tantisper vindicem dexteram a supplicio suspendere, sese commoverit, et quasi suscitatus fuerit a somno, obstupefaciet vos, cum ad terrorem et minas vim etiam addiderit ultricem : ita Sanctius. Mens Jobi est, repensurum Deum tribus amicis qualia ipsi Jobo inferre tentarunt, perturbationem scilicet ac terrorem; debere propterea ipsos divinæ ultionis memores mitescere, ac temperanter cum homine afflicto colloqui. Videtur autem hoc loco Jobus præsagire quæ postmodum contigere, quando sub finem certaminis hujus Deus apparuit, et disputatores iratus conterruit. At licet in has angustias sensum minime coarctemus, omnino verum est illud : « Statim ut se commoverit turbabit vos, » etc.

Vers. 11. Dei judicis adventus erit terribilis.

Deus, qui modo quiescere videtur, in judicio contra peccatores commovebit cum terrore.

Mystice Jobus hoc de commotione illa, qua Deus modo velut sedens aut quiescens in cujusque hominis morte se loco movere eleganter dicitur, efferre potuit : sinit nempe Deus hominem pro libito agere dum vivit, et lacessitus peccatis minime commoveri videtur pœnitentiæ tempus indulgens, et patienter sustinens; at in peccatoris interitu exardescere dicitur ira, quæ ad commotionem significandam est maxime apposita. Hanc prophetæ arcanis symbolis describentes Deum inducunt velut in campum ingredientem contra insensatos flammifero curru invectum, cinctum fulminibus et procellis, quas dira et insuperabili potentia in caput inimicum effundat. Huc spectant illa *Jerem.* XXX, 23 : « Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens, in capite impiorum conquiescet; » apud Isaiam cap. XXX, 30 : « Terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris et flamma ignis devorantis : allidet in turbine et in lapide grandinis. » Hunc ergo potentiæ Dominum et ferocientem in scelus armatum sustinere quis possit, quin ad nutum ipsum venientis et terroris significationem pavore exanimetur? Illius verba sunt tonitrua, minæ, fulmina, tela, mors, et accessus ad puniendum ruina extremaque desolatio; hæc et similia cum apud se reputarent prophetæ omni animo cohorrescebant. Clamat ex oraculo Nahum cap. I, 6 : « Ante faciem indignationis ejus quis stabit : et quis resistet in ira furoris ejus? » In iisdem meditandis versati deinde apostoli nullum finem fa-

ciebant monendorum mortalium, ut æternum adorandumque Numen et immensam illius potentiam formidarent : clare D. Paulus *Hebr.* X, 31, ut ab evangelio tuba illud resonat, « esse horrendum incidere in manus Dei viventis. » Et beatissimus ille Videns *Apoc.* VI, 16, ait reges auro et gemmis coronatos, purpura insignes, gloriæ suæ majestate conspicuos, dominatu et potentia feroces, et minitantes pene dicam cœlo; ad occursum tamen fulminantis iræ Dei linqui animo, obstupefieri ut sideratos, fugere in speluncas, metu fractos, momentis prope singulis emorientes; idque ob iram agni, cum moderatissime capita scelerata comprimit. Quid igitur facient, cum jam non agnus, sed leo rugiet in prædam imminens, ore toto et specie formidandus? « Leo rugiet, quis non timebit? » inquit Vates *Amos.* III, 8. Illa sane est iræ divinæ consideratio, quæ frenum esse debet, ne se homines sui obliti atque Dei rapi sinant ad solutum vitæ genus, et turpitudine vitiorum pectus suum indigne commaculent. Hanc ergo iram magis inculcans subdit :

Consideratio iræ divinæ est frenum vitiorum.

Vers. 12. 12. MEMORIA VESTRA COMPARABITUR CINERI, ET REDIGENTUR IN LUTUM CERVICES VESTRÆ. — Explicat quale futurum sit illud supplicium, quod Dominus, ubi primum se commoverit, sumet de fraudulentis hominibus, longeque superbis et inflatis, qui videbantur existimare non aliter posse Deum ab injustitia defendi, nisi illi in causa laboranti confingendo mendacium subsidio venirent; minatur autem tale supplicium, quale superbo spiritui nullum videtur accidere potuisse molestius : hi enim memoriam sui student apud posteros conservari diuturnam, ut quo vita non potuit, eo vitæ gloriosa memoria perveniat. Sed hæc memoria nihilo erit firmior atque constantior quam cinis ab incendio relictus; qui consumpti ligni videri potuit monumentum seu memoria : qui cinis a modico vento huc illucque distractus temporis momento ita vanescit totus, ut neque ignis neque ligni combusti ullum videamus superesse vestigium. Hoc est quod ait Sapiens *Prov.* X, 6 : « Impiorum nomen putrescet; » licet exstruant mausolea et scintillantes auro ædes, et marmoribus pretiosis inscribant titulos magnificentissimis operibus, et prostare ubique nomen suum velint : cœli oraculum est : « Impiorum nomen putrescet, » hoc est, ut male olens cadaver brevi tempore ad omnium abominationem durabit, subito exolescet et delebitur : quam ob causam Jeremias dicit cap. XVII, 15, impios « scribi in terra, » in levi pulvere, in favilla, quam tenuis aura disjiciat, ut non nisi tantum volaticam moxque perituram memoriam potentiæ suæ, divitiarum, honorum, voluptatum sperare possent.

Qualis sit impiorum post mortem memoria.

Ad hunc locum egregie sic commentatur D. Gregorius : « Omnes qui cogitatione terrena huic sæculo conformantur, per omne quod agunt huic mundo relinquere sui memoriam conantur; sed cum ipsa ad finem celerius vita percurrat, quid in ea fixum stabit, quando et ipsa celeriter mobilis pertransit? aura enim cinerem rapit. Recte ergo stultorum memoria *cineri* comparatur, quia illic ponitur ubi ab aura rapiatur : quantumlibet enim quisque pro facienda gloria sui nominis elabores, memoriam suam quasi cinerem ponit, quia hanc citius ventus mortalitatis rapit : » hæc S. Gregorius de obliterata impiorum et superborum memoria. Sed quid de putredine corporum qua post mortem mundanæ superbiæ fastus polluitur, et principum jacent ossa humiliata? sequitur : « *Et redigentur in lutum cervices vestræ.* Cervix in lutum redigitur, cum superbus quisque humiliatur in morte, et elata caro tabescit in putredine. Certe ipsi erant qui extollebantur honoribus, habitis rebus tumebant, despiciebant cæteros, et quasi solos se esse gaudebant, et dum non perpenderent quo tendebant, nesciebant quid erant; sed in lutum cervix redacta est, quia despecti jacent in putredine, qui tumebant in vanitate. In lutum cervix redigitur, quia quantum carnis potentia valeat tabes corruptionis probat. » Hæc sanctus Pontifex.

Potentiorum humiliatio in morte.

Idem argumentum de sempiterna etiam inter homines oblivione impiorum, ubi primum fato cesserint, sæpius in Scriptura divina pertractatur. Hinc illud *Psalm.* XLVIII, 12 : « Vocaverunt nomina sua in terris suis, » exponit Theodoretus : Ab eorum nominibus eorum prædia nominabuntur : illius enim est domus, et illius est fundus, etc.; verum cum dominio nominum appellatio mutatur. Est autem sermo de superbis et famam præclari nominis ambientibus, qui conditis a se urbibus aut magnificis ædificiis, uti erant antiquæ pyramides in Ægypto, thermæ, aquæductus, triumphales arcus, obelisci apud Romanos, quibus sua nomina imponebant, sed brevi tempore perierunt : etenim ad unumquemque eorum dicitur *Nah.* I, 14 : « Non seminabitur ex nomine tuo amplius : » ad litteram sermo est de Sennacherib rege Assyriorum, qui superbia intumescens in obsidione hierosolymitana contra Deum cœli blasphemaverat, reversusque infecta re, imo valde debilitatus ob miraculosam exercitus sui cladem, inter aras et pulvinaria suorum deorum ab ipsis filiis suis est obtruncatus; igitur non seminabitur ex nomine Sennacherib, hoc est ut interpretatur Theodoretus, non amplius nomen ejus subditis imponetur : subditi enim a regibus suis nomen accipere soliti sunt, sic a Romulo Romani nominati. Universim tamen de potentibus ac nobilibus hujus sæculi potest locus intelligi, qui dum vivunt nominum suorum gloriosam quamdam segetem excolunt, cum basilicas, pensiles hortos, mausolea et hujusmodi amplissima construunt ædificia, quibus omnibus nomina sua regia et gentilitia stemmata imprimunt, ut inde apud posteros metant famam nominis gloriosam; sed ut sæpenumero agricolæ vota et spes illudantur tactis de cœlo segetibus, ut miser futuræ

Superborum nomina inpasita ædificiis evanescunt.

Fama cui superbi studeat peribit.

Perit gloria et memoria improborum.

http://www.obrascatolicas.com

ubertatis exspectatione gestiens vix stipulam arentem colligat : sic istorum memoria de mentibus hominum a Deo penitus exstirpatur. Intercidit igitur impiorum fama, et nominis memoria eraditur prorsus ex animis hominum, nec linguæ auresque vivorum tam turpi patiuntur fœtore maculari ; unde regius Vates ait *Psalm.* XV, 4 : « Nec memor ero nominum eorum per labia mea. »

Vers. 13. Job renovat attentionem.

13. TACETE PAULISPER, UT LOQUAR QUODCUMQUE MIHI MENS SUGGESSERIT. — Verba hæc propria esse videntur animi dolore saucii, sermonis conceptu prægravati, seseque sine interruptione exonerare cupientis. *Tacete*, inquit, quod per præoccupationem dolentibus familiare esse dictum videtur : non enim tunc alii, sed Jobus ipse verba faciebat ; verebatur tamen, ne homines verbosi importune ipsum interpellarent. Quod vero ait, *quodcumque mihi mens suggesserit*, perinde est ac si diceret : Sinite exhalem dolorem acrem, ne mei curam geratis, an mens pia vel impia suggerat : ne salutis meæ sollicitudine angamini ; ego de meipso rationem Deo reddam, et quidquid peccavero luam. Recte quidem Jobus, nam intempestiva sunt consilia ægris animis obtrusa, et verba dolentium leniter accipienda, piaque interpretatione extenuanda sunt. Hebræus hunc versum ita reddit, *obmutescite a me, et loquar ego ; et transeat super me quidvis*, q. d. Sinite me solum loqui, ne mihi molesti sitis, neque me turbetis cum loquar, et eveniat quidquid voluerit, totum meo periculo erit. Septuaginta vertunt, κωφεύσατε, ἵνα λαλήσω, καὶ ἀναπαύσωμαι θυμῷ, *obmutescite, ut loquar, et requiescam ab ira*, id est, permittite, ut querelis et lamentis dolori meo medicinam faciam, et sic exacerbatum animum componam et leniam.

Vers. 14. Lacerare seu comedere carnem suam quid in Scripturis.

14. QUARE LACERO CARNES MEAS DENTIBUS MEIS, ET ANIMAM MEAM PORTO IN MANIBUS MEIS ? — Locus hic ab interpretibus varie exponitur, ut videre est apud Pinedam, qui diversas eorum sententias recenset et accurate expendit. Ac in primis *lacerare*, seu *comedere carnem suam*, quidam censent idem esse quod defraudare genium, et corpori subtrahere necessaria ; alii opes consanguineorum et propinquorum suorum absumere : mihi magis placet, ut significet tabe se conficere, curis et luctu sese excruciare, nam ita consumitur caro, ut videre est in magno dolore et tristitia. Cur ergo, inquit, me conficio dolore tabifico, periculisque non necessariis me expono ? hoc enim significatur verbis illis : « Et animam meam porto in manibus meis, » ubi Eugubinus vult *animam* pro *corpore* poni, et esse idem quod *lacero carnes meas* ; sanctus vero Augustinus sic exponit, ac si Job diceret se vitæ suæ errata non silere, sed ea quasi in manu omnibus inspicienda gestitare. Olympiodorus ait Jobum vitam suam pignori opponere, nisi vera sit locutus S. Remigius tradit ipsum semper sollicitum fuisse de profectu animæ suæ : verum hæ tres ultimæ expositiones magis tropologicæ sunt quam litterales. Primum ergo ait se *lacerare carnes suas*, quod magnam indicat doloris vim, sive hominem spectes, quem urit ingens dolor, sive in quem hostili alii atque ardenti aut impotenti furore rapiuntur : qui enim ingenti dolore insaniunt, impotes nimirum doloris et ignominiæ, aut certe sui ipsorum, suas lacerant carnes, ut qui laborant rabie, aut aliquo alio furore lymphatico abripiuntur ; hinc factum est, ut qui se propter casum aliquem durum aut ignominiosum excruciant, dicantur se ipsos lacerare aut devorare. Sane qui hostes suos durius accipiunt, aut in illos furiose bacchantur, *comedere* dicuntur aut *esurire* illorum *carnes*, aut *sanguinem sitire* : sic Jobus *infr.* cap. XIX, 22, ad illos, qui ipsum verbis infestabant durioribus, dicebat : « Quare persequimini me sicut Deus, et de carnibus meis saturamini ? » et eodem fortassis sensu cap. XXXI, 31 : « Quis det de carnibus ejus ut saturemur ? » Sane hoc ex offensione natum esse putant Hieronymus, Gregorius, Philippus, Beda, Hugo, Eugubinus, Vatablus. Eodem sensu dicitur hostis, cum furore inflammatur in aliquem, illius bibere aut sitire sanguinem. Lacerare carnes suas signum doloris et odii.

Quid sit animam suam in manibus portare.

Alterum, quod ait se *portare animam in manibus*, dictum est phrasi Hebræis usitata, qua significant ultimum discrimen, quando quis vitam suam manifesto periculo exponit, tunc enim *animam* quasi *in manu sua portare* videtur, vel, si mavis, in manibus ponere. Quemadmodum enim res, quæ super extensas volas manuum defertur, facile aut eripi aut cadere potest, et si servatur, solius Dei protectione servari videtur, ita etiam ille qui se manifesto vitæ periculo exponit, solius Dei ope adjutus, eam illi offerre ac commendare dici potest : sic Jonathas de periculoso Davidis cum Goliatho certamine dicebat Sauli regi I *Reg.* XIX, 5 : « Et posuit animam suam in manu sua, et percussit Philistæum. » Sæpius etiam alibi habetur hæc locutio ad idem significandum, ut cum eodem I *Reg.* XXVIII, 21 : « Posui animam meam in manu mea, » ait Pythonissa ad Saulem, significans se, ut morem ei gereret, non veritam facere quod morte vindicandum Saul sanciverat ; et apud Aben Gorion lib. IV, cap. XXXIV : « Posuimus animam nostram in manu nostra ex adverso propter vitam ejus, » aiunt Sadducæi narrantes pericula quæ subierant pro Alexandro Hircani filio. Hinc etiam Græci dicunt proverbio : ἐν τῇ χειρὶ τὴν ψυχὴν ἔχει, *animam in manu habet*, de eo qui versatur in summo discrimine. Usus est eo Xenarchus apud Athenæum ; S. Hieronymus quoque, cui Beda subscribit, hujus formæ loquendi sensum esse putat, ut Job significet se eo jam miseriæ adductum esse, ut censeri possit pro mortuo : quæ enim in manibus habemus extra nos sunt, et ideo si animam in manibus esse dicamus, excessisse quoque e corpore fateamur necesse est. Ipsa, si placet, S. Hieronymi ad hunc locum verba audiamus, quæ sic habent : « Ipsam Animam in manu sua portare dicitur qui extremo periculo versatur.

vitam suam, quæ solet *animæ* vocabulo dici, *portare* se ait *in manibus suis*, hoc est, jam in tormentis deficiente anima et exeunte velut efferendam porto manibus. » Cum hæc eadem tradidisset Beda, adjecit eodem sensu explicandum esse locum *Psalm.* CXVIII, 109 : « Anima mea in manibus meis semper, » id est, in continuo vitæ periculo versor ; quemadmodum etiam S. Hieronymus in epist. *ad Suniam* exponit.

Mercès ultroneæ vilescunt

Denique Sanctius noster hanc loquendi formulam a scrutariis aut viliorum mercium propolis putat esse translatam : hi enim quas venales habent merces in manibus ostentant, quia emptores quærunt et rogant, ac publico præconio aut etiam instrumento clarius resonante evulgant ; neque diu multumque de pretio contendunt, cum sint vilissimæ, et nemo ferme sit, qui quolibet oblato pretio eas non referat secum. Et sic sensus esset, *q. d.* Habui vitam ita pro republica et communi utilitate vilem, ut non dubitaverim illam quasi rem vilissimam profundere, et quasi lucro appono, si quis illam vel modico pretio aut etiam gratis sibi velit impendi. Verum hæc expositio longius petita est, quam ut huic loco secundum litteram apte congruere posse videatur : quare præcedentem, quæ locum hunc de vitæ periculo exponit, ut magis simplicem et genuinam amplector. Porro quam in tantis periculis et anxietatibus constitutus animo minime pusillo aut desperabundo, sed excelso, et in Deum contra spem naturæ per spem gratiæ semper erecto fuerit, et ad finem usque perseveraverit, sequentia ejus verba luculenter declarant.

Vers 15. Mira Jobi in afflictione erga Deum fiducia.

15. ETIAMSI OCCIDERIT ME, IN IPSO SPERABO : VERUMTAMEN VIAS MEAS IN CONSPECTU EJUS ARGUAM. — Mira sane confidentia, imo mirum amoris experimentum, in Deo sperare, etiamsi occidat, *q. d.* Video jam Deum, quantum quidem ex signis externis colligere possum, certissimam mihi mortem infligere ; sed non idcirco me mors ab illius charitate aut viva spe dejiciet : nam certus sum benignissimi Numinis auxilium opportuno mihi tempore adfuturum, remediumque adversus hæc omnia, quæ modo perpetior mala, allaturum, quantumvis me nunc ad mortem adducere videantur. Hinc certe liquet veram in Deum fiduciam nusquam magis enitescere quam mediis in periculis, quando omnia perdita et complorata putantur ; inter quas adversitatum turbines et rerum suarum ruinas Jobus hac sola fretus non solum inconcussus, verum etiam erectissimus stetit. Hostes omne pecus abegerant, et quidquid post hostium vastitatem superarat delapsus cœlo ignis absumperat : liberos insuper ad unum omnes, charissima ejus pignora, subita domus ruina oppresserat, et ruderibus ipsa suis luctuoso nimis tumulo condiderat. Ipsemet præterea Jobus totus ulcerosus, vel unum potius ulcus diaboli manu factus, cognatorum, familiarium et conjugis etiam ipsius convicio ad miseriarum tantarum complementum fœde laceratus, omnia plane, præter unam in Deum fiduciam, amiserat, qua sola nixus omnes istas calamitates generosissime sustinuit, imo gloriosissime superavit ; siquidem jam ad fimetum ablegatus, inter ebullientes undique vermes, defluentem saniem non molli linteolo suaviter abstergens, sed aspera testa, quæ vulnera magis exulceraret, abradens, semetipso et tentatore diabolo fortior veluti triumphabundus athleta et pancratiastes exclamat : « Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. » Adamantinum vere cor inter adversitatum funera, vivum adeo vegeto calore ac spiritu charitatis, ut tunc maxime, cum adversantia confluunt mala, revirescere spei adminiculo videatur.

Fiducia in rebus asperis magis

Occidere porro hic sumi potest eo sensu quo Apostolus cum regio Propheta dixit *Rom.* VIII, 36 : et *Psalm.* XLIII, 22 : « Propter te mortificamur tota die, facti sumus velut oves occisionis (nam afflictiones et vexationes graviores aliquando *mortis* et *occisionis* vocabulo significantur) ; sed in his omnibus, inquit idem Apostolus, superamus propter eum qui dilexit nos. » Eodem utique afflatus spiritu S. Job tantum abest ut præ desperatione quidquam attentet, ut e contra in Deo spem firmissimam collocet, tametsi ab illo jam interfici videretur ; et quidquid tandem vexationis ei eveniebat, actiones tamen suas coram Deo castigabat, ne quam culpam ob malorum acerbitatem incurreret. In Hebræo ex lectione Pagnini pro primis illis verbis : « Etiamsi occiderit me, » habetur, *ecce occidet me*, ubi mortem ipsam terribilium terribilissimum pro spei fundamento et indice vitæ sumere videtur. Nec mediocrem emphasim habet particula *ecce*, quæ ex præsenti discrimine salutem, ex morte ipsa vitam prodeuntem velut penicillo ob oculos ponere videtur. Explico atque confirmo tibi hanc Jobi exspectationem et spem, quam de vitæ incolumitate et malorum solutione vel in ipso quasi mortis articulo inter tot difficultates et angustias undequaque prementes habebat non tam ex egregia illius indole et ingenti animi fortitudine (nam teste Floro lib. IV, cap. VIII, « magnæ indolis signum est sperare semper ; » unde apud Tacitum lib. II *Hist.* Plotius Firmus Othoni suggerit, « fortes et strenuos etiam contra fortunam insistere spei, timidos et ignavos ad desperationem formidine properare »), quam ex verissima de Dei providentia concepta opinione ; tunc nimirum ad opem ferendam præsto esse, cum omnia undique auxilia desunt humana, atque inde ipsum incipere ubi mundus deficit. Job ipsam mortem spei fundamentum posuit. Spes Jobi divina nititur providentia.

Ita quoque David dicebat *Psalm.* CXVIII, 147 : « In verba tua supersperavi, » quod verbum optime hanc Jobi spem exprimit : quid enim *supersperare* sit, quam supra spem sperando tendere, et, ut S. Ambrosius *ibid.* exponit, « ad sperandum semper crescere, et spem spei adjungere ? » at quæ causa et occasio Davidi sperandi et su- Supersperare quid significet ?

http://www.obrascatolicas.com

persperandi disces ex titulo, sive ex littera hebræa illis verbis in titulum superposita; quæ est *Coph*, quod *conclusionem*, id est extremam animi undequaque oppressi angustiam significat : ita S. Ambrosius serm. 19 *in Psalm.* CXVIII : « Concluditur namque unusquisque tumescentibus visceribus internisve faucibus, cum intercluso spiritus commeatu spirandi ac respirandi commercia coarctantur. » En supersperandi et proficiendi in spem materiam et causam, cum humana omnia deficiunt, cum undique mœror, dolor et angustia, non secus ac cum omnis respirationis aditus præcluditur. Pergit Ambrosius, et ait : « Justus semper sperat, et in adversis positus et frequentibus afflictus ærumnis desperare non novit; sed quo graviora toleravit magis sperat, et sperandi sumit profectum : » idemque Jobi exemplo confirmans subdit : « Job tot gravatus incommodorum acerbitatibus pio spem cumulabat affectu, discretam a piis asserens causam impiorum, quorum lumen exstinguitur; lux autem secundum Salomonem semper justis : unde colligitur, quia semper in verba Dei sperat, et spem adjicit spei. Quod evidentius expressit Isaias dicens : *Tribulationem super tribulationem, spem super spem.* » Ita S. Ambrosius apposite hæc verba Isaiæ in sensus sui confirmationem afferens; quæ non parum quoque præsentem Jobi locum illustrant : iis enim manifeste adstruit Propheta, eamdem justis spei ac tribulationis et angustiæ mensuram esse, ut hac crescente, illa crescat; hac decrescente, illa minuatur.

Cum humana deficiunt auxilia tunc magis in Deo sperandum.

Spes justis crescit pro mensura tribulationis.

Similis est regii Vatis sensus dicentis *Psalm.* XXVI, 3 : « Si consistant adversus me castra, non timebit cor meum : si exsurgat adversus me prælium, in hoc ego sperabo; » sed quid est *in hoc*? Dicet nonnemo esse idem ac *in Deo*, nec abs re, cum ex ipsa belli occasione sperandi ansam arripiat. Sed significantius id explicat hebræa lectio, ex qua constat pronomen *hoc* referri ad ipsummet prælium; unde S. Cyprianus in *Exhort. ad Mart.* cap. X, diserte legit, *in illud sperabo*, ut apertissime dicat David, se ad Dei auxilium et munimentum sperandum ex ipso belli discrimine et periculo moveri, quod bene norit, tunc Deum ad opem ferendam præsto esse, cum major difficultas, discrimen periculumque ingruerit. Ergo si consistant adversum me castra, et undique periculis cinctum me videro, tunc ab ipso vitæ discrimine ad vitam et incolumitatem sperandam erigar, firmiorique animo ero, quo infirmior viribus et discrimini superando magis impar videar. Nec prætereunda gradatio, qua in spe ex majori discrimine se proficere innuit : nam cum dixit : « Si consistant adversum me castra, » hoc est, si mihi denuntietur bellum, et copiæ in me instruantur, solum dixit : « Non timebit cor meum. » Cum vero ulterius pergens addidit : « Si exsurgat adversus me prælium, » id est, si acies in me jam jam irrumpat, et districtos in me gladios videro; adjecit : « In hoc ego sperabo, » ex majori et magis urgente periculo spem speique incrementum concipiens. Similis omnino est verborum Jobi sensus, qui non modo non despondet animum, sed spem altius quam unquam in summa calamitate confirmat, decernitque actus futuros (quos *vias* appellut suas, quibus in patriam cœlestem se iturum confidit) *arguere*, hoc est castigare, defæcatos purosque producere, quidquid tandem Deus secum agere velit : sive enim afflictum solari, sive anxietatem protendere malit, omnino constituit se inculpate victurum, quod animi fortissimi argumentum est. At quid speravit? jam bona omnia temporalia Satan abstulerat, jam vita pene consumpta mors instabat; quid ergo supererat spei? profecto vitam immortalem in primis, mox et temporalem, si id quidem expediret, speravit. Utramque sane clementissimus Deus erat collaturus; neque absonat, ut spes in eo discrimine laudatissima utramque complexa fuerit : hæc certe spes pusillanimes instruit, fortes ac magnanimos raro quidem exemplo confirmat.

Job in summa calamitate quam maxime sperat.

Cæterum cum ait : « Verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam, » non recusat Jobus, si quid ab ipso peccatum est, illud aperire, et omnibus fieri manifestum; quandoquidem confessio delictorum panacea est, remedium vere θεοδώρητον, non quale a medicorum filiis celebratur, sed longe divinius morbos sanans et vigorem restituens : idem in animo illa facit quod aloe in corpore, cujus succus est amarus, et medicamentum de numero eorum, quæ medici nominant ἐκκριτικά, a fæcibus excernendis et ejiciendis. Ut igitur aloe præsertim indica subducit ventrem et expurgat; ita confessio pœnitentis emaculat animum et extergit, et ipsa amaritudine sua valetudinem conciliat. Aloe quoque sanat ea ulcera, quæ ægre ad cicatricem duci possunt, et maxime quæ sunt in pudendo : sic pœnitentia seu confessio desperatos animi morbos, qui pudendi ob insignem turpitudinem maxime videantur, divine persanat. Tertullianus lib. *De Pœnit.* cap. VII, forte huc intuebatur, cum pœnitentiam vocaret *medicinam*, et toties quidem repetendam, quoties vulnus et ægritudo mentem attingeret : « Iteratæ valetudinis iteranda medicina est, » ubi *valetudinem* in malam partem sumit pro afflicta, quæ summum atque ultimum vitæ periculum denuntiet. Atque hic lucet inæstimabilis Dei erga nos benevolentia, qui de remedio tam prompto facilique providit : neque enim ad quærendum hoc pretiosum aloes genus in Indiam navigandum est, domi nascitur atque apud nos : in ipso corde est medica officina, ubi divinæ pyxides et alexiteria pharmaca, et prope dicam ipsa salus : de die, de nocte inde petere licet et herbam borith, et myrrham primam, et malagma sapientis, et emplastrum propheticum, et Isaiæ catasplasma, quo divino beneficio sanemur

Confessio delictorum panacea et divinum aloes genus.

Pœnitentia facilis æque ac utilis.

Quid vero facilius quam animo humili et abjecto et constanti voluntate, dulcem manum admovente pœnitentia, dicere cum Davide, *peccavi?* Denique in mirabili facilitate emolumentum est maximum, ut sit necesse hominem esse mente captum, aut furiosum, aut insigni vecordia sui negligentem, qui hoc refugerit, et velut Sardoniis herbis saturum perire morbo velle suo atque emori. Sapienter et præstanti judicio Aristoteles lib. VII *Ethic.* cap. VIII : Ὁ μὴ μεταμελητικὸς, ἀνίατος, *quem factorum suorum non pœnitet, is nunquam ad sanitatem revertitur.* O christianum ante proditum evangelium acroama! qui pœnitentiam fugit insanabili morbo laborat, vertit in venenum medicinam, gratis perit. Felix illa anima, quæ potest cum beatissima heroina Dei sponsa dicere *Cant.* cap. V, 1 : « Messui myrrham meam, » quod hieroglyphicum est pœnitentiæ. *Messui*, inquit, prompta videlicet manu, generoso proposito, falce omnino aurea; unde tam divina bona consequuntur, neque enim medica tantum est hæc myrrha, sed cum multis et præstantibus emolumentis conjuncta. Unde addit in epithalamio sponsa se messuisse myrrham *cum aromatibus suis*, ut fructus pœnitentiæ dulces atque odoratissimos innuat; qui quanti sint, vix ullius hominis oratio consequi potest. Itaque Patres contendere et laborare video, ut metanœæ nobis admiranda ob oculos subjiciant et commendent : quid enim est mirabilius, quam ut ea virtus, quæ tota e dolore nasci ut indica myrrha e spina videatur, oblectationem pariat? Pœnitentiam forte pœnam judicabas, hispidam, et horridam, et mœroribus circumseptam : non est, nec addit pœnam, sed mirabili modo imminuit. Credamus erudito præsuli sanctissimoque Ambrosio, cujus illud lib. II *De Abel*, cap. IX, est verissimum oraculum : « Confessio pœnarum compendium est. » Eadem ipsa videtur abjicere hominem usque in pulverem, usque in abyssum, luce indignum ac perditum. At videte rem mirificam, quam Tertullianus lib. *De Pœnit.* cap. IX, ita belle prosequitur : « Cum provolvit hominem magis relevat; cum squalidum facit magis mundatum reddit; cum accusat excusat; cum condemnat absolvit : » hic acervus est illustrium miraculorum. Cum provolvit magis relevat; quo pudore magis et verecundia centrum petit, eo sublimius ad luminosum Dei solium attollitur; pulverem lambit, simul et Dei pectori osculum figit; tristitiæ nubem inducit simul et cœlestem serenitatem; denique dum in terra volutatur, cœlum expugnat. « Sola pœnitentia, inquit Cyrillus Alexandrinus *in Soph.* cap. I, vers. 7, servat hominem prope depositum, atque a certo exitio liberat ἐκδυσωπεῦσα τὸν κριτὴν, *judicem flectens* et furorem ejus sedans, et ad bonitatem illi propriam facile adducens; » et cap. III, vers. 33, idem S. Doctor præclare ait dolentis lacrymas inducere felicissimam quamdam ἀμνηστίαν Deo, mitissimumque illum efficere. Cum metanœa lumina in cœlum sustulerit pio rore manantia, subito fulmen e manibus Deus abjicit, in collum ruit, chirographum sontis animæ dilacerat, aboletque in sempiternum : ita Cresollius noster, qui pulchre ac fuse hæc prosequitur in *Anthol.* cap. VIII. Hujus ergo rei minime ignarus S. Job apposite subjungit :

Mirabilia virtutis pœnitentiæ.

16. ET IPSE ERIT SALVATOR MEUS : NON ENIM VENIET IN CONSPECTU EJUS OMNIS HYPOCRITA. — E sincera confessione et firmissima spe, qua erigebatur in Deum Jobus, speratæ salutis firmum ducit argumentum, quale nequit struere qui simulate Deum colit. Cæterum hoc ipso concertatores suos vellicat, qui non usque adeo animi sinceritate præditi videbantur; vel certe universali doctrina se sincerum a quibuslibet hypocritis discernit. Illud vero, *venire in conspectu Dei*, confidentiam animi notat, qua carere necesse est, quos conscientia simulationis hypocrisisve coarguit; est autem hypocrisis genus quoddam simulationis et vitium, quo quis fictis et adscititiis operibus, callido artificio usurpatis, ad sanctimoniam in hominum luce oculisque ponendam, famam sibi et nominis existimationem aucupatur. Res clara est in divinis evangelistarum commentariis, gravissimis a Christo verbis damnata, ut cui toties væ magnum et formidandum imprecatur. Cumque acerbum, durum, inusitatum et scelerato cuilibet repositum vellet Christus supplicium exponere, dixit *Matth.* XXIV, 28, « ponere partem illius cum hypocritis, » quasi hypocritæ Dei fulmen quantum quantum est et gravem manum experturi sint aliquando vindicem simulationis. Quod etiam pii prophetæ haud obscure denuntiaverunt. David mœrens, et eorum hominum exitio conturbatus, suam ad lyram id canebat *Psalm.* LII, 6 : « Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent, » quos Cyrillus interpretatur *hypocritas*, bonitatis et virtutum simulatores, ut hominibus placeant : horum omnium *ossa*, id est robur vimque Deus exhauriet, fictas et fucatas virtutes in ventum nihilumque disperget, quarum pretium fuit inanitas, gloriolæ captatio, vani fumus honoris. Apud Sophoniam cap. I, vers. 8, illas quoque minas intentat : « Visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrina, » ubi *visitare* e sacri sermonis usu est *punire*, severitatem expromere; per *vestem* autem *peregrinam* Rupertus intelligit hypocrisin, quasi filis simulationis opere plumario et levissimo contextam, et velut latum clavum in humeros impositam ad decorem futilemque pompam. Hoc inane paludamentum mendacio illusum visitabit excutietque Deus, exuretque in theatro mundi atque in luce omnium populorum, et vulpeculas illas ex involucris simulationis eductas ad sempiternam hominum contumeliam exponet.

Vers. 16.

Hypocrisis quale vitium, ejusque supplicium.

17. AUDITE SERMONEM MEUM, ET ÆNIGMATA PERCIPITE AURIBUS VESTRIS. — Attentionem renovat, vo-

Vers. 17.

http://www.obrascatolicas.com

lens iterum cum Deo disputare, ut videant tres amici se nihil suis sermonibus profecisse, quo minus ipse suæ causæ confideret. Difficulter enim vir bonus a vera et recta sententia abducitur, licet multi contradicant. Quod *ænigmata* dicit in Hebræo est אחותי *achvati*, id est *enuntiationem meam*, sive propositiones meas, quæ videntur vobis obscuræ et difficiles intellectu tanquam ænigmata; est autem ænigma obscurior quædam allegoria, quæ sententiam subobscuris tegit involucris : in qua explicanda laborant interdum diu et torquentur ingenia. Vocat igitur Jobus sermones suos *ænigmata*, quia multa in illis involvuntur obscura, quæ vulgares mentes non assequuntur : quia quomodo quæ dissidere inter se censeri possent, componantur, non vident, quale est, quod Deus sit æquus et misericors; et tamen cum illo expostulare videatur, quod tam acerbe vexet innocentem : quod se *justum* appellet, et tamen superbiæ labem non incurrat, quæ raro admodum a propriis laudibus abesse solet : quod cum Deo carnei oculi non sint, et penitus videant quæ humani non vident oculi, dicat tamen in divino judicio se justum inveniendum. Hæc sane omnia sunt ænigmata, ad quæ Jobus attentos esse vult amicorum animos : ita Sanctius noster.

Ænigma exhib.

Vers. 18. 18. SI FUERO JUDICATUS, SCIO QUOD JUSTUS INVENIAR. — Hoc est primum ænigma, quod amici, quantumvis acuto ad excogitandum ingenio, nunquam intellexerunt, siquidem superius se coram Deo peccatorem confessus fuerat; jam tamen se justum declarandum esse prorsus affirmat, qui hoc asserere audet, cum alioquin ad judicii divini memoriam pavescere soleat, dicens cap. IX, 18 : « Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. » Unde hæc illi fiducia, ut non solum speret, sed sciat quoque se justum inventum iri? An quia rationes diligenter subduxerat, scripserat ipse contra se peccata, judicium ordinaverat? Non aberrabit qui sic exposuerit : Chaldæus paraphrastes hanc mentem juvat dum vertit, *ecce nunc ordinavi judicium : scio quoniam justus inveniar.* Nunc ordinat judicium antequam judicandus accedat, nunc rationes suas disponit; et ut tunc absolvatur, nunc se accusat, sciens quod in die judicii absolvetur, si nunc districte severeque accuset et puniat : scite S. Gregorius lib. XXV *Moral.* cap. VII : « In hoc, inquit, mentis nostræ judicio tanto citius absolvimur, quanto nos districtius reos tenemus. » Itaque quo quis contra se severior duriorque videtur esse, eo mitior est, et parcit sibi qui sibi non parcit; et damnat se qui se non damnat. Para te igitur ad judicium si sapis, conscribe peccata tua, ut deleta in Dei libro tunc reperias, et justus inveniaris. Delentur ex Dei libro peccata, si in nostro accurate describantur : quod si in nostræ memoriæ libro oblivione obliterentur, altius divinis ratiocinariis diariisque exarantur. Huc spectavit S. Chrysostomus hom. 12 *in Matth.* in hæc verba : « Si tu scripseris, Deus delebit; si vero non scripseris, ipse Deus et scribit, et pœnas exigit. » Quare multo melius est a nobis ista conscribi, ut a Deo deleantur, quam horum omnium nobis oblitis præ oculis nostris in die judicii hæc a Deo proponi : verisimum enim est quod dixit S. Paulus I *Corinth.* XI, 31 : « Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur, » nam Dominus, qui summe misericors est, et parcendi occasiones inquirit, ultionem sua manu non infert, si nostra manu videt inflictam. Unde Theodoretus ad Pauli locum jam citatum : « Si vellemus, inquit, vitæ nostræ rationes inire, et justam in nos ferremus sententiam, non ferret in nos Deus, qua nos puniret, sententiam; » et S. Anselmus *ibid.* : « Versetur ante oculos hominis imago futuri judicii, et quidquid in se viderit, quod a judice venturo reprehendi possit et puniri, ipse nunc in seipso reprehendat et puniat : peccata enim sive parva sive magna impunita esse non possunt : quia aut homine puniente aut Deo judicante plectuntur. Cessat autem vindicta divina, si conversio præcurrat humana. » Præcedat itaque humana punitio, id est a nobismetipsis inflicta pro peccatis castigatio, et ultio in nos divina cessabit : sic enim scriptum est *Nah.* I, 9 : « Non consurget duplex tribulatio : » vel, ut Septuaginta verterunt, οὐκ ἐκδικήσει δὶς ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐν θλίψει, *non vindicabit bis in idipsum in tribulatione.* Si ergo tribulatio pro peccatis a nobis sponte suscepta surrexit, nequaquam tribulatio a Domino immissa consurget : si punivit nos Dominus manu nostra, dum nos ad mortificationem sensuum et affectuum incitavit; non puniet, nec conteret manu sua, quos jam castigatos et contritos inveniet. Quod quidem optime cum sciret Job dicebat *supr.* vers. 15 : « Vias meas in conspectu ejus arguam : et ipse erit Salvator meus : » Puniam, inquit, præteritas actiones meas, si quas punitione dignas invenero, et (juxta hebræam lectionem) hoc mihi evadet in salutem : scio namque, quia si meipsum ob errata castigavero, Deum non tam experturus sum judicem quam habiturus salvatorem.

Accuratum conscientiæ examen fiduciam parit.

In mentis judicio absolvitur qui se accusat.

In nostro libro peccata scribamus, ut in suo ea Deus deleat.

Si peccata nostra puniamus Deus ea non puniet.

Vers. 19. 19. QUIS EST QUI JUDICETUR MECUM? VENIAT : QUARE TACENS CONSUMOR? — Quis est, inquit, qui sententiam æqui judicis una mecum subeat? vel, ut est in Hebræo, *qui litiget mecum coram judice?* cur instar rei et probati nocentis sileam, et sic moriar? et non potius innocentiam meam quibus potero viis aperiam et defendam? viri enim probi in æquo judicio minime tacent, sed confidenter pro se dicunt, et stant pro veritate; iniqui vero in hujusmodi judicio obmutescunt, neque se defendere audent : sicut ille qui in nuptiis regiis ausus est discumbere sine veste nuptiali, *Matth.* XXII, 12. Contra vero in judicio iniquo atque corrupto improbi loquuntur, libereque mentiuntur; probi autem tacent, neque suam causam informant, sicut dicit Amos cap. V, 12 : « Hostes justi accipientes munus, et pauperes deprimentes in

In æquo judicio justi loquuntur, et iniqui tacent : contra in iniquo.

porta. Ideo prudens in tempore illo tacebit, quoniam tempus malum est. » Hinc Christus Jesus in perversum illud judicium adductus, gravissimisque traductus calumniis, ita nihil pro se dicebat, ut præses vehementer, sicut Matthæus cap. XVII, 14, narrat, miraretur. Cæterum hic prodit se satis luculenter tuta Jobi conscientia magnanimitatis ac fortitudinis procreatrix : nimirum non ex animi elatione, sed ex veritatis studio ad Dei judicium suos impugnatores provocat, optatque in foro minime gravari. Illud vero, *quare tacens consumor?* duo indicat, alterum, subesse sibi argumenta, quæ pro sententia sua fidenter promat, et quæ animo supprimere non possit, ne veritas deseratur; alterum, se ita graviter affectum, ut necesse sit dolorem casto sermone suique defensione mitigare. Cæterum sic etiam explicari possit, ac si Job in tanta afflictione videns se orando et cum Deo colloquendo consolationem consequi posse, sesemetipse increpet : « Quare tacens consumor? » *q. d.* Si orando solamen invenio, cur non oro? unde paulo post vers. 22 : « Voca me, inquit, et respondebo tibi : aut certe loquar, et tu responde mihi, » quod totum fit in oratione. Nunc sermo cum Deo habetur, nunc Deus auditur, etc., hic cor dolore oppressum aperitur, hic passiones, hic dolores mitescunt.

Oratio est levamen afflictionum.

Tropologice Lyranus hunc locum concionatoribus sic applicat : « Prædicator, inquit, veritatis tacens consumitur : quia a conscientia mordetur, flagellat enim conscientia usque ad consumptionem illum, qui homines, quando opus est, veritatis verbere non flagellat. » Nec immerito, quia veritatis dissimulatio aliquando est negatio, hoc est, non magis aliquando offenditur veritas si negetur, quam si occultetur, quando nimirum adest obligatio illam profitendi ac propalandi. Huc pertinet illa Sapientis admonitio *Eccli.* IV, 2 : « Pro anima tua ne confundaris dicere verum, » quod Jansenius dupliciter exponit, ac *priori* quidem modo, ut sit sensus, *q. d.* Pro vita tua temporali conservanda ne prodas aut deseras veritatem, quæ vita ipsa tibi charior esse debet, adeo ut si tibi unum e duobus periculis necessario subeundum sit, aut amittendæ vitæ, aut deserendæ veritatis, vitam potius quam veritatem perdas. *Posteriori* vero modo sic exponit, ut sit sensus : Pro tua conscientia a peccato liberanda verum dicere ne formides, hoc est, ut conscientiæ tuæ consulas magna cum libertate verum loquere : si tacendo culpam incurreres, cave ne taceas; nullus pudor, nullus timor ad hanc ignavam taciturnitatem cum salutis tuæ periculo te impellat. Et paulo post subdit : « Ne revereare proximum tuum in casu suo, ne retineas verbum in tempore salutis, » hoc est, ne propter intempestivum pudorem aut timorem desinas corripere proximum tuum, quem vides in peccatum corruisse, et correptione tua speras erigendum.

Prædicator tacens consumitur.

Veritas vita charior esse debet.

Vers. 20 20 et 21. DUO TANTUM NE FACIAS MIHI, ET TUNC A FACIE TUA NON ABSCONDAR : MANUM TUAM LONGE FAC A ME, ET FORMIDO TUA NON ME TERREAT. — Postquam Jobus ad tribunal Dei provocavit, ut sedulus causæ actor extemplo rem auspicaturus precatur Deum, ut dolorem et formidinem extenuet, cum sit perspicuum, duos affectus illos et discursum intellectus et verborum prolationem intercipere; et quidem tunc pollicetur se non formidaturum, fugave se subducturum, quippe qui veritatis testimonio fretus apud veracissimum judicem dicturus sit. Annotandum hic Jobum bene dicendi artis quamplurimos tropos disertique rhetoris regulas exactissime observasse; et *primo* quidem dicendi exordium, quod et superius fecit in principio cap. X, ut Dei benevolentiam sibi conciliaret : ibi namque veniam petit a Deo, si forte aliquid liberius quam par sit aut minus prudenter efferat, dum ait *ibid.* vers. 1 : « Loquar inamaritudine animæ meæ, dicam Deo : Noli me condemnare, » etc. Hic autem similiter dixit vers. 19 : « Quis est qui judicetur mecum? » *Deinde* duo postulat sibi a Deo concedi, quæ si obtinere possit, sine ulla mentis confusione vel perturbatione causam suam se agere posse confidit : alioquin si Deus ea sibi deneget, coactum iri jam a principio vel in medio orationis cursu cum rubore discedere, et ab ejus conspectu pudore suffusum sese abscondere; et certe cum sui ipsius patrocinium assumere statuerit, prudenter agit, dum primo ea studet deflectere, quæ aliquo sibi impedimento damnove esse possunt : quamplurimi enim absque hujusmodi cautela in publico dicere tentantes sæpissime confusi rem imperfectam relinquere coacti sunt. *Tertio* non vulgaris in hoc elucet viri sancti temperantia, quod cum nuper se non modica dicendi cupidine teneri ostendisset; nihilominus illico tam parce ac modeste Deum alloqui incipiat, vere religiosus, qui novit refrænare linguam suam, atque etiam inter æstuantium verborum fluctus oris gubernaculum moderando quiete, pacifice ac reverenter loqui, ut hoc modo non modicam sibi conciliet Dei judicis benevolentiam, ex profunda submissi animi veneratione significans sublimissimam ejus majestatem sibi visam fuisse intolerabilem, nisi sui timorem in animo afflicto temperaret, et sineret animum roboratum fidenter pro se dicere. Etsi enim conscientia fiduciam generet, noverat tamen idoneus divini tribunalis æstimator, ne puram quidem conscientiam tanti judicis vim sustinere posse, nisi novis viribus armatam, Deique ipsius exhibita prius clementia fretam.

Job petit doloris et timoris imminutionem.

Job eloquens et artis rhetoricæ peritus.

Jobi singularis in dicendo modestia.

TUNC A FACIE TUA NON ABSCONDAR, — id est, etsi nihil mihi conscius sim, me tamen absconderem, latebras quærerem, nisi benevolentiæ tuæ ostensione ad proferendam coram te veritatem roborarer. Hujus autem benevolentiæ duo signa ponit, si videlicet illos gravissimos dolores auferat, quibus opprimebatur; quos vocat *manum tuam*, phrasi Scripturis usitata; in quibus *manus Domini*

Manus

http://www.obrascatolicas.com

Dominus dum est ic virtus ad puniendum.

frequenter sumitur pro potentia divina ad puniendum (ut Eusebius lib. VIII *De Præpar.* cap. III, ad finem testatur) vel etiam pro plaga et punitione ipsa divinitus illata; quam significationem illustrans D. Ambrosius *in Psalm.* XXXVII : « *Manum*, inquit, Dei virtutem intelligimus puniendi : hæc manus regem Ægyptiorum propter Abrahæ injuriam, ob tentatam Saræ pudicitiam, flagellavit; hæc manus Ægyptiorum currus, equos et populos Rubri Maris demersit profundo, » etc., ubi etiam advertit, plagam manu diaboli immissam aliquando *manum Domini* vocari, quod Deus ad puniendum tanquam manu sua diaboli ministerio utatur. Hanc igitur manum sibi adeo molestam a se amoveri Job rogat, et simul formidinem tolli, quam tanta supplicia injecerant. Hæc eadem in cap. IX, 34 posuit his verbis : « Auferat a me virgam suam, et pavor ejus non me terreat : loquar, et non timebo eum : neque enim possum metuens respondere : » potest etiam formido et pavor, quem utroque loco a se deprecatur, intelligi de eo, quem Numen ipsum apparens hominibus afferebat : erat enim gravis et vehemens opinio, quæ per animos olim gentium pervaserat, eum cui se Numen aliquod ostenderet continuo animam efflaturum; et ita mirabatur Jacob postquam angelum vidit dicens *Gen.* XXXII, 30 : « Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea; » et Isaias, postquam ei visio gloriæ Dei in templo apparentis oblata fuerat, dixit cap. VI, 5 : « Væ mihi, quia tacui : » in Hebræo est נדמיתי *nidmethi*, id est *excisus sum*; cujus rei mox rationem reddens ait : « Et regem Dominum exercituum vidi oculis meis. » Hunc igitur terrorem quem secum Numen adfert forte significat cum dicit : « Et formido tua non me terreat. » Cæterum tanquam omni metu liberatus fidenter subjungit :

Quia timentur olim, moriturum cui se Numen ostenderet.

Vers. 22. 22. VOCA ME, ET EGO RESPONDEBO TIBI : AUT CERTE LOQUAR, ET TU RESPONDE MIHI. — A quibusdam hoc loco Job aut arrogantiæ, aut contemptæ divinæ majestatis aut scandali arguitur : eo quod hæc quæ Deo datur optio sustinendi partes actoris aut rei, vel expostulantis, vel defendentis, confidentiæ limites excedere, et irreverentiæ multum præ se ferre videatur. A multis tamen tam Græcis quam Latinis jure excusatur Job, tum quia hæc verba ex fiducia bonæ conscientiæ procedunt, tum ex familiari in Deum charitate, tum denique, eo quod tot verbis contrarium non semel dixerat, et præsertim istis cap. IX, 15 : « Qui etiamsi habuero quidpiam justum non respondebo : sed meum judicem deprecabor, » quæ verba luculenter insignem ejus humilitatem declarant. Cæterum quidquid sit de hac controversia, utrum videlicet Job hac optione Deo data peccarit, cum in dicendi modo animi audentis et arrogantis judicia videantur apparere, quod debuisset modestius agere, sanamque doctrinam humiliore loquendi ratione depromere; magis inclino in sententiam eorum qui hac etiam in parte Jobum a culpa excusant, cum ipsiusmet Dei testimonio labiis suis eum non peccasse constet; et hæc ex animi in Deum fiducia bonæque conscientiæ robore, vexationis magnitudine perpensa, proficisci potuerint, et ad asserendam veram de divina providentia sententiam pertinuerint.

Vers. 23. Job petit vitiorum suorum cognitionem.

23. QUANTAS HABEO INIQUITATES ET PECCATA? SCELERA MEA ET DELICTA OSTENDE MIHI, — *q. d.* Multa et gravia patior, o Domine, et tot calamitatibus afflictus intereo; aperi igitur me mihi, et quid in me lateat, quod tuam majestatem provocet ad indignationem ostende : homo sum, humani a me nihil alienum puto. Scio homines sæpe iniquitates admittere, quibus lædunt proximos; aut peccata, quibus suam naturam dedecore afficientes, seipsos occidunt; aut scelera, quorum malitia quasi ex professo in tuam majestatem insurgunt; aut delicta, nam quæ facere debuerant, omittunt. Quid horum ego feci, ut sic me punias, ut sic me multiplici amaritudine et dolore consumas? Obversentur ante oculos meos excessus mei; pateat jam mihi ingratitudo mea, ut mala mea justa detestatione rejiciens, tuam miserationem ac tantorum malorum depulsionem promerear. Ecce quomodo sanctus hic vir sui cognitionem postulabat : eodem quoque modo nobis petenda est, ut in hac disciplina proficiamus, et ad Dei notitiame volemus. S. Dionysius *Eccles. Hierar.* cap. II, eam cognitionem appellat πρῶτον ἱερὸν δῶρον, *primum sanctum munus*, quod ad homines e divinæ lucis communione descendit; Clemens Alexandrinus lib. III *Pædag.* cap. I, vocat πάντων μέγιστον μαθημάτων, *disciplinarum vim pulcherrimam et maximam*, quam qui fuerit consecutus facile possit ad ipsius Dei cognitionem et similitudinem provehi; eamdem S. Augustinus proœmio lib. IV *De Trinit.* anteponit omni aliarum rerum scientiæ; et inter alia hæc de viro probo : « Præposuit, inquit, scire infirmitatem suam magis quam scire mundi mœnia, fundamenta terræ et fastigia cœlorum. » illa vero scientia infirmitatis suæ a nemine parari solet absque sui inquisitione et examine diligenti, sine quo cæcus ut plurimum animus est, atque in propriis videt nihil. Ex eo vero quod quis se penitus introspiciat atque examinet eximius ille fructus sequitur, quem optare et quærere omnes debent, ut e luto vitiorum emergat, et defectus animique ægrotationes abs se notatas et animadversas emendet : nam sapienter et rotunde Seneca *Epist.* 28 : « Deprehendas te oportet antequam emendes; » et alio loco pari laude et commendatione ingenii *Epist.* 6 : « Hoc argumentum est in melius translati animi, quod vitia sua, quæ adhuc ignorabat, videt. » Hoc sane evenire in animis quod in corporibus solet, ut ignotum ulcus in deterius habeat, et curatione destituatur. Vere proinde Alexander Trallianus doctissimus et expertissimus medicus lib. IX, cap. II : Ὀρθὴ θεραπείας παιδαλιόν ἐστιν ἡ διάγνωσις, *internotio rectæ curationis fundamentum est.* Merito igitur S. Job

Sui cognitio est sacrum munus et maxima disciplinarum.

Conscientia diligenter examinanda.

Vitia cognoscenda ut emendentur.

sibi delicta sua ostendi desiderat, ut illa corrigat, si quidem fortassis in ipso adhuc resideant; sin secus, cur tam acerbas pœnas irroget interrogat.

Vers. 24. 24. CUR FACIEM TUAM ABSCONDIS, ET ARBITRARIS ME INIMICUM TUUM? — Hæc interrogatio cohæret optime cum præcedente, qua postulavit sibi propalari delicta : cum enim conscientia testaretur nihil damnatione dignum se admisisse, subtexuit : Si ergo nihil deliqui innocentiamque servavi, nec mihi quidquam objicis, cur faciem gravis odii significatu abscondis, quasi me æquis oculis aspicere nolis? Cur ita mihi indignaris, et opere ac ultione terribili arbitraris me inimicum tuum?

Abscondere et ostendere faciem quid significet in Scripturis.

Avertere vel *abscondere faciem* Deus in Scriptura dicitur, cum incommodis afficit, et iratus esse videtur, translatione ab hominibus petita, qui nolunt eum intueri, erga quem gravi animo sunt; *ostendere* autem *faciem* vel respicere dicitur Deus, cum favet, et malis medetur. Qua etiam phrasi Latini utuntur : « Nam nisi quis nos Deus respexerit, » scribit Attico Tullius, id est, subsidio fuerit; et ita David ait *Psalm.* XXIX, 8 : « Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus; » et *Psalm.* XXIV, 16 et XXX, 17 precatur : « Respice in me, et miserere mei : et illustra faciem tuam super servum tuum. » Lamentatur ergo Job per modum modestæ querelæ Deo dicens : Cur mihi iratus et offensus es? Quid commerui? aut in quo peccavi? Quænam severitas est hæc, qua me tetrice accipis ac si forem ego capitalis hostis tuus? Quem modum cum Deo expostulandi ait Joannes a Jesu Maria suavissimum esse, et conscientiæ puræ congruentissimum, ut non immerito a viris sanctitate conspicuis, sed immaniter afflictis, usurpetur ad clementissimum Deum exorandum, leniendumque mœrorem, quo pene intereunt. Sed Deus Jobo et omnibus sanctis viris ita querentibus respondet illud *Isai.* LIV, 7 : « Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te : in momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui : dixit redemptor tuus Dominus. » Illud autem, « et arbitraris me inimicum tuum, » perinde est ac si dicat : Videris existimare me tibi invisum et inimicum esse, dum me hostilem in modum vexas, et tanquam inimicum malis mortiferis exerces, sicut etiam cap. VII, 20 dixit : « Quare me posuisti contrarium tibi? »

Vers. 25. 25. CONTRA FOLIUM QUOD VENTO RAPITUR OSTENDIS POTENTIAM TUAM, ET STIPULAM SICCAM PERSEQUERIS, — *q. d.* Cum folium sim, quod vitæ incommodis obnoxium est, quod ventos omnes timet, et vel ad levissimam aeris commotionem tremit ac diffatur, ne tu, o Deus, indignationis tuæ vento me præcipites; cadam ultro te etiam non impellente.

Homines sicut folia morbis huc illuc impellunt.

An non folia sunt homines, quos morbi tanquam exsuccos flores aridaque folia huc illuc vario ludibrio impellunt? Nec aliter Clemens Alexandrinus lib. IV *Strom.* hac de re sentiens : « Agite, inquit, obscuræ vitæ homines, generationi foliorum similes, imbecilles, ceræ figmenta, gens instar umbræ, evanidi, involucres, unius tantum diei vitam habentes : » certe folia sumus, ad omnem auræ motum decutimur. Unica quandoque febricula; quid dico? tussicula, imo guttula unica ostiolo suo non illapsa hoc tale folium pessumdat, et in tumulum abjicit. Jobus igitur hic aptissima utitur similitudine ad hominis inconstantiam imbecillitatemque notandam. Verum non sat fuisset cum folio virente et succum vitalem trahente se conferre, qui humore vitali ferme consumpto aridum folium, decerptum atque projectum videbatur. Eadem porro stipulæ siccæ atque folii arescentis sententia est. At modus ille dicendi : « Stipulam siccam persequeris, » vim prodit insignem, quasi Jobus sic conqueratur : Quid est hoc, summe Deus? qui fieri potest, ut in animum induxeris tuum generosissimum concertare, et tela contorquere in hominem fragilissimum, jamque sine ictibus aliis ipsamet sua fragilitate cadentem? simillimus evasi frondibus et stipulis arentibus, quæ et vento et igni expositæ sunt, ut non sit opus materiam illam vix consistere valentem discerpere, cum ipsa sponte sua conflaccescat, et ad interitum festinet. Cur ergo, clementissime Deus, me folio paleaque sicciorem, et jam nunc exspirantem, velut hostem tuum vulneribus confodis, et quasi persequeris? Clementiam tuam appello, qua indignum est, ut hominem afflictum et enervatum tanto studio insecteris. Sicut David Sauli dixit I *Reg.* XXIV, 15 : « Quem persequeris, rex Israel? quem persequeris? canem mortuum persequeris, et pulicem unum? » Infirmum sane se declarat ex eo quod stipulæ et folio similis sit. Qua similitudine id ipsum declaravit Homerus *Iliad.* Φ', vers. 464 :

pellunt.

Οἳ φύλλοισιν ἐοικότες ἄλλοτε μέν τε
Ζαφλεγέες, τέλλουσιν ἀρούρης καρπὸν ἔδοντες·
Ἄλλοτε δ' αὖ φθινύθουσιν ἀκήριοι, αὐδή τις ἐλκή,

Qui foliis similes interdum quidem
Florentes sunt, terræ fructum comedentes;
Alias vero miseri occumbunt, neque ulla est eis reliqua vis.

Quam similitudinem Simonides sapientissimam esse cecinit, eamque Job vehementer illo apposito, *quod vento rapitur*, illustravit : viget in vere, in automno expellitur vento. Hoc vero argumentum ex infirmitate ductum sicut est levissimum ad retardandum hominis malevoli et invidi animum, ita est vehementissimum ad Deum cum castigat mitigandum : nec enim potest diu ipse acerbus esse ei, qui patienter et submisso animo calamitates et Dei flagella tolerat, nec magis mente et cogitatione sua Deo resistit, quam folium et stipula sicca vento vehementissimo. Et propterea monet ita D. Petrus I *Epist.* V, 5 : « Quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis, » id est, ut

Deus mitigatur animi submissione.

http://www.obrascatolicas.com

vos malis et ærumnis levet, cum illis oppressi fueritis, et magnis præterea beneficiis augeat : puto enim *visitationem* hanc de illa esse intelligendam, de qua Job ait cap. VII, 17 : « Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? visitas eum diluculo, et subito probas illum. » Quantam vero vim habeat precatio ex hoc argumento composita ad Deum placandum, et ad gratiam et benignitatem ejus conciliandam, luculenter exponit Ecclesiasticus dicens cap. XXXV, 21 : « Oratio humiliantis se nubes penetrabit : et donec propinquet non consolabitur : et non discedet donec Altissimus aspiciat. Et Dominus non elongabit, sed judicabit justos, et faciet judicium, » etc.

Cæterum primum hujus versiculi hemistichium in Hebræo ita sonat : « An folium propulsum terres? » *Folium* autem *propulsum*, seu quod a vento propellitur, *terret* aut conculit, qui secundum vulgare dictum afflicto afflictionem addit, quod certe faciendum non esse prudentiores monent. Est autem proverbiale, ut si quis dicat, folium propulsum non esse propellendum : sicut etiam stipula sicca non est igne prosequenda vel ideo, quod celerrime ignem concipiat ob siccitatem. Huic affine est illud *Isai.* XLII, 3 : « Calamum quassatum non confringes, et linum fumigans non exstingues; » quo gemino proverbio summam Christi mansuetudinem Isaias prophetavit : homines enim, inquit Cornelius noster, calamum quassatum abjiciunt, quia inutilis est, et quia tenentem suis fracturis et aculeis pungit et lædit; similiter linum sive elychnium fumigans, quia nocet oculis et naribus, mox exstinguunt; Christus vero tantæ fuit patientiæ, ut neutrum fecerit, sed *calamum conquassatum* et *linum fumigans*, id est infirmos in fide, spe et charitate, sua mansuetudine sustentaverit, foverit, sanaverit, et accenderit; S. Cyrillus *calamum quassatum et linum fumigans* abjectissimos et timidissimos, utpote damno obnoxios, exponit; Procopius per *calamum quassatum* infirmos et humiles, per *linum fumigans* superbos intelligit, ut sit sensus, neminem omnino lædendum a Christo : verba ejus sunt ista : « Adeo autem, inquit, nullo cum strepitu pertransibit ut infirmus maxime, et ob id *quassato calamo* comparatus dolore nullo afficiatur : imo ne *linum* quidem *fumigans* (id est accensum; quod alii *fuliginosum* reddiderunt) exstinguet. Aiunt vero per *fumigans linum* demonstrari eum qui mente carnis suæ temere intumescat : non enim aut humilem læsit, aut superbum ultus est, qui in omnes mansuetus et humilis corde fuit. » Eodem modo locum istum interpretantur S. Hieronymus, Hilarius et Chrysostomus *in Matth.* cap. XII, *q. d.* « Christus hostes suos non ulciscetur, » exemplo suo nos docens patienter ferre difficiles mores, infirmitates et vitia proximorum : quin imo reddere illis pro malo bonum. Porro Septuaginta nonnihil aliter hunc versum ita reddunt, ἢ ὡς φύλλον κινούμενον ὑπὸ ἀνέμου ὠλαξηθήσῃ; ἢ ὡς χόρτῳ, φερομένῳ ὑπὸ πνεύματος, ἀντίκεισαί μοι; *an sicut folium quod movetur a vento vereberis? aut quasi fœno, quod fertur a spiritu, opposuisti te mihi?* ubi quod interpres Vulgatus vertit *ostendis potentiam tuam*, Septuaginta transtulerunt ὠλαξηθήσῃ, *vereberis*, quod omnino contrarium sensum reddit : qui enim aliquem veretur non ostendit potentiam, sed infirmitatem et metum. Præclare ergo Job dum se timet peccatis adolescentiæ suæ absumi objicit Deo, quod inde malum ei nomen suboriri posset : potentia enim quæ nimis præceps est in peccatis puniendis, nec exspectare longanimiter novit, ægre ac difficulter evadet suspicionem infirmitatis ac metus, siquidem ubi hostis sustineri non potest, haudquaquam fortitudo, sed metus ostenditur; ille revera omnipotens est, qui longanimis exspectat peccatores ad pœnitentiam.

Non est afflicto addenda afflictio.

Calamus quassatus non frangendus, nec linum fumigans extinguendum.

26. SCRIBIS ENIM CONTRA ME AMARITUDINES, ET CONSUMERE ME VIS PECCATIS ADOLESCENTIÆ MEÆ. — Sciebat S. Job in divinis pyctaciis et grandi libro Dei omnia nostra dicta atque facta diligenter esse descripta et notata, idque a pueritia prima usque ad ultimum vitæ finem; hinc illa sunt illius verba, tametsi nullius quidem mali facinoris conscii, sibi tamen ob divinum judicium metuentis. Septuaginta legunt, ὅτι κατέγραψας κατ' ἐμοῦ κακὰ, περιῴκας δέ μοι νεότητος ἁμαρτίας, *quoniam scripsisti contra me mala, et circumdedisti me peccatis juventutis*, ubi S. Chrysostomus translationem esse ait a regibus sententiam scripto mandantibus, ut jam Deus voce et tabella sceleratæ conscientiæ mores damnasse videatur; sed divinum illud scriptum potius forte ad perennem rerum memoriam conservandam accommodandum fuerit. Ita quidem Olympiodorus exponit et illustrat hunc locum in *Caten.* : « Quæcumque mihi ab ineunte ætate peccata sunt tu obsignasti, ne illorum unquam deleatur oblivio : » addit Jobum, qui maturæ jam ætati multis virtutibus corroboratæ nullam se labem aspersisse intelligeret, adolescentiæ tamen pueritiæque peccata extimuisse, ne forte eorum a se pœnæ repeterentur. In eodem æstu fuisse regium Vatem intelligimus, cum pronus humi et abjectus in hunc modum orat *Psalm.* XXIV, 7 : « Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris : » neque enim ignorabat, multas in adolescentia esse transennas et illicia peccatorum multa, quibus ad scelus ætas conniveat, quæ liberius gestit, volitatque impunitate et dicendi et faciendi. Sibi ante oculos proponebat oculum illum grandem e cœlo speculantem omnia, et notantem atque in codicem referentem; et eodem quo S. Jobus horrore percellebatur, ne aliquando fœda suorum criminum vestigia in eo recognosceret. Tum vero cum abeundum erit ab hac vita commentarii illi Dei aperientur, et objicientur unicuique, ut patefacto velut peristromate, opere phrygio magna rerum

Vers. 26.

Omnia dicta et facta nostra apud Deum notantur.

In hora mortis omnia etiam adolescentiæ

centiæ vitia nobis objiciuntur.

varietate picto et distincto, universæ vitæ modum possit agnoscere. Et quemadmodum magnus Messias, cum notas quasdam et arcanos in pulvere characteres delineasset, effecit, ut in iis scribæ et pharisæi facinorosæ vitæ suæ rationem viderent, et invita prope conscientia perciperent : sic in abitu a corporis domicilio facturus est, ut quisque in momento relegat omnem vitæ cursum usque ad pueritiam primam. Quæ res, ut dixi, magno animum metu perturbare et excruciare solet, cum anima pavida, et corporis imbecillitate ac dolore colliquescens, « circumdabitur peccatis juventutis suæ : » *circumdari* dicit more civitatis non valde munitæ, quam fortium hominum exercitus et invictæ legiones circumdant et corona cingunt, a quibus cum undique fit impressio, cruenta exoritur clades, miserique cives in funestum exitium rapiuntur. Talem Job esse videbat impetum occurrentium peccatorum adolescentiæ et juventutis suæ, quæ in morem Numidarum atque Parthorum cum abiisse putes revertuntur, atque omnia ferro, flamma et cruore complent. Sed vere dicam, illi tantum mihi videntur formidinem illam clademque sensuri, qui cum suæ salutis negligentes et dissoluti fuerint, dum ætatem juvenilem blanda vitia titillabant, sopitum potius scelus quam elutum aut ejectum reliquerunt, et conscientiam oppressere suam monentem et repugnantem. Tum igitur negotium erit conscientiæ in apertam lucem prodeuntis, quam sæpe audacia et scelus inumbrat, et nubibus crassis involvit, ut non possit agnosci, nisi quantum integumentum malitiæ perrumpentes scintillæ quædam atque fulgores synteresis administri noxam produnt et condemnant. Tum cujus emortuæ voces non audiebantur, dum elati motu voluptatis homines effuse lascivirent, dum avaritiæ in freto plenis velis navigarent : tum inquam horribili clamore ut tuba resonante complebit omnia. Illa Dice et Astræa comitantibus ante judicium sententiam feret; ante Libitinam mortem inducet; ante inferos pœnam et cruciatum. Pios autem et devotos Deo nec terrebit conscientia sua, neque spiculis horrida mors, nec futuri metus, quæ in superiore vita continuo habuerunt expensa et meditata.

Vers. 27. 27. POSUISTI IN NERVO PEDEM MEUM, ET OBSERVASTI OMNES SEMITAS MEAS, ET VESTIGIA PEDUM MEORUM CONSIDERASTI. — *Nervum* dicit vinculi genus, quo pedes et cervices impediuntur; Mercerus ait esse lignum magnum, quo pedes captivorum constringuntur; Septuaginta reddunt, ἔθου δέ μου τὸν πόδα ἐν κωλύματι, *posuisti pedem meum in impedimento*, hoc est in nervo, quo pedes impediuntur : lexicon vetus κώλυμα interpretatur *prohibitum*, interdictum, imo id quo aliquid facere prohibemur impedimentum, obstaculum. Cæterum pro ἐν κωλύματι, quod hoc loco ponitur, *infr.* cap. XXXIII, 11 est ἐν ξύλῳ, *in ligno* : verba sunt, ἔθετο δὲ ἐν ξύλῳ μου τὸν πόδα, *posuit in ligno pedem meum.*

Nervus quid.

Aquila hoc loco vertit, καὶ ἔθετο ἐν ξυλοπέδῃ τὸν πόδα μου, *et posuisti in cippo pedem meum*; ex eodem etiam citatum invenio, ὡς ἀπὸ ξύλου πέρατῆς, *sicut de ligno carceris* : nam cippus definitur ξύλον, εἰς ὃ ἐν εἱρκτῇ τοὺς πόδας ἐμβάλλοντες συνέχουσι, *lignum, in quod in carcere pedes immittentes continent*; quod genus vinculi Cicero innuit cum lib. *De Invent.* ait : « Ligneæ soleæ in pedes inducantur. » Dicitur etiam πεδιστρέβη, id est *compes*, quod est vinculi genus, quo vinciuntur pedes vincti, sic ut non possit ire huc illuc. Scholion interpretatur ἐν πεδικάκῃ, vel, si mavis, ἐν πεδικάκῃ, id est *in cippo*; Symmachus hic edidit ἐν ταλαιπωρίᾳ, *in ærumna*, in angustia : explicat nimirum Job miserias et afflictiones suas ex similitudine hominis in vincula conjecti, ex quibus sese nullo modo expedire possit. Ubi considerandum cum Angelico doctore ad hunc locum, quod illi qui ponuntur in *carceris nervo* sic ligentur, ut a nervo divertere non possint; unde non solum sanctus hic patiens ait se a Deo incarceratum, verum etiam in nervo pedibus constrictum sic, ut ne ad passum quidem unum se movere posset. Quod cum ita sit, quomodo non sibimetipse contradicit cum subdit : « Observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti? » Si enim in nervo ejus pedes erant, quomodo ambulabat; vel si ambulabat, quomodo pedes ejus in nervo erant? Nodum hunc solvet nobis Salvianus in prologo ad librum quem scripsit *De Provid.* dum ait : « Mens enim boni studii ac pii voti etiamsi effectum non invenerit cœpti operis, habet tamen præmium voluntatis : » desiderabat nempe Job sanctus, prout ante solebat, ad pauperes et mendicos ac necessitate laborantes juvandos accedere, cæcoque suos oculos et claudo pedes commodare satagebat, nec non viduis ac pupillis patrocinium impendere; sed tot ulceribus coopertus morbisque ac doloribus compeditus minime poterat se a sterquilinio proripere aut movere; sed hujusce sui desiderii Deum esse conscium non ignorans : « Observasti, inquit, omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti. » Nam, ut pulchre S. Leo Pontifex Maximus, serm. 2 *De Quadr.* : « Nulli parvus est census, cui magnus est animus; nec de rei familiaris modo mensura miserationis pendet ac pietatis. Nunquam merito caret etiam in tenui facultate bonæ voluntatis opulentia. Majora quidem sunt impendia divitum, et minora mediocrium; sed non discrepat fructus operum, ubi idem est affectus operantium. » Affectus ergo nostri, quibus communiter bonum amplectimur, et a malo retrahimur, ab auxilio gratiæ provenientes, sunt pedes animæ, de quibus sponsa ait *Cant.* V, 3 : « Lavi pedes meos, » ab omni scilicet humano desiderio : « quomodo inquinabo illos? » et David canit *Psalm.* CXXI, 2 : « Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem : » neque enim terrenus et mortalis homo in patria illa cœlesti habebat sui corporis

Cippus quid.

Quomodo Jobi gressus in nervo dimensi dicantur.

Affectus sunt animi pedes.

http://www.obrascatolicas.com

pedes cum adhuc moraretur in terra; sed ibi collocaverat animi pedes, quia ibi fixerat sua desideria. Hoc igitur etiam sensu Job dixerit : «Posuisti in nervo pedem meum, » alligasti scilicet legis tuæ vinculis affectus meos, ne in vetita diffluerent : « et observasti omnes semitas meas (actiones nempe et opera mea), ac vestigia pedum meorum (fructus seu effectus affectuum et operum meorum) considerasti. » Prorsus hi affectus ordinarii sunt pedes, non solum quia illis in Deum imus, verum etiam quia non volando, sed paulatim ambulando, et proficiendo, et interdum currendo progredimur.

Omnes semitas Deus observat, minima quæque numerat.

Quod porro subdit : « Et observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti, » significat Deum et exactissime nostra librare, et diligentissime dinumerare : nihil tam leve tamque minutum, quod ab ejus censu subducatur; nihil tam exile, quod ille non numeret; nihil est quod in rationum Dei libris non supputetur. Scite S. Petrus Damianus *Serm.* 56, ait : « Vide quæcumque minima numerantem : *Vestigia*, inquit, *pedum meorum dinumerasti* : dinumerat dum considerat. » S. Gregorius *semitas* ad cogitationes refert, *vestigia* ad intentionem, adeo ut non singula solum Deus videat et dinumeret, sed noscat etiam quo fine aliquid fiat, qua intentione : lege hujus B. Patris verba lib. XI *Moral.* cap. XXV.

Cogitationis semitas et intentionis vestigia Deus scit.

Pro verbis istis : « Vestigia pedum meorum considerasti, » Pagninus cum R. Levi legit, *super talos pedum meorum imprimetur;* Hebræus apud Cajetanum, *super radices pedum meorum sculpes* : verbum חקה *chakah*, quod hic habetur *exarare* et imprimere significat, quod Vulgatus ad attentam considerationem retulit, quæ quasi notatur inuriturque menti. Septuaginta vertunt, εἰς δὲ ῥίζας τῶν ποδῶν μου ἀφίκου, *ad radices pedum meorum pervenisti*; Hebræus autem habet teste Didymo, τὰ δὲ ἴχνη τῶν ποδῶν μου περιγεγράπται, *vestigia vero pedum meorum circum imprimis;* S. Augustinus, *et radices pedum meorum contemplatus es.* Inurenda sane et insculpenda menti nostræ memoria præsentis Dei et actiones omnes nostras intuentis, quod efficacissimum adversus omnia vitia remedium et antidotum esse omnes sancti censuerunt; quo se mirifice adjutum David profitetur dicens *Psalm.* XV, 8 : « Providebam Dominum in conspectu meo semper : quoniam a dextris est mihi, ne commovear, » *q. d.* Ego in omnibus quæ dixi vel feci semper ad illum respexi, semper eum mihi præsentem cogitavi, cujus timore a malo revocabar : Merito autem, inquit, Dominum mihi præsentem cogito, quoniam revera mihi se semper a dextris præsentem exhibet tanquam dux et defensor meus. Plurimum sane ad vitam recte instituendam juvat ista cogitatio, adesse nobis Deum, et observare omnes semitas nostras, et vestigia pedum nostrorum considerare. Quis non pertimescat, cum meminit Deum velut e specula sublimi contemplantem quid agat, quo pedem inferat? etenim hæc accuratissima exploratio, quam Jobus ad querimonias pias commemorat, universis Dei cultoribus calcar adigere deberet ad actus suos perficiendos, ne quid in iis sit deforme quod tam vigil explorator reprehendat. Illud porro : « Vestigia pedum meorum considerasti, » pulchra similitudine Joannes a Jesu Maria sic illustrat : Evenire quippe solet, ut fur aliquis sua dexteritate ac solertia fretus, intempesta nocte suspenso gradu alienam domum invadat personatus, ac tacitus per aversa loca sese insinuans, vix summis pedibus pavimentum premat; quem tamen nihil sibi obstare suspicantem solertior illo domus custos strepitu repente excitato penitus obturbet, vel etiam antequam furto manus admoveat turbatum capiat, et neci vel judici tradat. Simile quid Jobus hic innuere videtur, quasi lamentetur suos actus et vestigia a Deo observata fuisse eo plane modo, quo de furis conatibus dictum est, cum semper ipse pietatem coluerit, ac recta incedere curarit. Auget vero conquestionis vim ex fragilitate et calamitate præsertim extrema, quæ liberalem animum ad pœnam relaxandam permovere debebat. Unde subdit :

Memoria præsentis Dei est calcar ad bene agendum.

28. QUI QUASI PUTREDO CONSUMENDUS SUM, ET QUASI VESTIMENTUM QUOD COMEDITUR A TINEA. — Corpus nimirum Jobi computruerat, et sanie tabeque fluebat, quod clementissimo Deo repræsentat, ut spectaculo mœstissimo commiserationem excitet : porro illa similitudo vestimenti a tinea consumpti propriissima est ad mortalis corporis corruptionem significandam, e cujus constitutione contrariis qualitatibus temperata intemperies enascitur ipsa, qua conficitur ut a vestimento tinea, qua exeditur. Tropologice S. Gregorius lib. XI *Moral.* cap. XXV, hunc locum de carnis tentatione exponit : « Quia immunda tentatio non aliunde, sed ab ipso homine nascitur : more tineæ carnem tentatio quasi vestem, de qua exiit, consumit, » etc. Cæterum nunc ipsum Jobum vitæ hujus miserias et ærumnas oratorio more diserte amplificantem audiamus.

Vers. 28.

Homo sicut vestimentum a tinea consumitur.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Job considerata fragilitate humana admiratur Dei in hominem providentiam, maxime quod post hanc vitam ærumnosam concedat alteram felicem; adeoque et corporum quoque resurrectionem vaticinatur.

1. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. 2. Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. 3. Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium? 4. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? 5. Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est : constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. 6. Recede paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarii dies ejus. 7. Lignum habet spem : si præcisum fuerit, rursum virescit, et rami ejus pullulant. 8. Si senuerit in terra radix ejus, et in pulvere emortuus fuerit truncus illius, 9. Ad odorem aquæ germinabit, et faciet comam quasi cum primum plantatum est : 10. Homo vero cum mortuus fuerit, et nudatus atque consumptus, ubi, quæso, est? 11. Quomodo si recedant aquæ de mari, et fluvius vacuefactus arescat : 12. Sic homo cum dormierit, non resurget, donec atteratur cœlum, non evigilabit, nec consurget de somno suo. 13. Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei? 14. Putasne mortuus homo rursum vivat? cunctis diebus, quibus nunc milito, exspecto donec veniat immutatio mea. 15. Vocabis me, et ego respondebo tibi : operi manuum tuarum porriges dexteram. 16. Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis. 17. Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam. 18. Mons cadens defluit, et saxum transfertur de loco suo. 19. Lapides excavant aquæ, et alluvione paulatim terra consumitur : et hominem ergo similiter perdes. 20. Roborasti eum paulum ut in perpetuum transiret : immutabis faciem ejus, et emittes eum. 21. Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget. 22. Attamen caro ejus dum vivet dolebit, et anima illius super semetipso lugebit.

Vers. 1.

1. HOMO NATUS DE MULIERE, BREVI VIVENS TEMPORE REPLETUR MULTIS MISERIIS. — Quoniam in fine superioris capitis dixerat hominem suapte natura tabescere atque deficere, explicat modo copiosius eas miserias quæ homini per se vique sua contingunt. Primum igitur hominem valde miserum esse ipsius ortus declarat; siquidem ex muliere nascitur. Attende, o homo, tuam originem ex qua prodiisti : mulier est : quid mulier? abyssus imbecillitatis, nam ut summam pusillanimitatem quorumdam ostenderet Jeremias dixit cap. LI, 30 : « Devoratum est robur eorum, facti sunt quasi mulieres. » Quid mulier? mare stultitiæ et insipientiæ : « mulier enim seducta (velut stulta et amens) in prævaricatione fuit, » I *Timoth.* II, 14. Quid mulier? totius malitiæ et iniquitatis inventrix, quam Zacharias in medio amphoræ sedentem quasi digito ostendens ait cap. V, 8 : « Hæc est impietas, » id est omnium impietatum et malorum origo : videtur ad Evam alludere, quæ peccati occasio fuit Adæ, a quo culpa originalis traducitur in posteros; debuitque miseria hæc in sermonis primordio poni, a qua cæteræ coortæ calamitates, quibus orbis terrarum obruitur. Flebat hanc hominis infelicem sortem S. David quando dicebat *Psalm.* L, 7 : « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea : » nam hic unum originale peccatum vocat *iniquitates* atque *peccata*, quod licet unum sit in quolibet puero, tamen omnium sequentium peccatorum cunctarumque iniquitatum seminarium exsistit; et alio loco *Psalm.* XXXVII, 4, ait : « Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa. » Ab ipsa, inquam, vulva peccatores nascimur, quia in vulva peccatores concipimur; ab ipso utero erramus, quia in ipso utero impii et infidi gignimur; falsa loquimur, quoniam si iniquitatem proferimus, cum ipsa fallax sit, falsa

Ortus hominis ex muliere est fons omnis miseriæ.

Eva occasio peccati Adæ, a quo culpa originalis in nostram fluitat.

Ab utero sumus peccatores et erramus.

http://www.obrascatolicas.com

loquimur; si vero justitiam edicimus, falsa etiam loquimur, quia aliud est quod ore profertur, aliud autem quod cordis recessibus occultatur. Ex hac radice o quanta mala sæpe pullulare non cessant!

Hominis vita brevis.

Homo ergo e muliere natus, peccati et ærumnarum consors, brevi emoritur: decuit enim vitæ brevitate puniri eum qui potuit vitæ ligno ac sempiterna vita mortis nescius perfrui; vita igitur in angustias coarctata fuit, ne tantum excurreret, quantum mortalium cupiditas fluxorum bonorum illecebris capta vellet. Et quoniam præpostera illa vitæ appetitio e falsa ut plurimum et inani persuasione generatur, quasi per se bonum illud sit diuturnum, cujus plena et continuata possessio plurimos annos haberi possit, pulchre hic Job prætextum illum excutit, et dicendo illustrat, omne vitæ curriculum esse brevissimum, atque in illis fugientis ævi angustiis nihil esse causæ, cur Priami annos vel Nestoris aut ætatem Macrobiorum laciniis fabulosis circumductam sibi aliqui velint aut polliceantur. An non vita brevis, quam anni metiuntur, menses continent, dies abbreviant, horæ ac momenta decurtant? An non brevis, cujus *Sap.* v, 9-12, «omnia transierunt tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrens, et tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam: cujus cum præterierit non est vestigium invenire neque semitam carinæ illius in fluctibus: aut tanquam avis, quæ transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum, et scindens per vim itineris aerem: commotis alis transvolavit, et post hoc nullum signum invenitur itineris illius: aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius? » An non tandem brevis, quæ finem habet, quo appropinquante omnes elapsi anni aspiciuntur, ac si nunquam fuissent? Pulchre Seneca toga et sapientia clarissimus *Epist.* 49, velut ex Capitolio illud exclamat: « Punctum est quod vivimus, et adhuc puncto minus; » et Aristoteles apud Stobæum *Serm.* 96, fundens aureum flumen orationis ea causa definiebat hominem καιροῦ λάφυρον, *temporis spolium*. Sed B. Augustinus serm. I *De Verb. Dom.* elegantissime nos quodammodo vitreos facit, innumeris casibus obnoxios, quibus in horas comminuamur: « Inter casus ambulamus: si vitrei essemus, minus casus timeremus. »

Fragilitas vitæ humanæ maxima.

Et quidem nihil fragilius vita est, quæ minimis rerum causis præter omnium exspectationem multis abrumpitur: pilus unus Fabium senatorem occidit cum in gutture hæsisset; acinus uvæ poetam Anacreontem; repentina lætitia quosdam, subitus alios mœror sanguine et anima spoliavit: juventute viribusque florentem, et pleno gradu in curriculum ævi ingredientem, spe lætum, grandia meditantem, sæpe trium quatuorve dierum febricula exstinguit; imo nulla antecedente causa, quæ quidem in hominum cognitionem veniat, non pauci ab hominibus eripiuntur.

> Quem dies vidit veniens superbum,
> Hunc dies vidit fugiens jacentem,

ait Seneca in *Thyest.* Tertullianus lib. *De Anim.* cap. LII, id sublimiter et concinne more suo dixit: « Vis est illa navigiis, cum longe a saxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quassata decumanis, adulante flatu, labente cursu, lætante comitatu, intestino repente perculsu, cum tota securitate desidunt: non secus naufragia sunt vitæ etiam tranquillæ, » etc. Hoc nostri et profani sapientes docere omnes conati sunt, magnam esse humanæ vitæ brevitatem; nec id tamen persuadere omnibus potuerunt, dum splendor inanium rerum et ambitionis pompa, dum languidæ futilesque lætitiæ et voluptas, dum magna spes commodorum, opum, dignitatum, dum falsæ gloriæ choragium sapientem illam cogitationem opprimunt: nam

Homines sunt sicut animantes ἐφήμερα.

quidam nos illis bestiolis simillimos esse aiunt, quas ἐφημέρους vocat Aristoteles apud Ciceronem I *Tusc.*, quod unum tantum vivant diem; quæ lucem atque vitam, quam cum sole oriente acceperunt, eodem occidente amittunt, et emoriuntur. Eamdem ob causam *solstitialem herbam* dicunt hominem, aut deciduum brevis ævi floscu-

Homo sicut herba solstitialis et flos deciduus.

lum, mane ridentem, guttulis roris intermicantibus affluentem, inhiantem soli, et totum sinum aperientem, qui pubescit simul et tabescit, nec diei prius finem quam vitæ sentit. Plinius eo spectaculo mentem eruditam pascebat, et his verbis animi sui notionem aperiebat lib. XXI, cap. 1: « Flores natura in diem gignit magna hominum admonitione, quæ spectatissime floreant celerrime marcescere; » sed magnificentius illa a nostris sapientiusque dicuntur. Et si polite venusteque dixit e profanis unus breve ver brevesque rosas, ad indicandum celerem cursum et exiguam durationem, majori tuba Job cothurnatus poeta, et divinæ mentis inflammatione potens: « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore; » et emblemate illud sacro illuminans: « Qui quasi flos egreditur, » etc. De quibus mox sequenti versu agendum, ubi prius expenderimus id quod hic ait:

Vita hæc brevis multis est referta miseriis.

REPLETUR MULTIS MISERIIS: — licet enim vita præsens brevi periodo absolvatur, æquo tamen Dei judicio miseriis innumeris confertim ingruentibus expletur et saturatur; illa ergo vox *repletur* significanter admodum malorum agglomerationem, quibus mortales vexantur, ostendit: repletio et saturitas quædam est, quæ tædium parit, et tamen homo peccati pœnas luit, dum his epulis a primo parente paratis quotidiano convivio non vesci modo, sed exsaturari cogitur. Pro verbis illis, *repletur multis miseriis*, Septuaginta vertunt, πλήρης ὀργῆς, *plenus iracundiæ*; Aquila, πλήρης κλονήσεως, *plenus commotionis et turbationis*: quibus certe versionibus in unum sensum una cum Hebræo et Chaldæo conspirantibus notatur infelicis-

simus hominis status; cui repensum est, ut inconstans, turbulentus, iracundus, quasi in sæva irati maris procella variis fluctibus agitetur ac valide converberetur. Attende igitur in hac vita brevi, quam longis et multiplicibus miseriis homo afficiatur: miseriæ a corpore profluunt, miseriæ ex intimo mentis insurgunt, miseriæ a loco, a tempore, a propinquis, ab amicis, ab extraneis, ab inimicis, et ab omnibus rebus creatis proveniunt: omnia nos pungunt, universa dilacerant, et nihil est tam charum quod aut absentia, aut infortuniis suis, aut timore amissionis non vulneret. Optime S. Bernardus hunc eumdem locum interpretans sic ait serm. in *Feria* IV *hebd. sanctæ*: « *Homo natus de muliere*: nihil abjectius, et ne forte ex ipsa sibi voluptate corporeorum sensuum, quam de sensibilibus hauriat, blandiatur, in ipso statim introitu de exitu quoque terribiliter admonetur cum dicitur: *Brevi vivens tempore.* At ne spatiolum illud, quod inter ingressum et egressum relinquitur, sibi liberum putet, *repletur*, ait, *multis miseriis*; multis et multiplicibus, inquam, miseriis corporis, miseriis cordis, miseriis cum dormit, miseriis dum vigilat, miseriis quaquaversum se vertat: » hæc ille. At dicet aliquis esse quidpiam in homine, quod non ad miseriam, sed ad felicitatem videatur pertinere: illud autem est corporis robur, carnis pulchritudo, adolescentiæ decor, sensuum oblectatio, divitiarum possessio, sapientiæ splendor, honorum gloria, et si quid aliud est, cujus amor nos in hac vita teneat, cujus obtentio delectet. Sed hoc, quidquid illud sit, simul cum homine marcescit; de quo subjungit:

Vers. 2.

Flos symbolum fragilitatis vitæ humanæ.

2. QUI QUASI FLOS EGREDITUR ET CONTERITUR, ET FUGIT VELUT UMBRA, ET NUNQUAM IN EODEM STATU PERMANET. — Rem de flore dicit mirabilem, in quo *exoriri* sit *conteri*; *nasci*, prope idem quod *occidere*, oculis objici, atque instar umbræ fugere: ut nati hominis cunas, ad quem illa referuntur, tantum non *sepulcrum* appellare *morientis* videatur. Pari vena succinit Isaias cap. XL, 6, et hominem non appellat modo *fœnum*, rem unam omnium maxime caducam atque fugientem judicio Servatoris, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur; verum etiam *florem fœni*, quo proinde nihil sit fragilius. A quo deinde sumentes magni Apostoli I *Epist.* 1, sublimis omnium vertex Petrus et Jacobus frater Domini *Epist.* 1, 10, eamdem imaginem celebraverunt. Homo vere flos, quem tametsi nulla pruina coquat, nec sirius exsiccet, nec ventus quatiat, vermis rodat, carpat unguis, aratrum contundat, per se tamen fugit et moritur. Flos plane, sed qualis dicitur a Græcis ἡμεροκαλλὶς, cujus vigor et speciosa amœnitas unius dieculæ spatio ac ne toto quidem circumscribitur, cui possis oraculum illud inscribere *Psalm.* LXXXIX, 6: « Mane floreat, et transeat: » quare D. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 40, sapienter in hoc hieroglyphico et divine philosophatur in hunc modum, cum Cæsarium vita functum mirabili suo lesso prosequitur: « Instabile sumus insomnium, spectrum volaticum, avis prætereuntis volatus, pulvis, vapor, ros matutinus, ἄνθος καιρῷ φυόμενον, καὶ καιρῷ λυόμενον, *flos tempestive nascens, tempestive marcescens.* Cæcus Homerus vidit hanc vitæ brevitatem et celeritatem moriendi, cum dixit *Iliad.* Ζ', vers. 146:

> Οἵπερ φύλλων γενεή, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν,
> Quale foliorum genus, tale et virorum,

Homines foliis arborum comparantur.

quæ sub extremum autumnum viridia primum, mox pallida, promiscue humi labuntur, et rediguntur in pulverem; quod ingeniosissimi poetæ inventum sapientes nostri commendaverunt; quanquam ille quidem acceperat a nostris: sic enim Sapiens illo prior *Eccli.* XIV, 18: « Omnis caro sicut fœnum veterascet, et sicut folium fructificans in arbore viridi: alia generantur, alia dejiciuntur: » ita Job cap. XIII, 25, se folium esse aiebat, quod a vento rapitur, quod decutitur, laceratur.

Cur in templis olim dati rami, et cur rosæ consecratæ.

In hujus rei symbolum mos fuit perantiquus, ut in templis iis qui Numen venerabantur darentur θαλλοὶ, *festi rami*, sacrum munus, et ad magna significandum divinitus excogitatum; ut nimirum homines intelligerent sicut ii deflorescunt, et subito uruntur, ita illos cito quoque hanc vitam relicturos, ut est apud Clementem Alexandrinum lib. V *Strom.* quo referrem ego etiam lubens et aliam consuetudinem veterum, cujus idem scriptor nobilis eodem loco meminit, cum ait consuevisse in delubris τροχὸν στρεφόμενον, *rotam versatilem* dedicari, ut esset quasi vox Numinis significantis verti et rapi omnia celerrima commutatione, et ipsum quoque dominatorem mundi hominem cum iisdem minimis momentis interire; quod significans utrumque Orpheus Thracius ita cecinit:

> Θαλλῶν δ' ὅσσα βιοτεῖσιν ἐπὶ χθονὸς ἔργα μίμηλε,
> Οὐδὲν ἔχει μίαν αἶσαν ἐπὶ φρένσιν, ἀλλὰ κυκᾶται
> Πάντα πέριξ, στῆναι δὲ καθ' ἓν μέρος οὐ θέμις ἐστὶν
> Ἀλλ' ἔχει ὡς ἥρξαντο δρόμου μέρος· ἴσαν ἕκαστος:
>
> Ramorum ast quæ sunt hominum terrestria curæ,
> Non uno stant fata loco in mente, omnia circum
> Volvuntur, nec fas una est consistere parte;
> Sed quam cœperunt cursus partem omnia servant.

Sed ut ad Jobi textum revertamur, quid fragilius flore? quid magis labile ac momentaneum, qui statim ac erumpit, flaccessit ac defloruit, et cadit; etiamsi nec aer decutiat, nec forceps excidat, nec manus decerpat? « Flores apparuerunt in terra nostra, ait sponsa *Cant.* II, 12, tempus putationis advenit, » quia e vestigio ac egrediuntur carpendi sunt, ne si aliqua intercedat mora marcescant. Talia sunt omnia quæ in vita hominis reperiuntur gloriosa et splendida: nunc lucent apud alios, et aliquantulum perstrepunt, et post modicum evanescunt. Hanc proinde hominis gloriam non cuilibet flori, sed flori fœni Jacobus apostolus, uti dicebam, similem fecit *Epist.* I, 10:

Gloria hominis est sicut flos fœni.

http://www.obrascatolicas.com

« Quoniam dives sicut flos fœni transibit. Exortus est enim sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit. » In quo hominis fragilitatem adhuc magis expressam invenio; omnis quidem flos fragilis est, sed flos fœni omnium fragilissimus et vilissimus exsistit, utpote qui una cum fœno ad pabulum brutorum assumitur. Est igitur gloria hominis sicut flos fœni, quia in momento pertransit, et quamdiu durat debet haberi contemptui. Hancque vilitatem gloriæ sensibilis, quam homo tam ardenter amare consuevit, Scriptura sæpissime *fœni* appellatione describit. « Homo, inquit David *Psalm.* CII, 15, sicut fœnum dies ejus : et sicut flos agri sic efflorebit : » similia apud Isaiam cap. XL, 6, et Jeremiam cap. IX, 22, reperies. Porro quare homo flos? quia cito pertransit; quare fœnum? quia omnis decor ejus apud veros sapientiæ cultores vilescit; quare flos fœni? quoniam ac si esset vilis bestiarum esca, aut natura pugnante, aut opibus abeuntibus, aut hostibus insurgentibus evanescit.

Audi S. Ambrosium non minus eleganter quam sapienter hac de re disserentem lib. III *Hexaem.* cap. VII: « Vivet enim, inquit, et gloria hominum in carne quasi fœnum, et quæ putatur esse sublimis, exigua quasi herba est, præmatura ut flos, caduca quasi fœnum : germinat vitæ viriditatem in specie, non in fructu soliditatem; hilarioris vitæ quasi flos prætendens jucunditatem, breviori spatio occasura *Psalm.* CXXVIII, 6 sicut *herba fœni, quod prius quam evellatur arescit* : quæ enim firmitudo in carne, quæ salubritas potest esse diuturna? Hodie videas adolescentem validum, pubescentis ætatis virtute florentem, grata specie, suavi colore; crastina die tibi facie et ore mutatus occurrit, et qui pridie tibi lætissimus decoræ formæ visus est gratia, altero die miserandus apparet ægritudinis alicujus infirmitate resolutus. Plerosque aut labor frangit, aut inopia macerat, aut eruditas vexat, aut vina corrumpunt, aut senectus debilitat, aut eviratos deliciæ reddunt, luxuria decolorat. Nonne verum est, quia *Isai.* XL, 6 *aruit fœnum, et flos decidit?* Alius ab avis atavisque nobilis, et majorum honestatus infulis, prosapiæ veteris clarus insignibus, amicis abundans, stipatus clientibus, et utrumque latus tectus, secum producens maximam ac reducens familiam, repente aliqua accidentis periculi mole turbatus, destituitur ab omnibus, a sodalibus derelinquitur, impugnatur a proximis. Ecce verum est, quia sicut fœnum vita hominis priusquam evellatur arescit. Et etiam qui dudum ubertate affluens copiarum, liberalitatis fama per ora volitans singulorum, clarus honoribus, præminens potestatibus, tribunalibus celsus, solio sublimis, beatus populis æstimatus, dum præconum clamore deducitur, subita rerum conversione in eum carcerem rapitur, quo alios ipse detruserat, et inter reos suos imminentis pœnæ deflet ærumnam. Quantos pridie caterva plaudentium et invidiosa faventis populi frequens domum pompa deduxit, et nox una gloriosæ illum splendorem deductionis abolevit, ac repentinus lateris dolor effusis gaudiis luctuosam gravis successionem mœroris admiscuit. Hujusmodi est igitur gloria hominis sicut flos fœni. Quæ etiam, cum defertur, nihil operibus adjungit, in qua nullus fructus acquiritur; et cum amittitur evanescit, omnem scenam hominis et quam desuper obumbrabat repente destituens, et quam intus animabat. » Hactenus S. Ambrosius. O egregiam hominis gloriam! ob quam tam difficilia et molesta sustinet, quam tantis sollicitudinibus et periculis corporis et animæ discriminibus mercatur; cujus hæc est miseranda conditio, quod sicut flos et fœnum simul atque incipit vivere incipit interire : mane sicut herba transit *Psalm.* LXXXIX, 6, mane floret ac transit, vesperi decidit et arescit. Fugacitas vero hominis occumbere properantis umbræ fuga notatur; et quidem umbra noctis fugit quam cito sol affulget, exprimique nequit momentaneum illud, quo mox ac sol hemisphærio illuxit, umbra noctis evanescit, et ne vestigium quidem relinquit. Umbræ vero diurnæ, quibus id nomen proprius congruit, velocissimæ sunt, uti sole occidente perspici potest, quando ex montium oppositu per devexa loca celerrime umbra porrigitur. Ergo umbra sive cum ex objectu opacorum corporum resultat, sive cum dispellitur, citissime fugit : quare eleganter Job de vita nostra pronuntiat : « Et fugit velut umbra, » ubi notandum in lingua sancta, quæ principe et auctore Deo instituta est, uno et eodem verbo et *vitam* et *fugam* significari : sic quod David *fugam* nuncupaverat *Psalm.* LV, 9, Septuaginta interpretes ζωὴν, *vitam* dixerunt continuo in fluxu et fuga positam; quos secutus quoque noster interpres ita vertit, *vitam meam annuntiavi tibi.* In Hebræo est נדי *nodi*, id est *fugas*, unde Vatablus reddit in hunc modum, *fugas meas numeratas habes*, ut si quis forte quærat, quid hominum vita sit, celerrimam esse fugam intelligat; scite proinde mihi quidem videtur Poeta græcus vitam nominasse δρασίπτην, *fugitivam*; vel ut Gregorius Nyssenus, gravissimus et eloquentissimus pontifex, ἐφήμερον, *diariam*, brevem et caducam.

Umbra symbolum fugacitatis vitæ nostræ.

Apud Hebræos eadem vox *fugam* et *vitam* significat.

Illud porro modicum vitæ tempus, quo vita hæc mortalis non tam constat quam nutat, multiplici varietati obnoxium est : nam propter ætatis incrementa, quæ quo amplius procurrunt, eo magis vita decrescit, tot succurrunt affectuum formæ, ut vix homo ipse se agnoscat ipsum, qui ad horas pene singulas sensu mutato alius sibi esse videtur, id quod ista verba significant : « Et nunquam in eodem statu permanet. » Ex quibus patet quam humana gloria caduca sit et fallax, et quo major eo instabilior : *umbra* enim fallax est, quæ oculis insipientium aliquid esse videtur, cum nihil omnino sit, nisi majoris lucis absentia :

Humana gloria caduca et fallax.

hanc nec oculus videt, quia non umbram, sed modicam lucem videt : non auris audit, non odoratus percipit, non gustus capit, non manus apprehendit : sic est homo et omnis gloria ejus, quæ nullam soliditatem, nullam stabilitatem habet, sed semper de uno in aliud se movet, et tandem in mortem et sempiternam oblivionem decidit; idque sonant illa verba S. Chrysostomi : « Quid efferris animo, cum sis homo et cognatus terræ, ejusdem substantiæ cum cinere tum natura, tum animo, tum actionum delectus? Hodie dives, cras pauper; hodie sanus, cras ægrotus; hodie gaudes, cras doles; hodie juvenis, cras senex. Numquid in rebus humanis consistit, an non potius omnium præterfluentium cursum imitantur omnia, et simul atque apparuerunt citius nos quam umbra relinquunt? Quid igitur cristas erigis homo, fumus et vanitas? homo enim *Psalm.* CXLIII, 4, *vanitati similis factus est : veluti fumus dies ejus.* Exaruit gramen, et flos decidit. Hæc dico, non ut substantiam dejiciam, sed ut arrogantiam refrænem. » Hæc ille; sed miserabilius est aliud quod *umbræ* nomine denotatur, nimirum, quod dum major est homo aut ætate, aut dignitate, aut honoris altitudine, eo est interitui propinquior. Crescunt umbræ ad vesperam et longiores ac productiores fiunt : non metuas illas, insipiens infantule, quia umbræ sunt, et per noctis præsentiam occumbent. Crescit honor, augetur dignitas, splendor mundanus provehitur : irride hæc, nisi velis, o homo, infantium more deludi : quia umbræ majores sunt, et eo ipso quod majores in ictu oculi consumentur. « Dies mei, inquit David *Psalm.* CI, 12, sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fœnum arui : » idem et tu dicito de vita tua, et de vita cujusque, etiam si princeps sit potentissimus, quia ut umbra nimium protracta declinat, et ad nihilum properat, et ut vile fœnum et flos agri non aliud quam celerem casum exspectat. Est igitur homo caro, est spiritus ignarus et cæcus; est compositum quoddam ex corpore et animo, innumeris miseriis et calamitatibus, et ignorantiis et peccatis subjectum; est flos et fœnum, est umbra : in quo si quæ per se habet consideremus, omnia instabilia, omnia fallacia, omnia misera et tumultuosa reperiemus. Vide quæ superius de hoc argumento annotavimus cap. VII, 9, et cap. VIII, 9.

Vers. 3.

3. ET DIGNUM DUCIS SUPER HUJUSCEMODI APERIRE OCULOS TUOS, ET ADDUCERE EUM TECUM IN JUDICIUM. — Cum, inquit, homo tam fragilis sit, tam inconstans, tam miser, non tanti a te fieri debet, ut summo jure cum illo agas, acriter in illum inquiras, adolescentiæ peccata in memoriam revoces, et totum ætatis ejus tempus in judicium voces, et de acta vita ejus quæstionem decernas : imo decet amplitudinem et majestatem tuam infinitam in tam misera creatura connivere, et nonnihil ejus infirmitati concedere; quo argumento sæpe sancti viri in Scriptura utuntur ad Dei misericordiam conciliandam : sic Isaias cap. LXIV, 6 : « Cecidimus, inquit, quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat et teneat te : abscondisti faciem tuam a nobis, et allisisti nos in manu iniquitatis nostræ. Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster es tu, et opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris, Domine, satis, ne ultra memineris iniquitatis nostræ : ecce respice, populus tuus omnes nos. » Potest etiam prima hujus versus pars, ut graves interpretes sentiunt, non ad severum et minacem judicis aspectum, sed ad paternam et indulgentissimam Dei erga homines providentiam tum in naturalibus, tum in supernaturalibus bonis, legibus, inspirationibus, protectione, conservatione, pertinere; eo scilicet sensu, quo David hoc dulci et religioso carmine divinam beneficentiam admirabundus extollit *Psalm.* VIII, 5 : « Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? » *q. d.* Unde fit, ut tu Dominus universitatis, affluens omni bonorum copia et felicitate, nulliusque egens, homuncionem tamen vilem et abjectum, rem nihili, habeas in memoria, et benevolentia tua digneris? Mirum est quippe excelsissimum Deum rei minimæ tam exactam curam gerere, ut nihil aliud cogitare videatur; et ex hoc ipso augetur secundi hemistichii admiratio, quod ab homine, quem adeo indulgenter ac liberaliter habuit, velit rationem adeo strictam exigere, ut adducat eum secum in judicium. Judicium autem, de quo hic Jobus agit, est illud in quo quisque de se coram Deo rationem reddet; cujus imago Jobum terruit, cum se, ut putabat, innoxium cerneret in hac mortali vita adeo rigide torqueri.

Fragilitas humana Dei commiseratione digna.

Mirum est Deum tantam miseri hominis curam gerere.

Job Dei judicium vereba-tur.

Hinc justissimus exsistit omnium sanctorum metus; David quidem, ut animadvertit S. Chrysostomus lib. II *De Compunct.* cap. IV, « cum magna cordis cumpunctione ἐγγεγραμμένην τῆς κρίσεως τὴν μνήμην εἶχε διαπαντὸς, *tustam in animo semper habuit judicii memoriam*; etiam in luxu atque in licentia vitæ regalis eam semper ἔστησε παρ' ἑαυτῷ, *secum reputabat*, mente assidue revolvebat; unde id dicebat *Psalm.* VI, 2 : *Domine ne in furore tuo arguas me*, cum animo omni artubusque in ea cogitatione horresceret : » quare eidem psalmo titulum inscripsit *Pro octava*, quæ plane est dies judicii, ut quæ hujus sæculi septimanam consequatur. Exaggerat autem doctissimus idem pontifex pium Davidis propositum et mirandam illam providentiam, quod cum divinæ mentis approbationem laudemque meruisset de justitia cæterisque animi donis, quibus ornatus expolitusque esset, de hoc tamen exquisito judicio et omnium actionum perquisitione cogitans pavore quodam inexplicabili opprimeretur : est enim illa Numinis vox et testificatio I *Reg.* XIII : « Inveni David virum secundum cor meum. » Sed quemadmodum Paulus *Actor.* XIII, 22, cum sibi nihil esset

Sancti omnes judicium Dei in memoria habent.

http://www.obrascatolicas.com

conscius, justitiæ tamen non fidebat suæ, verum omni ratione contendebat ut placatum haberet Deum, cujus oculus involuta mentis arcana pervadit, quæ debilis hominum acies penetrare non potest : sic illa regia mens instincta et afflata divinitus, tametsi multis atque magnis florens virtutibus, futuri tamen judicii metu percellebatur. Sciebat enim, ait S. Chrysostomus, non solum homicidii, et contumeliæ et scelerum aliorum, quibus Dei numen violatur, reddendam esse rationem, verum etiam « γέλωτος, καὶ ἀκαίρου λόγου, καὶ ὑτραπελίας, καὶ ἑτέρου μικροτέρων, etc. *et risum, et intempestivum sermonem, et leviorem scurrilitatem, imo et minora quædam* gravi supplicio esse mulctanda. » Pari modo Diadochus, vir præstantis judicii et sanctimoniæ, longe majus Dei judicium esse ait conscientia nostra ; tametsi exploratum sit alicui plenissime nihil sibi se conscium esse, quod Apostolus tam perfectus tamque illuminatus aiebat. Quare Magnum Constantinum, cum a tam multis nationibus timeretur, pia in schola eruditum, de divino tribunali loqui solitum, atque illud ut par est timuisse prodit Eusebius in ejus *Vita* lib. IV, cap. XXIX, atque inter alia suis inculcavisse, « cunctos mortales magno regi aliquando rationem vitæ suæ relaturos. » Hoc idem dici potest de omnibus, qui sanctis moribus instituti sempiternæ gloriæ velificati sunt, quorum aliqui resonantem semper in mente tubam illam habuerunt et angeli vocem : « Surgite mortui, venite ad judicium. » Hunc ergo divini judicii rigorem et hominis ad malum pronitatem considerans, ut Deum ad misericordiam inflectat subdit:

Etiam minimorum reddenda Deo ratio in judicio.

Vers. 4. 4. QUIS POTEST FACERE MUNDUM DE IMMUNDO CONCEPTUM SEMINE ? NONNE TU QUI SOLUS ES ? — *q. d.* Quis, o Domine, immunditiæ labem effugiat, cum unusquisque ex patris satu matrisque conceptu originariam contraxerit maculam? quæ vis emundavit a tam antiqua et quasi naturali contagione, nisi tu solus, cui rerum paret universa natura ? Ubi notandum cum Tirino nostro, non ita viri *semen* dici *immundum*, quasi insit ei aliqua qualitas, quæ sui contagione animam pueri inficiat, et peccatum originale afflet, ut voluere Tertullianus et alii, qui animam non creari, sed esse ex traduce docuerunt; sed *causaliter* dici *immundum* semen, quia eo ipso quo causa est generationis hominis, facitque ut hic infans sit filius Adæ, censetur etiam causa immunditiæ originalis, quæ propria est filiis Adæ. Qua de re vide scholasticos in I II.

Semen hominis quomodo immundum sit.

Septuaginta, quos passim citant Patres contra pelagianos, legunt, τίς γὰρ καθαρὸς ἔσται ἀπὸ ῥύπου ; ἀλλ' οὐδὲ, ἐὰν καὶ μία ἡμέρα ὁ βίος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς, *quis enim mundus erit a sorde? Nullus, etsi unicus dies sit vita ejus super terram*, q. d. Miserere hominis tam miseri, ut peccati reus sit prius quam natus; unde nec a seipso, nec ab alia creatura, sed a te solo juvari, liberari et purgari potest. Quod argumentum Jobi aptissimum est ad Deum inflectendum ad commiserationem : non enim homo de immundo duntaxat semine concipitur, sed ex corruptione naturæ, cujus fomes etiam justos vehementer urget, in peccata plurima et creberrima labitur; ut videatur maceria quædam depulsa per se labens, neque consistere ullo modo valens. Quo argumento David etiam usus est ad Deum placandum, et crimen suum nonnihil excusandum : nam cum diceret *Psalm.* L, 1 : « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, » subjungit : « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea, » id est, non me debes abjicere, et indignum tua misericordia ducere, quod peccaverim : quid enim magis in hominum natura hæret quam culpa atque peccatum, cum in ipsa nostra conceptione peccato contaminemur ? Ecquis est, clementissime Deus, ex Adæ semine concretus, qui se ita expurget, ut se tibi inculpatum repræsentet? Profecto tu solus potes hominem a conceptu sordidum detergere, auferreque id, quod in judicio tuo vituperandum et puniendum foret. Tu solus es, qui potes in Æthiope mutare pellem ejus, et in pardo varietates ejus; qui vales scilicet peccatorum atrorem in innocentiam convertere, et duplicitatem humani cordis in simplicitatem columbæ commutare; unde nos pulchre monet S. Gregorius lib. XIII *Moral.* cap. ult. : « Quisquis occultæ tentationis motus atque immunditiam cogitationis evicerit, nequaquam sibi suam munditiam tribuat : quia de immundo conceptum semine nullus facere mundum potest, nisi is qui mundus per semetipsum solus est. Qui ergo jam ad locum munditiæ mente pervenit, conceptionis suæ vitam respiciat, per quam venit; atque inde colligat, quia ex sua virtute non habet munditiam vivendi, cui de immunditia factum est initium subsistendi. » Munditiam itaque et puritatem animæ in nobis tu qui solus mundus es facis : ita est, Domine, tuum opus est sanctitas, tu justos facis, tu sanctos efficis, tu a peccatis liberas, et in libertatem veræ virtutis vindicas; quod David in arcanis quoque suis dictis expressit cum de cordis ædificatione disputat in hunc modum *Psalm.* XXXI, 15 : « Qui finxit sigillatim corda eorum. » Quid est *sigillatim*? Septuaginta dicunt κατὰ μόνας, quod Eusebius interpretatur χωρισμένως, *seorsim* ac *separatim*; sed rem disertius copiosiusque tum Euthymius, tum vero etiam Basilius Magnus exponunt, et de cordis puritate et simplicitate capiunt : quod nimirum Deus separata ab omni impuritate et libidine corda effinxerit.

Solus Deus mundare a peccato hominem potest.

5. BREVES DIES HOMINIS SUNT, NUMERUS MENSIUM EJUS APUD TE EST : CONSTITUISTI TERMINOS EJUS, QUI PRÆTERIRI NON POTERUNT. — Hæc Jobus ad Deum ait; quorum verborum hæc est sententia, juxta S. Gregorium, *q. d.* Dies humanæ vitæ ita sunt breves, ut nullum numerum habeant apud homines, neque videantur aliquod vel brevissimum

Vers. 5.

Dies humanæ vitæ breves.

vissimi soli Deo mensurabiles.

spatium consumere; si tamen aliquam durationem complent, hoc apud Deum, qui etiam minutissima et brevissima contemplatur, et conspicit : hominibus autem, quos hæc minutissima prætervolant, omnino ignota est hæc humanæ vitæ duratio. Hoc enim est quod ait : « Numerus mensium ejus apud te est, » id est, non apud homines, quibus non est ita parvus numerus, quo tam minuta et brevis res aut numerari aut mensurari possit. Audi ipsamet S. Gregorii verba lib. XII *Moral.* cap. I, dicentis : « Quia vero apud omnipotentem Deum etiam labentia stant, apud se numerum mensium nostrorum exhibet.» Ubi item alium tradit hæc exponendi modum, *q. d.* Hominibus quidem breves dies vitæ suæ videntur; verumtamen non possunt comprehendere, quanta velocitate pertranseant; hoc uni Deo notum est : ipse solus novit, quam velociter vita nostra decurrat. Verba ejus sunt ista : « Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est. Hoc etenim apud nos veluti non esse considerat, quod tanta velocitate transcurrit. »

Vita nostra exiguis a Deo limitibus circumscribitur.

Hanc vitæ nostræ brevitatem regius quoque Psaltes ac Propheta in enthusiasmis suis ita præclare describit *Psalm.* XXXVIII, 6 : « Ecce mensurabiles posuisti dies meos; » qua sententia eleganti vir ingenio sacrum emblema contexuisse videtur ad mortalium documentum : nam ut Parrhasius pingendi artificio clarissimus cum cyclopem in tabella parvula dormientem expressisset, ut ejus indicaret magnitudinem, satyros juxta posuit illius pollicem thyrso metientes, uti narrat Plinius lib. XXXV, cap. X. Sic contra rex sapientissimus, cum humanæ vitæ brevitatem ante oculos vellet collocare, Deum induxit illam palmis et momentis mensurantem, quem etiam dixit Isaias palmo cœlos ponderasse, sic igitur canit : « Ecce mensurabiles posuisti dies meos;» D. Hieronymus vertit *breves*; Vulgatus exquisito judicio reddit *mensurabiles* generatim, et stylo contractiore; quod plenius apertiusque diceretur *mensurabiles palmo dies*. Itaque Patres Græci legunt παλαιστὰς ἔθου τὰς ἡμέρας μου, *palæstas posuisti dies meos*,

Palæsta et spithamæ quid.

ut habet S. Ambrosius : qui etiam notat *palæstam* significare mensuræ quoddam genus architectorum, quatuor vidilicet digitos inter se junctos; hinc Symmachus eo loco posuit σπιθαμὰς, hoc est *palmas*. Esse tamen distinctionem inter *palæstam* et *spithamam* ait D. Hieronymus *in Ezech.* cap. XL, et illam quidem palmum dici breviorem, hoc est mensuram quatuor digitorum; hanc autem palmum aliquanto majorem, id est dodrantem. Sed illa duo confunduntur ab auctoribus, atque ab illo forte manavit proverbium id Græcorum, σπιθαμὴ τοῦ βίου, *spithama vitæ*, quod Diogenianus interpretatur τὸ ὀλίγιστον, vitæ *cursum brevissimum*, perpusillum quiddam et minutum. Scio novam Septuaginta editionem habere jam παλαιὰς, *veteres*, quod in Codice quoque suo habuit S. Ambrosius, qui sic reddit, *ecce veteres posuisti dies meos*. Verum exemplaria fuisse diversa tum ex eo doctissimo Patre intelligimus, tum e Gregorio Nazianzeno, cui cum modo coronata facundia, qua triumphat, sed excellens quoque in omni genere litteraturæ cognitio tribuenda est : qui cum fratris sui funus laudatione cohonestat, David inquit dies humanos παλαιστῶν μέτρον, *palmi mensuram* definit. Quod lib. III *Anthol.* cap. VI, imitatus videtur Poeta græcus, qui vitam vocat paucorum annorum μέτρα μικκιλίδια, *parvas mensuras*. Atque hoc etiam convenit cum hebræo textu, quem Vatablus exprimit, et illustrat in hunc modum, *palmares dedisti dies meos*, vel pusillos, hoc est, breves posuisti ut mensuram palmi; Pagninus autem sic, *ut mensuram quatuor digitorum posuisti dies meos*. Hæc igitur davidicæ sapientiæ imago huic Jobi sententiæ conformis, celerrimum vitæ curriculum et brevitatem longe maximam coloribus suis delineantis. Vita nostra palmi unius est vel quatuor digitorum, atque ita quidem, ut in illo spatio tam parco et restricto, quemadmodum in linea individua copulantia infinita, sic innumera prope mala et adversa contineantur. Quo Eusebius Euthymiusque trahunt vocem *palæstas* allusione ad palæstritas, ut dies nostri non palæstæ modo videantur, sed etiam palæstræ, dies laboriosissimi, et plenissimi contentionis : in quibus vivere mors quædam sit, atque mori principium immortalitatis.

Dies nostri pauci et molesti.

Non est profecto quod ullus sapiens in hoc palmo, in hac tanta brevitate, aut longiorem vitam speret, aut etiam optet : certus enim cuique vitæ terminus est a Deo constitutus, qui præteriri non poterit. Id quod more suo pulchre momentis suis expendens Drexelius noster in *Prodr. ætern.* cap. II, § 41 : Quidquid, inquit, agas, o homo, quidquid moliaris, vitæ tuæ dies jam annumerati sunt tibi : orbis medicos ad te convoca; Podalyrios, Machaonas, Æsculapios, Hippocrates et Galenos omnes reviviscere jube, non hi omnes vel horulam annis tuis apponent ultra quam velit Deus : pharmacopolia exhaurias, aurum et uniones glutias, ut vitam extendas; tamen terminos, qui præteriri non poterunt, non promovebis. Cautus sis quantum velis, vitæ pericula omnia declines, morborum principiis obstes, numerum mensium tuorum non augebis. Optes, voveas, roges, nihil agis; vitæ tuæ termini jam constituti sunt, nec unquam, quidquid resistas, præteriri poterunt. Quidquid vel ars tua vel industria tibi promittant, spatium vivendi nec unico momento tibi reddent auctius. Ciborum tibi præstantissimorum copia sit et selectus; vini florem bibas; nunquam labores nisi ad sanitatem; tantum somni capias, quantum et lex archiatrorum et ratio valetudinis poscit; ad numerum et caleas et algeas; nihilominus mortalis eris, et ubi vitæ tuæ metam, quam Deus ab æterno prævidit, contigeris, ibi terminus esto; nec illum ulterius diligentia aut gratia promovebit. Lecticam tuam centum medici, sexcenti amici, millo

Vitæ dies homini annumerati sunt.

Ars nulla spatium vitæ a Deo præstitutum potest extendere.

http://www.obrascatolicas.com

cognati sepiant, eorum tamen nemo juvare te potest, unus et solus Deus potest. Actum est de te, o homo, actum est; et quidem actum est in æternum, si tunc hostem habeas Deum. Prudenter igitur Job antequam præstitutus ille qui præteriri non possit vitæ terminus adsit Deum ipsum interpellans subdit :

Vers. 6. Job petit dolorum aliquam intermissionem.

6. RECEDE PAULULUM AB EO, UT QUIESCAT DONEC OPTATA VENIAT SICUT MERCENARII DIES EJUS : — Intermitte, inquit, nonnihil pœnas et cruciatus quos misero infligis, ut aliquantulum respiret, donec optata mortis, et quæ hanc consequitur, æternæ vitæ dies adveniat, qua fesso et laboribus doloribusque fracto dabitur et requies et laborum merces tanquam mercenario, cui ad vesperam diurni laboris salarium impendi solet; unde Septuaginta vertunt, καὶ εὐδοκήσῃ τὸν βίον ὥσπερ ὁ μισθωτὸς, *et delectetur illa vita sicut mercenarius*: Chaldæus vero reddit, *donec accipiat partem suam sicut mercenarius in die suo*. Præcatio hæc Jobi licet ad universum genus hominum in hac vita ærumnosa laborantium pertineat, ipsum tamen calamitate acerbissima divexatum potissimum respicit. Exploratum est autem, hominis vitam certo non mensium vel dierum modo, sed horarum quoque numero definitam esse, neminemque ultra præstitutam horam posse vitam prorogare; cujus veritatis ratio a prænotione et potentia divina petenda est. Ex hoc ergo asserto infallibili elicit Jobus orandi confidentiam, postulatque ut recedat Deus, hoc est, parcat, remittat, cesset a vexatione illa, ut homo afflictus quiescat aliquantum, donec optata et sæpe flagitata mortis dies accedat, quam velut mercenarius exspectat, non sane ob mortem ipsam, sed ob requiem, quam per mortem adepturus sit. *Recede*, inquit, *paululum*, ac si luculentius diceret : Videris, clementissime Deus, instare mihi morienti, ne aufugiam; verum sat nosti me non posse vitam producere ultra præscriptum a te diem : desine ergo me novis telis transverberare, etenim si decreta hora hinc migrare necesse est, quorsum instas? jam vulnus lethale intulisti, quo tandem moriar; quid ergo opus sit iteratis ictibus sauciare, quem mors jam concepta perurget? Sic Jobus in eo quippe conflictu dolorum versabatur, ut parum sibi superesse temporis prudenter conjiceret. Non ergo vitam longiorem nunc precatur, sed pœnæ relaxationem mitigationemve, ut lethaliter percussus tranquille agat, oret, fleatve paululum miser dolorem suum. Neque mirum, si varias precandi formulas inducat, si varia vota succedant; quod dolentium est maxime proprium, dum affectus impotentes ut venti e diversis regionibus flantes animum inermem ac tædio nutantem impellunt. S. Chrysostomus refert in quibusdam exemplaribus legi hoc modo, ἀπόστηθι ἀπ' ἐμοῦ, ἵνα ἡσυχάσω, καὶ εὐδοκήσω τὸν βίον μου ὥσπερ μισθωτὸς, *recede a me, ut requiescam, et placem vitam meam sicut mercenarius*; quorum verborum sensus est, *q. d.* Relaxa cruciatum, ut aliquantum recreer, ac refocillem vitam meam sicut mercenarius qui aliquando laborem intermittit, neque enim respirare sinor : ne me perenniter ac vehementer excrucies. Doloris credo equidem spicula deprecatur, quæ si cessarent, pœna satis gravi, minus tamen acri vexaretur. *Recessum* ergo *Dei* appelat cessationem a doloribus inferendis : levior quippe pœna graviori succedens quies videtur; et quidem hic precandi modus graviter afflictis usitatus est, dum non expungi, sed imminui pœnam poscunt.

DONEC OPTATA VENIAT SICUT MERCEMARII DIES EJUS. — In Hebræo est, *donec perfecerit sicut mercenarius diem suum* : mercenarius in certum tempus conducitur, et sæpe in diem; quem ideo Græci vocant ἀνθημερινὸν μίσθιον, *diurnum mercenarium*. Dies autem mercenarii sunt certi et breves, quibus nec additur nec demitur, nam ipse nihil patitur iis addi, quia laboriosi sunt; nec qui conducit ipsum quidquam detrahi permittit, ne mercedis fructu fraudetur. *Dies* ergo *mercenarii* vocatur tempus quo conductus fuit ad aliquod opus, cui comparantur dies hominis, quibus hic militat in terra prout *supr.* cap. VII, 1 et 2, explicatum fuit; unde hujus loci explicatio petenda est, siquidem hic, prout ibi, Job finem vitæ et miseriarum exemplo mercenarii finem operis et mercedem præstolantis exoptat.

Dies mercenarii qui, et quales.

Vers. 7.

7. LIGNUM HABET SPEM : SI PRÆCISUM FUERIT RURSUM VIRESCIT, ET RAMI EJUS PULLULANT. — Varias excogitant interpretes hunc versiculum cum præcedentibus nectendi rationes, quas recenset Pineda noster; sed commodissima mihi videtur illa, quæ ex originali et græco textu petitur, in quo utrobique exprimitur particula causalis; in illo quidem כי *chi*, in hoc vero γάρ, id est *nam*, seu *enim*, q. d. Cum breves sint dies hominis, eosque plene habeas in potestate tua, rationi simul et æquitati consonum videtur, ut benigne cum illo agas, nec orbum sobole ad instar inutilis trunci stirpitus exscindas : nam lignum seu arbor succisa non raro repullulat, et surculi ac rami ejus transplantati denuo succrescunt et propagantur; homo autem semel mortis falce succisus, et terræ mandatus, si nullam post se sobolem reliquerit, omnem propagandæ stirpis spem funditus amisit. De semetipso autem Job in tertia persona hic loquitur, et coram Deo humiliter conqueritur, se non solum in corpore ac persona propria gravissime affligi, et asperrima quæque perpeti, sed etiam per mortem omnium suorum pignorum charissimorum sese arbori præcisæ non absimilem videri; cujus tamen stirps licet solo adæquata si aquis irrigetur, aliquod adhuc virgultum possit emittere, id est, si Deus illum ab infirmitatibus, quibus tum ad mortem usque gravissime premebatur, liberare, ac pristinæ sanitati restituere voluerit, alios in defunctorum locum filios generare adhuc valeat, quippe qui cum ista diceret septuaginta dumtaxat annorum erat; quæ ætas tunc temporis florescentis adhuc juventutis reputari poterat respectu ducentorum et quadraginta annorum quos vixit. Unde patet, hæc verba non tam de communi et generali omnium humanorum corporum resurrectione accipienda, quam de particulari ipsiusmet Jobi in pristinum statum ac gradum restitutione, quæ postmodum contigit, intelligenda esse; siquidem non arbori penitus emortuæ, aut radicitus exstirpatæ, sed senescenti arescentique, ac foliis et ramis viduatæ sese comparat, cui adhuc spes sit revirescendi, si irrigatio non defuerit; id quod duo proxime sequentes versiculi manifeste declarant, qui sic habent :

Job ligno præciso comparatus.

Vers. 8 et 9.

8 et 9. SI SENUERIT IN TERRA RADIX EJUS, ET IN PULVERE EMORTUUS FUERIT TRUNCUS ILLIUS, AD ODOREM AQUÆ GERMINABIT, ET FACIET COMAM QUASI CUM PRIMUM PLANTATUM EST. — Non dicit, *si radix mortua fuerit* (nam tunc restaurari non potest) sed *senuerit*, hoc est ad senium pervenerit, quæ ætas morti proxima est, in qua nimirum radices arborum pene mortuæ certa ratione adhuc restaurari et in vitam revocari possunt : quamdiu enim radix vivit, tametsi truncus exaruerit et elanguerit, per irrigationem aliaque remedia facile restitui et instaurari potest. Qua de re consulendi sunt Palladius et Columella cum aliis, qui de arborum et herbarum natura libros conscripserunt. Cæterum arbores ut vivere, ita etiam mori dicuntur; tunc autem moriuntur quando vivere desinunt, neque solum mors, sed etiam senium eis accidit, unde *annosa* quercus dicitur. Et S. Augustinus lib. *De Civit.* de plantis loquens : « Nam et hoc genus, inquit, rerum quamvis non sentiat, dicitur tamen *vivere*, ac per hoc potest et *mori*, proinde cum vis adhibetur occidi; juxta illud *Psalm.* LXXVII, 47 : *Occidit in grandine vineas eorum.* » Quin et odoris sensus eleganti metaphora hic arbori tribuitur : « Ad odorem aquæ germinabit, » ubi *olfacere aquam* dicitur arbor quando primum irrigatur; habet autem animam et vitam, quam vocant *vegetativam*. Job igitur sub hac ligni seu arboris pene mortuæ ad odorem aquæ revirescentis parabola modeste a Deo petit novo ejus favore irrigari, et antequam moriatur in pristinum statum restitui. Sic omnium optime, ac simplicissime Polychronius in *Caten.*, quem recentiores fere sequuntur, censet hæc Jobi verba ex dissimilitudine cum arbore ad relaxationem tantorum cruciatuum, quibus tunc premebatur, referri, *q. d.* « Non sum enim sicut arbor, quæ abscissa licet atque vetustate confecta pullulare iterum atque virescere potest; sed si me sinas vi doloris penitus nunc absumi et interire, non erit deinceps Job, cui benefacere inter mortales possis. » Hoc ipsum manifestius sequentia verba declarant cum subdit :

Dum radix vivit arbor repullulat licet recisa.

Quomodo dicantur arbores vivere et mori.

Vers. 10. Dissimilitudo inter hominem et arborem.

10. HOMO VERO CUM MORTUUS FUERIT, ET NUDATUS ATQUE CONSUMPTUS, UBI QUÆSO EST? — Est applicatio dissimilitudinis, quæ hominem inter et arborem intercedit, ostendens in quo hominis præligno arboreque deterior videri possit conditio : nam ligno, inquit, si præcidatur, aliud ex eodem stipite succrescit : et ramus abscissus a trunco si transplantetur alio radices agit, pubescit frondibus et oneratur pomis. Arbores item quæ hiemali tempore aruisse et vires omnino ac vitam amisisse videbantur, quando sub vernum tempus aer intepuit, et cœlestem rorem aut aliunde derivatam aquam imbiberunt, reviviscunt statim, et suæ viriditati ac nitori pristino restituuntur; at homo cum semel interierit, ad illud quod amisit ornamentum et ad mortalem hujus vitæ statum nunquam redit. Quod quidem verissimum est de hominis natura in se considerata post statum corruptionis : nam corpus humanum anima privatum nulla vis naturæ potest ad vitam revocare. Verumtamen vir justus propter spem resurrectionis mortem omnino securus et lætus excipit, quia in ea serto et corona gloriæ donatur, et modicum illud ad corruptibile quod videtur amittere, nempe corpus, seposita corruptione tempore statuto est recepturus. Atque ita S. Gregorius lib. XII *Moral.* cap. IV, hunc Jobi locum exponit : « Potest, inquit, jam radix justi ipsa natura humanitatis intelligi ex qua subsistit; quæ videlicet radix senescit in terra, cum natura carnis deficit in pulverem redacta; cujus in pulvere truncus emoritur, quia exstinctum corpus a sua specie dissipatur : sed ad odorem aquæ germinat, quia per adventum S. Spiritus resurgit; et faciet comam quasi cum primum plantatum est, quia ad illam speciem redit, ad quam percipiendam creatus fuerat, si in paradiso positus peccare noluisset. » Quomodo ergo non erit securus, quia Deo disponente et volente deponit corporis vestem, ut eam post modicum tempus innovatam, mundam et nunquam rumpendam accipiat? qui relinquit exsilium, ut proficiscatur in patriam; qui a carcere solvitur, ut in aula regia commoretur; qui novit, quoniam *Psalm.* XXXVI, 24, « cum ceciderit non collidetur : quia Dominus supponit manum suam. » Indicatur itaque nobis, justum spe resurrectionis, quam fide viva credit, in summis discriminibus esse securum, nec timore mortis immoderate commoveri, quia corpus suum, licet sepultum, et in cineres versum, in resurrectione recipiet gloriosum, nec non miseriam illam, quam hic ad breve tempus tolerat, cum æterna vita et pulchritudine gloriæ commutabit.

Homo spiritaliter mortuus quomodo revivisceat.

Tropologice *lignum vitæ* sancta perfectio est in cordibus justorum plantata, quæ hinc et inde tanquam terra bona et tanquam ripæ amœnissimæ divinæ gratiæ fluvio alluuntur, cujus *ligni radix* est timor Dei, nam *Psalm.* CX, 10, « initium sapientiæ timor Domini; » ejus *truncus* est amor Dei, qui si aliquando consenuerit, et præ tepiditate mentis pene cessaverit, « ad odorem aquæ germinabit, et faciet comam quasi cum primum plantа-

http://www.obrascatolicas.com

tus est : » cujus *rami* sunt omnes virtutes, quæ ab amore tanquam ab initio procedunt de quibus Ecclesiasticus cap. I, 25 : « Rami ejus longævi : et sub ramis ejus justus morabitur ; » cujus *folia* sunt præcepta divina, quia lignum istud protegunt et ornant, et ad sanitatem gentium sunt instituta, nam præceptorum custodia gentes morbis peccatorum liberantur, et salutem justitiæ adipiscuntur, quare apud Ezechielem cap. XLVII, folia hæc dicuntur ad medicinam ; *fructus* denique, ex quibus arbor bona cognoscitur, sunt effectus charitatis perfectæ, quos in viris perfectis animadvertimus. Cæterum audiamus suavem lyræ sonum, quo hujus figuræ in *Glossa* explicatur mysterium : « Lignum habet spem, » id est homo, qui dicitur arbor inversa, « si præcisum fuerit » a Christo per peccatum mortale, « rursum virescit » per recuperationem gratiæ : « si senuerit in terra radix ejus, » id est, si diu manserit in terrenis desideriis, tamen recuperare poterit gratiam Salvatoris. Ideo subdit : *Ad odorem aquæ*, id est prævenientis gratiæ, « germinabit, » concipiendo bonum propositum, « et faciet comam, » id est opera bona, « quasi cum primum plantatum est, » id est, antequam in peccatum laberetur. Ubi circa illa verba : *Ad odorem aquæ*, quis non miretur aquæ tribui odorem, cum illa, ut philosophi docent, nec colorem, nec saporem, nec odorem dicatur habere? sed quamvis hujusmodi qualitates avara illi natura negaverit ; terra tamen, per quam transit, nescio an liberalis, an grata, sic ei retribuit, ut reciprocum sit vel officium vel beneficium humoris accepti et retributi odoris. Siquidem Ambrosio lib. III *Hexaem.* cap. XV testante : « Una nempe eademque est aqua, et diversas plerumque se mutat in species, assumpto locorum quibus influit colore : » *assumpto* addere poterat et *odore* ; quod si Ambrosius hoc asserat de naturalibus aquis e terra scaturientibus, potiori utique jure id dixero de aquis lacrymarum, quæ de corde exeunt contrito, ex oculis defluunt pœnitentium, et per maxillarum canales distillantur : cum enim maxillæ, juxta Nyssenum Gregorium hom. 13 *in Cant.* sint « phialæ aromatum, ex quibus unguenta parantur, » quid mirum, si in illis odoriferæ lacrymæ conservatæ adeo vivificum emittant odorem, ut ad illum et mortuus peccator reviviscat, et virtutum ornetur floribus, et coma gratiæ et gloriæ coronetur?

Vers. 11 et 12. 11 et 12. QUOMODO SI RECEDANT AQUÆ DE MARI, ET FLUVIUS VACUEFACTUS ARESCAT : SIC HOMO CUM DORMIERIT NON RESURGET ; DONEC ATTERATUR CŒLUM NON EVIGILABIT, NEC CONSURGET DE SOMNO SUO. — Comparat hominem mortuum cum mari et fluvio, cujus aqua ubi semel aruerit, eadem numero non redit : Quemadmodum, inquit, aquæ, quæ a suo capite per declivia loca defluxere eodem relabi non possunt siccato alveo, unde primum decursu prono recesserunt : sic etiam nec homo defunctus vita reviviscet, scilicet naturæ viribus, neque dum cœlum stabit a somno mortis excitabitur : ita Sanctius, Stunica, Pineda, et plerique latini interpretantur, ut dicat resurrectionem ad similem vitæ statum esse natura impossibilem, sicut mare aut fluvius ad summam siccitatem redacta reparari et restitui naturæ viribus non possent : nam resurrectio divinum opus est, non ipsius naturæ. Alii vero, quia particula similitudinis in Hebræo et Græco subticetur, hæc per dissimilitudinem dicta accipiunt, ut nimirum significetur homo fugacioris esse vitæ et irrevocabilioris quam sit fluxus maris aut fluminis ; siquidem mare nunc fluit, et aliquam terræ partem deserit ; nunc vero refluit, et eamdem quasi perditam cito recuperat : similiter torrens aut fluvius si nunc æstate siccetur, post paulum facta accessione aquarum exundat. At homo nunquam vitam mortalem recuperabit, quam semel amisit ; nunquam ad possessa prius bona revocabitur, sed in pulverem versus in diem judicii reservabitur : quod glossema nobis aliam quoque sententiam suppeditat, *q. d.* Sane ut aqua maris, quæ recessit, revertitur, sic homo iterum reversurus est ; unde Romani olim, teste Tertulliano lib. *De Resurr.* dicere soliti sunt, cum aliquis e vita decessisset : « Abiit, et reversurus est, » resurrectionem carnis haud obscure innuentes. Quapropter hic etiam non absolute negavit hominem resurrecturum, quin imo idipsum asseruit, et ad majorem hujus veritatis confirmationem quando futura esset resurrectio declaravit his verbis : « Donec atteratur cœlum : » nam qui illam antea non futuram dixit, tunc omnino futuram significavit, quando cœlum et terra statuto a Deo tempore atterentur, « et sicut vestimentum veterascent, » ut David ait *Psalm.* CI, 27.

Homo mortuus naturæ viribus ad vitam revocari nequit.

Septuaginta vertunt, ἕως ἂν ὁ οὐρανὸς οὐ μὴ συῤῥαφῇ. *quoadusque cœlum non sit consutum*, quod S. Augustinus reddit, *usquequo cœlum est non consuetur ad novum* ; Polychronius exponit, καὶ ἕως ἂν ὁ οὐρανὸς παλαιωθῇ, καὶ ὁ κόσμος συνίστηκε, τουτέστιν, ἕως συντελείας οὐ μὴ συῤῥαφῇ, ἀντὶ τοῦ, οὐ μὴ συναρμισθῇ· συῤῥαφὴν γὰρ εἶπε τὴν εἵρμὸν τῶν ζεύξεων τῶν μελῶν, *quoadusque cœlum inveteraverit, et mundus constiterit, id est, usque ad consummationem non consuetur, pro, non redibit ad harmoniam suam. Suturam enim dixit seriem jugationum et commissurarum ipsorum membrorum.* Homo igitur tunc resurget, quando Deus in extremo die cœlos immutabit, et majori splendore convestiet : « Liquet enim, inquit S. Gregorius ad hunc locum, quia non resurget, scilicet donec atteratur cœlum : quia nisi mundi hujus finis advenerit, humanum genus a somno mortis ad vitam non evigilabit. Non ergo quia omnino non resurgat, sed quia ante contritionem cœli humanum genus minime resurgat, insinuat : » intelligendum enim est, non evigilaturum ante omnium hominum futuram resurrectionem. *Somnum* vero mortem vocat phrasi Scripturis usitata, ut cum David ait *Psalm.* LXXV, 6 : « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt viri divitiarum in manibus

Homo non resurget ante mundi immutationem.

Somnus et expressa imago mortis.

suis ; » et quia somnus expressa est mortis imago, adeo ut quidam philosophi opinarentur pro similitudine nobis esse a natura datum, ut ex illo mortis rationem cognosceremus. In Menandro poeta comico nihil memini me legere venustius, quam cum somnum appellavit τὰ μικρὰ τοῦ θανάτου μυστήρια, *parva mortis mysteria* : dictum argutum et lepore tinctum erudito, quo alludit ad sacra Eleusinia seu initia Cereris, quæ duplicia fuerunt, *parva* nimirum et *majora* mysteria ; illa fuerunt dispositio ad hæc, ad quæ ab illis facillimus transitus. Magna in utrisque similitudo, iidem ritus cærimoniæque fiebant ; somnus igitur parva mortis mysteria : jam dormientes letho et Elysiis campis ut majoribus mysteriis initiantur, mox sepulcri epoptæ futuri. Hinc sapientes Græciæ eos qui somno detinentur pari in loco ponunt cum sepultis, qui neque sibi neque humano generi sint utiles. Cur autem mors *somnus* appelletur dictum *supr.* cap. III, 13, ubi hoc fusius exposuimus.

Vers. 13. 13. QUIS MIHI HOC TRIBUAT, UT IN INFERNO PROTEGAS ME, ET ABSCONDAS ME, DONEC PERTRANSEAT FUROR TUUS, ET CONSTITUAS MIHI TEMPUS, IN QUO RECORDERIS MEI? — Proxime dixerat non eamdem esse humanæ vitæ conditionem atque plantarum, quæ succisæ revirescunt, et earum rami a trunco sublati et infossi terræ denuo radices agunt, et in arbores proceras ac pulchras excrescunt ; ast cum homine longe aliter se res habet, ubi enim semel vita functus est, nullam amplius virtutem habet naturalem, qua in pristinum statum, a quo dejectus est, redeat ; sed humi putrescit, neque spem habet ullam resurgendi ante finem sæculorum, quando ad statum priori longe dissimilem transferetur. Cum autem gravia Jobus pateretur incommoda, et jam pene tantorum dolorum moli succumberet, optabat mortem, hujusmodi malorum commune levamentum ; quam libenter subiret, si modo plantis non dissimilem sortiretur interitum, a quo facilis esset ad vitam priorem que conditionem remigratio. Hoc ipsum igitur Jobo videtur esse in votis, dum tempore furoris Domini et quasi hiemalis inclementiæ mori desiderat, dummodo defervescente furore ad vitam revertatur : ita Sanctius noster, qui alias quoque aliorum expositiones adfert ; sed hæc videtur maxime litteralis et cum præcedentibus optime cohærens. *Inferni* ergo nomine mortuorum receptaculum significat, ratioque postulat ipsa, ut cum eo nomine omnes subterraneas cavitates, tartarum, limbum, sepulcrum comprehendi notum sit, eam stationem optet Jobus, quæ quietis aut refrigerii significatum habeat, qualis patrum limbus animæ, sepulcrum corpori. *Furor* vero ille, quem defervescere cupit interim dum absconditur, est indignatio Dei, qua hæc vita mortalis exagitatur. *Tempus* autem *constitutum* est dies resurrectionis ad immortalitatem ; quæ licet universis hominibus præstituta sit, non tamen ita, ut Deus universorum mortalium, sed electorum tantummodo dicatur amanter recordari, quod est Jobi postulatum.

Job mortem optat.

Quid *inferni* nomine significetur.

Titelmannus et alii *furorem* hunc, quem Job tantopere exhorruit, sentiunt ad extremi temporis universale judicium pertinere, quod usque adeo præsentiebat horribile, ut dum furor in illo severo rerum articulo in judicis ore scintillaret, eligeret potius cum damnatis in gehennali incendio cruciari, quam spectare fulminantem judicem, et suæ indignationis documenta maxima præbentem : quæ quidem interpretatio pia est, sed minime litteralis. Et sane nimis intellectu arduum est, ut Jobus his verbis illud petat, et sibi in petitione constet : esto Deus humanorum scelerum vindex suum in peccatores furorem ostentet, quem vel in inferno fugere Jobus expetit ; si fuga et latebris declinandus Dei furor est, quare in inferno protegi Jobus cupit, et in inferno abscondi? Quin et si Jobus a Dei furore exoptat fuga abscondi, atque latibuli beneficio occultari ; quomodo postulat, ut Deus ipsum abscondat? Porro quisquis abscondit aliquem, illius se præbet comitem, quousque illum in latebris reponat et occultet ; probeque inde noscit, ubinam absconsus delitescat. An Jobum dementavit calamitas, qui a judice petit ut eum abscondat, et latebris a se protegat? Parum, opinor, tutus erit reus, quem judex abscondit. Scilicet perspicuum erat Jobo ejus noxas Deum latere non posse, quod omniscientia vetat ; nec posse etiam se fugere a Deo, cujus immensitate comprehenditur. Verum nihilominus a Deo petit Jobus ut illum peccatis obnoxium abscondat, ne in conspectu Dei sui peccaret, *q. d.* Cum homo mortalem hanc vitam agit, fieri non potest ut nunquam in Deum delinquat : at ne in conspectu tuo peccem, inquit, quandoquidem non possum a te fugere, et a te abscondi, hoc unum quod possum enixe deprecor, ut tu ipse abscondas me ; saltem sic voto abscondar, et desiderio meo in tuis latebris occultabor, ne peccem in conspectu Dei mei : sic peccatum meum erubesco, sic detestor peccandi impudentiam, ut si quando humana mihi imbecillitate peccandum contra te sit ; tunc, tunc quidem vel in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus.

Mitior est gehenna quam iratus Christi vultus.

Deum supplicat Jobus ut ipsum abscondat.

Tropologice autem nobis viventibus quis hoc tribuat, ut in inferno protegamur et abscondamur? etenim fortissimum propugnaculum arxque adversus peccatum munitissima infernus est igneis abundans telis : si nos peccatum oppugnat, in hanc arcem mente et cogitatione confugiamus, sempiternique illius ignis consideratione hostem crudelissimum repellamus. Viventibus infernus propugnaculum, mortuis supplicium est ; ne sit post mortem supplicium, sit ante mortem propugnaculum : descendamus sæpe in infernum viventes, ne semel descendamus morientes. Animadvertit Ninivitas providentiam Tertullianus lib. *De Pœnit.* cap. ult., quod in multis orbis partibus ignitos montes

Inferni consideratio est ars fortissima adversus peccatum.

Nos ad inferni cogitatio-

http://www.obrascatolicas.com

nem admonent montes ignivomi.

esse voluerit, quos nominat *fumariola inferorum;* atque scintillas, quæ in dies evomuntur, « magni alicujus et inæstimabilis foci missilia quædam et exercitoria jacula » videri, ne quando in eorum locorum oblivionem veniamus, in quibus divinæ majestatis perduelles supplicio æterno mactantur. Et quidem usi etiam hac consideratione sunt viri sanctissimi ad salutarem metum retinendum, et quæ molesta in vita contigissent eo lubentes

Item febres et morbi.

referebant. B. Theodorus Studita, obita pro Deo morte gloriosus, cum in morbum incidisset, in quo primum totius corporis frigus et vehementissimum horrorem senserat, tum continuo igneæ febris immensum et inusitatum calorem, vir pius eum fructum inde retulit, de quo deinde apud suos in *Serm.* 31 ita memorabat : « Ego in malis positus mecum cogitavi : Itane in futuro judicio a tartari horrifici pœnis ad gehennam ignis revolvemur, binisque forte suppliciis aut etiam pluribus miser est obnoxius? » ubi duo præcipua attingit inferorum supplicia, scilicet intolerandum frigus, unde Græci nuncupavere Τάρταρον, *Tartarum;* et *ignem,* quem æternum divina oracula significant : Tertullianus in *Apol.* cap. XLVII, vocat « ignis arcani subterraneum thesaurum ad pœnam. » Hinc Isidori Pelusiotæ egregia monitio lib. I *Epist.* 433 : « Si carnis, inquit, tuæ cupiditas et libido adversum te furit, et insolentius commovetur, ignis futuri memoriam refrica, et exstinguetur; siquidem libidinosum hujus vitæ incendium ad fornacem illam tendit. » Neque tamen cogitandum est duo tantum esse illa pœnarum genera, tametsi atrocia, quibus sontes in

Infernus est acerbitatum omnium officina.

Erebo crucientur : est enim is locus acerbitatum omnium officina, olida mephitis, puticuli halantes, cloaca mundi, sordium omnium fæx et colluvies; ubi nihil sit quod delectet, nihil quod non incredibiliter torqueat, qui sit denique, ut Servator mundi κατ' ἐξοχήν appellat *Luc.* XVI, 28, *locus tormentorum.* Jonas ad ea omnia adjungebat æternitatem, de qua mens omnis cogitando prope inexplicabili pavore tenetur : « Cujus, inquit cap. II, 7, vectes retinacula sempiterna, » quæ videlicet solvi aut perrumpi nequeant, ait B. Cyrillus *in Jonam,* cum nemo e stygia unquam domo exierit, nec ea semel clausus revocare gradum potuerit, et suavissima luce perfrui.

Vers. 14. 14. PUTASNE MORTUUS HOMO RURSUM VIVAT? CUNCTIS DIEBUS, QUIBUS NUNC MILITO, EXSPECTO DONEC VENIAT IMMUTATIO MEA. — Valde variant interpretes in hujus textus expositione : *primo* Chaldæus quidem in solos impios refert, et de beata vita, quam non assequentur, explicat hoc modo, *si mortuus fuerit vir impius, fierine potest ut vivat?* qua etiam ratione *Psalm.* I, 5 dicuntur « impii non resurrecturi in judicio, » videlicet ad beatam vitam; sed ita non satis hæc cohærent cum præcedentibus, et aliena videtur a tota hac Jobi oratione illa vitæ usurpatio. *Secundo,* Philippus existimat sermonem esse de illa altera resurgentium vita, atque interrogationem hanc æquivalere affirmationi, q. d. *Nonne mortuus homo resurget?* id est, omnino resurget; quod in rebus certissimis Scripturæ familiare esse notat, ut eas interdum sub quadam dubitationis specie proponat; alioquin secundum ordinariam Scripturæ regulam interrogatio asserens negationi similis est, sicut interrogatio negans assertioni. *Tertio,* Cajetanus conditionalem particulam, quæ in fonte est, agnoscens hæc ita construit, *si mortuus homo rursum viveret, mortem ego lubens exciperem, et cunctis diebus, quibus nunc dolens milito, exspectarem donec veniret immutatio mea.* Alii *quarto* interrogationem hanc juxta communem Scripturæ consuetudinem per negationem interpretantes, sermonem fieri putant de rursus vivendo vitam mortalem, quam restituendam negant. *Quinto,* et optime Pineda sic exponit, ut in prima quidem parte loquatur, ut sæpe diximus, de reditu ad vitam mortalem; in secunda autem de immortali resurgentium regeneratione, *q. d.* Non potest fieri ut mortuo mihi semel iterum ad hanc vitam redeundi facultas concedatur : quod cum ita sit, vitæ illius immortalis spes me sustentat, quamvis omnino videam hanc vitam mihi deserendam esse. Vel ut dubitationem ipse proponat de futura resurrectione : Dum nimium, inquit, formidare mortem videor, videri nolo de alterius vitæ fide dubius aut parum firmus, quare statui sinistræ alicujus suspicioni occurrere, meamque fidem palam profiteri : nihil enim aliud exspecto quam verissimam illam corporum resurrectionem ad vitam immortalem, quam vocat *immutationem.* Qua item phrasi usus est Apostolus I *Corinth.* XV, 51 : « Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur : » *immutatio* quippe transitus vel ascensus est ad statum feliciorem. Et quidem ascensus hic adeo felix est, ut merito præmiserit Jobus illud : « Cunctis diebus quibus nunc milito, » quasi apertius diceret : Immutatio illa, quæ scopus laborum meorum est, affluit ea bonorum omnium copia, pro qua æquum sit diebus singulis fortiter dimicare : resurget enim corpus pulcherrimum, splendidissimum, immortale, ut præclare mecum agatur, si corporis deformitatem, squalorem, mortem denique ipsam pro amplissima illa mercede perpetiar.

Interrogatio asserens vim habet negationis.

Job spe resurrectionis se sustentat.

Immutatio accipitur pro resurrectione gloriosa.

Cæterum pro verbis illis, *donec veniat immutatio,* Septuaginta legunt, ἕως πάλιν γενώμαι, *donec rursus fiam :* qui sane dicendi modus elegantissimus est, et ad resurrectionem significandam appositissimus, qui enim resurgit rursus fit; est quoque opportunissima translatio Symmachi aientis, ἕως ἂν ἔλθῃ ἡ ἁγία φύσις μου, *donec veniat sancta nativitas mea,* natalis quippe faustissimus est resurrectio, qua ex angustiis sepulcri corpus editur in lucem sempiternam. Pro hac ex Jobi sententia militandum est assidue, ne quis torpescat, vel pacem importunam sibi confingat, cunctis diebus arma exercenda sunt spiritualia, et omnibus

Resurrectio altera nativitas

exspectandum donec bello importuno pax concupita succedat : nam qui in hac vita non militat, sed cum suis perversis voluntatibus malam pacem conciliat, nullam sui in melius immutationem, nullam vitiorum victoriam, nullam veram pacem exspectat.

Vers. 15. 15. VOCABIS ME, ET EGO RESPONDEBO TIBI : OPERI MANUUM TUARUM PORRIGES DEXTERAM. — Postquam, inquit, ex hac vita decessero, et multis sæculis in sepulcro jacuero, et animus meus a corpore separatus in loco a te præparato substiterit, tandem adveniente resurrectionis die « vocabis me » (ut S. Paulus I *Thess.* IV, 15, scribit, « in jussu et voce archangeli, et in tuba Dei »), et ego libentissime tuæ voci parebo, atque ut tibi adstem resurgam : libenter, inquam, obediam, quoniam vox non erit ad damnationem, ut spero, sed ad salutem; meque, qui opus sum manuum tuarum, singulari amore proteges, et quasi data dextera ad eum sublevandum, cui casus imminebat, ab æterna pœna impiis præparata defendes. Vehementer sane resurrectionis memoria Job delectari videbatur, dum tanto morbo tantisque malis non impediebatur, quo minus in ejus sermonem incidens eam accurate tractaret, et sa-

Quomodo mortui vocandi e sepulcris.

pientissime describeret : « Vocabis me, » inquit; quæ vocatio qua ratione futura sit Christus apud Matthæum pluribus exponit dicens cap. XXIV, 31 : « Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum; » ejusdem apud Joannem meminit his verbis cap. V, 28 : « Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei. » Et Paulus scribit I *Corinth.* XV, 51 : « Omnes quidem resurgemus in momento, in ictu oculi, in novissima tuba. Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur : » ex hujus vocis immensa vi Paulus infinitam Dei potentiam demonstrat ita scribens *Rom.* IV, 17 : « Qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt. » Hujus vocis eximiæ virtutis specimen exhibitum fuit, cum Lazarus et viduæ filius e mortuis a Christo fuerunt una ejus voce excitati. Felices ii, qui dum

Vocationi divinæ diligenter respondendum.

mortalem vitam agunt hujus vocis divinæ nunquam obliviscuntur, sed ei prompto animo respondent. *Respondere* autem hic nihil est aliud quam *obedire Domino vocanti,* quemadmodum Lazarus, et filia archisynagogi et Tabitha tunc responderunt; illi Christo, hæc Petro evocantibus ad vitam, quando spiritum resumpserunt quem prius efflaverant. Huic ergo voci se confestim responsurum Jobus pollicetur, quo expeditam obedientiam et bonæ conscientiæ alacritatem significat, qua erectus fidenter vocis divinæ sonum exceptorus sit. Non potest sane hæc vox resuscitationis jucunda non esse ovibus Christi, quibus dum mortalem vitam degerent voces ejus et præcepta vitæ gratissima fuerunt, eique dicto semper audientes fuerunt. Illud vero, *porriges dexteram,* metaphora est ab homine, qui porrecto brachio alium decumbentem erigit. *Dextera* autem ipsa potentiam aptissime notat, ut idem sit *dexteram porrigere* ac *potenter auxiliari,* fortiter adjuvare, robur indere. Ipso etiam dexteram porrigentis habitu divinæ majestatis ad opem propensæ ac sese inclinantis ad hominem extollendum dignatio significatur.

Dextera symbolum potentiæ et auxilii.

Mystice spiritalem animæ resurrectionem intelige, in qua hæc tria designantur : primo gratia Dei prævenientis, et divina vocatio, dum dicitur : « Vocabis me; » deinde assensus hominis vocationi divinæ libere obsequentis, dum illud adjungitur : « Et ego respondebo tibi, » licet non sine gratia cooperante; denique gratia Dei adjuvans et promovens, dum subditur : « Operi manuum tuarum porriges dexteram : » etenim bona cogitatio, et voluntas et propositum hominis adjuvatur et promovetur a Deo, ut ad justificationis consecutionem et spiritalem resurrectionem perveniat. Ac corporum quidem resurrectionem distulit Deus in extremum mundi diem; resurrectionem vero animarum ne puncto quidem temporis differri vult; hinc vir improbus si pœnitentiam egerit, statim Deo excitante resurgit. Resurrectioni corporum unam tantum diem tribuit, at resurrectioni animarum totum concedit tempus, quo mundus permanet. Resurrectio corporis una tantum est, semel namque corpus moritur, semel et resurgit; resurrectiones vero animæ multæ sunt : iidem enim homines sæpe peccato vulnerati moriuntur, pœnitentia excitati resurgunt. Pendet autem beata corporis resurrectio maxime ex resurrectione animæ. Si anima peccatoris ante mortem non resurrexerit, resurget quidem corpus, sed ut torqueatur in æternum; si vero anima spiritaliter resurrexerit, et a peccatis liberata e corpore exierit, corpus ipsum quoque in novissimo die gloriosam consequetur resurrectionem : hoc tempus præsens totum quantum animæ destinatum est; extremus vero dies unicus corporis resurrectioni reservatur. Nunc igitur animam a peccati morte excitemus ac præservemus, novisque moribus christiano dignis exornemus; corporis ornatum, pulchritudinem gloriamque in diem extremum differamus : animi enim resurrectio multo potior est resurrectione corporis; multoque satius est animum Dei gratia vivum habere quam corpus a morte excitatum. Quare Job de anima potissimum sollicitus subdit :

Quam ad spiritalem resurrectionem conferant.

Spiritalis ac corporalis resurrectionis differentia.

Vers. 16. 16. TU QUIDEM GRESSUS MEOS DINUMERSASTI; SED PARCE PECCATIS MEIS. — Eleganter Deum introducit hominis actus perscrutantem ac recensentem, quasi de singulis rationem exacturum : omnino quippe exploratum est, ne cogitationem quidem unam a vigilantissimo exploratore præteriri, quam non introspiciat et perpendat : quod Septuaginta interpretes aperte notarunt in hæc verba, ἀριθμησας δὲ μου τὰ ἐπιτηδεύματα, καὶ οὐ μὴ παρέλθῃ σε οὐδὲν τῶν ἁμαρτιῶν μου,

Deus omnes actus et cogitationes nostras numerat et expendit.

http://www.obrascatolicas.com

numerasti autem adinventiones meas, et non præteribit ullum peccatorum meorum. Gressus in hoc loco sunt affectus et actus quibus animus hominis incedit, bonis quidem ad palmam, malis vero ad pœnam. Postulatum autem illud *parce peccatis meis*, et ad culpam et ad pœnam litterali sensu pertinet, *q. d.* Cum ego sciam te omnia opera mea quantumcumque occulta optime nosse, quæ numerata habes, et in quasdam quasi ephemerides relata, obsecro ut parcas peccatis meis; quæ tempus judicii antevertens supplex deprecor : si enim modo, ubi tempus indulgendi fluit, adeo acerbe discrucior; quid rogo de me fiet, ubi tempus accesserit puniendi errata, quorum convincar? Hæc explanatio culpam primum observat; altera vero, quæ præsentem afflictionem pensitat, sic Jobum loquentem inducit, *q. d.* Recordor judicii tui districtissimi, ubi in lucem proferes omnes actus meos, quos enumerasti; ut si male egerim, sine relaxatione me punias : at nunc alia subest ratio; neque enim jam ad tribunal tuum eodem prorsus modo ac in suprema universalis judicii hora sistor; tempus veniæ profecto adest ex suavissima dispositione providentiæ tuæ. Ergo parce peccatis meis : hoc est, aliquid remitte de cruciatu, quem inferre videris pro culpis meis.

Pœnitendum de occultis.

Hæc magno nobis invitamento esse debent ad suscipiendam in vita pœnitentiam, et incessanter deprecandum pro delictis nostris; ad quod plurimum in omnem partem juvabit cogitare, plus videre Deum in conscientia nostra quam ipsimet videamus; et fieri posse, ut illic sit quidpiam ira dignum supplicioque divino, de quo nullum doloris sensum aliquando percepimus : est enim profundum cordis impenetrabile humano lumini, nec in vastos illos sinus implicatosque mæandros, ubi magna malitia sæpe delitescit, nostræ mentis acies pertingere et usque ad oram ultimam progredi potest, nisi divinæ misericordiæ lucerna pandat viam et dirigat; cui tanquam proprium illud tribuitur *Psalm.* VII, 10 : « Scrutans corda et renes Deus. » Hoc superbiam et elatos hominum spiritus, si quid habent judicii, comprimit : hoc justo metu et horrore conficit, quod animi latebras non perviderant, neque intelligant, utrum odio an amore sint digni : quam in rem grave illud et metuendum monitum est D. Bernardi cum de videnti omnia Deo et audiente memorat *Epist.* 42, « cujus utique scientiam non effugit, sententiam non subterfugit, etiam quod propriam latet conscientiam. » Audit Deus in corde cogitantis quod non audit vel ipse qui cogitat : hoc Davidem cum animo suo reputantem timor ingens occupabat, et plenam illam demissionis pœnitentiæque vocem exprimebat *Psalm.* XVIII, 13 : « Ab occultis meis munda me : » petit a Deo, ut labes, quas perspicacissimus Numinis oculus videt, ipse autem non videt, misericordissima bonitate exurat, et quæ a D. Paulo II *Corinth.* IV, 2, scienter nominantur *occulta dedecoris*, nitore gratiæ illuminet atque diluat, cum nequeat ipse forte omnia cognoscere. Hinc sequebatur id diluvium uberrimum lacrymarum, quod dum lavat die ac nocte lectulum suum, regiumque adeo cibum temperabat, maculas quoque eluebat animi, et eos nævos, quos sciebat et divinitati exosos, atque sibi ad extremam calamitatem perniciemque metuendos. Et mirum sane est, tantum virum, cui Deus arcana sapientiæ suæ aperuisset, et sublimia illa quæ miramur (nam ita vere ad divinam gloriam prædicabat *Psalm.* L, 8 : « Occulta sapientiæ tuæ manifestati mihi) » occulta sua ignoravisse. Ipse mentis cogitationem in abyssum divinorum consiliorum intendebat, et in cursum pene omnem christianæ religionis et abdita mysteria pernoscebat, suas miserias non noscebat. Facilius ascendebat in cœlum quam in se descendebat; et qui super cœlestes globos niveo in lumine et illustri volitabat, in tenebris cordis cæcus errabat. Sed nimirum hoc nostri amantis sapientia Dei providit, ut timore sancto percelleremur, et cum Jobo viro mirifico vereremur omnes vias nostras, ne exsultantes nimis et securi, et blandissimis vitæ illecebris vitioque abrepti, in impietatem et ingrati animi crimen incideremus. Nunc autem in tam cæcis conscientiæ nubibus occultoque animi statu cum Davide Joboque gemimus, et ad pœnitentiam velut ad sacram anchoram confugientes, fluctuantem mentem stabilimus, et corde humili evocamus divinam bonitatem, ut parcat peccatis nostris.

Facilius cœlestia mysteria quam proprios defectus cognoscere.

Job vir tantus, quantum nobis cœli scribæ atque annalium monumenta dicunt, non saluti indormiebat suæ, nec exspectabat illud tempus ultimum, dum auctor universitatis atque Judex nigrum theta in commentario suo pingeret, sed abjectus coram Deo pœnitensque provolvebatur; cumque foret non pœnitentiæ modo, sed maximarum quoque aliarum virtutum coronis undique redimitus; cum tam puræ et innocentis conscientiæ, ut cor suum nunquam illum reprehenderet; cumque dicta factaque sua referri in librum peteret, ad æternam propositi sui et devoti animi memoriam : id enim ea verba ipsius volunt cap. XXXI, 35 : « Et librum scribat ipse qui judicat : » hic vir, inquam, simplex et rectus ac timens Deum, et quotidianis sacrificiis intentus, inter hussitas sanctimoniæ quoddam miraculum et exemplar; cum tamen apud se reputaret lucidum Dei oculum forte quiddam in se animadvertere, quod ipse non videbat, divinæ justitiæ et bonitati contrarium, anxius et mœrens obsecrabat cap. X, 21, dimitti se ut plangeret paululum antequam iret ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine, quo Judicem propitiare posset, et animi abjectione atque lacrymis illius mentem ad misericordiam et lenitatem commovere, ut parceret peccatis ejus.

Job semper de occultis sollicitus Deum propitiabat.

Accedit vero ad timorem nostrum augendum Peccati

Deus cognoscit in nobis ea quæ conscientiam nostram latent.

omnia in libro Dei exarata.

et incendendam pœnitentiæ vim, quod non a Deo, ut in humanis rebus fieri solet, ulla peccata nostra prætereantur aut deponantur e memoria, aut ignorentur; sed omnia tam habet in numerato, et tam clare et perfecte cognoscit, quam quæ oculis videntur, manu tanguntur. Quod ne cui obscurum esset in fidei rebus minus erudito, sacræ litteræ Deo grandem commentarium tribuunt, in quem delicta studiosissime et accuratissime referantur, minute omnia et sigillatim, vel ad ea condonanda, si homines pœniteat; vel punienda, si negligantur. Sic visus est prophetæ Ezechieli summus ipse judex inter angelos, quos habere vult satellites honoratos et fideles et administros justitiæ suæ, et his notis ab eo describitur *Ezech.* IX, 2 : « Et atramentarium scriptoris ad renes ejus; » quod exponens D. Hieronymus causam hanc reddit, « ut omnium peccata describeret : » ita Jeremias ait *Thren.* I, 14, iniquitates « in manu Dei convolutas : » id Vatablus in hunc modum interpretatur : Deus quibusdam notis peccata in manibus suis designavit, ut illorum recordetur. Pius Vates meo judicio *volumen* intelligit, quod more antiquo circum umbilicum convolvitur; in quod Deus atramento illo Ezechielis omnia hominum dicta, facta, cogitationes refert, et in sua manu, hoc est potentia divinitatis suæ et aperta scientia conservat, ne unquam excidant et obliterentur, sed semper sint in conspectu, et clarissime perfectissimeque legantur. Hoc ipsum innuit Isaias cap. LXV, 6 : « Ecce scriptum est coram me, non tacebo, sed reddam, et retribuam in sinum eorum. » Ad hæc adjungit novum symbolum Job ex hominum consuetudine promptum, quod mirifice inseruit ad rem penitus intelligendam : solent enim homines scripta quæ certa atque rata et fidem habere cupiunt obsignare, ne malitiosa ullius calliditate et excogitato artificio addatur aliquid aut dematur : sic Deum ait suos arcanos codicillos notis omnium maleficiorum distinctos et sedulo exaratos obsignare, cum subdit :

Deus habet velut in tabula bonorum et malorum nomina descripta.

batur : » sic ille. Habet etiam Deus memoriæ librum, sua diaria et ephemerides, in quibus accuratissime singulas hominum actiones notat; et quidem bonorum et malorum nomina in tabulis exscripta apud se habere, singulorum opera nosse, etiam gentiles novere, licet falsis nominibus id tribuerent. Pulchre Plautus in *Rud.* prolog. :

> Qui est imperator divum atque hominum Jupiter,
> Is nos per gentis alium alia disparat,
> Hominum qui facta, mores, pietatem et fidem
> Noscamus : ut quemque adjuvet opulentia,
> Qui falsas liteis falsis testimoniis
> Petunt, quique in jure abjurant pecuniam,
> Eorum referimus nomina exscripta ad Jovem :
> Quotidie ille scit quis hic quærat malum,
> Qui hic litem adipisci postulant perjurio,
> Mali res falsas qui impetrant apud judicem :
> Iterum ille eam rem judicatam judicat :
> Majore mulcta mulctat quam litem auferunt.

Deus non tantum describit, sed etiam obsignat peccata nostra.

Vers. 17. Regum memorialia qualia sint, et quæ in iis referantur.

17. SIGNASTI QUASI IN SACCULO DELICTA MEA : SED CURASTI INIQUITATEM MEAM. — Regum receptissimum fuisse morem, ut librum monumenti et memoriæ haberent, in quem referrent universas subditorum causas et rationes, beneficia atque insidias, ex sacris et profanis litteris apertissime constat, ne scilicet per oblivionem aliqua exciderent, et ne honesti labores justo præmio aut scelera digno supplicio carerent : hinc ministros a commentariis legimus in II *Reg.* VIII, 16, et III *Reg.* IV, 3, quorum munus erat ea monumentis consignare quæ notatu digna solebant accidere : hoc munus habuit Joahe, de quo Isaias, cap. XXXIII, 3 : « Joahe filius Asaph a commentariis, » ubi Oleaster : « In Hebræo, inquit, pro a *commentariis* habetur *a recordationibus*, qui res recordatione et memoratu dignas scriptis mandabat. Forte erat minister qui regem agendorum admonebat, et *recordator* dice-

Rationum nostrarum codicem Deus habet.

Sed relictis gentilibus ad nostros veniamus. Codicem et rationum librum in Dei manibus esse, quem suo tempore proferet, ut publice recitetur, eleganter habet S. Chrysostomus serm. *De Pseud. et jud.* : « Exspecta, inquit, ex cœlis venientem afferentemque rationum tuarum codicem et verba oris tui, ut coram angelis recitentur atque hominibus : » libri enim illi divini in magno judicio proferentur et decretorio illo die, quo, ut monet gentium Apostolus II *Corinth.* V, 10, ante Christi formidandum tribunal omnes stare oportebit : id perspicue dicit Joannes *Apoc.* XX, 12 : « Et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum. » Quæ et alia divinarum litterarum arcana monita probi omnes et salutis suæ amantes viri ante oculos habere solent, atque expendere ad necessariam cautionem; ut cum nullum Deo scelus tectum esse possit atque incognitum, mature obviam eant periculo suo, et peccata defleant, puniantque in se ipsi, ne deinde omni acerbitate ab æquo judice puniantur: abuntur enim sæpe homines indulgentissimi parentis omnium Dei humanissimique patientia, quod dissimulet peccata hominum, quod exspectet, quod longanimis et misericors in divinis oraculis prædicetur. Quod Tertullianus lib. *De Pat.* cap. II, eleganter expressit, cum ait Deum patientiam sibi suam detrahere, qua utitur in tolerandis sustinendisque sceleratis : « Plures enim, inquit, Dominum idcirco non credunt, quia sæculo iratum tamdiu nesciunt. » Fraus inimici illam menti caliginem inducit, ut aut nesciri prope sibi persuadeant scelus suum, aut oblitum esse Deum maleficiorum, neque unquam repetiturum rationem, aut ea nihili facere putent: hinc timor sanctus effluit ex animo, et impunitas quædam in scelere et audendi licentia dominatur. Fraudem dixi veteratoris importuni et crudelis, qui acerbo nos odio insequitur, et eo ipso abutitur ad timorem minuendum, quo nos uti debuissemus ad timendum : neque enim si non punit subito Deus, et

Abuntur homines longanimitate Dei.

Deus

http://www.obrascatolicas.com

cum non statim punit, tunc reservat iram suam quasi in thesauris aut sæculis.

impiorum hominum vecordiam scelestosque mores merito supplicio coercet, si manum sustinet telum vibrantem, jamque ad feriendum paratam, si carneas illas turres superbius se efferentes adversus potentissimi Numinis dominatum fulmine suo non evertit, ideo putandus est aut nescire impudentium homulorum insaniam, aut punire nolle. Reservat enim scelera Deus, et recondit in thesauris suis immensis, et quantum crescit cumulus facinorum innumerabilium, tanto ira fit Numinis potentior et acrior ad vindicandum; atque hoc est quod Job significat dum ait : « Signasti quasi in sacculo delicta me : » dicit *in sacculo*, ut procuratorem litium imitari videatur, qui varia causæ firmamenta in sacculo fert, et conservat ad convincendam improbitatem scelusque perdendum; vel *in sacculo* idem est quod in thesauro, juxta illud *Deut.* XXXII, 34 : « Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis? » Magnos iræ thesauros refertosque significat, quos improbi ingratique in Deum sibi accumulant, et, ut loquitur D. Paulus *Rom.* II, 5, thesaurizant, cum excusso omni timore divinæ bonitati illudunt, dum aculeos divinæ severitatis, qui reconditi sunt, excussos putant. Sed falluntur : nam justissimus scelerum vindex indignatur, et interea minas intentat, et reservat continetque iram suam prosilire cupientem ad impiorum malitiam conterendam.

Ira Dei dicta Hebræis reservatio.

Hinc factum, ut in divinis paginis ira Dei nominetur *reservatio*, et *irasci* in Deo sit idem quod *custodire:* sic apud Jeremiam cap. III, 5 : « Numquid irasceris in perpetuum? » in Hebræo est נטר *natar*, quod significat proprie *reservare*, custodire; itaque Pagninus vertit, *nunquid reservabis?* Tigurina, *numquid iram in perpetuum retinebis?* Consimili modo apud Nahum prophetam cap. I, 2 : « Et irascens ipse inimicis suis ; » proprie ex Hebræo vertit Regia, *reservans ipse inimicis suis*, videlicet iram, pœnam, supplicium, cum maturitas puniendi advenerit. Hanc vero pœnæ et ultionis dilationem magni supplicii loco deputavere sapientes, cum scirent fore aliquando, ut divina ira sic collecta, et abundantissime reservata, quasi rupto aggere vim furoris sui esset in impium caput effusura. Itaque S. Augustinus serm. 37 *De Verb. Dom.* nullam hic pœnam magnam esse pœnam existimavit, quod ut probaret : « Davidem, inquit, interroga, qui ait *Psalm.* IX, 4 : *Irritavit Dominum peccator :* quare hoc dixisti? vide quid sequitur : *Secundum multitudinem iræ suæ non quæret* : ideo nempe non requirit, quia multum irascitur, parcendo cædit : » hæc doctor sanctus, quem imitatus D. Bernardus serm. 42 *in Cant.* ait tunc magis irasci Deum, cum non irascitur. Hinc præstans illud axioma in sacris annalibus II *Machab.* VI, 13, quod reverenter D. Patres exceperunt, et proponere solent ad mortalium documentum : « Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est judicium. »

Ira Dei reservata gravior fit.

Deus parcendo pœnit atrocius.

Errant igitur vehementer, qui, quoniam fulminantem Numinis manum non sentiunt, ab se metum salutarem ejiciunt, et liberius in vitia se blanda ingurgitant. E contra prudentes omnino in Christo, et opinione mea sunt beati, qui in hac vita sedulo sanctæ pœnitentiæ exercitiis incumbunt, cum brevissimi temporis contentione atque pœna æternos luctus possint redimere : quantumvis enim Deus observet atque consignet peccata, id est thesaurum iræ, quo demens homo et futuri nescius aut contemptor divinum pectus oneravit; nihilominus patietur resignari sacculos illos sive thesauros a pœnitentia et lacrymis, et delicta suæ custodiæ eripi, ne jus in illa habeat divina severitas.

Peccata a Deo obsignata pœnitentia reserat et delet

Si igitur obsignat Deus velut in sacculo delicta nostra, obsignemus et nos veræ pœnitentiæ sigillo, ut ea obliteremus : tanta est enim pœnitentiæ vis, ut ea deleat quæ Deus scripsit. O nobile sigillum, quod animæ imaginem sceleribus deformatam suæ formæ restituit et nitori; magna pœnitentiæ virtus, quæ peccata abolere potest in Dei rationariis diligentissime notata : nulla peccata, licet gravissima illa sint, pœnitentia non delentur. Recte Arnoldus tract. *De Sept. verb. Dom. in cruce :* « Non arctatur numero, non clauditur fine, nullas omnino habet metas divina clementia : sit qui invocet, erit qui exaudiat : sit qui pœniteat, non deerit qui indulgeat. » Et Tertullianus lib. *De Pœnit.* cap. IV : « Omnibus delictis seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem veniam per pœnitentiam spopondit, » *q. d.* Obsignat diligentissime peccata, ut ea discutiat, et numeret, et libret, et puniat, si indiscussa reperiat. Divinam tamen severitatem non sentiet, qui se per pœnitentiam pietati divinæ sistit : id nempe valet illud quod Job hoc loco addit : « Sed curasti iniquitatem meam, » id est, propter pœnitentiam peccata mihi condonasti, et peccatorum vulneribus præsens remedium et opportunam medicinam adhibuisti, pœnam scilicet, quæ acre quidem, sed saluberrimum remedium est, quo Deus mederi solet iis, quos ab æterno cruciatu decrevit eripere : nulla enim est peccatorum morbis aptior et præsentior medicina quam pœna atque supplicium. Hac etiam ratione Christus peccatis nostris remedium exquisivit, et singularem medicinam fecit, tormentis videlicet et cruciatibus multis, quos ipse pertulit, ut auctor est Isaias dicens cap. LIII, 4 : « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit, vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra : livore ejus sanati sumus. » *Curasse* igitur *iniquitatem* suam Job dixit, quod tot tantasque ei pœnas imposuisset. Plura de hoc versu vide apud Aloysium Novarrinum toto lib. III *Sacror. Elect.*, qui ad hujus versus explicationem reducitur.

Pœna est peccati medicina.

Vers. 18 et 19.

18 et 19. MONS CADENS DEFLUIT, ET SAXUM TRANSFERTUR DE LOCO SUO. LAPIDES EXCAVANT AQUÆ, ET ALLUVIONE PAULATIM TERRA CONSUMITUR : ET HOMINEM ERGO SIMILITER PERDES. — Resumit eum quem interruperat sermonem de sua gravi infirmitate, qua se ad mortem properare omni prole orbatum deploraverat, suamque calamitatem pulchra similitudine exaggerat, q. d. *Primo*, o bone Deus quotidie videmus montem minutatim defluere, ita ut *Mich.* I, 4 ; « consumantur montes, et valles scindantur sicut cera a facie ignis, et sicut aquæ quæ decurrunt in præceps » similiter rupem, inter cujus rimas defluit aqua, sensim minui atque consumi, atque tandem deorsum ruere, lapidesque huc et illuc dispersos paulatim dissolvi, et aquarum madefactione successu temporis in pulverem redigi : quid mirum si ego misellus homo tot calamitatibus et miseriis oppressus contabescam penitus atque deficiam? Quam multæ civitates alluvione terræque motu subversæ fuerint, defluxerint, et terra in vastos discesserit hiatus, nostri instituti non est enarrare, illud tamen non est prætermittendum quod narrat Plinius lib. II cap. LXXXIII : Factum est, inquit, semel, quod equidem in Hetruscæ disciplinæ voluminibus inveni, ingens terrarum portentum. L. Marcio Sex. Julio Coss. in agro Mutinensi montes duo inter se concurrerunt crepitu maximo assultantes recedentesque, inter eos flamma fumoque exeunte, interdiu spectante e via Æmilia magna equitum Romanorum familiarumque et viatorum multitudine. Quo concursu villæ omnes elisæ, animalia permulta, quæ intra fuerant, exanimata sunt. Eadem refert Fulgosius lib. I *De Prodig.* Et illud quoque commemorandum, montes ablatos vel absorptos, vel in planum campum redactos : in Campano enim sinu mons Epopon, cum repente flamma ex eo emicuisset, campestri æquatus est planitie; et alio quodam terræ motu provolutis montibus insula Prochyta exstitit, teste Plinio lib. II, cap. LXXXVIII. Quibus accedit quod idem Plinius tradit lib. II cap. XCI. montes absorptos atque a terra devoratos, Cybotum scilicet altissimum montem cum oppido Curite, Sipylum montem in Magnesia, atque in Æthiopia Phegium jugum excelsissimum. Id accidit etiam Leonis imperatoris tempore quod scribit Evagrius lib. II, cap. XIV, ex prisco ejus temporis historico : Constantinopoli et in Bithynia adeo ingentes pluvias ad tres aut quatuor dies exstitisse, instarque fluviorum de cœlo præcipitatas, insuperque montes illarum violentia in planitiem fuisse depressos una cum pagis, quod etiam tradit Nicephorus lib. XV, cap. XX. Plura istiusmodi exempla vide apud Majolum in *Dieb. Canic.* coll. de mont.

Omnia successu temporis intereunt, etiam saxei montes.

Prodigiosa montium collisio.

Montes absorpti et in planitiem redacti.

Pes etiam corruunt.

ET SAXUM TRANSFERTUR DE LOCO SUO. — Hæc est *secunda* similitudo, rupis videlicet, quæ non fluit ut mons argillosus, sed loco suo dimovetur, quando per ejus scissuras et rimas aqua paulatim transiens, et partes ejus ab invicem dividens atque dissolvens, saxa ab alto deorsum et in præceps ruere cogit; unde facile videre est, vocem originalem צור *tsur* non pro alio hic sumi quam pro *rupe*, quæ a *rumpendo* latinis sic dicitur, Græcis vero ἀποῤῥῶξ, id est *abruptus*. *Tertia* similitudo desumpta est a durissimis lapidibus, qui successu tamen temporis a mollis aquæ stillicidio sensim sine sensu excavantur, juxta illud tritum sermone proverbium,

Aqua etiam lapides excavatur.

Gutta cavat lapidem non vi, sed sæpe cadendo.

In Græco est :

Πέτραν κοιλαίνει ῥάνις ὕδατος ἐντελεχείᾳ.

Id quod eleganter quoque Ovidius cecinit :

Quid magis est durum saxo, quid mollius unda
Dura tamen molli saxa cavantur aqua.

Quo significatur nihil esse tam durum quod non emolliat, nihil tam arduum quod non efficiat assiduitas : quandoquidem stilla aquæ, nimirum res tam tenuis ac levis, saxum etiam durissimum exhauriat, quod vix ferro possis evincere. Idem quoque *quarta* similitudo confirmat ab aquæ alluvionibus petita, quibus terra paulatim absumitur dum frequenter alluitur. Quæ omnia Jobus in hunc finem attulit, ut Deum ad sui miserendum permoveret, ne porro tam duris et diuturnis ipsum cruciatibus exercitum pessumdaret : nam etsi vulnera quæ patiebatur tam gravia non fuissent, ipsa tamen assiduitate vel saxeam duritiem consumere potuissent.

Perditio humana cadenti monti, saxo translato, et excavato, etc. comparatur.

Tropologice S. Gregorius lib. II *Moral.* cap. XIII : « Quid, inquit, est hoc, quod cadenti monti et saxo translato, quod excavato lapidi, et per alluvionem terræ consumptæ, perditio humana comparatur, nisi hoc quod patenter datur intelligi, quia duo sunt genera tentationum? Unum quod in mente etiam justi hominis per repentinum eventum agitur, quatenus sic subito tentetur, ut hunc inopinato proventu concutiat et prosternat, casumque suum non nisi postquam ceciderit videat. Aliud vero quod paulatim venit in mentem, et resistentem animum lenibus suggestionibus inficit, et omnes in eo vires justitiæ non nimietate sua, sed assiduitate consumit. Quia ergo alia est tentatio quæ justos plerumque subita invasione prosternit, dicatur : *Mons cadens defluit, et saxum transfertur de loco suo*, id est, mens sancta, cujus locus justitia fuerat, impulsu subito transfertur ad culpam. Rursus, quia alia est tentatio, quæ se cordi hominis lenitur infundit, omnemque duritiem fortitudinis consumit, dicatur : *Lapides excavant aquæ*; quia videlicet duritiam mentis absorbent assidua et mollia blandimenta libidinis, et lentum atque subtile vitium corrumpit durum et forte propositum mentis, » etc. Vide hæc pluribus loco citato apud S. Gregorium exemplis confirmata; ubi utriusque tentationis, scilicet su-

Duplex genus tentationis.

http://www.obrascatolicas.com

bitæ et immensæ, nec non lentæ ac diuturnæ naturam eleganter expendit et quasi ob oculos ponit.

Vers. 20. 20. ROBORASTI EUM PAULULUM UT IN PERPETUUM TRANSIRET : IMMUTABIS FACIEM EJUS, ET EMITTES EUM, — id est hac lege vitam homini et robur das, ut perpetuis alterationibus continuo immutetur, ac tandem moriatur, et ex hac vita in aliam emittatur; quod facillimo negotio efficis, nempe immutando faciem ejus, id est inducendo vultui ejus adeoque toti corpori alium colorem, puta pallidum, cinericeum, cadeverosum; hinc viri sancti corpus suum esse terram aut cinerem putant colorata pellicula involutum, quem in deposito habent, ut terræ cinerique reddatur. Ita quidem in antiquo epitaphio *vas cinerum* homo dicitur a magno, quicumque ille fuit, sapiente et Uraniæ alumno, qui carmen edidit :

Vita hominis variabilis et ad interitum prona.

Homo vas cinerum.

Dic homo vas cinerum, quid confert flos facierum?
Copia quid rerum? mors ultima meta dierum.

Fuit notabilis christianorum Æthiopum consuetudo apud quod majoris ordinis antistitibus, ut tradit Sabellicus lib. IV, cap. IV, non crux modo, verum etiam vas aureum terra plenum præferri solebat, ut hoc inspectum homines admoneret suæ mortalitatis. Abrahamus quantus vir Deus bone! qui in schola Dei perfectionem didicerat, (est enim summi illa Magistri clarissima vox *Gen.* XVII, 1 : « Ambula coram me, et esto perfectus) Abrahamus inquam non mysticum illud vas cineribus refertum ante se ferri jubebat, sed intimo in animo circumferebat, cum audiente Numine, *terram* se atque *cinerem* profiteretur. Quæ verba D. Cyrillus Hierosolymitanus in *Catech.* 6 expendens : Non dixit tantum, inquit, *terram*, ne seipsum magnum elementum terram appellare videretur; sed addidit, *cinerem* se esse, ut abjectissimam humilitatem et imbecillitatem suam ostenderet, cum cinere nihil sit levius atque exilius. Illi omnes in vas illud cinerum mentem et oculos intendentes nihil causæ esse videbant, cur nimiam illi curam providentiamque tribuerent, quod mox spargendum ad Libitinæ ludibrium sciebant : hinc lucent adhuc in eorum vita et proditis monumentis hujus rei clara vestigia : etiamnum exaudiuntur eorum vota atque suspiria, hinc quam celerrime evolare cupientium, cum in dies peregrinationis suæ finem opperirentur. David languebat in ea cogitatione, carne deficiebat, animam in manibus suis ponebat, et fugere cupiens e puticulis humanæ vitæ, e concupiscentiæ regno et hoc vitiorum dominatu, comploratione et lamentis conclave interius complebat *Psalm.* CXIX, 5 : « Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est ! » quod aliqui ex Hebræo ita vertunt, *hei mihi quia peregrinor in exsilio!* seu *peregrinatione protractionis*, aut *durationis*, hoc est diuturna, cum illi omnis mora nimia videretur. Tum animum intendens in beatissimam illam patriam, ubi sedes piorum sunt, et perennis in omnium affluentia bonorum securitas, velut jam primo in limine hæreret candidatus æternitatis, voto grandi et flammeo desiderio exclamat *Psalm.* LXXXIII, 1 : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. »

Abraham seipsum terram et cinerem vocat.

Fii nihil optant magis quam hinc excedere.

Paria cum purpureo Vate sentiunt alii quoque divinæ mentis internuntii prophetæ, si quando in eum sermonem delabuntur : a quibus sumunt, opinor, theologiæ profanæ mystæ et principes eruditionis curiosi, e quorum numero Plato, unus facile omnium consensione doctissimus, in *Axioch.* clare dixit, vitam nostram esse παρεπιδημίαν, quamdam *peregrinationem* ; idque vocat κοινὸν καὶ ὑπὸ πάντων θρυλλούμενον, *communem et jactatam apud omnes sententiam.* Ecphantes item pythagoræus apud Stobæum *Serm.* 46, homines ingeniosissime nuncupat ἀπῳκισμένον χρῆμα, *puros putos exsules*, rem peregrinationi simillimam, expressam imaginem proscriptionis; quæ doctrina salutaris post adventum Servatoris maxime viguit, cum apostoli ut tubæ cœli argenteæ sonos magnificos et beatos in omnem orbem miserunt; in quorum monitis et commentationibus gloriosis frequentius nihil fuit quam nos in mundo esse peregrinos, cum quo nobis nihil commune esse oporteat. Loca ipsorum multa et illustria cum sint in promptu, et manibus teneantur, nihil est opus me proferre sigillatim. Ab iis sumens potius quam a Platone Clemens Alexandrinus lib. VII *Strom.*, de laudatis perfectisque hominibus agens : « Is, inquit, revera est totius ξένος καὶ παρεπίδημος, *hospes et peregrinus* in omni vita, qui in civitate habitans contemnit ea quæ in civitate sunt, et quæ alii mirantur : » ita martyr Justinus epist. *ad Diog.* christianorum vitam pingens illud scite et rotunde posuit, πᾶσα ξένη πατρίς ἐστιν αὐτῶν, καὶ πᾶσα πατρὶς ξένη, *omnis peregrina regio patria eorum est, et omnis patria peregrina.* Hinc B. Macarius non dubitat pronuntiare, mysterium christianismi ξένον εἶναι τοῦ κόσμου, *peregrinum veluti esse atque alienum ab hoc mundo.* Magni omnino refert ea nos imbui cogitatione, idque alte insidere omnium animis, ut a vitæ voluptate velut a noxiis uberibus avellamur, atque amorem disjungamus. S. Chrysostomus *in Psalm.* CXIX, scribens ait hanc esse πρώτην καὶ ἀρίστην διδασκαλίαν, *doctrinam optimam atque adeo primam*, scire nos esse inquilinos in præsenti vita, idque antiquos fuisse professos, ideoque habitos in maxima admiratione : idem *in Psalm.* XLIV vitam nostram vocat πανδοχεῖον, *tabernam* meritoriam ad brevissimi temporis commorationem, ut celerrimus vitæ cursus non aliud quam sobrii peregrini transitus quidam esse videatur. Itaque S. Ambrosius cum expendit illud regii Prophetæ oraculum *Psalm.* XXXVI, 23 : « A Domino gressus hominis dirigentur, » subtiliter animadvertit, in Græco non esse *gressus*, sed διαβήματα, *transitus*: tum sapienter unumquemque monens : « Transi

Vita hæc peregri.

Sancti se hic peregrinos putant.

ergo, inquit, noli cessare sicut bonus viator; » subdit hanc vitam esse *exodum*, atque in exodo admirabilia multa illis ostendi qui transeunt. Quod S. Moysi contigerit, qui de se aiebat *Exod.* III, 3 : « Transiens videbo visionem hanc magnam. » Atque ut videamus magnos viros, Ecclesiæ præceptores, eodem spiritu afflatos, eamdem vitæ viam tenuisse, idem mortales monuisse, D. Basilius *in Psalm.* XIV proprium esse boni viri dixit παροδεύειν τὸν βίον, *more hospitis vitam hanc transire;* et ea causa vivendi curriculum a præstantissimis veteris ævi luminibus nominari *incolatum*, hoc est διαγωγὴν πρόσκαιρον, *habitationem temporariam*, ut intelligamus, inquit, vitam nostram esse παροδικὴν, *transitoriam*, brevem, mutabilem, et peregrinorum jactationem, atque ad constantem illam et æternam tendere omnes oportere.

Vers. 21. 21. SIVE NOBILES FUERINT FILII EJUS SIVE IGNOBILES, NON INTELLIGET. — Hebræus textus habet, *multi sunt filii ejus, et nescit: minuuntur, et non intelligit de iis;* Græci quoque hunc sensum secuti sunt, quem Septuaginta exprimunt his verbis, πολλῶν δὲ γενομένων τῶν υἱῶν αὐτοῦ οὐκ οἶδεν· ἐὰν δὲ ὀλίγοι γένωνται οὐκ ἐπίσταται, *cum autem multi fuerint filii ejus nescit : si vero pauci fuerint ignorat,* nam in morte nullius rei notitia vel scientia est : quocirca sepulcrum *terra oblivionis* vocatur, quod in eo rerum omnium obliviscamur, ut veteres de Lethes fluvii aqua fabulantur. Virgilius VI *Æneid.*:

Lethæi ad fluminis undam
Securos latices et longa oblivia potant.

Quomodo mortui non curent res mundi.

Sensus Jobi est, ea quæ ad præsentem vitam pertinent, quantumvis chara et amabilia, qualis est proles longaque posteritas, a mortuis minime curari aut sciri, cum tamen e contrario dum vivunt nequeant non curare quæ dolorem ingerunt, et statum ærumnosæ vitæ deflere, *q. d.* Optabiliorem esse ex hoc capite mortem, quæ caris eximit hominem, quem calamitosa hæc vita multiplici sollicitudine discruciat.

Porro illud *non intelliget* de naturali cognitione accipiendum, nam, juxta S. Thomam I *Quæst.* LXXXIX, art. 8, animæ separatæ secundum naturalem cognitionem nesciunt quæ in hac vita geruntur; possunt tamen curam gerere viventium, licet eorum statum ignorent; possunt quoque quæ hic aguntur nosse per animas eo migrantes, per angelos, per dæmones, et per Dei ipsius revelationem : quocirca mens Jobi de propriis animæ viribus accipienda, per quas vita functus minime intelligit neque curat, eo scilicet modo quo res distincte cognitæ in hac vita curari solent, ut status discrimen exposcit. Quod vero beatorum animæ in cœlis exsistentes ea quæ hic geruntur agnoscant, id gratiæ divinæ adscribendum est.

Vers. 22. 22. ATTAMEN CARO EJUS DUM VIVET DOLEBIT, ET ANIMA ILLIUS SUPER SEMETIPSO LUGEBIT : — anima enim quamdiu in hoc corpore vivit multis passionibus et angoribus obnoxia est, ita ut huic vitæ miseræ merito præferenda videatur mors a passionibus libera et quieta : nam ut externa omnia incommoda deessent, quod fieri tamen vix posse videtur, non deerunt certe intestina et veluti domi nata, in quibus vitæ satur et multiplicium incommodorum quilibet exclamet cum S. Jobo cap. VII, 20 : « Factus sum mihimetipsi gravis. » Sunt enim inter homines rarissimi, qui non iis quæ eveniunt quotidie graviter animo afficiantur, qui præsentibus non doleant, metu futuri angantur, quos melancholia et animi perturbationes non affligant, qui dictis factisque alienis non turbentur, qui non corporis aliquam infirmitatem sentiant, quæ pungat, et indigere curatione videatur. Cæterum S. Gregorius lib. XII *Moral.* cap. XIII, locum hunc de venerea libidine exponit, quæ tanto plus molestiæ facescit et doloris adfert, quanto quis illi magis indulget : alia enim pleraque peccatorum genera cito satiant, atque ipso usu hominem a se avertunt; sed libido usu ipso irritatur, et majores ex seipsa vires capit, quamobrem « caro ejus (qui deditus est libidini) dum vivit (id est, dum petulantiam exercet, ac libidine defluit) dolebit (id est, majores stimulos patietur in dies) : quoniam hi majores tribulationes ex carne suscipiunt qui carnis voluptatibus delectantur, » inquit S. Gregorius, qui id ipsum confirmat Apostoli auctoritate dicentis I *Cor.* VII, 27 : « Tribulationem tamen carnis habebunt ejusmodi, » ubi expende quibus tribulationem carnis accinat, nempe his qui matrimonium contraxerunt, quia licet hi qui spiritualiter vivunt, et castimoniam professi sunt, etiam carnis stimulos vel inviti patiantur; majori tamen pruritu urgentur illi qui veneri indulgent et feminarum commercio utuntur.

In hac vita non potest desse miseria.

Caro libidinosi dum vivit dolebit.

http://www.obrascatolicas.com

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliphaz arguit Jobum superbiæ, impatientiæ et blasphemiæ in Deum; in cujus oculis dicit neminem mundum aut innocentem inveniri : describit deinde impiorum hypocritarum multiplicem nequitiam, terrorem, pœnam et maledictionem.

1. Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit : 2. Numquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens, et implebit ardore stomachum suum ? 3. Arguis verbis eum qui non est æqualis tibi, et loqueris quod tibi non expedit. 4. Quantum in te est, evacuasti timorem, et tulisti preces coram Deo. 5. Docuit enim iniquitas tua os tuum, et imitaris linguam blasphemantium. 6. Condemnabit te os tuum, et non ego : et labia tua respondebunt tibi. 7. Numquid primus homo tu natus es, et ante colles formatus? 8. Numquid consilium Dei audisti, et inferior te erit ejus sapientia. 9. Quid nosti quod ignoremus? quid intelligis quod nesciamus? 10. Et senes et antiqui sunt in nobis, multo vetustiores quam patres tui. 11. Numquid grande est ut consoletur te Deus? sed verba tua prava hoc prohibent. 12. Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? 13. Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo hujuscemodi sermones? 14. Quid est homo, ut immaculatus sit, et ut justus appareat natus de muliere? 15. Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus. 16. Quanto magis abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem? 17. Ostendam tibi, audi me : quod vidi narrabo tibi. 18. Sapientes confitentur, et non abscondunt patres suos. 19. Quibus solis data est terra, et non transivit alienus per eos. 20. Cunctis diebus suis impius superbit, et numerus annorum incertus est tyrannidis ejus. 21. Sonitus terroris semper in auribus illius : et cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. 22. Non credit quod reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium. 23. Cum se moverit ad quærendum panem, novit quod paratus sit in manu ejus tenebrarum dies. 24. Terrebit eum tribulatio, et angustia vallabit eum, sicut regem qui præparatur ad prælium. 25. Tetendit enim adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est. 26. Cucurrit adversus eum erecto collo, et pingui cervice armatus est. 27. Operuit faciem ejus crassitudo, et de lateribus ejus arvina dependet. 28. Habitavit in civitatibus desolatis, et in domibus desertis, quæ in tumulos sunt redactæ. 29. Non ditabitur, nec perseverabit substantia ejus, nec mittet in terra radicem suam. 30. Non recedet de tenebris : ramos ejus arefaciet flamma, et auferetur spiritu oris sui. 31. Non credet frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit. 32. Antequam dies ejus impleantur, peribit : et manus ejus arescent. 33. Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus, et quasi oliva projiciens florem suum. 34. Congregatio enim hypocritæ sterilis, et ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. 35. Concepit dolorem, et peperit iniquitatem, et uterus ejus præparat dolos.

Vers. 1 et 2. 1 et 2. RESPONDENS AUTEM ELIPHAZ THEMANITES DIXIT : NUMQUID SAPIENS RESPONDEBIT QUASI IN VENTUM LOQUENS, ET IMPLEBIT ARDORE STOMACHUM SUUM? — Notandum hic cum Bolducio, rationem et seriem in hac disputatione servatam esse perquam accuratam non solum circa subjectum et dicendi materiam, sed etiam quoad disputantes : materiæ quidem ratio habetur et ordo in hoc, quod sicut Job in principio ultimæ responsionis, quæ a cap. XII cœpit, per quatuor primos versus Sopharem et socios ignorantiæ ac popularis doctrinæ nec non malitiæ reprehenderat, eo quod

Quæ sit series hujus disputationis.

ab eis stolidus haberetur, quia ad Deum sermonem suum lamentationemque converterat : ita nunc Eliphaz ab eodem capite respondendi ducit exordium Jobi ignorantiam elevando, quasi nihil alicujus ponderis ulliusve momenti attulerit. Decorum vero atque inter disputantes hic ordo servatur, ut uno loquente cæteri taceant; et alter alteri vicissim tempus concedat disserendi. Horum porro trium amicorum cum Jobo disputationis tres fuerunt veluti sessiones; quarum *prima* incipit a cap. IV usque ad hoc XV; *secunda* vero a XV usque ad XXII; *tertia* denique a XXII usque ad XXXI inclusive, in cujus fine dicitur : « Finita sunt verba Job, » ut notum sit tibi disputationem cum amicis terminari : nam statim incipit caput XXXII hoc modo : « Omiserunt autem tres viri isti respondere Job, » etc. In unaquaque autem harum sessionum talis ordo ubique servatur, ut Eliphaz primus, Baldad secundus, Sophar vero tertius loquatur, et quilibet pro suis sociis velut in solidum respondeat, ut modo patet : Sopharis enim defensionem contra Jobum manifeste assumit Eliphaz cum quadam acrimonia dicens : « Numquid sapiens (qualis esse et videri vis) respondebit quasi in ventum loquens? (id est pro seriis reddet vana et impertinentia responsa? idque cum) ardore (seu ira) stomachi, » id est mentis et animi sui? sicut enim stomachus cibum concoquit digeritque, ita mens verba rationesque excogitat, ponderat et designat.

Tres sessiones sunt in disputatione amicorum cum Jobo.

Quilibet amicorum pro sociis causam dicit.

Objecerat superius Job cap. VI, 26, amicis suis quod in ventum verba proferrent : quo dicto, uti apparet, vehementer offensus Eliphaz, tanquam gravem injuriam digestu difficilem, quam concoquere nondum potuerat, iisdem plane verbis in Jobum regerit ac retorquet. Est autem locutio proverbialis ducta metaphora a titivillis, floccis, glumis et similibus, quæ quod nullius ponderis sint, a vento auferuntur. Sic ergo capiendum est adagium hoc : *In ventum loqui*, ut idem sit quod, vaga, frivola, inutilia, otiosa proferre : quæ ut ἀνεμώλια, irrita et inania a ventis rapiantur, et instar levium rerum nulliusque frugis intereant. Eodem sensu apud Jeremiam cap. V, 13 : « Prophetæ fuerunt in ventum locuti : » tale est et illud Pauli I *Corinth.* XIV, 9 : « Eritis enim in aera loquentes; » et Plautinum : « Austrum perculi; » et Græcum, αἰγιαλῷ λαλεῖς, *littori loqueris*; et apud Suidam, ἀνέμῳ διαλέγῃ, *vento ratiocinaris*. Claudianus : « Mandare Noti flabris » dixit *De Bell. Gildon.*, pro mandare oblivioni; Plautus : « Fabulari vento. » Virgilius lib. IX *Æneid* :

Proverbium : *In ventum loqui.*

Multa patri portanda dabat mandata; sed auræ
Omnia discerpunt, et nubibus irrita donant.

Et libr. VI :

Foliis tantum ne carmina manda,
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.

Et lib. XI :

Audiit, et voti Phœbus succedere partem
Mente dedit, partem volucres dispersit in auras.

Sane *ventosa* vulgo dicuntur verba sonantia atque immoderatius inflata, in quibus nihil est ponderis, nihil sensus, quæ strepitu terrent, non tamen feriunt; et *ventosa lingua*, quæ grandia prædicat, fallacibus tantum inflata verbis, et manifestis consuta mendaciis : sic *ventosam* Drancis linguam appellavit Turnus, qui cum timido et imbelli animo esset, grandia tamen de bello resonabat, de quo Virgilius lib. XI :

Ventosa lingua et verba quæ.

An tibi Mavors
Ventosa in lingua pedibusque fugacibus istis
Semper erit?

Eadem S. Augustinus tom. I, lib. III *Contra Acad.* cap. VII, habet; ubi ait, inania quædam et ventosa verba collegisse Tullium, quæ a Græculorum levitate non abhorrent; qui sibi prima quæque atque amplissima arrogant. His ergo verbis Eliphaz *insipientem* appellat Jobum, cujus oratio nullum habeat usum, nisi ut aerem verberet, et ab illo in omnem partem dissipatus evanescat. Quod autem addit,

ET IMPLEBIT ARDORE STOMACHUM SUUM, — aliud Jobo peccatum objicit, quod in sapientem cadere non putat, quia excandescit cum arguitur, et altercanti secum aut admonenti cum stomacho et indignatione respondet. Quæ sane sententia verissima est, et Spiritus Sancti oraculo confirmata, sic enim monet Sapiens *Prov.* IX, 7 : « Qui erudit derisorem ipse injuriam sibi facit : et qui arguit impium sibi maculam generat. Noli arguere derisorem, ne oderit te : argue sapientem, et diliget te : » verissima, inquam, est hæc sententia, minus tamen ad rem facit, quia in mores et orationem Jobi nullo modo cadit. Cæterum *ardore stomachum implere* nihil est aliud quam furorem animo concipere, et intus æstuare, idque agere ac cupere, ut acerbitatis virus in molestum hominem aut in monitorem parum opportunum erumpat. Stomachus autem, sicut etiam venter, in Scriptura sacra pro *corde* aut etiam *animo* sumitur : quare dum æstuare aut ardere dicitur stomachus, nihil dicitur aliud quam animum furore aut furorem in animo inflammari : ita Sanctius noster. Pro verbo autem *ardore* in Hebræo legitur קדים *kadim*, hoc est *Eurus*, qui est ventus ab ortu flans, rapidus, præceps, indomitus, adeoque calidus, ut in nonnullis regionibus quasi halitu flammeo fructus adurat : quocirca significanter admodum ab interprete Vulgato pro קדים *kadim* versum est *ardore*. Atque in re præsenti implere stomachum ardore perinde erit ac implere animum indignatione rapida, indomita, qua postquam conflagravit animus verba ignita et aculeata jaculatur.

Quid sit ardore stomachum implere.

Vers. 3. 3. ARGUIS VERBIS EUM QUI NON EST ÆQUALIS TIBI, ET LOQUERIS QUOD TIBI NON EXPEDIT. — Probat id quod dixerat, Jobum arroganter atque ventose fuisse locutum, quia videlicet cum Deo audebat disceptare, qui longe atque adeo infinitis modis et teme-

Eliphaz Jobum arguit audaciæ et teme-

http://www.obrascatolicas.com

ritatis. illo esset præstantior potentiorque, quem Job non semel visus est incusasse, quasi supra innocentium merita supplicium imponeret. Audacis profecto et insipientis animi est inire cum potentiore certamen, et inde gloriam captare, unde manifesta paratur ignominia. Porro pugnare cum Deo velle, et cum eo injuriarum agere, quasi minus æquus fuerit, et pœnas ab insontibus exigat indebitas, id vero etiam impietatis est, et violatæ religionis exsecrandum facinus, quod nullo modo homini potest esse ex usu. Verum cum Eliphaz Jobi mentem minime assequeretur, quæ longe ab impietate atque insolentia aberat, in eam partem accipiebat, ut nihil sanum ac pium in Jobi cogitationibus ac verbis agnosceret. Accedebat præterea dæmonis in Jobum inflammata rabies, qua avidissime in illius exitium ferebatur, quæ persuadebat nimium credulis tribus hisce viris audacem esse Jobum et impium, dignumque quem verborum acerbitate compungerent. Quod ergo Job simpliciter et omni cum humilitate coram Deo, ut ab eo scire posset quam ob causam sic affligeretur, protulit, hoc in malam partem Eliphaz et socii interpretantur; quemadmodum ex eo quod subjungit manifestum est :

Eliphaz non bono zelo contra Jobum movetur.

Vers. 4. 4. QUANTUM IN TE EST EVACUASTI TIMOREM, ET TULISTI PRECES CORAM DEO. — Non modo significat Jobum abjecisse Dei reverentiam, et suas abstulisse preces; verum etiam pro virili sua exemplo illo egisse, ut ex aliorum animis omnis Dei cultus et pietas exciderent : quia scilicet (ut Eliphaz quidem interpretatur) Job non orabat Deum, sed audacter cum eo disceptabat, quasi qui innocentes opprimeret; unde consequenter ait Jobum tollere piam et justam Dei providentiam, et per consequens ejus timorem, cultum et preces. Objicit hoc loco Eliphaz Jobo sane gravissimum incommodum, sed quod minime consequatur ex iis quæ Job affirmaverat : non enim tollit *timorem* is, qui conscientia timoris ac pietatis maximæ, qua Deum coluerat, suam causam apud eum dicere non dubitat; neque *preces* abjicit, qui conscientia, bene actæ vitæ, cum qua preces, ut honestæ sint, debent esse conjunctæ, fiduciam ad Deum habet. Maximum enim adjumentum est corroborandæ nostræ spei atque excitandæ bona conscientia, quare sacræ litteræ fundamentum quoddam solidum fiduciæ nostræ in sceleris vacuitate innocentiaque reponunt : diserte charus Deo Joannes monet I *Epist.* III, 10 : « Si cor nostrum non reprehenderit nos fiduciam habemus ad Deum. » Si tuta placidaque est conscientia, si nulla synteresis immurmurat, si mens in recessus et latebras animi contuens nihil videat quod divinæ legi voluntatique repugnet; oritur illa dulcis et jucunda fiducia propria filiorum Dei, et tristibus in rebus atque deploratis vadimus ad bonum et amantissimum genitorem, et depressum animum et ægrum attollimus certa spe opis et humanitatis. Cæterum Eliphaz sinistra semel de Jobo concepta opinione, quidquid ipse bonæ conscientiæ testimonio fretus summa cum fiducia in tantis doloribus apud Deum querebatur, sinistram omnino in partem interpretabatur ideoque acerbissimis ipsum verbis excipere porro pergit.

Eliphaz male Jobum arguit impietatis.

Bona conscientia fiduciæ fundamentum.

Vers. 5. 5. DOCUIT ENIM INIQUITAS TUA OS TUUM, ET IMITARIS LINGUAM BLASPHEMANTIUM. — Iniquitas autem dicitur *docuisse*, hoc est instruxisse os, ut conceptas blasphemias horrendis verbis depromeret, quasi nequiret eas proferre nisi sub pessimo illo internæ impietatis magisterio. Possunt etiam Eliphazi verba duplicem hunc sensum admittere, *q. d.* Quia mala mente es verba tam arrogantia facis, sicut Christus dixit *Matth.* XII, 33 : « Ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona : et malus homo de malo thesauro profert mala. » Vel aliter : Ex verbis oris tui cognoscitur iniquitas tua, nec judice alio opus est quam ore tuo, sicut Christus etiam dixit *ibid.* XXXVII : « Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis; » et Ecclesiastes cap. X, 12 : « Labia insipientis præcipitabunt eum; » quam sententiam Septuaginta intellexerunt ita convertentes, ἔνοχος εἶ ῥήμασι στόματός σου, *reus es verbis oris tui*. Sed in quamcumque partem accipiantur, non conveniunt in Jobum, non enim iniquitate imbutus istiusmodi verba fecit, sed optima conscientia teste, uti mox dicebamus, cujus gravissimum testimonium est : ita Stunica, qui in sequentibus verbis : « Imitaris linguam blasphemantium, » vel, ut in Hebræo est, *astutorum*, et in Græco δυναστῶν, *potentium*, conjicit Eliphazum allusisse ad eos qui turrim Babel ædificarunt, quo se a Deo, si terram iterum inundatione evertere voluisset, defenderent; qui Deo resistere et repugnare velle videbantur. Dixerunt enim, ut narratur in Genesi cap. XI, 4 : « Venite, faciamus nobis civitatem et turrim, cujus cacumen pertingat ad cœlum; » qui Deum ita offenderunt, ut ob eam rem eorum sermones sic confunderet, ut alius alium non intelligeret. Hi quidem *blasphemi* erant, cum tantum Deo detraherent, ut humanis opibus ei se resistere posse putarent : erant etiam *versuti* et *sapientes*, ut Christus dicit, sæculi hujus, cum tam callidum susceperint consilium : erant et *potentes*, quod rem tantam moliebantur. Quos Eliphaz Jobum imitari dicit, quia cum Deo contendere et disceptare volebat; sed longe aliud est opibus, potentia et industria sua connixum velle quemquam Deo resistere; aliud est optimorum consiliorum conscientia fretum, quæ lege Dei atque ob eam rem cum Deo ipso connititur. Dei autem præsidio munitus qui fuerit Deo resistere potest : ita enim Christus Deo repugnavit vehementer hominibus irato, et in semetipso nos Deo reconciliavit : ita Moyses *Exod.* XXXII, 10, se pro populo Israelitico opposuit Deo, et avertit indignationem ejus ab eis : ita Jacob *Gen.* XXXII, 24, cum Deo luctans, quæ res magnis mysteriis

plena est, illius benedictionem extorsit, qua deinde fretus omnium inimicorum vim superarit.

Lingua astuta ut dicatur blasphema.

Cæterum hic posset quæri, quare id quod Hebræus legit *linguam astutorum*, Vulgatus transtulerit *linguam blasphemantium*, tanquam si idem sit lingua astutorum sive duplicium, et lingua blasphemantium : ergone astutia et duplicitas blasphemia dicitur? quid commune habet duplicitas cum blasphemia? Porro astutia et duplicitas adulterata verba sunt, mentitus vultus, infida opera, et cor aliud; blasphemia vero est temerarium verbum adversus divinitatem, aut forte opera verborum vice Deo contumeliosa; ergo astutia non est blasphemia. Est tamen, est omnino, nam, ut recte ait Basilius Seleuciæ *Orat.* 2 : « Operum perversitate in Deum contumeliosi sumus : » tantæ malitiæ perversitas contumelia est Dei : monstrum est unum esse, et simul non integrum, et multiplex; et contumelia est factoris, et blasphemia in Deum ejusmodi monstrum; unde homo duplex seu astutus jure merito blasphemus et sacrilegus nuncupatur.

Vers. 6. 6. CONDEMNABIT TE OS TUUM, ET NON EGO : ET LABIA TUA RESPONDEBUNT TIBI. — Non opus est, inquit, extrinsecis argumentis ut te refellam, verba quippe ipsa tua te insolentiæ, ac impietatis convincent : quis enim crimen esse non cognoscet, Deum ad disceptationem provocare, in judicium omnium judicem convenire? Quæ cum tu labiis proferre et ore jactare audeas, os tuum et labia tua pro testimonio dicent in crimen te maximum incurrisse, sicut Christus dixit *Luc.* XIX, 22 : « De ore tuo te judico, serve nequam, » quæ criminis illatio pondus haberet maximum, nisi rectæ voluntatis conscientia staret a Jobo, cui lex Dei, quæ debilitari non potest, præsidio est. Notat Maldonatus noster *in Matth.* cap. XII, hanc fuisse proverbialem phrasim apud Hebræos, qui illam usurpasse videntur, quando aliquem de tam atroci crimine convincere volebant ex ejus ore, ut ei præ enormitate illud objicere nemo auderet, quemadmodum summus pontifex cum Christum interrogasset, et respondisset se esse Filium Dei, statim dixit *Luc.* XXII, 71 : « Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus ex ore ejus : » ita nunc Eliphaz volens inferre Jobum orasse paganorum et blasphemantium more per futurum potentiale ait : Loquela tua manifestum te facere potest; nollem unquam a meipso tantam tibi objicere injuriam, nisi ex ore tuo ipsi audivissemus modum orandi Deum, quo uteris, qui paganorum potius est et blasphemantium Deum, quam fidelium et eorum qui verum Deum colunt. Porro ex eo quod Theophylactus id quod ait Christus apud Matthæum, *Matth.* XII, 37 : « Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis, » Scripturæ testimonium esse dicit, rite Maldonatus hinc esse desumptum conjicit : simile proverbium est et illud *Matth.* XIX, 21 : « De ore tuo te judico, » quod est adversus eos qui suis ipsorum argumentis convincuntur; et illud *Prov.* XII, 13 : « Propter peccata labiorum ruina proximat malo, » de iis qui suo ipsorum judicio aut confessione pereunt, juxta illud II *Reg.* I, 16 : « Sanguis tuus super caput tuum. » Non procul hinc distat istud comici Terentii in *Adelph.* Act. 5, scen. 8 :

Ore proprio condemnari proverbium apud Hebræos.

Suo sibi hunc gladio jugulo.

Respexit huc et Hieronymus epist. *ad Magnum* : « Juxta fabulas poetarum suo se ense laceravit. » Sic apud Trebellium Pollionem in *Mario* addidisse hæc verba dicitur interemptor : « Hic est gladius quem ipse fecisti. »

Vers. 7. 7. NUMQUID PRIMUS HOMO TU NATUS ES, ET ANTE COLLES FORMATUS? — id est, cum cæteros homines præ te ita negligas et contemnas, numquid alia te ratione exstitisse putas quam homines alii, non ex homine genitum, sed ante mundum factum? id enim significat cum addit : « Et ante colles formatus : » est enim synecdoche pars pro toto; quo tropo Sapiens usus est, ut sapientiæ divinæ antiquitatem exponeret, dicens *Prov.* VIII, 25 : « Necdum montes gravi mole constiterant, ante omnes colles ego parturiebar. » Hæc Eliphaz dixit, ut animum Jobi opinione quidem sua insolentem retunderet, et ironiam in se sociosque tortam æquivalentibus aut etiam acerbioribus verbis retorqueret, *q. d.* Derisisti nos omnes, et ignorantiæ insimulasti, cum dixisti cap. XII, 2 : « Et vos estis soli homines, et vobiscum morietur sapientia. Quis enim hæc quæ nostis ignorat? » at « numquid tu primus homo natus es? » qui omni sapientia præditus, omnium rerum causas naturasque tam multis rationibus inter se discrepantes optime noverat. Fueris scilicet unus ex primis illis omnium parentibus, in quibus Deus *Eccli.* XVII, 7, « creavit scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis : posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent, et gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus : » tu namque mira scilicet dixisti de hujusmodi operibus, quando nos ad brutas animantes rationis expertes, a quibus doceremur, remisisti dicens cap. XII, 7 : « Interroga jumenta, et docebunt te : et volatilia cœli, et indicabunt tibi : Loquere terræ, » etc. Ideo fortasse tu solus es homo scientia plenus, et tecum morietur sapientia, sicut periisset, si primævus ille parens noster Adam priusquam genuisset filios, quos sua sapientia imbueret, ex hac vita migrasset. Porro consulte admodum et prudenter interpres vertit, *ante colles formatus es*, quod in Hebræo est, *ad facies collium*, indicans hoc in loco hunc hebraismum prioritatem temporis denotare, non æqualitatem, quam aliquando significare *sup.* cap. III, 24 demonstravimus. Noverat quippe ubi de antiquitate montium et collium sermo est hanc phrasim

Ad facies hebraismus prioritatem temporis quandoque denotans.

http://www.obrascatolicas.com

prioritatem denotare, quemadmodum patet ex pluribus Scripturæ locis, ex quibus etiam discimus id quod vetustissimum est ante montes et colles factum dici solere, ut in loco ante citato *Prov.* VIII, 26 : « Antequam montes collocarentur, ante omnes colles (juxta Hebræum, *ad facies collium*) ego parturiebar : » item *Psalm.* LXXXIX, 2 : « Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis : » imo *Habac.* III, 7 *montes* vocantur *æternitatis*, id est æterni : « Et contriti sunt montes sæculi, » alias *æternitatis*. Allegorice hic S. Augustinus et Philippus per *colles* intelligunt angelos, quasi sit sensus : « Numquid ante angelos formatus es ? »

Vers. 8. 8. NUMQUID CONSILIUM DEI AUDISTI, ET INFERIOR TE ERIT EJUS SAPIENTIA ? — Refellit hoc versu quod cum Deo disputare velit dicens : Numquid Dei interfuisti consilio ? (sicut etiam Sapientia de se dicit in *Prov.* VIII, 30 : « Cum eo eram cuncta componens »), et in eo cognovisti Deum te inferiorem esse sapientia, ut cum eo disputans a te victum iri putes ? In Hebræo est, *diminuetur tibi sapientia*, quod præter eam sententiam, quam expressit Vulgatus interpres, potest et aliter, ut Hebræi volunt, explanari, *q. d.* Tantumne in consilio Dei sapientiæ imbibisti, ut aliis hominibus imminuta et detracta esset, et tibi uni tota concessa ? Quæ explicatio placuit Septuaginta viris, nam ita locum hunc reddiderunt, ἐις δέ σε ἀφίκετο σοφία, *ad te autem accessit sapientia*. Quod si ita hunc locum exponamus, etiam hic versus pertinere videtur ad urgendum eo absurdo Jobum, quod omnibus hominibus sapientiorem se esse existimet, cum ita amicos suos cum eo disserentes contemnat. Sed non arroganter, cum de hominis æquitate et iniquitate disputatur, contemnuntur ii, qui ex adversa fortuna alterum iniquum esse judicant, dicente Ecclesiastico cap. VII, 12 : « Non irrideas hominem in amaritudine animæ : est enim qui humiliat et exaltat circumspector Deus. » Nec arroganter is, qui nullo merito suo ab hominibus condemnatur, dicere causam suam optat apud eum, quem scit justum semper judicium exercere; valde tamen est difficile calamitoso viro optima sua et honestissima consilia fortunatis hominibus probare, nam, ut ait Ecclesiastes cap. IX, 16 : « Sapientia pauperis contempta est, et verba ejus non sunt audita. »

Vers. 9. 9. QUID NOSTI QUOD IGNOREMUS ? QUID INTELLIGIS QUOD NESCIAMUS ? — Non debemus, inquit, a te negligi, ut appelles nos « fabricatores mendacii » *supr.* cap. XIII, 4, et optes ut silentio inscitiam nostram celemus, cum nihil tu scias quod nos ignoremus. Sed in qua ignoratione versarentur Job satis antea exposuerat cap. XIII, 7 dicens : « Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos ? » etc. et ob eam forte rem nihil amicis suis Job probare nihil persuadere poterat, quod tanti suam facerent sapientiam, ut de nulla re ab eo se doceri posse putarent, dicente Salomone *Prov.* XXVI, 12 : « Vidisti hominem sapientem sibi videri ? magis illo spem habebit insipiens; » et hac de causa « stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi, » sapientemque stultitiam, ut Paulus testatur I *Corinth.* I, 20, ad tradendum mundo evangelium : « Nos, inquit, stulti propter Christum. » Quinam illi ? apostoli primum, deinde apostolici viri, pii denique omnes christiani; et usque nunc vere sapientiæ amatores, non discipuli mundi, sed Dei, sacram insaniam insaniunt : est enim quædam insania sanctorum, quæ magna sapientia est, quam D. Ambrosius *in Psalm.* XXXIX, *veram insaniam* appellat, cum in mundanis sint *falsæ insaniæ*, ut regius Vates monet *Psalm.* XXXIX, 5. Vera nempe sapientia est, sapere quæ Dei sunt, et cognitionem ad bonam vitam et Dei cultum gloriamque referre, non inflante scientia tumescere et efferri eorum more sapientum, qui cum sibi viderentur sapientes, ob superbiam et impiæ mentis inanitatem « stulti facti sunt, » ut idem Paulus alibi ait *Rom.* I, 22. Tales utique fuerunt tres amici illi, dum se Jobo sapientiori inaniter prætulerunt dicentes :

Qui sibi sapiens videtur difficile docetur.

Vers. 10. 10. ET SENES ET ANTIQUI SUNT IN NOBIS MULTO VETUSTIORES QUAM PATRES TUI, — *q. d.* Etsi forte juniores te simus, apud nos tamen sunt antiqui et provectæ ætatis magnæque experientiæ viri ac magistri, a quibus multa et recondita dogmata edocti sumus, ita ut haudquaquam te inferiores haberi debeamus, et vel in minimo tibi quoad rerum omnium cognitionem cedendum sit. *Senes* autem hic vocat eos, qui res multas experti sunt, et qui longo rerum usu magnam sibi scientiam compararunt : etenim de moribus et officiis scientia multo præclarius experientia quam alterius doctrina tenetur; siquidem hac potissimum ratione prudentia constat, in qua universa de moribus disciplina versatur. Intellexit igitur interpres hic de viris senio confectis, qui sicut ætate, ita consilio præstarent, sermonem fieri, non de parentibus aut progenitoribus, ideoque per plurale expressit id quod in singulari notant Hebræa, in quibus legitur, *etiam canus, etiam decrepitus inter nos et provectus præ patre tuo diebus*. Nihil tamen vetat nos illa etiam de Jobi patre interpretari, *q. d.* Non ignoramus te ea omnia quæ protulisti didicisse a tuo patre, qui vetustissimus erat, et magna annorum multitudine venerandus; at nec in hoc tibi cedere volumus, apud nos enim et in familiis nostris multo vetustiores provectioresque parentes, a quibus scientiam nostram accepimus, exstiterunt; ideoque non est cur tantopere nostram floccipendas sapientiam, uti facis : imo nostra tuam omnimode vincit ac superat : habemus enim præstantissimos officii et theologiæ magistros. Ubi observa magistros in omni ferme idiomate appellari et salutari *parentes*; et apud Themanitas scholas esse antiquas docet Jeremias cap. XLIX, 7, easque sapientiæ laude floruisse : « Numquid, inquit, non ultra est sapientia in Theman ? » etc. : eadem pene habes apud Abdiam. Fortassis etiam apud Hussitas scholæ fuerunt, non tamen adeo antiquæ et celebres, neque tam viris sapientiæ studiosis frequentatæ. Atque ideo Eliphaz Themanites dicit apud se multo antiquiores fuisse senes seu patres aut magistros : ita Stunica, Sanctius et Boldueus.

Experientia optimam parit scientiam.

Themanitæ olim sapientiæ studio celebres.

Vers. 11. 11. NUMQUID GRANDE EST UT CONSOLETUR TE DEUS SED VERBA TUA PRAVA HOC PROHIBENT. — Non esset, inquit, Deo difficile miserias tuas sublevare, teque in pristinum felicitatis statum restituere; sed id scelera tua impediunt, quorum pœnas tanto par est ut supplicio pendas. Speciatim autem taxat linguæ procacitatem, quæ tantum abest, ut sedet iratum Deum, ut potius illum acuat, et ad vindictam inflammet vehementius, juxta illud Davidis *Psalm.* XI, 3 : « Disperdet Dominus universa labia dolosa et linguam magniloquam; » quo in loco supplicii acerbitas sceleris magnitudinem ostendit et impietatem erga Deum, in quam ii labuntur facilius qui de se alte sentiunt et loquuntur, ac buccis tumentibus inflata verba trutinantur; quos vates Sophonias *magniloquos superbiæ* vocat dicens *Soph.* III, 31 : « Auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ, » id est ut Judas apostolus ait cap. XVI : « Quorum os loquitur superba, » qui nempe linguam suam magnificant contra quam Abdiæ Deus vetuerat cap. XII : « Non magnificabis os tuum. » Daniel cap. VII, 8 istiusmodi hominibus attribuit *os loquens ingentia*, id est os tumidum, arrogans, jactabundum, quod « disperdet Dominus, » hoc est, ut festive exponit Hugo Cardinalis, *bis perdet*, animo videlicet et corpore. Sed ut ista quam optime quadrent in eos qui magnifice de se et suis rebus gloriantur, et sine pudore adversus Deum insolescunt; perperam tamen humillimo et afflictissimo Jobo istiusmodi linguæ crimina hic ab Eliphazo et sociis affinguntur, cum ipsemet Deo teste non peccarit labiis suis, nec inique quid contra Deum locutus sit. Cæterum non satis fuit Eliphazo verborum Jobi censorem iniquissimum egisse, nisi Deo soli reservatum cordis et cogitationum judicium impudenter usurparet dicens :

Lingua magniloqua Deo odiosa.

Vers. 12. 12. QUID TE ELEVAT COR TUUM, ET QUASI MAGNA COGITANS ATTONITOS HABES OCULOS ? — Carpit Jobum, quod animo extollatur, et cordis motibus audacia et impietate plenis, ut ipse quidem interpretatur, se sinat efferri; cordis autem et oculorum meminit, quia superbia et arrogantia animo menteque primum concipitur, ac deinde potissimum oculis significatur. Non potest latere fastus animi et exaltatio cordis. Prodit se foras, ac patefit per gestus corporis, quantumvis dissimulet superbus, et erumpit potissimum per oculos, qui sunt animæ sensorum indices : hanc unam partem corporis Cicero vocat lib. III *De Orat.*, quæ quot animi motus sunt, tot significationes et commutationes possit efficere; et oculos ait esse quorum tum intensione, tum remissione, tum conjectu, tum hilaritate motus animorum significantur : hos item naturam dedisse nobis, ut equo aut leoni jubas, caudam, aures ad motus animorum declarandos : præterea ut imago est animi vultus, sic indices esse oculos : denique duo lumina ab animo ad oculos perforata nos habere naturam voluisse. Etenim ex his virtutes vitiaque cognoscimus, iratum vel propitium animum, lætum aut afflictum perpendimus; siquidem in iis mœror, in iis gaudium, in illis hians et indomita cupiditas, in iis Venus et libido cubat, in iis quoque modestia mentis expingitur. Hoc intellexit Christus dicens *Luc.* XI, 34 : « Lucerna corporis tui est oculus tuus : si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit : si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. » Sed et medici idem indicant; inter quos Levinus Lemnius lib. IV *De Occult. nat. mirac.* cap. VI, sic scribit, quod huic loco optime quadrat : « Instabiles oculi, pernictantes, mobiles, inquieti, inconstantes, mentis alienationem et delirium designant : languidi, humentes, flaccidi, lacrymis perfusi, tenebrosi, tremuli, rigidi, vibrantes, tumidi, cavi, conditi, obtusi, conniventes (quales juxta hebraicum textum hic Jobi oculi esse dicuntur) præter diversos animi affectus in sanis, tum in ægrotis non sine vitæ pernicie cerebri intemperiem, ex humorum copia vel defectu, caliditate vel frigiditate demonstrant. » Huc referri potest quod Aristoteles et Adamantius physiognomici observarunt; eos videlicet, quibus subsanguineos oculos natura tribuit, esse inverecundos et audaces : iracundos, quibus siccos; ebriositatem humidos oculos denotare subrubescentes; si late pateant, intemperantis oris hominem, mulierosum et stolidum; si glauci sanguineique fuerint, hinc calliditatem, inde vesaniæ profusiorem audaciam arguere. Hinc etiam apud Homerum *Iliad.* α, vers. 159, Achilles caninos oculos ob impudentiam objicit Agamemnoni, vocans ipsum κυνῶπα, quod canes plurimum oculis sanguine suffusis conspiciantur. Hic igitur Eliphaz *attonitos*, vel, ut in Hebræo est, *conniventes* aut nictantes oculos Jobo exprobrat, qui delirium et mentis elevationem signant; ipsumque arguit, ac si verbis et nutibus oculorum arrogantiam atque superbiam suam erga Deum nimis aperte profuderit, uti verba sequentia manifestius declarant.

Superbia corde concipitur, oculis manifestatur.

Oculi sunt indices animi.

Vers. 13 et 14. 13 et 14. QUID TUMET CONTRA DEUM SPIRITUS TUUS, UT PROFERAS DE ORE TUO HUJUSCEMODI SERMONES ? (*q. d.* Quis te, o Jobe, furor invasit, quæ arripuit amentia ? quid contra Deum meditatur spiritus tuus, ut talia contra Altissimum impudenter effutiat, qualia si saperes, contra tuæ conditionis et ordinis hominem non auderes ? Hæc clara sunt, et ex præcedentibus proxime versiculis manifesta). QUID EST HOMO UT IMMACULATUS SIT, ET UT JUSTUS APPAREAT NATUS DE MULIERE ? — A principio capitis huc usque nihil aliud fecit Eliphaz, quam Jobi sermones in genere tanquam vanos, futiles,

Nemo potest gloriari de

http://www.obrascatolicas.com

sua puritate.

mendaces, arrogantes et iracundia plenos arguere; nunc autem per partes declarare incipit in quo stet hujusmodi Jobi superbia : nimirum in eo, quod coram Deo agens, illumque alloquens, sese tanquam justum atque ab omni labe peccati purum prædicaverit, dicens cap. XIII, 18 : « Si fuero judicatus, scio quod justus inveniar. » In quæ verba hic Eliphaz invehitur, et Jobum impudentis cujusdam insolentiæ accusat, quasi sibi arroget, quod nemo mortalium possit aut ausit sine maxima temeritate et falsitate. Quis enim non immundus de immundo conceptus semine, et in mulieris immunda vulva coagulatus? id quod Jobus ipse paulo ante dixerat capite præcedenti : quem suis ipsius verbis compungit Eliphaz, et tanquam immemorem et insipientem arguit. Quod quidem non immerito faceret, ipsumque proprio, ut versu sexto dictum est, testimonio condemnaret, si Job illud sibi Pelagianum persuasisset, natura vel viribus suis se justum

Jobsnam paritatem non sibi, sed Deo acceptam referebat.

esse : sed cum Dei præsidio per Christum servatorem, in quem venturum firmissime credebat, se culpa vacare putaret, nihil hoc argumento refellitur, quod homo sit, et muliere natus, dicente Paulo *Rom.* V, 15 : « Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. » Et paucis interjectis addit *ibid.* vers. 21 : « Ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum. »

Vers. 15. Angeli non sunt per se immutabiles nec mundi cum Deo comparati.

15. ECCE INTER SANCTOS EJUS NEMO IMMUTABILIS; ET COELI NON SUNT MUNDI IN CONSPECTU EJUS. — Inter angelos, inquit, nemo est ex natura sua per se immutabilis, ac naturali flexibilitate liber; sed nec cœli per se mundi sunt, quia pollui possunt, et quodammodo polluti sunt, peccato dæmonum; quos proinde tanquam sordidas fæces a se expulerunt; vel metonymice cum Chaldæo, cœli, id est cœlites, non sunt mundi comparatione divinæ munditiei : quia, ut recte S. Dionysius ait, lux omnis et mundities creata increatæ comparata non videtur esse lux, sed tenebræ, aut umbra lucis. Quo vult significare, comparatione illius puritatis infinitæ, quæ in eo bonorum oceano mirabiliter exundat, creaturum omnium rerum munditiam vix ullam esse; tantum videlicet omni ex parte supereminet. Hoc idem aut paululum immutatum superius dixerat Eliphaz cap. IV, 18 : « Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles : et in angelis suis reperit pravitatem, » quod sibi in nocturna visione revelatum affirmarat, atque ideo minus nobis hoc loco laborandum, cum inde peti explicatio possit. Neque est cur anxie disquiramus, an idem prorsus ex omni parte sit argumentum, quasi rudis, importunus aut molestus disputator videatur Eliphaz, si eamdem argumentationem repetat : non enim hebetis ingenii signum est, idem argumentum, cui satisfactum non videatur, resumere, præsertim cum arctius premitur, aut ex eo quid aliud infertur : quod hic fit, ut patet ex comparatione loci utriusque : in capite enim quarto ex casu angelorum intulit quoque homines impios perituros dicens : « Quanto magis qui habitant domos luteas, » etc., hic vero ex natura detestabili seu vitiata et ex facilitate peccandi infert Jobum non posse scire se esse justum; quod magis urget, estque ad id probandum doctissimum et acutissimum argumentum. Nam Job scire non poterat se justum esse, nisi sciret se omnino esse immutabilem, ita ut nec scelus admittere, neque ab officio desciscere posset : si enim id pro explorato non haberet, unde sciret se non peccasse, cum peccare potuerit? nam quamvis nullius sibi peccati conscius sit, cum tamen potuerit peccare, relinquitur magnus dubitandi locus, utrum peccarit : nemo enim omnes animi sui motus pro comperto habere potest cujusmodi fuerint, cum varii et infiniti prope sint : qua de causa facile subrepere delictum potest. Quod doctissime docuit Paulus dicens I *Corinth.* IV, 4 : « Nihil mihi conscius sum : sed non in hoc justificatus sum. » Et ob eam rem Christum affirmasse puto *Marc.* X, 18 : « Nemo bonus nisi unus Deus : » hunc enim pro certo bonum esse affirmamus, qui a bonitate non potest desciscere; de cæteris autem, cum desciscere possint, nemo certo scit, utrum *boni* nominari possint. Ex majori igitur, quod sancti Dei non sint immutabiles, concludit id quod minus est, scilicet homines immutabiles esse non posse, et consequenter de illorum justitia certo nobis non constare.

Cur Job non potuit scire se esse justum.

Vers. 16. Homo nascitur ab immundis et Deo exosus.

16. QUANTO MAGIS ABOMINABILIS ET INUTILIS HOMO, QUI BIBIT QUASI AQUAM INIQUITATEM? — Homo jure *abominabilis* dicitur, quia nascitur Deo exosus (siquidem peccato originali omnes homines natura tenentur), et ob eam rem *inutilis* doctissime dicitur, non enim est natura sua idoneus aptusque ad finem suum consequendum, ex quo ratio petitur utilitatis : cum enim ut Paulus ait *Ephes.* II, 3, omnes iræ filii natura simus, Deum finem nostrum consequi natura non possumus; inutiles igitur natura sumus : cumque insuper ad peccata propriis actibus committenda maxime propendeamus, facile perspicitur quam apte subdatur illud : *Bibit quasi aquam iniquitatem*, id est, sicut febricitans sitiens aquam avidissime et copiosissime haurit, ita peccator ex siti et febri concupiscentiæ suæ avidissime et copiosissime ejus delectationes fluxas haurit, eisque se immergit. Hæc ergo verba sic optime ab interpretibus accipiuntur, ut ipsis innuatur homo a prava consuetudine corruptus, qui humanitatis sensum sic amisisse videatur, ut nullo jam animi dolore ac sensu in peccata, quantumvis gravia illa sint, ruat, non secus ac sitiens fervente æstu gelidam aquam, ad sedandam sitim et æstivum ardorem refrigerandum, ebibit. En vero comparationis vim (aiunt optimi explanatores Pineda et Sanc-

Bibere quasi aquam iniquitatem, quid?

tius) quod aqua tum ob lenitatem et suavitatem, tum etiam ob vilitatem, cum fontibus ultro et liberaliter scaturientibus fluviisque profluentibus sine ullo impendio paretur, nulla difficultate aut molestia ebibatur : quod sane in aliis liquoribus non contingit, qui, vel quia acres et acerbi, vel quia pretiosi sunt, non omnimoda facilitate parantur aut perpotantur, ut facile videre est.

Perstricti qui sine ullo timore peccant.

At enim vero ut optime hæc dicantur, eamdem ego sententiam ex vulgari potius bonæ aquæ descriptione, a qua et colorem et saporem et odorem abesse volumus, his verbis appingere malim, ut dum peccatum quasi aqua ebibi dicitur, nullo jam pudore aut rubore, nullo animi remorsu aut timore perpetrari significetur; ad eum modum, quo de insanabili animo Seneca lib. I *De Ira*, cap. XVI, cum dixisset : « Tibi insanabilis animus est scelera sceleribus contexens; et jam non causis, quæ malo nunquam defuturæ sunt, impelleris, sed satis tibi est magna ad peccandum causa peccare, (hoc est, ut bene exponit Justus Lipsius : « Quos non voluptas tantum aut illecebræ peccati, sed ipsum et infamia ejus delectant ») : subjicit : « Perbibisti nequitiam, et ita visceribus immiscuisti, ut nisi cum ipsis exire non possit; » scite adstruens, ab eo, qui tam proclivis ad peccandum esset, nequitiam perhibitam nulla videlicet difficultate aut cunctatione susceptam. Itaque ille bibit iniquitatem quasi aquam, qui omnem timorem expuit, omnium scelerum generibus madet, et in omne peccatum effunditur. Qui vinum bibit, timet inebriari si plus æquo bibat, quapropter bibit temperate; sed bibens aquam ab hoc metu liber est, atque ideo non curat de tali temperamento : ita Lyranus. Audiendus hic quoque S. Gregorius, cujus hæc sunt verba dum hanc Jobi sententiam explicaret lib. XII *Moral.* cap. XVIII : « Hoc quod comeditur cum mora glutitur, quia manditur ut glutiatur; quod autem bibitur tanto ad glutiendum moram non habet, quanto nullam et ad mandendum necessitatem habet. Culpa ergo quia a stulto homine sine ulla retractione perpetratur, quasi aqua iniquitas bibitur : quia enim illicita sine timore facit, quasi potum injustitiæ sine obstaculo glutit. » Eliphaz igitur cum pingere vellet hominem qui avide se in maleficium ingurgitet, et nullum crimen a se putet alienum, ait illum « bibere quasi aquam iniquitatem : » aqua enim in sermone divino hieroglyphicum est abundantiæ; id opinor factum ob magnam aquarum copiam, cum fere ubique reperiatur. Hinc etiam magnitudinem iræ suæ Deus et velut abundantissimam copiam atque redundantem Oseæ ore aquæ similitudine amplificavit *Ose.* V, 10 : « Super eos effundam quasi aquam iram meam : » inde putei Jacob nuncupati fuere vocabulis « latitudinis et abundantiæ, » ut Moyses in *Genes.* cap. XXII prodidit; unde patet maxime obviam videri in arcanis aquæ significationibus, ut pro copia et affluentia ponatur; uti pluribus exemplis probat noster Delrius in *Adag. sacris Vet. Test.* part. I, adag. 51. Simili quoque phrasi *Psalm.* XIII, 4, dicitur : « Qui devorant plebem meam sicut escam panis; » ubi vide quid annotavimus.

Aqua hieroglyphicum abundantiæ.

Vers. 17, 18 et 19.

17-19. OSTENDAM TIBI, AUDI ME : QUOD VIDI NARRABO TIBI. SAPIENTES CONFITENTUR, ET NON ABSCONDUNT PATRES SUOS. QUIBUS SOLIS DATA EST TERRA, ET NON TRANSIVIT ALIENUS PER EOS. — Novam captans attentionem Eliphaz dictis suis fidem astruit; tum quod ea vidisset, tum quod ex majoribus acceperit, quibus multum conciliat auctoritatis, ut eorum intelligatur testimonium esse gravissimum : nam et sapientes erant (quorum testimonium tantum pondus habet in doctrina morali, ut regulam ac virtutis normam Aristoteles esse judicaverit) ac reipublicæ gubernatores, id quod significat cum dicit : « Quibus solis data est terra, » scilicet gubernanda et administranda. Estque hic perfectissimus sapientiæ gradus, ut non sibi solum, verum etiam aliis quis sapiat; hinc sapientem esse atque regem idem plane est, si lumina antiquitatis sophiæ magistros audiamus : ἀρχικὸν γὰρ τὸ φρονεῖν, *regale quidpiam dominansque est sapientia*, ut prodit Aristoteles lib. I *Rhetor.*; unde, inquit, sapientem esse videtur tam jucundum, quod τὸ ἄρχειν, *imperare* sit omnium jucundissimum : itaque stoici, ut animadvertit Clemens Alexandrinus lib. II *Strom.*, regnum, sacerdotium, prophetiam soli sapienti tribuebant, a quibus accipiens, opinor, Speusippus aiebat solos sapientes esse reges et principes. Plato vero tanquam ex oraculo sapientiam nominat *regalem scientiam*; quique illam possederit, sive princeps seu privatus fuerit, esse βασιλικὸν, *regalem;* aiebatque beatas eas respublicas fore, quibus philosophi principes imperarent. Tales utique fuisse illos, quorum auctoritatem hic interponit Eliphaz, haud obscure profitetur; præsertim quod cura tanta atque sapientia eos terram rexisse dicat, ut « alienus non transiret per eam; » id est, ut hostes atque prædones neque agros populare neque prædas agere auderent, neque rempublicam bello tentare aut saltem in potestatem redigere possent : id enim sapientia et industria potius fit ejus qui rempublicam gerit quam ullis aliis opibus atque præsidiis. Id quod luculenter tractat Ecclesiastes cap. IX, 13, ac vehementer dolet id homines latere : « Hanc quoque, inquit, sub sole vidi sapientiam, et probavi maximam : Civitas parva, et pauci in ea viri : venit contra eam rex magnus, et vallavit eam, exstruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio : inventusque est in ea vir pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam; et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis. Et dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine. Quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, et verba ejus non sunt audita? » etc.; unde patet quanta vis sit sapientiæ, quæ non raro absque cæde et sanguine tru-

Sapientia testimonium habet magnum ponderis.

Sapientia regalis virtus.

Sapientia est optima tutrix reipublicæ.

Sapientia prævalet viribus corporis.

http://www.obrascatolicas.com

culentos reges barbarosque exercitus subjugavit.

S. Leo furorem Attilæ compescit et Geiserici.

Hujus rei exemplum vide sapientissimum pontificem Leonem vere Magnum non tantum ferocissimo Hunnorum regi Attilæ, qui a crudelitate *flagellum* Dei cognominabatur, sed toti etiam ejus exercitui victoriis insolescenti unicum et inermem oppositum; et tamen tam potenter eorum animis dominatus est, ut retro abire jussis Romam excidio, Italiam vastitate liberaverit; nec minori sapientiæ laude non ita multo post Geiserico jam urbe potito persuasit, ut a stupris, incendiis ac cædibus abstineret : ita Ciaconius in *Vita* ejus, et

S. Xaverius Bagadarum impetum sistit.

Baronius anno Christi 452. Quid S. Franciscum Xaverium commemorem, illustre Societatis nostræ decus? qui irruente in Travancoridem magna Bagadarum manu, jam jamque christianorum jugulis imminente, ut suos protegeret, nudum pectus eorum mucronibus objecit, acribusque verbis eorum dementiam castigavit. Nec vero mentis ardorem ex vultu et oculis micantem barbari tulerunt; sed sive miraculo audaciæ obstupefacti, sive reverentia virtutis permoti, Francisci causa cæteris pepercerunt. Ita Tursellinus lib. II *Vit. S. Xaver.* cap. XI. Melior est igitur sapientia quam arma bellica, uti etiam aperte testatur Isaias dicens cap. V, 13 : « Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, et nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit. »

ET NON ABSCONDUNT PATRES SUOS. — Hoc subobscure in Hebræo et in Latino ponitur : nam in Hebræo ad verbum si convertamus ita est, *non absconduntur e patribus suis:* clarius Septuaginta convertunt, οὐκ ἐκρύψαν πατέρες αὐτῶν, *non absconderunt patres eorum*; sed longe clarius Chaldæus, qui reliquis etiam interpretibus magnum hoc loco lumen attulit : « Non absconderunt quæ tradita sunt a patribus eorum. » Significat ergo Vulgatus, *q. d.* Non absconduntur patres suos sibi narrasse; Hebræus, *non absconduntur ea se audivisse e patribus suis.* Itaque declarat Eliphaz per manus majorum hanc accepisse doctrinam; quæ discendi ratio tantam tenet auctoritatem, ut oraculi vim habeat. Non potest igitur ea doctrina non singularis et eximia esse, quam Eliphaz fuerat expertus, quam etiam per manus sapientum et antiquorum hominum, qui rempublicam optime gesserant, accepit. Quæ autem istiusmodi doctrina sit subjungit :

Vers. 20. 20. CUNCTIS DIEBUS SUIS IMPIUS SUPERBIT : ET NUMERUS ANNORUM INCERTUS EST TYRANNIDIS EJUS. —

Superbia quid.

Amorem propriæ voluntatis in superbis residentem notat : superbia enim est immoderatus appetitus propriæ excellentiæ, ex quo profecto nascitur, ut superbi, qui nemini subjici patiuntur, suam quærant explere voluntatem, et sua desideria perficere. Est nempe magna excellentia, ut quis in his quæ vult et cupit a nullo dependeat; sed sit pro ratione voluntas, et statim atque aliquid vult sine ulla contradictione illud expleat. Primum igitur impii superbiunt, suam immoderate excellentiam appetunt, super alios efferuntur; deinde tyrannidem exercent, aliosque ad suam voluntatem explendam adigunt, et ad sua desideria exsecutioni mandanda, licet sint ineptissima, minis et terroribus venire compellunt : sed ostendunt se non minus stultitia quam superbia delinquere; quia stultissimum est in tam brevi atque incerto annorum curriculo injuste agere, alios per violentiam opprimere, et nullam reddendæ rationis recordationem habere. Nec mirum, quod omnis superbus tyrannidem exercere dicatur; quoniam qui exterius non potest alios per vim ad suam voluntatem pertrahere, saltem interius per desiderium explet. Et, ut dixit in hunc locum S. Gregorius lib. XII *Moral.* cap. X, « nonnunquam alius in republica, hoc est per acceptam dignitatis potentiam, alius in provincia, alius in civitate, alius in domo propria, et alius per nequitiam, hoc exercet apud se in cogitatione sua. » Non obscure id ex superbi Nabuchodonosoris historia colligitur : hic prius Dei reverentiam et cultum præripere cogitavit, deinde voluit, et concupivit, et statim sine ulla mora ad opus perducere conatus est *Dan.* III, 1 : « Fecitque statuam auream, et convocavit satrapas, magistratus et judices, duces et tyrannos, et præfectos, omnesque principes regionum, » ut statuæ suæ divinos honores tribuerent. Idem quoque rex vidit somnium; et cum expergisceretur, suæque phantasiæ esset oblitus, insomnii tum memoriam tum interpretationem concupivit *Dan.* III, 3 : « Statimque vocavit ariolos atque maleficos, dixitque illis : Sermo recessit a me, nisi indicaveritis mihi somnium et conjecturam ejus peribitis et vos, et domus vestræ publicabuntur. » Superbia huic regi (erat enim admodum superbus) tantum explendæ propriæ voluntatis desiderium immisit; quia propriæ excellentiæ appetitus homines facit suæ voluntatis amatores et suorum desideriorum exactores diligentissimos.

Superbi tyranni-dem exercent.

Septuaginta vertunt, πᾶς ὁ βίος ἀσεβοῦς ἐν φροντίδι, *omnis vita impii in sollicitudine*; hebraice est *parturit*, seu instar parturientis est in magnis angustiis, et dolore conficitur : non enim potest non dolere et vehementer angi, qui rationis gubernaculo destitutus variis perturbationibus agitatur; et ob eam rem dicit David *Psalm.* XIII, 3 : « Contritio et infelicitas in viis eorum : viam pacis non cognoverunt; » et vel ob hoc solum impius semper angitur, quod tempus tyrannidis ejus sit incertum, timeatque omni momento præcisum iri : in quo maxime ejus amentia declaratur, qui cunctis diebus superbiat Deoque resistat, cum ignoret quamdiu tyrannidem exercere et aliis infestus esse possit. Declaratur hic etiam eorum quos opprimit quanta sit miseria, cum lateat eos, quamdiu tyrannidem tantam perpessuri sint; quæ res vehementer angebat Davidem dicentem, *Psalm.* XII, 3 : « Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? » Porro verbum de verbo traducere ille-

Iniquus semper dolet.

bræa sic etiam possumus, *et numeri annorum absconditi sunt violento.* Anni autem vitæ ejus *absconditi* dicuntur, quia soli Deo cogniti sunt; id quod Septuaginta sic expresserunt, ἕτερα δὲ ἀριθμητὰ δεδομένα δυνάστῃ, *anni autem numerati dati sunt potenti*; Symmachus, καὶ ἀριθμὸς ἐτῶν κεκρυμμένος ἰσχυρῷ, *et numerus annorum occultatus est forti.* Incertos scilicet traduxit; Septuaginta vero intellexerunt divina mente esse repositos eique constitutos, et propterea numerabiles sive certos traduxerunt. Cæterum ab hoc loco usque ad finem capitis copiose disserit Eliphaz de misera sorte impiorum, præsertim tyrannorum; gravissimasque et doctissimas de hac re profert sententias; quas si in Jobum convenire asserat, vehementer errat.

Vers. 21. 21. SONITUS TERRORIS SEMPER IN AURIBUS ILLIUS : ET CUM PAX SIT, ILLE SEMPER INSIDIAS SUSPICATUR. —

Impium mala conscientia per terbat et cruciat.

Eleganter sane pingit Eliphaz hominem impium, qui nusquam tutus pacatusque est et sui compos, ubique panico velut terrore cruciatur : hoc nempe primum neque minimum est peccati incommodum, quod tollit pacem vehementissimeque perturbat, vim animo inferente conscientia, quæ horribilem metum et infandam undique perniciem intentat : nam subito ac scelus hominem occupavit, ut Tisyphone poetica, ferro et flamma et multiplici dracone cincta, furiali motu circumsistit, nec terrificus illius aspectus et crudeles minæ vitari possunt : adest domi, foris, ubique, etiam in lecto mediisque noctis tenebris; neque sceptra coronatorum regum, non excubias militares principum, non crepantes auro vestes, non palatia marmoribus radiantia, non antitheta concinna eloquentium, aureumque dicenti flumen, non contorta dialecticorum dicta reveretur, audacter ingerit se, atque inter mimos et ludiones tragœdiam cruentam excitat. Licet dulcis harmonia resonet et oblectet aures in elegantia opulenti convivii et amicorum suavitate, inter jocos delicatos et risum ludentium dilacerat pectus conscientia, et sævum pugionem in pulmone defigit. Hanc sæculi sapientes summam esse criminum pœnam atque ultionem putant, tametsi alia nulla constitueretur, ut eleganter Juvenalis *Satyr.* 13 :

> Exemplo quodcumque malo committitur ipsi
> Displicet auctori : prima hæc est ultio, quod se
> Judice nemo nocens absolvitur, improba quamvis
> Gratia fallacis prætoris vincerit urnam.

Et *ibid.* :

> Cur tamen hos tu
> Evasisse putes, quos diræ conscia culpæ
> Mens habet attonitos, et surdo verbere cædit
> Occultum quatiente animo tortore flagellum?
> Pœna autem vehemens et multo sævior illis,
> Quas aut Cæditius gravis invenit aut Rhadamantus,
> Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Id patuit in Caino, qui non prius animi innocentiam quam mentem et constantiam perdidit, qui tanquam furiarum tædis ardentibus crudeliter exagitatus, et funestis terroribus debilitatus et amens, totam vitam profugus egit, neque se vitare potuit. « Magna vis obnoxiæ conscientiæ, » inquit D. Ambrosius *in Psalm.* L, dat exemplum in Adamo et Eva, cum pudendo se facinore impiassent : « Cupiebant se abscondere, quos nemo quærebat. » In illis ergo et similibus clarum documentum dedit vindex scelerum Deus, nullam improbis et facinorosis hominibus esse animi tranquillitatem, nec securos unquam plane consistere. Nam id omnibus solere accidere ex oraculis divinarum litterarum constat, præcipue Salomone, qui singulari judicio *Sap.* XVII, 10, dixit esse « timidam nequitiam, » et in eo ipso dari « testimonium condemnationis : » reus enim a seipso peragitur impius, nec desunt indicia maleficiorum, cum sit conscientia mille testes, a qua prius quam a Deo damnatur. Pergit Salomon de timida nequitia dicere : « Semper enim sæva præsumit perturbata conscientia, » vel, ut est in Sixtinis Bibliis, *perturbata per conscientiam*, quod est clarius : Nequitia, inquit, ob motum et aculeum conscientiæ mente animoque præcipit et apprehendit horribilia quædam, quæ jamjam imminere videantur. Quod autem dicitur ab interprete nostro nequitia *perturbata*, in Græco est συνεχομένη : quæ vox significat obsidionem coronantium hostium atque cingentium, qui ruinam omnium rerum et eversionem moliantur. Ut significetur perturbatio tanta, seu tumultus, quo major dici nequeat, sic in Evangelio Christus de obsidione Jerosolymæ loquens eadem voce utitur *Luc.* XIX, 43 : « Circumdabunt te inimici tui vallo, » καὶ συνέξουσί σε πάντοθεν, *et coangustabunt te undique.* Ait igitur Sapiens ipsum scelus animique nequitiam divino jussu conscientiæ velut copiis continuo terrore frementibus obsideri arceteque teneri. Quæ res valde præsentem locum illustrat, et cur paulo ante timidam nequitiam appellaverit : est enim proprium conscientiæ sauciæ, ultionem semper cogitare quam commeruit, ac declinare nititur. Nihil autem frequentius, quam ad strepitum quemlibet expavescere, et jamjam lictores severi judicis jussa expleturos suspicari. Profecto dum per campos abit profugus, ubi omnia plana, neque latebræ deprehenduntur ullæ, sibi nequit fidere; sed animo visuque turbulento antra suspicatur, et intra virgulta exigua insidias sibi cernere videtur : vere Seneca præstantis animi vir *Epist.* 97 : « Ipsas nequitia tenebras timet, » quod in versum sequentem optime quadrat, qui sic habet :

Magna vis obnoxiæ conscientiæ.

Timida nequitia.

Ipsas nequitia tenebras timet.

Vers. 22. 22. NON CREDIT, QUOD REVERTI POSSIT DE TENEBRIS AD LUCEM, CIRCUMSPECTANS UNDIQUE GLADIUM. — Quod si, inquit, ut mos est, latebras ipse petat (nam qui male agit odit lucem) nunquam credit valere se tuto in lucem progredi; sed mox ac prodierit, a paratis excubitoribus capiendum et necandum : quocirca creberrime omnia oculis perlustrat, et loco uno quietus consistere nequit, arbitratus se undique infestis ensibus telisve peti,

http://www.obrascatolicas.com

atque in hunc modum calamitosam et anxiam vitam ducere cogitur. Quo tormento et angore animi scelerati et Deo invisi negat ullam esse pœnam graviorem Isidorus lib. II *Soliloq.* Eleganter quoque Petrus Chrysologus *Serm.* 6 : « Quando homo non sub peccato tristis? quando non sub vitiis suspectus? quando non sub criminibus desperatus? » Si quando in calamitates incidat, desperat de salute sua, et undique malum timet. Proprium enim est hominis iniqui, ut facile despondeat animum, resque adversas non magno sed abjecto animo toleret, sicut David ait *Psalm.* CXXXIX, 11 : « In miseriis non subsistent : » cum enim subsidiis tantum humanis nitantur, illis destituti, quo se convertant nesciunt. Eadem vero tenebrarum metaphora pronuntiavit Isaias impios, quo se confirment in adversa fortuna non inventuros dicens cap. v, 30 : « Aspiciemus in terram, et ecce tenebræ tribulationis, lux obtenebrata est in caligine ejus; » ex quo fit, ut cum nullum possit malorum exitum invenire, desperatione fractus animus undique *gladium*, id est malum, sibi imminere formidet. Cujus rei præclarum specimen fuere tenebræ illæ crassissimæ quæ obductæ fuerunt Ægyptiis, de quibus pulchre liber Sapientiæ cap. XVII, 2 : « Vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt; et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt, paventes horrende et cum admiratione nimia perturbati : neque enim quæ continebat illos spelunca sine timore custodiebat, quoniam sonitus descendens perturbabat illos, » etc., quæ ibi fusius describit, et magnam huic loco lucem adferunt.

Facile desperat impius.

Vers. 23. 23. CUM SE MOVERIT AD QUÆRENDUM PANEM, NOVIT QUOD PARATUS SIT IN MANU EJUS TENEBRARUM DIES : — Cum, inquit, urgente fame cogatur miser, quem conscientiæ angor pungit et instimulat, cibum quærere, occursat undecumque gladii jam intenti jugulo formido, et ex ea paratæ mortis certa suspicio; ita ut famelicus dicere possit, quod cum singultu et lacrymis dicebant captivi Babylonii *Thren.* V, 9 : « In animabus nostris afferebamus panem nobis a facie gladii in deserto. » Potest etiam motio illa ad quærendum panem de mendicitate, in quam impius devolvitur, intelligi, ubi anxietas coarctat impium timentem, ne a quibus panem postulat, vulnus aut necem accipiat; potest quoque motio illa ad opulentos impiosque tyrannos pertinere, qui cum se movent, hoc est accedunt ad mensam, venenatum panem aut cibum sibi supponi verentur. Sive ergo dives sive mendicus impius sit; diem tenebrarum, hoc est mortis, qua lux ei exstinguitur, formidat, et surdo verbere cæditur. Illa vero verba *in manu ejus*, significant proximam et in promptu esse mortem, vel certe metonymice in factis ejus, impii scilicet, qui factis suis mortem accersit. Utraque interpretatio ad rem apposita est. Hebræus habet, *vagatur ipse ad panem ubi sit : novit paratum esse in manu sua diem tenebrarum*, id est, vagatur et oberrat ut mendici solent, qui ostiatim panem quærunt, quia scit in proximo et quasi præ foribus esse tempus calamitosum; quod vocat *diem tenebrarum*, hoc est miseriarum et sollicitudinum, quæ tenebrarum in morem frontem obfuscant et obnubilant; sicut e diverso securitas eam nitidam reddit ac serenat. Septuaginta longe aliter hunc versum reddunt, non quasi præ inedia et fame panem quærat, sed ipsemet vulturibus esca fiat, periens insepultus : sic enim vertunt, κατέτακται δὲ εἰς σῖτα γυψίν· οἶδε δὲ ἐν ἑαυτῷ, ὅτι μένει εἰς πτῶμα, *dispositus autem est in escas vulturibus : novit vero in seipso, quod manet ad ruinam.* Quod autem sequitur referunt ad initium versus proximi, ἡμέρα δὲ σκοτεινὴ αὐτὸν στρέφει : *Dies vero tenebrosa ipsum versabit.*

Impii ne quidem panem securi comedunt.

Vers. 24. 24. TERREBIT EUM TRIBULATIO, ET ANGUSTIA VALLABIT EUM SICUT REGEM QUI PRÆPARATUR AD PRÆLIUM. — Non exiguum timorem esse vult angoremque scelesti hominis in vitium effusi, sed cohortem illi dat miseriarum, quæ ubique latus circumambiat. Quod emblemate pereleganti et sapientiæ veluti manu delineato illustrat : in medio campo regem pingit dominatu et fortunis suis exutum, qui exsulum et latronum collecta manu destinat prælium committere : dum gladium sumit lanceamque, exhorret animus, cui multa simul objiciuntur, agi nimirum de summa rerum, potentiam esse magnam hostium, paucos sibi et infidos comites, periculum ingens, ante oculos terribilem jam mortem telum quatere, aliaque similia : quare fluunt arma de manibus, tremunt genua, cor fugit, frigido corpus sudore perfunditur, cadaver est spirantis hominis, ante prælium victus et exsanguis est. Talem ait esse hominem scelere maculosum, quod enim angustia circumdet eum nemo est qui ambigat : periculis quippe ac doloribus mortis passim circumdatur tam dum infeliciter vivit, quam dum instat interitus. Quocirca similitudo regis, qui paratur ad prælium, in eo posita est, ut quemadmodum rex cohorte prætoria stipatur, ita impius scelerum conscientia et angustia circumdetur; at in hoc ipso circuitu discrimen subest, quia rex cingitur ad tutelam, impius ad necem. Septuaginta sic habent, ἀνάγκη δὲ καὶ θλῖψις αὐτὸν καθέξει ὥσπερ στρατηγὸς πρωτοστάτης πίπτων, *angustia autem et tribulatio ipsum comprimet sicut dux in prima acie corruens*, quorum verborum sensus est : Afflictio et calamitas circumdabit impium sicut circumsistitur dux in primo exercitus ordine cadens : hostes quippe in ducem exercitus adversi acrius conspirant, et cadentem ut nobilem prædam circumsistunt : qui sane sensus in rem nostram apprime convenit, cum quo textus Vulgatæ editionis cohæret, si rex, qui præparatur ad prælium, consideretur non cum præparatur, sed cum cadit, et ab hostibus accurrentibus obsidetur.

Impius malis suis circumdatur, sicut rex satellitio stipatur.

25. TETENDIT ENIM ADVERSUS DEUM MANUM SUAM, ET CONTRA OMNIPOTENTEM ROBORATUS EST. — Hic causam indicat, cur Deus tribulationum atque angustiarum exercitum adversus impium coegerit ad eum penitus conterendum, quia nimirum in tantam superbiam devenerat, ut ipsimet Deo bellum indicere videretur : *tendere* enim vel *extendere manum* in aliquem exitium et exterminium minitantis symbolum est, uti ex plurimis Scripturæ locis patet : sic apud Isaiam cap. XXIII, 11, Dominus « manum suam extendit super mare, conturbavit regna, » etc.; et apud Ezechielem timorem incutere volens Ammonitis eisque bellum indicere sic loquitur cap. XXV, 7 : « Idcirco ecce ego extendam manum meam super te, et tradam te in direptionem gentium, et interficiam te de populis, et perdam de terris, et conteram, » etc. Impius igitur ausu temerario atque impudenti nimis audacia contra Deum, ac si esset homuncio quidam, suis peccatis atque sceleribus non solum rebellare, ac si eum superare posset illique minari, sed etiam in eum se erigere, insultare, rigescere præsumpsit, ut importat verbum originale גבר *ghabar* : in quo imitari videtur gigantes, quos profani poetæ fingunt bellum adversus deos suscepisse, sicut Virgilius canit lib. VI *Æneid* :

Extendere manum minitantis est.

Impii contra Deum pugnant.

Sunt similes gigantibus.

Hic et Aloidas geminos, immania vidi
Corpora, qui manibus magnum rescindere Olympum
Aggressi superisque Jovem detrudere regnis.

Et Homerus lib. XI *Odyss.* vers. 575 :

Καὶ Τιτυὸν εἶδον γαίης ἐρικυδέος υἱὸν,
Κείμενον ἐν δαπέδῳ ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα,
Γύπε δέ μιν ἑκάτερθε παρημένω ἦπαρ ἔκειρον
Δέρτρον ἔσω δύνοντες, ὁ δ' οὐκ ἀπαμύνετο χερσὶ·
Ἀπτὼ γὰρ εἴλκυσε Διὸς κύδρην παράκοιτιν,
Πυθὼ δ' ἐρχομένην διὰ καλλιχόρου Πανοπῆος·

Et Tityum vidi claræ telluris alumnum,
Porrigitur cui tota novem per jugera corpus,
Hinc atque hinc geminus rostro urget vultur adunco
Immortale jecur tondens, jacet ille supinus,
Nec depellendi manibus datur ulla potestas :
Latonæ namque ausus fuerat tentare cubile
Impius, æterno fuerat quæ juncta Tonanti,
Cum Pytho Panopæi peteret per amœna vireta.

Forte, inquit Stunica, hæc persequens Eliphaz, illos in primis homines perstringebat, de quibus dicitur in *Gen.* VI, 4 : « Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes a sæculo viri famosi, » qui iniquis suis factis Deum ita provocarunt, ut universum diluvio deleret, et everteret orbem terrarum : nam sequitur statim eodem capite : « Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, etc. : Delebo, inquit, hominem quem creavi a facie terræ. » Ea vero conjectura ducitur Stunica ad id existimandum, quod hanc doctrinam per manus majorum suorum Eliphaz se didicisse dicit, quos certum est non diu post diluvium exstitisse; vel forte hæc dicens Eliphaz illos homines tangit, qui turrim Babel ædificare conati sunt, quo suo facto præ se ferebant cœlo bellum inferre. Ex quo fortassis illa per hominum vulgus manavit fabella de quibusdam hominibus, qui corpore immanissimo et animo insolentissimo cum essent, cœlum ausi sunt bello tentare : quorum meminit Plato in suo convivio in *Crat. Aristoph.*, quos cœlum conscendere nixos fuisse narrat : fortasse legerat illud *Gen.* XI, 4 : « Venite, faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum : » Jovemque ait ille cum aliis diis quid facto opus esset deliberasse; forsitan quia illud legerat ejusdem cap. vers. 5 : « Descendit autem Dominus ut videret civitatem et turrim, etc. : Venite igitur descendamus, et confundamus ibi linguam eorum, » etc. Citatque Plato Homerum in hanc sententiam de Oto et Ephialto loquentem lib. XI *Odyss.* vers. 310 :

Unde manarit fabula de bello gigantum.

Ἐννέωροι γὰρ τοίγε καὶ ἐννεαπήχεες ἦσαν
Εὖρος· ἀτὰρ μῆκος γενέσθην ἐννεόργυιοι·
Οἵ ῥα καὶ ἀθανάτοισιν ἀπειλήτην, ἐν Ὀλύμπῳ
Φυλόπιδα στῆσαιν πολυάικος πολέμοιο·

Novennes enim cum essent novem cubitorum erant
Latitudine : cæterum longitudo erat novem ulnarum :
Qui etiam immortalibus minabantur, in Olympo
Moturos se contentionem tumultuosi belli.

Per *gigantes* illos intellige superbos qui ipsimet Deo directe bellum indicere non verentur; unde excellenter annotat D. Thomas Boetii sententiam dicentis : « Cum omnia vitia fugiant a Deo, sola superbia se Deo ipsi opponit : » quare optime superbum describens Eliphaz Themanites dixit : « Tetendit adversus Deum manum suam (cum Deo ipso voluit manus conserere, et potentiam suam divinæ potentiæ opponere, et contraire) et contra omnipotentem roboratus est : » totum suum robur colligens contra Deum agere destinavit, id quod sequentia manifestius declarant :

Gigantes sunt typus superborum.

26. CUCURRIT ADVERSUS EUM ERECTO COLLO, ET PINGUI CERVICE ARMATUS EST. — Currere erecto collo indomitam quamdam petulantissimamque superbiam indicat, quomodo dictum est *Isai.* III, 16 : « Ambulaverunt filiæ Sion extento collo, » et, ut exponit Olympiodorus, videtur loqui metaphora sumpta a vitulo procaci, qui excusso jugo contra herum suum currit, quem cornibus impetat; Septuaginta legunt, ἔδραμε δὲ ἐναντίον αὐτοῦ ὕβρει, *cucurrit autem contra eum injuria*, id est inferens injuriam per peccatum, quo Deum impetit : quoniam tamen Deus armatus in seipso est; ipsa natura sua divina, quam nullum malum potest lædere, non eum occidit aut destruxit : ita rem egregie explicuit D. Thomas I II, *Quæst.* XXI, art. 4, ad 1, et *Quæst.* XLVII, art. 1, quem theologi sequuntur; quantum igitur ex se est, ita homo cum peccat agit contra Deum ac si ei revera noceret, ideo-

Vers. 26.

Superbi Deum oppugnant erecto collo.

http://www.obrascatolicas.com

Diabolus eorum antesignanus.

que ita ipsius Dei iram provocat, ac si Deus nocumentum recepisset. Hoc modo ille primus malorum omnium parens, ex cujus corde et visceribus superbia originem duxit *Isai.* XIV, 13 : « In cœlum, inquit, conscendam, (cum Deo ipso rem et congressum sum habiturus) supra astra exaltabo solium meum, et similis ero Altissimo. » Hujusmodi fuit collum superbi Nabuchodonosoris, Baltassaris, Sennacherib ac aliorum, qui diabolum regem super omnes filios superbiæ imitantur. O perverse erectum collum, simile non turri Davidis, sed turri Babylonis, quam, ut paulo ante dicebamus, ædificare aggressi sunt superbi filii Adam post diluvium, quod ex ineptissima et maxima superbia provenisse omnes sancti testantur : civitas enim Babylon congregatio est iniquorum, qui se perverse diligunt, et Deum contemnunt ; turris vero ipsius superbia est divinam appetens similitudinem, ut nomen ejus et fama inter homines celebretur : nam quamvis superbia a minoribus inchoet, tamen procedit et crescit usque ad suprema, quia, teste Davide *Psalm.* LXXIII, 23, « superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. »

Turris superbiæ nunquam consummatur.

Cæterum sicut turris ista etsi cœpta sit ædificari, non tamen est perfecta, quia Deus ædificium interrupit, dum ædificantium linguas confudit : sic turris superbiæ, quæ ab hominibus erigitur, nunquam consummatur, quoniam Deus superbos confundit et humiliat, juxta illud Psalmistæ *Psalm.* LXXII, 18 : « Dejecisti eos dum allevarentur, » id est, dum conabantur se elevare et exaltare in summam gloriam, dejecti sunt, et demersi in summam ignominiam, et in nihilum redacti sunt, cum omnium admiratione dicentium : « Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam? » quod et de rege Babylonis testatur etiam Isaias dicens cap. XIV, 30 : « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer? etc. detracta est ad inferos superbia tua. »

Deus superbis resistit, quia ipsum directe impetunt.

Propter hoc etiam specialiter dictum est ab apostolo Jacobo *Epist.* IV, 6 : « Deus superbis resistit : » cæteros enim peccatores dicitur Deus odisse, deserere, relinquere, etc.; superbis tamen peculiariter dicitur resistere : « Non dixit, inquit S. Chrysostomus *Hom.* 3 in illud : *Vidi Dominum*, Deus superbos dimittit, et in peccatis deserit, suoque nudat auxilio ; sed *adversatur*, quia cæteri peccatores non directe contra ipsum tendunt ; superbus autem contra ipsum Deum erecta cervice procedit, et unusquisque ad resistendum ei se exponit, quem directe contra se venientem conspicit. »

Impiidivitiis armanter contra Deum.

ET PINGUI CERVICE ARMATUS EST. — De impio divite intelligit, qui adversus Deum quasi divitiis armatur, cum ex rebus temporalibus tumens atque superbiens, contra præcepta veritatis erigitur. O arma miseri ponderis plena, quibus iniquus in hujus mundi mare submergitur, et peccatis onustus in gehennam ducitur! Sed hoc onus, cum onus mentis sit, hoc potissimum habet, quod oculos nostros obcæcat, et dum terrena nimio affectu consideramus, cœlestia videre non possumus. Unde subdit :

Vers. 27. Pingues vocantur impii in Scripturis.

27. OPERUIT FACIEM EJUS CRASSITUDO : ET DE LATERIBUS EJUS ARVINA DEPENDET. — Ex habitu corporis mentem et animum hominis improbi describit, et hæc, quam dicit crassitudo et arvina ejus, impii indicat arrogantiam, confidentiam, contumaciam et mentis stuporem, quibus inflatus Dei leges infringere non veretur : ita sæpe in Scripturis singulari quodam infamiæ titulo impii et iniqui homines vocantur *pingues*, crassi, obesi, v. g. pastores *mercenarii* apud Jeremiam, de quibus est illud cap. XLVI, 21 : « Mercenarii quoque ejus, qui versabantur in medio ejus, quasi vituli saginati versi sunt, et fugerunt simul, » etc.; item *tyranni* atque crudeles in pauperes, juxta illud *Psalm.* XXI, 13 : « Tauri pingues obsederunt me : » item iniqui divites, juxta illud *Isai.* XVII, 4 : « In die illa attenuabitur gloria Jacob, et pinguedo carnis ejus marcescet ; » item *voluptuarii*, gulosi atque carnales, juxta illud *Amos.* IV, 1 : « Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, » etc. de quibus sæpe Psalmista ; sed præsertim illud *Psalm.* LXXII, 7 : « Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, » et juxta Hebræum, *exiit præ adipe oculus eorum*; non quod oculi exierint, sed quod exisse videantur aut non esse præ generum tumore et nimia pinguedine ; et hoc propriissime textus hujus verba volunt : « Operuit faciem ejus crassitudo, » et juxta Hebræum, *operuit facies suas in adipe suo.*

Pingues ut plerumque stupidi.

Hæc autem phrasis originem trahere potuit ex eo, quod qui corpus habent nimia pinguedine onustum, ut plurimum tardo sunt ingenio, et ad sapientiæ virtutisque studium inepti, id quod Ægyptii innuere videbantur subobscure, dum, ut narrat Plutarchus tract. *De Isid. et Osyr.*, sacerdotes Isidis solebant dare Api, quem colebant, potum ex quodam puteo, non autem ex Nilo, « non quod, inquit, Nili aquam profanam arbitrarentur crocodili causa (ut quorumdam ferebat opinio : nihil enim est æque apud Ægyptios majori in honore atque Nilus); sed quia ejus aqua pota creditur pinguedinem carnisque magnum efficere incrementum. Non volunt autem Apim pinguem esse et multa carne obesum, ut nec seipsos quidem, sed animis volunt levia atque gracilia circumdata esse corpora, ne divina pars a mortali prematur : » hæc Plutarchus. Et cum Isis apud eos eadem sit quæ Minerva, facile colligitur illos innuere voluisse sapientiam non recte habitare in corpore onusto pinguedine, uti eleganter Horatius lib. II *Serm.* satyr. 2.

Nam corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque prægravat ipsum,
Atque affligit humo divinæ particulam auræ.

Quo spectat illud græcum in Gnomis adagium

Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον;

quod S. Hieronymus epist. 2 *ad Nepot.* ita reddit :

Pinguis venter non gignit sensum tenuem.

Divitiarum abundantia parit mentis crassitudinem et arrogantiam.

Hæc porro mentis crassitudo propter multas copias et nimis prosperam fortunam hominibus accidere solet : sicut enim corpus parum exercitatum et bene pastum crassius fit, ita et mens, si nullis laboribus exerceatur, sed deliciis recreetur, superba fit et arrogans, Deoque parum obsecundat, quod luculenter docuit Moyses dicens de populo Israel *Deut.* XXXII, 13 : « Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo : butyrum de armento et lac de ovibus cum adipe agnorum, et arietum filiorum Basan, et hircos cum medulla tritici, et sanguinem uvæ biberet meracissimum. Incrassatus est dilectus, et recalcitravit ; » ubi Chaldæus legit, *dives factus est Israel, et recalcitravit.* Ad quæ verba facile observes, quam sint affinia divitiis et opulentiæ peccata, ut veluti naturali consecutione incrassatus sive dives *recalcitrasse* dicatur, non secus ac equus bene et abunde pastus, nec labori assuetus, ferus evadit, et recalcitrare discit : quare non minus, ac forte multo magis timenda est viro pio rerum copia quam inopia. Id quod sanctus Pater Gregorius lib. XII *Moral.* cap. XXII, haud obscure significavit dum hunc locum hoc modo pulcherrime interpretatur : « *Operuit faciem ejus crassitudo, et de lateribus ejus arvina dependet* : visus quippe in facie est, in qua et prima corporis honorabilior pars est. Non ergo immerito : mentis intentio per *faciem* designatur, quam quolibet vertimus illuc videmus. Faciem ergo crassitudo operit, quia desiderata terrenarum rerum abundantia oculos mentis premit, et hoc quod in eis esse honorabile debuit, ante Dei oculos fœdat, quia curis multiplicibus aggravat : » hæc ille, qui et statim *arvinæ* nomine e lateribus impii divitis dependentis illos intelligit, qui auxilio ejus roborati mala patrare non cessant. Porro pro verbis istis : « Et de lateribus ejus arvina dependet, » Septuaginta legunt, καὶ ἐπέπηκε περιστέμιον ἐπὶ τῶν μηρίων, quod S. Augustinus in *Annot.* legit, *et fecit capistrum super femora* : capistra, ut notum est, mulorum ori adhibentur, ut trahantur quo homines velint ; at nequam spiritus quot libidinis instrumenta videt, tot capistra, tot restes putat, quibus alligare possit et trahere homines in extremam ruinam. Augustinus enim *ibid.* ait : « Fecit capistrum super femora, ut libidinibus suis colligaretur, quo vinculo duceretur ad mortem : » non eget diabolus arctiori vinculo quo hominem trahat, quam si in eo excitet flammas libidinis, quibus teneri incipiat. Deus bone, qui libidinem nutrit quantum bitumen habet, quo perditionis portis adhærescat pene insolubiliter! quanta vincula profert, quibus a diabolo reptetur et trahatur in ruinam?

Rerum abundantia mentis oculos premit.

Diabolus divitibus facit capistrum super femora.

Habitare in civitatibus desolatis aliquando sonitur pro eas ædificare.

Vers. 28. 28. HABITAVIT IN CIVITATIBUS DESOLATIS ET IN DOMIBUS DESERTIS, QUÆ IN TUMULOS SUNT REDACTÆ. — Versus hic multiplicem interpretationem admittit ; ac Stunica quidem exponit adhuc de prospero ejus rerum cursu, ex quo illa, ut diximus, ejus crassitudo nata sit, *q. d.* Tanta est ejus copiarum vis, ut civitates desolatas restaurare, et domos desertas atque in tumulos redactas, quo nomen in vulgus comparet, reficere moliatur. Sicut v. g. Constantinus Byzantium ornavit et amplificavit, et Constantinopolim nuncupavit ; Alexander Alexandriam, et multas alias urbes. Quam expositionem ex eo confirmat, quod hac re ipse Job hominem felicem descripserit dicens cap. III, 14 : « Cum regibus et consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines. »

Sæpius tamen accipitur pro flagello Dei et summa rerum desolatione.

Alii vero passim exponunt significari impium e summa opulentia et abusu tyrannidis æquo Dei judicio eo devenire, ut inhabitet civitates suas ab hostibus subversas domosque collapsas, exstincta gloria illa florentium urbium amplarumque domorum, quas direptis subditorum opibus construxerat ; quod quidem flagelli genus frequenter in Scriptura indicitur, velut apud Sophoniam cap. III, 1 : « Væ provocatrix et redempta civitas, columba, » etc ; deinde additur : « Desertas feci vias eorum dum non est qui transeat : desolatæ sunt civitates eorum non remanente viro neque ullo habitatore. » Sed aliud accipe huic loco convenientius exemplum apud Isaiam cap. V, 8 : « Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci. Numquid habitabitis vos soli in medio terræ? In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum : Nisi domus multæ desertæ fuerint grandes et pulchræ absque habitatore : » summa rerum omnium orbitate impium conflictari docet, quandoquidem pro opulentis urbibus ac domibus coactus inopia solitudinem habitare cogitur ; hic igitur, inquit, cum res suas amiserit, omnique fuerit dominatione spoliatus, solitudines persequetur : exsulum enim est hic mos, quælibet loca ad salutem captare ubi consistant, ad periculum, quod impendet, propulsandum. Talia subierunt aliqui Hebræorum reges, qui e solio dejecti, in alienum solum ablegati, privatam egerunt vitam laboris et sollicitudinis plenam ; pro omnibus qui hujusmodi supplicium experti sunt unum commemorare sufficiat Nabuchodonosorem, qui ejectus e regno in solitudine vixit inter feras, cum quibus habuit commune pabulum et vitam non dissimilem. Unde sicut simplex admodum est iste sensus, et cum sequentibus valde congruit, ita jure a Patribus Græcis, et inter recentiores a Pineda Sanctioque præfertur.

Vers. 29 et 30.

29 et 30. NON DITABITUR, NEC PERSEVERABIT SUBSTANTIA EJUS, NEC MITTET IN TERRA RADICEM SUAM. NON RECEDET DE TENEBRIS : RAMOS EJUS AREFACIET FLAMMA, ET AUFERETUR SPIRITU ORIS SUI. — Alius in his verbis continetur tribulationis in impium irruens cuneus ; nomine autem *substantiæ* intelligi-

Impiorum divitiæ

http://www.obrascatolicas.com

non sunt stabiles nec diuturnæ

tur quidquid facultatis temporalis habet sive in pecoribus et armentis, sive in arvis et possessionibus, sive in pecuniis et reditibus. Generaliter ergo vult dicere, quidquid aut hæreditate, aut acquisitione aliove modo possidet stabile non erit, sed paulatim ad nihilum redigetur atque dissipabitur : bona enim omnia, quæ fortunæ dicuntur, incerta, commutabilia, peritura, instarque Euripi eunt, redeunt, pereunt, moriuntur. Eleganter Papyrius Fronto π. lib. XI. *De Pecul.* aiebat, « peculium homini simile esse : » peculium enim nasci, crescere, decrescere et mori. Sed quod ille de peculio dixit, de caducis universim bonis dici potest, quæ fluxu dubio et reciproco veniunt et recedunt, nihilque est quod stabile et diuturnum esse videatur; quam ob causam D. Paulus I *Timoth.* VI, 17, *incertum divitiarum* nuncupavit, ut eos falli sit necesse, qui opibus ut baculo arundineo nituntur, seque felices in perpetuum opinantur, si nummos habuerint. David mirabili sua poetica sapienter hoc expressit *Psalm.* LXII, 11 : « Divitiæ si affluant, nolite cor apponere; » in Græco est ἐὰν ῥέῃ, *si fluant*, quemadmodum etiam multi Ecclesiæ doctores legunt, quod a piis Patribus docte expenditur cum sacrum illud oraculum interpretatione illuminant : « Vides, inquit S. Ambrosius, quia fluunt, non vides quia præterfluunt. Fluenta sunt quæ miraris : quomodo veniunt sic transeunt et recedunt. » Paria S. Augustinus : « Non vides, quia si ibi cor posueris, et tu flues? » Tertullianus lib. IV *Contr. Marc.* cap. XV, alio quodam modo Vatis regii dictum ita vertit, *divitiæ si relucent, ne adjeceritis cor*; verba quidem varia sunt, res eadem. Fulgetras sibi ante oculos ponit, aut volantes illos de nocte atque errabundos ignes, qui aeris motu huc et illuc rapiuntur. Blandum aliquibus spectaculum, in quo dum hærent fixi et sequuntur, evanuisse prius vident, quam quid rei esset percipere potuerint. Aut nitedulas quasdam esse putavit opes, aut lignum inutile putridum, quod in tenebris nitorem habet exiguum, neque durabilem. « Etsi relucent, ne adjeceritis cor; » vel, ut noster habet interpres : « Nolite apponere cor. » Lux earum evanida, rapidus et incertus fluxus, abeunt celerrimeque rapiuntor; *apponere* autem *cor* est omnem curam, studium, industriam, conatum animi omnem et affectum in divitiis retinendis collocare, et, ut ait Euthymius, προσηλοῦσθαι, *clavis affigi*, quod perinde, est inquit Elias Cretensis in *Orat.* 43 *Naz.*, ac si quis manu fluentem aquam prehendere velit et tenere, quod frustra fit, estque stultitiæ aut levitatis puerilis. Anguillam manu tenes, quantumvis premas elabetur, corvumque deludet hiantem. Recte quadret in istiusmodi divites iniquos tetrastichon illud ex Gabriæ apologo, quod sic habet :

Pecuniam homini simile esse.

Divitiis fluxis cor non apponendum.

Divitiæ fallaces cito dilabuntur.

Βοὸς φαγὼν παῖς εἰς ἑορτὴν ἔγκατα,
Οἴμοι κέκλαγ' ὡς σπλάγχνα μᾶτερ ἐκχέω·
Ἡ δ' αὖ γελῶσα, μὴ φόβου τεκνον, ἔφυ·
Τῶν σῶν γάρ οὐδέν, ἀλλ' ἐμοῖς ἀλλοτρίων·

Puer die festo bovis cum viscera
Vorasset, Hei mater clamat mea effluunt
Intestina; at ridens ait, Fili haud time;
Nam non tua sunt hæc, sola at aliena vomis.

Dicitur in eos, qui quæ rapto et fraude congesserunt ægre perdunt; unde Alciatus pulchrum finxit emblema, milvum pingens ea quæ devoraverat evomentem : milvus quippe in hieroglyphicis locupletem designat et rapacem, quod in *Phæd.* significat Socrates, cum eos homines qui avaritiæ studuissent, et ad imbecilliorum expilationes et rapinas parati ac semper prompti fuissent, in milvos et lupos converti ait : titulum autem emblematis ponit istam Plauti sententiam : « Male parta male dilabuntur. » Hoc si veniret aliquando in mentem iis qui tam impense animo secum agitant, ut faciendi lucri rationem conquirant, huc et illuc pecunias corradant, nec interea unde habeant curant; aut certe timerent ne amittendi alea fortasse aliquando impotentius cruciarentur; aut ne justam in se Numinis iram provocarent; aut saltem cogitarent, quam hæc fluxa sint, quamque fragilia ea fortunæ bona, quorum habendorum causa tot tantisque curis distringuntur. Celebratum est jam olim doctorum hominum vocibus, divitem aut iniquum, aut iniqui hæredem esse. Quod dictum fuisse suspicor in eos tantum, qui quidquid omnino avide cupiunt jure vel injuria congerunt. Qui vero fieri potest ut opum facultatumque tam expedita facilisque et pene momentanea, ut ita loquar, adeptio, conquisitio, possessio, justa esse et legitima censeri debeat? Juvenalis optime :

Milvus hieroglyphicum locupletis et rapacis.

Male parta male dilabuntur.

Dives aut iniquus aut iniqui hæres.

Dives qui fieri vult,
Et cito vult fieri; sed quæ reverentia legum?
Qui metus aut pudor est unquam properantis avari?

His itaque violentis et iniquis harpyis, id est furacibus hominibus, si quid adversa fortuna detrahat, aut alius quidam casus eripiat, quod non raro solet accidere, jacturam hanc non tam moleste ferre debent, quam certe boni quique et honesti viri in lucro esse deputarent; beneque cum mortalium rebus actum esse non tam gravate dicerent, si quæ injustæ possederunt iniqui illi captatores ad veros tandem possessores redirent. Eo de genere furum sunt plerique forenses rabulæ atque importuni sycophantæ, et maxime ærario publico nonnunquam præfecti, qui æquissima Numinis ultione adversa reflante fortuna plerumque sumptus faciunt, quos nunquam putassent, et sæpenumero citius quam vellent evomunt, quod concoquere non potuerunt. Id etiam vulgo tritum :

De male quæsitis non gaudet tertius hæres.

Huc etiam referri potest illud Democriti : Πλοῦτος ἀπὸ κακῆς ἐργασίας περιτεινόμενος, ἐπιφανέστερον τὸ ὄνειδος κέκτηται, *opes ex pravo opere conquisitæ manifestum continent opprobrium* : sed juvat audire Euripidem :

Ἀδίκως δὲ μὴ κτῶ χρήματ', ἢν βούλῃ πολὺν

Χρόνον μελάθροις ἐμμένειν· τὰ δ' ἀδίκως
Οἴκοις ἐσελθόντ' οὐκ ἔχει σωτηρίαν·

Ne compares injuste ullas opes, quas velis tibi
Esse diuturnas : quidquid enim inique
Domi cumularis salvum esse minime potest.

Impii radix exscindetur.

NEC MITTET IN TERRA RADICEM SUAM. — Hoc Septuaginta reddunt, οὐ μὴ βάλῃ ἐπὶ τὴν γῆν σκιάν, *non immittet super terram umbram*, id est, exscindetur et exstirpabitur, sumpta metaphora a plantis vel arbustis, quæ priusquam adolescant exarescunt aut succiduntur, *q. d.* Ne memoria quidem exstabit ulla : arbores enim quamdiu stant umbram mittunt, abscissæ nequaquam, nam cum corpora umbram efficiant, corpore sublato cohærere illa non potest : ita Olympiodorus in *Caten.* Vide quæ superius a nobis cap. IV, 3 annotata sunt ad illa verba : « Vidi impium firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim, » ubi simili translatione, quæ a viridi ubereque arbore et ante senium excisa, et in ipso flore exarescente sumitur, impii conditionem descripsit, in vitæ oblectamentis ad extremum spiritum minime commorantis. Eamdem rem Alciatus pulchro emblemate illustravit pingens cucurbitam annosæ pinus ramis implexam, eamque suis pampinis et pomis inumbrantem, sed ad primum hiemis odorem illico exarescentem, cui hunc titulum præfixit : *In momentaneam felicitatem*; et rem his versibus exponit :

In eos qui ob momentaneam felicitatem intumescunt.

Aeream propter crevisse cucurbita pinum
Dicitur et grandi luxuriasse coma;
Cum ramos complexa, ipsumque egressa cacumen,
Se præstare aliis credidit arboribus.
Cui pinus : Nimium brevis est hæc gloria; nam te
Protinus adveniet quæ male perdet hiems.

Idem est apologus apud Petrum Crinitum lib. II *De Honest. discipl.* cap. XIV : « Sata est olim, inquit, cucurbita juxta pinum arborem editissimam; cucurbita vero cum multis pluviis atque cœli temperamento crevisset lascivire cœpit, et ramulos audacius porrigere; jamque in pinum serpebat, et suas in ramos frondes audebat involvere, prægrandia poma et virescentia ostentans : tanto itaque fastu ac insolentia intumuit, ut pinum ausa sit aggredi : Et vides, inquit, ut te jam supero, utque foliis ac virore præsto? Tum pinus, quæ senili prudentia præstabat, nihil mirata est cucurbitæ insolentis audaciam; sed respondit : Ego vero hic multos calores et hiemes variasque temporis calamitates pertuli, adhuc tamen integra consisto; tu ad primos rigores minus habebis audaciæ, cum et frondes concident et viror omnis aberit. » Similem apologum habes in Cyrillo lib. III, cap. XIV, inter cucurbitam et palmam. Hoc autem dicitur in eos, qui ob momentaneam quamdam felicitatem gloriantur, quique plus habent ostentationis et pompæ quam facultatum aut virium : itaque non mirum videri debet, si dum se aliis præferunt, magnique videri volunt, sese aliis ridendos propinent, et tanquam sicci quidam flosculi citissime exarescant ac decidant. Certe apud Onirocritas cucurbita spes inanes præsagit, utpote quæ cum ventricosam admodum speciem præ se ferat, multumque identidem nutrimenti polliceri videatur, illud tamen tenue, et nisi condimento aliquo juvetur, egregie fatuum est, ut refert Pierius lib. LVIII. Eodem plane modo sese habent Thrasones illi fortunæ suæ momentaneæ jactatores, vel qui secundis ventis plus æquo turgescunt, neque advertunt severissimam illam Nemesim, quæ de superbis et fastuosis vindictam sumit. Id apertis verbis Pausaniæ Simonides ab eodem convivio lautissime exceptus significavit : rogatus enim, ut quidpiam ex arcanis philosophiæ adferret in medium, videnque Pausaniam rebus suis nimium fidere, dixit : Memineris te in tanto rerum successu hominem esse. At quæ esset verbi hujus vis, quodque pondus, parum vidit Pausanias : itaque cum ipse jam in summo vitæ discrimine constitutus mortem sibi impendere intelligeret, exclamasse fertur : Quam inani persuasione deceptus eram, qui Cœi hospitis saluberrimum consilium ad me pertinere non putabam! unde nunc misere perire cogor. Ita fere fit, ut cum fortuna maxime blanditur captatum veniat : quod subinde debemus meminisse, ne opprimamur incauti : nam fallacia sunt et caduca quæcumque a fortuna pendent, opes, divitiæ, honores, clientelæ, magistratus, potentiæ : affluunt subito, repente dilabuntur, nullo in loco stabili nixa radice consistunt, sed incerto flatu huc atque illuc acta, quos extulerunt in sublime decursu improviso destitutos miserrime immergunt.

Cucurbitæ symbolum inanitatis.

RAMOS EJUS AREFACIET FLAMMA. — Hoc in eadem arboris metaphora hærendo de hominis impii filiis intelligendum, qui sunt rami a parente tanquam a stipite prodeuntes; quos etiam consumet ignis tribulationis; quo dicto Eliphaz haud obscure Jobum vellicat, cujus filios ira Dei corripuisse videbatur, de quo vide cap. I, 19, item cap. IV, 4, ubi hominis impii filiis similiter malum auguratur dicens : « Longe fient filii ejus a salute. »

Impiorum filii male pereunt.

31. NON CREDET FRUSTRA ERRORE DECEPTUS, QUOD ALIQUO PRETIO REDIMENDUS SIT. — Sensus est, eo erroris ac cæcitatis impium devenire, ut non credat, hoc est non animadvertat, non cogitet, se indigere ope aliqua, qua a captivitate peccati et pœnarum inde manantium redimatur : quocirca stupidus et amens, peccatorumque funibus constrictus, non attollit mentem in Deum, non mitescit, seseque Deo subjicit, ut a tot malis eripiatur. Profecto stupiditas hæc peccatoribus familiarissima est, quos impietas hebetat, et a Deo longissime divertit. Nota autem *pretium* hoc loco poni pro *precatione*, favore, intercessione, quibus gratia obtinetur, quemadmodum res venales pretio comparantur. Septuaginta vertunt, μὴ πιστευσάτω ὅτι ὑπομενεῖ· καὶ γὰρ ἀπεζήτηται αὐτῷ, *non credat quia sustinebit; et enim exquisita est ei*

Vers. 31. Impius non advertit quid agere debeat pro salute.

Quod sit pretium salutis.

http://www.obrascatolicas.com

dat quia sustinebit : vana enim evadent ei, id est, non errore capiatur, non sibi persuadeat, quod permanebit, omnem enim operam ludet, et nihil ei succedet, in vanum laborabit : hebræus textus habet, *non credet in vanitate deceptus, quia vanitas erit commutatio ejus*, q. d. Vanitas illa commutabitur in vanitatem, hoc est in nihilum, aut ipse tandem in nihilum redigetur, mors enim omnia abolet; vel cum vanitate permutatur, qui ex opibus decidit, eoque redigitur, ut non habeat unde vitam sustentet : quæ summa vanitas est; talis etiam pro mortuo habetur, nam ut sequitur,

Vers. 32. 32. ANTEQUAM DIES EJUS IMPLEANTUR PERIBIT, ET MANUS EJUS ARESCENT, — id est, priusquam impius senescat interibit, et liberi ejus in flore ætatis morientur; dicuntur autem dies hominis *impleri* cum usque ad senectutem vivit, quæ est terminus ætatis; unde de iis qui ad summam usque senectutem vivunt in Scriptura dici solet, quod pleni dierum moriantur : ita David, Abraham, patriarchæ, prophetæ et sancti alii, ut plurimum in multam senectutem vixerunt, et prorsus compleverunt dies vitæ suæ placide in Domino obdormientes. E contra vero impii non raro immatura et imparata morte ante tempus naturæ ipsorum consentaneum præripiuntur, nondum ad ætatis medium provecti, juxta illud *Psalm* LIV, 24 : « Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos : » sic I *Reg.* XXXI, 5, Saul ante tempus sublatus est proprio cadens gladio cum servis et liberis in montibus Gelboe : sic II *Reg.* XVIII, 14, Absalom in acie suismet crinibus suspensus : sic II *Reg.* XVII, 23, Achitophel sibimet laqueo vitam corripuit.

Impii non implent dies suos, secus pii.

Plenitudo dierum et dimidium dierum quid mystice.

Mystice *plenitudo dierum* accipitur pro virtute consummata et perfecta, juxta illud *Prov.* IV, 7 : « Justorum autem semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem; » unde justi sæpe pleni dierum, etiamsi non multos vitæ annos numerent, quia illis ætas senectutis est vita immaculata; e contra *dimidium dierum* capitur pro imminuta vel exstincta virtute, hinc in effatis prophetarum tribuitur Antichristo *dimidium temporis* seu *diei*, Dan. VII, 25, cum polluti hominis scelus et maculata conscientia depingitur, a quo malo liberari cupiebat magnus David dicens *Psalm.* CI, 25 : « Ne revoces me in dimidio dierum meorum, » cum sævo exitio mori timeret; ita quoque Deus, cum illi sanctimoniæ lucem polliceretur qui parentes honorat suos *Exod.* XX, 12, futurum ait « longævum super terram, » ubi S. Ambrosius *in Psalm.* XLIII, argute animadvertit pro *longævo* in Græco esse πολυήμερον, *multorum dierum*, clarissimorum scilicet luminum; quod negat proprie ad tempus esse referendum, quod alioqui falsa esset pollicitatio, cum multi fuerint vitæ brevissimæ; quorum tamen in parentes honor et singularis observantia olim fuisset. *Dies* ergo animi virtutem et sanctitatem significant; « Quicumque enim, inquit idem S. Ambrosius, cultus pios sedulo observat officio, a tenebris noctis, alienus in dierum luce versatur; » hinc eximia illa laus Abrahami, cujus in elogio divinitus positum fuit, e vita migrasse plenum dierum : vere *dierum*, omne enim tempus vitæ ejus dies fuerunt, et non nox, ait S. Hieronymus, hoc est, omni animi instructu ornatus mirabili gratiæ lumine et honore fulgebat. *Plenus* autem ideo nominatur, id est perfectus, quod eam virtutum copiam et donorum cœlestium plenitudinem esset consecutus, ad quam Deus regio illo et humanissimo invitamento eumdem evocaverat *Gen.* XVII, 1 : « Ambula coram me, et esto perfectus. »

Dies animi virtutem significant.

ET MANUS EJUS ARESCENT. — Septuaginta legunt, Καὶ ὁ ῥάδαμνος αὐτοῦ οὐ μὴ πυκάσῃ, *et ramus ejus non condensabitur*; Symmachus, οὐκ εὐθαλήσει, *non virebit, non florescet* : quæ translationes pertexunt sumptam ab arbore metaphoram, a qua sicut stirps pro parentis sumitur aut generis origine, sic etiam rami aut germina, quæ ex trunco seu stirpe pullulant, pro filiis aut posteris usurpantur. Ut ergo proxime dicebatur impius pater, qui radix est, ante suum tempus periturus, sic etiam eædem filiis intenduntur minæ, quibus etiam brevis aut immaturus exitus denuntiatur, quod proxime dixerat vers. 30 : « Ramos ejus arefaciet flamma. » Hæc juxta Septuaginta et Symmachi translationem; sed licet aliter Vulgatus legat, non tamen est sensus a priori diversus, notum est enim *brachium* et *manus* pro *ramis* sumi : quare sicut rami dicuntur *brachia* aut etiam *manus*, quia non aliter erumpunt a trunco quam brachia et manus a corpore; quod etiam eadem metaphora *truncus* appellatur; sic etiam brachia et manus vocantur *filii*, sicut et rami : ita Sanctius noster S. Thomam secutus. Cui tamen placet magis, si *manus*, quæ multorum operum administræ sunt, pro *operibus* ipsis usurpentur, quasi dicat Eliphaz, non solum breves futuros dies hominis impii, qui communem hominum ætatem non implebit, sed etiam inutiles; cum aridas habeat manus, et rebus utiliter gerendis aut nullo modo aut non nisi parum idoneas. Huc inclinant S. Hieronymus et Beda, et e recentioribus Lyranus, Dionysius, Hugo, Titelmannus aliique plurimi.

Manus, brachium et ramus metaphorice liberos significant.

Vers. 33. 33. LÆDETUR QUASI VINEA IN PRIMO FLORE BOTRUS EJUS, ET QUASI OLIVA PROJICIENS FLOREM SUUM. — Septuaginta priorem hujus versiculi partem sic legunt, τρυγηθήσῃ δὲ ὡς ὤμφαξ πρὸ ὥρας, *vindemietur sicut acresta ante horam*, metaphora sumpta ab uvis quæ antequam maturescant amputantur, ut ex iis omphacium fiat : idem eodem sensu, diversa tamen metaphora, insinuat David dicens *Psalm.* LVII, 10 : « Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viventes sic in ira absorbet eos; » qua similitudine significat eos immatura morte perituros, antequam perversitas illorum crescat et adolescat : ad quem locum vide quæ annotavimus. Eamdem sententiam hic variis similitudinibus illustrat, quæ immaturam filiorum immatura morte consumi.

Filios impio-

rum mortem significent : Deficient enim, inquit, filii hominis impii, antequam ex illis ad parentis solatium aut usum, fructus ullus perveniat; quemadmodum e vinea botrus, aut flos ex oliva ante maturitatem excussus, spem eludit agricolæ, et mœrorem adfert.

Non satis est florere nisi fructum ferat.

Tropologice S. Gregorius lib. XII *Moral.* cap. XXIV : « Non ergo intuendum, inquit, si vineæ floreant, sed si flores ad partum fructuum convalescant : quia mirum non est si quis bona inchoet; sed valde mirabile est si intentione recta in bono opere perduret; » unde postmodum subdit : « Nam quosdam sæpe vidimus terrena quæ possederant reliquisse, et nihil jam transitorium quærere. Cum itaque hoc in se fidelis anima ostendit, quasi oliva florem protulit. Sed cum quidam ex talibus rursus cœperint mundi gloriam, quam contempserant, quærere, et terrenis rebus, quas sprevisse videbantur, insatiabiliter inhiare, nimirum projecit oliva florem, quem proposuit, quia rudimenta boni studii ad perfecta opera non perduxit. » Pulchre autem flori olivæ pia animi proposita comparat, flos enim olivæ delicatissimus quamcumque cœli injuriam non sine grandi damno accipit. Reflorescimus nos velut oliva quoties peccasse ingemiscimus, et mores emendatiores promittimus; at ubi vel strictior malignæ impugnationis vel mollior amœnæ occasionis aura nos tangit, mox omnem floris opulentiam excutimus arbores nimis delicatæ. Quæcumque temporis injuria aut vicissitudo urere nos et dejicere potest.

Bona proposita flori olivæ comparata.

Vers. 34. 34. CONGREGATIO ENIM HYPOCRITÆ STERILIS : ET IGNIS DEVORABIT TABERNACULA EORUM QUI MUNERA LIBENTER ACCIPIUNT, — id est, posteritas impii deficiet et desolabitur, ita est in Hebræo; posset tamen *congregatio* quoque latius sumi videlicet pro omnibus quæ sollicita hypocritarum sedulitas acquirere solet, quales sunt opes, agri, domus, splendida numerosaque familia, ex quibus in hoc rerum articulo Jobus fructum cepit nullum. Jobum enim fere omnes existimant hic vellicari, ac si esset impius et hypocrita, cujus omnes facultates dissipatæ sunt, tota familia cœtusque domesticus hinc inde dispersus periit, et solus ipse remansit omnibus spoliatus. Notandum autem hic passim impios vocari *hypocritas*, quia nemo fere est tam impius, qui non bonus videri malit, cum malus sit : vide quæ *supr.* cap. VIII fere toto dicta sunt de hypocritis; Septuaginta quoque hoc loco pro hypocrita *impium* transtulerunt, dum primum hemistichium ita vertunt, μαρτύριον γὰρ ἀσεβοῦς θάνατος, *testimonium enim impii mors*, hoc est, interprete et expositore Chrysostomo, indicium impietatis hominum est mors eorum ac turpis exitus.

Hypocritæ sterilis congregatio.

Hypocritæ viridis arbores, sed steriles.

Tropologice S. Gregorius lib. XII *Moral.* cap. XXIV, ostendit hypocritas aridos sterilesque esse in conspectu Dei : « Congregant, inquit, hypocritæ bona opera; sed eorum sterilis est ipsa congregatio, quia per hoc quod agunt fructum recipere in æterna retributione non appetunt : fœcundi ac virides in suis operibus humanis oculis videntur; sed in conspectu occulti judicis infœcundi et aridi apparent, » etc. : idem lib. VIII, cap. XXV hypocritas cum vitibus confert, quarum botri in terra jacent ac putrescunt. Horribile est autem quod sequitur :

Divitiæ steriles, et tantum ad pœnam fœcundæ.

ET IGNIS DEVORABIT TABERNACULA EORUM QUI MUNERA LIBENTER ACCIPIUNT, — *q. d.* Omnes divitiæ quas congregabit princeps hypocrita, hoc est nomine quidem princeps, re autem pestis, steriles sunt et infœcundæ : cum enim in aliorum utilitatem non conferantur penitus sterilescunt; et quod deterius est, dum susceptis contra fas et jus muneribus avari principes in hac vita locupletantur, divinam in se vindictam concitant, qua æternis in futura ignibus devorandi involventur. Ubi notandum, non solum eos qui susceptis muneribus abutuntur, sed etiam qui simpliciter perfruuntur, ab igne devorandos dici : imo non solum suscipientes, sed etiam diligentes munera inter impios recensentur, et *infideles* ac *fures*, quæ sunt duo maxima crimina, appellantur, juxta illud *Isai.* I, 23 : « Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, » ubi S. Hieronymus : « Non dixit, inquit, qui accipiunt, hoc enim sæpe necessitate fit; sed qui non putant amicos, nisi a quibus dona perceperint : nec os considerant amicorum, sed manus : et eos sanctos judicant, quorum exhauriunt marsupium : » itaque non tam susceptores munerum quam dilectores arguuntur; cum illud aliquando sit necessitatis, hoc semper cupiditatis. Quo pacto D. Paulus non accusat possessores divitiarum, sed amatores, juxta illud I *Timoth.* VI, 9 : « Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. » Quod expendens D. Augustinus serm. 205 *De Temp.* : « Qui volunt, inquit, non qui sunt, nam qui sunt sint, dummodo sint in operibus bonis; qui vero nondum sunt ne velint esse, nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et laqueum diaboli, » etc., ubi innumera vitiorum abrupta proponuntur, in quæ miseri præcipitantur; unde tandem concludit S. Augustinus : « Avaritia est velle divitem esse, non jam esse divitem. » Prohibetur igitur non tam divitiarum possessio quam dilectio, sicut non tam munerum acceptio quam affectio interdicitur. Esto ut aurum aliquando possideatur, nunquam tamen avaritia ametur, cum boni judicis sit, munera non modo non amare, sed etiam odio habere.

Non tam susceptores munerum quam dilectores infideles.

Boni judicis est odisse munera.

Imitentur igitur judices supremum judicem Deum, de quo est illud *Deuter.* X, 17 : « Dominus Deus vester ipse est Deus deorum et Dominus dominantium, Deus magnus et potens et terribilis, qui personam non accipit nec munera, » hoc est, qui tam integrum in judiciis se præstat, ut nullis muneribus inflectatur; nec solum illa non

http://www.obrascatolicas.com

accipit, verum etiam nec concupiscit, juxta illud II *Paral.* XIX, 7 : « Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. » Merito igitur in *Deuter.* cap. I et VIII, *Eccli.* cap. XLII, *Prov.* cap. XXIV, aliisque Scripturæ locis munerum acceptio judicibus prohibetur : quin et Plinius *Epist.* 8, refert Julium Bassum accusatum repetundarum, quod in Bithynia quædam munera ab amicis provincialibus accepisset : lex enim etiam civilis dona et munera a magistratibus accipi, imo vero et quid emi vetat, nisi victus quotidiani causa. Hoc tamen addamus licet : « Non in totum xeniis abstinere debet proconsul, ait Ulpianus in lib. VI *De Offic. proc.*, sed modum adjicere, ut neque morose in totum abstineat, neque avare modum xeniorum excedat : » qua de re verba hæc sunt Severi et Antonini : « Quantum ad xenia pertinet audi quid sentimus. Vetus proverbium est : Οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων, id est, *neque omnia, neque passim, neque ab omnibus* : nam valde inhumanum est a nemine accipere, sed passim vilissimum est, et per omnia avarissimum, » etc.; qua ratione Plinius epist. 3 *ad Sever.* ait in causis agendis et exercendis judiciis non modo pactione, dono, munere, verum etiam xeniis se semper abstinuisse, ubi recte subjicit, oportere quæ sunt inhonesta parumque decora non quasi illicita, sed quasi pudenda vitare : sic Spartianus tradit Fescennium Nigrum salaria judicibus e publico dari voluisse, ne cui essent oneri; adjecisseque judicem nec dare debere, nec accipere. Licet enim ab omni æquitatis et juris corruptela abstrahendo per se intrinsece mala non sit munerum acceptio; est tamen, ut vulgo dicitur, de male sonantibus, eo quod spectata hominum fragilitate et cupiditatis illicio nata sit etiam sapientis animum agere in transversum; ideoque jure ut periculosa habetur, et prudenter interdicitur atque vituperatur. In quam rem apte S. Cyrillus lib. III *Apol. moral.* (quos Viennæ typis Gelbaar e M. S. codice in lucem dedi) cap. XII, introducit Simeam histrionis muneribus seductam, cum perciperet durioris patroni nunc iræ nunc avaritiæ se captivam servire, ad cor reversam istiusmodi sententiam protulisse : « O subornatum deceptivæ cupiditatis hamum, lethiferum munus, munerum naturalium ademptivum, gravissimum obligationis pignus, stulti et sapientis commercium minimum, maximum emptionis pretium, servitutis jugum, iniquitatis fermentum, captivitatis indicium, fomentum discordiarum, subversio civilitatum, omnium seminarium malorum, amatum venenum! Non immerito certe amica æquitatis et pacis, cunctarumque virtutum socia, divina lex susceptionem munerum judicibus interdicens ait *Exod.* XXIII, 8 : *Munera excæcant ora prudentum, et pervertunt verba justorum*; plane elucidans quod munera prudentiam fugant, justitiam dissipant, intellectualis moralisque virtutis consistentiam vastant, omnemque rectitudinis vitam necant, » etc.

Lex civilis etiam munera judicibus interdicit; et quomodo mitigetur.

Munerum acceptio est unum de male sonantibus.

Qui munera accipit libertatem vendit.

Munera excæcant prudentes.

35. CONCEPIT DOLOREM, ET PEPERIT INIQUITATEM, ET UTERUS EJUS PRÆPARAT DOLOS. — Monstrificum iniquitatis fœtum ob oculos ponit concipientem malitiam et parturientem describens; eodem modo alibi passim Scriptura peccantes comparat cum parturientibus : nam de iniquis locutus Isaias cap. LIX, 4 : « Conceperunt, inquit, dolorem, et pepererunt iniquitatem : » similiter David de impio *Psalm.* VII, 15 : « Ecce, inquit, parturiit injustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem. » Rationem hujus locutionis reddit S. Chrysostomus in Psalmum citatum : « Quia quemadmodum mulieres parturientes a doloribus discerpuntur, ita etiam qui facit dolum discerpitur, et non levi aliquo, sed vehementissimo dolore affligitur; » et paulo post, ostendens non posse hunc dolorem deliniri : « Non interit, inquit, judicium conscientiæ, est enim naturale, et a Deo insitum; etiamsi quis millies se ambitione jactet et glorietur, instat illud vociferans, castigans, condemnans, et nemo est eorum qui vivit in scelere, qui non innumerabiles dolores sustineat, et de malis consultans et consilium exsequens. » Ex quibus hoc discrimen colligitur, quod mulieris dolor vehementissimus sit in partu; peccatoris etiam ante patratum scelus, statim post cogitatum, seu conceptum : « Concepit, inquit, dolorem, » et propterea prius dixit David, *ecce parturiit*, quam *concepit*, ut notat D. Chrysostomus : « Quia hic dolor, inquit, est a principio : simul enim ac quisquam de malo consultavit, tumultus ac turba est in cogitatione : » testis Achab, qui etiam antequam alienam vineam raperet, solum cogitans de rapienda, cruciabatur III *Reg.* XXI, 4 : « Venit, inquit, in domum suam indignans, et frendens, et projiciens se in lectulum suum; avertit faciem suam ad parietem, et non comedit panem; » ubi D. Chrysostomus citatus : « Considera, inquit, cum ille vineam concupiisset quantum dolorem senserit : quoniam conscientiæ non ferebat sententiam ingressus est tristis, humi procumbens, confusus vel ipso aspectu præ se ferens conscientiæ condemnationem. »

Vers. 35.

Peccatores doloribus parturientiam discerpuntur.

Mulier in partu, peccator etiam ante patratum seu executionem peccati torquetur.

Achab cogitans de peccato faciendo cruciabatur.

Adde et alterum discrimen : « Nam mulier, inquit Christus Dominus *Joan.* XVI, 21, cum peperit puerum jam non meminit pressuræ propter gaudium; » at vero in dolore ex peccato longe aliter contingit, ut notat D. Chrysostomus serm. 4 *De Lazar.* : « Nam peccatum, inquit, simul atque commissum est, tum demum exstincta voluptate amarus pœnitentiæ stimulus succedit, contra quam accidere solet parturientibus, » etc.; et consentit D. Ambrosius lib. II *De Abrah.* cap. IV : « Dum, inquit, in quadam sumus delinquendi libidine, nebulis quibusdam conscientiæ mens obducitur, ne videat eorum quæ concupiscit deformitatem : sed cum omnis nebula transierit, gravia tormenta exercentur in quodam male

Mulier post partum lætatur : peccator post commissam culpam magis torquetur.

conscii secretario. » Cernere hoc est in Juda proditore se post peccatum miserabiliter suspendente *Matth.* XXVII, 5, de quo D. Chrysostomus *in Psalm.* VII : « Cum, inquit, non posset ferre judicii conscientiæ dolorem, adaptato sibi laqueo vitam finivit, » quasi satius sibi duceret ruptis visceribus efflare animam, quam incluso in animo dolore vitam propagare. Unde fit, fraudes ac dolos cæterasque animi noxas non solum similes esse fœtibus viperinis, ut ibi vult D. Chrysostomus, sed etiam multo deteriores : nam hi uterum discerpunt cum nascuntur; illæ vero etiam jam natæ conscientiam lacerant ac disrumpunt : imo longo post tempore adhuc hærent altius in memoria suos auctores perpetuo cruciaturæ. Quod luculentissime demonstrat Philo Hebræus in Flaccum, dum in insula Andro suorum peccatorum terroribus agitatus exsulavit : « Adeo, inquit, trepidabat, ut non aliter quam insanus prosiliret, ac ultro citroque discurreret, manus complodens, femora percutiens, humi se affligens ac clamitans; » et statim longissimam referens ejus orationem suas miserias deplorantis, inter alia : « Interemi, aiebat, quosdam; interiment me alii : me connivente quidam lapidibus sunt obruti, quidam vivi combusti, quidam raptati per medium forum; horum facinorum pœnæ me manent, et diræ jam stant tanquam in carceribus, ut obice rupto properent in meam perniciem : imo jam in horas præmorior, multas mortes sustinens ante illam ultimam; » ubi latissime spatiatur in exprimenda hujus improbi quondam præsidis tunc exsulis conscientia scelerum furiis devota, et peccatorum aculeis cruentata. Deus bone! quanta mortalium obcæcatio, qui scelus amant, et nequitiam ut filiolam osculantur suam : nondum prodiit ex utero malum facinus, et parentem doloribus immensis et parturitionis velut equuleo conficit : embryo ille informis, quem voluntas intimo in sinu alit et corroborat, dolor est, non speratæ lætitiæ fœtus, quare improbitas græce dicitur πονηρία, ab eo quod πόνον, hoc est *laborem* et *ærumnam* possidenti adferat, ut auctor est S. Chrysostomus *in Psalm.* CXXXIX, qui etiam alio loco non dubitavit dicere « vitium esse μεγίστην τιμωρίαν καὶ πρὸ τῆς δίκης, *maximum supplicium animæ etiam antequam puniatur* : » ita peccatum Hebræi nominant עמל *hhamal*, id est *laborem* et *dolorem*, quod dolore conficiat animum et laceret. Animadvertit Philo Judæus lib. *De Decal.*, non sine mysterio, cum divina lex in monte promulgaretur, e medio flammæ Dei voces fuisse auditas magnificentissime resonantes : nam cum ignis geminam vim habeat, illuminandi urendique, princeps ille mundi moderator Deus significare voluit, fore ut lex sit dulcissimum bonorum lumen Dei præceptis velut sideribus in omni vitæ cursu radiantibus; eademque sit improbis et sceleratis incendium, si prorupta audacia Deum contemnere, seque in scelus et libidinem voluptatis ingurgitare voluerint. Fallunt enim opinione sua, qui jucundum esse vitium putant, et corrupti animi dulcedine rapiuntur; si quæ in eo sit jucunditas, gaudium est fuco illitum et tectorium pictum objicitur, quod meram molestiam occulit, quam tandem experientur. Perite S. Hilarius *in Psalm.* LIX : « Vitiorum, inquit, gaudia cum sunt intellecta compungunt; » hinc Lactantius lib. VI *Instit.* cap. III, ait doceri a philosophis vitia quibusdam delimentis naturalibus allicere animos hominum, et inanium jucunditatum specie captos ad acerbas amaritudines miseriasque perducere. Sed quod philosophi cultissimis suis monumentis docuerunt, ab idiotis et imperita quoque multitudine facile potest intelligi, si quotidianam experientiam consulunt, quæ clarissime docet, vitium non concipere solidam ullam lætitiam, sed quod supra e Jobo, Davide et Isaia audiebamus, *dolorem*, animi molestiam, acerbitatem. Eleganter Petrus Chrysologus *Serm.* 6, impium vocat *vitiorum verberonem*, videlicet ob miserrimum genus servitutis, quæ non dulcem animi voluptatem, sed doloris odiosi molestiam et acerbitatem procreat : sic divina clementia providit, ut scelus esset sibi dignum supplicium, ut cum homines animadverterent ex iis rebus, quas incredibili amore et desiderio concupierant, pro volatica et inani voluptate nasci ægritudinem et turbati animi cruciatum, a crimine abstinerent; quam veritatem docti olim homines fabularum integumentis obvelarunt : Midas stulta cupidine nobilitatus, qui studio prope incredibili ardebat aurum, illo potitus, in eo exitium reperit, nec tam aurum quam ferream calamitatem. Sed divinius in sacris annalibus id docetur. Amnon Davidis filius Thamarem sororem suam furiosa quadam affectione et venereo amore deperibat : adhibuit artes omnes atque machinationes ut ea potiretur. Res successit ex animi sententia, et beatus dulci illo furto videbatur; sed homo incestus et impotenter libidinosus vix patrarat id flagitium, cum cœpit angi et torqueri animo, et pro suavitudine impuræ voluptatis tantam amaritudinem odiumque sororis persentire, ut, quemadmodum aiunt divinæ litteræ II *Reg.* XIII, « majus esset odium, quo oderat eam, amore quo ante dilexerat : » itaque subito domo illam ejecit ut deformem meretriculam, ut lamiam, ut de gorgonibus unam. In aliis peccandi generibus idem animadverti potest, illud idem supplicium tandem fieri, quod delinimentum fore videbatur; et eo ipso torqueri animum, e quo speravit liquidissimam et affluentissimam voluptatem. Itaque noxæ et vitii, in quo vulgo dulcedinem esse putant homines, et uberem sensum voluptatis, hoc symbolum mihi peropportunum esse videtur : « E dulci amarum. » Quæcumque tandem est sensibus afflata suavitas cum vitio et scelere copulata, non nisi inde amaritiem et dolorem exspecta.

Judas facilius duxit patibulum quam conscientiæ cruciatum.

Peccata pejora quam fœtus viperini.

Peccator præ dolore conscientiæ lymphatus.

Improbitas græce πονηρία dicta a *labore* quem adfert possidenti.

Lex divina in medio flammæ data ut illuminet probos, comburat improbos.

Falsa et fallacia sunt vitiorum oblectamenta.

E ficta sceleris delectatione nascitur amaritudo.

http://www.obrascatolicas.com

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Job amicorum austeritate commotus iisdem reponit, si suo loco essent longe aliter locuturos : dolorem deinde suum plangit calamitatis magnitudinem ostendens, sigillatim morbos et miserias recensendo, quas citra iniquitatem aut ullam culpam suam patiebatur, cujus conscium esse Deum asserit; ad quem ut judicem appellat.

1. Respondens autem Job, dixit: 2. Audivi frequenter talia, consolatores onerosi omnes vos estis. 3. Numquid habebunt finem verba ventosa? aut aliquid tibi molestum est si loquaris. 4. Poteram et ego similia vestri loqui : atque utinam esset anima vestra pro anima mea : 5. Consolarer et ego vos sermonibus, et moverem caput meum super vos. 6. Roborarem vos ore meo : et moverem labia mea, quasi parcens vobis. 7. Sed quid agam? Si locutus fuero, non quiescet dolor meus : et si tacuero, non recedet a me. 8. Nunc autem oppressit me dolor meus, et in nihilum redacti sunt omnes artus mei. 9. Rugæ meæ testimonium dicunt contra me, et suscitatur falsiloquus adversus faciem meam contradicens mihi. 10. Collegit furorem suum in me, et comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis : hostis meus terribilibus oculis me intuitus est. 11. Aperuerunt super me ora sua, et exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis. 12. Conclusit me Deus apud iniquum, et manibus impiorum me tradidit. 13. Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum : tenuit cervicem meam, confregit me, et posuit me sibi quasi in signum. 14. Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, et effudit in terra viscera mea. 15. Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas. 16. Saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam. 17. Facies mea intumuit a fletu, et palpebræ meæ caligaverunt. 18. Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces. 19. Terra ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus. 20. Ecce enim in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis. 21. Verbosi amici mei : ad Deum stillat oculus meus. 22. Atque utinam sic judicaretur vir cum Deo, quomodo judicatur filius hominis cum collega suo! 23. Ecce enim breves anni transeunt, et semitam, per quam non revertar, ambulo.

Vers. 1 et 2. Jobi amici erant consolatores onerosi.

1 et 2. RESPONDENS AUTEM JOB DIXIT : AUDIVI FREQUENTER TALIA : CONSOLATORES ONEROSI OMNES VOS ESTIS. — Jobus tres amicos jure merito reprehendit, quod officio suo desint, eique ad nauseam usque eadem sæpius inculcarent, quæ non satis isti rerum articulo accommodata, potius augebant quam leniebant dolorem, cui se medicinam afferre velle profitebantur, quamobrem ipsos consolatores appellat *onerosos*; Septuaginta vertunt παρακλήτορες κακῶν, *consolatores malorum*; Aquila, παράκλητοι πόνων, *consolatores laborum*: Theodotion, παράκλητοι κόπων, *consolatores molestiarum* : et est Hebraismus, pro eo quod diceret : consolatores mali, laboriosi, molesti. Sic Olympiodorus in *Caten.* exponit : « Vos igitur, inquit, κακοὶ παράκλητορές ἐστε, *mali consolatores estis*, dum verbis ærumnas meas amplificatis, et, ut videtur, a scopo aberratis : nam cum consolandi causa adieritis, me cruciatibus identidem laniatis, hominem qui conviciis læsit neminem. » Gregorius interpretatur παρακλήτορας, τοὺ θεραπεύτας, *consolatores, non curatores*, dum in *Caten.* sic ait : « Vel eos, qui secum erant summa necessitudine conjuncti, consolatores habebat tantummodo, non curatores malorum, qui calamitatem quidem contuebantur, calamitatis autem arcanam rationem ignorabant : neque enim plagam illam ad virtutis comprobationem, sed ad solutionem pœnæ referebant; nec opinabantur solum, sed etiam ipsam ærumnam eidem exprobrare minime verebantur, eo præsertim tempore, quo, tametsi propter improbitatem illa Jobus pateretur, decebat nihilominus acerbum qui aderat casum verbis ad solandum idoneis et artificio quodam mitigare. » Sic ille : veri quippe consolatoris et animorum medici munus est, adesse afflictis, et

Quod sit munus consolatoris et medici animorum.

συνδιαταλαιπωρεῖσθαι, καὶ λόγῳ παρακαλεῖν, *in ærumnarum veluti communionem venire, et oratione solari*, ait S. Chrysostomus lib. I *De Provid.* et homil. 6 *ad populum Antiochenum* has sacerdotum esse partes ostendit dum ait, δικασταὶ φοβοῦσιν; οὐκοῦν ἱερεῖς παρακαλέιτωσαν, *judices terrent? igitur sacerdotes consolentur* : sunt enim medici animorum veluti περιοδευταὶ et circulantes, qui in omnem partem intenti esse debent, ut morbo animi doloribusque oppressum, calamitati succumbentem, telo fortunæ graviori exanimatum si quem forte repererint, benevolentissime recreare possint, atque adhibere illa medicamenta, quæ a peritis magni artificii ἀνώδυνα καὶ παρηγορικά, hoc est *dolorem sedantia*, lenientia *et consolatoria* dicuntur; et certe optandum esset ut in eo artificio excellerent, quod

Antiphon instituit artem consolandi mœrentes.

Antiphon, vir e Græcia, dicendo clarissimus excogitavit : is cum celeres haberet ingenii motus ad inveniendum acutos, et promptam atque expeditam in loquendo facilitatem, studium suum ad mœrentium hominum dolores mitigandos et leniendos convertit : quare ἀλυπίας, hoc est *indolentiæ* artem est professus, habuitque in oppidis Græciæ eruditas et speciosissimas disputationes, quas Philostratus lib. *De Vitis Sophist.* νηπενθεῖς vocat, velut quædam *amuleta luctus*, quibus hominum animos casu et fortuna prostratos excitabat, et oratione solabatur. Hoc inquam divinum inventum æmulandum esset hominibus cordatis,

Ars consolandi debet sacris hominibus esse familiaris.

præsertim oratori sacro, quod eloquentiæ proprium magni semper fecere sapientes : nam ea causa Πειθὼ a Græcis sive *Suadela* magnifico elogio dicta παρήγορος, *consolatrix*; cujus in Attica positum simulacrum a Praxitele opere eximio perfectum meminit Pausanias. Ac prudenti quidem consilio Cresollius noster *Mystag.* omnibus auctor est, ut rerum silvam et insignium exemplorum habeant copiam, quibus pro mali et incommodorum varietate ad dolorem leniendum utantur penitusque sedandum : nam qui operam industriamque suam ad juvandos alios et instituendos conferunt, sine dubio sæpe incidunt in hominum greges mœrentium. Hic orbitate, ille rei familiaris damno percellitur : alterius fama honorque nominis malitiosa hominum fraude violatus est : aliis propinquorum exsilium atque dedecus sempiternas animi molestias peperit : hic dolore corporis, quotidianis ille scrupulis et tentationibus affligitur. Unumquodque proprium genus orationis et accommodatam medicinam postulat, quæ cum prudenter et apposite loco et tempore adhibetur, nullus est tantus tamque infixus animi dolor, quem dicentis et consolantis oratio non evellat. In eam rem valet plurimum, ea loca animo et cogitatione comprehendisse, e quibus rationes peti posse ad consolandum monent, qui dicendi artificium ingenii sui monumentis illustrant; quæ S. Patres in promptu habuisse liquido intelliget, qui oculos atque mentem ad exquisitas eorum orationes admoverit, nam si quando ad illud genus orationis delabuntur, nihil solent omittere, quod ad animos consolandos et evellendum cruciantis mœstitiæ aculeum facere possit. Atque in ea dicendi ratione præstitit D. Chrysostomus, cujus rei dant specimen clarissimum libri *De Provid.* ad unguem expoliti. Nihil splendidius atque dulcius illa copia et compositione verborum optimorum, nihil fortius, si rationes et argumentandi vim consideremus, cum de rerum humanarum sordibus et contemptione disputat, de vitæ brevitate, de inanitate honoris et gloriæ, de merito patientiæ, de singulari Dei benignitate in calamitatibus immittendis aut permittendis, de arcanis illius judiciis, de illustribus eorum præmiis et bravio æternitatis, qui corporis animique vexationes Dei causa in hoc vitæ cursu pertulerint, denique de aliis, quæ ad afflicti animi molestias minuendas et tollendas pertinent. Cæterum cum nihil horum amici illi, sed contraria omnia, quæ Jobi animum vehementer exulcerabant, afferrent, jure merito illos παρακλήτορας ἐπαχθεῖς, ut Symmachus interpretatur, *consolatores odiosos*, molestos, onerosos appellat, et gravioribus vicissim verbis eos excipit dicens :

D. Chrysostomus afflictorum consolator eximius.

Vers. 3. Verba ventosa quæ dicantur.

3. NUMQUID HABEBUNT FINEM VERBA VENTOSA? AUT ALIQUID TIBI MOLESTUM EST SI LOQUARIS? — Tandem, inquit, aliquando cessent *verba ventosa*, id est turgida, inflata, plena vento, ut exponit S. Augustinus, quibus teipsum extollis : *ventosum* dicitur apud Latinos vento plenum, ita Plinio lib. II cap. XVIII, « *ventosus* aer; » Virgilio lib. VIII *Æneid.*, « *ventosi* folles » dicti :

Aliis ventosis follibus auras
Accipiunt redduntque.

Per translationem autem accipitur pro tumido, elato, inflato, jactabundo : ita Plinius in *Panej.* : « Superbiebat, inquit, ventosa et insolens natio; » Virgilius lib. XI *Æneid.*, « ventosa gloria; » Horatius lib. I *Epist.* 19, « ventosa plebs; » et Cicero dixit « ventosum imperium; » estque apud eumdem « ventosus homo, » is scilicet, qui multo sono reboat, et seipsum jactat, qui de seipso gloriosa prædicat, cum homo nihili sit. *Ventosa* ergo verba dicuntur, quæ jactat aliquis summo boatu reboans, cum nihil eorum quæ exprimit et promittit habeat aut complere possit : item quæ nihil ad rem faciunt. Vide quæ ad vers. 2, cap. præced. notavimus. Orat igitur Jobus non sine stomacho, ut ab illis verbis, quæ plane nullum habent usum, abstineat Eliphaz, atque consideret, non eodem sensu aliqua dici ab eo qui sano est corpore et animo læto, et audiri ab illo quem dolor excruciat in afflicto corpore, et mœror sollicitat et angit in animo contracto ac tristi. Mihi, inquit, grave est, a te et ab aliis hæc audire toties, quem angustia premit et exagitat dolor; at

Facilis est alium reprehendere, sed reprehensionem audire difficile.

http://www.obrascatolicas.com

tibi, si loquaris, nihil moleste accidit, imo voluptatis adfert plurimum, cum abundes verbis, neque quemquam posse dixeris conceptum cohibere sermonem. Notandum hic observasse Jobum facilitatem mordacis sermonis in Eliphazo et difficultatem audiendi in semetipso, ne quis istiusmodi affectus inter viros pios ac sapientes demiretur : solent enim viri sanctimonia vitæ insignes acerrime interdum sauciari, dum a viris sapientibus, a quibus consolationem requirunt, culpæ redarguuntur, quam ipsi accuratissime vitare studuerunt : ægre quippe innoxia conscientia fert importunas objurgationes eo præsertim tempore, quo multiplex vexatio Deique derelictio ingravescit.

Vers. 4, 5 et 6.

4-6. POTERAM ET EGO SIMILIA VESTRI LOQUI : ATQUE UTINAM ESSET ANIMA VESTRA PRO ANIMA MEA : CONSOLARER ET EGO VOS SERMONIBUS, ET MOVEREM CAPUT MEUM SUPER VOS : ROBORAREM VOS ORE MEO : ET MOVEREM LABIA MEA QUASI PARCENS VOBIS, — *q. d.* Utinam anima vestra meas miserias sustineret, ut disceretis compati miseris, et ego vos consolando docerem qui cum miseris agere debeatis, ubi animadvertendum, viros perfectos, qualis Jobus fuit, minus perfectis non modo optare, verum etiam precari interdum morbos, infamiam aliave mala temporalia, ut resipiscant, si in peccato jaceant; vel proficiant, si lente incedant, vel nondum satis in schola virtutis mitescant. Motus autem capitis licet plerumque ad irrisionem usurpetur in sacris, habet tamen multiplicem significationem, nunc lætam, nunc tristem, modo duram, modo suavem : et hic quidem ad commiserationem procul dubio ponitur, quod ipse contextus evincit.

Job optat ut amicialiquid miseriæ experiantur, ut rectius discant munus consolandi.

MOVEREM LABIA MEA QUASI PARCENS VOBIS, — id est, loquerer indulgendo vobis, non vos impugnarem, non premerem, non disceptarem, non vellicarem : nefas enim est addere afflictionem afflicto; liberale est parcere prostrato. Si itaque, inquit, vos eodem essetis loco, in quo ego nunc jaceo, vestrum conarer dolorem detergere consolando, moveremque caput non subsannando et irridendo procaciter, sed admonendo officiose et pie, et dolorem, quem ex vestra calamitate caperem, significando benevole : erigerem enim mœrentem animum, et ad perferendam inflictam a Domino plagam confirmarem : quod ea moderatione facerem ad rerum articulum attemperato sermone, ut potius lenirem quam acuerem animi dolorem, ita ut motio labiorum meorum, id est verba, quibus consolarer vos, mœrorem vestrum penitus abstergerent. Propriis quippe ærumnis luculenter edoctus Job, quomodo alienis malis medendum esset optime noverat : quia qui miserias experitur facilius miseresci, et qui desolationes patitur blandius consolatur.

Ipsemet Christus affligi

Quamobrem voluit quoque ipsemet Deus ad nostras se miserias et desolationes abjicere, ut nos ab illis impensius relevaret. Unde D. Petrus Chrysologus *Serm.* 50 : « Christus, inquit, venit suscipere infirmitates nostras, et suas nobis conferre virtutes; humana quærere, præstare divina, accipere injurias, reddere dignitates, ferre tædia, referre sanitates : quia medicus qui non fert infirmitates curare nescit, et qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem : » nec aliter de hac re philosophatur D. Bernardus *De Grad. humil.* sub initium : « Nescit, inquit, sanus quid sentiat æger, aut plenus, quid patiatur jejunus. Et æger ægro, et jejunus jejuno, quanto propinquius, tanto familiarius compatiuntur : sicut enim pura veritas non nisi puro corde videtur, sic miseria fratris verius misero corde sentitur. Ut igitur ob alienam miseriam miserum cor habeas, oportet ut tuam prius agnoscas; ut proximi mentem in tua invenias, et ex te noveris, qualiter illi subvenias; exemplo scilicet Salvatoris nostri, qui pati voluit, ut compati sciret; miser fieri, ut misereri disceret. » Et paulo post : « Voluit, inquit, experiri in se, quod illi faciendo contra se merito paterentur, non simili curiositate, sed mirabili charitate; non ut miser cum miseris remaneret, sed ut misericors factus miseros liberaret. » Quare quamvis Deus semper fuerit consolator, tunc vel maxime esse cœpit, quando consolatore indiguit, et quando *Psalm.* LXVIII, 21 quæsivit qui consolaretur, et non invenit : ad hoc enim sibi deesse voluit consolatorem, ut ipse proprio edoctus experimento diligentior adesset omnibus miseris consolator : quamobrem magis consolatoris quam ultoris nomine gloriatur : nam cum olim *Psalm.* XCIII, 1, « Deus ultionum Dominus, Deus ultionum » diceretur; modo dicitur II *Corinth.* I, 3, « Pater misericordiarum et Deus totius consolationis; » tum ut intelligas, cum ex hoc fonte omnis defluat consolatio, vanas esse quæ ex aliis rivulis hauriuntur; tum etiam ut intelligas, quo gloriosior apparuit Deus in lege nova quam in veteri, eo gloriosius esse consolatoris quam ultoris cognomentum.

Voluit ut disceret consolari.

Deus magis consolatoris quam ultoris nomine gloriatur.

Sed ut ad textum, a quo nonnihil digressi sumus, revertamur, negat hic Jobus sibi amicorum illum agendi modum probari potuisse, et longe alium se adhibiturum fuisse, si eos in eodem stadio cum tot infortuniis et doloribus colluctari cerneret; deinde multis iisque gravissimis verbis suam ærumnosam conditionem amplificat; quæ adeo non est occulta, ut ipsa apud intelligentes clamet, et doloris acerbitatem manifeste prodat, quam sequentibus versibus describit.

Vers. 7.

7. SED QUID AGAM? SI LOCUTUS FUERO, NON QUIESCET DOLOR MEUS; ET SI TACUERO, NON RECEDET A ME. — Quo me, inquit, vertam nescio, nam neque sermo, neque silentium dolorem meum lenit : si locutus fuero, molestum valde est cum iis hominibus disputare, qui tot tamque graves mihi contumelias imponunt; sin autem tacuero, grave nimis est, cum tot falsa mihi crimina objiciantur,

Jobi doloribus neque loquela neque silentium erat ap

tum remedium.

non respondere. Hæret igitur Job animi dubius, an videlicet suis istis amicis amplius debeat respondere nec ne : nam sive taceat, sive ipsis iterum loquatur, quod potissimum ex hac collatione et amico colloquio percipere intendit, nempe gravissimorum dolorum suorum aliquod levamen et refrigerium, se assecuturum desperat. Profecto Jobus loquens dolorem minime leniebat, cum sermo omnino deberet esse asper ob calumnias et criminationes adversariorum verius quam amicorum, quas refellere cogebatur : silens vero nihilo mitiorem imo acerbiorem ferebat cruciatum, amaris cogitationibus exagitatus, et ingenti mœstitiæ pondere oppressus. In Hebræo et Græco non habentur illa verba : « Sed quid agam? » commode tamen subintelliguntur, cum versum hunc claudunt per interrogationem. Hebræus quidem hoc modo : « Si loquar, non prohibebitur dolor meus, et si desinam, » scilicet loqui, « quid a me abscedet? » ut sit sensus : Si causam meam egero innocentiamque tutatus fuero (hoc enim *loqui* significat cum alibi, tum *supr.* cap. XIII, 3 : « Ad Omnipotentem loquar, » id est, apud Deum causam meam disceptabo) non cohibebitur, non lenietur, nec cessabit dolor meus, quem auget improbitas vestra et perversum judicium de hac mea calamitate : nam quia sic affligor, judicatis me esse improbum; dicitis enim Deum non affligere illum qui purus est a peccato. Si autem tacuero, quid doloris a me abscedet? *q. d.* Non sic tamen abibit dolor meus, hoc est, non recedet a me, nec quidquam remittetur, ne tantillum quidem : imo silentium meum fraudi mihi erit : videbor enim in culpa esse si tacuero, juxta tritum illud jurisperitis axioma : « Qui tacet consentire videtur : » quia culpam agnoscere videtur qui ad objecta crimina non respondet. Septuaginta vero sic vertunt, ἐαν γὰρ λαλήσω, οὐκ ἀλγήσω τὸ τραῦμα, *si enim loquar, non dolebo vulnus*, quæ Scholiastes admonet legenda esse per interrogationem, *nonne dolebo?* q. d. Omnino dolebo; Symmachus vertit, οὐκ ἐδώσει ὁ πόνος μου, *non cedet neque mitescet dolor meus*. Pergunt Septuaginta, ἐαν δὲ καὶ σιωπήσω, τί ἔλαττον τρωθήσομαι, *et si tacuero, quid minus vulnerabor?* Anxius ergo Job, an loqui tacereve debeat, tandem ad loquendum potius se accingere videtur, dum in hunc modum summas suas miserias exaggerat dicens :

Ecclesia dolet de malitia perversorum rebus prosperis abutentium.

Impiorum felicitas maxima offensionis lapis.

Vers. 8.

8. NUNC AUTEM OPPRESSIT ME DOLOR MEUS, ET IN NIHILUM REDACTI SUNT OMNES ARTUS MEI. — Est hyperbole viribus destituti, ulceribus et doloribus maxime articularibus, qui acutissimi sunt, confecti, et quasi ad nihilum redacti : hebraice est, *desolasti omnem congregationem meam*, quam interpres Vulgatus membrorum compositionem et compagem accipit; recentiores tamen familiam accipiunt et exponunt.

Allegorice Beda, vel potius Philippus, hæc omnia apte explicat de Christo patiente; at S. Gregorius lib. XIII *Moral.* cap. IV, hæc applicans Ecclesiæ : « Dolore, inquit, suo S. Ecclesia premitur, quando in malitia sua crescere perversos intuetur; et quia dum pravi crescunt, etiam infirmi qui in ea sunt ad sequenda studia pravitatis irritantur, recte additur : *Et ad nihilum redacti sunt omnes artus mei* : sicut enim per *ossa* fortes, sic per *artus* infirmi quique designari solent. Membra ergo Ecclesiæ ad nihilum rediguntur, quando ex imitatione pravorum in hoc mundo crescentium infirmi quique deterius infirmantur : videntes enim felicitatem malorum, sæpe ab ipso fidei statu delabuntur, bona temporalia appetunt, et veluti in nihilum rediguntur : quia dum manentem Dei essentiam deserunt, diligentes transitoria quasi ad non esse tendunt. » Magnus profecto lapis offensionis est felicitas impiorum, et nisi discussa subinde mortalitatis hujus nebula posthumæ beatitatis splendor nobis illucesceret, divinæque fidei radius animis nostris illaberetur, quis non inofensa impiorum felicitate perculsus in hac rerum humanarum confusione naufragium faceret, aut saltem ad hunc ataxiæ scopulum allideretur? Agnovit hic Propheta regius pene se aliquid humani fuisse passum *Psalm.* LXXII, 1 : « Mei, inquit, pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei : quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns. » Quis enim ferat, eos, qui non suo tantum, sed publico malo, atque adeo in perniciem generis humani, dominatum in homines exercent, nusquam interpolata felicitate vitæ stadium decurrere, passimque ab omnibus publica gratulatione, panegyricis, columnis, statuis, trophæis, ipsa denique consecratione, fanisque ac sacerdotibus vivos mortuosque cohonestari? Quis bonorum non ingemuit sub ipsa nascentis Ecclesiæ incunabula, cum Diocletianus et Maximianus fæces, folles ac fomenta gehennæ omni diritatis genere christianos vexarent, orbemque christianum sanguine martyrum funestarent, eosdem usque adeo communi plausu celebrari, ut pluribus per Hispaniam magnificis columnis hæc eorum velut trophæa inscriberentur : « Genere christianorum penitus exstincto? » Hæc et plura in hanc rem vide apud Tollenarium nostrum in *Specul. vanit.* ad Ecclesiastæ cap. VIII, 10, ubi hoc argumentum eleganter pertractat.

Vers. 9.

9. RUGÆ MEÆ TESTIMONIUM DICUNT CONTRA ME, ET SUSCITATUR FALSILOQUUS ADVERSUS FACIEM MEAM CONTRADICENS MIHI, — *q. d.* Etiamsi velim non possum amplius dissimulare : nam rugæ ex dolore et macie contractæ clamant contra me, et testes sunt doloris mei : siquidem has impresserunt florenti cuti non seniles anni, sed morbus, qui fecit ut non solum colorem et sanguinem, sed carnem amiserim, et pellis ante distenta et plena contraheretur in rugas; et tamen infideles quidam atque falsiloqui, qui omnia mihi prolixe promittebant, quosque meæ fortunæ misereri debuit, faciei meæ, quæ pro me tam aperte clamat, adversantur : ita Sanctius et passim interpretes fere omnes. Quæ

http://www.obrascatolicas.com

sane imago Jobi luctuosa et ad commiserationem maxime opportuna videbatur. Sed Eliphaz, qui hic *falsiloquus* appellatur, quod falsa opinione nixus in Jobum inveheretur, hoc ipso calamitoso aspectu excitabatur, satana urgente ad virum insontem criminationibus verbisque asperrimis lacerandum.

Hebræus textus versum hunc succinctius effert, Jobum in secunda persona sic ad Deum loquentem introducens, *et corrugasti me in testimonium : surrexitque in me macies mea*, quæ *in faciem meam testificatur*, ubi secundum loquendi modum Scripturæ tribuit Deo, causæ remotæ, quod tanquam causæ propinquæ tribuendum erat doloribus, qui proxime mœstitiam atque inde rugas et maciem in Jobi corpore causabant. Eodem prorsus modo Psalmista dixit *Psalm.* XXXVIII, 12 : « Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus : » similiter Jeremias ait *Thren.* III, 4 : « Vetustam fecit pellem meam, » id est, tot afflictionibus et ærumnis me obruit, ut præ tædio et cordis amaritudine contabuerim.

Septuaginta legunt, καὶ ἐπελάβου μου, εἰς μαρτύριον ἐγενήθη, καὶ ἀνέστη ἐν ἐμοὶ τὸ ψεῦδός μου, *et apprehendisti me, in testimonium fuit, et surrexit in me mendacium meum*, q. d. His velut vinculis dolorum constrictum me tenes ita ut elabi non possim. Quod autem Septuaginta ψεῦδός μου, *mendacium meum*, et Vulgatus *falsiloquus* vertit, in Hebræo est כחשי *kachaschi*, quod etiam significat *macies mea*, a verbo כחש *kachaz*, quod *attenuari*, et macrescere significat; et hoc sensu videtur hic sumi, cum immediate præcedat *corrugasti me* : nam macilenti cutis in rugas contrahitur.

Rugæ sunt symbolum duplicitatis.

Mystice S. Gregorius lib. XIII *Moral.* cap. IV : « Quid per *rugas*, inquit, nisi duplicitas designatur? rugæ itaque sunt sanctæ Ecclesiæ omnes, qui in ea dupliciter vivunt, qui fidem vocibus clamant, operibus denegant : hi nimirum pacis tempore, quia hujus mundi potestatibus eamdem fidem honori esse conspiciunt, fideles se esse mentiuntur; sed cum sanctam Ecclesiam subita adversitatis procella turbaverit, illico ostendunt quid in perfida mente moliuntur. Dicat itaque : *Rugæ meæ testimonium dicunt contra me*, id est, ipsi me insequendo increpant, qui nunc in meo corpore positi duplicitatis suæ in se malitiam non emendant. »

Vers. 10. 10. COLLEGIT FUROREM SUUM IN ME, ET COMMINANS MIHI, INFREMUIT CONTRA ME DENTIBUS SUIS : HOSTIS MEUS TERRIBILIBUS OCULIS ME INTUITUS EST. — Magna est hic diversitas sententiarum inter interpretes, an qui dicitur furorem colligere sit Satan, an Eliphaz, an dolor, an Deus ipse; omnes quidem probabilem suæ sententiæ adferunt rationem : verum mihi cohærentior videtur sententia, quæ hoc ad Eliphazum ac proinde ad reliquos ejusdem opinionis assertores refert, quos sequenti versu arguit calumniarum et crudelitatis, *q. d.* Falsiloquus iste quidquid furoris habuit et virium in me totum effudit, et sicut fera a venatore lacessita dentibus infrendens et scintillantibus oculis omnia minatur, sic ille totus in me inflammatus efrænata bacchatur insania. Ergo minæ, fremitus, oculi terribiles, acerrimum hostem evincunt, qui ut fidissimus amicus accesserat; eoque magis gestus hi furoris indices sese prodiderunt, quo religiosius se pro Deo dimicare graviter seductus Eliphaz existimavit.

Maligmans Eliphaz in Jobum animus.

Cæterum sciendum non eam esse querimoniam, quod truci vultu aut oculis ardentibus illum intueretur : quis enim nisi puellulus eam faciei ferociam horreret? constat id ex originibus, nam Hebræa habent ילטוש עיניו לי, *iiltosch hhenau li*, id est, *exacuet oculos suos contra me* : sive, ut reponit lectio Tigurina, *oculis suis micat contra me*; quæ acerrimum et oculatissimum non sine malignitate intuitum a capite ad pedes lustrantem, et circumlustrantem ad aliquod illius vel levissimum erratum investigandum atque venandum, denotant; ad eum scilicet modum, quo, sumpta imagine ab aquila, quæ omnium avium acutissime cernit, sive ab Epidauris draconibus, qui oculatissimi esse perhibentur, dicebat Horatius *Satyr.* 3 :

Oculi maligni tantum in vitia intenti.

> Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum?
> Quam aut aquila aut serpens Epidaurius.

At quidem præterquam quod, ut dixit Cicero lib. 1 *De Orat.* : « Fere nemo est, quin acutius atque acrius vitia in dicente quam recta videat, » hominem justum atque innocentem ab hoste externo intuitu acutissime circumspici atque lustrari grande malum non fuerit, cum inde et ipsius probitas atque innocentia magis eluceat, et inimici oculi virtutis pulchritudine repercutiantur, et gravius doleant. Plus ergo hostiles isti oculi virtutis minantur : aperiunt id Chaldæus et Septuaginta : ille enim quamvis in Bibliis Regiis habeat, *oculos tanquam novaculam acuit contra me*, sensu jam dato; at a Cypriano Cisterciensi et aliis sic capitur, *oculis subulæ inspexit me*. Quod plane non modo innuit acerrimum et acutissimum intuitum, ut videat atque perlustret quid reprehendere, quid calumniari possit; sed eleganti subulæ similitudine, quæ rem perforat, ut occultius sive profundius penetret setamque introducat, denotat interiorem cogitationis visum, quo secretum animum et occultam justi intentionem quis penetrat; ut quamvis externa omnia ad rationis leges composita videat, operis tamen scopum occultissimamque intentionem, divinis solum oculis pervestigabilem, quam, etsi alia minus recta videret, excusare atque defendere (juxta S. Bernardi monitum, « excusa intentionem, si opus non potes ») æquus judex deberet, ipse inquam accuset atque damnet; vel si indifferens opus sit, quod a fine operantis bonitatem sive malitiam capiat, in pejorem partem interpretetur, ne ullus reo evadendi locus aut facultas suppetat; « cum sit justius occulta de manifestis præjudicare, quam manifesta de occultis prædamnare. »

Oculis subulæ inspicere est quærere ansam calumniandi.

Quæcumque possent in bonam partem accipienda sunt potius quam in malam.

Quam cogitationem non minus eleganter expresserunt Septuaginta, qui ex correctissima Carafæ lectione habent, ἀκίσιν ὀφθαλμῶν ἐνέλατο, ἔξει ἔπαισέ με εἰς τὰ γόνατα, *acie oculorum irruit, mucrone percussit me in genibus*, ubi Biblia Regia pro *acie*, quod verterat S. Augustinus, reddunt *telis* seu spiculis oculorum. Cui lectioni præter elegantes telorum et mucronis locutiones sive translationes, quæ insanabilia vulnera significant, emphatica subest imago feriendi in genibus; quæ in hanc sententiam majorem vim habet, quam si alteri, quamvis delicatissimæ corporis parti, plaga illata consideraretur. Nimirum vulnus genibus inflictum hominem enervat, nec illum effugere aut loco discedere moverive permittit, ut significare hac locutione S. Job videatur, ea hostem malignitate suis actionibus insidiatum tam externa quam interna incusando, et in pejorem partem detorquendo, ut omnem illi defensionis aut excusationis effugium intercluderet. Et vero « quis innocens esse possit, inquit Ammianus Marcellinus lib. VIII, si accusasse sufficiat. »

Maxillæ percussio est exprobratio in faciem et despectio per probra.

Vers. 11. 11. APERUERUNT SUPER ME ORA SUA, ET EXPROBRANTES PERCUSSERUNT MAXILLAM MEAM, SATIATI SUNT POENIS MEIS. — Describit atroces injurias et contumelias quas perpessus sit; illud autem, *percusserunt maxillam*, proverbialis est apud Hebræos dicendi modus de summa et atroci contumelia, uti Delrius noster docet in *Adag. sacr. Vet. Test.* part. II, adag. 28. Similis omnino huic locus est in *Thren.* III, 30 : « Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis, » quem locum, uti et hunc, de Christo Domino, cujus Job typum gessit, Patres vulgo interpretantur, utpote qui in vita non semel atrocissimis contumeliis, et in passione insuper opprobriis, colaphis et plagis fuit coopertus, et pœnis saturatus; et in evangelio docens virtutem atque insigne patientiæ ait *Matth.* V, 39 : « Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei et alteram : » vult enim discipulos suos injuriarum esse patientes, nec facile referire. Isidorus Hispalensis lib. *De Pass. Dom.* cap. XXIX, hanc sententiam in prophetiam acceptam refert, quod Christus Jesus flagellandus esset, et palmarum ictibus percutiendus. Beda in expositione hujus loci ad illud : « Percusserunt maxillam meam : » ita, inquit, percussisse intelligendi sunt, dum ei in faciem probra et maledicta conjectant, secundum Apostolum, qui juxta hunc sensum Corinthiis scribebat, inter cætera dicens II *Corinth.* I, 20 : « Si quis vos in faciem cædit; » et quod secutus ait : « Secundum ignobilitatem dico : » exposuit quid sit in facie cædi, id est contemni ac despici. Rupertus item abbas *in Matth.* cap. V, ad illa verba : *Si quis te percusserit in dexteram*, etc. Sciendum, inquit, quia Dominus noster, qui hæc docet, in primis vel maxime fecit quæ docuit : ipse percutienti maxillam præbuit non solum et alteram, sed et totum corpus, ut saturaretur opprobriis, juxta illud *Isai.* L, 6 : « Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus. » Istiusmodi nempe saturatus est opprobriis : nec enim invitus, sed præ nimia dilectione nostri sic illa suscepit tanquam panem saturitatis. Singuli ergo nostrum persecutionem quoque pro justitia patientes demus percutienti maxillam, et saturemur opprobriis, videlicet libenter accipiendo mala præsentia, ut futuris aliquando bonis saturemur.

Percutere maxillam proverbium est de atroci contumelia.

Job typus Christi.

Vers. 12. 12. CONCLUSIT ME DEUS APUD INIQUUM, ET MANIBUS IMPIORUM ME TRADIDIT. — Hæc quæ sequuntur usque ad finem capitis Deo attribuit, *q. d.* Sed quid mirer aut querar, cum Deus ipse me iniquorum manibus quasi constrictum tradiderit, in quem quidquid haberent offensionis et acerbitatis evomerent, et pro sua libidine vexarent? Vim habet ille dicendi modus, *conclusit me* : sic enim Deus electos compedire seu vincire solet in ærumnarum carcere, ne libertate abutantur et intereant. Illud vero, *et manibus impiorum me tradidit*, aperte indicat Jobum Christi figuram prætulisse, qui traditus est impiorum manibus, et iniquorum furori permissus. Hebræus habet, *conclusum tradit me Deus perverso, et per manus improborum declinare me facit* : ita nimirum ut primum concluserit ipsum Deus, ac deinde tradiderit perverso et iniquo, scilicet diabolo, tentandum et vexandum, et per manus improborum Arabum et Chaldæorum declinare seu deflectere illum fecerit a statu felici et prospero, in quo hactenus fuerat, ad statum istum miserrimum, in quo tunc versabatur, ubi bene observat Pineda noster Jobum, tametsi lamentabiliter conqueratur, nihilominus uti decet sapientem et religiosum virum de suis calamitatibus locutum esse; quandoquidem cum illarum gravitate conceptam de divina benignitate fiduciam conjungat. Septuaginta vertunt, παρέδωκε γάρ με Κύριος εἰς χεῖρας ἀδίκων, ἐπὶ δὲ ἀσεβέσιν ἔῤῥιψέ με, *tradidit enim me Dominus in manus injustorum, et super impios projecit me*; Symmachus, εἰς χεῖρας ἀσεβῶν ἔδωκέ με, *in manus impiorum jecit me*. Porro ad præsentem suam calamitatem magis exaggerandam, et commiserationem sui excitandam, pristinum felicitatis suæ statum in memoriam revocat dicens :

Deus electos concludit ærumnis ne abutantur libertate.

Job in lamentis memor illocite in Deum.

Vers. 13. 13. EGO ILLE QUONDAM OPULENTUS REPENTE CONTRITUS SUM : TENUIT CERVICEM MEAM, CONFREGIT ME, ET POSUIT ME SIBI QUASI IN SIGNUM. — Job hic acerbum casum suum graphice describit, quem eo graviorem fuisse declarat, quo de altiori gradu fuerit dejectus, sicut quidam dixit : Miserum est fuisse felicem. *Repente* dicit, quoniam paucis diebus copiis omnibus fuit eversus, et morbo gravissimo oppressus. « Tenuit, inquit, cervicem meam » sicut tenet miles cervicem gallinæ, et intorquens illam confringit ac discerpit; vel sicut vir robustus pueruluni cervice arreptum in ter-

Job repente a summa felicitate ad extremam miseriam

http://www.obrascatolicas.com

dejectus est

ram prosternit, et pugnis calcibusque proterit. Sic alibi dicitur *Baruch.* IV, 25 : « Super cervices ejus ascendes, » id est, dejecti colla pedibus calcabis, domabis, et debellabis eum, et cervicibus ejus pro suppedaneo uteris : sicut rex Persarum usus Aureliano Romanorum, et Tamberlanes Bajazete Turcarum imperatore : vel sicut Ahenobarbi Frederici Venetiis cervicem pede pressit Alexander Papa addito elogio *Psalm.* XC, 13 : « Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. » Eodem fere modo Job Deum animo in se gravi et acerbo tanquam hostem describit sibi jam prostrato imminentem, et vulneribus ac plagis ipsum operientem.

ET POSUIT ME QUASI SIGNUM. — Hoc est velut scopum, in quem omnia sua tela conjiciat; qualem Jeremias expressit in hæc verba *Thren.* III, 12 : « Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam. » Quemadmodum igitur illi qui ad scopum jaculantur, eamque artem exercent, non duo, tria aut quatuor duntaxat tela mittere solent, sed plura : ita Deus Jobum non una alterave tantum calamitate, sed pluribus exercuit, et a summo vertice ad imos usque pedes doloribus transfixit; ut merito cum Psalmista dicere posset *Psalm.* XXXVII, 3 : « Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. »

Job ut signum expositus ad corporis calamitates et ad animæ tentationes.

Allegorice, positus Christus a Patre quasi signum ad sagittam, quia non minus ipse quam et omnis ejus Ecclesia in titulum contra omnes aereas potestates et eorum fallaciam erectus cernitur; unde quidam ex militibus ejus I *Corinth.* IV, 9 : « Spectaculum, inquit, facti sumus mundo, et angelis, et hominibus. » S. Bonaventura serm. 2 *Dom. infr. Octav. Nat. Domini* hunc locum adfert ad probandum, quod Christus in passione positus sit in signum charitatis : « Maximum enim, inquit, charitatis signum fuit, quod Christus sagittas opprobriorum, irrisionum, sputorum, colaphorum, clavorum et lanceæ sustinere voluit : sic et nos per charitatem esse debemus tanquam in nobile signum contra sagittas castigationum divinarum, de quibus Job ait cap. VI, 4 : *Sagittæ Domini in me sunt* : item contra sagittas irritationum humanarum, de quibus in Psalmo est *Psalm.* LVI, 5 : *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ*, etc., item contra sagittas tentationum diabolicarum *Ephes.* VI, 16 : *In omnibus sumentes scutum fidei contra tela nequissimi.* Item contra tam multiplices sagittas adversitatum stat charitas quasi signum immobile. » Unde S. Augustinus tract. *De Laud. charit.* : « Charitas, inquit, inter opprobria secura est; inter odia benefica; inter rixas placida; inter insidias innocens, iniquitatem gemens, in veritate respirans. Sed heu huic signo contradicitur per signum odii et fraudulentiæ ! sicut Judas » *Matth.* XXVI, 48, qui tradidit eis signum. Vere Christus in cruce, cujus Job typum gessit, juxta Simeonis oraculum *Luc.* II, 34, « positus est in signum, cui contradicetur. » S. Gregorius lib. XIII *Moral.* cap. VI, ad hunc locum ita scribit : « Constat quod idcirco signum ponitur, ut sagittarum emissione feriatur. Fidelis itaque populus in signum hosti suo est positus, quia eum semper suis ictibus impetit, cum suis persecutionibus affligit. Qui enim in hac vita assidue mala tolerat, velut in signo positus ictus suscipit sagittarientis. Unde et prædicator egregius, cum persecutionum mala toleraret, atque sub persecutione adversariorum gemeret, teneram discipulorum mentem de suis afflictionibus consolans ait I *Thes.* III, 3 : *Ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus*, ac si eis aperte dicat : Quid in hoc tempore vulnera nostra miramini? qui si æterna gaudia quærimus, huc ad hoc venimus, ut feriamur. » S. Paschasius valde appositum ad hunc locum adfert morale de anima : « Habet, inquit, Christus alias immittere sagittas ad perimendum vitia et peccata; alias vero ad vulnerandas animas amore charitatis. Inter quæ omnia anima constituta est quasi signum ad sagittam, ut hinc suscipiat vulnera charitatis, illinc repellat omnia jacula inimici, quatenus suis triumphet de hostibus, et victrix cum corona recipiat paradisum. »

Christus positus in signum charitatis.

Christianus populus expositus ut signum ad persecutionum sagittas.

Anima fidelis constituta quasi signum ad varias sagittas.

Vers. 14. 14. CIRCUMDEDIT ME LANCEIS SUIS, CONVULNERAVIT LUMBOS MEOS, NON PEPERCIT, ET EFFUDIT IN TERRA VISCERA MEA. — Lamentatur Jobus se circumdatum doloribus et ærumnis, quæ sunt lanceæ seu tela Dei; quod ad internas simul et externas afflictiones referendum : versabat enim se in omnem partem satanas, ut Jobo quantum posset maximum afferret nocumentum; quam ob causam non absre circumdedisse ipsum lanceis suis dicitur potius, quam simpliciter lanceis impetivisse, ut significaretur ab omni parte in Jobum hostis crudeliter sæviisse. Locum hunc expendens Pineda noster : Obsident, inquit, me jaculatores, undique configor jaculis, collimant sagittæ universæ. Cœlum jaculatur ignem; æther ventum rapidissimum; terra vermes; uxor, domestici contumelias; dæmon truces oculos, minas ac terrores; et misera hæc mea conditio aliorum impendentium malorum suspicionem ac metum.

Job circumdatus fuit afflictionibus.

Allegorice hæc verba Christo tribuuntur a corona militum flagellato : nam ad instar lanceolarum fuerunt ea flagella taxillata, quibus sacratissimum Christi corpus undique discerptum fuit. Sunt autem taxillata flagella ejusmodi aut colligatis ossiculis, aut assiculis ferreis et taxillis, quæ non solum concutiendi, sed etiam pungendi et feriendi vim habeant. Vide de flagellis istis Andream Malonium in commentariis cap. VI *De Sacr. Stigmat.*, ubi ex non levis notæ auctoribus ostendit hujusmodi flagella in usu fuisse olim apud Romanos, quorum more Christus Dominus flagellatus fuit. Accedit, quod Romæ in Ecclesia S. Mariæ in via lata inter cæteras reliquias ostenditur ejusmodi flagellum, quo Christus flagellatus dicitur. Ex quibus probabiliter habetur Christum Dominum prædictis taxillatis flagellis fuisse

Christus in flagellatione circumdatus, taxillatis flagellis velut lanceis convulneratus fuit.

cæsum, quæ accommodatissima erant instrumenta ad aperiendos sulcos scindendamque eam sacratissimam carnem et sanctissimum corpus, supra cujus dorsum imposita sunt peccata nostra omnia, ut ea purganda et solvenda portaret.

Diabolus nos lanceis tentationum circumdat.

Tropologice S. Gregorius lib. XIII *Moral.* cap. VI, « Bene, inquit, circumdari lanceis dicimur, quia antiquus hostis tentationis suæ vulnere ab omni parte nos impetit : sæpe enim dum gula restringitur ut libido subjugetur, inanis gloriæ aculeus mentem pulsat; si autem corpus abstinentiæ afflictione non atteritur, contra mentem libidinis flamma se excitat. Sæpe dum servare parsimoniam nitimur, ad tenacitatem labimur; et sæpe dum possessa effuse tribuimus, ad avaritiam ducimur : quia rursum colligere quærimus quod tribuamus. Dum ergo antiqui hostis jacula ubique nos impetunt, recte nunc dicitur : *Circumdedit me lanceis suis.* »

CONVULNERAVIT LUMBOS. — Hoc ad corpus attinet ex parte synecdochice significatum : simile quiddam Jeremias luxit aiens *Thren.* III, 13 : « Misit in renibus meis filias (hoc est sagittas) pharetræ suæ : » *renes* quippe, sicut et lumbi, pro corpore toto ponuntur.

Jobi viscera simul cum sanie, felle, etc. præmoribonum vehementia effusa.

EFFUDIT VISCERA MEA. — Hyperbolice significat dysenteriam : Non tantum, inquit Philippus et Beda, ex ea toto corpore computruerat; verum etiam totus intrinsecus sanie liquescebat; et ita omnia intestina in saniem conversa fuerant, ut per secretiora alvi paulatim in terram effusa sint cum sanguine, felle, aliisque humoribus et viscerum ramentis : Septuaginta cum Hebræo et Chaldæo legunt, ἐξέχεεν εἰς τὴν γῆν τὴν χολὴν μου, *effuderunt in terram fel meum*, quod Hebræi ad litteram accipiunt, scilicet fel Jobi non sine miraculo humi fusum fuisse, et tamen ipsum vixisse interim : quod homini naturaliter est impossibile. Noster optime, etiam interpretibus Mercero et Beza, pro *felle* vertit *viscera*, scilicet totum pro parte et continens pro contento, maxime quia fel ad omnem viscerum egestionem ciendam et propellendam a natura datum sit. Vocatur autem fel hebraice מררה *mererah*, ab amaritudine : nam felle nihil amarius, unde ortum est proverbium de iis quæ ingrata nobis sunt et acerba, πικρότερα τῆς χολῆς ἐστίν, *ipsa bile amariora.* Sic *Actor.* VIII, 23, ad Simonem Magum Petrus ait : Εἰς χολὴν πικρίας ὁρῶ σε ὄντα, *in felle amaritudinis video te esse;* et vulgato fere omni lingua adagio dicimus *felle amarius*, summam amaritudinem significantes; quomodo Latini *fellea* vocant amara, et Plautus in *Trucul.* : « Corda in felle sunt sita et acerbo aceto. » Cæterum fel et bilis idem sunt. bilis autem inter humores amaritudine exsuperat, unde pro amarulentia ponitur. Felle quoque irascimur, sicut splene ridemus, et jecore amamus, et corde sapimus. Quod autem ad præsentem Jobi sententiam attinet, videtur esse hyperbole amaritudinis et ægritudinis animi, quando ipse dolor bilem aut viscera in terram quasi effundere videtur.

Felle nil amarius.

Tale quid habet Jeremias in Threnis suis dicens cap. II, 11 : « Conturbata sunt viscera mea, effusum est in terram jecur meum : » nam quod hic in fonte est, et Septuaginta vertunt *fel*, ibi per *jecur* intelligitur, nam in jecore est fellis folliculus seu receptaculum; unde duæ, quæ Jeremiæ verbis dantur, expositiones huic loco quadrare possunt. Prior est Quinquarborei sic explicantis, *q. d.* Ita sum exsanguis factus, ac si jecur (quod est officina sanguinis) omnem succum in terram profudisset. Altera est Martini del Rio, qui putat de tam continuis lacrymis clarum indicium capi *jecur* non more suo sanguinem, sed lacrymas breviori compendio genuisse, et jam nihil illi reliquum, unde vel has fabricaretur. Ergo *jecoris* vel *fellis* nomine intelligere possumus lacrymas amarissimas, et ex imo eductas indicari, et hostilibus crudelitatibus quasi lanceis haustas evocatasque. Illud etiam patheticum inest significari in ipso corpore cor, fel, jecur et omnia viscera dolore liquefacta in lacrymas conversa, et, ut dictum est, ab hostibus effusa. Nec etiam displiceret hic de felle intelligere, quod de jecore apud Jeremiam sic interpretatur Isidorus Clarius, scilicet jecur amoris et affectuum receptaculum veluti humo affixum et in sordibus jacuisse, *q. d.* Nihil amo præ morte et sepulcro. Huc etiam inclinat Figuierius, qui censet *jecur* poni pro *lætitia* et gaudio, quia affectus hujus sedes est; et sic sensus esset, *q. d.* Omne gaudium amisi.

Jecur est officina sanguinis et lacrymarum.

Allegorice Philippus : « Effuderunt fel meum, » inquit Christus, quando videlicet Judæi suo merito et fellis propinatione effecerunt, ut iram meam super eos justæ indignationis effunderem.

Tropologice S. Augustinus : « Effuderunt fel meum, » ut scilicet terrena bona zelarer in iis qui abundant : nam per jecur illi recte intelliguntur, qui locupletes in Ecclesia curis et voluptatibus deserviunt, sicut physici philosophantur, in jecore voluptatis et concupiscentiæ sedem esse; unde tales monet Apostolus I *Timoth.* VI, 17 et I *Corinth.* VII, 31 : « Ne sperent in incerto divitiarum : sed qui habent, inquit, uxores tanquam non habentes sint, » etc. Alioquin cum hi se effundunt per varia mundi desideria, et relaxant frœna concupiscentiis suis, quid aliud quam jecur Ecclesiæ in terram effunditur? ubi notandum quod hepar non sine felle habeatur : ita et divitiæ nescio si unquam sine amaritudine possideantur. Dicitur autem jecur ad se calore suo succum ciborum trahere vertereque in sanguinem : quem sane usum pascendi nutriendique singulis membris præbet. Et hoc forte est quod Apostolus docet : Et qui habent tanquam non habentes sint, ut in sanguinem redemptionis suæ ea vertant, et singulis Ecclesiæ membris quasi ex abundantia sanguinis pastum et alimentum præbeant.

Jecur designat locupletes.

Jecur Ecclesiæ effunditur cum divites relaxant frœna concupiscentiis suis.

Divitiæ vix habentur sine amaritudine, sicut nec jecur sine felle. Divitiæ in

Anagogice, post hanc vitam fel tribulationum

http://www.obrascatolicas.com

pauperes distribuendæ. nostrarum pro Christo toleratarum in mei consolationis commutabitur.

Vers. 15. 15. CONCIDIT ME VULNERE SUPER VULNUS, IRRUIT IN ME QUASI GIGAS. — Poetice variat orationis modos lugubres ad cruciatuum multitudinem et acerbitatem exprimendam, *q. d.* Per suos jaculatores ac sagittarios absque ulla mei commiseratione

Job vulnera super vulnus accepit. frequentatis ictibus plagam plagæ superaddere non formidavit, ita ut sagitta sagittæ in eadem carnis meæ fractura jungeretur. Sub qua perseverante metaphora breviter, dilucide atque eleganter declarat, quomodo Deus ei non pepercerit, eumque quamplurimis ac diversissimis morbis et vulneribus percusserit, uti est dictum cap. II, 7. Cæterum tam iteratio vulnerum quam alacritas gigantis ad conflictum accurrentis ad statum hominis afflictissimi repræsentandum est maxime apposita : vox hebræa גבור *gibbor*, quam Vulgatus *gigantem* transtulit, virum significat robustum et strenuum, qui nihil non audeat, quique aliis de vulgo hominibus terrori sit; vox itaque *gigas* hic impetum et strenuitatem denotat, nec non bellicæ disciplinæ peritiam, tum ex eo quod de hoc nomine docent Cyrillus lib. IX *Contr. Julian.*, Theodoretus *Quæst.* XLVIII *in Genes.*, et Cassianus *Collat.* VIII, cap. XXI; tum etiam quia hujusmodi vocantur in libro Baruch cap. III, 26, *gigantes scientes bellum*. Significat ergo Job Deum maximo animi impetu sibi occurrisse ad eum feriendum et confodiendum, *q. d.* Cum ego sim homo imbecillis, Deus tamen quasi cum potentissimo aliquo hoste decertaret gigantis habitu me adortus est, et validissimis ictibus trementem concussit.

Allegorice Isidorus *De Nativ. Dom.* cap. XLVII, hunc locum exponit de vulnere lanceæ, quo Christi latus apertum fuit; per quod ait aliquid additum fuisse super dolorem vulnerum aliorum sæviendo etiam in mortuum : propterea canens

Christus etiam post mortem vulneratus est Ecclesia « mucronem diræ lanceæ » nominat. Huic affinis est illa Davidis sententia ex persona Christi loquentis *Psalm.* LXIII, 27 : « Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt : » quadrant item Christo Jeremiæ verba cap. VIII, 18 : « Dolor meus super dolorem, in me cor meum mœrens, » etsi Theodoretus *in Psalm.* LXVIII, ista omnia aliter accipiat quam de Christo; tamen de Christo etiam sumit in lib. I *Dialog. cum Iren.* cap. XXXII, cujus utitur testimonio ut doceat passibilem fuisse.

Tropologice S. Gregorius lib. XIII *Moral.* cap. VI vel X, explicat de iis qui ex consuetudine peccata peccatis accumulant; priora siquidem vulnera peccati diabolus sic infert ut solent parvuli spicula jaculari, de quibus et dici potest *Psalm.* LXIII, 6 : « Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum. »

Vulnera super vulnus addunt qui peccata peccatis accumulant. At cum additur *sagitta sagittæ* et *culpa culpæ*, tunc gigas dæmon evadit, et incurabilia vulnera per consuetudinem sic addit, ut possit peccator conqueri : « Circumdedit me lanceis suis, concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas, » ubi diabolus figuram mutat et commutat arma, nam vice sagittarum parvuli lanceas gigantis assumit : nam, ut Gregorius asserit, « antiquus hostis tentationis suæ vulnere ab omni parte nos impetit; et vulnere super vulnus homo conciditur, quando peccatum peccato additur, ut culpa vehementius exaggeretur. Et quia cum vulnus vulneri additur vires contra nos antiqui hostis vehementius excrescunt, recte subjungitur : *Irruit in me quasi gigas* : Facile quippe inimico resistitur, si non ei vel in multis lapsibus, vel in uno diutius consentiatur; sin vero ejus suasionibus anima subesse consueverit, quanto se ei frequentius subjicit, tanto eum sibi intolerabiliorem facit, ut ei reluctari non valeat : quia nimirum malignus adversarius contra hanc ex prava consuetudine devictam quasi more gigantis pugnat; » unde aperte cognoscitur diabolum in principio peccati parvulum parvulorum emittere sagittam, quæ posset facile vinci vel evelli; at per consuetudinem gigantem evadere et quasi hasta Herculis pugnare, ita ut illi nemo possit opponi, dum contra animam ex prava consuetudine devictam more gigantis pugnat : quare servandum illud D. Hieronymi consilium : « Dum parvulus est hostis, interfice, ut nequitia elidatur in semine. »

Porro hic versus in Hebræo sic sonat : *Dirumpit me ruptura super faciem rupturæ, incurrit in me sicut potens;* rupturam autem dicit, qua in eum Deus quasi irrupit, plagas ejus designando et denotando, sic ut continuis et assiduis rupturis seque invicem continenter excipientibus affligeretur, nec esset ei ulla requies aut respiratio. Septuaginta vero hæc in plurali efferunt, dum sic vertunt, κατέβαλόν με πτῶμα ἐπὶ πτώματι, ἔδραμον πρός με δυνάμενοι, *dejecerunt me ruina super ruinam, cucurrerunt ad me potentes;* vox autem δυνάμενοι de militibus passim usurpari solet : nam ad militiam olim eligebantur qui robore præstabant, qui et *gigantes* appellabantur, ut paulo ante annotavimus.

Vers. 16. 16. SACCUM CONSUI SUPER CUTEM MEAM, ET OPERUI CINERE CARNEM MEAM. — Per *saccum* hic vestem lugubrem significat, quam Græci ἐσθῆτα πενθικὴν vocant; quæ Varroni dicitur *amiculum nigellum* : ea veste utebantur in luctu qua publico, qua privato; et a Græcis interpretibus vocatur ἱμάτιον στενοχωρίας καὶ πένθους, *habitus angoris et luctus* : sic S. Gregorius Nazianzenus *Carm* 4, vocat πένθιμον ἔσθος, quod S. Ambrosius lib. *ad Virg. lapsam*, quasi verbum ex verbo reddit *lugubrem vestem;* Ruricius *contritionis signum;* alii *symbolum pœnitentiæ*. Hinc S. Hieronymus de pio munere quod mittebat ad Lucinium ita loquitur in *Epist.* 28 ad illum scripta : « Ego insignia paupertatis et quotidianæ symbola pœnitentiæ tibi et sorori tuæ misi quatuor ciliciola. » *Saccum* itaque hoc loco cilicium aut vestem lugubrem liceat appellare : ut enim lacus pro puteo, ita saccus pro tali veste interpretum sermone tritus est. *Consuere* autem *saccum super cutem* idem est quod saccum induere,

Saccus quid.

Saccus signum luctus et pœnitentiæ.

et accingere se sacco, aut imponere saccum lumbis vel super lumbos.

Job igitur hic animum suum demissum in usitato luctus et pœnitentiæ habitu declarat, *q. d.*

Job in summis doloribus cilicium et cinerem adhibebat. Cum nulla pars corporis esset non ulcerosa et saucia, non tamen adhibui mollia linteamina, quæ fovere vulnera et lenire dolorem possent, sed sumpsi asperum et cilicinum saccum; et ne quidquam ad lugentis ac veri pœnitentis effigiem deesset, aspersi me cinere, qui a luctus et pœnitentiæ sacco dissociari non solet; quod in sacris litteris et historiarum monumentis adeo tritum est, ut cinis, et saccus, seu cilicium, luctus, pœnitentiæ et humilitatis nota hieroglyphica censeantur, et veluti adjumenta validissima pietatis omni genere divinarum litterarum commendentur. Certe illa duo felicissimo nexu copulata plurimum possunt, iisque ut duplici clypeo tecti Ninivitæ tela furoris Dei represserunt; ex quo constat rem hanc perantiquam esse in piorum usu, et jam tum

Antiquus sacci et cilicii usus. in Veteri Testamento ab iis celebratam, qui in Numinis cultu et virtutum ornamentis principatum obtinebant, quales præter Jobum fuere divini vates aliique summi viri, qui parentis omnium Dei commercio fruebantur; quos imitati quoque alii fructus magnos e devotionis illo genere percipiebant; quod Achabus, rex alioquin

Achab per cilicium evasit Numinis plagam. impius et facinorosus, suo exemplo docuit, qui cum Eliam sibi minitantem audivisset, et terribilia quædam et acerba denuntiantem, quæ vivum juxta mortuumque manerent, exhorrescens Numinis manum ac perniciem, quæ damnato jam capiti imminere videbatur III *Reg.* XXI, 27, « operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite. » Quid igitur inde consecutum est? hoc nimirum, ut placatus ad misericordiam Deus mutaret sententiam, iram coerceret jamque violenter sese effundentem severitatem : quare ad Eliam sic infit *ibid.* vers. 29 : « Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus, » etc. Exemplum scilicet a Davide sumpserat, qui si quando

David in omni necessitate cilicium adhibebat. res molestissimæ domesticam disciplinam aut externam politiam regnumque premerent, ad cilicium velut ad sacram anchoram devote confugiebat *Psalm.* XXXIV, 13 : « Ego autem cum mihi molesti essent induebam me cilicio; » et alias *Psalm.* LXVIII, 12 : « Posui vestimentum meum cilicium. » Hoc vir magnus thorace indutus non aheneo, sed divino, et concupiscentiæ motus frænabat, et ulciscendi libidinem, si quando injuriis afficeretur, et superbos animi spiritus in summo dominatu comprimebat, aliorum hominum scelus eluebat, suum purgabat, Dei benevolentiam emerebatur. Adeoque insita fuit illa pietas in omnium mentibus, ut nihil arduum atque difficile et gravioris momenti aggrederentur, quin se ante cilicio munivissent ad favorem Numinis, ad animi vim et virtutem parandam. Sic Judith et Machabæi se cilicio munierunt. Juditha magnum ausura facinus muliebrem manum corroboravit : et Machabæi tela sua exacuerunt, armaruntque legiones ad Dei bella conficienda, de quibus in sacris oraculis diserte ponitur, sese prius cilicio et cinere cooperuisse. Verum, ut dixi, notabiles in eo fuerunt prophetæ, qui pœnitentiæ vexillum alte extollebant, ut virtutum omnium signiferi et duces ad felicitatem.

Hanc igitur pietatem cum in vetusta Ecclesia tam splendidam tamque in usu viris clarissimis et Deo charis animadverterent christiani, non mirum si religiose et avide sunt eamdem complexi ut instrumentum perfectionis, ut religionis magnum adjumentum; præsertim cum prope in oculis haberent D. Joannem Baptistam, vivam illam pœnitentiæ columnam, mortificationis præconem, quam ore, verbis et exemplo in omni vita promovere contendit : illum enim in deserto cilicium ferre solitum in evangelicæ historiæ monumentis proditum est *Matth.* III, 4 : « Habebat vestimentum de pilis camelorum et zonam pelliceam circa lumbos suos; » quibus verbis cilicium describi doctissimi et gravissimæ auctoritatis viri monent. Accedebat et Filii Dei sensus atque oratio, qui exspectabat a Judæis, apud quos religionem disseminabat, viamque pandebat in cœlum, ut ad præteritæ vitæ sordes eluendas pœnitentiam in cilicio adhiberent; id quoniam minime fiebat ab illis lamentabile væ denuntiat *Luc.* X, 13 : « Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida : quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes pœniterent. » Post tantam Messiæ auctoritatem neque apostoli, nec qui deinde secuti

Antiquus in Ecclesia sacci seu cilicii usus. sunt, gravius testimonium quærendum opinabantur, ut de pii operis utilitate constaret, quare, ut cœperam dicere, primi christiani id genus mortificationis cupide arripuerunt, præsertim qui pœnitentiam vellent agere, de quibus loquens Tertullianus, ait illos « in sacco et cinere volutari, » aut « sacco incubare, » ubi *saccum* vocat cilicium ex consuetudine divinorum oraculorum; in quibus ubi nos habemus *cilicium*, in Græco et in Hebræo est *saccus*. Res fuit tam communis inter christianos, ut Ruricius episcopus *Epist.* 20, *vestimentum Ecclesiæ* dixerit cilicium : « Deponant, inquit, sæculi byssum, et sumant Ecclesiæ vestimentum, quod est cilicium, contritionis indicium. »

Cæterum, ut ad textum revertamur, pro eo quod Vulgatus vertit : « Et operui cinere carnem meam, » in Hebræo est, *fœdavi pulvere cornu meum* : notum ut per *cornu* robur significetur, metaphora ducta ab animalibus iis, quæ se cornibus tuentur, et quorum robur in iis consistit : quamobrem Septuaginta verterunt, τὸ δὲ σθένος μου ἐν γῇ ἐσύανθη, *robur autem meum in terra exstinctum est;* R. Levi pro *cornu* transtulit *caput* dicens, *ascendere feci pulverem super caput meum;* Thargum vero pro cornu *gloriam* transtulit, dum sic reddit, *volutavi in pulvere gloriam meum*, id est

Cornu quid in Scripturis significet.

http://www.obrascatolicas.com

pristinam meam dignitatem, antiquum statum meum, qui felicissimus erat. Sic alibi *Psalm.* CXI, 9 : « Cornu ejus exaltabitur in gloria; » et *Psalm.* LXXIV, 11, « exaltabuntur cornua justi; » et *Psalm.* CXLVIII, 14, « exaltavit cornu populi sui; » et I *Reg.* II, 10, « sublimabit cornu Christi sui; » in qua significatione frequens est hujus vocabuli in Scriptura usus, designatque potentiam, gloriam, perspicuitatem et regnum, desumpta scilicet metaphora ab animantibus ratione carentibus, quibus hastarum armorumque loco cornua Deus addidit. Qui autem de *capite* interpretantur respexerunt ad priscum morem lugentium, qui caput pulvere opplebant ad testandum dolorem suum : sane caput eminet in homine, ut cornua in cornutis animalibus; hoc autem in magno luctu cinere aut pulvere aspergebant, uti superius cap. II, vers. 12, tres amici ex communi lugentium usu fecisse memorantur, ubi plura de hoc ritu annotavimus.

Vers. 17. Jobi facies et oculi intumuerunt a fletu

17. FACIES MEA INTUMUIT A FLETU, ET PALPEBRÆ MEÆ CALIGAVERUNT. — Adhibuit nempe alium quoque lugentium ac pœnitentium habitum, scilicet amarum fletum, quo ejus facies oculique intumuerunt, et visus hebetatus fuit ex humiditate, quæ resolvitur a cerebro, et per oculos genasque decurrit, sicut quotidiana fieri constat experientia; plurimos autem amisisse aut obscurasse oculorum lumen, dum æquo plus lacrymis et mœrori indulgent, res notior est quam ut operosa indigeat probatione. Certe David de semetipso fatetur *Psalm.* XXXVII, 11 : « Et lumen oculorum meorum non est mecum, » sed clarius Jeremias in *Thren.* II, 11 : « Defecerunt præ lacrymis oculi mei, » quod idem est cum eo quod Job hic ait a fletu palpebras suas caligasse, per quas oculos intelligit, partem pro toto : sic in *Psalm.* X, 4 : « Palpebræ ejus interrogant filios hominum, » id est oculi, quibus providentia ipsius innuitur. Septuaginta versum hunc nonnihil aliter reddunt hoc modo, ἡ γαστήρ μου συνέκαυται ἀπὸ κλαυθμοῦ, ἐπὶ δὲ βλεφάρες μου σκιά, *venter meus combustus est a planctu, et super palpebras meas umbra* : alia exemplaria habent σκιὰ θανάτου, quam ut veriorem lectionem amplexa est editio Complutensis, et S. Augustinus agnoscit, in quo *umbra mortis*, quam Olympiodorus quoque præfert. Auctor Catenæ Græcæ in *ventre* animam intelligit, quam etiam sæpius cor significat, et ita explicat, *anima mea ardet, nec lacrymæ quidquam remittunt*. Fortasse in ventre combusto, id est siccato atque exhausto corde, significat Jobus exsiccato lacrymarum fonte defecisse lacrymas, quas exsiccat vis illarum nimium profusa, aut comprimit stupor et immoderatus dolor. Hebræus textus habet, *facies mea conlutulata fuit præ fletu*. id est, quasi luto fœdata, et deturpata sordidataque : nam fletus faciem deturpat, et quasi lutulentam facit, quod uno verbo *lutulare* dicitur; unde Cato : « Postea, inquit, aspergito amurca omne quod lutulaveris, » id est luto infeceris, aut fœdaveris : hoc in Jobo conceptu et explicatu facile est; siquidem ex lacrymis et cinere, quo conspersus erat, subactum est lutum, præsertim accedente sanie, qua ejus facies ita deturpata fuit, ut larvam sibi imposuisse videri potuerit.

Jobi venter combustus a planctu.

Jobi facies conlutulata præ fletu.

Si nonnemo fortasse stoicis imbutus principiis fletum tam uberem vitio vertat Jobo, dicens virum fortem, præsertim regem, qualis erat ipse, lacrymas dedecere, atque leoni similem effici debere; qui quantumcumque tristetur, vix unquam tamen idcirco rugit, aut fremit, vel suspirat, sed tacitus atram intra se bilem concoquit, et imo corde dolorem premit. Huic respondendum, non quascumque lacrymas, etiam profusas, virum fortem adeoque regem non dedecere; siquidem *supr.* cap. I, 20, fletum, et alia istiusmodi externa doloris signa, in calamitatibus moderate adhibita, cum vera fortitudine ac perfecta virtute quam optime consistere osteadimus : quin imo virum vere fortem, ac virtute præditum, in ipsomet virtutis ac fortitudinis exercitio nonnunquam lamentari, et in clamores lacrymasque irrumpere cum laude posse. Cujus rei luculentum in rege Davide et ipsomet Christo, cujus hac in parte una cum Davide Job typum gessit, habemus testimonium, quem flevisse sæpius in vita et in morte tum in sacris annalibus Evangelistæ, tum apostoli in monumentis suis prodiderunt. Quod doctus Salvianus lib. VI pie et eleganter notavit : « Christum, inquit, flevisse legimus, risisse nunquam legimus : » qua in re quoddam sacrum velut diluvium miratur et prædicat S. Bernardus *Serm.* 3, in ramis palmarum, ubi de Servatore in hunc modum loquitur : « Non solis oculis, sed quasi membris omnibus flevisse videtur, ut totum corpus ejus, quod est Ecclesia, totius corporis lacrymis purgaretur. » Haudquaquam igitur quævis lacrymæ, sed molles, sed femineæ et irrationales virum fortem et prudentem dedecent : ut enim in aquis, sic in lacrymis magna est varietas. Nam sicut inter aquas, ut Anastasius Sinaita lib. III *Anagog. contempl.* notat, quædam est genitalis, ut Ægyptia; alia quæ adiri non potest, ut Ammonica; quædam potabilis, ut fontana; quædam infertilis, ut Hiericuntina; lethalis etiam quædam, ut Æthiopica : sic in lacrymis non absimilem notare licet distinctionem : nam quædam bonæ sunt et potabiles, nempe lacrymæ devotionis ac pietatis, quæ ex animi religiosi fonte promanant, easque a beatis angelis suaviter ebibi aiunt Patres, et in vinum quodammodo mutari, adeo ut S. Bernardus serm. 30 *in Cant.*, « lacrymas pœnitentium *vinum angelorum* » appellare non dubitet : quod in illis sit vitæ odor, sapor gratiæ, indulgentiæ gustus, reconciliationis jucunditas; unde consequens est, easdem quoque esse valde fertiles, quippe quæ copiam bonorum affectuum ingenerant, et intimarum actionum, quibus Deus aut placatur, aut conciliatur, aut amplius deme-

Non quævis lacrymæ virum fortem decent.

Christus ipse sæpe flevisse legitur, risisse numquam.

Aquarum magna differentia, ut et lacrymarum.

Lacrymæ bonæ ac potabiles fertilesque quales.

relur. Sunt item aliæ quædam *infertiles*, quarum causa vilium rerum amor est, nec virtutis honestatem intuetur : et hæ omnino vanæ sunt, quia nullo fructu et temere funduntur; vel etiam ad vanitatem aucupandam, quales eorum, qui, ut verbis dicam Maximi Taurinensis serm. *in die Cinerum*, « falso oculorum mœrore præconia mundana mercantur. »

Lacrymæ infertiles et vanæ.

Reperiuntur et *lethales* in flagitiosis hominibus, qui impotenti vetitarum rerum libidine feruntur, quas adipisci cum totius animi et corporis contentione non potuerint, præ dolore lacrymantur, quod maleficium non patrarint : par scelus eorum est, qui flent ad suadendum flagitium animosque molliendos, quod Scriptores in mulierculis animadvertunt, quibus Catullus falsas lacrymulas tribuit : D. Bernardus *Epist.* 247, eleganter vocat *lacrymas doctas mentiri* : vulgo dicuntur *lacrymæ crocodili* ad decipiendum et nocendum comparatæ. In eadem sunt classe, qui præ invidia in aliena felicitate ploratum edunt : vel qui affecti a quopiam injuriis, dum præcipiti furore elati ulcisci vehementer cupiunt, nec possunt, lacrymantur. Ad hoc denique genus pertinent omnes, qui scelerata ex causa mœrore animi et imbre oculorum complentur. Quos damnat, miseraturque S. Ambrosius lib. X *in S. Lucam*, cum agit de lacrymis D. Petri; quem ait lacrymas profudisse, quia culpa illi obrepserat, homines autem sæpe flere, quod non in culpam inciderint : hoc est, inquit, si non vindicent, si non obtineant quod improbe cupiunt.

Lacrymæ malæ ac lethales.

Sunt quædam denique *indifferentes*, quas *naturales* vocant lacrymas, quod eas animi motus et affectio naturalis exprimat; quæ nisi pio proposito et honesta voluntate in bonum finem et beatum referantur, vacuæ sunt luce laudis, et præmio carent apud Deum; naturæ tamen utiles esse possunt et valetudini aliquando : quam ob causam fletum puerorum infantium probat Aristoteles lib. I *Polit.* cap. XVII, ubi vetat illos a fletu impediri, eo quod tales ejulatus et lacrymæ prosint eis ad robur, atque incrementum corporibus eorum suppeditent : huc accedit Hippocratis medicorum principis lib. VI *De Morbis popul.* sect. I, monitum illud præclarum, dicentis, lacrymas in acutis morbis, si ultro et ex voluntate fundantur, esse bonas; si præter voluntatem et invito fluant, malas videri; unde etiam hunc celebratum aphorismum reliquit : « Lacrymæ voluntariæ malum non sunt; invitis autem decurrentes malum. » Valere quoque ad leniendam vim doloris animumque levandum sapientes viri putant : qua de re Petrus Blesensis *Epist.* 49, in hunc modum meminit : « Multis solatio sunt lacrymæ, et ex parte maxima magnitudinem doloris imminuunt. Dolor siquidem speciem ignis gerit, quia dum plus tegitur plus ignescit. »

Infantibus prosunt ad robur.

Lacrymæ voluntariæ salutares.

Ex dictis, ut opinor, luculenter patet contra stoicos, non omnes esse lacrymas viro etiam forti vitio vertendas aut fugiendas, sed quasdam esse laudabiles, quæ ipsum non tantum non dedeceant, sed etiam plurimum ornent; quales sunt compunctionis, devotionis et compassionis, quas summi momenti pretiique apud Deum esse sanctissimi omnes viri consentiunt. Jobo autem adeo fuerunt familiares, ut eas etiam in florentissima fortuna, in mediis mundi lætitiis et communi hominum recreatione veluti spiritale quoddam condimentum adhiberet. Hinc in septemdiali illo filiorum convivio, in quo genialibus epulis hilarius indulgebant, ne forte in aliquo peccassent, pius parens totus compungebatur, et piaculares pro iis quotidie hostias offerebat; quas, uti par est, compunctionis simul ac devotionis lacrymis Deo gratissimis ubertim irrigabat. Quantum autem compassionis quoque lacrymis deditus esset abunde *infr.* cap. XXX, 25 declarabit dicens : « Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. » Sunt sane istiusmodi lacrymæ velut uniones pretiosissimæ gratissimæque Deo, quibus S. Augustinus sacrificii vim nomenque tribuit, in quo sanguis ipsius cordis fundatur. Sanctus quoque Chrysostomus *in Psalm.* CXXIX, nobile quoddam eleemosynæ genus esse dicit στενάζειν, *ingemiscere* et flere propter eos qui affliguntur. Est enim actus eximii amoris erga proximum, quo instar potentissimi sacrificii hominum noxæ et peccata abolentur, ut divinum oraculum monet I *Pet.* IV, 8 : « Charitas operit multitudinem peccatorum. » Ubi sunt lacrymæ compunctionis, subito labes animorum eluuntur et pereunt.

Lacrymæ sint maxime laudabiles.

Haudquaquam sane vulgaris aut cæterorum hominum similis fuisse Jobi fletus existimandus est, quo et faciem suam intumuisse et palpebras caligasse profitetur; sed omnino suppar isti Davidis, qui cum dixisset regalem se etiam lectum continuo fletu opplevisse, adjungit *Psalm.* VI, 8 : « Turbatus est a furore oculus meus, » vel, ut S. Hieronymus vertit, *caligavit oculus meus*; Chaldæus dixit, *obtenebratus est*; Cajetanus, *tinearit*, hoc est, erosus vitiatusque est oculus meus, et magnitudine atque frequentia lacrymarum extabuit, sic ut fletus continuatio luminum aciem hauserit et consumpserit. Quæ sane ostendunt, vix unquam illum sine compunctione lacrymisque fuisse, quæ de die et de nocte exundarent. Sed hoc Jobi fletus præ Davidis luctu mirabilior et excellentior fuit; quod nullum in peccato fundamentum aut cum delicto commercium habuerit, ut tanto perfectius fletu suo Christi lacrymas præfiguraret. Unde subdit :

Qualis fuerit Jobi fletus.

Vers. 18. 18. HÆC PASSUS SUM ABSQUE INIQUITATE MANUS MEÆ, CUM HABEREM MUNDAS AD DEUM PRECES. — In Hebræo prima ista verba, *hæc passus sum*, non habentur, uti nec in Græco; sed tantummodo sic, *Absque eo quod non sit violentia in manibus meis, etiam pura est precatio mea*, Quod Septuaginta vertunt, ἄδικον δὲ οὐδὲν ἐν χερσί μου· εὐχὴ δέ

http://www.obrascatolicas.com

μου καθαρά, *injustum autem nihil fuit in manu mea; deprecatio autem mea munda*, ut cum præcedentibus nexus et sensus sit talis, ac si dicat : Præ multitudine et gravitate dolorum meorum largissime flevi, ita ut præ nimio fletu facies mea conlutulata sit et deformata; cum tamen nulla violentia vel iniquitas fuerit in manibus meis, quam tu, Eliphaz, cum sociis mihi exprobrasti. Sicut ergo maciei nimium fletum, ita nimii fletus non iniquitatem aut ullam violentiam, sed dolorum suorum acerbitatem causam esse protestatur. Vox autem hebræa חמס *chamas*, quæ proprie *violentiam* significat, hic latius sumi videtur, at etiam aliam quamvis iniquitatem aut injuriam notet. Dicunt autem Hebræi Deum non punire gentes nisi propter חמס *chamas*, id est *violentiam*. Sane propter eam delevit olim mundum diluvio, et Sodomam et Gomorrham cum reliquis urbibus. Cæterum duo hic non ad jactantiam, sed ad divinæ veritatis assertionem Job commemorat, scilicet « manus, (id est opera) absque iniquitate et preces mundas, » quibus omnem Dei cultum sub vera justitia religioneque complectitur. Qui enim bene se gerit, nec quemquam injuria afficit, dicitur habere manus puras ab iniquitate. Unde nonnulli hoc membrum referunt ad secundam tabulam, ut sequens ad primam : nam cujus pura est oratio, Deum pie colit; qui duo potissimum ab homine requirit, scilicet manus et cor. *Manus* opera denotant; *cor* autem cogitationes, quæ in corde complentur, ut in renibus inchoantur; quapropter dicitur *Psalm.* VII, 10 : « Scrutans corda et renes Deus. » Sub precatione porro etiam potest sermo comprehendi. Quibus tribus constant omnia, quæ ab homine proficiscuntur.

Jobi fletus non fuit cum iniquitate conjunctus.

Potest ergo sic exprimi Jobi sensus, *q. d.* Ecce qualia et quam atrocia fero supplicia; cum explorata quoad possum conscientia semper opera justa cum religioso cultu conjunxerim : manus enim, ut dixi, est symbolum operationis, et generale instrumentum animi cum alio tractare cupientis, sermo quidam mentis et tacitæ voluntatis interpres. Hinc princeps Onirocritorum habitus olim Artemidorus lib. I, cap. XLIV, ait manus significare λόγους, *rationem*, mentem, sermonem, quod veluti ductu litterarum vel potius opportuno sermone tacitam animorum affectionem declarent. Hinc docte Cassiodorus lib. *De Anim.* cap. XVI : « Manus, inquit, singulariter datæ sunt ad mutuas cogitationes nostras communiter explicandas. » Cum igitur vult animus erga alios vim suæ benevolentiæ prodere tendit manum, et in ea veluti cor ipsum, fidem, amorem et eadem in aliena manu recipit : quod profecto clarissimum signum est pacis mutuæ et perfectæ conjunctionis. Quam ob causam opinor dixit Pindarus altæ mentis poeta in *Olymp.* od. 4 : Χεῖρες δὲ καὶ ἧτορ ἴσον, *cor et manus pari in loco numeroque habenda*, cum hoc ab illis in apertam lucem educatur : quare ab omnibus jure exigit Magnus Paulus I *Timoth.* II, 8, ut « puras manus » habeant : in Græco est ὁσίους, *sanctas*; Tertullianus in *Apolog.* cap. XXX, legit *innocuas*, nimirum a scelere omni immunes, quæ ad nullum malum facinus adhibeantur. Eo quoque retulit D. Chrysostomus divinum illud inventum de manibus in precatione attollendis, quod Vates pius sacrificii quoddam genus vocavit *Psalm.* CXL, 2 : « Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum; » cujus moris hanc causam reddit, ut nimirum si quando ad scelus et maleficium vocemur, apud nos reputantes sacrum illud mysterium, et futurum, ut illas manus ad Deum ἀντὶ συνηγόρων, *velut advocatione functuras*, et per illas spiritale sacrificium oblaturi simus, vereamur eas ignominia et pudore afficere, et illius præposteræ actionis luto et colluvione maculare. Illam igitur sacræ religionis cæremoniam vocat δεσμὸν τῆς κακίας, *vitiositatis vinculum*, nequitiæ frenum, remoram improbitatis. Eodem etiam pertinet illud *Psalm.* CXXXIII, 2 : « Extollite manus vestras in sancta, » ubi legit S. Chrysostomus, « extollite manus vestras ἁγιασμένως, *sacrosancte*, hoc est, prout decet ἡγιασμένους, *sanctificatos;* » quorum proinde non cor modo animumque, sed manus quoque sacrosanctas et ab omni obscœnitate purissimas esse oporteat.

Manus est symbolum operationis et generale instrumentum animi.

Puræ manus ad Deum attollendæ.

Quibus conformiter S. Job tanti mysterii haud ignarus hoc loco « mundas ad Deum preces » vocat, quæ nulla fæce humilium rerum oblitæ sunt, nullis sordibus perturbationum inquinatæ, sed clarissimis evectæ pennis, cœlestes atque divinæ. Illum cursum mundæ orationis David cupiebat *Psalm.* CXL, 2, cum rogat Dei dono atque munere dirigi orationem suam « sicut incensum, » hoc est more modoque thymiamatis; quod ex rebus odoratis confectum summus sacerdos in nobilissimo templi adyto foculo imponebat; unde fumus tam directo itinere sursum attollebatur, ut nullius procellæ vi atque turbine ullam in partem flecti posset. R. Kimchi in hunc Jobi locum ait, præstantes in suffumigandi arte viros ab Alexandrina civitate Hierosolymam evocari solitos, ut suffumigatio sursum recta fieret instar palmæ, neque odorata illa exspiratio huc illuc agitaretur. Sed non tam illud humano artificio, quam fieri divino prodigio magni viri suis monumentis prodiderunt. Significat igitur Job sanctissimus se adhibuisse tantam mentis in orando constantiam, ut rejectis repudiatisque aliis curis et cogitationibus, tota in cœlum atque ad Deum contenderet. Quod divinissimum animi bonum in Gorgonia sorore sua commendat S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 11, cujus ait in precatione fuisse νοῦν ἁπλανῆ, καὶ μετάρσιον, *mentem minime vagantem et sublatam in altum.* Atque illud ipsum olim fuisse christianorum omnium studium e notis veterum commentariis facile intelligimus. Scite et eleganter ait Tertullianus lib. I *Contr. Marc.* cap. XXIII, orationem ad cœlum Deo expandi, ut cum elatis in sublime manibus ipsa

Munda preces quæ.

Jobi in oratione attentio.

oratio quodammodo evolare in cœlum atque ad Deum ire videretur.

Inoratione corda sursum elevanda.

Hinc solemnis illa monitio, quæ manavit e disciplina apostolorum, et providentissima institutione : *Sursum corda :* quam S. Jacobus e sinu Christi fidei christianæ magister, quam divus Marcus, quam deinde alii suis in Liturgiis posuerunt : Ἄνω σχῶμεν τὸν νοῦν καὶ τὰς καρδίας, *sursum habeamus mentem et corda*, inclamabat in conventu pio sacerdos; præsertim in augusto aræ sacrificio, quod divine S. Gregorius Nazianzenus *mystica et sursum ferentia sacra* nominat; ut omnes intelligerent adeuntes ad Deum, atque precibus S. Numinis colloquium ambientes, omni abjecta futilium rerum cura leves et alatos esse oportere. Quo in genere non possum non mirari vehementius et prædicare majorum nostrorum consuetudinem plenam religionis inusitatæ pietatis, qui cum in templo sacris precationibus darent operam, in clausulis orationum pedem omnes solebant attollere, ut præ amore sempiterni domicilii studioque magno cœlestium viderentur jam e corporis tabernaculo migrare velle et conjungi Deo. Rem magnifice Clemens Alexandrinus lib. VII *Strom.* expressit in hunc modum, τοὺς τε πόδας ἐπεγείρομεν, etc., *pedes attollimus* « in extrema orationis acclamatione, prompto animo et alacritate insequi cupientes beatam illam naturam, quæ mente et intelligentia percipitur; et una cum verbo corpus abducere conantes μετάρσιον ποιησάμενοι τὴν ψυχὴν ἐπτερωμένην, etc., *erectam animam et desiderii pennis elevatam cogimus in sancta progredi.* » Idem prope significat D. Ambrosius lib. VI *Hexaem.* cap. IX, qui mirabilem Dei providentiam in humano corpore fabricando suspiciens, pedes aiebat nobis datos non ut brutis animantibus quatuor, sed ut avium generi duos, quod sublimes alta petere debeamus. Sed paulo clarius eamdem ipsam in templo consuetudinem Justinus martyr videtur attingere cum agit de iis quæ a christianis die Dominica fierent : « Post lectiones, inquit, sacras et antistitis cohortationem, ἀνιστάμεθα κοινῇ πάντες, καὶ εὐχὰς πέμπομεν, *consurgimus communiter omnes, et precationes mittimus.* » Argute et sapienter Eusebius Emissenus homil. *in Nativit. B. Virginis* animadvertit inter cleros poni columbam illam argenteam tergo inaurato, quæ in æthera sublimius evolat; ea causa et de sanctis dici *Isai.* XL, 31 : « Assument pennas ut aquilæ, volabunt, et non deficient. » Addit propter hoc et Tabernaculum maxima ex parte opere plumario factum esse, ut omnes alas suscipiamus, et volare discamus. Plura de elevatione manuum aliisque orantium gestibus vide *supr.* cap. XI, 13, fusius explicata et moralizata.

Antiquitus pedem in fine orationis attollebant, et cur.

Vers. 19. 19. TERRA NE OPERIAS SANGUINEM MEUM, NEQUE INVENIAT IN TE LOCUM LATENDI CLAMOR MEUS. — Est pathetica atque elegans sermonis apostrophe ad res mutas sensuque carentes, ut quam in præcedenti versu asseruerat suæ conscientiæ puritatem iterum confirmet ac roboret : terram enim compellat, atque in testem citat, ac rogat, ut si aliquod eorum, quæ ab Eliphazo ei objecta sunt, criminum unquam commiserit, minime illud occultet, nec celet afflictionem et miseriam, qua ejus sanguis vitaque consumebatur. Non enim nomine *sanguinis* hic intelligendus est cruor, qui in ejus venis existebat; sed peccatum, pro quo sæpe in Scripturis accipitur *Psalm.* L, 16; *Isai.* I, 15; *Ose.* IV, 2; *Ezech.* IX, 9, etc., et afflictio, quæ sit pœna peccati, *q. d.* Velim cœlo et toti mundo notam esse calamitatem meam ejusque causam, ut omnes videant innocentiam meam. Ita Chrysostomus, Polychronius, Olympiodorus in *Caten*, qui etiam hoc ad appetitum justæ de hostibus vindictæ referunt; quasi videatur alludere ad sanguinem Abel justi, cujus vox de terra ferebatur in cœlum, cum per injuriam fuisset fusus in terram, juxta illud *Gen.* cap. IV, 10 : « Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, » ubi, ut bene notat S. Ambrosius *Serm.* 76, « clamare dicitur sanguis, qui innocens effusus est, non tam voce quam causa. » Hic quippe sanguinis clamor celerem et atrocem in conspectu Dei vindictam vehementer expostulat, sic enim dicitur peccatum clamare ad Deum : quare vox *sanguinis* idem est quod *fratricidium*. Quem loc. cum eleganter sic expendit D. Ambrosius lib. II *De Abel et Cain* cap. IX : « Non dixit; De fratris clamat corpore, sed : De terra clamat. Etsi frater parcit, terra non parcit; si frater tacet, terra condemnat : ipsa est in te testis et judex : testis acrior, quæ adhuc parricidii tui sanguine madet : judex asperior, quæ tanto scelere coinquinata est, ut aperiret os suum, et reciperet sanguinem fratris tui de manu tua. » Et illa quidem aperuit os suum quasi acceptura de fratribus verba pietatis, nihil timens cum fratres videret, quæ sciret jus germanitatis amoris incentivum esse, non odii : nam quomodo poterat parricidium suspectare, quæ adhuc non viderat homicidium? Sed tu effudisti sanguinem, cujus dolens ipsa contagium, non augebit virtutem suam dare tibi. Non mediocre etiam dogma quod ait : *Vox sanguinis fratris tui ad me clamat*; quia Deus justos suos audit etiam mortuos, quoniam Deo vivunt. Et merito pro viventibus habentur, quia etiamsi corporis gustaverint mortem, vitam tamen incorpoream capiunt, et illuminantur suorum splendore meritorum, luce quoque fruuntur æterna. » Sic Ambrosius, cujus quot verba tot sententiæ contra Caini parricidalem inhumanitatem, et pro commendanda fratrum concordia et justorum funeribus celebrandis. Simili igitur modo mens Jobi sic exprimi posset, ac si dicat : Nolo terra mox absorbeat sanguinem meum tabemve decurrentem : habet quippe sanguis innoxii hominis, licet corruptus ac fœtidus, vocem suam, quæ in cœlos efferlur, et judicis officium implorat. Nolo ergo vox hæc sanguinis mei terræ

Sanguinis nomine sæpe peccata intelliguntur.

Quomodo sanguis dicatur clamare de terra.

Terra vindictam de Caini expostit.

Justi post mortem Deo vivunt.

http://www.obrascatolicas.com

visceribus condatur; nolo sanguis meus clamandi peritus præfocetur in terra, sed in cœlos celerrimo volatu penetret : ibi enim habeo testem, hoc est spectatorem perspicacissimum animi mei, bene conscium meorum affectuum, quem in terra nefarie accusatus appello. Quæ verba mirum ægre affecti animi significatum produnt; quandoquidem res inanimas compellat, quas innocentiæ assertrices invocat.

Sanguis Christi melius clamat quam Abelis.

Allegorice S. Gregorius lib. XIII *Moral.* cap. VIII, id refert ad sanguinem Christi melius quam Abel clamantem misericordiam, et non vindictam : « Sanguis, inquit, Jesu melius loquitur quam Abel : quia sanguis Abel mortem fratricidæ fratris petiit; sanguis autem Domini vitam persecutoribus impetravit. Ut ergo in nobis sacramentum dominicæ passionis non sit otiosum, debemus imitari quod sumimus, et prædicare cæteris quod veneramur : locum enim latendi clamor ejus in nobis invenit, si hoc quod mens credidit lingua tacet; sed ne in nobis clamor ejus lateat, restat ut unusquisque juxta modulum suum vivificationis suæ mysterium proximis innotescat : » sic ille. Hunc eumdem locum Philippus presbyter etiam de Christo accipit in hanc sententiam : « Numquam rerum terrenarum amor ita hominum mentes obruat, ut hujus tanti beneficii memoriam curarum suarum mole sepeliat, sed super omnia in corde nostro emineat quod summum est. »

Passio Domini prædicanda.

Nota hunc locum pro concionatoribus, quorum munus est prædicare Christum, et hunc crucifixum : nihil tam frequenti, acri ac vehementi studio versare et inculcare debent quam Domini Jesu passionem, cujus in figura Raab ad fenestram appendit coccineum filum, de quo sic S. Ambrosius lib. V *De Fid.* cap. V : « Quæ in excidio civitatis remedia desperaret salutis, quia fides vicerat signa fidei, atque vexilla dominicæ passionis attollens coccum in fenestra ligavit, ut species cruoris mystici, quæ foret mundum redemptura, vernaret : ita foris Jesus nomen fuit prælïantibus ad victoriam, intus species dominicæ passionis periclitantibus ad salutem : » sic ille. Rubescat ergo vox totumque os in concionatore Christi Domini sanguine : hæc est enim illa oris venustas, quam tantopere commendabat in sponsa divinus Spiritus *Cant.* IV, 3 : « Sicut vitta coccinea labia tua. »

Vers. 20.

20. ECCE ENIM IN COELO TESTIS MEUS, ET CONSCIUS MEUS IN EXCELSIS. — Postquam terræ et mortalium in ea habitantium accersivit testimonium, cœlum ipsum, vel potius cœlorum Dominum et habitatorem, suæ innocentiæ testem invocat, nempe Deum, quasi elevatis, uti fecisse verosimile est, in cœlum oculis diceret : Si forte alium testem exigitis, ecce in cœlis qui pro me respondebit ac testificabitur; ille videlicet, « qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra, » *Psalm.* CXII, 5. Per periphrasim autem vocatur Deus *cœlorum habitator*, unde omnia prospiciat, et omnium in terra habitantium hominum actus discernat; et hic est honoris titulus quo utitur Psalmista, ut ostendat nullum posse a Dei lumine abscondi, sed omnia impiorum opera nuda esse in oculis ejus, cum ait *Psalm.* II, 4 : « Qui habitat in cœlis irridebit eos, » etc.; item *Psalm.* CXXII, 1 : « Ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis. » Quamvis autem Deus sit ubique, dicitur tamen in cœlis habitare, tum quia gloria ipsius ibi potissimum elucet; tum quod inde ad modum concipiendi nostrum tanquam ex alta turri quidquid hic agitur contemplatur. Et scribit Aristoteles lib. I *De Anim.* cap. III, quasi a natura insitam fuisse hominibus opinionem, Deum in cœlo habitare; unde illud tam frequens apud Græcos : ὁ ὑπέρτατα δώματα ναίων, *superique habitator olympi*, sed et tradita nobis a Christo Domino oratio sic incipit *Matth.* VI, 10 : « Pater noster qui es in cœlis. » Verbis ergo illis, *ecce in cœlo testis meus*, ostendit vir plane fortissimus spem inter procellas immotam uti anchoram tutam et firmam, et, quod est mirabile, cœlos ipsos penetrantem; quasi Deus ipse Jobi innocentiam propria auctoritate testaretur. Et quidem novum non est, sanctorum innocentiam ab improborum calumniis divino testimonio vindicari, seu divinam auctoritatem ad manifestandos justos, et e tenebris, quibus involvuntur, eruendos interponi. Vir itaque sanctissimus, cum eum falsi amici fictis calumniis lacerarent, a quibus se eripere non poterat alicujus humani testimonii præsidio, jure merito confugit ad divinum : « Quasi diceret, inquit Polychronius in *Caten.*, Dei judicium appello : is enim cum perfecte cognoscat omnia, neque ex iis quæ videntur, sed ex sola veritate sententiam ferat, eorum quæ a me dicuntur testis esse potest. » Nec sua Jobum spes fefellit, nam statim Deus cap. XLII, 7, ad improbos illos calumniatores : « Non estis, inquit, locuti coram me rectum, sicut servus meus Job. Ite ad servum meum Job, et offerte holocausta pro vobis : Job autem servus meus orabit pro vobis : faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia, » ubi duo observa, in primis, Jobum vocari sæpius *Dei servum*, qui paulo ante a calumniatoribus *Dei hostis* dicebatur, quod recte expendit D. Chrysostomus : « Identidem, inquit, Deus Jobum *servum* suum appellat, ut ostendat eum sua egregia facinora commemorantem esse vera locutum; amicos autem, qui illum condemnarant, haud vera dixisse. » Deinde observa ex Olympiodoro Jobum a Deo constitui patronum ac deprecatorem suorum calumniatorum, ut intelligerent ipsi calumniatores quanta esset apud Deum Jobi auctoritas, qui illum vehementer iratum serenaret, et quanta esset Jobi benignitas etiam in adversarios, qui pro illis apud Deum precaretur; unde factum est, ut viri probitas, quæ falsis calumniis latebat, divino testimonio in apertam lucem traheretur.

Cur Deus in cœlis habitare dicatur.

Sanctorum innocentia sæpe divino testimonio comprobatur.

Job Dei testimonio probatur.

Deus Abelis innocentiæ testimonium dedit.

Eodem modo Deus inter Cainum et Abelem dijudicavit : quis non crederet Caini hostiam, sicut tempore prior fuerat, ita fuisse animo perfectiorem? Ex hac autem opinione quis non videt, quanta in caligine Abelis sanctitas versaretur? Quid ergo Deus? Adfuit statim factorum testis et arbiter, nam « Abel, inquit D. Paulus *Hebr.* XI, 4, testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo, » *q. d.* Opus fuit ut major Abelis virtus, quæ in animo latebat, divino testimonio foras proderetur. Mur-

Deus tacentem Moysem defendit.

murarunt olim contra Moysem Maria et Aaron; ad quos statim Dominus Moysis innocentiam testatur dicens *Num.* XII, 7 : « At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est, » etc. Ubi Rupertus lib. I, cap. XXXIV : « Nullo modo, inquit, Moyses seipsum defendebat, et hoc pacto quasi legitima causa defensorem sui Deum magis tacendo constituebat : » nam Deus etiam non requisitus suorum innocentiam proprio testimonio tuetur. Dominum ergo testem

Deum non homines spectare debemus.

ac laudatorem nostrorum operum requiramus; homines vero nec vituperatores timeamus, nec laudatores auscultemus : « Omnis qui ex eo quod agit, inquit S. Gregorius, humanas laudes appetit, testem in terra quærit; qui autem de actibus suis omnipotenti Deo placere festinat, testem se in cœlo habere considerat. »

Vers. 21.

21. VERBOSI AMICI MEI : AD DEUM STILLAT OCULUS MEUS. — Per apostrophen convertitur ad amicos, quos irrisorie vocat *verbosos*, iterum eos de nimia loquacitate pungens, atque una voce complectens id quod nuper dixerat eos nugis tantum ventosisque sermonibus delectari. Unde patet omnium optime interpretem reddidisse vocem hebræam מליץ *melitz* : friget enim aliquantulum versio Vatabli simpliciter reddentis, *collocutores mei*; similiter ea Pagnini et Tigurinæ, quæ habent *rhetores mei*; nec ad rem facere videtur illa Montani, Burgensis et Complutensium, *interpretes mei*. Non enim hic arguit Job amicos, quasi in deteriorem partem verba sua interpretentur, licet verissimum sit; sed potius, quod nullo verborum aut rationum pondere valentes, bullatis tantum sermonibus sibi illudere delectentur.

Notanda hic illa phrasis : « Ad Deum stillat oculus meus : » quamvis enim stillare apte conveniat oculo lacrymabundo, aliquid tamen amplius hoc loco connotat quam fletum simplicem, nempe mutam quamdam locutionem, et mentalem cum lacrymis ad Deum orationem, *q. d.* Deum alloquitur oculus meus, per lacrymas videlicet, quæ verba efficacissima sunt, et legatione pro nobis funguntur apud Deum, ut credidit ille qui dixit *Psalm.* XXXVIII, 13 : « Auribus percipe lacrymas meas : » quæ nisi verba essent auribus minime perciperentur. Hic sermo vivus et efficax, quo utendum, ubi mortalium auxilia desunt, aut verba nocent.

Stillare pro *loqui*

Adde quod phrasi hebraica *stillare* sæpe pro *loqui* sumitur, ut apud Michæam, quod in fonte est cap. II, 6 : « Ne stilletis stillantes; » interpres noster vertit, *ne loquamini loquentes*, cui annuens S. Hieronymus : « Aquila, inquit, interpretatus est, *ne stilletis stillantes*, quodam idiomate hebraico, eloquium, ab eo quod fluat, et ad aures perveniat audientium in similitudinem pluviæ descendentis, *stillationem* vocans. » Similiter apud Ezechielem pro *prophetare* dicitur cap. XXVI, 40 : « Stilla ad Africum; » item *ibid.* XXI, 2 : « Stilla ad sanctuaria, et propheta super humum Israel; » sicut et in Amos cap. VII, 26 : « Non prophetabis super Israel, et non stillabis super domum idoli. » In quibus locis amarum quid et terribile prædicendum verbisque annuntiandum præ se fert; sed aliquando benignam, suavem et fluidam eloquentiam denotat, velut *infr.* cap. XXIX, 22 cum dicitur : « Super illos stillabit eloquium meum : » cujus schematis similitudo exprimitur in illo *Deuter.* XXXII, 2 : « Fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina : quia nomen Domini invocabo. » Itaque Job asserit se flebili quadam voce ad Deum humiliter, benigne suaviterque locutum fuisse, vel ab eo aliquid postulasse; eo prorsus modo quo I *Reg.* I, 15 mater Samuelis prophetæ effudit aliquando animam suam in conspectu Domini, etsi vox ejus penitus non audiebatur :

Sæpe in Scriptura sumitur.

Vers. 22.

22. ATQUE UTINAM SIC JUDICARETUR VIR CUM DEO, QUOMODO JUDICATUR FILIUS HOMINIS CUM COLLEGA SUO. — Utinam, inquit, Deus in hac causa disceptanda illum sequeretur ordinem, quem homines in suis de more judiciis exercendis observant; qui rationes hinc inde conferunt, easque judicibus expendendas proponunt, qui sive ad constituenda præmia, sive ad imponenda supplicia, mensuram aliquam habent a lege constitutam! *q. d.* Possem facile meam causam probare et justificare; verum non sic apud Deum se res habet, qui supra leges est; neque semper punit ut judex, sed interdum exercet et probat ut pater, quique quos magis amat severius affligit. Judicamur itaque cum Deo, aut nostram cum illo causam disceptamus cum precibus et lacrymis, non ad morem forensis strepitus cum præmeditatis rationum aut cavillorum argutiis : sic nimirum vir cum collega suo et compare argumentari solet, ut ratio rationem, et vim vis opposita depellat, et veritas tandem ex argumentorum congressione se prodat. At cum Deo, longe aliter; neque Deus eodem semper modo veritatem pronuntiat, quo homo absoluto judicio, ita ut omnes intelligant, quid Deus maxime aut velit aut probet externo aliquo signo. Et hoc videtur voluisse Jobus, dum ea ratione judicari cupit cum Deo, id est judicium subire Dei, qua homo mortali judici causam suam disceptandam permittit, qui per præconem, aut publica aliqua atque legitima forma, quid æquum sit, aut secus, pronuntiare solet : sperabat enim fore, ut Deus longe aliter, quam amici illi verbosi atque onerosi consolatores, de causa statueret, et ostende-

Dei judicium longe diversum ab humano

http://www.obrascatolicas.com

ret longam illam vexationem non esse scelerum supplicium, sed fidei atque patientiæ probationem, cum nullius sibi culpæ conscius esset. Ut enim scelerum conscientia languidos reddit robustorum animos, sic ubi hæc abest audaces reddit innocentes, et ita constantes, ut cum Deo ipso congredi non recusent, quod hic Jobus optare se dicit : sane verum est quod Horatius cecinit lib. I *Epist.* 1, bonam conscientiam instar muri ærei esse, qui homines securos esse jubet, quantumcumque hostis premat :

Mala conscientia timidos, bona vero audaces reddit.

Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Hæc explicatio est Sanctii nostri, et mihi omnium placet maxime; neque tamen illorum expositio displicet, qui Jobo id in votis esse putant, ut causa hæc a Domino judicetur eo tempore, quo adhuc superest halitus, et potest utilis esse disceptatio; neque ad illud differat tempus, in quo non licet viam illam repetere, quam semel confecit, neque gressus corrigere, quos extra legem et orbitam instituit. Cui explicationi belle assonant quæ proxime sequuntur :

Vers. 21. Job optat ante mortem discerni causam suam.

23. ECCE ENIM BREVES ANNI TRANSEUNT, ET SEMITAM, PER QUAM NON REVERTAR, AMBULO. — Est familiare viris præsertim piis ac sapientibus mortis hora imminente graviter, sancte et apposite loqui, cum jam se coram judice sistendos cogitent, nolintque ullius culpæ rei peragi, quam in hac vita non expiarint : quocirca cum Jobus mira de se dixisset, quæ iniquis æstimatoribus parum probari novit, subdit se non inconsulto illa protulisse, sed præmeditato, eademque nunc demum confirmare eo sensu ac maturitate, quæ deceat virum pium suæ salutis cupidum, qui mortis nuntio jam vocatur ad tribunal, ubi sit rerum verborumque rationem redditurus. « Ambulo, inquit, semitam, per quam non revertar, » hoc est, eo gradior, unde non regrediar. Videtur autem Jobus hac ipsa oratione velle Dei clementiam urgere, ut maturet ei benefacere, quæ infinitæ bonitatis propensio est; labi tempus, paulloque post non fore in hac vita Jobum, quem afflictum recreet, cui insonti opituletur. In Hebræo est, *quia anni numeri advenient;* id est pauci et breves, quo sensu Sirach dixit *Eccli.* XVII, 2 : Ἡμέρας ἀριθμοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς, *dies numeri dedit eis,* id est paucos, qui nempe numeratu faciles sint; unde Septuaginta hic transtulerunt, ἔτη δὲ ἀριθμητὰ ἥκασιν, *anni autem numerati venerunt;* posterius autem hemistichium in futuro sic expresserunt, ὁδῷ δὲ, ᾗ οὐκ ἐπανατραφήσομαι, πορεύσομαι, *via per quam non revertar, ambulabo.* Innuit autem viam universæ carnis, qua nemo revertitur κατὰ φύσιν, *secundum naturam* scilicet, et secundum statum præsentem : nam miraculose nonnunquam aliqui reversi sunt; et omnes in resurrectione ad carnem revertemur II *Corinth.* v, 10, ut pro meritis quisque suis prout in ea se gessit recipiat.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Job ex ærumnarum magnitudine et multitudine certam sibi mortem imminere præsagit, et amicos præsentem tantum remunerationem statuentes insipientiæ arguens, ipse futuram requiem præstolatur.

1. Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, et solum mihi superest sepulcrum. 2. Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus. 3. Libera me, Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. 4. Cor eorum longe fecisti a disciplina, propterea non exaltabuntur. 5. Prædam pollicetur sociis, et oculi filiorum ejus deficient. 6. Posuit me quasi in proverbium vulgi, et exemplum sum coram eis. 7. Caligavit ab indignatione oculus meus, et membra mea quasi in nihilum redacta sunt. 8. Stupebunt justi super hoc, et innocens contra hypocritam suscitabitur. 9. Et tenebit justus viam suam, et mundis manibus addet fortitudinem. 10. Igitur omnes vos convertimini, et venite, et non inveniam in vobis ullum sapientem. 11. Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. 12. Noctem verterunt in diem, et, rursum post tenebras spero lucem. 13. Si sustinuero, infernus domus mea est, et in tenebris stravi lectulum meum. 14. Putredini dixi : Pater meus es, mater mea, et soror mea, vermibus. 15. Ubi est ergo nunc præstolatio mea, et patientiam meam quis considerat? 16. In profundissimum infernum descendent omnia mea : putasne saltem ibi erit requies mihi?

Vers. 1. Job significat sibi extremum vitæ imminere.

1. SPIRITUS MEUS ATTENUABITUR, DIES MEI BREVIABUNTUR, ET SOLUM MIHI SUPEREST SEPULCRUM. — Job hic prosequitur et explicat id quod in fine capitis præcedentis per circuitionem de instante sibi morte dixerat : « Semitam, per quam non revertar, ambulo, » indicans instare jam extremam metam, a qua ad carceres revocari non datur, cum laboret anguste attenuatus spiritus, et deficiat libere respirandi facultas : vix enim, inquit, spiritum duco, quod est morientis indicium, et vitæ jam deficientis, quæ trahendo reddendoque spiritu continetur, quare cum magna difficultate respirandi diu non valet exsistere. Posset etiam sic explicari, ut *spiritus* animam significet, juxta quod scribitur de hominis informatione *Gen.* II, 7 : « Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem. » Et ita Chaldæus hoc loco transfert, *anima mea,* q. d. Animam ago, pereo, et vita mea consumitur, quæ explicatio Græcis arrisisse videtur, qui ita vertunt, ὀλέκομαι πνεύματι φερόμενος, *pereo spiritu agitatus;* quod vero *attenuabitur* dicit, est futurum pro præterito, phrasi Scripturæ usitata. Potest autem attenuatio spiritus ad respirandi difficultatem, quam vocant δύσπνοιαν, vel *asthma,* referri, vel etiam ad attenuationem spirituum vitalium; at certe tot suberant in homine tabido mortis causæ, ut non multum referat hanc illamve disquirere. Recte autem et eleganter attenuatæ compressæque respirationi junguntur *dies decurtati,* ut proxima et accelerata mors describatur, et nihil jam esse reliquum nisi *sepulcrum,* commune mortuorum domicilium; hanc scilicet unam habet homo domum, quæ nomen non mutabit, quæque ad judicium usque perpetua erit. Villæ, ædes præclaræ, horti, agri, prædia, mille mutant nomina, et mille cum nominibus dominos; at sepulcrum nomen incisum cum domino semper retinet, juxta illud *Psalm.* XLVIII, 12 : « Sepulcra eorum domus illorum in æternum, » id est usque ad sæculi consummationem. Qui hæc animo versat, terrena flocci facit, cœlestia concupiscit, juxta illud S. Hieronymi *ad Paulin.* : « Facile cuntemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum. » Illud tamen afflictum Jobum vehementer angebat, quod cum non peccasset, tanquam flagitiosissimus homo torqueretur : quare sic conqueritur :

Sepulcrum hominis domus usque ad sæculi consummationem.

Vers. 2. Job protestatur se non ob peccata sic affligi.

2. NON PECCAVI, ET IN AMARITUDINIBUS MORATUR OCULUS MEUS, — *q. d.* Nihil a me admissum propter quod usque adeo vehementer cruciari debeam, et tamen oculi mei nihil experiuntur non amarum, qui jam lacrymarum assiduitate tabescunt, et nihil vident quod exhilaret animum, imo quod non augeat dolorem : *oculum* enim *in amaritudinibus morari* idem est quod *diu flere,* longum fletum effundere, fletum, inquam, amaritudine plenum, qui fortasse somnum abigebat, ut noctes fletu insomnes ducens, recte morari, seu cunctari, vel diutius amare flendo perseverare dictus sit. Quo sensu autem Jobus a peccato se immunem dicat, cum tamen se aliquando eidem obnoxium fuisse fateatur, in superioribus sæpe dictum est, nempe hominum judicio, qui externa tantum opera considerant, aut comparatione pœnarum, quibus Dominus non nisi gravissima peccata punire solet, qualia in se non inveniebat Jobus : vide quæ cap. VI, 2 et cap. IX, 2, 20, 29, 30, etc., dicta sunt. Ultima autem pars hujus versiculi similis est vers. 1 cap. X, ubi vide uberiores ejus explicationes. Pulchre autem et apte ad hunc locum B. Laurentius Justinianus lib. *De Cast. connub. verb. et anim.* cap. XV : « Præstantius, inquit, est innocenter humiliari quam juste, nam innocentia meritum cumulat, justitia autem persolvit debitum : juste quippe Propheta sanctus humiliatum se agnovit, qui post violati proximi thorum, post contra Dei voluntatem populi numerationem, post perpetratum homicidium aiebat *Psalm.* CXVIII, 67 : *Priusquam humiliarer ego deliqui;* juste quoque Propheta alius se et populum Dei humiliatos confitebatur, cum lacrymosa prece diceret Domino *Dan.* IX, 5 : *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie gessimus, et recessimus, et declinavimus a mandatis tuis atque judiciis : neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis : propter peccata quidem nostra et iniquitates patrum nostrorum Jerusalem et populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum :* innocenter vero humiliatus fuerat Job, vir utique simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo : qui post amissam substantiam, post natorum interitum, post vulnerum cicatrices et vermium rosionem in sua perseverans innocentia dicebat confidenter : *Non peccavi, et in amaritudine moratur oculus meus.* »

Præstat innocenter pati quam nocenter.

Lectio Hebraica hoc loco plurimum videtur a Vulgata distare; sed utramque Sanctius noster optime conciliat, ut eadem sit, aut certe non admodum diversa sententia : sic autem est hebraice, *profecto illusores aut mendaces mecum,* ita nimirum appellat suos falsos amicos, quia dicebant ipsum esse sceleratum, et propter sua peccata tam acerbe puniri, quos dum *mendaces* dicit atque *illusores,* non obscure docet in se nullum esse peccatum; quod idem est atque *non peccavi.* Græci hunc versiculum cum sequenti confuderunt, unum ex duobus sua versione facientes, et aliam sententiam reddentes : ἱκέσθαι κάμνων· καὶ τί ποιήσω; ἔκλαυσα δέ μου τὰ ὑπάρχοντα ἀλλότριοι. τίς ἐστιν οὗτος; τῇ χειρί μου συνδεῖτε, *supplico laborans; et quid faciam? furati autem sunt bona mea externi : quis est hic? manui meæ colligetur;* ubi illud *supplico laborans* respondet istis Vulgati verbis, *in amaritudinibus moratur oculus meus,* quod Septuaginta sic intellexerunt, ac si Job dicat oculos suos in Deo morari, id est, in tantis ærumnis ad Deum solum esse conversos ipsius opem implorando, sicut dixit David *Psalm.*

Lectionis hebraicæ et græcæ varietas et conciliatio cum Vulgata.

http://www.obrascatolicas.com

CXXV, 1 : « Ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis, » etc. Illud autem, *furati sunt bona mea externi*, respondet ei quod in Hebræo esse diximus, *profecto illusores aut mendaces mecum*, quod in *Caten.* exponitur de Chaldæis aliisque prædonibus, qui cap. I narrantur Jobi bona diripuisse, illique illusisse. Porro illud, *quis est hic? manui meæ colligetur*, idem est ac si dicat : Quis mecum vult in judicio disceptare? ad manum meam alligetur, ut una ad divinum tribunal deducamur, Dei judicium subituri. Quod respondet versui sequenti :

Vers. 3. Job Dei invocat patrocinium.

3. LIBERA ME, DOMINE, ET PONE ME JUXTA TE, ET CUJUSVIS MANUS PUGNET CONTRA ME. — Sermonem hic ad Deum convertit suorum amicorum illusionibus ac deceptionibus fatigatus, a quibus expediri ac liberari desiderat, et hoc est quod extenso quodam et generali sensu in sua versione Vulgatus expressit; in fonte tamen aliquid specialius, nempe quasi modus, quo hoc exsequi debeat, continetur. Cum enim de litigando sit sermo, ut a solita litigantium inquietudine, quam patitur, liberetur, et ut evidentius de sua contestata innocentia constet, postulat a Deo, ut ipsemet causam suam dijudicet, ne amplius cum prædictis illis illusoribus amicis suis agendum et litigandum sit. In Hebræo est, *pone fidejussionem meam tecum*, id est, fidejube, seu promitte, quod apud te, et non apud homines causa mea agetur, et tuo, non humano judicio causa definietur; tum neminem timebo, ita Tirinus noster, Stunica et alii : est enim Dei judicium firmissimum innocentium præsidium, sicut dicit Apostolus *Rom.* VIII, 31 : « Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat : quis est qui condemnet? » hoc est, inquit Cornelius, scutum impenetrabile patientiæ sanctorum, quo excipiunt et elidunt omnia hostium jacula, *q. d.* Deus est qui hosce electos, puta fideles suos, a peccatis, et ab intentata peccati et dæmonis actione absolvit, justosque pronuntiat. « Quis ergo diabolus, inquit D. Anselmus, vel homo contrariam damnationis sententiam in eos ferat? » *q. d.* Nemo, nisi frustra. Aut quid noceant eis accusationes et damnationes hominum, cum Deus eos justificat? Idem dixit Isaias cap. L, 8 : « Juxta est qui justificat me, quis contradicet mihi? Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis est qui condemnet me? » ubi pro *condemnet me* hebraice est ירשיענני *iarscihheni*, id est, *injustum* vel *impium me faciet*, hoc est, impium me judicabit et declarabit. Habet sane illa Dei expetita propinquitas pondus maximum ad animum roborandum, quod theologi rerum internarum consulti bene norunt : evenire quippe solet, ut viri plane piissimi, ariditate molestissima gravissimisque Dei repulsis ac tentationibus veluti fracti, videantur sibi expositi jaculis hostium acerrimorum, a quibus mors peracerba inferenda sit; qui tamen, statim ac Deus se adesse, proxime agere et favere velle significat, robur immensum concipiunt, et cum Tartaro universo se confligere posse persentiunt. Merito igitur Jobus tetrice repulsus orat : « Pone me juxta te, » *q. d.* Satis graviter me rejecisti, ex quo imbecillis effectus contabui; nunc ergo fave dejecto, fac tibi propinquum, tuoque præsidio me defende, nec ullum congressum formidabo.

Dei firmum præsidium. Dei propinquitas solis robur addit.

Ad hoc scutum et fidele præsidium recurrerunt semper omnes sancti, et in primis David; ut e dulcibus ejus odis intelligi potest, qui cum inde mirificam animi lætitiam spemque hauriret, ad præstantem illam fiduciam celebrandam et cum cæteris hominibus communicandam psalmum instituit, quem exsultans in hunc modum inchoavit *Psalm.* X, 1 : « In Domino confido : » sentiebat enim, et sicut ea quæ oculis cernuntur animadvertebat, in mediis difficultatibus et ærumnis vitæ se divino clypeo tegi atque defendi, quare Psalmo titulum fecit νικοποιῷ, *victoriæ effectori*, vel, ut alii legunt, ἐπινίκιον, Davidis *carmen triumphale*. D. Chrysostomus eumdem Psalmum exponens, miratus pii viri fiduciam et inusitatam Dei protegentis humanitatem, spem illam recurrentis ad Deum titulis ornat multis et honoratis, et vocat præsidium inexpugnabile, turrim, quæ capi et everti nequit, murum insuperabilem, invictum armorum genus : addit λιμένα εὔδιον, *portum tranquillum*; in quo doctissimus ille Pontifex respectum habuisse videtur ad Hesiodi poetæ magni et prudentis inventum, qui in Herculis scuto pictum ait expressumque fuisse λιμένα εὔορμον, *portum tutum indomiti maris*, ut significaret viros magnos præstantesque heroas, quos etiam *scuta terræ* sanctissimorum vatum oracula nominare consueverunt, portum et perfugium aliis concedere, ut si quando in medio veluti gurgite periculosissimarum calamitatum deprehensi, fluctu invidiæ circumacti, aut procella superbientium inimicorum elisi obrutique fuerint, ad eos tanquam in sinum placidissimæ stationis appellant, et sub eorum scuto recreentur. Quod vere divinius scutum aut heroicum magis cogitari potest quam illius potentissimi filii vere Jovis, quem *Dominum Sabaoth*, hoc est principem invictorum exercituum atque ducem, Scripturæ nominant? qui jam inde ab eo temporis puncto, quo naturam nostram ut sponsam sibi admirabiliter conjunxit, factus est bellator inclytus atque magnanimus, scuto, gladio et lata illa insignique lorica munitus, non ferro, ut de regio juvene dixit Homerus *Iliad.* ι, vers. 295, παμφανόων; sed virtutum omnium splendore collucens : sic enim epithalamium canens sonorus David, non prius sponsum quam militem insignit, armatumque inducit velut spolia jam legentem et triumphantem *Psalm.* XLIV, 4 : « Accingere gladio super femur tuum potentissime, » etc. Verum non sibi, sed nobis armatur. Gladius ille fulmineus est gladius nostræ gloriæ, aureum illius scutum, nostra protectio : nobis

Ad Dei præsidium omnes sancti confugiunt.

Dei præsidium inexpugnabile et portus tranquillus.

Christus nostrum scutum, nostra protectio, etc. nostris armis indutus.

meret, belligerat nobis, et vincit. Quare loquens pius Vates de justo, et præsertim christiano, hanc illius felicitatem ita prædicat *Psalm.* CXX, 5 : « Dominus protectio tua super manum dexteram tuam, » quo in loco S. Chrysostomus loquendi modum vult petitum a bellis, et describi Deum ut παραστάτην, quem Gaza dicit *adstitem*, Nicephorus ἀσπίζοντα, *scutatum*, peltastam, clypeo defendentem : fuerunt enim in prælio adstites, qui ad bellantium latus hærerent, atque armorum suorum objectu et fortissimi animi contentione eos tuerentur.

Deus nobis a dextris adstat, ut nos juvet et protegat.

Deus igitur est parastata noster et protectio ad manum dexteram, quasi tegat assiduissime latus, et potentissima sua manu defendat, ubique adsit et volitet, nobis lauros et victoriam conciliet, tutos et beatos reddat. Sunt quidem nostræ manus debiles, atque omni præsidio nudæ, si natura spectetur atque humanæ mentis infirmitas; sed si magnus ille bellator et cœlestis militiæ princeps nobiscum fuerit, juxta manum dexteram nostram in eo faciemus virtutem. Hic igitur ille oris aurei præsul ait significari benevolentissimi Dei « custodiam ἐλάκλητον, *suis numeris absolutam*, » acerrimam, et præsentissimum auxilium dignum Deo; cujus item favor in *dextera* ut arcano in symbolo notetur. « Dominus protectio tua super manum dexteram tuam; » apud Septuaginta est σκέπη, *umbraculum*, sive, ut habet D. Augustinus, *tegumentum tuum*, quod sensu non discordat, cum ad scutum referatur, quo tegimur : nam cum Deus super caput nostrum clypeum suum extulerit ut adamantinum umbraculum, nullum cœli fulmen est tam igneum et vibrans, nulli hominum doli tamque immanis crudelitas, infandorum geniorum nulli impetus tam violenti atque furiosi, quos non suo umbone divino repellat : in tuto sumus, tegumento illo forti et glorioso defensi. Quod est obumbrari ad salutem atque victoriam, ut alio in loco dicit Propheta *Psalm.* CXXXIX, 8 : « Obumbrasti super caput meum in die belli, » ubi in Hebræo est סכותה *sacchota*, id est *protexisti*. Atque ut olim Josue cap. VIII clypeum attollente vis Hebræis et robur accrescit, urbs Hai capitur, hostes internecione delentur, Dei populus gestit et triumphat : sic mundi amatore Jesu scutum elevante, providentiæ luce late fulgurans vigor nobis in animum immittitur, difficultates minuuntur, vanescunt pericula, insidiantes vitæ nostræ et salutis inimici obruuntur. Hinc, ut dixi, læta piorum fiducia, hinc Jobi ille enthusiasmus Dei præsidium agnoscentis, et animum suum confirmantis : « Pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. » Sed quonam modo quisque juxta Deum ponitur, nisi quatenus cogitatione, quod Deus adest, et auxilio suo præsto est, ad pugnandum roboratur? Egregie quidem Macarius Ægyptius *Homil.* 43 : « Velut sarmenta, inquit, in ignem projecta facultati ignis resistere nequeunt, sed statim exuruntur, ita dæmones, qui bellum inferre volunt homini Spiritum Sanctum adepto, uruntur et absumuntur ab ignis divini potentia, modo homo Domino semper adhæreat, fiduciam et spem habens in eum. Ac si fuerint dæmones robustis montibus fortitudine pares, tanquam ab igne cera comburentur ab oratione. » Optime id dictum est, quoniam, ut S. Joannes ait I *Epist.* IV, 4 : « Major est qui in vobis est quam qui in mundo. » Eo ergo nobis assistente facile a malignarum potestatum incursu protegimur.

Dei firma custodia.

Vers. 4. Sapientes hujus mundi in quo vehementer offendant.

4. COR EORUM LONGE FECISTI A DISCIPLINA : PROPTEREA NON EXALTABUNTUR. — Rationem aliam reddit, cur cum illis amicis suis amplius agere nolit, quia videlicet mentes eorum erant vacuæ sapientia, et vera rerum cognitione privatæ, neque intelligebant longe inter animi corporisque bona differre, sed censebant veram virtutem ex externa fortuna esse æstimandam : in qua re gravissimæ quidem offensionis, nisi attenti sumus, periculum est, adeo ut David in simili periculo versatus de se diceret *Psalm.* LXXII, 2 : « Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei; » et ipse Job ait cap. XII, 4 : « Deridetur justi simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum, » quod ex Hebræo etiam verti potest, *parata ad offensionem pedis*. Hac etiam ratione eos, qui in hoc mundo habentur sapientes, longe Deus a disciplina fecit, id est, stultissimos esse demonstravit, cum Jesum Christum verum Dei Filium mundo tam miserum, despectum et afflictum proposuit, ut Paulus auctor est dicens I *Corinth.* I, 20 : « Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. » *Stultitiam prædicationis* vocat Christum crucifixum, qui pereuntibus, ut dixerat ante, stultitia est : dici enim non potest, quantum sapientum hujus mundi mentes perturbet, quantamque oculis eorum offundat caliginem, quod in hac vita meritis sæpe fortuna non respondeat : in eoque hominem omnium animalium infelicissimum esse ducunt, quod præter cætera animalia homo ex libidine fortunæ dependeat, adeo ut diceret Crato apud Menandrum, si sibi ab aliquo deo daretur optio, se electurum potius, aut asinum, aut equum esse quam hominem; cujus versus, quia jucundi sunt, subjiciam :

Εἴ τις προσέλθων μοι θεῶν λέγοι, Κράτων,
Ἐπὰν ἀπειθάνῃς αὖθις ἐξ ἀρχῆς ἔσῃ,
Ἔσῃ δέ ὅ τι ἂν βούλῃ, κύων, πρόβατον, τράγος,
Ἄνθρωπος, ἵππος· δὶς βιῶναι γὰρ σε δεῖ·
Εἱμαρμένον τοῦτ' ἐστιν· ὅ τι βούλει δ' ἕλευ·
Ἅπαντα μᾶλλον, εὐθὺς εἰπεῖν ἂν δοκῶ,
Ποίει με πλὴν ἄνθρωπον· ἀδίκως εὐτυχεῖ
Κακῶς τε πράττει τοῦτο τὸ ζῷον μόνον.
Ὁ κράτιστος ἵππος ἐπιμελεστέραν ἔχει
Ἑτέρου θεραπείαν· ἀγαθὸς ἂν γένῃ κύων

http://www.obrascatolicas.com

Ἐντυμότερος εἶ τοῦ κακεῦ κυνὸς πολύ.
Ἀλεκτρυὼν γενναῖος ἐν ἑτέρᾳ τροφῇ
Ἔστιν, ὁ δ' ἀγενὴς καὶ δέδιε τὸν κρείττονα.
Ἄνθρωπος ἐὰν ᾖ χρηστός, εὐγενὴς σφόδρα
Γενναῖος, οὐδὲν ὄφελος ἐν τῷ νῦν γένει.
Πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων, δεύτερα
Ὁ συκοφάντης, ὁ κακοῦθος τρίτ' ἔχει.
Ὅνον γενέσθαι κρεῖττον, ἢ τοὺς χείρονας
Ὁρᾶν ἑαυτοῦ ζῶντας ἐπιφανέστερον:

Crato, si illi optio daretur, malleat cujusvis bestiæ quam hominis conditionem.

Si quis deorum jam mihi dicat, Crato,
Ubi vitam functus fueris vives denuo,
Et fies quidvis, hircus, aut canis, aut ovis,
Equus, homo denique : nam revivendum tibi est :
Ita fata sciscunt : opta quam vitam velis :
Dicturus videor illico : Fac me quidlibet
Dum ne hominem facias. Unum id animantum omnium
Sine merito habet fortunam aut infortunium.
Equorum ut quisque fortis est curatius
Habetur alio. Velox in pretio canis
Majore est quam projectus ingluvie aut iners.
Generosus fruitur gallus præcipua dape,
Atque ultro ignavus alter poliorem timet.
Homo si quis est bene natus, eductus probe,
Caste moratus, nullum pretium hoc sæculo est.
Primas in vita habet assentator, alteras
Calumniator, at malignus tertias.
Quanto asinum fieri satius, quam intuerier
Pejores se pollucibilius vivere!

Sic ille : quibus similia complura lege in *Floril.* Stobæi tit. XCVIII, CV et CVIII. Quod autem Job ait, *longe fecisti a disciplina*, non actionem, sed permissionem Dei significat : Deus quippe homines non agit extra sapientiæ scholam, sed agi sinit. Illud vero, *non exaltabuntur*, perinde est ac non gloriabuntur, non me causa vincent, non laudabuntur ut sapientiores me, quod certe rei exitu luculentoque Dei judicio ad calcem libri hujus demonstratum est.

Vers. 5. 5. PRÆDAM POLLICETUR SOCIIS, ET OCULI FILIORUM EJUS DEFICIENT. — Locus hic, ut bene Stunica et Pineda notant, valde difficilis est, et ad explicandum et ad contexendum, varieque declaratur, ac diversimode ex Hebræo prima versus pars convertitur, quod tota ex vocibus constet ambiguis, vixque duos auctores reperias, inter quos de hujus loci aut conversione aut explicatione conveniat. Sed consideranti et ponderanti mihi multorum auctorum, quos de hac re legi, sententias, Vulgati interpretis nostri translatio valde mihi probatur : nam quod *prædam* vertit, id quod alii *ad blandiendum* vel *blanditiem* convertendum existimant, certum est חלק *helec* in Scriptura divina longe frequentius *partem* quam *blanditiem* significare, quam significationem sequens Vulgatus, ut cum iis quæ sequuntur aptius conveniret, magis latine *prædam* transtulit. Cui versioni Græci atque Chaldæus subscripserunt : nam Græci τῇ μερίδι, *parti* convertunt; Chaldæus למפליג *lemaphlig*, id est *ad dividendum*. Quod vero *sociis* transfert, quod alii *cogitationes* transferendum putarunt, certum etiam est רעים *rehhim* sæpissime *socios* et amicos in Scriptura indicare; et Chaldæus *socios* convertit. Docet igitur Jobus, quomodo suis amicis disputatio ista non sit ex voto successura, et agit præcipue cum Eliphazo : quia hic princeps erat et magister, atque ideo dictus aliorum *pater*; quod item facit Deus cap. XLII, ubi hunc præ cæteris sociis tanquam illorum ducem atque magistrum reprehendit. Hic autem quasi strenuus robustissimi exercitus imperator victoriam sibi et aliis prædam pollicebatur, id est victoriam gloriosam, quam de hoste prostrato exspectatione devorarat; ex qua ad alios, qui tanquam filii censebantur, non exiguam laudem derivatum iri putabat, quemadmodum ex parentis victoria manubiæ et commoditates aliæ non exiguæ ad filios pervenire solent. At eveniet longe aliter quam Eliphazus ipse sibi persuaserat : nam filii qui exspectant prædam, et in eam intentos habent oculos, deficient a sua exspectatione depulsi : quod ita accidit, nam cap. XXXII, homo alienus, quique non numerabatur in illis amicis qui consolationis gratia ad Jobum accesserant, vocatus Eliu, cum vidisset ambitiosos hos viros rationabilem responsionem non invenisse, gravi in illos indignatione succensuit. Hi porro qui *socii* dicuntur Eliphazi, iidem vocantur ejusdem *filii*, aut quia discipuli doctorem suum parentem salutant, aut quia principes ab inferiori et subdita turba honoris et obsequii ergo *patres* compellantur : ita Sanctius noster cum Stunica fere consentiens. Sicut ergo Job in prima versus parte alludebat ad victoris rationem, ita in secunda ad victi conditionem : quæ expositio mihi multo planior aliis et cohærentior videtur.

Docet Jobus amicos suos causa casuros.

Septuaginta vertunt, τῇ μερίδι ἀναγγελεῖ κακία· ὀφθαλμοὶ δέ μου ἐφ' υἱοῖς ἐτάκησαν, *parti annuntiabit mala, oculi autem mei super filios contabuerunt*; quæ versio etiam quadrat cum Hebræo et Vulgato, nam si pro רעים *rehhim* aliis punctis *rahim* legamus, *mala* et iniqua declarat : eodem modo si pro עיני *hene* aliis punctis *henai* legamus, *oculum meum* significat, id est, non exaltabuntur, ut dixerat superiori versu : quoniam « parti (id est amico) annuntiavit mala, » id est, annuntiaverunt malum seu iniquum esse : mutatio enim numeri Hebræis frequens est. Secundam vero versus partem cum sequentibus conjungi voluerunt, quibus suas calamitates narrat, in quibus primo liberorum suorum miseram numerat amissionem : in secunda igitur versus parte vertenda Græci tantum discrepant a Vulgato; reliqui cum illo conveniunt. *Primæ* vero partis hujus versiculi tot fere sunt versiones quot vertentes : quidam hebræus reddit, *qui ad blandiendem narrat cogitationes*, scilicet Dei, ut Deo morem gerat, quod ita Jobum afflixerit, quia Job eum offenderat; Biblia Regia vertunt, *ad blanditiem indicavit amicis*, id est, ut blandiatur amicis; Tigurina versio habet, *qui amicos numerat inter bona sua*; Auctor Bibliorum Roberti Stephani, *qui renuntiavit cogitatus suos adulandi causa*, id est, qui adulandi causa di-

Septuaginta cum Hebræo et Vulgata conciliati.

Lectio Vulgata cum Hebræo collata.

Variæ hujus versus versiones.

cere solet quidquid venerit ei in mentem : Pagninus, *qui blanda annuntiaverit amicis*; quidam hebræus, qui ab illis doctus habetur, *quis narrat amicis suis blanditias?* alius, *ad blandiendum loquitur quilibet eorum cum amico suo*. Sed Polychronius ita interpretatur de impio : Τὸ αὐτοῦ παῖδας ἀναγγελεῖτε τῇ μερίδι τῆς κακίας· τουτέστι τοῖς ὁμοτρόποις αὐτοῦ, *suam ipsius pœnam annuntiet parti improbitatis, id est iis qui similibus morati sunt moribus*. Quæ versiones aliis forte placebunt, et cohærere videbuntur; mihi certe Vulgata lectio probatur magis. Joannes a Jesu Maria versum hunc sic exponit, ut sit mimesis irrisoria, quæ cum versu præcedenti connectitur, interposito videlicet vel subaudito verbo *dixerunt* : inducuntur enim amici, qui rapacitatem Jobo objiciebant, sic loquentes : « Prædam pollicetur sociis, » hoc est, Jobus tyrannus civiumque direptor solebat suæ tyrannidis consortibus prædæ partem polliceri, et tamen tantum abest ut participes ditaverit, ut ne liberos quidem suos, quos oportebat primum prædæ sortem accipere, locupletare potuerit : spes quippe illorum defecit. « Oculi, inquit, filiorum, » hoc est, spes oculorum intuitu notata : solent quippe qui sperant creberrime oculos in rem speratam locumve, unde proventura bona sperant, conjicere; ipseque intuitus cum affectu directus spei exspectationisque symbolum est : sic ille; sed magis placet prima expositio, quæ est Stunicæ, Pinedæ et Sanctii nostri.

Expositio Joannis a Jesu Maria.

Diabolus amplis promissis homines seducit.

Tropologice S. Gregorius lib. XIII *Moral.* cap. XII, versum hunc de diabolo et angelis apostaticis exponit, quos *socios* ejus appellat, quia cum eo corruerunt; *filios* vero homines improbos, quia per delectationem ab eo gignuntur, ipsumque imitantur : vide ipsum loco citato, ubi egregie describit studium diabuli, quo homines ad sui societatem pollicitationibus et promissionibus trahit, hoc perpetuo in ore habens : *Dabo tibi* : carnalem trahit ad luxum dicens : Dabo tibi delectationem; avarum ad furtum dicens : Dabo tibi pecunias; mulierculam ad perditionem dicens : Dabo tibi victum et vestitum; iracundum ad vindictam dicens : Dabo tibi honorem, etc. Præcipua tamen promissio aut pollicitatio est, qua bona hujus sæculi, quæ proprie *prædæ* nomine exprimuntur, promittit; inter quæ præcipuum locum habent divitiæ. Propterea S. Bernardus serm. 3 *in Psalm.* : *Qui habitat*, dixit divitias et temporalia bona esse laqueum, quem David vocat venantium : « Quisnam, inquit, sit laqueus iste quærendum est. Nolo ego advenire ex me, nec dubium aliquod tradere vobis : ostendat nobis Apostolus laqueum istum : ipse enim venabitur illorum non ignorat cogitationes. Dic nobis inquam, B. Paule, quis sit laqueus ille diaboli, a quo se liberatam fidelis anima congratulatur? *Qui volunt*, inquit 1 *Timoth.* VI, 9, *divites fieri in hoc sæculo, incidunt in tentationes et in laqueum diaboli*. Ergone laqueus diaboli divitiæ sunt hujus sæculi? Heu quam paucos invenimus, qui ab hoc laqueo liberati exsultent, quam multos qui dolent, quod parum sibi videntur irretiti, et adhuc quantum possunt ipsi se involvere et intricare laborant! » sic ille. Quam potens laqueus esset is, ad quem non solum aves summa velocitate ac propensione se demitterent, sed qui illis ita placeret, ut et seipsas validius illo implicare et arctare contenderent. Hic ergo est laqueus validus diaboli, quem cum ille tendit pauci evadunt. Quod adeo verum est, ut nec Apostolus, cui laqueum istum diabolus paravit, evaserit : qui propterea sapienti Dei permissione externo laqueo corporis vitam misere finivit, ut ostenderetur interius laqueo diaboli prius spiritum ejus fuisse comprehensum : tetendit enim diabolus laqueum, cum divitias et argenteos oculis ejus repræsentavit; et tam potens fuit, ut ad vendendum Deum ipsum et hostibus infamissime prodendum induceret. « Usque ad mortem Domini, inquit S. Cyprianus lib. *De Jejun.*, amor lucri se ingerit, nec vitæ Salvatoris quæstus desiderium parcit. »

Divitiæ sunt laquei animæ quibus irretitur.

6. POSUIT ME QUASI IN PROVERBIUM VULGI, ET EXEMPLUM SUM CORAM EIS, — id est, mecum comparant homines infelicissimos, et ex me petunt dicendi modos, quibus aliorum calamitates amplificent; quod et Christus de se per Davidem dicit *Psalm.* LXVIII, 14 : « Factus sum illis in parabolam, » quod extremam hominis indicat infelicitatem. Nam hujusmodi loquendi formulæ ab extremo ejus rei, quam amplificamus, gradu duci solent, ut cum dicimus v. g. aliquid esse sole clarius, aut nive candidius, quia solem claritate et candore nivem præstare rebus aliis existimamus : ita cum miserrimum et infelicissimum quempiam significare volebant, vulgo dicebant Jobo miseriorem, Jobo infeliciorem; et hoc sensu dicit se in *proverbium* vulgi abiisse, et in *exemplum* esse propositum. Pro quo ex Hebræo vertunt aliqui *tympanum*, q. d. Factus sum tympanum eis, id est irrisio et ludibrium, sic ut in me illudentes manibus plaudant, et quasi tympano irridendum traducant : ita Septuaginta, ἔθου δέ με θρύλλημα ἐν ἔθνεσι, γέλως καὶ ἀπειθὴς ἀπέναντι, *posuisti autem me fabulam in nationibus, et risus illis devenі* : simile quiddam prompsit Jeremias in hæc verba *Thren.* III, 14 : « Factus sum in derisum omni populo, canticum eorum tota die. » Significat ergo Jobus extremam abjectionem, quæ solet accidere, cum quis antea opulentissimus ac nobilissimus in prodigiosam inopiam et ignominiam incidit. Verum Chaldæus *tophet* accipit pro *valle Ennon* sive *gehenna*, ubi parentes filios igne cremabant, et idolo Moloch immolabant, atque, ne fletu illorum moverentur, tympana pulsabant. Unde inferno *gehennæ* nomen inditum est, *q. d.* Adeo crucior, ut in gehenna esse videar.

Vers. 6. Job propter infelicitatem abiit in proverbium.

7. CALIGAVIT AB INDIGNATIONE OCULUS MEUS, ET MEMBRA MEA QUASI IN NIHILUM REDACTA SUNT, — *q. d.* Cum cerno mihi a populo illudi, patior Job ob mæ quibus spontе irretitur.

Vers. 7.

http://www.obrascatolicas.com

populi derisionem ira commovebatur quam violenter reprimebat.

iræ motus varios, quibus oculorum acies ob multum sanguinem spiritumque eo confluentem hebetatur, totumque corpus ob immodicam commotionem, quam multo conatu reprimo, conflaccescit, et velut consumitur : ita Joannes a Jesu Maria, qui et notat *indignationis* nomine ab aliquibus dolorem aut mœrorem intelligi, sed congruentius hoc loco iram significari, cujus effectus est oculorum obtusio et visus extenuatio, totiusque corporis concussio atque defectio. Neque obstat, indignationem hanc non videri decere virum perfectum atque constantem, non enim laus virtutis in ira minime sentienda, sed in coercenda posita est : neque viros plane dedecet is iræ stimulus, præsertim cum ex Dei permissu fit copia satanæ, ut excitet bilem ac vehementius urgeat : sicut Apostolum non dedecuit stimulus carnis, quo acerrime pungebatur : alia quippe est ratio passionis indomitæ, alia excitatæ, et ad luctam commotæ. Quod vero Jobus ait : « Membra mea quasi ad nihilum redacta sunt, » validissimum luctatorem ostendit, qui contente repugnaret; et quidem sic usu venit, ut e pertinaci renisu passionumque subjugatione, animo interim victore, corpus frangatur, et velut malleis contusum concidat. Hinc sancti viri glorioso pleni pulvere ab hac pugna redeuntes, quotidianis laboribus confecti, in repugnando exercitati, victoriis inclyti, et cicatricibus quoque suis venerandi, luctati contra impotentes affectus martyrii quoddam genus vocant, et præ se ferunt. De quo est vera illa vox D. Augustini, et tanto Ecclesiæ lumine digna cohortatio serm. 250 *De Temp.* : « Contra mortifera blandimenta luctemur, scientes in eo etiam quotidiana martyria christianis non deesse. » Simile forte quidpiam acceperat a doctore suo Mediolanensi Ambrosio, qui ad animi commotiones coercendas penitusque domandas non mediocrem petit virtutem, sed immortalem celsi et invicti animi fortitudinem : « Animum, inquit lib. II *De Abel*, vincere, iracundiam cohibere, compugnantesque leges carnis et mentis in unum cogere, immortalis cujusdam est viri, quem inferni porta non ceperit. »

Mortificatio passionum corpus frangit, et est genus quoddam martyrii.

Passiones suas cohibere ac superare res maxime arduas est.

Non est plane cujuslibet arietarii in tam potentes salutis inimicos et insidiosos emansores, quorum fraudes et incredibilis perfidia in multorum millium funeribus jam nota est. Non est ludus puerorum invidiæ tela frangere, elatam et in malo gestientem lætitiam comprimere, frænare libidinem, aculeum cupiditatis retundere, obniti vanissimæ jactationi insolentique superbiæ, iracundiam cohibere, lernæam denique belluam mille capitibus horridam atque minantem clava herculea conficere : quorum singula cum tam multis perniciem adferant, quid multa simul effectura putemus? Non virium est humanarum atque nervorum tam nocenti tamque in dies corroboratæ potentiæ resistere, tantum exercitum, tam late fusum atque dispersum, et undique ferrum in jugulum intentantem superare, plane opus est Numinis præsidio et tutela, et cœlesti illo clypeo adamante robustiori, quem toties Rex hebræus in sanctissimis suis odis hymnisque deposcit : quare pie et divine S. Basilius *in Psalm.* XXVIII, si quis in lucta cum passionibus victor exstiterit, ait illum debere Deo κατὰ τοῦ πάθους τὰ νικητήρια, *ob devictas perturbationes trophæa collocare,* in ejus laudem gloriamque referre victoriam, in ejusdem benevolentiæ sinum laurum honoratam conjicere. Sic virtutum omnium exemplar David faciebat, cujus anima, cum *Psalm.* CXXIII, 5 « torrentem pertransisset aquam intolerabilem, » suspexit in cœlum, unde constantiam et lumen hauserat, et festo cantu epinicium victori Deo charisteriaque persolvit. Id enim de compressis et edomitis animi perturbationibus Cyrillus Alexandrinus exponit, aitque τὸν διὰ παθῶν ἐπυλυσμὸν, *eam quæ fit per passiones inundationem,* eluvionem illam mentem operientem, et naufragium cordi minitantem, esse quidem ἀνταγώνιστον animo nostro *inexpugnabilem* (divini Vatis aquam intolerabilem) vinci tamen Servatoris ope et præsidio posse. Illud ipsum pereleganti similitudine Diadochus, vir Deo plenus, expressit : qui cum videret sæpe animam perturbationum tumidis undis horribilibusque procellis agitari, dum impotens ira, dum invidia, dum libido cæteræque pestes ut turbidi austri et frenetici aquilones tempestatem cient, et maria et montes cœlumque profundum impetu illo violento convulsuræ, vel, ut plane dicam, vim omnem animi et rationis firmitudinem debilitaturæ videntur; sentiebat esse nimirum opus, ut tanquam Æolus poeticus, sic verissimus ventorum rex moderatorque affectuum Deus motus illos gratia sua clementiaque tranquillaret. Quod ab illo fieri sic ostendit *De Perfect. spirit.* cap. XXXV : « Sicut, inquit, mare cum turbatur oleo infuso cedit natura sua tempestas, bonitate olei procellam exstinguente; sic anima nostra gratia Spiritus Sancti jucunde tranquillatur. »

Non sine singulari Dei auxilio passiones superantur

8. STUPEBUNT JUSTI SUPER HOC, ET INNOCENS CONTRA HYPOCRITAM SUSCITABITUR. — Septuaginta legunt, θαῦμα ἔσχεν ἀληθινούς, *admiratio tenuit veraces. Super hoc,* inquit, quod mihi innocenti et justo tantæ obvenerint miseriæ, et tamen me tam fortiter ac constanter gesserim adversus omnes impiorum et dæmonum insultus, pii posteri mirabuntur, et simul eorum animi erigentur, ut simili modo sese impiis opponant : ita Tirinus noster. Non raro certe hic aliquid humani patiuntur etiam boni; quod innocentes a Deo puniantur, quippe qui sciant, pœnas natura sua ad scelera ulciscenda esse institutas; neque leges unquam bonis, sed impiis tantum minari, probis autem præmia, multaque laudis insignia polliceri : quæ ita esse conversa, ut boni malis opprimantur, mali bonis fruantur, non possunt non admirationem parere. Hanc rem etiam ethnicus vehementer admiratus Sophocles in *Alet.* de illis qui fortunati sunt indigne, deque illis qui præter meritum suum miseri sunt, sic ait :

Vers. 8.

Impiorum passiones superantur

Δεινόν γε τοὺς μὲν δυσσεβεῖς κακῶν ἀπὸ
Βλαστόντας εἶτα τοὺς δὲ μὴν πράσσειν καλῶς·
Τοὺς δ' ὄντας ἰσοδίκους ἐκ τε γενεᾶν αἵμα
Γεγῶτας εἶτα δυστυχεῖ; πεφυκέναι.
Οὐ χρῆν τὰ δ' εὖτο δαίμονας θνητῶν περὶ
Πράσσειν· ἐχρῆν γὰρ τοὺς μὲν εὐσεβεῖς βροτῶν
Ἔχειν τι κέρδος ἐμφανὲ; θεῶν παρὰ·
Τοὺς δ' ὄντας ἀδίκους τῶνδε τὴν ἐναντίαν
Δίκην κακῶν τιμωρὸν ἐμφανῆ τίνειν·
Κ' οὐδεὶς ἂν οὕτως εὐτύχει κακὸς γεγώς :

Malos profanis prosatos genitoribus
Florere rebus prosperis visu grave;
Stirpem bonorum rursus ingenio probo
Malis subactos cladibus mersos premi.
Disponere aliter cura debuerat deum
Mortalium res : nam pios decuit palam
Bona largitate consequi cœlestium;
Contra scelestos paria criminibus suis
Supplicia aperte luere Dis ultoribus :
Ita res secundas nemo jactaret malus.

Profecto nisi discussa subinde mortalitatis hujus nebula posthumæ beatitatis splendor nobis illucesceret, divinæque fidei radius animis nostris illaberetur, quis non inoffensa impiorum felicitate et proborum afflictionibus perculsus in hac rerum humanarum confusione naufragium faceret, aut saltem ad hunc ataxiæ scopulum allideretur?

Proborum afflictio et felicitas improborum magnus offensionis lapis.

Cæterum quod addit : *Innocens contra hypocritam* (hoc est impium bona simulantem, aut impietatem contegere studentem) *suscitabitur,* simile est isti quod David ait *Psalm.* IX, 2 : « Dum superbit impius incenditur pauper. » Impius nimirum se prosperatum contuens, pium vero dejectum ærumnosumque despiciens, perstat in errore, et sortem suam potiorem pii sorte censet; unde insolentia et pietatis contemptio vires acquirunt, juxta illud Euripidis in *Œn.* :

Dum superbit impius incenditur pauper.

Ὅταν κακοὶ πράξωσιν, ὦ ξύναι, καλῶς,
Ἄγαν κρατοῦντες, κ' οὐ νομίζοντες δίκην
Δώσειν, ἑῶρακα πάντ' ἐρίνυς; ἡδονῇ :

Fortuna, amici, cum malos nimium fovet;
Illi insolentes, liberi pœnæ meta,
Quidquid libido dictat audacter patrant.

Quocirca pauper pius incenditur, sive, ut Jobus ait, *suscitatur,* zelo inflammatur, et insurgit adversus impium; et licet a Deo acerbe tractetur, causam tamen pietatis propugnat, et cum impiis valide confligit; quo zelo etiam correptus fuisse videtur qui apud Euripidem in *Beller.* exclamat :

Θνήσκειμ' ἄν! οὐ γὰρ ἄξιον λύσσειν φάος,
Κακοὺς ὁρῶντας ἐκδίκως τιμωμένους :

Ah moriar! almum cernere haud tanti est jubar,
Ut honore plenos tuear indigno malos.

Idem Euripides in *Suppl.* ait :

ἥδη νεοῦδες τοῦτο τοῖς ἀμείνοσιν,
Ὅταν πονηρὸς ἀξίωμ' ἀνὴρ ἔχῃ :

Res permolesta est maxime optimatibus,
Cum dignitatis flore vir splendet malus.

Solent enim prava similium exempla luis instar latius serpere et plurimos inficere; quemadmodum idem in *Dict.* testatur :

Πολλαῖς παρέστην, κ' ἀφλόντασ δὴ βροτῶν
Ὅστις κακεῖσιν ἰσόδικος ὢν ὁμοῖος ἦ :

Jam sæpe vidi, sæpe et indigne tuli
Bonos sequentes moris exemplum mali.

Sed in his omnibus vir in virtute constans minime scandalizatur, de quo subdit :

9. ET TENEBIT JUSTUS VIAM SUAM, ET MUNDIS MANIBUS ADDET FORTITUDINEM. — Justus, inquit, ob irrisiones et exempla impiorum a cœpto justitiæ cursu minime desistit; quin potius addit fortitudinem mundis manibus, id est puris operibus, ut fortiter eat de virtute in virtutem, et tanto magis invalescit ut bene agat, et innocentiæ studeat, quanto magis affligitur, vel se risui esse hypocritis suamque fidem ab illis tentari videt, *q. d.* Gaudet patientia duris, iisque ut cote acuitur, juxta illud *Rom.* V, 3 : « Tribulatio patientiam operatur, » etc. Via autem justi et mundæ manus hic idem omnino significant; scilicet justorum virtutes, actionesque ex virtutibus procedentes. Atque ideo ut justus teneat viam suam, id est, ut virtuti, quam professus est, firmiter adhæreat, et ut a munditia suarum manuum non discedat, necesse est ut virtuti fortitudinem addat, qua omnes difficultates virtuti adversantes superet, qua delectabilia mundi respuat, et qua se suopte appetitu in illicita ruentem in bono et æquo contineat, quod sine assiduo mortificationis studio non assequetur. « Justum, inquit Sapiens *Sap.* X, 10, deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. » Ut Dominus regnum Dei viro justo per assecutionem perfectionis ostendat, qua solet aliquem gustum cœlestis consolationis impertire, primum deducit illum per vias rectas, id est, per universarum virtutum semitas. Quomodo vero ambulabit homo per vias rectas, nisi prius ipse a viis vitiorum pravis obliquisque discedat? et quomodo ab hujusmodi vitiis, quibus est assuetus, et in quibus invenit delectationem, discedet, nisi seipsum abnegare, et a lacte sæculi ablactare decernat? « Certe viæ istæ Domini, ut inquit S. Bernardus ad dictum Sapientiæ locum, viæ rectæ, viæ pulchræ, viæ plenæ, viæ planæ : *rectæ* sine errore, quia ducunt ad vitam : *pulchræ* sine sorde, quia docent munditiam : *plenæ* multitudine, quia totus mundus est intra Christi sagenam : *planæ* sine difficultate, quia donant suavitatem. » Ut igitur ambulemus per vias *rectas,* oportet nostrorum desideriorum obliquitatem deserere; ut incedamus per vias *pulchras,* oportet ab immunditia affectionum fugere; ut teneamus vias *plenas* spiritualium nempe virorum, qui per eas ambulant, necesse est vacuitatem ac

Vers. 9. Justus non curat impiorum irrisiones sed contemnit.

Via justi recta, et manus ejus munda.

Sui abnegatio continua justo necessaria.

http://www.obrascatolicas.com

vanitatem mundi despicere; ut denique ingrediamur vias *planas*, necessarium est a viis voluntatum nostrarum scopulis complanatis separari.

Justus debet tenere viam mandatorum Dei, et manibus addere fortitudinem.

Teneat ergo justus magna perseverantia viam mandatorum Dei, qua in cœlum facit iter, et puris ab omni scelere manibus fortitudinem quoque majorem addat, robustiusque et alacrius operetur bona opera, juxta illud *Psalm.* LXXXIII, 8 : « Ibunt de virtute in virtutem, » id est de fortitudine in fortitudinem. Teneat justus viam mandatorum, in ea semper incedat, ab ea non declinet, quasi circino ea se includat, ita ut nunquam exeat, licet maxime vel commodis invitetur, vel incommodis depellatur; dicatque *Habac.* II, 1 : « Figam gradum super munitionem, » ubi, teste S. Hieronymo, Aquila et Quinta editio vertunt pro munitione *circinum*; Theodotion *gyrum* : interpretatur D. Hieronymus, *stabo super Christum, petram et rupem* sive *munitionem*, et hoc gyro et circino quasi muro sepiar, ne ad me leo rugiens possit irrumpere, etc. Nos sic interpretari possumus ex persona justi dicentis, *figam gradum super gyrum*, vel *circinum* : vel, *subsistam ad circinum* vel *gyrum*, vel *in circino* et *gyro* mandatorum Dei : hoc gyro, hoc circino me sepiam; ex illo non egrediar, sed hic moriar. Etenim mandata Dei gyrum esse et septum hominis docet divus Basilius hom. 3 *in Hexaem.* : « Deus, inquit, animas humanas circumdedit septo, tum ea tutela, quæ ex præceptis resultat, tum ipsa custodia angelorum, » etc. Deus *Eccli.* XV, 16 « ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui, adjecit mandata et præcepta sua. » Si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere, » etc. Ostendit Sapiens mandata gyrum esse et septum christianum sepiens et custodiens : « Si volueris, inquit, mandata servare, conservabunt te, » si ex hoc septo non exeas. Ostendit idem locus, quæ sit fides Deo placita : græce dicitur πίστις εὐδοκίας, id est *fides beneplaciti*, sive *benevolentiæ Dei* : ea autem est, quæ cum operibus et mandatorum operatione est copulata : si volueris, inquit, mandata servare, et volueris fidem tuam placitam Deo facere; si volueris πίστιν habere εὐδοκίας; id est, *fidem benevolentiæ et beneplaciti Dei*, quæ mandatorum flagitat operationem; conservabunt te mandata; et hujusmodi fides non mortua, sed viva est, operumque ornatu consecrata. Atque hæc est via viri justi rectissima, in qua sine fortitudine ad vincendum seipsum stare non poterit. Septuaginta interpretes hunc versum velut exhortando vertunt hoc modo, σχοῖν δὲ πιστὸς τὸν ἑαυτοῦ ὅδον, καθαρὸς δὲ χεῖρας ἀναλάβεται θάρσος, *teneat autem fidelis viam suam, et purus manibus sumat audaciam*, q. d. Nemo justus animo cadat, quantumvis a Deo videatur severe repelli, quin etiam pietate armetur, et in agmen impiorum alacer insurgat; persistat in bono cœpto, et fidenter congredi audeat. Nam vel iniquitas ipsa impiorum justis illustrium materiam præbet victoriarum et præmiorum, uti pulchre S. Gregorius lib. XIII *Moral.* cap. XIV, docet : quem locum si lubet consule.

Quæ sit fides Deo placens.

Vers. 10. 10. IGITUR OMNES VOS CONVERTIMINI, ET VENITE, ET NON INVENIAM IN VOBIS ULLUM SAPIENTEM. — Est conclusio versuum præcedentium per modum benignæ prorsus et amicæ exhortationis, qua Job amicis suis suadet, ut omni inordinato affectu seposito, simpliciter ad cor, id est ad propriam conscientiam, revertantur; ubi ea quæ jam eis disseruit diligenter examinent, quod si hoc fecerint, ait fore, ut ipsimet sui judices sint, et se veram non habuisse sapientiam deprehendant; sed cum se huc usque putaverint esse sapientes, tunc vere stultos et insipientes se fuisse ingenue fateantur, et sic ab erronea sua sententia resiliant, animumque mutent; ubi notandum, quod Job eos, quos ad sapientiam vocat, sapientia vacuos esse desideret; quem locum expendens S. Gregorius lib. XIII *Moral.* cap. XIV : « Quid est, inquit, quod eos ad sapientiam vocat, et tamen optat, ne illos sapientes inveniat? nisi quod ad veram sapientiam venire non possunt, qui falsæ suæ sapientiæ fiducia decipiuntur, » *q. d.* Sapientes sint, non tamen sibi videantur, multi enim ad sapientiam pervenirent, nisi putarent pervenisse; et paulo post : « Recte, inquit, B. Job conversionem auditorum desiderans exoptat, ne in eis ullum sapientem inveniat, ac si eis aperte dicat : Stulti esse apud vosmetipsos discite, ut in Deo vere sapientes esse valeatis; » hinc est illa Prophetæ deploratio *Isai.* V, 21 : « Væ qui sapientes estis in oculis vestris et coram vobismetipsis prudentes; » et illa Salomonis admonitio *Prov.* III, 7 : « Ne sis sapiens apud temetipsum; » et illa prædicatio Apostoli ad Romanos ex sua prudentia superbissimos *Rom.* XII, 26 : « Nolite prudentes esse apud vosmetipsos; » ac denique illa exhortatio ad Corinthios multum sibi ex sua sapientia tribuentes I *Corinth.* III, 18 : « Nemo se seducat : si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. » Quare deterior est stulto quisquis sibi videtur sapiens, juxta illud *Prov.* XXVI, 7 : « Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens : » nam qui se stultum putat sapit; qui sapientem, stultescit : « sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum, » ait Paulus I *Corinth.* III, 19.

Sapiens non sibi sapiens videri debet.

Qui se credit sapientem sapit : qui sapientem despicit.

Quam sententiam Alciatus pulchro emblemate illustravit depingens umbilico tenus hominem deinceps in anguem desinentem, quo informi monstro, quod nec omnino formam humanam, nec omnino serpentinam figuram habeat, natura quidem duplici, quodque necdum certam appellationem sortiri possit, ii notantur, qui anima rationis participe a Deo informati terrena tantum sapiunt; et neglecta conditione sui meliore humi repunt, et in naturam belluinam degenerant : monstrum enim hoc in hominem non desinit, nec

Sapientia mundi stultitia est apud Deum.

est feræ principium, non enim finem spectant terreni homines, propter quem homini sit concessa ratio, qua misere abutuntur, eamque spontanea quadam et exitiosa ignoratione inficiunt. Tales fuerunt rigidi illi philosophiæ satellites, qui cum perpetuo dogmatis sapientiæ veteris et sibi parum constantis adhæserint, nihil aliud spirarunt quam quæ terræ sunt; tametsi unum illis videretur esse studium cœlestia divinaque contemplandi : quos ideo exagitat vir S. Augustinus lib. *De Civit. Dei*, Lactantius, Eusebius, et alii multi. Unde colligere licet mundi sapientiam, quam technis et præstigiis satanicis invexere priores illi philosophi, meram fuisse stultitiam, cum perspicuum sit eam longe descivisse ab institutis illis priscorum patrum, qui leges divinas a Noemo et ejus meliori posteritate hauserant. Hos itaque vafros et religionis expertes, quibus tantum curæ terrena sunt, et quorum deus venter est, ex hominum albo rejicimus : neque enim *hominum* appellatione digni sunt, quanquam planum sit eos rationis, doctrinæ cujusdam et humanitatis haud expertes fuisse : nam ea re caruerunt, qua sola differt homo a reliquis animantibus, id est religione, in qua certe nos hominis summum bonum constituimus. Quanquam enim homo sit vera et expressa Dei imago, si tamen sic se abjiciat atque prosternat, ut opificem Deum ignoret, in belluarum numerum merito est aggregandus : cætera enim quæ putantur esse homini propria in cæteris quoque animalibus deprehenduntur. Religio sola differentes homines a belluis facit, quam qui non admittit, alienus a natura hominis vitam pecudum sub humana specie vivit : hanc ergo humanam sapientiam vera religione carentem D. Paulus I *Corinth.* III, 19 merito apud Deum esse stultitiam dixit. Vult autem Lactantius lib. III *Instit.* cap. XI, unam cum altera, id est religionem cum sapientia inseparabili nexu colligari; in quibus hominis officium et veritatem omnem inclusam esse colligat : religio enim, quæ sine sapientia sit, non religio, sed superstitio putanda est; sapientia vero sine religione mera est stultitia, de qua est illud Apostoli I *Corinth.* I, 19 : « Perdam sapientiam sapientum, et prudentiam prudentum reprobabo. »

Sine vera religione nil prodest humana sapientia.

Vers. 11. 11. DIES MEI TRANSIERUNT, COGITATIONES MEÆ DISSIPATÆ SUNT TORQUENTES COR MEUM. — Vix Job exhortatoria verba expleverat, et mox ingravescens mœror animum alio abripuit, lugubresque modos suggessit, quibus ad leniendum dolorem indulgendum fuit : qui enim graviter affectus est nequit longum sermonem pertexere, quin doloris sensu recrudescente gemitus querimoniasve resumat. Quod nunc Job facit : conqueritur se jam pene vita functum esse, patique cogitationum evagationem permolestam, ut qui prius sanctas, mundas planeque divinas cogitationes nutriebat, modo fœdas, immundas ac plane infernales experiretur. O magnum et inexplicabile malum! quod nisi expertus nullus sane intelligere potest : nullus quippe scit nisi expertus, quantum doloris immundam sentire afferat cogitationem, qui prius mundissimam habebat; et distractam invenire animam, qui prius unitam possidebat. Non est certe dolor huic similis, nec tribulatio quæ huic comparetur, quod utique, si quid sit cogitatio attendere velimus, clarius innotescet : cogitationes enim sunt veluti possessiones cordis, sive active eas sumas sive passive : *active* inquam, nempe si dicas, quod sint possessiones, quia cor ipsum possident; *passive*, quia a corde possidentur, unde in Hebræo, ubi noster legit *cogitationes*, habetur *possessiones*. Cum ergo sint hæ cordis possessiones, qualis dolor erit ille, quando tales dissipantur et convelluntur, ac ab unico illo summe delectabili discinduntur objecto, quod prius anima unice contemplabatur uniceque diligebat. Hic igitur summus erat dolor sanctissimi Job, hic gladius acutus, non posse scilicet propter vim doloris et diabolicas illusiones contemplationi more solito intendere : « sentiebat enim dolorem, inquit Philippus, quod non poterat jugi contemplationi rerum divinarum, ut quondam solebat, intendere propter vim doloris. » Unde cum ipse ad illam unitatem quovis conatu suas redigere cogitationes sicut prius non posse experiebatur, torquebatur cor ejus, imo disrumpebatur tam ipsum quam ejus articuli; unde Septuaginta vertunt, ἐξέκγη δὲ τὰ ἄρθρα τῆς καρδίας μου, *rupti sunt articuli cordis mei*; imo ejus compages, ut vult S. Augustinus, qui legit, *convulsæ sunt compages cordis mei* : Chaldæus reddit *tabulas cordis mei*, in quibus veluti characteres inscribuntur cogitationesque cælantur. Torquetur ergo cor et dissipatur ex cogitationum dissipatione, disrumpuntur ejus articuli, convelluntur compages, scinduntur tabulæ, ac tandem dissipantur eradicantur et distrahuntur ejus possessiones, quando malas patitur cogitationes. Ergo cogitationes sunt hominis conatus, sunt cordis articuli, sunt possessiones ipsius cordis, quibus aut dives aut miser efficitur.

Vitali summus dolor pati immundas cogitationes et diabolicas distractiones.

Cogitationes sunt cordis possessiones.

Anatomistæ dicunt se in corde duos reperire sinus, unum sanguine plenum purissimo, alterum omnino vacuum; ex quo conjectant in isto spiritus mansisse vitales per mortem exhalatos : melius utique divinus anatomista Christus Dominus cogitationes, non spiritus in illo exsistere sinu vitales asseruit *Matth.* XV, 19, dum ex illo affirmat eas exire malas. Hinc vere cogitationes dicuntur cordis possessiones, quatenus in illo sunt, cum illo vivunt, ex illis cor ditescit aut egenum fit : qualis ergo erit ille dolor, qualis sensus, quando istæ dissipantur, convelluntur, scinduntur, diversa et mala cogitantes? Porro hic versiculus non male applicari possit homini terreno, qui *Luc.* XII, 19 cum divite evangelico hic altas fixit radices; qui suas hic omnes habet cogitationes in terram defixas, quas sigillatim evellit mors; quantum vero

In corde duo sinus : cogitationes in ejus intimo sunt.

Homini a terreni cogitatio-

Job iterum reassumit lamentationes.

Viro spi-

http://www.obrascatolicas.com

nes in morte dissipantur.

doloris inferant hujusmodi evulsiones non dentis ex gingiva, sed spei vitæ longioris ex terreno hominis corde, ex lectione Septuaginta et S. Augustini paulo ante citata licet intelligere. Sunt enim hujusmodi intimæ cogitationes et affectiones veluti cordis articuli et compages, et veluti partes et membra ipsius cordis; cum vero hæ cogitationes convelluntur et eradicantur ingenti cum violentia, oportet cor ipsum eradicari, discerpi, dilacerari. Hinc juxta Vatablum dolentes aiunt, *conatus mei intercepti sunt*, conatus scilicet faciendi supra vires intercepti et rupti sunt *torquentes cor meum* : quia non amittitur sine dolore quod cum amore possidetur; unde corpore semel moriente, cor toties moritur, quot ea sunt quæ inordinate diligit.

Vers. 12. Job neque die neque nocte quietem ullam capiebat.

12. NOCTEM VERTERUNT IN DIEM, ET RURSUM POST TENEBRAS SPERO LUCEM, — *q. d.* Anxiæ cogitationes faciunt, ut nox ipsa mihi sit instar tumultuosæ diei, dum omnem mihi somnum excutiunt, et noctu æque ac die vel invitum cogunt evigilare, non solum torquentes mœrentem animum, sed etiam adimentes naturæ commune levamentum, scilicet somnum, qui ideo a Latinis appellatur *quies*, quia oblivionem inducit eorum quæ ægre afficiunt hominem, et laxat curas, quæ oneratum animum respirare non sinunt : « Ideo enim, inquit S. Augustinus *in Psalm.* LXII, Deus donavit somnum, quo reparantur membra corporis, ut possint vigilantem animum sustinere. » Similiter S. Epiphanius ait homini donatum beneficentia Numinis et singulari bonitate, ut se posset a quotidiana negotiorum cura et sollicitudine εἰς ἀνάπαυσιν ὕπνου, *ad somni requiem* traducere; quæ res quidem tam semper fuit omnium opinione celebrata, ut gentiles quoque ipsi hanc veritatem cognoverint : itaque apud illos derepente excuti e somno atque excitari genus quoddam infelicissimi augurii fuit, et futuri mali significatio. Princeps poeta rem expressit, lib. II *Æneid.*, in suo Ænea in cujus persona ita canit :

Nox et somnus ad quietem ordinantur.

Somno excuti priscis erat malum augurium.

Excutior somno, etc.

Quid deinde? Secutum est clarissimæ et opulentissimæ urbis excidium. Servius Honoratus reddit rationem, et illustrat in hunc modum : « Nam si somnus munus est deorum, juxta illud II *Æneid.*:

Divum dono gratissima serpit,

non sine infelicitate munus deorum discedit. » Cum itaque Job hoc necessario vitæ subsidio et gratissimo noctis solatio penitus destitueretur, tenebrarum pertæsus : « Rursum, inquit, spero lucem, » id est, rursum optarem auroram, inde sperans levamen miseriarum, quemadmodum ægri solent, quibus plerumque nox accidit molestissima, *q. d.* Neque die neque nocte cogitationes meæ quiescere me sinunt. Duo igitur mala, quæ nemo nisi experius satis ponderet, conjunxit, insomnium et cogitationum fluctus; cogebatur scilicet evigilare, ut oppugnaretur; ex quo efficitur ut diem optaret, si forte diurnis imaginibus nocturnas dispelleret, minusque dire torqueretur; quare neque die neque nocte emergebat ab exundante dolorum æstu, et a tristium cogitationum molestiis solvebatur. Potest etiam verti cum Chaldæo hoc modo, *diei noctem apponent*, *lucem propinquam auferentes a conspectu tenebrarum*, q. d. Faciunt meæ cogitationes, ut in nocte verser æterna nullam lucem propinquam cernens, id est, nullam e tantis malis emergendi viam inveniens.

Prospera et adversa ut dies et nox alternant.

Tropologice S. Gregorius lib. XIII *Moral.* cap. XV, per *noctem* adversa, per *diem* prospera intelligens : « Dissipatæ, inquit, cogitationes noctem in diem vertunt, quia nonnunquam justis amplius placet ex adversitate mala perpeti, quam ex prosperitate terrenæ dispensationis cura fatigari; sed quia noverunt cautius et adversa transire, et prospera rursus illucescere, apte subjungitur : *Et rursus post tenebras spero lucem* : lux enim post tenebras speratur, quia vel post noctem vitæ præsentis æternum lumen percipitur, vel ita hic adversitas atque prosperitas alternant, ut sibi succedere vicissim non desinant; unde fit ut in luce nox in suspicione sit, et in nocte lux in præsumptione, sicut scriptum est *Eccli.* XI, 17 : *In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum.* »

Vers. 13.

13. SI SUSTINUERO, INFERNUS DOMUS MEA EST, ET IN TENEBRIS STRAVI LECTULUM MEUM. — Respondet Jobus amicis illi assidue occinentibus, et illud monitum (quod in superioribus non semel viro innocentissimo minus aptum fuisse demonstravimus) ultro citroque opportune importune inculcantibus, si videlicet vitam corrigeret, et ad Deum confugeret, fore ut ab eo in statum pristinum restitueretur, *q. d.* Frustra id ingeminatis, quia licet sustinuero, et pœnitens ad Deum me convertero, ac patiens fuero, jam jam mihi moriendum est, et migrandum ad statum et locum mortuorum, ut corpore in sepulcro posito, anima descendat ad limbum inferni, ubi video lectum mihi esse paratum, adeoque cogitatione mea ibi meam quietem jam composui. Hinc nota cum D. Gregorio bene probari limbum Patrum, in quo ante adventum Christi quasi in lectulo quiescebant, desiderium redemptoris pro pœna habentes. Jobus itaque cum se eo devenisse cerneret, ubi nulla salutis instaurandæ spes in præsidiis inesset humanis, sciretque miracula a Deo postulanda non esse, eo totus incumbit, quo se divinæ providentiæ ordine agi considerat. Jam ergo sanie defluente, vermibusque consumptis sic amicos alloquitur : Vos me in amissæ prosperitatis reparandæ spem erigere adnitimini, sed quorsum? ego enim naturali ordine eo deveni, ut nequeam ulla mundi ope aut arte ulla convalescere, a Deo vero miracula, quæ pollicemini, postulanda non sunt, imo ejus placito assentiendum : ipse vero

Ante adventum Christi patres ad limbum descendebant.

palam ostendit, velle me mox ex hac vita subducere : quapropter tametsi verbis vestris fidem adhiberem, nihil aliud mihi boni contingeret quam sepulcrum lectulusque in tenebricoso loco paratus, quo statim condar; ideoque sanius consilium cogitare prosperitatem, quam spondetis, non redituram, nec ultra fore consanguineos aut amicos ullos qui mecum in magnificis palatiis commorentur, sed successuram mihi putredinem pro parente, et vermes pro matre et sororibus, uti versu sequenti declarat :

Vers. 14. Job in morte et putre limo novam generationem philosophatur.

14. PUTREDINI DIXI : PATER MEUS ES, MATER MEA ET SOROR MEA, VERMIBUS. — Singularis profecto Jobi stylus, viscera matris in urna, patris generatricem virtutem in putredine, et vitæ primordia in caligantibus mortis umbris adumbrat. Nonne stamina vitalia secat mors, spiritum haurit, pallorem spargit, horridaque macie exesa carnibus ossa vestit? Juventutis flore conspice lascivientem : febris invasit, imis ardet præcordiis, succus igne deflagrante lambitur, æstuat sanguis; heu suffocatur, interit! Corpus intuere, si sufferas siccis oculis. Oculi in cerebri fossis sepeliuntur, horret pilus, genæ fuligine fœdantur, luxantur ossa, color exhauritur, lurore nigricat, fœtore arcet. Exspecta parumper : findat terram ligo, erumpant inter attrita, inter antiqua quæ exhumantur ossa, vermes obviam hospiti : ille cavis derelinquitur specubus mordendus a putredine. Ergone tunc redivivus exoritur? parens est putredo, mater et soror vermes! ibi pater, ibi mater, ubi pulvis, ubi pus, ubi fœtor? Sed Jobum recole : non ait post mortem sic mortis funerea spolia appellaturum; sed quod vivens sic appellitabat : « Putredini dixit : Pater meus es, mater mea et soror mea vermibus, » quasi ab ineunte ætate intra domestica considerationis claustra cum corruptionis memoria conviveret, et alios parentes, contribules alios non agnosceret, quam vermium agmina, cadaverum spectra, mortis spicula. Nec enim aliter credimus et fatemur patrem et matrem, quos colimus, nisi ex contubernali consuetudine, ex communi consortio, quo cum illis a tenellis unguiculis viximus. Quam apte Philippus in *Caten. græc.* : « Tam longo tempore computresco, ut ipsam putredinem et saniosos vermes parentes appellem. » En ex familiari commercio novum generationis modum deducit Job, se prolem corruptionis agnoscens, *q. d.* Pro parentibus et cognatis, qui me deserent, propinqui mei erunt vermes, cum quibus arctissima societate et cognatione conjungar. Videtur hic S. Job domus suæ, id est sepulcri, familiam recensere, scilicet vermes et putredinem, et fœtores, qui veluti parentes pristini mortuos rursum excipere, et cadavera sibi quasi filios progignere solent, *q. d.* Blande compello et invoco (sic enim est in Hebræo) putredinem ut patrem, vermes velut matrem, ut me mortis potius quam vitæ filium flentem et dolentem ceu parentes blandi consolentur, lacrymas abstergant, somnum concilient, et hanc cantilenam occinant *Apoc.* XXI, 4 : « Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Invenit igitur in morte ac sepulcro S. Job patrem, et matrem ac sororem, seque filium ac fratrem puerulum effingit, qui sola in parentum ac sororis cura et studio conquiescat. Sed non satis admiror emphasim horum verborum : nam secundum S. Hieronymum sensus est : « Quemadmodum quispiam mortalium sine parentibus non potest exsistere, ita et ego factus sum, quasi sine putredine et vermibus esse non possem; » quod licet de pœnis quibus premebatur intelligi debeat, de memoria tamen mortis ac sepulturæ non potest non optime accipi. Tam dulcis igitur mors erat sanctissimo Jobo, ut eam se venerari et colere amareque velut parentes et sorores dicat : Omnia, inquit, mihi charissima in morte habeo, domum, parentum complexus, sororum blanditias : mors mihi unicum solatium, uti puero parentes ac sorores, sic enim explicat Origenes : « Ut pueri parentes habent consolatores, sic ego mortem et putredinem. »

Jobi consolatio in sepulcro.

Septuaginta legunt, θάνατον ἐπεκαλεσάμην πατέρα μου εἶναι, μητέρα δὲ μου καὶ ἀδελφὴν σαπρίαν, *mortem invocavi patrem meum esse, matrem vero meam et sororem putredinem* : ecce quam *putredinem* apud Vulgatam compellavit *patrem* Job, apud Septuaginta compellat *matrem*. Mira compellatio, et quidem soli Deo ascita; de quo ita Synesius *Hymn.* 2

Putredo nobis pater et mater.

Σὺ πατὴρ, σὺ δ' ἐπὶ μάτηρ,	Tu pater, tu es mater,
Σὺ δ' ἄρρην, σὺ δὲ θῆλυς·	Tu mas, tu femina :
Σὺ δὲ φωνὰ, σὺ δὲ σιγὰ,	Tu vox, tu silentium,
Φύσεων, φύσις γονίμα·	Naturæ natura fœcunda.

Quasi nimirum Deus Pater, dum unigenitum generaret, utriusque parentis munus obiret; unde et uterus sive vulva illi adscribitur in *Psalm.* CIX, 3 : « Ex utero ante luciferum genui te : » ubi S. Hieronymus *ex vulva* legit, de quo iterum eleganter Synesius *Hymn.* 3 sic canit :

Σὺ τὸ τίκτον ἔφυς,	Tu es quod parit,
Σὺ τὸ τικτόμενον,	Tu es quod paritur,
Σὺ τὸ φαίδιμον,	Tu qui illustras,
Σὺ τὸ λαμπόμενον,	Tu qui illustraris,
Ἵνα παῖδα τέκῃς	Ut Filium pareres
Κλεινὰν σοφίαν,	Inclytam sapientiam,
Δημιουργόν·	Rerum omnium opificem :
Προχυθεὶς δὲ μένεις	Profusus autem manes
Ἀτόμοισι τόμαις,	Individuis sectionibus,
Μαιευόμενος,	Obstetricatus,
Ὡδῖς ἱερὰ,	Partus sacer,
Ἄῤῥητε γονὰ,	Ineffabilis fœtus :
Ὅρος εἶ φυσίων,	Terminus es naturarum,
Τὰς τικτούσας	Parientis
Καὶ τικτομένας·	Et partæ.

Jobi vita est mortis meditatio.

Jobi parentes et cognatio vermes.

Cur ergo morti elogium generantis Dei liberiori fronte conceditur? Ergone pater et mater mors, a qua et gignimur et patimur individuis sectioni-

http://www.obrascatolicas.com

Inmemoria mortis mysterium refugit Trinitatis.

bus obstetricari? Ecce Triados mysterium in memoria mortis. Dicas putredini : Pater meus es tu, mater mea ; et tu tibi partus, tu tibi proles eris ex memoria. Momento homo ut generationis æternæ lineas considerationis penicillo transcribas. Commune theologis est Filium Dei ex memoria Patris prodire. Si te memoriæ mortis illigaveris, iteratoque refricueris sepultos cineres insepultus ; si decursaveris pulverem, sensimque versans cadaveris spolia percrebueris, æternum Patrem sobole gravidum imitaberis.

Explico : Judex Deus post pomi morsum sic plectit Adamum *Gen.* III, 19 : « Pulvis es, et in pulverem reverteris : » se voces videntur jugulare, nam si pulvis jam, qui pulvis fieri valeat homo? Nulla res ex se in se convertitur, non aer in aerem, non in ignem ignis : id identitas, non conversio est. Obsistit generationis natura, ut ex eodem in idem fiat transmutatio ; præcedens forma corrumpenda, ut nova eveniat. Ex inimicis siquidem exorimur : privatio formæ generandæ principium est genitæ. Otiaretur natura, si in id quod jam est sedula generationi incumberet. Non mediocris nodus est iste ; nec præteriit scholasticum Cajetanum, qui illum dirimere sibi blanditur, dum accipit improprie illud *pulvis es*, sic dicens : « Adverte, quod cum dicitur, quia *pulvis tu*, non significatur pulvis sub forma pulveris, sed sub forma corporis humani : cum autem dicitur, *et in pulverem reverteris*, significatur pulvis sub forma pulveris. » Solvit igitur ex improprietate : nos pulverem hunc eluamus non scrupuloso rigore. O mirum pulveris ingenium! o artifex nostri figmenti decus! « Memento quia pulvis es, et in pulverem reverteris, » *q. d.* Nosce teipsum ; generationis æternæ resculpes mysterium. Pulvis es : si te cognoscas, reverteris in te : nihil aliud cognoscere sese est, quam in se converti, sicut in objecta convertuntur potentiæ, cum ea actibus elicitis attingunt. Æternus Pater noscit seipsum, sic prolem generat : nec per extera distenditur Dei intellectus, quin a se incipiat, quin in se finiatur. Hinc Verbum gignit Deus Deum, qui splendor Patris, et ejus substantiæ character est vividumque sigillum. Quanta philosophia seipsum cognoscit Deus, nec tantillum desistit, assiduam semper sui cognitionem versans : sic se potitur, divinæque sobolis parentem intuetur. Rescribe exemplum : « Pulvis es : » vis medelam inhonoræ sortis? revertere in pulverem : te cognosce, sic æternaberis, teque tui hæredem simul et prolem nancisceris. Audi Bernardum *De Consid. ad Eugen.* : « A te incipiat tua consideratio, non solum autem, sed in te finiatur : tu primus tibi, tu ultimus. Sume exemplum de summo omnium Patre. Verbum suum et emittente et retinente : verbum tuum consideratio tua, quæ si procedit, non recedat ; sic progrediatur, ut non egrediatur ; sic exeat, ut non deserat. » Fige in pectore verba hæc plena succi et vetustatis. Sed quid ais, Bernarde, generationem æternam resculpam, dum in pulverem meum cognitione mei revertar pulvis? certe, si circulum ambiam, si a me egrediar, regrediar ad me ; si in propria cognitione persistam, repetitis partibus meipsum æternitatis candidatum reproducam. Ita ingeniose ac pulchre Josephus de la Cerda in *Explan. Moral. in Judith*, part. II, Acad. 29, sect. IV.

Per propriam cognitionem nosmetipsos quodammodo generamus

Pulvereæ meditationis nobilitas.

Mortis recordationis animi pertinationes sedantur.

Tropologice hic locus exponi potest de perturbationibus animi, quæ non modo finiuntur in morte, verum etiam mortis recordatione perdomantur : rem ita explico : Quiritatur infans, ingemiscit, in lacrymas solvitur vel levi de causa ; quid ergo restat, nisi ut parens in brachia plorantem suscipiat, nisi ut soror ludicro aut crepitaculo abblandiatur? actutum subsidit illa comploratio, fletus in risum vertitur, disserenavit omnino illa tempestas. Eodem modo fuerit quis nimia morositate delicatioreque sui studio infans, puerilibus appetitionum levitatibus huc illuc distrahatur ; omnes omnino incompositi affectus in ipso insurgant ac tumultuentur ; superbia intumescat, ira effervescat, ardeat libido, cupiditas stare loco nescia sursum deorsum feratur. Profecto si hujusmodi perturbationibus æstuans quisque in terram, in pulverem, in sepulcrum, in tabem, saniem, vermes, in mortem denique ipsam sese mentis cogitatione dejecerit ; illico tota illa malorum affectuum pueriliter quiritantium turba conticescet. O prudentem animam? o vere Spiritus Sancti apem, quæ ingruente vento tempestateque oborta, ne, ut levis est, facile rapiatur in auras, accepto lapidis sepulcralis pondere sese librat firmamque reddit! memorans utique suæ mortis in æternum non peccabit ; ac perenniter cogitans de suo in alteram vitam discessu, nec istam impensius amabit, nec illam timebit, ut quæ præsentia omnia sibi aliena, futura vero suæ naturæ et desiderio peropportuna computet. Qualis illa monialis Ezychia, de cujus morte ita scribit D. Gregorius lib. VI *Epist.* ex reg. 27 : « Transitum Ezychiæ nuntiastis, et magna exsultatione gavisus sum, quia illa bona anima feliciter ad suam patriam pervenit, quæ in patria laborabat aliena. »

Mortis recordatio fr. mam reddit animam.

Sedula nimirum mortis jugique recordatione cum bona corporis terræque despiciuntur, tum animæ cœlique dona æstimantur et avidissime comparantur. Idcirco Spiritus Sanctus hoc suæ sponsæ per angelos, hoc est prædicatores, fabricandum indixit ornamentum *Cant.* I, 10 : « Murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. » O novum et inauditum ornamentum, inaures argenti cum vermiculis! *Cum punctis argenti* legunt alii. Et quosnam alios dicam vermiculos, nisi qui de cadavere sub terram sepulto ac tabe sanieque defluente subnascuntur? Puncta hic habes et vermiculos : nec enim inter nos, sive instar argenti pulchros, et omni ornatu speciosos opibusque opulentos, atque inter mortem, sepulturam, vermes ac saniem major quam puncti distantia intercedit : puncto miseri distamus a morte, a vermibus, a sepulcro. O egregium animæ ornamentum, copiosum lucrum, thesaurum opulentissimum, ipsam cuique suæ mortis recordationem! Hac una frænare quis poterit lascivientis carnis appetitiones, cohibere motus, et quascumque mœrentis animi ægritudines mitigare ; quod S. Job de seipso his verbis profitetur : « Putredini dixi : Pater meus es, » etc. : Nihil aliud, inquit, jam exspectare libet quam domum sepulcri mei, in qua tenebris et caligine obsita stravi lectulum meum, in quo usque ad diem resurrectionis quiescam. Ibi autem non de nobilitate gloriabor, non parentum meorum stemmata commemorabo ; sed putredo factus, et cibus vermium effectus, putredinem patrem agnoscam : nam ex putri materia coagulatus sum ; et vermes eo affectu, quo filii diligunt matres, et fratres et sorores suas, amore complectar, quoniam inter illos quasi inter fratres et cognatos usque ad orbis immutationem permanebo. Hic exclamat merito S. Augustinus : « Et quam turpis pater, et quam vilis mater, quam abominabilis soror! Conceptus de fœtore per ardorem libidinis putrefacto ; cujus tamen cadaveri quasi funebres vermes assistunt. Vivus produxit fœcem, et jam mortuus producit fœtorem et putredinem. Vivus amicum hominem impugnavit, mortuus vermes plurimos impinguabit. Quid ergo fœdius humano corpore? quid horribilius corpore mortuo? cujus gratissimus erat amplexus in vita, molestus etiam erit aspectus in morte. Quid ergo prosunt divitiæ, quid epulæ, quid deliciæ? non liberabunt a morte, non defendent, non eripient a fœtore : qui quondam sedebat in throno gloriosus, modo latet despectus post mortem in tumulo ; qui stabat ornatus in aula, modo sedet immundus in tumba ; qui vescebatur deliciis in cœnaculo, modo consumitur a vermibus in sepulcro. » Sic ille.

Mortis meditatio est animæ ornamentum.

Putredo et vermes sunt cognatio et hereditas defunctorum.

Vers. 15. 15. UBI EST ERGO NUNC PRÆSTOLATIO MEA : ET PATIENTIAM MEAM QUIS CONSIDERAT? — Conclusio est totius argumentationis, qua suorum amicorum dicta refellit, quibus ei spem salutis, si frugi fieret, ostendebant, id est, cum hæc ita sint, ut jam animam agam, et tantum de sepulcro cogitem, in quanam hujus vitæ re spes mea erit ; aut qui possim, debeam aut velim sperare pristina bona præsentia, ut vos suggeritis, cum ipsa me vita cito defectura sit? Præterquam quod levis illa consolatio viro probo esse debet, quæ hujus nititur vitæ commodis, sæpe fallax et incerta est : non enim semper bonorum hominum detrimenta in hac vita resarciuntur, sed plerumque miseriis et malis omnibus oppressi moriuntur, dicente et illis Apostolo *Hebr.* XI, 35 : « Alii distenti sunt non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem ; alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula, et carceres : lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt : circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti : quibus dignus non erat mundus : in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ. » Facit enim magno et excelso animo virum rerum humanarum contemptio, non earum spes, sed spes ea quæ in Deo posita sit : sicut dicit David *Psalm.* XXXVIII, 8 : « Quæ est exspectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea apud te est. » Optime hoc exponit S. Gregorius lib. XIII *Moral.* cap. XVII : « Quæ esse potuit præstolatio justorum, nisi justus et justificatus Deus ; qui ad pœnas humani generis sponte descenderet, et captivos mortis justitiæ suæ virtute liberaret? hujus enim præsentiam minime cessabant intenta cogitatione præstolari, quam quandoque esse venturam noverant, sed venire citius quærebant. Dicat ergo : *Patientiam meam quis considerat?* quia quod disponenti breve est longum est amanti ; unde adhuc dilationis suæ damna considerans, hoc quod jam prædixerat repetit, et descensurus ad ima vocem doloris ingeminat dicens :

Viro bono nil magnopere sperandum in hac vita.

Bonorum hujus vitæ detrimenta non semper resarciuntur.

Justorum præstolatio est solus Deus.

Vers. 16. 16. IN PROFUNDISSIMUM INFERNUM DESCENDENT OMNIA MEA : PUTASNE SALTEM IBI ERIT REQUIES MIHI? — *Infernum* hic passim interpretes exponunt de sepulcro ; sed merito Pineda noster cum S. Gregorio et plerisque Patribus contendit hic agi de inferorum loco sive limbo, *primo*, quia additum epithetum *profundissimum*, quod non aptetur bene sepulcro ; deinde, quia dicit : *Descendent omnia mea*, hoc est præcipua mea, nempe anima, qua potissimum sum homo, una cum iis quæ proprie sunt mea, non quæ fortunæ aut mundi. Propria vero sunt cogitationes, dicta, facta, pro quibus solis, ut quæ nostra sunt (in bonis gratiam suppono) retributio exspectanda : hujus enim aspectu additur dubitatio : *Putasne saltem ibi erit requies mihi?* id est, ibine statim dabitur requiescere? non erit opus ulteriori expiatione? Vides ut vir justus adhuc paveat et trepidet : et audent hæretici etiam toti flagitiis operti certo sibi omnia tuta, quieta, felicia repromittere? in Hebræo est בדי שאול תרדנה, *baddei sceol teradna*, quod Santes vertit, *in sepulcrum descendunt* ; Arias vero reddit, *fulcra inferni descendent* : quod nonnulli Rabbini, quos adfert Pagninus, ad ipsum Jobum referunt ; cujus *fulcra*, id est membra, brachia, vires, adeoque spes ipsa vitæ jam conciderant. Vox autem hebræa בדים *baddim* proprie *vectes* significat, et quidquid adinstar vectium aliquid sustentat, cujusmodi sunt rami majores et crassiores, aut radices in arbore, nec non pedes et brachia in corpore humano. Per *vectes* itaque seu *fulcra inferni* designantur intimi recessus et abditissima inferni penetralia, quæ Vulgatus optime *profundissimum infernum* appellat, non quidem absolute, sed comparative, ut nimirum profundum sit respectu cœli aer caliginosus, in quo sunt dæmones ; profundius locus habitationis nostræ, profundissimum limbus patrum, ad quem Job erat descensurus. Ita S. Thomas in III *Sentent.* dist. 22, *Quæst.*

Infernus pro quo sumatur.

Quæ proprie nostra sint.

Profundissimus infernus quis hic dicatur.

http://www.obrascatolicas.com

II, art. 2; quanquam idem doctor quadruplicem distinguat infernum; scilicet infimum, seu damnatorum, ubi est carentia visionis divinæ et pœna sensus; et huic superiorem, scilicet puerorum, in quo est carentia visionis sine pœna sensus; tertium purgatorium, in quo est carentia visionis et pœna sensus ad tempus, non tamen sine gratia; ultimum denique, in quo sit carentia visionis sine ulla pœna sensus aut gratiæ privatione, qui est limbus patrum.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pro secunda vice semel cœptum post Eliphazum loquendi ordinem servans Baldad pergit arguere Jobum impatientiæ et jactantiæ : describit impiorum pedicas et pœnas, ut inde probet Jobum non nisi ob sua scelera puniri.

1. Respondens autem Baldad Suhites, dixit : 2. Usque ad quem finem verba jactabitis? intelligite prius, et sic loquamur. 3. Quare reputati sumus ut jumenta, et sorduimus coram vobis? 4. Qui perdis animam tuam in furore tuo, numquid propter te derelinquetur terra, et transferentur rupes de loco suo? 5. Nonne lux impii exstinguetur, nec splendebit flamma ignis ejus? 6. Lux obtenebrescet in tabernaculo illius, et lucerna, quæ super eum est, exstinguetur. 7. Arctabuntur gressus virtutis ejus, et præcipitabit eum consilium suum. 8. Immisit enim in rete pedes suos, et in maculis ejus ambulat. 9. Tenebitur planta illius laqueo, et exardescet contra eum sitis. 10. Abscondita est in terra pedica ejus, et decipula illius super semitam. 11. Undique terrebunt eum formidines, et involvent pedes ejus. 12. Attenuetur fame robur ejus, et inedia invadat costas illius. 13. Devoret pulchritudinem cutis ejus, consumat brachia illius primogenita mors. 14. Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus, et calcet super eum, quasi rex, interitus. 15. Habitent in tabernaculo illius socii ejus, qui non est, aspergatur in tabernaculo ejus sulphur. 16. Deorsum radices ejus siccentur, sursum autem atteratur messis ejus. 17. Memoria illius pereat de terra, et non celebretur nomen ejus in plateis. 18. Expellet eum de luce in tenebras, et de orbe transferet eum. 19. Non erit semen ejus, neque progenies in populo suo, nec ullæ reliquiæ in regionibus ejus. 20. In die ejus stupebunt novissimi, et primos invadet horror. 21. Hæc sunt ergo tabernacula iniqui, et iste locus ejus qui ignorat Deum.

Vers. 1 et 2. Baldad Jobum et Eliphazum increpat.

1 et 2. RESPONDENS AUTEM BALDAD SUHITES DIXIT : USQUE AD QUEM FINEM VERBA JACTABITIS? INTELLIGITE PRIUS, ET SIC LOQUAMUR. — Baldad hic stomachosius reprehendit longam cum Jobi tum Eliphazi disputationem, quam ipse præ studio aviditateque loquendi diutius audire non poterat; incipit ergo vehementer, et utrumque arguit insciticæ. Septuaginta cum quibusdam Patribus hæc legunt numero singulari, et sic vertunt, μέχρι τίνος οὐ πάυσῃ; ἐπίσχες, ἵνα καὶ αὐτοὶ λαλήσωμεν, *quousque non cessabis? cohibe te, ut et ipsi loquamur*; sed hebraici codices et alii latini magis emendati et in his Sixtiani, in plurali legunt; neque desunt qui putent nihilominus hæc verba unum Jobum petere, abstinere ab aliis, qui cum Jobo proxime verba contulerant, et in his est Pineda, qui hac de re copiose et acute disputat. Ego cum Sanctio ad illorum sententiam magis accedo, qui verba hæc prima spectare dicunt ad Jobum, qui præcedenti capite, et ad Eliphazum, qui cum illo proxime disceptarat : hoc enim simplicissime indicat modus ipse loquendi, qui cum multis verba fieri non obscure demonstrat; neque causa deerat homini superbo, ut stomachosius ageret cum Jobo, quem in suo errore hærere putabat pertinaciter, et cum Eliphazo, qui cum se sapientem esse profiteretur, erroris convincere Jobum non potuerit. Et hæc certe ratio potuit illum commovere; ipse tamen rationem profert, alteram gravitatis et indignationis plenam dum ait : *Intelligite prius, et sic loquamur*, hoc est, nondum intellexistis controversiæ statum, animadvertite et expendite rem, et ordine servato loquamur. Reprehendit ergo primum disputationem longam et ultra modum, quæ nullum videbatur habitura finem; quam tamen non verbosam solum, sed etiam ventosam et vacuam esse dicit dum ait : *Usque ad quem finem verba jactabitis?* Deinde quia a disputationis scopo videntur

Cur Baldad cum Jobo et Eliphazo stomachosius ageret.

prorsus aberrasse, neque intellexisse, in quo præsertim consistat disputatio : nam qui alterum non bene intelligit, bene respondere non potest. Appositum ad hanc Baldadi increpationem apologum vide in Cyrillo lib. I *Apolog. Moral.* cap. XV, cui titulum præfigit : *Doctus loqui, et avarus sis verbi.* Vide insuper quæ de oris usu laudabili et vitioso exposuimus cap. VI, 26.

Vers. 3. 3. QUARE REPUTATI SUMUS UT JUMENTA, ET SORDUIMUS CORAM VOBIS? — Hæc plurimi ad Jobum referunt, quasi amicorum sapientiam contemnat, neque illos pluris faciendos putet quam jumenta; quod tunc dictum a Jobo interpretari potuit Baldad, cum dixit cap. XII, 7: « Interroga jumenta, et docebunt te, » ubi videtur Jobus meliori loco posuisse jumenta, cum ab illis docuit sumendam esse disciplinam; aut cum dixit cap. XVII, 4 : « Cor eorum longe fecisti a disciplina, » et vers. 10: « Non inveniam in vobis ullum sapientem; » sed quid hæc tria loca sibi velint *ibid.* superius explicatum est. Ego cum Sanctio nostro sicut secundum versum, sic etiam tertium puto ad Eliphazum quoque pertinere : nam ab utroque existimare potuit Baldad se et socium Sophar reputatos esse sicut jumenta, quia silere coguntur, interim dum illi longam pro libitu disputationem instituunt, neque digni habentur, quibus quæstionis discussio committatur : id Septuaginta intellexisse videntur dum reddunt, διὰ τί δὲ ὥσπερ τετράποδα σεσιωπήκαμεν ἐναντίον σου, *cur tanquam quadrupedia tacuimus coram te?* neque novum est in omni, ut reor, idiomate, ut qui stolido sunt ingenio appellentur *asini* vel *bestiæ*; aut certe injuriam sibi fieri interpretatur, cum illa se præsente dicantur, quibus ipse nihil pinguius arbitratur, nihil ab instituto magis alienum. Viri autem prudentes et docti injuriæ loco ponunt, si quispiam coram ipsis nugetur, et aliqua persuadere studeat, quibus fidem habebit nemo, nisi qui bardum habet aut stolidum cerebrum et asino simile ingenium. Hactenus ad Jobum et Eliphazum verba fecit, nunc Jobum solum aggreditur.

Vers. 4. Baldad Jobum stultæ iracundiæ arguit.

4. QUI PERDIS ANIMAM TUAM IN FURORE TUO, NUMQUID PROPTER TE DERELINQUETUR TERRA, ET TRANSFERENTUR RUPES DE LOCO SUO? — *q. d.* Heus tu, qui contra teipsum tuumque animum excandescis; an idcirco tanto furore seu impatientia stomacharis, et quereris coram Deo et toto mundo, quod putes te unum omnibus eminere? et te cadente, lucem, gloriam, decus universæ terræ simul tecum occasura? ut merito Deus, ad hoc præcavendum ne tu cadas, potius rupes loco suo movere, leges impiorum vindices refigere, totumque universi cursum invertere debere tibi videatur : ita Pineda et Tirinus noster, et Olympiodorus in *Caten.* Septuaginta vertunt, κέχρηταί σοι ὀργῇ, *usa est te ira*, quod notat Olympiodorus per interrogationem posse legi, *q. d.* Numquid Deus te in ira usus est, sicut dixisti? et per affirmationem, ut intelligatur iram ipsam usam esse ipsomet Jobo tanquam organo ad ipsius animam affligendam, quam sententiam ait respondere editioni Theodotionis, quæ sic habet, διαρπάζων ψυχὴν αὐτοῦ ἐν θυμῷ αὐτοῦ, *rapiens animam suam in furore suo*; vel, ut alii vertunt, *discerpens*, scilicet instar tigridis, quæ sæpenumero dicitur in tantam iram exsurgere, ut seipsam unguibus dentibusque discerpens interimat : tigride quavis sævior iratus in animam ipse suam violentas manus conjicit, eamque trucidat. Merito igitur iræ sive furori perditio animæ tribuitur : « iracundia enim animositatis illius subversio ejus, » inquit Ecclesiasticus cap. I, 28, significans iratum sibi ipsi malum generare : quamobrem Lactantius lib. VI, cap. XVIII, tradit iratis non secus ac viperis suos ipsos venenatos partus exitium et mortem adferre : quare de illis dici potest illud *Psalm.* LVII, 5 : « Furor illis secundum similitudinem serpentis, » speciem pro genere supponendo, ut vipereos istorum animos in suam ipsorum perniciem concitatos effingamus. Possunt quoque apibus comparari, quæ iratæ mordent, at mordendo aculeum amittunt, et cum aculeo vitam : nam aculeus, ut Aristoteles lib. IX *Hist. animal.* cap. IV tradit, sine viscerum eruptione figi nequaquam potest : itaque levem aliorum ictum propria morte luunt. Ligna quoque dum incenduntur et ardent ipsa consumuntur : non secus irati, quare de illis dici potest *Psalm.* CXVII, 2 : « Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis : » egregie vertunt alii, *exarserunt exstinguendo se.*

Iracundos sibi ipsi noxios.

Iracundi viperis et apibus comparati.

Tria vero potissimum sunt quæ furor seu ira subvertit ac perdit, scilicet animam, vitam et dignitatem : *animam* quidem, quæ per iræ peccatum occiditur : « ira enim viri justitiam Dei non operatur, » inquit S. Jacobus in canonica sua cap. I, 20, ad quod apte S. Gregorius lib. V *Moral.* cap. XXX : « Quanta ergo sit iracundiæ culpa pensemus, per quam dum mansuetudo amittitur, supernæ imaginis similitudo vitiatur. Per iram sapientia perditur, gratia vitæ socialis amittitur, concordia rumpitur, lex veritatis violatur, Spiritus Sancti splendor excluditur, » etc. Tales erant de quibus David ait *Psalm.* LXXVII, 36 : « Et tentaverunt et exacerbaverunt Deum excelsum, et testimonia ejus non custodierunt; » S. Hieronymus legit, *aversi sunt, et prævaricati sunt.* Agit de murmurantibus in deserto, et de Deo impie conquerentibus; verum hi sua ipsa tela, quæ in Deum venenato ore conjiciunt, in se vident recidere, sicut qui doloso utuntur arcu sagittam ipsam retro in se conversam vident, quam in alios contorquebant : quare subdit : « Conversi sunt in arcum pravum, » id est, sicut vitio arcus in sagittantem sagitta convertitur, sic verba hujusmodi hominum in eos ipsos recidunt, qui ea protulerunt; hinc contingit iratos sibi ipsis manus inferre, et tela quæ in Deum et in alios jaciunt in se contorquere, ut in ipsis verificetur illud *Eccli.* XXVII, 28 : « Qui mittit in altum lapidem recidet in caput

Ira occidit animam.

Ira vitam adimit.

http://www.obrascatolicas.com

ejus; » quod autem vitam adimat clare docet idem Ecclesiasticus dicens cap. XXX, 10 : « Zelus et iracundia minuunt dies. » Hinc David quoque ait *Psalm.* XXX, 8 : « Turbatus est a furore oculus meus; » Cajetanus legit, *tinearit ab ira*, qui est optimus sensus ad rem nostram : sicut enim tinea pannos ipsos a quibus oritur corrodit, sic iratos ira cum ab ipsis nascatur interimit. Denique quod *dignitatem* auferat, unus ad probandum sufficiat Alexander, quem rerum gestarum gloria clarissimum e cœlo in terram ira dejecit : « Alexandrum enim, inquit Valerius Maximus lib. IX, cap. III, iracundia sua propemodum cœlo diripuit : nam quid obstitit, quo minus illuc assurgeret, nisi Lysimachus leoni objectus, Clytus hasta confossus et Callisthenes mori jussus? » At Callisthenis quidem deflens mortem in Alexandri iram iratus Seneca eloquentissime ait lib. VI *Natur. Quæst.* cap. XXIII : « Hoc est Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet : nam quotiens quis dixerit : Occidit Persarum multa millia; opponetur : Et Callisthenem. Quotiens dictum erit : Occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat; opponetur : Et Callisthenem. Quotiens dictum erit : Omnia oceano tenus vicit, ipsum quoque tentavit novis classibus, et imperium ex angulo Thraciæ usque ad orientis terminos protulit; dicetur : Sed Callisthenem occidit. Omnia licet antiqua ducum regumque exempla transierit, ex his quæ fecit nihil tam magnum erit quam scelus Callisthenis. » Vides igitur iram duntaxat tantis victoriis illustrissimum ducem potuisse superare, et illius honori perpetuam ignominiæ notam inurere. Optime igitur Chilon dicebat, ut Laertius in ejus *Vita* testatur, fortius esse iram quam hostem armatum dejicere, cum non minus exitii sit ab ira quam ab hoste : plura vide de ira *supr.* cap. V, 2 annotata.

Ira dignitatem tollit.

NUMQUID PROPTER TE DERELINQUETUR TERRA? etc. — Varie hoc exponitur ab interpretibus, uti videre est apud Stunicam : mihi planissimus videtur sensus, quem ante attuli, et consentit cum Septuaginta, qui clarius sic reddiderunt, τι γὰρ; ἐὰν σὺ ἀποθάνῃς, ἀΐκητος; ἢ ὑπ' οὐρανὸν; ἢ κατασταφήσεται ὄρη ἐκ θεμελίων; *quid enim? si tu mortuus fueris, inhabitabilis erit ea quæ sub cœlo est? aut subvertentur montes a fundamentis?* quod sic optime exponit Olympiodorus in *Caten.* q. d. « Adeone existimas te stante mundum consistere? ut adeo magnifice de te tuisque rebus loquare? Quasi vero omnis hæc rerum universitas te uno exstincto damnum factura sit : sic optas interitum, tanquam si omnis hæc regio, quæ soli subjecta est, detrimentum tua morte capere debeat : tanquam communis futurus sit rerum omnium interitus sic sermocinaris, perinde quasi tua justitia res humanæ constitutæ sint, teque e medio sublato haud quispiam sit futurus superstes, qui divinum nobis Numen placatum efficiat. » Itaque non sine fastu videtur Baldad Jobi fastum, quem putabat, velle proculcare, significans nequiter illum agere, qui immoderato mortis desiderio vitam conficiat; neque vero multum referre, quod Jobus vane insolescens defungatur : non enim propterea terram habitatore carituram, rerumque commotionem prodigiosam, puta rupium convulsionem successuram quasi moraretur eximius aliquis orbis terrarum moderator; sine quo neque genus humanum propagari, neque res quantumvis firmæ consistere possent.

Baldad significat parum referre an Job pereat.

5 et 6. NONNE LUX IMPII EXSTINGUETUR, NEC SPLENDEBIT FLAMMA IGNIS EJUS? LUX OBTENEBRESCET IN TABERNACULO ILLIUS, ET LUCERNA, QUÆ SUPER EUM EST, EXSTINGUETUR : — sensus est, spem, gloriam, imperium, posteritatem impiorum cum eorumdem memoria brevi interitura; neque hic subtiliter exquirenda distinctio lucis, flammæ, ignis, lucernæ : poeticus quippe sermo variis nominibus ad eumdem sensum concinnatus ornatur et amplificatur. Non est autem extra rem, ut lucerna ultimo loco posita peculiare quidpiam notet, puta lucem emendicatam, hoc est e variis occasionibus petitam, opibusque subditorum tanquam oleo nutritam : ut lucernæ significatio tyrannicæ direptioni, qua injustus princeps subditorum spoliis locuples ac splendidus apparet, aptetur : perinde enim est quod Baldad enuntiat, *q. d.* Videris, mi Job, modo animam agere, et prosperitatem desperare, qua sane in re tibi rependitur quod commeruisti, impietati nimirum tuæ pœna redditur, ut quidquid illustre ac splendidum mortalium oculis exhibuisti obtenebretur, et in hac ignominiosa obscuritate intereas : sic nempe a Deo constitutum est, ut lux impii exstinguatur, neque decet, ut tui gratia hic divinæ providentiæ ordo mutetur; quid ergo mirum si pereas ad extremam ærumnam deturbatus? Sane prosperitas impii evanescit, et splendor ejus emoritur : claritas illa, qua domus ejus videbatur illustrari, obscuratur, et lux emendicata deficit.

Vers. 5 et 6.

Lux, flamma ignis, lucerna quid significent metaphorice.

Pulchram nobis Sapiens inter lucem justorum et lucernam improborum reddit differentiam dicens *Prov.* XIII, 9 : « Lux justorum lætificat : lucerna autem impiorum exstinguetur, » id est, felicitas et gloria justorum solidæ est lætitiæ, quia semper augenda : « nam *ibid.* cap. IV, 18 justorum semita quasi lux (scilicet auroræ) splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem, » hoc est, magis atque magis splendescit, usquequo ad solis meridiani splendorem atque perfectionem (in hac vita virtutis et gratiæ; in futura gloriæ et beatitudinis) pertingat : per hanc enim claritatem doctrinæ et sanctitatis justi sunt « lux mundi, » *Matth.* V, 14. Lucerna vero impiorum, quæ in hujus mundi caliginosa nocte videtur potius lucere quam luceat, illa brevi tempore, ac levi flatu dissipatis hisce nebulis, et die vero illucescente obscurabitur. Justorum igitur felicitas comparatur soli et luci, quia jugis est, solida, stabilis, et per totum orbem se diffundit, apud justos et injustos, carnales et spirituales; gloria vero et felicitas impiorum lucernæ assimilatur, quia durat in hac tantum nocte, indigens oleo alieno, hoc est vano favore : quod si defecerit exstinguitur; si adversitas aliqua adflaverit exsufflatur et fœtet, et insipientibus tantum splendere ac lucere videtur, idque tantum in hac vita, cum qua semper exstinguitur. In morte enim deficiet umbratilis eorum lux, exstinguetur lucerna, hoc est fluxa mundi prosperitas, et horribilibus ac sempiternis inferni tenebris operientur, et conjicientur *Matth.* VIII, 12 in tenebras exteriores, « ibi erit fletus, et stridor dentium; » tunc demum intelligent miseri, quam tetro malo dum viverent, obnoxii essent : tunc dicent, sed frustra *Sap.* V, 6 : « Erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis : lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. » Est infandi illius hostis consuetudo mentis oculos fraude malitiaque sua obnubere, subducere cognitionem cœlestium, ut in vitæ cursu laxis habenis, quasi nigra in nocte, Andabatarum more modoque ferantur. In illa sceleris umbra piscatur ille Orci prædo, et reti suo mortales involvit : interpositu letiferi peccati solis semper luctuosam eclipsin et defectionem creat, unde multæ et intolerandæ calamitates oriuntur, quas deinde enumerat.

Quid intersit inter lucem justorum et lucernam impiorum.

Diabolus excæcat peccatores ut eos irretiat.

Vers. 7. 7. ARCTABUNTUR GRESSUS VIRTUTIS EJUS, ET PRÆCIPITABIT EUM CONSILIUM SUUM. — Vide uti paulatim mala succrescant, deficere lux cœpit, deinde nox incubat, oculus non caligat modo, sed obcæcatur : non videt miser, sed non ibi sistit malum, pedes comprimuntur, gressus præpeditur, consilium et ratio omnis perit : quia conatus impii robore suo innixi retardabuntur, et suomet consilio concidet. Hæc subdit Baldad, ut Jobum pungat, significans frustra impium conari quæ in mentem veniunt, cum ad justitiam Dei pertineat conantem intercipere, ne quæ mala cogitarat absolvat. *Arctare gressus* est reprimere, compescere, præpedire; sicut e contrario *dilatare gressus* est expedire, prosperare, conatum progressumque rerum bene cedentium adjuvare, promovere. *Gressus virtutis* idem est atque *conatus robusti*, contenti, nervosi, potentes. Jam vero *consilio suo præcipitari* eleganter dicuntur, qui suo conatu mortem et calamitatem sibi conflant, suo, ut aiunt, gladio jugulantur, ut Goliath et Holofernes. Quantæ autem sint impiorum angustiæ, et in quantas ruinas propriis consiliis præcipitentur, vide *supr.* cap. V, 12 et 13; cap. XII, 17; cap. XV, 20, 21, 22, 23 et passim alibi. Cæterum pulchra hic utitur metaphora gressuum arctandorum, ad denotandas angustias et summas difficultates, in quas tandem redigendi sunt illi, qui in vita magnam sui dilatationem præ copia et abundantia rerum usquequaque habuerunt. Sicut autem qui gaudio perfunduntur *dilatari* dicuntur, ut constat ex illo *Psalm.* CXVIII, 32 : « Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum, » gaudio scilicet et lætitia; et alibi *Psalm.* IV, 1 : « In tribulatione dilatasti mihi, » id est, cum in angustum essem inclusus, nec spes evadendi subesset, veluti eruptione facta mihi viam aperuisti et dilatasti : sic e contrario impiorum gressus ad ultimas difficultates et summas angustias redigentur, quod bene in rem nostram explicat S. Gregorius lib. XIV *Moral.* cap. IV et V, ubi eum lege.

Deus impedit conatus impiorum, et consilia, infatuat.

8. IMMISIT ENIM IN RETE PEDES SUOS, ET IN MACULIS EJUS AMBULAT. — Nunc aliud addit impedimentum, quod peccatorem in incessu moratur; sumitur autem a venatione metaphora, et a præda quam auceps aut venator captat; quæ si se in retia induerit, inde se extricare non potest; et quo eluctatur magis, ut inde se eximat, arctius constringitur. Pro *in maculis* hebraice est *in implexo reti* : nam retis oculi seu cancelli *maculæ* vocantur latine; quo etiam nomine dicuntur ferrei annuli, quibus hamatæ contexuntur loricæ. M. Varro lib. III *De Re rust.* cap. XI, maculas in reti posuit : « Septum, inquit, totum rete grandibus maculis integitur, ne eo involare aquila possit, neve ex eo evolare anas; » sensus ergo hujus loci est, *q. d.* Sicut avis capta reti ex uno filo ejus vel ocello dum egredi conatur, in alium graditur, et magis sese implicat : ita impius captus reti concupiscentiæ suæ ex uno vitio in aliud, ex una macula in aliam transit, ac magis magisque sese intricat.

Vers. 8. Peccatorum vitiorum suorum retibus intricatur.

Macula quid.

Optime S. Patres horum retium vim varietatemque notarunt, et religiosissime vitare studuerunt : S. Paulinus, *zabuli a retia* divine appellat dicens *Epist.* 2 : « Tota hujus mundi figura, quæ præterit, et per oculos corda prolectat, zabulicis prætenta retibus, in qualibet sui specie laqueus mentis et gladius est. Credamus prophetæ *Sap.* XIV, 12, quia in medio muscipularum ambulamus, et inter opertos lethalibus dolis gladios vita transigitur. Excipit nos mundus iste variis voluptatibus florens, et fallacibus venenatus illecebris, » etc. Nihil dici in eam rem potuit illustrius. Vocat retia, *muscipulam, laqueos*, et ne communes illos putaremus, *gladios* interpretatur *sævos* et *opertos*, tota via structos in acumen, in quos facile se viatores induant. Simile quiddam de zabulicis retibus magnus Origenes attulerat homil. 2 *in Cant.*, illud exponens e sacris gameliis de sponso *Cant.* II, 9 : *Stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, eminens per retia* (ita vertit postrema verba S. Hieronymus, cum in Vulgatis sit *per cancellos*) : « Intellige, inquit, quia in medio laqueorum ambulas, et subtus machinas transeas imminentes : omnia retibus plena sunt : diabolus laqueis cuncta complevit. Si autem venerit tibi sermo Dei, et cœperis eminere de retibus, dices *Psalm.* CXXIII, 7 : *Anima nostra erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est* : eminet sponsus per retia tibi viam faciens. » Vult Origenes immane quoddam et vastum rete oppandi mundo universo, imminentesque machinas Vulcaniis retibus firmiores; omnes

Vitia sunt zabulica retia.

In medio laqueorum ambulamus in hoc mundo.

http://www.obrascatolicas.com

autem in commune homines prædam fieri mali dæmonis, et includi, nisi qui duce et præside Ecclesiæ sponso Deo emineat per retia, et divino beneficio liber et solutus in sublime se attollat : eadem mente S. Leo in tentationum multiplici varietate et periculis obstupefactus et hærens exclamat serm. 5 *in Quadrag.* : « Plena omnia periculis, plena sunt laqueis, invitant cupiditates, insidiantur illecebræ, » etc. : vide plura de his *supr.* cap. VII, 1. Pulchre ad hunc locum S. Gregorius lib. XIV *Moral.* cap. VI : « Qui, inquit, pedes in rete mittit, non cum voluerit ejicit : sic qui in peccata se dejicit, non mox ut voluerit surgit, et qui in maculis retis ambulat, gressus suos ambulando implicat; et cum expedire ad ambulandum nititur, ne ambulet obligatur. » Hinc peccata, quæ ex consuetudine fiunt, curatu difficillima sunt, quia etsi per confessionem, ut cætera, expientur; tamen quia radices intus altas fixerunt repullulant, et ipsamet consuetudo quasi funis in hominis retorta pedibus sic eum stringit et ligat, ut vix sese extricare valeat, qua circumligatum facile ad se iterum attrahet inimicus. Unde tales quando sic labuntur, ut graviter peccare incipiant, non in illa incidunt per transennam, sed animo iterandi, seu se diu delectandi, ut usuvenire solet lubrico carnis vitio implicatis; qui plerumque jam peccatis assueti tam difficile curantur, ut fere diabolo reserventur ad pompam, dum sic peccatis assuescunt, ut facillime post confessionem ad vomitum redeuntes, quasi pœnitentiam non egissent, de uno in aliud incurrant peccatum. Quamobrem, uti sequitur,

Periculosa voluptatum illecebræ.

Peccata ex consuetudine admissa curatu difficillima.

Vers. 9. 9. TENEBITUR PLANTA ILLIUS LAQUEO, ET EXARDESCET CONTRA EUM SITIS. — Prior pars superiorem sententiam confirmat et explicat; posterior aperte docet a venatione sumptam esse metaphoram : exardescit enim contra feram laqueo irretitam venatorum sitis, maxime si ulcisci volunt illatum ab ea damnum, quale v. g. aper intulit Calydonius; aut lupus, qui laceravit pecus. Sumitur autem hoc loco *sitis* pro sitibundis, id est pro his qui sanguinem sitiunt; qui eo avidius illaqueatam feram consauciant, quo majus in illam odium imbiberunt. Sane abstractum pro concreto sumi nimis vulgare est tam apud profanos quam apud sacros scriptores; et alii omnes interpretes a Vulgato concretum reddiderunt, nempe *sitientes grassatores, prædones*, in quibus videntur significari Chaldæi et Sabæi, et si qui fuerunt alii, qui in Jobi facultates et bonum nomen irruperunt. Nam quæ hic de impiorum supplicio dicuntur a Baldado ad Jobum præsertim intorquentur; in quem hi tres amici quasi in irretitam orygem aut leonem debacchantur, ea siti seu potius rabie inflammati, ut non aliter nisi Jobi sanguine ad satietatem hausto sedari posse videantur : ita Sanctius noster.

Amici contra Jobum rabiebant.

Cæterum quoad impium pulchre hic de ipso philosophatur ex similitudine feræ venatorum laqueis implexæ, in quibus dum sese huc illucque agit, et agitationis calore, et ardore bilis excitatæ et timoris siccitate, qua velut corpus ardet, in eam sitim devenit, qua cogatur aperto rictu linguam exerere, si vel aura possit refrigerari. Sicut ergo captam feram sitis invadit, in cujus rabidi tormenti signum os apertum et linguam exertam habet : eodem modo in morte impius rudentibus inferni intricatus rabidissima siti exardescit, qua cogitur juxta divitis epulonis voces pro linguæ refrigerio vel aquæ guttam inclamare *Luc.* XVI, 24 : quia nullo alio tormento magis cruciatur quam siti beatitatis, et licet sciat impossibile sibi esse quod optat, tamen ad summum tormentorum augmentum cogitur ardentissime concupiscere Dei visionem. Hoc crediderim significari *Psalm.* LVIII, 7, ubi dicitur de sero et intempestive conversis : « Convertentur ad vesperam, famem patientur ut canes; » quæ verba de damnato sic exponit Nyssenus tract. 2 *in Psalm.* cap. XVI : « Tunc a superna civitate excidens omnium bonorum penuria et fame punietur; » punietur quidem damnatus æternum duraturis flammis, sed longe acerbius punietur rabidissima tunc appetentia summi boni, nimirum divini conspectus, qui fartam deliciis mensam præbet beatis. Luculentius id exponit divus Chrysostomus hom. 24 *in Matth.*, dum ait : « Intolerabilis quidem res est gehenna, quis nesciat et supplicium illud horribile? tamen si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est a beatæ illius gloriæ honore repelli, exosumque esse Christo, et audire ab illo, *Matth.* VII, 23 : *Non novi vos;* » et quidem non sic adversus damnatos exardescit gehennæ flamma, etiamsi millies multiplicetur, ut exardescit sitis poculi æterni, quod in cœlesti regno a faciem Dei videntibus bibitur. Hac ardentissima rabidissimaque siti coguntur miseri Tantali captare semper ipsos fugientia divina fluenta : hac fame intolerabili vilissimi isti canes cruciabuntur, dum mente volvunt saturam illam et opulentam civitatem cœlestem. Et merito, qui in præsenti nihil æstimarunt Deum, in inferno inani et intolerabili ejus videndi concupiscentia uruntur, juxta illud *Psalm.* CXI, 10 : « Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet : desiderium peccatorum peribit; » siquidem erunt frementi et tabescenti peccatori desideria ardentissima videndi Deum, et gloria potiundi, sed evanida et irrita, quæ torqueant crudelissime miserum, non quæ prosiliant in effectum.

Peccatores in morte maximam sitim beatitatis torquentur.

Sitis summi boni, quo se frustratos vident, est maximum damnatorum supplicium.

Vers. 10. 10. ABSCONDITA EST IN TERRA PEDICA EJUS, ET DECIPULA ILLIUS SUPER SEMITAM. — Eamdem metaphoram ab aucupio venationeve desumptam eleganter amplificat. Notum est aucupes ac venatores ita laqueos parare, ut simplicia animantia aliud agentia repente strangulentur, aut viva comprehendantur, aut denique in foveam ramorum superinjectu aliove artificio contectam incidant, ubi lanceis aut venabulis sauciata intereant, vel sine nocumento capiantur. His ergo dicendi modis, quos Baldad quatuor versibus expressit, idem significat, impium scilicet variis modis, vel a se excogitatis, vel ab aliis inventis capi, et impietatis pœnas demum luere. *Pedica* ergo *abscondita* referri potest ad prædonum insidias, qui e latebris inopinum impium adoriuntur; *decipula* vero ad simulatas pacis vel familiaritatis artes, quibus illectus impius, ab iis quibuscum versabatur, quosque sibi fidos amicos existimabat, interficitur.

Impii cum minime cogitant, velut aves aut feræ decipula capiuntur.

Olympiodorus in *Caten.* hunc locum exponit translata similitudine a retibus filo contextis, quæ in terra aucupes occultant, ut aves delapsas adducto fune contratisque retibus aucupentur : « Ut enim, inquit, qui capiendis avibus insidiantur retium funiculum occultant in terra, eminusque sedentes, num in retia præda inciderit speculantur; deinde funiculo adducto prædam inopinato in laqueos illapsam capiunt, ipsæque volucres ad paratam escam advolantes nec sentientes irretiuntur : ita prorsus impii, cum omni metu posito agant improbe, imprudentes subitis ærumnis infortuniisque implicantur. » Incredibilis quippe est infernalis animarum aucupis in tentando et decipiendo versutia, nihil magis veteratorium dici potest, aut ad fraudem callidum, et eruditum artificio simulationis : « Probe enim novit, inquit B. Ephrem *De Morb. ling.*, quibus et qualibus nos vinculis obstringat, et si nos invitos in suos casses conjecerit, fore ut celeriter confractis illis mens nostra iterum in libertatem se vindicet : quapropter jucunda ac grata unicuique vincula injicit, in quibus libenter conquiescat. » Insinuat sese penitus in cujusque naturam, mores, consuetudinem, et ad quemque se accommodat, ut nihil dici possit callidius. Quod eleganter S. Leo expressit in hunc modum serm. 7 *De Nativ.* : « Novit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ : novit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat : omnium discutit consuetudinem, ventilat curas, scrutatur affectus, et ibi causas quærit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari. » Insidiæ dæmonis, ait divus Basilius *Homil.* 2, sunt πολυειδεῖς, καὶ πολύτροποι, *multiformes*, et, ut verbis utar S. Hieronymi, *multimoda ingenia*, ad quod viderit hominem ἐπιῤῥεπέστερον, *proniorem*, ad id utitur, inquit, propriis delinimentis atque illecebris. Id quod S. Bernardus serm. *De Quadr. debit.* similiter observavit : « Secundum impetum, inquit, spirituum huic tepido remissiorem, illi ferventi vitam arctiorem proponit; hoc solum expetens et exspectans, ut quoquo modo tollat eum a concilio justorum et congregatione. Ecce ergo pedicam in terra, et decipulam in semita : quia in his quæ quisque libenter terit, et non sine jucunditate tractat, petram scandali et laqueum tentationis abscondit. » Plura de dæmonis industriis ad fallendum vide cap. I, 7.

Dæmonis versutia ad homines decipiendos.

Dæmon se cujusque ingenio accommodat, ut facilius fallat.

Vers. 11. 11. UNDIQUE TERREBUNT EUM FORMIDINES, ET INVOLVENT PEDES EJUS : — ex flagitiorum enim conscientia magnus timor et ingens oritur sollicitudo, sicut dicitur in *Sap.* XVII, 10 : « Semper præsumit sæva perturbata conscientia; » hinc est quod *Matth.* XIV, 7, Herodes ad demortui Joannis umbram expavescebat, eumque a mortuis surrexisse asseverabat, de quo Euthymius : « Vide, inquit, rem mirandam, is qui interemerat timet interemptum : talis est enim inimicus virtutis, ut et mortuos timeat; et talis est qui virtutem colit, ut pavorem etiam post mortem immittat viventibus, » etc. Eodem modo S. Ambrosius lib. VII *Epist.* epist. 44, post multa de impio ait : « Etsi clausus parietibus sit, opertus tenebris, sine teste, sine conscio; habet tamen facti arbitrum, ad quem facta clamant omnia, sibi ipsum unusquisque animum suum severum judicem sui, ultorem sceleris et vindicem criminis habet; denique timens ac tremens oberrabat Cain parricidalis facinoris luens pœnas, ut ei remedio sua mors fuerit, » etc. Hoc ipsum etiam videre est in Davide dum timore correptus ait II *Reg.* XIV, 15 : « Surgite, fugiamus, » scilicet Absalomum, de quo Chrysologus *in Psalm.* III : « Fugiebat filium David, quoniam castitatem fugerat : fugiebat filium, quoniam Dei legem fugerat. Saul etiam peccati conscientia debilitante quam timidus et ignavus est redditus : sic enim ad Davidem quasi tremens ac pavidus ait I *Reg.* XXIV, 22 : *Jura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei* : » exploratum scilicet est, conscientiam impii mille timoribus concuti, semperque gravia mala suspicari, ipsoque metu nutare ac præpediri, ne elabatur : id quod significans subdit :

Peccatores semper timidi et suspiciaces.

Mala conscientia gravat hominem impeditque.

ET INVOLVENT PEDES EJUS : — etsi enim timor fugam suggerat e locis quoque tutis (« fugit *enim* impius nemine persequente; » *Prov.* XX, 1); conscientia tamen onerata peccato, cui succubuit, fugere parantem prægravat, et pedes quasi laqueis implicat vel involvit; undique terretur, quia quocumque se vertat inde insidias pertimescit : irrogavit injuriam Deo immenso, qui cum ubique imperet, undique par est, ut impius necem exspectet. Quin et ipsummet peccatum dirus sui carnifex immanisque tyrannus justam materiam dedit fabulis poetarum, ut esse furias dicerent igne et flagellis armatas, quæ horribili genere crudelitatis in impios sævirent. Itaque S. Chrysostomus *in Psalm.* VII ait peccatum δημίου παντὸς χαλεπώτερον, *quemvis carnificem importuna quadam sævitia et inhumanitate superare*, et ea causa a purpureo Vate in arcanis symbolis dici ὠδῖνας, *dolores partus*, sic enim tanquam in tabella hominem sceleratum expressit *Psalm.* VII, 15 : « Concepit dolorem, et peperit iniquitatem; » sed hunc partum non esse communem, aut qualis est in mulieribus, sed *viperinum* : quod fœtus uterum discerpentes lateraque fœde laniantes procedant. Idem S. Chrysostomus graviter alio loco *Psalm.* CXXIV pronuntiat, peccatum πρὸ τῆς κολάσεως κολά-

Peccatum sui ipsius carnifex.

http://www.obrascatolicas.com

ζειν, *ante supplicium supplicium infligere*, quemadmodum virtus ob incredibilem suam voluptatem et immensum decus, quod justis et probis hominibus adferre solet, πρὸ τῆς ἀντιδόσεως, *etiam ante remunerationem* remuneratur : ita D. Paulus cum ethnicos luxurie immani atque flagitio maculatos dixisset, id esse monet maximum supplicium, καὶ πρὸ τῆς κολάσεως, *etiam antequam puniatur*. Denique eruditissimus Pater *in Psalm.* CXXXIX, animadvertit πονηρίαν, hoc est *improbitatem*, nominari a πόνῳ, *labore*, quod occulto cruciatu, et immensis animum doloribus compleat. Ex quibus omnibus liquido constare poterit, quam gravis cruciatus sit timor ac pavor pravæ conscientiæ. De quo vide quæ dicta sint *supr.* cap. XV, 21-24.

Vers. 12 et 13.

12 et 13. ATTENUETUR FAME ROBUR EJUS, ET INEDIA INVADAT COSTAS ILLIUS. DEVORET PULCHRITUDINEM CUTIS EJUS, CONSUMAT BRACHIA ILLIUS PRIMOGENITA MORS. — Qui prius, inquit, erat robusto corpore et abdomine pingui sic attenuabitur inedia, ut in macro atque consumpto corpore nudæ promineant et arentes costæ; et inducto pallore et macie nulla in succulenta et renidenti cute maneat pulchritudo aut in lacertis virtus : hæc enim ante suum tempus auferet primogenita atque immatura mors : ita Sanctius noster. Illud autem *primogenita mors* in fonte est *primogenitus mortis;* unde emanarunt plurimæ hujus loci interpretationes maxime diversæ : R. David putat esse hypallagen, quam sic resolvit, *mors devoret primogenitum ejus*, supple *impii :* Philippus et Beda dicunt hunc mortis primogenitum esse « diabolum; quia per ipsum primum intravit mors in orbem terrarum, et ipse est suæ mortis inventor. » Quæ ratio ipsa propositionem destruit : si enim diabolus est auctor et primus mortis inventor, ipse *pater* potius ejus dicendus est quam *primogenitus;* quod si intelligat de morte spirituali animarum et angelorum, quæ est peccatum, quod ipse primus hac morte fuerit interemptus, hoc nihil ad rem facit, nam hic de morte corporali agitur, ut facile videre est. Lyranus accipit *mortem præcocem* et præmaturam; Cajetanus dicit esse *mœrorem*, quia, inquit, primum quod gignit mors est mœror, quilibet enim tristatur cogitans se moriturum; alii exponunt *primam infirmitatem* : nam cum omnes morbi et omnia mala ex mortis pœna olim inflicta oriri videantur, prima infirmitas erit primogenita mortis. R. Joseph, Vatablus et Titelmannus putant esse *morbum gravissimum* ac dolorem mortiferum, quem certa et inevitabilis mors subsequitur; sed hi omnes toto cœlo aberrant, dum de infirmitate vel morbo interpretantur, quod evidenter dicitur de morte. Nam id quod vocatur *primogenitus mortis* aliud quam mors esse non potest, quod optime capiens noster interpres doctissime vertit *primogenita mors*, quasi mors in suo genere sit velut parens multarum mortium, inter quas est una primogenita; vel melius, mors in suo genere erit velut dux vel rex, qui multas mortes habeat sibi subditas, quarum una in illo genere alteram dignitate et excellentia, hoc est crudelitate et immanitate superabit. Solet enim Scriptura ob maxima primogenitorum præ aliis filiis privilegia, eminentias ac dignitates vocare *primogenitum* quid-quid in suo genere cæteris antecellit; quomodo Christus ab Apostolo *Coloss.* I, 15, vocatur *primogenitus omnis creaturæ*, non quidem in sensu Arii, quasi sit creatura prima inter creaturas; sed quod sit princeps et principium omnis creaturæ; unde statim addit : « Quoniam in ipso condita sunt universa. » Similiter idem Christus *Apoc.* I, 5, dicitur, « primogenitus ex mortuis, et primogenitus mortuorum; » item *Rom.* VIII, 29, « primogenitus in multis fratribus; » et de illo in Psalmis dicitur *Psalm.* LXXXVIII, 28 : « Ego primogenitum ponam illum, » et quasi per interpretationem adjungit, « Excelsum præ regibus terræ. » Item Apostolus *Hebr.* XII, 23 vocat Ecclesiam triumphantem « Ecclesiam primitivorum, » juxta Græcum, *primogenitorum*. Sic Isaias cap. XIV, 30, pauperes, qui alios egestate superabant, vocavit « primogenitos pauperum. » In hoc igitur sensu Baldad nunc eleganter admodum vocat *primogenitam mortem*, quæ inter alias mortes terribiles sit præcipua; aitque hujusmodi mortem devoraturam non solum pulchritudinem cutis exterioris impii, sed et fulcra et sustentacula, quibus totum corpus ejus innititur, nempe omnem carnem ejus, donec cutis non aliud habeat fundamentum quam ossa, quæ fame consumi non possunt.

Primogenita mors varie exponitur.

Mors genus est ad multas mortes.

Primogenitus vocat Scriptura quid in suo genere excellit.

Restat nunc videndum quænam sit illa mors, quæ inter cæteras *primogenitæ* sibi nomen vindicet : tot enim videntur esse mortes diversæ quot infirmitates et morbi, quibus vita humana quotidie succiditur; imo quot pericula, accidentia et eventus, quibus passim mortales perire videmus, quorum quidam aquis suffocantur, alii igne cremantur, alii gladio perimuntur, alii veneno exstinguntur, alii supplicio. Unde Apostolus II *Corinth.* XI, 23, diversa sua pericula vocat *mortes* : « In mortibus frequenter. » Et dubio procul illa *primogenita mors* est fames, quæ non est infirmitas vel morbus, sed continua mors, qua non datur amarior, crudelior, horribilior, nec miserabilior; cujus typum et effigiem videre est apud Josephum lib. VII *De Bello judaic.* cap. VIII. Miserrimum sane mortis genus est fame mori, ut canit Homerus *Odyss.* μ' :

Primogenita mors est fames.

Πάντες μὲν στυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι·
Αἰῷ δ' οἰκτιστον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν :

Dura quidem miseris mors est mortalibus omnis;
At perisse fame res una miserrima longe est.

Atrocissimam igitur vindictam proponit famem, sic enim eam appellat S. Chrysostomus *in Isai.* cap. III : nam cum necessitas grave malum sit, unde in proverbium abiit, « necessitatem non habere legem; » ideoque Valerius Maximus eam vocavit *abominandam*, ut cujus sint leges crudelissima imperia; quapropter ab Horatio lib. I *Carm.* « sæva necessitas » appellatur. Inter omnes autem necessitates quæ hominibus contingere possunt, nulla major quam fames : hanc vires humanæ nequeunt ullo modo superare, sed nec ferre. Grave malum hoc « urbium regionumque gravissimum morbum » dixit Philo Hebræus lib. *De Joseph* : « Constituerat, inquit, Jacob, post exstinctum, ut putabat, Joseph, filium suum Benjamin, quem e charissima sibi Rachele sustulerat, domi apud se retinere, neque cum reliquis filiis in Ægyptum mittere frumentatum; at constantem et tenacem propositi virum fregit fames, et dilectissimum extorsit filium, dum extrema torquet esuries. »

Fames vindicta atrocissima, et abominanda sævaque

necessitas :

est gravissimus urbium et regionum morbus :

Αιμῷ γὰρ οὐδὲν ἐστιν ἀντειπεῖν ἔπος,
Famem adeo responsare nil contra datur,

sicut dixit comicus græcus Menander. Sensit itaque durum famis imperium senex Jacob, et hanc ab illo vocem expressit *Gen.* XLIII, 11 : « Si sic necesse est, facite quod vultis. » Ideoque sanctus Basilius *Hom. in divit. avar.* post medium ait : « Quid fames non cogit? Naturæ leges sæpe pervertere ac transgredi multis suadet, et hominum corporibus vel propinquorum vesci : matrem, quem peperit natum, impulit in ventrem male recondere, » etc. Dixerat autem paulo ante *ibid.* S. Basilius : « Humanarum calamitatum caput est fames, cujusvis mortis genere duriorem afferens finem : in aliis namque periculis vel ensis cuspide cito interit, vel ignis impetus breviter vitam exstinguit, aut ferarum dentibus membra statim discerpta intereunt, quæ quidem dolorem morienti minime protrahunt; at famis diuturnius malum ocius torquet, lentius tabefacit, sensim occidit, » etc., ubi S. Basilius ostendit, quomodo sensim occidat fames, ut diuturnam inferat necem, et lentam mortem inducat. Non mirum proinde si Jacob fame pressus filium Benjamin cum aliis in Ægyptum abire permisit, quando fames parentes alioquin adigit ut filios pro alimentis sumant, et pro alimentis vendant, quod eleganter prosequitur S. Basilius orat. 15 *De Avarit.* post medium, ubi describens famelicum patrem victum undique sibi parare volentem ait : « Quid tum miser facit? ad filios oculos suos convertit, et eos proscribere cogitat, ut ex ea venditione aliquod remedium ad mortem suam propulsandam capere possit. Velim hic tecum cogites pugnam famis urgentis et paterni amoris : illa quidem ei miserrimam mortem minitatur, si filios non proscripserit; ac natura hominem retrahit, suadetque ut potius cum suis mortem oppetat quam liberos suos vendat; ac tandem sæpe incitatus sæpe retractus manus dat ab incredibili egestate victus. Et quænam consilia mente agitat pater? illa nimirum animo volvit suo : Quemnam horum primum vendam? » Sic ille proponit famis sævitiam et desperationem, quæ oblita paternæ charitatis in prolem ipsam crudelis desævit.

naturæ leges cogit invertere :

est durissimum mortis genus :

compellit parentes ad filios pro alimentis vendendos :

Similia sunt quæ habet S. Hieronymus ad illa verba *Amos.* VIII, 11 : *Ecce dies veniunt, et mittam famem in terram* : « Vetus, inquit, narrat historia tam latina quam græca, et omnium gentium barbararum, nihil fame durius, quæ sæpius compellit obsessos humanis vesci carnibus, et in suam sævire naturam, ita ut nec parentes parvulis parcant liberis, et maritalis affectus dudum amatæ uxoris membra dilaceret : » sic ille. Qua de re videndus Dionysius Halicarnassæus lib. I, et Zonaras tom. I *Annal.*, Plutarchus in *Sylla*, ubi incredibilia fere narrant, quæ homines præ fame facere et edere compulsi sunt; ideoque merito Virgilius VI *Æneid.* famem appellat *malesuadam*, ea namque suadet facere et comedere, quæ mortem ipsam videntur inducere, dum vitæ prospicit; unde Valentinianus imperator cap. in *Valent. Novel.* tit. 2, de parentum bonis quæ filii distraxerunt, ait : « Nihil turpe, nihil vetitum esuries credit; sola cura est, ut qualicumque sorte juvetur. » Suffragatur Hegesippus lib. V *De Excid. Hieros.* cap. XVIII, cum ait : « Omnem affectum excludit fames, sed maxime verecundiam, » etc., ut scilicet non pudeat parentes ad viscera reducere quos visceribus portaverant, et in alimentum sumere quos proprio sanguine aluerant : nec erubescebant ea immunda edere, quæ et conspicere horror erat. Denique ubi pudor exuitur præ esurie, nihil abominabile pro victu rejicitur. Hæc fortassis erit ratio cur fames *canina* dicatur; est siquidem canis impudentissimum animal, ex censura etiam sacræ Scripturæ *Isai.* LVI, 3 : « Canes impudentissimi nescierunt saturitatem : » qua etiam ratione quosdam philosophos *cynicos*, id est *caninos*, dixerant veteres ob miram illorum libertatem et impudentiam, ut tradit D. Augustinus lib. *De Nupt. et concup.*, cum illorum philosophorum impudentiam carpit. Fames igitur ab aliquibus ideo *canina* dicitur, quia pudorem adimit, frontem præfricat, dum ventrem corrodit, et ad quodlibet quantumvis horrendum et abominabile adigit et impellit; et cum cæteri dolores temporis diuturnitate mitigentur et minuantur, crescit pœna famis tempore ipso, donec famelicum absumat. Quem locum pulchre amplificat S. Basilius in orat. *De Fam.*

cogit ad proprios filios comedendos et uxores laceranda.

Fames canina unde dicta.

Ferunt dixisse Cæsarem idem sibi consilium esse adversus hostes, quod plerisque medicis efficacissimum adversus morbos visum est et compertum, ut scilicet fame potius quam ferro superentur; quod multis imperatoribus placuit, exploratumque invenitur, ut quos ferrum non vicit, fames devicerit. Durior utique fames quam ferrum. Saguntina fames celebrior est quam ut referri debeat : fames item Meliæa Græcis scriptoribus nota est, cum de extrema fame deque rebus difficillimis loquuntur : est enim Melus oppidum Thessaliæ, quod Nicias Atheniensis dux obsedit expugnavitque non tam machinis bellicis quam fame. Ægyptiis quidem pecuniam om-

Fames validius homines domat et subigit quam ferrum :

http://www.obrascatolicas.com

nem exhausit fames : mox deinde pecunia destituti pecora et armenta frumento commutant : ultimo, cum famis malum non conquiesceret, seipsos et terras suas sic urgente necessitate regi in servitutem dedunt. Et sane Pharao atrocem famem regni sui stabilimentum ratus, populum Ægyptium ante liberum facile sibi asseruit, et hanc ut commodiorem, ita etiam faciliorem occasionem esse censuit, quam si bellica vi sibi subigere tentasset : est siquidem durior et dirior famis vis quam ferri; unde Saturio ille apud Plautum in *Persa* : « Me quoque vendas licet, dum saturum vendas : fames namque emit, vincit ac superat quos cogit. » Haud aliter Deus, quos vincere ac sibi suisque legibus subdere intendit, et omnipotentiæ suæ deditos reddere, fame premit, et puniendos tradit egestati, ferro quidem, id est gravibus aliis suppliciis parcens, qua similitudine utitur S. Basilius hom. *Quod Deus non sit auct. mal.*, sed luculentissime hoc argumentum prosequitur *in Isai.* cap. VIII, ad illa verba versus 21, quæ juxta versionem Septuaginta interpretum sic habet : « Et veniet super eos dira fames, et erit, cum esurieritis, contristabimini, et maledicetis principi et patriæ ritibus. » Expendit igitur S. Basilius quomodo Deus hoc famis pharmaco et remedio fecerit evomere scelera et peccata, quæ impii inviscerata admodum habebant, nec aliis adhibitis remediis expellere voluerant; utpote quæ diuturnitate temporis intime adhæserant animo : ipsum si placet S. Basilium loco citato lege, ubi luculenter ostendit, quomodo Deus per famem ad se attrahat, quos aliis remediis non adduxerat; est siquidem magna vis famis, miroque modo facit, ut in se revertatur peccator, qui a se exierat. Hoc bene ostendit Chrysologus *Serm.* 2, in perdito ac famescente filio, de quo Lucas cap. XV, 17 : « In se reversus ait : *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.* In se reversus est, inquit ille; in se redit, qui a se ante recesserat, cum recessit a patre. A se migrat, et ab homine totus transit in bestiam paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus : fames revocat quem saturitas exsularat : fames illi patrem dedit sapere, cui copia abstulerat sentire genitorem : » sic ille.

est efficacissimum contra scelera remedium.

Superbia est mors primogenita.

Tropologice juxta S. Gregorium lib. XIV *Moral.* cap. VIII, *primogenita mors* ipsa superbia nuncupatur : « nam si peccatum mors, inquit, non incongrue primogenita mors superbia valet intelligi, » quæ recte *primogenita* dicitur, cum prima sit quæ in vita corpus corrumpit, ac cadaver efficit antequam altera occidat; cum semel animam possidens pulchritudinem omnem virtutis in homine devorat, ac brachia illius, hoc est, ut interpretatur Gregorius, *opera* consumit, totum hominem evacuans, et veluti mortuum reddens.

Vers. 14. 14. AVELLATUR DE TABERNACULO SUO FIDUCIA EJUS, ET CALCET SUPER EUM QUASI REX INTERITUS. — Vatablus, Stunica, Joannes a Jesu Maria et alii quidam, mentem horum verborum referunt ad domum, familiam et opes quibus potissimum nititur impii spes; ut patet ex oraculo illo *Prov.* X, 15 : « Substantia divitis urbs fortitudinis ejus, » *q. d.* Opes, in quibus impius fiduciam collocat, ab ejus ædibus violenter auferantur, et eum jam inopem et ærumnosum mors ut rex victor pessumdet. Qui sensus quidem non malus; magis tamen huic loco proprius videtur si cum Pineda nostro et Bolducio de tabernaculo corporis intelligatur, ita ut Baldad pergat in describenda nuper dicta *primogenita morte*, id est lurida fame, cum sua edacitate rabida, quæ corpus impii paulatim corrodens, consumens et devorans, omnia ejus fulcra diruit, demolitur, dejicit, ac tandem hujus tabernaculi palum, hoc est animam ipsam, qua tota illius compages fulciebatur, avellit, et violenter exire cogit; unde totum quoque tabernaculum ruere necesse est. *Primo*, quia ita intellexisse videntur Septuaginta dum legunt, ἐκραγείη δὲ ἐκ διαίτης αὐτοῦ ἴασις, *rumpatur autem de tabernaculo ejus sanitas. Secundo*, quia sic exigit nexus cum præcedentibus et sequentibus. *Tertio*, quia passim in Scripturis corpus humanum vocatur *tabernaculum*; imo sub hac relatione illud sibi hypostatice unire dignatus est Filius Dei æternus : nam quod latine habemus *Joan.* I, 14 : « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, » græce ab Evangelista scriptum est, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, id est, *et habitavit in tabernaculo in nobis* : voluit enim sub vili tentorio carnis nostræ per hoc mundi desertum peregrinari et nobiscum conversari, ita ut de corpore humano vere dici possit *Apoc.* XXI, 3 : « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. » Quanta vero sit corporis humani cum tentorio vel tabernaculo similitudo vide fuse ac pulchre apud Pinedam nostrum ad hunc versum.

Tabernaculum est corpus nostrum.

Cæterum postquam corpus impii fame miseriisque exhaustum contabuerit, interitus quasi rex ferus et victor invadit, ut vitam animamque diripiat, et inter spolia sua recenseat; sed quid hoc? a carnifice ad regem non transgreditur, sed carnifici morti potestatem dat regiam. Hoc est discrimen inter carnificem solum, et solum regem, quod ille juxta præscriptam sententiam separat animam a corpore, nihilque prorsus agit quod rex non jusserit; sed si rex fingatur calcare, ut vult calcat, ut vult stringit; quantum vult in calcando moratur; si vult, cadaver membratim secat : rex est interitus, calcat ut rex super impios : hoc nimirum est durissimum peccati jugum, et finis iniquitatis. Nullum est mancipium tam gravibus vinculis oneratum, tam crudeli sub imperioso et impotenti hero servitute oppressum quam peccator, cui iniquitas dominatur. Quod peccati malum cum tam multi quotidiana experientia cognoverint, mirum est, non prompte illos desiderio libertatis a tam duro et acerbo domino aufugere, cujus ferreum moles-

Mors ut rex calcat impios.

Grave peccati jugum.

tumque jugum nemo nisi amens ferre potest. Eo tendebat pii Prophetæ votum, et ad Deum fusa oratio *Psalm.* CXVIII, 133 : « Et non dominetur mei omnis injustitia, » ubi *dominari* est tyrannico more superba uti potentia et crudelitate ad imperandum pro animi sui libidine et cogendum, quod Septuaginta κατακυριεύειν dicunt, id est *prædominari*. Quo spectat docti Origenis animadversio, qui hanc distinctionem inter κυριεύειν et κατακυριεύειν, profert ad peccati dominatum intelligendum opportunam : nam peccatum dicitur illi κυριεύειν, hoc est *dominari*, qui tantum mente et cogitatione delinquit, qui vero facto et opere implet cogitationem suam, ei scelus κατακυριεύει, *prædominatur*, id est, violento quodam imperio dominatur; quod jugum, ut ait Origenes, religiosissimi vir animi David amansque puritatis magno ardore mentis et omni impetu refugiebat. S. Paulus *Rom.* VI, 12, *regnum peccati* vocat, sive tyrannidem, quam cum Juvenali satyr. 8, *sævam* et *crudam* appellare licet. Olim in Italia post corruptum latinæ linguæ usum tyrannum dixere *intartam*; inde *intartizare*, tyrannidem affectare. Forte a Tartaris ductum nomen, quorum notus ferox animus, et barbara in agendo crudelitas. Sane peccato cum regnare occœperit nullus Tartarus inhumanior est, nullus tyrannus violentior, nulla bellua crudelior. Quod præsertim de eo intelligendum est, quod Aristoteles lib. IV *Ethic.* cap. XI, ἐλάχιστον appellat, videlicet *integrum*, omnibus suis partibus numerisque perfectum, et quod dicit fieri *intolerabile*, perdere denique atque perimere.

Regnum peccati tyrannicum.

Postremum hujus versiculi hemistichium in Hebræo sic sonat, *deducet eum ad regem terrorum*, id est ad maximum terrorem, qui inter alios quasi rex est : sunt qui Satanam denotari putent, qui est rex mortis et interitus, vel certe perditionis; unde ὁ ἀπολλύων græce nuncupatur; alii per *regem terrorum* mortem ipsam designari censent, cum terribilium omnium terribilissimum habeatur : Septuaginta vertunt, σχοίη δὲ αὐτὸν ἀνάγκη αἰτίᾳ βασιλικῇ, *teneat autem eum necessitas causa regali* : apud S. Augustinum legitur, *causæ regalis*; in Commentariis vero græcis, αἰτίᾳ βασιλικὴ, *causa regalis*, hoc est, inquit Scholiastes, non solum ab inferioribus patietur gravia, sed etiam ab iis qui rerum potiuntur in calamitates devolvetur. Aquila reddit, καὶ ἐπιθύσεται αὐτῷ τοῦ βασιλέως; ἀνυπαρξία, quod Scholiastes interpretatur, *a rege superveniat ei bonorum spoliatio*; sed ἀνυπαρξία proprie est *existentiæ carentia*, seu *annihilatio*, compositum ex α privativa et ὑπαρξις, id est *substantia*, ita ut omnimodum interitum significet, ut sit sensus, *superveniet ei a rege interitus.* Usus fuit eodem vocabulo Symmachus *infr.* cap. XXVII, 20, συνήντησεν αὐτῷ ὥσπερ ὕδωρ ἀνυπαρξία, *occurrit ei sicut aqua interitus.*

Vers. 15. 15. HABITENT IN TABERNACULO ILLIUS SOCII EJUS QUI NON EST : ASPERGATUR IN TABERNACULO EJUS SULPHUR. — In originali est, *habitabit*, scilicet terror, *in tentorio ejus; eo quod ipsius non sit* : nempe quia ex alieno construxit illud, aut ex rapto; Septuaginta vertunt, κατασκηνώσει ἐν τῇ σκηνῇ αὐτοῦ, ἐν νυκτὶ αὐτοῦ, *habitet in tabernaculo ejus, in nocte ipsius*, quia nox terroribus apta, et symbolum calamitatis ac mortis; Theodotion, κατασκηνώσει ἐν τῇ σκηνῇ αὐτοῦ ἀνυπαρξία, *habitabit in tabernaculo ejus interitus*; Vulgatus autem ait socios defuncti tabernaculum occupare et inhabitare; sic appellans vicinos, qui omnium primi cladem impii intuentes præsto sunt ad locum derelictum occupandum vel invadendum. S. Gregorius lib. XIV *Moral.* cap. X, investigat qui sint socii ejus qui non est : enimvero videtur propositæ titulus quæstionis loqui pugnantia, etenim si non est, quomodo socios habet? Nodum hunc plusquam gordium sic *ibid.* solvit sanctus Pontifex dicens : « Ejus videlicet socii, qui idcirco jam non est, quia a summa essentia recessit, et per hoc quotidie excrescente defectu quasi ad non esse tendit, recte non esse dicitur, quia bene esse perdidit. » Quod idem repetit lib. I *in* I *Reg.* cap. II, circa medium. Igitur duce Gregorio licebit dicere, impium non esse, qui peccando bene esse perdit : cæterum ne domus, in qua tot scelera patrata sunt, perstet, optat eam insperso sulphure, quod facillime ignem concipit, conflagrare, ut prodigio illo cæteri ab impietate deterreantur. Videtur alludere ad Sodomorum incendium sulphuris pluvia celerrime excitatum, et in exemplum terroris universis mortalibus propositum. Nihil certe manifestius aut evidentius in Scriptura, quam sulphure vel sale asperso sterilitatem significari : nam fere semper ista vocabula usurpantur, quando Deus alicujus civitatis aut regionis omnimodam vastationem minitatur. Sodomiticum autem excidium proponi solet quasi primum summumque exemplum severitatis et atrocitatis supplicio-rum : cum enim Deus significare vult se gentem quampiam gravissime puniturum ac prorsus excisurum, dicere solet, facturum se illi sicut fecit Sodomæ et Gomorrhæ; quemadmodum animadverti potest *Deut.* cap. XXIX, *Isai.* XIII, *Jerem.* XLIX, *Amos.* IV, *Soph.* II. Huc etiam spectat illud *Psalm.* CVI, 34, ubi dicitur Deus posuisse « terram fructiferam in salsuginem a malitia habitantium in ea. » Terram *fructiferam* appellat Sodomiticam ante Dei vindictam : quippe tanta fuit ejus ubertas et amœnitas, ut eam Moyses cum paradiso comparare non dubitaverit *Gen.* XIII; ejusmodi tamen terra versa est in salsuginem, id est in terram omnino sterilem : salsugo enim sterilitatem adfert terræ, succum ejus atque pinguedinem exedens atque consumens. Tanta porro ejus salis copia, tantaque fuit vis et acrimonia, ut lacum illum penitus infecerit, et in sui mutaverit saporem; atque ex eo vocatur in Scriptura *mare salsissimum*. Cæterum pœna illa sulphuris et ignis, quam narrat Moyses, aptissime respondet et competit peccato ejus gentis : nam quia illi execrata libidine ardebant intus atque inter se, et foris ob infamiam fœtebant, idcirco et ignis deflagratione et fœtore sul-

Cur diabolus dicatur non esse.

Impii domus etiam ob scelera vastatur.

Excidium Sodomorum datum est in exemplum gravissimæ punitionis.

Peccatum carnis instar sulphuris fœtet et ardet.

http://www.obrascatolicas.com

phuris puniti sunt : hoc pluribus verbis pulchre declarat S. Gregorius lib. XIV *Moral.* cap. X, hunc Jobi locum tropologice explanans; quem ut consulas licet.

Vers. 16. 16. DEORSUM RADICES EJUS SICCENTUR : SURSUM AUTEM ATTERATUR MESSIS EJUS. — Radicitus, inquit, familia ejus et stirps exstinguatur, ne scilicet alia succrescere possit, et si quæ jam sursum succreverit, illa etiam atteratur, et decutiatur : explicat hic magis id quod proxime de sulphure dicebat, a quo terra redditur infecunda : cum enim radices dicuntur exsiccandæ, spes omnis propaginis aufertur et novorum germinum, nam si radix subter aruerit, etiam rami desuper marcescunt, quia succum accipiunt a radice. Quæ metaphora sæpe occurrit in hoc libro, ubi *rami* dicuntur filii, et *stirps* seu *radix* pater, aut generis auctor, a quo progenies tota diffunditur. Porro in *messe*, quæ sursum dicitur atterenda, progenies intelligitur, quæ ex stirpe succrescit.

Impii stirps et radix exstinguitur.

Cogitationes sunt operum radices.

Tropologice S. Gregorius lib. XIV *Moral.* cap. X : « Quid, inquit, *radicum* nomine, quæ in occulto sitæ sunt, nisi cogitationes accipimus, quæ dum non videntur in corde visibilia opera producunt? unde et *messis* nomine eadem aperta operatio signatur, quæ videlicet ex latenti radice producitur. Et quia omnis iniquus prius in cogitationibus tentationum arescit, et postea a bonis actibus deficit, recte per Baldad dicitur : *Deorsum radices ejus siccentur,* » etc.

Vers. 17. 17. MEMORIA ILLIUS PEREAT DE TERRA, ET NON CELEBRETUR NOMEN EJUS IN PLATEIS. — Hæc eodem spectant quo superiora : exstincta enim funditus sobole perire solet parentum nomen atque memoria, quam sera posteritas tuetur et conservat : filiis enim vivis vivere etiam existimatur pater, juxta illud *Eccli.* XXX, 4 : « Mortuus est pater, et quasi non est mortuus : similem enim reliquit sibi post se; » et in simili metaphora de radice et stirpe laudatur pater, et in benedictionis parte ponitur, quod illius ossa pullulent *Eccli.* XLVI, 14, id est, nascantur filii, qui parentum exprimant mores, et sustentent memoriam recentem et gratam, quæque alioquin fortasse esset peritura : « Ut sit memoria eorum in benedictione, et ossa eorum pullulent de loco suo, et nomen eorum permaneat in æternum; » et vero quod monumenta faciunt ex ære et marmore, hoc faciunt posteri, qui paterni nominis spirantia sunt et propria monumenta : ita Sanctius noster. Dum igitur hoc in loco post atrocissima supplicia, quæ superius proposuerat, impii memoriam abolendam minatur, indicat profecto hoc esse gravissimum malum, si hominis fama et memoria nulla supersit, pro qua mortales usque adeo laborant, ut nihil pluris facere videantur; quin imo hac una contra naturalem hominum conditionem pugnare videntur, præclareque gestis operibus propriam naturam superare. Cum enim omnes homines mortales sint, ratione nominis ac famæ hoc superant, immortales se et in perpetuum celebres reddendo; cumque propria perpetuitas in ipsa vitæ brevitate appetatur, hinc est quod quisque maxime studeat nominis sui celebritatem in posterum comparare et inducere; unde Tertullianus in *Apolog.* cap. XLVII : « Homines gloriæ (id est famæ ac nominis) *libidinosos* » appellat; nullus siquidem est qui hujus ambitionis vi non teneatur. Et S. Bernardus *Serm.* in illa verba : *Qui gloriatur,* ait : « Rationalis creatura adeo affectat gloriam (id est nominis celebritatem) ut aut vix aut nunquam ab hoc compesci desiderio possit. » Et Plato *De Leg.* dial. 4 ait : « Nemo est qui non desideret perpetuum apud posteros nomen habere; » unde etiam impius Nero, qui omnibus abominandus vixit, memoriæ sui maxime studuit, de quo Suetonius Tranquillus in ejus *Vita* cap. LV, ait : « Erat illi æternitatis perpetuæque famæ cupido; ideoque multis rebus ac locis vetere appellatione detracta novam induxit ex suo nomine, mensem quoque aprilem *Neronium* appellavit; destinaverat et Romam *Neropolim* nuncupare. » Hujus rei primum exemplum habemus in impio Caino, de quo dicitur *Gen.* IV, 17 : « Ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui Henoch. » Ubi S. Chrysostomus hom. 20 *in Gen.* ante medium ait : « Hominibus factis mortalibus studium fuit, ut immortalem suam memoriam facerent partim ex filiis, quos generabant, partim ex locis, quibus filiorum nomina imponebant, » etc. Similiter et scelesti illi nominis sui affectatores dixerunt *Gen.* XI, 4 : « Venite faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum; et celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras; » in quem locum consule S. Chrysostomum hom. 50 *in Gen.*, ubi pulchre et fuse ostendit impios, dum civitatibus, domibus, porticibus, balneis, etc., ad memoriam posteritatis sua nomina inscribunt, non tam laudem quam crimen sibi parare. Eadem idem aurei oris Doctor fusius prosequitur *in Psalm.* XLVIII, ad illa verba vers. 12 : *Vocaverunt nomina sua in terris suis,* ostendens frustra defatigari impios pro sui nominis celebritate, quæ solis virtutum actionibus comparatur et possidetur. Hæreditarium utique malum cum natura simul participatum, ut mortalis homo immortalitati nominis omni cura studeat, omni labore adnitatur, et jugiter invigilet omnibus diebus vitæ suæ, ne cum morte intereat illius memoria, neve cum morte tandem moriatur : in sacris enim litteris *mortui* dicuntur dati oblivioni, ut patet in isto Psalmi loco *Psalm.* XXX, 13 : « Oblivioni datus sum tanquam mortuus a corde; » et *Sap.* IX, 5 : « Oblivioni tradita est memoria eorum. » Quin et hoc sensu latinus Poeta VI *Æneid.* :

Mortales omnes affectant nominis immortalitatem

Lethæi ad fluminis undam
Securos latices et longa oblivia potant.

Inde igitur ortum et innatum studium parandorum sepulcrorum cadaveribus defunctis inscri-

Memoriæ interitus maximum censetur malum.

Homines cum sint

Sepulcra memoriæ

conservandæ causa instituta sunt.

bendi nomina, facta ac merita : qua de re Tertullianus lib. *De Testam. anim.* cap. IV, ait : « Quis non hodie memoriæ post mortem frequentandæ ita studet, ut litteraturæ operibus, vel simplici laude morum vel ipsorum sepulcrorum ambitione nomen suum servet? » Videndus hac de re Diodorus lib. II, cap. V; Herodotus lib. II; Cicero lib. I *Tuscul. quæst.*; Lipsius lib. I *Elect.* cap. XXIX; unde in maximam ærumnam, pœnam et supplicium privabantur olim homines sepultura. Et universim negatæ sepulturæ pœna afficiebantur, qui vel patriæ, vel communis pietatis in parentes et liberos hostes deprehenderentur vel haberentur, ut definiunt Marcellus in lib. XXXV, π. *De Relig. sumpt.*; atque Neracius in lib. *Liber.* π, de his qui notantur infamia. De jure vero peculiari aut consuetudine Hebræorum videndus Hegesippus lib. III *De Excid. Hieros.* cap. XVII.

Ars statuaria ad memoriam defunctorum conservandam adinventa.

Hoc item studium comparandæ et conservandæ memoriæ statuariam artem propagavit; juxta illud Lactantii lib. II *Divin. Instit.* cap. II, ubi ait : « Nam omnino fingendarum similitudinum ratio idcirco ab hominibus inventa est, ut possit eorum memoria retineri, qui vel morte subtracti, vel absentia fuerant separati. » Rem prosecutus eleganter Cicero lib. I *Tuscul. quæst.* ait : « Quid poetæ? nonne post mortem nobilitari volunt? unde ergo illud?

Epitaphium Ennii.

Aspicite o cives senis Ennii imaginis formam :
Hic vestrum panxit maxima facta patrum.

Mercedem gloriæ flagitat ab iis quorum patres affecerat gloria; idemque :

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit : cur? volito vivus per ora virum.

Sed quid poetas? opifices etiam post mortem nobilitari volunt : quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in clypeo Minervæ, cum inscribere non liceret? quid nostri philosophi? Nonne in his ipsis libris, quos scribunt de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt? » Hoc ita præ omnibus mortales contra mortalitatem curare solent, ut scilicet sui memoriam post se duraturam relinquant. Novit hoc Christus Dominus, quando volens rependere mulieri, quæ afferens alabastrum unguenti pretiosi effudit super caput ipsius Domini recumbentis, cujus odore et fragrantia tota domus repleta est; memoriam illius obsequii pro eodem pollicitus est feminæ, quæ alioquin gloriæ avida esse solet : « Dicetur, inquit *Matth.* XXVI, 13, et quod hæc fecit in memoriam ejus, » quasi satis persolverit devotæ mulieri obsequium, odorem et pretium unguenti, si illius facti odor, fama et memoria ad usque extrema tempora decurrat et perveniat. Etenim cum unguentum illud plusquam trecentis denariis ab iniquo venditore, qui triginta denariis Christum vendidit, æstimatum fuerit; profecto memoria, fama et nomen optimum omnes divitias longe superat et excellit, juxta illud *Prov.* XXII, 1 : « Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ : » item *Eccli.* XLI, 15 : « Curam habe de bono nomine : hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri pretiosi et magni, » ubi postquam dixerat : « Nomen impiorum delebitur, » addit hanc sententiam, monens in hoc operam adhibendam, ut obtineatur bonum nomen, quod post mortem permaneat, et ob id præferendum sit divitiis, quæ ad alios perveniunt, nihilque prosunt congreganti. Advertit autem ibi optime Jansenius non hoc ethnice accipiendum, quasi moneat aucupandam gloriam et famam apud homines; sed ita velle instituendam vitam, ut eam apud Deum et homines, maxime bonos, consequatur bonum nomen *Rom.* XII, 17, « providentes *scilicet* bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. » Et sane cum mortalibus insitum sit bonum nomen curare, et sui memoriam post obitum relinquere, justum utique est homines urgere et adigere, ut veram memoriam æternam, qua justi fruuntur, per bona opera sibi acquirant. Quia igitur impii vitiis sese immergunt, et Deo, a quo verus honor et gloria est, adversantur, merito e memoria hominum relegantur, postulante sic et disponente divina justitia, ut illorum nomen pereat omnino de terra viventium, quorum opera sunt veluti gressus ad ignominiam, et actibus suis ad infamiam properant. Unde Salomon ait *Prov.* X, 7 : « Memoria justi cum laudibus, et nomen impiorum putrescet, » in quem locum consule Salazar et Cornelium nostrum, quorum *ibid.* annotationes huic Jobi loco illustrando conducunt. Vide etiam quæ attulimus *supr.* cap. III, 3 et 4, et cap. XIII, 12.

Quomodo quærenda sit bona fama et gloria.

Boni nominis memoria est merces virtutis amplissima.

18-20. EXPELLET EUM DE LUCE IN TENEBRAS, ET DE ORBE TRANSFERET EUM (hic aliquid subaudiendum, scilicet, Deus, vel peccatum, vel calamitas, exturbabit impium e splendido statu in obscurum, et postmodum infelici morte ipsum hinc abripiet : plura de impiorum exterminio, præter ea quæ hoc capite satis fuse dicta sunt, vide cap. IV, 20; cap. V, 3 et 4; cap. VIII, 4 et passim alibi) NON ERIT SEMEN EJUS NEQUE PROGENIES IN POPULO SUO, NEC ULLE RELIQUIÆ IN REGIONIBUS EJUS (eadem hic iteratur amplificaturque sententia, quam dixerat ante de impii progenie funditus eradicanda; quæ cum vers. 16 et 17 explicata sint, nil apparet quod novam requirat interpretationem; præterquam quod cap. XV, 33 et 34, et sæpius alibi ostensum sit filios impiorum immatura morte consumi et eorumdem congregationem sterilem existere) IN DIE EJUS STUPEBUNT NOVISSIMI, ET PRIMOS INVADET HORROR, — *q. d.* Omnes novissimi et primi, a minimo usque ad maximum, horrebunt super plagis et horribili clade hominis impii : ea enim erit rerum vicissitudo, ut nemo sit, sive in primis dignitate ac tempore sive in postremis numeretur, qui non miretur et stupeat tam subitam tantamque mutationem fieri potuisse. Sane res est quæ maxime commovere homines solet, spectare

Vers. 18, 19 et 20.

Impii punitio solet esse plerumque exemplaris et horribilis.

http://www.obrascatolicas.com

jacentem illum in sordibus, quem paulo ante erectum videras et florentem : sic de Jerusalem cecinit Jeremias cap. XIX, 8 : « Et ponam civitatem hanc in stuporem, et in sibilum : omnis qui præterierit per eam obstupescet; » et quod hic prædixit re ipsa completum esse lamentabatur in *Thren.* II, 15, ubi de transeuntibus ait : « Moverunt caput super filiam Jerusalem : Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ? » Illa autem admiratio et stupor ex incredibili ruina nascebatur civitatis amplissimæ longeque pulcherrimæ, cujus tantum reliquum fuit immane et deforme bustum. Idem prope accidit Jobo, cujus domus eam aut viderat aut timebat ruinam, quam subiit Hierosolyma, et ipse derelictus et contemptus ab omnibus jacebat in sterquilinio moriturus, miserandum intuentibus spectaculum.

Diei nomine calamitas significatur.

Diei ergo nomine multi intelligunt istas quæ enumerantur ærumnas et calamitates, nempe vulgari sanctæ linguæ idiomate, quo *dies alicujus* pro ejus afflictione sumitur, velut cum dicitur *Abd.* I, 12 : « Et non despicies in die fratris tui, » hoc est, ne aspicias cum voluptate afflictionem proximi tui : ita etiam de impio dicitur *Psalm.* XXXVI, 13 : « Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit quod veniet dies ejus, » id est ruina ejus; vel etiam dies in quo punietur. Item *Psalm.* CXXXVI, 7 : « Memor esto, Domine, filiorum Edom in die Jerusalem, » id est in excidio ejus. At in hoc loco cum Bolducio existimarem diem ipsum Dei justum judicium erga impium connotare, ita ut mens horum verborum sit, juvenes, et qui nos statim subsecuturi sunt, cum tantas opes dissipatas tamque pulchra ædificia penitus diruta et desolata atque in ditionem alienorum translata viderint, stupebunt, et valde mirabuntur in hoc divinum judicium, admirantes quod juxta tempus et ab æterno statutum diem ita humiliatus sit iste impius; et dicent : En dies ejus in quo Deus suum exercuit imperscrutabile judicium. Itaque non tam de calamitate mirantur, quam de die impii, in quo Deus ostendit suum erga eum judicium; et certe nomen *diei* hoc sensu aliquando sumitur; velut cum Apostolus ait I *Corinth.* IV, 3 : « Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer aut ab humano die, » id est humano judicio : similiter cum idem ait *ibid.* cap. III, 13 : « Uniuscujusque opus manifestum erit : dies enim Domini (id est judicium Domini) declarabit. » Eodem sensu nomen *diei* sumptum videtur *supr.* cap. X, vers. 5 : « Numquid sicut dies hominis dies tui, » etc., significans quam diversa sint Dei atque hominum judicia; atque hunc sensum suadent verba sequentia ab ista videntibus et admirantibus proferenda.

Dies sæpe pro judicio sumitur.

21. HÆC SUNT ERGO TABERNACULA INIQUI, ET ISTE LOCUS EJUS QUI IGNORAT DEUM, — *q. d.* Merito certe ista omnia bona et loca diruta sunt, et in alienos translata, in quibus tam impius et sceleratus homo morabatur : est epiphonema et apta peroratio totius capitis, in quo de impio et ejus familia egit : ubi notandum Baldadum prompsisse plurima sane utilia, quæ quandoque contingere multis etiam hujus ævi nostri evincitur exemplis; at non proinde credendum semper accidere, ne quis in re gravissima seducatur, nimirum non semper impii in hac vita plectuntur, e fastigio deturbantur, affliguntur, obscurantur : permittuntur enim nonnulli amplissimis honoribus, opibus, voluptatibus ad finem usque vitæ mortalis perfrui : quod multis regum idololatrarum et mahometanorum constat exemplis; at eos sempiternus manet futuræ vitæ cruciatus ad criminum pondus numerumque rependendus, quemadmodum catholica fides docet. Postquam ergo Baldad e turgenti atque onerato animo verba gravia protulit ordine dicendi servato, conticuit; at meliora sublimioraque Jobi verba atque mysteria succedunt, quæ altiore consilio producta contemplemur. Vers. 21.

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Job crudelitatis arguit amicos, fortiterque contendit, se non propter sua scelera flagellari a Deo, sed propter alias justas causas : postquam ergo afflictionis suæ acerbitatem exposuit, et se ab amicis destitutum ostendit, solius, sed certæ resurrectionis, spe sese solatur.

1. Respondens autem Job, dixit : 2. Usquequo affligitis animam meam, et atteritis me sermonibus? 3. En decies confunditis me, et non erubescitis opprimentes me. 4. Nempe, et si ignoravi, mecum erit ignorantia mea. 5. At vos contra me erigimini, et arguitis me opprobriis meis. 6. Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo judicio afflixerit me, et flagellis suis me cinxerit. 7. Ecce clamabo vim patiens, et nemo audiet : vociferabor, et non est qui judicet. 8. Semitam meam circumsepsit, et transire non possum, et in calle

meo tenebras posuit. 9. Spoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de capite meo. 10. Destruxit me undique, et pereo, et quasi evulsæ arbori abstulit spem meam. 11. Iratus est contra me furor ejus, et sic me habuit quasi hostem suum. 12. Simul venerunt latrones ejus, et fecerunt sibi viam per me, et obsederunt in gyro tabernaculum meum. 13. Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me. 14. Dereliquerunt me propinqui mei : et qui me noverant obliti sunt mei. 15. Inquilini domus meæ, et ancillæ meæ, sicut alienum habuerunt me, et quasi peregrinus fui in oculis eorum. 16. Servum meum vocavi, et non respondit, ore proprio deprecabar illum. 17. Halitum meum exhorruit uxor mea, et orabam filios uteri mei. 18. Stulti quoque despiciebant me, et cum ab eis recessissem, detrahebant mihi. 19. Abominati sunt me quondam consiliarii mei : et quem maxime diligebam, aversatus est me. 20. Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. 21. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. 22. Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini? 23. Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? quis mihi det ut exarentur in libro, 24. stylo ferreo, et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? 25. Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum. 26. Et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. 27. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius : reposita est hæc spes mea in sinu meo. 28. Quare ergo nunc dicitis : Persequamur eum, et radicem verbi inveniamus contra eum? 29. Fugite ergo a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est : et scitote esse judicium.

Vers. 1 et 2. Quæritur Job de amicorum inhumanitate.

1 et 2. RESPONDENS AUTEM JOB DIXIT : USQUEQUO AFFLIGITIS ANIMAM MEAM, ET ATTERITIS ME SERMONIBUS? — Queritur Jobus de amicorum inclementia et animo minus officioso quam ingenuos deceret, utpote a quibus illiberali et aculeata reprehensione concisus sit, cum tamen solari potius aut alio quovis modo dolorem levare debuissent; auspicatur idcirco vehementer expostulans cum amicis, quod verba ipsi molesta inculcent, et afflictum animum divexent. Vim habet ille dicendi modus : « Atteritis me sermonibus, » hoc est, obtunditis, fatigatis, obruitis; Septuaginta reddunt, κατατείνετέ με λόγοις, *destruitis me sermonibus*, ubi notandum, quod cum Jobus privaretur opibus et cæderetur plagis, cum corpus totum putresceret, adeo ut testa saniem raderet, suæ destructionis non meminerit; ubi autem impeteretur contumeliis et verbis aculeatis pungeretur, doluerit, ingemuerit, et se destrui lamentaretur. Nulla scilicet sunt graviora vulnera quam verborum, id quod Origenes ad hunc locum in *Caten.* pulchre annotavit dicens : « Sæpenumero qui corporis cruciamenta toleravit non passus est verba : contumeliam enim perferre magni est viri; sed Jobus est athletarum fortissimus, in cujus libro nihil ita eminet, ut ejus fortitudo ac patientia; labores tamen sentit, quos ex eorum duro sermone, qui ad eum visendi causa veniebant, hauriebat. Quamobrem, o amici, ait, ad corporis dolorem molestiam etiam animi adhibetis, dum me magis verbis quam dolore corpus conciditis? » Non tota plagarum phalanx sic Jobum conterebat ut contumeliosa amicorum verba, de quibus ita D. Ambrosius lib. II *De Interp. Job.* cap. III : « Verborum, inquit, suorum saxis lapidabant innoxium. Amiserat Job omnia sua; patiebatur vulnera caro ejus; manebat ut tentationes verborum vinceret : nihil enim sic penetrat animam sicut sermo fucatus; nihil iterum sic mordet ut durior sermo. Multi cum vicerint adhibita tormenta, sermonum duritiem non sustinuerunt. » Sic ubi Philistiim habebant Samsonem obcæcatum et vinctum, eum e carcere educunt, ut opprobriis saturent : ait enim textus *Jud.* XVI, 25 : « Sumptis jam epulis præceperunt, ut vocaretur Samson, et ante eos luderet : qui adductus de carcere ludebat ante eos, » etc. Septuaginta reddiderunt juxta codicem Complutensem, καὶ ἐνέπαιζεν αὐτῷ, *et illudebant ei*. Jam non ferro oculos ejus petunt, non opprimunt molæ pondere, sed verbis res agitur, contumelias jaculantur, conviciis affligunt, et qui molæ pondus sustinuit, quæ obcæcatus tacuit, ad contumelias et irrisionis verba sic afficitur, ut ex tunc se una cum Philistæis perimere non dubitaverit : de quo ita pulchre D. Ambrosius *Epist.* 70 : « Gravibus in eum insultabant conviciis, quod durius et ultra ipsam captivitatis speciem viro ingenuæ virtutis conscio tolerabatur : nam vivere et mori naturæ functio; ludibrio esse probro ducitur. »

duris verbis quam de verberibus conqueritur.

Samson impatiens illusionis.

Nihil gravius tolerat quam contumelia.

Job magis de

Nulla sane mors accidere potest ingenuo viro, quæ illi non videatur tolerabilior quam contumelia, quam convicium; quibus concinit D. Bernardus serm. *De Tripl. custod.*, ubi dicit linguam

Nulla mors ingenuo tam gravis quam

http://www.obrascatolicas.com

contumelia. esse multo duriorem quam lanceam, clavos et spinas, quibus Christus Dominus cruciatus fuit, dicens : « Levis quidem res sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat; leviter transit, sed graviter urit; leviter penetrat animum, sed non leviter exit; profertur leviter, sed non leviter revocatur; facile volat, atque adeo facile violat charitatem; facile lingua labitur, nec minus facile illabitur cordi, ita ut multis inter loquendum minus profuerit, quod propriam cohibuerint, dum non caverint alienam. » Et paulo post addit : « Nec vero hujusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis : fodit enim hæc quoque Christi corpus, nec jam exanime fodit : ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit, seu etiam clavis ferreis, quos sanctissimis manibus illis et pedibus consummatio judaicæ iniquitatis infixit. » Longe nimirum horribilius Christo accidit linguarum spiculum quam omnia tela a perfidis Judæis contorta; unde sic Patrem orat *Psalm.* LXIII, 4 : « Protege me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem : quia exacuerunt ut gladium linguas suas, » etc. An non significantius diceret : Quia exacuerunt gladios suos, paraverunt lancearum spicula, cuspides spinarum? cur relictis veris lancearum et spinarum spiculis ad mystica linguarum tela transiit? Præclare Gillibertus abbas serm. 20 *in Cant.* sic fatur : « Horret Christus magis asperitatem morum, linguæ stimulos, quam aculeos spinarum : » unus linguæ aculeus, quod non fecerunt millia spicula lethalia, a Jesu pectore gemitus et suspiria traxit. Vis id videre manifestius? audi Matthæum de Christi passione verba facientem cap. XXVII, 39 : « Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua, et dicentes : Vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas : salva temetipsum : si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter et Principes, » etc. Quid ad hæc Jesus? vix talia Judæi fantur, et Jesus clamans voce magna ait : « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? » Ecce tibi quod spicula non potuerunt, Judæorum linguæ faciunt queribundum Jesum. Id quod notans D. Cyprianus lib. *De Pass.* ait : « Clavis sacros pedes terebrantibus fossisque manibus, de vulnerum anxietate non loqueris, de spinis sacrum caput pungentibus non quereris; sed satagis, ut innotescat posteris, quare derelictus a Deo videaris, expositus contumeliis et ludibriis Judæorum. » Nec mireris, quod adeo Jesus præ omnibus aliis linguarum spicula sentiat : nam quæcumque alia tela, etsi atrocia, in unius hominis ordinantur interitum : verum linguæ telum in totius orbis ruinam extenditur. Transverberat lancea pectus Jesu; clavi, spinæ et alia corpus illius perdunt; verum Judæorum linguæ petunt crucis descensum, quo totus orbis intereat : cum itaque Christus Judæorum blasphemias tam ægre tulerit, quid mirum si Jobus amicorum contumeliis lacessitus graviter conqueratur?

Lingua Judæorum in Jesum sævior fuit quam omnia tormenta.

Christus de solis contumeliis Judæorum conquestus fuit.

3. EN DECIES CONFUNDITIS ME, ET NON ERUBESCITIS OPPRIMENTES ME. — Numerus denarius hoc loco certus pro incerto et finitus pro infinito ponitur phrasi Scripturæ familiari, qualis illa Jacob *Gen.* XXXI, 7 : « Mutavit mercedem meam decem vicibus, » hoc est sæpe : eodem numero finito pro infinito usus est Joannes in *Apoc.* II, 10 : « Habebitis tribulationem diebus decem, » id est multis diebus : simili modo accipitur *Levit.* XX, 26 : « Ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes; » *Num.* XIV, 22 : Tentaverunt me jam per decem vices; » II *Esdr.* IV, 12 : « Dicentibus nobis per decem vices; » *Eccle.* VII, 20 : « Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis. » Quibus locis notat Delrius noster esse parœmiam idem quod *sæpe* et *multa* significantem, et confirmat auctoritate Origenis, Adamantii, Diodori, Eusebii et Procopii. Hujus autem origo dicti ex eo sumitur, quia quod in bonis malisve maximum aut perfectissimum est, id veteres denario denotabant : sic enim Latinis castrorum porta *decumana*, præcipua, unda *decima*, et fluctus *decumanus*, qui maximus. Cæterum Job illorum inverecundiæ vertit, quod probris afflictum hominem lacesserent, uti perspicue declarat Nicetas in *Caten.* locum hunc sic exponens, *q. d.* « Grave quidem est obtrectare absentibus; vos autem omni abjecta verecundia mihi coram convicium facitis; » quasi conviciatoria verba non possint esse in ore illius, in quo aliquid verecundiæ et ingenui pudoris resederit, sed necesse sit ut mittat prius verecundiam bono viro congruentem, qui ad proferenda convicii verba descendit; id quod statuebat etiam Origenes *ibid.* in *Caten.* dicens : « Sæpenumero quis agens flagitiose obtrectat alteri; ubi vero pudoris lineas transilierit, coram jactat maledictum : » dum pudor ingenuus adest in homine maxime cavet a maledictis et conviciis in alios detorquendis, quæ ubi ab aliquo jactantur, jam signum est in illo nihil pudoris remanere. Hinc impudentium et maledicorum symbolum atque hieroglyphicum est canis, ut Pierius Valerianus auctor est, quod divinis etiam Oraculis probari potest, in quibus hujusmodi homines *canini* vocantur : nam I *Reg.* XXV, 3, ubi de Nabale, homine vecordi et contumelioso, dicitur : « Erat pessimus et malitiosus, » Septuaginta vertunt, πονηρὸς ἐν ἐπιτηδεύμασι καὶ ὁ ἄνθρωπος κυνικός, *malignus in studiis et homo caninus.* Alias etiam lingua prompta et expedita ad maledicendum in paginis sacrosanctis cum incendio longe et late grassante cumque tetris aspidibus componi solet : ita enim Salomon *Prov.* XVI, 27 : « Vir impius fodit malum, et in labiis ejus ignis ardescit, » hoc est, ut ait Vatablus : Et verba quibus lædit sunt velut ignita, longe et late populantur omnia, instar ignis temere et petulanter vagantur ad contumeliam omnibus imponendam, ad honestissimos viros et religiosos maledictis proscindendos : hunc græcum ignem vidit etiam canorus David, et flebilibus odis prosecutus est *Psalm.* LXXII, 7 : « Lingua eorum transivit in terra, » quem locum sic illustrat Chaldæus, *lingua eorum ussit sanctos terræ.* Quæ flamma tam perniciosa? quod fulmen expressum nubibus, rubro igne violentum, tantam edit stragem, et ruinam tam funestam importat? Jure igitur miratur S. Chrysostomus in homil. *De Trib. pueris,* fornacis Babyloniæ ignem vehementer accensum, et furentem, veluti globos evomentem, sanctos pueros non attingere; ignem vero linguæ maledicæ viros etiam sanctissimos urere.

Vers. 3.

Maledicentia semper cum impudentia conjuncta est.

Canis maledici et impudentis hieroglyphicum

Lingua maledici incendio comparatur.

Vers. 4

Minus periculosum est quid ignorare quam ab imperito odiri.

4. NEMPE, ET SI IGNORAVI, MECUM ERIT IGNORANTIA MEA, — id est, malo ignorantiæ meæ damnum ferre, si quod sit, quam tam gravibus sermonibus vestris erudiri, quibus irritatus forte in tantis malis ad desperationem aut saltem animi dejectionem adigar, ex qua longe majus vulnus quam ex ignorantia accipiam; et quidem existimo satius esse ignorare quam ab imperitis doceri, nam pro uno quem tollunt errorem, multos alios et forte magis perniciosos incutiunt : ita Stunica. Vel sic, *q. d.* Esto ut aliqua ignorantia laborem, mihi id uni nocebit, non vobis : ita Tirinus noster et Joannes a Jesu Maria, qui notat esse *concessionem,* figuram oratoribus familiarem, dum adversario conceditur aliquid quod causæ minime officiat. Status controversiæ inter Jobum et amicos erat : An ob anteactæ vitæ crimina plectatur, et quidem licet Jobus, ex quo disceptatio cœpta fuit, multa ignorando, loquendo vel altercando peccasset, non proinde causa caderet : non enim disputatur : An inter dicendum ignorarit, errarit, lapsus verbo fuerit; sed : An peccarit ante calamitatem quam sustinet, quod cum ex præsentis disputationis culpis non possit convinci, concedit quod extra rem est, et quod nocere nequeat, *q. d.* Vos me acriter reprehenditis, et ex disceptatione reum peragitis; fateor ergo, esto ita sit; seu, ut Chrysostomus ait, κατ' ὑπόθεσιν δεδόσθω κατ' ὑμᾶς, *ex concessione detur ita esse sicut vos vultis;* quid propterea obtinetis? profecto non est cur efferamini, et mecum insolentius agatis; unde subdit :

Vers. 5.

Miseris nunquam impropperandum.

5. AT VOS CONTRA ME ERIGIMINI, ET ARGUITIS ME OPPROBRIIS MEIS. — Haud obscure arguit amicos stoliditatis et inhumanitatis non tolerandæ, quod sibi afflicto sic insultarent : absurdum enim est vel maxime ac valde indecens etiam criminis convictos conviciis lacessere, nam, ut prudentissime monet Ecclesiasticus cap. XX, 1, « est correptio mendax in ira contumeliosi, » ita ut nihil fortasse magis indecorum et indecens sit corripienti judici, quam si contumeliis et opprobriis agat adversus eos quos castigat. Et quamvis vera sint et probata hominis crimina, ob quæ duras debeat dare pœnas, nunquam debet sustinere ut audiat verba immitia vel acerba; unde non est æqui judicis aut moderati hominis illum talem opprobriis impetere. Sic dicta Jobi verba exponit Olympiodorus in *Caten.* : « Plane, inquit, istam vobis concedo hypothesim, me ob mea peccata, ut vos opinamini, hæc mala perpeti; et illud detur vobis, me a recta via declinasse : demus me a vero prorsus aberrasse, et me ipsum verbis seu adeo rationibus falsis tueri; et cum sim impius, justitiæ habitum mentiri, neque opportunam a me orationem adhiberi : resideat etiam apud me error, vel (ut aliis placuit interpretibus) ignoratio; nec quidquam apte decoreve loquar. Quid? ut hæc, quæ non oportebat, propter hypothesim largitus sim; ut talis fuerim, ut nulla mihi libertas orationis a pietatis officiis, quibus olim perfunctus sum, tribuatur; ut innocentiam quoque simulem, et tanquam justus respondeam; an non decebat tamen vos flagra, saniem, vermes, bonorum amissionem intuentes vereri, atque homini in dolore verba facienti veniam tribuere? Nec vero convitiis solum, quibus me incessitis, non moderamini; verum etiam in hominem in tanta malorum perpessione, in tantis ærumnis versantem impetum facitis, ac propemodum pedibus obterentes insultatis. »

Vers. 6.

Job ostendit secum non agi per formam judicii.

6. SALTEM NUNC INTELLIGITE, QUIA DEUS NON ÆQUO JUDICIO AFFLIXERIT ME, ET FLAGELLIS SUIS ME CINXERIT. — Dixi, inquit, vobis sæpe in errore magno vos versari, dum hanc dolorum carnificinam propter mea mihi peccata impositam putatis; sed nunc saltem animos adhibete dociles, et intelligite aliter se rem habere : nam si Deus me vehementer afflixit, neque ullum habuit telum, quod non ad dolorem meum et ignominiam exprompserit, atque undecumque denso malorum omnium agmine vallaverit; fecit hoc non ut judex, qui peccata reorum æqua pensat suppliciorum trutina, sed ut pater, qui filium exercet, et ad majora quotidie subeunda comparat et instruit; de quo vide quæ cap. VI, 2 dicta sunt. Confert itaque Job mala quæ patiebatur cum vita sua, proindeque invenit Deum non punivisse ipsum ex judicio : ubi enim neque meriti neque delicti ratio attenditur, non pro judicio infligitur pœna, sed pro voluntate, quæ tamen in Deo semper æquissima et justissima, simul et bona est, quando in bonum punit cedit; et ut alia nulla subesset ratio, illa sola, quod creator in creaturam suam plenum jus habet, illi ab omni injustitia excusando sufficeret. Non est ergo cur conqueramur dum a Deo affligimur, cum ipse fecerit, qui mala omnia in bonum nostrum convertit et adducit, ut aliquando potius et lætari atque gratias agere Deo debeamus, quam quidquam contra illum inique loqui; debet siquidem fidelis anima potius attendere ad bonum, quod ex afflictionibus lucratur, quam ad pœnam, quam afflicta perpetitur. Quod etiam fecisse legimus justum Josephum a fratribus venditum, sicut advertunt D. Chrysostomus *Homil.* 64, et S. Ambrosius lib. *De Joseph,* cap. XII, ubi ponderat id quod Joseph dixit *Gen.* XLV, 5 : « Nolite pavere, neque durum vobis videatur, quod vendidistis me in his regionibus : pro salute enim

Nemo potest juste conqueri de Deo, quod affligatur.

http://www.obrascatolicas.com

vestra misit me Deus : » non enim tam attendit Joseph, quod a fratribus fuisset missus ad mortem, quam quod a Deo missus fuisset ad vitam. Agnovit hoc S. Augustinus lib. IX *Conf.* cap. VIII, cum ait : « Tu Domine, rector cœlitum et terrenorum, ad usus tuos contorquens profunda torrentis, fluxum sæculorum ordinans turbulentum, etiam de alterius animæ insania sanasti alteram, » etc. : multoties enim evenit, ut in nos collimentur sagittæ, quas minime a sagittantibus meremur, ut inde proficiamus, proindeque vulnerum dolorem debemus patienter sustinere ea maxime ratione, quod nobis maximum afferunt emolumentum ; quanto magis proinde debemus æquanimiter tolerare quæ meruimus, dum cernimus in nostrum profectum dirigi a justissimo et benignissimo Deo.

7. ECCE CLAMABO VIM PATIENS, ET NEMO AUDIET : VOCIFERABOR, ET NON EST QUI JUDICET : — in Hebræo est, *ecce vociferor violentiam, et non exaudior : clamo, et non est judicium*, quod, inquit, adversum me Deus judicem non agat, et legitimo foro causam meam non expendat aut judicet, vel hinc potest liquido quivis agnoscere, quod cum vim patiar, et iniquis multis criminationibus obruar, et innumeris concidar opprobriis, clamo quotidie, neque est qui audiat; judicem appello, qui male jactatam causam ab injuria vindicet; sed frustra, quia nondum judicii faciendi tempus advenit. Loquitur quasi athletarum more, qui ubi in stadio sunt, post finita certamina, post hostem prostratum, ad judicium et sententiam judicum, qua victores declarentur, et palma donentur, cum clamoribus abeunt : sic sanctissimus vir post prælia mille, post mille conflictus cum diabolo, cum uxore, inter amicorum convicia clamabat judicium spectans, quo agon solveretur, et victor abiret in pace : Sed ecce, ait, vociferor, et non est qui judicet, non est qui sententiam ferat, et bellis finem imponat. Et merito, etsi diabolum toties vicerat Jobus, non absolvit certamina, usquedum cum conviciis amicorum confligat, illaque sustinendo vincat, in quo uno finiuntur universa certamina, et pax tranquilla rutilat : ita D. Ambrosius lib. II *De Interp. Job.* cap. III, ait : « Nunc enim si clamat, nondum judicium : adhuc in agone erat, adhuc luctabatur, adhuc certamen supererat illi : non enim exivit corona. Debebatur illi certamen tertium, amiserat omnia sua, patrimonium cum filiis; patiebatur vulnera caro ejus : manebat, ut tentationes verborum vinceret : » tunc nempe solvitur agon, tunc finiuntur certamina, tunc pax affulget quietis et tranquillitatis perpetuæ, cum conviciorum tentationes devictas habes. Hæc una victoria omnimodam tranquillitatem et pacem parit; hinc Paulus *Hebr.* X, 32 ait : « Magnum certamen sustinuistis passionum, et in altero quidem opprobriis et tribulationibus spectaculum facti : » merito vocat *magnum* certamen illud, in quo opprobria sustinuerunt; et quasi inde nil jam belli maneat addit. « Et rapinam bonorum cum gaudio suscepistis. » Post opprobriorum certamen jam non restat metus, sed in omnibus gaudia : tunc solum bella finita esse et pacem almam tibi adesse puta, cum verba obloquentium sustinueris invictus. Etsi mille hostes prostraveris, etsi diaboli jacula exstinxeris, etsi martyrum cruciatus expleveris, non firmasti pacem, donec contumeliosa verba patienter tuleris.

Hinc scilicet est, quod viri sancti, ut magnitudinem animi sui testentur, vel rident dum contumeliis afficiuntur, vel eas tacendo nihili faciunt, nec se læsos sentiunt aut fatentur, vel maledicentibus benedicunt. Ridebat utique Job dum opprobriis afficeretur, pro eo enim quod nos habemus : « Ecce clamabo vim patiens, et nemo audiet, » Septuaginta habent, ἰδοὺ γελῶ ἐπίδιν, οὐ λαλήσω, *ecce rideo opprobrio, non loquar*; S. Augustinus legit *opprobria*; S. Ambrosius, *ecce rideo in opprobriis* : quæ verba sic explicat lib. II *De Interp. Job.* cap. II post medium : « Imitentur hunc virum, qui silentio suo redarguebat conviciantes : ostendebat enim virtutem animi sui, quem contumeliæ non moverent, et conscientiæ innocentiam manifestabat, qui objecta non recognosceret, sed quasi aliena rideret; at vero si nobis aliquid objiciatur, dum nos purgare volumus, acerbamus; dum ulcisci cupimus, confitemur. » Et cap. III ad medium ait : « Vidit (scilicet Deus) de nube et turbine, manum laboranti dedit, victorem asseruit, coronam detulit; quid autem pulchrius quam ridere cum maledicitur nobis? gaudere enim debemus si aliena dicantur, » etc. Gaudere sane et exsultare jussit Christus Dominus suos in persecutionibus *Matth.* V, 12; gaudentes ibant apostoli *Act.* V, 41 a conspectu concilii afflicti, vincti, verberati, ac morti tandem destinati, ut pulchre advertit S. Chrysostomus hom. 14 *in Acta* dicens : « Non ex miraculis declararunt apostoli Dei virtutem, sed ex gaudio in contumeliis, » etc. : virtus enim Dei, non hominis videtur magnitudo, si ad opprobria, quæ humanum animum pungere et excitare solent, quis rideat, et maledicentibus hominibus juxta Christi præceptum gaudeat et exsultet. Maledicebat Semei, mittebatque lapides contra David, gravissimaque exprobrabat commissa crimina ; ipse vero tacebat, sicut advertit citatus S. Ambrosius, et silentio superabat, cui noluit nocumentum aliquod inferri per servos suos. Præclare in hanc rem Seneca lib. II *De Ira*, cap. XXXIV : « Pusilli, inquit, hominis et miseri est repetere mordentem ut mures et formicæ, ad quas si manus admoveris ora convertunt : imbecilla se lædi putant si tangantur : » idem lib. III, cap. III : « Ingens animus et verus æstimator sui non vindicat injuriam, quia non sensit : ultio doloris confessio est. Non est magnus animus, quem incurvat injuria : aut potentior te aut imbecillior læsit : si imbecillior, parce illi; si potentior, tibi : » ita stoicorum princeps. Majoris tamen adhuc gratiæ erit, si is qui læditur et offenditur, in mediis ipsis opprobriis exprobrantium benedicat maledicentibus; quæ virtus propria est christianorum, juxta illud Apostoli I *Corinth.* IV, 12 : « Maledicimur, et benedicimus; » et illud apostolorum principis I *Pet.* cap. III, 9 : « Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto; sed e contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis. » Debemus itaque rejicere post terga, nihili facere, ac penitus oblivisci injuriarum et offensarum, cum videamus Deum post terga remittere peccata nostra, non solum ut solvat in corpore suo factus homo, sed ut gratia deleat, et miseratione remittat; alioquin cum tempus soleat oblivionem inducere, et injurias abolere, potentius apud nos probabitur exstitisse quam fuerit ipsa charitas, quæ apud fideles omnia vincere perhibetur.

8. SEMITAM MEAM CIRCUMSEPSIT, ET TRANSIRE NON POSSUM, ET IN CALLE MEO TENEBRAS POSUIT. — Narrat per aliquot versus et amplificat calamitates suas, quibus semita, id est vita ejus, ita erat undique circumsepta, ut nullus ei esset effugii locus, præsertim tenebris, si quæ fortassis elabendi rima superfuisset, eamdem abscondentibus : idem querimonia sæpe sua Job et luctuoso cantu prosecutus fuit *supr.* cap. VII, 3, 4, etc., cap. X et cap. XV, et passim alibi, suas et humanæ vitæ miserias vehementer exaggerans, ac si pars nulla vitæ sumi possit, in qua non pleni calamitatum acervi, curæ, doloris molestiæque redundent. Simili tropo seu loquendi modo usus est Jeremias dicens *Thren.* III, 6 : « In tenebrosis collocavit me quasi mortuos sempiternos : circumædificavit adversum me, ut non egrediar, aggravavit compedem meum, conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit. » Hoc malorum omnium maximum censetur, si ab illo nulla sese ostentat spes libertatis aut laborum effugium : nam si quando homini lux salutis aut optatæ libertatis affulserit, respirat aliquantum, et ipsa melioris fortunæ cogitatio libertatem quodammodo et requiem repræsentat. Sed Deus sic Jobum affixit sterquilinio et sordibus, sic constrinxit pedes contractis nervis, ut neque valeat movere seipsum, et per consuetam semitam ambulare; neque si posset, viam quippe, quam Dominus tenebris inobscurarat, inveniret.

Similia quoque viris spiritualibus non raro accidere tradunt ascetici; et quidem Joannes a Jesu Maria in hunc locum scribens multis experimentis compertum esse asserit, viros sanctimonia vitæ conspicuos eo interdum anxietatis adduci, ut in vincula conjecti sibi videantur, neque ullam sibi semitam patere animadvertant, qua possint evadere; ex quo, inquit, quidam subit agon animi in angustias compulsi, quem nemo satis novit, nisi qui perpetitur, cui a prudentibus spiritualium ægritudinum medicis leniter succurrendum, ne prægravatus animus oneri gravissimo succumbat.

Merito sane filius Sirach excellenti judicio cursum hunc vitæ nominavit *Eccli.* XL, 1, *jugum grave super filios Adæ*. Non jugum illud Romanorum, sub quo ducebant victas nationes ad nonnullam ignominiam et victoriæ suæ amplitudinisque ostentationem; aut quale boum est e ligno leviori, sed *jugum* ex omni genere miseriarum confectum, et incredibiliter ponderosum, ut mihi quidem ingeniosissime et verissime dixisse videatur Euripides, qui vitam vocat μυρίων ἄχθος κακῶν, *innumerabilium onus malorum*. Illinc illud dictum Solonis ab arcano sapientiæ promptum, cujus Clemens Alexandrinus meminit lib. III *Strom.* : πᾶς ἄνθρωπος συμφορή, *quivis homo est calamitas* : mirabilis sententia, quod homo nominetur *calamitas*, non calamitati obnoxius; sed prudenter ab heroe illo Græciæ et exquisita consideratione id pronuntiatum est : nam, ut acutus poeta Martialis lib. II *Epig.* 93, Zoilum quemdam, ex omnium colluvione sordium fictum et concretum, non *vitiosum* dixit esse hominem, sed *vitium*.

Non vitiosus homo es, Zoïle, sed vitium.

Ita Solon cum videret hominem miseriis frequentibus circumseptum, animi ægritudine et continuis prope doloribus obrutum, non *calamitosum* illum nuncupavit, sed *calamitatem* : sic Nyssenus Gregorius hom. 6 *in Eccles.*, cum de præsentis vitæ incommodis multa miserans eloquenter, ut mos illi est, dissereret, ostendit in ea esse πονηρὸν τῶν παθημάτων ἔλεγχον, *improbum examen calamitatum*, et miseriarum σφοδρὰν velut *vesparum latebram* odiosam et funestam : undique volant importunæ illæ vespæ, et incurrunt in oculos, in pectus animi sedem, in penitissimam mentem, et cor ipsum miserrime crudelissimeque dilacerant, ut ipsa carnificina ægyptias plagas et ciniphum atrocitatem æquare videatur.

9. SPOLIAVIT ME GLORIA MEA, ET ABSTULIT CORONAM DE CAPITE MEO. — *Gloriam* vocat quidquid in priori fortuna illi ornamento atque splendori fuerat, ut puta divitias, honores, nominis claritatem, et cætera omnia quæ apud homines ipsum olim reddebant gloriosum, quibus omnibus jam se spoliatum lamentatur : fuerat quippe Jobus, si divitias spectes, opulentissimus; si nominis celebritatem, fama longe clarissimus; si dignitatis splendorem, rex, et quidem, ut cap. I, 3 dictum est, « magnus inter omnes orientales : » id quod etiam hoc loco haud obscure insinuat, cum coronam, regium insigne ac præcipuum ornamentum, capiti suo detractam ait. Vatablus cum Hebræis refert hæc ad filios ruina domus oppressos; coronant siquidem parentem filii, cum illum medium circumdant, multoque verius, cum illum debito afficiunt honore; aut cum pater in publicum procedit, a generosis et probis filiis circumseptus; nec majorem aliunde quam ex talibus liberis sibi gloriam pater arrogat, nullo pulchrius ornamento

http://www.obrascatolicas.com

adornatur; quo in sensu dicitur *Prov.* XVII, 6 : « Corona senum filii filiorum. » Duplici quidem corona senex redimitur ex filiis et nepotibus. Hinc etiam S. Augustinus infantes illos, qui ab Herode perempti sunt, innocentes matrum suarum ornamenta coronasque aut redimicula intelligens, serm. 1 *De Innocent.* dixit : « Cum tyrannus jactaret infantes, mater crines capitis dissipabat, quæ ornamentum capitis amittebat; » et S. Basilius in *Caten.* Job cap. I ad illa verba : *Dominus dedit, Dominus abstulit,* Jobum ita loquentem adducit : « Tamdiu pater sum appellatus, quamdiu visum est ei, qui me patrem constituit, sobolis coronam mihi rursum adimere cogitavit; de rebus quæ illius sunt nihil pugno : » vides filios coronæ similitudine significatos, ut enim corona caput exornat, ita et filii parentes suos. Talem et æternus Pater coronam habet, scilicet Filium, quo velut corona ac diademate redimitur, juxta illud Synesii *Hymn.* I :

Æternus Pater dicitur quoque Filio coronari.

Ὑπερούσιος δὲ πηγὰ
Στέφεται κάλλει παίδων :

Supersubstantialis vero fons
Coronatur pulchritudine prolis.

Coronatur cœlestis Pater, coronatur quoque B. Virgo, quæ mater est; hinc illud S. Bernardi serm. 3 super *Missus est*, ubi sic B. Virginem alloquitur : « Nescies virum, sed gignes filium : qualem filium? Filius paternæ charitatis erit corona tuæ castitatis. » Christus ejus corona est, quo nobilior illustriorque inveniri non potest, uti pulchre S. Amadæus homil. 6 *De Laud. B. Virgin.* : « Corona, inquit, capitis ejus Christus est, dicente sapientissimo, quod filius sapiens corona sit matris suæ. Et quis sapientior illo qui est Patris sapientia? Bene autem corona de lapide esse dicitur; quia in Novo et Veteri Testamento nomine *lapidis* Christus significatur : dictus est *lapis* propter potentiam, *pretiosus* propter gloriam : » sic ille. Unde patet non esse quidem novum insolensque coronam de filio dici; sed prior explicatio est magis litteralis et propria hujus loci, ut scilicet *corona* sumatur pro *splendore* quem antea obtinuerat.

Christus et corona B. Virginis.

Vers. 10. 10. DESTRUXIT ME UNDIQUE, ET PEREO, ET QUASI EVULSÆ ARBORI ABSTULIT SPEM MEAM. — Undique se destructum vel discerptum ait, quia malorum obsidio quædam illi circumducta fuit, ne quid intactum remaneret : opes, honor, proles, amici, corporis sanitas, animi serenitas erepta sunt, ut agmine conferto et cuneato cingeretur. Eleganter vero subjungit sublatam spem quasi arbori evulsæ : arboris quippe succisæ, cujus stipitis pars cum radicibus in solo relinquitur, spes non perit, cum ramos iterato partu producat, seseque in comam effundat; at si ab radice eruatur, si a fibris ipsis exstirpetur, nihil ei omnino spei supererit, quia penitus illico exarescit : quamobrem evulsa stirpitus arbor amissæ spei hieroglyphicum censetur. Job itaque sub hac evulsæ arboris similitudine se omnem posteritatis spem amisisse lamentatur : quippe qui liberis ad unum omnibus ruina domus oppressis et exstinctis, præ nimia ægritudine insuper gignendi potentiam amiserit, et instar ligni aridi jam nunc per mortem evellendus videatur : quare non male Hugo, Titelmannus et Cajetanus *spem* hoc loco *filios* et *filias* interpretantur : siquidem in filiis pater mortuus quodammodo reviviscit, juxta illud *Eccli.* XXX, 4 : « Mortuus est pater ejus, et quasi non est mortuus : similem enim reliquit post se. »

Job se arbori evulsæ comparat.

Tropologice, tot nonnunquam tantasque nobis Deus immittit tribulationes, ut nos undique destruere velle, et quasi avulsæ arbori omnem resurgendi spem penitus abstulisse videatur; sed non idcirco vir justus dimittit unquam spem illam theologicam, quæ non confundit, « certus cum Apostolo *Rom.* VIII, 38, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Jesu Christo Domino nostro. » Esto enim, ut ad tempus in summis angustiis versetur, securus est tamen, quia Deus non destruet eum in finem, et quantumvis ipsum hic mori contigerit, nequaquam tamen evellet radicem ejus de terra viventium, quod impio Deus per Psalmistam minitatur *Psalm.* LI, 7. Hinc licet Jobus, prout verba ejus sonant, præsentis ac mortalis hujus vitæ ac fluxæ prosperitatis spem omnem abjecisse videatur, æternæ tamen ac futuræ vitæ spei plenus erat, qui (ut paulo post *infr.* vers. 25 videbimus) tam pulchre de resurrectione philosophatur. Neque vero etiam in hac vita in posterum Deus Jobum penitus dereliquit, sed satis exercitato et probato paulo post cap. XLII, 12 reddidit omnia quæcumque fuerant ei duplicia, « et benedixit novissimis Job magis quam principio ejus, » ut in calce libri commemoratur. Cæterum hisce Jobi non dissimiles hominibus spiritalibus affectiones in ariditatibus et anxietatibus ac desolationibus internis non raro accidere solere compertum est; ita, ut qui Deum aliquando propitium et facilem experti sunt, videantur sibi adeo longe rejecti, et a Dei consuetudine repulsi, ut nulla spes recuperandæ internæ illius prosperitatis in animis dejectis emineat, quam quidem ipsi animadvertant : quod mira Dei providentia contingere procul dubio asserendum est, ut ascetici scriptores passim docent.

Vers. 11. 11. IRATUS EST CONTRA ME FUROR EJUS, ET SIC ME HABUIT QUASI HOSTEM SUUM. — Furor et ira, prout alii affectus humani, traducuntur in Deum per similitudinem quamdam effectuum, quales ab homine irato prodeunt : nam quod ad rem attinet ipsam, compertissimum est naturam divinam ejusmodi motus pati non posse, cum sit ipsamet serenitas et tranquillitas. Quid autem istiusmodi locutiones significent, quæ Deo iram tribuunt,

Furor et ira quomodo de Deo enuntientur.

cum in Deo ira non sit, diversimode exponunt Patres; ac in primis S. Dionysius scite monet illas θεοπρεπῶς, id est, *eo quo Deum decet modo* accipiendas esse, scilicet sine turbulentia passionis, quæ in divinum Numen non cadit; quin imo *Cœlest. Hier.* cap. II, docet etiam in angelis longe aliter quam in nobis oportere vim irascibilem considerare, ut videlicet significet τὴν ἀῤῥενωπὸν αὐτῶν λογιότητα καὶ τὴν ἀμείλικτον ἕξιν, ἐν τοῖς θειοειδέσι καὶ ἀμεταβόλοις ἱδρύσεσιν, *masculam eorum rationem immutabilemque statum, in deiformibus istis immobilibusque sedibus firmatum.* Quomodo autem iræ et furores, ebrietates et crapulæ, somni et evigilationes, juramenta et maledictiones, similesque locutiones, quæ de Deo in Scripturis enuntiantur, intelligendæ et per dissimilitudinem explicandæ sint, in symbolica theologia, quæ magno Ecclesiæ damno intercidit, se fusius explanasse commemorat *Myst. Theol.* cap. III, atque epist. 9 *ad Titum.* « Nos autem, inquit Clemens Alexandrinus lib. II *Strom.*, hæc non cessamus carnaliter intelligere, et ex nostris animi affectionibus deducere Scripturas, et Dei impatibilis voluntatem nostris motionibus similem accipere : ut nos autem audire possumus, ita in Omnipotente habere existimantes, impie aberramus; sed ut nos audire poteramus, qui carne eramus illigati, ita nobis sunt locuti prophetæ, Domino se salubriter accommodante ac demittente ad hominum imbecillitatem. » Et lib. I *Pædag.* cap. VIII : « Non enim Deus irascitur, ut nonnullis visum est, sed per suam in homines benevolentiam a plurimis quidem abstinere hortatus est, omnia autem quæ sunt agenda indicavit. Bona autem est hæc ars, terrere ne peccemus. » S. Damascenus lib. I, cap. XIV : « Per *iram*, inquit, et *indignationem* Dei intelligimus voluntatem ipsius odio vitii flagrantem, illudque aversantem : nam et nos ea quæ cum voluntate nostra pugnant odio habentes, in iram prorumpimus : » eodem sensu Chrysologus *Serm.* 45 : « Ira, inquit, Dei est delinquentium pœna : furor Dei est supplicium peccatorum. » Sed hæc, ut bene notat Pineda noster, iræ divinæ significatio neque in Jobum, neque in hunc locum quadrat, cum innocens patiatur : non enim impium quid gessit in opere, sed neque peccavit labiis suis, uti Deus ipse testatus est. Melius ergo per *iram* Dei aut furorem iræ intelligunt cruciatum, dolorem aut aliam plagam molestissimam a Deo irrogatam, qualem scilicet inferre solet iratus homo, ut sit figuratus loquendi modus; quemadmodum tropicas istiusmodi locutiones sapienter explicat Nazianzenus per antistrophen, id est conversionem eorum quæ in nobis sunt ad Deum relatorum, dum in *Iamb.* sic ait :

Antistrophen fac cogites, et totum habes.
Nam bile quoniam conciti aliquem cædimus,
Iram proinde cum ferit damus Deo :
Sic visum et aures, sic manus huic linximus,
Dantes supremo Numini hæc quibus utimur.

ET SIC ME HABUIT QUASI HOSTEM SUUM. — Modus est lamenti simillimus isti quem Jeremias exprompsit *Thren.* II, 4 : « Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis. » Cujusmodi sermo graviter afflictorum proprius est, cum tamen se a Deo amari in animum inducant suum, ipsasque ærumnas in bonum ac profectum suum directas existiment : quapropter Joannes a Jesu Maria parcendum ait veris Dei cultoribus acerbe vexatis, si dum recrudescit dolor, hujusmodi querimoniis utantur.

Vers. 12. 12. SIMUL VENERUNT LATRONES EJUS, ET FECERUNT SIBI VIAM PER ME, ET OBSEDERUNT IN GYRO TABERNACULUM MEUM. — Hic explicat, quomodo se Deus in hoc congressu gesserit ut hostis, nam et copias conscripsit armavitque, quas in Jobum invexerat, et ab illo omnes eas commoditates et subsidia submoverat, quibus arcere posset aut impetum hostilem sustinere. *Latrones* autem olim milites dicebantur, ut Varro ait lib. VI *De Ling. Lat.* a *latere* sic dicti, quia circum latera erant regi, atque ad latera habebant ferrum, quos postea a *stipatione* stipatores appellarunt; hinc ad quosvis etiam alios milites significandos eadem vox adhibita est, ut Servius notat in lib. XII *Æneid.* non procul ab initio : « *Latrones* vocantur conducti milites. » Et Festus Pomponius : « *Latrones* eos dicebant, qui conducti militabant, » ἀπὸ τῆς λατρείας : quorum merces λάτρον dicitur. Ex Hebræo autem hoc loco etiam verti potest *exercitus* aut *agmen*, scilicet tribulationum et dolorum; vel, ut Septuaginta vertunt, *tentationum;* vel, ut S. Gregorius exponit, *dæmonum;* vel proprie Chaldæorum latronum, de quibus cap. I, vers. 17 actum est. Illud autem : *Fecerunt sibi viam per me*, referri videtur ad militarem licentiam, quando scilicet milites invadunt alienas regiones, et dirutis prædiorum hortorumve muris aut sepibus, viam sibi faciunt per loca olim clausa et culta, omnemque amœnitatem ac lætitiam demoliuntur. Vel forte usitatum erat inter Idumæos, quod fecit olim Josue cum regibus a se domitis, in quorum cervicibus jussit ut ponerent pedes exercitus victor : quæ summa erat miserorum ignominia et acerbus dolor. Sic in libro Josue cap. X, 24 habetur : « Cumque educti essent (nempe quinque reges) ad eum, vocavit omnes viros Israel, et ait ad principes exercitus qui secum erant : Ite, et ponite pedes super colla regum istorum. » Aliud quid durius fecisse dicitur David II *Reg.* XII, et I *Paralip.* XX, ut super hostes victos transirent tribulæ, et trahæ et ferrata carpenta. Hoc vero nil aliud est, quam facere ex hostibus viam, quam calcarent et hostium pedes et plaustrorum rotæ. Neque aliud patiuntur viæ, quæ viatorum calcantur pedibus, et carpentorum rotis conteruntur.

Latrones olim dicti milites, et eorum merces λάτρον.

Hanc explicationem confirmat Isaias, ubi talem minatur Idumæorum populo, qualem victus ab hoste potentiori subire cogitur ignominiam : jubet enim victor et barbarus inimicus Judæis, ut seip-

http://www.obrascatolicas.com

sos sternant humi, ut quemadmodum per viam, sic ille per Judæorum strata et incurvata corpora transiret. «Et dixerunt (scilicet hostes) animæ tuæ : Incurvare, ut transeamus : et posuisti ut terram corpus tuum et quasi viam transeuntibus; » quæ expositio est Sanctii nostri, mihique præ cæteris placet, cum hic allegoricus sit sermo, et a re militari translatus. Quod autem ait, « et obsederunt in gyro tabernaculum meum, » nonnulli putant esse ὕστερον πρότερον : nam prius est obsideri civitatem aut tabernaculum, quam victum aut obsessum hominem ab hoste conculcari. Sed bene *ibid.* notat Sanctius noster sic etiam accipi posse, ut hoc modo conculcari dicatur obsessum tabernaculum et præclusa via, ut illi nullus pateat ad libertatem seu fortunam meliorem aditus. Quod lamentabatur Jeremias *Thren.* III, 5: « Ædificavit in gyro meo, et circumdedit me felle et labore; » quod item paulo ante significavit Jobus vers. 8 : « Semitam meam circumsepsit, » etc. Atque hactenus quidem exposuit Jobus, quæ fuerint hostiles et adversariæ machinationes; deinceps vero removet illa quæ in hoc loco longo difficilique congressu subsidio illi esse debuissent, fratres videlicet, amicos, domesticos, quosque aut generis communio sociarat, aut de quibus ipse prius humanissime ac liberalissime meritus fuerat; unde subdit :

Vers. 13 et 14.

13 et 14. Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me. Dereliquerunt me propinqui mei : et qui me noverant obliti sunt mei. — In hoc etiam Job Christi a discipulis derelicti typum gessit; optime autem hominum ingenium ob oculos ponit, et qua ratione mortales amicitiam et benevolentiam, quam frequenter usurpant, et de qua gloriari solent, inter se colant, ut discamus ab hominibus spes nostras abducere, et in Deo solo collocare, monente Propheta *Jerem.* XVII, 5 : « Maledictus homo qui confidit in homine, » etc.; cui consentit Davidis illud effatum e spiritu principali haustum *Psalm.* LIX, 13 : « Quia vana salus hominis. » Homo enim sæpe in officio et amicitia languet, et obliviscitur, et contemnit, spemque frustratur; et quod vult nequit, et quærit potius sua quam aliorum commoda, vanus est, vanitasque ipsa; denique facile emoritur. Unde fatui omnino qui confidunt in homine, cum nemo sibi certa promittere de aliena voluntate possit; et innumeris prope exemplis docemur infido fundamento inniti, quisquis alienæ voluntati innititur, cum nulla prope arundo tam variis agitetur ventis, quam hominis animus omni flexibilior arundine : e minima causa ex amore exsurgit in odia; imo e nulla causa, e benefica manu in ferrum et sanguinem. Quid? quod plures fere viros magnos consanguineo magis quam extero cecidisse ferro reperias; ut nec fratri neque adeo conjugi fidi possit. Hanc humanæ vitæ labem cum prophetæ pii animadverterent, studuerunt monitis suis omnes in officio continere, et stultam in hominibus fiduciam amoliri : creber est in ea re Vates regius, et aliquando vero negat generatim spem in homine collocandam; aliquando nominat diserte principes, in quibus plus periculi videbatur *Psalm.* CXLV, 3 : « Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. » Per *principes* intelligit, ut Septuaginta vertunt, ἄρχοντας, omnes dignitate et auctoritate præcellentes reges, duces, præfectos, magistratus, quique jus in alios obtinent. Ad hujusmodi homines, qui inferioris sunt notæ, facile adhærescunt, eos verentur, eos colunt ob potentiam, decus, opes, et gratiam et juvandi potestatem : et Dei obliti et amabilissimæ providentiæ, quæ nunquam indormit rebus fidelium atque justorum, in eos spem animi sui omnem transferunt; illos demereri omni genere officiorum conantur, eisdem serviunt, et insidiose adulantur, neque timent eorumdem causa divinam legem impie et indigne violare. Sed « nolite, inquit David, confidere in principibus, in filiis hominum, » in filiis Adam obliviosis, superbis, nihil curantibus; qui vobis etiam miseris et inanibus illudant, vos abjiciant, fallant fidem, spem frustrentur, ut non sine causa etiam Michæas in oraculis quoque suis cap. VII, 5 posuerit : « Non credere amico, non confidere in duce. »

Non fidendum in hominibus.

Voluntas hominis inconstans.

Principum gratia fallax.

Non credendum etiam amico.

Sed demus magnos illos viros et sublimes dignitate interdum ad clientes benevolentiæ suæ oculos adjicere, præstare iisdem opem et auxilium, tueri afflictos mœrentesque recreare : quamdiu tandem id futurum est? sunt enim filii hominum, hoc est mortales, eodem e luto compositi, ruinosi. Abiit in fumum lux illa omnis radiantis auctoritatis, pompa illa fulgens opibus atque potentia ut puerilis bulla crepat et difflatur, et secundum propheticum dictum, omnium prope eorum hominum memoria cum sonitu perit. In his ergo sapiens, et amussi christianæ vitæ omnia dimetiens, fiduciam collocandam putet? Sed nec in fratribus quidem salus aut fiducia est ponenda : nam, ut in proverbio est, « fratrum quoque gratia rara est. » Unde David quoque non secus ac Job in persona Christi lamentatur *Psalm.* LXVIII, 9 : « Extraneus factus sum fratribus meis : » Septuaginta vertunt, ἀπηλλοτριωμένος ἐγενήθην τοῖς ἀδελφοῖς μου, quod vetus psalterium verbum e verbo reddit, *alienatus factus sum fratribus meis*; et ut frater non esset animo alienus, parum tamen aut nihil potest nobis conferre ad salutem, ut idem Psaltes regius alibi testatur *Psalm.* XLVIII, 8 : « Frater non redimit, redimet homo? » sic hoc legendum esse cum interrogatione monet S. Basilius; alioquin repetenda esset negatio de more Scripturæ sanctæ. Est enim sensus, quod cum frater non redimat, multo minus alius homo redempturus sit, quo a fortiori confirmatur quod dicebamus, nullam in hominibus fiduciam esse collocandam. Ille ergo prudens est, qui in solo

Nec in fratre quidem salus aut fiducia ponenda.

Deo spem omnem ponit : nemo hunc fallet, nulli doli evertent, nulla subvertet prudentia, neque enim ulla comparari divinæ sapientiæ potest : vide plura de his *supr.* cap. I, 10, cap. VI, 13 et passim alibi : eodem etiam spectant quæ sequuntur.

Vers. 15.

15. Inquilini domus meæ et ancillæ meæ sicut alienum habuerunt me, et quasi peregrinus fui in oculis eorum. — Ærumnosam suam conditionem amplificat, docetque quam gravia et prorsus indigna patiatur, scilicet inquilinorum, ancillarum et servorum contemptum; *inquilini* autem illi dicuntur, qui in alienis habitant ædibus, sive simul cum domino, sive seorsum. Accipiebat igitur Jobus, utpote liberalis ac clemens, in domum suam peregrinos, illisque aliquandiu de rebus ad vitam necessariis commodabat, ut ipsemet docuit dicens *infr.* cap. XXXI, 32 : « Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit; » sed illi jam ad miseram fortunam redactum neque aspectu dignati sunt eum, quem habuerant officiosum et pium; quo facto sane non se Jobi, sed fortunæ ejus ac temporis amicos fuisse comprobarunt : nam, ut Menander ait,

Inquilini qui sint.

Καιρῷ τὸν εὐτυχοῦντα κολακεύων φίλον,
Καιροῦ φίλος πέφυκεν, οὐχὶ τοῦ φίλου :
Amico qui assentatur læto tempore,
Non ille amico amicus est, sed tempori.

Quos merito exsecratur Euripides in *Herc. fur.* dicens :

Χάριν δὲ γηράσκουσαν ἐχθαίρω φίλων,
Καὶ τῶνκαλῶν μ' ὅστις ἀπολαύειν θέλει,
Συμπλεῖν δὲ τοῖς φίλοισι δυστυχοῦσιν οὐ :
Odi hos amicos, benefici canescere
Qui gratiam patiuntur, et de prosperis
Sibi parte sumpta, tristibus se subtrahunt.

Hirundines infidi amici symbolum.

Tales recte hirundines esse dixeris, quæ cum hospitio indigent tibi canunt, ast hieme discedunt : quare, ut Pierius notat lib. LVI, symbolum erant amici infidi, ideoque domo exturbandas aiebat Seneca; et Pythagoras, ἀμορφείους; χελιδόνας μὴ ἔχειν, hoc est, *hirundines sub eodem tecto ne habeas.* Pulchre ad hanc rem Cicero, vel quisquis auctor lib. IV *ad Heren.* : « Ita ut hirundines æstivo tempore præsto sunt, frigore pulsæ recedunt : ita falsi amici sereno vitæ tempore præsto sunt, simul atque hiemem fortunæ viderint devolant, » id quod sententiose significavit Siracides *Eccli.* VI, 8 : « Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis; » eamdemque sententiam varians, et explicans quale sit tempus quod respiciat, qui sua non amici commoda æstimat, subdit *ibid.* vers. 10 : « Est autem amicus socius mensæ, et non permanebit in die necessitatis; » unde ductum illud vulgare et antiquum proverbium : Χύτρης φιλία, *ollæ amicitia.* Quos lepide describit Eupolis,

Τοὺς περὶ τάγηνον, καὶ μετ' ἄριστον φίλους·
Amicos juxta sartaginem, et inter prandium.

Et e gnomis ex incertis auctoribus collectis huc quadrat illud :

Πολλοὶ τραπέζης, οὐκ ἀληθείας φίλοι :
Re non amant plerique, sed mensa tenus.

de quibus Horatius illud vere :

Diffugiunt cadis
Cum fæce siccatis amici,
Ferre jugum pariter dolosi.

Sic nempe mortales inconstantissimæ fortunæ varietatem sequuntur. Accrescunt opes? undique advolabunt qui amicitiam ambiant : decrescunt? celerius avolabunt, quam advolaverant, comedones, laudatores. Gratia aliquis valet apud reges aut principes ne nomine quidem ante notus? inveniet veteres amicos, quos nec viderat ante, inveniet novos. Excidit gratia? nec veteres jam amici nec novi sunt; imo omnes illi, quales ante erant, hostes sunt. Factum in Petro, qui secundam Domini fortunam secutus adversam fugit; imo in hac Dominum negavit, et quidem ad ancillæ vocem : steterat cum Christo in monte Thabor, inter convivia Zachæi, Matthæi, Canæ Galilææ, in panum multiplicatione, agni Paschalis esu, miraculorum operatione : nimirum secunda hæc erant. Et quis non amet esse mensarum socius? quis destituat dominum servus in prosperis? quis inter fortunata non præferat amici nomen? At ubi adversa ingruunt, magis si obruunt, evolant fortunarum nostrarum amici. Hirundines cogita et ciconias æstatis amicas, inimicas hiemis.

Fieti amici fortunæ amici.

16. Servum meum vocavi, et non respondit : ore proprio deprecabar illum. — Æquus calamitatis suæ æstimator Jobus merito inter alia, quæ illi gravissima accidebant, servorum, qui tempus ad obsequendum antevertere deberent, insolentiam recenset : quid enim indignius, quam virum regia dignitate sublimem, cui inservire paulo ante gloriosum ducebatur, eo delabi, ut famulos vocet, ac precetur, ipsique vel se non audire simulent, vel aperta impudentia rogantem responso minime dignentur? Fieri quidem potest, ut servus alicujus regis adeo sit contumax, ut dum rex aliquid præcipit medio alio servo, aut per internuntium, vel litteras, dissimulet, et non faciat; nullus tamen ita rebellis est, ad quem si rex ipse e majestatis fastigio et regali curia descendens aliquid ore proprio blande suaviterque præcipiat, non statim illud opere compleat. Erat quidem Job rex, quem Isidorus lib. *De Vita et mort. sanct.* regem Idumæorum; Gaudentius Brixianus præfat. tractat. *in Script.* regem Arabiæ; Cæsarius, S. Gregorii Nazianzeni germanus, *Dial.* 3, regem Hussitanum appellant : et Pineda noster in cap. III, n. 18, regem regum fuisse dicique posse probat : nihilominus vocavit *servum suum* non per atriensem quempiam aut servum alium (quia jam illi, quasi nunquam eum cognovissent dominum, alio recesserant) sed propria voce, eaque exanimata

Vers. 16. Job a propriis servis neglectus et despectus.

Job cum rex esset servos suos rogavit.

http://www.obrascatolicas.com

et flebili ac deprecabunda, qui tamen contra omnem humanitatem et fidem obduruerat, neque respexit, quem ante in meliore fortuna suspexerat et formidaverat.

Job Christi personam cæteris prophetis excellentius refert. Christus Judæis primum per Moysem servum, deinde per seipsum locutus est.

S. Gregorius B. Jobum Christi personam cæteris prophetis excellentius expressisse observans, ut qui non tantum verbis, sed et actionibus ac passionibus eum retulerit, signanter hoc loco allegorice per *servum* Judæorum populum intelligit, quem Deus primum per alium servum, scilicet Moysem, vocaverat, et præceptis instituerat, ac demum ore proprio per Christum Filium suum unigenitum blande suaviterque allocutus, quin imo deprecatus est. Hoc itaque in beato Jobo tanquam in figura præcessit, quod in Dei Filio completum est, qui vere dicere potest : « Servum meum vocavi, et non respondit mihi : ore meo deprecabar illum : « quid enim, inquit S. Gregorius lib. XIV *Moral.* cap. XIX, Judaicus populus nisi servus fuit, qui non amore filii obsequebatur Domino, sed timore servili ?» qua de causa Apostolus *Rom.* VIII, 15 et II *Timoth.* I, 7, eum describit habentem « spiritum servitutis in timore. » Hunc servum vocavit Dominus, dum quæ agenda erant per alium servum, Moysem scilicet, ei intimavit; de quo ipse dixit *Num.* cap. XII, 7 : « Servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est, ore ad os loquor ei : » quam ob causam *fidelem servum* domus Dei vocavit illum Apostolus *Hebr.* III, 2, quia quæ Dominus ei dicebat, ut nomine suo præciperet populo, fideliter referebat. Signanter autem præcipit Deus per Moysem, ut unusquisque alterum diligeret; servus tamen ille non respondit Domino : tunc enim servus, cui aliquid præcipitur bene respondet, quando opere complet quod præceptum est; at Judaicus populus non solum non fuit Domino obsecutus, sed potius illud ore repetebat : « Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum. » Quamobrem ipsemet Rex regum, quod antea per servum imperaverat, e regalibus sedibus veniens, et ad servum accedens, ore proprio clarius et expressius præcepit, aperiens enim os suum manifeste dixit *Matth.* V, 44 : « Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, » *q. d.* Ego ipse, qui ante incarnationem meam per Moysem vobis præcepi, ut inimicos diligeretis, quia id facere recusastis, ecce ad vos de cœlis venio, et dico : Diligite inimicos. « Bene autem, inquit S. Gregorius, dicitur : *Ore proprio deprecabatur illum*; quia in carne monstratus mandata vitæ humiliter dixit, » blande scilicet ac benigne, et quasi rogans ac deprecans, et magno adhibito præmio agenda præscripsit, potestque dicere quod Joseph *Gen.* XLV, 12 : « En oculi vestri vident, quod os meum loquatur ad vos. »

Deus nos vocat bonis inspirationibus; cui respondemus, cum eas opere adimplemus.

Mystice item Dominus servum suum vocat, cum justum in aliqua vocatione positum donis ad eam explendam accommodatis cumulat; servus vero non respondet, cum dona illa in actionibus suo statui debitis non expendit : hoc enim est quod dixit S. Gregorius lib. XIV *Moral.* cap. XIX : « Vocat nos Deus, cum muneribus prævenit; respondemus vero vocationi ejus, cum digne juxta percepta munera deservimus. » *Ore suo deprecatur*, cum per prælatos, per quos Deus solet loqui, et cum per interiores instinctus justum de rebus ad statum ipsius attinentibus admonet, qui tamen cum eas actiones non elicit, quasi surdus efficitur : qui utique audire curaret, si ista peculiaria virtutis opera quanti momenti sint sciret.

Vers. 17. Uxor et liberi etiam Jobum aversabantur.

17. HALITUM MEUM EXHORRUIT UXOR MEA, ET ORABAM FILIOS UTERI MEI. — Ipsam quoque uxorem, quam illi connubialis fides arctissimo nexu copularat, usque adeo gravem e sanioso corpore fœtorem halitumque suum aversatam ait, ut ab ipsius conspectu procul abierit, et filii etiam rogati ad eum accedere detrectarint. Omnino quidem verosimile videtur halitu fœtido corporis tabescentis Jobum cuilibet ad obsequium propius accedenti fuisse molestissimum; at fœtentem halitum charitas uxoris et fides conjugalis superare debuerat, quæ lex connubii est. Filii quoque debuerant parenti morem gerere, præsertim in extrema necessitate constituto, et, quod est plane admirabile, roganti; verum patientia viri fortissimi sic exploranda fuit. Notandum hic non fieri mentionem filiorum ex uxore præcipua susceptorum, ii quippe omnes simul convivantes interierant, ut capite primo dictum est, sed aliorum qui hæredes non erant, quos uxores aliæ non domui præfectæ, sed proli destinatæ, quas *concubinas* Scriptura vocat, ei genuerant; quemadmodum de Abraham, Jacob et aliis ejus ætatis, aut etiam posteris, viris sanctissimis memoriæ proditum est, quod Septuaginta interpretes aperte notarunt his verbis, προσεκαλούμην δὲ κολακεύων υἱοὺς παλλακίδων μου, *et invocabam blanditiis filios concubinarum mearum*, ibi observandum illiberale ingenium filiorum, quos e concubinis susceperat.

Synagoga Christi halitum exhorruit.

Allegorice S. Gregorius lib. XIV *Moral.* cap. XXI : « Quid, inquit, uxor Domini nisi Synagoga accipitur in legis fœdere carnali ei intelligentia subjecta; halitus vero ex carne est, sed infidelis populus carnem Domini carnaliter intellexit, quia purum hunc hominem credidit. *Halitum* ergo ejus *uxor exhorruit*, quia Synagoga eum, quem videbat hominem, Deum credere expavit; cumque ab ejus ore verba corporaliter audiret, in eo intelligere divinitatis arcana recusavit, et creatorem non esse credidit, quem creatum vidit. Carnis ergo halitum carnalis uxor exhorruit, quæ carnalibus sensibus dedita incarnationis ejus mysterium non agnovit. » Sic ille eleganter hæc de Synagoga, quæ jure Christo desponsanda fuerat, intelligit : exhorruit enim Christi halitum, nec ferre illum valuit, cum doctrinam ejus tanquam injucundam, et verba ejus tanquam aspera præ incredibili in illum odio et invidia non modo non admisit, sed ne audire quidem sine stomacho potuit. Jam vero quis non vehementer obs-

Synagoga Christi doctrinam car exhorresceret.

tupescat ejus halitum exhorruisse, de cujus ore ac labiis innumeras olim laudes decantaverat, cum diceret *Cant.* V, 13 : « Labia ejus lilia distillantia myrrham primam, et dulcedo mellis sub lingua ejus? » Sed inde accidit, ut postea ejus halitum exhorruerit, quia labia ejus etsi suavissimum spirarent odorem, erant tamen quasi myrrha amara : etenim quæ de ore Christi procedebant, illis aspera supra modum et amara videbantur, nec ferre illum poterant, cum eorum superbiam, hypocrisim et avaritiam insimularet et reprehenderet. Nihil sane illis amarius esse poterat, quam cum ille sic in eorum vitia inveheretur *Matth.* XV, 8 : « Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias : Populus hic labiis me honorat, » etc., cum similes illos sepulcris dealbatis diceret, cum ex Deo non esse, sed ex patre diabolo affirmaret, et similia. Propterea ergo Christi halitum exhorrebant, id est, verba vitæ aversabantur et contemnebant.

Vers. 18.

18. STULTI QUOQUE DESPICIEBANT ME, ET CUM AB EIS RECESSISSEM DETRAHEBANT MIHI. — Insipientes, inquit, homines me aspernabantur, et licet præsentes non adeo effrænate agerent, absentes tamen mihi obtrectabant : merito sane *stulti* vocantur, qui alium quempiam ea solum de causa despiciunt quod in ærumnam inciderit, cum alioquin vir sapiens ac fortis sit; neque culpa tetra vacare potest ejusmodi viri reprehensio et obtrectatio : quin imo potius ex hoc ipso capite vehementer laudandus, qui justus cum sit, peracerbam sortem fert, et in medio malorum turbine nihil de virtutum studio, nihil de pietate remittit. Porro ille dicendi modus : « Cum ab eis recessissem detrahebant mihi, » abjectum et sordidum ingenium detractorum indicat, qui eos quos absentes vituperant neque corripere neque admonere coram audent. Genuinam eorum imaginem nobis ob oculos ponit David, dum repræsentat nocturnum venatorem, qui arcum manu ferat chalybeum et intentum, nigram autem ad latus pharetram sagittis plenam, non decisis aurifera ex arbore, quam poetæ in via ad Acheruntem ponunt, sed ab ipsis Erebi lucis et e taxo mortifera decerptis; tum ad picturam hoc addit epigramma *Psalm.* LXIII, 4 : « Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. » Quid intelligat per *arcum* ostendit, cum addit « rem amaram; » S. Hieronymus legit, *verbum amarissimum*, secutus opinor Symmachum, qui non *rem*, sed λόγον, *sermonem* habet, et sic vertit, ἐπλήρωσαν τὸ τόξον ἑαυτῶν λόγον πικρὸν, *impleverunt arcum suum sermone amaro*; sed Vatablus ex Hebræo clarissime, *ceu tenso arcu amara verba pro sagittis ejaculantur, ut in absconditis innocentem feriant*. Has ergo sagittas lernæo sanguine venenatas calumniatores et detractores mittunt « in occultis, » vel, ut vertit S. Hilarius, *in obscuro*; fictam personam induunt; verborum involucris et objecta veluti nube malitiam suam inobscurant; hoc callida machinatione contendunt, ne videantur aliorum famam et honorem velle minuere : ita feriunt et lacerant in obscuro. Quare Synesius *Epist.* 44, cum hoc ipsum vitium insequitur, obtrectatores ait τιτρώσκειν ἐξ ἀφανοῦς, *ex obscuro vulnus infligere*, quo in loco vir doctissimus meo judicio respicit ad Thucididiam narrationem lib. III, quam etiam attulit Themistius *Orat.* 4, cum de suis calumniatoribus quæritur : « Illi, inquit, occulte in me jacula sua contorquent; velut olim Platæenses, cum ex obsidione noctu fugerent, in Peloponnesios cum facibus insequentes tela e tenebris conjiciebant. » Quale autem fuerit de his hominibus judicium sacri poetæ sic ipse declarat *Psalm.* C, 5 : « Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar, » ut viperam, ut belluam expertem humanitatis odi : τὸ *persequi* enim ingens quoddam odium significat; unde quidam ex Hebræo vertunt, *hunc succidam, perdam, opprimam ad internecionem*, ut illius sanctissimæ animæ zelum intelligamus : ita Zephyrinus papa *Epist.* 1, detractores divina auctoritate eradicandos esse pronuntiavit, de quibus plura vide vers. 22.

Stulti sunt qui ob calamitates aliquem despiciunt.

Detractoris vera delineatio.

Detractores in occulto sagittant immaculatos.

Detractoribus odio habendis.

Vers. 19.

19. ABOMINATI SUNT ME QUONDAM CONSILIARII MEI : ET QUEM MAXIME DILIGEBAM AVERSATUS EST ME. — Conqueritur se ab iis etiam, quos ad consilium et reipublicæ administrationem adhibuerat, quibus se suaque omnia crediderat, et maxime fidebat, contra fidem datam, et jurejurando ex officii lege firmatam, turpiter desertum, despectum et odio habitum, præsertim ab eo quem maxime diligebat, quem familiarissime tractaverat, quo potissimum in gravissimis regni negotiis utebatur; quemadmodum passim cernimus evenire, ut regis principisve gratia vir aliquis in republica clarissimus præ cæteris valeat, cui rerum maximarum cura credi solet. Istiusmodi autem in rebus præsertim adversis defectio, quando consiliarius fidem principi suam vel maxime probare deberet, dici non potest quam acerbo afflictum principis animum vulnere conficiat, quem prudenti et opportuno consilio erigere et consolari oportebat. Similium non inexpertus David amare querebatur *Psalm.* XXXVII, 12 : « Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt; » Symmachus ad propositum nostrum clarius vertit, οἱ φίλοι καὶ οἱ ἑταῖροί μου ἐξ ἐναντίας ἐν τῇ πληγῇ μου ἀντέστησαν, *amici mei et sodales mei ex adverso in plaga mea restiterunt*, significans amicos non ausos fuisse propius accedere ad juvandum et consolandum; sed etsi aliquo usque accederent, e regione tamen atque a longe stetisse, *q. d.* E regione plagæ meæ se statuerunt, e remotis, et e longinquo, id est, non me viserunt, non propius conjuncti sunt ad me consolandum, me deseruerunt in meis malis, steteruntque aversi, sive metu sive inhumanitate humanitatis officium erga me non exercuerunt. Idem de singulari suo amico, cui præ cæteris plura beneficia contulerat, non secus ac Job gravius conqueritur dicens *Psalm.* XL, 10 : « Etenim homo

Job ab iis quos maxime dilexerat desertus et odio habitus.

Gravissimum est deseri in necessitate ab iis quibus maxima quis beneficia contulerat.

http://www.obrascatolicas.com

pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem, » de quo item alibi *Psalm.* LIV, 13 : « Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique : et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus, » etc. Prudenter sane monet Ecclesiasticus cap. XXXVII, 9 : « A consiliario serva animam tuam : prius scito quæ sit illius necessitas (et ipse enim animo suo cogitabit) ne forte mittat sudem in terram et dicat tibi : Bona est via tua; et stet e contrario videre quid tibi eveniat. » Ait primo generatim a consiliario servandam animam, non temere cuicumque arcana pectoris esse aperienda, nec levitate juvenili prodendas esse animi voluntates aut committendas res suas, ne a quo præsidium exspectas periculum obveniat. Deinde subdit pulcherrimum monitum : « Prius scito quæ sit illius necessitas : » prius quam ullum in consilium adsciscas, quid velit et intueatur cognosce, an res suas agere velit, et obtentu magnæ benevolentiæ et charitatis, gratiæ tantum aucupandæ et immoderatæ commodorum siti velificetur; an ardore cupiditatis invidiæque, si potes introspice. « Et ipse enim animo suo cogitabit, » hoc est, forte hoc unum cupit, animo suo bonoque providere, et, ut apertius est in Græco, ἑαυτῷ βουλεύσεται, *sibi consulere*. Egregie ad illum locum Rabanus in Glossa : « Prævidenda est, inquit, consiliarii prudentia, fides, voluntas, religio. » Hæ quatuor sunt dotes boni consiliarii notabiles, et omni laude et commendatione prædicandæ, a quibus exsulet fraus et imprudentia necesse est, et commodorum cæca et furens appetitio, quæ consilium, rem inter homines sacram, devenustat. Hæc honorata quadriga est, et Eliæ digna, quæ negotia dirigat in cœlum et attollat. Si hæc desunt consulentis ornamenta, quid eveniat ex illius consilio, quodve immineat periculum, Sapiens ita pergit ostendere : « Ne forte mittat sudem in terram, et dicat tibi : Bona est vita tua. » Adulatorem pingit, qui blando amicitiæ umbraculo intectus, dum commodo suo indulget, in alieno periculo nefarie impieque ludit. Mittet, inquit, sudem in terram. Stylo hebræo *sudes* appellatur quidquid nocet, grave et acerbum est, et dolorem conciliat. Quemadmodum Josue in vetustis monumentis aiebat cap. XXIII, 13, Deum non delevisse e promissa terra barbaras gentes, ut sint, inquit « sudes in oculis vestris; » quæ videlicet lumen oculorum et pupillam ipsam feriant, rem omnium charissimam, hoc est, molestiarum omne genus calamitatisque inferant, nec quietos unquam esse patiantur. Sed hic proprie mittere sudem in terram est veluti laqueum obtendere, quem Septuaginta σκάνδαλον, *scandalum*, decipulam, vel etiam stimulum sæpe nominare solent, in quos incurrentes capiantur et dura perferant. Mittere igitur sudes in terram, vel, ut æquivalenti proverbio Septuaginta vertunt, κλῆρον, *sortem* aut aleam, idem est quod dubium objicere consilium, et cum periculo conjunctum, quod cedere male potest, et damno infortunioque animam affligere. Hoc consilium ut sequaris perfidiosus ille homo et imprudens assentatiuncula ficta celebrabit nomen tuum, animique sapientis gloriam, et ingenii splendorem adeoque fortunam extollet, quasi tali viro nihil non fauste atque feliciter possit evenire; « et dicet tibi : Bona est via tua : » divino consilio munitus rem aggrederis. Sed videte astutam vulpeculam, et consiliarii mentem sceleratam : « Stat e contrario videre quid tibi eveniat, » hoc est, post datum suæ temeritatis malitiosum consilium hærebit velut e regione, et successum operietur, ut, quemadmodum ait Hugo Cardinalis in Ecclesiastici locum citatum, « si bene evenerit laudetur; si male, irrideat, et dicat : Non fecisti eo modo quo dixi tibi. » De istiusmodi igitur consiliariis Job et David merito conqueruntur.

A subdolo consiliario cavendum.

Quatuor in bono consiliario requisita.

Malignantium consiliariorum indoles.

20. PELLI MEÆ CONSUMPTIS CARNIBUS ADHÆSIT OS MEUM, ET DERELICTA SUNT TANTUMMODO LABIA CIRCA DENTES MEOS. — Postquam se ab omnibus derelictum et exosum fuisse pluribus disseruit, nunc ut sui commiserationem excitet, iterum ob oculos ponit extremam sui corporis maciem, quam ait fuisse tantam, ut carne consumpta sola ossium pelle tectorum structura remanserit. Illud vero mirum, quod labia non absumpta fuerint; quod Satanas, qui tam amplam in Jobi corpus sæviendi potestatem acceperat, cum membra ejus omnia proprio affecisset cruciatu, sola labia permiserit illi immunia; undenam tanta in impio hoste pietas, ut cum in totum Jobi corpus sævisset, cæterasque corporis partes sævissime percussisset, labiis parceret, et os illæsum abire sineret? Crudelis hæc clementia est, magis sævit, quia minus sævire videtur. Loquendi enim instrumenta morbo non corripuit, ut libere loqui Jobus posset, in noxia, in sermones inutiles, in querelas, et in blasphemias prorumperet labiorum integritate abutens, ut spiritualium divitiarum thesaurum, qui intus latebat, surripere diabolus posset; solis ergo labiis pepercit, ut loquendi libertate Jobus in nocitura effunderetur, et invadere illius mentis opes posset, qui alias invaserat et rapuerat. Sed irritus ejus dolus fuit et cassa fraus; non labiis abutitur Dei athleta, ut in Deum pugnet, sed ut Deum laudet, et diabolum ipsum de sua paratura repercutiat. Scite Philippus Presbyter lib. II *in Job.* cap. XIX : « Hoc, inquit, agere videtur diabolus, qui ingrediendi in eum non acceperat potestatem; cum jam illum totum variis cruciatibus consumpsisset, dentes, linguam et labia, quæ sunt vasa verborum, reservat : ex his enim forinsecus cordis promptuarium demonstratur, dum nobis sensus intrinsecus constitutos distinctionis suæ ministerio proferunt. Hæc ergo, inquam, diabolus in eo reservat, ut blasphemiam prolatam ejus ore cognoscat; sed audiat Scripturam dicentem : *In omnibus his non peccavit Job labiis suis :* » hæc ille. Vide Satanæ perfidiam, qui ruinarum instrumenta reliquit intacta, et labia non cruciat, ut posset Jobum vincere; ac si magis a nudis labiis speraret victoriam quam a reliquis delinquendi instrumentis. Sed nos dum dæmonis astutias ejusque fraudes audimus, Jobi virtutem imitemur, qui lingua hostem vicit, a lingua victoriam sibi promittentem : vide hæc fusius *supr.* cap. I, 22, et cap. II, 10. Septuaginta legunt, ἐν δέρματί μου ἐσάπησαν αἱ σάρκες μου, τὰ δὲ ὀστᾶ μου ἐν ὀδοῦσιν ἔχεται, *in cute mea computruerunt carnes meæ, et ossa mea in dentibus hærent*; quæ forma dicendi hæc? « Ossa in dentibus hærent, » id est, firmitas et fortitudo mea, ut exponit S. Augustinus, in verbis est : scilicet fractus corpore; viribus tamen orationis armatus erat Job. Ubi notandum, quod loco *labia* Septuaginta dicant *ossa*, ut intelligas orationem conferre fortitudinem.

Cur Jobi labia Satan pepercerit.

Vers. 20.

Job labiis non est Deo offensam, sed laudem usus est.

Labia robur in oratione.

Allegorice S. Bernardus *De Pass.* cap. II, locum hunc de Christo in cruce pendente exponens per *labia* intelligit *mulieres*, quæ discipulis fugientibus Christo patienti solæ adhæserunt; sed ne fors aliquis in mulierum notam hoc nomen accipiat, ut *labia* dicantur (quia fere hic sexus in sermonem effusior, et nimia garrulitate notabilis est) placet ipsa B. Bernardi verba in laudem illius sexus innectere, qui in hunc modum rem versat ad nostram mentem : « *Et de gentilus non est vir mecum*, tanquam intelligendum sit solas mulieres cum illo remansisse : viris enim fortioris naturæ fugientibus præ timore non fugit muliebris infirmitas; quæ etiam bajulantem sibi crucem et in cruce morientem non dereliquerunt; sicut in persona Christi conquerentis loquitur B. Job : *Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* Per *labia* quippe, quæ cæteris sunt membris molliora, muliebris sexus mollis et infirmus, qui solis Christo discipulis fugientibus adhæsit, figuratur. » Suam hic sexus laudem meretur, quod Christo adhæserit, nullaque eum adstantium feritas denectere a Christo suo potuerit; quid et nunc quoque magis fere quam viri mulieres patienti Christo compatiuntur, et mente crucifixo adhærent magis. Felices profecto si pietate ac sanctitate teneritudini illi respondeant, qua in Christi Domini passione volvenda afficiuntur. Porro pellis adhærens ossibus repræsentat eos qui pauperibus indigentibus, nudis, afflictis præsto sunt, eorumque necessitatibus consulunt. Hi enim tanquam blanda pelle fovent ossa, per quæ pauperes et egentes recte significantur : beatus, enim, *Psalm.* XL, 2, qui intelligit super egenum et pauperem : in die mala liberabit eum Dominus. »

Per *labia* mulieres significantur.

Mulierum fortitudo in Christi passione.

Pelli adhærens ossibus designat eos qui pauperes fovent et alunt.

Vers. 21. Job amicorum commiserationem implorat.

21. MISEREMINI MEI, MISEREMINI MEI, SALTEM VOS AMICI MEI, QUIA MANUS DOMINI TETIGIT ME. — Job in extremis angustiis omni prorsus solatio destitutus, in omnem sese versans partem, illud ultimum amicos obtestatur et obsecrat, si quid apud eos valet fidei atque amicitiæ nomen, ut sui tandem miserti aliquam opem aut condolentis animi signum afferrent : est enim non exiguum ægrorum levamentum cum fidem amicorum et erga se benevolentiam agnoscunt, eo præsertim in tempore cum alia omni consolatione nudi, et intimis doloribus afflicti in aliena benignitate conquiescunt. Seneca *Epist.* 78, vere et sapienter illud pronuntiat : « Nihil æque ægrum reficit atque adjuvat quam amicorum affectus; nihil æque exspectationem mortis ac metum surripit. » Quod si de omnibus id amicis et familiaribus dicitur, cujuscumque tandem sint ordinis et conditionis, multo magis in sacris hominibus locum habet, a quibus longe potentiora et diviniora adjumenta feruntur. Itaque fuit in usu veteris Ecclesiæ, quod nunc etiam fit magno animorum bono, ut si quem forte christianum infirmitas corporis lecto affixisset, evocari ad se quamprimum sacerdotem curaret, cujus dictis sapientibusque monitis spem et fiduciam conciperet; cujus precibus et sanctimonia ut clypeo tectus animaretur ad ultimos eos conflictus ineundos, in quibus multi abjecti et victi jacuerunt. Quo in genere D. Augustini excellentem charitatem, et tam illustri pontifice dignam humanitatem, in historiæ monumentis commendatam video : sic enim de illo Possidius in *Vita* ejus cap. XXVII : « Si forte ab ægrotantibus ob hoc peteretur, ut pro eis in præsenti Deum rogaret, eisque manus imponeret, sine mora pergebat. » Non dissimilia de S. Joanne Chrysostomo prodit Metaphrastes in *Vita* ejus.

Amicorum affectus magnum est ægrorum levamentum.

Usus christianorum, ad ægros solandos et visitandos vocandi sacerdotem.

Ad hoc autem pium officium non dubiis divinarum litterarum oraculis omnes invitantur; Sapientis illud clarum est admonitum : « Non te pigeat visitare infirmum : » subdit continuo humanissimi operis emolumentum : « Ex his enim in dilectione firmaberis, » in Græco est, ἐκ γὰρ τούτων τοιούτων ἀγαπηθήσῃ, *ex his enim diligeris*, videlicet Deo et hominibus charus eris. Ubi Sapiens divini erga nos amoris coronidem in eo ponit, quod est « firmari in dilectione, » hoc est habere summum quod in amore divino expeti potest, *q. d.* Tanta benevolentia Deus te complectetur, quanta potest esse maxima. Neque homines quoque non poterunt amore prosequi tuam illam eximiam humanitatem; ἀγαπηθήσῃ, a cœlo et terra *diligeris*. Itaque S. Damascenus lib. II *Paral.* cap. XCIX, cum eos enumerat fructus, qui ab ægris invisendis colligi possunt, sic habet : « Ex hujusmodi visitationibus lucramur lætas spes, divinam benevolentiam, cœlestem fiduciam, » etc. Cum divinam benevolentiam nominat, idem videtur propemodum mihi dicere quod Ecclesiastici auctor « in dilectione firmari; » nisi quod hoc majus quidpiam, ut paulo ante aiebam, significet; nimirum, non communem quamdam et vulgarem Dei benevolentiam, sed magnum, solidum, exaggeratum et duraturum Numinis amorem erga illum qui hoc genere pietatis utetur. Quanquam et locus Sapientis non modo de amore Dei erga nos, ut Græca sonant, sed de nostra quoque dilectione erga Deum po-

Ægrorum visitatio et consolatio in Scripturis commendatur.

Ægrorum visitatio firmat nos in Dei dilectione.

http://www.obrascatolicas.com

test intelligi, si interpretis nostri versionem attendamus; et tunc erit sensus, eum, qui pie ægros inviserit, magnum decus atque ornamentum ad charitatem suam allaturum, quam nobili dilectionis opere sit vehementer confirmaturus. Verum sive hoc sive illo modo capiamus, hoc constat divinarum Scripturarum auctorem Deum nos hoc effato magnifico et potenti invitare voluisse, ut ægris hanc humanitatem prompte et pie tribuamus.

Christi in ægris visitandis sollicitudo et diligentia.

Hanc in rem plane vivum nobis aculeum subjecerunt gloriosissimæ Christi Servatoris actiones, quæ in sacris annalibus exponuntur; in quibus animadvertimus, si quando Solymæam in urbem ingrederetur, illum in primis ad propitiandum orbi Numen in templum ire solitum, deinde a templo recta ad nosocomium : fuit enim Hierosolymis notum valetudinarium, cui nomen Probatica piscina, quæque hebraice, ut ait D. Joannes cap. v, 2, cognominatur *Bethsaida*, vel, ut legit S. Hieronymus, *Bethesda*, quam vocem linguæ sanctæ periti aiunt significare *domum misericordiæ* aut *benignitatis*, ubi videlicet morbo conflictati piorum hominum benignitatem experirentur, et maxime parentis omnium Dei, qui certis temporibus sospitatorem angelum mittebat, ut peritissimum archiatrum ad sanandos ægros. In hunc igitur locum, ut in theatrum communium miseriarum et clementiæ suæ invictæ et interminatæ bonitatis, non dedignatur venire Christus, et benevolentiæ suæ fontes pandere. Qui cum etiam in Simonis domum fuisset ingressus *Matth.* VIII, 15, et socrum illius febrium vi atque æstu jactari cognovisset, non prius gustare voluit aut partem ullam quietis capere, quin eam in thalamo decumbentem vidisset; cui etiam regia beneficentia pristinam valetudinem restituit. Quam cum ejus consuetudinem nossent, atque inauditam humanitatem piæ sorores, quæ Lazarum domi haberent languentem, magna ad illum amoris fiducia dedere litteras in hunc modum scriptas *Joan.* XI, 3 : « Ecce quem amas infirmatur. » Nec dubitabant, quin subito esset advolaturus ad consolationem impertiendam ; distulit tamen venire paucos dies, ut illustrius fieret miraculum, quod jam animo destinaverat ad probandam et testificandam religionem. Atque ut sui animi sensum non modo factis præstantibus atque divinis, sed etiam voce dictisque aperiret, clare et distincte infirmorum visitationem in operibus charitatis posuit, quibus amplissimum in cœlo præmium et corona immortalitatis promissa est : nam cum merita illustrium facinorum exponeret, quæ sublimes evehunt animas ad beatissimæ gloriæ communionem, inter alia sic denuntiat *Matth.* XXV, 36 : « Infirmus fui, et visitastis me : » sic enim fore dicit, ut in decretorio illo magno die illos prædicet, quos nominat *benedictos Patris*, in ævum sempiternum coronandos. Hoc dictum et imperium veluti quoddam continet hujus charitatis suscipiendæ, adeo ut si ultro prætermittatur, paulo post erebi flammas et dæmonum societatem mi-

Bethsaida quid significet.

Ipsemet Christus in ægris invisitur, qui et remunerator est.

netur : et habet dulce invitamentum, quo movendis hominum mentibus nihil esse videatur potentius; ait enim se infirmum esse in agrotis omnibus, seque visitari cum visuntur ægri. Ingens plane et amabile prodigium. Cella ægri migrat in cœlum magni Dei, ubi in ardore inflammato febrium velut in sævo meridie cubet; quo in loco sponsa illum quærebat divina. Et quidem S. Bonaventura proprium Dei domicilium ait esse valetudinarium, in quo læto animi sensu cum ægrotis inveniatur. Hinc Cassiodorus lib. *Divin. instit.* cap. XXVIII, huc opinor intuens ait ea quæ ægrotis parantur fieri cœlestia, quamvis videantur esse terrena. Rationem porro cur istiusmodi humanitatis et commiserationis officium ab amicis exigat subjungit :

Valetudinarium est Dei domicilium.

QUIA MANUS DOMINI TETIGIT ME, — id est, Deus me afflixit et percussit : manum enim Domini trito sermone Hebræi usurpant pro afflictione et plaga vehementiore : ita superius cap. XIII, 21, Job dixit : « Manum tuam longe fac a me, et formido tua non me terreat, » id est, remove severam hanc vindictam, plagam tolle, cesset ulcerum dolor, formido recedat, ut valeam loqui. Sic etiam David lamentatur *Psalm.* XXXI, 4 : « Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua, » *q. d.* Nullum levamen dabas, semper gravius graviusque me flagellabas. Et Isaias ait cap. XIV, 26 : « Hæc est manus extensa super universas gentes, » significans Deum levasse manum ut universis gentibus plagas infligat : nam sequitur *ibid.* vers. 27 : « Dominus enim exercituum decrevit, et quis poterit infirmare? et manus ejus extenta, et quis avertet eam? » flagellum, inquit, vibrat et quatit, quis avertet et extorquebit ei? Eodem sensu plurimis aliis Scripturæ locis manus Domini pro gravissima afflictione accipitur; quamvis interdum, sed rarius, pro singulari favore ponatur, ut cum dicitur I *Esd.* VII, 6 : « Dedit ei rex secundum manum Domini super eum omnem petitionem ejus : » significatur enim favor Dei tantus, ut rex Esdræ nihil negare sustineret. Cæterum notanda hic Jobi licet maxime afflicti eximia sapientia, cunctas afflictiones suas et miserias de manu Domini æquissimo ut par est animo suscipientis : non Chaldæos, non Sabæos, bonorum suorum direptores, neque diabolum ipsum sui corporis percussorem incusat, execratur, aut diris vovet; sed in malis æque ac bonis benignissimi manum Domini agnoscit. Sciebat quippe vir sanctissimus, quod ubi manus divina viris justis vulnera infligit, simul imprimat tolerantiam qua fortiter et patienter flagella sustineantur : ex cujus tolerantiæ testificatione aiebat : « Manus Domini tetigit me; » quo convincit D. Ambrosius summam diaboli stultitiam et cæcitatem : is enim ut certissimum eversionis Jobi instrumentum petebat a Deo cap. II, 5 : « Mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem, tunc videbis quod in faciem benedicat tibi. » Falleris, o pessime, cum putas Jobum everti posse divina manu : non enim manus divina scit evertere suos,

Manus Domini pro gravi afflictione.

Manus Domini interdum pro favore ponitur.

Job in miseriis suis manum Domini agnoscit.

Manus Domini suos per flagella non evertit, sed stabilit.

sed sanare; non scit vulnera infligere, nisi simul præstet tolerantiam et sanitatem. Ipsa D. Ambrosii *in Psalm.* XXXVI, verba audiamus : « Diabolus suo sermone deceptus est : misit enim Deus manum suam, et confirmatus est Job. Cœpit benedicere, qui maledicere credebatur : sanat enim justos, cum tangit manus divina. »

Vulnera a Deo inflicta fortitudinem et tolerantiam præbent.

Hoc est notissimum vulneris a Deo inflicti signum, quod fortiter et toleranter sustineatur; ubi multiplicari vulnera vides, et simul multiplicari in homine tolerantiam, agnosce vulneratoris manum, agnosce Deum vulnerantem : id quod expressum habes in Jacob *Gen.* XXXII, 24, cum enim hic solus maneret : « Ecce vir luctabatur cum eo usque mane : qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit : dixitque ad eum : Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Respondit : Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. » Qualis hic luctator est, in cujus amplexu quo magis Jacob constringitur eo fit valentior; et dum in femore percutitur sic roboratur, ut nullis precibus, nulla vi cogatur dimittere eum, nisi prius benedictione accepta? Jam inde internoscitur clare Deus sub luctatoris specie, cujus vulnera robur imprimunt fidelibus ad gratias et benedictiones obtinendas. Pulchre ad locum istum Lippomanus in *Caten.* : « Nunc, inquit, Deus gravibus tentationibus et multis exercet fidelem corpore et spiritu, quasique hostis ad casum veluti propellere videtur; claudumque nonnunquam ac difficilem reddit ad pietatis opera, sinitque in multis offendere : salva tamen semper fide vincit adversa, a Domino benedictionem assequitur. » Non sunt Dei vulnera quæ maledictiones creent, sed quæ vulneratum roborent, usquedum divinam benedictionem possit obtinere; unde David merito Dominum exorabat *Psalm.* XXXVII, 1 : « Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me : quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam. » Ex eo quod super se divinam manum sentiat vulnerantem, et sagittantem, a furore et ira Domini petit liberari, ut sit manus Domini super eum ita percutiens ut sanet; ita vulnerans, ut salvum faciat. Hæc nimirum castigatio propria est filiorum Dei, quia dum flagellantur manus Domini illos tangit, et benignitas amatoris fidelissimi percutit; quæ non flagellum, sed malagma dicenda est, siquidem dum ferit sanat, et veluti sapiens medicatrix dum vulnus aperit curationem ipsius faciliorem reddit.

Qui in afflictionibus manum Domini agnoscit benedictionem accipit.

Castigatio filiorum Dei propria sit manu Domini.

Hoc, ut opinor, Job patientissimus cogitabat, cum amicos suos invitat ad commiserationem : quia manus Domini tetigerat eum : non dicebat se flagello, sed manu Domini tangi; non virga, sed manu Omnipotentis castigari, ut intelligas viros perfectos non flagello instar servorum, sed instar filiorum manu patris benignissimi percuti : atque adeo cum persecutionem patiuntur, non tam flagellum quam manus Domini eorum tabernaculis appropinquat : quæ cum vitalis sit, et solo tactu sanet atque vivificet, ita electos ferit, ut non ad mortem, sed ad vitam; non ad morbum, sed ad salutem vulneret atque percutiat. Si quis manu chirotheca contecta alterum feriat, chirothecæ nullam rationem habemus, et manui percussionem tribuimus : ita si Dominus sanctos ad bonum ipsorum manu sua ferit sub involucro adversitatis abscondita, non adversitati, sed manui Domini vulnus eorum adscribamus : nec ipsi dicant : Quoniam adversitas vulneravit, aut flagellum appropinquavit; sed : Quoniam manus Domini tetigit nos. Ab hac manu feriri beatius est quam a quavis alia mulceri. Hæc Domini manus persanat vel solo tactu; feriendo non morbum, sed salutem, non mortem adfert, sed vitam.

Vers. 22. Quem manus Domini tangit non debet ab aliis vexari.

22. QUARE PERSEQUIMINI ME SICUT DEUS, ET CARNIBUS MEIS SATURAMINI? — Potens oratio est, *q. d.* Cum ipsa manus Domini me tetigerit, afflixerit, vulneraverit, quid additis vulnus vulneri? An vos Dei majestatem et imperium atque judiciariam potestatem adepti estis? Sane solius Dei proprium est hoc modo homines sive sontes plectere, sive insontes exercere, labores, morbos, dolores, mœrores immittere : cur ergo Dei munus usurpatis, dum me tam immaniter affligitis et insequimini? Profecto satis validum Dei brachium est, ut non egeat vobis adjutoribus ad me castigandum. Vos potius vulneribus deberetis mederi meis et dolorem consolando mitigare : genus quippe crudelitatis est intolerabilis afflictum affligere, et desolatum angustiare, de quo David quoque conquestus est, dum a Deo percussus et a suis hostibus vexatus ait *Psalm.* LXVIII, 28 : « Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt : » nempe hoc afflictis omnibus commune est, ut velint ab aliis clementer accipi, et ægerrime ferant se irritari aut irrideri. Quod autem ait : « Et carnibus meis saturamini, » id est, ita me vexatis et conviciis proscinditis, quasi vobis voluptati sit mea ista miseria, ut videamini meis carnibus saturari et pœnis delectari : est enim catachresis et hyperbole vulgata significans summam crudelitatem.

Magna crudelitatis est afflictum affligere.

Detractores alienis carnibus saturantur.

Tropologice S. Gregorius lib. XIV *Moral.* cap. XXV, versum hunc de detractoribus exponit, ita ut alienis carnibus vesci aut saturari idem sit atque alicui obtrectare : « Quorum, inquit, mens proximorum pœnas esurit, saturari procul dubio alienis carnibus quærit. Sciendum quoque est, quia hi etiam, qui alienæ vitæ detractione pascuntur, alienis procul dubio carnibus saturantur. Unde per Salomonem dicitur *Prov.* XXIII, 20 : *Noli esse in conviviis peccatorum, neque comedas cum eis qui carnes ad vescendum conferunt.* Carnes quippe ad vescendum conferre, est in collocutione derogationis vicissim proximorum vitia dicere, de quorum illic pœna mox subditur : *Quia vacantes potibus et dantes symbolum consumentur, et vestietur pannis dormitatio.* Potibus vacant, qui de op-

http://www.obrascatolicas.com

probrio alienæ vitæ se deebriant. Symbolum vero dare est sicut unusquisque solet pro parte sua ad vescendum, ita in confabulatione detractionis verba conferre. Sed vacantes potibus et dantes symbolum consumentur; quia sicut scriptum est : *Omnis detractor eradicabitur.* Vestietur autem pannis dormitatio, quia despectum et inopem a cunctis bonis operibus mors sua invenit, quem hic ad alienæ vitæ exquirenda crimina detractionis suæ languor occupavit. » Sic ille. Ut autem liquidius appareat, quid in hoc genere vitandum et detestandum sit, sciendum est duos esse modos obtrectationis, quibus in aliis infamandis christiana charitas humanitasque violatur. Alii tecte dissimulanterque detrahunt, et, ut loquitur S. Gregorius Nazianzenus, *ἐν αἰνίγμασι, in ænigmatis;* alii palam et aperte. Illud malitiosius, hoc petulantius et impudentius fieri solet. Illi artificium et industriam quamdam adhibent ad nocendum, et festivitate quadam atque joco malitiam suam condiunt, quemadmodum crocodili priusquam devorent velut ridere et blandiri dicuntur. Præfationem adhibent, ut videantur boni viri, non odio adducti et malevolentia, sed fortuito in eum sermonem incidisse. Laudare se multa quæ ab illo fiunt et dicuntur; probare tamen hoc aut illud nullo modo posse, quod etiam probi et sapientes sint omnino repudiaturi : dolere se plurimum, quod eam plagam imponat nomini suo, quam vix ullis recte factis sanare possit, etc. Rem expressit et more suo egregie illuminavit S. Bernardus serm. 24 *in Cant.*, quo remitto lectorem. Vates pii in arcanis symbolis et deinde S. Patres eamdem malitiam luculentis imaginibus et veluti emblematis adumbrarunt : Justinus quidem martyr in epist. *ad Zenam et Serenum*, ait esse quosdam, qui *ὥσπερ αἱ Βάκχαι διὰ σχήματος εἰρηκοῦ τὰς λόγχας ἐν τοῖς θύρσοις περιφέρουσιν, perinde ut Bacchæ sub schemate et habitu pacifico hastas in tyrsis circumferant*, quas per ludum atque jocum dire et immaniter cruentant. Salomon ut in tabella bono in lumine collocata serpentem horrificum pingit *Eccle.* x, 11, qui a tergo insinuans se tacite et absque sibilo mordet incautum nihil minus cogitantem, et virus infundit : « Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit; » Cassianus e Septuaginta sic vertit, *si momorderit serpens non in sibilo, non est abundantia incantatori*, hoc est, ut exponit idem Cassianus, *succurrere incantator periclitanti periturove non poterit.* Vult declarare Spiritus divinus esse longe operosissimum eos sanare morsus, quos illi occulti dolosique obtrectatores inxerint : nam calumniandi ille modus tam concinno artificio compositus, sermonis quasi melle litus, et boni viri specie coloratus, alte in aures animosque subit aliorum, adeoque insidet, ut evelli vix deinde queat. Itaque Jeremias cap. VIII, 17, eos detractores vocat *serpentes regulos*, nocentissimum videlicet genus quod remediorum prope omnium apparatum pestiferi veneni vi exsuperat : « Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio : » quis enim facile sibi in animum induxerit falsum ab eo dici, qui et amicus esse videatur, et misericordia ac bonitate quadam animi commoveri ad ea quæ dicit enuntianda? Nulla igitur adversum eos morsus incantatio est, nulli Psylli hoc venenum exsugant, nulli Marsi perituram famam et liventem servent.

Duo genera obtrectatorum.

Occulte detrahentium industriæ quales.

Occulta detractio maxime noxia.

Detractores serpentibus comparati.

Sunt et alii tam impotentis et effrenatæ linguæ, ut non modo non absentibus parcant, sed quod impudentis audaciæ est, ne præsentibus quidem, quos sævo dente lacerant. Eorum linguam intemperantem et maledicendi consuetudinem Psalmista in hunc modum expressit *Psalm.* LVI, 5 : « Dentes eorum arma et sagittæ : » apud Symmachum est *δόρατα, lanceæ;* unde S. Hieronymus ita vertit, *dentes eorum lanceæ et sagittæ.* Divino plane consilio armorum duo genera posuit ad vulnus et nocendum accommodata : illud ad præsentes, hoc ad distantes pertinet; lanceis cominus, sagittis eminus ferociunt. Ut lanceis, ita probris et contumelia illos, cum quibus agunt, transverberare solent crudeliterque impetere : sagittas autem in procul positos et absentes mittunt. Uno verbo, omnium hominum nomen atque famam impunita licentia rodunt atque violant, nec discrimen ullum faciunt dignitatis, nec ullius auctoritate moventur : pari in loco sacros ponunt et profanos; imo vero, quod mali dæmonis artificium est, tunc sibi vehementer placent, et urbani sibi videntur, eutrapeli et gratiosi, cum Deo votos, cum multis et magnis religionibus consecratos illuserint fictis fabulis, et mendaciis onerarint. Colligunt avide rumusculos omnes e tonstrinis otiosorum, e circulis impudentium, e triviis ganeonum, e conventiculis hæreticorum, e famosis libellis et perditorum hominum volantibus chartis; tum addunt de suo, interpolant, et consuunt, et malitiæ fœtum coagmentant : in omni loco scenam et theatrum faciunt, ut innocentiam, quam revereri et amare debuissent, impia et crudeli depompatione dedecorent. Itaque vere « dentes eorum lanceæ et sagittæ, » innocentiæ cruore stillantes; in quas utinam non ipsi induant se ad vulnus immedicabilis calamitatis. Vide quæ de detractoribus paulo ante hoc ipso capite ad vers. 18 dicta sunt. Certe in omnibus ærumnis et calamitatibus suis nil virulentis obtrectantium dicteriis ægrius aut molestius B. Job tulit, uti tam graves ejus querimoniæ haud obscure declarant, quas ad posteros etiam promanare desiderat cum sic exclamat :

Publice calumniantium mores et arma.

23 et 24. QUIS MIHI TRIBUAT UT SCRIBANTUR SERMONES MEI? QUIS MIHI DET UT EXARENTUR IN LIBRO, STYLO FERREO, ET PLUMBI LAMINA, VEL CELTE SCULPANTUR IN SILICE? — Sermones hosce suos litterarum monumentis desiderat commendari ad memoriam posteritatis sempiternam; ubi notandum veteres ut ceratis sic

Vers. 23 et 24.

Olim libri ceratis et plumbeis lamnis erant.

etiam plumbeis tabulis res memoratu dignas inscribere, et ex iisdem libros componere consuevisse. Quales etiam tabulas in antiquis sepulcris repertas Neapoli testatur Georgius Fabricius, et ex eo Franciscus Valesius *Sacr. Philos.* cap. XLIX. Multi autem pro *celte* legere voluerunt *certe;* sed vocem *celte* retinent Romana, S. Gregorius, Richardus, Hugo Cardinalis, et plurima M. S. exemplaria. Imo S. Hieronymus epist. 61 *ad Pammach.*, Marianus Victorius ex antiquo quodam epitaphio, et Franciscus Lucas *Notat.* 82 in Biblia, Calepinus et alii *celte* aiunt esse instrumentum sculptorium; quod alii *cælum* vocant a *cælando*, seu sculpendo. Hebraice est לעד *laghad:* quod recentiores et Chaldæus vertunt *in æternum;* S. Augustinus *in testimonium;* quod olim etiam significabat vox *celte*, ut optime scire potuit S. Hieronymus, idque hac allusione, ut videtur, quod hoc instrumento res quasi testimonio æterno consignarentur. Optat ergo S. Job æternam statui memoriam sui hujus agonis, afflictionis, constantiæ et spei, præsertim ejus quam de resurrectione mox subjungit. Et obtinuit profecto quod optavit : nam libro hoc sacro longe certius quam plumbi lamina triumphus ejus consignatus est æternitati, ut ait Chrysostomus et Olympiodorus.

Vox *celte* quid significet.

Jobi verba Scripturis sacris quovis silice durabiliribus insculpta.

Hoc igitur S. Jobi desiderium a Deo ejus cordi immissum, ab ipso Deo impletum est, dum in Scriptura sacra, quæ supra omnes plumbi laminas et durissimas silices perdurabit, hujus sancti viri voluit actiones passionesque conscribi. Ex quo justi discant, si in virtutis actionibus perseveraverint, sua nomina in libro longe amplius duraturo, scilicet post finem mundi per æternitatem in libro vitæ conscribenda; dummodo tamen hic verba Dei in corde semper retineant, et, ut in *Deut.* VI, 9 jubetur, scribant « ea in limine et ostiis domus suæ. » Verba quidem per aera feruntur, et statim ac prolata sunt evanescunt; sensus vero nostri, qui litteris scribuntur, longo temporis spatio perdurant. Adhuc eorum, quæ litteris explicata sunt, quædam in papyro sive membrana scribuntur, quædam lapidibus inciduntur, et in dura materia, quæ facile rumpi aut destrui non possit, exarantur: nec dubium est, quin hæc longissimo tempore perseverent. Postes autem ac limina domus lapidea aut lateritia esse solent; ostia vero liguea vel ferrea : quid ergo erit, mandata Domini in limine et ostiis scribere, nisi in eorum observatione constanter usque ad mortem perdurare? Imo et alia ratione verbis istis perseverantia mandatur: nam limen et ostium est, quo domum ad habitandum intramus, et domo ad vicos et plateas civitatis egredimur; unde ingressum et egressum principium ac finem vitæ nostræ designant. Quid igitur erit verba Dei in limine et ostiis scribere, nisi ab eorum observatione conversionem nostram incipere, et eam usque ad egressum ex hac vita protelare? in quo non pauci taxantur, qui post aliquot vitæ annos religiose transactos virtutis studium remittunt, et leve jugum Dei a se rejiciunt. Sed usque ad finem vitæ perseverandum est, et nequaquam a cruce discedendum, ut Christi imitatores (qui nunquam in animum induxit a cruce descendere) atque ejus milites pronuntiemur.

Quomodo verba Dei in corde habenda et in domus limine scribenda sint.

Certe plurimi sunt peccatores, qui ad extremum usque spiritum in eodem tenore peccatorum perseverant, aut quo magis ad mortem appropinquant ferventius peccant : qui et in lapidibus et in duriori materia peccata sua scribunt, juxta illud quod legimus in Jeremia cap. XVII, 1 : « Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo, et ungue adamantino exaratum super latitudinem cordis eorum, in cornibus ararum eorum. » Ubi unguis adamantinus et cornua ararum lapidearum cor durum designant, quod indelebiliter peccata suscipit, nec punitione castigatum, nec beneficiis affectum a peccato discedit. Sint ergo justi plurimi qui studiosa opera quasi stylo ferreo in ungue adamantino scribant et lapidibus insculpant, ut nullis temporum injuriis deleantur. Sic voluit hic S. Job cap. XXVII, 6 sermones suos, id est innocentiæ et patientiæ opera, in perpetuum scribi; ut sicut ipse justificationem, quam cœpit tenere, nunquam deseruit, ejus memoria nullo tempore ab hominibus deseratur.

Peccatores stylo ferreo scribunt peccata in corde suo.

Scripsit olim Deus legem in lapideis tabulis Judæorum populo, sed Dei digito, non stylo ferreo : sic enim habes in *Exod.* XXXI, 18 : « Dedit Dominus Moysi duas tabulas testimonii lapideas scriptas digito Dei. » Digiti litteras exarantis mentionem audis fieri, non audis fieri instrumenti alicujus ferrei ac chalybei, ut hic a Jobo. Ferro non utitur Deus, non utitur chalybe dum in lapide scribit; quia digitus Dei est, id est Spiritus Sanctus, qui litteras exarat : nescit suavis ille Spiritus ferro uti, nec violentiam adhibere, nec violare aut torquere quod tangit; nescit opus incidere, quod versat et perficit. Disce qui Dei monita, Dei legem in aliorum mentibus sculpis, a ferro, ab omni sævitia et crudelitate abstinere; digito utere, præsta quæ doces : alte aliorum mentibus inscribitur, quod opere prius perficitur quam inscribatur. Exemplo iis præi quos edoces, digito legem in auditorum cordibus exara, ne tibi illud occinatur *Matth.* XXIII, 4 : « Imponunt in humeros hominum onera gravia et importabilia : digito autem suo nolunt ea movere. »

Lex in tabulis lapideis insculpta sine ferro.

Doctores et superiores exemplo prius doceant quam verbo.

25-27. SCIO ENIM QUOD REDEMPTOR MEUS VIVIT, ET IN NOVISSIMO DIE DE TERRA SURRECTURUS SUM : ET RURSUM CIRCUMDABOR PELLE MEA, ET IN CARNE MEA VIDEBO DEUM MEUM : QUEM VISURUS SUM EGO IPSE, ET OCULI MEI CONSPECTURI SUNT, ET NON ALIUS : REPOSITA EST HÆC SPES MEA IN SINU MEO. — De Christo redemptore mundi loquitur, qui pro nobis omnibus moriturus erat, et postea resurrecturus; sed, ut notat D. Hieronymus epist. 51 *ad Pammach.*, necdum mortuus erat Dominus, et athleta Ecclesiæ videbat ab inferis resurgentem : si videbat resurgentem, videbat prius natum et cum hominibus con-

Vers. 25, 26 et 27.

Job de Christo redemptore et resurrectione clarissime vaticinatur.

http://www.obrascatolicas.com

versatum; sed si nondum natus erat, nec nisi post longum tempus nasciturus : Quomodo, inquit, « scio quod Redemptor meus vivit? » vivit quidem quia Deus est semper et ab æterno vivens, vivit etiam ut Deus homo in Dei Patris decreto; vivit item ut redemptor in ejus acceptatione, apud quem ab æterno vivunt ejus merita; vivit ejus sanguis in pretium redemptionis effundendus, qui etiam ante legem scriptam ab orbis initio profuit electis ac si effusus esset. Sed quia, inquit, scio me non visurum illum in carne mortali, spero tamen me in novissimo die resurrecturum, et tunc visurum hisce oculis meis corporeis Deum, non ut Deum, sed ut existentem in carne mea, id est in carne simili carni meæ, quam pro me assumpsit. Hæc Job, ubi urget S. Hieronymus contra Joannem Hierosolymitanum, et S. Gregorius ad hunc locum, pronomina demonstrativa *hic, hæc, hoc*, ut probet idem numero corpus, non aliud aereum, ut volebat Origenes, resurrecturum. Iterum, inquit, hac pelle vestiar, cingar hac cute quam gesto. Quid loqueris patientiæ miraculum? Tantum adamas pellem hanc scabiosis surculis protuberantem, tabo fluentem, situ fœtidam, per cujus dissecta plagarum ora mors loquitur? hanc ipsam resumere sperans exhilaras dolores quibus angeris? imo Septuaginta legunt, ἀναστῆναι τὸ δέρμα μου τὸ ἀνατλᾶν ταῦτα, *ad resuscitandam cutem meam quæ perpetitur hæc*. Quam sapit vir justus! in pelle rubricata mortem ferebat toties inscriptam quot ulceribus fœdam; in hac ipsa se sperat æternandum, quasi ab illo mortis simulacro continuo se renasciturum confidat, et dum stigmata perfricata conspiciat, firmius æternitati credat. Cœli pellem contemnit, aliam nobiliorem materiam recusat; hanc ipsam iterum devicta morte gestare concupiscit, ut ipsemet qui cecidit resurgat, et ex mortali pelle adipiscatur æternam: « Si in aereo, inquit Gregorius lib. XIV *Moral.* cap. XXVIII, vel in alio corpore resurrexero, jam ego non ero qui resurgo : non enim resurrectio dici poterit, ubi non resurgit quod cecidit. » Aptius adhuc in *Caten.* Nicetas : « Docemur hoc loco ecclesiasticum dogma, corpus ipsum, quod impetus et cruciatus excepit, anima comite resuscitandum esse, » quasi nesciat immortalitas inveniri nisi in ipsa corruptionis materia, nec vitæ flos nisi a pulvere mortis evirescere.

Resurrectio fit in eadem pelle qua quis passus.

Hæc Jobi verba male ad metaphoricam resurrectionem detorqueri.

Testimonium hoc de resurrectione corporum adeo illustre, apertum, efficax et Patrum laudibus celebratum est, ut mirum plane sit ab expositore ullo in alium sensum potuisse detorqueri: si enim de metaphorica resurrectione ad statum prosperitatis Jobus loqui maluisset, non erat usque adeo consentaneum scripturam perpetuam in plumbo aut silice expelere, cum ea felicitas paulo post esset successura, quam ipsi, quibuscum verba faciebat, possent intueri atque convinci; neque vero cohærere possunt verba adeo expensa, sententiæque adeo excelsæ ac omnino divinæ cum translata resurrectione ad statum minime cœlestem, sed morti ac laboribus obnoxium. Quid, quod illa Dei visio, dies novissimus, secunda cutis circumductio, illaque tam enucleata sui ipsius assertio, non ferunt textum hunc de alio quam de veræ ac propriæ resurrectionis mysterio sine audaciæ nota exponi? Profecto ut rationem e multis unam leviter attingam, quale dubium esse poterat, an Jobus ipse, non vero alius futurus esset, qui e sterquilinio in urbem ac florentem statum rediret? Porro non foret ad rem ille dicendi modus, qui tamen ad resurrectionem propriam asserendam opportunissimus est : non enim philosophi norunt regressum ejusdem prorsus rei a privatione ad habitum, ut Schola loquitur : quapropter appositissime a Jobo inductus est ille asseverationis modus, quo adstrueret regressum illum divina fide sibi revelatum, quod sane tam diserte et expresse prompsit, ac si ex Christi prædicantis ore, quidquid protulit, accepisset. Mirabile certe vaticinium est, ut evangelica potius expressio quam prædictio prophetica videatur : « Redemptor, inquit, meus vivit, » vita scilicet æterna, quæ omnium decurrentium temporum differentias nihil successionis admittens complectitur, ac proinde et modo me intuetur athletam suum pro palma certantem : ut licet in terra oppugner, nihil jacturæ faciam, vivum adeptus Judicem, qui legitime pugnantem coronet.

IN NOVISSIMO DIE DE TERRA SURRECTURUS SUM. — Non abibit in æternum hæc cœlorum conversio dierumque ac noctium alternatio : fixum est fore diem unam supremam, ubi de causis mortalium agatur, et qui insontes mala pertulerunt in libertatem vindicentur. Fixum est, corpora non semper in tumulis decubitura, sed die illa suprema excitanda, ut merito boni consulam carnis tabem qui ad immortalitatem novissimo die de terra surrecturus sum : merito patienter feram cutis discissionem, qui rursus cute ipsa cum magnifico splendore, ut corpus decet gloriosum, convestiendus sum : neque male mecum agitur, si modo nihil nisi fœtidum, abjectum et mœstum cernam, qui non oculis mentis duntaxat divinitatem, sed hisce oculis corporeis corpus candidissimum atque pulcherrimum Dei ac Redemptoris mei sum aliquando visurus. Hæc communis semper fuit sanctorum exspectatio quam significavit etiam Apostolus dicens *Philip.* III, 20 : « Nostra autem conversatio in cœlis est; unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, » ubi D. Hilarius lib. XXI *De Trinit.* legit, *nostra autem expectatio*, quasi non sit aliud sanctos in cœlis exspectare Salvatorem, quo cœlestes efficiantur, et cujus corporalem pulchritudinem perfectissime imitentur. Recte idem Apostolus *Tit.* II, 12, nos ad sanctitatem exhortatur, ut ad hanc spem avidiores erigamur : « Sobrie, et juste et pie vivamus in

Job certa spe resurrectionis se consolatur et armat.

Sancti secundum Christi adventum vehementer desiderant et exspectant.

hoc sæculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, » quasi nemo sancte vivat, quin hac spe firmiter nitatur. Unde D. Hieronymus ad eum locum : « Qui pie, inquit, in hoc sæculo vivit, juste beatam spem Christique adventum exspectat : sicut enim impietas magni Dei reformidat adventum, ita secura de opere suo et de fide illum pietas præstolatur. Hac una spe de Christo Domino ad mundi finem venturo suas omnes miserias et extremas calamitates sanctissimus patriarcha Job consolabatur dicens : « Reposita est hæc spes in sinu meo. » Scilicet nihil nos charius et certius habere credimus quam quod in sinu tenemus. In sinu ergo Jobus hanc immortalitatis spem repositam tenuit, quia vera certitudine spem resurrectionis avide prægustavit.

Spes resurrectionis est vitæ solatium et arriha beatudinis.

Sed sciscitari lubet, unde hanc spem Jobus conceperit, quam sic amanter in sinu recondit? Opportune Anselmus Laudunensis ad hunc locum : *Scio*, inquit, *quod Redemptor meus vivit*. « Non ait *Conditor*, sed *Redemptor*, eum aperte denuntians, qui postquam omnia creavit, de captivitate passione sua nos redemit. » Scilicet Jobus dum se redemptum Christi Dei passione attentius contemplatur, ex hoc magno beneficio sibi non merenti concesso futuræ resurrectionis donum auspicato sperat. Mitto nunc alias id credendi et sperandi rationes. Eloquenter atque subtiliter Eusebius Emissenus hac super re ita philosophatur hom. 1, ad illud Symboli : *Carnis resurrectionem*, dicens : « Deliberatum ac propositum Deo est, ut facturam subjecti sibi hominis semper in melius pro exercendæ bonitatis suæ virtute promoveat : novum fecit, perditum renovavit, et cui primum imaginem suam dedit, in sæculum seipsum pro eo tradidit : ut cum jam tanta perceperis, per ea quæ agnoscis præstita, discas sperare promissa, et spem rebus nutrias (attentius excipe quæ subdit solerti expensione dignissima) et de consequendis ea quæ jam es consecutus interroges, ac perceptorum experimentum proficiat tibi in testimonium sperandorum; ac si jam attributa beneficia pro retribuendorum fidejussoribus habeas, ac Dei tui præteritam præsentemque bonitatem quasi futurorum teneas cautionem : scilicet qui nihil fuisti sub initiis tuis, exinanita licet sint corporis semina; in nullo tamen cinis vetustus antiquo contradicit artifici : quia materia reparabilis beneficii olim auctoris potentiam recognoscit; et prius beneficium quasi dato pignore ad ulteriora benevolentius excitat. » Jam attributa aut naturæ aut gratiæ beneficia pro retribuendorum fidejussoribus habe : creationis aut redemptionis gratia sit beneficiorum deinceps accipiendorum fidejussor, et erga te exhibitam olim beneficentiam quasi futurorum tene cautionem, et primum beneficium sit opulentus reliquorum obses. Hinc Jobus ex redemptionis etiam dono beatæ denuo resurrectionis prærogativam sperat; indeque erecta spe pie præsumit, quod in consummatione temporis corpus de favillarum suarum semine renascetur : nam quidquid æternitati sub prima origine deputatum est, etsi excessit e vita, non omnino periit in natura; et quod deputatur in specie conspectum, in spe tenetur absconditum : et qui est plasmatus in corpore, ut spiritum quem non habebat aciperet, sine dubio et quem accepit conditionis beneficio nova Conditoris et Redemptoris gratia reddendus est. Ubi expende cum Emisseno, quomodo primum beneficium dicatur *fidejussor* et *cautio* accipiendorum; et simul nota Jobum hanc spem *in sinu* repositam habuisse; quo in loco laborum præmia et mercedes reponuntur, juxta illud Christi Domini *Luc.* VI, 38 : « Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam et superefluentem dabunt in sinum vestrum : » hanc enim spem beatitudinis pro sua beatitudine Jobus reputabat, et dum se sperabat in extremo judicio a Christo Domino coronandum, jam se in hac vita quodammodo coronatum sentiebat.

Priora beneficia pro retribuendorum fidejussoribus sunt.

Justi ita flagrant beatitudinis desiderio ut jam in cœlo se versari putent.

In hunc sensum D. Paulus Christum Dominum in patria videndum tam ardenter et firmiter sperabat, ut jam eum videre et cum illo regnare sibi videretur *Ephes.* II, 4 : « Deus, autem, inquit, qui dives est in misericordia, etc., convivificavit nos Christo, et conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu. » Adhuc in futurum resuscitandus et collocandus in throno gloriæ, jam se ob certitudinem spei suæ resuscitatum et collocatum inter cœlestes cives existimabat : et cum adhuc inter innumeras hujus vitæ miserias versaretur, jam se inter immensas æternæ beatitudinis delicias versari arbitrabatur : quod D. Gregorius lib. XXXI *Moral.* cap. XIX (alias XXIV) eleganter expendens : « Tunc Paulus, inquit, fortasse in carcere versabatur, cum se consedere Christo in cœlestibus testaretur; sed ibi erat, ubi ardentem jam mentem fixerat; non illic, ubi illum necessario pigra adhuc caro retinebat. » Et statim de justis adventum magni Dei firmissime sperantibus : « Sic sciunt, inquit, præsentis vitæ iter carpere, ut per spei certitudinem noverint jam se ad alta pervenisse. » Igitur Christum Dominum in extremo judicio venturum, et servos suos æterna beatitudine donaturum, nemo justorum est qui firmiter non speret; unde Apostolus *Colos.* I, 27, Christum appellat *spem gloriæ* : « Christus, inquit, in nobis spes gloriæ : » quia omnes æterna gloria fruituri Christum Dominum ut suæ gloriæ auctorem donatoremque constantissime et ardentissime exspectant : imo in hac spe gloriæ non minus quam in ipsa gloria exsultant, juxta illud *Rom.* V, 2 : « Per quem gloriamur in spe gloriæ : » quamvis enim spes beatitudinem excludat, quia *Prov.* XIII, 12 « cum differtur affligit animam; » tamen hæc ita animum exhilarat, ut quodammodo beare et gloriosum reddere videatur.

Spes gloriæ quodammodo gloria est.

D. Paulus in hac spe multus, totam rerum universitatem in medium adfert, quam et ait arden-

Tota rerum uni-

http://www.obrascatolicas.com

Veritas secundum Christi adventum exspectat.

tissimo quodam desiderio videndi Christum Dominum ad terras venturum, et sua cuique præmia aut supplicia redditurum, inflammari *Rom.* VIII, 19 : « Exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat, quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis : scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc. » Ubi hujus desiderii seu exspectationis magnitudo tripliciter commendatur, *primo*, quia non dicitur : *Creatura exspectat*; sed *exspectatio creaturæ exspectat*, quasi ipsa creatura non sit aliud quam pura quædam exspectatio, sicut David *Psalm.* XXXVIII, 8 : « Et substantia, inquit, mea apud te est; » ex Hebræo legi potest, *exspectatio mea apud te est*, quasi tota Davidis substantia ex sua exspectatione conflata, seu cum sua exspectatione coincidere videretur. *Secundo*, ex causa finali exspectationis, ut scilicet liberetur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei : quantum enim malum servitus, et quantum bonum libertas, tantum est omnium creaturarum desiderium exeundi a servitute et transeundi ad libertatem, quod in secundo Christi adventu consecuturas se sperant : cum enim omnes fuerint propter hominem, sicut cum homine servo et corruptibili serviunt et corrumpuntur, ita cum homine libero et immortali libertate et immortalitate donabuntur. *Tertio*, ex affectu, quia « ingemiscit et parturit : » sic enim loquitur Apostolus, non quod suspirium aliquod a terra et a cœlo editum audierit ipse, sed ut futurorum bonorum declaret immensitatem, et desiderium quod habet, ut a malis præsentibus liberetur : ita Chrysostomus *Hom.* 14, in hunc locum. Tanta est enim hujus exspectationis efficacitas, ut gemitus et dolores parturientis in omnibus creaturis suscitare videatur non solum ad breve tempus, sed ab initio mundi usque adhuc, et hinc ad extremum judicium duraturos; utiles tamen et jucundos, nam sicut ex dolore partus sequitur gaudium *Joan.* XVI, 21, « quia natus est homo in mundum : » ita ex illa anxietate desiderii felicitas lætitiæ subsequitur, quia veniens iterum in hunc mundum Christus Dominus senescentem renovabit.

Justorum quasi substantia expectatio est.

Mundi renovatio in die ultima.

Hoc utique desiderio insito et innato, quo unaquæque res suum appetit bonum, omnis creatura, etiam insensibilis, Christum Dominum desiderat et præstolatur, ut S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus et alii, quos citant et sequuntur expositores, interpretantur. « Non solum autem illa (addit Apostolus *Rom.* VIII, 23) sed et nos ipsi primitias spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri; » nec immerito, nam si apostoli primævæ in Ecclesia sanctitatis coryphæi aliique insigniores justitiæ cultores majora lucra ex secundo Christi adventu quam cæteræ creaturæ sensus rationisque expertes reportabunt, cur majori illius desiderio non accendentur? unde merito D. Paulus exemplo aliarum creaturarum secundum Christi adventum avidissime exspectantium confundit homines, si qui sunt, parvo ad hunc adventum desiderio excitatos, ut D. Chrysostomus *Hom.* 14, ad hunc locum recte observat : « Vides, inquit, ut auditorem pudefaciat? ne creatura efficiare deterior : si enim creatura hoc facit, multo magis convenit te, qui ratione præditus ornatusque es, hoc ostendere. » Digni plane pudore sunt, qui cæteris creaturis, etiam inanimatis, Christum Dominum appetentibus ac desiderantibus, ipsi non appetunt, non desiderant : imo non pudore tantum, sed etiam supplicio; unde Venerabilis Blosius, auctor illuminatissimus, in *Monil. spirit.* cap. XIII, refert ex *Revel.* S. Brigittæ in altera vita esse quoddam purgatorium, in quo detinentur et torquentur, qui ex hac vita emigrant sine perfecto desiderio videndi Christum ejusque præsentia fruendi. Neque solum exemplo aliarum creaturarum, sed etiam argumento supernaturalium bonorum, quæ in hac vita post primum Christi adventum possidentur, excitari debent homines ad bona supernaturalia, quæ in patria post secundum Christi adventum promittuntur : sic enim excitabantur apostoli « primitias spiritus habentes, » seu ex primitiis spiritus, quas habebant, ut intra seipsos gemerent, et ad cœlestia bona per Christum reducem suscipienda anhelarent. Quod D. Chrysostomus citatus recte expendens : « Quamvis, inquit, saxeus quis sit, quæ data jam sunt ea sufficiunt, ut illum excitent, et a præsentibus abducant, et ad futura velut alis subnixum traducant; duplici quidem de causa, partim quod magna ea sint quæ data sunt, partim quod vel tot tantaque ea primitiæ sint. Si enim primitiæ tales ac tantæ sunt; cogita, ipsa tota res quanta esse debeat : » ita D. Chrysostomus aliquibus verbis paululum immutatis, ut majori cum claritate proponantur. Quisquis igitur tam multis donis supernaturalibus post primum Christi adventum in exsilio fruitur, cur majori desiderio non appetat illos immensos gloriæ cumulos post secundum Christi adventum in patria obtinendos? siquidem bona supernaturalia, quæ in hac vita prælibantur, quanta quanta sint, primitiæ quædam sunt ad illam immensam supernaturalium bonorum ubertatem, quibus beati in patria perfruentur.

Pudeat homines secundum Christi adventum non desiderare.

Spiritualia bona hujus vitæ sunt primitiæ bonorum patriæ.

28. QUARE ERGO NUNC DICITIS : PERSEQUAMUR EUM, ET RADICEM VERBI INVENIAMUS CONTRA EUM ? — Apte nectuntur hæc verba cum præcedentibus, *q. d.* Cum Redemptor et judex mortalium, in quo spem posui, omnia discussurus sit, quomodo in me conspiratis aientes : Infestemus Jobum, et quem criminum minime convincimus, in verbis capiamus? Familiare est infestatoribus insontium verba observare, an quid minus expensum excidat quod illi arripiant, et in accusationis argumentum pervertant : sic impii de pio in *Sap.* II, 17 : « Videamus, inquiunt, si sermones ejus veri sint : » sic *Luc.* XX, 20, sacerdotes et scribæ Jesum « observantes miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, » cujus opera vituperare nequibant. *Radicem* autem *verbi* appellant principium insimulandi e verbo apprehensum, id est fundamentum, subjectum et occasionem insectandi Jobum verbis et rationibus, etiam falsis et calumniosis; non quod amici sic loquerentur in actu signato, sed in exercito, nam de facto sic se gerebant, ac si verbis condixissent re ita facere decrevisse : ita Tirinus et Joannes a Jesu Maria. Repugnat sane viro bono istiusmodi omnis in sermone deceptio et dissimulatio, quam tamen nimium sæpe adhiberi tum communis omnium opinio tum experientia ipsa declarat. Vulgo nominant *curialia* verba, quæ ad omnem benevolentiam et humanitatem composita, et quodam quasi orationis melle et saccharo lita atque delibuta videntur, cum felle amaro cor et pectus liveant; unde fit ut plerique omnes, qui mundo ut imperioso domino serviunt, si quando in cœtum veniunt communemque congressum, timeant insidias mutuas, nec aliis se oculis intueantur nisi ut blandos simulatores, qui fronte et ore officiosissime decipiant, et eventilent pictæ tentoria linguæ. Eam fraudem in aulis principum ut in proprio tabernaculo ponit Ausonius, qui scribens ad Symmachum de aula imperatoris : « In comitatu, inquit, qui frontes hominum operit mentes tegit. » Sed is nævus patet omnino latius, et de plurimis jam dici potest illud Moschi *Idyl.* 1 :

Καὶ φρένες, ἡδὺ λάλημα :
Mala mens, at dulcia verba.

Radix verbi quid.

Verborum deceptio et dissimulatio societati humanæ inimica

Verborum simulatio maxime in aulis frequens.

Adhuc elegantius describit illos coronatus Hebræorum Poeta *Psalm.* LIV, 22 : « Divisi sunt ab ira vultus ejus, et appropinquavit cor illius : » est expressa imago simulationis : Vultus, inquit, disjunctus ab ira, placidus, humanus, gratiosus, amicitiæ notis pictus, ad blanditiam mirifice amœnatus, sed cor ipsum ad malitiam et fraudem accessit; unde S. Hieronymus sic vertit ex Hebræo, *nitidius butyro os ejus; pugnat autem cor illius.* Vultus ergo divisus ab ira, cor in ira, candor in fronte, sepia in corde. Mirum oris et pectoris dissidium naturæ corruptio, gratiæ labes et insigne probrum humanitatis.

Labia dolosa execranda.

David alio loco magna orationis gravitate et heroico sonitu vitium hoc insequitur, et in primis istiusmodi simulationi *labia dolosa* attribuit *Psalm.* XI, 3, quæ Symmachus dicit *lubrica*, hoc est mollia et delicata, quæ ad fictæ humanitatis voculas blandissime et dolosissime accommodantur. Sed in Hebræo est *labia divisionum*, quæ nimirum a corde longissime disjungantur, ut homines intelligamus non veros, nec sinceros, sed duplices et geminos Proteos, quorum intimus animi sensus mirifice a sermone dissentiat; quod ostendunt ea quæ proxime pius Vates adjungit, ita enim habet : « Labia dolosa in corde et corde locuti sunt, » quorum sensum Symmachus illustrat sua versione cum ait, ἐν καρδίᾳ δίλῃ καὶ δίλῃ, *in corde alio atque alio*, hoc est duplici, quales pingit apostolus Jacobus cap. I, 8, « duplices animo; » et quibus Ecclesiasticus ait cap. II, 14 : « Væ duplici corde. » Sunt igitur *labia divisionum*, quæ os a corde animoque dividunt; præterea *divisionum*, quod ipsum cor partiuntur, et ex uno duo faciunt : nam cum sermo sit homini concessus ad arcanos animi sensus patefaciendos, cum pium cor significat et omni imbutum benevolentia, quæ vere tamen non reperiatur, jam cor geminum efficit; alterum fictum et blandiloquentia adumbratum; alterum verum, quod in pectore continetur. Hujusmodi hominem veteres dicebant *simiam facatam*, ascititiis coloribus et ornamentis obductam; item *Mercurium* ἀμφιπρόσωπον, *bifrontem*, qui aliud ante post aliud præ se ferat. Res hæc fœda semper et indigna visa fuit etiam ethnicis, unde Theognis istiusmodi simulatores κιβδήλους, id est *fucatos* sive adulterinos vocat, et monet velis remisque fugiendos : plura de his vide superius ad cap. VI, 18 annotata. Non sine causa igitur tragicus Oseas istiusmodi hominibus ut desperatis lessum hunc canit cap. XIII, 12 : « Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum ejus : » aptissima est pii vatis similitudo : Anima, inquit, vecors interiora cordis animique malitiosi colligat in sarcinam, et adstringit, ne pateant, ne videantur; involucris ea multis obtegit, dissimulat, fœdas et obscœnas cogitationes, improba consilia, proposita rationi et Numini adversa integumentis simulationis et oppanso velamine conatur obtegere. Quid igitur illa fiet? subdit Oseas : « Dolores parturientis venient ei » : illucescet aliquando ille dies, cum illa tecta et studiosissime cooperta in apertam lucem proferentur; uterum fert illa incesta mens, et pariet aliquando, et dolorem parturientis angoremque persentiet, cum non alia erit obstetrix quam Nemesis, et ferro armata Numinis justitia, de qua Job subdit :

Labia dolosa sunt divisionum.

Fucatus ac duplex fugiendus.

29. FUGITE ERGO A FACIE GLADII, QUONIAM ULTOR INIQUITATUM GLADIUS EST : ET SCITOTE ESSE JUDICIUM. — *Gladius* metonymice est supplicium, quod criminatoribus suis frudulentis, qui ipsum in verbo capere sategebant, præcaveri debere Jobus monet; *facies* autem *gladii* hebraica phrasi idem est quod præsentia gladii, id est iræ et vindictæ divinæ, *q. d.* Cessate insultare mihi si non amore Dei aut mei, saltem terrore judicii et ultionis divinæ : licet enim modo impune mihi obloquimini, sed non impune feretis, cum ad judicium evocati cogemini rationem verborum reddere. Ad vitandum certe et aversandum illud maledicentiæ vitium satis est scire, pollens Numen odio plusquam vatiniano illud prosequi, et punitum velle. Clare D. Paulus *Rom.* I, 30, cum describeret conscelleratos, qui stolide et impudenter se in omne maleficium ingurgitant, detractores et subdolos illos impostores vocat θεοστυγεῖς, *Deo odibiles*, a quibus abhorret Deus, vel, ut D. Cy-

Vers. 29.

Gladius pro supplicio vel vindicta.

Detractores et maledici Deo odiosi.

http://www.obrascatolicas.com

prianus vertit, *Deo abhorrentes*. Illius odii plures causæ proferri possunt, ut quod oppugnent charitatem, et Spiritum divinum contristent : quod legi Dei malitiose derogent : Qui enim detrahit fratri detrahit legi, inquit D. Jacobus *Epist.* IV, 11, quod invidiæ injustitiæque sint patroni et inhumanitatis opifices : quæ vitia maxime Numinis bonitati repugnant, quod in eos linguam exacuant, et singulari malevolentia insequantur, quos ille ob pios mores sanctimoniamque diligit, et sinu fovet, et præsidio suo dignatur. Plato sane illud gravissime in *Minoe* : « Indignatur, inquit, Deus, cum quis eum vituperaverit qui sibi sit similis, » videlicet hominem probum : forte legerat illud Dei oraculum *Exod.* XXII, 28 : « Diis non detrahes, » quo Deus mentem in hac re suam voluntatemque significat; sive per *deos* intelligat sacerdotes, sive reges et præsides aliorum, sive judices, sive pios et religioni devotos, uno verbo, Dei amicos, Numini charos, cœlum intuentes, et beatam felicitatem.

Graves maledici. Itaque solet atrocibus pœnis illud scelus ulcisci, et etiam hic interdum funesta morte expiare, ut omnium temporum historiæ declarant. Unum adferam exemplum. Donatus quidam Afer natione, et presbyter Ecclesiæ Mediolanensis, cum in frequenti convivio positus memoriæ D. Ambrosii detraheret, aspernantibus omnibus et nequitiam linguæ mirantibus, vulnere gravi derepente perculsus, alienis manibus in lectum primum, deinde etiam ad sepulcrum ductus est, non sine omnium metu et admiratione. Quod idem contigisse Maurano episcopo Bolitano Paulinus in *Vita S. Ambrosii* memorat. Multo sane graviores post hanc vitam pœnas dabunt, qui hic piis hominibus maledixerint : nam in primis S. Paulus gravissime pronuntiat I *Corinth.* VI, 10, maledicos regnum Dei non possessuros : sanctus vero Joannes *Apoc.* XX, 15, ait mittendos in stagnum ignis. O severitatem punientis Dei et deplorandam hominum calamitatem! In hoc stagno fluctuantis et undantis ignis conscelerati detractores, maledici, audaces et infandi, cœlo exclusi, ut ranæ informes, ut monstrosi pisces, ut marini dracones, squamis hirti, ore fœdi, et edentuli natabunt, et in tempus sempiternum cruciabuntur.

Eorum ultiones.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sophar verbis Jobi commotus, correptionem quidem ipsius se dicit auditurum, sed sententiam deinde suam prolaturum. Ex eo igitur quod solent impii justo Dei judicio gravissime puniri, et fortunis omnibus everti, idque Jobo jam contigerat, concludit Sophar, sed male, Jobum impium fuisse, et suis sceleribus eas sibi pœnas accersivisse.

1. Respondens autem Sophar Naamathites, dixit : 2. Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi, et mens in diversa rapitur. 3. Doctrinam, qua me arguis, audiam, et spiritus intelligentiæ meæ respondebit mihi. 4. Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram, 5. quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti. 6. Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit : 7. quasi sterquilinium in fine perdetur : et qui eum viderant, dicent : Ubi est? 8. Velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna. 9. Oculus, qui eum viderat, non videbit, neque ultra intuebitur eum locus suus. 10. Filii ejus atterentur egestate, et manus illius reddent ei dolorem suum. 11. Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, et cum eo in pulvere dormient. 12. Cum enim dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua. 13. Parcet illi, et non derelinquet illud, et celabit in gutture suo. 14. Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. 15. Divitias, quas devoravit, evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus. 16. Caput aspidum suget, et occidet eum lingua viperæ. 17. (Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis, et butyri.) 18. Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur : juxta multitudinem adinventionum suarum, sic et sustinebit. 19. Quoniam confringens nudavit pauperes : domum rapuit, et non ædificavit eam. 20. Nec est satiatus venter ejus : et cum habuerit quæ concupierat, possidere non poterit. 21. Non remansit de cibo ejus, et propterea nihil permanebit de bonis ejus. 22. Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, et omnis dolor irruet super eum. 23. Utinam

impleatur venter ejus, ut emittat in eum iram furoris sui, et pluat super illum bellum suum. 24. Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum. 25. Eductus, et egrediens de vagina sua, et fulgurans in amaritudine sua : vadent et venient super eum horribiles. 26. Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus : devorabit eum ignis, qui non succenditur, affligetur relictus in tabernaculo suo. 27. Revelabunt cœli iniquitatem ejus, et terra consurget adversus eum. 28. Apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Dei. 29. Hæc est pars hominis impii a Deo, et hæreditas verborum ejus a Domino.

Vers. 1 et 2. 1 et 2. RESPONDENS AUTEM SOPHAR NAAMATHITES DIXIT : IDCIRCO COGITATIONES MEÆ VARIÆ SUCCEDUNT SIBI, ET MENS IN DIVERSA RAPITUR. — Septuaginta vertunt, Ὑπολαβὼν δὲ Σωφὰρ ὁ Μιναῖος λέγει · Οὐκ οὕτως ὑπέλαμβανον ἀντερεῖν σε ταῦτα, καὶ σύγκρισιν μᾶλλον ἢ καὶ ἐγὼ, *excipiens autem Sophar Minæus dixit : Non sic putabam contradicere te his, et non intelligitis magis quam et ego;* quibus verbis Sophar Jobum arguere videtur impudentiæ, tanquam manifestæ repugnet veritati; aut saltem notare stupiditatis, quod rationes adeo claras a se et sociis allatas non intelligat. In Hebræo ad verbum hæc ita sonant, *propterea cogitationes meæ reducunt me, et quidem ob accelerare meum in me;* vel ut alii, *ob festinationem meam in me;* quidam, *propter hoc festinatio mea in me est,* quod eodem redit; ut videlicet Sophar significet se ideo Jobi sermonem interrumpere, ne in tam longo ejus discursu sibi excidant ea ad quæ respondendum erat : quapropter voluit accelerare responsum. Quia vero Jobus in fine capitis præcedentis horribilia quædam quasi minitando ingesserat de divino judicio, et de ultore gladio, commotus est graviter Sophar, et curarum æstu in alias atque alias cogitationes impulsus : aderant quippe plurimæ perturbationum causæ, primum indignatio, quod Jobus in illos tam esset libere locutus, et illorum exprobrasset captiosum animum et inclementem; et qui sibi ambitioso spiritu consilium et intelligentiam arrogarent; deinde timor, ne verum esset quod in extremo capite dixerat, cum judicium esse prædiceret et gladium ultorem, qui supplicium exigit a sontibus, quales ipsi tametsi obscurius indicabantur a Jobo. Hic timor nonnihil conscium commovebat animum, et in tristes trahebat cogitationes, quia et sapientem antea cognoverat Jobum, neque propter morum innocentiam indignum, quem Deus altioribus disciplinis imbueret, et ipse hominis habitus, aut cum sileret, paulo antequam verba loqueretur prophetica, et divino illustraretur oraculo; aut ipso verborum sono et nova forma dicendi aliquid portendebat illum accepisse divinitus. Sed illud quoque cogitare potuit Sophar, hæc verba potius esse somniantis aut delirantis hominis, quam ejus quem spiritus afflavisset divinus : quare variæ illius mentem versabant cogitationes, quæ sibi vicissim succedebant, et aliæ ab aliis vicissim pellebantur, dubitabat enim an fides habenda esset verbis hominis, in quo mens et judicium parum viderentur habere constantiæ, et huc inclinabat animus. Deinde succedebat alia cogitatio, quæ non indignum putabat Jobum, cui in re tam gravi fides haberetur; et ab hac aut pellebatur aut nutabat superior cogitatio. Cæterum quid in hoc cogitationum æstu statuerit, ipse sequenti versu edisserit :

Sophar Jobi verbis commotus varie fluctuat.

Vers. 3. 3. DOCTRINAM QUA ME ARGUIS AUDIAM; ET SPIRITUS INTELLIGENTIÆ MEÆ RESPONDEBIT MIHI; — in Hebræo est, *castigationem ignominiæ meæ audio,* id est castigationem meam ignominiosam, sive ignominiæ plenam, et cum probro ac dedecore meo conjunctam : audiverat quippe probra (ut ipse quidem interpretabatur) quæ Jobus in socios ejus dixerat, quæ sibi attribuit propter societatem. *Et spiritus ab intelligentia mea respondebit mihi,* id est, mens, animus, cogitatio, intellectus subministrabit mihi abunde quod ad objecta respondeam. Post longam itaque dubitationem, et consultationem item longam secum aut etiam fortasse cum aliis ejusdem spiritus atque consilii sociis, tandem statuit Sophar verborum seu vaticinii Jobi nullam habendam esse rationem, neque deserendam intelligentiam, quam domo secum attulerat, et adhuc animo retinebat; atque ideo affirmat auditurum se quid Jobus aut dicat aut velit; dubiorum tamen solutionem et lucem sumendam esse non ab eo quod docuisset Jobus, sed ab eo quod sua sibi mens et intelligentia suggereret, quasi illud quidquid esset a meliori judicio foret, et a majori sapientia profectum. Quare disputationem orditur non ab ea doctrina quam proxime acceperat a Jobo, sed ab illa quam in Idumæorum scholis ante didicerat; et quam a majoribus haustam confirmarat dæmon, quia ea ad desperationem et blasphemiam facilius putabat adactum iri Jobum : ita Sanctius.

Sophar tantum sapit in sensu suo.

Vers. 4 et 5. 4 et 5. HOC SCIO A PRINCIPIO, EX QUO POSITUS EST HOMO SUPER TERRAM, QUOD LAUS IMPIORUM BREVIS SIT, ET GAUDIUM HYPOCRITÆ AD INSTAR PUNCTI. — Iterat hic Sophar communem sibi cum amicis sententiam; nempe impiorum in hac vita certissimam ruinam, neque illorum felicitatem et gaudium esse diuturna. *Laudem* impiorum appellat statum florentem, honoribus et opibus ornatum, a quo laus mortalium multa petitur; *hypocritam* vero hominem vocat impium, qui impietatem celat, seseque apparentis Dei cultus imagine convestit, quod ad Jobum dirigi videtur, quasi pietatem ingeniose simulasset, Deusque animum impium acerbo supplicio prodidisset. Quod ad ipsam at-

Laus sumitur prostatu florenti.

http://www.obrascatolicas.com

tinet sententiam, a qua Sophar suæ locutionis sumpsit initium, B. Gregorius notat illam quidem in se spectatam esse veram, sed minus bene B. Jobo applicari; eam Septuaginta sic vertunt, εὐφροσύνη δὲ ἀσεβῶν πτῶμα ἐξαίσιον· χαρμονὴ δὲ παρανόμων ἀπώλεια, *lætitia autem impiorum ruina insignis; gaudium vero iniquorum est perditio*; ubi lætiam impiorum non solum in causali sensu, sed etiam quodammodo in formali aut certe identico, ut loquuntur philosophi, videntur ruinam ingentem appellare, et gaudium iniquorum perditionem, quasi non sit aliud *lætari* impios quam *ruere*, gaudere quam perdi. Ex quo loco D. Chrysostomus citatus in *Caten. Græc.* sic argumentatur: « Si, inquit, eorum lætitia ingens est ruina, et gaudium perditio; quid dicemus esse ipsum interitum? dic, amabo te, quid dolorem? quid animi ægritudinem? » Itaque *laus impiorum* significat lætitiam, exsultationem, gloriationem, qua sibi in bonis suis complacent. Iiæc sane brevis est, ut quæ nunquam nisi per momentum possidetur: non enim possidetur nisi tempore præsenti; tempus autem præsens unico duntaxat instanti subsistit. Unde pulchre S. Gregorius lib. XV *Moral.* cap. II: « Dicturus, inquit, brevitatem vitæ præsentis, cordis oculum ad exordium reduxit originis, ut ex anteactis colligat, quam nulla sunt quæ videntur aliqua esse dum sunt: si enim ab ipso humani generis exordio usque ad hoc tempus, in quo sumus, mentis oculos ducimus, omne quod finiri potuit quam breve fuerit videmus. Ponamus enim quemlibet hominem a primo die mundi conditum usque ad hodiernum diem vitam ducere; hodie tamen eamdem vitam, quam quasi longam ducere videbatur, finire: ecce finis adest, præterita jam nulla sunt, quia cuncta transierunt. Futurum in hoc mundo nihil est, quia nullum ad vitam vel brevissimum restat momentum. Ubi est ergo longum tempus, quod inter initium finemque deprehensum ita consumitur, ac si nec breve unquam fuisset? Impii itaque quia præsentem vitam diligunt, in ea procul dubio elati percipere laudem quærunt, linguæ favoribus extolluntur, nec esse boni, sed dici appetunt: quam videlicet laudem longam esse existimant dum assequuntur; sed brevem intelligunt fuisse dum amittunt. In fine quippe eis ostenditur, quam nihil fuerit quod amaverunt. » Unde sequitur:

Lætitia impiorum ruina.

Brevitas humanæ vitæ ostenditur dum finitur.

Gaudium hypocritæ ad instar puncti.

ET GAUDIUM HYPOCRITÆ AD INSTAR PUNCTI, — quod non solum intelligendum de brevitate, sed etiam de continuatione laborum: nam sicut partes lineæ copulantur puncto, et per illud continuantur, sic labores, et si gaudii punctum intercedit, per ipsum continuantur, ut punctum gaudii prope nil aliud sit quam accessio sive laborum advocatio. Vox hebræa hoc loco posita eadem est quæ apud Jeremiam cap. IV, 20, *repente*, et cap. XVIII, 9, *subito*, q. d. Gaudium mundi, quo hypocrita exsultat, subito exstinguitur et evanescit, quasi scintilla, quæ hoc ipso quo succensa splendorem emittit, exstinguitur et absumitur. Quod et impii ipsi libere confitentur apud Sapientem *Sap.* V, 13: « Nos nati continuo desivimus esse: » *continuo*, nulla intercedente mora, ad instar puncti, quasi non majorem durationem contraxerit gaudium quam efformatio puncti in continuo. Punctum, ut aiunt mathematici, est indivisibile quid, cujus si aliquid adimere velis, totum adimes: tale igitur est gaudium peccatoris velut punctum, facili enim negotio, si aliquid ex his in quibus fundatur ademeris, totum perdes, v. g. Gaudet superbus honore suo, si honoris punctum adimis, totum ejus honorem destrues. Quod facile in Aman principe videre licet, qui maximo honore in regis curia gaudebat, quem cum omnes adorarent, solus Mardochæus vir alienigena, imo et captivus, eum noluit adorare: quamobrem tanto dolore affectus fuit magnus ille princeps, ut dixerit *Esther.* V, 13: « Cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Judæum sedentem ante fores regias. » Ecce quomodo miser affligatur, quod non pro voto suo, idque a captivo, honoretur: quam parva injuria, imo nec revera injuria, sed injuriæ tantum imaginatio, tam eximiam gloriam et gaudium ex illa procedens interturbavit! Vere gaudium hypocritæ est ad instar puncti, quantumvis enim magnus fuerit honor mundi, in puncto tamen consistit, et in puncto vanescit. Similiter pulchritudo, quæ a feminis præcipue in magnis æstimatur, et gaudium in ea fundatum, in puncto consistit; tolle ex ultima parte nasi mulieris pulchrioris punctum pelliculæ, et peribit ejus pulchritudo: gaudium enim hypocritæ ad instar puncti. Idem etiam dicendum est de principum favore, qui in puncto consistit: unicum verbum principis seu regis, quod minus favorabile videatur, solet interdum occasio mortis esse his qui apud regem magis auctoritate pollebant, quia gaudium hypocritæ ad instar puncti.

Punctum honoris, pulchritudinis et favoris.

Pulchre D. Bonaventura in *Soliloq.* cap. II, locum hunc illustrans ait: « Hypocrita est hic mundus, cujus gaudium est ad instar puncti; quod nec longum, nec latum, nec altum est, nec profundum: » non *longum*, quia fere nullam habet durationem, et vix esse incipit, cum jam desinit; non *latum*, quia non vere dilatat cor, sed multis amaritudinibus et perturbationibus est permixtum; non *altum*, quia non est de cœlestibus et divinis, sed de terrenis ac abjectis rebus; non *profundum*, quia nullas habet intus radices, sed totum fere est exterius. Unde celeriter evanescit, nam, ut ait D. Augustinus *in Joan.*, « lætitia sæculi vanitas est, quæ cum magno desiderio speratur ut veniat; et cum venerit, teneri non valet; et tandem *Prov.* XIV, 13 *extrema gaudii luctus occupat*: quia *Job.* XXI, 13 *ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt*: » etenim sicut punctum duo extrema terminat, jungit tamen et copulat, sic gau-

Punctum nullam habet dimensionem, ita nec gaudium mundanum.

Puncti est ter-

minare et jungere extrema: gaudium vero mundi jungit vitam cum morte.

dium et felicitas humana duo extrema jungit et adunat, vitæ scilicet ac mortis: solent enim felicitates profanæ vitam terminare et morti initium præbere. Quod magis explicant Septuaginta dum legunt, *lætitia impiorum ruina ingens; gaudium autem iniquorum perditio*: præceps enim ruit in mortem ac perditionem, qui se voluptatibus terræ tradit, quod etiam videtur dixisse Salomon cum ait *Prov.* XIV, 13: « Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat. » Vide igitur quomodo gaudium hypocritæ extrema inter se conjungat, sicut punctum copulare solet extrema lineæ. Finitur enim gaudium, ut inde luctus incœptus deducatur; neque vero exspectatur, ut gaudium finem tandem habeat, aut ad extremum perveniat: quin imo medium gaudium luctus occupat et intercipit. Etenim si consulatur textus hebræus, sic verti poterit, *in risu dolebit cor*, ut sit sensus, dum quis adhuc ridet et lætatur, mox dolet, gemit et tristatur. Certe si gaudia nostra tristitiis comparentur, non aliter quam guttula vini in magnum aquæ dolium injecta calamitatibus pœnisque merguntur.

Vita hæc nostra referta est molestiis et miseriis.

Scite Seneca lib. *De Cons. ad Polyb.* cap. XXIII, miserias vitæ humanæ considerans temperate judicat esse lugendum, ne forte nobis lacrymæ ad omnia quæ occurrunt flenda deficiant: « Lacrymis nostris, inquit, ni ratio finem fecerit, fortuna non faciet. Omnes agedum mortales circumspice. Larga ubique flendi et assidua materia: alium ad quotidianum opus laboriosa egestas vocat; alium ambitio nunquam quieta sollicitat; alius divitias, quas optaverat, metuit, et voto laborat suo; alium sollicitudo, alium labor torquet; alium semper vestibulum obsidens turba: hic habere se dolet liberos, hic perdidisse. Lacrymæ nobis deerunt antequam causæ dolendi. Non vides qualem nobis vitam rerum natura promiserit, quæ primum nascentium hominum fletum esse voluit? Hoc principio edimur; huic omnium sequentium annorum ordo consentit. Sic vitam agimus, ideoque moderate id fieri debet a nobis quod sæpe faciendum est: et respicientes quantum a tergo rerum tristium immineat, si non finire lacrymas, at certe reservare debemus. Nulli parcendum est rei magis quam huic, cujus tam frequens usus est. » Sic ille; omnia igitur doloribus et angoribus plena sunt: divitiis nondum habitis dolor debetur, quia absentes sunt; habitis, quoniam non sine molesta cura servantur; amissis, quoniam quæ diligebamus non sine dolore deseruntur. Honores et dignitates tristitiis et afflictionibus mersa sunt: si præsentia, quia nimiis occupationibus miseram animam obruunt; si absentia, quia mentem superbia distentam, et ejus quod cupiebat vacuam, sine ulla miseratione disrumpunt. Quid de voluptatibus dicam, quæ dum non præsto sunt, desiderio; et dum præsto sunt, fastidio et morsibus conscientiæ discruciant? Vere igitur tot molestiarum comparatione laus, id est exsultatio et lætitia, impiorum brevis, et gaudium momentaneum vocatur, cum tota vita hominis angorum, mœrorum et inquietudinum plena sit, et vix omnis ejus voluptas unius momenti videatur, si cum assidua afflictione conferatur.

6 et 7. SI ASCENDERIT USQUE AD CŒLUM SUPERBIA EJUS, ET CAPUT EJUS NUBES TETIGERIT: QUASI STERQUILINIUM IN FINE PERDETUR: ET QUI EUM VIDERANT DICENT: UBI EST? — Profecto, inquit, tametsi pompa impii ad cœlum usque extollatur, et ita erectus incedat, ut nubes capite attingere videatur, tandem ad sterquilinii sordes abjicietur, neque illum quisquam in priori gloria aut in hominum cœtu deprehendet. Eumdem omnino sensum Poeta regius his verbis expressit *Psalm.* XXXVI, 20: « Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient: » cum quo nectendum illud ejusdem Psalmi *ibid.* vers. 35: « Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani: et transivi, et ecce non erat: et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus. » Ita David momentaneam felicitatem eleganter describit, quasi non longius duret quam transitus ille hominis, qui apparentem gloriam conspicatus paulo ulterius processit; conversusque statim, ut splendorem illum cerneret, nihil prorsus invenit in quod intuitum figeret: Non inveni, inquit, illum in illo statu ac loco, in quo paulo ante ipsum florentem videram: nam paulo post jam nusquam apparuit, ejusque locus mihi contemplanti nusquam occurrit, ut qui dejectus fuerit de illa sua prosperitate. Cæterum *superbiam* pro gloria atque splendore sumi res est nota; quemadmodum etiam id quod magnum est proverbiali figura dici ad cœlum usque ascendere, seu cœlum contingere, non solum apud sacros, sed etiam apud profanos scriptores. Quæ hyperbole poetis maxime usitata est, apud quos passim reperias similes loquendi formas:

Vers. 6 et 7.

Impius in altum elatus ad infimum deprimetur.

Superbia pro gloria et splendore sumitur.

Caput inter nubila condit.

Seneca in *Thyest.* act. V:

Æqualis astris gradior, et cunctos super
Altum superbo vertice attingens polum.

Horatius lib. I *Carm.* od. I:

Quod si me lyricis vatibus inseris,
Sublimi feriam sidera vertice.

Hic autem est mos Dei, quo quis se altius extulerit, profundius illum demergere, quia superbiam exsecratur; unde Isaias ait cap. XXIII, 9: « Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret omnem superbiam gloriæ, et in ignominiam deducet omnes inclytos terræ. » Nos quidem nihil nobis arduum putamus, et cœlum ipsum stultitia petimus; sed ridet conatus, qui omni celsitudine nostra celsior est, Altissimus. Pro *superbia ejus* Septuaginta legunt, αὐτοῦ τὰ δῶρα, *dona ejus*; et pro *caput ejus* habent ἡ θυσία αὐτοῦ, *sacrificium ip-*

Deus superbos dejicit.

http://www.obrascatolicas.com

sius, id est, si ita ejus dona excrevisse videantur, ut ad cœlum usque ascendant, et munera ac sacrificia ejus ita appareant exterius Deo grata, ut nubes penetrare putentur; hæc eadem quæ eum elevant postea depriment, et in sterquilinium dejicient, ut omnes qui eum prius viderant, stupeant casum ejus dicentes : Ubi est ille qui tam excelsus apparebat, ut cœlum contingere videretur?

Hypocrita qui sanctorum meritis videtur cœlo coæquari, in fine quasi sterquilinium perdetur.

Pulchre ad hunc locum S. Gregorius lib. XV *Moral.* cap. III : « Superbia, inquit, hypocritæ usque ad cœlum ascendere dicitur, quando ejus elatio cœlestem vitam agere videtur : cujus etiam caput quasi nubes tangit, quando principalis pars, videlicet intellectus illius, sanctorum præcedentium coæquari meritis creditur; sed quasi sterquilinium in fine perdetur, quia in morte sua cum ad tormenta ducitur, stercoribus vitiorum plenus a malignis spiritibus conculcatur : » sic ille. Hypocrita nimirum sæpenumero in hac vita judicatur ab hominibus habere jejunium Pauli, vigilias Petri, eleemosynas Abrahæ, etc., sed in fine, inquit, « quasi sterquilinium perdetur, » id est, erit exsecrabilis tanquam sterquilinium fœtidum, immundum et abominabile; et qui eum in mundo viderant dicent : « Ubi est? » per contemptum scilicet et admirationem; sicut D. Chrysostomus serm. *Contra Jud. et Gent. de nuptiis*, expendit illud quod Deus dixit *Gen.* III, 9 : *Adam ubi es?* quasi voluerit Deus mentem ejus convertere ad miseriam conspiciendam, ad quam devenerat, et in quam ex ingenti felicitate fuerat dejectus : ita sancti in extremo judicio ad hypocritam dicent : Ubi es? in quam miseriam es deductus? qui jejunabas, orabas, eleemosynas faciebas : ubi es? Per hæc opera ecce quo nos sumus perducti, et tu per eadem ubi es? ubi est jejunium? ubi abstinentia? ubi eleemosynæ? etc.

Hypocrita similis est sterquilinio.

Cæterum hic notanda est optima sterquilinii cum hypocrita comparatio : ut enim sæpe sterquilinium nive cooperitur, sic hypocrita justitiæ candore contegitur, sed adveniente sole liquata nive sterquilinium jam fœtens aperitur; et adveniente sole justitiæ hypocrisis ipsa detegitur.

Vers. 8 et 9.

8 et 9. Velut somnium avolans non invenietur : transiet sicut visio nocturna. Oculus, qui eum viderat, non videbit : neque ultra intuebitur eum locus suus. — Amplificatio est sententiæ præcedentis, qua etiam David usus est in hæc verba

Prosperitas præsentis vitæ somnio comparatur.

Psalm. LXXII, 20 : « Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. » Utraque est appositissima similitudo ad rerum temporalium inanitatem declarandam : somnium enim celerrime evanescit, estque inane, quanquam videatur delectare dormientem, ut apud Lucianum Mycillus cum expergisceretur sensit omnem felicitatem, quam somno conceperat, evanuisse; et sicut apud Isaiam cap. XXIX, 8, « somniat esuriens et comedit : cum autem fuerit expergefactus vacua est anima ejus : et sicut somniat sitiens et bibit, et postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit : » ita quoque de divitibus in alio Psalmo David ait *Psalm.* LXXV, 6 : « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis : » nam præsens eorum vita quædam dormitio est, quia licet vigilent corpore, anima tamen ipsorum dormit. Quo exemplo ostendit, quod sicut pauperes quandoque somniant se multas habere divitias, sed cum evigilant vacuos et egenos se reperiunt : sic etiam illi qui in præsenti vita dormientes se divites putant, cum per mortem evigilaverint, tum nihil se habuisse comperiunt. Recte igitur dicuntur divitiæ post somnum avolare, quia non nisi per somnium possidentur. Pulchre de illis D. Ambrosius lib. *De Nab.* cap. VI : « Hic, inquit, acquiruntur; hic relinquuntur. Somnium igitur loquimur, non patrimonium. » Et D. Chrysostomus hom. 32 *in Joan.* cap. IV : « Quid autem omnino sunt divitiæ? umbra iners, fumus qui cito evanescit, flos fœni, vel etiam viliores. »

Homo in imagine umbratili pertransit.

Eamdem rerum præsentium inanitatem repræsentat altera imaginis vel nocturnæ visionis similitudo, ut quæ visa celeriter evolet ab oculis, et in nihilum tendat. Simili sensu in alio Psalmo David ait *Psalm.* XXXVIII, 7 : « Verumtamen in imagine pertransit homo : » ita vocat imaginariam vitæ pompam et speciem inanissimam auri, argenti, voluptatum et volaticæ gloriæ, quæ veluti visio nocturna et somnium surgentium evanescunt. Multus est cum divinis aliis viris et prophetis Psalmista in hac veritate inculcanda, qui cum multa et illustria in eamdem rem dixisset, et paucis vellet omnia complecti, non potuit exaggerare magnificentius et sublimius quam cum dixit *Psalm.* XXXVIII, 6 : « Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens. » Neminem excipit : « Omnis homo, inquit, vivens; » dum vivit, viget, floret, vel, ut est proprie in Hebræo, נִצָּה *nitsah*, hoc est, dum *stat*, dum firmiter consistit, qui nixus adamantino fundamento videatur, potens et gloriosus, nihil est aliud quam universa vanitas, sive vanitas universitatis : quidquid enim in illo est, robur, sanitas, pulchritudo, opes, dignitas, potentia, totum fragile et momentaneum est : fatuos ignes imitatur aeris ardore expressos in tenui materia; subito lucent, subito emoriuntur.

Porro ille dicendi modus : « Neque ultra intuebitur eum locus suus, » similis est isti cap. VII, 10 : « Nec cognoscet eum amplius locus ejus, » quia scilicet non redibit in eum, et si rediret, non cognoscet, non intuebitur ipsum locus suus, utpote ab alio occupatus; vel per hypallagen, *q. d.* Non intuebitur aut cognoscet ipse locum suum, quia non revertetur; et quamvis reverteretur, immutatum reperiret. Simili sensu in Psalmis dicitur *Psalm.* XXXVI, 11 : « Quæres locum ejus, et non invenies : » item *Psalm.* CII, 16 : « Spiritus pertransibit in illo, et non subsistet, et non cognoscet amplius locum suum; » ad quæ loca vide quid a nobis in *Expos. Patr. Græc. in Psalm.* annotatum sit.

Vers. 10.

Impiorum illii plerumque egestate afferuntur.

10. Filii ejus afferentur egestate, et manus illius reddent ei dolorem suum. — In Hebræo est, *filii ejus placabunt tenues;* quos scilicet eorum pater bonis omnibus spoliaverat, et pauperes effecerat, quod fiet, cum vel ipsi ad pauperiem redacti fuerint, vel cum a judicibus ad restituendum rapta damnati fuerint, vel certe hoc sponte fecerint judicium timentes. « Et manus ejus reddent robur suum, » hoc est opes vi raptas, quas manibus suis diripuerant : has *robur* vocat, quia in opibus robur ac potentia hominis sæcularis consistit. Septuaginta versum hunc transtulerunt, τοὺς υἱοὺς αὐτοῦ ὀλέσαισαν ἄπτενες, αἱ δὲ χεῖρες αὐτοῦ πυρσεύσαισαν δδύνας, *filios ejus disperdant minores, et ipsæ manus ejus succendant dolores* : ipse enim, inquit scholiastes, per suas sibi actiones succendit ignem. S. Augustinus legit, *succendatur doloribus;* Aquila ἐπιστρέψουσιν, *attrahent;* Symmachus ἐπάσουσιν, *inferent*. Significat autem impium, cum e vivis excesserit, nullam ex filiorum felicitate et gloria consolationem accepturum; siquidem illos perpetua insequetur egestas, et ipse operum expendet pœnas, ad quæ impias et sceleratas manus adjecerat, atque ita laboris sui fructu privabitur : ideo enim parentes plerumque congerendis student pecuniis, ut auctos relinquant filios suos opibus, in quorum ipsi splendore splendeant, et in vita amplissimis ornata et illustrata luminibus, ipsi quoque vita functi naturali gloriosi quodammodo perpetuo vivant. Sed impii atque hypocritæ non assequentur quod optabant, quia filios, quorum ipsi serviebant abundantiæ et gloriæ, arctabit et opprimet egestas; et qui magnam putabantur habituri familiam et splendidam domum, illi domo pulsi alienis impendiis ædificata precario vivent, quos ad alienam misericordiam adiget extrema necessitas. Hoc idem impiis non tam precatur quam prædicit David *Psalm.* CVIII, 10 : « Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent, et ejiciantur

Parentes filiorum pœnis non minus torquentur quam propriis.

de habitationibus suis; » est autem filiorum inopia sive dolor maximo parentibus dolori, in quorum corpore non minus acerbe cruciantur quam in suo. Scitu dignum est quod de Polycarpo quodam Siculo refertur, cum magnis cruciatibus adigeretur ad crimen quoddam, de quo accusabatur, confitendum, semper immobilem et inexorabilem negasse; sed cum judex novum tormenti genus machinatus præciperet, ut tamdiu torqueretur ejus filius quousque pater confiteretur; statim patrem, simul ac filius tormentum subiret, totum crimen detexisse : et interrogatum, cur inter filii cruciatus aperuisset quod inter proprios celasset, respondisse, quia ægrius sui filii tormenta quam sua propria sustinebat; cum parentis animus magis esset in filio, quem amabat, quam in proprio corpore quod animabat. Graviter igitur afficientur hypocritæ cum eorum filii male tractabuntur et inopia consumentur.

Hypocritæ opera

Et manus illius reddent ei dolorem suum, — id est, ulciscentur illum mores sui, quia talia patietur damna, qualia aliis inflixit. Pulchre S. Gregorius lib. XV *Moral.* cap. V : « Quid per *manus*, inquit, nisi opera designantur? Manus itaque illius ei dolorem reddent, quia damnationem justam ex iniqua recipiet operatione. Bene autem non *dabunt*, sed *reddent*, dicitur, quia perversæ ejus actiones æternum ei supplicium quasi quoddam debitum solvent : » sic ille. Similiter Nicetas : Manus, inquit, actiones significant : sunt etenim illæ instrumenta agendi. Sicut igitur justo manus suæ reddent gaudium, delectationem et gloriam, illudque adimpletum erit *Isai.* III, 10 : « Dicite justo quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet : » ita manus hypocritæ « reddent dolorem suum, » id est, quem ipsemet manibus suis procuravit, et debitum fecit; unde sequitur *ibid.* vers. 11 : « Væ impio in malum : retributio enim manuum ejus fiet ei. » Quod si quæras, quæ illius manus? quæ opera? nonne jejunia, orationes, eleemosynæ? nonne hujusmodi manus reddent justis ineffabile præmium? ita quidem. Sed isti fuerunt veri herodii et accipitres, qui per pennas talium operum in sublime evolarunt, omnia quæ egerunt in Dei gloriam referentes; ille tamen fuit struthio sublimibus quidem pennis ornatus, sed per quas non terrena transcendit, qui omnia quæ agebat propter terrenam gloriam operabatur.

Manus suæ supplicium reddent.

Vers. 11.

11. Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, et cum eo in pulvere dormient, — id est, vitiis, quibus puer assuevit, vacabit per totam vitam usque ad senium et usque ad mortem. Cur, quæso, non dicit *caro*, sed *ossa ejus?* quia nimirum sicut quæ ossibus insident cum ipsis durescunt ac durant, ita plane vitia juventutis quotidie duriora exsistunt, adeoque inolescunt, ut etiam in senectute solidentur; et quod deterius est, non imminuta, sed plerumque multiplicata. Nam, ut pulchre ad hunc locum S. Gregorius lib. XV *Moral.* cap. V : « Duræ, inquit, in eo pravitatum consuetudines a vitio sumptæ sunt pessimæ inchoationis; unde scriptum est in Proverbiis cap. XXII, 6 : *Adolescens juxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Quæ nimirum ossa cum eo in pulvere dormient, quia eo usque in illo iniquæ consuetudines perdurant, quo hunc ad mortis pulverem pertrahant, » etc. : ita S. Gregorius. Cui non dissimilia habet Clemens Alexandrinus lib. II *Pædag.* cap. X : « Sæpenumero, inquit, viri in malis vitæ institutis educati evaserunt mulieribus magis effeminati, » *q. d.* Illi ipsi qui homines nascuntur sæpenumero ob malam educationem non crescunt in viros, sed senescunt in feminas, natura per malam educationem degenerante. Atque utinam juventutis vitia in senectute sisterent; sed proh dolor! cum peccatore « in pulvere dormient, » hoc est, in sepulcro reponentur : nam cum cætera omnia (ut bene ad hunc locum Titelmannus advertit) post mortem relinquantur, sola opera ab incunabulo usque ad sepulcrum mor-

Juventutis vitia in senectute solidantur.

Mala educatio viros effeminat.

http://www.obrascatolicas.com

tuos consequuntur. Quem Deus olim non movit lapidem, ut ab animis Hebræorum superstitiones Ægyptiacas, quibus innutriti fuerant, aboleret? « et tamen, inquit D. Chrysostomus lib. III *Advers. vitup. vitæ monast.*, illi vitia non effugerunt; sed cum manna cœlesti cibo alerentur, cepas, allia et cætera Ægypti mala præferebant atque requirebant : adeo consuetudo valet, tantumque habet roboris. » Cum olim D. Gregorius Nazianzenus Athenis commoratus vidisset Julianum adhuc juvenem, sed libere et illiberaliter viventem; statim futura ejus scelera non quidem ex divina revelatione, sed ex mala ejus institutione prophetavit : nam orat. 2 *Contra Julian.* : « Me, inquit, morum ipsius inconstantia atque incredibilis quædam mentis emotio vatem efficiebat; » et paulo post commemorans juvenilia ejus vitia subdit : « Hæc ut conspexi, statim prolocutus sum : Quale malum Romanorum terra nutrit? » ac si ex mala juventutis educatione certissimum malæ senectutis vaticinium desumeretur : nam mores in puericia nati plerumque ad senectutem propagantur. Quod D. Hieronymus in epist. 7 *ad Lætam* aptis similitudinibus illustrans pulchre expressit his verbis : « Difficulter eraditur quod rudes anni perbiberunt. Lanarum conchylia quis in pristinum candorem revocat? Recens testa diu et saporem retinet, et odorem quo primum imbuta est. » Quæ verba plane colludunt et cum notissimo carmine Horatii epist. 1 *ad Loll.* :

Perdita Juliani adolescentia ortum fuit perditæ senectæ præsagium.

Corrupti adolescentiæ mores ad senectutem diffundantur.

> Quo semel est imbuta recens servabit odorem
> Testa diu, etc.;

Et cum celebratissimis verbis Quintiliani lib. I *Instit.* : « Natura, inquit, tenacissimi sumus eorum quæ rudibus annis percepimus, ut sapor, quo nova imbuas, durat; nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt; » ac denique cum illa sententia Philonis : *Quod omnis probus sit liber* : « Sicut vasa, inquit, odorem, quo primum fuerint imbuta, referunt, sic juvenum animi, quas primum formas imaginatione conceperint, nunquam aboleri sinunt. » Sed omnium gravissime Salomon a S. Gregorio supra citatus, cujus proverbium in publicas scholas videtur defluxisse, ut ex D. Hieronymo in epist. 7 *ad Lætam* et 12 *ad Gaud.* desumitur : in utraque enim ita habet : « Legi in scholis puer : Ægre reprehendas, quod sinis consuescere, » quasi proverbii veritati publica gymnasia adderent celebritatem. *Proverbii* quoque nomen jure meretur illa quæ vulgi jam sermone celebratur sententia : « Qualis vita, talis et mors : » vel, ut frequentius dici solet : « Sicut vixit, sic et morixit : » rarus quippe invenitur in morte dissimilis sui, prout in vita fuit. Quales vivunt tales moriuntur fere omnes homines; et vitæ gressus mortis egressus similes pene infallibiliter futuros designant; unde David ait *Psalm.* LXXXIX, 8 : « Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, sæculum nostrum in illuminatione vultus tui, » ubi noster et Septuaginta posuerunt *sæculum nostrum*, ponit D. Hieronymus in *Epist.* ad Cypr. *negligentias nostras*; et quinta Editio legit *adolescentiam nostram*. Et miratur S. Hieronymus quod pro erroribus adolescentiæ positum fuerit *sæculum* a Vulgato et Septuaginta. Cur igitur ubi legendum erat de erroribus adolescentiæ, maluit noster legere *sæculum nostrum?* equidem in adolescentia clare ostenditur totum sæculum hominis, totius vitæ nostræ monstratur curriculum : qualis enim fuerit quis in vita, qualis adoleverit, talis invenitur esse vel in ipsius vitæ consummatione. Quo spectans Hugo Cardinalis *in Judic.* cap. I : « Raro, inquit, videmus quempiam bene mori qui male vixerit. Num leonem vidisti aliquando ovina cauda prædítum? Fallitur adolescens, qui ætatis suæ flore confisus effusam sequitur peccandi licentiam. » Plane nullum animal et in cauda et in capite non est sui simile; et pene nullus homo est qui non assimiletur sibi et in morte et in vita. Quod omnino hic insinuatur dum dicitur : « Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, et cum eo in pulvere dormient. » Septuaginta brevius dixerunt, ὀστὰ αὐτοῦ ἐνεπλήσθησαν νεότητος αὐτοῦ, *ossa ejus impleta sunt juventute ejus*, quasi nihil aliud appareat in homine jam moribundo, et in ossa pulveremque redigendo, quam id quod apparuit in eodem juvene et adolescente. Erit homo jam magis cadaver quam corpus, erit ossium congeriei proximus; et illa ipsa mortis moles ossea in affectibus et in cupiditatibus prorsus sibi similis erit prout erat in juventutis flore. Tota illa juventus effrænis occupabit ipsum exitum mortis.

Pravi mores semel imbibiti difficile abolentur.

Qualis vita talis fere mors est.

Raro bene mori tur qui male vixit.

12 et 13. CUM ENIM DULCE FUERIT IN ORE EJUS MALUM, ABSCONDET ILLUD SUB LINGUA SUA. PARCET ILLI, ET NON DERELINQUET ILLUD : ET CELABIT IN GUTTURE SUO. — In Hebræo est, *si dulcescebat in ore ejus malum, abscondebat illud sub lingua sua*, quod Septuaginta transferunt, ἐὰν γλυκανθῇ ἐν στόματι αὐτοῦ κακία, κρύψει αὐτὴν ὑπὸ τὴν γλῶσσαν αὐτοῦ, *si dulcuerit in ore ejus malitia, abscondet eam sub lingua sua*; pro *malitia* in editione Romana est *malignitas* : Cicero *vitiositatem* appellat quam Græci κακίαν vocant. Dicitur autem malitia dulcescere, quando nobis arridere et placere incipit, sumpta tralatione a cibis dulcibus, qui palato grati et accepti sunt : ideo additur *in ore ejus*, nam ibi cibum gustamus; malum autem proprie loquendo non dulcescit in ore. Eleganter vero addit : « Abscondet illud sub lingua sua, » id est occultabit ac teget illud simulando dissimulandoque, aut mentiendo, ut hypocritæ solent, qui volunt videri probi, cum sint improbi, *q. d.* Teget illud sermone ficto et fraudis pleno occultoque : nam quod sub lingua est non ita conspicitur et apparet ut quod supra linguam; ideoque sub lingua dicuntur esse verba tecta et fraudulenta, quibus alios decipimus et fallimus. Vel abscondit illud sub lingua sua, nec dimittit statim in ventrem, ut diutius ejus suavitate perfruatur : loquitur enim de peccatore delectante se in peccato ad modum hominis dulce quidpiam ore versantis, *q. d.* Sicut cum quis comedit dulciaria multum ac diu illa ore suo volvit ac revolvit retinetque, ut suavi illo sapore diutius perfruatur, sic impius peccandi illecebris inescatus in faucibus animæ tenacissime voluptatis malum recondit; nec illud statim deglutiet, nec vorabit, nec evomet, aut abjiciet, sed in ipso gutture velut in repositorio recondet, optans sibi collum gruis cum Philoxeno apud Aristotelem lib. III *Ethic.* cap. XI, et Agellium lib. XIX, cap. II, collum cupiebat longissimum, ut lenta ciborum transmissione diutius gulæ avidissimæ indulgeret nepos prodigiosus.

Vers. 12 et 13.

Improbis dulcescit malum.

Impii voluptatis dulcedine deliniti peccatis inhærent.

Et in quanta suorum scelerum ignoratione versentur peccatores, ut detestanda mala tanquam desideranda bona complectantur : his enim omnibus significatur pertinax et indesinens studium malitiam animo fovendi et insatiabile cacoethes peccandi. Corrupta sine dubio natura in illicitas semper proclivis est voluptates, quarum amor nobiscum prodit et emergit in vita, vixque ullius hominis industria convelli potest : qua de re singulari copia judicioque erudito in lib. *Ethic.* disputat Aristoles, aitque lib. II, cap. III, omnibus hominibus ἐκ νηπίου, *a teneris annis*, a prima pueritia, innutritam esse voluptatem, et ἐγκεχρωσμένον βίῳ, *illitam vitæ humanæ*, quæ illius affectionis velut colore tincta penitusque imbuta esse videatur. Et proinde rem esse maxime arduam atque operosam, tam insitam et inustam animis inclinationem exuere atque deponere : quo facit dictum Heracliti, qui difficilius esse aiebat repugnare voluptati quam iræ : idem ipse Lycæi princeps lib. X *Ethic.* cap. I, cum ratas sententias pronuntiat : « Omnes, inquit, τὰ ἡδέα προαιροῦνται, *potissimum jucunda sequuntur*, aspernanturque et fugiunt ea quæ molestiam adferunt. » Addit paulo post, ut plurimum omnes ῥέπειν πρὸς ἡδονήν, *propendere ad voluptatem* illique servire. Vis autem hujus affectionis maxime in potentibus viris cernitur prisci ævi, qui propter abundantem fortunæ et dominatus sui amplitudinem cum haberent quidlibet in potestate, et prope lumen omne honestatis vitio et scelere inobscuravissent, ad quærendam et fruendam voluptatem magno studio et ardore ferebantur. Hinc tributæ a multis laudes voluptati ut regiæ nutrici vitæ et moderatrici actionum, quam non minus quam bonam deam tantum non aris et religionibus consecraverunt. Illi quidem litant epicurei, qui in ejus velut dominatu et possessione felicitatem collocarunt; et iisdem sacris initiatus Aristippus magnum ex ea Numen effecit.

Omnes natura propensi sunt ad voluptatem.

Sapientiores etiam gentiles damnarunt voluptatem.

Sed multo verius alii quoque inter gentiles saniori mente præditi penitus in seipsos introeuntes, et quotidiana experientia docti, voluptatem infamissimam esse lenam putarunt, quæ plurimum et publicæ et privatæ rei incommodaret; hinc Archytas Tarentinus celebrem illam sententiam protulit, quam inter alios M. Tullius in lib. *De Senect.* aurea sua lingua divine ornatam magno bono legentium commendavit; nullam esse capitaliorem pestem quam voluptatem corporis hominibus a natura datam, cujus voluptatis avidæ libidines temere et effrænate ad potiundum incitarentur. Quid vero academici in hoc genere monuerint prostat in clarissimorum virorum monumentis, quæ cum Cicero pervolutasset, Platonicum illum florem elegit, quo venustior ejus fieret oratio : « divine enim Plato *escam malorum* voluptatem appellat, » quod ea videlicet hominum capiantur ut hamo pisces. Dixit hoc ille in *Timæo*, sed ego animadverti ab eodem in *Philebo* in eam rem poni multa et præclara : nam voluptatis illecebras ait esse γοήτευμα, *maleficæ artis præstigias*, quibus animi fascinentur; et alio in loco docet eamdem nobis exhibere ἐμποδίσματα μυρία, *impedimenta*, moras, difficultates *infinitas*, ne videlicet in præstantium facinorum cursum ingrediamur, quo nos virtus et Deus vocant.

Voluptas esca malorum.

Sed innumera prope sunt ejusmodi viri sapientis oracula, quæ prætermitto, unius Aristotelis satis esse ratus gravissimam auctoritatem, qui notat lib. II *Ethic.* cap. VIII et IX, nos a natura fictos ad voluptatem, et proinde, ut illius verbo utar, εὐκατηφόρους, *pronos maxime* ad intemperantiam esse; ad quam quisque suopte nutu et impulsu labatur. Quid igitur? quam viam ineundam censet, quidve moliendum, ne in perniciem ruamus? in omnibus ait maxime τὸ ἡδὺ, *id quod suave est* ipsamque adeo voluptatem fugiendam. Longe ante de sapientibus Græciæ unus Solon aureum illud dictum pronuntiaverat : ἥδονὴν φεύγε, *voluptatem fuge*, addebatque rationem : « Ipsa enim λύπην τίκτει, *ægritudinem* et acerbum animi sensum *progenerat* : » eamdem ipsam ob causam Seneca Lucilium instruens *Epist.* 27, aiebat magno lui voluptates : « Dimitte, inquit, istas voluptates turbidas magno luendas : non venturæ tantum sed præteritæ nocent. » Hæc est totius philosophiæ vox, et istis monitis exedræ et auditoria personant, quæ divinius tamen excellentiusque a SS. Patribus dicuntur; huc spectat S. Gregorii Nysseni illustre pronuntiatum in serm. *De Resurrect.* : Πᾶσα ἡδονὴ συνειμένον ἔχει τὸν πόνον, *omnis voluptas conjunctum habet dolorem atque molestiam*, ubi mihi alludere videtur ad inventum platonicum, qui triangulum efficiebat ethicum, cujus basis animus foret, latera duo, hinc voluptas, inde dolor, quæ in puncto conjungerentur, sic ut cognata videantur, et ab uno in aliud transitus sit facillimus; sed molestia quidem et amari animi sensus, quem progignit voluptas, multum illius suavitatem exsuperat, ut Basilius Magnus docet *in Psalm.* XXXIII : « Oblectatio, inquit, voluptatis corporeæ πλεῖον τὸ ὀδυνηρὸν ἔχει τοῦ ἡδέος, *plus doloris habet quam jucunditatis.* » Id quod sequenti versu clare significatur cum dicitur :

Fugienda voluptas corporis : cur?

14. PANIS EJUS IN UTERO ILLIUS VERTETUR IN FEL Vers. 14.

http://www.obrascatolicas.com

Peccati deliciæ vertuntur in fel amarissimum.

ASPIDUM INTRINSECUS, — id est deliciæ illæ peccati, quibus ut pane fruebatur, et ut cibo suavissimo delectabatur, vertentur ei in fel, venenum scilicet amarissimum, conscientiæ tormentum, intestinumque exitium, præsens et æternum : fel enim in arcano sermone pœnarum acerbitatem significat, quibus impii et infandis sceleribus cooperti in ævum sempiternum cruciabuntur. Quemadmodum in vatum prædictionibus consimili sententia et fæces calicis, et absinthium, et fel draconum, aliaque hujusmodi amaritudine et acerbitate præcipua reponuntur. Sic minatur apud Jeremiam Deus, cum de miserrima calamitate et funesto exitio loqueretur cap. XXIII, 15 : « Cibabo eos absinthio, et potabo eos felle. » Quin et in sacris

Absinthium et fel sunt symbola amaroris peccati.

oraculis ipsa nequitia vocatur *absinthium*, quod amaritudine sua miserum animum vexet et conficiat. Rex sapiens in *Prov.* V, 4, ait mella esse in ore meretricis ad maleficium titillantis ; « novissima autem illius amara quasi absinthium, » quod ad culpam referendum esse vult Lyranus. Prodit autem Origenes adeo amarum esse absinthium, ut si forte in mel injiciatur, amaritudine sua vincat mellis suavitatem et dulcedinem illam omnem corrumpat. Quod rem nostram mirifice illustrare potest : nam libido voluptatis licet habere aliquid mellis videatur, tamen subito migrat in absinthium, in eam videlicet amaritudinem, qua vix major cogitari ulla potest, quæque omnem delectationis sensum obtundat. Sed in illo Proverbii loco Septuaginta pro absinthio fel habent, quod, uti diximus, est aliud symbolum divinitus excogitatum ad peccati molestiam intelligendam. Sic Moyses *Deuter.* XXXII, 32, flagitium et scelus *fel draconum* appellat, sicut hoc loco Sophar *fel aspidum* vocat ; cur autem fel aspidum vel draconum? perite et maxime apposite ad rem explicandam, nam in quovis animante fel amaritudinem tantam habet, ut a canibus non attingatur, ut auctor est Plinius lib. XI, cap. XXXVII. Qui etiam in felle nigro insaniæ homini causam esse putat ; in dracone autem et aspide non modo fel amarum est, verum etiam cum veneno pestilenti conjunctum, ut vim peccati videamus et expertem esse voluptatis et insaniæ mortisque opificem.

Fel aspidum et draconum venenosum et mortiferum.

Hanc opinor ob causam S. Petrus apostolorum princeps Simonem arguens, pecuniam pro divinis donis scelerata pactione deferentem, inter alia sic monuit *Actor.* VIII, 23 : « In felle amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse, » quod arcanum sublimis theologi dictum exceptum honorifice ab Ecclesia, et a doctis viris qui sacras litteras interpretantur variæ expositum fuit. Mihi videtur voluisse dicere Simonem Magum totum animo et corpore impuratum, amarissimo veluti felle oblitum et contaminatum esse, laqueis mali dæmonis undique obligatum, criminibusque oppressum teneri, nihil habere suavitatis, quam divinus Spiritus solet piis animis infundere ; denique veluti quoddam esse monstrum e draconio

Peccatum instar fellis omnia quæ contingit contaminat infelle compositum et concretum, ut conquisitis magno studio verbis D. Petrus usus videatur ad impuri hominis statum ante oculos subjiciendum. Nec sine ratione *fel* nominavit, ut hominem fanaticum et superbum S. Spiritui inimicum et perduellem effingeret, cujus dona impio mercimonio comparare studuit : nam Spiritus quidem Sanctus columbæ specie pingi et formari solet ; quæ columba felle carens, et tota amabilis et divina est, et sine pretio in naturam omnem benefica. Ille igitur felle amaritudinis plenus gigantum more cum illa bonitate incredibili vecordia pugnavit, quod Apostolus illi voluit objicere. Sed quoniam divinus Amanuensis Lucas græco stylo est usus, alium quemdam sententiæ illius sensum verba suggerunt ; neque enim, si hærere dictioni velimus, dixit : « Video te in felle amaritudinis, sed εἰς χολὴν πικρίας, *in fel acerbitatis*, » qua picturata oratione et sacris veluti emblematis distincta Simoni Mago D. Petrus exitium omni acerbitate horribile sævumque denuntiat, ubi notandus est iste loquendi modus εἰς χολὴν πικρίας, *in fel*, vel *ad fel acerbitatis*, quemadmodum in diris et imprecationibus veteres aiebant Græci εἰς κόρακας, *ad corvos* ; εἰς μακαρίαν, *ad beatam* ; εἰς ὕδωρ, *in profluentem* ; εἰς ὄλεθρον, *in malam rem*. Te, inquit, felli acerbitatis jam devotum prævideo ; Satanæ vinculis irretitus et iniquitate obligatus divino furori objiceris ; abis cum tua pecunia in perditionem ; horrificum et crudele fulmen in tuum caput imminet : fel draconum in sempiternum tempus, et divinæ iracundiæ sævus calix tuæ perditæ et ambitiosæ voluntati a justissimo Deo reservatur.

citque amaritudine.

Eodem ergo sensu Sophar cum perniciem illius adumbrat, qui divinorum judiciorum immemor se in omne genus voluptatis ingurgitavit, et cum illo ex Evangelio *Luc.* XVI, 22, epulone delicatissime et sumptuosissime brevis ævi cursum peregit : « Panis, inquit, ejus vertetur in fel aspidum, » sempiternum per hoc exitium designans. Quo loco in primis peccatum pani confertur ; deinde describitur impius, qui sceleribus suis delectatur, et præ jucunditate, quam sentit, comparatur homini comedenti rem aliquam suavissimam, quam solet antequam deglutiat in ore versare, volvere atque revolvere ; sed tandem peccatum ei vertitur in fel aspidum, id est exitium amarissimum, cum apud inferos sempiternis afficiatur cruciatibus. De eodem pane sermo est Salomoni cum ait *Prov.* XX, 17 : « Suavis est homini panis mendacii : et postea implebitur os ejus calculo, » seu, ut alii vertunt, *arena*, ubi *repleri os calculo* significat id quod initio molle visum verti postea in duritiem, et quod mel primoribus labris in ventriculo fel fieri : nempe mendaces gravissime a Deo, a propria conscientia, a periculis consequentibus cruciari. Quod etiam verum est de omni peccato et illicita usurpatione, juxta illud :

Panis mendacii initio dulcis, sed in fine instar lapidis indurescit et gravat comedentem.

Nocet empta dolore voluptas.

Significatur igitur opes mendaciis et fraudibus quæsitas, quamvis initio gratæ videantur, postea tamen cum possidentur insuaves solere esse et noxias, veluti si panis, quo aliquis vesceretur, permixtos haberet lapillos et arenulas. Id quod potest in universum peccato accommodari, quod admixtos habet lapillos quibus dentes franguntur, vel propter conscientiæ aculeos, vel propter plurimorum malorum, quæ consequi solent, asperitatem ; vel denique quia tandem a Deo apud inferos acerrime punietur.

Vers. 15. 15. DIVITIAS QUAS DEVORAVIT EVOMET, ET DE VENTRE ILLIUS EXTRAHET EAS DEUS. — Eamdem sententiam amplificat, et nova loquendi forma magis explicat dolorem indicens injustæ voluptati ; neque enim hic aliud agit Sophar quam docere, impiorum audaciam et vim injustam non abituram

Divitiæ male partæ male dilabuntur.

impune. Expende vim illius verbi *devoravit*, quo communiter Scripturæ sacræ utuntur ad affectum grandem exprimendum, quo avari rapiunt et concludunt divitias quas acquirunt ; metaphora sumpta a guloso. Videbis hominem gulosum, cujus Deus venter est, qui hinc inde cibos conquirit, et illos devorans, in stomachum magna cum voluptate trajicit ; atque ita illum replet, ut non valens tot tantaque digerere, imo nec sustinere, post brevem dormitionem, cui se tradiderat, expergefactus, torsionibus afflictus, incipit omnia evomere majori cum dolore quam fuerat voluptas in deglutiendo ; et sudans præ anxietate per varias, quas coactus facit, eruptiones, totum quo se ingurgitaverat, et quod ventre concluserat, evomit et eructat. Talis est dives avarus, qui divitiis tanquam Deo affectus nihil magis curæ habet, quam eas congregare, implere saccos, arcas, horrea, cellaria : devorat viduas, pupillos : venit subito insperata mors, cujus angustiis expergefactus et afflictus incipit cum luctu et dolore omnia evomere, quæ cum voluptate congregaverat ; variisque legatis in filios, consanguineos, famulos, ecclesias, xenodochia, quasi quibusdam eruptionibus, omnia evomit, et vacuus omnibus remanet, nihil sibi nisi anxietatem retinens, quod secum ferre possit. Vere ergo divitias, quas devoraverat, evomet : quod cum violentia laboreque et cruciatu pectoris, imo totius corporis ut plurimum contingit : graviusque dolebit prædator, cum se viderit alienis, quæ rapuit, bonis privari, quam doluit pauperculus, quem spoliavit. Quare hunc locum sic interpretatur S. Hieronymus : « Quod inique et violenter rapuit et invasit, merito ei Deus pœnas illatis criminibus ejus reddidit ; et ita extorquebitur ab iniquo quod injuste abstulerit. » Luculentius hoc idem exponit S. Thomas ad eumdem locum : « Divitias quas rapaciter acquisivit cum abominatione perdet, et divino judicio per quamdam violentiam ei auferentur. » Evomet, inquit, divitias tanquam cibum male digestum : « ut enim (adjungit S. Thomas) cibus comestus, si digeri non potest, per vomi-

Raptor rapta violenter perdit.

tum extra ejicitur cum abominatione et dolore : ita quandoque peccatores bona temporalia, quæ in hoc mundo male acquirunt, quasi indigesta divino judicio cum dolore amittunt. » Videas interdum alicujus divitis domum velut regium ærarium et opibus et pretiosa supellectili opulentam paulatim deinde minui, evacuari, et demum exinaniri. Forte aliena bona injuste rapta asservabat.

ET DE VENTRE ILLIUS EXTRAHET EAS DEUS. — Septuaginta vertunt, ἐξ οἰκίας αὐτοῦ, *de domo ejus* : domi enim tanquam in ventriculo reconditæ asservabantur ; est quidem hujusmodi prædonis domus velut stomachus insatiabili quadam voracitate opes alienas deglutiens : verbum enim *devoravit* hebraice בלע *balagh* significat *inexplebiliter vorare*. Philippus intelligit *cor*, quod nimirum affectus et amor in rapinis sit ; et cum aquæ furtivæ dulciores sint, ut male proposuit, sed turpiter experta est adultera illa in *Prov.* IX, 17, plane dulcius amant isti quæ rapuerant, quasi magno suo labore ac periculo comparata : idcirco gravius dolebunt amittere quæ dulciore affectu amabant et possidebant. Quo in sensu præsentem locum ita Philippus interpretatur : « In ventre, id est in corde suo, pro iniquitatibus suis amaros dolores, acerbos et nimios conscientia torquente patietur ; et quod per violentiam rapuit, et cupiditatis studio devoravit, extorquebitur ab iniquo : » sic ille. Adeo contestata hæc veritas est, ut propterea serio et graviter admoneat S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 9 ne ex aliorum egestate opes nostras comparare sustineamus : « Absit, inquit, ut tam longe a divina æquitate recedamus, nec divitias nostras cum aliorum lacrymis misceamus, a quibus tanquam a rubigine et tinea consumentur, aut, ut Scripturæ verbo utar, evomentur : » hæc ille. Præstringit maxime potentium ac divitum tyrannicam impietatem, qui vel diripiunt pauperum bona, vel saltem cum miserorum utantur ministerio, debitam mercedem nequaquam pauperculis reddunt, nec illorum sudoribus indolent, nec precibus inflectuntur, nec lacrymis permoventur. Horum igitur bona luctu miserorum madentia diu non possunt salva et integra permanere : est enim furtum rubigo, est tinea, quæ bona istorum tyrannorum, quibus adhærent, funditus exesa disperdet ; est plane venenum, quo hausto vel qui ebibit emorietur, vel saltem reliqui etiam salubriores cibi simul a stomacho prægravato evomentur. Huc spectat illud prophetæ Habacuc cap. II, 26 : « Vomitus ignominiæ super gloriam, » quia nimirum major pœna in tali vomitu quam voluptas in congregatione ; describit autem cujusdam tyranni divitis divitias sine termino congregantis et concupiscentis miserabilem statum dicens *ibid.* vers. 6 : « Væ ei qui multiplicat sua, usquequo et aggravat contra se densum lutum? » Loquitur Propheta ad litteram de Nabuchodonosor, qui non contentus suis, ad alienas civitates, provincias et divitias rapiendas se con-

Prædonis domus vorax et inexplebilis.

Male acquisita consumuntur.

http://www.obrascatolicas.com

verit; sed hoc etiam de quovis avaro divite dictum patet ex doctrina S. Ambrosii, qui compluribus locis de quovis avaro censet apte dici, quod congreget non sua, ex eo quod dives sit œconomus potius quam dominus divitiarum, ut cui Deus divitias non tam dederit, quam commiserit in pauperes distribuendas. Ideoque multis rationibus ostendit pauperum esse divitias, quas ipse recondit et congregat, et illam sæpe repetit sententiam : « Esurientium panis est, quem tu detines; nudorum indumentum est, quod tu recludis; miserorum redemptio est et absolutio pecunia, quam tu in terram defodis. Tot te ergo scias invadere bona, quot possis præstare quod velis : » ita D. Ambrosius *Serm.* 81; quæ iisdem fere verbis S. Basilius serm. 6 *ad ditesc.* ad finem dixerat; similia quoque docet S. Chrysostomus hom. 34 *ad popul.*

Divites non tam domini quam dispensatores divitiarum sint.

Habacuc igitur supra citatus non sine grandi et occulto mysterio opes nominat *densum lutum*; quod arcanum pii prophetæ belle Remigius in hunc modum illuminat : « Opes sunt densum lutum, quia sinceritatem mentis confundunt, et gravissimo pondere iniquitatis mentem premunt. » Duo grandia notat incommoda, lutum inficit, et quia densum premit, sic opes, quæ fere semper cum peccato conjunctæ, animum commaculant et gravant. Diserte S. Gregorius lib. III *Pastor.* cap. XXI : « Avarum inquit contra se densum lutum aggravare, et terrena lucra cum pondere peccati cumulare; » hinc Chaldæus pro *densum luto* vertit *gravitatem peccatorum*. Pingit ergo divina mentis inflammatione Vates opulentum ut tardam et languidam pecudem, quæ se luto denso et aggesto conspurcet et mole premat, sic ut olida cœlo Deoque sit, et putidam cæcamque mentem nequeat attollere. Cæcant enim vehementer opes, et infuscant lumen rationis; unde Syrus pro denso luto considerate vertit *nubem luti* : haud sane major e luto vili et fimeto vapor exsistit quam ex opibus sordidarum affectionum et scelerum nubes exhalant, quibus involuta mens et oppressa in summa cœlestium rerum caligine et ignoratione versatur. Septuaginta interpretes aliam quamdam imaginem nobis exhibent, et quidem opinione mea luculentam ad eamdem rem intelligendam : hunc enim locum ita vertunt, ἕως τίνος καὶ βαρύνων τὸν χλοῦν αὐτοῦ στιβαρῶς, *usquequo et aggravat torquem suam graviter*? sic ut alludat Propheta ad Babyloniorum consuetudinem, de quibus eodem ipso capite meminerat, qui aureas sibi torques ad majestatem, pompam et honorem solebant imponere : sic avarus sibi opes ut insignes ad prædicationem phaleras moniliaque circumponit. Sed falleris, ait Vates, ore Dei fundens oraculum, quos torques putas aureos lutum sunt, nec tam illis ornaris quam oneraris; licet *monilia* nuncupes, vincula sunt mera, et funesti laquei, quibus cum terra fœdissime indignissimeque ligeris, ut emergere vix queas et propitiando Numini assurgere. Et tamen in effatis prophetarum qui divinæ mentis sunt internuntii, minæ graves iis intentantur, qui in egerendo auro et condendo curam omnem vigiliasque reponunt, et in fœcibus avaritiæ consenescunt : sic enim aperte Sophonias cap. I, 12 : « Visitabo, inquit, super viros defixos in fœcibus suis : » quod *lutum* vocavit Habacuc, hic *fœces* dicit; quæ cum possint omne genus fœdæ voluptatis significare, qua tanquam luto atque fœcibus inquinari et conspurcari homines solent, de sordibus tamen avaritiæ proprie intelliguntur.

Nubem exhalant sordidarum affectionum, quibus animus obfuscatur.

Opes sunt densum lutum, quod animam gravat et manclat.

Opes sunt fœces, quibus avari infiguntur.

Chaldæus vertit, *animadvertam in viros qui summa tranquillitate fruuntur divitiis;* opes igitur vocat *fœces,* in quibus illi miserandi pecuniarum aucupes et appetentes futilium bonorum defixi hærent, et summa, inquit, tranquillitate morantur; quæ tranquillitas non est conscientiæ pax vel honestæ mentis quies, sed ingens animi stupor, quo sensum omnem cœlestium perdiderunt, adeo ut *fœces* delicias reputent, atque in iis defigi pulchrum et beatum opinentur; unde quos noster Interpres dixit *viros defixos*, sacra lingua posuerat קפאים *kopheim*, hoc est *coagulatos*, congelatos, qui velut turpitudini callum obduxerint, atque in vitio et immensa illa cupiditate obdurati, toti prope e quotidianæ malitiæ colluvione concreti sint et coagulati : qui status mihi videtur longe miserrimus, neque enim sic animo affecti vel oculos habent, quibus divina judicia et pestem ante oculos positam contueantur, et aures ad piorum hominum conciones intelligendas, vel percipienda monita quibus in viam revocentur. Æris crepitus et nummorum sonantium dulcedo sapientum ipsiusque Dei vocem obtundit, ut sentiri nequeat, neque lumen honestatis ad mediam illam fœcem tam concretam solidamque potest pertingere. Quid igitur ait Sophonias? « Visitabo super viros defixos in fœcibus suis, » hoc est, puniam, animadvertam, statuam exemplum in eos rebelles lumini, in choicos illos, scarabæos stercoribus involutos, in novos terræ filios, qui spreto Numine cœlum irrident bonaque divina, et incredibili vecordia illi sordes anteponunt; quo in loco etiam Vates haud dubiam eorum hominum calamitatem portendit : « Disperierunt omnes involuti argento : » pulcherrima est imago. Ut puelli delicatuli et regii, quos magnificus et splendidus cultus recreare solet, aureis vulgo et purpureis fasciis involvuntur, quibus gestiunt et efferuntur, et præ illis regna et imperia fastidiunt, sic divitum cor animumque involutum argento facit : in eo se ostentant puerili levitate, et verarum opum despicientia et contemptione insaniunt : illud si tollas, ut puelli plorant, et immani dolore afficiuntur : præ illo nihili faciunt conscientiæ bonæ fructum, decus virtutis, splendorem gratiæ, regnum cœlorum, bonorum omnium fontem Deum. Argento muniti et catapliracti nec vindicem Numinis manum reverentur, nec insolentem fortunæ ludum et commutationem timent, non dæmonum imminentem crudelitatem, non erebum, non mortem reformidant.

Miser et detestandus avarorum status

Divine hoc Salomon expressit in *Prov.* XVIII, 11 : « Substantia divitis urbs roboris ejus, et quasi murus validus circumdans eum. » Argenteum murum circumducit opulento, quo superbe glorietur, et se putet divinorum judiciorum tela posse retundere : nullum esse arietem censet tam horribilis calamitatis, qui validum hoc vallum aureasque turres concutiat; sed frustra : « Disperierunt omnes involuti argento; » cor illud omni metallo durius tabefactum est; sæva et inexorabilis mors argenteum murum effodit; aurea illa propugnacula divinæ justitiæ telo conciderunt. Cujus rei memorabile exemplum S. Antonius de Padua, mirificus plane vir, et divinis prodigiis nobilis, hominum oculis exhibuit; qui cum mortuum nescio quem, bonis quidem multis abundantem, sed avaritia notatum, funebri oratione prosequeretur; diviniori quodam afflatu et luce Numinis atque ardore instinctus : « Verum quid dicam, inquit, de corde atque intimo animo istius hominis, quem imperio Dei obsecuta mors vitæ et mundo abstulit? Si Veritas, si Dei Filius clarissime asseruit, ubi noster sit thesaurus, ibi cor nostrum esse oportere, abite amici, et in thesauro, quem amplissimum reliquit, auro argentoque refertum et maxime opulentum, quid rei tandem sit investigate. » Ivere continuo ut vir sanctus monuerat, et inter nummos cor defuncti repererunt. Hic lubet exclamare et stupere : « Disperierunt omnes involuti argento. » Ille infelix nummis involutus, qui impotenti cupiditate opes sitierat, qui cor et mentem in thesauris suis infoderat, qui lumina divertebat sua, ne justitiæ Solem videret impietatem et duritiem animi coarguentem, ita excors fuit et dementatus, ut etiam moriens cor suum mammonæ dicaret, quod eo novo et inaudito prodigio declarare Deus et generi humano inculcare voluit.

Cujusdam divitis defuncti cor post mortem in arca auri et argenti repertum.

Enimvero dicet aliquis : Luculentæ illæ opes saltem restant, nec pereunt, decori familiæ, hæredibus autem et ornamento et commodo futuræ, qui fructus e divitum opulentia potest videri optabilis. Audiamus eumdem Sophoniam, cujus malo clara sapientia et prompta cœlo oratione quam leviori mea divinatione rem exponere : subdit enim cap. I, 13 : « Et erit fortitudo eorum in direptionem : » hebræa vox חיל *chel*, quam interpres hic *fortitudinem* reddidit, non modo robur atque vires, sed etiam opes significat : itaque Pagninus *substantiam* dixit, et ita vertit in hunc locum, *erit substantia eorum in direptionem*. Quo eodem prope modo longe ante paraphrastes Chaldæus, *erunt divitiæ eorum in spolium*. O metuenda Numinis judicia! ita plane est, sic fit, hoc evenire videmus, ut amplæ illæ et exaggeratæ opes, in quibus stulte et scelerate coacervandis cupidorum eorum cura et vigiliæ consumptæ sunt, brevissimo temporis intervallo pereant et dilapidentur. Aureum illud malitiæ castellum dominos prodit, et admittit latrones furiosos a quibus spolietur. Filius vecors et asotus, et in magnis opibus luxurians, quæ multis annis congesta fuerunt paucis effundit, et fortunam omnem domus evertit. Lites quoque magnam partem exedunt, quæ arcano Dei judicio multæ et graves exoriuntur : ita constat plurimas familias, quæ fundatissimæ videbantur et omnium opinione florentes, subito uno motu concidere, inanes, desertas, spoliatas. Ingeniose belleque Diogenes apud Stobæum *Serm.* 91, divitias *fortunæ vomitum* nuncupabat, quod ubi inanissima cupiditate et labore magno devoratæ fuerunt, sæpe revomantur celerrimeque transeant ad alios; quod Diogene longe in omnem partem sapientior Sophar hoc loco vidit, deque opibus maxime injuria partis ita gravissime loquitur : « Divitias quas devoravit evomet, » etc. Nescio an eo respexerit doctissimus omnium litterarum Sidonius lib. I, *Epist.* 7, de Arvando loquens, qui e florenti et honoratissimo vitæ genere deciderat : quem ait usque ad inimicorum dolorem devenustatum, et « a rebus humanis veluti vomitu fortunæ nauseantis exputum. » Quæ cum ita sint, causa profecto est, cur pii omnes opum appetitionem comprimant, et abhorreant ab hoc luto et fœcibus, quibus animi inficiuntur et premuntur onere peccatorum, non modo in terram, sed usque ad orcum iræ divinæ obnoxii.

Divitis sunt fortunæ vomitus.

Divitum hæredes prodigi.

Divites stulti, qui præ auro virtutes despiciunt.

16. CAPUT ASPIDUM SUGET, ET OCCIDET EUM LINGUA VIPERÆ, — id est, hauriet pessimum et lethale venenum : aspis enim maxime in capite venenum habet et in saliva; vipera vero in lingua, ut S. Gregorius notavit. Venenum autem aspidum duo habet, *primo* dulcissimum est super lac et mel : *secundo* est omnium maxime exitiosum ac lethale, de quo dicitur *Deuter.* XXXII, 33 : « Venenum aspidum insanabile, » quod nullum admittit remedium : estque igneæ ardentisque qualitatis, ideoque hominem succendit, æstuantem reddit, et omnis quietis impatientem. Unde qui caput aspidis sugeret, simul ex una quidem parte summam caperet voluptatem propter dulcedinem quam sentiret; ex alia vero summa inquietudine inflammatus et æstuans interiret propter venenum; *sugere* autem, est dulciter cum delectatione ad se trahere tanquam dulcissimum lac, quomodo dicitur infantulus sugere, cum lac dulcissimum ex ubere extrahit, indeque accommodatur ad ea quæ cum ingenti delectatione sumuntur, ut ad mel, oleum, aquam, quomodo dictum est *Deuter.* XXXII, 13 : « Ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo. » Si puer pro mamilla caput aspidis sugeret magnam quidem caperet voluptatem, tanquam si lac suavissimum inde exprimeret; sed simul magno æstu inflammatus maximam profecto contraheret inquietudinem, ut nec dormire quiete, nec stare sine anxietate posset. Ecce quid avaro accidat : « caput aspidum suget. » Quis explicabit quanta aviditate concurrat ad pecunias

Vers. 16.

Venenum aspidum dulcissimum et maxime lethale.

Avarus avidissi-

http://www.obrascatolicas.com

me capot aspidum sugit.

sugendas, exspolians pauperem, devorans viduam, decipiens simplicem, circumveniens minus astutum? Certe non minori quam infantulus fame et siti vehementissima excitatus ad ubera sugenda; et optime dicitur sugere, siquidem ut puer sugens cum suavitate insensibiliter et sine dolore e mamilla totum lac extrahit: ita avarus verbis blandis, quibus suam colorat cupiditatem, ostendens se velle hujus v. g. pauperis agricolæ necessitatem sublevare, illius egeni patienter exspectare solutionem in tempus messis, illorum facultates sugit, et ad se trahit. Dulcissimum super omnem lactis et mellis dulcorem est ei lucrum, quod hinc et inde reportat ex negotiatione illicita, usurario mutuo et cambio sicco ita palliato, ut videatur omni justitia justius, ex venditione usuraria charitatis voce celebrata. Non unius solius aspidis, sed *aspidum caput sugit* : non ei satis est ex una injusta negotiatione lucrum, sed ad omnes quas potest se convertit, sicut vitulus, qui ut pinguis efficiatur, omnium depascit vaccarum ubera. Sed infelix ille, quia venenum aspidum sugit; quod etsi ex una parte pro sua dulcedine delectet, ex alia tamen pro suo ardore inflammat, succendit, æstuantemque reddit : succenditur enim ex illo lucro cupiditatis flamma, quæ parva in principio exstiterat vehementissimum paulatim contrahit ardorem.

Dulce est avaro lucrum, sed noxium.

Et bene dicitur: « Venenum aspidum, » *primo*, quia *insanabile*, inter omnia enim venena quæ animam inficiunt, hoc insanabilius exsistit, et minus admittit curationem : nam I *Timoth.* VI, 9 « qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli. » Quando avis laqueo est comprehensa irreparabile damnum incurrit : fortis laqueus iste, in quem qui incidit, etiamsi sit apostolus electus a Christo, potestate ejiciendi dæmones donatus, particeps corporis et sanguinis illius effectus, ab ipsomet sacerdos ordinatus, non evadet; ut videre est in Juda, qui hoc laqueo irretitus, remansit captivus ad ipsius diaboli voluntatem, ut quidquid ille suggesserit fecerit, etiam cum ad ipsummet Dei Filium inimicis suis vendendum incitatus fuit : et tandem laqueo se suspendit *Actor.* I, 18, et « suspensus crepuit medius : » laqueo enim compressus periit, qui in diaboli laqueum inciderat. Venenum igitur aspidum insanabile. Notum est quod multi scriptores referunt, sub Constantino, cum divina ipsi illucescente gratia ad fidem conversus ingentes divitias amplissimosque reditus Ecclesiæ applicasset, auditam fuisse de cœlo vocem dicentem : « Grande nunc venenum in Ecclesia Dei effusum est. » Quo dicto abutuntur hæretici ut prælatorum et Ecclesiæ ministrorum divitias, reditus et amplas facultates sugillent, dicentes oportere eos tenere paupertatem, quam apostoli priorisque temporis prælati tenuerunt, qui sanctitate, non pecuniis fuerunt illustres et gloriosi. In quo ipsi quidem, ut forte non immerito in quibusdam prælatis majorem vitæ sanctimoniam requirerent, insipienter tamen et maligne eos omnibus divitiis exutos volunt; cum ipsemet Deus, qui sua gratia Constantinum imperatorem ad fidem traxit, eidem inspiraverit, ut Ecclesiam illiusque ministros, singulariter Romanum Pontificem, ejusdem caput, ditaret; quo adimpleretur illud quod Ecclesiæ prædictum promissumque fuerat *Isai.* LX, 16 : « Suges lac gentium, et mamilla regum lactaberis. » Deus tamen, qui hoc operabatur, voluit cautos reddere fideles suos, ut sibi attenderent : divitias quippe incautis et cupidis venenum esse potentissime succendens et inflammans; eosque qui volunt divites fieri incidere in tentationem et laqueum diaboli. Si igitur istæ divitiæ, quas Deo operante, disponente et offerente Ecclesia e regum mamilla sugit, *venenum* dictæ sint propter incautos et cupidos; quanto magis illæ, quas avarus injuste, crudeliter et impie ex pauperum, viduarum, pupillorum simpliciumque mamillis sugit? Venenum ergo aspidum sugit, quisquis divitias inordinate appetit.

Divites incidunt in laqueum diaboli.

Divitiæ cælites venenum dictæ.

Secundo divitiæ dicuntur esse *venenum aspidum*, quia simul cum dulcedine qua delectant habent ardorem quo inflammant, et sui amatores faciunt æstuantes : quis enim explicet ardorem, quo avarus inflammatur, torquetur, sollicitatur, anxias curas sustinens, quibus noctu diuque lancinatur, nullam quietis partem capiens, assidue timens, atque animo revolvens, si talis creditor deficiat; si institores ejus futuri sint fideles; si navis submergatur; quomodo et ubi triticum carius vendi poterit; quomodo servari possint merces in tempus quo solæ in nundinis appareant; quomodo pretium illarum augeat; cui negotio pecunias exponat, etc. Hos B. Isidorus Pelusiota lib. II *Epist.* 233, comparat miseræ illi feminæ, quam *Gorgonem* S. Augustinus lib. XVIII *De Civ.* cap. XIII; *Medusam* alii vocant cujus omnes capilli serpentes erant aperto ore in omnem partem inhiantes ignemque spirantes, ad indicandam anxietatem, qua variis et innumeris tanquam capillis, crudelibusque et diris tanquam serpentibus, curis et sollicitudinibus anguntur : idcirco miseri perpetuo timent, quærunt, sperant, machinantur circa ea quæ vendenda, emenda, mutuanda, recuperanda et condenda sunt, qualis esset animus illi qui pro capillis viperas aut serpentes caput suum mordentes haberet? Tali ardore succensos quosdam contemplabatur Deus grandi anxietate sollicitos dicentes *Amos.* VIII, 5 : « Quando transibit messis, et venumdabimus merces : et sabbatum, et aperiemus frumentum : ut imminuamus mensuram, et augeamus siclum, et supponamus stateras dolosas : ut possideamus in argento egenos, et pauperes pro calceamentis, et quisquilias frumenti vendamus? » Hæc prosequitur S. Augustinus serm. 22 *De Verb. Apost.* considerans hujusmodi hominem inter avaritiam et pigritiam aut necessitatem naturæ : pigritia enim dicit : Dormi, id enim exigit necessitas; avaritia dicit : Surge : pigritia dicit : Noli pati frigidos dies; avaritia dicit : Tolera in mari etiam tempestates : illa dicit : Quiesce; ista non sinit quiescere; jubet non solum ut procedat, sed et naviget trans mare, et quærat terras quas ignorat, etc. Ex una igitur parte voluptatem capit propter lucrum, ex alia vero grandi flamma succensus plenus est sollicitudinibus. Vere itaque miser *caput aspidum sugit*, dum se lac e divitiarum uberibus haurire putat. Aliam porro tropologiam vide apud S. Gregorium lib. XV *Moral.* cap. IX, ubi *caput aspidis* exponit esse latentes dæmonis suggestiones; *linguam* vero *viperæ* violentas tentationes.

Divitiæ instar veneni aspidis avaros faciunt æstuare.

Divites plurimis torqueantur.

Vers. 17. 17. NON VIDEAT RIVULOS FLUMINIS, TORRENTES MELLIS ET BUTYRI. — Novis adhuc dicendi tropis eamdem pergit sententiam amplificare, docens indignum videri impium, qui prosperitatem more rivi affluentem, et rerum delectabilium copiam instar fluenti mellis ac butyri exuberantem obtineat : nota enim similitudinis, ut recte Sanctius observat, juxta Hebræorum idioma hoc loco omissa est. In torrente autem et rivulo rerum significatur perennis abundantia, sunt enim rivuli fluminis rivuli aquæ perpetuo fluentis, *q. d.* Fuerunt quidem olim tibi, o Jobe, torrentes lactis et mellis sicut rivuli aquæ, sed deinceps non erunt. Abundaverat enim Jobus, ut in principio vidimus, his maxime rebus quas curant agricolæ, cum multos habuerit pecorum armentorumque greges, multa juga boum, et copiosam servulorum familiam, quibus illarum tot rerum curam et administrationem commendavit; cumque mellificium inter rusticas curas extrema non sit, ut docent quotquot de agricolarum negotio præcepta tradidere, qui de apibus non pauca dicunt, neque illarum studium segniter commendant; non est verisimile Jobum hanc abjecisse curam, cum ex illa non exigua proveniant emolumenta, neque magni fiant in ejus tractatione sumptus. Cum autem id tam huic Sophar quam illius amicis videatur esse propositum, ut ad diaboli votum Jobum exagitent, et illa esse putent impietatis argumenta, quæ Jobo post tantum rerum abundantiam contigisse vident bonorum commoditatumque naufragia; de futuros esse dicunt impio atque tyranno mellis butyrique torrentes, quia illos jam Jobo exaruisse viderant.

Torrentes mellis et lactis pro rerum abundantia ponuntur.

Quæ dicatur terra fluens lac et mel.

Eadem metaphora in Scriptura sacra *Exod.* III, 8, sæpe legimus terram manare lacte et melle, id est, in ea lactis et mellis maximos esse proventus. Est autem proverbialis et hyperbolica loquendi forma, ut bene Delrius noster notat in *Adag. sacris Vet. Test.* adag. 61, qua fatentur omnes describi terram cunctæ suavis alimoniæ copia refertissimam; aliter tamen atque aliter hoc explicant. Non probandum tamen, quod quidam restringant ad pascua laudatissima plena lactiferis animalibus, et ad violaria rosetaque et silvas floriferas, aptas mellificio apicularum, cum satis constet Judæis et Idumæis etiam fuisse copiam eorum, quorum lacte non alebantur; et Jonathæ historia I *Reg.* cap. XIV, 25, satis doceat, etiam in saltibus Judææ mellis copiam repertam. Præterea olivetarum et vindemiæ proventus major quam mellis et pretiosior habebatur : cur igitur terra non æque dicitur vino et oleo manasse? Puto igitur cum Delrio nostro *mellis* et *lactis* nomine cætera etiam edulia significata : convincitur id ex lib. *Num.* cap. XIII, 28, ubi aiunt exploratores : « Venimus ad terram, ad quam misisti nos, quæ revera fluit lacte et melle, ut ex his fructibus cognosci potest; » sed hi nec lac, nec mel, sed botrum et similes fructus adferebant.

Lactis et mellis nomine etiam oleum, vinum aliasque edulia significantur.

Hegesippus lib. III *De Excid. Hieros.* cap. VI, quod de lacte et melle dicitur ad aquarum dulcedinem refert; et vult promissionem Dei de terra fluente lac et mel omnino mysticam fuisse, et de resurrectione intelligendam. Credo dicere voluit de cœlica terra promissionis; fateor anagogico sensu, non litterali. Quo pacto etiam divus Hieronymus interpretandus epist. 129 *ad Dardan.*, ubi negat quæ de fertilitate et felicitate terræ in sacra Scriptura leguntur secundum litteram occidentem accipienda : voluit nimirum tantummodo negare, ut ratio ab eo subjuncta indicat, in ea rivos lactis et mellis, quales poetæ fingunt fuisse in sæculo illo aureo quod fabulantur, et formulis loquendi e Scriptura mutuatis describunt. Hinc illud mutuatum a poeta nescio quo ex Sibylla,

Poetæ ex Scriptura mutuantur quæ de stuminibus lactis et mellis canunt.

Flumina jam lactis jam flumina nectaris ibunt

Item Virgilius canit *Eclog.* 4 :

Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

Porro ex illis sacræ Scripturæ locis dæmon divinitatem aucupatus, præstigiis simulavit lactis et aquæ, et mellis et vini fontes. Euripides *Bacch.* de aqua quidem et vino :

Θύρσον δὲ τις λαβοῦσ' ἵππιον εἰς πέτραν,
Ὅθιν δροσώδης ὕδατος ἐκπηδᾷ νοτίς,
Ἄλλη δὲ νάρθηκ' εἰς πέδον καθῆκε γῆς,
Καὶ τῷδε κρήνην ἐξανῆκ' οἶνου θεός :

Tum una correpto thyrso verberat petram,
Unde rorulentus aquæ prosiliebat humor :
Alia autem ferulam demisit in terræ solum,
Et isthic mox fontem vini emisit Deus.

De melle vero et lacte ait :

Ὅσαις δὲ λευκοῦ πώματος πόθος παρῆν,
Ἄκρεισι δακτύλοισι διαμῶσαι χθόνα,
Γάλακτος ἁρμοὺς εἶχον· ἐκ δὲ κισσίνων
Θύρσων γλυκεῖαι μέλιτος ἵσταζον ῥοαί :

Quibus denique nivei lactis erat desiderium,
Summis digitis scindentes solum,
Illico lactis flumina habebant : porro ex hederaceis
Thyrsis guttis flava stillabant mella dulcibus.

Et brevius :

Ἡ δὲ γάλακτι πέδον,

Ῥεῖ δ' εἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσᾶν
Νέκταρι :

Fluit ei lacte campus,
Fluit vino, fluit et apum
Nectare.

Idem in *Parad.* Tertullianus asseruit de saccharo et lacte paradisi terrestris :

Mella virescenti conflagrant pinguia canna,
Lac etiam plenis manat potabile rivis :

similia habet S. Basilius lib. *De Parad.*

Vers. 18. 18. Luet quæ pecit omnia, nec tamen consumetur : juxta multitudinem adinventionum suarum sic et sustinebit. — Ait impium ad unum omnia quæ commisit scelera luiturum, nec unquam tamen satis eluiturum, supplicio etiam æterno, quo non consumetur; sed pœnis semper novis superstes erit, quæ scelerum mensuram exæquent. Hæc in Hebræo et Græco longe aliis verbis exprimuntur, licet sensu non omnino dissimili : nam quod in genere Latinus dicit : *Luet quæ fecit omnia,* Hebræus magis proprie ac speciatim ait : *Reddet laborem,* id est opes labore partas, quo sensu David de justo dixit *Psalm.* cxxvii, 2 : « Labores manuum tuarum quia manducabis, » scilicet quidquid labore manuum acquisiveris : sic de labore suo vivere dicitur, qui partis labore utitur, et ex iis se familiamque sustentat. Impius itaque reddet aut restituet laborem, aut restituet aliena quæ alii elaboraverunt, et ipse per vim rapuit; aut etiam suas ipsius facultates, quas multo labore paraverat, cogetur amittere, et aliis relinquere; vel dabit pœnas pro labore ac molestia quam aliis facessivit, quod idem est quod luere omnia quæ fecit. Pro eo autem quod Latinus habet : *Nec tamen consumetur,* in originali est, *et non absorbebit,* seu non deglutiet, non immittet in ventriculum, non diu retinebit; siquidem res alienas quas deglutiit e vestigio evomet, quod perinde est, et pro eo habendum, ac si nunquam deglutiisset. Hoc Pineda noster notat juxta canones grammaticos etiam reddi posse impersonaliter, *non absorbebitur,* non deglutietur, non devorabitur : sicut vicissim id quod Latinus habet : *Non consumetur,* verti potuisse, *non consumet.* Sensus ergo Vulgati est, *q. d.* Ne putet impius restitutis aut devolutis bonis alienis ad suos veros dominos jam sibi reliqua esse salva, vitam videlicet, corpus, animam : nam restituto furto, et ipso impio ad summam paupertatem redacto, manet adhuc illi culpa æterno supplicio luenda; quocirca sempiternis cruciatibus corpore et animo afficietur, et ita ipse impius non consumetur. Septuaginta vero reddunt planius hoc modo, εἰς κενὰ καὶ μάταια ἐκοπίασε, πλοῦτον ἐξ οὗ οὐ γεύσεται, *in vanum et frustra laboravit, divitias ex quibus non gustabit,* idque ipsum similitudine illustrantes addunt, ὥσπερ στρίφνος ἀμάσητος ἀκατάποτος, *tanquam durum quid mandi non potest, nec glutiri* : apud S. Augustinum legitur, *quæ egerunt ut durum quid;* στρίφνος autem est *caro nervosa* boum, præterea etiam herba quædam sic vocata, quæ exasperandæ linguæ vim habet ejus qui manducat, inepta quæ comedatur et glutiatur : quoniam mandi non potest. Licet ergo impius gustum aliquem perceperit ex rapina et iniquitate, et dulcedinem illam peccati visus fuerit abscondisse sub lingua sua; tamen devorare non poterit nec deglutire, nam brevi facultates omnes amittet, neque poterit illas in suum usum et sustentationem convertere.

Στρίφνος; quid.

Impius omnium scelerum suorum pœnas luet.

Labor pro opibus accipitur.

Opes impio avaro nil prosunt.

Pulchre hunc locum de æternis damnati suppliciis exponit S. Gregorius lib. XV *Moral.* cap. xii : « Persolvit enim in tormento ea quæ hic illicita servavit desideria, et flammis ultricibus traditus semper moritur, quia semper in morte servatur : non enim in morte consumitur, quia si consumeretur vita morientis, cum vita etiam jam pœna finiretur; sed ut sine fine crucietur, vivere sine fine in illa pœna compellitur, ut cujus vita hic mortua fuit in culpa, illic ejus mors vivat in pœna. Dicat ergo : *Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur* : quia cruciatur, et non exstinguitur; moritur, et vivit; deficit, et subsistit; finitur semper, et sine fine est. Hæc solo auditu valde sunt terribilia, quanto magis passione? sed quia multitudo iniquitatis ejus exigit, ut carere suppliciis nunquam possit, apte subjungitur : *Juxta multitudinem adinventionum suarum sic et sustinebit* : qui enim multa invenit ad culpam, novis inventionibus cruciatur in pœna, » etc., ut quantumvis tormentum ignis duret, nova semper tortura accedat, et veluti nova flamma succedat. Similia prorsus notatuque dignissima sunt quæ habet Eusebius Emissenus hom. 1 *ad Monach.* post medium in hunc modum : « Illud autem quomodo trepidus et male conscius sermo poterit explicare, cum cœperit inexpiabilis caro et infectæ peccatis medullæ sævis gehennæ æstibus penetrari, et more ferventium et decoquentium metallorum inexstinguibili ardore tota hominis substantia intus infundi, et depascentibus flammis corpora atque animas ex parte consumi, ex parte nutriri, ut inter medios ignium globos damnata natura det pabulum et accipiat incrementum? Si forte inspersum illud dudum conscientiis vitium, et æris et plumbi adulterina permixtio quandoque inter stagna ferventia anhelantis gurgitis exuretur, transituris per vada ignea mora erit supplicii magnitudo peccati. Escas ardoribus crimina ministrabunt, manebit in hoc præceptum et auctoris et judicis, ut viscera doloribus obnoxia, et solis cruciatibus consecrata ignis arbiter depasta non devoret, sed ad hoc ardeat, ut semper interimat : ut opus ac figmentum corporis nostri in antiquis sceleribus mortuum, ei ad sola tormenta redivivum, finem in ipso interitus confinio non inveniat, sed exinanita jamque tolerantiæ virtus sic pereat, ut resurgat : illa enim non casualis, sed rationabilis et pœnalis exustio, quia culpam ju-

Quomodo corpora damnatorum semper comburantur, nec consumantur.

Impiorum tormentum perpetuum.

Sola vitia sunt ignis inferni materia.

betur inquirere, substantiam nescit absumere. Et quia velut carbasa levis percurrens concrematio, ipsa purgatio est, flamma illa non tam reum persequitur quam reatum, et si modus fuerit delictorum, erit et mensura cruciatuum; si vero totam naturam occupavit pariter et involvit excessus capitalium scelerum, quia non recipit causa remedium, carebit fine supplicium. Occidente itaque pœna, et vivificante sententia, stabit sæculis materia reparabilis, et nunquam ad metam malorum termino fugiente perveniet; et dum sibi nullam spem promittere poterit, vel post immensa tempora jam etiam in præsenti sentientur consequentium tormenta sæculorum : ac sic dolorem mortis conscientiæ impositæ immortalitas augebit, » etc. Sic ille.

Videndus quoque in hanc sententiam D. Prosper lib. III *De Vita contempl.* cap. xii, post medium, ubi post multa addit : « Fletus et stridor dentium acerrimos eorum dolores ostendunt, qui supplicio æternæ mortis addicti non vivendi sensum habituri sunt, sed dolendi; quorum continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor summus, pœnalis sensus, torquent animas, non extorquent, puniunt corpora damnata, nec finiunt : quos ideo sibi deputatos ignis inextinguibilis non extinguit, ut permanente sentiendi vita pœna permaneat, et ad dolendum magis quam ad vivendum æternis corporibus compeditos habeat, quos in flammis vivacibus immortalitas secundæ mortis occidat, » etc.

Vers. 19. 19. Quoniam confringens nudavit pauperes : domum rapuit, et non ædificavit eam. — Egit de supplicio, quo sunt homines iniqui constringendi, hoc versu agit de peccatis, quibus tantas pœnas commeriti sunt; cumque variis diversisque flagitiis inquinati fuerint, quibus et in Deum impii, in se nefanda libidine spurci et obscœni, in homines crudeles et acerbi extiterunt, tantummodo rapinam et alienorum bonorum direptionem commemorat. Ex quo intelligitur tam grave id scelus esse, ut vel solum jure merito tantis suppliciis vindicetur, quod est maxime animadvertendum : nam ita plerumque in sacra fit Scriptura, ut, cæteris hominum flagitiis prætermissis, hoc unum ponatur ad declarandum, quanta sint pœna et cruciatu digni. Ait ergo : « Quoniam confringens nudavit pauperes, » id est eos, qui vim illatam sibi propulsare non poterant, quos a divitibus confractos et nudatos esse dicit, quod, præterquam quod fortunis eos spoliarunt, contumeliis etiam, ignominiis, plagis et aliis modis vexarunt. Sicut clarius dicit Isaias cap. iii, 14 : « Rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis? » et alio loco cap. lviii, 6 præcipit : « Dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus disrumpe, » quod dicit : « Domum rapuit, et non ædificavit eam, » id est, quam non ædificavit, domum inquam alienam, diripuit, et alienas fortunas invasit. Age vero, et infamis hujus vitii turpitudinem paulo etiam diligentius exploremus. Græci nomine maxime proprio πλεονεξίαν nuncupant; nos dicere possumus esse *immensam* et nullis terminis definitam *appetitionem* variarum rerum, qua plus appetit quisque quam sat est. Recte Patres illud vocant, et in primis Clemens Alexandrinus lib. II *Pædag.* cap. iii, ἀκρόπολιν τῆς κακίας, *arcem vitiositatis,* malitiæ propugnaculum, scelerum acropolim : plane verissime dictum. Illa ingens habendi libido ubi dominatur, statum animi omnem turbari necesse est, ruere mentem, sterni rationem, aperiri fontem nequitiæ, mori virtutem, gratiam internecione deleri : itaque avaritia divinitus in lingua sancta dicitur בצע *betsagh,* hoc est *vulnus,* plaga; hinc apud Amos cap. ix, 1, ubi in Vulgatis habemus : « Avaritia in capite omnium, » Arias Montanus ex Hebræo vertit, *concisio eorum in capite omnium;* Tigurina, *universorum capitibus vulnus.* Avarus ergo insanabile vulnus imponit, sibine dicam, an aliis quoque plurimis? omnino utrisque : nam cruentum pugionem in se primus convertit, quo ictu, o acerbum casum et perennibus lacrymis prosequendum! virtutes omnes moriuntur.

Rapina quantum sit flagitium.

Divites avari sunt pauperum vastatores.

Πλεονεξία quale vitium.

Avarus sibi aliisque nocivus.

Cum acri illo studio pecuniarumque affectu nec religio, nec fides, nec modestia, nec christiana humilitas atque demissio, non humanitas animi, non patientia, non charitas, non beneficentia, non miseratio aliorum, non denique ullum aliud mentium ornamentum poterit consistere : nam ejicitur in primis nobilissima et pulcherrima religio, quam impius opum amor ejurat, ut profano et scelerato cultu fictum numen a dæmone subornatum veneretur. Unde S. Paulus *Coloss.* iii, 5 infandam illam habendi cupiditatem non dubitavit nominare *simulacrorum servitutem,* vel, ut est in Græco, *idololatriam,* quam verissime Tertullianus lib. *De Idol.* cap. i, *principale* crimen generis humani vocat; hinc fides purpuream animam vomit, charitas humum mordet, trophæum scelus pangit et triumphat. Divine S. Ambrosius *Serm.* 13 : « Qui pecuniam appetit, fidem perdit; qui aurum redigit, gratiam prodigit : » opibus enim abundantes vulgo fiunt inhumani, superbi, contumaces, misanthropi Timones quidam, qui se tantum atque sua diligant, nudos omnes spoliatosque velint, quo ipsi pluribus circumfluant. Plura de avarorum crudelitate vide superius cap. xii, 6 annotata. Sed quam misera sit hæc avarorum, præsertim tyrannorum consummatio, deinceps exponit.

Cum avaritia nulla virtus potest consistere.

Vers. 20. 20. Nec est satiatus venter ejus : et cum habuerit quæ concupierat, possidere non poterit. — In eamdem sententiam Hebræus ait, *non novit pacem in ventre suo;* et Septuaginta traducunt, οὐκ ἔστιν αὐτοῦ σωτηρία τοῖς ὑπάρχουσιν, *non est ejus salus in facultatibus,* id est, eam satietatem, pacem, tranquillitatem atque salutem, quam sibi tantis opibus pollicebatur, minime consequetur. « Et cum habuerit quæ concupierat, possidere non poterit, » id est, non fruetur opibus jam acquisitis,

Avarus non satiatur.

http://www.obrascatolicas.com

nec fructum aut delectationem ex iis capiet, illico illas deserturus, juxta illud *Eccle.* v, 9 : « Avarus non implebitur pecunia, et qui amat divitias fructum non capiet ex eis. » In eumdem sensum Hebræus et Septuaginta reddunt, ἐν ἐπιθυμίᾳ αὐτοῦ οὐ σωθήσεται, *in desiderio suo non salvabitur*, id est, voti et desiderii sui non erit compos.

Avarorum desideria inutilia et stulta.

Jam vero si liceret in istiusmodi hominis cor ipsum ingredi, et latebras animi penetrare, quæ et quanta et quam miseranda videremus? Quæ desideria, quas affectiones, quæ bella, quas stultitias, quam inopiam mentis, quam exanimationem, quæ supplicia, quæ terriculamenta, quot infanda crimina, quot labes turbulentæ conscientiæ, quot mortes? S. Paulus ait I *Timoth.* VI, 9 : « Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem ; » qui locus est pulcherrimus, in quo tanquam luculenta in tabula bonis coloribus grandia mala et plurima repræsentantur, quæ in animis avarorum exsistunt; quod ait « desideria inutilia, » mihi dubium nullum est quin noster interpres legerit ἐπιθυμίας ἀνοήτους ; sed jam in Græco habemus ἀνοήτους, *desideria stulta*, fatuas cupiditates, vecordes animorum appetitiones : utrumque verum est. Desideria illa seu cupiditates eorum qui vehementer in opes inhiant sunt ἀνόητοι simul et ἀνήκτοι, *inutiles et stultæ* ; et ideo maxime stultæ, quod sine fructu et utilitate iisdem homines cruciantur : sic ille in Evangelio opulentia sua ebrius atque æstuans incredibili habendi siti et cupiditate *stultus* a Salvatore dicitur *Luc.* XII, 20 : « Stulte, hac nocte repetunt animam tuam. » In Græco est ἄφρων, quod *stolidum fatuumque* significat, a mente et prudentia et consideratione derelictum. Illorum stultitiam egregie illustrat S. Chrysostomus hom. 7 *in Coloss.*, et insolentissima desideria, quibus incredibiliter insaniunt, ait superare poetica monstra fabulis otiosorum hominum celebrata : Quas, inquit, nugas non sibi describunt magis quam qui hippocentauros effingunt et chimæras? et serpentipedes, et scyllas et monstra videres eos effingentes. Addit paulo post illos eo venire dementiæ, ut vellent et terram esse auream, et parietes aureos, fortasse et cœlum atque aerem ex auro; quæ plane sunt ἐπιθυμίαι ἀνόητοι, *desideria stulta*, quæ in capite atque pectore ut in monstrorum officinis de die sibi et de nocte fingunt, ibi cudunt et montes aureos, et palatia gemmea, et honores illustres, et fortunæ amplitudinem omnium opinione majorem : ibi contra dubias lites horribilesque jacturas, naufragia, pericula, ædium inflammationem, prædiorum vastitatem, fures, milites et ruinam effingunt : sic quotidie inutilibus cogitationibus fœde misereque jactantur, lacerantur, donec in bonis perituros inexspectata mors excipiat.

Avaritiæ plerumque nugas et chimæras sibi fingunt.

Tropologice S. Gregorius lib. XV *Moral.* cap. XII : « Venter, inquit, iniqui avaritia est, quia in ipso colligitur quidquid perverso desiderio glutitur. Liquet vero quia avaritia desideratis rebus non extinguitur, sed augetur : nam more ignis, cum ligna quæ consumat acceperit, accrescit; et unde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulo post cernitur dilatari; et sæpe omnipotens Deus cum avaræ menti vehementer irascitur, prius ei permittit ad votum cuncta suppetere, et postea per ultionem subtrahit, ut pro eis debeat supplicia æterna tolerare; unde et subditur : *Et cum habuerit quæ concupierat, possidere non poterit* : majoris quippe iracundiæ est, cum hoc tribuitur quod male desideratur, atque inde repentina ultio sequitur, quia hoc quoque obtinuit, quod Deo irascente concupivit. »

Venter iniqui avaritia.

Deus nobis irascitur cum concedit quod male desideramus.

21. NON REMANSIT DE CIBO EJUS : ET PROPTEREA NIHIL PERMANEBIT DE BONIS EJUS. — Communis est omnium ferme interpretum sententia accusari hic hominis avari inhumanitatem et inclementiam, quem neque aliorum inopiæ miseret, neque ex suis bonis aliquid facit reliquum, quod ad sublevandam aliorum necessitatem impendat; sed omnia quæ vel accepit a parentibus, vel ipse malis congregavit artibus, in suas contulit delicias; et dum lautis indulget epulis poculisque frequentibus, quid alii patiantur neque videt, neque si videat, quidquam habet doloris aut pensi. Propterea Deus ne tot opes unius nebulonis abdomini ac libidini serviant justissimo judicio faciet, ut illæ male pereant, et ab avari atque inclementis tyranni potestate et sinu ad alienos usus et potestatem abeant : quibus verbis, ut notavit D. Hieronymus, Jobum vellicat Sophar, quasi aliena per vim et fraudem vendicarit sibi, et totus contra miserorum, quos spoliavit omnibus vitæ subsidiis, necessitatem et fletus obriguerit. De quo ita S. Hieronymus ad hunc locum : « In humanitatis Jobo notam inurit, eo quod de abundantia mensæ suæ nulli peregrino vel hosti refectionem præbuerit. Sed fallitur Sophar, quia S. Job dicit : *Si comedi buccellam solus*, » etc.

Vers. 21. De cibo impii non comedunt pauperes.

Mystice hunc versum de indigne communicantibus, in quibus nil ex spiritali cibo remanet, ita pulchre exponit Baeza noster tom. III, lib. XIV, cap. X : Nihil, inquit, in te habitantis Christi ostenditur in verbis, in operibus, in vita convivium subsequenti? Sane cave ne tibi tantus cibus in perditionem cedat. Aiebat Job : « Non remansit de cibo ejus, et propterea nihil permanebit de bonis ejus. » Cibis se implet quis divinis, crebro assidet sacræ mensæ; quid inde? eadem semper macie languet, simili modo fœtet ore, manus dissolutæ sunt quasi nihil gustarit, quasi nihil comederit : fallar, si omnia ejus bona perditum non eant. Guarricus abbas serm. 2 *De Resurrec.* ait : « Nihil prorsus ex illis retinens, non saporem in sermonibus, tanquam gustum in faucibus ; non virtutem in moribus, tanquam succum in visceribus; sed dum statim totum per inania vel scurrilia revomit, gratiam sibi in iram convertit. » En quam periculose nihil de prægustato cœlesti cibo

In quo non remanet cibus spiritualis bona sua perdet.

Periculosum est

Sæpe communicare, nec in se Christi vitam exprimere.

in vita ostendimus : sæpe regali fruimur mensa, et nunquam non serviliter vivimus : sæpe de spirituali potamus, et nunquam non carnales sumus. Severe, sed vere, dicebat Paulus *Hebr.* VI, 7 : « Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo ; proferens autem spinas ac tribulos reproba est, et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem. » Qualis terra es tu, homo christiane, homo religiose, homo sacerdos? es quidem terra sæpe bibens venientem imbrem, sæpe bibens cœlestem rorem sanguinis divini; quod si tantam rigationem fructibus non exprimas, sed sterilis maneas, sed spinas proferas, maledicto proximus es, cujus consummatio in combustionem. Merito Simeon Junior *Orat.* 2, in eos invehitur, qui post divini cibi gustum in peccata relabuntur, dicens : « Cur qui divinum mysterium cognovit et accepit non cavit? lapsum hunc Adami lapsu minorem dicere non potes : ille enim si Deum esse in se novisset, de fructu prævaricationis non gustasset. » Non credit bonus Pater, quod Adamus, si semel in se Deum susciperet, posset postea vetitos fructus degustare; indeque nostram malitiam exaggerat Adami peccato majorem, ut qui Deum in nobis suscipientes adhuc currimus ad voluptates et lapsus.

Vers. 22. 22. CUM SATIATUS FUERIT ARCTABITUR : ÆSTUABIT, ET OMNIS DOLOR IRRUET SUPER EUM. — Sanctius noster hic aliquid allegoricum agnoscit : cum enim proxime egisset Sophar de tyranni deliciis, et quomodo in ea blandimenta, quæ sunt a vino atque epulis, se totum effunderet ; addit nunc dolores, et æstus, quos adfert secum immoderatus ciborum usus, quibus venter infarcitur atque distenditur, cruditates patitur et angores, insomnes ducit et molestas noctes. Neque aliquid sonat ab homine, qui se intemperanter poculis explevit, nisi ructus, sudor et gemitus, et continens quoddam et amarum væ; in quo significantur belle ea incommoda quæ abesse non solent ab iis qui aliena rapiunt, et domus suas ornatas esse student aliorum exuviis, et cibis se et poculis tos ingurgitant. « Cum satiatus, inquit, fuerit; » juxta Hebræum Cajetanus et Vatablus legunt, *cum impleverit sufficientiam suam* ; quod, quantum existimo, rem totam declarat : nunquam enim avarus et alienorum appetitor satiatus est, sed juxta tritum illud :

Helluonis supplicium et angor.

Avarus post adeptas divitias angustiatur.

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

De quo graviter Ecclesiastes cap. v, 9 : « Avarus, inquit, non implebitur pecunia; » dicitur tamen satiari, quando impletur sufficientia ejus, quo nomine voluit exprimere thecas, arcas, cellaria, horrea, aulas, domos, quas servandis divitiis et facultatibus præparaverat : quando hæc omnia plena erunt et redundantia, ut amplius quid capere non valeant, tunc *arctabitur*, vel, ut in Hebræo est, *angustia erit ei*, et tunc *æstuabit* ; quo vocabulo summam inquietudinem solet Scriptura significare, quomodo dictum est in libro Judith cap. XIII, 29 : « Videns Achior caput Holofernis angustiatus præ pavore cecidit in faciem suam super terram, et æstuavit anima ejus. » Similiter in *Apoc.* XVI, 8, de angelo effundente phialam scriptum est : « Datum est illi æstu affligere homines et igni : et æstuaverunt homines æstu magno, » etc. : hoc facile intelliget, qui consideraverit hominem magnis flammis succensum, qui præ doloris vehementia nullam quietis partem capere possit; sed ipsum S. Gregorium has avari angustias elegantissime describentem consule lib. XV *Moral.* cap. XIII, ubi graphice illas describit.

Huic concinit illud Sapientis proverbium *Eccle.* V, 11, quod ex professo sanctus expendit Ambrosius lib. *De Nab.* cap. VI. « Dulcis est somnus operanti ; saturitas autem divitis non sinit eum dormire : » somnum vocat *dulcem*, qualis a poetis Græcis dicitur ὑπνόμετις, qui se placide et suaviter in sinum animi insinuet; quem Themistius apud Stobæum *Serm.* 119, ait esse παθῶν ἥδιστον, nostrorum *affectuum suavissimum*, qui infusa dulci voluptate ægritudinis et doloris sensum exstinguat. Tertullianus lib. *De Anima*, cap. XLIII, appellat « recreatorem corporum, redintegratorem virium, probatorem valetudinum, pacatorem operum, medicum laborum; » Cicero lib. II *De Divin.* « profugium omnium laborum et sollicitudinum : » neque enim, ut notavit egregie D. Augustinus *in Psalm.* I, dormire potest, qui sollicitam auri exercet custodiam, damna formidat; qui lucra cogitat, qui usuras computat, qui hypothecas numerat? » excitat eum cupiditas, excitat cura pervigil aliena rapiendi, torquet invidia, mora vexat, sterilitas proventuum infœcunda perturbat, sollicitat abundantia : sicut ille dives tunc vigilantior redditus fuit, quando abundantiores fructus ager tulit, quem audias anxium quærentem : « Quid faciam? » etc. Ex irrigua terra, inquit S. Gregorius Nyssenus lib. *De Opific.* cap. XIII, vapo-

Somnus naturæ levamentum.

Somnus dulcis operanti.

Saturitas somnum impedit.

http://www.obrascatolicas.com

res ascendunt, qui solis dulce lumen obnubilant et intercipiunt; sic ex stomacho pleno vapores in caput ascendunt, qui non concedunt locum placido somno; unde qui stomachum habet plenum dormire non sinitur : ita diviti contingit, postquam stomachum plenum habet, scrinia referta, repletas arcas, redundantia cellaria et horrea; hæc saturitas non sinit eum dormire : ascendunt inde vapores ad caput, timores, anxietates, curæ circa bona quæ recondita tenet.

Fœtus avaritiæ pestilentes.

Hi sunt fœtus avaritiæ, quos Salomon in *Eccle.* v, 12, breviter est complexus, cum ait sub sole se vidisse « infirmitatem pessimam, ἀῤῥωστίαν; » D. Ambrosius vertit *languorem malum*, quo velut in equuleo mens affligitur; « divitias congregatas in malum domini sui, » vocat *malum* generatim, hoc est innumerabilia prope incommoda, quæ inexplebilis opum appetitio importat, quo in numero singulari judicio ponit *languorem* : est enim habendi sitis debilitatio virium ad inclyta facinora obeunda et generose perficienda, remissæ manus, soluta genua, putredo ossium, stupor animi, tenebrosa ægritudo. Multos avara spes devorat, divitiæ non explent, sed distendunt; lepram diceres tabe omnes artus inficientem atque hydropisim; denique languor malus est mortique vicinus : sequitur autem ut furia implacabilis ob mentis curas animique vexationem, insomnia, noctis inamœnæ carnifex, quæ ut clavatum Carthaginensium dolium Reguli cruciatu infame dormire vetet. Hæc crudelis laniena est, ut cum somnus alios omnes recreat et dulcissima voluptate perfundit, tum labor illis vehementius atque examina sollicitudinum ingruant, quos sitis habendi excruciat. Audeo dicere dimidiam eos vitam ducere, cui bonis et sapientibus prope ipsa mors anteponenda videatur. Hanc igitur miserandam hominum vecordiam luce Dei illuminatus Salomon in tacito animi sinu luctu et mœrore prosequebatur, cum videret divitias conservari in malum domini sui. Circumsessæ ærumnis studiose excipiuntur, spinis horridæ ad pectus et oculos admoventur, delibutæ veneno et peste hauriuntur : sic possidentur, ut possidentem vile mancipium faciant; sic constringuntur, ut suffocent; sic amantur, ut interimant. Ixionea illa rota perpetuo circumagitur, donec ad ultimam vitæ periodum veniant; quam vitam si quis probe æstimare velit, catenam esse dicet, ut circulis, sic curis angoribusque textam et implexam, qua in funestum exitium rapitur. « Omnis ergo dolor irruit super eum, quem, ut ait Gregorius, et hic prius pœna concupiscentiæ et illic pœna ultionis cremat : et hic fatigatur in desideriis, et illic in tormentis. » O infelices impii! vos tot desideriorum aculeis stimulati inferni tormenta nunc præ libatis in terra tanquam dolorum omnium initia, quæ affatim ebibetis in inferno : hic enim pœna guttatim gustatur, illic superpleno semper calice bibitur, sic enim pluit semper desuper prodigus Judex et justus, ut nunquam damnatorum supereffluens potio sit exinanita; de qua subdit :

Divitiæ conservantur in malum domini sui.

Vexationes divitum avarorum.

Impii hic cruciantur desideriis et in inferno tormentis.

23. UTINAM IMPLEATUR VENTER EJUS, UT EMITTAT IN EUM IRAM FURORIS SUI, ET PLUAT SUPER ILLUM BELLUM SUUM. — Optat ut cito hominis impii et tyranni venter impleatur, et aqualiculus ejus pro voto saginetur, ut tanto citius a Deo puniatur, e medio tollatur, et aliis nocere desinat : ita Tirinus noster. Ubi notandum quod non optet peccata, sed divinæ justitiæ decorem : si enim impius corrigendus non sit, optandum sane ut confestim intereat, ne amplius noceat, sic David *Psalm.* IX, 18 : « Convertantur, inquit, peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum. » Porro illud *impleatur venter ejus*, ad repletionem bonorum temporalium, non escarum solummodo referendum est, ut cum peccati mensuram expleverit necetur.

Vers. 23.

Quomodo liceat impiis optare mala pœnæ.

PLUAT SUPER ILLUM BELLUM SUUM : — hoc mirifice confert ad iram Dei amplificandam; iræ profecto pluvia fuit, ex qua diluvium obruit orbem terrarum; iræ pluvia fuit, quæ infames Sodomorum urbes absumpsit; ipsa quoque frequens pluvia, quæ campos urbesque perfundit, et tonitruis ac fulminibus percrepat, ad rem ac mentem Sopharis opportuna est. Quod si non nemini fortassis non satis apta videatur allegoria pluviæ et belli, sciat hisce duabus dissimilitudinibus adeo dissitis congeriem malorum, quæ in damnatorum pœnis invenitur, adumbrari. S. Gregorius lib. XV *Moral.* cap. XII, his verbis rem exponit : « Super hunc hypocritam *bellum suum* Dominus *pluit*, cum judiciorum suorum gladiis ejus opera percutit : *bellum* namque Deo *pluere*, est iniqui vitam districtis sententiis desuper ad interitum urgere. » Ergo *bellum* magnitudinem malorum; *pluvia* vero multitudinem eorumdem portendit, uti et in illo *Psalm.* X, 7 : « Pluet super peccatores laqueos : ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum, » ubi in Græco textu apud Septuaginta pro *pluet* legitur ἐπιῤῥύξει, *superpluet*, quod verbum ubertatem et abundantiam suppliciorum expressius denotat, quo excruciandi sint peccatores; siquidem haud ipsis sufficient supplicia, quæ a concupiscentiis cordium et ignominia passionum, quibus se tradiderunt, intrinsecus concipiunt; sed externis insuper suppliciis urgentur, quæ instar imbris atque procellæ ipsis superpluunt. *Laqueos* autem vocat pœnas improvisas, quæ quodammodo illaqueant et quasi retibus implicant quos apprehenderunt; *partem* vero *calicis* appellat molestas retributiones : hujus porro calicis plenitudo est *ignis* et *sulphur*, et cætera quæ Sodomis irrogata sunt.

Pluvia et bellum malorum congeriem designant.

24. FUGIET ARMA FERREA, ET IRRUET IN ARCUM ÆREUM, — id est, dum leviora fugit in multo majora incurrit incommoda : proverbium est illi simile, de quo *supr.* cap. VI, 16 : « Qui timent pruinam irruet super eos nix, » quare quæ ibi a nobis dicta sunt non minus in hunc locum qua-

Vers. 24.

Dum minora fugimus in majora sæpe incidimus

Incommoda.

drant. Solent nimirum impii et filii hujus sæculi, cum se vident aliqua mediocri afflictione teneri, sese in omnem partem volvere, omnemque humanæ prudentiæ lapidem movere, ut ab ea se expediant, nulla prorsus de Deo facta mentione, nec cogitantes hoc aut illud flagellum ipsis a Deo fuisse immissum; sed potius illud aut fato, aut ex sua suorumque injuria, aut sola hominum malitia contigisse putantes. Et dum sic humanæ providentiæ totos se credunt, dum suis artibus et adinventionibus se ex levi quodam malo, spreto Dei auxilio, liberare contendunt, juste a Deo confusi multo gravius incommodum incurrunt. Quod quidem impiorum artificium eleganti admodum similitudine ob oculos ponitur ab Isaia cap. XXIV, 18 : « Qui fugerit a facie formidinis cadet in foveam, et qui se explicaverit de fovea tenebitur laqueo : » nemo enim ultionem Dei, quantumvis potens et sagax, valet effugere. Hoc ipsum ait nunc Sophar de impio, qui dum præsentia, et quæ ipsum a fronte feriebant, mala putat effugisse, ideoque in pace securusque degit; ab aliqua graviori calamitate, vel etiam ab ipsa morte, tanquam ab arcu Dei æneo et inflexibili a tergo, quando id minime exspectat, transverberatur. Hebræus habet, *fugerit ab armis ferreis : transfiget eum arcus æreus* : sententia est, *q. d.* Si fugerint fumum, incident in ignem; si charybdim, incident in scyllam; juxta tritum illud :

Incidit in scyllam cupiens vitare charybdim.

Septuaginta vertunt, καὶ οὐ μὴ σωθῇ ἐκ χειρὸς σιδήρου · τρώσει αὐτὸν τοξεύσας χάλκειον, *et non salvetur de manu ferri : vulneret eum sagitta ærea* : sic intepres Romanus vertit; sed τοξεύσας ut fortasse aliquando *sagittam* notet, tamen hoc loco proprie *arcum* significat : olim enim arcus ex ære fabricabant, quod temperatura quadam ita durum reddebant, ut ferro non cederet : nunc ex chalybe plerumque fabricantur; unde quidam hic legunt *arcus chalybeus*.

Quid per arma ferrea et arcum æreum intelligatur.

Sed quænam hæc arma ferrea, æreusve aut chalybeus arcus? *Arma ferrea* sunt vel gladius, vel pugio, vel lancea, quibus Dominus exercituum pugnat cominus contra peccata, ut pacem tribuat peccatori ac vulneratum sanet : at *arcus æreus* est futura vindicta, qua damnatos ferit eminus horribile intonans judicium, et in longe positos innumeras evibrans sagittas. Nec sine mysterio, ut S. Gregorius docet lib. XV *Moral.* cap. XIV, temporales tribulationes ferreis armis comparantur, quia ferrugine corrumpuntur : æterna vero supplicia idcirco æri assimilantur, quia nunquam desinunt, nec ulli subjacent corruptioni mutationis, sic enim ipse philosophatur, ac probe : « *Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum*, quia dum præsentes necessitates metuit, multa per avaritiam rapit, extremi judicii districtis se percussionibus exponit; et cum fugit arma ferrea, ab arcus ærei sagittis invenitur, quia mala temporalia stulte præcavens sententia æterna percutitur. »

25. EDUCTUS ET EGREDIENS DE VAGINA SUA, ET FULGURANS IN AMARITUDINE SUA : VADENT ET VENIENT SUPER EUM HORRIBILES. — Sermo est ellipticus, cui aliquid addendum vel subaudiendum est; nihilque aptius videtur subintelligi posse quam gladius, qui proprie de vagina educitur; e qua egreditur dum stringitur, et quasi fulgurat, et mortis amaritudinem repræsentat, dum ad vulnus infligendum manu valida vibratur. Illud vero, *vadent et venient super eum horribiles*, supposito caret; addendumque procul dubio aut subintelligendum v. g. *hostes*, vel *dæmones*, vel, ut Septuaginta exprimunt, φόβοι, *timores*, aut ejusmodi aliquid. Sensus igitur est, *q. d.* Eximet iratus Deus de vagina gladium, et de pharetra sua sagittas expromet, quas etiam atque etiam in tyrannum et impium vibret, quæ horribilem in modum illius bona et ipsum etiam peccatorem evertant. In Hebræo est, *emergit et exit e corpore, et acies e felle ipsius prodit super eum terrores* : hoc si cum Vulgato ad gladium referas, tunc vagina metaphorice *corpus* vocatur, quod nimirum gladio sit id quod corpus animo; sed si ad sagittam referas, quo interpres Chaldæus et Septuaginta retulerunt, tunc *pharetram* denotabit, sagittarum thecam : quanquam etiam in sensu proprio ipsummet corpus impii possit intelligi, quod sagittis divinæ ultionis configitur; atque hoc modo Septuaginta intellexisse videntur dum sic vertunt, διελθεῖ δὲ διὰ σώματος αὐτοῦ βέλος · ἀστρα δὲ ἐν διαίταις αὐτοῦ · πιπτατίσαισαν ἐπ' αὐτῷ φόβοι, *pertranseat per corpus ejus jaculum : sidera autem in habitaculo ejus : obambulent super eum terrores*; quod Scholiastes exponit : « Aut visa terribilia perterrefacient eum, aut dirutis domibus et sublato tecto stellæ coruscabunt : vel etiam ita vocat fulmina : » nam et Aquila reddit, καὶ ἀστραπὴ ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ πορεύσεται ἐπ' αὐτόν, *et fulgur a facie ejus ibit in eum*; aut per *stellas* intelligit justos, qui habitabunt in domibus impiorum.

Vers. 25.

Quales pœnæ maneant impium.

26. OMNES TENEBRÆ ABSCONDITÆ SUNT IN OCCULTIS EJUS : DEVORABIT EUM IGNIS QUI NON SUCCENDITUR, AFFLIGETUR RELICTUS IN TABERNACULO SUO. — Præter vitæ mortalis mala manent impium tenebræ illæ exteriores, quæ absconditæ sunt in occultis inferni locis, ubi *devorabit eum ignis qui non succenditur*, scilicet alimento terreno, ut noster hic ignis, vel, ut Aquila, Theodoretus et Symmachus, μὴ φυσηθέν, *qui non sufflatur* : quæ particularis conditio est ignis inferni ad differentiam hujus nostri, qui ut accendatur necessaria est sufflatio illum a materia excutiens; unde cum hæc non semper æqualis sit, sed subinde remissior, ideo et flamma hujus nostri ignis ejusdemque ardor pro flatus intensione ac remissione modo major, modo minor exsistit; ast infernalis ille ignis, qui nec a flatu hominis aerisve motu succenditur, nunquam comburendi vim remittit, sed semper æqualiter urens intensissime exurit et cruciat, siquidem semel ab origine mundi a Deo succensus in semetipso cum suis fomentis inconsumptibilis æternum ardebit,

Vers. 26.

Ignis inferni qualis.

http://www.obrascatolicas.com

Deo illum conservante ad æternam impiorum punitionem : ita Philippus, S. Gregorius, Olympiodorus et Origenes, qui postremi duo *ignem* etiam accipiunt pro stimulo conscientiæ; Chaldæus vertit *ignis gehennæ*. Nec tamen solus impius devorabitur, sed et quicumque fuerit relictus in *tabernaculo* ejus, ut puta, filii, uxor et familiares, quos reliquit hæredes, pari pœna affligentur. Significat summam imminere vastitatem impio, sicut alibi *Deuter.* cap. XXXII, 26 dicitur simili hebraismo : « Clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt. »

Qualis sit inferni locus.

Cæterum hunc inferni ignem obscurum simul et inexstinctum, quo impii perpetuo excruciantur, graphice nobis describit S. Gregorius lib. IX *Moral.* his verbis : « Illa ultrix flamma transactorum vitiorum concremationem habet, et lumen non habet : quia illos quos gehennæ flamma devorat e visione veri luminis cæcat, ut foris eos dolor combustionis cruciet, et intus pœna cæcitatis obscuret : quatenus qui auctori suo corpore et corde deliquerunt, simul corde et corpore puniantur, et utrobique pœnas sentiant; qui dum hic viverent pravis suis delectationibus ex utroque serviebant. Quisquis ergo ad toleranda inferni mala descendit, nequaquam ad lucem alterius redibit : quia nequaquam ultra misericordia parcentis liberat, quos semel in locis pœnalibus justitia judicantis damnat. » Non dissimili ratione S. Basilius *in Isai.* cap. v, inferni locum et ignem, in quo dives epulo cruciabatur, depingens : « Inferni, inquit, regio locus quidam est communis in terræ repositus meditullio, obscurus ab omni parte et obumbratus : hic itaque dives erat non vulgari in loco, sed in graveolenti atque obscuro igne inferni versabatur. Duplici enim vi præditus cum sit ignis, calefactiva nempe et illuminativa, acerbis ejus et ad supplicia idoneis qualitatibus excruciatus debitas solvit pœnas; altera vero illuminatrice vi gaudiis lætitiæque accommoda destitutus. Unicuique enim sua vitia in supplicia laboresque convertentur, nobis se incendii materiam exhibentia; animique passiones eorum qui in infernum demerguntur facularum instar et ignis scintillarum accendentur, ut propriis e voluptatibus congruentia quisque supplicia demetat. » Similia passim habent alii Patres ubi de inferni suppliciis agunt. Sensus itaque est, *q. d.* Ignem patientur damnati qui adurat, neque tamen tenebras pellat. Tum etiam ejus naturæ erit ille ignis, qui non egeat fomento, neque pabulo, sed seipso nutriatur, ut perpetuo et sine intermissione torquere valeat impios. Porro illud,

Damnati moriuntur ubi vellent vivere, et ibi vivunt ubi vellent mori.

AFFLIGETUR RELICTUS IN TABERNACULO SUO, — exponit Gregorius de tabernaculo corporis, *q. d.* Ut in æternum pati possit æternum vivet, sic enim comparati sunt iniqui, ut hanc vitam ament, neque illam nisi inviti perdant : nullum non movent lapidem ut vitam protendant; nihil non faciunt ut in ævum vivant. Quid igitur Deus? detrudit eos in inferna loca, ubi omnium malorum congeriem simul perpetiuntur; qui dum cruciantur mortem expetunt, neque inveniunt; et vita eorum asservatur, ut semper habeant quo semper torqueri possint. Itaque dum vivunt vitam amant, neque tamen diu illam protendere possunt; quin imo peccata ipsa vitam atterunt, et mortem maturant, atque ad interitum urgent : at vero in infernum detrusi vitam odio habent, et mortem exoptant, neque tamen inveniunt. Optime ergo ait : « Affligetur relictus in tabernaculo suo, » quia dira patietur, et quæ mortem inferre possent; neque tamen peribit, ut semper pati possit : audi verba S. Gregorii : « Hic, inquit, vitam relinquere non vult; et tamen ab ea abstrahitur : illic eam relinquere appetit; et tamen in ea propter supplicia servatur. Ad augmentum itaque tormenti et hic e corpore nolens educitur, et illic in corpore tenetur invitus. »

Vers. 27.

27. REVELABUNT COELI INIQUITATEM EJUS : ET TERRA CONSURGET ADVERSUS EUM, — id est omnibus innotescet ac manifesta erit iniquitas ejus : sicut enim impius dum suæ obsequitur libidini cœlum terramque offendit, et in suum caput quodammodo lacessit, sic in illius exitium utrumque conspirabit. Revelabunt igitur cœli iniquitatem ejus quam conspexerunt, et terra, quæ monstrum hoc indignabunda tulit; revelabunt autem scelera ejus, nempe puniendo illa, cœlum quidem tempestatibus, terra vero infecunditate : ita Tirinus noster. S. Augustinus hic cœleste judicium agnoscit, PRIMO, quia nimirum *cœli aerii* in impios vibrant procellas, ventos fulminaque, ut patet in Sodoma et Gomorrha, quæ cœlesti igne perierunt; interdum etiam cœli aves revelarunt peccata, quemadmodum de avibus Ibici ultricibus narrat Plutarchus lib. *De Sera Num. vind.* Unde Olympiodorus ait Sopharem hic tacite Jobo exprobrare vindictam cœlestem, qua greges ejus de cœlo tactæ interierunt; filii autem domo, quæ flatu aerio conquassata fuit, ruente oppressi sunt; boum vero ac camelorum armenta ab hostibus ex inferna regione irrumpentibus abacta fuerunt. SECUNDO, *cœli* scilicet *siderei* uti interdum jam, ita vel maxime circa diem judicii Christo judici reprobos condemnanti tacite obedientia sua applaudent, dando scilicet signa terrifica insolito more lucendo, obtenebrescendo, movendo se, et consistendo ad nutum Dei; denique improbis ne introeant se claudendo : quando etiam terra motibus quatietur insolitis, et elementa cuncta quasi accusabunt impios, et a judice Christo vindictam de iis exposcent. TERTIO denique metonymice *cœli*, id est angeli et cælicolæ, ut Chaldæus interpretatur; vel, ut Polycarpus, ipse Deus cœlorum Dominus; similiter *terra*, id est homines terrigenæ, consurget adversus impium, *primo* per temporalia supplicia, famem, pestem, etc.; *secundo*, etiam in die judicii similiter applaudet summo Judici, quando reprobos devorabit et absorbebit : ita S. Gregorius et Polychronius. Omnis itaque natura cum eo qui Deo est invisus inimicitias geret, et partem quidem malorum a cœlo accipiet, contra eum pugnante Deo; partem vero a terra, invadentibus hominibus : et cœlum quidem ipsum ejus reteget iniquitates, ejusdem facinora divina ultione propalam collocante, cum sceleribus supplicium fuerit divinitus constitutum; ipsaque terra instructis armatisque copiis decertabit; juxta illud *Sap.* v, 18 et 21 : « Et accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum : et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. »

Cæli et terra suo more impios accusant et ulciscentur.

Vers. 28.

Improborum tandem iniqua consilia revelantur.

28. APERTUM ERIT GERMEN DOMUS ILLIUS, DETRAHETUR IN DIE FURORIS DEI. — Explicatio est superioris versus, et ostendit qualis futura sit illa revelatio, quæ fiet a cœlo et terra, quando in hominem impium ad divinum imperium suas exerent vires : revelabitur enim undenam luculentæ domus germen provenerit, id est lauta atque pretiosa supellex, et ornamenta alia, atque opes eximiæ, quæ tyrannos et principes eximunt a turba, et in heroum ordinem et splendorem evehunt. Tunc autem ubi constiterit, quibus sive fraudibus sive injuriis comparata fuerit illa rerum abundantia et gloria, nemo erit qui in illum spiritus non concipiat hostiles, et quasi naturæ monstrum et communem hostem non insectetur et exagitet; quod tunc accidet, quando Deus, qui ad illud usque tempus dissimularat furoremque compresserat, suos in peccatorum aculeos exeruerit, et ab excelso ad infimum usque gradum vana illius nomina et furtiva ornamenta detraxerit. Tunc enim, ut in Hebræo est, *migrabit proventus domus ejus, defluent in die iræ ejus*, id est, omnes divitiæ proventusque amplissimi, quibus in vita redundavit, in morte defluent aquarum instar, quæ ex monte in vallem magno impetu et quam celerrime decurrunt : « quoniam, ut David ait *Psalm.* XLVIII, 18, cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus, » ubi *non sumere omnia* idem est quod *omnia relinquere*, atque ab omnibus rebus imparatum ex hoc mundo educi. Huc spectat etiam illud S. Pauli I *Timoth.* VI, 7 : « Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quin nec auferre quid possumus; » a quo Seneca magni vir judicii *Epist.* 102, pulchrum illud didicerat : « Quidquid circa te jacet rerum tanquam hospitalis loci sarcinas specta. Transeundum est : excutit redeuntem natura sicut intrantem. Non licet plus efferre quam intuleris. » Sed pulchrius ad citatum Psalmi locum S. Ambrosius : « Gloria, inquit, sæculi non descendit cum peccatore; sed gloria virtutis ascendit cum innocente. » Illam igitur sæculi gloriam quærunt infideles, quæ non descendat cum illis, siquidem dum moriuntur non accipiunt multiplicatam gloriam domus suæ; sed cum virtute prædito, dum is ascenderit coascendet quoque gloria ipsius, scilicet virtus; cum descendente vero etiam condescendet. Quare cum hæc ita se habeant : « Ne timueris, inquit, cum dives factus fuerit homo, » id est, ne turberis aut indigneris, quando videris quempiam divitiis plurimis et ampla possessione conspicuum; neque magni feceris præsentem atque apparentem ejus felicitatem : nam quæ videntur divitiæ non sunt stabiles, et qui propter eas supercilia attollunt et buccas inflant, paulo post omnibus derelictis morti tradentur; nulla est autem utilitas diviti morienti, cum suas secum auferre divitias non possit, qui hoc tantum ex earum possessione lucratus est, quod anima ipsius in vita hac ab adulatoribus beata prædicaretur; ubi vero mortuus fuerit non sumet secum omnes has divitias : vix indumentum capiet, quo pudenda velet. Non igitur quia hic in vivis dives erat, idcirco etiam post mortem beatus reperietur; sed contra cum hic omnia habuerit, omnibus spoliatus et nudus tribunali judicis sistetur.

Omnia in morte deserenda.

Vers. 29.

29. HÆC EST PARS HOMINIS IMPII A DEO, ET HÆREDITAS VERBORUM EJUS A DOMINO. — Hanc, inquit, Deus vicem referet impio viro, has pœnas ab eo sumet pro verbis iniquis et blasphemis quibus Deum contemnebat, quod eum tot annos patienter ferret, et benigne, ut ad saniorem mentem rediret, exspectaret; hanc scilicet ob causam impii non verentur dicere, aut secum cogitare *Psalm.* XCIII, 7 : « Non videbit Dominus, neque intelliget Deus Jacob. » *Partem* autem posuit proportione hebræa phrasi; quam etiam partem David impiis hominibus tribuit dicens *Psalm.* X, 6 : « Pluet super peccatores laqueos : ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum. » Ecce tibi quid contumeliosa impiorum verba hæreditent a Domino, nimirum quod cœli revelent iniquitatem eorum in diem furoris Dei, quando omnes pœnarum procellæ in caput impiorum effundentur : hæc est pars, portio et merces impio reddenda a Deo, hebraice Elohim, a *Judice*. Hæc hæreditas *verborum*, hoc est *operum*, per metonymiam Hebræis usitatam, dicitur vero hæreditas operum quæ rependitur operibus. Pro *Domino* autem Septuaginta legunt παρὰ τοῦ ἐπισκόπου, *ab episcopo* seu superintendente, aut visitatore; quod nomen satis quadrat judicio Dei, de quo mentio facta est : veniet quippe ut speculator, explorator, censor, visitator, ut omnia discutiat, et suo rem quamlibet loco reponat. Et ad hunc modum Sophar orationem explet, in qua profecto non pauca selecta et sapiente viro digna effatus est; at quod ad Jobum attinet, quem pupugisse videtur, importunus et prolixus sermo fuit, cum Jobum impietas nulla, injustitia nulla, intemperantia nulla, vitium nullum ex iis quæ sunt objecta fœdasset : quod a lectore sæpius recolendum, ne male connectat, et ut viro innoxio culpam impingi non debere animadvertat.

http://www.obrascatolicas.com

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Job patienter ab amicis audiri postulans causam inquirit, quare impiorum nonnulli in finem usque vitæ prosperentur; alii contra rebus adversis obruantur: et respondet impium in diem perditionis a Deo servari, falsam amicorum consolationem per hoc convellens.

1. Respondens autem Job, dixit: 2. Audite quæso sermones meos, et agite pœnitentiam 3. Sustinete me, et ego loquar, et post mea, si videbitur, verba ridete. 4. Numquid contra hominem disputatio mea est, ut merito non debeam contristari? 5. Attendite me, et obtupescite, et superponite digitum ori vestro: 6. Et ego quando recordatus fuero, pertimesco, et concutit carnem meam tremor. 7. Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? 8. Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum. 9. Domus eorum securæ sunt et pacatæ, et non est virga Dei super illos. 10. Bos eorum concepit, et non abortivit: vacca peperit, et non est privata fœtu suo. 11. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, et infantes eorum exsultant lusibus. 12. Tenent tympanum, et citharam, et gaudent ad sonitum organi. 13. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. 14. Qui dixerunt Deo: Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus. 15. Quis est omnipotens ut serviamus ei? et quid nobis prodest si oraverimus illum? 16. Verumtamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longe sit a me. 17. Quoties lucerna impiorum exstinguetur, et superveniet eis inundatio, et dolores dividet furoris sui? 18. Erunt sicut paleæ ante faciem venti, et sicut favilla quam turbo dispergit. 19. Deus servabit filiis illius dolorem patris: et cum reddiderit, tunc sciet. 20. Videbunt oculi ejus interfectionem suam, et de furore Omnipotentis bibet. 21. Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se? et si numerus mensium ejus dimidietur? 22. Numquid Deum docebit quispiam scientiam, qui excelsos judicat? 23. Iste moritur robustus et sanus, dives et felix; 24. Viscera ejus plena sunt adipe, et medullis ossa illius irrigantur: 25. Alius vero moritur in amaritudine animæ absque ullis opibus: 26. Et tamen simul in pulvere dormient, et vermes operient eos. 27. Certe novi cogitationes vestras, et sententias contra me iniquas. 28. Dicitis enim: Ubi est domus principis? et ubi tabernacula impiorum? 29. Interrogate quemlibet de viatoribus, et hæc eadem illum intelligere cognoscetis. 30. Quia in diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur. 31. Quis arguet coram eo viam ejus? et quæ fecit, quis reddet illi? 32. Ipse ad sepulcra ducetur, et in congerie mortuorum vigilabit. 33. Dulcis fuit glareis Cocyti, et post se omnem hominem trahet, et ante se innumerabiles. 34. Quomodo igitur consolamini me frustra, cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?

Vers. 1, 2 et 3. Job postulat attente et patienter audiri.

1-3. RESPONDENS AUTEM JOB DIXIT: AUDITE QUÆSO SERMONES MEOS, ET AGITE POENITENTIAM. SUSTINETE ME, ET EGO LOQUAR: ET POST MEA, SI VIDEBITUR, VERBA RIDETE. — Orat Jobus atque obsecrat amicos, ut ad verba sua tantisper aures, atque animos advertant; speratque futurum ut ab errore, in quo antea fuerant, liberati multo aliter sentiant, et suam ipsi ultro cogitationem damnent: ita enim hactenus locuti fuerant, ut plane non viderentur intellexisse, imo neque audiisse quæ ab illo dicta fuerant; alioquin neque illa toties repeterent, quæ jam ab aliis objecta fuerant, et a Jobo confutata sapienter; neque tam se viro innocenti et tot exulcerato plagis infensos præbuissent. Cupiens ergo Jobus amicos suos ad meliorem mentem reducere, humillime attentionem postulat: sciebat quippe quam difficiles aures præbere soleant principes vera dicentibus, præsertim ad pœnitentiam hortaturis: quamobrem præter audientiam postulat et patientiam, quia usu jam cognoverat

Principes se difficiles præbent ad audiendam veritatem.

res molestas a regibus, quales amici illi erant, non audiri, nisi forte magna ad audiendum patientia obfirmarentur. Nil aliud igitur orat vir modestissimus, nisi ut parum molestiæ devorent amici, et ad objecta respondentem tantisper audiant; neque recusat, si minus responsa satisfaciant aut placeant, quin rideant aut irrideant quantum volent, quasi speret, si modo mediocrem adhibeant attentionem, et animos adferant minus quam hactenus offensos, nihil habituros amplius quod objectent. Ita Sanctius noster, qui simul pulchre expendit, quomodo hic Jobus impleat partes omnes oratoris optimi, adhibeatque illa quæ ad captandam benevolentiam gravissima judicantur, *primum* enim modeste obsecrat ut audiant; est autem modestia animorum conciliatrix mirifica: *deinde* causam docet intercedere gravissimam, quæ illum pene cogat, ut petat hanc sibi gratiam debere concedi, cum disceptatio non sit de nihilo, sed de re omnium gravissima, in qua de Dei gloria et de salute propria concertatio est; unde subdit:

Vers. 4. Jobi zelus in causa Dei.

4. NUMQUID CONTRA HOMINEM DISPUTATIO MEA EST, UT MERITO NON DEBEAM CONTRISTARI? — *q. d.* Si quæstio esset de offensione aut inimicitia hominis, haudquaquam contristarer aut anxius forem; jam autem cum quæratur an Deum offenderim, merito angor, et totis viribus contendo, ut rei veritas elucescat, quæ in magnam Dei gloriam cessura sit: est enim viri omnino pii zelo veritatis urgeri, molesteque ferre in hujusmodi occasionibus negligi, ut surdis parietibus occinere videatur. Agitur quippe causa Dei, quam dum tueri se putant hi Jobi consolatores molesti, verius oppugnant, dum dicunt affligi tantum in hac vita sceleratos et improbos. Quod de Deo minus decore ac vere dictum esse Job multis probat, ostendens in hoc genere in primis divinæ gloriæ honorisque zelum, qui ut est magnus et vehementissimus aculeus ad agendum aut dicendum, ita sine illo sæpe languet virtus et fatiscit, et contentiones in principio generosæ in medio ipso cursu concidunt: est nempe filiorum Dei hoc proprium vehementer commoveri, cum quid audiunt vel intuentur, quod parentis optimi dignitatem meritumque decus possit oblædere. Hinc animi mœror in vitiorum illa colluvione tabescentis; hinc viva et generosa proposita defendendæ gloriæ Dei, et objectis etiam vitæ periculis ubique amplificandæ.

Zelus filiorum Dei proprius: zelus mœrorem causat.

Eliæ zelus inflammatus.

Hoc zelo clarus fuit Elias, qui ut flammis pro lacte puer usus est, ut Hebræi volunt, ita continuo divinum quemdam ignem spirabat, eoque nomine curru igneo raptum esse in cœlum omnes consentiunt; singularem autem animi dolorem persentiebat, quod divina lex pro nihilo haberetur, et stulta omnes et vecordi cupiditate in vitium irent impiamque superstitionem: itaque S. Hilarius illum viribus et robore omni destitui et exanimari prope consuevisse notat, hominum vitia nefariosque mores contuentem, et cur igneo illo studio conficeretur, sic infit comm. *in Psalm.* CXVIII: « Videt enim irreligiosas damni querelas, impios luctuum fletus, profanam legis Dei oblivionem: » *irreligiosas* damni querelas *impiosque* fletus appellat eorum, qui cum in damnum et calamitatem incidissent aut familiæ orbitatem, contumeliosissime Deum appellabant, et furiosi animi voces in eum effundebant, ut earum miseriarum fontem et incommodorum. Quæ et similia cum essent in oculis, et a magno invictoque illo Vate quotidie exaudirentur, mœrebat scilicet et ingenti animi dolore conficiebatur: quod idem evenisse Davidi, heroicæ mentis viro, et charissimo Deo videmus, cum insaniens multitudo se in ingrati animi scelus et flagitiorum omnium labem ingurgitaret: nam diserte ait zelo se contabuisse. Et alio loco quid ex eo pateretur in hunc modum exponit *Psalm.* CXVIII, 53: « Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam, » ubi pro *defectione* quidam vertunt *horrorem*, tædium, pusillanimitatem; apud Septuaginta est ἀθυμία, quæ *dejectionem animi*, æstuantem mentis ægritudinem angoremque significat. David igitur profitebatur se intimo quodam horrore percelli, se prope linqui animo, et exsanguem afflictumque jacere ob peccatores; quod nimirum tot videret pereuntium naufragia, qui desertis rationis gubernaculis, et regentem a puppe Deum contemnentes, sceleri velificarentur, et ad funestum tandem exitum, ut ad infames scopulos suæ vitæ navem allliderent. Tanti periculi objectu ut densa nube operiebatur illius pia mens, et, ut dixi, ἀθυμίαν, *defectionem* et exanimationem sentiebat.

David præ zelo deficiebat animo.

Quid igitur mirum si B. Job, qui nec Davidi, neque Eliæ, neque antiquorum ulli pietate cedebat, cum ipsius erga Deum fides et religio pietasque ab importunis istis consolatoribus in discrimen vocaretur, animo commoveatur, justoque suam innocentiam et divinam gloriam tuendi zelo vehementer succendatur? non enim illi de sua apud homines gratia sermo est, sed apud Deum; a qua excidisse tam est exsecrabile, malum et horribile, ut excogitari majus nullum possit. Si de hominum gratia, aut de illorum de nostra sanctitate judicio sermo foret, non esset admodum laborandum: neque enim viri prudentes ac pii tanti faciunt plurimi se haberi ab hominibus, aut ab illis amari et coli, ut si hæc absint, admodum sibi dolendum esse putent. Quid enim magnum dari aut auferri potest ab hominibus? at satagere homo maxime debet, ne Deum sibi infensum habeat, quod si Dei grave de se judicium fore suspicetur, tunc vero mœret animo, æstuat, et magno atque assiduo timore concutitur. Cum ergo hæc gravissima sint, nil mirum si attentos sibi postulet et patientes amicorum animos, cum hac in disputatione magna volvantur rerum momenta: qui locus magnam etiam vim habet ad attentionem captandam; cum nemo putet e sua re fore

De hominum opinione et gratia non admodum laborandum, sed de Dei maxime.

http://www.obrascatolicas.com

aures avertere, aut dormitare segniter, cum de magno sive compendio sive periculo certamen instituitur : quapropter repetit :

Vers. 5. 5. ATTENDITE ME, ET OBSTUPESCITE, ET SUPERPONITE DIGITUM ORI VESTRO. — Est postulatæ attentionis amplificatio, cum talia dicat se facturum esse verba, ut nemo illa sine stupore audire queat, quare monet, ut silentio atque patienter audiant, neque dicenti obloquantur aut obstrepant, donec loquendi finem faciat. *Digitum* autem vel *manum ori imponere* nihil est aliud quam sibi silentium indicere, et tacere : idem inferius ait cap. XXIX, 9 : « Principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo; » et alibi cap. XXXIX, 34 : « Qui leviter locutus sum respondere quid possum? manum meam ponam super os meum, » id est, tacebo deinceps. Eodem loquendi modo usus est Sapiens in Proverbiis dicens cap. XXX, 32 : « Si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum; » item *Sap.* VIII, 12 : « Sermocinante me plura manus ori suo imponent; » et *Eccli.* V, 12 : « Si est tibi intellectus responde proximo; sin autem, sit manus tua super os tuum, ne comprehendaris in verbo indisciplinato, et confundaris. » Hanc quoque dicendi formulam, uti plures alias, a sacris Hebræorum libris mutuati sunt profani : inter quos Juvenalis canit *Satyr.* 1 :

Digitum ori imponere est silentii signum.

Cum veniet contra digito compesce labellum,

Harpocrates silentii Deus digito os sigillans. alludens ad Sigalionem seu Harpocratem silentii deum, qui apud Ægyptios Serapidis simulacro præpositus erat digito sigillans os suum : quo respicit Ausonius epist. 12 *ad Paul.* :

Aut tuus Sigalion Ægyptius oscula signet.

et Apuleius lib. *De Asin. aur.* : « At ille digitum a pollice proximum ori suo admovens, et in stuporem attonitus : Tace, tace, inquit, » etc.; unde apud Catullum repetitur formula hæc loquendi proverbialis : « Reddidit Harpocratem, » id est taciturnum, silentem; de quo vide Politianum *Miscel.* cap. LXXXIII, et Plutarchum lib. *De Isid. et Osir.*

Vers. 6. 6. ET EGO QUANDO RECORDATUS FUERO PERTIMESCO, ET CONCUTIT CARNEM MEAM TREMOR. — De tremendis Dei judiciis verba facturus præmittit se hæc ipsa cogitantem tremore concuti, quod sane boni æquique æstimatoris argumentum est : sive enim quæ Deus in suprema illa universalis judicii hora patrabit, sive quæ decurrentium temporum serie in causis hominum agit, æquis bilancibus penderentur, minime dubium, quin animum vehementer afficiant, a culpa dimoveant, ad virtutis studium exstimulent, viresque animi ad res grandes altius capiendas et pensitandas permoveant. Hacce divinorum judiciorum consideratione totus tremefactus atque perculsus David, se omnino illis intelligentia comprehendendis imparem agnoscens jure merito exclamat *Psalm.* XXXV, 7 : « Judicia tua abyssus multa! » ut significet rationem gubernandi, qua Deus in hoc mundo res humanas dispensat, ab homine reperiri aut capi non posse; quemadmodum fieri non potest ut quis abyssum emetiatur. In hoc etiam judiciorum Dei pelagus incomprehensibile intendens Paulus, et statum minime reperiens, circumscribit admiratione sermonem, et *divitias Dei* ac *profundum* appellat eadem dicens cum Davide, qui hæc *abyssum* vocat, cujus non sit statum reperire, neque possit mensura vel sensu comprehendi. Id autem omnium maxime plurimos torsit, quod sequenti versu proponit dicens :

Judiciorum Dei consideratio salubrem incutit timorem.

Vers. 7. 7. QUARE ERGO IMPII VIVUNT, SUBLEVATI SUNT, CONFORTATIQUE DIVITIIS? — Hæc sane quæstio adeo gravis antiquis hominibus visa est, ut et viros vitæ sanctimonia clarissimos torserit, e quibus David *Psalm.* LXXII, 3 : « Zelavi, inquit, super iniquos, pacem peccatorum videns; » et Jeremias cap. XII, 1 : « Quare via impiorum prosperatur; bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt, » etc. Hoc ergo idem proponit Jobus uti rem plane mirabilem : quod enim impius excrucietur, fœdetur, pudefiat, pœna est culpæ consentanea, quam nemo non perspicit, ac boni consulit; at quod prosperetur, floreat, splendeat, id porro neque ejus meritis congruit, neque rei proportio facile ex aliis capitibus seipsam prodit. A contrario vero, quod vir pius fama clarescat, ditetur, honoretur, mirifice consonat : debetur enim honor virtuti, omnisque opulentia recte collocatur in homine, qui ea ad honestum usurus sit finem; quod vero is afflictetur, vilipendatur, diripiatur, saucietur, neque ipsius meritis consentit, neque rei ratio idonea passim a quovis homine repetitur. Quidquid autem de rerum proportione mortales cogitaverint, e quibus nonnulli pios afflictos, impios prosperatos intuentes, Dei providentiam negare ausi sunt, profecto verissimum omni ætate fuit, pios ut plurimum affligi, impios plerumque secundis eventibus gaudere. Quod certe cum in dubium nisi ab ignaris revocari nequeat, hoc ipso proposito Jobus amicos suos vehementer urget, ut credant neque ex afflictione impietatis neque ex prosperitate pietatis argumentum duci posse, quæ est ipsa inter eos agitata controversia : quocirca sic Jobus agere credendus est, *q. d.* Vos concertatores mei graviter ac turgide pronuntiastis vexationem meam admissi criminis indicium esse, quo in asserto persistitis : si ergo ita se res habet, per argumentum a contrario secundus ac florens status pietatis indicium erit. Quomodo ergo impii prospere vivunt, læti, validi, locupletes, liberorum, cognatorum, amicorum agminibus septi? profecto ex hoc statu, quo nihil a mortalibus beatius in hac vita contingere posse judicatur, sententia vestra adstruendum est eos homines pios esse : at omnino exploratum est impie plerosque ex illis agere, intemperantiæ servire, prædis inhiare; patet ergo vos extra veritatis orbitam evagari, ac enormiter in re maxime seria, divinæ videlicet providentiæ

Mirum est sanctos affligi et impios in hac vita prosperari.

Neque ex afflictione impietatis neque ex prosperitate pietatis argumentum duci.

opinione, seduci, quod evincit solidissimum Jobi argumentum in forma positum.

Divitiæ senectutem accelerant. Septuaginta pro *sublevati sunt confortatique divitiis* legunt, πεπαλαίωνται δὲ καὶ ἐν πλούτῳ, *senuerunt autem et in divitiis;* non quidem quod diu in divitiis perseveraverint, sed quod cito in divitiis consenuerint : sic enim D. Ambrosius lib. II *De Interp. in Job.* cap. IV, recte interpretatur : « Inveteraverunt in divitiis dixit, ut non tam diuturna divitiarum possessio quam inveterata pecuniarum molestia significata videretur, » ubi mihi videtur appellasse hanc molestiam *inveteratam* ab effectu, quod efficiat senectutem; quanquam æque commode de diuturna in divitiis perseverantia sumi possit, scilicet ad vitæ usque finem et provectam senectutem iis perfruendo; unde subdit :

Vers. 8. 8. SEMEN EORUM PERMANET CORAM EIS, PROPINQUORUM TURBA ET NEPOTUM IN CONSPECTU EORUM, — id est, multos filios habent, multumque propagant genus suum, ipsosque circumstant filii, quibus longa datur lucis usura, et ex eis nepotum numerosa silva, et cognatorum luculentus et copiosus numerus; quæ liberorum multitudo apud antiquos in summæ parte felicitatis ponebatur, quos ea causa poeta prudens Euripides καλὸν θησαύρισμα, *eximium thesaurum* appellat; adeo ut poetica Niobe, cum filios tantum septem totidemque filias excellenti formæ dignitate in lucem edidisset, incredibilem in modum glorians se Latonæ superbissima quadam ambitione prætulerit, et cum ipsis magnis numinibus de felicitate sit ausa contendere. Qua fictione docti homines docere voluerunt nihil esse in nuptiis jucundius, nihil optabilius aut communi voto frequentius amplissima familia et numero magno florentium liberorum.

Liberorum multitudo erat antiquorum summa felicitas.

Spiritales patres fecundiores quam corporales. Mystice hic versus ad spiritales quoque Patres referri possit, qui Ecclesiæ filios genuere multos sempiternæ gloriæ hæredes futuros; et ne Priami similes quosdam genitores quisquam putet, qui liberos quinquaginta sustulit, partim flagitiosis amoribus infames, partim miseros omnes morituros, quippe corporibus ut luteis thecis involutos, quæ franguntur. Septuaginta sic Jobi locum hunc efferunt disertius, ὁ σπόρος αὐτῶν κατὰ ψυχήν, *semen eorum secundum animam*; quibus in verbis arcanum quoque mysterium vidit Origenes, quod mirifice hanc divinam fœcunditatem et prosapiæ tam inclytæ splendorem illustrat, nam illa verba *secundum animam* sic interpretatur, ut in eo numeroso grege filiorum nullus sterilis sit, omnes fœcundi, omnes secundum animam viri, qui videlicet ipsi quoque post se relinquant animas Deo generatas : quare Job *nepotes* appellat, Chaldæus *filios filiorum;* in Hebræo est *germina*, plantæ uberrimæ germinantes, ut intelligamus nullum esse hibernum tempus, nullam brumam aut frigoris magnitudinem quæ impediat, quominus hoc divinum semen pullulet, et novo partu amplificetur. Complevit orbem universum facti insueti admirabilitate nobilis e Batavia mulier, quæ trecentos sexaginta quinque fœtus uno die in lucem edidit; sed longe fuit in suo genere fœcundior magnus Petrus, qui nova et inusitata partione tria primum, deinde quinque millia Christo peperit; et fuere post etiam alii feliciores in pia sobole procreanda, nam, ut cæteros præteream silentio, S. Franciscus noster Xaverius, vir apostolicus et mirabilium rerum effector, uno in oppido (Tolum vocant) millia omnino vigintiquinque per undam et institutionem salutarem Ecclesiæ christianæ genuit vitaque donavit : ita Tursellinus in ejus *Vita*, lib. III, cap. III.

Per filios et nepotes spiritaliter opera nostra significantur. S. Ambrosius lib. *De Interp. Job.* cap. IV, per hos filios et nepotes, qui coram eis permanent, spiritali intelligentia adumbrari putat opera nostra : ut enim filii superstites demortui parentis vel avi genus, nobilitatem, splendorem familiæ servant, vel etiam ignobilitatem et dedecus; ita opera nostra, quæ veluti filii sunt animi, illius nobilitatem vel ignobilitatem protendunt, ut scilicet ille *ingenuus*, ille *liber*, ille *nobilis* dicatur, qui virtuti adhæret; qui vero vitiis fœdatur, *ignobilis* prorsus et *abjectus* habeatur. Verba S. Ambrosii sunt ista : « Filii eorum in oculis, id est, quæ faciunt ideo faciunt, ut videantur ab hominibus, non quia boni consulant, et hoc eligant, quod futuro judicio comprobetur : *filios* enim Scriptura pro operibus frequenter usurpat, eo quod locupletior in bonis factis quam in filiis sit nostra posteritas : » sic ille.

Vers. 9. 9. DOMUS EORUM SECURÆ SUNT ET PACATÆ, ET NON EST VIRGA DEI SUPER ILLOS. — Præterquam, inquit, quod multis bonis fruuntur, nihil etiam incommodi accipiunt : nam ab iis divinæ correctionis virga procul videtur recessisse, et in ipsos suas divitias ubertim effudisse fortuna melior : idipsum David graviter conqueritur, et quodammodo se scandalizatum fuisse non diffitetur dicens *Psalm.* LXXII, 2 : « Mei autem pene moti sunt pedes; pene effusi sunt gressus mei, » ubi *pedes* et *gressus* metaphorice vocat cogitationes, quæ tempore calamitatum a vero judicio desciverant, et ad ea quæ non oportet defluxerant. Hujus autem turbationis causam subdit : « Quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns : » ringebatur nimirum et torquebatur pietatis studiosus, cum videret se assidue cum tribulationibus conflictari, et e diverso impios summa pace ac prosperitate perfrui. Et quod majus est : « Quia non est respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eorum : » cum nunquam mortem viderint oborientem, neque morbum gravissimum ingruentem : *firmamentum* enim *plagæ* seu flagelli vocat stabilem infirmitatem. Quin et a communibus eos hominum laboribus eximit dicens : « In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur : » quippe quibus omnia ex voto et animi sententia fluant, ac proinde nullum laborem aut dolorem sentiant; sed non idcirco meliores effecti sint, nam, ut sequitur, « Ideo tenuit eos superbia, et operti sunt iniquitate sua, » ubi

Impios hic non puniri, quia non sunt filii Dei.

http://www.obrascatolicas.com

plurima recenset David, quæ animum ipsius perturbabant. Hæc autem sunt, primum quidem, quod iniqui in alta pace versarentur; deinde vero, quod per totam vitam prospere ipsis cuncta succederent, ita ut ad mortem usque felicitas extenderetur; præterea, quod vix unquam ipsis flagellum increpatorium obtingeret. Super hæc omnia autem, quod laboribus humanis minime communicarent, neque quotidiano opere indigerent ad victum necessarium comparandum; siquidem omnia ipsis ad nutum affluerent, atque idcirco præ se cæteros despicerent. Sed argute ac pulchre ad hoc propositum S. Bernardus serm. *De Obed. et patient.* : « Quomodo, inquit, natus sibi videtur homo, si labores fugitet et dolores? aut quomodo scit se esse hominem, qui ad id paratus non est ad quod natus? Num ad laborem natum se dubitet, qui natus est in dolore? Sed dolorem parturientis clamor, laborem prolis fletus indicat et vagitus. Nemo sane in hac misera vita geminam hanc vexationem se evadere glorietur: nemo quippe ex omnibus filiis Adæ sine labore hic vivit, nemo sine dolore. Est qui declinat aliquos, sed incidit procul dubio in graviores : *In labore*, inquit, *hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.* Non tamen continuo sine labore sunt, aut minime flagellantur : nam qui in labore hominum non sunt, in labore dæmonum profecto erunt. Vide enim quod sequitur : *Ideo tenuit eos superbia,* » etc. Dum itaque levissimum hominum laborem fugiunt, qui est labor virtutis, quem Deus gratia sua sublevat, superbiæ et iniquitatis labori cervicem submittunt, qui et cum talento plumbi et gemitibus mortis confertur. Quod satis per se declarat in magnam illos Dei offensam et odium incurrisse, cum soleat ipse vel in filios suos virga flagellisque animadvertere, adeo ut nullum filium non castiget, ut Paulus ait *Hebr.* XII, 6 : « Quem enim diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit, » etc. : vide quæ *supr.* cap. XIV, 17, dicta sunt; ubi ostenditur Deus graviter iis irasci, quos hic non punit. Alia deinde impiorum bona enumerat subjungens :

Vers. 10. 10. BOS EORUM CONCEPIT, ET NON ABORTIVIT : VACCA PEPERIT, ET NON EST PRIVATA FŒTU SUO. — Non absimilem impiorum felicitatem David nobis graphice describit his verbis *Psalm.* CXLIII, 13 : « Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis : boves eorum crassæ. Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum, » id est, divitiæ illorum non possunt capi penuariis, et iisdem repleta sunt horrea; pinguia autem et fœcunda sunt pecora eorum et boves crassæ : in his enim apud antiquos felicitas consistebat priusquam moderna mollities et inertia invaluisset. Quin et ea quæ in agris erant tanta cura et custodia servabantur, ut neque seps concideret, neque transitus esset per ea quæ sepimento muniebantur. Sed magna pax atque securitas erat, ita ut nemo bellum moveret, nemo insidiaretur; sed in omnibus prospere agerent, nec ex ulla parte ipsis infortunium accideret; neque in plateis eorum, velut super mortuo aliquo, clamor ullus ederetur. Erant autem olim hominum divitiæ in pecoribus et armentis positæ; ut ex Jobi historia capite primo recensita, et ex Laban et Jacob in *Gen.* cognosci potest; et propterea ex hac re prosperos eventus fortunarum impii declarant. S. Ambrosius lib. II *De Interp. Job.* cap. IV, in malam partem locum hunc interpretatur, et homini avaro accommodat, quoniam bos animal est a natura homini datum ad laborem; unde optime dicitur : « Bos eorum concepit, et non abortivit, » id est, ex laboribus, quos in corradendis pecuniis exantlant, novos in dies labores, ærumnas et mala hauriunt; ergo eorum bos et vacca fœcundæ sunt, quia novos in dies fœtus novorum laborum progenerant, et in lucem edunt. Vel saltem sumpta est metaphora ab his qui terram aratro proscindunt, nimirum ab eo loco sulcum ducere consueverunt, in quo prior sulcus desinit. Volvitur ergo avarus in orbem, et novos in dies labores sibi accumulat. Quapropter eorum bos nunquam abortivit. Ipsa S. Ambrosii verba sunt ista : « Per *bovem* enim quid significatur nisi ruralis culturæ labor? qui semper redit in orbem, et nunquam desinit; sed cum impleri videtur revocatur in exordium; » et infra : « Ideo *bucula* eorum non abortit, sed parit, ut augeatur labor eorum; et quæ conceperunt omnia generant sine timore Dei; justi autem longe aliter gloriantur, non enim in abundantia divitiarum, neque in partu pecorum, sed in Domino gloriantur. » Sic ille.

Gradatio prosperitatis impiorum.

Cæterum hic observanda est elegans gradatio prosperitatis impiorum, quam sic ex superioribus resumemus : Quare ergo, inquit, impii a Deo vivere permittuntur? imo senescunt ad multos annos, sed et ditiores fiunt in dies, et substantia eorum augetur : nec tantum in suis personis diu vivunt, sed antequam e vita discedant, semen longævum in multitudine filiorum, atque in eis nomen ac familiam suam firmatam stabilitamque perspiciunt. Cum enim senes sunt, senes quoque filios vident ita vegetos et sanos, ut ad eamdem quam attigerunt ætatem illos perventuros certo teneant. Isti autem alios filios habent, ita ut numerosam nepotum et pronepotum catervam gaudeant contemplari, quibus nullum damnum, nullum flagellum, nullamque adversitatem contingere omnibus notum est. Nec vacca quidem sterilis est apud eos, et multo minus filiorum aut nepotum eorum uxores, quarum nec una quidem invenitur quæ non concipiat quoties congreditur; sed et conceptum servat incolumem ab abortu. Et tandem quod vivum integrumque peperit ac vegetum non infirmatur, non moritur, non interimitur; nec unquam mater se orbatam videt

Olim raro filii ante parentes morie-bantur.

filio suo. Hoc autem non sine mysterio dicit : quoniam in solatium naturæ Deus largiebatur primis illis sæculis, ut nullus filius ante patrem moreretur, ut Epiphanius lib. I *Cont. hæres.* observavit; sed potius parentes morientes viderent, atque relinquerent filios successores, donec in supplicium idololatriæ Thare, pater Abrahæ, qui dicitur fuisse auctor et artifex fingendi idola, primus punitus est morte filii sui cum esset adhuc vivens; unde, inquit Epiphanius, admiratione ducta divina Scriptura adnotavit dicens *Gen.* XI, 28 : « Et mortuus est Aram ante Thare patrem suum in terra nativitatis suæ. » Ideo notandum, quod non sine amaritudine et in seipsum reflexione S. Job hæc verba protulerit, eo quod ipse unus ex illis ipsis miseris patribus fuerit, dum filiis orbatus est, eosque miserrime interemptos vidit antequam moreretur. Deinde graphicam æque ac elegantem observabis in ejus verbis admirandæ in aliqua familia fœcunditatis descriptionem, per quam manifeste constat quanti facerent illi antiqui filiorum multitudinem; indeque colliges non sine causa Jobum fere in his omnibus suis dicendi vicibus de morte filiorum suorum et exstincta sua stirpe vel directe et aperte, vel indirecte et parabolice, ut nunc, lamentari.

Vers. 11. 11. EGREDIUNTUR QUASI GREGES PARVULI EORUM, ET INFANTES EORUM EXSULTANT LUSIBUS. — Sicut tenera, inquit, pecudum atque armentorum soboles saltu ac lusu in prato lasciviens dominorum suorum oculos oblectat, sic filiorum numerosa atque festiva soboles in plateis lusitat, et cum parentum mirifica voluptate lascivit. Verba hæc periphrasim continent vitæ liberioris, Dei timore minime coercitæ, ac intemperantiæ assuetæ, parumque pudicæ educationis, qua impii liberis suis indulgent, quos lascivire ac vanissimis motibus abuti sinunt. Detestanda profecto similium parentum socordia, qui quasi pecudes genuissent, non homines, ita potissimam partem muneris sui officiique negligunt, sic lubricæ stolidæque juventuti habenas in abrupta omnia permittunt, ut non magis sint parentes quam peremptores. Quod pro eo ac debuit graviter notans S. Augustinus lib. II *Confes.* cap. III, ait « non curare parentes quomodo liberi crescant Deo, quamque sint casti, dummodo sint diserti, potius deserti a cultura divina; » et alio loco : « Relaxabantur mihi ad ludendum habenæ ultra temperamentum severitatis in dissolutionem affectionum variarum. » Addit « inde prodiisse quasi ex adipe iniquitatem suam. » Reprehendit eosdem S. Chrysostomus qui omnia moliuntur, ut domi statuam opere antiquo pulchram et mirandam habeant, et tecta auro fulgentia, pretiosissimam autem omnium statuarum, puerorum animam, quatenus auream efficiant, nullam curam gerant. Itaque lib. III *Contr. vituper. vitæ monast.* hortatur parentes ad diligentem liberorum institutionem, ut sint « Χριστοφόρων οἰκοδόμοι ναῶν, *Christiferorum ædificatores templorum,* et curatores pugilum cœlestium, ut coronarum quoque participes esse mereantur. »

Noxia parentum in liberos indulgentia.

Ætas puerilis flexibilis et infirma indiget gubernatore.

Incredibile dictu est quam sit ætas illa prima flexibilis, quamque operose stabiliri in bono possit, ne quis forte leviorem a se operam hoc in negotio peti opinetur : « Ætas puerilis, ait S. Ambrosius lib. VIII *in Luc.* infirma est viribus, invalida ingenio, immatura consilio. » In hac igitur consilii inopia et naturæ imbecillitate quis non videt, quam facile errare et labi queat? unde Isidorus Pelutiosa lib. I *Epist.* 316, scite vocat τὸν ὀλισθηρὸν νεότητος, *lubricam juventutem;* aitque indignum videri, ut cum homines tam curiosi assiduique sint, tamque etiam diligentes in equulis instituendis, quorum vile pretium est, usus mediocris, et celer interitus, puerorum institutionem negligant, quibus Deus et similitudinem suam impressit, et æternitatem pollicetur. S. Hieronymus pari modo *Epist.* 43, *lubricum adolescentiæ* nominat, in quo se mœret aliquando prolapsum, et lib. II *Contr. Jovin.* certa experientia doctus, illud tanquam Sibyllæ folium effatumque promit : « Nisi vitia adolescentis et pueri prudentia pædagogi rexerit, omnis conatus ejus et impetus ad lasciviam properant. » Pauci enim similes sunt Herculi Prodiceo, juveni fortunatissimo, qui virtutem vultu et cultu austeram libenter sequantur; voluptatem ore blandientem, amœnitatibus cinctam et deliciantem repudient : est enim, ut notat Aristoteles lib. VII *Ethic.* cap. ult., juventus ad voluptates propensior. Quod etiam vidit, et divine monuit S. Chrysostomus epist. 3 *ad Olymp.*, dum ait in juvenili ætatis flore acriorem naturæ flammam excitari, ingentem esse libidinis velut tempestatem, imbecilliorem autem rationem : neque enim juvenum, inquit, animi admodum magno prudentiæ præsidio muniuntur, nec magnum virtutis studium et curam gerunt; verum ὁ μὲν χειμὼν τῶν παθῶν χαλεπώτερος, ὁ δὲ πάθη κυβερνῶν λογισμὸς ἀσθενέστερος, *et perturbationum tempestas atrocior est, et ratio quæ eas gubernat ac moderatur infirmior.* Hic omnino bonus parens et amans liberorum clavum arripiat necesse est, et fluitantem ætatulæ cymbam in tam æstuoso mari gubernet, nisi velit ejectam in littus et naufragam pueritiam intueri. Quare verum est quod aiebam, magnam quamdam et perennem diligentiam adhibendam esse ad præclaram liberorum educationem : simul enim agenda multa sunt, obstruendi aditus voluptati, adminiculanda imbecillitas, instillanda virtus, eliminandum vitium, secuturo præeundum.

Juventus ad voluptates propensior multis periculis exposita est.

Magna cura in puerorum educatione adhibenda.

Eleganter Seneca lib. III *Natur. Quæst.* cap. ult. : « Virtus difficilis inventu est, rectorem ducemque desiderat : etiam sine magistro vitia discuntur. » Atque hæc mollis pueritiæ adolescentiæque educatio cum tanti sit momenti non modo ad bonum singulorum, verum etiam ad totius reipublicæ decus et felicitatem, animadvertunt Patres mundi auctorem Deum illius institutionis curam et potentissimos aculeos in natura genitorum inseruis-

http://www.obrascatolicas.com

se, ut officio tam necessario non deessent. D. Chrysostomus lib. III *Cont. vitup. vitæ monast.* cap. IV, eleganter, ut solet, de liberis educandis loquens, ait Deum πολλὴν ὑπὲρ τῆς τῶν παίδων ἀναστροφῆς πεποιῆσθαι σπουδήν, *summum studium optime educandorum liberorum induxisse, atque in natura inseruisse* : est enim illa clara naturæ vox, quam Sapiens divino instinctu inter acroamata sua illigatam esse voluit *Eccli.* VII, 25 : « Filii tibi sunt, erudi illos; » quam deinde excipientes philosophi velut quidam orbis terrarum monitores et magistri, docuerunt patrum proprium esse παιδεῦσαι, *liberos instituere*, ut ab Aristotele sæpe dicitur in Œcon. et *Ethic.*; hinc illud inter Cleobuli apophthegmata Delphico propylæo non indignum : Τέκνα παιδεύειν, *erudi liberos tuos*; et Aristoxenus pythagoræorum sapientiam attingens ait illos omnium ætatum non mediocrem habendam esse curam voluisse, præcipuum autem studium collocandum in liberis instituendis; quod ex eorum bona educatione fiat, ut nec pueri mores habeant infantium, nec juvenes puerorum, nec juveniliter se viri gerant, nec delirent senes.

Hebræorum studium in pueris instituendis.

Itaque sacra Deo gens Hebræorum, et populus peculiaris, a natura monitus, et præceptis cœlestibus eruditus, iis temporibus, quibus adhuc pietatem et religionem spirabat, in hac parte fuit insignis, et nationum omnium laudem meruit. De quo Josephus lib. I *Contr. App.* tria quædam Hebræorum instituta memorat, in quibus omnis eorum vita consumeretur; et primo loco nominat « filiorum educationem. » A primis autem annis divinam legem alte in animo inurebant, ut idem ait *ibid.* lib. II ubi hæc pulcherrima et commemoranda laus Abrahamidum ponitur : « Nostrorum quemlibet si quis leges interroget, facilius quam nomen suum recitat : universas quippe a prima pueritia discentes, in animo veluti inscriptas habemus. » Illud Moyses inter alia diligentissime commendaverat, cujus miram in legibus instituendis dum sapientiam prodit idem historicus, illud sane dixit egregie lib. IV *Antiq.* cap. VI : « Discant etiam pueri primum legem, quæ est doctrina optima; et causa felicitatis eximia. » Magnus autem et divinus ille Nomophylax Hebræorum non tam litteris quam exemplo id suo docuisse mihi videtur : animadvertit enim S. Ambrosius lib. II *Offic.* cap. XX, Josue tantum tamque in omni genere præstantem eximiumque fuisse propter Moysis disciplinam, a quo fuit eruditus, tum in divinorum cognitione, tum in vitæ integritate et moribus, atque adeo in gubernandi modo; unde ab eodem διδάσκαλος τῆς πρὸς Θεὸν εὐσεβείας, *doctor et magister pietatis adversus Deum est relictus*, ut Josephus ait lib. III *Antiq.* cap. II. Rabbini quoque de Elia vate scribunt, eum infantem et lambentem mammas genitricis conspectum esse non lac, sed flammas ab uberibus rapere. Sic vigente et beatis sæculis efflorescente politia Judæorum pueri parvi una cum materno lacte legem, mores, pietatem sugebant; nec fere prius gradum figere quam in via Dei ambulare docebantur. Hinc miranda atque ingentia illa bona, quibus Numen patres, liberos, familiam universam ob præclarum genus educationis cumulabat, sicut e diverso notæ sunt plagæ, quæ ex neglectu probæ educationis liberorum omni ævo multiplices exstiterunt : de quibus vide quæ cap. I, 5 attulimus, quæ eo referuntur ut genitores apud se reputent, quantam debeant in puerilibus mores providentiam intendere. Porro Job dissolutam impiorum vivendi rationem amplificans subdit :

Magnum probæ educationis bonum.

Vers. 12. Instrumentis musicis impii ad lasciviam se provocant.

12. TENENT TYMPANUM ET CITHARAM, ET GAUDENT AD SONITUM ORGANI, — id est, lætos semper ducunt et geniales dies, musicis se numeris oblectant, qui prope dicam facti ad lasciviam; cum in animum liberiorem inciderint, mirum dictu quam gestientes in eo motus et incompositos efficiant, et fræna modestiæ relaxent. Sic videmus quosdam imitari notum illum in Halesina regione fontem clarorum hominum scriptis illustrem, qui cum alias sit quietus, et placide suo in alveo contineatur, cum tamen insonuerint tibiæ exsultat, et attollitur ad cantum, et quasi vocis et instrumentorum miretur suavitudinem ultra margines intumescit. Sic præsertim adolescentes, in quibus adhuc ebullit sanguis, neque domitas satis habent et compressas animi appetitiones, cum tympani, citharæ et organorum musicorum cantus ille accesserit, ut blandæ libidinis invitamentum incitantur, et extra lineam gyrumque modestiæ facile effervescunt.

Mollis cantus et sonus animos effeminat.

Divine S. Leo serm. *4 in jejun. sept. mensis* : « Insidioso, inquit, sono et mollibus ictibus pulsantur auditus, ut animi soliditas illecebrosa modulatione solvatur, et lethalium consuetudine suavitatum incauta et parum sobria corda capiantur : » non sine causa *insidiosum* appellat sonum, quod blande suaviterque influens, ut amicus animo pestem ferat, eo nocentior quo jucundior. Quo eodem modo S. Valerianus *Homil.* 6, *insidiosos cantus*; cujus dictum longe pulcherrimum ut sapphirum aureis notis interpunctum hic subjicio : « Nemo insidiosis cantibus credat, nec ad illa libidinosæ vocis incitamenta respiciat, quæ cum oblectant sæviunt, cum blandiuntur occidunt : » præclare. Unde et illis telum S. Gregorius Nyssenus attribuit hom. *4 in Eccle.*, ait enim duplicia esse tela voluptatis, quibus animam conficiat : hoc in oculos dirigitur, illud in aures. Auditus phalarica est ᾠδὴ, θῆλυς φθόγγος, *cantus, muliebriter emollita vox in titillantem et solutam cantilenam.* Hæc per fractam modulorum harmoniam meretriciosque numeros ad dulcia verba copulatos ad cor penetrat, et inducit vitiositatem. Itaque monet sapienter Clemens Alexandrinus lib. VI *Strom.* « παιττὴν μουσικὴν, *musicam insolentem*, nimium exquisitam et vinulam esse despuendam, ut κατακλῶσαν τὰς ψυχὰς, *frangentem animos* et emollientem. S. Basilius *Hom.* 24, eamdem item ob causam vocat διαφθαρμένην μελῳδίαν, *corrumpentem* et perniciem animis adferentem *melodiam*; e qua tanquam e parente oriantur ἀνελευθερίας πάθη, *minime ingenuæ* et liberales animæ *affectiones*. Reprehendit acriter istiusmodi cantilenas idem Pater hom. *De Ebr.*, dicens eas μιαίνειν τὸν ἀέρα, *inficere ipsum aerem* et contaminare. Jure ergo detestabatur venereos illos cantores Jeremias cap. XV, 17 : « Non sedi in concilio ludentium, quod græce est παιζόντων; Chaldæus habet *cantantium*: cum eorum hominum cantum ut pestilentissimi loci contagionem vitandum esse putaret S. Chrysostomus *in Psalm.* XLIII et CXVII, eos cantus vocat διαβολικὰ μελίσματα, *diabolicas modulationes*, et aliis in locis σατανικὰς ᾠδὰς, *Satanæ odas et cantica*, quod a malo et impuro dæmone inspirentur. De istiusmodi ergo impiis lusoribus apte subjungitur :

Vers. 13. Cito mori eum habitum felicitatis genus.

13. DUCUNT IN BONIS DIES SUOS, ET IN PUNCTO AD INFERNA DESCENDUNT. — Describit adhuc apparentem felicitatem impiorum, qui a vulgo felices eo nomine censentur, quod cum tota vita bonis fortunæ abundarint, etiam sine dolore ex hac vita migrent, cito moriantur, nec longa ægritudine discrucientur et tabescant : putabant enim veteres pertinere ad felicitatem non longo morbo tabescere, sed statim mori. Id quod etiam est perspicuum ex *Thren.* IV, 6, ubi dicitur majorem fuisse pœnam iniquitatis Jerusalem subversione Sodomorum; cujus rei statim redditur ratio illis verbis : « Quæ subversa est in momento : » audi Prophetam : « Major effecta est iniquitas populi mei (id est pœna iniquitatis) peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento, » quia videlicet Jerusalem multo tempore passa est obsidionem et captivitatem. Idem confirmari potest ex *Psalm.* LXXII, 4, ubi de reprobis dicitur : « Non est respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eorum, » quod Septuaginta interpretantur, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀνάνευσις ἐν τῷ θανάτῳ αὐτῶν, *quia non est declinatio in morte eorum*, quomodo etiam S. Augustinus transtulit; et Theodoretus exponit vocem istam ἀνάνευσιν significare ἀπαγόρευσιν, *repudiationem*, renutum, repulsam. Aquila clarius reddit, οὐκ εἰσὶν δυσπάθειαι τῷ θανάτῳ αὐτῶν, *non sunt acerbitates et dolores morti ipsorum*; Pagninus ex Hebræo transtulit, *quia non sunt ligamenta in morte eorum, et sana est fortitudo eorum*, id est, non longa infirmitate detinentur, sed moriuntur quasi sani et potentes viribus. Quod autem hoc felicitatis loco numeretur patet ex iis quæ sequuntur *ibid.* vers. 5 : « In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur, » *q. d.* Non sunt sicut cæteri homines, qui nascuntur ad laborem et dolorem. Pertinet ergo hoc, uti omnia præcedentia, ad prosperitatem impiorum quam exoptant; unde Septuaginta vertunt, συνετέλεσαν δὲ ἐν ἀγαθοῖς τὸν βίον αὐτῶν, ἐν δὲ ἀναπαύσει ᾅδου ἐκειμήθησαν, *consummaverunt autem in bonis vitam suam, et in requie inferni dormierunt*, id quod de requie corporis in sepulcro passim exponunt Hebræi et recentiores interpretes fere omnes, et Græci in *Caten.* Beda tamen cum S. Gregorio lib. XV *Moral.* cap. XXIV, illud : *Et in puncto ad inferna descendunt*, ad pœnam impiorum referunt, quasi in puncto mortis ex hac vita, quam adeo amabant, ad inferni supplicia detrudantur.

Quomodo descensus fiat in puncto.

Sed quis non ducat impossibile, ex terræ superficie, quæ novies millia passuum distat a centro seu inferno damnatorum, ad inferni centrum in puncto descendere, cum descensus motus sit continuus, qui natura clamante fieri nequit, nisi in tempore fiat? Si tamen verum est, uti et est, quod philosophia docet, motus majorem vel minorem velocitatem pendere a mobilis minori vel majori gravitate, quid mirum si peccatores infinito pondere onusti descendant in puncto, cum naturali motu naturæ Auctore sic dispensante, ut innaturale monstrum imitetur, in quo nec principium est reperire nec finem? Sic ergo esto, quia ubi datur spatium inter naturalem motum et quietem, hic innaturalis motus tam prodigioso modo quietem unit et motum, ut peccatores in puncto ad inferna descendant. Hoc ut clarius intelligatur, ad lancem revocandum est hebraicum verbum רגע *ragagh*, a quo nomen puncti in Hebræo deducitur, et in quo, uti Pineda observat, contrariæ significationes uniuntur : significat enim vel *subitam conturbationem*, vel *quietum otium*; vel *quietum momentum*, vel *subito*, repente; vel *quietem*, otium, tranquillitatem; inde Vulgatus ברגע *beregagh* vertit, *in puncto*, sive in momento, vel subito, ceu repente, *ad inferna descendunt*; Pagninus vero, Thargum, R. Moyses, R. Abraham et Septuaginta, ἐν ἀναπαύσει ᾅδου ἐκειμήθησαν, *in requie inferni dormierunt*. Uniuntur ergo in tali descensu quies et turbatio, status et casus, terminus et motus, tranquillitas et præcipitatio, otium et præcipitium, requies et ruina, hæc omnia prodigia operante infinita peccati gravitate : gravabit enim *Isai.* XXIV, 20; « eum iniquitas sua, et corruet, et non adjiciet ut resurgat. » Et cui mirum, si peccati onus homini colligatum sic in momento et quiete hominem a superficie terræ ad centrum præcipitet, cum eadem culpæ gravitas spiritibus alligata præcipites et in puncto eos a cœlis ad inferna detruserit, deturbarit, ac pessumdederit?

Lapsus mors plerumque improvisa accidit.

Magnam sane vim prodit punctum illud tremendum : solent quippe impii futuræ vitæ supplicia præmiaque non magis meminisse, quam si nunquam ex hac vita, quam impensissime amant, essent migraturi; nihil de placando Deo, de culpis expiandis, de animo ad conflictum mortis virtutibus veris armando cogitant; interim vero dum conviviis et lusibus licenter indulgent, horrendo Dei judicio corripiuntur, neque indulgetur tempus ad res componendas vitamve corrigendam. Ita Baltassarem splendide epulantem tres digiti in pariete aulæ regiæ scribentes terruerunt. « Et eadem nocte (inquit textus *Dan.* V, 30) interfectus est Baltassar rex Chaldæus; » cujus mortis celeritatem contemplatus Isaias cap. XXI, vers. 4 : « Emarcuit, inquit, cor meum : tenebræ stupefecerunt me. Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum, » ubi non immerito admiratur Pro-

Baltassar in mensa mortis sententiam accipit.

http://www.obrascatolicas.com

pheta tantam imperii molem tam subito in cineres ac favillas corruisse; et ne cæteri reges se a simili infortunio liberos arbitrarentur, subdit Propheta alloquens Babylonem, et in ea cæteros mundi principes *ibid.* vers. 5 : « Pone mensam, contemplare in specula comedentes et bibentes : surgite, principes, arripite clypeum, » *q. d.* Etiam cum ad convivium acceditis sepulcrum recogitate : aliorum vulnera sint vobis specula, in quibus vestra citius fortasse quam putatis adfutura spectetis. Vel aliter : Etiam cum mensæ accumbitis oportet esse in specula, seu more speculatorum vigilare, si quod hostium adventantium signum inferatur : nam etiam inter epulas invadunt hostes, et prælia inter convivia exoriuntur : quare, principes, e mensis surgite ad pugnas, et e poculis ad clypeos convolate, antequam repentina vos calamitas aggrediatur.

Etiam mensa sit specula, ex qua futura mors prospiciatur.

Si igitur unius Baltassaris ruina cautos nos facere debet et attonitos; quid tantorum principum interitus, qui in singulas horas mortis gladio demetuntur? Nulli sane homines frequentius quam principes subitaneæ ac repentinæ mortis insidias patiuntur; unde illud Juvenalis *Satyr.* 10 :

Reges et principes repentinis mortibus patent.

> Ad generum Cereris sine cæde et vulnere pauci
> Descendunt reges et sicca morte tyranni.

Res in primis patet in sacris litteris, nam rex Saul periit a seipso interemptus I *Reg.* XXXI, 4; rex Ela a servo suo occisus III *Reg.* XVI, 10; rex Zambri cum domo regia a seipso incensus *ibid.* vers. 18; rex Syriæ Benadad a servo suo strangulatus IV *Reg.* VIII, 15; rex Joas a duobus servis suis interfectus IV *Reg.* XI, 21; rex Zacharias a Sellum filio Jabes percussus IV *Reg.* XV, 10; rex Sellum talionem passus a Manahem filio Gadi *ibid.* vers. 14; rex Phaceia, filius Manahem, a Phacee filio Romeliæ subito oppressus *ibid.* vers. 25; rex Phacee pro talione ab Osee obtruncatus *ibid.* vers. 30; rex Amon a servis suis et in domo sua confossus II *Paralip.* XXXIII, 24; rex Josias a sagittariis vulneratus II *Paralip.* XXXV, 24, et sic de cæteris. Et quidem de regibus Samariæ recte dicitur *Ose.* X, 2 : « Divisum est cor eorum : nunc interibunt, » quia, interprete Ruperto, ubi se a Davidis imperio diviserunt, decies in seipsos rebellarunt alii alios occidentes; unde statim spumæ comparantur *ibid.* vers. 7 : « Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ : » Quia sicut in fervente olla, inquit Rupertus, superiores aquæ in spumam bullasque erumpunt, ipsæque bullæ subsilientes colliduntur, et aliis emergentibus aliæ crepant et dissiliunt : ita Samaria vel decem tribus jugi ferventes igne discordiæ reges alios super alios crearunt, et usque ad decem vices percusserunt. Sic mors inter eos reges sanguinariis armata telis grassabatur, scilicet quos interna potentia firmius muniebat, externa invidia acrius oppugnabat.

Reges Samariæ spumis comparati.

Nescio an inter alios mundi principes mors licentius debaccharetur : tam multi sæpe repentinum in interitum præcipites abibant; testis sit D. Hieronymus in epist. 3 *ad Heliod.* sub finem, ubi de hac re longum edidit catalogum : « Constantius, inquit, arianæ fautor hæreseos dum contra inimicum paratur, et concitus fertur ad pugnam, in Mopsi viculo moriens magno dolore hosti reliquit imperium. Julianus proditor animæ suæ, et christiani jugulator exercitus, Christum sensit in Media, quem primum in Gallia denegarat : dumque Romanos propagare vult fines perdidit propagatos. Jovinianus gustatis tantum imperialibus bonis fœtore prunarum suffocatus interiit; ostendens omnibus quid sit humana potentia. Valentinianus vastato genitali solo et inultam patriam derelinquens vomitu sanguinis extinctus est : hujus germanus Valens Gothico bello victus in Thracia eumdem locum et ortus habuit et sepulcri. Gratianus ab exercitu suo proditus, et ab obviis urbibus non receptus, ludibrio hosti fuit; cruentæque manus vestigia parietes tui, Lugdune, testantur. Adolescens Valentinianus, et pene puer, post fugam, post exsilia, post recuperatum multo sanguine imperium, haud procul ab urbe fraternæ mortis conscia necatus est, et cadaver exanime suspendio infamatum. Quid loquar de Procopio, Maximo, Eugenio, qui utique dum rerum potirentur terrori gentibus erant? Omnes capti steterunt ante ora victorum, et (quod potentissimis quondam miserrimum est) prius ignominia servitutis quam hostili gladio confossi sunt. Regum talis conditio est : *Feriuntque summos fulmina montes.* » Sic Hieronymus. Eadem de re luculenter scripsit D. Petrus Damianus lib. 1 *Epist.* 17 : « Sæculares, inquit, principes, qui turbis popularibus præsunt, sæpe gladiis perimuntur : nam, ut de multis paucos adhibeam, Caius, Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius, omnes isti imperatores per continuam sunt seriem unus post alterum principati, et, excepto Claudio, cuncti sunt vel suis vel hostilibus gladiis interempti. Postmodum quoque, sicut romana narrat historia, Marcianus, Antonius, Alexander, Maximus, Gordianus, Decius, Gallus, Volusianus; omnes hi seriatim sibimet per continuum ordinem succedentes gladio trucidante prostrati sunt : » hæc ille. Et lib. VII *Epist.* 5, multo plures commemorat imperatores repentina morte oppressos; additque ex romanis historiis liquido constare quam pauci reipublicæ principes communi morte defecerint. Nec minorem de his casibus repentinisque mortibus elenchum texuerunt Petrus Blesensis in tract. *De Hieros. pereg.* et in epist. 42 *ad Robert. Camer. elect.*, et Salmeron tom. VIII, *Tract.* III in 11 fidei ostensione.

Repentinæ diversorum regum ac principum mortes.

Imperatorum repenta morientium series.

S. Patres multi sunt in repentinis et inopinatis istiusmodi mortis casibus recensendis atque exaggerandis, ut languentes nos et torpentes in negotio salutis exstimulent, et salutari horrore percellant. D. Basilius in orat. *De Mort.* circa medium :

Plurimum mortis viæ inopinatæ.

« Perpende, inquit, obsecro plurimos violentis periculorum incursibus esse raptos, quibus ne vocem quidem emittere ob mali irruentis atrocitatem permissum est : quid igitur exspectas tempus quo incertum est, num cogitationum etiam tuarum dominus sis futurus? » sic ille; ubi plura de hac re, quam D. Ephrem orat. *in eos qui in Christo dormierunt* latius prosequitur : « Multi, inquit, dum multa secum statuerent ad crastinum non pervenerunt; at subito rapti sunt sicut passerculi ab accipitre, et velut agni a lupo, et quasi captivus a latrone, nec loqui prorsus valentes, nec testamentum condere, neque vocem ullam edere. Alii enim vespere cubitum sani concedentes ad mane non pervenerunt : alii ad mensam accumbentes exspirarunt : alii inter ambulandum et ludendum repente sunt mortui : alii in balneo morientes idem lavacrum pro epitaphio ac sepultura habuerunt : alii dum nuptias celebrarent, in ipso thalamo nuptiali subito atque inopinate abrepti sunt; et eadem sibi vestimenta pro nuptiis pararunt atque pro funere : successeruntque in locum tibicinum lamentantes, et in locum saltantium atque tripudiantium lugentes atque plorantes. » Non minus copiose Tertullianus lib. *De Anim.* cap. LII, multis exemplis ostendit mortem contingere repentinam etiam inter magnas voluptates; imo tunc majori cum dolore quam inter magnas adversitates : inter amara enim amarum mortis calicem haurire levius quivis feret : inter dulcia et suavia quis patiatur? « Etsi, inquit, præ gaudio quis spiritum exhalet, ut Chilon Spartanus, dum victorem Olympiæ filium amplectitur, etsi præ gloria, ut Clidemus Atheniensis, dum ab histrionibus ob præstantiam auro coronatur; etsi per somnium, ut Plato; etsi per risum, ut P. Crassus : multo violentior mors, quæ per aliena grassatur; quæ animam per commoda expellit; quæ tunc mori affert, cum jucundius vivere est in exsultatione, in honore, in requie, in voluptate. » Quod statim illustrat eleganti similitudine desumpta a naufragiis, quorum acerbiora judicantur quæ in serenitate contingunt : « Vis est, inquit, et illa navigiis, cum longe a Caphareis saxis nullis deturbata turbinibus, nullis quassata decumanis, adulante flatu, labente cursu, lætante comitatu, intestino repente perculsu, cum tota securitate desidunt : non secus naufragia sunt vitæ, etiam tranquillæ mortis eventus. Nihilo refert integram abire corporis navem, an dissipatam, dum animæ navigatio evertatur. » Sæva igitur semper est mors impiis, et eo sævior, quo minori sævitia præludit, et callidioribus blanditiis adulatur.

Mors repentina inter magnas voluptates acerbior accidit.

Circa idem argumentum late spatiatur D. Augustinus lib. XXII *De Civit.* cap. XXII, docens ab innumeris casibus mortem repentinam provenire : « Ab æstibus, inquit, frigoribus, tempestatibus, imbribus, alluvionibus, coruscatione, tonitru, grandine, fulmine, motibus hiatibusque terrarum, oppressionibus ruinarum, ab offensione et pavore vel etiam malitia jumentorum, a tot venenis fruticum, aquarum, aurarum, bestiarum, a ferarum vel tantummodo molestis vel etiam mortiferis morsibus, a rabie, quæ contingit ex rabido cane, vel etiam blanda et amica suo domino bestia, nonnunquam vehementius et amarius quam leones draconesque metuatur. Quæ mala patiuntur navigantes? quæ terrena itinera gradientes? Quis ambulat ubicumque non inopinatis subjacens casibus? Quid videtur sedente securius? De sella, in qua sedebat, cecidit Heli, et mortuus est. » Hactenus D. Augustinus; ubi de morborum remediis (ut hoc obiter dicam) eleganter addit : « Etiam ipsa adjumenta et medicamenta tormenta sunt, ut homines a pœnarum exitio pœnali eruantur auxilio. » Et utinam semper essent auxilio; verum sæpenumero per ipsa mortis avertendæ remedia mors acceleratur. De hac iterum D. Augustinus in *Soliloq.* cap. II, ubi post multa de humanæ vitæ miseriis subdit : « Subsequitur his importuna mors, quæ mille modis quotidie miseros homines inopinate rapit : hunc necat febribus; illum opprimit doloribus; hunc consumit fames; illum sitis exstinguit; hunc suffocat aquis; illum interimit laqueo; illum perimit flammis; alium dentibus bestiarum ferocium vorat; hunc trucidat ferro; illum veneno corrumpit; alterum tantum repentino terrore miseram vitam finire compellit. Et nunc super hæc omnia summa miseria : quia cum nihil sit certius morte, ignorat tamen homo finem suum; et cum stare putat, colliditur, et perit spes ejus. » Hæc ille.

Medicamenta sunt tormenta.

Nec ab his mortibus repentinis ac violentis semper excipiuntur sancti : nam et hi quandoque cita et intempestiva morte præripiuntur. Sed ea inter sanctos et impios intercedit differentia, quod impiis non tantum intempestiva, sed quod gravissimum est, improvisa, utpote ad eam minime paratis, mors accidat; et sic in puncto, ut Job ait, ad inferna descendant; sanctis vero mors ut maxime interdum subitanea, nunquam tamen sit improvisa. Hinc *Sap.* IV, 7, « justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, » inquit Sapiens. Impii vero cum duxerint in bonis dies suos, in puncto ad inferna descendunt. « O qualem, inquit ad hunc locum Laurentius Justinianus lib. *De Vita Solit.* cap. X, fecerunt commutationem, ut videlicet exsultarent in exiguo tempore, et æterno cruciarentur supplicio! Quis illorum valet considerare jacturam? duplicia enim receperunt de manu Domini pro universis iniquitatibus suis : damni pœna torquentur et sensus : amiserunt namque Deum cœli delicias, angelorum consortium, merita electorum, Agni nuptias, beatam resurrectionem, immortalitatis stolam, et beatam vitam : in his potissimum damni consistit pœna. Illis autem addita est societas dæmonum, horrendus ipsorum aspectus, ardor inexstinguibilis ignis, stridor dentium, palpabiles tenebræ, interiores lacrymæ, improperiorum vociferatio, in-

Inter mortem repentinam impii et justi differentia.

Multiplex repentinæ mortis causa.

http://www.obrascatolicas.com

tolerabilis sitis, sulphureus fœtor, conscientiæ vermis, carcer abyssi, evadendi desperatio, et interminabilis divinæ visionis carentia, quæ dolores supereminet universos. Ista autem si saperent, et intelligerent, quibus adhuc bene operandi prorogatum est tempus, impensa gratia, et dilata sententia; equidem si novissima sua præviderent, non sic inaniter viverent, voluptati se darent, prostituerent vitiis, indulgerent corpori, diabolo obtemperarent, facultates quærerent, mundique pereuntem concupiscerent gloriam. Verum quia futura non præcavent mala, et præsentibus inhærent bonis, cum iisdem simul prætereunt pariterque deficiunt. » Cæterum istorum impiorum voces stultissimas audiamus :

Vers. 14. 14. QUI DIXERUNT DEO : RECEDE A NOBIS, ET SCIENTIAM VIARUM TUARUM NOLUMUS, — ubi, si cum Hebræo legas, *dixerunt forti*, vel *judici*, vel cum Septuaginta Κυρίῳ, *Domino;* nescies quidem quid prius vel quid posterius admireris, an phrenesin vel stultitiam impiorum : en debiles opponuntur forti; rei stant contra judicem; servi imperant domino, et mortales adversus Deum immortalem et arma sumunt, et dicere audent : « Recede a nobis; » vel ex Hebræo, *declina, ut via libera ut expedita maneat transeunti.* Olim pro maximo delicto impiis imputabatur recessus a via divinæ legis; at novum procacitatis genus hic proponitur ab impiis, qui volunt ut Deus recedat a via, et recedat ab ipsis : ita nimirum a Deo abiere procul, ut nihil cum eo voluerint habere commercii, imo jusserint illum a se facessere longissime; neque velle sibi ab eo vivendi legem modumque præscribi, sed pro lege ea tantum habere quæ suo animo collibuissent. Talis fuit amentia et infelicitas Judæorum, qui non solum Deum deseruere, sed insuper a se abigere et expellere visi sunt, eique vocanti et invitanti terga vertere, sicut notavit Theodoretus ad illum locum Jeremiæ cap. II, 19 : « Vide quia malum et amarum est, quod dereliquisti me, dicit Dominus Deus tuus : » tale quidpiam, inquit Theodoretus, accidit iis qui Salvatorem crucifixerunt, negantes enim illum, dicebant se non habere regem nisi Cæsarem; hac de causa Cæsari tradidit illos, etc. Quid vero aliud fuit dicere : Nos non habemus regem nisi Cæsarem, quam a se rejicere venientem Christum Filium Dei, et appropinquanti dicere *Matth.* VIII, 34 : « Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus? » Talis quoque fuit stoliditas Gerasenorum, qui ut sibi in reipublicæ administratione sapientes viderentur sic desipiebant, ut Jesum a suis finibus ejicerent, ne majora aliqua incommoda per ejus præsentiam in bonis temporalibus acciperent.

Impii a se Deum rejiciunt

Judæi Christum a se ejpulerunt.

Gerareni Christum a suis finibus rejiciunt.

Grassatur etiamnum lues hæc per multas civitates, quæ Christum, id est eos qui Christum sequuntur, simili specie humanæ prudentiæ ex suis finibus expellunt. Plurimos sane tetigit hæc pestis, qui Deum bonis suis temporalibus habent suspectum : quis enim sæcularis non timet suis bonis a Christo et a Christi ministris? Non semel respublicæ mundiales audierunt illam impiorum vocem, qui dixerunt Deo : « Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus. » Nunquam putat impius prosperitates suas temporales a Deo venire; semper in exercitio virtutum timet bonorum ruinam. Si respublica paupertate premitur, hæc est sæcularium vox, quod Ecclesia, quod ministri altaris omnia possideant : pauci sunt qui non dicant Deo : « Recede a nobis, » nam amant plerumque sæculares et impii procul abesse a Deo, qui proinde *longinqui Dei* vocantur, sicut e contra pii, quia Deo appropinquant, *propinqui Dei* nominantur. Huc spectat illud *Psalm.* LXXII, 27 : « Ecce qui elongant se a te peribunt : mihi autem adhærere Deo bonum est, » nam in eo nostra felicitas consistit. De quibus etiam Apostolus ait *Ephes.* III, 13 : « Nunc autem in Christo Jesu vos qui aliquando eratis longe facti estis prope in sanguine Christi. »

Mundani suis bonis a Christo timent.

Tropologice S. Gregorius lib. XV *Moral.* cap. XXV : « Hæc, inquit, verbis dicere vel stulti minime præsumunt; sed tamen perversi omnes Deo : *Recede* non verbis, sed moribus dicunt : qui enim illa agunt quæ Deus omnipotens prohibet, quid aliud faciunt, quam suum animum contra omnipotentem claudunt? sicut enim ejus præcepta cogitare, eum ad se introducere est, ita ejus mandatis obsistere, eum a cordis inhabitatione repellere est. Dicunt ergo : *Recede a nobis*, qui ei ad se aditum præbere recusant, eumque pravis actibus impugnant, etiamsi verbis laudare videantur. Dicunt etiam : *Scientiam viarum tuarum nolumus,* eo ipso quo ejus scientiam apprehendere contemnunt, » etc.

Impii si non verbis, at operibus Deum a se repellant.

Vers. 15. 15. QUIS EST OMNIPOTENS, UT SERVIAMUS EI? ET QUID NOBIS PRODEST SI ORAVERIMUS ILLUM? — Hæc interrogatio est illorum qui Deum ignorant, aut certe non credunt eum curare hæc inferiora, ac proinde nullo præmio afficere bonos; quod si est, tum cassus et vanus est omnis labor, qui in ejus cultu insumitur : nam cum promiscue bonis accidat quod malis; imo cum bonis male sit, et malis bene, videtur frustra impendi, quod in cultum divinum impenditur. Quid ergo, inquiunt, prodest nobis, quod eum precibus nostris assidue interpellamus? quæ inde utilitas? quodnam emolumentum ad nos redit? Tales sunt voces et affectus impiorum, qui præter creberrimam divinarum inspirationum repulsam eo prorumpere audaciæ solent, ut disertis verbis Deum respuant, seque illum neque nosse neque colere velle horrendis blasphemiis enuntient. Eodem modo Pharao Moysi et Aaroni respondit *Exod.* V, 2 : « Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, et dimittam Israel? Nescio Dominum, et Israel non dimittam, » ubi Cajetanus : « Contempsit, inquit, mandatum divinum allegando inscitiam propriam, » *q. d.* Quia nescio, contemno; si scirem, procul dubio timerem, et observarem; in quo similiter affectum prodidit ignorantiam, noluit enim scire, ne cogeretur Deum observare. Istiusmodi multos etiamnum Pharaones in mundo reperias, qui suo sibi genio indulgere et abdomini servire satagunt, et voluntatem suam alligare divinæ refugiunt, dicuntque apud animum suum, neque Deum esse dignum cujus imperio colla subjiciant, neque præterea esse cur orare illum putent prudentis esse consilii, a quo opportunum nihil exorare possint. Ita illi secum ratiocinantur, impie quidem et stulte, non tamen suis rationibus stultis atque impiis importune : quomodo enim illas captarent voluptates, et alienas opes ad suos usus fraudulenter traducerent, cum contra staret divina voluntas, et indicta pœna, quæ voluptatibus et opibus ejusmodi indixissent bellum, et audaces atque avaras manus continuissent? Cum autem hoc absit frænum, facile libidinem suam ad omnem intemperantiam et avaritiam, ad vim, et fraudem et furta laxant, dicentes : « Quid nobis prodest, si oraverimus illum? » quod idem dicebant viri quidam impii *Malach.* III, 14 : « Vanus est, qui servit Deo : et quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? » ita videlicet i'li cæci et apud Deum insipientes habent in postremis quæ præcipua et commendata esse maxime debuissent.

Impii Deum nec agnoscere nec orare volunt.

Impii etiam Deum respuunt

Præpostera sæculi prudentia.

Hanc præposteram sæculi prudentiam D. Thomas II II, *Quæst.* XLVII, art. 13, recte in solis peccatoribus esse monet, nullo autem modo veram prudentiam, quamlibet sint ingenio vividi et acuti, omnibusque modis fugiendam aiunt sapientes. Egregia sane illa vox Ennodii lib. VII *Epist.* 7 : « Habeat suas mundus astutias, et urbanitatem fallendi prudentiam damnandus appellet : » qui hac improba calliditate, perverse imitata prudentiam, malitiaque gestiunt, tametsi videantur sibi ingeniosi et solertes, omnes tamen in præstantium rerum ignoratione versantur, et genuinam rerum cognitionem amittunt. Quod Poeta sanctus ad lyram cecinit *Psalm.* XIII, 8 : « Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem? » Quæ intelligi posse ait Chrysostomus κατ' ἀπόφασιν, *negative*, hoc est, ignorabunt : Non cognoscent, inquit, quod splendidi S. Numinis oculi intuentur orbem terrarum, quod quæ male et conscelerate fiunt ei displicent : non cognoscunt legem Domini, quam singulari audacia et impunitate violant : non intelligunt imperantis minantisque Dei potentiam et severitatem, non turpitudinem vitii, non eximium decus honestatis, non præmia bonorum operum; non beatarum mentium societatem, non felicissimam gloriam, quam divino præsidio freti bene et christiane vivendo consequi potuissent. Est lippitudo in oculis, in mente caligo, impium cor, et in scelus atque voluptatem imminens, nigro crebi velo obnubitur, nihil vident. Effossum est prudentiæ lumen, æternæ rationes, quæ præire viam debuerunt, miserrime obsolescunt. In appetendis rebus atque deligendis judicium est carnis, non spiritus, nec ad Dei voluntatem, ut ad Helicen, luminum acies attollitur, sed demittitur in terram, et ab eadem cum ignominia procreantis omnia Dei, et ad beatum finem omnes invitantis, degendæ vitæ rationes petuntur. Hinc cæcitas illa miseranda, cujus antea meminimus, quamque inter pœnas infandorum scelerum viri sapientes reponunt : nec enim quæ vident intuentur, nec quæ audiunt excipiunt, utroque sensu fœdissime capti, de quibus dici vere potest, quod de Judæis Tertullianus in *Apolog.* cap. XXI, « esse mulctatos sapientia et intelligentia, et oculorum et aurium fruge; » hinc a prophetis πρόβατα πλανώμενα, *oves errantes* nominantur : « Ovis errans Israel, » inquit Jeremias cap. L, 17. Ovis autem hieroglyphicum est stultitiæ vel imprudentiæ. Hujusmodi homines, tametsi res eorum fluere aliquando videantur et evenire ex animi sententia, non est tamen semper in agendo felix improbitas, sæpe incidunt in gravissimas calamitates : nam ut robusto et valido corpori, quod sine videndi sensu movetur, graves offensiones accidunt, inquit Aristoteles lib. VI *Ethic.* cap. ult., propterea quod videndi sensu careat : ita cum illi oculo prudentiæ careant, non possunt non offendere. Itaque videmus non paucos, qui malis artibus lucrum exspectabant, spe sua et opinione frustratos damnis affligi atque obrui, et fraude impia in communem lucem et cognitionem educta, nominis quoque sui jacturam fecisse, dedecore plenos, infames, impostores, et nequam publice habitos, et communi voce nominatos. Quare de illis apte subjungit :

Impii sua astutia sæpe decipiuntur.

Vers. 16. 16. VERUMTAMEN QUIA NON SUNT IN MANU EORUM BONA SUA, CONSILIUM IMPIORUM LONGE SIT A ME, — hoc est, ipsæ divitiæ, quas incredibili cupiditate coacervarunt, et quibus ad luxum abutuntur, non sunt in manu, id est potestate eorum, ut illas firmiter retineant, cum sint fluxæ, caducæ et fallaces, quæ possessores suos deserunt, aut deseruntur ab iis. Notat autem eos, qui cum bona a Deo possideant, hæc tamen non in manibus habent, ut liberaliter erogent, et in egenorum manus transferant, sed in arca claudunt, ut recondant, ubi obiter adverte discrimen inter avarum hominem et liberalem : ille cor suum habet in thesauris suis; hic vero thesauros habet in manibus; unde et ille a thesauro possidetur, hic thesaurum possidet ut distribuat. Quare absit, inquit, a me ut illorum mihi consilium probetur, qui vitam hanc omnem Mammonæ consecrandam putant, et vix unquam, aut certe rarius obiterque de pietate cogitant, de propitiando Numine, de probæ vitæ modo, de puritate animæ, de meritis bonorum operum, de mundi vanitate opumque fallacia, ob quam multi in fraudem inducti miserrime et luctuosissime pereunt. Vix liberum tempus ullum seponunt, quo dignas animi cogitationes suscipiant de æternitate, ad quam tendimus, de felicissima gloria beatorum, de pœnis crebi omni

Opes fluxæ non sunt in potestate sui possessoris.

Stulti sunt qui vitam suam Mammonæ consecrant.

http://www.obrascatolicas.com

cogitatione majoribus, deque fine, ob quem a Deo conditi atque in vitam subornati venimus. Prope obliti sortis filiorum Dei atque cœli, quod appetere, in quod suspicere nos Deus jubet; in terrenis et labentibus rebus mentem omnem, curam, studium et amorem defigunt : quasi in choro fatuorum tripudiantes cum epicureis illud accinerent *Psalm.* CXIII, 16 : « Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum. » In procuranda salute sua devii sunt, negligentes atque plumbei; sed, ut aiebat Tertullianus lib. I *ad uxor.* cap. I, « sæcularibus satagentes sunt, » hoc est, in sæculi rebus solliciti, negotiosi, diligentes et providentissimi sunt, in divinis marcidi et mentis luminibus capti. Nam quia omnia illorum studia, consilia, vanæ et importunæ cogitationes in negotiis mundi occupantur, oculum mentis lutum obtenebrat; et dum splendor dignitatum quæsitique inter homines honoris illudit, dum sensuum lenocinia, et blandæ usura voluptatis, aut nummi fulgor et indignissimi aura lucelli quatit animum, tenebris obnubilantur, et cæci fiunt, nec rectam prudentiæ viam tenere possunt. Hos recte cum antiquis vocaremus νυκτάλωπας, quos ait Galenus in *Introd.* sua per diem videre hebetius, occidente autem sole λαμπρότερον, *splendidius*, nocte vero adhuc magis : sic filii tenebrarum atque noctis, cum crassis vitiorum tenebris et caligine circumfundantur, in mundi rebus acuti sunt, in sole cæcutiunt; in divinis utilissimisque rebus, quæ ad salutem pertinent, nihil vident. De quibus Baruch cap. III, 23 in hunc modum infit : « Filii Agar qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, negotiatores Merrhæ et Theman, et fabulatores, et exquisitores intelligentiæ, viam autem sapientiæ nescierunt. »

Filii hujus sæculi in rebus spiritalibus sunt cæci.

Quo igitur in loco atque ordine reponemus istos negotiatores terræ, fucatæ prudentiæ amasios, quæ de terra est, viam autem sapientiæ cœlestis non intelligentes? qui in mundanis vilibusque negotiosi, vividi igneique, in cœlestibus et divinis stupent. Inter notas et indicia, quibus morborum incrementa vel accessus deprehenduntur, Celsus lib. III, cap. II ponit illa : « Si tardior sensus, si pigrior mens; » ego vero illis hominibus, qui in salutis negotio lenti improvidique nauseant, et torpent ad divina, non dubitem criticos omnes dies pronuntiare, languere Dei metum, prudentiæ lumen exstingui, virtutes interire. Qui imbecillitate dexteræ validius sinistra utatur esse morbosum et vitiosum Jura definiunt π. *De Ædil. edict.* lib. XII : ita si quis dexterum oculum habeat imbecillum ad arcanas et cœlestes rationes considerandas, tametsi in caducis et perituris bonis gerendisque negotiis prudentissimus et oculatissimus videatur, nullum dubium est quin sit vitiosus. Jactent se licet, et se pulchros ac beatos putent filii hujus sæculi, quod exquisita mirandaque industria, et subtili artificio ad pinguia beneficia pervenerint quod magistratu aut aliis honoribus potiantur, quod familiam locupletaverint, quod floreant in dies magis, opesque parent cumulo et magnitudine invidiosas, in litibus invicti, in mercimonio strenui, in agendo fortunati; si tamen Dei metu et cœlesti prudentia careant, Dei Filius sapientiæ auctor eos clare *stultos* appellat *Luc.* XII, 20 : « Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem parasti cujus erunt? » Increpat eos dure Moyses Dei spiritu inflammatus *Deuter.* XXXII, 28 : « Gens absque consilio est, et sine prudentia : utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent. » Quorum vecordiam hoc loco detestatus B. Job ait : « Consilium eorum longe sit a me : » quare? « quia non sunt in manu eorum bona : » quantumcumque enim consultent, et modos quærant quibus securas tutasque sibi faciant divitias, nequaquam omnibus suis consiliis id assequentur et obtinebunt, ut bona sua perpetuo in manu seu potestate sua retineant *Psalm.* LXXV, 6 : « Dormierunt enim somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis, » ubi mortem vocat *somnum*, qui unicuique dormiendus est tempore a Deo præstituto; aut, ut S. Ambrosius lib. *De Nab.* cap. XV exponit, *dormierunt somnum suum*, quia hujusmodi non Christi somnum dormiunt, ideoque non habent Christi quietem, nec surgunt Christi resurrectione; qui ait *Psalm.* III, 6 : « Ego dormivi, et quievi, et exsurrexi, quia Dominus suscepit me. » At divites postquam evigilaverint, in morte ex præcedentibus divitiis nihil reperiunt in manibus suis : cum *omnes* dixit nullum excepit; et bene *viros divitiarum* appellavit, non divitias virorum, ut ostenderet eos non possessores divitiarum esse, sed a suis divitiis possideri : possessio enim possessoris debet esse, non possessor possessionis. Quicumque igitur patrimonio suo tanquam possessione non utitur, qui largiri pauperi et dispensare non novit, is suarum servulus est non dominus facultatum : quia aliena custodit ut famulus, non tanquam dominus suis utitur. In hujusmodi ergo affectu dicimus, quod vir divitiarum sit, non divitiæ viri, ut inquit S. Ambrosius.

Indicia languoris et morbi spiritalis.

Stulti sunt qui tantum terrena sapiunt.

Divites cum evigilant in morte nil inveniunt in manibus.

Viri divitiarum quinam dicti.

Dicuntur insuper *viri divitiarum*, qui acquirendis divitiis et conservandis studebant : omnes illi, et quilibet eorum a principio mundi usque nunc nihil penitus invenerunt in manibus suis, quod S. Hieronymus ex Hebræo sic vertit, *non invenerunt viri exercitus manus suas* : nimirum, quamvis potentes ac fortes tenacissime divitias suas amplexati fuerint, ipsas tamen cum divitiis manus videtur justus judex Deus illis præcidisse, ut neque divitias retinere possent et conservare, nec manus extendere ad cœlestis præmii consecutionem, quas ad furta et rapinas, non ad pauperes extenderunt. Quo potest hic Jobi locus recte accommodari, in quo significatur impiis simul cum vita usum atque potestatem fruendi divitiis suis ademptam esse. Quod Origenes hom. *4 in Matth.* cap. VI, inductione facta in Pharaone, Nabucho-

Potentes sæculi moriuntur miseri.

donosore, Baltassare cæterisque regibus ac potentibus demonstrat, qui morientes nihil penitus in manibus suis invenerunt. Unus fertur omnium celeberrimus Heliogabalus eo totam mentem suam contulisse, ut de bonis suis in manu quidpiam haberet, quando necessum esset animam exhalare, seque felicissimum fore judicasse, si divitiis suis immori liceret, de quo sic Lampridius : « Paraverat, inquit, funes blatta, et serico et cocco intortos, quibus, si necesse esset, laqueo vitam finiret; paraverat et gladios aureos, quibus se occideret, si qua vis urgeret; paraverat et hyacinthis et smaragdis venena, quibus se interimeret, si quid gravius immineret; fecerat et altissimam turrim substratis aureis gemmatisque ante tabulis, ex qua se præcipitaret, dicens etiam mortem suam pretiosam esse debere. Sed nihil ista valuerunt : nam et occisus est per scurras, per cloacas ductus, et in Tyberim submissus est : » hæc Lampridius. Quippe ex tantis opibus tanto studio comparatis ut mortem pretiosam faceret, nihil tempore mortis habuit ad manum. Vere igitur bona impiorum non sunt in manu eorum, sed a Deo pendent, in cujus manu est quidquid boni aut mali hominibus accidit : nam ut verum sit multos sibi malum accersere culpa sua; tamen bonum, quod accidit improbis, a Deo est, qui potest illud adimere cum vult. Quamobrem apposite interrogando seu exclamando subjungit :

Vers. 17. 17. QUOTIES LUCERNA IMPIORUM EXSTINGUETUR, ET SUPERVENIET EIS INUNDATIO, ET DOLORES DIVIDET FURORIS SUI? — Sæpe, inquit, in hac etiam vita prosperitas impiorum delebitur, quæ ut lucerna oleo, ita temporali opulentia nutritur; postea vero malorum diluvio in interitu obruentur, et Deus dolores ac cruciatus tartareos, iræ suæ indices, pro cujusque impii nequitia partietur. Quoniam vero *supr.* vers. 7 et seq. descripserat Jobus impiorum in hac vita felicitatem, et simul asseruerat ipsos ut plurimum ad finem usque vitæ in hac temporaria felicitate perdurare, et sine magnis morborum molestiis statim et quasi in momento abripi ad infernum; ne quis existimaret eam prosperitatem impiorum semper ad finem vitæ procurrere, quasi permittendum semper esset sceleratis prospere hic agere, qui sempiterno cruciatu torquendi forent, subdit hic quod revera existimavit, et in omni ætate crebris experimentis testatum est, florentem videlicet impiorum statum sæpe concidere, sæpe apparentem splendorem exstingui. Appellat vero *lucernam* secundæ fortunæ statum, qui temporalium affluentia bonorum veluti lucerna oleo pascitur, ac proinde opibus sublatis claritas illa vana non secus atque subtracto aut deficiente oleo lucernæ splendor evanescit. Non idcirco tamen in hac vita mortali tantum impietatis pœna persolvitur; sed supervenit alluvio illa tristis interitus, quo mergitur impius et præfocatur, detruditurque in carcerem tartareum, ubi cruciatus ab iratо Numine divisos, hoc est ad proportionem culpæ partitos feret.

Sæpe etiam in hac vita prosperitas impiorum exstinguitur.

Pulchre autem S. Job vitam hanc nostram lucernæ comparavit, nam sæpenumero vitæ nostræ idem quod lucernæ solet evenire : videmus non raro lucernam in templo coram divino altari lucentem, oleo cæterisque ad lucendum requisitis sufficienter instructam et aptam ardere, lucere, sed flatu quodam venti suborto subito exstingui : talis est vita nostra. Vides hominem opulentum rebus omnibus affluentem, qui habeat domum in salubri solo fundatam et optima supellectili ornatam, abundet victu et vestitu juxta voluntatis suæ exigentiam, habeat servos et ancillas in famulatum assiduum excubantes, et reliqua omnia in vitæ conservationem et durationem aptissima; et tamen nescio quo accidenti levi vitam subito cum morte commutare, occasione scilicet alicujus cibi, vel potus, vel etiam venti : quamobrem merito dixit idem S. Job cap. VII, 7 : « Memento quia ventus est vita mea, » quia nimirum venti flatus vel alia levis causa sufficit ad vitam nostram subito exstinguendam. Archesilaus Prytaneus, uti refert Diogenes Laertius, haustu vini mortuus fuit : Jovinianus imperator, ut narrat Baptista Ignatius, occasione cibi interiit : Anacreon poeta, teste Valerio Maximo, bibens acino uvæ strangulatus est; et idem evenisse Sophocli refert Petrus Crinitus. Cujusmodi plures recenset Textor in *Offic.* : vide quæ hoc cap. vers. 13, de subitaneis regum mortibus annotavimus.

Vita nostra lucernæ comparata.

Vers. 18. 18. ERUNT SICUT PALEÆ ANTE FACIEM VENTI, ET SICUT FAVILLA QUAM TURBO DISPERGIT. — Pergit Jobus impiorum calamitates describere cum paleis illos comparans, ut ostendat quam sit futilis eorum potentia, quam inanis gloria, quæ ea facilitate dissipatur, qua paleæ a vento vehementi, aut favilla arida et sine pondere ab incitato turbine propellitur : vide quales sint homines, qui tantum de sua potentia sibi placent, ut nihil vel a Deo ipso timendum putent aut sperandum; quæ a viro Propheta et rerum usu atque experientia edocto eum minutissima palea, quæ *gluma* vocatur, et nihil pene distat a pulvere, et cum favilla, quæ ipsa quoque palea levior est, cui nimirum pondus omne flamma consumpsit, comparatur; Deus autem cum vento ac turbine, qui gravissimas ac fortissimas moles convellit ac rapit. In Hebræo est, *erunt sicut palea coram vento, et sicut gluma quam abripit turbo;* hoc Septuaginta transtulerunt, ἔσονται δὲ ὥσπερ ἄχυρα ὑπ' ἀνέμου, ἢ ὥσπερ κονιορτὸς ὃν ὑφείλατο λαίλαψ, *erunt autem tanquam paleæ sub vento, aut tanquam pulvis quem abstulit turbo*, ubi improbi eleganter paleæ seu glumæ assimilantur, quam ventus in aera dispergit, sicut e contra pii assimilantur granis frumenti, quæ in area remanent, nec a vento disjiciuntur; quo spectat illud Evangelistæ *Matth.* III, 12 : « Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum : paleas autem comburet igni inexstinguibili, » ubi similiter in ventilatione

Impii coram Deo sunt velut palea vel pulvis ante faciem venti.

http://www.obrascatolicas.com

judicii mali paleis, boni triticeis granis comparantur.

Sanctius cum Delrione nostro notat hic proverbialem locutionem, quam a Jobo sumpserint posterioris ætatis scriptores sacri, ac in primis David cum ait *Psalm.* I, 4 : « Non sic impii non sic : sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ, » ubi similiter ut hoc loco in Hebræo est מוֹץ *moz*, quæ vox proprie significat illum tenuissimum *pulvisculum* sive *lanuginem*, quæ una cum paleis e frumento ventilatur; solent autem illi qui triturræ dant operam areas sibi in locis editis constituere, ut citius quisquiliæ et glumæ venti flatu a granis separentur. Eadem similitudine usus est Isaias cap. XVII, 13, cum populo impio minitatur dicens : « Rapietur sicut pulvis montium a facie venti, et sicut turbo coram tempestate,» id quod Septuaginta clarius expresserunt his verbis, ὡς ὕδωρ πολὺ ἔθνη πολλά, ὡς ὕδατος πολλοῦ βίᾳ φερομένου. Καὶ ἀποπτοραχιεῖ αὐτὸν, καὶ πόρρω αὐτὸν διώξεται ὡς χνοῦν ἀχύρου λικμιόντων ἀπέναντι ἀνέμου, καὶ ὡς κονιορτὸν τροχοῦ καταιγὶς φέρουσα, *tanquam aqua multa gentes multæ, quasi aqua multa per vim impulsa. Et exterminabit eum, et longe eum persequetur tanquam pulverem paleæ ventilantium coram vento, et quasi pulverem rotæ tempestas impellens.* Frequens etiam apud alios prophetas est usus similitudinis istius de iis quæ vi majore huc et illuc facile impelluntur aut disperguntur. Profecto cum flagitiosi homines Deo, proprio scilicet creaturarum firmamento, non hæreant, in levitatem quamdam et instabilitatem ærumnosissimam degenerant; atque idcirco quidquid bonorum temporalium coacervant nulla firmitate subnititur, sed facillime concidit, labefactatur, dissipatur.

Vers. 19. 19. DEUS SERVABIT FILIIS ILLIUS DOLOREM PATRIS : ET CUM REDDIDERIT, TUNC SCIET. — Hæc in Hebræo sic sonant, *Deus recondit filiis ejus, reddit ei ut sciat*, ubi per *robur* opes vel potius violentiam ejus significat, ut sit sensus: Reservat filiis ejus pœnam violentiæ quam pater exercuit: non enim semper punit ipsum improbum in hac vita, sed pœnam sæpe reservat in filios; reddit autem sive retribuit ei quandoque, ut sciat peccatum nullum impunitum abire aut improbitatem ipsam sui ipsius pœnam esse. Septuaginta vertunt, ἐκλείπει υἱοὺς τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ, ἀνταποδώσει πρὸς αὐτὸν, καὶ γνώσεται, *deficiant filios bona ejus, retribuet ad eum, et cognoscet;* Theodotion, ὁ Θεὸς κατακρύψει τοῖς υἱοῖς αὐτοῦ ἀδικίας αὐτοῦ, *Deus recondet filiis ejus injustitias ejus*, id est, filii quemadmodum scelerum patris, sic et pœnarum participes ac hæredes fient. Et cum Deus re ipsa pœnas impio inflixerit quas neque cogitabat, neque nosse volebat, tunc sane illas experiendo ac perpetiendo pernoscet. Quod autem Deus velut in thesauro iræ servet dolores impii infligendos liberis ejus, similitudo impietatis in illos derivatæ, et quasi lactis suctu conceptæ atque imitatione auctæ palam exigit. Illud autem, *cum reddiderit, tunc sciet*, tantumdem valet ac si Jobus diceret : Impius neque meditatur neque formidat pœnam, totus præsentis vitæ cogitationibus et affectibus immersus videtur sibi semper fortunandus, atque ideo neque liberis suis neque sibi timet; at qui modo quasi temulentus non pertimescit, ad pœnæ sensum evigilabit, et cum Deus stimulum infigere cœperit, sciet quid egerit, quam graviter aberrarit.

Filii ut scelerum sic et pœnarum patris hæredes fiunt.

Omnino verum est, plurimos flagitiosos homines eo amentiæ progredi, ut minas pœnæ spernant, obtusoque animo nihil formident, donec ictu mortis aut acerba calamitate tangantur. Itaque cum miser peccator stultus sit et insipiens, dum libens ac volens bonum super omnia diligendum sibi amittit, et pleraque mala conciliat, tandem malo suo sapiens erit; sed sapientia, quæ nihil illi proderit nisi in majus pœnæ ac doloris incrementum, quemadmodum eleganter dixit S. Gregorius lib. XV *Moral.* cap. XXXI, ubi cæcitatem stulti peccatoris ejusque infelicem futuram scientiam sic describit : « Impiorum oculos culpa claudit, sed in extremum pœna aperit, et ideo recte subjungitur : *Et cum reddiderit, tunc sciet* : nescit enim impius mala quæ fecit, nisi cum pro iisdem malis puniri jam cœperit; unde et per Prophetam dicitur *Isai.* XXVIII, 19 : *Et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.* Tunc namque intelligit quod audivit, cum se jam pro contemptu vexari doluerit; hinc per Balaam de semetipso dicitur *Num.* XXIV, 3 : *Dixit homo cujus obturatus est oculus, dixit auditor sermonum Dei, qui visionem omnipotentis intuitus est, qui cadet, et sic aperientur oculi ejus.* Consilium quippe contra Israelitas præbuit, sed post in pœna vidit quid prius ex culpa commiserit. Electi autem quia nec peccare debeant prævident; eis videlicet oculi ante casum patent. Iniquus vero post casum oculos aperit; quoniam post culpam jam in pœna sua conspicit, quia malum debuit vitare quod fecit, de cujus inutili jam tum sententia subinfertur. »

Peccator stultus post pœnam vero sapit.

Vers. 20. 20. VIDEBUNT OCULI EJUS INTERFECTIONEM SUAM, ET DE FURORE OMNIPOTENTIS BIBET. — Modo quidem hebes est visus impii, at cum interierit oculos acuet, cernetque invitus mortem suam, et in tartaro hauriet amaram potionem ultionis; visio autem hæc non ad corporis mortem tantum, in qua peccator nebulas oculorum dispellit, sed ad sempiternum quoque interitum pertinet : cogetur quippe impius spectare mortem illam, quam cernere nollet, acerbissimoque dolore trajectus videbit, atque tabescet, juxta id quod ait David *Psalm.* CXI, 10 : « Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet, » quando nimirum mirificum in modum exterritus ob inopinam mutationem, et vehementius obstupefactus, subito videbit sibi ereptam corporis valetudinem, animi robur, sensuum voluptatem, negotiorum varietatem, mentis lumen, jucundam vitæ lætitiam, quibus antea gloriabatur et gestiebat, quæque David *hominis desiderabilia* nominat, cujus

Impiorum oculi aperiuntur in morte.

Impii tabescent in judicio.

statum in eo præcipue puncto et dolore ita pingit *Psalm.* XXXVIII, 12 : « Tabescere fecisti sicut araneam animam ejus, » quod vertunt quidam in hunc modum, *tabescere facis velut tinea desiderabilia ejus*, hoc est, quemadmodum ipsa tinea vestem pretiosam solet peredere atque perdere, sic quod in eo est desiderabile et eximium tu liquefacis et consumis. Neque vero sui duntaxat ipsius exitio torquebitur impius, sed justorum insuper felicitate cruciabitur, quam livore tabescens, in suum ipsius supplicium convertet, dum quaslibet adversus eos insidias molitus, nil se prævaluisse conspiciet : non enim dominabitur justo desiderium peccatoris, sed simul cum auctore suo delebitur : quia « desiderium peccatorum peribit, » quippe in rebus fluxis ac perituris fundatum, quæ nil permanens stabileque obtinent. Hoc autem in extremo potissimum patebit judicio, siquidem tunc, cum justi ea quæ speraverant adepti fuerint, impius in supplicium, quod sibi conscivit, incidens, videbit justum, et irascetur, dentibus fremet et tabescet : tunc enim « videbunt oculi ejus interfectionem suam, » sive, ut Septuaginta vertunt, τὴν ἑαυτοῦ σφαγὴν, quod S. Augustinus reddit *necem suam*; Symmachus πτῶσιν, *ruinam*, scilicet sempiternam. Infelix profecto perituroum bonorum in nunquam moritura tormenta commutatio, et nimium infelix modica felicitas, quam æterna claudit infelicitas, quoniam, ut sequitur, « de furore Omnipotentis bibet, » cujus amarissimum calicem usque ad fæces ipsi exhauriendum esse Propheta significat *Psalm.* LXXIV, 9 : « Quia calix in manu Domini vini meri plenus misto : et inclinavit ex hoc in hoc : verumtamen fæx ejus non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ, » ubi per *calicem* tropice designat supplicia cuilibet secundum delicta irrogari, et peccatorum pœnas minime deficere; siquidem non evacuatur propter multitudinem eorum qui potantur, sed plenus manet etiam post exinanitionem; et cum omnes peccatores ex eo biberint, adhuc manet indeficiens; *mistum* autem vocat propter plenitudinem, *merum* vero propter supplicii austeritatem. Pulchre ad hunc locum S. Gregorius lib. XV *Moral.* cap. XXXI, docet calicem hunc in hac vita debere per pœnitentiam evitari a peccatore, qui si hic « culpam suam videre voluisset, de Omnipotentis postmodum furore non biberet. Sed qui hic avertit oculos a respectu criminis, illic declinare non valet sententiam damnationis. Sæpe vero hi, qui supplicia æterna non metuunt, prava agere pro temporali saltem percussione perlimescunt. Sed sunt nonnulli, qui ita in iniquitate duruerunt, ut nec in ipsis metuant feriri quæ amant, dummodo quæ perverse cogitaverint expleant. » Unde subdit :

Impii bibent de calice furoris Domini.

Vers. 21. 21. QUID ENIM AD EUM PERTINET DE DOMO SUA POST SE, ET SI NUMERUS MENSIUM EJUS DIMIDIETUR? — Ostendit hanc mortem tanquam impio propriam sapientissime a Deo fuisse institutam : nam si post-

Damnati parum de posteris curarent.

quam vitam hanc mortalem amitteret nulla reliqua esset alia pœna quam perferret, nisi ea qua filii et familia propter ejus scelera afficiuntur, quid sua id referret? Parum enim curaret impius post mortem suam, quid eveniat familiæ suæ in terris, sive prosperum, sive adversum; parum item curaret, vitam seu suam seu suorum abbreviari, dummodo nullæ aliæ post hanc vitam superessent ipsi in inferno subeundæ pœnæ. Atque hoc argumento Job probat posthumas inferni pœnas : in originali hæc ita sonant, *nam quæ voluntas in domo sua post se, cum numerus mensium ejus concisus sit?* id est, impius cum immatura morte abripiatur, nullam in posterum e domesticis posterisque suis hauriet oblectationem : *voluntas* enim hoc loco *desiderium* vel *delectationem* significat, quo sensu etiam David de justo loquens ait *Psalm.* I, 2 : « In lege Domini voluntas ejus, » id est oblectatio. Cum itaque ignoret quid accidat filiis suis post se, nec de ipsorum felicitate lætari, nec de infelicitate tristari potest, quemadmodum dictum est *supr.* cap. XIV, 21 : « Honorantur filii ejus, et nescit : parvi fiunt, et non intelligit sibi; » Septuaginta vero versum hunc ita transtulerunt, ὅτι τὸ θέλημα αὐτοῦ ἐν οἴκῳ αὐτοῦ μετ' αὐτοῦ, καὶ ἀριθμοὶ μηνῶν αὐτοῦ διηρέθησαν, *quia voluntas ejus in domo ejus cum eo, et numeri mensium ejus divisi sunt*, quod Scholion sic exponit, *quia voluntatem suam malam, non bonam Dei secutus est*; sed apud S. Augustinum legitur, *quia nulla voluntas ejus in domo sua post eum*, id est μετ' αὐτόν, quomodo sane interpretes edidisse valde credibile est. Pro διηρέθησαν Aquila et Theodotion legunt ἡμισεθήσεται, *dimidiabuntur*, quod cum Vulgato et S. Augustino consentit, uti et cum illo Psalmistæ *Psalm.* LIV, 24 : « Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos, » hoc est, non pervenient ad dimidium dierum suorum, *q. d.* Ante mediam ætatem morientur, sive ante dimidium vitæ tempus : quæ mors admodum immatura est. Alterum exinde argumentum sumit a divina providentia pœnas illas impio justissime irrogante, ita ut nemo ei possit contradicere. Unde subdit :

Vers. 22. 22. NUMQUID DEUM DOCEBIT QUISPIAM SCIENTIAM, QUI EXCELSOS JUDICAT? — id est, Deum nemo quid facto opus sit, aut quid sancte atque ex usu fieri debeat docere potest; aut quod ille factum esse velit reprehendere, sive hos attollat et illos deprimat; sive omnia contra hominum consilia contorbet, cujus imperio atque judicio subsunt qui excelsi sunt, sive acri ingenio valeant, sive humana potentia polleant. Agit adhuc de impiorum punitione, asseritque Deum optime nosse, ac perfectissime scire, quemadmodum etiam cum potentissimis agere debeat, ut ex hoc evincat ad Dei providentiam pertinere impios quantumvis florentes, sublimes, gloriosos, ad judicium accersere suum, temporaque decernere; et ubi expedit sententiam ferre, illos interimere, æterno supplicio addicere, omniaque pervidere, ut infinitum sa-

Ad Dei providentiam spectat impios judicare et damnare.

http://www.obrascatolicas.com

pientiam atque invictissimam ejus potentiam decet, cui suprema competit in excelsos etiam principes jurisdictio : nam, ut scite Horatius,

Dei suprema in omnes jurisdictio.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis,
Clari gigantæo triumpho
Cuncta supercilio moventis.

Ita profanus ille lyricus solo naturæ lumine instinctus, sed longe diviniori spiritu afflatus David sanctiori lyra Deo, ut judici supremo cæteris judicibus jus dicenti, sic accinit *Psalm.* LXXXI, 1 : « Deus stetit in synagoga deorum; in medio autem deos dijudicat, » ubi sacer Vates Deum introducit tanquam primum summumque judicem in medio judicum seu magistratuum cum suprema auctoritate stantem, et eorum actiones contemplantem, quale nimirum ipsi aliis jus dicant : est enim judicum judex, quemadmodum regum Rex, et Dominus dominantium. In medio igitur ipsorum (vel ut Aquila vertit, ἐν ἐγκάτῳ, *in intimo*, utpote καρδιογνώστης, qui cordis intima cognoscit) quid ipsi faciant attendit, examinat, et dijudicat; hinc quamvis reges, judices ac magistratus sibi subditos judicent, se Dei tamen judicio subjectos agnoscant necesse est; qui non solum ipsorum studia et actiones, verum etiam animi cogitationes expendit, et in medio ipsorum est, ut ipsos dijudicet, ac delinquentes condemnet. Illud porro optime infert Jobus valde conveniens, imo necessarium esse, ut impiis in hoc mundo divitibus, voluptuariis, honoratis, piis e contra pauperibus afflictis, despectis, æqua et promerita sors ac præmia condigna aliquando reddantur, saltem post mortem, cum in hac vita et in morte ipsa plerumque indifferens sit utrorumque conditio, quemadmodum idem latius explicando declarat.

Vers. 23, 24, 25 et 26.

23-26. ISTE MORITUR ROBUSTUS ET SANUS, DIVES ET FELIX. VISCERA EJUS PLENA SUNT ADIPE, ET MEDULLIS OSSA ILLIUS IRRIGANTUR : ALIUS VERO MORITUR IN AMARITUDINE ANIMÆ ABSQUE ULLIS OPIBUS : ET TAMEN SIMUL IN PULVERE DORMIENT, ET VERMES OPERIENT EOS. — Hisce versibus declarat causam, cur æquum et consentaneum sit alium esse postquam ex hac vita discesserint iniquorum hominum interitum : quia plerumque accidit, ut improbi homines totam vitam jucundissime vivant, contra vero probi misere calamitoseque; omnes tamen similiter et uno modo moriuntur. Quod si nullus restaret actus, sed omnis eorum fabula morte esset peracta, iniqua profecto esset proborum hominum conditio, neque ille omnium Judex æquum redderet judicium; sed error intolerabilis in universitatis gubernatione committeretur, si pœnæ per se vique sua sceleribus institutæ, præmia vero virtutibus; conversa ratione, pœnæ bonis imponerentur, præmia vero improbis tribuerentur. Hoc argumento S. Paulus probabat aliam post mortem bonis superesse vitam I *Corinth.* XV, 19 : « Quia, inquit, si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus; » eodem argumento Ecclesiastes cap. II, 15, usus ad demonstrandum magnam esse vitæ hujus vanitatem, ut doceret aliam esse quærendam vehementerque expetendam, ad eamque toto pectore adspirandum : « Et dixi, inquit, in corde meo : Si unus et stulti et meus occasus erit, quid mihi prodest, quod majorem sapientiæ dedi operam? locutusque cum mente mea animadverti, quod hoc quoque esset vanitas. » Hoc etiam argumento Abraham apud Lucam convincebat divitem illum æternis tenebris vinculisque mandatum merito tantis cruciatibus affici, Lazarum vero recipere consolationem *Luc.* XVI, 25 : « Fili, inquit, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. » Quod autem dicit : *Iste robustus et sanus*, etc., habitum et specimen narrat hominis iniqui voluptatibusque dediti, et cui omnia pro libidine sua suppetunt : ita enim in Scriptura describi solet sicut dixerat Eliphaz cap. XV, 20 : « Cucurrit adversus Deum erecto collo, et pingui cervice armatus est : operuit faciem ejus crassitudo, et de lateribus ejus arvina dependet. » E contrario vero sancti viri, pauperes, omnibus præsidiis destituti, luctu et mœrore confecti dici solent, ut passim in Psalmis et aliis Scripturæ locis videre licet *Psalm.* LXVIII, 33 : « Videant pauperes, et lætentur : quoniam exaudivit pauperes Dominus, et vinctos suos non despexit; » et propterea eos Job significavit dicens : « Alius vero moritur in amaritudine animæ suæ, » etc. Videtur autem ad semetipsum alludere, qui vitam ducebat ægram et amaram, rerum omnium indigentem, quam morbus attenuabat, tabes consumebat et exhauriebat, opes destituebant, neque commodum habebat in suo dolore diverticulum; solabatur nemo, exagitabant et persequebantur omnes, et cum alienis in ejus calamitatem cognati atque domestici conspirabant. Sed licet ad suam respiciat conditionem, de omnibus tamen loquitur, quibus vivendi atque moriendi fuit difficilis et angusta conditio.

Post hanc vitam debuit cuique reddi pro meritis suis.

In Scriptura iniqui vocantur divites, justi vero pauperes.

Cæterum cum tam dissimilis vita et fortuna fuerit utriusque, scilicet divitis et egeni, id est impii et probi viri; eadem tamen utrumque jam vita functum manet sepultura, tabes, putredo, vermi-natio; quod sane Deus neque imprudenter fecit, neque injuste; neque quemquam relinquit impunitum, si peccavit, aut si quidpiam justus sancte fecit non muneratum. Neque ideo peccator felix, etiamsi viventi ex votis omnia contingant, quia suorum scelerum aliquando debitas pœnas dabit : neque justus infortunatus, quia destinatum est tempus, in quo suorum meritorum præmium cumulate recipiat. Quod autem illud tempus fuerit satis ostendit manifeste vers. 30, nempe tempus quod hominum mortem consequatur in futuro sæculo; de quo fortasse Jobi tres amici nullam cognitionem habuerant : tempus porro

Æque dives ac pauper, et justus ac injustus a vermibus comedentur.

quod morti succedit, in quo exanimatum corpus deformatur, fœtet, et in saniem liquescit, incipit ostendere qualis sit futura impii extrema sors. Et quia id etiam quodammodo ad vitam pertinet, utpote vitæ proximum, atque hominum potest oculis patere, docet quomodo in hoc sæculo, et pene dixerim in hac vita, nullam suorum meritorum justus mercedem exspectare debeat, cum sciat in futuro sæculo paratam a Deo. Hæc porro bona et mala promiscue in hoc mundo bonis et malis eveniunt, quia Deus justorum opera nonnunquam in hoc sæculo munerare incipit; et si quid egere impii quod aliquam habuit speciem honestatis, illud humano aliquo et fugaci commodo compensat. Quare ex hac humana abundantia et gloria non licet cujusquam sanctitatem aut improbitatem expendere; quod dixit Ecclesiastes cap. IX, 2 : « Omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa æque eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas et sacrificia contemnenti : sicut bonus, sic et peccator, » etc. Sed quo cuique merito atque consilio eveniant in futuro meritorum examine constabit.

Et abundantia vel inopia non licet cujusquam merita æstimare.

Vers. 27.

Job arguit amicos temerariæ opinionis.

27. CERTE NOVI COGITATIONES VESTRAS ET SENTENTIAS CONTRA ME INIQUAS, — id est, scio quorsum tendant quæ dicitis omnia, nam quæ contra impios in universum dicitis, in me dicta et intellecta esse vultis : ideo enim existimatis me in tantas calamitates incidisse, quod iniquus sim. Vocat autem cogitationes eorum, quia id aperte non dicebant, assumptiones in argumentando reticentes, non obscure tamen eas subintelligentes; iniquas vero sententias hujusmodi *cogitationes* appellat, quia temere de illo ac falso ferebantur, ut patet ex hebræo textu qui sic habet, *ecce novi cogitationes vestras et cogitata, quæ contra me inique cogitatis*, vel, ut alii vertunt, *quæ adversum me rapitis per violentiam*, et quibus mihi vim facitis, injuriam et falsum crimen impingentes, quando me ex afflictionibus impium judicatis; Tigurina vertit, *conatus ad me invadendum*, quibus me violenter et inique vexatis; et, ut Septuaginta reddunt, τόλμῃ ἐπίκεισθέ μοι, *audacter mihi insistitis*, et tantum non opprimitis : saltem opprimere cogitatis, culpam mihi adscribendo, quæ nulla est, ut Dei justitiam tueamini et defendatis.

Vers. 28.

28. DICITIS ENIM : UBI EST DOMUS PRINCIPIS? ET UBI TABERNACULA IMPIORUM? — Hæc per ironiam et quasi insultando significat ab amicis de se dicta, ut qui princeps fuerit inter orientales maximus, nunc autem ad extremam calamitatem sit redactus, *q. d.* Non me latet, o amici, quo spectent vestra consilia, neque ignoro me unum vestris verbis et criminationibus appeti : quis enim dubitet, ut est mearum rerum afflicta conditio, quin mea fortuna vobis obloquendi et conviciandi materiam præbuerit, scopumque proposuerit, in quem vestræ increpationis tela torqueantur? Quid enim aliud suspicer, cum a vobis sæpe audiam exci-sam esse principis domum et impiorum eversa tabernacula? et quidem responsio hæc homine perspicaci digna fuit, utpote qui ex auditis et visis facile colligebat quid intenderent. In Hebræo est, *quia dicitis : Ubi est domus munifici?* scilicet Jobi, qui rebus integris tam erat munificus erga omnes, quod Vulgatus non male *domum principis*, et Septuaginta οἶκος ἄρχοντος reddunt; quod talem præcipue deceat munificentia et liberalitas : ex quo illud in evangelio *Luc.* XXII, 25 : « Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos benefici vocantur; » græce εὐεργέται, quo nomine principes intelliguntur. Subdit : « Et ubi tentorium tabernaculorum impiorum? » quod Septuaginta reddunt, καὶ ποῦ ἐστὶν ἡ σκέπη τῶν σκηνωμάτων τῶν ἀσεβῶν, *et ubi est tegmen seu protectio tabernaculorum impiorum?* istiusmodi ergo acerbam et quasi insultatoriam interrogationem sic illudit et elidit modeste alio eos amandando, cum ait :

Vers. 29.

Proverbium viatoribus notum.

29. INTERROGATE QUEMLIBET DE VIATORIBUS, ET HÆC EADEM ILLUM INTELLIGERE COGNOSCETIS. — Dicit hoc versu Job confutationem hanc, quam tractare vult, ita testatam esse, ut eam vel ignari et imperiti homines noverint, scilicet pios frequenter adversitate obrui, et impios in hoc mundo prosperitate frui. Videtur autem Idumæis instar proverbii sermone tritum fuisse, ut cum aliquid nemini obscurum significare vellent, id dicerent ipsis etiam viatoribus esse compertum. Quomodo dicunt Latini, cum aliquid ostendunt esse vulgatum, et ignoratum nemini, lippis et tonsoribus esse notum : quod ita est cum ratione atque æquitate summa conjunctum, ut docente nemine ab ipso naturali lumine hominum animis videatur impressum, scilicet impios in hac vita florentes servari ad pœnam in futura vita perferendam; ex quo palam efficitur notum quoque fuisse, non semper flagitiosis hominibus in hac vita pœnam irrogari, ac proinde nemini, quantumvis calamitoso, exprobrari posse crimina ex hoc duntaxat præsentis ærumnæ capite, a quo et nequissimi peccatores plerumque eximerentur. Posuit autem speciem pro genere *viatores* dicens, id est homines nullis studiis deditos : malo enim id ita intelligere quam ut alii, qui ea de causa *viatores* nominari dicunt, quod hujusmodi homines id melius scire possint, quia varias regiones peragrant, perinde quasi non questus faciendi, sed rerum cognitionis causa peragrarent.

Lumine quasi naturæ notum est, impios hic florentes ad pœnam futuram reservari.

Mystice S. Gregorius lib. XV *Moral.* cap. XXXV, per *viatores* hoc loco justos intelligit : « *Viator*, inquit, dicitur, qui præsentem vitam viam sibi esse et non patriam attendit, qui in dilectione præteruntis sæculi cor figere despicit, qui non remanere in transeuntibus, sed ad æterna pervenire concupiscit, » etc.; atque in eamdem sententiam Clemens Alexandrinus lib. VII *Strom.* de laudato perfectoque viro agens : « Is, inquit, revera totus ξένος καὶ παρεπίδημος, *hospes et peregrinus est.* » Similiter D. Basilius *in Psalm.* XIV, proprium esse

Justi dicuntur viatores et peregrini in hac vita.

http://www.obrascatolicas.com

boni viri dixit παροδεύειν τὸν βίον, *more hospitis vitam hanc transire*, et ea causa vivendi curriculum a præstantissimis veteris ævi luminibus nominari *incolatum*, hoc est διαγωγὴν πρόσκαιρον, *habitationem temporariam*; ut intelligamus vitam nostram esse παροδικὴν, *transitoriam*, brevem, mutabilem, et peregrinorum jactationem, atque ad constantem illam et æternam tendere omnes oportere. Utinam vero nos eosdem oculos haberemus, quibus illi clari pontifices divinitus illuminati, prædíti ornatique fuerunt, ad intelligendam hujus vitæ in summa brevitate incredibilem et defugiendam calamitatem! Certe constaret esse plurimos, quibus, ut ait D. Ambrosius lib. II *De Abel.* cap. X, « vita est fœnus delictorum; » nec aliud compendium illos facere, dum diutissime vivunt, quam ut in dies majoribus se noxis obligantes, graviores deinde pœnas in omnem æternitatem expendant. Unde subditur :

Vers. 30. Dies perditionis et furoris Dei servatur impio.

30. QUIA IN DIEM PERDITIONIS SERVATUR MALUS, ET AD DIEM FURORIS DUCETUR. — Dies perditionis dies-que furoris interitus dies est, quo impius ab irato Deo ad æternas pœnas damnatur : illa enim vera est impii perditio, quod in illum diem pœna ejus differatur, quia tunc revera Deus in impium terribili ardebit furore. Significat ergo iniquos homines non semper in hac vita puniri, quia ad illum diem furoris et perditionis reservantur; de qua reservatione vide quæ *supr.* cap. XIV, 17 annotavimus; Septuaginta interpretes pro *servatur* legunt κυφίζεται, *sublimatur* : sublevatur quippe, ut valide elidatur, sicut qui vas fictile in sublime utraque manu effert saxoque fortiter allidit. Scilicet impii prospero fortunæ flatu turgidi

Tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant.

« Quia, ut Job ait, ad diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur. » Infelix omnino periturorum bonorum in nunquam moritura tormenta commutatio; et nimis modica felicitas, quam æterna claudit infelicitas; et quis amet honores ignibus terminandos? quis congerat opes perpetua egestate luendas? quis prudens amplectatur voluptates æternaturis flammis excruciandas? O fuge quisquis sapis tam magno redimenda : nimis caro constat quod æternum luitur : nimis vili pœnæ emuntur æternæ. O ubi mens et animus viri prudentis? et videmus hæc in dies, nec emendamur tot infelicium exemplis, et peccata peccatis inædificamus securi, cum moneat Sapiens *Eccli.* V, 4 : « Ne dixeris : Peccavi, et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor, » et tarditatem pœnarum gravitate compensat. Sed quisquis impio hæc ingerit surdo fabulam canit, quippe qui nimis firmiter aures obturaverit incantanti sapienter; unde subdit :

Vers. 31. Arguere impium

31. QUIS ARGUET CORAM EO VIAM EJUS? ET QUÆ FECIT QUIS REDDET ILLI? — id est, cum tam prospero fortunæ flatu utatur, quis impium a prava vitæ ratione revocare aut ejus flagitia audebit arguere? potentem difficile est. Sententia sane tanto viro digna : ita enim plerumque fit, ut homines secundis rebus elati vix unquam in gyrum rationis doctrina et reprehensione reduci se sinant, ideoque maximum discrimen subeant, qui vitam eorum improbam audent increpare. Observat autem D. Gregorius lib. XXXI *Moral.* cap. XXVIII, Scripturam sacram, quando per hujusmodi interrogationem loquitur, indicare rem difficillimam, quæ sola potentia divina fieri possit, ut cum Jacob de leone dormiente, aut verius de Christo mortuo dixit *Gen.* XLIX, 9 : « Quis suscitabit eum? » et David *Psalm.* LXXXVIII, 49 : « Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem? » et Malachias cap. III, 2 : « Quis stabit ad videndum eum? » Verbum autem *arguere* est increpare, reprehendere, objurgare, quod Paulus faciendum commendavit Timotheo dicens II *Timoth.* IV, 2 : « Argue, obsecra, increpa. » Quis, inquit Job, coram potenti peccatore obstinato constitutus audebit ejus iniquam viam arguere et reprehendere? res sane difficilis. Arguebat Joannes Herodem *Marc.* VI, 17, sed missus fuit in carcerem, et gladio interemptus. Arguit Propheta missus a Deo Jeroboam III *Reg.* XIII, 4, sed jussus fuit statim comprehendi. Arguit Jeremias regem et principes impios cap. XXXVIII, 6, et projectus fuit in lacum, sustentandus pane doloris, et aquis angustiæ potandus. « Circumveniamus justum, inquiunt isti *Sap.* IX, 12, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, » etc. : ecce rationem, cur justum circumveniendum statuunt, quia eos redarguit, et improperat illorum peccata. Ut ergo istiusmodi peccatores arguere posset Ezechiel, ait ei Deus se dedisse illi faciem ut adamantem et silicem, ne vultum eorum revereretur. Daniel vero cap. IV, 16, regi Nabuchodonosor expositurus somnium, quod superbiam ejus arguebat, et divinam ei vindictam intentabat, audito somnio a rege, antequam explicationem ejus proferret, « cœpit intra semetipsum tacitus cogitare quasi una hora, et cogitationes ejus conturbabant eum. » Quod eo consilio factum fuisse putandum est, ut interim dum tacitus cogitabat animum colligeret, et a Deo παῤῥησίαν postularet regem impium libere increpandi, et peccata ipsi sua constanter exprobrandi atque redarguendi. Quis item Baltassari inter pocula sacrilega epulasque nefandas ausus est denuntiare mortem scelusque arguere? Nonne, quisquis ille fuit, prius caput et faciem ne cognosceretur obtexit, ac manum solam protulit, et ne quidem integram; siquidem *Dan.* V, 5, tantum « apparuerunt digiti quasi hominis; » quo schemate insinuari videtur quanti res periculi sit potentiores arguere. Hoc alibi clarius Ecclesiastes exponit dicens cap. X, 20 : « In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti : quia et aves cœli portabunt vocem tuam, » id est, filii diaboli, corvi, adulatores, qui non solum non audent in faciem verum dicere, sed solent falsis adulationibus mentiri. Si ergo minime tutum sit etiam in secreto cubiculi sui detrahere regi, ac diviti maledicere, aut verbo illum perstringere, quis in faciem ejus id audeat, et impune feret?

Justus circumvenitur cum arguit peccatorem.

Maximi periculi est arguere potentes.

Observat S. Augustinus lib. XVIII *De Civit.* cap. V, ex Varrone Serapim maximum deum fuisse Ægyptiorum, et in templo, ubi tam ipse quam Isis colebatur, fuisse simulacrum, quod digito labiis impresso silentium indicebat, ne quis auderet illis principibus detrahere, eosque arguere, aut negare esse deos, vel asserere illos homines fuisse mortales impiosve : volunt enim impii silentio mendacia sua tegere, et in iniquitatibus ac sceleribus suis permanere. « Quis *ergo* arguet viam ejus coram eo? » Pauci certe sunt qui id agant; unde tanquam rem maxime singularem semel iterumque annotat Spiritus Sanctus de Azaria illo sacerdote magno, imo sacerdotum gloria, qui Oziæ regi sacrificanti contra Dei ordinationem in faciem restitit, illumque arguit : « Ipse est qui sacerdotio functus est, » ait Scriptura I *Paralip.* VI, 1et II *Paralip.* XXVI, 17. Alii quidem multi fuerunt sacerdotes; sed hic ore pleno *sacerdos* meruit appellari, qui complete boni sacerdotis partes egit in faciem arguendo superbi regis temerariam audaciam. Talis etiam fuit S. Ambrosius, qui Theodosio delinquenti non semel in faciem restitit, et, quod miraculi loco haberi debet, non minus se morigerum illi imperator exhibuit ad obsequendum, quam Ambrosius constans fuit ad eum arguendum; ut dubitare merito possis uter laudabilior censeatur, episcopusne ob libertatem arguendi imperatorem; an imperator ob humilitatem audiendi episcopum. Cæterum posset quoque illa vox *arguere* hoc loco idem significare quod *convincere* : quomodo fides ab Apostolo *Hebr.* XI, 1 dicitur *argumentum*, id est convictio (ut D. Thomas annotavit II II, *Quæst.* IV, art. 1) *non apparentium*; et S. Judas dixit *Epist.* vers. 15, quod « veniet Dominus arguere impios, » id est convincere. Quis autem hujusmodi peccatorem convincet rationibus? quis admonitionibus a malo revocabit? nihil per hoc medium aliquis proficiet. Quid igitur agendum? Job optime id docet in iis quæ sequuntur :

Azariæ constantia in Oziæ reprehendendo.

S. Ambrosii libertas in Theodosio reprehendendo.

Arguere idem quod convincere.

Vers. 32. Peccatores ad sepulcra ducendi, ut convertantur ex mortis rememoratione.

32. IPSE AD SEPULCRA DUCETUR, ET IN CONGERIE MORTUORUM VIGILABIT, — *q. d.* Non cum hujusmodi peccatoribus agendum rationibus acutis subtili mente fabricatis, admonitionibus blandis atque sententiis profundam sapientiam continentibus; sed ducendi sunt ad sepulcra, et ostendenda ipsis congeries mortuorum : hoc enim erit quod eorum oculos aperiet, et vigilantes faciet. Hoc Ecclesia agit dum ad sepulcrum reducit, pulverem et cinerem oculis tuis exponit; sepulcrum tuum apertum tibi ostendit, mortuorum congeriem ad memoriam revocat : Vide, inquit, quia cinis es, et paulo post in cinerem converteris : corpus tuum comedent vermes, putredine scatebunt oculi, et faciem quam ornas terra consumet; animam, ni resipueris, arripient dæmones, hæredes divitias tuas dividunt; et æternis ignibus traditus in æternum, dum Deus erit, cruciaberis.

IN CONGERIE MORTUORUM VIGILABIT; — in Hebræo est verbum שקד *sakad*, quod significat vigilantiam grandem ex anxia quadam cura ortam, qualis erat illa quæ regem Darium exercebat, quando misso Daniele in lacum leonum *Dan.* VI, 18, « abiit in domum suam, et dormivit incœnatus, et somnus recessit ab eo, » curis undique agitatus et vexatus circa personam Danielis; unde hoc verbo utuntur Scriptores sacri ad similem vigiliam exprimendam, ut S. Paulus cum ait I *Corinth.* XV, 34 : « Evigilate justi, et nolite peccare; » S. Petrus I *Epist.* V, 8 : « Sobrii estote, et vigilate; » et angelus ad episcopum Sardensem *Apoc.* III, 2 : « Esto vigilans; » et Christus Dominus *Matth.* XXV, 13 : « Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam. » Sepulcra et mortui oculis exhibiti omnem somnum abigent, oscitantiam pellent, vigilantissimum reddent, et anxiis conscientiæ stimulis urgebunt et compungent peccatorem; hinc quando Deus Pharaonem corde præfracto una cum principibus asseclis sibi rebellem subigere, ac sortis conditionisque suæ memorem reddere, atque sic ad præcepta sua capessenda et exequenda disponere vellet *Exod.* VIII, 16 : « Dixit Dominus ad Moysem : Loquere ad Aaron, extende virgam tuam, et percute pulverem terræ; et sint ciniphes in universa terra Ægypti. Feceruntque ita. Et extendit Aaron manum virgam tenens, percussitque pulverem terræ, et facti sunt ciniphes in hominibus. » Mirum profecto ex sola pulveris percussione ciniphes innumeros exstitisse, quorum, teste Philone, tanta fuit multitudo, ut per modum extensæ nubis totam Ægyptum obumbraret : undequaque enim extemplo densa ciniphum examina insurgebant stimulis armata, quibus homines infestabant, neque ullam quietis partem sive sedentibus, sive comedentibus, sive dormientibus indulgebant, ut non immerito D. Augustinus ciniphes typum inquietudinis expressisse significet, quos imitantur inquieta quorumdam ingenia, quæ nullam in se requiem habent, nec aliis concedunt.

Mortuorum aspectus fugat ocitudinem, et compungit peccatorem.

Ciniphes sunt typus inquietudinis.

Mystice autem hic considerandum, quanti referat manum extendere ac terræ pulverem percutere : Quænam animæ manus, inquit S. Augustinus, nisi mens seu intellectus, quo res capit et apprehendit? unde a D. Thoma vocatur *potentia apprehensiva*. Virga vero quam istiusmodi manus apprehendit, quid aliud sit quam meditatio seu consideratio, qua res expendit et excutit? sed hæc nostra miseria est, quod per eam raro sepulcralem pulverem percutiamus, nec mortem serio cogitemus, pro ingenio quisque suo passim alia meditantes. Avarus enim opes, iracundus pugnas, superbus honores ac dignitates, libidinosus fœdas voluptates, ebriosus vina, gulosus

http://www.obrascatolicas.com

epulas deliciasque assidua meditatione versat; qui si pulverem terræ percuterent, eumque seria cogitatione ventilarent, sine dubio inde ciniphes orirentur, qui ipsos compungerent, atque a peccati somno excitarent. « Ducerentur nempe ad sepulcra, et in congerie mortuorum evigilarent, » ibi edocerentur naturæ nostræ mysteria, imbecillitatis humanæ arcana, quæ veluti in promptuario referto et clarissimo atque in divite officina produntur. Viderent ibi pulveres illos, et terram siccam, calvarias aridas vacuasque, ossa consumpta pulverique mixta; quæ si considerationis virga iterum iterumque percuterent, hæc utique inde excuterent atque cognoscerent, scilicet ea quæ vident jam in pulverem redacta quondam fuisse homines sui similes, potentes, divites, qui hanc quam modo ducimus vitam vixerunt, hanc eamdem quam nos calcamus terram calcaverunt, hac ipsa qua fruimur luce delectati fuerunt. Ubi nunc eorum fastus? ubi divitiæ? ubi voluptates? ubi generis nobilitas? ubi jactantia? ubi famulantium obsequiosa multitudo? ubi molles ad quiescendum lecti? ubi opiparæ ad epulandum mensæ? ubi species venusta mulieris? ubi color genarum vividus? ubi concinnitas capillorum anxie comptorum et ad illecebram calamistro instructorum? Hæc quisquis sedula secum cogitatione expendit, seque illis paulo post similem futurum considerat, utique de pulvere ciniphes elicit, id est anxias cogitationes, quæ animum reddant inquietum, et de salute sua sollicitum.

Sepulcra nos docent naturæ mysteria.

Percute igitur pulverem, et egredientur ciniphes, anxiæ scilicet cogitationes, ingentes timores, vehementes curæ, ut tibimetipsi prospicias, et saluti tuæ consulas : ciniphes sanguinem sugunt et extrahunt. Est autem sanguis cujus vigore caro nutritur et roboratur, viresque accipit, ut contra spiritum insurgat, cujus ardore concupiscentia inflammatur atque succenditur; unde somnus spiritalis et oblivio salutis ingeritur. Sed ciniphes ex mortis meditatione et sepulcrali pulvere orientes sanguinem minuunt, carnis lasciviam compescunt, concupiscentiæ ardorem restinguunt, et lethiferum peccati somnum excutiunt abiguntque. Hinc factum, ut quoniam viri sancti hunc sepulcralem pulverem attentæ considerationis virga perpetuo percutiebant, ea quæ ad mortuos spectant cogitantes, hac sola consideratione excitati carnem assidue mortificarent, concupiscentiæ flammas mitigarent, ac vigilantissimi efficerentur : quando nimirum fessis membris quietem aliquam indulgebant, et somnum oculis concedebant, illico insurgebant anxietates et timores mortis, quibus compuncti suspiria emittere cogebantur dicentes : Heu mihi moriendum, et forsan quidem hodie ! Quid ago? quid cogito? Talem sese exhibebat David perenni cura vigilem cum ait *Psalm.* LXXVI, 5 : « Anticipaverunt vigilias oculi mei, » id est, vigilantior fui illis ipsis quibus vigilandi cura ex officio incumbebat; sed quisnam somnum ab oculis ejus fugavit? timor utique atque turbatio, quæ etiam linguam adhærere faciebat palato ejus : « Turbatus sum, inquit, et non sum locutus. » At unde tantus timor? « Cogitavi, inquit, dies antiquos, et annos æternos in mente habui, » *q. d.* In medio præteritorum ac futurorum temporum me constitui; et quidem quæ præterierunt sunt dies, quæ restant sunt anni : illi quidem antiqui aut antiquati ac consumpti dies; isti vero anni sunt æterni nulla durationi finiendi. « Cogitavi, inquit, dies antiquos, » non tam tempus, quod præteriit, quam quod in illo factum fuit : consideravi recogitans antiquos patres qui me præcesserunt, et quid ipsis factum sit, inquirens, ubi sint principes illi nobiles; ubi divites et abundantes; ubi voluptuosi ac delicati; ubi sit gigantum fortitudo, regum potentia, mulierum pulchritudo : transierunt omnia illa. Et qui temporis præsentis cursum absolverunt ingressi sunt annos æternitatis : id ipsum mihi certissime eventurum, et forsitan hodie.

Virisancti sepulcralem pulverem assidua mente excutiebant.

Dies et anni antiqui recogitandi.

Bene ergo dicit Job : « Ad sepulcra ducetur, et in congerie mortuorum evigilabit, » ubi expende illud, « in congerie mortuorum : » hæc enim potentissima est ad somnum etiam illius qui lethargo opprimitur effugandum. Facito congeriem mortuorum et acervum non fictum, sed verum; et tanquam alter Ezechiel vide et considera campum plenum ossibus mortuorum illorum, quos nosti antea viventes, quos oculis tuis vidisti, quibus olim usus es familiariter : in primis congeriem facito consanguineorum et affinium tuorum : tuam prosapiam tanquam arborem extensis ramis dilatatam considera, patrem, matrem, fratres, sorores, consobrinos, cognatos : vide omnes fere hujus arboris ramos excisos, te solummodo remanere jam quasi siccum, statim morte excidendum, mille infirmitatibus obnoxium. Ubi parentes qui te genuerunt? ubi fratres cum quibus educatus es? ubi sorores? etc. Huic consanguineorum acervo adde condiscipulos, quos primum in infantia sortitus fuisti : cum enim primum oculos corporis antequam rationis aperuisti, ad primas scholas missus elementa prima cogniturus, quot quantosque habuisti pueros socios; quorum majorem partem vides morti cessisse. Deinde majoribus studiis applicatus innumeros habuisti condiscipulos vividos, sanos, agiles, qui juvenili ardore multa agebant, quæ sæpe refers; qui per varios casus et innumera discrimina rerum loca varia in republica obtinuerunt; ex quibus quam plurimi vitæ cursum perfecerunt, et jam Deo ejusdem suæ vitæ reddiderunt rationem. His adjunge homines famosissimos et celeberrimos quos nosti; mulieres formosissimas, quæ totius civitatis oculos ad se convertebant. Quot quantique comites, barones, divites, quot quantæque feminæ illustres, et pulcherrimæ, quas vidisti, jam in mortuorum congerie quiescunt? Omnes hi vita excesserunt, omnia quæ habebant reliquerunt; nec

Utilissimum est recogitare secum defunctos quos in vita noviti.

secum tulerunt divitias, facultates, corporis robur aut pulchritudinem; coram divino judicio rigidissimo comparuerunt, ingressi sunt domum æternitatis. Quid de te speras? quis te decipit, suadens longam te vitam manere? quis mentem tuam subvertit, persuadens meliorem tuam sortem futuram? Nonne fieri potest, ut illis hac ipsa die adjungaris? Si hanc congeriem faceres mortuorum ad eam mentem applicans, evigilares utique, et non sineres perfodi domum tuam.

Vers. 33. 33. DULCIS FUIT GLAREIS COCYTI, ET POST SE OMNEM HOMINEM TRAHET, ET ANTE SE INNUMERABILES. — Pro faciliori intelligentia hujus loci, qui ab interpretibus in varias sententias trahitur, notandum *primo*, *glaream* esse arenosam et lapidosam terram, qualis in fluminum ripis et fabulosis locis reperiri solet. *Cocytus* autem fluvius est in Arcadia a Styge palude fluens, quem inferorum esse fluvium poetæ finxerunt; tum quia in illam paludem multa cadavera conjiciebantur, ut cito exederentur; tum quia κωκυτὸς Græcis *lamentum* seu luctum significat. Nota *secundo*, nostrum interpretem hoc loco vertere speciem pro genere, ponendo *Cocytum* pro quovis fluvio vel torrente, et uti hypallage : nam Hebræa et Chaldæa vertunt *glebas torrentis*; Septuaginta vero reddunt, ἐγλυκάνθησαν αὐτῷ χάλικες χειμάῤῥου, *dulces ei fuerunt lapides torrentis;* sensus ergo est, *q. d.* Optime convenit ei cum sepulcro : nihil enim ibi mali sentit, sed in eo dulciter ac suaviter quiescit. Nota *tertio*, hinc liquere veterum sepulcra, præsertim nobiliorum, fuisse juxta flumina; quod maxime honestum existimarent pro sepultura littoralem locum, aut quia aliquid in jugi atque vivente aqua credebant esse sacrum et expiatorium; aut quia magis videbatur sepulcrum futurum esse mundum, et a silvestrium ferarum conculcatione liberum. Id multa probant antiquorum seu vera seu fabulosa exempla, quæ ad fluminum ripas virorum principum sepulcra constituunt : sic Hecubæ sepulcrum ad amnem Rhodium statuit Strabo lib. XIII; Arcadis Philostratus ad Orontem; Pausanias multorum sepulcra variis fluminum littoribus adjungit. Aristoteles in *Peplo* ad Cephissum amnem tumulum statuit Penelei. Quorum similia plura noster Sanctius adducit exempla; unde hebræus quidam apud Stunicam ait Arabum lingua sepulcra vocari *glebas* vel *glareas torrentis*.

Quid sit glarea, quid Cocytus.

Sepulcra olim juxta flumina fieri solebant, et cur.

Dum ergo Jobus ait impium esse dulcem glareis Cocyti, idem agit ac si diceret, delationem cadaveris impii ad sepulcrum non tam tristem et amaram esse quam lætam et suavem, utpote festis epulis et ludis conditam; ut fere videatur deductio esse ad thalamum nuptialem, ac proinde non tanto esse impiis horrori : ita Tirinus noster. Vel certe significat impium dulcem et gratum esse, ac placere illi regioni infernæ, quæ figurate *glarea Cocyti* appellatur : sicut enim cuique rei dulcis est, hoc est placet, congruit, consentanea est res alia, quæ cum ipsa proportionem habet, ut lapis centro : ita sontium animæ regioni inferorum congruunt, dulcescunt, quadrant ob proportionem culpæ et pœnæ : locus quippe ac sedes propria animæ peccati pondere gravatæ tartarus est. *Glareæ* quoque juxta poetarum commenta eructabantur a fluvio quodam inferni, cui nomen Acheron, in Cocytum, quas sane glareas defunctorum animas esse fingebant; et quidem Jobus commentis bene utens, dum ait impium *dulcescere glareis Cocyti*, perinde agit, ac si impium, dum in tartarum detruditur, cæteris impiis gratum esse pronuntiaret : licet enim nihil in ea regione suave dulceve sit, minime tamen negandum damnatos alios aliis placere ex eo capite quo Deum offenderunt, in quam certe superbiam animi damnatorum vehementer conspirant.

Infernis gratus accidit hospes.

Tropologice S. Gregorius lib. XV *Moral.* cap. XXXVIII : « Qui, inquit, per *glareas Cocyti* nisi reprobi designantur, qui suis voluptatibus dediti quasi semper a flumine ad ima detrahuntur? qui enim contra voluptates hujus sæculi stare fortiter nolunt *glareæ Cocyti* fiunt, quia suis quotidie lapsibus ad luctum tendunt, ut in æternum post lugeant, qui modo se in suis voluptatibus delectabiliter relaxant, » etc. Quod vero subtexitur :

Impii per glareas designantur.

ET POST SE OMNEM HOMINEM TRAHET, ET ANTE SE INNUMERABILES, — idem est, ac omnes antecessores et successores morientur, quemadmodum ipse interiit, quod ad corporis sortem spectat; quo sensu Jobus hoc argumentum texere censendus est, *q. d.* Cum omnibus sive bonis sive malis pari lege mors immineat, trahatque omnes subsequentes sicut traxit omnes præcedentes; cumque in hac vita impiis secus quam piis ex voto omnia et ex animi sententia cedant, certo inde colligitur *primo*, post hanc vitam utrisque reservari condignam retributionem; *secundo*, non propter sola scelera homini adversa immitti a Deo in hac vita; unde sequitur *tertio*, ex iis colligi non posse, Jobum impium et sceleratum esse, ut amici contendebant : quare subdit :

Omnes pariter moriuntur.

Vers. 34. 34. QUOMODO IGITUR CONSOLAMINI ME FRUSTRA, CUM RESPONSIO VESTRA REPUGNARE OSTENSA SIT VERITATI? — Ex Jobi argumentis, quibus adstruxit pios æque ac impios ærumnis in hac mortali vita afflictari, palam efficitur, ineptum solatii genus esse, si quis viro afflicto, quem censet impium, pœnitentiam agere suadeat, promittens, si in Dei gratiam redeat, fore ut secundæ res ad votum succedant, opes, honores, commoda circumfluant. Frivolum certe solatii genus : nam res plane incerta est : neque enim ex reditu in Dei benevolentiam efficitur, ut qui pius est fortunetur, honoretur, bene valeat, cæterisque fluxis mortalis vitæ bonis affluat, cum pateat plerosque viros piissimos ærumnis consumptos interire, et e contrario plerosque improbos florentes, vegetos lætosque ad mortem usque perdurare, præterquam quod perspicuum est, consolationem minime appositam esse, polliceri homini ærumnoso prosperitatem si resipis-

Frivolum solatii genus, alicui temporalem proponere prosperitatem.

http://www.obrascatolicas.com

cat, cum ex genere suo ea prosperitas resipiscentiæ vitæque defæcatæ argumentum non sit. Cum ergo Eliphaz, Baldad et Sophar Jobi constantissimum animum grandibus pollicitationibus temporariis tentassent, apte concludit aiens : « Quomodo igitur consolamini me frustra, » vel, ut Septuaginta reddunt, κενὰ, *inaniter?* Incassum videlicet argumenta conglobarunt, cum finis intentus, qua ratione ipsi asserebant, neque semper obtineretur, neque si fortuito obtingeret, veræ sententiæ congrueret; atque idcirco subjungit :

CUM RESPONSIO VESTRA REPUGNARE OSTENSA SIT VERITATI, — veræ scilicet sententiæ, quæ habet, pios et impios in hac vita promiscue affligi, neque ex opibus vel inopia firma vitii aut virtutis argumenta produci; ac proinde superesse vitam aliam, ubi boni præmiis cumulandi, improbi commeritis pœnis in sempiternum torquendi sint; atque in hunc modum Jobus siluit, quem redintegrato prælio Eliphaz iterum adorsus est.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliphaz iterato Jobum prælio aggreditur, arguens ipsum temeritatis et impudentiæ, quod cum Deo de innocentia sua visus sit expostulare, a quo justissime torqueatur; quod ut evincat, gravissima viro innocentissimo crimina impingit, immisericordiæ in pauperum oppressione, et aliorum scelerum reum peragens : quin et pessimis cum circa divinam providentiam opinionibus imbutum esse fingit; ut qui crederet inferiora hæc et humana non curare, imo nec videre Deum, cum longe a nobis habitet, et magnum inter nos et ipsum chaos intercedat, densarum nubium caligine interfusa. Ut ergo ad saniorem ipsum mentem reducat, pœnitenti prospera rursus omnia pollicetur et amplissimam a Deo benedictionem.

1. Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit : 2. Numquid Deo potest comparari homo, etiam cum perfectæ fuerit scientiæ? 3. Quid prodest Deo si justus fueris? aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua? 4. Numquid timens arguet te, et veniet tecum in judicium? 5. Et non propter malitiam tuam plurimam, et infinitas iniquitates tuas? 6. Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa, et nudos spoliasti vestibus. 7. Aquam lasso non dedisti, et esurienti subtraxisti panem. 8. In fortitudine brachii tui possidebas terram, et potentissimus obtinebas eam. 9. Viduas dimisisti vacuas, et lacertos pupillorum comminuisti. 10. Propterea circumdatus es laqueis, et conturbat te formido subita. 11. Et putabas te tenebras non visurum, et impetu aquarum inundantium non oppressum iri? 12. An non cogitas quod Deus excelsior cœlo sit, et super stellarum verticem sublimetur? 13. Et dicis : Quid enim novit Deus? et quasi per caliginem judicat. 14. Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat. 15. Numquid semitam sæculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui? 16. qui sublati sunt ante tempus suum, et fluvius subvertit fundamentum eorum : 17. Qui dicebant Deo : Recede a nobis : et quasi nihil posset facere Omnipotens, æstimabant eum : 18. Cum ille implesset domos eorum bonis : quorum sententia procul sit a me. 19. Videbunt justi, et lætabuntur, et innocens subsannabit eos. 20. Nonne succisa est erectio eorum, et reliquias eorum devoravit ignis? 21. Acquiesce igitur ei, et habeto pacem : et per hæc habebis fructus optimos. 22. Suscipe ex ore illius legem, et pone sermones ejus in corde tuo. 23. Si reversus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo. 24. Dabit pro terra silicem, et pro silice torrentes aureos. 25. Eritque Omnipotens contra hostes tuos, et argentum coacervabitur tibi. 26. Tunc super Omnipotentem deliciis affluues, et elevabis ad Deum faciem tuam. 27. Rogabis eum, et exaudiet te, et vota tua reddes. 28. Decernes rem, et veniet tibi, et in viis tuis splendebit lumen. 29. Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria : et qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur. 30. Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum suarum.

Vers. 1 et 2.

1 et 2. RESPONDENS AUTEM ELIPHAZ THEMANITES DIXIT : NUMQUID DEO POTEST COMPARARI HOMO, ETIAM CUM PERFECTÆ FUERIT SCIENTIÆ? — Septuaginta vertunt, πότερον οὐχὶ ὁ Κύριός ἐστιν ὁ διδάσκων σοφίαν καὶ ἐπιστήμην; *nonne Dominus est qui docet intellectum et scientiam?* unde in Cantico Annæ matris Samuelis I *Reg.* II, 3, dicitur Deus *scientiarum Dominus* : ab illo enim ut uberrimo et copiosissimo fonte omnes artes et reconditæ scientiæ atque arcana et magnifica ingeniorum vis profluxit; ab illo etiam ordo in omnibus, et mirabilium rerum pulchritudo, et velut in concentu symphonia omne artificium et admirationem superans manavit. Itaque S. Paulus « multiformem sapientiam » Dei prædicat *Ephes.* III, 10; atque ut relictis creaturis oculos in ipsa Numinis scientia figamus, in primis contuetur, et perfectissime cognoscit essentiam suam, bonitatem, potentiam, perfectiones denique omnes infinitas; in quibus cognoscendis immensus ipsius intellectus copiosissime expletur, et voluptate singulari perfunditur; in quo est ipsius beatitudo : essentiam enim pro speculo habet lato et splendido, in quo se videt atque omnia. Erudite S. Dionysius lib. *De Divin. Nom.* cap. VII, § 2 : Ἑαυτὴν ἡ θεία σοφία γινώσκουσα γνώσεται πάντα, *seipsam,* inquit, *noscens divina sapientia noscet omnia.* In ea videt distinctissime partes omnes mundi, species omnes, naturas singulares, rerum minutias, vim omnem et varietatem, herbas, stirpes, animantes, quasi in digitis suis numerat in littoribus arenas, in oceano pisciculos, stillantes pluviæ guttas, arborum frondes, momenta temporum, hominum et angelorum cogitationes, quæ sunt, quæ fuerunt, et in omnem æternitatem sunt futuræ; nec perfecte minus comprehendit et numerando percenset muscas in aere volantes, aut passeres humi cadentes, aut capillos in humanis capitibus vibrantes, quam stellas in orbibus cœlestibus micantes, quas vocat nomine suo, et dicunt : Adsumus, ait Baruch cap. III, 34.

Deus scientiarum Dominus est.

Deus omnia in semetipso cognoscit.

Dei scientia distincte omnia comprehendit

In amplissima illa scientia hoc quoque est mirabile, quod nec tempore augetur, nec oblivione minuitur, sed attingit a fine usque ad finem, et præterita atque illa quæ in omnem sæculorum continuationem futura sunt tam clare et distincte videt, quam quæ modo in oculis geruntur : itaque nihil fallere illum potest, nihil aciem mentis effugere, nihil inscientia præteriri : « Omnia, inquit Apostolus *Hebr.* IV, 13, nuda et operta sunt oculis ejus; » in Græco est τετραχηλισμένα, quæ pulcherrima metaphora est ducta a sacrificiis : solebat enim, ut theologi Hebræorum monent, hostia primum excoriari, tum a cervice usque ad imam partem discindi, adeo ut intestina, et quæ prius abdita fuerant et arcana, tum oculis subjicerentur. Victimam autem ea ratione discindere atque aperire, τραχηλίζειν dixerunt. Hinc igitur omnia oculis Dei mundum omnem circumspicientis τετραχηλισμένα, *nuda et aperta sunt,* ut diloricato pectore, ut intimo cordis sinu patefacto. Quidquid in fundo oceani delitescit, aut in visceribus terræ latet, aut inscrutabili in corde hominum occulitur, aut reponitur in libera voluntate angelorum, penetrat et pervadit Numinis sapientia I *Reg.* II, 3 : « Et ipsi præparantur cogitationes, » pro quo Symmachus legit, καὶ οὐκ εἰσὶ παρ' αὐτῷ προφάσεις, *et non sunt apud eum prætextus et excusationes.* Unde sequitur nemini tutum esse aut consultum cum Deo descendere in judicium : quando enim nobis cum hominibus negotium est, si aliquid adversario objicere, aut in illo carpere possumus, quod ad nostram defensionem proferamus, videmur nobis dimidia ex parte causam nostram obtinuisse, etiam cum malam causam habemus, quia nimirum hoc pacto judices a causa nostra divertimus, ne toti in nobis hæreant et defixi sint, utque a nobis admissa noxa quasi obscuretur et implicetur. Hoc vulgo solet inter homines factitari, ut nimirum quærant aliqua subterfugia, quibus se evasuros sperent; sed quando ad Deum accedimus ista omnia concidunt, atque istiusmodi exceptionis formula erga ipsum uti velle prorsus stultum et ridiculum fuerit. Atque in hoc versatur totum Eliphazi argumentum, quod utilem quidem et optimam doctrinam continet et omnibus in genere salutarem, si non perperam Jobo illam accommodaret, et ex ea falsum viro innocentissimo crimen impingeret, et indignissima quæque ipsi affingeret, a quibus prorsus erat alienus.

Contra homines multæ sunt exceptiones quæ erga Deum non subsistunt.

Optarat quidem Jobus cum Deo disceptare, suamque innocentiam non gloriæ ambitu, sed veritatis studio asseruerat; quod Eliphaz sinistre interpretatus, velut hominem scientiæ opinione et inculpatæ vitæ existimatione turgentem valide aggreditur. Non hic autem immorandum exquirendo seligendove uno alterove verbo, ex quo Eliphaz judicare potuerit Jobum audere seipsum cum Deo componere, et scientiam justitiamque suam Deo obtrudere : eo quippe ipso quod se innoxium excruciari, velleque cum Deo disputare significaverit, Dei tribunal appellarit, amicos carpserit, potuit iniquus interpres opinari ea asserta esse hominis audacis, sapientiam et justitiam ita venditantis sibique fidentis, ut cum Deo ipso se compararet, divinam providentiam reprehenderet, videreturque sibi sapientior Deo, ut qui noset res prudentius temperare; et justior, ut qui sine noxa cæderetur a Deo injuste pœnam infligente. At enormiter Eliphaz pravo suo interpretamento aberrat; Jobus vero dum conscientiam potius quam scientiam asserit suam, et justitiam commendat, confert sane multum laudis et gloriæ in Deum, qui accessione illa apud mortales claresci. Et universe justorum opera eximia quasi annui redditus sunt, quos Deus in thesauris reponit; non quod ex iis emolumentum ullum faciat, quod totum nobis cedit; sed hac ratione divitias gloriæ ac bonitatis suæ magis orbi manifestet, et amplior eum laudandi nobis inde materia succrescat : in quo sibi tanquam in thesauro complacet qui bonorum nostrorum non eget. Cæte-

Eliphaz male in Jobum invehitur, quasi se Deo velit præponere.

Nihil potest effugere Dei scientiam.

http://www.obrascatolicas.com

rum quam procul hoc abfuerit a mente Jobi, ut semetipsum cum Deo conferre præsumeret, aut cum eo de justitiæ palma contendere vellet, satis ipse declaravit cap. IX, 2, cum ait : « Vere scio quod ita sit, et quod non justificetur homo compositus Deo : si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille, » etc. Unde mirum est Eliphazum tam parum fuisse sui memorem, aut certe impudentem, ut easdem toties jam dilutas afflicto calumnias impingeret regeretque.

Vers. 3. 3. QUID PRODEST DEO SI JUSTUS FUERIS? AUT QUID EI CONFERS, SI IMMACULATA FUERIT VIA TUA? — Nam, ut pulchre ad hunc locum S. Gregorius lib. XVI *Moral.* cap. I, « in omni quod bene agimus nosmetipsos, non Deum juvamus; » idem aiunt in hunc locum S. Chrysostomus, S. Thomas et alii : rationem reddit Philippus, quia Deus fons et origo est totius boni, et nullius extra se boni egens. Opera igitur nostra nobis, non Deo utilia sunt : Deus enim ita supra omnem creaturam elevatus est, ut nulla re creata indigeat, nec aliquid extra ipsum in ejus cedat utilitatem, etiamsi in honorem et gloriam illius fieri dicatur, honor enim in honorante non in honorato est, etiam inter homines. Hoc tamen inter honorem hominis et Dei interest, quod dum honoratur homo, etiamsi honor illius in alio sit, et ipse illum ignoret; sit tamen ei utilis, quocirca qui ei aufert honorem, vere ac proprie dicitur ei damnum inferre. At honor Dei, qui in nobis esse dicitur dum bene operamur; vel religiose eum colimus, non dicatur cedere in utilitatem ipsius Dei : nam nihil a nobis accipere potest, quod sua aliquo modo intersit; ideoque ex parte nostra nil ipsi Deo conferre possumus. Hinc Christus Dominus *Luc.* XVII, 10 : « Cum, inquit, feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod debuimus facere fecimus; » ubi duo docet Christus, *primum*, scilicet nos servando præcepta non mereri ex eo præcise laudem a Deo seu gratiam habere, quia gratias referre solemus pro his quæ nobis gratuito exhibentur, et hic est sensus directus horum verborum, ut patet ex contextu et similitudine servi quæ præcessit; *secundum* vero, nos etiam servos omnino inutiles esse, quia servitio nostro nihil utilitatis accedit Deo, pro quo gratias referre teneatur. Sed dicet aliquis : Ergone etiam servum inutilem dicemus Paulum apostolum adimplentem ea quæ desunt passioni, quique tot ac tanta perpessus est pro nomine Christi; qui denique universum docuit mundum, et innumeros peccatores Deo lucratus est? similiter et S. Petrum, apostolorum coryphæum, et Joannem evangelistam, et Augustinum, Ambrosium, Hieronymum et alios doctores sacros, qui tantum Ecclesiæ Dei profuerunt, hos servos inutiles reputabimus? ita quidem quoad Deum, quia licet plurimum fructum fecerint, et multas animas lucrati sint, lucro tamen hujusmodi nihil accrescit Deo in se : nec enim Deus esset, si lucrum in se aliquod acquirere potuisset. Lucrum igitur istiusmodi totum quantum nostrum est et ipsorum servorum, non autem ipsius Dei, cui soli honor et gloria.

Opera justitiæ quæ facimus nil Deo, sed nobis solis prosunt ad utilitatem.

Cæterum Septuaginta versum hunc ita reddunt, τί γὰρ μέλει τῷ Κυρίῳ, ἐὰν οὐ ἦσθα τεῖς ἐργοῖς ἄμεμπτος; ἢ ὠφέλεια, ὅτι ἀπλώσῃς τὴν ὁδόν σου; *quid enim curæ est Domino, si tu fuisti operibus tuis absque crimine; aut utilitas, quod simplicem facias viam tuam?* Quod non ita intelligendum quasi Deus oculos claudat, nec ullum inter bonos et malos discrimen constituat; sed quod ipsi ex justitia nostra nihil accedat, ac proinde cum illam vult, vult nostri causa, non ipsius propria, ob nostrum emolumentum, non suum : quoniam vero Deus omne bonum a se promanare agnoscit, en cur bonum amet : sicut fieri non potest, ut aliter sit affectus, cum ipse boni sit fons et origo. Cæterum sui respectu, id est, propter commodum aut emolumentum ullum, quod inde recipiat, non est illi curæ, quomodo vivant homines. Cum homines quidquid mali poterunt agent, num justitiam illam, quæ in Deo est, ipsi eripient? an poterunt illius majestatem imminuere? numquid gloriam ejus et honorem abolere? num regni ipsius limites contrahere? minime gentium. En igitur quomodo dicitur Deo non esse curæ quid homines faciant; sed quod ad nos attinet, videamus, an non sit beatitudo nostra, nos ad ejus nutum et voluntatem conformare, et ipsius imperio nos subjicere, cumque nec nobis, nec vita nostra, nec operibus nostris indigens, ita tamen sollicitus sit, ut vitam sancte instituamus; ex eo cognoscamus charitatem, qua nos complectitur, sicut jam dictum est, quod nos sibi conjungere dignatus sit, et quidem ita conjungere, ut si bene vixerimus, dicat regnum suum stabilitum; sin male, neget se regnare. Quomodo autem id fit? An possumus impedire, ne Deo suum remaneat imperium? minime; cur ergo ita loquitur? ut, sicut dixi, declaret, quanto nos amore prosequatur, juxta quod ait *Prov.* VIII, 31 : « Deliciæ meæ esse eum filiis hominum. » Deus istiusmodi verbis utitur, ut intelligamus ipsum nolle bonum, quod in se habet, conclusum et occultatum continere; sed velle de ipso partem aliquam super nos effundere, et nobis communicare. Talem igitur nostri curam gessit, ut illi curæ sit, quomodo vivamus; sed non quod inde damnum aliquod aut emolumentum percipiat. Quæ est summa ejus, quod hoc et præcedenti versiculo docetur, ac magis sequenti versu declaratur.

Quo sensu dicatur in Deo non esse curæ quomodo vivamus.

Vers. 4. 4. NUMQUID TIMENS ARGUET TE, ET VENIET TECUM IN JUDICIUM? — Hic nobis adhuc clarius ostenditur nos nihil profecturos, si sicut solemus cum nostris æqualibus adversus Deum tergiversati fuerimus : cur enim in litibus et jurgiis inter se susceptis tot cavillationibus solent uti homines, nisi ut obicem aliquem opponant, et adversarium placent; aut saltem ipsi timorem incutiant, ne vehementius ab ipso urgeantur? Quoniam igitur homines

Non esse nobis cum Deo sicut cum hominibus litigandum.

nonnunquam falsa sui opinione ita turgent, ut inducant animum erga Deum factitare quod alii erga alios factitant, propterea dicit : « Numquid timens arguet te? » id est, putasne ex timore tui Deum disceptatorum tecum judicio, quasi te metueret, tuamque injustitiam aut versutiam reformidaret? quid enim Deo possimus facere unde nos timeat? num forsitan timebit ne ipsius cervices pedibus nostris premamus? atqui quisquis gigantæo ausu adversus Deum insurgit; quid aliud agit, quam sibi ipsi cervices frangit? Non est igitur quod existimemus Dominum sibi timere a nobis (stolidissima enim sit istiusmodi persuasio); sed sciamus Deum, cum nos ad tribunal suum citat, ideo non facere, quasi illi nocere possimus, sed ut cogat nos sentire malum quod in nobis est, et eo incitemur ad quærendum remedium; utque vera pœnitentia ad ipsum accedamus, secundum ejus voluntatem gubernari cupientes. Et certe inexcusabiles omnino simus, si ipsi restiterimus, et ad malitiam nobis insitam rebellionem illam et obstinationem, quæ nos ipso ad se revocante flecti non sit passa, adjunxerimus, de qua subdit :

Vers. 5. 5. ET NON PROPTER MALITIAM TUAM PLURIMAM, ET INFINITAS INIQUITATES TUAS? — Certum quidem est hæc in Jobum virum innocentissimum et omni virtutum genere ornatissimum minime quadrare, cui ab Eliphazo male idcirco applicantur; nobis tamen interea generalis ejus propositio tenenda est, quæ salutarem omnino doctrinam continet, dummodo eam nobis prout opus est applicemus : nempe unumquemque nostrum debere frequenter in seipsum descendere, conscientiæ latebras excutere, sese incorrupto judici sistere, reum se peragere, culpam agnoscere, nec exspectare dum ipsum Deus persequatur; sed a semetipso delictorum suorum pœnas exposcere, singula discutere, et pro occultis etiam et alienis, quæ innumera sunt, veniam deprecari. Id, inquam, si non perfunctorie, sed diligenter et sollicite fecerimus, nos adducet ad animi demissionem et veram pœnitentiam, ita ut non amplius tam tardi simus, ut eramus, ad Deum ac judicem nostrum tempore opportuno nobis repropitiandum; saltem non ita amplius refractarii erimus, ut adversus illius castigationes et stimulos recalcitremus : intelligemus enim non cum homine nobis negotium esse, sed cum Deo, qui nec falli potest, nec fallere, quem nec muneribus corrumpere, nec conflictis astute dolis decipere valemus. Hinc tamen male, ut dixi, infert Eliphaz Jobum a Deo integro et sapiente judice tam severo æquoque judicio puniri, quod esset gravibus sceleribus implicatus; quod ut probet, gravissima confingit crimina, eaque viro innocentissimo non minus falso quam impudenter impingit dicens :

Nostram nos ipsi malitiam agnoscamus opertet.

Vers. 6. Eliphaz objicit

6. ABSTULISTI ENIM PIGNUS FRATRUM TUORUM SINE CAUSA, ET NUDOS SPOLIASTI VESTIBUS. — Objicit hic Jobo crimina, quæ divitum improborum atque tyrannorum propria esse videntur, et eorum, qui impietatis, rapinæ et crudelitatis fructibus dilitescere solent, nimirum sordidam avaritiam, increbilem feritatem atque inhumanitatem : « Abstulisti, inquit, pignus fratrum tuorum. » Immisericordiæ profecto et inhumanitatis est maxime, erga fratres et propinquos non esse liberalem ac munificum, sed sævum creditorem, et turpis lucri usurarumque exactorem; atque illis egentibus, aut etiam postulantibus, nihil sine pignore dare, verum captis pignoribus postea cogere et coercere. Quid vero fratrer fratri mutuo et commodato, ac non potius dono minimeque reddendum dedisse, aut reddendum vero cum primum possit, sine pignore, sine repetitione existimandus est? Certe qui sua fratri communia non fecerit, is fraterna compellatione indignus, et humani sanguinis exsors censendus, propterea que ab hominum communitate ablegandus, in quem illud exquisite quadrat, quod de tyranno dictum est a Cicerone sapienter lib. III *Offic.* : « Hoc genus pestiferum et impium ab hominum communitate exterminandum : etenim ut membra quædam amputantur, si ipsa sanguine et tanquam spiritu carere cœperunt, et nocent reliquis partibus corporis, sic in ista figura hominis feritas et immanitas belluæ a communitate et tanquam humanitate corporis segreganda est. »

Jobo inhumanitatem et sordidam avaritiam etiam erga fratres.

Inhumani exterminandi a communi convictu.

In Hebræo et apud Septuaginta sensus est vehementior, ἐνεχύρασες δὲ τοὺς ἀδελφούς σου διακενῶς, *pignus autem accepisti fratres tuos in vanum*, id est, non solum illorum bona, quasi tibi obnoxia et debita, injecta manu tibi asseruisti, sed illos ipsos per vim et tyrannidem comprehensos tenens suffocabas, quoad usque redderent universum debitum, quemadmodum in evangelica parabola *Matth.* XVIII, 28, de iniquo servo legimus; idque *sine causa* : quod S. Thomas interpretatur, *sine causa necessaria, quia de fratribus tuis sine pignori confidere poteras.* Alii exponunt *frustra, supervacue, sine merito, gratis, nihil debentes* : nam solent divites avari in media luce et in medio foro latrocinia exercere, et spoliare sine causa pauperes, atque fingere se creditores et alios debitores, qui licet nihil a divitibus unquam acceperint, nihilque debeant, sed tamen propter paupertatem pares non sunt repellendæ injuriæ, asserendæ veritati, redimendæ vexationi. Sic exponit Origenes in Caten., *frustra pignus abstulisti ab iis quibus nihil ipse credideras;* super illo autem quod sequitur : « Et nudos spoliasti vestibus, » quæstiunculam sic proponit, solvitque idem Origenes : « Atqui nudos spoliare qui poterat? nudos igitur valde inopes cogitare debemus, qui non alteram habent vestem. » Facilius et clarius sic exponas, *q. d.* Quem spoliasti ablato et capto pignore, effecisti ut nudus maneret; erepto itaque vestitu nudum spoliatumque contra naturæ et humanitatis jura dimisisti : est namque in ipsa rationis et humanitatis lege positum, quod benig-

Divites avari palam in foro exercent latrocinia.

http://www.obrascatolicas.com

nissimus deinde legislator hominum Deus præcepto suo et lege cavit *Exod.* XXII, 26: «Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei : ipsum enim est solum quo operitur indumentum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat.» Accipit nimirum vestem pro culcitra, aut pro lodice : nam etiam Ulpianus jurisconsultus clarissimus inter vestimenta numerat omnia lanea lineaque, vel serica, vel bombycina, quæ induendi, præcingendi, amiciendi, insternendi, injiciendi, accumbendi causa parata sunt. Quare apud Amos, cap. IX, 8, quod nos legimus *vestimenta pignorata*, Chaldæus reddit *lectulos oppignoratos*. Vel certe accipit pro illo ipso vestimento, quo et se operit interdiu, atque noctu etiam jacens se contegit : ita Pineda noster, qui simul observat hoc loco per *vestes* non solum stricte debere intelligi vestimentum, verum etiam quamcumque aliam domesticam et necessariam supellectilem ad commodam vitæ sustentationem : sic *Isai.* III, 6, per *vestes* et *panem*, opes et facultates necessariæ ad vitam intelliguntur : « Vestimentum tibi est, princeps esto noster, » id est, tibi suppetunt necessariæ facultates, patrocinium nostri suscipe; ubi vers. 7 respondet eodem sensu : « In domo mea non est panis neque vestimentum. » Illud non prætermittendum quod eleganter indicat Origenes, videlicet posse dissolvi hanc postremam versus partem a præcedenti, et nunc proponi aliud immisericordiæ genus, videlicet, quod non vestierit nudum : « Fortasse, inquit, amictum nudo non præbere, ablationem spoliationemque nuncupavit : spoliator enim et raptor is est, qui nudum non induit:» sicut qui esurientem non pavit occidisse censetur. Quem loquendi modum sequentia magis confirmant :

Vestis nomine quæcumque pars supellectilis intelligitur.

Vers. 7. 7. AQUAM LASSO NON DEDISTI, ET ESURIENTI SUBTRAXISTI PANEM. — Pulchre ad hunc locum Olympiodorus in *Caten.* : «Ergo, inquit, reus quispiam est, non solum quia injuriam facit, sed etiam quia benigne non facit. Vide igitur quanta nostra in alterum esse debeat beneficentia; quandoquidem non ministrasse sitientibus pocula crimini datur, sicut et aquæ frigidæ poculum mercede non caret: itaque immoderatæ inhumanitatis Jobum condemnat Eliphaz, quod nec aquam, gratiam sumptus omnis expertem, homini siti enecto, quod ipsum scelus est gravius, tribuerit. Hæc quidem certe crimina sunt prorsus vituperatione digna, sed quæ in Jobum tamen minime conveniant : » erat enim alienissimus ab illo crimine inhumanitatis, quod calumniose ac mendaciter ei Eliphaz impingit. Aqua, ut alibi diximus et hic Pineda notat, est symbolum abundantiæ; quæ vocis proprietas et significatio præsenti loco et instituto conveniet, ut significet Eliphaz ex magna illa divitiarum abundantia et affluentia divitis ne guttam quidem redundasse in sitientes et lassos, quemadmodum de epulone evangelico scriptum est *Luc.* XVI, 19, quod «epulabatur quotidie splendide,» et ne mica quidem famelico obveniret. Proh avaritiam inexplebilem, et sacram auri famem, quæ ad victum ac vestitum nihil sibi sufficere; at vero nihil pauperibus deficere æstimat recogitatve! Quæ inhumanitas hominem efficit omnis humanitatis et misericordiæ exsortem, siquidem talis *Eccli.* X, 10; «in vita sua projecit intima sua » qui autem viscera projicit, in quibus sedes est misericordiæ, omnem humanitatis legem et fidem abnegavit: hi sane *Prov.* V, 16 numquam « derivant fontes suos foras, » sed claudunt « viscera sua» ab egenis, atque mendicis petentibus respondent « sicut æstus in siti : » quid enim succi et humanitatis ardens æstus communicabit sitibundo et lasso?

Crimen est non bene facere miseris.

Aqua symbolum abundantiæ.

Avarorum divitum inhumanitas.

Illud præterea notandum, quod licet quicumque potus per *aquam* intelligi soleat, hoc loco tamen pro frigida sumi videatur, id est ea quæ nullis expensis eget, non igne ad calefaciendum, non alio medicamento, aut vini mixtione ad condiendum, sed facile parabilis sit, qua homini interdici etiam sceleratissimo lex humanitatis vetuit; quam etiam vim expressit Christus in evangelio dicens *Matth.* X, 42: «Quicumque potum dederit uni exminimis istis calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam.» Est autem aqua tenuis et vulgaris beneficii symbolum, de qua pulchram Seneca lib. II *De Benef.* cap. II, et in rem præsentem opportunam sumpsit similitudinem : «Quemadmodum in ægris aqua tempestive data remedii locum obtinet; ita quamvis leve et vulgare beneficium sit, si præsto fuerit, gratiam pretiosi, sed lenti et diu cogitati muneris vincit. »

Aqua symbolum vulgaris beneficii.

ET ESURIENTI SUBTRAXISTI PANEM, — *q. d.* Victum et panem, quem esurienti non porrexisti, subtraxisse ac rapuisse censendus es. Gravissimus sane hic error divitum est, quod abunde sibi cautum arbitrantur, si manus a facinore ac rapina abstinuerint; nihil pensi habentes, an opibus suis ad luxum, an ad misericordiam utantur : audiant sane Magnum Gregorium, qui *Pastor.* part. I, admon. 22, hos tales eidem maledicto subjicit, quo infructuosa ficus olim a Christo percussa est : « Terram, inquit, ficulnea sine fructu occupat, quando locum, quem exercere alius per solem boni operis valuit, stultus per desidiæ umbram premit. Hi autem dicere nonnunquam solent : Concessis utimur, aliena non quærimus : et si digna misericordiæ retributione non agimus; nulla tamen perversa perpetramus : quod ideirco sentiunt, quia videlicet aurem cordis a verbis cœlestibus claudunt. Neque enim dives in evangelio *Luc.* XVI, 19, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide, aliena rapuisse, sed infructuose propriis usus fuisse perhibetur; eumque post hanc vitam ultrix gehenna suscepit, non quia aliud illicitum gessit, sed quia immoderato usu totum se licitis tradidit. » Hactenus vir ille sanctus, qui paulo etiam superius : « Admonendi sunt, inquit, qui nec aliena rapiunt, nec sua largiuntur, ut sciant eam, de

Divites obligantur ad opera misericordiæ.

qua sumpti sunt, cunctis hominibus communem esse terram, et idcirco alimenta communiter omnibus proferre. Incassum ergo se innocentes putant, qui commune Dei munus sibi privatim vendicant : qui cum accepta non tribuunt, in proximorum nece grassantur : quia tot pene quotidie perimunt, quot morientium pauperum apud se subsidia abscondunt. Sane, inquit S. Leo serm. 1 *De Coll.* idcirco te Deus abundare voluit, ut per te alius non egeret, et per ministerium operis tui pauperem ab egestatis labore teque a peccatorum multitudine liberaret. O mira providentia et bonitas Creatoris, ut uno facto duobus vellet esse succursum! » quid enim causæ putamus esse, cur æterna illa Sapientia, quos natura pares condidit, tanquam impares esse voluerit nascendi fortuna, nisi ut necessitudine quadam devinctos hunc beneficentia exerceret, illum patientia, et ut refectio pauperis diviti fieret occasio salutis?

Divitis abundantia pauperis defectio.

Nemo dives excusatur a danda eleemosyna.

Facessant igitur inania illa et frivola divitum avarorum subterfugia dicentium : Quomodo vero? numquid facultatibus meis me nudari convenit? quod Deus mihi dedit, nonne meum est, ut de eo quantum mihi videbitur nec plus impertiam? Si opes aliquas habeo, illas non rapui, nemini propter ipsas damnum intuli; cur non mihi liceat possidere quod a Deo habeo? gratias enim illi ago, cognoscens id mihi ab ipso datum esse. Frustra hæc adferimus in medium, quamvis enim Dominus det divitibus id quod ipsi possident, modo habeant mediis legitimis, ita ut possint jure profiteri se ab ipso habere; non tamen ea conditione acceperunt, ut nulla aut perfunctoria egestatis et inopiæ alterius habita ratione, ipsi soli eo uterentur. Cum enim Deus nobis uberiore copia largitur opes, nos quasi suos procuratores et œconomos constituit, quorum munus est non solum accipere et colligere, sed etiam distribuere prout dominus jusserit. Cui igitur bonorum copia suppetit nequaquam dixerit : Atqui hoc meum est; ita quidem, sed ea conditione, ut de eo subvenias indigentibus, idque animo volenti ac benigno, promptoque ac liberali. Quas eleemosynæ conditiones vide a Tollenario *in Eccles.* cap. XI, 1, eleganter expensas, ut ut sit, minime excusamur, si proximi nostri esurierint, nosque cognita ipsorum necessitate et indigentia nihil opis et subsidii attulerimus : argumento enim illud erit nos bonis, quæ Deus in potestate nostra esse voluerat, abusos esse, ideoque Deum nos habiturum tanquam homicidii reos; atque hoc est quod hic versiculus insinuat, scilicet eum puniri a Deo qui panem pauperi esurienti denegavit, nec potavit aqua sitientem.

Divites bonorum dispensatores, non domini sunt.

Vers. 8. 8. IN FORTITUDINE BRACHII TUI POSSIDEBAS TERRAM, ET POTENTISSIMUS OBTINEBAS EAM. — Objicit hic Jobo tyrannicam violentiam ac dominatum, *q. d.* Non jure, sed injuria; non æquitate, sed vi et armis eas, quas habebas divitias, et comparasti, et aliis imperabas, quia fortior illis et violentior eras; in Hebræo ad verbum est, *vir brachii terram occupabat, et cujus persona accipi solebat habitavit in ea*, ubi *virum brachii* potentem appellat, « cujus persona accipi solebat, » id est cui judices, si aliis injuriam faceret, resistere non audebant : quare præter eam, quam Vulgatus expressit, potest hic locus aliam habere sententiam, *q. d.* Æquo animo patiebaris, ut potentes et locupletes homines aliorum bona per vim occuparent, quod crimen gravissimum est in eo qui rempublicam capessit: ita Stunica. Vatablus vero sic exponit, *q. d.* « Pauperes non dignaris pane, at potentibus possessiones tuas offers, et iis quos magni faciunt homines propter auctoritatem eorum : » idem judicavit Nicetas : « Humiles, inquit, per vim oppressisti, potentes suspexisti atque ornasti, » et fere eodem modo Origenes. Hoc nimirum est jus regni, quod Samuel Israelitis regem postulantibus proposuit I *Reg.* VIII, 14 : « Agros, inquit, vestros, et vineas, et oliveta optima tollet, et dabit servis suis, » ubi reges suis bonis non contenti dicuntur in aliena involaturi.

Eliphaz objicit Jobo tyrannicam violentiam.

Hanc regum cupiditatem sub artificioso quodam et typico apologo ligna significarunt, cum regnum ficui detulerunt *Jud.* IX, 10 : « Dixerunt enim ligna, inquit textus, ad arborem ficum : Veni, et super nos regnum accipe. » At quid ficui cum rege, ut ipsa præ cæteris arboribus suscipiendo arborum regno eligatur? Multum profecto, nam ut recte ibi Montanus : « Nulla, inquit, ex omni plantarum genere avaritiæ studium aptius refert quam ficus, cujus ad exsugendum undique humorem et frequentissimæ radices, et nonnullæ adeo longæ deprehenduntur, ut ad puteos et fontes ac paludes longo intervallo distantes pertineant : adeo etiam sagaces, ut intra domos loca quærere, subire atque obtinere didicerint, in quibus lagenæ, hydriæ cæteraque aquaria vasa statuuntur, ibique soleant diutius hærere. » Non aliter et reges (tyrannos intelligo) alienas opes ardentes sitiunt, ad easque corripiendas in mille manus et brachia dilatantur, in publicas et privatas ædes sese insinuant, loculos, crumenas, thesauros, quidquid abditum et repositum est tentant, palpant, adoriuntur. Eadem fortassis causa est cur etiam viti oblatum fuerit regnum a cæteris arboribus *Jud.* IX, 12 : « Veni, inquiunt ad vitem, et impera nobis : » nam quemadmodum vitis latissime serpit, et, ut loquitur Marcus Tullius in *Caton.*, « claviculis suis quasi manibus quidquid est nacta complectitur, » seu, ut loquitur Tertullianus lib. *De Anim.* cap. XIX : « Si quid attigerit ultro amabit, et quidem viriosius amplexabitur; tam de suo ingenio quam de tuo arbitrio properat esse securo, » hoc est, non exspectat, ut a suo ipsa colono religetur; sed per seipsam nativa quadam industria quidquid nanciscitur amplexatur, ut firmior sustentetur. Ita plane et reges omnia diripiunt, ut possint suarum possessionum fines latius propagare, suamque digni-

Regnum ficui offertur quia nulla ex arboribus avaritiam aptius refert.

Ideo etiam viti defertur, quia quidquid est nacta complectitur.

http://www.obrascatolicas.com

tatem contra hostium injurias tueri. Magno certe regni et reipublicæ malo princeps avarus nascitur: cui nimirum census publici et vectigalia plus æquo placeant; quo fit, ut miserrima plebecula cogatur ad egestatem et extremam pauperiem, cum tyrannus in suorum possessionem violenter irruit, eorumque peculium depeculatur.

Reges non debent subditos excoriare nimiis exactionibus.

Certatim a doctis illud Tiberii celebratum est : *Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere*, quo damnabat tyrannos illos δηυσεβεῖς: qui suis abradunt quidquid possunt, et sic importunius in fiscum suum convertunt, ut a misera plebecula non pellem modo, sed et carnes ipsas detractas velint. Eamdem sententiam, sed aliis verbis expressam, ab Alexandro Macedone litteris proditam habemus : huic enim cum displicerent exactiones, eorumque potissimum qui a subditis ampliores vectigalium redditus quam per fortunas hominum liceret extorquebant, apud suos dictitabat : κπτωρὸν μισῶ τὸν ἐκ ῥιζῶν ἐκτέμνοντα τὰ λάχανα, *olitorem odi qui radicitus herbas convellit, atque ab ima stirpe arbores excidit*. Ad hanc principum rapacitatem coercendam præcipiebat Deus, ut regi Israelis tantum prædiorum assignaretur, quantum ad congruentem ejus sustentationem sufficeret, ne ipse aliculus indigentiæ prætextu in alienas fortunas involaret : « De terra, inquit *Ezech.* XLV, 8, erit ei possessio in Israel : et non depopulabuntur ultra principes populum meum. » Quid enim esse poterat iniquius quam propriis affluere et alienis inhiare? propterea statim additur *ibid.* vers. 9 : « Hæc dicit Dominus Deus : Sufficiat vobis principes Israel : iniquitatem et rapinas intermittite, et justitiam et judicium facite : separate confinia vestra populo meo, ait Dominus Deus; » quibus ultimis verbis confinium discriminatio præcipitur, ne inde aliqua alienorum invasio subsequatur. Quid si in confinio sui populi prædantur? quid si in illius medio grassentur? « Principes ejus, inquit idem propheta Ezechiel, cap. XXII, 27, in medio illius quasi lupi rapientes prædam : » neque enim minores prædas agent rapaces principes inter cives quam voraces lupi inter agnos. Non minus apta est illa translatio, qua Nabuchodonosor dicitur *ibid.* cap. XVII, 3 « aquila magnarum alarum plena plumis, » seu, ut habent Septuaginta, πλήρης ὀνύχων, *plena unguibus*, quia quot sunt in aquila plumæ, quibus ipsa tegitur, tot sunt in rege ungues, quibus aliena rapit. Sub eadem metaphora dicitur et Pharao *ibid.* vers. 7 « aquila grandis, magnis alis multisque plumis, » seu, ut iterum vertunt Septuaginta, πολυς ὀνυξι, *multis unguibus* : haud dubium, quin propter rapacitatem, ut ibi D. Hieronymus interpretatur; unde non immerito D. Augustinus lib. IV *De Civit.* cap. IV : « Remota, inquit, justitia quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia ipsa latrocinia quid sunt nisi parva regna? » Tale hic Eliphaz Jobi regnum fingit, utpote ex subditorum spoliis civiumque rapinis conflatum, et cum atrocissima viduarum ac pupillorum oppressione conjunctum; id quod sequenti versu maxime exaggerat :

Rapaces principes sunt rapaces lupi.

Reges aquilis rapacitate similes.

Vers. 9. Tyrannorum proprium est viduas et pupillos exprimere.

9. VIDUAS DIMISISTI VACUAS, ET LACERTOS PUPILLORUM COMMINUISTI, — id est, iis eras infestus atque crudelis, quos omni præsidio orbatos esse intelligebas : hoc fere commune tyrannorum est vitium, ut eo adjiciant avaros et inclementes oculos, ubi minus esse vident ad repugnandum virium; et ideo Deus pupillorum viduarumque causam atque tutelam judicibus principibusque commendat, et omnium manus severe arcet ab illorum injuriis, uti *supr.* cap. VI, 27 fusius ostendimus; quæ ad hujus quoque loci illustrationem majorem consulas licet. Mirum sane videri possit, quomodo et cur Eliphaz Jobum hic accuset criminum, quæ nunquam in ipso animadversa fuerant : nam, ut deinceps videbimus cap. XXXI, 19, Jobus tota vita valde humanus et liberalis fuerat, sicut se profitetur orphanorum tutorem et viduarum protectorem fuisse; cæcis oculorum, claudis tibiarum loco exstitisse; manum denique suam indigentibus nunquam clausam fuisse. Cur igitur Eliphaz et qua fronte objicit illi, quod proximorum bona et facultates rapuerit, quod non misericors, sed crudelis fuerit, viduas dimiserit vacuas et lacertos pupillorum comminuerit? Ista videntur plane contradictoria et a ratione prorsus aliena esse. Sed nobis sciendum est, quod non semel jam notavimus, Eliphazum judicare de Jobo ex afflictione, quæ causa est cur omnia pervertat, uti sæpius ostendimus. Nos autem ea prudentia præditos esse oportet, ut cum Deus affligit aliquem, non statim concludamus eum hominem esse improbum, et pro meritis tractari : hoc enim est aratrum bobus præponere, ut vulgato dicitur proverbio; unde non mirum est Eliphazi judicium fuisse depravatum atque corruptum. Quam falso autem et inique Eliphaz Jobum inclementiæ et injustitiæ erga viduas et pupillos arguat clarius patebit ex infra dicendis ad cap. XXXI, vers. 17, ubi se maximum viduarum et pupillorum patronum diserte profitetur. Porro *lacerti pupillorum*, quos comminuisse Jobus arguitur, sunt ipsa pupillaris ætas infirma et rudis, quæ nobilium virorum patrocinio veluti lacertis protegi debet; sed illi non audent se tyrannorum violentiæ opponere, cum pupillorum fortunas everti vident. *Lacerti* item sunt leges et judices, qui legum custodes sunt et vindices, quique pupillorum dici possunt parentes; sed hæc omnia conculcat quidem tyrannorum avaritia, et vis inique frangit; Dei tamen ultionem minime evadit, quapropter subjungit :

Olim regi fines assignabantur ne in alienos irrueret.

Unde Eliphaz Jobo impingat crimina, a quibus erat maxime alienus.

Judices pupillorum et viduarum brachia.

Vers. 10. Laquei quid significent in Scripturis.

10. PROPTEREA CIRCUMDATUS ES LAQUEIS, ET CONTURBAT TE FORMIDO SUBITA. — *Laqueos* appellat Eliphaz cruciatus, dolores, anxietates, infamiam, omnia denique mala, quibus Jobus ut mœstissimo carcere constrictus fuit : eodem nomine calamitates vocabat David dicens *Psalm.* X, 6 : « Pluet super peccatores laqueos, ignis et sulphur, » etc.; item alibi *Psalm.* LXV, 11 ait : « Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro. » Pro verbis vero illis : *Conturbat te formido subita*, Septuaginta interpretes habent, ἐπτοήθαί σε πόλεμος ἐξαίσιος, *sollicitavit te bellum insigne* : non enim una vel altera afflictione infestatus fuit Jobus, sed exercitu quodam malorum bene instructo et conjurato obsessus bellum grave diu sustinuit; quod tanti viri patientiam fortitudinemque commendat.

Vita nostra tentationum laqueis est circumdata.

Tropologice, vita nostra tentationum laqueis circumdata est, juxta illud *Eccli.* IX, 20 : « Scito quoniam in medio laqueorum ingrederis. » O viam impeditam et periculosam! in qua nostra eo magis est miseranda conditio, quod eos laqueos in nostram perniciem structos luminibus oculorum non videmus; quæ res nobis magnum sine dubio metum incuteret, et mentem pavore compleret. Hoc idem magno Antonio Numen ostendit, qui luce Dei aliquando illuminatus totum hunc vidit mundum laqueis refertum adeo crebris atque tenacibus, ut vix ulla anima extricare se posset atque in sublime evolare; quæ tristior et formidanda species non modo metum, verum etiam fletum et mœrorem excivit a sanctissimo illo viro de periculis hominum cogitante. Consimili in timore fuit S. Ambrosius, in quo digna religionis duce et curatore animarum illa item laqueorum fuit animadversio : « Multi, inquit lib. IV *in Luc.* laquei quæcumque ingredimur, laquei in lege, laquei in pinnis templorum, in crepidinibus parietum tenduntur a diabolo : laquei in philosophia, laquei in cupiditatibus : oculus enim meretricis laqueus est peccatoris. Laqueus in pecunia, laqueus in religione, laqueus in studio castitatis; » quod si ipsa per se cadit hominum imbecillitas, si mundus mille et mille modis conatur evertere, si tota hujus mundi figura, ut S. Paulini verbis utar *Epist.* 2, « zabulicis prætenta retibus est, » si laquei ubique irretiunt, si obsita periculis omnia; quis poterit esse vacuus a timore, cum præsertim lubricus sit locus, et præceps in malum via? nam vere et eleganter Seneca *Epist.* 97 : « Non pronum tantum est iter ad vitia, sed præceps. » Eadem mente S. Leo serm. 5 *in Quadrag.* in tentationum multiplici varietate et periculis obstupefactus et hærens exclamat : « Plena omnia periculis, plena sunt laqueis : invitant cupiditates, insidiantur illecebræ, » etc.; et serm. 11 : « Laqueus est in securitate, laqueus in timore, » etc. Hos utinam laqueos ut par est omnes caveremus, ne, quod Vates purpureus admonuit *Psalm.* XXXIV, 8, cuiquam « veniat laqueus, quem ignorat, » hoc est, quem non cavet, quem non omni prævisione animi studioque devitat.

Vers. 11. Tenebræ pro infelici statu.

11. ET PUTABAS TE TENEBRAS NON VISURUM, ET IMPETU AQUARUM INUNDANTIUM NON OPPRESSUM IRI? — Per *tenebras*, uti in superioribus non semel annotavimus, intelligit calamitates, statum infelicem ac tristem : sicut enim felix status per *lucem*, ita vicissim infelix per *tenebras* denotatur; cujus appellationis ratio est, quia qui potentes sunt et in dignitate positi, læti degunt, amant videri, lucem quærunt, et quasi radios quosdam nitoris et fortunæ suæ dispergunt : quibus contra sunt adversa omnia, lucem oderunt, seque abdunt in tenebras, et animi fuliginem etiam atrato habitu manifestant. Eliphaz itaque ignominiam appellat *tenebras*, ut claritatem nominis Jobi obnubilatam notet; *impetum* vero *aquarum* pœnas et afflictiones nominat, est enim aqua similiter hieroglyphicum lacrymarum, vexationis, molestiæ, calamitatum, uti plurimis locis regius Vates ostendit : illius enim illa vox in mœrore et calamitate positi *Psalm.* LXVIII, 2 : « Intraverunt aquæ usque ad animam meam, » e quibus cum esset aliquando liberatus eucharisticum illud cecinit *Psalm.* XVII, 17 : « Assumpsit me de aquis multis. » Messias hominum liberator in hoc vitæ cursu multas ærumnas gravesque exsorbuit, cujus proinde hoc symbolum est sacrum et regium *Psalm.* CIX, 7 : « De torrente in via bibet. » Sponsa in epithalamio cum victricem charitatem figuratis modis vellet exprimere, quæ rebus adversis florem et dignitatem suam non amittat *Cant.* VIII, 7 : « Aquæ, inquit, multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam. » Fluctus igitur, aquæ, flumina significant, ut dixi, ærumnosum vitæ genus, miserum et afflictum; unde quam noster interpres vocat in Psalmis *diem afflictionis*, et Septuaginta eodem omnino sensu καταιγίδα, *vexationis*, Aquila vertit ex Hebræo ἐπικλυσμὸν, *diem inundationis*; inundantes autem aquæ gravem significant et subitam stragem : neque enim inundant aquæ, nisi quando flumina aut torrentes magnum accipiunt incrementum; quia vero subito ingruunt tempestates, quibus augentur flumina, subito etiam aquarum impetus obvium quodque invadit populaturque. Hæc comparatio in Scripturis frequentissima est, quæ, ut dixi, grave indicat et repentinum malum : ita Sanctius noster. Septuaginta interpretes absque interrogatione legunt, τὸ φῶς σοι σκότος ἀπίδῃ, κεκαμθέντα δὲ ὕδωρ σε ἐκάλυψε, *lumen tibi in tenebras conversum est, et dormientem te aqua operuit*, quasi malorum inundatio sopitum incuria Jobum offenderit, obrutusque emergere nequiverit; at Jobus minime obdormivit, sed vigilans et rerum præsagio cautus Deum coluit, seseque ad prælium comparavit, ut e cap. III, 24 liquet, ubi ait : « Antequam comedam suspiro, et tanquam inundantes aquæ sic rugitus meus : quia timor quem timebam evenit mihi, et quod verebar accidit, » etc.

Aqua hieroglyphicum tribulationis et afflictionis.

Inundantes aquæ subitam stragem significant.

Vers. 12. Deus cœlis altior, ab Ægyptiis supra loton pingebatur.

12. AN NON COGITAS QUOD DEUS EXCELSIOR COELO SIT, ET SUPER STELLARUM VERTICEM SUBLIMETUR? — *q. d.* Profecto tu non consideras Deum esse cœlis sideribusque altiorem, qui e sublimi loco ut summus imperator omnia circumspicit et moderatur : sic a theologis Ægyptiis Deus fingebatur supra loton aquaticam sedens, cujus arboris poma, folia aliaque rotunda sunt : quo symbolo hiero-

http://www.obrascatolicas.com

glyphico significabant Deum hujus orbis complexum et confusionem omnem superare, emi-
nere luto, longe remotum esse a sordibus laben-
tium rerum, et sublimi quodam imperio et divino
potiri. Qua propemodum ratione Jamblichus lib.
De Myst. ægypt. theol., arcanum interpretatur;
sed istiusmodi fabulis ac superstitionibus omis-
sis, secundum veram theologorum sententiam
Triplici modo dicitur Deus excelsior omnibus: primo. triplici modo Deus dicitur *Excelsus* et *Altissimus*,
primo, ut causa omnis celsitudinis et sublimitatis,
quæ est in rebus creatis, sive ea sit ratione loci
et magnitudinis, quomodo cœli *excelsi* dicuntur;
sive ratione officii et dignitatis, sicut principes,
reges, pontifices excelsi sunt; sive ratione natu-
ræ, sicut angeli, qui rebus omnibus corporalibus
longe sunt excelsiores; sive ratione perfectionis
et status, sicut beati, et in primis humanitas
Christi, deinde B. Virgo mater Christi. Omnis cel-
situdinis hujus ordinator, limitator, distributor
ac largitor est Deus, qui omnes partes universi
corporei et incorporei pulcherrimo ordine distri-
Secundo. buit. *Secundo*, quia ipse est solus vere sublimis et
excelsus, nam omnis celsitudo, quæ est in rebus
creatis, ipsius celsitudini comparata, non est cel-
situdo, sed solum imago et umbra celsitudinis
ipsius : omnes enim reges et principes, imo om-
nes angeli et beati, sunt servi illius et mancipia
natura sua; quamvis ipse sua benignitate per
communicationem spiritus sui eos in filios adop-
Tertio. tarit, et nomine *filiorum* appellet. *Tertio*, propriis-
sime dicitur *Excelsus* et *Altissimus*, quia ipse se-
cundum essentiam suam et secundum omnes suas
perfectiones est infinite elevatus supra omnem
creaturam non solum actu exsistentem, sed etiam
supra omnem possibilem et mente conceptibilem,
quantumvis ea sublimis, potens, sapiens, magna,
pulchra, sancta concipiatur; unde non solum di-
citur *Altissimus*, quia excelsior vel altior omni-
bus aliis, sed quia infinite altior; adeo ut inter
supremam creaturam exsistentem et ipsum sint
infiniti gradus specierum angelicarum sursum
tendendo. Idem dicendum de gradibus altitudi-
nis, unde omnis creatura quantumvis excelsa est
infinito, ut sic dicam, intervallo infra ipsum lo-
cata, etsi in eodem spatio sit; hinc fit, ut inter
creaturam et Deum ipsum sit infinitum quoddam
intervallum non distantia loci, sed naturæ seu
gradus; quod mystici theologi *solitudinem* vocant.

Deus est ubique et extra omnia. Cum igitur hoc loco Deus *excelsior cœlo* dicitur
sic intelligendum, ut nullo loco divina mens de-
finiatur et claudatur, sed simul omni spatio quod
ulla pingi cogitatione potest, versetur; quod de
spatiis extra mundum infinitis, gravissimi theo-
logi asserunt. Itaque S. Dionysius lib. *De Divin.
nom.* cap. III, nominat vim ἀπανταχῆ παρεῦσαν καὶ
οὐδαμῆ, *ubique præsentem et nusquam*; D. Athanasius
eodem sensu, ἐν τοῖς πᾶσι καὶ ἔξω τῶν ὅλων, *in omni-
bus et extra omnia*, quod Isidorus Hispalensis lib. I
De Sum. bon. cap. II, erudite in hunc modum il-
lustrat : « Immensitas divinæ magnitudinis ita
est, ut intelligamus eum intra omnia, sed non in-
clusum; extra omnia, sed non exclusum; et ideo
interiorem, ut omnia contineat; ideo exteriorem,
ut incircumscripta magnitudinis suæ immensitate
omnia concludat, » etc. Pii viri hoc genere me-
ditationis plurimum proficiunt ad virtutis omne
genus et perfectionis, cum præsentem ubique
Deum cogitant et verentur; multosque scimus a
scelere et maleficio revocatos, quod adorandum
omnibus Numen adesse cognoscerent; cujus fal-
lere oculos, aut ultricem criminum manum effu-
gere nulla ratione possent. Quam autem Job to-
tus in hac præsentis ubique Dei consideratione
defixus hæreret ipse satis significavit cum ait
cap. IX, 28 : « Verebar omnia opera mea, sciens
quod non parceres delinquenti, » unde mirandum est Eliphazum tam sui ac sermonum Jobi fuisse immemorem et impudentem, ut viro sanctissimo impiissimas contra divinam scientiam et providentiam voces affingat.

Memoria Dei fugat peccatum.

Vers. 13 et 14. 13 et 14. ET DICIS : QUID ENIM NOVIT DEUS? ET QUASI PER CALIGINEM JUDICAT. NUBES LATIBULUM EJUS, NEC NOSTRA CONSIDERAT, ET CIRCA CARDINES COELI PERAMBULAT. — Impiorum hæc cantilena est, *q. d.* Quid mihi laborandum est, ne quid in Deum agam aut cogitem impie, cum oculi ejus, quæ in tanta locorum distantia fiunt, assequi non possint, aut certe distincte pleneque cognoscere, eo quod interfusæ nebulæ vel omnino vel saltem clarum rerum conspectum oculis eripiant. Talis nimirum est impiorum divina suis admetientium stolidissima cogitatio, ut existiment latere Deum quasi in suo secessu atque conclavi in nubibus, et ibi agere vitam otiosam et inertem; neque considerare quid rerum in terris fiat, ut peccata suppliciis, et recte facta præmiis pro meritorum modo prosequatur. Ita Sanctius noster, qui minime laborandum ait, an hic recte ac scite secundum rationes astronomicas locutus fuerit Eliphaz; qui modo supra stellarum verticem sublimem dicit esse Deum, modo circa cœlorum cardines ambulare, quasi his in cœlestibus orbibus nihil foret excelsius; quandoquidem ex impiorum libidini suæ servientium opinione id referat, quibus summa cum injuria sanctissimum Jobum accenset. *Cœli* autem *cardines*, supra quos Deus perambulare dicitur, sunt duo illa puncta immobilia ac fixa, circa quæ universa mundi machina circumagitur; dicuntur autem *cardines*, quia sicut janua in suo circumvolvitur cardine, qui nunquam movetur, cum tamen januam assidue circumvolvat et verset, sic duæ stellæ, quæ a vertendo *poli* nominantur, qui etiam ab astrologis *vertices* dicuntur, duas cœli portas (sic enim occasus atque ortus appellantur) assiduo circumactu convertunt. Quidam quatuor esse putant cœli cardines, qui quatuor cœli plagas æqualibus dividuntspatiis in orientem et occidentem, meridiem et septentrionem. Circa hos cardines putabant homines fatuo quodam errore decepti perambulare Dominum, quem superiora tantum curare existimabant, et ea quæ ad universalem rerum administrationem pertinebant : quia ille commodissimus putabatur locus, ubi sederet is qui mundi machinam moderatur, et pro rerum commoditate atque usu cœlestem illam molem, quæ lucem caloremque dispensat, varie converteret.

Impii existimant latere Deum, et ea nostra non considerare.

Cardines cœli qui?

Putant impii se a Deo non videri, quia ipsi Deum non vident. Aiebant autem vesani illi inter nos et Deum chaos magnum nubium firmatum esse, et sicut ipse nos latet, ita et nos latere eum; ad summum cœlestia nosse, cœlestibus providere; nos vero non agnoscere, aut si forte agnoscit, omnino contemnere. Ex hoc errore multa hominibus acciderunt incommoda, quia liberius atque impudentius peccabant, cum suorum scelerum nullum putarent esse testem, qui interna perviderat consilia, et quæ in occultis fiunt nihil habitura esse supplicii ab irato Deo : impunitatis etenim spes incredibile est quantam in voluptuariis animis alat audaciam; hanc multorum scelerum esse causam docet Ezechiel his verbis cap. VIII, 12 : « Et dixit ad me : Certe vides, fili hominis, quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubilis sui; dicunt enim : Non videt Dominus nos : dereliquit Dominus terram, » etc. O stultam ac erroris plenam fanaticorum hominum existimationem, et baculo arundineo subnixam! nam si vos aliquando videtis eum qui non videt vos, cur Deus vos et vestra spectare non poterit, licet a vobis minime videatur? et licet *Psalm.* XVII, 12, nubes sint latibulum ejus qui « posuit tenebras latibulum suum; » tamen non nubibus continetur, sed ipse cœlum et terram implet, et in intimis quoque nostris residet; invisibilisque exsistens cuncta videt, et nostras cogitationes novit; et rerum etiam minimarum providentiam habet. Hæc sane utilissima est consideratio, qua instruitur hominum mens, ut non magis quam ab ecliptica sua sol a decoro et honestate recedat : nam cui fuerit hoc probe cognitum et persuasum Deum adesse ubique, et videre atque audire omnia, non se facile abduci patietur in vitium aut scelestam aliquam actionem. Et Deum quidem ubique versari, et minuta quæque inspicere, etiam in obscuro latentia, vel profanæ scholæ noverunt, ut mirum sit inter christianos reperiri qui ita gerant se, quasi fabula id esse videatur.

Utilissima consideratio præsentis Dei.

Deus græce Θεὸς a *videndo* dictus. Est ratum id Aristotelis effatum : « Intelligunt universi a diis omnia conspici; » hinc vetusti sapientes Græciæ Deo nomen fecerunt, et Θεὸν indigitarunt a θεάσασθαι, hoc est βλέπειν, a *videndo*, ut notat S. Gregorius Nyssenus in lib. : *Quod non sint tres dii*; qui addit propterea Deum nuncupari ἐφορον τοῦ παντὸς, *universitatis inspectorem*, præsidem summum atque rectorem, ὡς πάντα ἐφορῶντα, *ut intuentem omnia*. Ægyptii per hieroglyphica sapientes pulcherrimam in eam rem consuetudinem habuerunt : nam exquisito artificio aures oculosque e pretiosa materia fabricantes consecrabant, et clarissimis in delubris numinibus suis dedicabant, quo significarent, ut ait Clemens Alexandrinus lib. V *Strom.* « Deum et audire omnia, et videre; » qui etiam Clemens alio loco lib. VII *Strom.* non e Taneos prisca theologia, sed e mente cœlestium oraculorum et religionis veritate ea ipsa de re disputans, Deum eleganter ait ὅλον ἀκοὴν, καὶ ὅλον ὀφθαλμὸν, *totum aurem, totum oculum* esse. Persarum magni reges delectos habuere viros, quos nominabant ὀφθαλμοὺς καὶ ὠτακουστὰς, *oculos auresque* regis, quibus illi magnifici et potentissimi dominatores in lustrandis inspiciendisque provinciis utebantur, cum ubique adesse illi non possent ad res beate feliciterque moderandas. Deus autem mundi imperator non indiget otacustis alienisque oculis ad omnium rerum statum cognoscendum, cum ubique perfectissime omnia intueatur : itaque Zacharias, unus e prophetis qui humanis symbolis res divinas adumbrarunt, vidit cap. III, 9, « septem oculos in lapide, » ut in Deo, qui lapis angularis est, perfectam omnium rerum cognitionem significet : quem in ejus loci interpretatione ait Cyrillus μυρίαν ἔμμασιν, *infinitis oculis* intueri omnia, et res nostras perfectissime comprehendere.

Deus ex totus oculus et auditus.

Sancti Patres hanc considerationem mirifice inculcant ut opportunam ad continendum animum in officio, et excitandum ad fugam vitiorum, quibus intuentis omnia Dei cultus et majestas violetur : itaque de oculo Dei mirifica dicunt, et describunt non similem nostris, sed ejusmodi, quem in primis nulla spatia aut locorum intercapedo a videndo et cognoscendo impediat. Dei oculus, ait Synesius *Epist.* 44, πάντως διὰ πάντων ἥκων, *omnino per omnia pertinet et pervadit*, ut ædilis curiosus et diligens, ut venerandus quidam censor rebus humanis interest, negotia omnia discutit atque examinat; unde « censorium lumen » illi tribuit Tertullianus lib. *De Virg. veland.* cap. XV. Egregie David mysteriorum omnium conscius : « Deus, inquit *Psalm.* XXXII, 13, de cœlo prospexit, vidit omnes filios hominum; » quem locum illuminans D. Basilius Deum vocat ὑψηλὸν θεατὴν, *sublimem inspectorem*, ex alto res mortalium plusquam lynceis oculis despicientem : Quocumque, inquit, perges, quodcumque demum efficies opus, sive in tenebris, sive in diei luce, semper habes oculum Dei ἐπισκοποῦντα, *superintendentem*. Argo fabuloso, quem præditum oculis centum fuisse volunt, eam tamen luminum varietatem poetæ illi tribuunt quæ somno conniveat. Oculus Dei (inquit Cyrillus Alexandrinus) est ἀκατάνυκτος, *semper vigil*, quem latere nemo queat, non clauditur unquam, non indormit : præterea nullæ tenebræ inumbrare illum possunt, aut impedire a perfectissima cognitione, ut merito illi ridiculi et vecordes in impietatem sua videantur, qui ad scelus nefarium obeundum arcanis se recessibus conclavium obtegunt, et mediis in tenebris exstinctaque lucerna se tutos esse putant, et a vindice Deo

Dei oculus nil latet aut fugit.

Dei oculus semper vigil.

http://www.obrascatolicas.com

non videri. Quos miseratur et illudit gravissimus Tertullianus lib. *De Pœnit.* cap. VI : « Quantascumque tenebras factis tuis superstruxeris, Deus lumen est. » Nihil latet Deum, aiebat S. Ignatius martyr in epist. *ad Ephes.* τὰ κρυπτὰ ἡμῶν ἐγγὺς αὐτῷ ἐστι, *occulta nostra in ejus luce et conspectu sunt.*

Cogitare Deum præsentem est amuletum vitiorum.

Hoc amuletum fuit piorum omnium in primævæ Ecclesiæ temporibus contra genus omne flagitiorum, apud se cogitare, nihil Deo vacuum esse, illum adesse ubique, videre omnia, intime cognoscere, examinare ; scelus videri indignum, purissimos illius oculos et inexplicabilem sanctitatem hominum maleficio polluere ; animum nostrum atque pectus, in quo sibi diversorium honoratum esse voluit, augustum quoddam sacrarium et hierothecam esse Numinis oportere, non mali dæmonis hospitium. Quam doctrinam salutarem insinuare D. Paulus solebat *Actor.* XVII, 27, atque in mentibus omnium infigere, Deum non longe esse ab unoquoque nostrum : in ipso enim nos vivere, esse et moveri, quod in Areopago audientibus sophis monendum et denuntiandum putavit : sic enim videbat hac persuasione animi modestiam conciliari, augeri Numinis metum et reverentiam, malum facinus studiose vitari. Quare Athenagoras, ut probaret christianos ab omni flagitio abhorrere, hoc adfert argumentum, omnium esse illam fidem et contestatam opinionem, non modo factis, verum et sermonibus et intimis cogitationibus de die, de nocte Deum adesse, πάντα δὲ φῶς αὐτὸν ὄντα, *eumdem omni ex parte lumen esse,* et arcana mentis penetrare ; hinc in omnibus oriebatur justus Numinis timor, et castus amor, et perfectæ vitæ cupiditas, et virtutum exercitatio, et sanctimoniæ cura studiumque acerrimum. Neque mirum si deinde Ecclesiæ lumina et præsides religionis in eo bono promovendo contenderint : audio enim libens ardentia illa D. Leonis, quæ sublimis e Capitolio serm. 5 *De Quadr.* christianis omnibus edixit : « Ista ergo scientia summi Judicis, iste est tremendus aspectus, cui pervium est omne solidum, et apertum omne secretum, cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, et sine voce mens loquitur. » Consimilis sapientiæ monitum est illud D. Augustini serm. 46 *De Verb. Dom.* : « Ipse timendus est in publico, ipse in secreto. Procedis, videris : intras, videris : lucerna ardet, videt te : in cubile intras, videt te : in corde versaris, videt te. Ipsum time. » Hoc utique salutari metu compunctus Job assidue vias suas in conspectu Dei arguebat cap. XIII, 15 : quare istiusmodi impiæ crassæque cogitationes caliginis et nubium Jobo affictæ, et gressus illi Dei cœli polos, quos *cardines* vocamus, obambulantis, inferioraque hæc nostra minime curantis, commenta sunt viro piissimo ac sapientissimo indigna, quæ satis ipse confutavit, dum Dei sapientiam et potentiam capite præsertim nono multis præconiis extulit ; unde nec sequentes interrogationes in Jobum quadrant.

Vers. 18. 18. NUMQUID SEMITAM SÆCULORUM CUSTODIRE CUPIS, QUAM CALCAVERUNT VIRI INIQUI ? — Septuaginta vertunt, μὴ τρίβον αἰώνιον φυλάξεις, ἣν ἐπάτησαν ἄνδρες δίκαιοι, οἱ συνελήφθησαν ἀώρως ; *numquid semitam sæculi observabis quam calcaverunt viri justi, qui rapti sunt immaturi ?* Scholiastes fatetur locum esse obscurissimum ; dupliciter autem interpretatur, aut quod Eliphaz interroget Jobum, utrum ipse idoneus sit qui observet vias et rationes divinæ providentiæ, ex quibus interdum justi infeliciter degunt, et ante tempus auferuntur ; fortasse quod sua bona Deo accepta non referrent ; aut num ipse eodem modo custodiat viam antiquam virtutis sicut hypocritæ quidam, qui intus impii, sed justitiæ personam prætendentes, ob hanc ipsam simulationem ante tempus succisi sunt, et fœturæ eorum, quæ stabilitæ et firmissimis fundamentis niti videbantur, quasi a torrente quodam abreptæ sunt. Apud Septuaginta vox αἰώνιον sæpe significat quod in hoc sæculo peragitur, *q. d.* An observabis modum quo res ipsæ fluunt? Liquet autem Scholiasten legisse δίκαιοι, *justi,* non ἄδικοι, ut Complutenses habent, licet hoc propius ad Hebræum accedat, et Vulgatæ conformius sit. Alii *semitam sæculorum* mortem exponunt : sic *domus sæculi* vocatur sepulcrum, ut sit sensus istiusmodi : An mortem exspectas quam obierunt homines iniqui, qui misere perierunt, quod de Deo ejusque providentia pessime sentirent? Alia versio legit, *an semitam sæculi observas?* hoc est ordinem quem Deus tenet in gubernando mundo ; aut, nonne observas viam sæcularem, hoc est supplicia, quæ semper manent improbos, quos ab omni sæculo Deus propter scelera eorum punivit, alias citius, alias tardius, prout ei visum fuit. *Sæculi* autem vocabulum innuit antiquitatem, *q. d.* Non hodie primum Deus cœpit improbos punire, sed historiæ antiquæ ita semper factum esse ostendunt : jam pridem fuit diluvium, jam pridem Sodoma et Gomorrha perierunt : scias igitur Deum huic ordini modum subjecisse, ut pro meritis homines tractet. Possit etiam ad prisci sæculi atheos alludere, *q. d.* Adeone vecors es, o Job, ut insistere velis opinioni priscorum atheorum, qui superioribus sæculis de Deo tam impie senserunt, ut vel ipsum negarent, aut certe illius providentiæ plurimum detraherent, quasi ad alias curas intentus, nihil habeat pensi, quid sub cœlo fiat a mortali natura?

Quid per vias sæculi intelligatur.

Semita sæculorum est impium vitæ genus.

De *semita sæculorum* multi hic multa dicunt : mihi cum Sanctio certum videtur significari viam pravam, et sceleratum vivendi genus, quale secuti sunt illi gigantes *Gen.* VI, 4, « potentes a sæculo viri famosi, » qui diluvium in mundum et communem stragem invexerunt ; illi autem et in Deum fuerunt impii, quia neque illum timebant, neque honore dignum arbitrabantur. Porro hi gigantes *terrigenæ* dicuntur a poetis, id est terræ filii, ut ex vi nominis intelligitur ; fit enim ex γῆ, *terra,* et γίνομαι, *fio,* nascor, vel παρὰ τὸ ἐκ γῆς εἶναι, quasi ἐκ γῆς γεγενημένοι ; finguntur autem staturæ

Gigantes unde dicti, et quales.

admirabilis, quorum pedes in serpentum volumina desinebant ; iique in deorum perniciem nati putabantur, cum quibus pugnare ausi fulmine percussi sunt : pugnam hanc attingit Pindarus in *Nem.* Hujus figmenti rationem mythologi adferunt, eamque traducunt ad homines quosdam impios, qui deos negligerent, aut etiam negarent, quorum pedes in draconum volumina desiisse aiunt, quod nihil superum, nihil rectum cogitarent, totius eorum vitæ gressu ad inferna mergente ; quod epimythion hexasticho complexus est Bartholomæus Anulus in *Picta poesi* ita canens :

Tale giganteum legitur genus, ut nihil altum
Cogitet, at spernat vel neget esse Deum :
Et tantum quantum sensu exteriore movetur,
Commodat ad præsens se vel ad id quod adest.
Hoc genus anguipedum mythici finxere poetæ ;
Quorum affectus humi (segnis ad alta) jacet.

Si vacat, lege Pierium Valerianum lib. XVI et XXV *Hierogl.* : missos facio, qui multi multa de gigantibus, quorum alii fuisse negant, quidam contra, et certe plures : non enim vacat sublegere quæ de gigantibus tradunt Herodotus in *Clio,* Plinius lib. VII, cap. XVI, Solinus cap. V : tantum admonuisse sat est. Ego quidem facile mihi persuaserim hoc *gigantum* nomine intelligi veteribus barbaram et impiam gentem, quæ sub hominis figura feritatem exerceret, a quibus honestarum rerum inducta fuerit ἀταξία, quales describuntur a poetis Cyclopes, Læstrigones, aliique qui ferinis moribus vagabantur, insontes et probos quosque impune lædebant, nullam divini humanique juris rationem habebant.

Gigantes homines impii et feri.

Vers. 16. Impii ante tempus suum intereunt.

16. QUI SUBLATI SUNT ANTE TEMPUS SUUM, ET FLUVIUS SUBVERTIT FUNDAMENTUM EORUM. — Declarat exitum illorum qui semitam sæculorum calcaverunt, quomodo videlicet immatura, subita et terribili morte absumpti sint, ab ultore Deo ante suum tempus sublati, et inducto diluvio funditus eversi : hoc enim insinuant illa verba : « Et fluvius subvertit fundamentum eorum. » Quæ non inepte referuntur ad eos homines qui fuerunt tempore diluvii, cujus aquis propter immania sua scelera obruti sunt, quamvis is sensus minime necessarius sit : nam *fluvius* per metaphoram quoque significat impetum iræ Dei in improbos, et citam eorum punitionem, et inundantium calamitatum vim ac molem. *Fundamentum* vero ipsorum vocat urbes eorum munitas, domos instructas, pecora, armenta, agros et alias opes : hæc enim sunt fundamenta, quibus homines impii connixi Deum et officii leges atque præcepta contemnere audent ; et ut intelligerent, quam infirma essent illa fundamenta, simul ipsi sunt cum suis fundamentis subversi, juxta illud *Sap.* IV, 19 : « Disrumpet illos inflatos sine voce, et commovebit illos a fundamentis, et usque ad supremum desolabuntur ; et erunt gementes, et memoria eorum peribit. » Felix videbatur in sæculo Cain, urbe clarus et progenie numerosa venerandus, atque eo amplius terrenis bonis incumbens, de cœlo, de ipso Deo nihil aut studii aut memoriæ habebat ; sed brevi tempore Caini felicitas et posteritas non de terra modo, sed etiam de memoria hominum prorsus deleta est, ut verificetur illud Sapientis *Prov.* X, 6 : « Impiorum nomen putrescet, » hoc est, ut male olens cadaver brevi tempore ad omnium abominationem durabit, subito exolescet et delebitur. Pollicentur sibi hic immortalitatem, suamque felicitatem perpetuo duraturam existimant ; verum Deus cum minime exspectant prosternet eos, vanaque illa spe quam conceperant frustrabitur : sic omnes qui in hoc mundo fundantur, et in rebus præsentibus confidunt, parum firmitatis habent, quia cum super aerem et aquam ædificent, totum eorum ædificium cito cum re fluxa, cui innititur, simul effluat necesse est. Improbi quidem et contemptores Dei ita radicantur in superbia sua, ut se in terra centum pedes altum vitæ suæ fundamentum posuisse, nec ullo modo concuti posse sibi persuadeant ; sed vel summo digito illos Deus tangat, ecce tibi illos prostratos, est enim imaginaria duntaxat illorum radix. Atque ita non sine causa dicitur, improbos ante suum tempus perire.

Fundamentum impiorum simul cum ipsis perit.

Iniqui dum fragilis rebus inhærent, cum iisdem subvertuntur.

Vers. 17 et 18. 17 et 18. QUI DICEBANT DEO : RECEDE A NOBIS : ET QUASI NIHIL POSSET FACERE OMNIPOTENS ÆSTIMABANT EUM : CUM ILLE IMPLESSET DOMOS EORUM BONIS : QUORUM SENTENTIA PROCUL SIT A ME. — Explicat hic Eliphaz *semitam sæculorum,* id est mores vitæve genus quod impiis placuit ; quorum error enormis fuit, Deum aspernari, pias inspirationes respuere, si quid secunde accidisset, non divinæ providentiæ, sed industriæ propriæ adscribere, quorum iniquum consilium Job etiam *supr.* cap. XXI, 14, narravit dicens : « Qui dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus. » Ratio autem cur tam stultum et superbum consilium iniverint, ac Deum minime revereantur, est illa, quia nimirum nec boni illum nec mali auctorem existimant ; sed si quid boni in vita consequantur, vel prosperæ fortunæ, vel industriæ suæ acceptum referunt : ita etiam si ullam jacturam faciant, vel adversæ fortunæ suæ, vel alterius malitiæ attribuunt ; in Dei autem memoriam neque in prospera neque in adversa redeunt fortuna. Itaque nullam majorem Dei rationem habent in negotiis suis tractandis quam si idolum ligneum aut lapideum esset, de quo dicit Jeremias cap. X, 5 : « Nolite timere ea, quia nec male possunt facere, nec bene. » Ita ipsi de vero Deo cogitant, et ob eam rem merito ab eo acerbissime puniuntur, sicut per Sophoniam cap. I, 12 ait : « Visitabo super viros defixos in fæcibus suis, qui dicunt in cordibus suis : Non faciet bene Dominus, et non faciet male. Et erit fortitudo eorum in direptionem, et domus eorum in desertum. »

Impii cur Deum non revereantur.

Longe diversa debet esse proborum hominum ratio : nam illud quod canebat Anna I *Reg.* II, 6,

http://www.obrascatolicas.com

in animo ipsorum semper hærere debet : « Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit : Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat, » etc. Id quod Eliphaz etiam significat dicens :

Deus etiam improbos a suis beneficiis non excludit, et cur.

CUM ILLE IMPLESSET DOMOS EORUM BONIS : — Deus quippe bonorum omnium auctor atque largitor etiam in improbos tam liberalis est atque munificus, ut eorum domos bonis impleat. Quod facere consuevit, ut et bonitas ipsius impios provocans magis eniteat, et illorum improbitas inexcusabilis remaneat; quemadmodum pulchre ostendit S. Gregorius lib. XVI *Moral.* cap. VI, ad finem, ubi ait : « Malorum domos Dominus bonis implet, qui etiam ingratis sua dona non denegat, ut aut benignitatem conditoris erubescant, et ad bonitatem redeant; aut redire omni modo contemnentes, inde illic gravius puniantur, unde hic et bonis Dei largioribus mala reddiderunt : ut duriora eos tunc supplicia puniant, quorum hic malitiam nec dona vicerunt. » Similia sunt quæ habet Theodoretus *in Psalm.* IV, 8, ad illa verba : *A fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt,* ubi explicat præcedentia verba : *Quis ostendet nobis bona?* expendit enim eorum inscitiam et ingratitudinem, qui præ manibus ferentes beneficia Dei, quibus eos repleverat, adhuc fatentur se ignorare eum a quo tanta bona acceperant in majorem ipsorum confusionem : sic vero habet :

Inexcusabilis impiorum Dei beneficiis abutentium ingratitudo.

« Accusat illos qui dicunt, *quis ostendet nobis bona?* tanquam his in præsenti vita perfruentes, et ingrati animi vitio laborantes. Sensus est cum hyperbato : *Multi dicunt : Quis ostendet nobis bona? A fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt.* Atqui, inquit, qui hæc dicunt omnigenis terræ fructibus fruuntur. Per has tres species humanæ naturæ utilissimas necessario alia comprehendit bona, illorum inscitiam redarguens; quoniam etiam in manibus Dei munera ferentes, et magnifice ejus bonis se delectantes, ut nihil recipientes dicere audent : *Quis ostendet nobis bona?* » Sic ille inexcusabilem describit ingratitudinem eorum qui in mediis Dei beneficiis versantes, ipsum vel non agnoscunt, vel agnoscentes comtemnunt, et lædunt.

Prosequitur hoc argumentum Clemens Alexandrinus lib. I *Pædag.* cap. IX, post principium, in eo quod Christus Dominus *Matth.* XXIII, 37, Judæis dixerit multoties eos voluisse congregare, et ad se allicere multimodis vocationibus; ipsos vero resiliisse et recalcitrasse; sic autem Clemens ait : « Maximum signum est ejus benignitatis, quod licet aperte sciret impudentiam populi, qui recalcitrabat et resiliebat, aperte tamen adhortatur ad pœnitentiam, et dicit per Ezechielem cap. II, 6 : *Fili hominis, in medio scorpionum tu habitas : verumtamen loquere ipsis, si forte audierint.* Quin etiam dicit Moysi *Exod.* III, 10 et 19 : *Vade, et dic Pharaoni ut emittat populum : ego autem novi, quod non emittet ipsos.* Utrumque enim aperte ostendit, et Deum præscivisse futurum, et ejus benignitatem libero animi arbitrio largiri occasionem pœnitentiæ. » Pulchre item ad hoc propositum Seneca lib. VII *De Benef.* cap. XXXI et XXXII : « Dii, inquit, rerum omnium amatores optimi, qui beneficia ignorantibus dare incipiunt, ingratis perseverant; nihilominus tamen more optimorum parentum, qui maledictis suorum infantium arrident, non cessant dii beneficia congerere de beneficiorum auctore dubitantibus. Non est magni animi dare et perdere; at hoc est magni animi, perdere et dare : » sic ille. Testatus est olim Deus bonitatem et benignitatem suam optimam præeligendo et largiendo terram impiis Israelitis, constituendo eos super fertilissimam tellurem, quos ingratissimos sibi fore optime noverat; sed pariter ipsi summam nequitiam testati sunt, dum pejores evaserunt tot acceptis bonis de manu Domini : nam non solum Deum deseruerunt, sed idolis etiam tribuerunt, velut accepta ab eis quæ a Deo tantum habuerant; unde merito Dominus apud Oseam cap. II, 8, sic conqueritur de plebe sua dicens : « Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum, et vinum, et oleum, et argentum multiplicavi ei, et aurum, quæ fecerunt Baal. » Non potuit major describi iniquitas, quam quod ex auro et argento et cæteris bonis a Deo acceptis materia desumatur Deum inhonorandi, et illius deitatem falsis et insensibilibus idolis tribuendi, ubi S. Hieronymus ita ait : « Multi acceperunt aurum et argentum sapientiæ et eloquentiæ, de quibus facerent candelabrum septem lucernarum ex auro purissimo, et mensam propositionis, et propitiatorium, et cherubim auri splendore radiantes, et bases columnarum argenteas, et triticum sermonis Dei, et vinum gaudii Spiritus Sancti : quæ universa verterunt in idololatriæ cultum, et decepti alios deceperunt, » etc. Miseri profecto, qui Dei talentis ditati non solum alios lucrati non sunt, ut divitias gratiæ et meritorum acquirerent, sed quod eis divinitus in ipsorum utilitatem traditum est, eis cessit in ruinam, et aliis maximo fuit nocumento : qua de re videndus est Origenes hom. 2 *in Cant.* et S. Gregorius *Pastor.* III part. admon. 5.

Israelitarum erga Deum ingratitudo.

Hæc animi ingrati labes in Hebræis maxime arguitur, quod cum esset in oculis Erithræum mare, et columna mirifica, et leucophæum nubis tentorium, et manna, et scaturiens rupes, avium delicatum opsonium, tabernaculum, Debir, arcæ gloria, pontificum majestas, ignea lex, triumphi, terra lacte et melle manans, et plenus omni amœnitate paradisus, alia denique innumerabilia Dei benefacta; omnium obliti, inexpiabili se crimine et perfidiosissima malitia ad impuri dæmonis cultum conferebant. S. Bernardus serm. 11 *in Cant.* judaicum opprobrium nominat dicens : « Nolo vos judaico notari opprobrio; de quibus Scriptura testatur *Psalm.* LXXVII, 11 quod *non fuerint memores benefactorum ejus, et mirabilium ejus, quæ ostendit eis,* » ubi sacræ litteræ *mirabilia* vocant divinæ beneficentiæ miracula plane insignia, in quibus animi exhorrescant ob inauditam magnitudinem atque præstantiam. Cajetanus ea opinor de causa pro mirabilibus *separata* vertit, ut eximia videlicet, egregia, inusitata, non de grege, aut vulgo, neque similia cæterorum, sed quæ peculiari populo et primogenito divinæ familiæ debebantur : itaque David illa dolenter miseransque cecinit *Psalm.* CV, 7 : « Non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ, » quod non obscure ad summi sceleris impietatem revocat. Moyses autem ingratæ mentis vecordiam ore magno et aculeata oratione increpat in hunc modum *Deut.* XXXII, 6 : « Hæccine reddis Domino, populo stulte et insipiens? » constabat enim gentem illam obliterata beneficiorum divinorum memoria sæpe in facinus abominandum præcipiti audacia ruisse. Itaque Deus multa in eo populo divinitus excogitavit ad donorum suorum memoriam conservandam : hinc enim dies festi instituti, consecratæ cærimoniæ, sabbati religio, templum magnificum et argumentosum, ignis perpetuus, solemnes victimæ, scenopægia et azymi, pictæ membranulæ, et mille talia, quæ mentium oblivionem et ἀχαριστίαν crimen impedire potuerunt. Certe si tot tantisque beneficiis illos Deus non prævenisset, possent aliquid excusationis et causæ adferre, cur Deo non subjiciantur; sed jam omnis illis excusatio erepta est, et ejusmodi ingrati animi notæ convincuntur, ut eos confusos esse oporteat, cum posteaquam senserunt se Dei lenitate allici, et invitari ad officium, nihilominus adversus ipsum insurgunt, seque ad officium adduci nullo modo patiuntur.

Multitudo beneficiorum nos majoris arguit ingratitudinis, si desimus officio.

Vers. 19.

19. VIDEBUNT JUSTI, ET LÆTABUNTUR, ET INNOCENS SUBSANNABIT EOS. — Huc alludere videtur Sapiens cum ait *Sap.* V, 1 : « Stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et abstulerunt labores eorum, » quando scilicet totus mundus cadet, et nihil hujus mortalitatis remanebit, stabunt justi in magna constantia; et ideo inquit S. Augustinus in magna constantia, quia in bona conscientia : prædicens enim Christus discipulis quæ tunc eventura sunt dicit *Luc.* XXI, 28 : « Tunc levate capita vestra : » estote sine timore aut tremore. Huc etiam respexit David dicens *Psalm.* CXLIX, 5 : « Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis : exaltationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum : ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis : ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis : ut faciant in eis judicium conscriptum : gloria hæc est omnibus sanctis ejus. » Nullus sanctus est qui non patiatur inimicos visibiles aut invisibiles. Hæc erit gloria omnibus sanctis, quod tunc tradet Deus inimicos in eorum manibus, ut unusquisque de inimico suo ultionem plenam perfectamque sumat. Tunc, inquit S. Augustinus, stabit Naboth justus contra Achab regem impium, qui vineam et vitam ei abstulit; tunc stabit Joannes contra Herodem, qui eum decollavit; Petrus et Paulus contra impium Neronem, a quo tot modis angustiati fuerunt : tunc justi contra peccatores; christiani contra paganos, etc. Tunc illud erit quod dixit Isaias cap. XIV, 2 : « Erunt capientes eos qui se ceperant, et subjicient exactores suos. »

Justi in die judicii lætabuntur, et subsannabunt impios.

Sancti in die judicii ultionem capient de inimicis.

Ex iis explicari potest illud, quod Joannes vidit animas interfectorum propter verbum Dei, et clamabant voce magna dicentes *Apoc.* VI, 10 : « Usquequo, Domine sanctus et verus non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra? Et dictum est illis, ut requiescant adhuc modicum tempus, donec compleantur conservi eorum, » *q. d.* Qui fieri potest, ut, cum tu sanctus sis et justus, non facias vindictam sumi de iis qui nos occiderunt? Exspectate, inquit, modicum tempus, eo modo quo dixit paterfamilias de zizaniis *Matth.* XIII, 30, quando servi clamabant petentes ut eradicarentur : « Sinite usque ad messem. » Propterea diem judicii vocat ille excellens concionator *tempus omnis rei.* Supponit *primo,* quod « omnia tempus habent » *Eccle.* III, 17, et quod tunc res bene fit, quando opportuno tempore fit : qui enim seminare vellet in æstate, et metere in hieme, omnia perverteret. Supponit *secundo* se vidisse in mundo magnam ἀταξίαν seu *inordinationem,* et quod non sunt reliquendæ res inordinatæ, sed ad ordinem aliquando reducendæ; et quando illud? in die judicii : « tunc erit tempus omnis rei. » S. Bonaventura *in Eccle.* cap. III, nomine *omnis rei* intelligit hominem, secutus B. Gregorium homil. 29 *in Evang.* Cæterum in Hebræo habetur nomen חֵפֶץ *chephets,* quod significat voluntatem, desiderium et affectum, *q. d.* Tunc erit tempus, quo omnis voluntas, desiderium et appetitus justi erga inimicum expleatur; tunc libera dimittetur voluntas, ut eum odio habeat; tunc libera erit facultas, ut vindictam de illo sumat, quando voluntas ita erit recta, ut non sit periculum odio habendi aliquid, quod amandum potius erat, aut majori quam justum sit odio excedendi, inimicum prosequendo, aut puniendo id quod juste puniendum non sit. Quid possit amplius desiderari? Certe egregie satisfecit Abraham Saræ, cum Agar ancilla ejus ipsam offenderat *Gen.* XVI, 6 : « Ecce, inquit Abraham, in manu tua est, utere ea ut libet : » hoc dicet justo Deus de inimicis qui ipsum offenderunt, nec plene hic satisfecerint. Justi itaque lætantur cum viderint vindictam, non quod interitu impiorum gaudeant, sed quod laus divinæ justitiæ clarescat, quod insontes a tyrannorum impetu liberentur, quod Deus proterat hostes suos, quod cultus Dei, quem impii delere conantur, amplificetur. Recte scriptum est in *Psalm.* CVI, 42 : « Videbunt recti, et lætabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum : » Deo nimirum impios plectente pii recreantur, roborantur, ad persequendam religionis viam inflammantur · impii vero superstites

In die judicii omnis inordinatio tollitur.

Justi non gaudent propter de interitu impiorum, sed de triumpho justitiæ Dei.

Ingratitudo est judaicum opprobrium.

http://www.obrascatolicas.com

attoniti et exterriti conticescunt, neque tam licenter grassantur.

Quomodo gaudere possimus de interitu impiorum.

Illud porro, *innocens subsannabit eos*, ad victoriam pietatis pertinet, ut qui pie vixit victis impiis insultet, et se nefarie habitum derisui demonstret, quod in supremo ac universali judicio elucescet; interim tamen ut dum vivimus istiusmodi Dei judicia bene contemplemur, et ex iis fructum aliquem capiamus, nos omnibus perturbationibus carnalibus perpurgatos esse convenit, non duci vindictæ appetitu, non moveri perturbationibus immodicis, sicut solemus : hæc omnia in nobis corrigi oportet, nosque habere puros oculos, ut bene quæ Deus facit intueamur. Quando ita affecti fuerimus, tunc sine ulla crudelitate improbos poterimus irridere, si Deus illos perdat. Ut sane nobis approbanda sunt judicia Dei, et illis approbandis nos etiam lætari convenit : quoniam per ea salus nostra promovetur, Deusque amorem, quo nos prosequitur, declarat. Discamus itaque nobis, quando Deus improbos punit, gaudii materiam adferri, idque gemina de causa, tum quia hoc pacto Deus se judicem esse probat, et ex ejusmodi judiciis gloria et majestas ejus elucescit, ut inde possit glorificari, quo nos lætari oportet : tum quia etiam Deus ostendit se nostri tanquam filiorum curam gerere, quando hostes nostros, eosque qui nos vexarunt, et contumeliis affecerunt, punit : qua ratione confirmat amorem suum quo probos et fideles prosequitur : quæ est altera gaudii causa. Sed interim, ut dixi, nos omni vindictæ appetitu et omni malitia vacuos et liberos esse oportet. Denique cum omnia quæ sunt carnis nostræ deposuerimus, et spiritus Dei nos reget, zelum rectum et purum habebimus, eo ut improborum perditione gaudeamus, et ex judiciis Dei utilitatem capiamus. Cæterum Hebræi versiculum hunc singulariter referri putant ad Noe et filios ejus, qui cum aquæ inundarent irridebant eos, a quibus fuerant irrisi dum arca ædificaretur. In iis certe qui diluvio perierunt, uti et in Sodomorum et Gomorrhæ incolis, habemus summæ et extremæ vindictæ testimonium; quodque nullus miseris illis pœnitentiæ locus fuerit, utpote qui se misericordia indignos reddiderint. De illis igitur et aliis similibus licebit nobis lætari.

Vers. 20. Impiorum felicitas futilis.

20. NONNE SUCCISA EST ERECTIO EORUM, ET RELIQUIAS EORUM DEVORAVIT IGNIS? — Iterum repetit quod ante dixerat, nempe fundamentum impii vel impium a fundamentis evertendum, ita ut antiquæ felicitatis et gloriæ nullæ supersint reliquiæ : quidquid enim impiis subsidio esse aut ornamento potuit, id totum ab ultore Deo ita vastabitur, ut cœleste quoddam et dirum incendium illac debacchatum esse videatur. *Erectio* autem hoc loco passive sumi potest et active : si *active* sumas, erit quod impiorum fortunam sustentat et erigit, quales sunt divitiæ et opes, gratia et favor, et quodcumque aliud est humanæ dignitatis et commoditatis ornamentum : sin *passive*, sublimitas ipsa, quæ sustentatur et erigitur. Sumitur, opinor, ab arbore metaphora, in qua radix est, quæ totam arboris luxuriem ambitionemque sustentat, quæ si succidatur, necesse est marcescat et pereat totius arboris venustas et fructus : quia vero quod ex stirpe pullulat, et sursum attollitur, splendet maxime exstatque sublimius, si illud excidatur, aliquid tantum manet invenustum, horridum, sepultum in terra; et si speciem intueare, nihil ab arido differt et mortuo. Hæc similitudo in hoc Jobi libro sæpius occurrit, quæ nomine ligni, arboris, radicis, rami, variam hominum fortunam significat : ita Sanctius noster.

Hebræi priorem hujus versiculi partem de justis sic efferunt, *si substantia nostra non fuerit succisa*, ad oppositionem impiorum, de quibus additur, *et residuum eorum devoravit ignis* : sic ut hic justi comparentur cum improbis, et fideles cum contemptoribus Dei. Est autem in Hebræo verbum נכחד *nicchad*, a radice כחד *cachad*, quod proprie significat *abscondere*, aut *occultare* : et secundum loquendi modum Hebræis familiarem majorem infert affirmationem, *q. d.* Imo hoc certum est, substantiam nostram esse absconditam. Ut sit sensus, justorum substantiam, licet hic succidatur et resecetur, non tamen omnino esse perditam, sed potius instar thesauri absconditam, et in tuto collocatam esse : quomodo enim in medio tot periculorum, quibus undique cingimur, stamus tamen et conservamur? nisi quia substantia nostra, et status noster, hoc est, facultas et vis nos tuendi et conservandi abscondita est in Deo. Illud autem quod improbis superest « devoravit ignis, » id est, Deus nihil illis prorsus relinquit, ita ut ipsos cum omnibus suis bonis exterminari oporteat : de quibus eodem sensu Psalmista canit *Psalm.* XXXVI, 38 : « Reliquiæ impiorum interibunt : salus autem justorum a Domino, et protector eorum in tempore tribulationis. » Quod autem hic de igne impiorum reliquias devorante dicitur, nonnulli hebraizantes referunt ad incendium Pentapoleos, uti superius id quod vers. 16 de fluvio dictum est ad pœnam diluvii restringunt. Verum cum D. Thoma sentio latius hic *ignem* accipi pro punitione, ita ut significet divinam ultionem et quodvis ejus instrumentum, sicut dixi de fluvio ad vers. 16. Ex hac ergo punitione ducit Eliphaz argumentum, quo pœnitentiam Jobo persuadeat, dicens :

Vers. 21.

21. ACQUIESCE IGITUR EI, ET HABETO PACEM : ET PER HÆC HABEBIS FRUCTUS OPTIMOS. — Inter interpretes magna est hic diversitas lectionum propter amplissimam significationem verbi originalis סכך *sacan*, quod hebraizantes omnes passim vertunt per *prodesse, juvare*, aut *conducere*; R. Moyses hoc loco reddit, *profice cum Deo*; Hebræus apud Cajetanum, *fac prodesse cum Deo*, q. d. Tu tibi Deum acerbum et infensum reddidisti, poteris nunc tua pœnitentia efficere placatum, utilem et salutarem, qui tibi minime noceat, qui maxime prosit. Pagninus, Vatablus et Regia reddunt, *assuesce cum eo*, id est, familiarem te illi exhibe, jugum ejus suscipe, ministerium ei impende. Septuaginta vertunt, γίνου δὲ σκληρὸς, *esto utique durus*, id est constans, patiens, tolerans, ne te mollem per impatientiam exhibe, sed laboris patientissimum, et adversus miseriarum stimulos obduratum : quod enim durities hic in bonam et non in malam partem intelligenda sit sequentia declarant, ἐὰν ὑπομείνῃς, εἶτα ὁ καρπός σου ἔσται ἐν ἀγαθοῖς, *si sustinueris, deinde fructus tuus erit in bonis* : sic igitur hortatur Eliphaz Jobum. « Acquiesce igitur ei, » seu ut Tigurina vertit, *accommoda te illi*, parem cum illo ini voluntatum et consiliorum societatem, fidum ac utilem te illi præbe ministrum et servum; si non illius gratia (nam *Luc.* XVII, 10, quæcumque fecerimus servi tandem sumus nostro hero inutiles) at tui lucri et utilitatis. Relinque in manibus Dei tui tua et te, committe et offert Deo te, et resigna te plene in manibus ejus, ut de te ac de rebus tuis faciat ut placitum fuerit in oculis suis.

Pax habenda cum Deo, et proximo et nobis ipsis : ejus definitio.

ET HABETO PACEM, — scilicet cum Deo, proximo et temetipso : pax enim est voluntatis affectus, quo subjicimur Deo, et in eo quod bonum est consentimus hominibus, et voluntates ac appetitiones nostras in uno virtutis desiderio conjungimus : itaque hæc plena erit pacis definitio : *Pax est quædam ordinata animi concordia cum Deo, cum seipso et cum proximo.* De *prima* pace cum Deo, qua efficimur filii Dei et amici, dixit Apostolus *Ephes.* II, 14 : « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum; » et *Rom.* V, 1 : « Justificati ex fide (operante per charitatem) pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. » De *altera* pace cum seipso loquitur Isaias cap. XXXII, 17 : « Et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum : et sedebit populus meus in pulchritudine pacis. » De *tertia* pace cum proximo ait Christus *Marc.* IX, 50 : « Pacem habete inter vos; » et Apostolus *Rom.* XII, 18 : « Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes; » et *Ephes.* IV 3 : « Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. » Continet ergo pax hæc *primo* amicitiam cum Deo; *secundo* tranquillitatem animi et serenitatem in tentationibus et persecutionibus; *tertio* mutuam inter ipsosmet concordiam : hæc pax homines facit fortes in omni periculo, et in omni molestia adhibet consolationem. Pacem hanc Dominus discipulis suis reliquit dicens *Joan.* XIV, 27 : « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : » non divitias aut temporales possessiones suis reliquit, sed pacem, quæ super omnes divitias hujus sæculi eminet; et, ut Apostolus ait, *Philipp.* IV, 7, « exsuperat omnem sensum. » Magnum igitur et singulare suis reliquit Dominus solatium, et quo multum indigebant in hoc sæculo victuri. Verbum autem *relinquo* hæreditatem indicat, ut S. Cyprianus lib. *De Unit. Eccl.* exponit. Hujus pacis elogia quam optime describit B. Laurentius Justinianus in *Lign. vitæ* tit. *De pat.* cap. I : « Magnum, inquit, pacis est bonum : est namque pax securitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis : hæc simulationes tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari. Hanc qui accipit teneat, qui perdidit exquirat : quoniam qui in ea non erit, a Deo alienus efficitur, nec ad hæreditatem Domini poterit pervenire, qui bonum pacis non studuerit possidere. »

Christus pacem discipulis reliquit in hæreditatem.

Pacis elogia.

Quæ sint actiones pacis.

Actiones autem pacis noster Alvarez de Paz, tom. II, lib. III, part. I, cap. V, § 5, quatuordecim assignat. — 1° Divinis præceptis se subjicere, jussa et inspirationes Dei sequi, et proprium arbitrium secundum beneplacitum divinum inflectere. — 2° In prosperis et adversis Dei voluntati consentire, et nec sensu nec voluntate ab ejus voluntate discedere. — 3° Peccata quæ sunt seminaria discordiæ inter Deum et hominem fugere, et pro posse sanctissimis Christi moribus assimilari. — 4° Idem cum omnibus sapere, idem dicere, id est, in his quæ decent et bona sunt eumdem sensum, quoad ejus fieri poterit, idem judicium habere, et de rebus non aliter quam prudentes loqui. — 5° Fratribus, quibuscum vivimus, conformari in cibo, potu et somno, in vestibus, moribus et operibus; quæ nec legi Dei, nec arreptæ professioni repugnent. — 6° Ita sancte et circumspecte vivere, ut nullus de nobis querelam habeat, nullus justam ex nostris dictis aut factis causam perturbationis accipiat. — 7° Carnem legi Dei repugnantem et bella cientem spiritui subjicere. — 8° Sensus, usus membrorum, et interiora atque exteriora opera ex usu rationis disponere. — 9° Cogitationes, affectiones, voluntates et intentiones secundum præceptum virtutis moderari. — 10° Nosmetipsos discutere et considerare, et aliorum dicta aut facta quæ ad nos non pertinent tanquam inutilia et noxia relinquere. — 11° Radices omnis perturbationis, scilicet propriam voluntatem, spiritum libertatis et placendi desiderium evellere. — 12° Zizania, quæ sine damno tritici eradicari non possunt, patienter usque ad tempus messionis tolerare. — 13° Bona nullo præcepto nullave lege debita pro vitando fratrum scandalo usque ad tempus intermittere. — 14° Animi nostri tranquillitatem ex aliorum dictis aut factis nequaquam pendentem habere. Hæc quisquis observaverit, uberrimos profecto fructus pacis percipiet. Qua vero ratione pax hæc obtinenda sit diserte docet dicens :

Vers. 22. Quid per *legem* intelligatur.

22. SUSCIPE EX ORE ILLIUS LEGEM, ET PONE SERMONES EJUS IN CORDE TUO. — Per *legem* hic non solum Dei præcepta, sed institutionem et doctrinam morum universam intelligit, qua Deus nos suam voluntatem et totius vitæ informandæ rationem edocet; atque hoc modo tota Scriptura sacra *lex* dici potest, quomodo S. Gregorius Nyssenus *Præf.* in Cantica exponit dicens : « Spiritale legis nomen comprehendit etiam historicas narrationes, adeo ut universa a Deo inspirata Scriptura sit lex iis qui

http://www.obrascatolicas.com

ipsam legunt, non solum per præcepta, sed etiam per historiam erudiens et ad cognitionem mysteriorum et sinceram vitæ institutionem; » hæc scilicet « lex Domini immaculata convertens animas, ut David canit *Psalm.* XVIII, 8, et sapientiam præstans parvulis, » reficit, recreat, et tranquillat animam, et cordis sitim famemque excruciantem restinguit. Sic igitur Jobo ærumnoso et misero præcipit Eliphaz legem ex Dei ore suscipere, ut animam jam deficientem recuperet, et abeuntem convertere ac recreare possit, et incredibilibus malis commotam et agitatam tranquillitate ac pace reficiat; sicut de viro justo scriptum est *Psalm.* I, 2: « In lege Domini voluntas ejus, » quod proprie ex Hebræo legitur, *voluptas ejus*, nam ex legis disciplina et observatione omnem animi voluptatem et gaudium comparabit: ita Pineda noster.

Lex Dei reficit animam.

Sermones Dei in corde ponendi.

PONE SERMONES EJUS IN CORDE TUO: — proprius enim sermonum et præceptorum divinorum locus est cor, arca nimirum tanto thesauro digna, in qua etiam David legem Dei reponendam censuit dicens *Psalm.* XXXIX, 9: « Facere voluntatem tuam, Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei, » ubi in Græco est, τῆς κοιλίας, *ventris;* Symmachus vertit, ἐνδοθεν ἐγκάτων μου, *intra viscera mea:* vide ubi legem Dei Propheta ponat, nempe in *medio cordis*, scilicet ubi sedes est vitæ: quia oportet Dei jussa animare, id est opere implere, alioquin mortua manent. Vel ideo in medio cordis eam se habere affirmat, ut ostendat se ab ipsa non secus atque a corde, quod vitæ principium est, vivendi initium vitamque ipsam indesinenter haurire, unumque hoc in votis habere, ut Dei jussis obtemperet. Secundum aliam vero lectionem, quæ habet *in medio ventris mei,* manifeste innuit eam sibi pro cibo esse, quo ad veram vitam aleretur, et ipsius essentia inter humanas varietates ac vanitates subsisteret. Cæterum cum in ventre quoque fœtus animentur et augmentum capiant, significat se animasse et fovisse jussa Dei, et apto tempore in opus ac lucem produxisse.

Sacerdos os *Domini* dictus.

Allegorice autem *os Domini* vocatur sacerdos, de quo pius Vates ita canit *Malach.* II, 7: « Et legem requirent ex ore ejus. » Os unde oracula promuntur et Sibyllæ antro dignius, et Dodonea quercu vocalius, et Castaliis undis certius, ex quo velut a tripode atque lauro homines pendent magna et mirifica audituri: os illud augustum est delubrum, in quo lingua ut illustre Numinis donarium consecrata est; donarium longe pretiosius et cubito Ægyptiorum, et mystica vanno Græcorum et Palladio Romanorum: os inquam adytum sacrosanctum, unde velut e regali throno Apoc. IV, 5, procedunt fulgura, et voces, et tonitrua et lampades ignis ardentis, vel ad terrendos impios resonanti murmure commonitos ad S. Numen venerandum, vel ad pios inflammandos inexplicabilium bonorum cupiditate, quæ pollicetur Deus. Os divina cordis apotheca, unde egregiæ merces ad beandum hominum genus funduntur: os mirandum phrontisterium, exedraque erudita, quæ ebullit sapientias et encyclopædiam salutarem; os denique divinæ legis cella penuaria est, e qua salutis æternæ vinum depromitur.

Maxilla para sacerdotis victima.

In mysteriis antiquæ legis, quibus mores et sanctimonia ut cœlesti penicillo adumbrabantur, inter eas partes victimarum, quæ divino instituto ad sacerdotem attinebant, erat maxilla, quasi τοῦ λόγου ἀπαρχὴ, *sermonis primitiæ*, ait Philo lib. *De Sacerd. honor.* ut intelligamus ecclesiasticorum omnium os Deo sacrum et quasi proprium esse oportere; hinc « qui sine fuco Christi pascit gregem jure vocatus legitur *os Domini*, » ait S. Pater Antiochus *hom.* 112, quo refert illud *Jerem.* XV, 19: « Si eduxeris pretiosum a vili, quasi os meum eris: » par Magni Basilii elogium est, qui hom. *in Psalm.* XLIV, præcones evangelii monet in arcano sermone dici χείλη τοῦ Χριστοῦ, *labia Christi.* Cur enim vero ita nominantur? an quia sunt quæstores velut candidati summi Principis, qui ut illi quondam imperatorum sententiam in curia, sic Domini universitatis oracula mundo pronuntiant? An labia Christi, quod servatoris os atque linguam imitentur, et quantum fas piumque est, perfecte repræsentent? Christus enim habuit verba vitæ æternæ, ut theologiæ coryphæus ait Petrus; unde os ejus S. Gregorius Nyssenus hom. I *in Cant.* vocat πηγὴν ζωῆς, *fontem vitæ*, e quo sacri homines debent bibere. Id cupiebat sponsa *Cant.* I, 1: « Osculetur me osculo oris sui; » et se consecutum regius vates exsultat *Psalm.* CXVIII, 131: « Os meum aperui, et attraxi spiritum: » est enim osculum Filii Dei, ut ait doctus ille præsul, καθάρσιον, *sordium expurgatio*, divini Spiritus delibatio. Cum vero sacerdotes tam sæpe ex eodem nitido et argenteo fonte hauriant, et venam illam vitæ osculentur, non est mirum, si colorem et vivam quamdam effigiem adeo imitatione ducant, ut labia Christi habere videantur, quod illustre oris decus in B. Augustino D. Paulinus eximie prædicat, cum in hunc modum ad illum scribit: « Os tuum fistulam aquæ vivæ et venam fontis æterni merito dixerim; quia *fons vitæ aquæ salientis in vitam æternam* Christus effectus est. » Sed aliam rationem a S. Gregorio Nazianzeno capiamus, qui *Orat.* 8, ait se esse « ὄργανον θεῖον καλῷ τεχνίτῃ, *organum divinum, quod a præclaro artifice*, hoc est a Spiritu Sncto, ad cœlestem harmoniam accommodetur, et pulsetur: » jungit paulo post, Πλείω καὶ ἀνοίγω τὴν ἐμὴν θύραν νῷ καὶ λόγῳ καὶ πνεύματι, *ad mentis, verbi et Spiritus aröitrium vel januam meam claudo, vel aperio.* Quæ regula divinissima est, et plane aurea promendi sermonis, et significat magnum et incomparabilem illum pontificem vere fuisse os Domini et labium Christi, cujus tantum nutu et imperio, ore et labiis utebatur, et ad illius tactum ut testudo gemmea resonabat. Hæc et alia hujus argumenti plura vide apud Cresollium nostrum lib. IV *Mystag.* cap. XXVI, ubi docet quales in sermone esse conveniat initiatos.

Sacerdotes eo dicti sint *labia Christi.*

Lex Dei de ore sacerdotis suscipienda, et in corde reponenda est.

Cum itaque, uti ostensum est, juxta Malachiæ oraculum cap. II, 7: « Labia sacerdotis custodiant scientiam, » optime sequitur: « Et legem requirent ex ore ejus: » quare sermones ejus tanquam (cujus vere sunt) Dei, in medio cordis ac ventris reponendi, ut æternæ vitæ fructum faciant. Id quod D. Ambrosius *in Psalm.* XXXIX eleganter expendens: « Ideo, inquit, alii habent *in medio cordis*, alii *in medio ventris*; ut interioris hominis ventrem intelligas, qui in medio esse cordis accipitur, in quo naturalis legis præscripta servamus; quæ non solum custoditur, sed etiam fit in cordibus nostris; » ubi expende illa verba, « in quo naturalis legis præscripta servamus. » Dicimur enim habere legem Dei *in medio cordis*, quando ita mandata ejus amamus, ut quamvis nulla nobis præscripta essent, nec ullo metu terreremur, aut præmio alliceremur, nihilominus ad amussim illa servaremus. Pulchre item dixit: « Quæ non solum custoditur, sed etiam fit: » etenim illa quæ in arca custodimus, eadem inde prout inserueramus sine ullo incremento extrahimus; sed hoc quod mulier ventre concipit non modo custodit, sed usque ad partum majus in dies accipit incrementum: ita et nos non modo servare debemus verbum Dei, sed ejus quoque fructum facere, ipsumque cum fœnore majori cumulo reddere.

Vers. 23.

23. SI REVERSUS FUERIS AD OMNIPOTENTEM ÆDIFICABERIS, ET LONGE FACIES INIQUITATEM A TABERNACULO TUO. — Sub ea voce *ædificaberis* prosperitatem omnem temporalem Eliphaz complexus est: hæc enim est pollicitatio repetita, si Jobus ad meliorem, ut opinabatur, mentem rediret. Illud vero: *Et longe facies iniquitatem*, ad culpam et pœnam pertinere videtur. Cæterum ad hanc perfectam cum Deo conciliationem necesse omnino est ut quædam removeamus, asciscamus vero alia: Deo enim, qui summa est bonitas et sanctimonia, nihil contrarium est magis atque inimicum quam improbitas, et malum facinus, et nequitia odiosa. Ubicumque fuerit putens animus, maculosa conscientia, impurata voluntas, pax ibi cum Deo nulla esse potest. In tam contrariis inimicitiæ exardescunt: scelus ipsum ut præposterus et insanus fœcialis bellum denuntiat. Removenda est igitur in primis animi labes atque turpitudo, ne offensus Deus exacuat ut fulgur gladium suum, et animam peccatricem et belligerantem cruentet. Concilianda est illius amicitia, quæ gratiam inducat proxenetriam felicissimæ et amabilissimæ pacis; quæ mortalium eximium bonum est et cœli donum. Adjungenda est deinde voluntas fidelissimusque conatus ad Dei voluntatem, in cujus servitute mori debemus, et in omni vita imperiis illius sanctissimis obedire. Hæc regio est pacis, in qua Deus invenitur: hæc cum summo et inexplicabili bono animæ conjunctio; inde felix aureaque beati ævi tranquillitas in interioris animi politia exoritur, quo spectat illud Davidis *Psalm.* CXVIII, 165: « Pax multa diligentibus legem tuam. » Qui legem illam et justissimam Numinis voluntatem oppugnant, tametsi rerum omnium abundantissima copia circumfluere videantur, non fruuntur ulla vera solidaque animi tranquillitate; quorum capiti non ut Damoni, tyranni Siculi purpurato, nescio quis e ferro gladius, sed horribile Dei fulmen imminet. Justorum proprium est illud bonum, qui tota mente et devoti animi conatu ad amandum honorandumque Deum feruntur, et ad nutum sese illius accommodant.

Eliphaz promittit Jobo pœnitenti bonorum restitutionem.

Quæ ad veram cum Deo reconciliationem necessaria sint.

Colligimus igitur ex dictis quæ sit hoc loco Eliphazi mens, ut nimirum Jobus eo magis incitetur ad revertendum ad Deum, postquam hanc spem conceperit, se frustra ad ipsum non venturum, neque spe sua frustratum iri, cum perfecto corde Deum quæret: quia is semper paratus sit ad condonanda nobis peccata, quoties ad illum confugerimus. In eo tamen ab Eliphazo semper modus exceditur, quod existimet Deum omnes quos diligat in hoc mundo æqualiter felices reddere, ideoque putet Jobum affligi, quod inimicus et exosus sit Deo; in quo certe Eliphaz gravissime hallucinatur, cum certum sit Deum non raro suos affligere, ut ipsorum patientiam probet, illosque multis miseriis obnoxios reddere, ut virtutem exerceat, quæ in infirmitate perficitur, nec propterea tamen minus illos diligat. Non est igitur quod fallant se et decipiant homines, fingentes sibi Deum tunc, cum propitius erit, læta et prospera omnia ex voto animi missurum; vulgo tamen utiliter persuadebimus, quod quemadmodum res adversæ ut plurimum sunt flagella Dei, quibus is castigat nostra peccata; sic contra, cum nos in gratiam susceperit, per veram pœnitentiam conversos ab eo ita leniter tractandos, ut nos, quantum expediet saluti nostræ, prospero rerum statu uti permissurus sit. Ut ut sit vera est hæc doctrina et valde utilis, quod cum ad Deum revertemur iniquitas procul a nobis fugabitur, et hoc pacto res nostræ cursum prosperum sint habituræ. Pergit porro Eliphaz terrenis more suo promissis Jobi animum exacerbare potius quam mulcere dicens:

Eliphazi error in quo versetur.

Vers. 24.

24. DABIT PRO TERRA SILICEM, ET PRO SILICE TORRENTES AUREOS. — Affluentissima rerum omnium abundantia describitur: « Dabit, inquit, Deus pro terra silicem, » quod metapharice quidem idem est ac « pro infirmitate robur; » theologi vero Hebræorum per *silicem* intelligunt aurum, sive auri massas, quarum erit tanta copia et multitudo, ut terræ pulverem æquare videantur; quæ heroica est amplificatio summæ beatissimæque fortunæ et aureæ felicitatis. Addit: « Et pro silice torrentes aureos; » Symmachus ita vertit, θήσει ἐν τῷ ἀκροτόμῳ εἰς ὀχετοὺς χρυσίου πρωτίου, *ponet in silice* (sive *rupe*) *quasi rivos auri primi;* et Vatablus in hunc modum illustrat, *habebis tantum auri, ut æquare possis montem, unde oriuntur multa flumina*: tantæ videlicet opes a Deo tibi obvenient, ut ingentem domi rupem sive montem habere videaris, unde scaturiant venæ auri ophiræi, non minutis rivulis, sed

Descriptio maximæ felicitatis.

Montes et flumina auri sunt symbolum bea-

http://www.obrascatolicas.com

titatis. torrentibus abundantissime fluentibus. Hinc montes aureos polliceri, quod inter homines de re vanissima et cupidorum somniis dicitur, apud Deum autem est veritas et regia erga suos magnificentia : quare seq. vers. mox adjungit : « Et argentum coacervabitur tibi, » ubi *coacervari* est in cumulos attolli magnos sive montes, qui sensus fuit R. Mosis cum ita vertit, *argentum tibi tanquam montes*. Promittit igitur montes aureos atque argenteos, ut in duabus pretiosissimis rebus, quæ sunt velut præcipua duo elementa humanæ felicitatis, intelligamus piorum hominum beneficentiam et virtutem inauditis et quæ superant omnem cogitationem bonis a Deo compensari.

Vers. 25. 25. ERITQUE OMNIPOTENS CONTRA HOSTES TUOS, ET ARGENTUM COACERVABITUR TIBI. — Magna in his verbis varietas translationum reperitur, quas erudite adducit et expendit noster Pineda; Cajetanus exscribit, *erit Sadai in thesauros tuos* : quid est *in thesauros tuos?* an omnipotens erit erga thesauros, aut potius adversus thesauros tuos? Vatablus legit, *aurum tuum erit omnipotens*. O divitiarum olim et nunc omnipotentiam! Sed forsan ipsum aurum aut opulentia dicitur *omnipotens*, vel in præmium opulentiæ bene acquisitæ et expensæ; vel in acerbam punitionem adversus male parta et pejus coacervata. Exempla in utramque partem passim exstant luculenta, et evangelicis quoque parabolis illustrata, quæ, quod satis obvia sint, brevitatis studio hic omitto. Cæterum quoad litteram his verbis Eliphaz Jobo Dei contra inimicos protectionem pollicetur, quemadmodum habetur *Exod.* XXIII, 22 : « Quod si audieris vocem ejus (scilicet angeli tutelaris) et feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te. » Aliqui ex Hebræo pro *contra hostes tuos* vertunt *rupes tua*, hoc est munimentum, præsidium et quasi castellum in vivo saxo editoque positum, uno verbo ἀκρόπολις, ad quam ne alati quidem milites possint penetrare : bene quippe tutus ab hostibus erit is, cujus munimentum aut robur Deus est. *Et argentum coacervabitur tibi*; Septuaginta sic exprimunt, καθαρὸν δὲ ἀποδώσει σε ὥσπερ ἀργύριον πεπυρωμένον, *purum reddet te tanquam argentum examinatum igni*; profecto puritas hæc similis argento expurgato pretiosissimus thesaurus est, quo justus homo ditescit. Sive ergo argentum proprium cum Vulgato, sive metaphoricum cum Septuaginta interpretibus intelligamus, sic textus exponendus, *q. d.* Deus arcebit inimicos tuos; quocirca argentum tuum bene tutum erit.

Aurum cur omnipotens dicatur.

Eliphaz Jobo pœnitenti promittit omnem securitatem.

Vers. 26. 26. TUNC SUPER OMNIPOTENTEM DELICIIS AFFLUES, ET ELEVABIS AD DEUM FACIEM TUAM. — Neque vero exiguum est pœnitentiæ hoc bonum, sed illustre Numinis beneficium, quod obscœna linquamus, evolemus in altum, et pericula evadamus, ubi mira deinde jucunditas occurrit : qui enim e peccati lethargo, in quo jacebat consopitus, excitatur et Deum placat, bono conscientiæ testimonio e perenni Dei fonte quasi rivum lætitiæ intimos animæ recessus perlabentem interdum excipit, et castis deliciis affluit, quas cum bonis mundi universis minime commutaret. Cui sane rei fidem adstruit mutatus animus plurium, qui experientia didicerunt se, postquam confessione sacra virus peccati evomuere, percipere nescio quid intimum, sublime, castum, lene, suave, quod tametsi exprimere nesciant, bene tamen animadvertunt cœleste quiddam esse, quod vanis mortalium gaudiis præponendum sit. Virtus enim incredibilem animi voluptatem ingenerat, ut e contra scelus angorem turbulentum et pungentes curarum molestias, quæ diurnam et nocturnam quietem penitus exhauriunt : comes enim sceleris est mala formido, et conscientiæ horror, et impendens pœnæ metus, ut Tantalo saxum. Gravissime Tertullianus lib. IV *Contra Marc.* cap. XVII : « Nullum maleficium sine formidine est, quia nec sine conscientia sui. » Sed divinius ea de re habemus oraculum *Sap.* XVII, 10 : « Semper enim præsumit sæva perturbata conscientia, » inquit Sapiens. Contra gestit et lætatur virtutis studiosus, et mirum quantum intimo in animo consolatione perfunditur. Quæ varietas in clypeo poetico aureo expressa mihi videtur, in quo Vulcanus elegantissimo artificio urbes duas effinxerat, in quarum una sunt convivia, Festus et Hymen, et tripudia, et cantus, tædarumque festa luce nitentium magna copia; in altera vero bella, contentiones, rapinæ et pugnæ, ululatus luctusque audiuntur et gemitus. Imago est utriusque animæ tum gratia ornatæ, tum vitio deformatæ : in illa est læta et profunda pax, cantuque et choreis velut divinis plena sunt omnia : in hac vario dissonoque strepitu et tumultu ac concursu molestissimarum difficultatum omnia miscentur. Atque ut e sacris potius quam ab Homeri ingenioso commento nostra illustretur oratio, si licuit erudito poetæ fingere choros et pæanes, et lucernarum accensiones, et ἱλαπίνας, hoc est *magnifica* et apparatissima *convivia*, ad animi lætitiam et alacritatem vitæ innocentis exponendam; paria prope vetustior musis amicus ait Salomon *Prov.* XV, 15 : « Secura mens juge convivium. » In hoc convivio defæcatum vinum est germinans virgines et honestissimas cogitationes, ubi non tibia strepit, non cinyra ludit, non chelys resonat, sed gratia modos facit, virtutes succinunt humanissima symphonia : cor justi liquida pace gaudioque vestitur, Dei laudes in eo celebrantur cantu læto jubilantis conscientiæ; unde tanta exoritur animi lætitia, ut justi et puri a peccato semper ovare et triumphare quodammodo videantur. Quare Propheta pius ita invitat *Psalm.* XXXI, 11 : « Gloriamini omnes recti corde : » apud Septuaginta est, καυχᾶσθε, quod victorum et triumphantium est proprium, qui fractis domitisque hostibus tripudio quodam gestiunt, cantu et lætitia efferuntur, hilaremque frontem explicant; ex quo efficitur quod subditur :

Fœnitentiæ fructus est testimonium bonæ conscientiæ.

Conscientiæ tranquillitas magnum bonum.

Virtus quietem, scelus angores adfert.

Clypeus poeticus bonæ malæque conscientiæ typus.

Secura mens juge convivium.

ET ELEVABIS AD DEUM FACIEM TUAM. — Eminet in

Facies

est conscientiæ judex. facie quoddam conscientiæ judicium, quod non a Deo tantum animorum inspectore cernitur, sed a viris quoque rerum internarum consultis prudenti conjectura deprehenditur. Conscientia inculpata faciem serenam, hilarem nitidamque creat; fœdata vero squallentem, obscuram, dejectam : hanc non audet peccator in Deum sublevare, quem prodit; illam justus confidentia multa erigit, et gaudet. Detersa ergo culpæ fœditate ait Eliphaz « Elevabis ad Deum faciem tuam. » Sensus hic noster versione Septuaginta interpretum confirmatur, εἶτα παῤῥησιασθήσῃ ἐναντίον Κυρίου ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν ἱλαρῶς, *deinde fiducialiter ages coram Domino inspiciens cœlum hilariter* : hæc est enim illustris prærogativa virtutis, quam acute Philo græce ἀρετὴν, nominatam esse vult ab αἴρεσθαι, quod *in altum erigere* significat : attollitur enim, inquit, et fertur in sublime cœlestia semper meditans; quemadmodum κακίαν, *vitium* a κάτω ἰέναι, quod *deorsum vergat*, et deditos sibi deprimat. Itaque D. Gregorius Nyssenus lib. *De Virg.* cap. XVIII, virtutem elegantissime vocat ἀνωφερὲς πρᾶγμα, *rem expeditam*, quæque in sublime feratur : nam terrenis voluptatibus exutum, evectumque ab humilium rerum cupiditate Deo amabilem efficit, ut conciliatrix divinæ benevolentiæ, ut cœli proxenetria, ut gloriæ admissionalis. Justi omnes et gratia nobilitati sunt regii pueri, et filii regni, et principes nati ad imperandum, quibus Deus, ut idem Nyssenus ait Gregorius, pro purpura dedit virtutem. Hoc honoris paludamento excultus ornatusque ad Dei amplexum admittitur, hunc charum habet, hunc amore et familiaritate sua dignatur.

Virtus animum erigit, et confidentiam tribuit.

Scripturæ sunt animi deliciæ. Allegorice S. Gregorius lib. XVI *Moral.* cap. X, versum hunc exponit de deliciis quæ ex divinis litteris hauriuntur dum ait : « *Super Omnipotentem deliciis affluere*, est in amore illius Scripturæ sacræ epulis satiari, in cujus nimirum verbis tot delicias reperimus, quot ad profectum nostrum intelligentiæ diversitates accipimus, » etc. Non ait ad *curiositatem*, sed ad *profectum* : illa enim damnanda in Scripturarum cultore est, omnia in istum referri debent : probæ istæ deliciæ, sed ad probitatem etiam dirigendæ.

Ipsi Deo dilecto, et non deliciis etiam spiritalibus inniti tendum. Expende autem illud, *super Omnipotentem*, ut deliciarum ubertatem ac multitudinem colligeremus, nec aliunde esse quærendas quam a Deo, et in Deo. Etiam sponsa sponso innitebatur, deliciis delibuta (nam *Cant.* VIII, 5 « ascendit de deserto deliciis affluens innixa super dilectum suum) affluebat deliciis; quæ non diffluerent, ac facile laberentur, quales sæculi sunt, quæ cito pereunt, et perire amatores suos faciunt. Recte vero non deliciis amans hæc anima nitebatur, sed dilecto. Solida hæc sanctitas est et firma, non illarum, quæ spiritualibus blanditiis ita nituntur, ut sine illis cadant, et a sponso recedant. Cerea hæc sanctitas vitreaque : male innititur qui deliciis innititur, non dilecto. Cæterum modus nos in Deo exhilarandi statim exprimitur, ut nimirum ipsum invocemus, et ab eo exauditi vota nostra illi reddamus. Unde subdit :

Vers. 27. 27. ROGABIS EUM, ET EXAUDIET TE, ET VOTA TUA REDDES. — En bonam et valde utilem gaudii illius declarationem; hinc igitur nobis incipiendum est, scilicet ab invocatione Dei nostri, a qua nisi actionum nostrarum initium fecerimus, omnis ordo pervertitur : in hoc itaque potissimum nos exercere debemus, ut in rebus omnibus ad Deum nostrum confugiamus, cognoscentes ipsum esse omnis boni fontem, a quo nobis esse, vita, salus et omnia. Multum sane profecerimus, si doctrinam hanc fideliter tenuerimus, ut eam ad usum ut par est revocemus, profitentes corde et ore bona omnia quæ accipimus in ipso et ejus manu esse, tum ejus unius esse illa nobis dare. Sed notandum est nobis, cur Deus tam liberalis sit erga nos, et tam facilis ad nobis opitulandum, ut nimirum ipsi vota nostra reddamus, hoc est, gratiarum actione nos ipsi penitus obligatos profiteamur : hoc enim vocabulum *voti* innuit tanquam testimonium solemne, quod homines dant, ostendentes se nihil habere nisi quod sibi superne datum est, seque parem Deo gratiam referre non posse; nec habere aliud quod rependant præter laudes et gratiarum actionem, quam solam Deus exigit, eaque contentus est. Atque hoc est quod David ait *Psalm.* XLIX, 12 : « Immola Deo sacrificium laudis : » quid est *sacrificium laudis?* Respondet D. Basilius *sacrificium glorificationis*, cum scilicet omnium bonorum nostrorum laudem et gloriam in ipsum tanquam in eorum auctorem referimus. Videtur David alludere ad sacrificia quibus thus lucidissimum admisceri Deus jusserat, ut in honorem ejus cremaretur, dum interim carnes victimarum in sacrificantium utilitatem cederent; hoc pacto insinuans, solam laudem et gloriam sibi in sacrificiis reservari; unde in tantum sacrificia præcipiebat et acceptabat, in quantum illa ad ipsius laudem et gloriam referebantur. Rejectis ergo sacrificiis, quæ videri poterant offerri, quasi quibusdam Deus indigeret, sicut ea gentium diis hominibusque offerri solent; ea solummodo requirit sacrificia, quibus testamur, omnia nobis a Deo provenire, nosque donis ejus indigere, qualia sunt sacrificium laudis, et vota quæ pro perceptis aut percipiendis beneficiis Deo persolvimus, illumque in necessitate piis precibus invocamus.

Deus in rebus omnibus rogandus, et vota illi reddenda.

Pro voto Deus solam requirit a nobis gratiarum actionem.

Quale sit sacrificium laudis.

Similis est locus alterius Psalmi, ubi ait *Psalm.* XXI, 26 : « Vota mea reddam in conspectu timentium eum, » item *Psalm.* CXV, 13 : « Vota mea reddam coram omni populo ejus : » alludit autem ad sacrificium pacificum in periculis arduisque negotiis voveri solitum, quod votis potiti suis solvebant invitatis ad hoc amicis, ut ex eo simul coram Deo in lætitia epularentur. Pollicetur ergo Domino se gratitudinis signa editurum persolvendo vota, quæ in extremis angustiis nuncupaverat, idque non sine solemni pietatis exer-

Vota in periculis fieri solita.

http://www.obrascatolicas.com

citio, cujus et alii amici sint participes cum singulari fructu et gaudio. De iisdem votis alibi quoque Psalmista loquens *Psalm.* LV, 12 : « In me sunt, inquit, Deus, vota tua : » quid est *in me?* intra meipsum, apud meipsum. Quæris quid reddas Deo? « An forte animalia, inquit S. Augustinus ad eumdem Psalmi locum, quæ offerebantur ad aras aliquando. Nihil tale offeras : in te est quod voveas et reddas. De cordis arca profer laudis incensum : de cellario bonæ conscientiæ profer sacrificium fidei. Quidquid profers, accende charitate. In te sint vota quæ reddas laudis Deo. » De teipso profer teipsum, voluntatem tuam, cor tuum : in te enim sunt vota quæ Deo reddas. Si *voti* nomine intelligas, quod communi sensu intelligimus, *desiderium*, aut rem concupitam, idem erit : « In me sunt, Deus, vota tua, » *q. d.* In meipso, intra meipsum sunt, Deus, quæ tu exoptas et concupiscis, quæque a me exigis; qui non externa appetis, imo neque accepta habes sine internis. « Holocausta, victimæ, et sacrificia christianorum, inquit S. Chrysostomus hom. 11 *in Epist. ad Hebr.*, sunt opera sancta; ut eleemosynæ, temperantia, orationes, laudes Dei. » Nullus ergo hostiam offerat nudam, cui semetipsum non adjungat. Quo sensu etiam S. Gregorius homil. 5 *in Evang.* locum eumdem exponit : « Ac si aperte dicat : Etsi exterius munera offerenda non habeo, intra memetipsum tamen invenio, quod in ara tuæ laudis impono : quia qui nostra damnatione non pasceris, oblatione cordis melius placaris : nihil quippe offertur ditius bona voluntate. » Ecce veram nos in Deo nostro exhilarandi rationem, quam sequenti versu prosequitur.

Intra nos est quod Deo voveamus et feramus.

Vers. 28. 28. DECERNES REM, ET VENIET TIBI, ET IN VIIS TUIS SPLENDEBIT LUMEN. — Ipsum, inquit, Deum præsentissimum senties, statim quippe ac oraveris aderit, votumque pro re impetranda conceptum lætus exsolves; quin etiam adeo tibi opitulabitur, ut quidquid agere constituas, aut cogitatione decernas, ex animi sententia succedat, et opera tua semper prosperata clarescant : ultro enim sese Deus offeret, et obtrudet quasi invalido et infirmo tibi opem auxiliumque suum, et subito ad vocem et orationem accurret. Quam luculentam Numinis providentiam et charitatem in nos suam cogitatione omni majorem Dei Filius in evangelio expressit illa amica et paterna invitatione *Matth.* XI, 28 : « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, » etc.; sed illius beneficentiæ magnitudinem illustri plane oraculo Isaias mihi semper visus mirabiliter ostendisse, in quo hærere meditando et laudando omnes conveniat : neque enim misericors Pater, qui providentissime consulere hominum vitæ et saluti solet, exspectat, ut vel preces adhibeamus, sed prævenit conatus nostros, quemadmodum clarissimi ore Vatis pollicetur *Isai.* LXV, 24 : « Eritque antequam clament ego exaudiam : adhuc illis loquentibus ego audiam. » Quo ex loco, ut alia multa, e divinis oraculis vetusti credo sapientes et profanæ theologiæ mystagogi Apollinis illud effatum prompserunt, quod Lacedæmoniis datum volunt, καλούμενος κ' ἀκλητός θεὸς παρίσται, *vocatus et non vocatus Deus aderit.*

Deus ultro se offert ejus opem optantibus.

Deus exaudit etiam antequam invocemus.

Regius propheta David in odis suis illam quoque inexplicabilem atque eximiam Numinis bonitatem hominibus subvenientem mire celebravit cum ait *Psalm.* IX, 17 : « Desiderium pauperum exaudivit Dominus, » additque ad rem illustrandam : « Præparationem cordis eorum audivit auris tua. » Pictura plane mirabilis, facit Deum cupidissime aures ad cor admoventem, ut intelligat, si vel tenuissimus sit animi motus et propensio in bonum : nam prius quam erumpat cor in votum atque preces amantissimus Deus advolat, tendit manum, opitulatur, ipsam præparationem cordis, sive, ut Symmachus vertit, πρόθεσιν, *inchoatum propositum* embryonemque voluntatis, vel, ut exponit Beda, bonam affectionem percipit auris divina. Denique *vocatus* et *non vocatus* adest Deus; quæ magnifica et divina pollicitatio non dæmoni illi veteri bonorum inimico, sed liberatori Deo et vindici mortalium propria est, in cujus beneficentiæ miraculo exclamat S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 4 : « O miram beneficentiæ celeritatem! appetitionem ipsam Deus ingentis pretii loco habet; sitit sitiri, bibere cupientibus potum præbet; cum ab eo beneficium petitur, beneficio id ducit, » etc. Similiter S. Bernardus serm. 9 *in Cant.* prævenientem hominum vota Deum et humanissime antevertentem miratur, et incredibili animi suavitudine prædicat : « Non vocatus, inquit, adfuit, et delectatus verbis prævenit preces : arbitror quod interdum nec verba exspectat, sed solis cogitationibus advocetur : » id diserte significant illa verba : « Decernes rem, et veniet tibi, » hoc est, omnia quæ efficere constitueris ad votum cedent. Quæ profecto ampla pollicitatio est.

Deus preces et vota prævenit.

Vers. 29. 29. QUI ENIM HUMILIATUS FUERIT ERIT IN GLORIA : ET QUI INCLINAVERIT OCULOS IPSE SALVABITUR. — Hoc Eliphazi pronuntiatum simile est isti evangelico *Matth.* XXIII, 12 : « Qui se humiliat exaltabitur : » humiliatus nimirum a seipso, vel si ab alio æquanimiter dejectionem sustinens, exaltationis fastigium ascendit, et si oculos præ humilitate demiserit, infimumque locum, ubi se constituat, aspexerit, in præmium non quemcumque honorem, sed illum magnum et nunquam desiturum æternæ salutis accipiet. Hanc enim oculorum demissionem pro signo humilitatis poni docet S. Gregorius lib. XVI *Moral.* cap. XI, uti vicissim oculorum elationem evidentissimum esse superbiæ argumentum, dicens : « Quia quantum per membrorum ministerium deprehendi potest, prima superbiæ ostensio esse in oculis solet : hinc enim scriptum est *Psalm.* XVII, 28 : *Et oculos superborum humiliabis.* Hinc de ipso superbientium capite dicitur *Job.* XLI, 25 : *Omne sublime videt,* » etc. Rem hanc esse odiosissimam vidit Sapiens, et magna sermonis auctoritate condemnat scelestam

Qui se humiliat exaltabitur.

Superbia maxime oculis declaratur.

istam nationem, quæ oculis sublimius elatis inflati animi pompam tumoremque demonstrat. Notanter vero in *Prov.* VI, 16 superbi oculi *sublimes* dicuntur ad hunc modum : « Sex sunt quæ odit Dominus, oculos sublimes, » etc., ubi Septuaginta legunt, ὀφθαλμοὺς ὑψηλοῦ, *oculos contumeliosi*, pulchre explicantes, quo potissimum hæc sublimium oculorum elatio eat, ut videlicet alios despiciant, contemnant, et contumeliis afficiant. Quod superborum ingenium est, sicut e contra humilium, ut loco citato S. Gregorius ait : « *Oculos inclinare* est nullum respiciendo despicere, sed se minorem atque imparem cunctis quos aspicit æstimare; salvabitur itaque qui oculos inclinat, quia qui falsum superbiæ verticem deserit, veritatis altitudinem ascendit : » sic ille. Hanc autem humiliationem veræ exaltationis fontem et causam esse fuse ac pulchre probat Pater Alvarez de Paz tom. II, lib. IV, part. I, cap. IX; et alii passim ascetici scriptores, ad quos, ne justo prolixior sim, remitto lectorem.

Vers. 30. 30. SALVABITUR INNOCENS : SALVABITUR AUTEM IN MUNDITIA MANUUM SUARUM; — Hebræa hoc loco habent, *salvabit innocens insulam* vel *provinciam*, q. d. Tanti meriti est apud Deum innocens vita justorum, ut non se solos, sed et totam regionem salvent ac liberent, sicut Joseph Ægyptum, Moyses, Josue, et tot pii Judices totum populum Israeliticum; Chaldæus tamen et R. Jona cum nostro vertunt, *salvabitur innocens vir*, quasi אי significet non *insulam*, sed *virum*, forte licentia poetica ablato שׁ et איש *isch*, sive ob rhythmum, sive ob compositionem et conjunctionem cum sequenti voce per *maccaph* : quid autem sit, et in quo sita sit vera innocentia, vide quæ dicta sunt cap. I, vers. 1.

Innocentia non solum sibi, sed et aliis utilis est et salutaris.

Mundities corporis non salvat hominem, sed animæ puritas.

SALVABITUR AUTEM IN MUNDITIA MANUUM SUARUM. — Utilis quidem putatur, et merito, mundities corporis, quæ et saluti naturali est necessaria, et sine ea in publicum prodire et cum hominibus conversari vix possumus; verum de illa hic non agitur, sed de animæ munditie, quæ eam a peccatorum fœcibus liberat, et a sordibus vitiorum expurgat : nam nemo est tam ignarus, qui putet hominem manuum corporis munditie salvari. Unde sensus est, innocentem propter operum suorum bonitatem esse salvandum : quia, ut S. Gregorius lib. XVI *Moral.* cap. XI, ait, « illum in extremo examine justitia æterni Judicis salvat, quem hic ejus pietas ab immundis operibus liberat. » Virtutis igitur actiones munditia sunt, quibus et salutem mentis adipiscimur, et sine rubore cum Deo et angelis conversamur : propterea scriptum est *Prov.* XXII, 11 : « Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem, » illum scilicet regem, qui per cuncta sæcula regnat in cœlis, et non nisi a mundis corde conspicitur. Fructus ergo illius munditiei præstabilissimus est, quem votis omnibus et contentione debemus appetere, quod viam pandat ad Deum et jucundam illius familiaritatem, quæ impuris sordidisque negatur. Divine Chromatius *in Matth.* cap. V : « Munditia cordis et conscientiæ puritas nullam nubem ad intuendum Deum patiuntur : » hæc Moysem in auream illam nubem induxit, in qua facie ad faciem cum ipso Numine collocatus est : in hac puritate sanctimoniæ flos et perfectio consistit, quam mirantur angeli, probi amant, Deus commendat.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Cum adhuc amici in eodem errore persisterent, et obstinati animum obfirmarent, iterat Job sermonem quem capite sexto protulerat, nimirum doloris sui tantam esse magnitudinem, ut quantumcumque acerbus esset ipsius gemitus, longe tamen dolore videretur inferior. Cæterum quoniam humano judicio impius censebatur, appellat divinum, quo se innocentem declaratum iri sperat; ut omnes cognoscant has, quas patitur, probationis, et non vindictæ plagas esse. Interim Deum rogat, ut de sua majestate quidpiam remittat, ne non solum loquendi facultate, sed etiam mente penitus destituatur. Ostendit autem se recte sentire de providentia Dei incomprehensibilis, omnia pro voluntate sua juste facientis; et simul docet, cur post tot plagas vehementer animo conturbetur et horreat.

1. Respondens autem Job, ait : 2. Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, et manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum. 3. Quis mihi tribuat ut cognoscam et inveniam illum, et veniam usque ad solium ejus? 4. Ponam coram eo judicium, et os meum replebo increpationibus. 5. Ut sciam verba quæ mihi respondeat, et intelligam quid loquatur mihi. 6. Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat. 7. Proponat æquitatem contra me, et perveniat ad victoriam judicium meum.

http://www.obrascatolicas.com

8. Si ad orientem iero, non apparet : si ad occidentem, non intelligam eum. 9. Si ad sinistram, quid agam? non apprehendam eum : si me vertam ad dexteram, non videbo illum. 10. Ipse vero scit viam meam, et probavit me quasi aurum, quod per ignem transit. 11. Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea. 12. A mandatis labiorum ejus non recessi, et in sinu meo abscondi verba oris ejus. 13. Ipse enim solus est, et nemo avertere potest cogitationem ejus : et anima ejus quodcumque voluit, hoc fecit. 14. Cum expleverit in me voluntatem suam, et alia multa similia præsto sunt ei. 15. Et idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor. 16. Deus mollivit cor meum, et Omnipotens conturbavit me. 17. Non enim perii propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.

Vers. 1. Quis sit status controversiæ inter Jobum et Eliphazum.

1. RESPONDENS AUTEM JOB AIT : — Ut melius Jobi responsum capiamus, in memoriam nobis revocandum est quod Eliphaz in fine capitis præcedentis asseruit, scilicet Deum semper justos cogniturum; nec solum erga illos misericordia sua usurum, sed etiam erga universam regionem in gratiam ipsorum, ut in Hebræo exprimitur. Ad hoc itaque Jobus respondet se, quamvis summa severitate manu Dei tractetur, id tamen non esse promeritum; idque ut verum esse probet, ait se, si sibi licitum sit causam suam agere, posse ostendere, se nequaquam ob peccata sic a Deo puniri, in quo tota illi cum amicis vel potius adversariis controversia est.

In quo Eliphaz verum dicat, et in quo aberret.

Quod ad Eliphazi sermonem attinet, verum quidem est Dominum nostrum pollicitum esse, fore ut se propitium erga eos qui se puro et sincero corde colant exhibeat, nec solum in ipsis consistat illud beneficium, sed ad familiam usque ipsorum, quin etiam universam regionem proferatur; Deus tamen propterea non adstringit se certæ cuidam et perpetuæ regulæ, videmus enim quomodo suos, et eos qui in omnibus morigeros se ipsi et obsequentes præbere conantur, in patientia exerceat. Non est igitur mensura quædam æqualis, ut jam sæpius a nobis declaratum est, nec omnes temporariæ promissiones, quæ continentur in Scriptura sancta, hoc est, illæ quæ ad hanc vitam spectant, ita generales sunt, ut in illis semper sit hærendum. Nam Dominus noster fidelibus suis in altera vita gratiæ suæ plenitudinem reservat, sufficitque adeo ipsi, si in ista vita illius gustum aliquem subinde habeant, quo cœlestium in illis bonorum desiderium magis excitetur, et non omnimoda terrenæ felicitatis saturitate exstinguatur : si enim ex voto hic nostram felicitatem plenius obtineremus, spes certe cœlestis vitæ quam habemus quasi sopita esset, quin penitus exstingueretur. Opus est igitur, ut nos subinde Deus afflictionibus excitet, ut de hæreditate illa immortali nobis promissa cogitemus, eoque animi nostri erigantur, ubi æternum cum Deo beati erimus. Unde si quando Deum videbimus eos qui cum Jobo in cordis integritate ambularunt affligere, non debemus propterea cum Eliphazo attoniti esse, animum despondere, aut concludere tales a Deo rejectos esse; sed potius cognoscere, eum velle illos ad se eo pacto trahere, velle eorum concupiscentias carnales subigere, inania et superflua humanarum rerum desideria, quibus laborant, resecare, ut eo melius parati sint ad ulterius pergendum, neve in rebus præsentibus immorentur. En quomodo tam in nostris quam amicorum afflictionibus philosophandum sit; unde videmus Jobum justam rationem Eliphazi sic reprehendendi habuisse, et tam graves adversus eum querelas deponendi, quas sic infit :

Vers. 2. 2. NUNC QUOQUE IN AMARITUDINE EST SERMO MEUS, ET MANUS PLAGÆ MEÆ AGGRAVATA EST SUPER GEMITUM MEUM. — Significat se querelis admodum rudibus uti; si tamen suum malum inspiciatur, et diligenter expendatur, gravius adhuc omnibus expostulationibus quas proferat repertum iri : vult itaque Jobus hic se excusare, quod tantopere conqueratur, nec possit dolorem et tristitiam suam satis mitigare, eo quod malum quod patitur superet omnes querimonias quas profert. In Hebræo est, *etiam hodie exasperatio est querelæ meæ*, post sermonem scilicet, quem tunc recenter Eliphaz habuerat, *q. d.* Nihil ex hoc sermone tuo mihi solatii accessit, sed querela mea multum inde exacerbata fuit. Septuaginta vertunt, καὶ δὴ εἶδα, ὅτι ἐκ χειρός μου ἡ ἔλεγξίς ἐστι, καὶ ἡ χεὶρ αὐτοῦ βαρεῖα γέγονεν ἐπ' ἐμῷ στεναγμῷ, *et quidem scio, quia de manu mea est increpatio, et manus ejus gravis facta est super gemitum meum* : hæc similia sunt illis quæ cap. VI dicta sunt. Quod autem Vulgatus hic transtulit, « *et manus plagæ meæ*, id est manus Dei, qua plagam hanc mihi inflixit, *aggravata est super gemitum meum*, id est gravior est quam gemitus meus præ se fert, aut prodit, *q. d.* Gravior est plaga, vel vehementia percussionis, quam ut illis valeam lamentis et gemitibus demonstrare. Gravitas autem manus vel aggravatio diuturnitatem simul et acerbitatem pœnæ significat, ut in illo Davidis *Psalm.* XXX, 14 : « Gravata est super me manus tua : » similis est phrasis alterius Psalmi : « Confirmasti super me manum tuam » *Psalm.* XXXVII, 3; isti autem cum verbo *aggravandi* affinis occurrit alibi sæpius, et *gravare* simpliciter positum eamdem vim habet etiam apud alios auctores : sic I *Reg.* V, 6 : « Aggravata est manus Domini super Azotios, et demolitus est eos : » dicitur eadem ratione *aggravari jugum* III *Reg.* XII, 10, 14, et *Isai.* XLVII, 6. Septuaginta pro verbis illis *manus plagæ meæ*, legunt, καὶ ἡ χεὶρ αὐτοῦ βαρεῖα γέγονεν ἐπ' ἐμῷ στεναγμῷ, *et manus ejus* (scilicet Dei) *gravis facta est super gemitum meum*. Sensus est idem, sed apertior.

Manus aggravatio pœnæ diuturnitatem et acerbitatem significat.

Vers. 3. Jobus cur suam causam cum Deo disceptare velit.

3. QUIS MIHI TRIBUAT UT COGNOSCAM ET INVENIAM ILLUM, ET VENIAM USQUE AD SOLIUM EJUS? — Provocat Jobus ad judicium Dei, quia hominum judiciis condemnatur; de Deo autem ἀνθρωποπαθῶς, id est *humano more*, toto hoc loco loquitur, quasi nimirum certo loco et in tribunali resideat ad jus reddendum. Non dubitabat quidem Jobus a Deo missam esse plagam, quam tunc in suo corpore patiebatur, et quam ante pertulerat, cum omnes sibi fortunæ perierunt, et ruente domo obtriti sunt filii, et exstincta familia : sic enim ipse aperte manifestavit cap. I, 21 cum dixit : « Dominus dedit, Dominus abstulit. » Neque ideo suam causam a Deo legitimo judicio disceptari cupit, ut cum illo expostulet, et suam apud Deum causam tueatur, et iniquum probet esse judicium, quasi majora quam pro meritis tormenta sustineat; sed ut ab illo discat, cur ipsum tam duris cruciatibus exerceat, et alii cognoscant, non solum in hoc sæculo peccatorem pœnas perpeti (quod ita socii censuere tenaciter, ut ab eo errore nullo modo abduci potuerint) sed etiam justos. Cum autem homines tam habeat suæ cogitationi et veritati contrarios, neque ipse tantum habeat eloquentiæ ac virium, ut illos ab eo liberet errore, quo tam stolide et perniciose suadente diabolo laborant, optat ut illas sibi partes assumat Deus, et quid in re usque adeo gravi existimandum sit manifeste declaret. Sed ait ignotum sibi esse locum, ubi suum Deus solium constituerit, ut judicium exerceret legitimum; quem tamen cognoscere et illi se sistere vehementer desiderat, optandi modo sensum animi sui significanter exprimens : « Quis mihi tribuat, ut cognoscam, et inveniam illum? » id est, utinam scirem ubi locorum sit, et ubi eum invenirem, vel ubinam inveniri possit, quo gentium aut locorum inveniendus sit : utique non cessarem quærere, dum invenirem eum, ut possim causam meam coram illo agere; quidam vertunt, *utinam nossem Deum, et invenirem eum*, scilicet, qui novit invenit : non invenit nisi qui novit : sic non colit nisi qui novit : nam cultus absque scientia non est verus cultus Dei. Porro tempus quo Deus inveniri potest vocatur in Scriptura *tempus opportunum* Psalm. XXXI, 6; *tempus inveniendi* Isai. LV, 6; *tempus beneplaciti* Psalm. LXVIII, 14; *tempus acceptum, dies salutis*, etc. II Corinth. V : de quibus vide plura in meis *Annot. ad Psalm.* XXXI, 6, etc.

Qui Deum cognoscit per speciem, aliud invenire per credulitatem, aliud per contemplationem. Ex qua re agitur, ut electi omnes eum quem fide cognoverunt videre quoque per speciem anhelent : cujus amore flagrantes æstuant, quia ejus dulcedinis suavitatem jam in ipsa suæ fidei certitudine degustant, etc. *Et veniam usque ad solium ejus.* Quid namque est solium Dei, nisi illi angelici spiritus, qui Scriptura teste *throni* vocati sunt? Qui ergo usque ad solium Dei venire vult, quid aliud quam interesse angelicis spiritibus concupiscit? ut nulla jam defectiva temporum momenta sustineat, sed ad permanentem gloriam in contemplatione æternitatis exsurgat, » etc. : sic ille. Cupit videlicet anima pia solium Dei fieri, et illum non solum propitium agnoscere, sed intra seipsam quoque manentem invenire; sed hoc quod anima vehementer cupit, desiderium puritatis et desiderium Dei non obscure demonstrat, neque enim cuperet, quem non agnosceret, neque illum desideraret cujus aliquando suavitatem non invenisset, neque illi subesse vellet, cujus præsentia illam non mirum in modum honestasset. Hoc ergo perfectionis desiderium, quod a Dei per gratiam præsentia dimanat, eamdem gratiam præsentem indicat, quæ animam jam justitiam prægustantem ad ampliorem amorem ejus alliciat : Deus enim intus habitans est, qui januas cordis nostri pulsat, qui faces hujus sanctæ concupiscentiæ admovet, qui hunc ignem desideriorum exsuscitat, qui animas charitatis igne ferventes postulationibus majoris gratiæ et amplioris puritatis accendit. Jam talis animæ venam purissimi auri, id est charitatis, invenit, quam tanta aviditate perfodit. Jam cibum virtutis suavissimum prægustavit, quem tam insuetis modis et tot sanctis adinventionibus ad comedendum inquirit; jam intus sponsum habet, a quo tam potenter trahitur, et post cujus odorem tam velociter currit. Vide hac de re pluribus P. Alvarem de Paz tom. I, lib. V *De Vit. spirit.* part. II, cap. IX.

Per fidem, desiderat eum videre per speciem.

Pia desideria sunt signum inhabitantis gratiæ Dei.

Vers. 4. Job ad Dei tribunal appellat.

4. PONAM CORAM EO JUDICIUM, ET OS MEUM REPLEBO INCREPATIONIBUS. — Causam, inquit, apud illum dicam, et jus atque innocentiam meam tuebor, et libere eloquar amaras querelas, quas mihi justus dolor et bona conscientia in os dabunt suggerentque; *replere* autem *os aliqua re* est animi conatu ei solummodo intendere, et abundantissime exsequi : itaque Job : « Os meum, inquit, replebo increpationibus, » id est, contra meipsum ore pleno, non contractis labiis, aperte, clare, abunde meipsum increpabo, condemnabo, sententiam contra meipsum proferam. In Hebræo pro verbo *ponam* habetur, ערך *gharach*; quod proprie significat *disponere* et præparare rem cujus dispositio necessaria sit, ne postea homo confusionem incurrat : hoc verbum communiter ponitur in Scriptura, cum de bello aut convivio agitur, ad bellum enim gerendum multa debent prius præparari, ne homo misere vincatur; et ad convi-

http://www.obrascatolicas.com

vium, ne confundatur, sicut in evangelio *Luc.* XIV, 12 is qui invitavit multos prius cœnam paravit ; et *Matth.* XXII, 2 rex qui fecit nuptias filio suo.

Ante extremum diem jam debemus judicium nostrum coram Deo disponere, ne tunc damnemur.

Tropologice S. Gregorius lib. XVI *Moral.* cap. XIII : « *Coram Deo judicium ponere* est intra secretum mentis per fidei contemplationem ad tremendum examen majestatis illius oculos nostræ considerationis aperire, quid peccator homo mereatur attendere, et occultus nunc et tacitus judex quam terribilis post appareat considerare, etc. Qui autem sibi in conspectu Dei judicium ponit, os suum increpationibus replet, quia dum subtile examen tremendi contra se judicis contemplatur, amaræ se pœnitentiæ invectione persequitur. » Hoc modo jam nos ad judicium coram Deo disponere ac præparare debemus, ut videlicet in judicii die jam tunc non inculpet, quem hic invenerit plene seipsum increpasse; nec damnet, aut puniat, quem invenerit seipsum damnasse et punivisse. Sic ergo præparandum est judicium, et ea ratione, quam D. Augustinus tradidit lib. *De Pœnit. medic.* cap. II, cujus verba descripsisse visus est D. Anselmus *in* I *Corinth.* cap. XI, aliqua eis addens digna quæ hic inserantur :

Tribunal et censura conscientiæ.

« Ascendat, inquit, homo adversum se tribunal mentis suæ, constituat se ante faciem suam; atque ita constituto in corde judicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor; inde quidam sanguis animi confitentis profluat per lacrymas, versetur ante oculos ejus imago futuri judicii, et quidquid in se viderit, quod a judice venturo reprehendi possit aut puniri, ipsemet in seipso reprehendat et puniat : peccata enim sive parva sive magna impunita esse non possunt, quia aut homine puniente aut Deo judicante plectuntur. Cessat autem vindicta divina, si conversio præcurrat humana ; quia I *Corinth.* XI, 31, *si nosmetipsos dijudicaremus, non utique a Domino judicaremur*, id est puniremur vel in futuro sæculo, vel in isto, » etc. Hisce similia S. Chrysostomus habet homil. 31 *in Epist. ad Hebr.* : « A nobismetipsis, inquit, percipiamus sententiam, nosmetipsos accusemus, judicemus, et condemnemus, tunc Deum propitiabimus verum judicem : » id etiam dici video ab aliis Patribus, cum de sui discussione agunt, ut non nobis ipsi blandiamur, sed investigemus sedulo, et quæ perperam acta fuerint non intueamur tantum, verum etiam puniamus. S. Leo serm. 3 *De Quadrag.* censorium judicium esse vult et severum, cum sic monet : « Scrutetur quisque conscientiam suam, seque ante se statuat proprii censura judicii. » Sed elegantissime D. Augustinus serm. 88 *De Temp.* : « Peccata nostra judices nos sentiant, non patronos; » et paulo post : « Tu agnosce, et Deus ignoscit ; » et alio quodam loco *in Psalm.* XLIV : « Puniendum est peccatum aut a te, aut a Deo : tu agnosce, ut ille ignoscat. » Plura de conscientiæ tribunali vide Drexelium in lib. cui titulus *Tribun. Christi*, et Cresollium lib. III *Mystag.* cap. VI, sect. 3.

Vers. 5. 5. UT SCIAM VERBA QUÆ MIHI RESPONDEAT, ET INTELLIGAM QUID LOQUATUR MIHI. — Quidquid Jobus verborum cum Deo miscere optat, non ad contentionem, sed ad veritatis indagationem pertinet, quemadmodum solet discipulus cum præceptore disceptans, ut ab eo verum ediscat; quod sane pium ac modestum est : hoc enim tantum optabat Jobus scire, quid a se divinum illud et durum examen exigeret; quod spectaret tam longa neque unquam intermissa severitas, ut divino ipse obsequeretur consilio, ne frustra videretur tanti artificis ac medici manus admota, et alios doceret, quid Deus, dum innocentes exercet, spectare soleat : ita Sanctius noster. Septuaginta legunt, γνώην δὲ ἰάματα ἃ μοι ἐρεῖ, αἰσθοίμην δὲ τίνα μοι ἀπαγγελεῖ, *ut cognoscam sanationes quas loquetur mihi, et sentiam quæ annuntiabit mihi;* Deum animæ suæ medicum agnoscit, qui illam sanat dum flagellat : certa enim a tribulatione salus, si æquo animo feras, hinc in sacris litteris salutis dies, *tribulationis tempus* dicitur, ut statim colligeremus tribulationem parere salutem, juxta illud *Isai.* XLIX, 8 : « Et in die salutis auxiliatus sum tui; » Chaldæus vertit, *et in die tribulationis ego suscito salutem.* Nempe ad nostram salutem Deus spectat, dum nos tribulationibus premit et angustiis : jure Procopius *salutis nostræ artificem* Deum vocat, dum plagas incutit : sic enim scribit *in Isai.* cap. IX : « Tam est nostræ salutis peritus artifex Deus, ut vel plagas incutiens medeatur, utrinque nos ad pietatem provocans. » Quid igitur tribulationem fugis, et adversitatis nomen exhorres? Cogita medicinam esse, et punientem Deum medici obire munus, et omnia adversa non solum forti, sed etiam æquo animo feres. Audi monentem S. Augustinum *in Psalm.* XXI : « Intellige homo medicum esse Deum, et tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem : » non adeo desipias, ut morbo correptus salubre medicamentum rejicias, quod ab illius medici manu est, qui in porrigendis morborum remediis falli non potest : vide hæc fusius *supr.* cap. V, 18, et cap. XIV, 17.

Deus sanat dum flagellat.

Deus salutis nostræ artifex per tribulationem operatur salutem.

Vers. 6. 6. NOLO MULTA FORTITUDINE CONTENDAT MECUM, NEC MAGNITUDINIS SUÆ MOLE ME PREMAT. — Quoniam Jobus optaverat cum Deo de sua innocentia disputare, potentiam ejus infinitam timens, eique reverentiam exhibens petit, ut aliquid de sua fortitudine ac majestate remittat; neque sic magnitudine sua pusillum opprimat, aut percellat, ut mentem adimat, reddatque elinguem : idem *supr.* cap. XIII, 21 dixit, et abunde expositum est a nobis, ut hic pluribus non sit opus. Sed tantum hic notandum est Jobum in Deo duas quodammodo justitiæ species agnoscere ac notare : unam scilicet, quam nobis lege sua declaravit, secundum quam ordinarie tractat et judicat homines, bona bonis, et mala malis retribuens; aliam vero, quæ nobis magis mira videtur, quando nimirum Deus nos vult tractare non juxta legem suam ordinariam, quæ plurimum clementiæ ac misericordiæ admixtum habet, sed prout juste potest agere, secundum rigorem quem hic rogat remitti. Significat ergo Jobus, si Deus velit ipsum usitata et ordinaria ratione tractare, hoc est, quomodo declaravit in lege sua, se benedicturum illis qui se coluerint, eosque ita benigne et clementer tractaturum, ut possint ipsum re ipsa bonum et benignum Patrem experiri; ea ratione et juxta normam illam se posse, et optare coram Deo respondere; haud obscure insinuans Deum erga ipsum uti justitia quadam arcana et abscondita hominibus, nec tractare jam ipsum juxta legis normam, sed ratione quadam duci, quam homines non possunt complecti, quæque eorum omnes cogitationes et sensus superat. Hanc igitur justitiæ fortitudinem sibi admodum molestam et gravem ac pene intolerabilem nonnihil mitigari, aut saltem amicis illam non intelligentibus revelari desiderat, quo de innocentia sua fiant certiores, et errore liberentur : quando enim Jobus vir simplex et rectus, qui affectu puro ac sincero Deum coluerat, extrema quæque patitur, videtur illum Deus tanquam in theatro collocasse, ut in ipsum horrendam vindictam exerceret, quia in speciem et secundum hominum opinionem quolibet malefico asperius illum tractat. Jobus igitur dicit Dominum uti secum justitia quadam arcana, quæ diversa sit a norma illa et regula ordinaria, quæ lege continetur; sed velle suam patientiam probare, et velut exemplum universo mundo imitandum proponere, et simul ostendere quam auctoritatem in suas creaturas obtineat. Cæterum si hac auctoritate ac potestate sua Deus erga se non uteretur, aut de illa saltem aliquantulum remitteret, optime se causæ suæ fidere ostendit, quandoquidem sibi victoriam polliceri videatur dicens :

Rogat Job Deum ut aliquid de potentia sua remittat.

Vers. 7. Optat Job ut Deus ostendat quam justas ob causas etiam justi hic affligantur.

7. PROPONAT ÆQUITATEM CONTRA ME, ET PERVENIAT AD VICTORIAM JUDICIUM MEUM. — Rogat Jobus in eo judicio proponi a Deo et palam fieri æquitatem causæ, cur scilicet ipsum afflixerit, ut videant omnes et agnoscant, a benevolentia potius quam ab offensione, et a parente potius quam ab hoste tantam inflictam esse plagam; ut sic Deo ipso judice vincat amicos supra modum infensos, efficiatque, ut mutata sententia discant in hoc sæculo honestis de causis justos etiam a Domino solitos esse vexari. Ita Sanctius noster, qui rem totam pulchra illustrat similitudine a medico petita dicens : Æquitatem proponit, qui ostendit aliquo facto, in quo accusari posset injustitiæ, se non fuisse injustum, quomodo medicus qui urit et secat, et amarum poculum propinat ægroto, censeri posset crudelis ab eo qui medicum esse ignoraret, et hominem videret esse dissectum, aut a candenti ferro notatum et combustum; ille tunc æquitatem proponeret, qui hominis ægritudinem ostenderet, cui aliter occurri non posset utiliter, et se esse medicum qui probe nosset morbi naturam, qui hominem exstingueret, nisi ipse se propugnatorem opponeret : qui tam abesset longe ut crudelis haberetur, quod secaret et ureret, etiamsi in ea vexatione doleret, et ingemisceret ægrotus, ut potius benevolus censeretur et clemens, quod ea curatione male affectum hominem vendicaret a morte. Sic igitur Jobus petit, ut Deus ostendat gravem illam plagam a benevola provenire, non ab hostili manu; a parente ut medico, qui sanare, non ab hoste, qui perdere et abolere nititur.

Utilitas vexationis multiplex.

ET PERVENIAT AD VICTORIAM JUDICIUM MEUM, — id est, ut judicante Domino, et vexationis causam afferente, vincat Jobus amicos, qui ex hoc judicio mutent animos, et discant etiam in hoc sæculo honestis de causis justos homines a Deo vexari. Etenim non uno modo electis utilis est vexatio sive corporis, sive spiritus, *primum* quidem, ut in cruce ipsa probentur, et fideles inveniantur sicut veri discipuli, quibus Christus dicit *Luc.* XXII, 28 : « Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, » etc. : nam « sicut igne probatur argentum, et aurum camino, ita corda probat Dominus, » ait Sapiens *Prov.* XVII, 3. *Secundo* virtus ipsa, et in primis patientia in bonis probatis cum affliguntur magis elucet, et in exemplum aliis proficit : qua de re ita scribit in *Canon.* sua Jacobus cap. V, 10 : « Exemplum accipite fratres laboris et patientiæ prophetas : qui locuti sunt in nomine Domini : ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, » etc. *Tertio*, vexationis argumento significat Deus quos habeat in hac vita charorum ac filiorum loco : « quem enim diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit, » *Hebr.* XII, 6 : qua in re nihil clarius eo adferri potest, quod Raphael angelus dixit Tobiæ seniori *Tob.* XII, 13 : « Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. » *Quarto*, eadem vexatio reddit hominem in dies sapientiorem ac magis circumspectum, juxta tritum illud *Isai.* XXVIII, 19 : « Vexatio dat intellectum. » *Quinto*, plurimum etiam justis confert, ut intra modestiæ limites se contineant, et digne magis ac provide in via Dei progrediantur, quod sui exemplo Paulus ostendit II *Corinth.* XII, 7 : « Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet, etc. : nam virtus in infirmitate perficitur. » *Sexto* denique, licet nihil aliud secum boni afferret tribulatio, satis certe commendanda foret, quod illa gloriam Dei magis illustret, et latius toto orbe patere faciat; hinc Christus de cæco nato ait *Joan.* IX, 3 : « Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo; » et *ibid.* XI, 4, de Lazaro ægrotante : « Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. »

Vers. 8 et 9. 8 et 9. SI AD ORIENTEM IERO, NON APPARET : SI AD OCCIDENTEM, NON INTELLIGAM EUM : SI AD SINISTRAM, QUID AGAM? NON APPREHENDAM EUM : SI ME VERTAM AD DEX-

http://www.obrascatolicas.com

Deus cum ubique præsens sit, videri tamen nequit.

TERAM, NON VIDEBO ILLUM. — Sed quid, inquit, frustra mecum illa meditor, quæ fieri nullo modo possunt? neque enim invisibilem Deum videre possum, et cum illo legitimo certare judicio : si ad orientem perrexero, et inde me ad occasum mutata velificatione convertero; si ad lævam, id est aquilonarem, si ad dexteram, id est australem plagam cursum mutavero, neque a mortali mea diligentia inveniri, neque ab humano oculo videri poterit. Sensus ergo Jobi est, Deum quidem immensum et omni loco præsentem ubique terrarum posse judicium exercere; sed hoc ipsi parum profuturum, si votis ejus non adsit, neque manifestam sententiam ferat, qua criminatores suos revincat, *q. d.* Frustra desidero Dei judicium, quia lucem habitat inaccessibilem, et excelsus atque invisibilis a me conveniri nequit, ut coram eo agam. Quo significat sibi esse incomprehensibilia Dei judicia, quemadmodum iisdem propemodum verbis Psalmista contestatur dicens *Psalm.* CXXXVIII, 6 : « Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam. Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum, ades : si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris : etenim illuc manus tua deducet me : et tenebit me dextera tua, » etc. : idem hoc loco dicitur, si ipsum intelligamus de Oriente et occidente, borea et meridie. Jobus igitur significat homines frustra longas ratiocinationes texere, cum enim universum orbem pervagati fuerint, nunquam tamen ad magna usque arcana Dei perventuros; siquidem omnem ipsorum captum et facultatem illa superant. Nota triplici modo a theologis Deum dici invisibilem, *primo*, quia nullis oculis corporeis videri potest, nimirum prout est in se, nam res omnino spiritalis, qualis est Deus, est extra objectum visus corporalis. *Secundo*, quia a nullo intellectu creato vi luminis naturalis clare ut est in seipso videri potest; neque ullus intellectus est possibilis qui id viribus naturæ possit : hoc modo invisibilis est omni creaturæ et soli sibi visibilis ac notus. *Tertio*, quia etsi a mente creata per lumen gloriæ aliquo modo clare videri possit, non tamen visione comprehensiva, qua nihil lateat videntem : omnis enim visio beatorum infinite abest ab ipsius visione comprehensiva, et ipse infinite omnem illorum visionem superat; hoc modo quidam Patres dicunt Deum omni creaturæ invisibilem et ignotum, et sibi soli notum ac visibilem. Vide Lessium lib. I *De Perfec. divin.* cap. II.

Deum omnino captum nostrum superare.

Deus triplici modo invisibilis.

Vers. 10. 10. IPSE VERO SCIT VIAM MEAM, ET PROBAVIT ME QUASI AURUM, QUOD PER IGNEM TRANSIT, — *q. d.* Videre quidem non valeo videntem me, et eum qui me subtiliter intuetur intueri non possum; sed propterea ipsum appello judicem incorruptissimum, quod jam illi bene probatus exploratusque existam; de cujus judicio atque sententia, quamvis non omnibus manifesta, valde confido, quod quamvis illum non possit homo perspicere, at ille perspectas habeat omnium mortalium actiones; et quod non nisi ob præclarum suæ gloriæ ac mei quoque commodi bonique finem me ille tot ærumnis exerceat : ita Pineda noster. « Ipse vero scit viam meam, » id est, novit me inculpate vixisse : tunc enim Deus *scire* dicitur cum approbat, juxta illud *Joan.* XIII, 18 : « Ego scio quos elegerim; » et in *Psalm.* I, 6 : « Quoniam novit Dominus viam justorum; » contra vero nescit quos reprobat, ait enim reprobis *Matth.* XXV, 12 : « Amen dico vobis : Nescio vos. » Quod autem subdit,

Deus scit, id est probat viam justorum.

ET PROBAVIT ME QUASI AURUM, QUOD PER IGNEM TRANSIT, — in Hebræo ad verbum omisso *ignis* vocabulo habetur hoc modo, *probavit me, quasi aurum exibo;* sed nec Septuaginta faciunt *ignis* mentionem, unde aliqui censent nostrum interpretem paraphrastis officio functum ex aliis sacræ Scripturæ locis addidisse illud de igne ex Proverbiis cap. XVII, 3 : « Sicut igne probatur argentum et aurum camino, ita corda probat Dominus; » et ex Sapientia cap. III, 6 : « Tanquam aurum in fornace probavit illos; » et ex Zacharia cap. XIII, 9 : « Uram eos sicut uritur argentum : et probabo eos sicut probatur aurum, » ubi Tertullianus lib. *De Fug. in persec.* cap. III, ait : « Cum exurimur persecutionis ardore, tunc probamur de fidei tenore : hæc erunt ignea jacula diaboli, per quæ fidei ustio et conflatio administratur, » etc.; quo etiam sensu S. Petrus ait I *Epist.* I, 7 : « Ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur; » Syriacus legit, *ut examinatio fidei vestræ appareat excellentior quam aurum purgatum, quod per ignem purgatum est.* Et Isaias ait cap. LIV, 16 : « Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, et proferentem vas in opus suum, » ubi S. Hieronymus putat *fabrum* esse diabolum, qui halitu suo prunas ardere facit, et vasa fingit, id est homines scelestos inflammat, quibus tanquam suæ invidiæ et improbitatis instrumentis utitur ad bonorum exitium, sed exercitium simul et probationem : S. Hieronymo suffragatur Haymo, Dionysius et Adamus. Impii igitur dum in justos insurgunt urendo, inflammando et persequendo, eosdem purificant, perficiunt et perpoliunt, quo clarior et illustrior eorum virtus eniteat; unde D. Gregorius lib. XVI *Moral.* cap. XV ait : « Aurum in fornace ad naturæ suæ claritatem proficit dum sordes amittit; quasi aurum ergo, quod per ignem transit, probantur animæ justorum, quibus exustione tribulationis et subtrahuntur vitia, et merita augentur, » etc. Hinc est quod David dixit *Psalm.* X, 2 : « Dum superbit impius incenditur pauper, » quæ verba intelligit Haymo et S. Bruno de purgatione, quam tribulatio circa justos operatur : examinatur enim aurum dum incenditur, simul et purgatur ac in melius reducitur, sicut enim dixit S. Augustinus lib. IV *De Civit.* cap. III, « justis quidquid malorum ab iniquis dominis irrogatur non est pœna criminis, sed virtutis examen. »

Justi ut aurum probantur igne tribulationis.

Iniquitas subservit probationi electorum.

Ratio persecutionis et probationis.

In hanc sententiam pulcher occurrit locus Tertulliani lib. *De Fug. in persec.* cap. II, ubi ponderat iniquitatem et injustitiam deservire ad eliciendum testimonium pro commendatione virtutis et justitiæ iis quibus iniquitas maxime adversatur : cum enim impius virtutum persecutor justitiam insectetur, virtuteque pollentem hominem in odium virtutis aggrediatur persequendo, eadem utique persecutione clarum elicit testimonium in commendationem virtutis, qui enim pro illa acerba patitur, evidenter testatur tantum esse illius valorem et meritum, quod pro illa tot adversa æquo imo læto animo sustineantur. Inservit insuper iniquus persequendo justum, quatenus eum illato examine probat, probatumque constituit; sic ergo habet Tertullianus : « Scire debemus præcedere Dei voluntatem circa fidei probationem, quæ est ratio persecutionis; sequi autem diaboli iniquitatem ad instrumentum persecutionis, quæ est ratio probationis : nam et alias in quantum justitiæ iniquitas æmula est, in tantum materia est ad testimonium ejus, cujus æmula est; et sic justitia in infirmitate perficitur, » etc. Pulchre autem S. Gregorius loco *supra.* citato Jobum in hac auri comparatione a præsumptionis suspicione defendit dicens : « Nec elationis fuit, quod sanctus vir in tribulatione se positum auro comparavit : quia qui Dei voce *justus* ante flagella dictus est, non idcirco tentari permissus est, ut in eo vitia purgarentur, sed ut merita crescerent : aurum vero igne purgatur; minus ergo de se æstimavit ipse quam erat, dum tribulationi traditus purgari se credidit, qui purgandum in se aliquid non habebat. Sciendum vero est, quia quamvis de se humilia sentiat animus justorum, ea tamen quæ agunt quam sint recta conspiciunt; sed de eorum rectitudine non præsumunt. Unde adhuc subditur : »

Vers. 11. Job Dei vestigia secutus fuit.

11. VESTIGIA EJUS SECUTUS EST PES MEUS : VIAM EJUS CUSTODIVI, ET NON DECLINAVI EX EA, — quasi nimirum a vestigio præeuntis et jubentis Dei ne latum quidem, ut dicitur, unguem discesserit, ubi illustris metaphora est ducta ab illis, qui se duces aliis præbent, et viam ostendunt, qui cum sint periti viarum, ad designatum locum optatumque secure deducunt. hos qui sequuntur, et in iisdem vestigiis pedem ponunt, non aberrant, quod fecisse Abrahamum singulari obedientia et religione sacræ litteræ testantur, cujus pedes sic divino pedi adhærebant, ut divelli ab eo non posset. Magnanimus Job illud idem hic de se prædicat : « Vestigia ejus secutus est pes meus, » in quo singularem Dei bonitatem et humanitatem licet animadvertere, qui obedientiam sic repetit a nobis, ut comitem et viæ ducem præbeat se, et divino pede curriculum omne dimetiatur, facem attollat, et in vario itinerum flexu anfractuque dirigat. In Hebræo proprie est, *apprehendit pes meus illius gressum*, magnamque emphasim habet : quamvis enim verbum originale dicatur de manibus quæ aliquid apprehendunt, et tenent firmiter et tenaciter; transfertur tamen ad pedes, qui firmiter inhærent, nec a via deflectunt, etiamsi impellantur a turbine aliove vim inferente. Ubi etiam notanda venit versio illa, quam adfert Cajetanus, quæ ab alio quidem explosa ut parum litteralis, mystico tamen sensui valde accommodata est, et a metaphorico loquendi modo, quo Job utitur, minime abhorret. Existimat ergo legi posse, *in beare tuo vidit pes meus :* nam licet videre pertineat ad oculos, non ad pedes; tamen metaphorici pedes, id est animi affectus, dicuntur *videre*, quia non moventur nisi videndo et intuendo præcepta, juxta illud Salomonis *Prov.* IV, 25 : « Oculi tui recta videant, et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. » Ita autem *inspicere mandata*, ut pes moveatur ad exequendum illa, vere beat nos, quia, ut dixit Ecclesiasticus cap. XXIII, 37 : « Nihil dulcius quam respicere in mandatis Domini; » unde non sine mysterio vocem hebræam, cui respondet nomen *vestigia*, interpretatur Cajetanus *beare*, seu *beatitudinem*, ut sensus sit : *Beare tuum secutus est pes meus*, quo denotatur beatitudinem nostram in eo sitam esse, ut Dei vestigia sequamur, et vias ac semitas ejus custodiamus. Unde David Psalmos ab hac beatitudine inchoavit dicens *Psalm.* I, 1 : « Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, etc., sed in lege Domini voluntas ejus; » et Psalmum CXVIII, 1, qui totus est de divina lege, sic exorditur *Psalm.* CXVIII, 1 : « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini; » et Christus Dominus etiam insignem sermonem in monte habitum ita exorsus est, ut nomen *beatitudinis* adjungeret octibus virtutum, quibus præcepta et consilia evangelica implentur, ut cum dixit *Matth.* V, 33 : « Beati pauperes, beati mites, » etc. Hæc enim si recte meditemur et observemus nos facient beatos plene quidem in futuro sæculo, ex parte etiam in præsenti : nam qui post Agnum currit in hac vita ejus cuncta sequens vestigia *Apoc.* XIV, 4, sequetur etiam in altera quocumque ierit omnimoda ejus fruens gloria.

Vestigii Dei firmiter inhærendum.

Viag est Dei nos beabunt si sequamur ea.

Istius ergo lectionis sensus ad nostrum institutum erit, *q. d.* Nequaquam pes meus aberravit, lassatus aut dimotus fuit a sequendis vestigiis Dei, iisdemque perpetuo premendis : imo si alati aliquando visi sunt pedes, nunc mei oculati profecto erunt, neque dormitabunt, aut dormient, cum videant beatitudinem, quam promisit Deus sequentibus se, et palmam ac bravium quod proposuit gradientibus, imo currentibus et decerta tibus in stadio hujus viæ et vitæ. Minime itaque pedes mei a Deo deflectent, cum attentos habeant oculos, sed insistent vestigiis ejus; neque tanto proposito exemplo et oblato præmio consistent immobiles. Hinc etiam David precatur *Psalm.* XVI, 5 : « Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea, » quod eleganter S. Hieronymus interpretatur, *sustenta gressus meos in callibus tuis, et non labentur vestigia mea*, ubi hebræum תמך *thamod* significat *sustentare* (quod idem verbum po-

Pedes in sequendo Deo alati et oculati esse debent.

Gressus proborum a Deo perficiuntur et sustentantur.

http://www.obrascatolicas.com

situm est in *Exod.* XVII, 12, cum sermo est de sustentatione manuum Moysis): quia maxima perfectio est firmos habere pedes, et sustentatos in via Dei; proinde Vulgatus noster, ut puto, dixit, *perfice gressus meos in semitis tuis.* Quod symbolum placuit Cœlestino II, item Honorio III, et Gregorio X, teste Alphonso Ciacconio in *Vitis Pont.* ubi observanda est expositio D. Thomæ, qui existimat habitus ab actibus generatos remanere in nobis veluti vestigia; quæ proinde debent confirmari et exerceri actibus ipsis repetitis veluti gressibus impressis, ne aboleantur et penitus exstinguantur; proindeque sensus est: Perfice et sustenta gressus seu actus meos secundum præcepta tua, ne moveantur, labantur, et deleantur vestigia et habitus, quorum conservatio et perseverantia pendet maxime ab exercitio : nam otio et desidia facile pereunt. « Custodit igitur vias Dei, qui non sic exorbitat, ut eas relinquat, sed in eis currendo proficit; et si aliquando ut infirmus offendit aut titubat, proficit autem minuendo peccata, donec perveniat ubi sine peccato sit : » ita S. Augustinus lib. *De Perfect. just.* contra Cœlestium.

Habitus sunt vestigia actuum præcedentium

Sed quid est quod Job non dixit, vestigia ejus secuti sunt *pedes mei*, sed *pes meus?* numquid unico tantum pede sequebatur Dei vestigia? Absit: sic enim difficillime ambularet, vel claudicaret in duas partes, sicut quondam Israelitæ III *Reg.* XVIII, 11. Sed cum pedes animæ, ut jam diximus, sint ejus affectus, animæ autem duplex sit pars affectiva; altera inferior, quæ carnem, altera superior, quæ mentem vel spiritum attingit: ita duplex est pes vel affectus, alter partis sentientis, alter vero partis rationalis, in qua liberum est arbitrium: et hic pes sufficiens est ad sequenda Dei vestigia, etsi alter repugnet, vel contradicat: ita enim testatur D. Paulus dicens *Rom.* VII, 22 : « Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati; » et paulo post *ibid.* vers. 25 : « Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. » Sed ut ostendat hæc sine culpa posse contingere subjicit *ibid.* cap. VIII, 1 : « Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. » Ideo ergo S. Jobus unius duntaxat pedis mentionem fecit, quia iste, qui ad mentem spectat, necessarius est et sufficiens ad Christi vestigia sequenda, quamvis vigente hac carnis repugnantia sequela non erit tam jucunda, nec tam velox, sicut quando ex Dei gratia caro subjicitur spiritui, et homo interior et exterior illa gaudent concordia, de qua Psaltes ait *Psalm.* LIV, 14 : « Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu. » Forte hanc concordiam obtinuerat Job, et ideo solum dixit : « Vestigia ejus secutus est pes meus, » ut indicaret omnes ejus affectus carnis et spiritus in unionem redactos, ac si essent unus pes, summo consensu Dei legem esse secutos. Nec inusitatum est in Scriptura singulari uti pro plurali ad denotandam plurium unionem et concordiam, juxta illud I *Esdr.* II, 64 : « Omnis multitudo quasi unus. » Cœterum constantiam suam in lege Dei magis inculcans subdit :

Pedes animi sunt affectus, quorum unus, scilicet superior, sufficit ad sequendum Deum.

Ad Christi vestigia facile sequenda debet inferior pars superiori esse subdita.

Vers. 12. 12. A MANDATIS LABIORUM EJUS NON RECESSI, ET IN SINU MEO ABSCONDI VERBA ORIS EJUS.—Quæ præcedenti versu vocaverat *vestigia* et *viam ejus*, hic vocat *mandata atque verba oris illius*, quæ se custodisse profitetur, et in sinu suo tanquam rem pretiosam et summe dilectam abscondisse; et quintuplici phrasi eamdem sententiam exprimit, replicat et inculcat, ut ostendat se observasse non unum vel alterum Dei mandatum, sed omnia; non remisse, sed plene et perfecte; non solum exterius, sed interius et ex toto corde. Porro illud, *a mandatis labiorum ejus non recessi*, S. Gregorius lib. XVI *Moral.* cap. XXVII, sumptam dicit similitudinem a servis, qui multo studio intendunt prælatis obtemperare, qui non solum obaudiunt dominis, dum aliquid clara voce et expressis verbis præcipiunt, imo vero infixis oculis et patulis auribus intendunt, si quid forte mussitet aut obmurmuret dominus, ut illud statim opere expleant. Audi Gregorium : « Sicut bene obsequentes famuli dominorum suorum vultibus semper intenti sunt, ut ea quæ præceperint festine audiant, et implere contendant: sic justorum mentes per intentionem suam omnipotenti Domino assistunt. » Mandata autem intelligit non scripta (legem enim scriptam Job præcessit) sed insita menti, sicut S. Jacobus *Epist.* I, 21, appellat *insitum verbum* : vult nimirum dicere, ut Nicetas in *Caten.* explicat, in mentis recessibus cum leges dictas Dei haberet inclusas quasi cum iis satus, factus ac conglutinatus esset, sic ipsas illas sese incredibili animi voluptate servasse, divinæque voluntati mente sedata, certo proposito atque consilio, nulla necessitate coactum esse obsecutum. Talis utique fuit David cum dixit *Psalm.* XXXIX, 9 : « Deus meus volui et legem tuam in medio cordis mei ; » et rursus *Psalm.* CXVIII, 11 : « In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. » Declarat vehemens desiderium erga mandata seu eloquia Dei Deumque ipsum, quem habet, qui habet illa et custodit, aitque, cum exquirat ipsum in toto corde, nec ullo modo repelli velit ab eo, sive a mandatis et eloquiis illius, et hæc et ipsum consequenter se collocasse intra cordis arcana penetralia, ibique abscondisse, ne cui latroni ullus pateret aditus hæc suffurandi, ac Deum ipsum illi auferendi, persuadendo scilicet peccatum, per quod solum Deus amittitur, et a mandatis ejus repellimur. Itaque ne peccet unquam, ait se mandata et eloquia divina nunquam velle tradere oblivioni, sive de memoria cordeve deponere. Præterea indicat, sicut ex corde vita exterior procedit, ita vitam animæ esse verbum Dei, quod S. Petrus *Joan.* VI, 69, asseruit esse *verbum vitæ*, et S. Jacobus, uti paulo ante dicebamus, cognominavit ἔμφυτον, *insitum*, quod potest salvare animas. Salomon quoque *Prov.* IV, 21 jubet sub persona Sapientiæ, qui est Deus ipse, ut sermones et eloquia ipsius custodiamus « in medio cordis » nostri, quia vita sunt invenientibus ea; suscipi quoque vult et abscondi penes nos, et quasi pecuniam quæri, et sicut thesauros effodi. Faciebat hoc S. Jobus cum dicebat : « In sinu meo abscondi verba oris tui : » sic etiam *Luc.* II, 19, Deipara Virgo Maria « conservabat omnia verba Dei conferens in corde suo. » Absconsio autem ista innuit cor esse veluti armarium, unde promantur arma contra tentationes; penu, ex quo petantur alimenta fovendæ ac fulciendæ imbecillitati nostræ; thesaurum, qui suppeditet opes ad virtutes comparandas; sedem ac domicilium jam occupatum et plenum eloquiis Dei, Deoque ipso, ita ut nihil admittat alienum a Deo, vel repugnans illius voluntati. Postremo *abscondere in sinu* cordeve *eloquia Dei* est ea velle serio implere, non simulate, ficte aut exterius tantum, ne Deus labiis honoretur, cor vero longe sit ab ipso : ita Lorinus noster *in Psalm.* CXVIII, vers. 11.

Mandata Dei in sinu et corde abscondenda.

David ne peccaret eloquia Dei in corde abscondebat.

Vers. 13. 13. IPSE ENIM SOLUS EST, ET NEMO AVERTERE POTEST COGITATIONEM EJUS : ET ANIMA EJUS QUODCUMQUE VOLUIT, HOC FECIT.—Gravem et prægnantem causam reddit, cur sibi Deus non sit deserendus, licet quibuscumque ab eo afficiatur incommodis, quod recte Stunica monet maxime notandum ad vitam nostram instituendam : nam si, inquit, alius esset deus, ad quem a Deo deficientes possemus perfugere, esset aliqua tantæ temeritatis excusatio; sed cum ipse solus sit, et nemo possit impedire quo minus fiant quæ facere cogitaverat, quamnam quis medicinam incommodis suis adferat, si Deum fugiat, si viam, vestigia et mandata ejus relinquat, aut ejus gratiam ullo modo exulceret? Duas profert Jobus rationes, ob quas legem Dei observaverit, nec a Deo etiam flagellatus recesserit, *primam*, quia ipse solus est Deus, bonorum omnium largitor et auctor, cui omnes eo nomine amorem debent et observantiam; *alteram*, quia repugnare illi nemo potest, aut a suscepto consilio voluntatem ejus avertere : faciet enim quod ipsi collibuerit, etiamsi contra steterit rerum universitas. Qua ratione cap. IX, 12 etiam usus est dicens : « Si repente interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest : Cur ita facis? Deus, cujus iræ nemo resistere potest, et sub quo curvantur qui portant orbem. Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei? » Et *infr.* vers. 33 : « Non est qui utrumque valeat arguere, et ponere manum in ambobus. » Ad quæ loca vide quæ diximus. David etiam de probatione sua verba faciens, hujus causæ mentionem fecisse videtur dicens *Psalm.* CXXXVIII, 7 : « Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es, » etc. : ita Christus a multis discipulis desertus, cum duodecim apostolos rogaret *Joan.* VI, 68 : « Numquid et vos vultis abire? » recte nomine omnium

Cur Deus non sit in adversis deserendus.

« respondit Petrus : Domine ad quem ibimus? » nullum enim tutum reliquum est refugium Deo deserto, quare ut fugiamus iratum, ad eumdem ipsum misericordem nos oportet confugere, dicentes id quod est in Osea cap. VI, 2 : « Venite, et revertamur ad Dominum, quia ipse cepit, et sanabit nos : percutiet et curabit nos. » Quam rationem si leves et temerarii homines bene considerarent, forte desinerent, quando cum malis conflictantur, et Deo contumeliose maledicere, et sceleratissimos moliri modos, quibus miserias suas sublevarent, in quos certe quadrat quod Christus Saulo dixit *Actor.* IX, 5 : « Durum est tibi contra stimulum calcitrare. »

Deum deserenti nullum refugium.

Quod autem ait : « Ipse enim solus est, et nemo avertere potest cogitationem ejus, » ad verbum est in Hebræo, *et ipse in uno, et quis revocabit eum?* et potest sic explicari, *q. d.* Si aliquod ipse decretum fecerit de aliquo vel honestando, vel affligendo, quis illud movebit? quam sententiam Septuaginta sic reddiderunt, αὐτὸς δὲ καὶ αὐτὸς ἔκρινεν οὕτως, τίς ἐστιν ὁ ἀντιπῶν αὐτῷ ; ὁ γὰρ αὐτὸς ἐβούλησε καὶ ἐποίησεν, *si autem et ipse sic decrevit, quis est qui contradicat ei? ipse enim voluit, et fecit.* Hanc etiam sententiam posuit Isaias cap. XIV, 27 : « Dominus exercituum decrevit, et quis poterit infirmare? Et manus ejus extenta, et quis avertet eam? » Hinc etiam *Gen.* X, 19, cum Joseph de cursu rerum suarum loquitur, sic agit cum fratribus : « Nolite timere : num Dei possumus resistere voluntati? » in Hebræo est, *num Dei loco ego sum?* Aquila et Symmachus vertunt, μὴ γὰρ ἀντὶ Θεοῦ ἐγώ, *numquid enim pro Deo ego?* hoc est, non sunt res mihi meæ mea voluntate agendæ, non sum norma et amussis mihi; subsum alterius voluntati. Deus solus est, qui se omniaque regit suo arbitrio; unde Clemens Alexandrinus in *Protrept.* de divina potentia disserens : « Ipsius, inquit, Dei sola voluntas est mundi productio : solus enim Deus fecit, quoniam ipse quoque solus est revera Deus : sola voluntas operatur, et ejus solum velle factum esse consequitur. » Eodem modo S. Chrysostomus *Orat.* 2, de incomprehensibili adversus anomœos de eodem mundi opificio et angelorum procreatione agens : « Satis, inquit, illi fuit ad omnia velle; atque uti nobis voluntas nullum affert laborem, ita nec illi tot tantasque procreasse virtutes. Hoc Propheta declarans aiebat *Psalm.* CXXXIII, 6 : *Omnia quæcumque voluit fecit in cœlo et in terra.* Vides ut non ad ea solum quæ in terra sunt, sed eas quoque quæ sunt in cœlo virtutes condendas illius voluntas sola suffecit? » etenim ut ait Theodoretus, serm. 4 *Contra Græc.*, « quod cæteris artificibus est materia et instrumenta, nec non tempus, et labor, et scientia, et diligentia; hoc universorum Deo voluntas est. »

Deus solius est suo regi arbitrio.

Velle Deo idem quod facere est.

Porro pulchre ad hunc locum S. Gregorius lib. XVI *Moral.* cap. XVI, expendit, quomodo hic soli Deo tribuatur esse dicens : « Numquid namque non sunt angeli et homines, cœlum et terra, aer et maria, cuncta volatilia, quadrupedia, atque

Quomodo Deo soli tribuatur esse.

http://www.obrascatolicas.com

repentia? Et certe scriptum est *Gen.* II: *Creavit, ut essent omnia.* Cum ergo in rerum natura tam multa sint, cur beati viri voce nunc dicitur, *ipse enim solus est?* Sed aliud est esse, aliud mutabiliter, atque aliud immutabiliter esse: sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt; quia in semetipsis minime subsistunt, et nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt, » etc. Cæterum hic nota, solum Deum *Exod.* III, 14 absolute dici *Esse*, et *Qui est*, græce ὁ ὤν, ut Septuaginta vertunt, *primo*, quatenus est fons et causa totius esse, cum omne esse et omne ens ab ipso sit, et assidue ab ipso sicut lumen a sole dependeat. *Secundo*, quia non habet aliquod esse limitatum, neque est hoc vel illud sicut angelus vel homo, sed universe est, totum esse in se complectens, et ab æterno anticipans, cum tota essendi plenitudo, totaque entis latitudo et amplitudo in ipso plenissime et eminentissime contineatur. *Tertio*, quia sempiterne est, suo esse suaque vita totam implens, adæquans, in se complectens et ambiens æternitatem. *Quarto*, quia immense est, totam implens spatiorum imaginabilium immensitatem. *Quinto*, quia immutabiliter est, omnia sua ita simul habens et firmiter possidens, ut nihil unquam possit amittere; cum omnia habeat per suam immutabilem essentiam, cui nulla potest fieri accessio, nulla decessio. Plura de his vide apud S. Dionysium lib. *De Divin. nomin.* cap. V, et ibid. nostras *Annot.*, D. Thomam in I *Quæst.* XIII, art. 11, et Lessium lib. I *De Perfect. divin.* cap. I, et fusissime Pererium nostrum *in Exod.* cap. III, disputat. 12 et 13.

Quinque modis soli Deo competit esse.

14. Cum expleverit in me voluntatem suam, et alia multa similia præsto sunt ei, — id est, postquam Deus in calamitate mea quidquid statuit egerit, iterum absque culpa multas clades persimiles, quas in promptu habet, mihi potest inferre; hinc si ex illius manu, quod fieri non potest, aliquod telum extorqueri contingeret, quid homuncio inde commoditatis haberet, cum Deo, postquam in puniendo aut exercendo suam exhausisse pharetram videatur, præsto sint alia tela quam plurima, quæ pro sua voluntate ad hominum sive punitionem sive probationem intorqueat? Constat enim Deum pro sua omnipotentia universalique rerum dominio talem esse, qui possit rebus creatis uti pro libitu, ac proinde sine ulla injustitia valere quemlibet hominem affligere quantumvis innocentem; ex quo efficitur ipsum summopere timendum colendumque esse, ejusdemque legem non sine insigni audaciæ vecordiæque nota violari: si enim innocentem sic plectit, quid pœnæ impius non feret, juxta illud Christi dum ad crucifigendum duceretur dicentis *Luc.* XXIII, 31: « Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos... Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? » causas autem, cur etiam innocens a Deo affligatur, paulo ante ad vers. 7 attulimus, quas *ibid.* vide.

Vers. 14. Deo non desunt modi ac rationes quibus etiam innocentes juste affligat.

Cæterum versus hic in Græco et Hebræo nonnihil aliter effertur; in Græco quidem Septuaginta sic transferunt, διὰ τοῦτο ἐπ' αὐτῷ ἐσπούδακα, νουθετούμενος δὲ ἐφρόντισα αὐτοῦ, *propterea super ipsum trepidavi, et commonitus sollicitus fui de eo*; alias, *super illo sollicitus fui*, quod græcus Scholiastes in Sixtina editione citatus sic exponit, *q. d.* « Considerans quomodo se habeant res meæ, ἐσπούδακα, id est, ἐθορύβην καὶ ἐταράχθην, *exterritus et conturbatus sum* nesciens causam plagæ, » S. Augustinus vertit, *apud eum festinavi*; Hebræus vero textus habet, *nam perficiet statutum meum; et talia multa sunt cum eo*, hoc est, quidquid statuerit de me id perficiet et complebit nemine impediente; et talia multa sunt penes eum, quæ facere solet absoluta sua potentia et auctoritate. Quamvis autem duplex et ambigua sit sententia, loci tamen circumstantia ostendit nobis quis sit sensus: Jobum nimirum intellexisse, fore ut Deus quæ de ipso constituerit perficiat. Quo quidem significat nos in terris minime regi fortuna aut casu, cum Deus quid nobis futurum sit constituat: quando enim nos in mundo collocavit, nequaquam nos temere exposuit, aut cuipiam fortunæ commisit, ut fortuito ambularemus; sed de vita et morte nostra id quod futurum est constituit. Cognoscamus igitur nos ita esse sub ductu Dei nostri, ut Christo teste *Matth.* X, 30, non possit pilus capitis nostri cadere in terram nisi eo ita volente ac permittente: si enim *Luc.* XII, 7 ejus providentia se usque ad passeres et vermiculos terræ protendit, quanto plus erga nos, quos longe pluris facit, utpote quos ad suam imaginem et similitudinem creavit ac formavit? En quod nobis hic notandum est diligenter, scilicet unumquemque nostrum habere statutum seu decretum, hoc est Deum, cum nos in hoc mundo collocavit, ab initio constituisse quid velit nobis fieri; eumque gressus nostros ita regere, ut tam vita quam mors nostra sit in manibus ejus posita, nosque frustra sine ipso hoc vel illud aggressuros esse ex nobis: nam cum debeamus progredi retrogrediemur, nisi Deus nos ducat.

Decretum Dei nemo potest impedire ut non fiat.

Discamus igitur non ita obstupescere, et attoniti esse, cum res in mundo turbatas videbimus, quasi Deus abesset, aut de nobis non cogitaret: prospexit enim et prospiciet omnibus, quia nihil in tota rerum natura totoque universo fieri potest, quod ipse antea in luce infinita sapientiæ suæ exactissime non consideraverit, et quasi deliberarit, an conveniat illud velle ut fiat, aut saltem velle permittere, seu non impedire. Quæ consideratio, et, ut sic dicam, deliberatio antecedit omne decretum tam permissivum quam effectivum circa singula: omnium enim eventuum causæ e manu ipsius ita religatæ tenentur, ut sine illius nutu nulla possit in ullum actum emicare. Unde nihil sine illius providentia fieri potest; licet autem propter peccatum et arbitrii libertatem multam in rebus præsertim humanis videatur permittere ἀταξίαν, nihil tamen permittit nisi summa ratione et

Rerum perturbationes non debent nos percellere, cum Deus omnia dirigat.

quasi prævia deliberatione; deinde quidquid modo inordinatum videtur, ipse postea ad exactissimam justitiæ æqualitatem et pulcherrimum ordinem revocabit. En igitur quomodo nosmetipsos in providentia Dei consolari oporteat, quæ naturam rationalem congruentissimis mediis, externis et internis, legibus et exemplis, illustrationibus et affectionibus, minis et promissis, beneficiis et flagellis ad proprium finem dirigit. Et quamvis diabolo permittat aliquam tentandi et vexandi potestatem ad nostrum exercitium et majus meritum, ita tamen illum cohibet, ut parum possit, si velimus illi resistere, et in re nulla consentire. Ita enim Deus nos in sua cura et tutela habet, ut diabolus quidquid moliatur, non possit quæ molitur perficere, cum immineat illi providentia illa cœlestis; unde sequitur, nequaquam diabolum, sed solum Deum cum Jobo nobis timendum ac reverendum esse. Unde subdit:

Omnia gubernari divina providentia.

Vers. 15. Timor Jobi erat sanctus et castus divinæ majestatis.

15. Et idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum timore sollicitor. — Propter rationes, inquit, allatas tantæ majestatis magnitudine percellor, quam dum contemplor timore concutior: ita Joannes a Jesu Maria, qui bene notat hic non agi de conscientiæ sibi male consciæ metu, sed de divinæ majestatis timore, quo et innoxii tanguntur tanto certe castius, quanto a culpa longinquius. De bono hujus timoris Domini eleganter Tertullianus lib. *De Præscript. advers. hæret.* cap. XLIII, in hunc modum ait: « Ubi Deus, ibi metus in Deum, qui est initium sapientiæ. Ubi metus in Deum, ibi gravitas honesta, et diligentia attenita, et cura sollicita, et adlectio explorata, et communicatio deliberata, et promotio emerita, et subjectio religiosa, et apparitio devota, et processio modesta, et Ecclesia unita, et Dei omnia. » Et lib. *De Pœnit.* cap. VI: « Dominum simul cognoveris timeas; simul inspexeris reverearis: » vide *supr.* quæ ad cap. I, vers. 1, de timore Dei ejusdemque græca etymologia notavimus: sic etiam *infra.* cap. XXVIII, 28: « Ecce timor Domini ipsa est sapientia; » pro *timore* in Græco est θεοσέβεια, hoc est *Dei cultus*, et reverentis animi religio; et iterum cap. I, 9: « Numquid Job frustra timet Deum? » in Græco est σέβεται, *colit*, quasi divinitus prodita cœli oracula denuntiare omnibus velle videantur, nullam esse Dei venerationem sine casto et pio metu, et ab iis qui Deum non timent neque rite et proprie eumdem coli. Ad extremum inde etiam factum est, ut in arcanis litteris inter nomina Dei numeretur *timor*, et pro eodem ipso Deo ponatur, quomodo Patriarcha Jacob loqui solebat, ut in *Gen.* XXXI, 42: « Nisi timor Isaac adfuisset mihi, » hoc est *Deus*, quem timuit Isaac, ait Vatablus; et in fine capitis dicitur jurasse «per *timorem* patris sui, » etc.

Timor inter Dei nomina refertur.

Deo debetur timor et reverentia ob

majestatem et potentiam.

tam majestatem, justitiam terrentem orbem, insuperabilem potentiam et supremum in omnia dominatum, quod Salvianus pietate singulari de se loquens expressit lib. I *De Gubern.* cum ait: « Tanta est majestatis sacræ et tam tremenda reverentia, ut non solum ea quæ ab illis contra religionem dicuntur horrere; sed etiam quæ pro religione nos ipsi dicimus, cum grandi metu ac disciplina dicere debeamus. » Sed magnificentius Jeremias cap. X, 7, et majori velut tuba: « Quis te non timebit, o Rex gentium? tuum est enim decus: » *regem* vocat absolute, cui nimirum qui dicuntur inter homines reges regum et monarchæ ut de grege minuti famulantur: illa enim verba quæ sequuntur *tuum est decus*, id significant. Decus illud et regni decor est majestatis summæ nomen, est regalis auctoritas, monarchicum imperium, dominatus augustus, cui se parem nemo nisi vecors et insanus putet. Hanc absolutam in omnes potentiam, hoc inexpugnabile robur, brachium illud extentum, et tanti regis longam manum, sceptrum adamantinum, opes superbas, vocem fulminantis Dei, et cum voluerit, imos, summos pro arbitrio suo proterentis, justam causam esse putavit Jobus tanti imperatoris venerandi et timendi. Unde subdit:

Vers. 16. Deus tribulationibus corda nostra emollit.

16. Deus mollivit cor meum, et Omnipotens conturbavit me, — id est, Deus animum meum ærumnis et timore suo penitus subegit et liquefecit, ducta metaphora a ferro, quod in fornace emollitur ad omnem quam faber voluerit formam suscipiendam: sic videlicet cor hominis prosperitati assuetum dum tentationis ac tribulationis igne succenditur mitescit, lenitur, mollitur. Et quidem cum Jobus Deum semper timuisset, peculiare quidpiam observasse videtur, quod ad cor emolliendum pertineret, quod fortasse significavit per adjuncta verba: *Omnipotens conturbavit me*: nam et qui pie timet, sed absque malorum tolerantia consistit, statim ut a Deo per immissas calamitates tangitur ac perturbatur, de illa integra tutaque cordis affectione multum remittit: quæ certe remissio satis apte *mollitio* appelletur. Ubi notatu dignum est Jobum ejusmodi terrorem et pavorem concepisse, propterea quod Deus ipsius cor molliverat, eumque et quidem persequendo perterruerat: eo enim Jobus significat, se, quamvis semper Deum timuerit, afflictionibus tamen peculiariter emollitum esse, et singulari prorsus timore subactum; unde intelligimus nobis plusquam necessarium esse affligi: alias enim instar equorum ferocium petulantes essemus, et quid sit Deo obedire ipsive subjici nesciremus. Cæterum postquam timorem illum conceperimus etiam exemplo Jobi recreabimur, scientes Deum nolle nos a se alienare, sed potius velle allicere.

Notandum autem hic mysterio non vacare, quod Job ipsam *emollitionem* primo loco posuerit, et postea *conturbationem*, cum tamen hæc re ipsa præcesserit: est enim id quod theologi di-

http://www.obrascatolicas.com

cunt, conturbationem posteriorem esse in intentione, etsi prior sit in exsecutione; contra vero emollitionem, quæ posterior quidem est in exsecutione, priorem esse in intentione Dei. Pulchre ad hunc locum S. Gregorius lib. XVI *Moral.* cap. XVIII : « Ex divino, inquit, munere cor justi *mollíri* dicitur, quia superni judicii timore penetratur, non autem secura, sed perturbata sunt corda bonorum, quia dum futuri examinis pondus considerant, quietem hic habere non appetunt, securitatem suam districtionis intimæ consideratione perturbant; qui tamen inter ipsa timoris supplicia sæpe animum revocant ad dona, et ut semetipsos consolatione refoveant, inter hoc quod metuunt reducunt oculum ad dona quæ acceperunt, ut spes sublevet, quem timor premit. » Unde et sequitur :

Timor judicii cor mollit.

Vers. 17. Jobi in adversis constantia et magnanimitas.

17. NON ENIM PERII PROPTER IMMINENTES TENEBRAS, NEC FACIEM MEAM OPERUIT CALIGO, — id est, nondum prorsus despero de salute : nam licet gemam et querar propter incumbentes mihi tenebras tribulationum, necdum tamen plena caligo faciem meam operuit, neque destitutus sum usu rationis aut lumine seu naturali seu supernaturali; sed ope ac gratia Dei erectus maneo fide, et spe, et charitate constanti in Deum. Vir fortis scilicet neque audax, neque timidus est, sed ubi expedit erigit animum, et audet; vel mutato consilio, ut sapientem plerumque decet, pericula timet, quæ adoriri temeritas foret; ergo audacia et timor vitio vertuntur, si consilium desit; laudi tribuuntur, si adsit. Jobus igitur se religioso consilio timore Dei affici fassus est; ne vero quis animo constanti notam inureret, subdit se non periisse per blasphemiam aut desperationem, vel concidisse aut exanimatum esse propter tenebras, hoc est calamitates imminentes seu præsentes, neque in signum degeneris animi faciem velasse; unde Joannes a Jesu Maria infert, magnanimitatem Jobi, et in passionibus regendis artem miram hoc loco nobis proponi, meritoque commendari.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Job ostendit occultam prorsus esse rationem providentiæ divinæ et gubernationis hujus mundi : quippe qui sæpe etiam ad sævissimam tyrannorum, latronum et adulterorum improbitatem diu admodum conniveat, nec nisi futuræ vitæ cruciatibus puniat.

1. Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora : qui autem noverunt eum, ignorant dies illius. 2. Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges, et paverunt eos. 3. Asinum pupillorum abegerunt, et abstulerunt pro pignore bovem viduæ. 4. Subverterunt pauperum viam, et oppresserunt pariter mansuetos terræ. 5. Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum : vigilantes ad prædam, præparant panem liberis. 6. Agrum non suum demetunt : et vineam ejus, quem vi oppresserint, vindemiant. 7. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore : 8. Quos imbres montium rigant : et non habentes velamen, amplexantur lapides. 9. Vim fecerunt depræ dantes pupillos, et vulgum pauperem spoliaverunt. 10. Nudis et incedentibus absque vestitu, et esurientibus tulerunt spicas. 11. Inter acervos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt. 12. De civitatibus fecerunt viros gemere, et anima vulneratorum clamavit, et Deus inultum abire non patitur. 13. Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus. 14. Mane primo consurgit homicida, interficit egenum et pauperem : per noctem vero erit quasi fur. 15. Oculus adulteri observat caliginem, dicens : Non me videbit oculus : et operiet vultum suum. 16. Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, et ignoraverunt lucem. 17. Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis : et sic in tenebris quasi in luce ambulant. 18. Levis est super faciem aquæ : maledicta sit pars ejus in terra, nec ambulet per viam vinearum. 19. Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius. 20. Obliviscatur ejus misericordia : dulcedo illius vermes : non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum. 21. Pavit enim sterilem, quæ non parit, et viduæ bene non fecit. 22. Detraxit fortes in fortitudine sua : et cum steterit, non credet vitæ suæ. 23. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam : oculi autem ejus sunt in viis

illius. 24. Elevati sunt ad modicum, et non subsistent, et humiliabuntur sicut omnia, et auferentur, et sicut summitates spicarum conterentur. 25. Quod si non est ita, quis me potest arguere esse mentitum, et ponere ante Deum verba mea?

Vers. 1. Deus est auctor temporis, et eorum quæ in tempore sunt nil ignorat, cognoscens omnia antequam sint.

1. AB OMNIPOTENTE NON SUNT ABSCONDITA TEMPORA : QUI AUTEM NOVERUNT EUM IGNORANT DIES ILLIUS. — Job diluit objectum sibi ab Eliphazo crimen negatæ providentiæ divinæ, dum cap. XXII, 13, ait : « Et dicis : Quid enim novit Deus? et quasi per caliginem judicat, » etc., quod hic valide elidit, profitens Deum universa tempora exacte nosse tam proprie quam metonymice sumpta, ita Lessius lib. IV *De Perfect. divin.* annotavit; siquidem ipse est auctor omnis temporis ac durationis, et conditor ac dispensator conservatorque eorum quæ in tempore exsistunt, carens initio durationis, cum nunquam incœperit, et omne tempus anticipet, occupet, ambiatque. Hinc vocatur *antiquus dierum* apud Danielem cap. VII, 9, quoniam, ut S. Dionysius *De Divin. nom.* cap. X, exponit, « ipse est omnium ævum et tempus, ante dies, ante ævum, ante tempus. » Quod intellige de omni tempore etiam comprehensibili a creatura : parum enim esset ipsum fuisse ante tempus reale, quod nondum sex annorum millia complevit; cum etiam angeli plurimis sæculis, juxta Patrum quorumdam sententiam, ante illud tempus fuerint, Deumque laudaverint, sed fuit etiam ante omne tempus imaginabile, quantumvis illud longum concipiatur. Accipe ante mundum conditum tot sæcula quot sunt arenæ in littore maris, Deus jam erat; accipe totidem myriades sæculorum, Deus antea erat; hunc immensum sæculorum numerum in se multiplica, adhuc Deus infinitis sæculis est antiquior. Dicitur autem *omnium ævum* et *tempus*, quia omne ævum ex ipsius duratione pendet, et omne tempus ex ipso fluit, qui ævo et tempori suum esse tribuit et continuat. Unde cap. V idem Dionysius ait : Αὐτὸς ἐστιν αἰὼν τῶν αἰώνων, ὁ ὑπάρχων πρὸ αἰώνων, *ipse est ævum ævorum, exsistens ante omne ævum*; et paulo ante : Ἀρχὴ καὶ μέτρον αἰώνων, καὶ χρόνων ὀντότης, καὶ αἰὼν τῶν ὄντων, *ipse est principium et mensura ævorum*, et *temporum entitas, et entium ævum* : quæ omnia causaliter intelligenda, idque, ut S. Dionysius monet, διεσπαρμένως, *ut Deum decet*, prout fusius annotavimus in S. Dionysii cap. X *De Nom. divin.* Quod ergo Jobus ait : « Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora, » perinde est, *q. d.* Non est cur mihi divinæ providentiæ reprehensionem impingatis; quasi censeam ego res nostras a Deo minime curari : profecto mihi exploratum est, nihil ex iis quæ quovis tempore aguntur Deum latere posse, qui tempora omnia præterita, præsentia et futura perspicacissime intuetur.

Deus est etiam ante omne tempus imaginabile.

QUI AUTEM NOVERUNT EUM IGNORANT DIES ILLIUS, — id est, amici ejus fideles, et ei addicti homines, qui ipsum per fidem cognoverunt, non tam familiarem cum eo habent consuetudinem, ut omnia ejus consilia in rebus humanis administrandis intelligant : plurima enim ignorant quæ abscondita sunt apud Deum, et signata in thesauris ejus : ignorant *dies illius*, hoc est æternitatem ejus, quæ etiam piis incomprehensibilis exsistit, ita S. Gregorius. Vel potius *dies* posuit pro operibus et consiliis, quæ per dies exsequitur Deus, ut ea in primis perstringat consilia, quæ init in rebus humanis moderandis, quæ diebus distinguuntur : sicut Christus etiam de universali judicio loquens ait *Matth.* XXIV, 36 : « De die autem illo et hora nemo scit, nisi solus Pater. » Nam certe ea consilia quæ suscipit Deus in hoc mundo regendo non ita facile explicari possunt, ut putabat Eliphaz, sunt enim difficillima, et quæ viros sanctos in magnam rapiunt admirationem : quapropter S. Paulus exclamat *Rom.* XI, 33 : » O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? » Scopus igitur Jobi est hoc loco ostendere Deum ad tempus sua judicia occultare, nec primo quoque tempore vindictam suam in improbos exsequi, nec bonos liberare, sed permittere ut multi injurias patiantur; si autem volumus causam inquirere cur ita agat, confusi erimus. Concludendum itaque, judicia Dei arcana esse et admirabilia, omnemque adeo ingenii humani captum superare, ita ut, si velimus ipsa penitus scrutari, deficiant in media via ingenia nostra; sed nobis adoranda esse arcana Dei, quæ nobis sunt incognita, eumque justum esse confitendum, quamvis id quod agit mirum nobis et in speciem absurdum videatur. Cæterum hæc in hebræo et græco textu obscurius per interrogationem efferuntur, *quare ab Omnipotente non sunt abscondita tempora? et cognoscentes eum non vident dies ejus?* quod Septuaginta transferunt, διὰ τί δὲ Κύριον ἔλαθον ὧραι, ἀσεβεῖς δὲ ὅριον ὑπερέβησαν, *quare autem Dominum latuerunt horæ, et impii terminum trangressi sunt?* quidam codices, ut et Complutensis, habent οὐκ ἔλαθον, *non latuerunt*, quod et S. Augustinus ita transtulit, *quare Dominum non latuerunt horæ? quamobrem finem trangressi sunt?* Quæ interrogatio videtur implicite Deo temporum cognitionem derogare, cujus omnino contrarium Job hic intendit : tempora enim non sunt abscondita omnipotenti Deo, sed sunt abscondita hominibus ab eo, quemadmodum Vulgata clarius expressit. Enumerat deinde Job scelera multa, quæ homines iniqui impune in hac vita committunt, ut amici considerent non semper homines flagitiosos in hoc sæculo puniri.

Homines ignorant consilia Dei.

Vers. 2. 2. ALII TERMINOS TRANSTULERUNT, DIRIPUERUNT GREGES, ET PAVERUNT EOS. — Graphice describit impiorum præsertim tyrannorum scelera truculenta,

http://www.obrascatolicas.com

Termines violare ac transferre sceleris maximum.

quibus infirmum hominum genus injuste opprimunt; *transferre* autem *terminos* nihil est aliud, quam in alienos fundos et possessiones irrumpere, quæ plerumque terminali lapide aut alio certo et familiari signo distinguuntur; quod cum astuti et avari homines sæpe faciant, faciunt tamen tyranni multo frequentius, qui quidquid sibi usui futurum esse putant, id ad se pertinere affirmant, et qua jure, qua injuria, quod suum esse dicunt (sic pervertunt omnia) suum esse faciunt; neque quiescendum putant, donec aliorum dispendio suas augeant opes, et terminos amplificent. Ita Sanctius noster, qui pulchre observat, hoc apud omnes gentes grave putatum esse scelus, neque solum justitiam, sed etiam religionem ea terminorum translatione violari : qua de re gravissimas leges statuere gentiles, quæ hos terminorum direptores non violatæ solum justitiæ, sed religionis proditæ reos esse declarant, et quasi exsecrandos atque sacrilegos ab omnibus impune mactari permittunt.

Terminorum olim summa religio, et eos violantium pœna.

De horum terminorum religione, et quibus cæremoniis et sacris collocari soliti sint, vide apud Gyraldum *De Diis gent.* syntag. 1, *De Term. sacrisque term.*, ubi etiam dicit quo supplicio tantum scelus expiari debeat. Dionysius Halicarnassæus lib. I : « Jussit, inquit, Numa, unumquemque fines suos circumscribere, sacrosque finibus lapides apponere : lapides ipsos sacravit Jovi Terminali, statuitque eis sacra quotannis omnes die stata ac constituta facere super locum ipsum congregatos, etc. Quos lapides si quis occulisset, vel transtulisset, sacrum (id est exsecrandum) esse Dei lege statuit, ita ut volenti eum occidere tanquam sacrilegum et securitas adesset, et pollutionis expiatio. » Addit Festus : « Numa Pompilius statuit, eum qui terminum exarasset, et ipsum et bovem sacros esse, » id est ferro devotos. In Scriptura vero sacra de terminorum custodia graves sunt constitutæ leges, ex quo intelligitur, quam sit exsecrabile illud furti aut violentiæ genus : sic legimus *Deuter.* XIX, 14 : « Non assumes et transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua : » similiter habetur *Prov.* XXIII, 11 : « Ne attingas parvulorum terminos, et agrum pupillorum ne introeas; » in quem locum consule nostrum Salazar, nec non ad cap. XXII, 28, ubi multa de terminis præclare ac docte disserit. Quod autem subdit : « Diripuerunt greges, et paverunt eos, » aliud genus iniquitatis ac rapinæ commemorat : sicut enim sustulerunt terminales lapides, ut suos terminos amplificarent, sic etiam eadem impudentia aliorum greges prædati sunt, neque puduit illos coram aliis pascere, qui noverant furto esse sublatos.

Vers. 3. 3. ASINUM PUPILLORUM ABEGERUNT, ET ABSTULERUNT PRO PIGNORE BOVEM VIDUÆ. — Septuaginta pro *asino* ὑποζύγιον, *subjugale* transtulerunt, uti passim alibi faciunt, ubi nomen *asini* occurrit, ut *Gen.* XXIII, 5 et XXXVI, 24 : item *Exod.* XX, 10, et *Deuter.* V, 14 : rursum *Exod.* XXXIV, 20, πρωτότοκον ὑποζυγίου, ubi D. Hieronymus *primogenitum asini*, S. Augustinus *primitivum subjugalis* transtulit; hinc intelliges quid sit *Matth.* XXI, 5, καὶ πῶλον υἱὸν ὑποζυγίου, *pullum filium* : non jumenti, sed *asinæ*, et quidem *subjugis asinæ*. Recenset autem hic duo alia inclementis animi argumenta maxima, scilicet pupillorum ac viduarum oppressionem, quæ inter ea, quæ in cœlum clamare dicuntur, crimina numerantur : immanis quippe crudelitatis est, genus illud hominum invadere, quod infirmum est, et hominum misericordiæ commendatum; quod vel ipso nomine animos emollit incitatos, et appetentes vindictæ ad lenitatem clementiamque traducit. Alterum est quod crimen illud auget, quia pro pignore abigunt asinum et bovem, quorum usus pupillis et viduis est valde necessarius : quia illorum fortasse opera suam tenuitatem sustentant. Constat quidem licitum esse pignus accipere, et in omni reipublicæ forma id permitti; nihilominus notandum, quod cum Deus permisit populo suo, ut qui pecuniam mutuo darent pignus acciperent, id ea conditione permiserit, ut cum pauperibus non præter modum iniquius ageretur, utque substantia eorum non raperetur, quale erat quod *supr.* diximus *accipere lectum pauperis*, ita ut cogatur super stramen cubare; cui non absimile est, pupilli asinum et viduæ bovem aut vaccam abducere.

Viduarum et pupillorum oppressio est maximum argumentum inclementiæ.

Ecce crudelitatem, quæ ut ab hominibus non puniatur, nihilominus ad Deum pervenit, apud quem perscribitur, donec ii, quos nulla proximorum commiseratio tenet, sentiant judicium erga se sine misericordia ulla exerceri : quin imo nullam pauperibus vindictam postulantibus rependet tamen, ut *Deuter.* XV, 9 et XXIV, 15, et *Exod.* XXII, 23, per Moysen pronuntiat latera ejus qui friget clamatura, quamvis os clausum habeat, et omnia perferat. Miseriam igitur pauperis ad ejus qui ita crudelis fuit condemnationem respicit Dominus. Non ergo sine causa nominatim inter crudelitates, quæ ipsius tempore committebantur, Job has recenset, quod divites pignora a viduis et orphanis acciperent; et quidem pignora quæ ipsis ad eorum alimentum necessaria erant. Interim notat hic Sanctius noster, quod licet non constet quidem, an apud Idumæos de hoc pignoris genere aliquid a legibus cautum fuerit; ex hoc loco tamen fieri verosimile, istiusmodi aliquid aut lege aut consuetudine receptum fuisse, cum apud Hebræos de istiusmodi oppignoratione constituta sint a lege non pauca, uti videre est in *Deuter.* XXIV, ubi cavetur ne quædam loco pignoris a creditoribus sumantur; et speciatim jubetur ne creditor domum alterius ingrediatur, et assumat pignus quod voluerit, sed exspectet foris, et illud accipiat quod debitor obtulerit. Plura de viduarum et pupillorum oppressione et necessaria illorum tutela vide *supr.* cap. VI, 27, et cap. XXIII, 8 et 9.

Vers. 4. 4. SUBVERTERUNT PAUPERUM VIAM, ET OPPRESSERUNT PARITER MANSUETOS TERRÆ. — Septuaginta verterunt,

Pauperes scandalizare gravissimum.

ἐξέκλιναν ἀδυνάτους ἐξ ὁδοῦ δικαίας, ὑμοθυμαδὸν δὲ ἐκρύβησαν πραεῖς γῆς, *divertere fecerunt impotentes de via justa, et simul absconditi sunt mites terræ*; Symmachus reddit, παρέτρεψαν γὰρ πενήτων ὁδόν· ὁμοῦ ἀφανεῖς ἐποίησαν πραεῖς γῆς, *perverterunt enim pauperum viam; simul e conspectu removerunt mites terræ*; S. Augustinus legit, *inclinaverunt pauperes a via justa* : quod est immane piaculum, quando videlicet impii potentes minis, vexationibus, ictibus abjectos homines justos legem Dei violare, ac proinde divertere a via justa compellunt.

Vers. 5 et 6. 5 et 6. ALII QUASI ONAGRI IN DESERTO EGREDIUNTUR AD OPUS SUUM : VIGILANTES AD PRÆDAM PRÆPARANT PANEM LIBERIS. AGRUM NON SUUM DEMETUNT : ET VINEAM EJUS, QUEM VI OPPRESSERINT, VINDEMIANT. — Describit aliud prædonum genus, quos cum onagris comparat, quod leges omnes petulantissime contemnant, et asellorum silvestrium per deserta loca vagantium more prodeant in solitudinem, excubantes ad prædam; quasi nihil aliud habeant negotii quam aliena rapere; ad quod opus ut sibi proprium studiose se comparant, et accingunt, atque eo artificio tam sibi quam liberis alimenta parant. Hi sunt, qui in aliena sata et vineta irruunt, propriosque dominos vi oppressos a suis agris et vineis expellunt; et hoc modo licet de facienda semente aut vinea plantanda atque excolenda minime curarint; tamen messis illis non deest, neque felix ac copiosa vindemia : metunt enim agros quos alii seminarunt, et vinum exprimunt ex vineis quas alii excoluerunt, quod spectaculum esse miserabile significavit Isaias dicens cap. I, 7: « Regionem vestram coram vobis alieni devorant, » et Michæas cap. VI, 15, tanquam gravissimam maledictionem comminatur : « Tu seminabis, et non metes : tu calcabis olivam, et non ungeris oleo : et mustum, et non bibes vinum. » Cur porro istiusmodi homines truculenti onagris comparentur, vide fusius cap. VI, 5 et cap. XI, 12, ubi de proprietatibus onagri egimus. Septuaginta pro *quasi onagri in deserto* legunt, ὥσπερ ὄνοι ἐν ἀγρῷ ὑπὲρ ἐμοῦ, *tanquam asini in agro super me;* quos secutus S. Augustinus reddit, *et irruerunt asini feri in agro super me, et exeuntes ad opus suum:* in plerisque exemplaribus græcis illud ὑπὲρ ἐμοῦ conjungitur cum sequentibus, ὑπὲρ ἐμοῦ ἐξελθόντες, *super me egressi*, id est, inquit Scholiastes, ὑπὲρ τοῦ τὰ ἐμὰ λαβεῖν, καὶ ἰδιώσασθαι, *pro rebus meis capiendis, et sibi vendicandis.* Illa vero quæ sequuntur in aliam longe partem acceperunt quam Vulgatus : sic enim intelligunt, non quasi impii aliorum agros et vineas depopulati sint, sed pauperes coegerint ad proprias ipsorum vineas sine mercede colendas, ita ut non alienos agros invasisse, sed suorum agrorum cultores debita mercede defraudasse significentur. Verba eorum sunt ista, ἀδύνατοι ἀμπελῶνας ἀσεβῶν ἀμισθὶ καὶ ἄπιτοι εἰργάσαντο, *impotentes vineas impiorum sine mercede et sine cibo operati sunt.*

Prædonum studium quale.

Vers. 7 et 8. 7 et 8. NUDOS DIMITTUNT HOMINES INDUMENTA TOLLENTES, QUIBUS NON EST OPERIMENTUM IN FRIGORE : QUOS IMBRES MONTIUM RIGANT; ET NON HABENTES VELAMEN AMPLEXANTUR LAPIDES. — Ad hæc, inquit, aliud addunt crudelitatis genus, neque enim satis habuerunt miserorum demessuisse segetes, sed ab illis quo tempore magis est horrida tempestas vestimenta detrahunt, nudosque relinquunt, qui exclusi domo in montibus habitant, ubi imbribus madent atque nocturno rore, et pro molli strato et tegumento proprio nudos amplectuntur et rigentes lapides, ubi miseri cubant. Patent quæ hic Jobus promit, ex præda nimirum efficitur, ut inopes hieme nudi, ventis, frigori, imbribus, ad dirum interitum expositi, se in speluncas abdant, lapides complecti dicantur, hoc est lapidibus sese adjungere, cavis saxis sese contegere ad injurias temporis declinandas. Ex hoc genere exspoliati agminis fuere successu ætatum ii, quos Apostolus *Hebr.* XI, 38, ait in solitudinibus errasse, in montibus, et speluncis, et cavernis terræ : bona certe sors, ut nudentur corpora, quæ candidissima gloriæ vestis amiciet. Sed quid est, quod pauperes ac miseri *lapides amplexantur?* non id caret mysterio, siquidem magis scintillas abstrusas in lapidum venis ad se calefaciendos elicere sperant quam charitatis calorem a durissimis hisce lapidibus : *amplexantur lapides*, homines nimirum duros ut lapides, quo eos ad misericordiam emolliant.

Prædonum crudelitas et immisericordia.

Immisericordes lapidibus duriores et frigidiores.

Vers. 9. et 10. 9 et 10. VIM FECERUNT DEPRÆDANTES PUPILLOS, ET VULGUM PAUPEREM SPOLIAVERUNT. NUDIS ET INCEDENTIBUS ABSQUE VESTITU ET ESURIENTIBUS TULERUNT SPICAS. — Eleganter impiorum exaggerat crudelitatem in pupillos et orphanos, infirmum et imbelle genus hominum exercitam, quos violenter oppressos in servitutem abegerunt, et non valentes injuriam propulsare, seminudos vili veste, quæ illis reliqua erat, spoliaverunt, et famelicis, cum nihil aliud haberent ad famem sublevandam præter spicas quasdam a messoribus relictas, has etiam ab eis abstulerunt. Ecquod feritatis genus immanius quam impotentes deprædari, nudosque et famelicos ad spicas colligendas accurrentes non arcere modo, verum etiam miseris collectas e manibus spicas et e dentibus ipsis grana decutere? Plurima ex his quæ hoc capite a Jobo recensentur in tyrannos aliosve potentes, qui vectigalibus iniquis et aliis injustis modis piorum inopumve bona corripiunt, egregie quadrant : de quibus Alciatus pulchrum proponit emblema, exesum, marcidum et semivivum pauperem lapidi incumbentem depingens, cui hunc titulum præfigit: *Opulentia tyranni paupertas subjectorum;* subscribit autem duo disticha sequentia, quibus tyranni fiscum cum splene et populum subjectum cum humano corpore comparat :

Impiorum in miseros detestanda crudelitas.

Fiscus splenis comparatus

Humani quod splen est corporis, in populi re
Hoc Cæsar fiscum dixerat esse suum.
Splene aucto reliqui tabescunt corporis artus.
Fisco aucto arguitur civica pauperies.

http://www.obrascatolicas.com

Opulentia tyranni est paupertas subditorum.

Similitudine ostendit opulentiam tyranni causam esse subditorum inopiæ : ut enim in corpore humano si splen sit auctior et tumidior, tabem et maciem cæteris partibus inducit, ita fiscus principis si nimium augeatur, populum exhauriri et ad inopiam redigi necesse est. Rationem hujus similitudinis adfert Aristoteles in *Problem.* quod splen multam ad se trahat materiam, quæ transire in alimentum debebat : constat enim, ait ille, homines parvi splenis pingues effici. Splen autem viscus est in sinistra animalis parte succos ad se attrahens crassos et melancholicos in hepate genitos : *lienem* Latini vocant, de quo Galenus lib. IV *De Usu part.* cap. XV ; id vero Trajani Cæsaris apophthegma fuit, siquidem fiscum *lienem* appellabat, quod eo crescente reliqua membra tabescerent. Hinc magno regni et reipublicæ malo princeps avarus nascitur; quo fit, ut miserrima plebecula cogatur ad egestatem et extremam pauperiem, cum tyrannus in suorum possessionem violenter irruit, eorumque substantiam depopulatur.

Vers. 11. 11. INTER ACERVOS EORUM MERIDIATI SUNT, QUI CALCATIS TORCULARIBUS SITIUNT. — Istud verbum *meridiari* quid significet.

meridiati sunt hoc tantum loco in Scriptura reperitur, significatque proprie *meridiem agere*, quod tempus est corpori cibis reficiendo destinatum, et conviviis epulisque dicatum ; unde *Cant.* I, 7, a sponso sponsa scire desiderat ubi pascat, ubi cubet in meridie : in eadem significatione *meridiandi* verbo usus est Plautus dum ait : « Jentando, meridiando, comessando, pergræcando vitam ducere. » Amplificat hic Job malitiam et crudelitatem impiorum, quos ait eo prorumpere impudentiæ, ut ab egentibus, quales sunt ii qui in torcularibus calore ac siti anguntur, exigua illa multoque sudore parta bona, quæ ad familiam alendam contraxerunt, surripiant ; et inter cumulos prædæ meridie prandeant et quiescant, voluptatemque barbaram ex aspectu spoliorum capiant; videtur autem alludere ad impios in tentoriis degentes, qui inter prædas eo convectas sua convivia celebrabant.

Non debemus turbari, si non videamus Deum statim mederi malis quæ fiunt.

Pergit porro declarare statum, qui in universo mundo conspicitur, Deo interim remedium non afferente, nec tantas injurias vindicante; id vero ostendit judicia Dei non semper esse visibilia, nec statim aspici; sed in patientia quietos se continere debere fideles, donec Dominus noster manum exerat, sicut ejus est nosse tempus opportunum judicii exsequendi; non est autem nostrum illud ipsi præscribere. Nunc igitur Jobus dicit mundum plenum esse rapinis, ita ut pauperes sint nudi, illi qui spicilegium fecerunt non habeant buccellam panis quam comedant; eripiatur etiam ipsis spicilegium, quod in agris divitum fecerunt; quo significat eos qui valent opibus abuti auctoritate sua et divitiis ad pauperes et egenos penitus consumendos, quod sane immane et atrox est; non impedit tamen Deus, cum sit mundi judex. Hoc quidem nos prima specie posset perturbare, sicut multos videmus existimare Deum dormire, quando is secundum animi ipsorum libitum non operatur ; sed in nobis provisum, certum et constitutum esse debet, ut cum accidet non perturbemur : ita enim semper fuit ab omni tempore, nihilominus tamen Deus mundi judex fuit; sed tempora videntur esse occulta, quia ipsius diem non ita statim videmus. Certum est ipsum hæc omnia exactissime cognoscere, sed tamen occultat se, hoc est, non ostendit se velle eorum qui afflicti sunt ad illis opitulandum curam gerere : illorum enim patientiam ad tempus probat. Ut ut sit, non possumus semper oculis discernere cur Deus dissimulet et conniveat, quando hi prædantur et rapiunt ; alii vero suis facultatibus spoliantur : non possumus, inquam, videre causam, cur ista patiatur Deus, vult enim nos deprimere, quo hunc honorem illi tribuamus, ut ipsum esse justum confiteamur, etiamsi tanquam caligine quadam correpti non possimus quid sibi velit dijudicare. En igitur consilium et scopum Jobi, nobis ostendere judicia Dei non esse ex arbitrio hominum ordinata, sed nobis esse arcana et occulta. Unde subdit :

Deus vult consilia sua nobis esse arcana.

Vers. 12. 12. DE CIVITATIBUS FECERUNT VIROS GEMERE, ET ANIMA VULNERATORUM CLAMAVIT, ET DEUS INULTUM ABIRE NON PATITUR. — Neque vis hæc prædatoria in agris solum, ubi plerumque pauperes degunt, libere grassatur, sed etiam intra mœnia, ubi clamor auditur et gemitus illorum, quos aut bonis exuunt, aut pugnis concidunt prædones illi insolentes et barbari; sed Deus, qui universa prospicit, horum vim tyrannicam barbaramque sævitiam impunitam abire non sinet. Quod autem dicit : « Anima vulneratorum clamavit, » in Hebræo est *anima occisorum*, q. d. Cives suis bonis spoliati et pauperes ab illis in agro occisi clamant, et implorant a Deo judice vindictam. Videturque hæc dicendi ratio ejus esse similis quæ est in *Gen.* IV, 10 : « Vox sanguinis fratris tui clamat ad me, » id est, postulat ut ejus cædem indignam cognoscam, et judicium faciam. Ita hoc loco significare videtur Job, tot homines gravissimis injuriis affectos per se vique sua æquum judicium implorare. Hinc omne peccatum optime in Scripturis sanctis *clamor* vocatur, eo quod divinam iram provocet, et sua malitia quasi vocibus atque clamoribus vindictam et ultionem exposcat *Gen.* XVIII, 20 : « Clamor Sodomorum, ait Dominus, et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam, et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint : » quare clamor multiplicatur, nisi quia peccatum aggravatur? quasi idem sit peccatum augere, et vocem vindictam deposcentem extollere. De vinea quoque Domini Sabaoth dictum est *Isai.* V, 7 : « Exspectavi ut faceret judicium, et ecce iniquitas; et justitiam, et ecce clamor : » si enim justitiæ injustitia opponitur, quam ob causam ejus contrarium clamor esse dicitur, nisi quia

Oppressio pauperum clamat vindictam.

Peccatum est in Scriptura *clamor* vocatur.

omne delictum *clamoris* nomine intelligendum est, quod non utcumque, sed importune vociferetur, et quasi per vim ab eo cujus proprium est miscreri pœnam et ultionem extorqueat? At tandem S. David hunc loquendi modum non refugit dicens *Psalm.* XXXI, 3 : « Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die : » nam si quis dubitat, quonam pacto David potuerit simul tacere et clamare, audiat S. Gregorium *in Psalm.* II *pœnit.* : « Ille tacet nimirum, et clamat, quia peccata quidem sua silentio contegit, merita vero per vocem magnificationis extollit. Aut certe ille tacet, et clamat, quia peccata quidem præterita per confessionem non annuntiat, et per cor impœnitens alia committere accepta peccandi libertate non cessat. » Clamat itaque peccatum, clamat iniquitas, quamdiu per pœnitentiam non deletur, et clamat non misericordiam petens, sed iram, sed ultionem, sed pœnam exposcens.

Deus ut bona præmio, sic mala digno supplicio afficit.

ET DEUS INULTUM ABIRE NON PATITUR : — æquissimum est enim, ut ille qui gubernator est universi, ac præcipue creaturarum rationalium rector, eorum bona gesta præmio, et impia facinora pœna et flagellis afficiat, ut suæ providentiæ satisfaciat, et se habere rerum humanarum curam ostendat. Atque ut Salomon ait *Eccle.* XII, 14 : « Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit : » universa, inquam, sive bona, sive mala, sive omissiones bonorum, adducet Deus in examen æquitatis suæ, ut cujusque actionis, etiam bonæ, si quod habeat erratum, saltem præposteræ intentionis, expendat, et pro eo convenientem pœnam infligat. Sicut enim bona opera exigente providentia Dei sine mercede non manent, ita et actiones malæ, cujuscumque sint, sive regis, sive servi, sive magni, sive pusilli, pœna et dolore carere non possunt. Videmus interdum impiorum in hac vita differri supplicia, et ignari secretorum divinæ providentiæ ad hunc velut offensionis lapidem cespitamus, nec advertimus tantisper suspendi vindictæ divinæ mucronem, donec exaggerata peccatorum mensura, quo tardius, hoc gravius Dei furor sceleribus incumbat : « Quare nemo patientiam bonitatis Dei, ait D. Leo serm. 5 *De Quadrag.* de peccatorum suorum impunitate contemnat; nec ideo æstimet illum non offensum, quia necdum expertus est iratum. Non sunt longæ vitæ mortalis induciæ, nec diuturna est licentia insipidarum voluptatum in æternarum dolorem transitura pœnarum, si dum justitia suspenditur, pœnitentiæ medicina non quæratur. » Abutuntur sæpe homines indulgentissimi parentis omnium Dei humanissimique patientia, quod dissimulet peccata hominum, quod exspectet, quod longanimis et misericors in divinis oraculis prædicetur. Quod Tertullianus lib. *De Patient.* cap. II eleganter expressit, cum ait Deum patientiam sibi suam detrahere, qua utitur in tolerandis sustinendisque sceleratis : « Plures enim, inquit, Dominum idcirco non credunt, quia sæculo iratum tamdiu nesciunt. » Fraus inimici illam menti caliginem inducit, ut aut nesciri prope sibi persuadeant sceluss suum, aut oblitum esse Deum maleficiorum, neque unquam repetiturum rationem, aut ea nihili facere putent; hinc timor sanctus effluit ex animo, et impunitas quædam in scelere, et audendi licentia dominatur; *fraudem* dixi veteratoris importuni et crudelis, qui acerbo nos odio insequitur, et eo ipso abutitur ad timorem minuendum, quo nos uti debuissemus ad timendum. Neque enim si non punit subito Deus, et impiorum hominum vecordiam scelestosque mores merito supplicio coercet, si manum sustinet telum vibrantem, jamque ad feriendum paratam, ideo putandus est aut nescire impudentium hominum insaniam, aut punire nolle : reservat enim scelera Deus, et recondit in thesauris suis immensis, et quantum crescit cumulus facinorum innumerabilium, tanto ira fit Numinis potentior et acrior ad vindicandum, quemadmodum cap. XIV, 17 annotavimus, ubi fusius hoc argumentum pertractavimus. Unde merito subjungit :

Longa impiorum impunitas multos offendit.

Non abutendum Dei patientia.

Fraus dæmonis est quod peccatores putent scelera sua Deo nesciri aut non punienda esse.

Vers. 13. 13. IPSI FUERUNT REBELLES LUMINI, NESCIERUNT VIAS EJUS, NEC REVERSI SUNT PER SEMITAS EJUS. — Apte explicabitur hæc metaphora, si Deum *lucem* appellemus, sicut ipse dixit *Joan.* VIII, 12 : « Ego sum lux mundi; » *lumen* vero legem et doctrinam, sicut S. Petrus dixit I *Epist.* II, 9 : « Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum, » id est evangelium. Vocant autem philosophi *lucem* quæ est in sole, *lumen* quod est in rebus quas illustrat : ita Deus lucis fons per legem et doctrinam suam homines illustrat *Joan.* I, 9 : « Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. » Sed utrumque in Scriptura confunditur, quare possumus intelligere rebelles fuisse vel Deo, vel legi ejus, quod idem est : quia legi et præceptis Dei non obtemperarunt, fuere prævaricatores, deficientes, recedentes a Deo qui I *Joan.* I, 5 « lux est, et in quo tenebræ non sunt ullæ. Lux hæc in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. » Ad homines peccatores venit ut eos illuminet, sed protinus illi faciem avertunt, ne lucem hauriant : quare, ut Philippus presbyter ait in hunc Jobi locum, « qui cæcato corde in tenebris sunt, mittentur in tenebras exteriores, et duplici malo induentur sicut diploide. » Quod ut clarius intelligamus, in primis statuendum hic est, in hominibus lumen esse quoddam clarissimum, in cujus possessione mens lætitia inexplicabili perfruitur : hoc animadvertit Cassiodorus lib. *De Anim.* aitque « lumen aliquod substantiale animas habere, » quod in evangelio *Joan.* I, 9 dicatur lumen illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum : « Et in cogitatione, inquit, positi, nescio quid tenue, volubile, clarum nobis inesse sentimus, quod respicit sine sole, quod videt sine extraneo lumine. » Id meo judicio Vates regius *lumen vultus*

Lux et lumen qui differant.

Deus est fons lucis spiritalis.

Peccatores luci rebelles.

Lumen animæ quale sit.

http://www.obrascatolicas.com

Dei nominavit *Psalm.* IV, 7 : quod Origenes vult *esse notitiæ divinæ irradiationem*, sanctus autem Hieronymus et D. Augustinus *illuminationem rationis*, quæ divinitatis imago est impressa in animo et insignita : quare Tertullianus lib. V *in Marc.* cap. XI, vertit *lumen personæ Dei*, ut sit Numinis quædam veluti adumbratio : id lumen si ad naturam referatur, summi omnium Opificis donum est pulcherrimum et omnibus commune; sed in justis est etiam quædam lux formosior, gratiæ nitor, jubaris empyrei stilla, incomparabile animi ornamentum, quod ab inhabitante Spiritu Sancto oriri putat Magnus Leo Pontifex Maximus serm. 1 *De Pentec.* : « Ipse, inquit, spiritus veritatis facit donum gloriæ suæ luminis sui nitore fulgere; et in templo suo nec tenebricosum aliquid vult esse, nec tepidum; » recte quidem ille et sapienter, nam accessu ad Deum et quoddam veluti commercio necesse est hominem fieri cœlo splendidiorem, et solem, ut ita loquar, terrenum.

Lux gratiæ a Deo instillatur.

Quod divinitus a S. Patribus video fuisse notatum : Deus enim (ut ait S. Dionysius lib. *De Divin. nom.* cap. IV, § 6) est ἀκτὶς πηγαῖα, καὶ ὑπερβλύζουσα φωτοχυσία, *lux fontalis, et supereffluens luminis effusio*; qui fons plenissimus et redundans large exuberat in omnem intellectum, sive celsos angelorum choros intueamur, qui proxime Numen circumstant, sive homines in terra degentes : « Hæc autem lux fontalis, inquit idem lib. *De Eccl. hier.* cap. II, eadem semper, et eodem modo, se habens, beneficos suos radios cunctis oculis mentalibus luculenter expandit; adeoque si spontanea mente præditorum arbitrii libertas spiritale lumen deserat, a natura sibi insitas luci excipiendæ vires amore pravi præcludens, præsenti quidem luci se subducit; hæc tamen eam minime destituit, sed vel conniventem illuminat, atque aversanti benigne prorsus occurrit. Quisquis igitur ad insitum a Deo naturæ lumen recurrerit, principio quidem cum Dei adjutorio quis tandem ipse sit videbit, hocque lucis accessione munus sacrum referet. Porro qui propria sua irreflexis oculis consideraverit, abditas quidem ignorationis suæ tenebras eliminabit; perfectissimæ tamen unionis et participationis adhuc exsors, ejusdem desiderio sponte non afficietur, sed sensim primum a propriis ad potiora, et ex iis ad potissima, nec non perfectus tandem per Dei gratiam ad divino-principalem unionem sacro quodam ordine evehetur. Sic autem adductum divina beatitudo ad sui admittit communicationem propriæque lucis instar signi cujusdam ipsum participat, Deo intimum reddens atque consortem munerum divinorum : neque enim vita nobis est, cui vis illata sit vel imposita necessitas; neque vero etiam eorum quibus providetur libertate divinæ illustrationis a providentia manantis radii obtunduntur; sed oculorum mentalium dissimilitudo facit, ut exundans paternæ bonitatis illustratio vel omnino cassa sit, et propter eorum repugnantiam inutilis, vel ejus participationes exsistant inæquales, parvæ vel magnæ, obscuræ vel claræ, cum unus sit et simplex, eodemque modo semper se habeat fontalis ille radius, qui jugiter est expansus. »

Quomodo Deus spiritale lumen distribuat.

Impii spiritale lumen excludunt.

Unde proveniat inæqualitas divinæ illustrationis.

Unde manifesto patet impios sceleribus suis nullam posse excusationis umbram obtendere, cum lumen illud, cui rebelles fuerunt, sit illa notitia, quam non a magistro, aut nostra industria aut humana disciplina didicimus, sed ab ipsa natura arripuimus, hausimus, expressimus, quæ communi scholasticorum sensu *synteresis* dicitur, aut *dictamen rationis*; quod si sequerentur, uberioris sane lucis participes efficerentur. Nunc autem « nescierunt vias ejus, » id est, scire contempserunt, ut illi qui cap. XXI, 14, « dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus, » quæ est turpissima et nefaria ignoratio ex scientiæ orta contemptu; *viæ* autem *luminis* sunt præcepta et leges Dei : « Præceptum Domini lucidum illuminans oculos, » dixit David *Psalm.* XVIII, 9 « Nec reversi sunt per semitas ejus, » quia, ut Salomon auctor est *Prov.* II, 13, « relinquunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas : qui lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis : quorum viæ perversæ sunt, et infames gressus eorum. » De quibus subdit :

Vers. 14. 14. MANE PRIMO CONSURGIT HOMICIDA, INTERFICIT EGENUM ET PAUPEREM : PER NOCTEM VERO ERIT QUASI FUR. — Nullum scilicet impiis tempus vacuum est a scelere, diurnum miserorum cæde et sanguine funestant; ad quod immane facinus adeo mane consurgunt, ut nihil huic curæ anteponendum putent : nocturnum insidiis furtoque contaminant : huc refer scitum illud :

Impiis nullum tempus vacuum scelere.

Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones.

Observat autem mores sceleraque impiorum varia, e quibus illud sane pessimum, quod appetente aurora, mane diluculo, quando viatores itineri se committunt, invadant iter facientes atque diripiant, et cædant; interdiu se subtrahant lucis odio vindictæque formidine; nocte vero cuncta obumbrante ad furta prosiliant, quod perinde est ac si Jobus diceret : Dies interrumpit scelera : nam quod ad impiorum votum attinet, semper cædibus atque rapinis insisterent; et tamen non statim Dei ultione corripiuntur. Tanta profecto est peccandi libido, ut nisi judicum vindictam formidarent, luceque dici impedirentur, plerique flagitiosi homines nihil aliud cogitarent aut molirentur quam teterrima crimina, quorum voluptate capiuntur. Cæterum ex eo quod fur semper noctis tenebras quærat, et quisquis male agit lucem oderit, manifeste concluditur esse legem naturæ, quæ nullo modo aboleri possit, et esse aliquod boni et mali discrimen : quis enim cogit hominem, qui velit in scortatione, furtis, ebrietate, luxu et aliis similibus sibi placere, ho-

Qui male agit odit lucem.

minum præsentiam fugere? velit potius in iniquitate gloriari, in ea jactare et ostentare se; et tamen occultat se. Quis eum ad id agendum cogit? si quis dicat, quia solus est, et nemo est qui velit cum ipso in malo consentire : atqui totus mundus est iniquitatis plenus. Animadvertitur sæpissime homines in malo conspirare, eosque qui alicui vitio dediti sunt nihil tam velle et cupere, quam ut alii ipsis sint similes; et tamen male agentes alii aliorum conspectum fugiunt, ita ut suam turpitudinem nemini cognitam esse libenter velint. Unde subdit :

Vers. 15. 15. OCULUS ADULTERI OBSERVAT CALIGINEM DICENS : NON ME VIDEBIT OCULUS : ET OPERIET VULTUM SUUM. — Ait adulteros similiter lucis osores noctis caliginem præstolari solitos ad sua adulteria perpetranda; sed dum addit : « Non me videbit oculus, et aperiet vultum suum, » significat adulterum mire deludi, nam ubi operuit ipse vultum, ex eo quod ipse non videt alios, existimat se a nullo videri : haud dissimilis struthioni, qui, ut refert Plinius lib. X *Nat. Hist.* cap. I, « si forte caput inter frutices inseruerit, dum neminem ipse conspicit, satis se latere, et a nemine se videri existimat; cum tamen reliquum corpus in aperto sit : » itaque illa particula *et* sumenda est pro causali *quia* hoc modo dicens : « Non me videbit oculus, *quia* operiet, vel operuit vultum suum. » Sed, ut bene ait Salomon *Prov.* V, 21, « respicit Dominus vias hominis, et omnes gressus ejus considerat, » *q. d.* Ne putes ex eo, quod homines latere fortasse possunt adulteria tua, etiam divinorum luminum aciem fugere : nam Dominus omnes hominis rationes et consilia et actiones oculis obit suis.

Adulteri lucis osores in tenebris peccantes latere se Deum putant.

Eamdem sententiam legimus in *Eccli.* XXIII, 25 his verbis : « Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, et dicens : Quis me videt? tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me : quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit a se timorem Dei hujusmodi hominis timor, et oculi hominum timentes illum. » Extrema verba sic accipe : ideo non intelligit, vel potius non considerat se videri a Deo adulter, quia non veretur Deum, nam timor hominis est hujusmodi, id est talis conditionis et naturæ, ut hominis alterius oculos timeat potius quam Dei, ideoque cavet, ne ab hominibus videatur; de oculis autem divinis nihil curat. Itaque cum audis : « hujusmodi hominis timor, et oculi hominum timentes illum, » sic accipere debes, *q. d.* Hujusmodi timor est timor hominis, scilicet humanus; vel timor hominis, hoc est de homine susceptus. « Et oculi hominum timentes illum : » vox *illum* non ad Deum, sed ad hominem referenda est, *q. d.* « Oculi hominum (id est carnei timentes) illum, » hoc est hominem; nimirum quia hominem vident, Deum autem non vident. Subdit Ecclesiasticus : « Et non cognovit, quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes. » Non animadvertit, inquit, Dei optimi maximi oculos solis lucem ac radios longe post se relinquere : nam solis lucem nox intercipit, at divini obtutus radios nulla nox hebetat. Solari lumini clausis cubiculi fenestris obsistitur, at Dei oculi usque ad penitissima cubilia perveniunt; solis denique lux in specus et antra non descendit, at Deus abyssos imas intuetur, et usque ad secreta cordis rimanda pervenit, et intimas animi cogitationes pervadit. Sed quid inde? ut cognoscat adulter, seu fornicarius, ea quæ tenebras captans, vel in noctis silentiis, vel in secretis cubilibus, vel in defossis et imis locis latere desiderans perpetravit flagitia, Dei perspicacissimos oculos fugere non posse, adeo ut vel cor ipsum, quo nihil est occultius, ipsi pervium omnino sit.

Adulteri homines verentur, non Deum.

Adulter non advertit omnes etiam cogitationes suas a Deo perspici.

Pulchre hoc expendens D. Ambrosius lib. I *Offic.* cap. XIV : « Malus, inquit, studet latere, cum Deum latere non possit, qui intra profundum abyssi, et intra hominum mentes non solum tractata, sed etiam volvenda cognoscit. Quid autem tam stolidum, quam putare quod Deum quidquam prætereat? si enim radius solis fundit lumen super omnem terram, et in ea quæ clausa sunt se inserit, quomodo non potest intelligibilis Dei splendor in cogitationes hominum et corda semet, quæ ipse creavit, inserere? » Deinde S. Pater causam veram assignat tam stolidæ temeritatis eorum, qui Dei se posse oculos effugere arbitrantur : « Nolunt, inquit, supra se esse judicem quem nihil fallat; nolunt ei dare occultorum scientiam, qui metuunt occulta sua prodi; » sed frustra sibi ipsis illudunt : est enim παντόπτης et καρδιογνώστης Deus, qui omnes actus hominum etiam internos acerrima mentis acie intuetur, ut suo tempore æternis pœnis vel præmiis eos puniat aut remuneretur.

Dei oculos nihil fugit.

Vers. 16. 16. PERFODIT IN TENEBRIS DOMOS SICUT IN DIE CONDIXERANT SIBI, ET IGNORAVERUNT LUCEM. — Quod die deliberaverant constituerantque viri scelerati, id nocturno tempore perficiunt, quare dum favent tenebræ, neque lux impedit, quam vehementer exsecrantur, parietes perforant, et claustra confringunt, ut tutius irrumpant ad illa quæ claudit et continet dominorum custodia. Ita Sanctius noster, qui hæc de latronibus potius quam de adulteris dici putat, quia nimirum latrones frequentissime domos perforant, adulteri non nisi perquam raro : aliis enim machinis ad alienum torum sibi aditum aperiunt, nempe donis et pecuniis, quibus nihil est clausum, nihil tam firmum quod non expugnetur. Hæc adulterorum sunt arma, multo illis potentiora quibus perforantur muri, aut confringuntur portæ; latrones vero id faciunt commodius, quia multi simul ad illud nocturnum opus societatem coeunt. Sane illis hoc

Malefici tenebris gaudent, quæ maleficiis eorum favent.

http://www.obrascatolicas.com

esse usitatum Christus ipse docuit in evangelio dicens *Luc.* XI, 39 : « Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam, » nempe a latronibus; hi igitur latrones die speculantur, et unde petenda sit præda diligenter inquirunt, quo artificio ac tempore cogitata perficiant statuunt, et rem aggrediuntur nocte defensi tenebris et dono noctis opacæ.

Adulteri sua scelera volunt silentio tegi.

SICUT IN DIE CONDIXERANT SIBI. — Proprie in Hebræo est *obsignaverunt sibi*, sicut legit Pagninus; unde Septuaginta reddunt, ἡμέρας ἐσφράγισαν ἑαυτούς, *per diem obsignaverunt seipsos*; Symmachus vertit, ὡς ἐν σφραγῖδι κρύπτουσιν ἑαυτούς, *tanquam in sigillo abscondunt sese*; quod aliqui sic explicant, quasi sigillo et certa nota designaverunt sibi locum, quo tutius et occultius ingredi, et locum infirmiorem, quem facilius suffodere et aperire possent. Aut hæc obsignandi et apprimendi sigilli translatio pertinet ad aliquid amatoriarum et arcanarum schedularum ultro citroque missarum inter adulterum et adulteram, quibus inter illos agatur de quærendo aut patefaciendo aditu, aut aperienda fenestra et præbendo ingressu : ita Pineda noster, nec Sanctius improbat istiusmodi explicationem. Cum tamen id quod obsignandi translatione hebraicus fons et Septuaginta expresserunt, Vulgatus interpres ad colloquium transferat (vertit enim *condixerant sibi*) non videtur alienum, si obsignationem istam ac sigillum ad secretum ac taciturnitatem altumque silentium referatur, quo et inter se locuti sunt adulteri, vel plures impii secum; et alter alterius verba ita excepit, ut nulli vulget, nec quæ ab alio audierit in vulgus prodat : improbi enim sua consilia premi silentio volunt, ut liberius peccent, ne sit qui obsistat, et ullo pacto impediat. Qui sensus confirmari potest ex eo, quod obsignationis metaphora etiam ad verba tum apud sacros tum apud profanos traducatur.

Qui male agit odit lucem.

ET IGNORAVERUNT LUCEM, — id est, aversantur et fugiunt lucem ac diem, ne sordes illorum prodant : « omnis enim qui male agit odit lucem; et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus, » *Joan.* III, 20. Talis vecors juvenis, ut est in *Prov.* VII, 7, quem gradientem in obscuro, advesperascente die, in noctis tenebris et caligine, occurrens mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, apprehensum deosculatur, et procaci vultu blanditur et invitat ad amplexus, donec illucescat dies, quia vir non sit in domo, etc. Hesperum amantes amant, tardeque queruntur stellam redire, et illam matres avidæ ac nurus cupiunt quamprimum radios spargere lucidos, ut Seneca cecinit in *Medea*. Questus etiam Dio Chrysostomus est consecratas noctuas Athenis Minervæ virgini, cum Veneri potius fuissent consecrandæ; quoniam diem lucemque virginitas, venus ac turpitudo noctem et tenebras captat. Invehitur autem acerrime *Orat.* 7 in libidines, præsertim publicas, et impudentiam circa res per se pudendas : Ephrem item comparat scortatores cum avibus nocturnis ac lucifugis; Tertullianus quoque in *Apol.* cap. I : « Omne malum, inquit, aut timore aut pudore natura perfudit : malefici gestiunt latere, devitant apparere, trepidant deprehendi, » etc.

Vers. 17.

17. SI SUBITO APPARUERIT AURORA, ARBITRANTUR UMBRAM MORTIS : ET SIC IN TENEBRIS QUASI IN LUCE AMBULANT. — Non solum, inquit, lucem non dilexerunt, verum etiam exsecrati sunt eam, quod non modo non juvet, sed etiam impedimento sit : quia nec grassator sic tuto iter agentes invadere potest, nec fur ad alienas ædes penetrare, neque adulter et scortator rem cum mulieribus habere. *Et sic in tenebris quasi in luce ambulant*, id est, tenebræ sunt eis pro luce, de nocte ambulant, munera sua obeunt; de die vero dormiunt et requiescunt, noctem vertentes in diem, et diem in noctem : illorum proinde vitam S. Maximus a Deo doctus et illuminatus vocat σκιὰν θανάτου, *umbram mortis*; David vero *Cedar*, in *Psalm.* CXIX, 5. Præclare, inquit D. Gregorius Nyssenus lib. *De Virgin.* cap. IV, *Cedar* nominat, quod apud Hebræos idem est quod *tenebræ*, ut intelligamus nos in cursu ad immortalitatem velut ἀφορασίᾳ τινὶ νυκτερινῇ, *cæcæ noctis caligine* circumfusos sæpe in scelus infortuniumque impingere; eam vero in hominum vita ignorationem esse, ut quæ in perpetuo sunt motu stabilia esse putent, atque in immensum duratura, quæ vilia τίμια, *magnifica*, et pretio omni dignissima. Pari etiam mente S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 10 istiusmodi homines ait in hac vita ὥσπερ ἐν νυκτομαχίᾳ, *ut nocturno in bello* confusionem et ignorantiam perpeti, et consiliorum inopiam atque perturbationem : quippe effosso prudentiæ lumine, et exstincto libidine voluptatis, tenebras consequi est necesse tetras et horrificas, in quibus, ut in caveis cæcæ aviculæ, a Satana humani generis inimico detineantur ad alios simillimam in fraudem atque noxam illiciendos. Quæ autem fingi major et cogitari potest animis obducta caligo, quam ut est apud Isaiam cap. V, 20, vetustum illum novi evangelii præconem, « dicere malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum, » id est, contemptis æternis deliciis et repudiatis in viles corporis illecebras se penitus ingurgitare, volantes mundi quisquilias cœlestium rerum dulcedini anteponere, sectari inertiam, et insaturabiliter inhiare cupidini, respuere gloriam magni animi et excellentis, Numinis benevolentiam pro nihilo ducere, omnibus animi corporisque viribus incumbere ad explendam titillantis luxuriæ voluptatem?

Malefici noctem vertunt in diem.

Vita impiorum est umbra mortis et tenebræ.

In impiis et voluptuariis regnat princeps tenebrarum.

Hic nimirum exsultat impius, et triumphat princeps tenebrarum, et negotium perambulans in tenebris feliciter et belle promovet laternaria voluptate, quæ tantum lucis et splendoris impertit, quantum opus est ad quærendam et percipiendam sensuum oblectationem : itaque illorum hominum pectus, qui avidi sunt commotionum suavium jucunditatis in corpore, simillimum esse dixerim antro somni, quod poetico penicillo pingit in hunc modum Ovidius lib. XI *Metam.* :

> Quo numquam radiis oriens mediosve cadensve
> Phœbus adire potest; nebulæ caligine mixtæ
> Exhalantur humo dubiæque crepuscula lucis.

Ex voluptatibus oriuntur in animo tenebræ et caligo.

Sane ex eo corde nebulæ exhalantur inanium voluptatum densæ et caliginosæ, quibus fretus stygius latro libero introitu in arcem mentis et animi castellum irrumpit, et facta clade virtutum insignium omnia gratiæ dona atque merita superbissime crudelissimeque populatur. Nam ubi voluptas dominatur, subito in voluntate oriuntur motus inimici rationis, quibus sanctissimæ affectiones vel minuuntur et obsolescunt, vel etiam exstinguuntur; in quarum locum vanæ futilesque lætitiæ et insanientium turba appetitionum succedunt, umbrosamque nubem vitiorum inducunt, qua involuti et miserandum in modum circumfusi homines in scelus impingunt. Et proinde non aberrabit, qui voluptatem cum magnetis fumo componat, qui si tritus in ædibus fuerit, et in prunas ardentes injectus, ita ut fumus evolet in altum, videbitur tota ruere domus; quo terrore pavefacti qui intus sunt, abjectis omnibus diffugiunt. Atque hoc artificio ait Camillus Leonardus latrones supellectilem diripere, et locupletum ædes inexpiabili fraude spoliare. Hæ ludificationes sunt voluptatum; nox et caligo mentem opplet, prudentia concidit, brutescit animus, virtutum morientium cruor funditur; erebi prædo in νυκτομαχίᾳ victor spolia opima legit, atque in adorea bacchatur.

Vers. 18.

18. LEVIS EST SUPER FACIEM AQUÆ : MALEDICTA SIT PARS EJUS IN TERRA, NEC AMBULET PER VIAM VINEARUM. — Locus hic varias admittit expositiones, quas Pineda omnino septem adfert, e quibus illa videtur magis litteralis, quæ censet hoc loco describi velocitatem impiorum, præsertim adulterorum in fugiendo, ne agnosci aut comprehendi possint. Ita Cajetanus : « Tam agilis, inquit, fugiendo est adulter, quam si super aquas ambularet; et vix per summam levitatem ipsam aquæ faciem supremam attingeret planta. » Alii quoque non male hoc intelligunt de facilitate peccandi atque velocitate captandi quamcumque sceleris occasionem : « Videtur enim, inquit S. Thomas ad hunc locum, impio propter impetum concupiscentiæ super aquam et super quamcumque difficultatem leviter transire posse, ut ad rei concupitæ fruitionem perveniat, » *q. d.* Adeo pernici cursu ad vitia evolat impius, ut nullo obice retardetur. Symmachus velocitatem adauget, sic Jobi locum transferens, ἐπιπλέων ὕδατι, *supernatans aquæ*, q. d. Impius ad impietatem marinos fluctus a sæva tempestate et atrocioribus ventis concitatos velocitate superat.

Adulteri sunt leves et veloces ad fugam, ne deprehendantur.

Homo celerrimus ad vitia.

Notat porro Sanctius noster Latinos explicare solitos velocitatem summam hoc aut simili modo dicendi, quo significent, etiam quæ mollia sunt veloci pede sine ulla offensione calcari; aut certe sic a currentibus attingi leviter, ut nulla maneant in pulvere calcato vestigia. In hunc sensum explicatur illud *Dan.* VIII, 5 de Alexandro Magno : « Hircus caprarum veniebat ab occidente super faciem totius terræ, et non tangebat terram, » et illud *Isai.* XLI, 3 : « Semita in pedibus ejus non apparebit. » Bene ergo Jobus exprimere volens velocitatem summam impii ad impietatem dixit : « Levis est super faciem aquæ, » *q. d.* Præ velocitate cursus pede non tangit aquam vel terram; quin imo etiam sine pedibus ad vitium currit : « quemadmodum incedunt quædam sine pedibus manante impetu, quod angues; et insurgente conatu, quod vermes; et spumante reptatu, quod limaces, » ut egregie notavit Tertullianus lib. *De Anim.* cap. X. Porro insanæ hominum appetitiones adeo præcipites in vitia feruntur, ut non modo lubricam piscium velocitatem et celerem ferarum pernicitatem imitentur, sed et vermium et serpentium impetus, et absque pedibus cursum, nec non aquæ labentis fluxum æmulentur : labitur enim ferturque præceps impius ad improbitatem stimulatus cupiditate et libidine, sicut aqua quæ effunditur statim diffluit et deletur : ita Nicetas in *Caten.* Sic ad Ruben Jacob animo præsago ait *Gen.* XLIX, 4 : « Effusus es sicut aqua, non crescas, » scilicet libidinosus effusæ aquæ similitudine optime exprimitur, quippe qui raro aut certe summa cum difficultate de sordibus ad puritatem, ab intemperantia ad vitæ morumque integritatem revocari consuevit. Apte igitur isto aquæ symbolo significatur humanæ carnis imbecillitas, quæ tam facile diffluit in luxuriem, sicut aqua e vasculo emittitur; et quemadmodum ex aqua in terram effusa lutum, cœnum sordesque fiunt, ita per lapsum carnis et anima, et corpus, et fama, et quidquid est in homine sordescit ac fœtet, atque omnis illico, si quis antea in animo fuerit virtutis decor, marcescit et evanescit.

Luxuriosi effundantur ut aqua.

Luxuria facit omnia in homine sordescere.

Eleganter D. Gregorius Nyssenus tract. I *in Psalm.* cap. IV, voluptatem similem ait esse ἀπατηλῶν φαντασμάτων, *fallacium phantasmatum*; quæ cum teneri a voluptatum amatoribus creditur, subito evanescit, atque in nihilum recidit; illius autem spectri inanis unicum vestigium relinqui post recessionem τὴν αἰσχύνην, *pudorem*; et orat. 4 *De Beat.* idem sanctus consimili prudentia et gravitate : Omne genus, inquit, voluptatis quæ corpore percipitur, ἐμοῦ τὸ προσπελάσαι παρίπτατει, *simul ut appropinquavit prætervolat*. Paria memini Cydonium dicere in orat. *De Contem. morte*, ubi motus illos suavitatis, qui solent titillare sensus, et jucunde afficere, venuste vocat εἰδώλα ἡδονῶν, *simulacra voluptatum*, cum nusquam subsistant, sed in perpetuo motu versentur; et quod eas recipit sit τετρημένος σώματος πίθος, *perforatum corporis dolium*, undique perfluens, et quod nihil continere possit; quo fit ut obscœni

Voluptas cito fugit et evanescit.

Voluptates corporeæ sunt dolium pertusum.

http://www.obrascatolicas.com

motus corporis, qui luxuriæ libidinique serviunt promittant potius quam exhibeant ullam voluptatem, cum subito et præter opinionem effluant et vanescant. Summa deinde consequitur inanitas, et jejuni atque hiantis animi mœror, velut fugientem sequentis, et desiderantis voluptatem, quæ amasium perfidia sua frustratur :

Par levibus ventis volucrique simillima somno.

Adeo ut dubitare mihi posse videantur aucupes illi oblectationum, an aliquem dulcedinis motum habuerint, cujus nullam in animo effigiem recognoscant. Hinc divinitus a Sapiente *Sap.* v, 15, cujus ore Numen loquitur, sensuum delectatio, in quam avide se flagitiosi ingurgitant, dicitur « lanugo, quæ a vento tollitur, et tanquam spuma gracilis quæ a procella dispergitur; et tanquam fumus, qui a vento diffusus est. » Ad hanc vero brevitatem jungitur ut plurimum dolor, et dissoluti animi molestia, quod singulari Dei providentia comparatum est, ut cupiditatum illecebris et blandimentis sensuum irretiti a vitiosa corporis voluptate abhorreant. Unde subdit :

Impiorum portio maledicta est in terra.

MALEDICTA SIT PARS EJUS IN TERRA, NEC AMBULET PER VIAM VINEARUM. — Primam itaque horum hominum impiorum portionem dicit fore et esse maledictam in terra; quoniam ex omnibus illis quæ in hac vita visi sunt possidere quasi partem et hæreditatem suam, nihil aliud quam maledictionem et damnationem sibi acquirent; et in damnationis ac maledictionis cumulum illis cedent omnia, sicut e contrario « electis omnia cooperantur in bonum, » *Rom.* VIII, 28. In terra etiam superna beatorum erit pars eorum maledicta, eo quod ibi locum non sint neque portionem ullam habituri, maledictionis æternæ sententia a felicitate sanctorum exclusi : in terra quoque inferni, in terra oblivionis et miseriæ, pro portione sua et hæreditate sempiterna maledictionem damnationemque accipient. Neque ambulabunt miseri illi per vias lætas et amœnas, cujusmodi sunt viæ vinearum, quæ ad altiora ducunt, et ambulantibus juxta ipsas tam odore bono, quem de se spargunt, quam sapore uvarum, refrigerium et oblectamentum præstant : quales utique sunt viæ illæ, quas justi ad supernam patriam tendentes, et laborioso conatu quasi per montium juga conscendentes, perambulant, qui odore cœlestium deliciarum subinde velut a longe reficiuntur, et quasi gustum quemdam præcipiunt, unde animantur ad iter suum fortiter percurrendum, donec ad summum usque montis verticem pertingant : ita Titelmannus in *Paraph.* cum S. Gregorio, S. Thoma et Philippo, qui per *viam vinearum* mystice intelligunt viam sanctorum et Ecclesiæ militantis in cœlum, quam impii non ascendunt, sed e contrario magis descendunt per abrupta vitiorum in loca inferna tormentorum, ubi erit cumulus et vicissitudinaria successio universorum cruciatuum, de quibus ait :

Viæ justorum jucundæ, impiorum tetricæ.

19. AD NIMIUM CALOREM TRANSEAT AB AQUIS NIVIUM, ET USQUE AD INFEROS PECCATUM ILLIUS. — Agit hic de pœnis impiorum, quas tum in hac tum in altera vita patiuntur, generatim quidem ab una calamitate in aliam et contrariam transeundo; proprie vero ac specialim in hac quidem vita febrium, ac tempestatum frigus et æstum immoderatum, in futura vero ignis infernalis et frigoris nivalis cruciatus alternis subeundo : ita passim interpretes. An autem damnati non solum ardore, sed frigore etiam æterno crucientur, non æque omnium una est opinio; et quidem aquam ibi vel nivem seu gelu qui in inferno ponant sunt valde pauci; multi tamen intensum frigus ibidem reperiri existimant; et vero eam esse communem sententiam affirmare videntur S. Hieronymus, Philippus presbyter, Beda et Dionysius ad hunc locum; et Soto in IV *Sentent.* dist. 50, *Quæst.* unica art. 4, eam docet; ac sanctus quidem Hieronymus et Philippus opinantur hanc sententiam colligi ex *Matth.* VIII, 12 et XXII, 13 et XXIV, 51 et XXV, 30; et *Luc.* XIII, 28, ubi mentio fit fletus et stridoris dentium; putant vero fletum ex igne et fumo, stridorem ex intolerabili frigore nasci; S. Augustinus quoque lib. *De Tripl. habit.* cap. II : « Duo, inquit, sunt principalia tormenta in inferno, frigus intolerabile, et calor ignis inexstinguibilis, » quod confirmat ex hoc loco Jobi; et ad hæc duo, frigus et ardorem, cæteras pœnas revocat; quia vero non raro legitur in evangelio *Matth.* V, 22 et XVIII, 9, « gehenna ignis, » duplicem proinde videntur Hieronymus et Philippus gehennam distinguere, ignis unam, frigoris alteram : verba S. Hieronymi sunt ista : « Quasi duas gehennas S. Job mihi dicere videtur, per quas diabolus, hæreticus et homo impius commutetur. Forte in ipsa gehenna talis sensus cruciatuum fiet illis qui in ea torquebuntur, ut nunc quasi ignem ardentem sentiant, nunc nimium algoris incendium, et pœnalis commutatio nunc frigus sentientibus, nunc calor sit; ut quasi de loco ad locum transire existimentur. Et fortassis inde Dominus ait in evangelio *Matth.* XXII, 13 : *Mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium,* ut hic stridor dentium de rigore frigoris oriatur, ubi et similitudinem quamdam ex nostris corporibus possumus invenire, in quibus ex fellis rufi abundantia, quod est calidissimum, in typicis morbis intolerabilis rigor præcedit, ignem febrium ardentissimum secuturum. Dicuntur a medicis hæc duo, quæ sibi contraria dignoscuntur, ex una fellis materia in homine procreari : » sic ille.

Hæc eadem verba Pineda noster etiam Philippo tribuit; nec Beda multum ab illis discrepat, videnturque omnes pariter ad unam eamdemque causam, æterni scilicet ignis, utrumque cruciatum, frigoris scilicet et ardoris, revocare : nam Philippus sicut duas frigoris adustiones distinguit, sic et ignis. Secundum quam sententiam ignis inferni efficiet in damnatis cruciatum frigoris : cæterum Paludanus in IV *Sentent.* dist. 50, *Quæst.* V, ab aqua et omnibus quatuor elementis sentit damnatos affligendos; idemque videtur Durandus opinari *Quæst.* I. Verum quidquid sit de istius quæstionis decisione, quam mei muneris non est determinare, aut in alteram partem definire, mihi cum Sanctio nostro et Regio videtur ex hoc Jobi loco nihil haberi certi posse de hoc inferni frigore, de quo vix ullus alius Scripturæ locus exstat; quæ semper ignis, et vix semel frigoris in torquendis impiis mentionem facit. Hujus autem loci sensus est : quod sicut arida terra nimiumque æstuans absorbet atque ebibit liquatas nives, sic infernus eos qui peccaverunt; quem sensum Hebræus habet, *ariditas et æstus auferunt aquas nivis, infernus eos qui peccaverunt.* Septuaginta quoque illi favent dum sic vertunt, ὥσπερ δὲ ἐμίχλη δρόσου ἀφανὴς ἐγένετο, *et sicut nebula roris factus est non apparens,* q. d. Ut dissipatur a sole nebula rorida momento temporis, et ros evanescit, sic impius Deo vindice absumitur, ut fere idem sit quod dixit David *Psalm.* LXVII, 3 : « Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei. » Cum itaque Job ait : « Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, » tale exitium imprecari videtur viro impio, quale nivi adferre solet æstus : momento enim temporis liquescit, ut nihil pristini candoris vel frigoris vestigium relinquat. Subditur :

Vers. 19. Impiorum pœnæ sunt æstus et frigus.

Ex hoc loco nil certi de frigore inferni concludi posse.

Qualia sint damnatorum supplicia in inferno.

ET USQUE AD INFEROS PECCATUM ILLIUS. — Hoc est veluti superioris imprecationis aut correctio aut amplificatio, *q. d.* Non solum temporali pœna, sed æterna quoque afficiendus est impius; vel, ut sit clausula quædam et finis præcedentis orationis, hoc modo : is tandem est peccatorum descensus ad inferos, et iter ad sepulcrum, extremumque supplicium; vel ut obstinata illorum mens significetur digna præcedentibus suppliciis, *q. d.* His, inquam, digni sunt, qui ad mortem usque improbitati adhærescunt. Hæc secundum nostrum interpretem, nam secundum Septuaginta et hebræam lectionem hæc pars respondet sententiæ, ex qua conficitur altera similitudinis pars; scilicet ut ariditas et æstus auferunt aquas nivis, sic sepulcrum peccatores. Nihil igitur locus iste probat pro inferni frigore : quare Abulensis *in Matth.* cap. XXI, quæst. 558; Jansenius in *Concord.* cap. XLV; Dominicus Sotus et Maldonatus *in Matth.* cap. VIII, licet non præfracte, negare tamen videntur frigus hoc in inferno habere locum. Antiqui vero Patres proniores sunt et procliviores ad affirmantem partem; quam video eos passim amplexatos fuisse, dum in inferno duo præcipua agnoscunt supplicia, scilicet intolerandum frigus; unde Græci nuncupavere τάρταρον, et ignem, quem æternum divina oracula significant : Tertullianus in *Apolog.* cap. XLVII, vocat « ignis arcani subterraneum thesaurum ad pœnam; » S. Augustinus loco supra citato ad frigus et ardorem cæteras inferorum pœnas sic revocat :

Frigus et

« De aquis, inquit, nivium transiliunt ad calorem

nimium : de quibus duobus innumera pendent pœnarum genera, videlicet silis intolerabilis, pœna famis, pœna fœtoris, pœna horroris, pœna timoris, pœna angustiæ, pœna tenebrarum, severitas tortorum, præsentia dæmonum, ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, dilaceratio immortalium vermium, vermis conscientiæ, ignitæ lacrymæ, suspiria, miseriæ, dolor sine remedio, vincula sine solutione, mors æterna, pœna sine fine, absentia Christi quoad visionem ejus, » etc. Neque enim cogitandum est duo tantum esse illa pœnarum genera tametsi atrocia, quibus sontes in Erebo crucientur : est enim is locus acerbitatum omnium officina, olida mephitis, puticuli halantes, cloaca mundi, sordium omnium fæx et colluvies, ubi nihil sit quod delectet, nihil quod non incredibiliter torqueat; qui sit denique, ut Servator mundi κατ' ἐξοχὴν appellat *Luc.* XVI, 28, *locus tormentorum.* Jonas cap. II, 7, ad ea omnia adjungebat æternitatem, de qua mens omnis cogitando prope inexplicabili pavore tenetur : « Cujus, inquit, vectes retinacula sempiterna, » quæ videlicet solvi aut perrumpi nequeant, ait B. Cyrillus : cum nemo e stygia unquam domo exierit, nec ea semel clausus revocare gradum potuerit, et suavissima luce perfrui. Quapropter subdit :

ardor inferni reliqua tormenta in se continent.

20. OBLIVISCATUR EJUS MISERICORDIA : DULCEDO ILLIUS VERMES : NON SIT IN RECORDATIONE, SED CONTERATUR QUASI LIGNUM INFRUCTUOSUM. — Est poetica prosopopœia, quasi dicat : Nemo ejus, ne Deus quidem misereatur; adeo ut ipsa misericordia videatur ejus oblita, illique esse immisericors. Sed hic petet aliquis, cum tanta sit Dei misericordia et benignitas erga homines, quanam ratione fieri possit, ut Deus misericordiæ obliviscatur. Huic optime respondet S. Gregorius lib. XVI *Moral.* cap. XXVIII vel XXXI, ejus oblivisci divinam clementiam sub extremum judicium, qui dum viveret oblitus est divinæ justitiæ. Nam apud Deum misericordia justitiaque indissolubili amicitiæ nodo junguntur, et sibi mutuo vicem rependunt; ita ut hoc tempore dum vivimus misericordia eis tantum opem ferat, qui justitiæ divinæ meminerunt : cum autem sub extremum judicium tempus proprium divinæ justitiæ accesserit, illorum recordetur qui misericordiam coluerunt; ex adverso vero misericordia eo tempore eis tantummodo faveat, qui justitiæ non sunt obliti. Ipsamet S. Gregorii verba sic habent : « Omnipotentis Dei misericordia oblivisci ejus dicitur, qui omnipotentis Dei justitiæ fuerit oblitus : quia quisquis cum nunc justum non timet, postea eum invenire non valet misericordem. » Quod licet universe proferatur, singulari tamen ratione ad repulsam Dei tradentis impium oblivioni pertinet *Psalm.* CXI, 7, ut sicut « in memoria æterna erit justus, » qui sese abdidit, neque mortalium gloriam aucupatus est; ita impius, qui hominum laudes coemere gestiit, sempiterna oblivione tumuletur. Septuaginta nonnihil aliter legunt hoc

Vers. 20.

Ipsa Dei misericordia damnatorum oblivisci dicitur; quia dum viverent obliti sunt justitiæ

http://www.obrascatolicas.com

Immisericordes non reperient misericordiam.

modo, ἀποδοθείη δὲ αὐτῷ ἃ ἔπραξεν, *retribuantur autem ei quæ fecit*, id est, nemo misericordia ejus commoveatur, sicut ipse pauperum misertus non est, ita Samuel Agagi misertus non est, sed vicem retulit ei dicens I *Reg.* XV, 33 : « Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua : et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis. » Cum igitur impii culpæ suæ demerito ad infernum fuerint perducti, non erit eis ultra spes ulla veniæ aut indulgentiæ impetrandæ; sed justitia et judicium justum incumbent super illos pondere gravi et intolerabili usque in sempiternum; atque interim dum in inferno sine misericordia cruciatibus afficiuntur impiorum animæ, corpora ipsa in sepulcris roduntur a vermibus. Unde subditur :

Dulcedo impii desinit in vermes.

Dulcedo illius vermes, — id est, deliciæ ejus et adeps deliciosus dulciter vermes pascat in sepulcro et vermem conscientiæ in inferno : « quia inde, inquit S. Gregorius lib. XVI *Moral.* cap. XXIX, delectabiliter pascitur, unde per inquietudinem incessanter agitatur. » Istorum enim dulcedines in vermes corrodentes desinunt, quia conscientiam valde mordent et torquent, ipsaque morte amariorem reddunt, sed hostes suos dulciter pascunt; unde quidam ita interpretantur hunc locum, quod impii eorumque dulcedo sit dulcis cibus vermium, cui congruunt Hebræa, quæ alii ita vertunt, *capietur dulcore ejus vermis*. Sicut enim vermes avide et dulciter pascuntur corporibus mortuis in sepulcro : ita dæmones dulciter deglutiunt impios et torquent, eorumque fœdæ dulcedines convertuntur in nutrimentum vermis qui non moritur, et ignis qui non exstinguitur *Marc.* IX, 47, ac tortorum insufflantium illum. « Potest quoque, inquit S. Gregorius loco supra citato, apertius *vermis* nomine caro designari; unde homo *putredo* et filius hominis *vermis* dicitur : » sane quisquis putidas corporis voluptates anhelat, quid nisi vermes amat? Corpus agnatione proxime vermibus junctum esse sepulcra fatentur sincera veritate : ita « dulcedo illius vermes; » hinc fœdo Cupidini vincendo plurimum facit, ut hoc quod vivum quis diligit, quale sit mortuum expendat. Fecit hoc anachoreta, uti Hugo cardinalis in hujus loci commentario memorat, qui ad abolendam memoriam mulieris, quam dæmon illius animo identidem repræsentarat, tumulum jam sepultæ et tabescentis clam reseravit, et ablatam inde cadaveris partem toties naribus apposuit, quoties animum titillaret libido : et en, aiebat ipse sibi, « dulcedo tua vermes : » ita præsigni victoria seipsum triumphavit. Vere omnium luxuriæ deditorum « dulcedo vermes, » hoc est corpus brevi objiciendum vermibus pabulum; et quia homines impuri ac libidinum suarum servi talem amant dulcedinem, et in ea felicitatis suæ summam collocant, non erunt in recordatione apud Deum, ut ab eo præmium beatitudinis accipiant, sed conterentur velut lignum infructuosum, in flammas stygias dejiciendum, atque hoc est quod subjungit dicens :

Dulcedo carnalium vermes.

Impii non sunt in memoria apud Deum.

Non sit in recordatione. — Non erunt utique impii isti in memoria apud Deum, sic ut ullam ab eo accipiant usque in sempiternum liberationem aut consolationem; sed projecti et velut deleti a memoria divinæ pietatis sine misericordia conterentur, et consumentur perditione sempiterna, qui fructum bonum non fecerunt in tempore suo, ad quem proferendum fuerant conditi et in hac vita longo tempore clementer tolerati; ad eum modum quo arbores infructuosæ, quæ fructum non proferunt in tempore suo, tandem succiduntur, et in ignem mittuntur. Septuaginta pro *quasi lignum infructuosum* reddunt, ἴσα ξύλῳ ἀνίατῳ, *sicut lignum insanabile*, quasi impius sanitatem salutemve respuat, frustraque moneatur, quemadmodum sterilis arbor quæ aruit incassum coleretur. Etenim patienter fert Deus, et tempus indulget; at ubi experientia constat impium indulgentia ad malum abuti, gravi Dei irascentis imperio succiditur, et tormentis tartareis excruciatur; cadaver vero ejus spolium mortis vermiumque ludibrium e penatibus ejicitur, et sepulcro conditur deformissimum et nudum, et decore omni spoliatum. Quod vidit canorus Isaias cap. I, et expressit, ex Sept. : « Erunt quasi terebinthus decidentibus foliis. » Terebinthus, ait S. Basilius, densa foliorum coma instructa elegantem et peramœnum intuentibus colorem ostentat, ramorum scabritiem obumbrantibus foliis, quæ cum hieme deciderunt, manet arbor sine formositate horrida, quam solus ignis exspectare videatur : ita illi qui externa quadam simulatione gloriam vulgi aucupantes, fortuna elati, et spoliis pauperum gloriosi, viridissimo veluti foliorum vestitu ornati, fimbrias suas et phylacteria magnificentissime et inanissime dilatant, cum externam illam pompam spiritus mortis ut sævi aquilones decusserint, nudi atque inopes remanebunt, et piorum oculis ut fœdi et irridendi objicientur.

Impii velut arbores infructuosæ excidentur.

Vers. 21. Impii sunt etiam in steriles et viduas inhumani.

21. Pavit enim sterilem quæ non parit, et viduæ bene non fecit, — id est, depastus est ac spoliavit sterilem, satis alioqui per se malo sterilitatis afflictam : acerbissima enim pœna inter Hebræos olim, imo inter cæteros quoque homines censebatur sterilitas; tum ob alias causas (quas Maldonatus *in Luc.* cap. I, num. 25, solita brevitate perstringit) tum præsertim quia homines illius temporis sicut minus de æternitate cogitabant, ita magis suæ memoriæ in terris conservandæ studebant, quod per filios consequi se posse sperabant; unde si qua ratione illis orbari contingebat, incredibiliter angebantur. Hinc vel ipse Jobus, qui lethales fortunæ ictus immotus exceperat, quasi homo adamantinus, ut Origenes appellavit, ubi tamen filiorum mortem audivit, quasi loco stare non posset, præ dolore « surrexit, inquit textus, et scidit vestimenta sua, » uti habetur cap. I, 20, ubi vide quæ notavimus. Unde colligitur

quanta olim fuerit pœna sterilitas, cui proxima censebatur viduitas : quare steriles aut viduas affligere ac spoliare immane semper scelus est habitum. Ait ergo improbos sine ullo metu aut reverentia Dei nullo denique pudore, qui illos respectu hominum contineat, malo esse penitus deditos, et in ejusmodi conditionis fœminas impetum facere, quæ injuriam propulsare nequeunt, omnique ope et subsidio ab hominibus destituuntur, quia eas sibi paratam esse prædam ducunt. Expresse autem loquitur de mulieribus sterilibus : nam si mulier liberos habeat, quamvis sit vidua, modo liberi fungantur officio, ecce illi præsidium paratum et scipionem senectutis, ut loquuntur; sed si mulier sit vidua et sterilis, desolata est.

Impii steriles carnem pascunt, et animam viduam negligunt.

Mystice Titelmannus sterilem hoc loco *carnem*, viduam vero *animam* intelligit : totius quippe mali origo ipsis impiis hinc processit, quod carni nimium indulserint, animam vero et spiritum prorsus neglexerint : quia videlicet fovebant vitiosam carnem sive sensualitatem suam, quæ ex se tota est sterilis et infructuosa, ad omne bonum inhabilis, prona semper ad omne malum, quæ boni nihil de se parit, sed potius spinas et tribulos malorum desideriorum germinat. Istam quidem vilissimam meretriculam, sterile scortum, accurate paverunt, delicate enutriverunt, et quam diligentissime curaverunt, omnibus ejus desideriis obsequendo et satisfaciendo; pauperculam vero animam, quæ in hoc mundo est quasi desolata et vidua, donec peregrinatur a Domino, cui primum fuit desponsata et dedicata, hanc penitus neglexerunt, hujus non sunt miserti illi crudeles, neque ea quæ huic ad salutem potuissent conducere perficere voluerunt. Scorta etiam et meretriculas fornicarias non ad prolium generationem, sed ad voluptatem tantum carnis enutrierunt magnis sumptibus; viduis autem et pauperculis, quarum debuissent misereri, non præstiterunt misericordiam, imo ab ipsis rapuerunt quibus sua scorta alerent. Neque solum in femineum sexum solitarium et debilem fuerunt acres et acerbi, sed tantum etiam sibi juris et spiritus assumpserunt, ut viros etiam aggressi sint. Sequitur enim :

Vers. 22. Tyranni sunt in infirmos crudeles, in fortes violenti.

22. Detraxit fortes in fortitudine sua : et cum steterit non credet vitæ suæ. — Est vera descriptio tyranni, qui est in infirmos crudelis, in fortes vero violentus. Non solum enim grassatur sæva tyrannis in miseros et imbecillos, sed etiam potentiores, et opulentiores adoritur, ut eos de suo statu dejiciat. Illa nimirum rata lex tyranni, « excelsa quæque demetere, » ut procul omni suspicione et metu in infirmam et miseram plebem dominetur : qua de re sapienter scripsit Aristoteles lib. III *Politic.* cap. IX. Cæterum Jobi mens est hic ostendere, improbos, postquam pauperes, qui se tueri non possunt, et auxilio hominum destituti sunt, oppresserunt, audaciores fieri, et in feras immanes evadere, ita ut nemini parcant, in divites robustos, eosque qui auctoritate et dignitate pollent impetum faciant. Tum sane confusio est extrema, ita ut hoc unum agant, ut nimirum obvium quemque violentia plusquam belluina diripiant; nulla denique in illis humanitas, nullus pudor sit. Hæc autem nobis proponuntur, ut, cum ejusmodi exempla videmus, non perturbemur, sed potius adversus ejusmodi scandalum præmuniti cognoscamus Dominum permittere interdum, ut res ita sint involutæ et implicatæ, quo eo alacrius ad hæreditatem nobis promissam, ad quam vocamur, aspiremus. Cognoscamus igitur Deum nos omnibus mediis humanis spoliasse, ut in nobis ipsis dejiciamur et deprimamur, ad ipsum respiciamus, ipsum quæramus, ipse denique solus sit nobis portus et perfugium.

Tyrannorum persecutiones nos ad Deum confugere compellunt.

Ac sane æquum est providentiam Dei se in omnes mundi partes, summos et infimos ex æquo proferre; potest tamen illud animadverti, quomodo ii qui nocendi, prædandi, vim parvis et contemptis inferendi licentiam habuerunt, tandem se magnis etiam et nobilibus formidabiles reddant; et quidem hoc pacto Deus vult admonere illos qui habent facultatem pauperibus opitulandi ipsosque tuendi et defendendi, cum illis injuria infertur, quod si non se opponant, futurum sit ut lacessantur et impetantur, hoc est, præstent ipsimet culpam a se deserti et destituti pauperis, ut diripiantur, oculi ipsis, prout sunt meriti, eruantur : tum Deus illis ejusmodi retributionem mittendo glorificabitur. Verum quidem est interim confusionem magis ac magis augeri; sed tamen fideles in eo arcana Dei judicia, et quæ sunt supra captum judicii humani, possunt intueri, quod Deus ipsis verbo suo præluceat. Verumtamen, inquit, « cum steterit, » in prospera scilicet peccati et tyrannidis licentia, « non credit vitæ suæ; » quia tyrannus ob malam conscientiam omnia tuta timet : « Semper enim sæva præsumit perturbata conscientia, » ut Sapiens testatur *Sap.* XVII, 10 : « cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis; » siquidem reus a seipso peragitur impius, nec desunt gravissima indicia maleficiorum, cum sit conscientia mille testes, a qua prius quam a Deo damnatur.

Vers. 23. Impii abutuntur patientia Dei.

23. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam : oculi autem ejus sunt in viis illius. — Sugillat hic impiorum impœnitentiam, quæ illorum impietatem valde aggravat, et pœnam juste adauget ob contumaciam et contemptum divinæ benignitatis et longanimitatis, qua Deus illos exspectat multo tempore parcens illis et patienter sustinens, differensque ultionem, ut vel sic eos sua benignitate et longanimitate invitet ad pœnitentiam, nolens mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat : ipsi vero per obstinatam superbiam suam Dei longanimitate et benignitate non solum non utuntur ad pœnitentiam, verum etiam abutuntur ad culpam, occasionem ex eo arripientes liberius delinquendi, quod ultionem videant priorum peccatorum dif-

http://www.obrascatolicas.com

ferri, sicque ad damnationis cumulum sibi convertunt, unde ad salutem proficere debuissent. Ad hujus loci expositionem conducit quod B. Gregorius hom. 11 *in Ezech.* scribit his verbis : « Misericors Deus tempus nobis ad misericordiam relaxat; sed cum gratiæ patientiam nos in augmentum vertimus culpæ, hoc ipsum tempus, quod ad parcendum pie disposuit, districtius ad feriendum vertit : ut quia reverti quis etiam spatio temporis accepto noluit, per hoc mala sua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, si converti voluisset; unde scriptum est *Rom.* II, 5 : *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum duritiam autem tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram.* Ergo Dei benignitate abutens iram sibi Dei reprobus thesaurizat : quia dum ad pœnitendum tempus accipitur, et id tamen ad peccandum adhibetur, ipsum remedium gratiæ vertit ille in augmentum culpæ; unde et omnipotens Deus quia collata remedia conspicit ad culpæ incrementum trahi, ipsam benignitatem quam contulit in judicii districtionem vertit, ut inde post amplius feriat, unde nunc amplius exspectat : » ita S. Gregorius.

Impii longanimitatem Dei vertunt in augmentum culpæ et pœnæ.

Non ita inniten-dum misericordiæ, ut oblivis-catur justitiæ.

Luculentam quoque loci hujus explanationem continet quod tradit B. Augustinus super illis verbis *Psalm.* CII : « Miserator et misericors Dominus, longanimis, et multum misericors : Quid, inquit, tam longanimum? Peccatur, et vivitur; accedunt peccata, augetur vita; blasphematur quotidie, et facit solem suum oriri super bonos et malos. Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam : vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi : vocat per lectorem, vocat per tractorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagella correptionis, vocat per misericordiam consolationis. Sed observa ne longitudine misericordiæ Dei male vivendo sic tibi thesaurizes iram Dei, ut dixit Apostolus cum ait *Rom.* II, 4 : *An divitias benignitatis et longanimitatis ejus contemnis? Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?* quod tibi parcit, putas quia places ei? *Hæc fecisti*, inquit *Psalm.* XLIX, 21, *et tacui*; suspicatus es iniquitatem quod ero tui similis : non placent mihi peccata, sed per longanimitatem quæro recte facta. Si statim punirem peccatores, non invenirem confessores. Ergo te Deus longanimitate sua parcendo ad pœnitentiam adducit; tu autem quotidie dicis *Eccli.* V, 8 : Finitur hodiernus dies, et sic ero etiam crastino die : non enim erit cras ultimus dies : et idem dicis tertio die : et subito venit contra te ira Dei. Fratres non tardetis converti ad Dominum : sicut enim qui præparant conversionem, et differunt, et fit in illis vox corvina, cras, cras : corvus enim ex arca missus non est reversus *Gen.* VIII, 6. Non quærit Deus dilationem in voce corvina, sed reversionem ad se, et confessionem in gemitu columbino : nam et columba missa fuit ex arca, sed reversa est ad eam. Quamdiu cras, cras? puta esse hoc ultimum cras : sufficiat quod vixisti usque ad hodiernum diem peccator : sæpe hoc audis, quotidie audis, et quotidie non corrigeris : tu enim secundum duritiam cordis tui et cor impœnitens thesaurizas tibi iram. Non sic tibi videatur Deus misericors, ut non videatur et justus. Audis *Psalm.* CII, 8 : *Miserator et misericors Dominus*, et gaudes; audi et illud : Justus et verax Dominus, et reddens unicuique secundum opera ejus : si gaudes ad superiora verba, ad hæc posteriora treme : sic enim misericors est et longanimis, ut sit etiam verax et justus. Sed tu thesaurizas tibi iram in die iræ : et quem nunc benignum contemnis, tunc experiere justum. » Hactenus ex S. Augustino.

Locum tribui pœnitentiæ quam ingens Dei beneficium.

Ponderandum hic nonnihil, quid sit Deum dare alicui locum pœnitentiæ, ut impœnitentis malitia magis elucescat, ubi nos legimus : « Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, » in Hebræo habetur, *dabit ei fiduciam, et innitetur*; vel ut Cajetanus vertit, *dabit ei securitatem;* vel ut Vatablus reddit, *dat illi confidentiam*, quæ omnia includuntur loco pœnitentiæ : nam cui Deus tempus pœnitentiæ tribuit non castigando pœnamque infligendo, simul et fiduciam præbet et confidentiam, imo et quodammodo securitatem, ut legit Cajetanus. Potuit damnare, et non damnavit : spem, confidentiam et quodammodo securitatem habere possem, quod non damnabit, si facti tantum me pœniteat. Unde merito locus, sive tempus pœnitentiæ, tempus fiduciæ, tempus confidentiæ, tempus securitatis potest appellari. Quod etiam tempus a D. Paulo vocatur *tempus acceptabile* II *Corinth.* VI, 2, vel ut est apud Isaiam cap. XLIV, 8, *tempus accepti*, id est *inducIarum*, quas judex sua bona voluntate nobis tribuit antequam processus occludatur, et statuatur dies sententiæ; ob quod recte D. Paulus suadet, ut nullo modo illud præterlabi sinamus, sed omni instantia celeritateque sumamus : « Ecce nunc, inquit, tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, » ubi figenda est consideratio in illis duabus vocalis *ecce nunc*, q. d. Jam adest occasio, ne sinatis eam præterlabi : *nunc*, id est brevissima, non differenda in postremum, nunc adest; quis scit si postea aderit? « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, » in quibus negotiari possumus, et pro nobis agere, antequam veniat tempus sententiæ, et occludatur processus, causæque articulus finiatur : nunc negotiamini quando dies salutis sunt, ut inquit Budæus; in forensibus apud jurisperitos dicuntur *dies utiles* vel *legitimi*, in quibus dabantur dilationes ordinariæ ad dilatandam sententiam; sicut e contrario dies sententiæ dicebatur *dies cessionum* et *dies justus*. Negotiamini ergo, inquit Apostolus, nunc quando sunt dies salutis, dies dilationis, dies utiles, quos vobis Deus confert ad pœnitentiam agendam. Ergo Deus locum tribuens pœnitentiæ tempus communicat fiduciæ, et confidentiæ, et securitatis, et totius beneplaciti : quod cum ita sit, illoque statim

Tempus pœnitentiæ est tempus fiduciæ, salutis, etc.

Tempus pœnitentiæ dies utiles et legitimi.

ad pœnitentiam uti deberet peccator, e contra, ut inquit Job, « abutitur eo in superbiam, » ex tali flore non mel, sed venenum eliciens, scilicet impœnitentiam et ansam peccandi : superbit, quia non castigatur, et ex Dei tolerantia libertatem ad amplius peccandum educit.

Pharao non tam flagellis quam eorumdem cessatione indura-tus fuit.

Notandum hic unde Pharao sumpserit occasionem ad se indurandum, contraque Deum peccandum, non utique ex malis quæ illi inferebantur, sed ex Dei benignitate, ob inducias quas illi concedebat *Exod.* 8, 15 : « Videns Pharao quod data esset requies (a ranis nempe) ingravavit cor suum, et non audivit eos. » Mirum ut ex requie, et ex bono, quod illi contulerat Deus, ex patientia nempe, qua illum sustinebat, ingravaverit cor suum, ut bene annotavit D. Augustinus lib. *Quæst. in Exod.*, qui hunc ponderans locum ait : « Hic apparet non illas tantum fuisse causas obdurationis cordis Pharaonis, quod incantatores ejus similia faciebant, verum etiam ipsam Dei patientiam, qua parcebat. » Ergo unde pœnitentiam debebat, inde obdurationem miser iste elicuit, exemplo confirmans suo Apostoli sententiam II *Corinth.* II, 16 : Dei nempe patientiam aliis esse odorem vitæ ad vitam, aliis odorem mortis ad mortem; unde recte *ibid.* S. Augustinus : « Patientia Dei secundum corda hominum quibusdam utilis ad pœnitentiam, quibusdam inutilis ad resistendum Deo, et in malo perseverandum : » alii per ipsam salvantur, alii damnantur; qua nulla major miseria. Sic pravum aliquando cor est hominis, ut ex suavissimo divinæ misericordiæ flore non mel, sed fel eliciat, quod impiis illis accidit qui oblatum sibi a Deo locum pœnitentiæ non admittunt, sed eo abuntur in superbiam. Contra quos merito exclamat Paulus celeberrimam illam sententiam frequentissime a Patribus usurpatam ad commovendum terrendumque eos, qui peccare benignitate Dei ac longanimitate confisi perseverant *Rom.* II, 4 : « An divitias, inquit, bonitatis et patientiæ et longanimitatis ejus contemnis? » ubi *divitias* vocavit Paulus, secundum phrasim hebraicam, ingentem copiam et abundantiam; eoque vocabulo delectatus crebro usus est ad res divinas et spiritales translato : sic alibi *Rom.* XI, 12 appellat altitudinem divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei; et *ibid.* IX, 23, divitias gloriæ et misericordiæ, etc. Pro voce autem *bonitatis* græce est χρηστότητος, quæ vox proprie significat *benignitatem*, definiturque a philosophis *virtus, qua quis sponte ac benigne omnium utilitati expositus est*; et hinc putat Justinus martyr in *Apolog.* appellatos esse christianos quasi χρηστοτάτους, hoc est *commodissimos*, et utilissimos, et benignissimos erga omnes. *Divitiæ* igitur *bonitatis* Dei significant exuberantem ejus benignitatem, qua sponte largeque cumulat peccatores beneficiis suis. *Patientiam* Dei nominat, qua peccatorem ejusque sceleratam vitam tolerat; *longanimitatem* vero dicit, qua diu pœnam differt; diuque correctionem et emendationem exspectat.

Patientia Dei alii salvantur, alii damnantur.

Quæ sint divitiæ bonitatis et patientiæ Dei.

Ergo primum Deus utitur erga peccatores benignitate, beneficia quæ ad vitam sustentandam pertinent non denegans eis, faciens oriri solem suum, et pluere super bonos et malos; nec solum temporalia, sed etiam spiritualia interius exteriusque suggerit, quibus a sceleribus cohiberi et revocari queant. Utitur etiam Deus patientia, græce ἀνοχῇ, latinis *tolerantia*, et, ut ita loquar, sustinentia, præsertim erga peccatores, qui ex aliqua ignorantia vel infirmitate peccant : utitur demum longanimitate erga eos qui peccant ex inveterata peccandi consuetudine, et ex malitia, non statim eis pœnam atque damnationem inferendo, vel ad ipsorum emendationem, vel in exemplum aliorum, vel ad bonorum exercitationem. Audi S. Anselmum istas Dei bonitatis et patientiæ et longanimitatis divitias breviter ita declarantem : « Divitiæ, inquit, bonitatis Dei in hoc manifestantur, quod tanta quotidie in terris mala faciunt homines, quibus tamen Deus et vitam conservat, et solem suum exhibet, et pluvias ministrat, multaque largitur bona, quasi blandiens eis, ut ad pœnitentiam eos per beneficia provocet : dives item monstratur patientia ejus, qui homines tot et tanta scelera facientes patienter sustinet : dives est et longanimitas ejus, quia non statim punit eos, sed exspectat ad pœnitentiam per multa tempora. Has porro Dei divitias contemnit, qui non eis utitur ad agendam pœnitentiam, sed ad vanam securitatem convertit, existimans aut non curare Deum res humanas, aut donare quod differt. » Sic ille.

Quam benigne Deus agat cum peccatoribus.

Docte similiter copioseque hanc Pauli sententiam tractans et declarans Hieronymus : « Ex hoc, inquit, loco apparet cur Deus toleret peccatores, et cum posset vel prohibere peccantes, vel inferre vindictam, mavult tamen eos converti ad pœnitentiam; sed num propterea tibi, o homo, blandiris de impunitate securus, quia Deus in præsenti non puniat, et tu longitudinem temporis et abundantiam bonitatis intuens putas jam non esse judicium? Audi Scripturæ sententiam II *Pet.* III, 9 : *Non tardat Dominus promissa, sed patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam converti* : bonus est exspectando, justus est puniendo. Unde admonet Scriptura *Eccli.* V, 11 : *Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem; subito enim veniet ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te.* Et iterum : *Ne dixeris : Peccavi, et quid accidit mihi triste? Est enim Altissimus patiens redditor,* » etc. Id quod etiam Job hic significat dum addit : « Oculi autem ejus sunt in viis illius, » *q. d.* Impius quidem ob dilationem pœnæ sibi persuadet impunitatem, unde arrogans et superbus efficitur, sed non impune fert : nam Deus considerat perversas ejus vias, id est actiones, et alta mente reponit improba ejus facta, sicut dicit David *Psalm.* XXXIII, 17 : « Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum : » tempore enim suo contemptoribus illis justam inferet ultionem.

http://www.obrascatolicas.com

VERS. 24. 24. ELEVATI SUNT AD MODICUM, ET NON SUBSISTENT, ET HUMILIABUNTUR SICUT OMNIA, ET AUFERENTUR : ET SICUT SUMMITATES SPICARUM CONTERENTUR. — Non-

Superbi quo extrinsecus surgunt intrinsecus corruunt.

nulli ex Hebræo legunt hæc active, *elevaverunt se;* quo insolescendi et superbiendi studium significatur : quamvis enim honor illis non deferatur, illi tamen honores anhele ambiunt, et arroganter usurpant, festinata fastigii ambitione turgentes. Addit « ad modicum, » id est tantillum durans. Igitur brevissimam illam exaltationem quis merito non despiciat, cujus deturbatio et ruina sublimitati proxima exsistit? Et subjungit : « Non subsistent : » pro quo aliqui ex Hebræo transcribunt, *nulli erunt*, vel *et non ipse*. Ita nimirum superborum celsitudo crescendo minuitur, dum ascendendo cadit : scilicet arbitrium cadendi elevatio est, quo enim sublimius ascen-

Impii ad modicum exaltati cito decidunt et pereunt.

dunt, eo simul profundius cadunt. Licet ergo, inquit, ad tempus modicum gloriosi in hac vita videantur atque florentes temporali prosperitate; post paululum tamen manifestante se Dei judicio non sunt permansuri stabiles in eadem illa felicitate; sed dejicientur ab illa sua gloriosa exaltatione in humilitatem maximam extremamque miseriam : sicut et cætera omnia quæcumque in hoc mundo magna videntur et florida, non diu in suo hujusmodi flore persistent, sed brevi peribunt, et ad nihilum redigentur, auferenturque et ejicientur de præsentis sæculi habitatione in profunda inferni, ubi sempiterna damnatione conterentur miseri atqúe perdentur; similes levibus aristis sive spicarum summitatibus, quæ ad tempus quidem videntur elevatæ, atque ipsis etiam granis optimis altiores, sed post mox desiccantur et in ignem conjiciuntur, granis bonis in horrea collectis. Veritas hæc plurimis aliis Scripturæ sacræ locis congruit, ut cum David ait *Psalm.* XXXVI, 2 : « Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient : quoniam tanquam fœnum velociter arescent; » et similia etiam apud Isaiam et alios prophetas passim occurrunt, et per se satis perspicua sunt. Ecquis enim non videat in brevi humanæ vitæ curriculo felicitatem impii longam esse non posse?

Impii levibus spicis et fœno comparati in Scripturis.

SICUT SUMMITATES SPICARUM CONTERENTUR : — duo supplicia indicat, unum, quod est resectio spicæ a culmo; alterum, quod est tritura. Primo interitus impii, quo anima falce mortis præciditur, hoc est separatur a corpore; secundo tartareus cruciatus, quo anima proteritur sive torquetur, respondet. Cæterum hic expende, quomodo non dixerit *sicut spicas*, sed *sicut summitates spicarum*, quæ profecto non aliæ nisi aristæ, quas veluti sagittas cœlum versus spica videtur emittere, quibus undequaque septa ipsi olympo bellum inferre videtur; at tunc conteruntur, quando ad maturitatem segetes decollantur : sic utique superbi aristis similes tunc prorsus conterentur, quando amplius contra cœlum velut aristæ elevantur : nam

Spicarum summitates superbia hieroglyphicum.

ut bene S. Gregorius lib. XVI *Moral.* cap. XV : « Superborum carnalis gloria dum nitet cadit, dum apud se extollitur, repentino interrupta fine terminatur. » Pulchre hoc ultimum dixit, tunc interrumpuntur quando amplius extolluntur, imo quando inter se superbi uniti (alias dissiti) ad ultimum electorum procedunt exterminium : nam, ut eleganter idem Gregorius lib. XVII, cap. XVI, ideo superbi aristis comparantur, quia licet ex eadem natura omnes, sicut aristæ ex spica, tamen inter se per invidiam semper sunt dissiti non secus ac ipsæ aristæ : « Hæ conjunctæ (inquit S. Doctor) prodeunt; sed crescendo paulisper a se rigidæ et hirsutæ disjunguntur, » id quod superbis exinde approprians subdit : « Superbi naturæ sibi communione conjuncti sunt; sed contra se vicissim crescendo dividuntur : alius quippe alium despicit, et alter in alterum invidiæ facibus ignescit; sed bonorum vitam unanimiter affligunt : adversum se quidem divisi sunt; sed tamen concorditer grana deorsum premunt. » Ast tunc excutientur et confringentur, quando ad judicii maturitatem decollantur.

Superbi inter se discordes ad sanctorum depressionem uniti.

Septuaginta locum hunc nonnihil aliter vertunt, in eamdem quidem sententiam, diversa tamen similitudine : pro eo enim quod Vulgatus posuit, *auferentur, et sicut summitates spicarum conterentur*, ipsi legunt, ἐμαράνθη δὲ ὥσπερ μολόχη ἐν καύματι, ἢ ὥσπερ στάχυς ἀπὸ καλάμης αὐτόματος ἀποπεσών, *emarcuit autem sicut malva in æstu, aut sicut de stipula spica decidens sponte sua;* aut sicut alii vertunt, *sicut spica a calamo sponte decidens*, ubi expende illud *sponte decidens*, hoc est suapte natura et conditione id exigente : nam ut primum spica non incolumis modo, sed etiam erecta sublimis et quasi victrix sursum tendat, quasi cœlo telum illatura; at postmodum sua sponte propriaque natura exigente arefacta languido collo est, et cervicem inclinat; quæ humanis bonis, potentiæ, gloriæ, altitudini, opibus, et regum gratiæ sic ex Seneca accommodes : « Cupiunt interim ex illo fastigio suo si tuto liceat descendere; nam ut nihil extra lacessat aut quatiat, in se ipsam fortuna ruit. » Aptius vero ex egregia S. Isidori Pelusiotæ imagine lib. II *Epist.* 126, monente : « Temulentum est quodammodo inter mortales bonum, ac nemine etiam concutiente vix consistit. » Pulchre *temulentum bonum*, non ea solum ratione, quod hominum mentes turbet, atque eos temulentos faciat, sui immemores, Deique oblitos, ut hunc in modum inquit Seneca lib. *De Provid.* cap. IV : « Cum omnia, quæ excesserunt modum, noceant, periculossissima felicitatis intemperantia est : movet cerebrum, in vanas mentem imagines vocat; multum inter falsum et verum mediæ caliginis fundit; » sed etiam signatissime, quod non secus ac ebrius et temulentus homo ut nutet, labatur et cadat, nulla exterius impellente quatienteque manu opus habet, cum ipsemet sui impos nec constare sibi ac subsistere valeat : ita

terrena bona, ut nihil extra lacessat aut quatiat, scipsis et sua sponte decidunt. De iniquis igitur temporalis gloriæ elatione tumentibus, sed tamen nulla in hac soliditate durantibus, dicitur recte : « Elevati sunt ad modicum, et non subsistent, » etc. Sermonem itaque concludens subdit :

VERS. 25. 25. QUOD SI NON EST ITA, QUIS ME POTEST ARGUERE ESSE MENTITUM, ET PONERE ANTE DEUM VERBA MEA? — Probaverat Jobus impios hic non statim semper scelerum suorum pœnas luere, neque illos solos in hac vita vexari, quin imo ipsos plerumque mira cum impunitate in hoc sæculo vitam sceleratam ducere, ac proinde non debere se criminis accusari, quod in statu florenti non perdurasset : neque enim status prosper justitiæ argumentum est, unde neque adversitas injustitiam arguit. « Quod si ita non est, » inquit Jobus, id est, hæc ita non se habere quis me convincet, et reum mendacem coram Deo peraget? quod ad plurimam justitiæ ac veritatis fiduciam procul dubio attinet. Possit etiam esse sensus talis, *q. d.* Vera quidem sunt quæ protuli; cæterum etsi longius a veritate exsularent, nemo vestrum vel aliorum hominum posset verba mea falsitatis arguere, et tanquam falsa in divinum rapere tribunal. Quod quidem licet non satis rationi consonum videatur (cum facile possent quidem amici respondere Jobo; si vera protuleris, nemo forsitan erit qui possit te falsitatis arguere; si tamen oratio tua a vero aberret, quilibet poterit eam in judicium trahere, et falsitatis accusare); nihilominus approbante Gregorio, Jobus etiam falsitatis errore supposito, jure meritissimo contra illos excipit, quos fabricatores mendacii et falsorum dogmatum auctores esse convicit : « Justus namque, inquit S. Gregorius, etsi quid unquam delinquendo loquitur, dignum non est ut ab injustis et prave viventibus judicetur; unde sanctus vir amicorum superbiam deprimens, non solum si ita est, verum etiamsi ita non est ut protulit, nequaquam se reprehendi posse confidit : quia nimirum illi recte falsa redarguere possunt, qui falsa agere nesciunt : nam correctionis ausum contra fallaciam perdunt qui adhuc fallaciter vivunt. »

Culpa careat qui alium accusat.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Baldad ex infinita Dei sublimitate et creaturarum vilitate probat hominem Deo comparatum non debere, imo nec posse mundum censeri vel justum.

1. Respondens autem Baldad Suhites, dixit : 2. Potestas et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis. 3. Numquid est numerus militum ejus? et super quem non surget lumen illius? 4. Numquid justificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? 5. Ecce luna etiam non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus : 6. Quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis?

VERS. 1 et 2. 1 et 2. RESPONDENS AUTEM BALDAD SUHITES DIXIT : POTESTAS ET TERROR APUD EUM EST, QUI FACIT CONCORDIAM IN SUBLIMIBUS SUIS. — Quoniam Job ab amicis condemnatus ad Dei judicium provocabat, apud quem jus suum pro certo affirmabat se obtenturum; ab hac opinione eum amici duplici argumentorum genere abducere conati sunt, scilicet argumentis petitis ex adjunctis ipsius Jobi, majestatem, potentiam, æquitatem et sapientiam Dei prædicantes, Jobi e contrario infirmitatem, arrogantiam et alia scelera atque flagitia commemorantes. Iisdem nunc viis insistens Baldad nihil hic novum adducit, sed tantum iterat quæ ab aliis sæpe et a seipso prius fuerant objecta : ait enim potentem esse Deum atque terribilem : potestatem porro illi summam esse ex eo probat, quia « facit concordiam in sublimibus suis. » Quæ sint ista *sublimia* obscurum est : quidam cœlos intelligunt, qui cum varios habeant inter se, imo et contrarios motus, quorum alii tardissime, alii velocissime suos versant atque conficiunt orbes, et cum vario sonutu in alias atque alias cœli plagas contorqueant, est tamen inter illos incredibilis concordia atque concentus, quod sane nisi ab omnipotenti manu fieri non posset. Et quidem qui primi mobilis, firmamenti, planetarum, qui contrario motu cientur, ordinem in propriis conversionibus, quas motus ratio neque retardat neque accelerat, attente contemplatur, facile miratur concordiam illam divina potentia sapientiaque dignam, cernitque majestatem, quæ immania corpora regit, et quo vult sine ullo negotio vertit, esse timendam, ut merito dicatur terror esse apud eum qui facit concordiam in sublimibus suis.

Quam mirabilis sit in cœlesti-bus orbibus concordia.

Mystici cœli concordia in intellectus et

Quam mirabilis sit in cœlesti-

Mystice autem concordia hæc orbium cœlestium ad superioris hominis partem mirifice temperatam, quam theologi mystici *cœlum* appellant, apte traducitur : admirabilis quippe concordia est,

http://www.obrascatolicas.com

voluntatis cum Dei lege conformitate constitit.

dum intellectus et voluntas æterna Dei lege regantur, et a divinis præscriptionibus non exorbitant, quod probe norunt qui res arcanas rimantur, et spiritualem hominis structuram introspicere assuescunt. Alii angelos putant, inter quos licet varii sint ordines, neque natura eadem sive species, ita tamen studiis moribusque consentiunt, ut idem sapiant et velint, et illam summam sibi libertatem esse putent, si a divina voluntate nunquam recedant. Cantatissimum est prælium et sublimium angelorum discordia, quando Lucifer cœlestem pacem turbabat : tunc divisi sunt spiritus in duas factiones, hinc Lucifer, inde Michael inter sese dissidebant. Quid tunc? Deus Luciferi factionem in tartara præcipitans, cœlestia omnia in æternum pacificavit. Proh quam terribilis Dei virtus atque potentia, quæ pacis cœlestis causa tam sublimes spiritus præcipitavit æternisque flammis tradidit! Utique apud hunc solum Dominum et potestas et terror est ; ipse solus debet timeri, qui nec spiritibus parcit, sed illos etiam potest durissime castigare. Terribilis profecto qui aufert spiritum principum, terribilis apud reges terræ *Psalm.* LXXV, 13. Sunt qui auferant regna; sunt qui auferant corporis vitam : sed qui solus terribilis sit, et justum terrorem possit incutere, ille est qui potestatem habet cum in spiritus, tum in animas, quas etiam potest perdere in ignem æternum; id quod docebat Dominus in evangelio dicens *Matth.* X, 28 : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest animam et corpus perdere in gehennam. »

Mira est angelorum concordia post Luciferum cœlo deturbatum.

Solus Deus terribilis, qui in animas et spiritus habet potestatem.

Quid igitur? neminem moveat tyrannorum immanium furor, qui expromunt omne genus crudelitatis ad miserorum hominum vitam excruciandam : nonne videmus quosdam generosos et animi constantia præditos, cum equulei, fides, scorpiones, cum ardentes laminæ, cum diræ belluæ, rotæ, cruces, cum unci ferrei lampadesque, cum tunica molesta proponerentur, homines se professos expalluisse metu, atque in sævo illo apparatu animo cohorruisse? Sed «nolite, ait Christus, timere illos qui occidunt corpus :» nam ille furor immanium dynastarum hujus vitæ finibus circumscribitur; et possunt quidem exquisito supplicio corpus anima spoliare, sed animam ipsam post migrationem ab hac luce attingere non possunt. Ille, ille vere formidandus est, qui non modo corpus, sed animam quoque ipsam perdere in gehennam potest. Non vult Christus ita naturam nos exuere omnem, ut eorum quæ in vita formidabilia sunt nullo sensu commoveamur, sed docere quæ dura et aspera in hoc vitæ cursu eveniunt nihili facienda videri, præ illis quæ post mortem sceleratis mentibus a Deo inferuntur, quæ quanta sint nullius hominis cogitatio consequi potest. Non igitur homines, sed unum illum esse metuendum, qui corpus hominum cum arbitrio suo laceraverit, potest quoque animam ipsam inexplicabilibus tormentis pœnisque afficere; unde D. Bernardus serm. 16 *in Cant.* : « Paveo, inquit, gehennam, paveo Judicis vultum, ipsis quoque tremendum angelicis potestatibus : contremisco ab ira potentis, a facie furoris ejus, » etc., qui tam in animam quam in spiritum potestatem habet, ille merito a fortissimo quoque debet timeri.

Dei potestas et terror in meteoris elucet.

Alii per *sublimia* meteoras impressiones intelligunt, id est illa quæ in aerea regione concrescunt et ex ea vibrantur, qualia sunt fulmina, venti, nubes et alia in isto genere terribilia, quæ cum fremere cœperunt, et adversis inter se frontibus concurrere, omnia videntur esse turbanda; quæ tamen omnia sedat Deus, et mira consensione concordat. Quod de suo Jove prædicabat delusa gentilitas, a quo dicebat frænari ventos, et quæ motus terris et exitium minabantur momento temporis levi tantum capitis inclinatione componi, de quo sane Jove cecinit Maro lib. I *Æneid.* :

Vultu, quo cœlum tempestatesque serenat.

In quam explicationem magis inclinat Sanctius noster, quia hominibus, maxime his qui non sunt rerum cœlestium admodum gnari, qualis erat Baldad et Idumæi reliqui, alia minus nota erant; hæc vero meteora ignorare non poterant, quæ quotidie videbant, quibus se Deus hominibus potentem et horribilem probat. Quemadmodum Deus meteoris his impressionibus peccatores terruerit straveritque exempla habemus plurima. Lege Psalmum XVII, et græcorum Patrum quam nuper edidimus in eumdem expositionem nostrasque *Annot.* Hæc porro arma dicuntur Dei, et fortasse sunt illi milites de quibus vers. seq. agit, et hoc ipsum docuit Deus *infr.* cap. XXXVIII, 22 et 34, ubi se hoc indicio Deum esse probat. Et idem docet David *Psalm.* CXLVII : et fortasse ante hoc tempus similia contigerant; licet Scriptura non tradat quæ nota fuerunt Idumæis; unde Baldad ut probaret Deum esse potentem ac terribilem argumentum sumpsit. Alii denique ad rerum universitatem censent esse referendum, quæ cum ex tot tamque diversis rebus constet, omnes tamen communem universi conciliationem et consociationem tuentur atque conservant; et eam ob rem Septuaginta de universi creatione hunc locum in sua versione explicarunt ita vertentes, τί γὰρ προοίμιον, ἢ φόβος παρ' αὐτοῦ ὁ ποιῶν τὴν σύμπασαν ἐν ὑψίστῳ; *quid enim exordium, quam timor ab eo qui facit universitatem in altissimo?* Ejusdem enim admirabilis et infinitæ potentiæ opera esse judicarunt et res tam diversas efficere, et eas inter se ita consociare, ut in unum quasi corpus universi coalescerent.

Dei potentia et sapientia maxime elucet in concordia universi.

Qua de causa concordiam rerum omnium fuisse principium quidam philosophi opinati sunt; existimo autem ego similitudine fuisse inter res tam varias atque diversas confirmatam concordiam : nullæ enim res tam distantes et dissimiles inter se sunt, quæ non sint aliqua ratione inter se similes, quippe quæ omnes ab uno Deo ortæ et effectæ sunt, ipsiusque aliqua ex parte imaginem referant : nam Dei vestigia sunt, factorisque sui vim infinitam declarant. Cum igitur uni suo principio similia sint, etiam inter se similia oportet esse, quæ similitudo amorem natura sua parit, charitatem et amicitiam conglutinat : sic etiam similibus legibus ex diversis hominibus una respublica constituitur. Hanc similitudinem per res omnes manantem auream illam catenam esse credo, qua quidam philosophi atque poetæ rerum universitatem contineri crediderunt; sed quam fabulose illi auream catenam, hanc vere ac divine Magnus Dionysius τὴν θείαν καὶ ἀρχιουνάγωγον εἰρήνην, *divinam pacem conciliationis principem* appellat lib. *De Divin. Nom.* cap. XI : « Hæc enim, inquit, est quæ cuncta conjungit, et universorum concordiam ac connexionem gignit efficitque; quare etiam ipsam expetunt universa, ut eorum divisam multitudinem ad integram quamdam redigat unitatem, atque intestinum bellum universi ad concordem inducat commorationem. Quin et divinæ pacis participatione primæ virtutes conciliatrices et secum ipsæ et inter se et cum una mundi pace prima conjunguntur; inferioraque tum ipsa secum tum inter se conjungunt, tum cum uno eoque perfecto omnium pacis principio et auctore, qui ad omnia individue cum venit, quasi claustris ac septis quibusdam quæ divisa sunt copulat, omnia definit, determinat, et munit; neque permittit divisa in infinitum sine termino diffundi, neque inordinata, et sede carentia, Deoque destituta, suam unitatem egressa, sibi invicem confusa misceri. »

Divina pax omnia concordat et conciliat.

Et paulo post uberius exponens, quomodo Deus pacifice cuncta coordinet, ait : « Ac primum quidem hoc dicendum, ut cum per se pacis tum universalis ac particularis pacis effector sit ipse Deus, et ut omnia inter se mutuo minime confusa ipsorum inter se conjunctione commisceat; qua conjunctione cohærentia sine divisione et distantia, singula tamen secundum propriam speciem pura consistunt, per concretionem contrariorum minime perturbata : quoniam exactam istam unionem ac puritatem nihil interrumpit. Unam igitur eamque simplicem naturam pacificæ unionis contemplemur, sibi ipsi et illis ipsis atque inter se omnia copulantem, nec non universa complexu quodam omnium inconfuso contemperata pariter atque impermixta conservantem. Per hanc divinæ mentes copulatæ suis ipsis cum intelligentiis tum rebus intellectis conjunguntur, atque denuo scandunt ad incognitum eorum quæ menti supereminent contactum. Per hanc animæ, multigenas suas rationes connectendo, ad quamdam spiritalem puritatem redactæ procedunt sibi propria via et ordine per immaterialem atque indivisam intelligentiam ad unionem quamdam intelligentia superiorem. Per hanc una omnium et indissolubilis connexio juxta divinam ipsius congruentiam exsistit, et perfecto concentu ac concordia consensioneque coaptatur, dum sine confusione colligitur ac sine dissolutione continetur. Integritas nimirum perfectæ pacis per simplicissimam suam meramque virtutis unificæ præsentiam ad ea quæ sunt omnia pertingit, omnia conjungens, et extremis extrema per media connectens secundum unicam connaturalem amicitiam coagulata; quin et sui quoque vel extremis totius universi terminis fruendi copiam facit omnia consocians unitatibus, identitatibus, unionibus, congregationibus, dum scilicet divina pax indivulsa persistit, et in uno cuncta demonstrat, et ad omnia pertingit, et a propria nusquam identitate recedit : nam ad omnia procedit, suique participationem omnibus indulget secundum cujusque proprietatem, nec non pacificæ redundantia bonitatis exuberat, atque manet per excessum unionis tota ad totam, etiam secundum seipsam totam desuper unita. » Ita S. Dionysius divine prorsus ac sublimiter, declarans potestatem ejus qui facit concordiam in sublimibus. Dictæ omnes expositiones optimæ sunt, et ad litteram institutumque consentaneæ; postrema tamen uti cæteris sublimior, ita maxime Dei potestatem repræsentat cum infinita bonitate conjunctam : quæ quia impiis terrorem adfert, bonis autem animos facit, Job rectæ voluntatis conscientia nixus (secus quam Baldad et socii ejus) poterat magno et erecto animo ad Dei judicium appellare; sicut S. Paulus hortatur *Hebr.* IV, 16 : « Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. » Quare frustra Baldad Jobum militiæ cœlestis objectu percellere conatur dicens :

Quomodo Deus pacifice cuncta coordinet.

Quomodo divina pax ad omnia pertingat.

3. NUMQUID EST NUMERUS MILITUM EJUS? ET SUPER QUEM NON SURGET LUMEN ILLIUS? — *Milites Dei* appellantur angeli ad ejus imperata expeditissimi, per quos strages horrendas impiis solet inferre, ut multis Scripturæ sacræ constat exemplis; sunt autem illi fortes, et erecti, et magnificentissime instructi ad bella Domini conficienda, omnes veterani et principes, qui a primo sui ortu cingulo militiæ donati, palma et laureis gloriose redimiti, satanam e cœlo pepulerunt, jam inde ab eo tempore *milites Dei* nominati; quos Nahum propheta *fortes Dei* consimili modo nuncupat cap. II, 3 : « Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus in coccineis. » Hinc summus orbis imperator Deus a Davide nominatur *Dominus virtutum*, hoc est copiarum cœlestium, et, ut ex Hebræo vertit S. Hieronymus, *Dominus exercituum*; Aquila vero στρατιῶν, *militiarum*, propter angelicas legiones, quibus illius solium amplissimæ gloriæ majestate collucens circumambitur. Sunt proinde beati spiritus velut Numinis semper augusti, semper tropæuchi, prætoriani milites, qui dignitate, robore, amplitudine et illustrium facinorum gloria longe anteeunt et melophoros Persarum, et sacras alas Macedonum, et soldurios Gallorum, et adoreas

Vers. 3. Angeli sunt milites Dei veterani et illustres.

http://www.obrascatolicas.com

omnes armatorum. Verum D. Gregorius Magnus ait illos dici *milites*, « quod cum potestatibus tenebrarum pro nobis pugnant. » Præclare in eos cum incidisset aliquando Jacob *Genes.* XXXII, 1 divino afflatu nominavit *castra Dei* : juvant enim genus humanum, et armorum suorum oppositu in ancipiti et periculosissima contentione, qua de capite saluteque decernimus, fidelissime nos protegunt; ut in eos præcipue convenire videatur quod Theodosius imperator in *Novel.* 31 posuit : « Militum ordine maxime communiri rempublicam universam. » Atque ut certum ab se præsidium hominibus declararent iis symbolis quæ facile possent intelligi, e sacris monumentis constat sæpe illos habitu militari atque ad defendendum paratos se videndos exhibuisse : ita quidam angeli in equis frænis aureis decori circumsistebant Machabæum II *Macch.* X, 29, et non pila, sed fulmina jaciebant in hostes; unde clades ea consecuta est impiorum, quæ in divina historia proditur. Et longe ante, cum Josue fortissimus Hebræorum ductor ad Jerichuntem esset urbem, adstare vidit cap. V, 13 pulcherrimum juvenem « evaginatum tenentem gladium, » qui ore et vultu et totius corporis compositione generosum et invictum animum explicaret : exhorruit ille primum; tum ut se confirmavit : « Noster, inquit, es, an adversariorum? » risit pius angelus, et amicam tendens manum : « Sum, ait, princeps exercitus Domini. » Sic D. Joannes in mirandis suis *Apoc.* IX, 17 ait visos sibi esse illos principes indutos *loricis igneis*, quibus rapida atque potens eorum in agendo vis significatur; et *hyacinthinis*, qui color est cœlestis, ut punicei Olympi bellatores esse intelligeremus a Deo missos ad hominum defensionem; qui longe melius grandibus suis aureisque peltis nos tuentur quam Homericus Ajax clypeo septemplici Græcos in acie protegebat. Quare Cyrillus Alexandrinus lib. IV *Glaphyr. in Genes.* sapienter illos vocat συλλήπτορας καὶ ἐπαρωγούς, *auxiliatores*, protectores, in prælio sospitatores : vide quæ de illorum protectione *supr.* cap. V, 1 annotavimus.

Angeli sunt proborum defensores.

Angeli sunt innumerabiles.

Nunc quoad numerum eorum attinet, dici non potest quantus sit, et quam illustris multitudo, id quod significat dum ait : « Numquid est numerus militum ejus? Nobilium est theologorum opinio, cum sint novem ordines beatorum spirituum, postremum, qui omnium minimus est, unde custodes et tutelares vitæ nostræ sumuntur, numero tamen aspectabilium omnium rerum vim et varietatem superare. Quanta igitur erit frequentia, quantus cœtus excellentium eorum principum? Optime sane S. Dionysius *Cœl. Hierarch.* cap. XIV notat, « eloquiorum de angelis traditionem millies eorum esse millia dicere, deciesque millies dena millia, summos illos quos adhibemus numeros in seipsos glomerando ac multiplicando, quo per hos aperte declararet cœlestium essentiarum ordines a nobis annumerari non posse. Multi namque sunt beati supermundanarum mentium exercitus, qui infirmam et contractam materialium nostrorum numerorum rationem penitus excedunt, sciteque definiuntur a sola ipsorum supermundiali cœlestique intelligentia scientiaque, quæ illis abundantissime conceditur a Dei principali et infinitorum conscia creatrice Sapientia, quæ superessentialiter omnium simul rerum principium et causa substantifica, et continens virtus, et complectens determinatio exsistit. » Sic ille.

Deus est lux intellectilis omnia illuminans.

ET SUPER QUEM NON SURGET LUMEN ILLIUS? — *q. d.* Nemo divini luminis expers exsistit : de hoc lumine S. Dionysium audiamus, lib. *De Civ. Nom.* cap. IV, § 6 ita loquentem : « Lux intellectilis dicitur illud bonum, quod est supra omne lumen tanquam fontalis radius, et effusio luminis inundans omnem mentem supramundanam, et circamundanam, et mundanam, ex plenitudine sua illuminans, et totas earum facultates intelligendi renovans, et omnes continens, quatenus supra omnes tenditur; et omnibus antecellens, quatenus supra omnes sita est; atque absolute omnem illuminatricis virtutis proprietatem ut lucis princeps lumineque potior in semetipsa complectens, et superhabens præhabensque; necnon intellectilia rationaliaque universa congregans, et reddens inviolata. Etenim sicut ignorantia errantes dirimit, sic intellectilis lucis præsentia congregat et copulat illuminatos, perficitque eos, et ad id quod vere est convertit, a multis opinationibus eos revocans, ac varios aspectus, vel, ut magis proprie dicam, varia in unam veram, et puram ac simplicem cognitionem contrahit, et uno lumine unifico implet. » Idem paulo ante § 5 : « Deus, inquit, *lux intellectilis* dicitur, quia omnem mentem supracœlestem implet lumine intellectili; omnem autem ignorantiam et errorem ex omnibus animis, in quibus est, ejicit, et ipsis omnibus lumen sanctum impertit, eorumque oculos mentales a caligine ex ignorantia circumfusa repurgat, et liberat, et excitat, atque aperit multa gravitate tenebrarum compressos et clausos; datque primum quidem mediocrem splendorem, deinde tanquam degustato lumine, et oculis jam magis post degustationem lumen appetentibus, magis se impertit, et copiosius fulget, quia dilexerunt multum; atque eas semper ulterius provehit proportione studii eorum ad aspiciendum sursum. » Plura de spiritali hoc lumine vide cap. præced. vers. 13 annotata; de peculiari vero sanctorum illustratione, quomodo scilicet ipsi a Deo lumen accipiant, et in sibi subditos distribuant, vide S. Dionysium lib. *De Cœl. Hier.* cap. III, IV et seq., ubi hæc fuse et distincte docet.

Cæterum quod ad hunc textum attinet, per *lumen Dei*, quod hic dicitur surgere super omnia, vel intelligi potest lux increata, quæ est ipse Deus omnia creata lumine perspicacissimo lustrans, circumspectans, introspiciens; vel certe lumen aliquod creatum, quod a fonte lucis increatæ derivatur in creaturas, quod est velut sigillum signumve Dei, juxta illud *Psalm.* IV, 7 : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. » Sensus ergo Baldadi est, *q. d.* Adeone intumescis, o Jobe, ut velis cum Deo congredi? an vires et sapientiam parem adeptus es? profecto neque ita validus, neque tot militibus cinctus es, ut cum potentissimo Deo concertare valeas; neque vero ita sapiens es, ut lumen, quo illustrantur universa, tu solus exæques. Quid igitur insolescis?

Vers. 4.

Homo vilis non potest comparari Deo.

4. NUMQUID JUSTIFICARI POTEST HOMO COMPARATUS DEO, AUT APPARERE MUNDUS NATUS DE MULIERE? — Ducit argumentum Baldad ex hominis vilitate ac immunditia cum Dei celsitudine ac puritate comparata, *q. d.* Quid stolide appellas ad tribunal Dei, qui usque adeo justus est, ut homo cum ipso comparatus, quantumcumque videatur justitiæ studiosus et cultor, videri possit injustus; usque adeo mundus, ut natus homo de muliere nulla ratione cum illo debeat comparari. Vide *primam* partem hujus versiculi superius explicatam cap. IV, 17 ad eadem ferme verba : « Numquid homo Dei comparatione justificabitur? » *Posterior* vero pars exposita est cap. XV, 14 ad illud : « Quid est homo, ut immaculatus sit, et ut justus appareat natus de muliere? » et cap. XIV, 4 : « Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? » Atque in primis agnoscendum est, magnam esse naturæ humanæ infirmitatem, nihilque videri facilius quam ut noxam concipiat, qui paulo solutius vivit, neque satis in officium boni viri intentus est : itaque eo magis debet evigilare mens ad peccatum fugiendum, quod se facile insinuet, et veluti in animi arcem cuniculis ingrediatur, adeo ut ne cognoscatur quidem. Sancti viri imbecillitatem in hac re suam tenebrasque menti offusas gemere solent atque deflere, quod facillime et nihil minus cogitantes sæpe labantur, et se lapsos minime percipiant. Mire David in sublimibus rebus illuminabatur, cui facem Deus præferebat ad cognoscenda Ecclesiæ arcana, eademque bonis verbis exponenda : sed aciem oculorum cum in se converteret, exclamat *Psalm.* XVIII, 13 : « Delicta quis intelligit? » Septuaginta ponunt παραπτώματα, hoc est proprie *lapsus*, unde S. Ambrosius vertit, *lapsus quis intelligit?* D. Hieronymus *errores*; Aquila ἀγνείας, *ignorantias*, hoc est delicta, quæ minus sentientibus et cogitantibus excidunt. Unde παραπτώματα, sunt proprie πτώματα, *casus*, non ruinæ. Athletarum inter se olim certantium casus appellabant *ruinam* Græci, πτώματα, ut animadvertit S. Ambrosius *in Psalm.* XXXVI; qui casus industria et erudito artificio fieri solebat. In quotidiana vero vita præter mentem ut plurimum et cognitionem evenit prolapsio : quam ob causam παραπτώματα, non πτώματα, ut in palæstra, hoc est, non *ruina*, sed *casus* nuncupantur, vel, ut dixi, ἄγνοιαι, *ignorantiæ* : quare S. Hieronymus *in Ephes.* cap. II, ait multos opinari παραπτώματα esse quasi *initia peccatorum*, cum tacita cogitatio subrepit, et ex aliqua parte conniventibus nobis, nondum tamen nos impulit ad ruinam. Sed communiter Patres leviora peccata intelligunt, quæ ex humana imbecillitate vel socordia et indiligentia committuntur. Propterea in divinis oraculis dicuntur πλημμέλειαι, *delicta*, quæ ἁμαρτίαις, hoc est *peccatis*, in sexto capite Levitici opponuntur. Vocis græcæ proprietatem exponit eradite S. Augustinus *t.* quæst. XX *in Levit.*, est enim apud Græcos μέλειν, *curare*, unde πλημμέλεια diligentiæ et curæ vacuitas, debitæ curæ omissio, uno verbo *incuria*, oscitantia, indiligentia; fitque illud vocabulum ex eo, quod necessarium sit πάλιν μέλειν, *iterum curare*, hoc est præteritam socordiam posteriore cura, et ipsa quidem meliore, sarcire; quæ delicti rationem probe explicant. Ait igitur pius Vates conscientia obscura sollicitus, et divinum judicium reverens, « Delicta quis intelligit? »

Humana imbecillitas magna.

Delicta quæ παραπτώματα dicantur.

quæ vero πλημμέλειαι.

Jam si vere Prosper lib. III *De Vita cont.* cap. XVI asseruit, etiam illos qui sancte per donum Spiritus Sancti vivunt, tamen propter quasdam difficultates, quas trahunt, sive scientes, sive nescientes, aliquoties aut suo peccato cedere, aut alieno consentire; quid illis fiet, qui nec sancti sunt, neque usu et divinis donis corroborati ad superandas inimici tentationes, proni in vitium, capi faciles, et blandimentis voluptatis illecti; an non sequi ruinam necesse est, nisi multum et diligentissime caveant, delicta vitent, et labendi occasiones omnes amoliantur? Hoc igitur primum sit monitum, cogitare unumquemque oportere se fragilem esse, minimo momento titubare, labi et errare posse; imo et animum habere maculosum : aiebat Crates sapienter, fieri non posse ut quis a lapsu et errato sit immunis, sed tanquam in malo punico semper granum aliquod inesse putridum. Quod sanctius in divinis oraculis proditur : nam Jacobi vox illa est magni Apostoli, et vera confessio : « In multis offendimus omnes, » *Jac.* III, 2. Alii pariter in divinæ sapientiæ schola eruditi vanos, errantes et fatuos putant, qui se credunt omnium delictorum exsortes : ita Job, qui statera illuminatæ mentis omnia sua ponderabat, cap. XV, 14 supra citato (quem hic Baldad repetit) neminem esse mundum e muliere genitum asseruit, tametsi lunæ radiantis nitorem aut jubar igneorum siderum æquare videatur. Sit aliquis sanctus boni studiosus, qui justitiæ vias ineat, sitque etiam, si ita lubet, prodigio nobilis, et thaumaturgus; de illo Deus Salomonis ore pronuntiat *Prov.* XXIV, 16, « septies in die cadere. » Sol fons luminis et diei pater est, sed eclipsin aliquando patitur; luna pulchra est, sed prodit suas maculas; astra fulgentia, sed nebulis obumbrantur : candidum ebur, sed vetustate nigrescit; speculum suo levore clarissimum, verum halitu inficitur : sic anima modo pura et gratia venusta subito labem concipit. Nemo denique est ἀναμάρ-

Etiam sancti sæpe labuntur in defectus.

In multis offendimus omnes.

Nemo sine labe peccati est.

http://www.obrascatolicas.com

τητος, *hoc est peccati expers*, ut loquitur S. Hieronymus, dum adversus Pelagianos disputat.

Vers. 5. Luna et stellæ etiam obscurantur.

5. ECCE LUNA ETIAM NON SPLENDET, ET STELLÆ NON SUNT MUNDÆ IN CONSPECTU EJUS : — quod ad lunam et stellas pertinet, perspicuum est eas cum divina luce comparatas obscurari immundasque videri, cum et sol corporeus eis mox ac ortus est quasi velum quoddam oppandat, ut mortalium oculis minime affulgeant. Hæc etiam superius exposita sunt cap. IV, 18 et cap. XV, 15; ex quo apparet nihil novi adduxisse Baldadum, sed tribus versibus eadem repetisse quæ dixit Eliphaz cap. IV, 17 et iterum cap. XV, 14, ubi totidem fere verbis eadem explicatur sententia. Apte ad hunc locum quærunt commentatores, cur luna et stellæ dicantur offuscari a divinis summi solis, Dei inquam splendoribus, et tamen sol non dicatur obscurari in conspectu ejus : num Deus non audet decertare cum sole de splendore? num non obtenebraretur et sorderet Phœbus ante divinum divini Solis jubar? Imo squaleret sordidus, ut luna et stellæ ad præsentiam divinioris lucis. Cur ergo lunam et stellas in conspectu Dei infuscari prædicat nulla solis mentione facta? Pulchre S. Thomas in commentario hujus loci tractans hanc difficultatem : « Ubi considerandum, inquit, quod de sole mentionem non facit, quia non apparet sensibiliter, quod ad præsentiam majoris luminis lumen ejus obtenebretur. Sed luna et stellæ etiam ad præsentiam corporalis solis obtenebrantur, » *q. d.* Luna et stellæ et exiliora quæque lumina ad majoris luminis exortum apparent deficere et obscurari; unde quid mirum, si a conspectu augustioris lucis obtenebrentur? at solis fulgores a nullo creato lumine obfuscantur, et ita neque a diviniori Deitatis lumine infuscabuntur : neque enim increatum jubar est sicut creatus splendor, qui obscurat minores luces. Hæc est natura, vel potius probrum creati luminis, exstinguere alienas luces ut accendat suas; divinus vero sol generose permittit etiam ipso exorto reliquas splendescere luces, nisi ab alio lumine validiore exstinguantur. Sublimissime Angelicus doctor, scilicet nunquam visus est sol obfuscari majoris luminis claritudine, sed prænitere semper ad præsentiam omnium; secus luna et stellæ, etsi alioquin luminosissima sint astra, unde lunam et stellas obtenebrari dicit ad præsentiam Dei, quod de sole non dicit; ne sol, qui nunquam apud homines visus est a majori lumine obnubilari, hanc a Deo contumeliam patiatur. Quo docentur superiores non deberi occultos subditorum defectus propalari.

Quare divinus splendor non dicatur obfuscare solem sed lunam et stellas.

Angeli respectu Dei dicuntur immundi, quia peccare poterant.

Allegorice S. Hieronymus : « Sub nomine, inquit, *lunæ* et *stellarum* angelos et supernas potestates intelligere possumus, qui ad comparationem divinæ reverentiæ immundi et tenebræ possunt videri; ex eo utique quoniam natura conditæ creaturæ licet non peccent, capaces tamen peccati sunt, uti apparuit in aliis angelis ejusdem naturæ peccantibus. » Horribilis plane immunditia peccati, cujus vel tantum esse angelum capacem satis est, ut hic aliqua ratione immundus dici possit : nam vere mundus solus est ille qui omnino est impeccabilis, nimirum Deus, quare sic ultra progreditur S. Doctor : « Sed post illos nullum angelorum peccasse credendum est, quia omne liberum suum arbitrium in solius Dei charitatem verterunt, sicque immobiles facti sunt persistentes in veritate, in qua malus angelus cum suis stare noluit. Proinde angelorum voluntas per amorem Dei facta est inconvertibilis, quæ in Deo est per naturam : ideo illi soli incorrupto honor et gloria : » ita S. Hieronymus. Igitur suapte natura capaces erant peccati omnes angeli, et hac ex parte aliqualem immunditiam habent comparatione Dei, qui solus ex natura sua incorruptionem habet atque incomprehensibilem puritatem; imo ipsemet est ipsamet puritas. Cæterum boni angeli simul atque divini amoris actum elicuerunt, supposito illo pacto (quod meliores theologi agnoscunt) inter Deum et illos, facti sunt incapaces peccati non quidem natura, sed ex dono Dei. Paveat ergo omnis creatura necesse est ante Dei præsentiam, coram quo etiam angeli reperiuntur immundi. Unde subdit :

Solus Deus natura sua incapax peccati est.

Vers. 6. Homo putredo et vermis

6. QUANTO MAGIS HOMO PUTREDO, ET FILIUS HOMINIS VERMIS? — Omnes enim mortales post mortem erunt putredo, et fœtor, et vermis, pulvis et cinis; hæc sors homines cunctos exspectat, a qua nec nobilitas, nec divitiæ, nec potestas eximunt, nec acumen ingenii, nec litteræ, nec alia quævis, quæ in hoc mundo æstimantur, excipiunt. Hic ex accidentibus magna conspicitur mortalium diversitas, quia eos aut majorum claritas, aut propria facinora, aut conquisitæ divitiæ discernunt; in tumulo autem omnes erunt pulvis et cinis, nec est aliquid quod hos aliis præferat, aut regem a mancipio distinguat : « Circumspicite eos (inquit Prosper Rhegiensis episcopus in lib. *Sentent.* sent. ult.) qui ante te similibus splendoribus fulsere. Ubi sunt, quos ambiebant civium potentatus? ubi insuperabiles imperatores? ubi qui conventus disponebant et festa, ubi equorum splendidi invectores, exercituum duces, satrapæ, tyranni? Non omnia pulvis? non omnia favillæ? non in paucis ossibus eorum vitæ memoria est? Respice sepulcra, et vide quis servus, quis dominus, quis pauper, quis dives. Discerne, si potes, vinctum a rege, fortem a debili, pulchrum a deformi. Memor itaque naturæ, non extollaris aliquando : memor autem eris, si teipsum respexeris. » Hæc igitur sors, hæc conditio sane misera omnes homines manet, ut quoad corpora convertantur in putredinem, cineres, vermes; unde qui modo vilis ac fragilis caro es, putredo, cinis et pulvis eris, nullaque alia majori dignitate fulgebis : ita Alvarez de Paz tom. II, lib. IV, part. II, cap. VII, ubi hominis miseriam graphice describit cum subdit : Hæc, o homo, eris in corpore; sed

Quid

animo statim a morte futurum sit.

quid eris in animo? animus quidem noster immortalis est, non cum corpore corrumpitur, non in cineres vertitur, qui naturam spiritualem et ab omni corruptione alienam sortitus est; sed tamen omnibus bonis, quæ in hoc mundo diligebat, exuitur. Non eum cognati delectant, non famuli circumstant, non opes juvant, non dignitates spectabilem faciunt, non reliqua visibilia, sicut cum corpori erat junctus, suffulciunt. Incipit regionem quamdam sibi prorsus incognitam ingredi, cum nunquam visis et incognitis penitus conversari : hi non adulabuntur, illi non perperam facta dissimulabunt, non bene gesta inaniter et ad gloriam vanam captandam laudabunt, sed in omnibus veritatem profitebuntur. Adstabit animus ante tribunal districti et severi Judicis, qui cum sapientissimus sit, non potest falli; cum rectissimus, non poterit muneribus corrumpi; cum potentissimus, non poterit minis terreri, nec ad damnationem bonorum aut liberationem malorum adduci. Coram hoc Judice anima e corpore separata, de cogitationibus, de desideriis, de verbis, de operibus, de omissionibus, de aliorum peccatis, quæ quoquo modo ad ipsam pertinent, examinabitur, et juxta meritum suum aut pœna aut præmio afficietur. Universa tunc temporis animam deserent, et solam dereliquent : nam nec corpus ei aderit, quod in sepulcro putrescit; nec amici aut cognati, qui post paucas horas aut dies defunctum oblivioni tradunt; nec res temporales, quæ jam aliis possessoribus serviunt. Assistent autem ei angeli, si forte animam liberare possint; assistent et dæmones, ut eam, si concessum illis fuerit, ad se trahant. Adstabit propria conscientia accusans quidquid non ante recte gestum fuerit. Sed ita adhærebunt opera in hac vita facta, ut nulla ratione ab anima divelli patiantur.

Judicium quam tremendum post mortem.

Hanc horam separationis animæ a corpore optime describit magnus pater Ephrem in hunc modum tom. I, tit. *Beatit.* : « Beatus quicumque in hora illa emigrationis, quando cum timore atque dolore anima separabitur a corpore, fiduciam repererit : venturi enim sunt angeli qui animam a corpore jam separatam accipiant, sistantque ante tribunal immortalis ac tremendi Judicis. Magnus nos timor invadit, o fratres, in hora mortis, quando cum tremore atque dolore separanda erit anima a corpore. Siquidem in hora illa discessus præstabuntur animæ sua quæ gesserit opera diurna atque nocturna, sive bona, sive etiam mala; impellentibus jam eam angelis ut exeat a corpore : illa respiciens ad sua opera egredi pertimescet. Peccatoris vero anima cum timore a corpore recedet, et tremebunda abibit statuenda ad tribunal Judicis immortalis : cum autem jam emigrare cogetur e corpore, contuebiturque sua opera, tunc cum timore dictura est ipsis : Concedite mihi unius adhuc horæ spatium, donec egrediar : at cuncta ejus opera simul, una voce respondebunt, dicentque ei : Tu nos fecisti, tua opera sumus, tecum una ad Deum ibimus : » sic ille. Ecce ergo, o homo, quid eris; in corpore pulvis, in anima reus; in corpore cinis, in anima judicandus; in corpore putredo et vermis, in anima ex tuis operibus aut pœnis aut præmiis afficiendus; et ut breviter omnia dicta tibi proponam, et quid fueris, quid sis, et quid eris ad tuam confusionem inculcem, audi verba Hugonis Victorini lib. *De Anim.* sic scribentis : « Attende, homo, quid fuisti ante ortum, et quid es ab ortu usque ad occasum, atque quid eris post hanc vitam. Profecto fuisti quod nihil erat; postea de vili materia factus, et vilissimo panno involutus, menstruali sanguine in utero materno fuisti nutritus, et tunica tua fuit pellis secundina : sic indutus et ornatus progressus es ad nos : nec memor es, quam sit vilis origo tui :

Considéret homo quid fuerit, sit, et erit.

> Forma, favor populi, fervor juvenilis, opesque
> Subripuere tibi noscere quid sit homo.

Nihil aliud est homo quam sperma fœtidum, saccus stercorum, cibus vermium.

> Post hominem vermis, post vermem fœtor et horror :
> Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Cur ergo superbis, homo? Attende quod fuisti vile semen, et sanguis coagulatus in utero; deinde miseriis hujus vitæ expositus; postea vermis et cibus vermium futurus in tumulo. Quid superbis pulvis et cinis, cujus conceptus culpa, nasci miseria, vivere pœna, mori angustia?

> Unde superbit homo, cujus conceptio culpa,
> Nasci pœna, labor vita, necesse mori? »

http://www.obrascatolicas.com

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Respondet Job, non egere Deum vano et imbecilli, seu Baldadi seu aliorum hominum auxilio, ut incomprehensibilis ejus majestas et potentia innotescat; sat innotescere nobis per ejus effectus et opera vere stupenda.

1. Respondens autem Job dixit : 2. Cujus adjutor est? numquid imbecillis? et sustentat brachium ejus, qui non est fortis? 3. Cui dedisti consilium? forsitan illi, qui non habet sapientiam, et prudentiam tuam ostendisti plurimam. 4. Quem docere voluisti? nonne eum, qui fecit spiramentum? 5. Ecce gigantes gemunt sub aquis, et qui habitant cum eis. 6. Nudus est infernus coram illo, et nullum est operimentum perditioni. 7. Qui extendit aquilonem super vacuum et appendit terram super nihilum. 8. Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum. 9. Qui tenet vultum solii sui, et expandit super illud nebulam suam. 10. Terminum circumdedit aquis, usque dum finiantur lux et tenebræ. 11. Columnæ cœli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus. 12. In fortitudine illius repente maria congregata sunt, et prudentia ejus percussit superbum. 13. Spiritus ejus ornavit cœlos : et obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus. 14. Ecce, hæc ex parte dicta sunt viarum ejus : et cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?

Vers. 1 et 2. Baldad reprehenditur quasi Deum ut imbecillem adjuvans.

1 et 2. RESPONDENS AUTEM JOB DIXIT : CUJUS ADJUTOR ES? NUMQUID IMBECILLIS? ET SUSTENTAS BRACHIUM EJUS QUI NON EST FORTIS? — Hæc ad Baldadum per ironiam a Jobo dicta esse communis interpretum fert opinio, quasi ipse Deum ut imbecillem adjuvare niteretur : dum enim Baldad tam multis Dei potestatem et terrorem commemorabat, sane videbatur Dei partibus quodammodo diffidere, nisi ipse illas tam operose susciperet defendendas, veritus ne si Jobus cum Deo disputaret, inferior Deus in sua causa evaderet, et si solus Job cum solo Deo ageret, posset Deo judici imponere tanquam rerum ignaro. Quare merito Job orationem ejus irridet, sicut cap. XIII, 7 cæteros amicos suos eadem de causa irriserat dicens : « Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro eo loquamini dolos? numquid faciem ejus accipitis, et pro Deo judicare nitimini? aut placebit ei quem celare nihil potest? aut decipietur ut homo vestris fraudulentiis? Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem ejus accipitis : » ita et modo ait : « Cujus adjutor es? » non enim veritatis defensorem, sed potentioris adjutorem agere videris, cum tantum adversarii, quem putas, mei potestatem amplificas; quod si adjutorem agis, cujus adjutor es? Deine? at ille cum potentissimus sit, ut tu ipse prædicas, nullius eget patrocinio : quare sane frustra hanc tuam orationem habuisti.

Potentem adjuvare velle

Pulchre ad hunc locum S. Gregorius lib. XVII *Moral.* cap. XI : « Adjuvare, inquit, imbecillem charitatis est, adjuvare vero potentem velle elationis est.

Cur et quales defensores suos amet Deus.

dionis, ac si aperte dicat : Dum eum juvare niteris sub cujus magnitudine succumbis, omne quod impendis solatium de ostentatione est, non de pietate. Sed inter hæc sciendum est, quia plerumque etiam Deum, qui videlicet imbecillis non est, humiliter agentes adjuvamus; unde et per Paulum dicitur I *Corinth.* III, 9 : *Adjutores enim Dei sumus* : nam cum ei, quem ipse per internam gratiam infundit, nos exhortationis voce concurrimus, hoc quod ille per spiritum agit intrinsecus nos exterius ministerio vocis adjuvamus. » Ex quo doctrina intelligitur cognitione dignissima, cur Deo gratissimi sint ii, qui in terris toto pectore Dei partes tuentur, acerrimeque pro eo cum quibuscumque hostibus pugnant : quia hoc officio suo præ se ferunt, ac profitentur se veritatis et æquitatis esse amatores; non quod ipsi ullius auxilii opus sit, aut quod aliquam ei utilitatem ulli adjutores adferre possint : quocirca qui alia de causa hoc pro Deo certamen suscipiunt, vel ut fines propagent imperii sui, vel ut sententiam contumaciter defendant, atque adeo quod eis Deus propter suam infinitam potentiam terrori sit; hi certe nihil de Deo potentissimo merentur, et in eum potius ingrati quam grati sunt, non enim honesto, sed utili potius ad agendum ducuntur. Metus autem potentiæ Dei ut honestus sit, non debet ita totus in utilitate versari, ut honestatis causam, quo minus adjungi possit, prorsus impediat, ut theologi docent.

Job Baldadum exprobrat importunitatem suæ admonitionis.

Cæterum sic etiam exponi possit, ac si Job Baldadum dicat : Quis fructus ex omnibus tuis sermonibus perceptus est? et primum quidem, cui opem tulisti? Numquid homini debili? Servastine brachium viribus destitutum? *q. d.* Bona doctrina non debet temere projici, sed illi, ad quem dirigitur, aptam et accommodatam instructionem adferre, ut v. g. si videamus hominem penitus dejectum, et ita perterrefactum, ut consolatione opus habeat, si adversus ipsum fulminetur, nonne hoc fuerit ipsum penitus ad desperationem adigere? Contra, si videas hominem, qui in peccatis suis obduruerit, contemptor Dei sit, qui etiam omnes admonitiones irrideat, et tamen illum demulceas, et blanda oratione tractes, nonne præstaret te tacere, quam ludibrio erga ipsum verbum Dei exponere? Jobus igitur ostendit frustra Baldadum de potentia Dei locutum esse, neque ad personam suam satis apte et apposite, cum animus afflictus consolatione potius erigendus, quam severa increpatione dejiciendus fuisset : quamobrem exprobrat illi sermones, quos in aerem effuderat, sonum duntaxat inutilem fuisse. Cur vero? quia, inquit, non profuerunt ad confirmandum debilem, ad servandum et vindicandum ab interitu brachium, quod tanquam fractum erat. Hoc nempe proprium consolatoris munus est, erigere et corroborare debiles, impotentes et penitus dejectos stabilire et confirmare divinis promissionibus, quæ in Scriptura continentur, paragogicis eas ad solamen miserorum verbis apte suggerendo et in memoriam revocando, quomodo nimirum Deus declaret se defensurum suos, et satis in suo spiritu virium esse ad ipsos labantes sustinendos, indeque auxilium exspectandum cum fiducia, etc. Quibus omnino contraria Baldad et socii Jobo, importuni vexatores verius quam consolatores, afflicto ingerebant velut ungues in ulceribus ejus exsistentes, et inofficiosa consilia usque ad nauseam viro sapienti obtrudentes.

Vers. 3. Stultum est Deo consilium dare velle.

3. CUI DEDISTI CONSILIUM? FORSITAN ILLI QUI NON HABET SAPIENTIAM, ET PRUDENTIAM TUAM OSTENDISTI PLURIMAM. — Frustra certe quis consilio juvare nititur eum qui sapientissimus est, quamobrem inutilis et supervacanea Baldadi oratio fuit; sed veritas et pietas in Deo defendendo spectanda est, ut alicujus momenti sit hujusmodi defensio, nam, ut præclare S. Gregorius lib. XVII *Moral.* cap. XI, « dare stulto consilium charitatis est; dare sapienti ostentationis; dare vero ipsi sapientiæ perversitatis. Sequitur : *Et prudentiam tuam ostendisti plurimam.* Omnis cui prudentia recta est plurima non est quia, juxta Pauli vocem *Rom.* XII, 3 non plus appetit sapere quam oportet sapere. Cui vero plurima non est recta, quia dum ultra modum tenditur, in quolibet latere culpæ declinatur. Prudentiam vero suam plurimam ostendunt, qui prudentiores videri præ aliis appetunt; » quod stultæ præsumptionis est, non prudentiæ virtutis, quæ in omni re hoc in primis cavendum docet : « Ne quid nimis. » Servare enim oportet modum et medium in omni virtute, nam ut bene monet Origenes, virtus si in extrema diffluat fit vitium; ut ergo vera sit prudentia debet « sapere ad sobrietatem; » græce εἰς τὸ σωφρονεῖν, quod Irenæus lib. V, cap. XX, vertit *sapere ad prudentium*; S. Hieronymus lib. I *Contra Jovin. sapere ad pudicitiam*; S. Augustinus *Epist.* 47, *sapere ad temperantiam* : Temperantia autem, inquit, est modus et temperamentum quo quisque uti debet, ut intra suos terminos se coerceat; et hoc noster interpres vult, cum vertit *sapere ad sobrietatem* : hoc enim proprie est σωφρονεῖν. Ubi notanda in Græco pulchra paronomasia, φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, q. d. *sapere ad sapiendum sobrie*; hinc S. Chrysostomus et Syrus vertunt, *sapere ad modestiam*, id est ad humilitatem. Græcum σωφροσύνη, ait S. Chrysostomus, dicitur ἀπὸ τοῦ τὰς σωὰς τὰς φρένας ἔχειν, id est, *ab eo quod mentes habeantur sanæ*; sanas autem facit modestia et humilitas, nam immodestus et superbus mente valere nequit, id est firmus consistere, sani et constantis judicii ac propositi esse nequit; sed desipit, exorbitat, et quovis demente furiosior fit, inquit idem Chrysostomus.

Prudentem oportet sapere ad sobrietatem.

Vers. 4. Deus non debet ab homine doceri.

4. QUEM DOCERE VOLUISTI? NONNE EUM QUI FECIT SPIRAMENTUM? — *q. d.* An Deum ipsum verbis tuis docere atque instruere voluisti, ut sciat quid pro se loquatur, aut quomodo se defendat, cum ipse nequaquam vel tua vel cujusquam instructione indigeat, qui *Gen.* I, omnem intellectualem spiritum animumque hominis ipse creavit, quando in eum inspiravit spiraculum vitæ, seu spiramentum et mentem illustravit, et sapientia mira perfecit? quamobrem necesse ut ipse omnium maxime sit intelligens et sciens, a quo tam angelis quam hominibus omnis scientiæ et intelligentiæ initium exsistit. Est igitur hic quædam circumlocutio divinæ omnipotentiæ atque sapientiæ nulla in re indigentis humana sapientia, vel industria, vel consilio : quare nec ab homine doceri potest, ut qui nulla ratione indigeat humanis adminiculis : qui enim novit potuitque vitam universis viventibus conferre, potens quoque atque sapiens erit universa quæ ad homines spectant optima ratione disponere. Quo argumento etiam usus est S. Paulus, dum inter concionandum ait *Act.* XXVII, 24 : « Deus qui fecit mundum et omnia quæ in eo sunt, hic cœli et terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia, » id est, sapiens et potens est largiri omnia alia bona simul cum vita. Stulte ergo Baldad Deum potentissimum et sapientissimum puerilibus consiliis suis imbuere nititur.

Verbum Dei quo spiritu annuntiandum sit.

Hebræa sic verbum de verbo reddi possunt, *cui narrasti sermones? et cujus spiritus exiit ex te?* quomodo etiam Græci et Chaldæus convertunt : nam Septuaginta legunt, τίνι ἀνήγγειλας ῥήματα; πνεῦ δὲ τίνος ἐστὶν ἐξελεύσεται ἐκ σοῦ *cui annuntiasti verba? spiramen autem cujus est quod exit ex te?* id est,

http://www.obrascatolicas.com

putasne mecum disputans te cum homine aliquo imperito disputare, et qui sermones et argumenta tua ponderare nesciat? aut cujus magistri profers doctrinam? quisve te ita instituit? id enim significat phrasis illa hebræa, *cujus spiritus exiit ex te?* q. d. Quo spiritu loqueris? numquid Dei aut hominum spiritu? et hic quidem sensus doctrinæ spiritali servit, nam quando aliquis doctrinam salutis annuntiat, caveat oportet, ne quidquam ex sensu suo proprio proferat, illud reputans, non esse quod hic se homo commendet, sed duntaxat a spiritu Dei regi debere, et habere eam virtutem, cujus meminit D. Paulus, ut ipsum a Deo missum esse intelligatur. Illud igitur valde requiritur; sed si textus series considerabitur, potius dicendum est, Jobum, juxta id quod supra tetigimus, velle ostendere, sermones Baldadi non fuisse apte et apposite propositos, quia suam animam non vivificarunt: tunc enim verbum Dei ut par est tractatur, quando dat nobis animum ad ambulandum, et corroborat nos in nostris debilitatibus, ut nos agiles reddat, etiamsi fractas tibias habuerimus; cumque pro eo quod omni vigore nudi et destituti eramus fortes nos reddit; sed et nobis tanquam in morte constitutis vitam communicat. Cæterum cum nihil horum Baldadi verbis, sed omnia contraria inessent, jure merito Job hominis imperiti se sapientiorem docere satagentis arrogantiam increpat, ut qui non Dei, sed proprio vel potius satanico spiritu loquatur.

Vers. 5. 5. ECCE GIGANTES GEMUNT SUB AQUIS, ET QUI HABITANT CUM EIS. — Locus hic varie torsit et distraxit interpretes, dum non satis in *gigantum* significatione conveniunt, quorum opiniones cum a Pineda Sanctioque fusius recenseantur et expendantur, nil attinet hic repetere: communior et verior sententia est agi hic de illis qui ante diluvium vixerunt, quapropter fortassis etiam dicti *sub aquis gemere*, quia tempore Noe (qui unus gigantum, sed justus) oppressi frustra moliantur emergere. Hæc est communis Patrum expositio, ideoque præ cæteris amplectenda, quam confirmat Symmachi versio ἐνάντιοι, *contra Deum pugnantes*; et sic Olympiodorus, D. Hieronymus, S. Gregorius, Philippus presbyter, et B. Thomas. Verum cur ergo dixit Job adhuc suo tempore illos *sub aquis gemere?* quia nimirum his aquis oppressi ad centrum terræ descenderunt, ubi infernus est, cui artificio Dei librata pelagi abyssus superimpendet, et sic quotquot in inferno degunt sub aquis gemunt: itaque hæc verba de gehenna debent sumi, ubi cum eis habitant cacodæmones simul degentes in tenebricoso tartari specu. De quo etiam Salomon *Prov.* IX, 18: « Ibi sunt gigantes: et in profundis inferni convivæ ejus, » ad quem locum Salonius in *Myst. Proverb. expos.* ita scribit: « *Gigantes* appellavit immundos spiritus, id est dæmones, de quibus B. Job dicit: *Ecce gigantes gemunt sub aquis, et qui habitant cum eis*, id est dæmones et omnes quos ipsi deceperunt, et qui ipsis consenserunt, sub pœnis torquentur. Quare dæmones appellantur *gigantes?* quia dæmones superbi et elati sunt, et mali ac fortes, sicut olim gigantes fuerunt. In cœtu ergo istorum gigantum, id est dæmonum, commorabuntur omnes qui erraverunt a via doctrinæ, id est a via veritatis: quia simul cum dæmonibus torquebuntur in pœna æternæ damnationis. » Habes originem fabulæ poetarum, qui hinc docti suos Terræ et Erebi filios montibus et insulis integris obruerunt quoad corpora, Enceladum Sicilia, Typhœum Inarimis, Porphyrionem Delo; sed eorum animas fatentur Virgilius, Claudianus, Seneca, et alii apud inferos cruciari.

Quomodo dicantur gigantes sub aquis gemere.

Damnones vocati *gigantes*, cur.

Gigantum sepultura juxta poetas.

Tropologice per *gigantes* intelliguntur principes, reges, et maxime tyranni; per *aquas* vero populi, sub quibus gemunt, qui illis imperant; in prima quidem mundi creatione « Spiritus Domini ferebatur super aquas, » *Gen.* I, 2; at modo regum spiritus ac mens aquis subjicitur, quia servire illis debent quos regunt. Hic illud philosophorum placitum non habet locum, quo tradunt aquas in suo loco et centro non gravitare, sicut neque cætera elementa; quia populorum aquæ adeo gravitant, ut illis ferendis vix ullus sit par. Moyses ipse, qui sanctarum alioquin virium vir erat, clamabat *Num.* XI, 12: « Cur imposuisti pondus universi populi super me? non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi: » de curarum porro pondere, quo illi premuntur qui alios regunt, vide S. Gregorium lib. XVII *Moral.* cap. XII. Sed dicet fortasse aliquis: Ad Dei incredibilem potestatem indicandam sufficisset lamenta et gemitus potentium virorum explicasse: quippe tam potens est Deus *Psalm.* LXXV, 13, « qui aufert spiritum principum, » ut mittat principes in locum, ubi est gemitus et stridor dentium. Cur voluit addere illud, *et habitant cum eis?* crediderim id additum non ad ostendendam Dei potentiam, sed principum conditionem, qui nesciant soli ire in perditionem, sed ut plurimum eant magna stipati caterva; unde D. Thomas ad hunc locum ait: « Quia non ipsi soli perierunt, sed multi alii cum eis; et tunc postea subjungit: *Et qui habitant cum eis* scilicet similiter gemant. »

Gigantes sunt principes et tyranni.

Nemo potentium solus perditionem intrat, sed magna clientum, famulorum amicorumque turba comitatus: etenim Lucifer ille, qui mane oriebatur, quando ascensiones in corde suo meditabatur, solus proponitur dicens *Isai.* XIV, 14: « Ascendam in cœlum, » etc., nullum secum socium trahit ut ascendat; verum ubi deturbatur in profundum, quis numeret socios sequentes illum? *Apoc.* XII, 3: « Ecce draco magnus et rufus habens capita septem et cornua decem, et in capitibus ejus diademata septem, et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli. » Rari sunt, aut nulli, qui admittantur ad potentium glorias, at ingens semper est multitudo quæ trahitur a potentibus cadentibus, qui omnes suos familiares

Nullus principum solus pergit in præcipitium, sed multos secum trahunt.

et unanimes præcipitare noverunt: sic *Ezech.* XXXI, 18 dicitur ad Pharaonem regem: « Cui assimilatus es, o inclyte atque sublimis inter ligna voluptatis? Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam: in medio circumcisorum dormies cum eis qui interfecti sunt gladio. Ipse est Pharao et omnis multitudo ejus. » Periit utique Pharao, at non periit solus, imo ingens illa ministrorum multitudo, quæ adinstar lignorum paradisi illum ubique obumbrabant, simul periit cum illo; ipseque cum lignis voluptatis ingreditur ultimam terram inferni. Pharao est princeps qui cum ingenti multitudine ministrorum in mortem æternam incidit; nec otiose dicitur potens in infernum ire « cum lignis voluptatis: » posset enim explicatius dicere *cum ministris*, sed maluit dicere *cum lignis voluptatis*, ne videantur ex multitudine sociorum solatia creari potentibus pereuntibus, sed potius aggravari supplicia. An qui in flammam cadit cum adjunctis sibi lignis non potius augebit quam minuet ignem? sic ministri rapti ad pœnam ligna sunt qui ignem augeant dominis. Hinc nata est illa sollicitudo divitis epulonis, qua dicebat *Luc.* XVI, 25: « Rogo te pater Abraham ut mittas Lazarum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres; ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum: » quippe flammis possessus timebat suorum adventum, ut cremandus timet ligna quibus major ignis exsurgat, et ideo precabatur miser suorum ad se accessum quasi necessario imminentem alio diverti, ne majori cremaretur igne adhibitis tot lignis.

Vers. 6. Nihil absconditum oculis Dei, sed adest omnibus primo per essentiam.

6. NUDUS EST INFERNUS CORAM ILLO, ET NULLUM EST OPERIMENTUM PERDITIONI, — id est, nihil absconditum est oculis Dei, penitissima et abstrusissima quoque inferni loca penetrantis: subtilissimus quippe ac perspicacissimus est Dei visus, neque terræ objectu tenebrarumve obductu divinæ cognitioni quidquam subducitur, omnia pervidet, omnia pervadit, omnia implet, in omnibus locis et in omnibus rebus (si secundum usum theologorum loquamur) est per essentiam, præsentiam et potentiam. Per *essentiam* certe, quia ejus divina substantia nullis clausa terminis, nullis circumscripta limitibus, nullis locis definita, omnibus rebus et locis intimius adest quam ipsæmet res, vel ipsamet loca adsunt sibi. Et sicut cum sol est in fervore dici, ejus lux secundum suam naturam est in toto aere, et in omnes ejus partes pervadit, ita ut nulla sit pars, quantumvis minima, quæ luce vacua aut inanis exsistat: ita profecto natura divina, quæ lux substantialis, immaterialis et infinita est, quam nulla nebula obscurat, omnibus intime adest, et universa penetrat, et velut causa conjuncta dat suis effectis, ut in esse subsistant, licet per omnia similitudo non quadret: nam tota lux in toto aere est, et pars lucis in parte; at Deus ubique est totus, qui nec locorum spatiis distenditur, aut rerum varietate distrahitur, aut partium diversitate dividitur. Cujus rei ipse Spiritus Dei testis est omni exceptione major hæc cordi Davidis instillans *Psalm.* CXXXVIII, 7: « Quo ibo a spiritu tuo, aut quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. » Per *præsentiam* vero, quia nihil Deum latet; et ut Paulus ait *Hebr.* IV, 13: « Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus; » sed quemadmodum qui est in toto cubiculo vel conclavi per præsentiam, quia omnia quæ sunt in eo loco oculis cernit, et sine ulla ambiguitate cognoscit, sic Deus, cui totus orbis quoad visibilia et invisibilia est locus exiguus, omnia intuetur, universa discernit, præterita, præsentia et futura, nec non et possibilia, et quidquid est aut esse potest manifeste cognoscit. Quod regius vates non siluit divinam adhuc immensitatem edicens *Psalm.* CXXXVIII, 11: « Et dixi: Forsitan tenebræ conculcabunt me, et nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus: » Nam si dixerit, inquit, nobis cogitatio nostra, ut in tenebris ab oculis tuis, Domine, occultemur, et ad perfruendum deliciis et impuris voluptatibus abscondamur, respondeamus ei quod vana et insipientissima sit, nam et tenebræ tibi apertæ sunt, caligo sicut claritas manifesta, et obscura nox non minus clara quam si esset meridies.

Secundo per præsentiam.

Per *potentiam* denique est Deus in omnibus, quia ejus regia potestas omnibus rebus imperat, ejus vis sicut omnia fecit, ita omnia conservat, movet, dirigit et gubernat, et universa potest destruere, et in barathrum nihili præcipitare. Quam potentiæ immensitatem S. Job graphice depinxit *supr.* cap. IX, 4 et seq.: ubi vide quæ notavimus. Profunda igitur inferni prorsus nuda sunt et aperta oculis ejus, et omnia quæcumque illic geruntur, eo spectante et decernente sic fiunt, ad eum modum quo rei et malefici in conspectu judicis torquentur et puniuntur. Ipsisque illis qui sunt in damnatione nullum est operimentum: non se possunt occultare a conspectu Dei, ita ut non ab ipso videantur: nusquam possunt ejus aspectum effugere, etiamsi in infimis sedeant inferni tenebris. Commode etiam traducitur hic versus in arcano sensu ad intimos impiorum sinus, ubi flagitia meditantur, suaque turpia vota recondunt. Sed hic opponet aliquis: Si Jobo teste « nudus est infernus coram illo, » quod juxta Doctoris angelici expositionem idem est ac si diceret: « Ea quæ in inferno aguntur conspicua sunt coram oculis ejus, et secundum ejus judicium aguntur; » quomodo verum erit, quod idem Deus damnatis virginibus dicat *Matth.* XXV, 12: « Nescio vos? » si enim nescit in inferno cruciatos, quomodo nudus est infernus coram illo? quæ sic optime conciliantur, ut

Tertio per potentiam.

Quomodo Deus in inferno positos videat, et tamen simul nesciat.

http://www.obrascatolicas.com

nesciat misericordia quod justitia noscit; unde et noscit et nescit : et secundum decretum Emisseni Eusebii, « ultra nescientur a Deo, qui Deum scire noluerunt; » quæ verba notanda, et isti oraculo aptanda *Ose.* I, 6 : « Non addam ultra misereri, sed oblivione oblivisear eorum. » Misericordia ergo eos nescit, sed justitia noscit, et non ignoscit, et, ut dicebat S. Thomas, quæ in inferno aguntur secundum ejus judicium fiunt; adeo tamen horribilia sunt damnatorum tormenta, ut dubitari possit, an Deo consulto illa exerceantur, an ex furore et crudelitate vindictæ proveniant. Ideo Job clare demonstrat nudum esse infernum coram illo, et ab illius judicio statutas esse pœnas, etsi acerbissimæ sint et pene intolerabiles; dicitur autem Deus illas nescire, ut suæ blandiatur misericordiæ, adeo enim sunt duræ, ut illarum misericordia oblita videatur.

In inferno misericordia nescit quod justitia noscit et punit.

Vers. 7. 7. QUI EXTENDIT AQUILONEM SUPER VACUUM, ET APPENDIT TERRAM SUPER NIHILUM. — Ipse nimirum est qui partem cœli aquilonarem sive septentrionalem, quam polum arcticum nuncupant astrologi, extendit sive expandit ad modum pellis sive tentorii in longitudine et latitudine sua (juxta illud *Psalm.* CIII, 2 : « Extendens cœlum sicut pellem, » cui consentit Isaias cap. XL, 22 : « Qui extendit velut nihilum cœlos, et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum ») idque non super solido aliquo corpore, unde arcualem illam curvitatem videretur posse suscipere, quemadmodum artifices solent hujusmodi arcuales extensiones super aliqua re solida fundare, sed super fluido et instabili aere, qui a vulgo quasi vacuum aut nihilum existimatur. Globum quoque terræ gravissimum, et omnium elementorum infimum, in suo pondere appendit et librat, non super aliquibus basibus aut columnis pondus illius sustentantibus, quemadmodum solent artifices gravibus ædificiis columnas substruere, aut fundamenta quibus fulciantur; sed prorsus super nihilo, super nullo prorsus ipsi præsupposito fundamento eam in loco suo constituit, et sua ipsius mole firmavit, ita ut non moveatur in perpetuum de loco suo, juxta illud *Eccle.* I, 4 : « Terra autem in æternum stat. » Super *vacuum* itaque dicit cœlum extensum, hoc est super elementa, quæ mortalium oculis communi loquendi more vacuitatem quamdam repræsentant : vulgo quippe cubiculum vacuum dictitamus, tametsi aere sit plenum, si aliis rebus crassioribus minime occupetur. Terra vero, quæ *Psalm.* CIII, 5 fundata est super stabilitatem suam, miro certe modo librata, et firmissimis divinæ potentiæ ac sapientiæ columnis innixa consistit, ut apposite Jobus aquilonis extensionem et terræ suspensionem ut potentiæ ac sapientiæ infinitæ argumenta produxerit.

Dens cœlum extendit super vacuum.

Deus terram appendit super nihilum.

Hanc porro substructionem totius universitatis e tanta illustrium rerum admirabilitate constantem ipse pollens architectus non tota manu mirabilium effectrice, sed, ut miratur Isaias cap. XL, 12, digitulis tribus sustinet : itaque ridiculi sunt e profanis cosmopœiæ interpretes, qui Atlantem cœliferum inducunt. Impia quoque furiosi Manetis stultitia, qui aiebat, ut verbo utar Epiphanii lib. II *Hæres.* 66, ὠμοφόρον, *bajulum* esse nescio quem terram omnem suis humeris sustinentem, qui trigesimo quoque anno ab humero uno pondus in alterum transferat, unde terræ motus exsistant. Solus ipse Demiurgus totam hanc molem nutu et voluntate continet, quam si vellet, posset uno momento in nihilum redigere, ut declaratum est *supr.* cap. XI, 10. De hac autem admirabili terræ positione ita pulchre Isidorus hispalensis lib. *De Nat. rerum* cap. XLIV : « Qualiter terra super aerem fundata libratis credatur stare ponderibus sic dicit Ambrosius : De terræ autem qualitate sive positione sufficiat secundum scripturam Job. Sciendum quia suspendit terram in nihilo. Philosophi quoque similiter opinantur aere denso terram sustineri, et quasi spongiam mole sua immobilem pendere, sicque ut æquabili motu hinc atque inde veluti alarum suffulta remigiis ex omni parte librata propendeat, nec in partem possit declinare alteram : verumtamen densitate aeris sustineatur. An super aquam pendeat, quia scribitur *Psalm.* CIII, 5 : *Qui fundavit terram super aquas?* vel quomodo aer mollis tantam molem possit sustinere terram? aut si super aquas est tam immane pondus, quomodo non demergitur, aut quomodo æquitatis libram teneat, ne in alteram partem propensa incumbat? Hoc nulli mortalium scire fas est, nec nobis discutere aut perscrutari licet tantam divinæ artis excellentiam, dum constet eam lege majestatis Dei aut super aquas aut super nubes stabilem permanere : *Quis enim,* (inquit Salomon *Eccli.* XVIII, 3, *sufficit narrare opera illius, aut quis investigabit magnalia ejus?* Ergo quod mortalium naturæ secretum est, divinæ potentiæ relinquendum est. »

Deus tribus digitis suspendit orbem.

Considera igitur hic mihi, et tecum seria cogitatione expende, unde sit tanta terræ stabilitas, cum super nihilum fundata sit, unde permanentia orbis et omnium habitantium in eo : utique ex providentia Dei. Deus fidejussor est permanentis terræ, et securior hæc consistit in providentia et pietate Dei, quam si super fortissimas bases esset constituta et solidata. Sic igitur de rebus nostris philosophandum est; incertæ quidem sunt providentiæ nostræ, super nihilum sæpe fundari videtur remedium necessitatum nostrarum, sed tamen exstat providentia Domini super nos : ecce fundamentum, ecce fulcimentum nostrum; securius super hanc spem solidatur spes nostra quam super reliqua imaginabilia fundamenta terræ ac cœli. Inciderat aliquando S. Martinus in latronum manus; coram ipsis autem adeo placido ac sereno vultu ipse adstabat, ut admiratione capti dicerent latrones : Vides nos et strictos enses super caput tuum, et non times? quibus S. Martinus : Non timeo, quia soli Deo fido, cum nullum mihi humanum præsidium adsit. Hic, hic Dei erga nos providentiam et misericordiam agnoscebat, non vero hi qui confidunt in baculo arundineo Ægypti.

Providentia Dei sustinet universum.

S. Martini inter latrones securitas.

Vers. 8. 8. QUI LIGAT AQUAS IN NUBIBUS SUIS, UT NON ERUMPANT PARITER DEORSUM. — Est videlicet veri potentissimique Numinis habere summum et perfectum imbris dominatum; hinc bonus divinorum operum æstimator Jobus ea quæ nobis ut quotidiana vilescunt expendens atque contemplans, ad perfectiones divinas sibi gradum construit. Et quidem mirum est, quomodo vapores calore in altum elati a Deo ligentur, hoc est, densentur, stringantur, et in levissimis nubium vehiculis huc illucque agantur; paulatim concrescunt regionis illius frigore, ac sensim guttæ destillant, quamvis in resolutione nubium, motu seu raptu, aliisque meteoricis pluviæ observationibus varia sint celeritatis tarditatisque discrimina. Oportuit autem ut aquæ non erumperent pariter deorsum, ne omnia delerent, sed veluti cribro excernerentur, terram molliter humectarent, longoque stillicidio perfunderent. Ecce miraculum quod quotidie videmus oculis; de eo tamen nullus cogitat, nisi frigide admodum, ita ut id statim effluat ex animo nostro; hæcque vis Dei non honoratur a nobis : ideo Jobus volens profiteri se non ex eorum numero esse, qui per hunc mundum transeunt belluarum more, non cognoscentes suum creatorem : Scio, inquit, Deum ligare aquas in nubibus suis. Quia vero id nobis ordinarium est, non magni facimus; nihilominus in eo ostendit nobis Deus vim suam admirabilem : nonne dignum admiratione est, aquas ita pendere in aere, et ibi firmas stare, cum natura sua graviores sint aere, qui illis naturaliter loco cedit, ideoque cadant necesse est? videmus tamen illas ibi retineri tanquam in utre, ut dicitur in *Psalm.* XXXII, 7 et LXXVII, 13 : propheta enim ea similitudine utitur, volens exprimere miraculum, quod tam male ab hominibus agnoscitur. Cum itaque id videmus, Deus nobis exprobrat animi nostri vitium, nosque ad se vocat, et ostendit se omnibus modis potentia admirabili præditum esse; sed videntes plerique nihil vident. Si quæratur quomodo fieri possit id, cujus hic meminit Jobus; ratione convincimur, idque evidenter apparet Deum esse supra ordinem naturæ : et in ejusmodi tempestatum varietate cogimur vel inviti agnoscere Dei manum operari, ipsumque adeo non otiosum esse in cœlo, nec duntaxat semel mundum creasse, ut ipsum relinqueret; sed omnia disponere, et ita regere creaturas suas, ut velit nos sentire se nobis esse propinquum.

Deus perfectam habet imbris dominatum.

Dens admirabilis est in pluviarum dispensatione.

Ex tempestatum mutatione patet Deum mundum regere.

Tropologice versus hic a Patribus eleganter aptatur doctrinæ spiritali, quam in viris perfectis Deus tanquam in nubibus congregat, ubi consilium est non statim copiam immodicam evergere, sed pro captu aliorum sensim et quasi per guttas instillare : satis tritum vulgareque est in divino sermone præcones verbi Dei appellari *nubes;* ad hoc siquidem munus a Deo avocantur, cum ex terrenæ humilitatis humo, et ex sæculi hujus mari ac tumultu cœlesti quadam vi tolluntur, ubi spiritu Dei agitati, quo ipse voluerit deducuntur, quemadmodum nubes e terra ac mari in aera sublatæ a ventis impelluntur. De quibus audi S. Hieronymum ad hunc Jobi locum sic dicentem : « Per *nubes* sanctos doctores interpretemur, qui aquas evangelii portant populis effundendas, ut irrigentur terræ populorum, et de hac cœlesti pluvia virtutum fruges spirituali operatione multiplicentur : quas aquas de superabundantia defluentes ligat Deus in nubibus suis, ut unicuique secundum capacitatem cordis sui tantum doctrinæ tanquam aquam effundat, quantum suscipientis possibilitas patitur, ne simul fortassis effusæ obsint cordibus minus valentibus abundantiorem suscipere doctrinam, » etc. Similia sunt quæ habet S. Gregorius Nazianzenus in *Apol.* sub medium, ubi loquens de hoc argumento, per allusionem ad illud Pauli *Heb.* VI, 7 : « Terra venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo, » confert cœlestem doctrinam non largissimæ pluviæ, sed imbri tenuiter decidenti, aitque, quemadmodum ingens pluvia nequaquam majorem utilitatem parit quam ea quæ minori copia labitur : quippe cum illa vehementia sua terram devolvat ac distrahat, forteque etiam ipsa agricolam muletet; hæc autem leniter et tranquille defluens, altissimeque illabens pinguiorem terram efficiat, et cultorem juvet, spicamque ad maturum fructum nutriat. Eodem modo nec copiosa verbisque affluens oratio sapienti oratione utilior censenda est : illa enim exigua fortasse voluptate affectum auditorem relinquit, simulque cum percusso aere dissolvitur, nec quidquam aliud virium habet, quam ut verborum lenocinio quasi præstigiis quibusdam avidas hominum aures deliniat; hæc autem mentem penetrat, dilatatumque os et spiritum implet, nec in ipso ortu exstinguitur, sed frugem ingentem paucis syllabis gignit. Hoc igitur ut contingat, necesse est ut Spiritus Sancti assistentia nubem concludat et aperiat, prout oportere censuerit, ne potius obruat quam irriget. Plura luculenter de hoc argumento vide apud S. Gregorium Magnum lib. XVII *Moral.* cap. XIV, ubi hunc versum fuse et eleganter de sacris prædicatoribus exponit.

Prædicatores sunt nubes spirituales.

Doctrina spiritalis non temere effundenda.

Doctrina spiritalis per modum nubis tenuis instillanda.

Vers. 9. 9. QUI TENET VULTUM SOLII SUI, ET EXPANDIT SUPER ILLUD NEBULAM SUAM. — *Tenere vultum* perinde est ac continere faciem ne videatur; *solium* vero *Dei* cœlum appellatur, quod cæteris orbis partibus excellentius et dignius tanta majestate sit : « Hæc dicit Dominus, cœlum sedes mea, » ait Isaias cap. LXVI, 1; *vultum* ergo *solii sui* vocat speciem cœli, sive id quod apparet cum cœlum serenum aspicimus. Dicitur autem *expandere super illud nebulam,* quasi dicas, velum throno oppandere, quo magis venerandum magisque metuendum ejus

Cœlum est Dei solium.

Thronus Dei in nubibus.

http://www.obrascatolicas.com

solium appareat, densis nubibus et spissis nebulis obtectum et obnubilatum, ut non nisi per caliginem quasi a remotis mortalibus videatur, utpote indignis ipsum in sua lucida claritate prout in semetipso est contueri; hinc legimus Deum Moysi et prophetis solitum se nube velut sipario tectum ostendere, ut intelligamus hominum generi vix concedi, ut aciem mentis in lucem ejus inaccessam intendat. Unde Scriptura sacra quotiescumque significat Deum latere aut occultum esse, adhibere plerumque solet vocabulum *tenebrarum*, aut *nubis*, aut *nebulæ*, aut *caliginis*, vel quid simile, quo denotetur obscuritas : sic in *Psalm.* XVII, 10 et 12 : « Posuit tenebras latibulum suum; et caligo sub pedibus ejus, » quibus nimirum divinitas ejus absconditur, ne a nobis videatur, quemadmodum S. Gregorius lib. VII *Moral.* cap. XX exponit his verbis : « Caligo namque est ei sub pedibus, quia non in ea claritate ab inferioribus cernitur, qua in superioribus dominatur. » Porro hanc caliginem divine nobis describit S. Dionysius Areopagita epist. 5 *ad Doroth.* ita scribens : « Divina caligo lux est inaccessa, quam inhabitare Deus perhibetur, » ad quem locum, si lubet, consule *Paraph.* Pachymeræ ac nostras *Annot.*; et plura de hac caligine vide apud eumdem Hierophantam *Myst. Theol.* cap. I et II mirifice explicata. Quin et Moysen de adventu suo Deus certiorem faciens *Exod.* XIX, 9 : « Veniam, inquit, ad te in caligine nubis : » alibi *Exod.* XXIV, 18 idem Moyses ascendens in montem ut cum Deo loqueretur, dicitur ingressus in « medium nebulæ, » et cum plene jam perfectum tabernaculum inexplicabili præsentiæ suæ splendore cohonestare vellet Deus *Exod.* XL, 32, « operuit nubes tabernaculum, et gloria Domini implevit illud. » Sic in templi Salomonis dedicatione, cum solemnem piorum gratulationem augusta sua majestate ornaret, *impleta* Dei domus *nube* dicitur II *Paralip.* V, 13, seu *nebula*, ut III *Reg.* VIII, 10; adeo ut merito regius Vates quasi ovantis nobile spectaculum laude ac prædicatione prosecutus exclamarit *Psalm.* LXVII, 35 : « Magnificentia ejus in nubibus. » Quam magnificentiam ab æterno Patre in veteri lege patefactam tantum abest ut Filius Novo in Testamento imminuisse putandus sit, ut etiam cumularit, nam in sua gloriosissima Transfiguratione, ubi eluxit « magnifica gloria, » ut D. Petrus testis oculatus prodidit II *Epist.* I, 17, pro regifico instructu et splendore eximiæ pompæ grande veluti et blatteum adhibuit conopœum candidæ nubis, non divinitate minus quam argentea luce radiantis : et cum victor remearet ad cœlum *Act.* I, 9, « nubes suscepit eum, » etc., et quod subtiliter notatum a S. Chrysostomo, paternum currum deligere voluit jam toties a divinitate usurpatum, ad indicandam augustissimam dignitatem. Quomodo autem Deus a nobis hic per nebulam et caliginem mysticam cognoscatur, vide fusius a S. Gregorio lib. VII *Moral.* cap. XV explicatum; est autem nubes et nebula symbolum obscuritatis et caliginis, in qua dum hic vivunt perfectissimi etiam viri versantur. Quando igitur nobis audientibus de Deo habetur sermo, sensus nostri attollendi, vel potius excludendi et penitus abnegandi sunt, ut ipsum cum omni reverentia adoremus, nec in rebus terrestribus defixas cogitationes habeamus, quod efficiat, ut de ipso quidquam secundum sensum et captum nostrum imaginemur. Cæterum thronus Dei dicitur in cœlo, non quod ibi sit ipse inclusus, sed ut nobis ostendatur majestatis ipsius sublimitas; ne quidquam de ipso modo nostro, et secundum ingenii nostri tardi et hebetis captum cogitemus. Denique transcendendæ sunt nobis omnes creaturæ, quando volumus recte de Deo cogitare.

Qualis caligo sit sub pedibus Dei.

10. TERMINUM CIRCUMDEDIT AQUIS, USQUE DUM FINIANTUR LUX ET TENEBRÆ. — A nubibus aereoque cœlo Jobus ad aquas, id est proximum elementum descendit, in quo illud præcipue considerat, quod maxime mirantur homines, quod tanta illa tamque sæviens aquarum moles, eo præsertim tempore cum a ventorum rabie hinc atque inde turbatur et tumescit, non excedat littora, id est definitos a Deo terminos, intra quos divinum præceptum illam ineluctabili firmitate coercuit : ita Sanctius, et passim omnes. Quod sane majoris est admirationis, si mare, quod nonnulli putant supra littora, quæ maris sunt claustra, sursum attollitur : qua de re vide Pererium lib. I *Comm. in Genes.*, et Conimbricenses lib. II *De Cœlo*, quæst. 4; aliosque, qui hoc ex professo disputant. Nec vero agitandam mihi judicavi quæstionem illam, an aqua maris altior et editior quam terra sit, et an dicenda sit ex natura sua intra terræ cavernas subsidere, vel potius divina potentia coerceri, et quasi in aggerem extolli, ne terram universam demergat : id enim philosophis dimitto. Sane mihi semper verisimilior apparuit eorum sententia, qui affirmant aquas maris non aliqua vi contra naturam cohiberi, sed sponte, et secundum naturam in terræ cavernas et hiatus fluxisse. Quapropter cum audis Deum terminum posuisse, aut circumdedisse, et legem indidisse, ne transirent fines suos, per *legem* ipsius aquæ naturam intellige suo nutu et natura ad inferiora decurrentem, liquida enim est et gravis, atque adeo in declivi continere se non potest neque ascendere ad superiora; per *terminum* autem ipsammet terram, quæ cum ex parte ad habitationem hominum editior sit marinis undis, obrui nequaquam potest. Quia vero Deus optimus maximus eas naturas terræ atque aquæ indidit, propterea *mari terminum circumdedisse*, et *legem præfixisse* merito dicitur : plura de his vide *infr.* cap. XXXVIII, 8. Quando autem ait hæc locum habitura « usque dum finiantur lux et tenebræ, » significat hunc ordinem nunquam interruptum iri, quamdiu hic mundi status permanebit, et erit vicissitudo diei ac noctis usque ad consummationem sæculi.

Vers. 10. Deus circumdedit mari terminos.

Qui sit termini et lex aquæ.

11. COLUMNÆ COELI CONTREMISCUNT, ET PAVENT AD Vers. 11.

Quid sit columnas cœli contremiscere ad nutum Dei.

NUTUM EJUS, — id est firmamenta, quibus ipsa cœli machina per se firma nititur, contremiscunt tonitruis, fulguribus et orbis concussione : tum enim videntur columnæ hujus universi vacillare, orbisque totus quasi loco commoveri atque subverti, non secus ac domus aut moles quæ columnis innititur, si illius columnæ concutiantur et tremant. Verum quidem est nullas esse columnas quæ cœlum sustineant, sed hac similitudine Jobus utitur, quia magna ædificia et loca vasta, quæ seipsa sustinere non possunt, columnis sustentantur, ut v. g. si quis magnum templum construat, necesse est columnas adhiberi, quæ tantam ædificii molem fulciant. Idem igitur de cœlo judicatur, quod quidem tanti ædificii speciem habet, ut columnas requirere videatur; nullæ tamen in ipso sunt, sed vis Dei supplet id, quo homines in suis ædificiis carere non possunt. Quando igitur Jobus de columnis loquitur, hoc sibi vult : Si tonat, si libet Deo tempestatem aliquam immittere, aerem reboare, et perinde esse ac si fundamenta et columnæ cœli eo strepitu concuterentur, ut sciamus Deum sursum esse supra omnia, et illic habitare, ut omnia gubernet; non quod illic sit inclusus. Sed dum ista proponuntur, demus operam, ut sursum sensus et animos nostros tollamus, et de ipso cogitemus ad eum cum omni reverentia et humilitate adorandum, ut nihil de ipso carnale et terrenum imaginemur. Posset etiam sic accipi et explicari, ut sit poetica catachresis, et sit sensus, *q. d.* Cœlum ipsum summa reverentia et obedientia naturali quasi servus contremiscens creatori suo ac Domino servit et obedit. Possunt etiam per *columnas* cum S. Gregorio et S. Thoma intelligi cœlestes virtutes, sive angeli cœlorum motores et gubernatores, ut respondeat hic locus cap. XIX, 23. Neque obstat imposita columnis ædificia quiescere, ab angelis vero supremum illud Dei opificium cieri : non enim in situ, figura, vel quiete, sed in virtute similitudo consistit. Atque adeo sicut columna est ædificii virtus, firmamentum, robur, ita angelus cœli virtus, vis, firmamentum roburve appellatur.

Timor reverentialis manet etiam in cœlis.

Tremor autem ac *pavor* nihil pœnæ, sed reverentiæ castique timoris plurimum significat : constat enim clarissimorum hominum sententiis timorem castum, et quem theologi *reverentialem* nuncupant, hærere in cœlitibus, et « permanere in sæculum sæculi, » ut Poeta sanctus auro et lauro coronatus ait *Psalm.* XVIII, 10; et Ecclesiæ dogma est in arcana liturgia consecratum, « tremere potestates, » in curia angelica non postremas, dum in luce atque oculis divinæ majestatis humillime stratæ et abjectæ contremiscunt et pavent ad nutum ejus. Sic *Apoc.* IV, 10 in altis cœli palatiis gloriosi reges deponunt coronas ante pedes ejus : quippe agnoscunt atque suspiciunt immensam illam interminatamque supra se Numinis potentiam et venerandam majestatem, in cujus oculis et splendore magnificæ gloriæ nihil est omnis creatura, quam nictu et subito uno nutu spargere in pulverem potest, atque e naturæ finibus exterminare; hinc auctorem suum pavent et verentur, et e nihilo suo amoris alis subvehuntur ad honorandum metu pio Numen, et omni mente animoque venerandum. Sed « timor hic non perturbat, sed confirmat, » inquit S. Augustinus tract. 43 *in Joan.*; et de singulis dici potest illud Fulgentii in *Præfat. ad Monim.* : « Non timet formidine criminis, sed robore puritatis, et firmitate virtutis. » Porro *nutus* expeditionem ad obediendum imperatis celerrimam facillimamque demonstrat; et quidem ex hoc capite Dei potentia et sapientia summopere in admiratione habenda; unde cum ab initio capitis Baldadi circa Dei providentiam et omnipotentiam rationibus Job occurrisset, ex ipsisque naturæ operibus argumentum hoc non mediocriter illustrasset, ita pulchre prosequitur :

12. IN FORTITUDINE ILLIUS REPENTE MARIA CONGREGATA SUNT; ET PRUDENTIA EJUS PERCUSSIT SUPERBUM. — Hujus versiculi primum hemistichium Pagninus, Cajetanus et alii legunt, *in potentia ejus mare divisum est*; quem utrumque quasi contrarium sensum sustinet originale verbum רגע *ragahh*, scilicet *congregare* ac *dividere*, et similiter *sedari* ac *deferverscere*; unde Septuaginta vertunt, ἰσχύι κατέπαυσε τὴν θάλασσαν, *virtute sedavit mare*; vel passive, ut Vatablo placet, *virtute ejus quiescit mare* : juxta communem interpretum sententiam allusio esse videtur ad congregationem illam aquarum initio factam *Gen.* I, 10, et *maria* dictam, ad quam non modo aquæ congregatæ sunt, sed etiam divisæ ac separatæ, scilicet ab arida, et inter se in varios diversosque sinus distributæ sunt. Secundum Septuaginta vero divina in mari sedando virtus commendatur, de qua etiam David ita cecinit *Psalm.* CVI, 25 : « Dixit, et stetit spiritus procellæ, » etc.; et rursus *Psalm.* CIII, 6 : « Super montes stabunt aquæ : ascendunt montes, et descendunt campi, » nimirum fluctibus in altitudinem montium sese tollentibus, et in camporum seu vallium planitiem demittentibus. Profecto *Psalm.* XCIII, 4 « mirabiles elationis maris, » sed et *Psalm.* LXXXVIII, 10 « mirabilis in altis Dominus, » ut « qui dominatur potestati maris, et motum fluctuum ejus mitigat; » quam quia virtutem Messias exercuit *Matth.* VIII, 26 « imperans ventis et mari, *unde* facta tranquillitas magna, » vel, ut alius evangelista *Marc.* IV, 39, « comminatus vento, et dicens mari : Tace, obmutesce; » ideo admirati adstantes exclamant *Matth.* VIII, 26 : « Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei? » Eodem quoque spectat alterum hemistichium :

Vers. 12.

Mirabilis Dei in aquis coercendis potentia.

ET PRUDENTIA EJUS PERCUSSIT SUPERBUM. — Septuaginta transferunt, ἐπιστήμῃ δὲ ἔτρωσται τὸ κῆτος, *scientia vero stratus est cetus*; Symmachus, συνέσει ἀλαζονείαν, *confringit arrogantiam*, scilicet æstuantis maris, aut ceti ferocis, et importuni maris tyranni; quo quidem ceto seu balæna ludente instare tempestatem ferunt. Hæc autem ad litteram

http://www.obrascatolicas.com

sive de mari ipso sive de cete afferri solet interpretatio; et quia diabolus tempestates ciere et concitare solitus est, ut contra domum primogeniti Job cap. I, 19 concitavit repente ventum vehementem a regione deserti, et *ibid.* cap. XLI, 22 « fervescere facit quasi ollam profundum mare; » ideo interpretes fere omnes hic diabolum per antonomasiam *superbum* intelligunt. Quis autem non videat sub hoc æstuantis maris schemate perquam eleganter depingi spiritalem maris hujus sæculi effervescentiam diabolo maris hujus cete tumultuante et fluctus ciente; sed a Deo sedante percusso, et sapientia superato, imo etiam illuso, ut est in *Psalm.* CIII, 26, ubi facta maris ac fluctuum mentione subjungitur : « Draco iste, quem formasti ad illudendum ei. » Quippe in quo spiritali congressu et mystica superbientis diaboli compressione magis quam in coercendis ad litteram maris tempestatibus Dei prudentia sapientiaque eluxit; quo recte referas et illud *Psalm.* LXXIII, 13: «Tu confirmasti in virtute tua mare; contribulasti capita draconum in aquis. Tu confregisti capita draconis. » Et illustrius non sine clariore ad compressum in mari Pharaonem respectu *Psalm.* LXXXVIII, 10: «Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum ejus tu mitigas. Tu humiliasti sicut vulneratum superbum. » Eodem quoque respexit Isaias dicens cap. LI, 9: « Numquid tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? » etc. Porro mysticum hunc sensum illustrans Gregorius lib. XVII *Moral.* cap. XVIII : «Quis, inquit, alius hic *superbus* appellatur, nisi ille qui dixit *Isai.* XIV, 14: *Ascendam super altitudinem nubium?*» etc. Ut autem hæc cum superioribus cohærere ostendat *ibid.* addit : « Quid aliud *maris* nomine quam præsens sæculum designatur, in quo corda hominum diversis cogitationum fluctibus intumescunt; qui elatione superbiæ concitati, dum alterna intentione se impetunt, quasi adversante se unda collidunt? » nimirum diabolo maris hujus tyranno mare totum ciente, et fluctus ad usque sidera excitante, id est ad superbiam incitante. Etenim *Job.* XLI, 25, « rex est super omnes filios superbiæ, » quorum ipse parens, magister ac dux et caput exsistit, ut non mirum si *superbus* per antonomasiam hoc loco dictus sit diabolus, et superbia ipsa passim a Patribus diabolicum vitium nominetur. Pulchre autem eodem cap. XVIII superius citato expendit sanctus doctor, cur superbum diabolum prudentia Dei potius quam fortitudine dixerit esse percussum: «Nam quamvis, inquit, propter naturam simplicem Dei fortitudo sapientia sit, nec aliud esse, et aliud sapere, nec aliud sapere, et fortem esse; Dominus tamen diabolum, quantum ad faciem spectat, non virtute, sed sapientia superavit: ipse namque diabolus in illa nos parentis prima radice supplantans, sub captivitate sua quasi juste tenuit hominem, qui liber arbitrio conditus ei injusta suadenti consensit; ad vitamque conditus factus est debitor mortis. » Cumque adhibitum a divina Sapientia remedium fuse exposuit, «sumpta» nimirum nostra «natura, non culpa; » ita demum percussum sapientia Dei superbum, et morte indebita debitum mortis solutum ostendit: vide plura apud S. Gregorium loco citato. Cæterum alia potentiæ sapientiæque divinæ opera enarrare pergit.

Superbus per antonomasiam diabolus.

Superbus diabolus non tam fortitudine quam sapientia Dei percussus.

13. SPIRITUS EJUS ORNAVIT COELOS : ET OBSTETRICANTE MANU EJUS EDUCTUS EST COLUBER TORTUOSUS. —Hic duo potentiæ divinæ opera tanquam excellentissima expendit, primum est ornatus cœlorum, de quo ait : « Spiritus ejus ornavit cœlos » : in Hebræo est שפרה *siphra*, quod verbum hoc uno tantum loco reperitur, et ab aliis vertitur *pulchre fecit* : R. Abraham reddit *decoravit*; expressius noster alludens ad vestes opere digitorum acu filisque perfectas, *ornavit*. Alterum est productio aut parturitio colubri tortuosi, qui nascitur manu ejus agente officium obstetricis, et extrahente eum ex visceribus, ubi gignitur. Quoad primum nota est D. Thomæ I, *Quæst.* LXVI, ex S. Patribus sententia, quam communi sensu theologi sequuntur, opus creationis distinctum fuisse ab opere perfectionis vel ornatus: nam sicut statuarius primum imaginem ex ligno nudo producit et facit, quam postea vivis coloribus, et superinducto auro et argento pulchram vividamque reddit : ita Deus primum ex nihilo cœlos produxit omni pulchritudine destitutos, quamvis statim aliqua luce illi tempori et occasioni congruente illustraverit dicens *Gen.* I, 4 : « Fiat lux; » postea tamen, die scilicet quarta, illos ornavit cum dixit *ibid.* cap. I, 14 : « Fiant luminaria in firmamento cœli, » tunc enim produxit solem, et lunam, et stellas, quibus cœlos reddidit pulcherrimos. Et observandum est verbum illud *ornavit* alludere ad illud *Gen.* II, 1 : « Perfecti sunt cœli, et omnis ornatus eorum, » ubi in Hebræo habetur vox צבאם *tsebaam*, quæ significat *exercitum* aut *militiam*, unde multi legunt, *perfecti sunt cœli et omnis militia eorum*. Quod dictum est ratione solis, lunæ et siderum, quæ in Scriptura communi voce dicuntur militia cœli, quia per hæc non solum Deus pulchros reddidit cœlos, sed etiam potentissimos, et magna vi ac robore præstantes. Horum namque siderum virtute ubique pertingunt, operantur, et quasi toti terræ dominantur sicut rex per potentem exercitum; quia propter solis, qui vicem tenet ducis supremi, et lunæ, quæ illius vicem tenet noctu, et stellarum influxum, ubique cœli penetrant, omnia producunt, etiam in visceribus terræ aurum, argentum, ferrum, æs et cætera metalla, et in cavernis illius fontes, in superficie herbas, in arboribus fructus, in aquis pisces, etc. Cœlos itaque Deus creavit, ut in totum terrarum orbem agerent, et sub motu suo et ductu inferiora omnia continerent, quos propterea ornavit stellis, quæ non solum pulchros redderent, sed etiam quasi militibus munivit et armavit, quorum potenti virtute omnia inferiora tam terræ quam maris subjecta tenerent, et penetrarent, et ubique operarentur, producentes aurum, argentum, gemmas, herbas, fructus, pisces, etc. Hoc igitur primum opus divinæ potentiæ satis per se evidens et omnibus conspicuum.

Vers. 13.

Quomodo Deus cœlos ornarit.

Sidera dicuntur militia cœli.

Fulmen quomodo dicatur coluber tortuosus.

Quoad alterum major est difficultas, nec ita notum quis sit ille *coluber tortuosus*, quem obstetricante Dei manu eductum dicit : in miras maximeque varias hic interpretes abeunt sententias. Sunt qui sub hac metaphora censeant voluisse Jobum describere fulminis productionem, quod ex nubibus quasi ex utero materno Dei manu agente prodire videtur; et volunt quidem dici *colubrum*, quia in modum colubri prolongatur; *tortuosum* vero propter motum huc illucque tendentem : qua de causa quasi proprio nomine a philosophis vocatur *obliquum* fulmen, ut dicit Seneca in *Thiest.* act. II, quod oblique feratur. Et sane inter alias exhalationes ignitas refertur quædam, quæ ab astrologis dicitur *draco volans*, quia cum accenditur draconis volantis similitudinem gerit. Verbo autem *obstetricandi* aiunt optime declarari fulminis ortum ex nube : illa etenim intra se recipit exhalationem, quæ materia est fulminis, sicut mater recipit semen, ex quo fœtus formatur; quam postquam intra seipsam tanquam in utero fovit et gestavit, suo tempore maximo tonitruo edito, quod clamoris aut gemitus tenet vicem, parturit, et in lucem dat fulmen. Id autem fit Dei manu aut potentia obstetricante, hoc est educente ex intimis nubis et emittente fulmen, accendente scilicet illam exhalationem aut vaporem tenuem, et virtutem invictam illi tribuente. Quæ est Pinedæ sententia.

Fulmen ex nube parturitur quasi obstetricante manu Dei.

Quænam stellæ per colubrum tortuosum intelligantur.

Alii quod cœlorum ornamentum, quod per synecdochen alia complectitur, quibus cœlorum species variatur et illuminatur. Quod tamen illud sit obscurum est : Rabbi Levi et Vatablus putant esse circulum illum vulgo lacteum, qui ab omnibus in cœlo illustris notatur, et ob varias intortas stellas serpentis quamdam speciem præ se fert; unde poetice coluber nuncupatur. Franciscus Valesius lib. *De Sacr. Phil.* cap. XLVII, de zodiaco sermonem esse putat, qui obliquus est, et illustribus excolitur ac distinguitur signis. Stunica ait esse sidus draconis, quod est juxta Ursam minorem et polum arcticum. Eadem ratione posset accipi sidus anguis, quod est juxta arcturum et booten; aut sidus hydræ, quod est ingens et maxime tortuosum juxta leonem. Sane alia sidera notasse Jobum, et illorum virtutem ac proprietatem agnovisse, ex cap. IX, vers. 9 et cap. XXXVIII, vers. 31 probatur. Ut autem istis locis per synecdochen pauca sidera pro omnibus sumuntur, sic etiam per eamdem figuram in serpente tortuoso, qualis in boreali cœli plaga describitur, cætera omnia sidera totaque cœli species intelligitur. Dicitur autem obstetricante divina manu eductus ille coluber, Idumæorum ut opinor proverbiali forma loquendi, quia scilicet cœlum, quod primum a sideribus vacuum creatum fuit, deinde peperisse ac produxisse videri potuit stellas quasi germina quædam aut filios, quos suo contineret et foveret amplexu : quos ut in lucem ederet, accessit Dei quasi obstetricis, aut ut poetæ nugantur, Lucinæ manus, quæ in lucem hominumque conspectum evocarit, id quod tanquam in semine cœlorum virtus per modum uteri a principio conceperat. Hic porro loquendi modus Idumæis in eadem materia inusitatus non est, qui pariendi, gignendi, aut etiam parentum vocem in rebus etiam inanimatis usurpant. Plura nobis exempla suppeditant, ubi Deus sic ad Jobum loquitur cap. XXXVIII, 28 : « Quis est pluviæ pater? vel quis genuit stillas roris? De cujus utero egressa est glacies? et gelu de cœlo quis genuit? » Cum autem generationem et uterum spectemus, quid mirum si *obstetricis* nomen et *manum* audiamus? *colubri* porro nomine reliquæ etiam constellationes et imagines intelligi possunt, quas velut in opere phrygio vult Job artificiose cœlis insutas a Deo, opera digitorum suorum quasi acu illos pingente. Aptissime autem dum manus et digiti figuras illas in telis acu laboriose depingunt, a B. Jobo dicuntur in lucem illas obstetricando producere. Propterea vero alibi *digitis* hoc opus tribuitur, alibi *Dei spiritui* : quia quod opus acu pingendo et punctim fit, id summa attentione et digitis fit; unde et istis tribuitur ut proximis instrumentis, et spiritui prudentiæque digitos dirigenti; in quem sensum dicit alibi David *Psalm.* CXXXV, 5, « fecisse Deum cœlos in intellectu, » artificiose nimirum illos ornasse : quam artem alibi expressit *opera digitorum Dei* cœlos appellando.

Alii colubrum naturalem intelligunt; alii Luciferum.

Alii putant simplicius posse accipi de quovis colubro naturali maxime marino; unde Chaldæus vertit *Leviathan* seu balænam, cete grandia, immanes dracones et serpentes, e quibus æque ut ex cœlorum fabrica Dei potentiam commendare solet Scriptura. Alii denique Luciferum interpretantur, qui in sacris litteris *coluber* ac *serpens* dicitur, tortuosus nempe, quia habitus ille colubro familiaris est, utpote qui sese sinuat multiplici volumine; tum quia callidus est, et suas fraudes variis spiris et flexibus occultat : ita S. Gregorius, Philippus, S. Thomas, Lyranus et alii, quæ explicatio minime contemnenda est, cum habeat magnos patronos, nec a textu violenter extorta sit : imo Septuaginta non obscure hanc approbant dum sic vertunt, προστάγματι δὲ ἐθανάτωσε δράκοντα ἀποστάτην, *præcepto autem peremit draconem desertorem*; Symmachus reddit, τὸν ὄφιν τὸν συγκλείοντα, *serpentem qui concludit*, seu ut alii ex Hebræo interpretantur, *serpentem vectem*, id est colubrum circumplicantem se gazis occultis; draconem thesauris invigilantem, inutilium opum et reconditarum genium. Ille nimirum vectes aheneos machinatur, ille seras molitur et claves, ille velut horrorem inducit avaris, ut non magis clausam opulentiam quam ærarium sanctius audeant

Idem dicitur draco apostata, et serpens concludens, et serpens vectis opibus incubans.

http://www.obrascatolicas.com

attingere. Quare ubicumque videris defossas opes et stupentes, neque unquam educi ad opera bona et laudabilia obeunda, nihil mihi dubites illic draconem tenebrarum amicum regemque versari, adamantinumque vectem imponere. Indi notabilem modum adhibuerunt ad dracones evocandos et capiendos; de quo video in doctorum monumentis proditum : pallium enim coccineum litteris aureis superintextum ante cubilia oppandunt, quarum vi dracones emergunt : magiam quamdam et incantationem in ea re esse putabant mirabilium operatricem, cujus potenti energia e latibulis suis belluæ educerentur. Verum absque maleficorum superstitione et carmine impio, si tantum purpuram et aurum ostenderis, hoc est potentiam magnam sive amplissimam dignitatem et superbas opes demonstraveris, draco subito e cavernis stygiis erumpit, et adrepit, et in thesauro volutatur : nam clara inter homines auctoritas exuberantesque divitiæ sunt duo fontes vitiorum ut duo lustra serpentium funestorum, et per duos illos aditus dæmon in cor hominum animumque invadit, ni favor Numinis singularis gratiaque tueatur. Si ergo cum S. Thoma Luciferum intellexeris, dicitur eductus ille coluber obstetricante divina manu, quia sicut obstetrix mortuum fœtum, sic ex maternis visceribus extrahit scienter et caute, ne quid ex illo infelici partu mater patiatur incommodi; sic Deus e cœlo cœtuque sanctorum spiritus depulit apostatas, ut tamen bonorum angelorum maneret intemerata societas, neque ex cœlorum ornamento, quod angelos esse putabat S. Thomas, quidquam cadente colubro decideret.

Lucifer Dei manu e cœlo ejectus.

Tropologice vero idem tartareus coluber, qui per letiferum peccatum animas hominum ingreditur possidetque, etiamnum quotidie in sacramento pœnitentiæ confessarii quasi manu obstetricante per confessionem educitur, et ejicitur Dei gratia e mentibus pœnitentium.

Tartareus coluber per confessionem ejicitur.

Vers. 14. 14. ECCE HÆC EX PARTE DICTA SUNT VIARUM EJUS : ET CUM VIX PARVAM STILLAM SERMONIS EJUS AUDIERIMUS, QUIS POTERIT TONITRUUM MAGNITUDINIS ILLIUS INTUERI? — Hæc, inquit, quæ modo per me enarrata sunt, tantum pars quædam sunt Dei operum mirabilium, quæ agit ille in omnipotentia fortitudinis suæ; paucula quædam sunt de plurimis, minima de maximis; quod si igitur nos homines præ debilitate et obscuritate intellectus vix paucula quædam et exigua audire atque intelligere de illius magnitudine sufficimus, quæ in comparatione ad infinitam illam plenitudinem divinæ majestatis non aliud sunt quam stillula aut guttula aquæ cum immenso pelago comparata; quis posset audire ac plene intelligere illa altissima quæ de infinita perfectione divinæ majestatis adhuc dici possent, sed incognita et inaudita sunt hominibus; quæ merito validissimi tonitrui sono videntur comparanda propter suam dignitatem et nimiam excellentiam humani ingenii captum superantem; quemadmodum validi tonitrui sonus male contemperatus est humanarum aurium infirmitati, et propter defectum proportionis commode non potest percipi. Ex his igitur, inquit, o amici, satis aperte potestis intelligere excellentiam divinæ potestatis mihi non esse incognitam, neque opus esse ut supervacanee hisce de rebus me admoneatis quasi vel ignorantem vel inconsiderantem. Cæterum cum hoc capite multa tangantur mysteria, spiritalem eorum quæ dicta sunt sensum breviter retexamus. S. Job, cum eximius propheta esset, sub magnarum, quas narravit, rerum involucro magna et stupenda Dei opera prophetasse credendus est : nam si attente totius capitis seriem consideres, videbis ipsum cum amicis suis agentem, et illos volentem redarguere, tria de Deo supposuisse, *primo* vers. 2, illum esse potentissimum et fortissimum : « Qui fortis, inquit, est. » *Secundo* vers. 3, esse sapientissimum ac prudentissimum : « Qui habet, ait, sapientiam. » *Tertio* vers. 4, illum esse totius vitæ et respirationis principium : « Qui fecit, inquit, spiramentum. »

Sensus mystici anacephalæosis.

Quibus non incongrue tres divinas personas voluit ex appropriatis attributis describere, quia Patri tribuitur potentia, Filio sapientia, et Spiritui Sancto respiratio aut vita. Postquam autem potentiam Patris et sapientiam Filii quibusdam peculiaribus operibus prænuntiavit, sub cortice quorumdam naturalium operum progreditur ad ostendendam virtutem Spiritus Sancti, qui *spiritus Dei* dicitur; cujus singulare appropriatumque opus voluit describere dicens vers. 13 : « Spiritus ejus ornavit cœlos, et obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus; » illudque sub involucro operum naturalium depingit. Non igitur de cœlis materiatis, aut ornatu eorum visibili, aut de fulmine aut fulgure ex nubibus cum sensibili tonitruo erumpente præcipue loqui voluit, neque hujusmodi opera principaliter declarare, id namque debile depressumque esset subjectum illi, quem insignem prophetam confitemur; qui si talia solum vellet describere, superflue Spiritui Sancto peculiariter tribueret : nulla enim ratio subest, cur ornatus cœli, et colubri tortuosi parturitio, aut fulminis vis aut motus peculiariter Spiritui Sancto magis quam Patri aut Filio tribui possit. Cœlos ergo illos intellexit, quos et David, quando dixit *Psalm.* XVIII, 1 : « Cœli enarrant gloriam Dei, » quod Paulus de apostolis sanctis intelligendum docuit *Rom.* VIII. Hos, qui in se nihil erant amplius quam pulvis et cinis, primo Christus verbi sui virtute tanquam cœlos produxit, illud adimplens *Isai.* LXV, 17 : « Ecce ego creo cœlos novos, » quos postea Spiritu suo ornavit : *primo* namque illos vocationis suæ voce quasi producere visus fuit, quando vidit Petrum et Andræam, et vocavit eos; Jacobum similiter et Joannem, Matthæum et alios, quibus statim lucem quamdam imperfectam illi tempori congruentem dedit : nam misit illos evangelizare, et prædicare

Attributa appropriata divinarum personarum.

Cœli sunt sancti apostoli.

Apostoli sunt creati, id est vocati a Filio.

regnum Dei, sanare infirmos, etc.; non tamen tunc plene ornavit, quos ordinandos Spiritus sui virtute servabat, quibus dixit *Joan.* XVI, 12 : « Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo : cum venerit Spiritus veritatis ille docebit vos omnem veritatem. » Tunc ergo, inquit Gregorius, hos cœlos ornavit Spiritus cum replevit, quod Luca referente didicimus, qui ait *Act.* II, 2 : « Factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes; et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu Sancto. »

Apostoli sunt ornati a Spiritu Sancto.

Ex eo acceperunt ornamenta virtutis, quos immensa ante possederat fœditas timoris : scimus namque quod ille apostolorum, id est cœlorum primus, ante acceptam hujus Spiritus gratiam quoties mori timuit, vitam negavit; qui non pœnis, non afflictionibus, non terribili potestate cujusquam, sed unius mancipii sola est interrogatione prostratus, et quidem mancipio, ne sexus firmior terribile quid demonstraret, ancilla est inquirente tentatus, rursusque ut talis sexus infirmitas etiam officii sui dejectione vilesceret, non ab ancilla tantummodo, sed ab ostiaria est ancilla requisitus. Ecce quam vilis ad tentandum persona est requisita, ut aperte proderetur, quanta eum timoris infirmitas possideret, qui nec ante vocem ancillæ ostiariæ subsisteret. Sed hic jam paulo ante timidus, qualis post adventum Spiritus exstiterit videamus. Certe Luca testante didicimus contra sacerdotes et principes quanta Dominum auctoritate prædicavit : nam cum facto miraculo quæstio fuisset exorta, et sacerdotum principes, seniores ac scribæ in apostolorum persecutionem concurrerent, eos in medio statuentes, in qua virtute miraculum fecerint curaverunt percunctari : quibus repletus Spiritu Sancto Petrus dixit *Actor.* IV, 8 : « Principes populi, et seniores, si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est, hoc notum sit omnibus vobis et omni plebi Israel, quia in nomine Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. » Cumque erga hæc persequentium furor excresceret, eosque sacerdotes ac principes Jesum prædicare prohiberent, Petrus dixit *Actor.* V, 29 : « Obedire oportet magis Deo quam hominibus. » Sed cum auctoritatem prædicantium resistentium præcepta non premerent, ad flagella pervenitur : nam tunc principes sacerdotum cæsis denuntiaverunt, ne loquerentur in nomine Jesu; sed apostolorum virtutem flagella premere non potuerunt : nam *ibid.* vers. 41 « illi ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati; » omni autem die in templo et circa domos non cessabant docentes et evangelizantes Christum. Ecce ille paulo ante timidus, jam linguis loquitur, coruscat miraculis, infidelitatem sacerdotum ac principum libera voce increpat, ad prædicandum Jesum exemplum auctoritatis cæteris præstat, ne in nomine ejus loqui debeat verberibus prohibetur; nec tamen compescitur, contemnit flagella cædentium, qui paulo ante requirentium verba timuerat, et qui ancillæ vices requisitus expavit, vires principum cæsus premit : Sancti namque Spiritus jam virtute solidatus erat. Hæc sunt ornamenta cœlorum : ita S. Gregorius supra citatus.

Ejusdem post Spiritus adventum fortitudo.

Infirmitas S. Petri ante adventum Spiritus Sancti.

Sed hic etiam recolendum est, quod paulo ante dicebamus, ornatum cœlorum, aut stellas quibus cœli fuerunt exornati, vocari *militiam cœli*, quia vere per virtutes et dona Spiritus Sancti, quibus Deus hominem ornat, ita etiam munitum relinquit, ut non jam minus redditus sit fortis, quam si grandi esset exercitu, quo bellum gereret, roboratus : virtutes namque et dona Spiritus Sancti non solum ornant animam, sed sunt quasi milites potentissimi ad debellandas omnes inimicas potestates. Hos ergo cœlos (apostolos inquam) ornavit stellis, id est virtutibus et donis Spiritus Sancti; quibus illos ita munivit et armavit, ut totius mundi imperatorum, regum, sapientum, imo et totius inferni vires enervarint, et omnem orbem subjecerint, et ad abditissimas ac remotissimas orbis terræ partes eorum virtus pervenerit, mira stupendaque in cordibus hominum operando. Hoc quidem primum opus. Alterum etiam in ipsis fecit, quod de colubro tortuoso aut fulmine dixit Job vers. 13 : quapropter Christus *Matth.* X, 16 mittens eos ad prædicandum jussit esse « prudentes sicut serpentes. » Erant sane apostoli ex semetipsis veluti vapor quidam levis, aut exhalatio quædam sicca, aut fumus nullius ponderis, quia nulla virtute præstabant : nec enim erant sapientes, nec potentes, nec divites, aut fortes, sed contemptibilia mundi, et orbis peripsemata; igne tamen cœlesti Christus eorum corda succendit, et qui in cœnaculo quasi in quadam obscura nube aut nubis utero conclusi tenebantur, statim hoc igne succensi, sicut e nube fulmen maximo tunc strepitu tonitruoque audito egressi sunt tam validi ac potentes, ut omnes principum, sacerdotum, regum, imperatorum, imo et diaboli ac totius inferni potentias facillime vicerint. Universus se illis orbis opposuit, omnis potentia sæculi in eos insurrexit, et excitata est; at illi omnia virtute Spiritus superarunt. De illis propterea egregie B. Augustinus illud intelligit *Psalm.* XCVI, 4 : « Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ, vidit, et commota est terra : » fulgore namque doctrinæ et miraculorum lucebant, et tota terra commota est his fulgoribus a nubibus erumpentibus, et tanquam potentia fulmina virtute potenti omnia sibi subjiciebant, ut D. Gregorius lib. XXX *Moral.* cap. III fusius prosequitur.

Apostoli erant militia cœlii.

Apostoli ut fulmina vehementes et lucentes.

http://www.obrascatolicas.com

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit Job fortiter inculcare suam vitæ totius innocentiam, et rejecta amicorum calumnia causas adfert, cur adeo studuerit illi fovendæ et conservandæ; nempe quia impios nihil boni manet post hanc vitam.

1. Addidit quoque Job, assumens parabolam suam, et dixit : 2. Vivit Deus, qui abstulit judicium meum, et Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam. 3. Quia donec superest halitus in me, et spiritus Dei in naribus meis. 4. Non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. 5. Absit a me ut justos vos esse judicem : donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. 6. Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram : neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. 7. Sit ut impius, inimicus meus : et adversarius meus quasi iniquus. 8. Quæ est enim spes hypocritæ si avare rapiat, et non liberet Deus animam ejus? 9. Numquid Deus audiet clamorem ejus cum venerit super eum angustia? 10. Aut poterit in Omnipotente delectari, et invocare Deum omni tempore? 11. Docebo vos per manum Dei quæ Omnipotens habeat, nec abscondam. 12. Ecce, vos omnes nostis, et quid sine causa vana loquimini? 13. Hæc est pars hominis impii apud Deum, et hæreditas violentorum, quam ab Omnipotente suscipient. 14. Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt, et nepotes ejus non saturabuntur pane. 15. Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu, et viduæ illius non plorabunt. 16. Si comportaverit quasi terram argentum, et sicut lutum præparaverit vestimenta: 17. Præparabit quidem, sed justus vestietur illis : et argentum innocens dividet. 18. Ædificavit sicut tinea domum suam, et sicut custos fecit umbraculum. 19. Dives cum dormierit, nihil secum auferet : aperiet oculos suos, et nihil inveniet. 20. Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas. 21. Tollet eum ventus urens, et auferet, et velut turbo rapiet eum de loco suo. 22. Et mittet super eum, et non parcet : de manu ejus fugiens fugiet. 23. Stringet super eum manus suas, et sibilabit super illum, intuens locum ejus.

Vers. 1. 1. Addidit quoque Job, assumens parabolam suam, et dixit. — Cum Job intermisso ut apparet sermone aliquantulum siluisset, ut loquendi spatium aliis concederet, si forte quispiam eorum, prout hactenus fecerant, respondere aliquid vellet; nemo autem amplius ei quidquam reponeret, aut obstrepere ulterius auderet, resumptis novis animis novam quoque parabolam assumit. Est autem *parabola* sermo gravis et sententiosus illustrem aliquam doctrinam continens, et plerumque ad mores ac prudentem rerum usum accommodatus; unde et Salomonis sententiæ *parabolæ* vocantur, quæ præcepta sunt ad conformandos honeste mores opportuna. Licet autem parabolæ similitudinem aliquam et comparationem juxta vocis etymologiam importent, involvantque plerumque aliquid obscurum et affine ænigmati, non tamen illud necesse est, dummodo gravis sit utilisque sententia. Plura de vocis illius significatione et usu vide fusius et erudite a patre nostro Salazar *in Prov.* cap. 1, vers. 1 annotata et disputata. Cæterum Job ad mentis suæ conceptum et animi corporisque dolorem plenius exprimendum prosequitur eum, quem superius instituerat, sermonem, scilicet se nequaquam ob scelus aliquod a se commissum tam duriter tractari; et si causam suam velit agere, superiorem in ipsa se futurum non quidem adversus Deum, sed adversus illos, qui ipsum tanquam improbum arguere volebant, et concludere afflictiones, quas patiebatur, magnitudini peccatorum ipsius respondere. Job igitur tuetur Deum non inductum fuisse ad se tam graviter affligendum, eo quod ipse aliis longe sceleratior fuerit; sed causam aliquam arcanam esse et incognitam hominibus, altiusque ascendendum quam ad justitiam illam ordinariam, quæ delictorum præcise vindictam spectat. Ut vero id quod asserit plus ponderis et auctoritatis habeat, a protestatione incipit, quæ jurisjurandi vim obtinet.

Parabola quid significet.

Vers. 2. 2. Vivit Deus, qui abstulit judicium meum, et Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam. — Ista verba, *vivit Deus*, solemnem continent jurandi formulam, vel, ut alii volunt, asseverandi tantum, in Scripturis obviam, præsertim in libris Regum, ubi sæpissime repetitur : « Vivit Dominus. » Cum autem Hebræi dicant Abrahamum coluisse Deum ex amore, Jobum vero ex timore, a quo sapientia incipit; aliqui ex hoc loco colligunt etiam Jobum sanctum amoris gratia fuisse : nam per quem quis jurat, eum amat, sic per vitam regis non jurat, qui eum non amat, et reveretur. Quod autem Job subdit, Deum abstulisse judicium suum, videtur quodammodo Deum insimulare injustitiæ, et quod addit, Omnipotentem ad amaritudinem adduxisse animam suam, crudelitatis quamdam et violentiæ redolet accusationem : quæ duo sane mira et absurda videri possint, nisi Jobi scopus et intentio intelligatur. Notandum igitur, Jobum, cum dicit Deum ipsi judicium sive jus suum rapuisse, non significare sibi ab eo fieri injuriam, aut se ita justum esse, ut Deus non habeat ipsum adhuc asperius tractandi justam occasionem; sed potius id quod in lege scriptum est de justitia illa vindice ordinaria, quæ in sceleratos exerceri solet; tum eorum, a quibus condemnatus erat, sermones respicere, qui ultra vel supra illam justitiam non sunt progressi. Hoc ergo sensu Job ait Deum abstulisse, id est, abscondisse judicium suum, eo quod illud nondum orbi patefaceret, cur tantis ærumnis obrueretur; nequaquam autem ait, Deum ita ipsum tractando uti ratione tyrannica; neque significat se ejusmodi jus habere, ut possit causam obtinere et absolvi, si se non peccasse contenderit; sed tantum declarat, afflictionem, quam patiebatur, instar densæ nubis judicium suum obscurare, quo minus innocentiæ ac rectitudinis suæ cognitio fiat manifesta : nam quamdiu non intelligimus cur illum Deus sic afflixerit, ecce judicium ejus quasi ablatum absconditum et sepultum, ita ut hominibus sceleratus ac detestabilis videri possit.

Formula solemnis jurandi et asseverandi apud Hebræos.

Quo sensu Job dicat Deum rapere judicium suum.

Itaque notandum hic eum loqui secundum judicium commune, nec negare quin Deo, et quidem in ipsius arcano consilio, suorum judiciorum constet ratio; ad quam intelligendam sursum nobis ascendendum est, et spissæ omnes illæ nubes, quæ veritatem obscurant, trajiciendæ sunt : alioquin Jobi justitia non innotescet. Dubiæ nimirum et ancipites judicii divini rationes efficiunt, ut jus et judicium hominis sit tanquam absconditum et sepultum : nam Deus, ut quidem videtur, deberet ejus qui coram ipso rectus et integer est causam statim tueri et omnibus reddere manifestam, quod tamen non facit, sed dissimulat; unde fit ut inter atrum et album sæpe discerni non possit, et optimi servi Dei calumniis et conviciis proscindantur. Cur vero id? quia dum vident illos affligi homines, prout sunt natura proclives ad detrahendum de aliis, eorum afflictiones semper in deteriorem partem interpretantur. Ecce igitur bonos plus quam oppressos; interim vero Deus quasi secedit, nec præ se fert se illos pro justis habere; sed potius ipsis bellum inferre, et eos longe supra alios condemnare velle videtur. Et hoc modo hic etiam Jobus lamentatur sibi judicium ablatum, et in amaritudinem adductam esse animam suam; eum tamen nihilominus pro Deo suo habet, et se majestati ejus submittit : neque enim ita loqueretur : « Vivit Deus, » nisi illi honorem exhiberet dicens : Domine ego sum misera creatura, tu omne in me imperium obtines, pro libitu tuo de me dispone, hoc enim sibi vult illa jurandi formula, qua Deum tanquam judicem suum agnoscit, auctoritatem debitam ipsi tribuit, sistit se coram throno ipsius, totumque judicium suum sibi quidem absconditum, ipsi vero notissimum plena resignatione animi committit. Hæc est verissima Jobi philosophia, quæ nobis hic proponitur, ut illam exemplo ipsius ad praxim revocemus; et quamvis semper non possimus complecti causam eorum quæ Deus erga nos agit, nihilominus ad hanc humilitatem semper veniamus, ut dicamus : Domine disponas de nobis ut videbitur tibi; vivit Deus, qui modo aufert et abscondit judicium nostrum, donec ei placuerit illud patefacere, et lætitiam nobis salutaris nostri restituere, qui modo ad amaritudinem adducit animam nostram. En quid nobis ex hoc loco discendum sit; siquidem ad hanc doctrinam aptandæ et applicandæ sunt sententiæ sequentes.

Quomodo Job in iis philosopheter.

Judicia Dei occulta reddunt nos perplexos.

Vers. 3 et 4. 3 et 4. Quia donec superest halitus in me, et spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. — Donec, inquit, vivam in hac vita mortali, quæ aeris inspiratione ac respiratione ducitur, non committam, ut ob cujusquam sive gratiam sive metum per labia mea ullam loquar iniquitatem, ita ut pro vero aliquid affirmem, quod conscientia mihi testificetur esse falsum; unde neque vobis exspectandum est, ut contra conscientiæ meæ testimonium in vestri gratiam profitear me propter peccata mea enormia miseriam istam perpeti, quod hactenus tantopere ursistis. Pulchra sane et urgentissima ratio tanto viro digna, non loquendi iniquitatem, non proferendi verbum, quod Deo displicet : « quia spiritus Dei erat in naribus ejus, » quasi diceret patientissimus homo : Quomodo fieri posset, ut eodem Dei spiritu et flatu, quo ipse me sustentat, et ego sustentor, eodem prorsus loquar mala, et quæ ei displicent? et eodem medicamento, quo ipse utitur ad me sublevandum, et in vita sustentandum, eodem ego utar ad illum offendendum, et me occidendum, ita ut spiritum vitæ, quem Deus mihi tribuit ad respirandum, ego in spiritum vertam mortis? Qui enim spiritu illo et aura quam ducit, et ad verba efformanda exspirat, ad mendacia effingenda et falsa testimonia dictanda abutitur,

Job a mendacio et fictione alienissimus.

Mendacium adfert mortem.

http://www.obrascatolicas.com

dignus est ut Deo spiritum intercludente dispereat; unde Salomon ait *Prov.* XIX, 9: « Qui loquitur mendacia peribit: » in Hebræo est, *qui spirat mendacia peribit*: sic alio loco *Prov.* II, 22, ubi in Vulgato legimus, *impii de terra perdentur*, in Hebræo est proprie, *mendaces eradicabuntur*: nam Hebræi peccantes in Deum a *mentiendo* nominant, ut notat Cajetanus.

Mendacium occidit animam.

Hinc liceat mendacii gravitatem et turpitudinem agnoscere, quod tam fœdum, tamque Numini odiosum est, ut ab eo nefarium omne scelus appelletur. Quid dicam minari Deum sempiternum exitium et atroces pœnas iis qui ad mentiendum lingua et sermone abutuntur: nam Sapiens horribile id fulmen jacit *Sap.* I, 11: « Os quod mentitur occidit animam, » quæ pœna est ejusmodi, ut extrema omnia complexa videatur: nam mors animæ absolute mors dicenda est; cujus mors corporis, tametsi omnibus suppliciis comitata, est umbra tantum, et volatica velut effigies quæ finitur, cum illa duret in omnem æternitatem. Ut omittam stagnum ardens, sulphur, ignem et alia cruciamenta quæ mendacibus indicuntur in *Apoc.* XXI, 8, et aliis voluminibus cœlestium Scripturarum, ad cumulum omnigenum calamitatum illud accedit, quod nunquam beatissima Dei gloria perfruentur *Apoc.* XXII, 15: « Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium, » inquit Joannes. Quæ et similia cum essent magnis viris cognita, sæpiusque meditata, semper a mendacio velut a peste et perniciosissima flamma refugiebant. Talis utique fuit Job, qui omne mendacium ut scelus horrendum vehementer aversabatur, et recusabat maxime spiritum et halitum, quem ad mentem proflatis verbis promendam Deus impertit, ad eamdem mendaciis tegendam convertere.

Vers. 5.

Magnanimi est viri innocentiam acriter defendere.

3. ABSIT A ME UT JUSTOS VOS ESSE JUDICEM: DONEC DEFICIAM, NON RECEDAM AB INNOCENTIA MEA. — Nunquam, inquit, fatebor vos recta sentire aut judicare, dum obstinato et frequenter affirmatis a Deo non nisi sceleratos et impios acerbe vexari: quare cum ex dolorum, quos patior, gravitate sceleratum me esse tam constanter asseratis, ad mortem usque innocentiæ meæ defensionem persequar, in qua justorum omnium causam suscepisse videor, quos aliquando exercet et vexat in hac vita fortuna severior. Hoc nempe est gravis et constantis ac magni animi viri veritatisque amatoris: sic Paulus in epistolis suis acriter pro sua pugnat innocentia, ut se a pseudoapostolis et subdolis operariis, qui hos Jobi amicos imitabantur, defenderet; unde illorum maledictis et calumniis coactus, iis se laudibus ornat invitus, quas recenset dicens II *Corinth.* XI, 21: « In quo quis audet, audeo et ego, etc. Ministri Christi sunt, et ego: ut minus sapiens dico, plus ego: in laboribus plurimis, » etc., eodem modo Christus, quem Job etiam in hac re referebat, donec defecit, non recessit ab innocentia sua; sed divinitatem et infinitam bonitatem suam, multis invidis et malevolis repugnantibus, fortiter defendit: et cum in jus iniquum esset adductus, multisque contumeliis laceratus, et indignis modis vexatus; ab iniquo tamen et perdito judice quisnam esset interrogatus, non ut recte judicandi rationem iniret, sed ut injuste opprimendi occasionem inveniret, tamen Christum verum Dei Filium se esse confessus est, ne veritati testimonium negasse videretur.

Christus veritatis et innocentiæ defensor acerrimus.

Observemus igitur diligenter, quam hic Jobus viam sequatur: primum enim quid intelligeret significavit, et ostendit se falsa opinione nulla imbutum fuisse, et quæ dixerat nullo errore infecta, sed ipsissimam esse veritatem. Hoc postquam declaravit, modo profitetur, se nunquam a proposito suo, quod rectum et justum esse cognoverit, dimotum iri. En duo quæ nobis hoc loco imitanda proponuntur, unum, ne simus temerarii ad rem nobis incognitam, et de qua certo persuasi non sumus, tuendam; sed prius dijudicemus, ut ad recte judicandum moderatum et bene compositum animum adferamus; hoc ubi præstitimus, postquam a nobis res bene cognita est, veritati adhæreamus, nec ab illa divelli nos unquam patiamur. Quod in rebus fidei præcipue locum habere debet, postquam per ejusdem notas nobis sufficienter propositæ fuerint ad judicium prudens credibilitatis earum efformandum. Cæterum quando Jobus hic dicit: « Absit a me ut justos vos esse judicem, » observemus quoque non parvum coram Deo esse delictum, cum quispiam simulat se consentire cum illis qui malam causam tuentur, et veritati repugnant: nam etsi id ex animo non faciat, sed aliter apud se constituerit, in eo tamen Deus blasphematur, scimus enim quantopere ipsi sua veritas sit pretiosa. Si igitur sint aliqui qui malam causam tueantur, qui adversus veritatem insurgant ad illam obscurandam, qui denique mali aliquid moliantur; si vel duntaxat simulaverimus nos ipsi et illorum in maleficio sociis adhærere, certum est, nos coram Deo ejusdem iniquitatis reos fore. Non abs re igitur tanta vehementia animi Jobus loquitur, et ait: « Absit a me, » idque ut rem nimis turpem et infamem toto animo exsecratur, cum justificatur iniquitas: quia id perinde est, atque si ordo Dei perverteretur.

Quæ via tenenda sit in impugnanda et tenenda veritate.

Non simulandus etiam consensus cum impiis.

DONEC DEFICIAM, NON RECEDAM AB INNOCENTIA MEA. — Amici Jobi totis viribus et multis rationum argutiis intendebant sanctissimo viro persuadere ut se peccatorem existimaret, palamque profiteretur, se ob propria flagitia a Deo tot pœnarum cruciamentis acerbe vexari. Hunc quidem fuisse amicorum animum, ex contextu satis perspicuum est, sed quorsum Jobus respondet amicis id impense procurantibus, se ab innocentia non recessurum? quasi amici prætenderent, ut a probitate desisceret, quod neque in mentem illis venerat:

Bona fama dicitur innocentia.

potius enim intendebant, ut Jobus sibi persuaderet se peccatorem esse, et palam omnibus id fateretur, etsi ejusmodi confessione aliquam jacturam faceret boni nominis, quod ipse de se aliique conceperant. Ipse nihilominus respondet constanter renuendo inquiens: « Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea; » plane bonam de se opinionem appellans suam innocentiam; et quidem sapientissime ac verissime conspicuum nomen innocentiam suam vocat: nam innocentia et sanctitas sæpe a bono nomine est, bono nomine alitur, et bona opinione fulcitur. Porro fere non satis firma virtus est, quæ arce bonæ existimationis non munitur: nam innocentia bonæ opinionis fulcris sustentatur non raro, quibus deficientibus et ipsa nutat, et non semel corruit: quare a Jobo bona opinio jure merito innocentia nuncupatur, a qua minime se recessurum profitetur.

Vers. 6.

Magna securitas bonæ conscientiæ.

6. JUSTIFICATIONEM MEAM, QUAM COEPI TENERE, NON DESERAM: NEQUE ENIM REPREHENDIT ME COR MEUM IN OMNI VITA MEA. — Nullis, inquit, difficultatibus, calamitatibus aut calumniis a justa virtutis ac innocentiæ defensione avocari me sinam; sed cum virtutem et sanctitatem cæteris omnibus chariorem habeam, ab ejus arctissimo amplexu nunquam discedam; prius reliqua omnia disperdam quam pretiosam istam gemmam dimittam. Aptissimam sane ac dignam tanto viro causam reddit, cur a Deo acriter exceptus, et tanquam sceleratus severe punitus, ab amicorum officiis desertus, et acerbis eorum sermonibus graviter reprehensus, contumeliis et ignominiis impetitus, tamen suam innocentiam defendat, seque culpa tanto supplicio suppari tota sua vita vacasse constanter affirmet, quia videlicet nullius tanti sceleris eum conscientia sua reprehendat. Qui locus valde quidem notandus est, ut ex eo intelligamus, quantam bona conscientia confidentiam præstet, quippe quæ singulariter possit nos in extrema quoque rerum desperatione sustentare: sacræ enim litteræ fundamentum quoddam solidum fiduciæ nostræ in sceleris vacuitate innocentiaque reponunt. Diserte charus Deo Joannes monet I *Epist.* III, 20: « Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. » Si tuta placidaque est conscientia, si nulla synteresis immurmurat, si mens in recessus et latebras animi contuens nihil videat, quod divinæ legi voluntatique repugnet; oritur illa dulcis et jucunda fiducia propria filiorum Dei, et tristibus in rebus atque deploratis vadimus ad bonum et amantissimum genitorem, et depressum animum et ægrum attollimus certa spe opis et humanitatis. Plura de bonæ conscientiæ securitate diximus cap. XXII, 26; e contra vero quam semper timida sit nequitia, et sæva præsumat perturbata conscientia vide supra ad cap. XV, 24 et alibi.

Vers. 7.

7. SIT UT IMPIUS INIMICUS MEUS, ET ADVERSARIUS MEUS QUASI INIQUUS, — id est, uberiorem ab hoste vindictam cupere nequeo, quam quod habeatur ut impius, et non bonam de eo existimationem habeant homines: malum enim quod mihi intentat, et impense procurat, in suum ipsius caput recidet, et ruet præceps in omnia mala: hæc faciunt lucem iis quæ dicta sunt vers. 5. Septuaginta reddunt, οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ εἴησαν οἱ ἐχθροί μου ὥσπερ ἡ καταστροφὴ τῶν ἀσεβῶν, καὶ οἱ ἐπ' ἐμὲ ἀναστάμενοι ὥσπερ ἡ ἀπώλεια τῶν παρανόμων, *verumtamen sint inimici mei sicut eversio impiorum, et qui contra me insurgunt sicut perditio iniquorum*, id est, impietatis convincantur, et causa cadant, qui contra me insurgunt integritatem et innocentiam meam oppugnando, ubi ostendit se causæ suæ bonitate ut firmissimo præsidio niti, et in Dei veritate firmiter fundatum esse; a qua nunquam dimovendus, nec contra eam cum adversariis vel in minimo consensurus sit, quos ut impios abominatur. Unde intelligimus quonam zelo nos præditos esse oporteat non solum ad confirmandam veritatem a nobis cognitam, et declarandum eam nobis probari, sed etiam ad omnibus erroribus et falsis opinionibus resistendum: ejusmodi enim virtute, qualis hic nobis in Jobo describitur, nos inflammari oportet. Notemus igitur, quod cum agitur de doctrina salutis, et de eo quod pertinet ad cultum Dei, et ad religionem, non solum nobis recipiendum id quod verum et bonum esse intelligimus, et quidem recipiendum animo docili et obedienti; sed etiam nobis detestandas esse omnes opiniones falsas, quæ veritati adversantur, et cum ipsa pugnant, earumque auctores et architectores velut impios impostores exsecrandos et odio habendos esse.

Quomodo adhærendum veritati, et resistendum falsitati.

Cæterum pro exactiori hujus et sequentium aliquot versuum intelligentia sciendum quomodo in præcedentibus disputationibus Jobum non raro urserint amici sui, dicentes illum hypocritam fuisse; qui etsi bona exterius fuisset operatus, gloriam tamen humanam pro eis captare voluisset, ideoque juste a Deo punitum, etc., cujus occasione multa in suis collocutionibus de hypocritarum moribus tradiderunt. Voluit ergo S. Jobus ostendere se non solum hypocritam non fuisse, sed et hypocritarum vitium summo odio semper prosecutum: quippe quod intelligebat omnibus modis exsecrandum. Hac occasione infelicem hypocritæ sortem elegantissime describit: « Sit, inquit, ut impius inimicus meus, et adversarius meus quasi iniquus. » De hypocrita eum loqui verba sequentia, quæ statim subinferemus, clarissime ostendunt; et recte illum vocat *impium*, quia Patris sui cœlestis gloriæ detrahit, sicut impius Absalomus gloriæ patris sui Davidis detraxit; similiter recte illum vocat *iniquum* ad exprimendam grandem illius malitiam: quamvis enim, inquit S. Gregorius, inter iniquitatem et peccatum nihil distare perhibeat S. Joannes apostolus, qui ait I *Epist.* III, 4: « Iniquitas peccatum est; » ipso tamen usu loquendi plus iniquitas quam peccatum sonat, et omnis homo se libere *peccatorem* fatetur, *iniquum* vero dicere nonnunquam erubescit;

Hypocrita est impius et iniquus.

http://www.obrascatolicas.com

et ideo S. Job *hypocritam* iniquum vocat, imo et *hypocrisim* alibi cap. XXXI, 28 iniquitatem maximam appellat. Cum ergo hic ait: « Sit ut impius inimicus meus, » etc. credo eum voluisse uti communi loquendi phrasi, qua, cum alicujus infelicissimam sortem explicare contendimus, dicere solemus : id accidat inimicis meis quod illi. Ita quærenti David, essetne pax puero Absalomo, respondit Chusi II *Reg.* XVIII, 32 : « Fiant sicut puer inimici domini mei regis, et universi qui consurgunt adversus eum in malum. » Ita et prudens Abigail ad David I *Reg.* XXV, 26 : « Fiant sicut Nabal inimici tui, et qui quærunt domino meo malum : » sic et Daniel cap. IV, 16 ad regem Baltassar : « Domine mi, somnium his qui te oderunt, et interpretatio hostibus tuis sit. » Voluit itaque Job dicere : Si inimicum haberem, cui summa mala liceret optare, nullum aliud malum ei precarer, quam ut similis fieret hypocritæ, aut infelicem ejus sortem incurreret. Hujus autem rationem elegantem reddit cum subdit :

Impreca di formula.

Vers. 8. Vana spes hypocritæ.

8. QUÆ EST ENIM SPES HYPOCRITÆ SI AVARE RAPIAT, ET NON LIBERET DEUS ANIMAM EJUS? — Quid enim, inquit, sperare potest, qui sub fucata religionis specie eo præceps rapitur, quo vocat avaritia, qui cum Deum infensum habeat, ab illo impendentis mali nullum obtinebit effugium? Regia legunt, *quæ spes hypocritæ, si Deus evellat animam ejus?* quam lectionem multi hebraizantes sequuntur; Tigurina autem, *quid hypocritæ sperandum est, cum Deus extrahet illius animam?* expende vim illius, *si avare rapiat*, q. d. Rapiat quantum voluerit, idque *avare*, id est, ardenti suæ cupiditati plene satisfaciat. Quæ est ejus spes? quid ei sperandum restat, cum Deus extrahet ejus animam? Pulchre autem exemplum hujus inanis spei ponit in homine avaro : omnis enim avarus hypocrita est : si ad usuram tribuit, fingit se pecunias tribuisse ad necessitatem proximi sublevandam, quia illa pecunia, quam ad usuram præsto, possem, inquit, aliunde majora consequi lucra; et quia lucrum cessat, vel damnum emergit, ideo pro mutuo lucrum accipio. Similiter in aliis avarus se hypocritam præstat, dum prudentiæ tribuit acquirere multa, et acquisita servare. Prudentem ergo avarus et pium se exhibere contendit, unde merito *hypocrita* nominatur. Quod si negligentiam suæ salutis illi objicias, spem se in Deo firmam respondebit habere, sibique divinam misericordiam facilem pollicetur : cum enim multas pecunias habeat, eis se Dominum placaturum in morte confidit : Faciam, inquit, amplas eleemosynas, sacraque multa fieri curabo, et testamento ad pias causas plurima legabo, quibus quis dubitet me Deum placaturum, etc. Huic ergo sic temere præsumenti ait S. Job : « Quæ est spes hypocritæ, si avare rapiat, et non liberet Deus animam ejus? »

Avarus omnis hypocrita.

Avari a Christo

Eodem fere modo Christus eos qui ardore magno divitiarum in thesauris colligendis occupantur reprehendit ut stultos, cœlestium ignaros, et præter exspectationem ab hac vita et usura fortunarum eripiendos : attulit enim de homine quodam similitudinem, qui bonis circumfluens animæ suæ lætissime gratulabatur, quod haberet bona in multos annos reposita, eumque merito *stultum* vocat, sive, ut est in Græco, ἄφρονα, *vecordem*, sine mente, sine judicio, insipientem : quippe cum sibi perennes prope delicias et longissimæ vitæ amœnitatem polliceretur, homo fatuus illa ipsa nocte vita et opibus spoliatus fuit *Luc.* XII, 20 : « Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem parasti cujus erunt? » Tum ore sacro ad suorum omnium documentum divinum hoc monitum addit : « Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives, » hoc est, stultus pariter est, et in nocte rapiendus, inquit Beda. Sic cuilibet accidit, qui congerendis studet opibus, ut stultissima opinione delusus jucundissimæ beatissimæque fortunæ, præter omnium spem, et cum minime putat, eripiatur e vita; et quæ scelere ac infinitis prope animi angoribus conquisivit aliis fruenda relinquat. Ille quidem magnifice incedit omni copiarum genere abundans, et inflatus pecuniæ magnitudine beatus apud omnes et dives habetur; sed ut Jesus clare denuntiat : « Non est in Deum dives. » Dividit omnes qui fortunis abundant in divites sæculi et divites Dei : quod etiam in illius schola eruditus fecit D. Paulus I *Timoth.* VI, 17 : « Præcipe, inquit, divitibus hujus sæculi, » etc. Quid est igitur divitem esse in Deum? divitem esse virtutibus, inquit Euthymius : recte ille quidem, nam veræ christianorum divitiæ sunt pulchræ et pretiosæ virtutes, charismata, gratiæ; opes sane aureæ, gemmæque cœlestes. Verum hic de illo agitur, qui thesauros habet reconditos et opulentos : quare D. Ambrosius ita nominari putat qui propter Deum parat opes, ut non sibi soli recondat, sed cum pauperibus etiam partiatur.

reprehenduntur ut stulti.

Alii malunt divitem in Deum dici, « qui non sperat in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat omnia nobis abunde ad fruendum, » ut loquitur magnus Apostolus modo citatus, res meo judicio breviter exponi atque uno verbo nequit. In dicto quidem evangelii loco *dives in Deum* mihi a Servatore dici videtur, non qui pauper est propter Deum, solis virtutibus et cœlestibus donis cumulatus, qualis proprie videretur esse dives in Deo, sed qui divitias refert in Deum, et sanctissimam ejus voluntatem sequitur ducem et moderatricem in administrandis aut continendis pecuniis : qui tantum habet et possidere cupit, quantum summo rerum omnium Domino placet, ratioque boni et honesti justitiæque patitur. Hic thesauros, si videbitur, colliget non adamantinis seris clausos, sed promptos et obvios, atque erogari faciles, cum Dei nutus significaverit : itaque et pauperibus tribuet humanissime, et in operibus pietatis, quando fuerit opus, magnifice et prolixe impendet; unde quia divitias suas non tam

Divites Dei sunt liberales.

Alii sunt divites sæculi, alii divites Dei : et quæ sit conditio utrorumque.

sibi et avaritiæ, quam auctori bonorum omnium Deo servire cupit, *dives in Deum* recte nominatur. Huic Christus illum stultum opponit, qui « thesaurizat sibi, » vel, ut est in Græco, ἑαυτῷ, *sibi ipsi*, qui non Deum intuetur in fortunis cumulandis, nec magnopere animo et cogitatione est intentus ut intelligat, quid potissimum requirat ab illo numen, aut officium hominis christiani postulet; sed hoc spectat unum, ut cupiditati serviat, et quam sibi animo fingit delicatæ vitæ felicitatem et magnis copiis affluentis omni ratione consequatur. Hic thesaurizat, et est vulgi opinione locuples et pecuniosus, sed non dives in Deum; quem Christus *stultum* Job *hypocritam* appellat, cujus spes sterilis, inanis et fallax est, et a Deo in necessitatis et angustiæ tempore rejicitur. Unde subdit :

Divites sæculi tantum servient cupiditati suæ.

Vers. 9. Mors divitibus amia et horribilis.

9. NUMQUID DEUS AUDIET CLAMOREM EJUS CUM VENERIT SUPER EUM ANGUSTIA? — Tempore nimirum mortis, cum Deus animam evellit, in angustia homo constituitur, et dicere potest cum Susanna *Dan.* XIII, 22 : « Angustiæ sunt mihi undique. » Amici in sæculo manent, quæ delectabant relinquenda sunt, temporalia bona non comitantur, solus miser homo coram Deo in judicio constituitur; superne adest judex justus rigidusque, inferne tartarus ardentissimas flammas eructans; intus conscientia clamat et accusat; latera cingunt inimici dæmones apertis faucibus clamantes *Thren.* II, 16 : « Devorabimus : hæc est dies quam exspectabamus : » tantum ei restat, ut ad Deum deprecandum se convertat, et in eo delectetur proponendo bona, quæ in illius obsequium gessit, clamando cum Ezechia *Isai.* XXXVIII, 3 : « Obsecro Domine memento quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim. » Numquid audiet Deus hypocritam sic clamantem, qui non in oculis Dei bonum perficere curavit, sed tantum in oculis hominum? « In tempore afflictionis suæ dicent, ait Jeremias cap. II, 27 : Surge, et libera nos, » et respondebit : « Ubi sunt dii tui quos fecisti tibi? surgant, et liberent te in tempore afflictionis tuæ. » Quid respondit Abraham diviti in angustia constituto, et clamanti *Luc.* XVI, 24 : « Pater Abraham miserere mei? Fili, inquit, recepisti bona in vita tua : » ita etiam hypocritæ respondebit Deus : Recepisti mercedem tuam, nullusque deinceps in æternum manebit locus aut tempus Deum invocandi aut rogandi. Potestne excogitari sors infelicior? Videbit miser hypocrita in tempore angustiæ in extremo judicio hinc damnari quidem peccatores propter eorum peccata, adulteria, furta, homicidia, quorum damnatio manifeste justa est : justum est enim ut convertantur peccatores in infernum, et mala recipiant, qui mala egerunt. Videbit inde justos ineffabili præmio et gloria affici propter bona opera, quia eleemosynas largiti sunt, jejunaverunt, orationibus institerunt, etc.; se autem, qui horum opera fecit, et ab illorum peccatis se continuit, ab istorum societate et gloria expelli, et illorum consortio conjungi, et pœna affici. Damnari se videbit cum homicidis, latronibus, perjuris, ebriosis, luxuriosis, qui ab homicidio, latrocinio, perjurio, ebrietate et luxuria se continuit; et privari se videbit ineffabili præmio, quo affectos inspiciet sanctos jejunatores, eleemosynarum largitores, suæ carnis mortificatores, qui non minus quam illi tenuit jejunia, fecit eleemosynas, carnem mortificavit ac maceravit.

Hypocritarum sors miserrima, quia nec hic, nec in futurum iis bene est.

Hanc infelicissimam sortem considerare videtur D. Chrysostomus hom. 2 *in Joan.* ex eo quod miser hypocrita pœnas cum peccatoribus recipiet, quorum voluptatibus non fuit oblectatus : erit illis socius in pœna, quibus socius non fuit in voluptate. Statuit Deus neminem posse habere duplicem paradisum, neque duplicem consolationem, in hac scilicet vita et in futura, qui clamavit *Luc.* VI, 24 : « Væ vobis, qui hic habetis consolationem vestram; » et *ibid.* vers. 25 : « Væ vobis qui ridetis, quia flebitis; » et *Joan.* XII, 25 et *Matth.* XVI, 25 : « Qui amat animam suam, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me inveniet eam. » Qui in præsenti vult paradisum habere, in futuro infernum inveniet; qui autem in præsenti pati eligit, in futuro sæculo habebit delectationes usque in finem, id quod in epulone divite et Lazaro eleganter Christus expressit, et exposuit Abraham diviti dicens *Luc.* XVI, 25 : « Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. » Peccatores in hac vita gaudere eligunt, cap. XXI, 12, « tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi; ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Justi e diverso eligunt affligi in vita præsenti, « semper II *Corinth.* IV, 10 mortificationem Jesu in corpore suo circumferentes, » ut qui modo socii sunt passionum, sint postea et consolationum *ibid.* cap. I, 7. Sed longe miserrima est hypocritarum sors, qui neque in hac vita cum peccatoribus, neque in futura cum justis delectationes capiunt, et utrorumque pœnis conficiuntur : nam in hac quidem vita mortificationibus se conficiunt, exterminant facies suas, orant, vigilant sicut justi, et in futuro sæculo æternis ignibus una cum peccatoribus addicuntur : nempe in hac vita laborem, quem justi bene operando sentiunt, sine futura delectatione sustinent, et postmodum adhuc pœnas peccatoribus reservatas sine ulla præcedenti voluptate in inferno sustinebunt. Itaque, ut pulchre observat S. Chrysostomus hom. 21 *in Matth.* illud solum, quod durum simul et onerosum est hypocritis, tam in hoc quam in futuro sæculo sive cum justis sive cum peccatoribus commune habent. Unde patet eorum conditionem esse omnium mortalium miserrimam iniquissimamque, utpote omni delectatione destitutam, ac Deo invisam; a quo nullam in miseriis suis consolationem exspectent. Unde subdit :

Hypocritæ semper miseri.

http://www.obrascatolicas.com

Vers. 10. 10. AUT POTERIT IN OMNIPOTENTE DELECTARI, ET INVOCARE DEUM OMNI TEMPORE? — Scilicet impius divitiis et deliciis florens nequit sicut justus ærumnosus et calamitosus « delectari in Omnipotente; » neque est extismandum vocem illam *Omnipotente* casu ac temere ex ore Jobi cecidisse : vult enim dicere hominem calamitate actum et oppressum sic in Omnipotente delectari, ac si tota Dei omnipotentia occuparetur in recreando homine tribulationibus prostrato; unde Jacobus ait *Epist.* I, 2 : « Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes (id est tribulationes) varias incideritis. » Profecto omnis gaudii nomine indigitari solet cœlestis beatitudo, ac si significare vellet hominem justum calamitate oppressum tanto gaudio potiturum, ut possit quodammodo cœlestem æmulari beatitudinem. Septuaginta vertunt, μὴ ἔχει τινὰ παῤῥησίαν ἐναντι αὐτοῦ; ἢ ὡς ἐπικαλεσαμένου αὐτοῦ εἰσακούσεται αὐτοῦ; *habetne fiduciam coram eo? aut tanquam si invocaverit eum exaudiet eum?* exosus enim Deo est omnis hypocrita, quod careat animi candore ac vera simplicitate, quæ sunt fundamenta fiduciæ et exauditionis. E contra vero *Prov.* III, 32, « cum simplicibus sermocinatio ejus; » et *ibid.* cap. X, 9, » qui ambulat simpliciter ambulat confidenter, » nihil metuit divina fiducia plenus, et in sua innocentia et integritate securus est; unde S. Gregorius papa magnus lib. XII *Moral.* cap. XXI simplicitatem vocat *arcem fortitudinis*, videlicet ob tranquillitatem securitatis; et *ibid.* reliquit hoc axioma : « Nihil simplici corde felicius. » Hac felicitate ac fiducia simulator et hypocrita omnino careat necesse est, quia « non poterit in Omnipotente delectari, et invocare Deum omni tempore : » quamvis enim os apertum habeat ad Deum invocandum, nihil tamen aliud facit, quam profanare nomen sanctum ejus : quia nihil in ipso est recti et integri; unde mirum nobis videri nec debet, nec potest, si hypocritæ et scelerati, cum ad Deum accedunt, repulsam patiantur : neque enim libera voluntate aut affectu puro accedunt, quin, etiamsi possint, Deum libenter fugiant; sed quoniam ipso carere non possunt, eum inviti et coacti adeunt.

Hinc bene Job ait hypocritam « non invocare Deum omni tempore : » nam etiamsi aliquando simulet se precari, nihilominus in eo non perseverat, nec constanter et perpetuo tenore utitur. Et in eo quidem hypocritarum preces a precibus filiorum Dei differunt : hypocrita enim non examinato corde suo faciet quidem in speciem id quod faciunt filii Dei quando Deum deprecantur, quia id rebus suis conducere intelligit; sed si minima tentatio ingruat, et non ex voto succedant res, illico excandescit, nec amplius Deum ad auxilium suum invocat, sed adversus ipsum obmurmurat, et ejusmodi rabiem despumat, ut satis ostendat, se antea nihil a Deo exspectasse aut sperasse, nec ipsum corde integro, sed ficto et simulato duntaxat quæsivisse. Hic itaque admonemur Deum serio, sincere ac semper deprecari, ut existimemus nihil profuturum nobis, si longo intervallo, et impetu quodam animi, non certo consilio et ordine Deum adierimus, opem et misericordiam ejus imploraturi; sed in eo officio obeundo diligentiam nobis adhibendam esse, et unumquemque seipsum debere acuere et sollicitare, seque cum mane tum vesperi quasi ad tribunal Dei citare, ubi animi sui statum discutiat, ut intelligat, quid sibi adhuc desit. Videmus igitur quæ sit rite precandi ratio; ne primum summam et extremam necessitatem exspectemus, sed potius ipsam prævertamus, sicut opus est precantes, ut Dei bonitate præveniamur. Cæterum observatione quoque dignum quod Job ait, hypocritam non « posse in Omnipotente delectari; » ex quo cognoscimus omnes improbos, quamvis omnium maxime felices esse videantur, infelices tamen esse, nihilque in ipsis præter miseriam existere; contra vero probos, quamvis hic afflictionibus atterantur, et homines nihili æstimentur, ipsos tamen esse felices, quia se oblectant in Deo; in quo solo verum ac solidum gaudium reperitur; sine quo nemini unquam bene, et cum quo nemini unquam male fuit. Ut igitur Deus gaudio nostro benedicat, ipsum probet, atque hoc pacto nos tanquam in conspectu Dei eo fruamur, Deum respiciamus, nos ab ipso bonum omne habere agnoscamus, gratiasque illi agamus, et ita in ipsum spem et exspectationem nostram reponamus, ut rebus præsentibus non adhærescamus, nec illis animum nostrum affigamus, scientes hunc mundum præterire, nobisque duntaxat per ipsum transeundum esse, et quidem cito, non ipsi adhærendo, sed ad Deum semper tanquam ad verum nostrum scopum aspirando.

Hypocritarum et filiorum Dei preces in quo differant.

Hypocrita non habet orandi fiduciam.

Hypocrita non potest in Deo delectari.

Vers. 11. 11. DOCEBO VOS PER MANUM DEI QUÆ OMNIPOTENS HABEAT, NEC ABSCONDAM, — id est, ut D. Thomas et Vatablus intelligunt, docebo vos Deo bene juvante et sermonem subministrante, ita ut existimare debeatis non tam me quam Deum ipsum per me loqui. Dicitur sæpe Deus in Scriptura locutus « in manu prophetarum, » IV *Reg.* XXI, 20, II *Par.* XXXVI, 15 et *Bar.* II, 24, id est in eorum persona. Job igitur dicit se loqui *per manum*, vel, ut est in Hebræo, *in manu Dei*, id est in persona ipsius Dei. Septuaginta vertunt, ἀλλὰ δὴ ἀναγγελῶ ὑμῖν τί ἐστιν ἐν χειρὶ Κυρίου, ἃ ἐστι παρὰ παντοκράτορι, *quapropter annuntiabo vobis quid sit in manu Domini, quæ sint apud Omnipotentem*, id est, quæ Deus providentiæ suæ recta dispositione, quam *Dei manum* vocat, ordinata tenet. Quem sensum secutus S. Augustinus, credit Jobum voluisse dicere : Annuntiabo vobis quid disponat Deus. Jobus quidem satis superque omnia distinxerat; sed vult adhuc amplius confirmare suum sermonem, quem jam habuerat : quapropter utitur hac præfatione, dicens se ostensurum id quod est in manu Dei, sive quod Omnipotens habeat, persequiturque hunc sermonem quem jam habuerat nempe, cum recte volemus

Quid sit in manu Dei loqui.

judicare, nobis hic inferius non esse subsistendum, sed fide nobis mundum trajiciendum, nobisque alia ratione judicia Dei contemplanda : nam in hoc adversarii Jobi decipiebantur, quod secundum præsentem hujus mundi statum omnia metirentur, et in rebus hisce inferioribus defixi hærerent.

Deus in manu sua habet multa quæ reservat occulta.

Jobus igitur ostendit altius nobis ascendendum, et ad Dei manum veniendum, atque notandum judicia Dei arcana esse, quæ licet per indicia quædam nobis ex parte subinde patefaciat, plurima tamen in manu sua reservat occulta, sicuti princeps non aperit omnia sua consilia, sed edictorum tantum, quantum ad subditorum gubernationem expedire novit, promulgat, reliqua, quæ declarare non expedit, penes se reservans. Quod si homines mortales sibi permittunt ejusmodi licentiam, quid nobis de Deo statuendum est? Numquid oportet Dominum nobis hic omnem justitiam et sapientiam ita patefacere, ejusque judicia nobis omnia ita nota esse, ut nihil ejus solius cognitioni reservetur? quonam res abiret? Videmus igitur modo quænam sit Jobi mens, scilicet perversam hominum superbiam arguere, eo quod potentiam, justitiam et sapientiam Dei in hoc præsenti statu mundi, qualis nunc animadvertitur, velint inclusam; quæ nullis tamen terminis circumscribitur, nec ulla etiam angelica mente comprehendi potest. Cum itaque viderimus simpliciores, et eos, qui dum vixerunt nemini injuriam ullam intulerunt, ad finem usque vexari, et quasi prædæ exponi, Deo interea nullo modo præ se ferente, quod velit illos liberare; contra vero improbos triumphare, in suis malis obdurescere, ipsique Deo hæc omnia dissimulanti quodammodo insultare, ne tamen perturbemur et scandalizemur, res ita confusas et inordinatas esse, Deumque non statim remedium adferre animadvertentes, sed in memoriam nobis revocemus id quod hic declaratur, Deum scilicet multa in manu sua habere quæ penes se servat : cum enim hoc pacto velit fidem nostram exercere, nosque experimento discere quid sit patientia, ne omnem nostrum sensum et judicium ejus consilio subjicere recusemus.

Arcana Dei judicia reverenda.

Vers. 12. 12. ECCE, VOS OMNES NOSTIS, ET QUID SINE CAUSA VANA LOQUIMINI? — Septuaginta vertunt, ἰδοὺ πάντες εἴδατε, ὅτι κενὰ κενοῖς ἐπιῤῥάλλατε, *ecce omnes nostis, quia vana vanis adjicitis;* S. Augustinus, *quia vane vana loquimini* : in Hebræo est, *ecce vos omnes vidistis, et cur hoc, ut evanescatis vanitate?* id est, experientia didicistis quæ dico, vobisque nota sunt et explorata, ideoque majori reprehensione digni estis, quod hæc scientes tam vana et falsa dogmata proponitis; et prorsus evanescitis tam inique sentiendo et judicando de mea miseria Deique providentia. Nihil enim vanius prava opinione de Deo ejusque judiciis, non enim ex his quæ in hac vita Deus dat justis et peccatoribus eorum præmia vel supplicia expendere debetis, sed ex iis quæ in futuro sæculo recepturi sunt : ita S. Gregorius lib. XVIII *Moral.* cap. VII, locum hunc exponere videtur. Cæterum cum Deus nobis ex parte hic opera sua patefaciat, ne ita cæci simus, ut nihil prorsus cernamus in iis quæ omnino patent et obvia sunt oculis nostris : neque enim longior inquisitio nobis instituenda est, ut harum rerum gustum aliquem habeamus, cum attendere et intueri voluerimus, satis est unde possimus doceri. Ne sponte igitur et data opera claudamus oculos, eosque de quibus hic loquitur Jobus imitemur, ut in vanitate evanescamus, et sine causa vana loquamur : cum Deus nos excitat, sciamus ipsum velle nos ita sua opera agnoscere, ut illi meritum honorem tribuamus, nec in rebus præsentibus hæreamus, sed concludamus judicium esse, quod nobis sit exspectandum, ibique res in integrum restituendas, et unicuique pro meritis retribuendum esse sive præmium sive supplicium. Unde de impio loquens quid illi exspectandum sit subdit :

Vanum est sentire male de Deo et judiciis ejus.

Vers. 13. 13. HÆC EST PARS HOMINIS IMPII APUD DEUM, ET HÆREDITAS VIOLENTORUM, QUAM AB OMNIPOTENTE SUSCIPIENT. — Illa vox *pars* in Hebræo est חלק *helech*, quod significat *portionem legitimam*, quam tandem pater dat filio, qualis fuit illa, quam homo ille dives in evangelio habens duos filios dedit filio suo juniori eam petenti, et dicenti *Luc.* XV, 12 : « Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit : » Deus habet duos filios, justos scilicet et peccatores. Vult igitur Job explicare quamnam partem Deus pro legitima portione reservatam teneat impiis, et quidnam hæreditatis vice sint recepturi : quæ enim bona vel mala Deus in hac vita tribuit non sunt legitima hæreditatis portio, quam neque justis neque impiis in hac vita confert. Neque vero de omnibus impiis Job loquitur, sed singulariter de *violentis;* in Hebræo est *tyrannis*, duris, potentibus, quo nomine divites avaros divitiis repletos voluit intelligere : nam hi sunt, qui per vim et tyrannidem ac violentiam omnia quæ volunt agunt, conculcantes pauperes, contemnentes inopes, devorantes pupillos et simplices; evadunt inhumani, crudeles, ferrei, sic ut aliena calamitate non commoveantur, et damnum aliorum prædam suam fieri optent : sæpe enim dice contempta, et posthabitis legibus tum divinis tum humanis, rapiunt non sua; et dum bene sibi sit, quam male sit aliis non vehementer curant, cum sæva et impotens illa animi affectio humanitatem omnem ejecerit. Itaque Aristoteles lib. I *Ethic.* cap. III, ait illum, qui studio augendæ quærendæque pecuniæ ducatur, βίαιον, *violentum*, asperum, importunum. S. Chrysostomus vero avaritiam nuncupat ὠμὴν καὶ ἀπάνθρωπον δέσποιναν, *inhumanam et crudelem dominam*, ejusdem discipulus S. Isidorus lib. III *Epist.* 209, auri argentique cupiditatem vocat ὠμὸν καὶ τυραννικὸν ἔρωτα, *crudelem et tyrannicum amorem*, utpote qui homines quos invasit crudeles ac tyrannos efficiat. Istiusmodi ergo hominis avari ac violenti sortem hic describit dicens·

Pars legitima seu hæreditaria non datur nobis in hac vita.

Avari sunt duri, crudeles, violenti.

14. SI MULTIPLICATI FUERINT FILII EJUS IN GLADIO Vers. 14

http://www.obrascatolicas.com

Impii felicitas momentanea et incerta.

ERUNT, ET NEPOTES EJUS NON SATURABUNTUR PANE. — En qualis sit sors impii, præsertim avari, quam momentanea incertaque felicitas, quam tristis exitus, quam dira et execranda calamitas : Si abundaverit, inquit, numerosa sobole, et rebus omnibus ad domesticos usus et domus ornamenta necessariis, his omnibus tandem spoliatus contrariam experietur fortunam : nam et filii ejus gladio cadent hostili; et eo necessitatis adigentur nepotes, ut ad explendam famem panis deficiat. Id ipsum sæpius hoc libro repetitum est, et a nobis tractatum, scilicet posteritatem impii, quantumvis multa fuerit, extinguendam esse : vide quæ hac de re dicta sunt cap. XV, 30-34 et cap. XVIII, 19 et cap. XX, 26 et seqq.; ex quo intelligitur hoc oportere assidue cogitare eos, qui genus et posteritatem suam pro virili parte propagare student, id nullatenus fieri posse, nisi multa virtute muniantur, quod ut quisque possit per se præstare, efficere tamen non potest, ut a posteris suis præstetur, ut unius aut alterius stultitia fiet, ut majorum virtute bene stabilita domus corruat, aut maximam jacturam faciat : ita temeritate ac scelere posterorum Davidis regnum, genus et familia ejus prope hæsit ad metas, nisi Christi infinita virtute restitueretur. Quare dubium non est quin vanum et leve sit nimio propagandi generis sui studio efferri, id quod Ecclesiastes hoc argumento persuadere conatur dicens cap. II, 18 : « Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro utrum sapiens, an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi, et sollicitus fui, et est quidquam tam vanum? » Hanc vanitatem vide eleganter quasi ob oculos positam a Tollenario nostro qui citatum Ecclesiastæ locum in *Spec. vanit.* pulchra paraphrasi metrica et simul exegesi prosa illustrat. Illud autem, *et nepotes ejus non saturabuntur pane*, Psaltes quoque regius impio minatur dicens *Psalm.* CVIII, 10 : « Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent, » in quem locum vide *Expos. Patr. Græc.*, quam nuper e tenebris eruimus, et latina interpretatione notisque illustravimus.

Filii impiorum plerumque male pereunt.

Genus et posteritas nisi multa virtute muniantur non potest.

Vanum est propagandæ posteritatis studium.

Vers. 15.

15. QUI RELIQUI FUERINT EX EO SEPELIENTUR IN INTERITU, ET VIDUÆ ILLIUS NON PLORABUNT. — Si qui, inquit, ex impiorum filiis reliqui fuerint ab hostili ferro, non tamen magis honestam consequentur sepulturam : sic enim sepelientur, ut videri possint omnino periisse, cum non inferantur in tumulum pretiosum, qui illorum ad posteros memoriam transmittat, neque comitetur uxorum jam viduarum lugubris planctus, sed ut in bellica strage, aut pestilenti clade, acervatim cum aliis cadaveribus projiciantur in foveam, ubi sine ullo funeris honore putrescent. Eadem fere phrasi usus est David dicens *Psalm.* LXXVII, 64 : « Sacerdotes ejus in gladio ceciderunt, et viduæ ejus non plorabantur, » ubi in Hebræo activa voce ponitur *non plorabunt*, quo significatur, vel quod justa non facient viris suis aut propter inopiam, aut propter exitiosa et calamitosa tempora, quibus omnia agitabuntur, conturbabuntur, et vastabuntur; vel quia tantum erit exitium, tanta reipublicæ vastitas, ut viri simul cum uxoribus intereant; vel denique non deflebunt defunctum maritum, quin potius gaudebunt, quod eo liberati sint, vel propter improbitatem ejus, vel propter alias causas, ut plurimæ sunt, quæ viduas exhilarare possunt. *Sepelientur in interitu*, vel ut ex Hebræo alii vertunt, *in morte*, scilicet secunda, quæ mors animæ dicitur, et a nostro interprete merito vocatur *interitus*. S. Ambrosius lib. *De Fide resur.* tres mortes recensens : « Tertia, inquit, est de qua dictum legimus : *Dimittite mortuos sepelire mortuos suos.* Ea morte non solum caro, sed etiam anima moritur. » S. Augustinus numerat quatuor mortes, *prima* est, cum corpus extinguitur; *secunda*, cum in peccatis versamur; *tertia*, cum anima punitur sine corpore; *quarta* est mors animæ cum corpore in inferno. Hoc observat in *Dial. quæst.* LXV quæst. 32; impii ergo sepeliuntur in morte, et pii in vita : vide quæ *supr.* cap. XX, 26, dicta sunt.

Impii sepeliuntur in morte.

Vers. 16 et 17.

16 et 17. SI COMPORTAVERIT QUASI TERRAM ARGENTUM, ET SICUT LUTUM PRÆPARAVERIT VESTIMENTA : PRÆPARABIT QUIDEM, SED JUSTUS VESTIETUR ILLIS; ET ARGENTUM INNOCENS DIVIDET. — Amplificatio est felicitatis nimium brevis, et erroris quo seducitur impius injuste opes congregans, qui in caput laborat suum; quandoquidem judicio divino sæpe laboribus suis minime fruitur, sed in usum piorum transferri conspicit, ut male parta bene impendantur : ita evenisse legimus *Gen.* XXX ut opes multæ Labani darentur Jacobo, et divitiæ impiorum regum Chanaan ad pios Hebræos transferrentur, sicut scriptum est *Psalm.* CIV, 44 : « Et dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt, ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant : » eodem modo regnum Saulis collatum fuit Davidi, qui bonis viris pollicetur dicens *Psalm.* XXXVI, 34 : « Exspecta Dominum, et custodi viam ejus, et exaltabit te, ut hæreditate capias terram; cum perierint peccatores videbis. » Hæc autem Jobi sententia, qua impiorum bona piis attribuit, in vita impiorum interdum, quandoque vero in interitu eorumdem vera est, at non universe accipienda, neque enim mens est asserere opes ab impiis congestas ad pios semper devolvi, quia, ut supra monuimus, temporales istiusmodi promissiones, uti et minas non videmus in hoc sæculo semper impleri : nam aliquando etiam Deus rapit et aufert bona justorum, et prolis ipsorum, eaque concedit latronibus et piratis, qui illos spoliant omnibus facultatibus suis. Cur vero id facit? causa, quam penes se arcanam habet, nobis est incognita; intelligimus tamen id ipsorum bono fieri : eo pacto enim ipsos vult in patientia exercere, aut vult ipsis tollere occasionem somno se in his terris obruendi, aut denique

Quæ impii injuste congregarunt sæpe justis obvenient.

Temporales promissiones et minæ non semper hic implentur.

vult ex illis purgationis causa mittere sanguinem : quia videt copiam quam possident illis instar noxiæ redundantiæ futuram. Discamus igitur ita contemplari judicia Dei temporalia, ut ipsum ad eodem semper modo agendum non astringamus : magnum enim est inter id quod vitam præsentem spectat et arcana Dei judicia discrimen.

In hac vita sunt omnia incerta.

Idem judicandum de promissionibus, quas similiter videmus non eodem semper tenore impleri, sed prout Deus novit expedire; ad vitam autem præsentem quod attinet, verum est in genere nos nobis polliceri posse, fore ut in ea nobis Deus sit quasi viæ dux, et quamdiu nos in ea esse voluerit nos sustentet sua bonitate, nosque sub umbra et protectione sua habeat; sed non possumus expresse statuere, utrum abunde bona sit daturus nobis, utrum valetudinem; utrum sit nos ex manu hostium liberaturus; utrum denique nobis sit hac vel illa ratione opitulaturus. Nobis nihil horum designare et certo polliceri possumus, sed nos ad particularem istorum in spe nostra designationem quod attinet obvolutis oculis esse oportet : nam etiam Deus vult nos hic quasi in perpetua pugna esse, et quidquid nobis immiserit æqui bonique consulere, atque totos cum fiducia et resignatione ex ipsius dispositione satis aptos pendere, illique in omnibus acquiescere. Verum quidem est filios Dei, quoniam in simplicitate et integritate ambulant, multis rebus opus habere posse, illisque ita imminere paupertatem, ut de die in diem ipsos invasura esse videatur; sed Deus ita illis plerumque prospicit, ut semper ulterius pergant. Nonnunquam etiam accidit, ut cum improbi argentum, aurum et supellectilem multam collegerint, probi postea illorum spoliis induantur; sed hic nulla, ut dixi, regula generalis constitui debet, cui Deum astringamus. Decet igitur nos tenere suspensos. Cæterum si de manibus improborum bona Deus avellat, intelligamus eum minas, quæ hic proponuntur, implere; si id non faciat, pro certo habeamus, ipsum sibi in ultimum diem sui judicii executionem reservare; nec modo velle res in perfectum statum asserere; ut spem nostram alat, eoque ut præsenti mundo addicti non simus, et hic inferius tanquam in paradiso felicitatem nostram non quæramus, sed sursum sublatos oculos habeamus, et eo expeditius hanc inferiorem vitam tanquam viam aliquam decurramus; nosque in his terris peregrinos et advenas esse, ideoque nobis semper ad cœlestem illam et permanentem hæreditatem adspirandum esse cognoscamus. Eodem modo intelligenda sunt quæ sequuntur.

Vers. 18.

18. ÆDIFICAVIT SICUT TINEA DOMUM SUAM, ET SICUT CUSTOS FECIT UMBRACULUM. — Duabus aptissimis comparationibus hic explicat Jobus, quam parum habitura sit firmitatis domus, quam sibi ex alienis sumptibus et rapinis molitur impius, quæ non erit diuturnior quam domus, quam sibi in ligno aut laneo vestimento construxit tinea, quæ oris flatu convellitur; et umbraculum custodis vineæ vel cucumerarii, quod levi manu exstructum, exiguo duntaxat tempore, quo uvæ fructusque maturi custodiuntur, usui est, ac deinde statim dissipatur. Ac tinea quidem ædificat domum suam cum alterius jactura et injuria, corrodendo suaviter et insensibiliter quod alienum est, et tantum extendit domum suam, tamque amplam extruit, quantum alteri detrahit : similiter impius ædificat domum suam cum alterius jactura corrodendo aliena, sibique usurpando, virum simplicem suaviter et insensibiliter decipiendo, innocentem circumveniendo, per usuram palliatam et opertam injustitiam recipiendo ea quæ aliorum sunt; et tantum opibus crescit, domumque suam extendit, quantum aliis detrahit; unde D. Hieronymus epist. 151 *ad Algas.* quæst. 6 annotavit Christum Dominum *Luc.* XVI, 6 apte vocasse divitias *mammonam iniquitatis*, quia de iniquitate collectæ sunt. Aut certe ideo comparatur impiorum domus cum tinearum domiciliis, quia sicut tinea, cum domum construit, illius fundamenta corrodendo debilitat : nam si in lignis habitat, ligna corrodit et perforat, facitque ut labante domo non possit esse diuturna commoratio : sic impius non tam ædificat quam evertit domum, ut revera dum bene acquisitis male acquisitas facultates adjungit tineas inducat, quæ si quid est solidi corrumpunt atque evertunt. Septuaginta aliam addiderunt similitudinem, quæ satis indicat quanta sit eorum futilitas, quæ impiorum comparat et molitur solertia : sic autem illi, ἀπόδη δὲ ὁ εἷκος ἀυτοῦ ὥσπερ σῆτες, καὶ ὥσπερ ἀράχνη, *evadet autem domus ejus sicut tineæ, et sicut aranea* : quam sit futilis domus, quæ ex aranearum tela construitur, quamque solvatur facile, res ipsa loquitur, quæ etiam jam apud Hebræos in proverbium abiit : vide quæ diximus supra ad illud cap. VIII, 14 : « Sicut tela aranearum fiducia ejus. »

Impiorum domus tineæ et umbraculo custodis assimilatur.

Impii domus ut aranearum tela.

Eamdem quoque divitiarum fragilitatem apte exprimit similitudo umbraculi seu tugurii, quod excitat custos v. g. cucumerarii aut vineæ, nec diutius durat quam necessaria videatur cucumerarii vinearumque custodia, quorum gratia a custode levi manu atque opere excitatum fuerat, quamdiu nimirum fructus sunt in suis plantis maturi et esculenti, id est exiguo tempore, et mense plerumque non amplius uno, quia statim dissipatur. Et si custos iste pecorum sit, multo solvitur transferturque facilius, quia sicut pastores, sic etiam eorum tabernaculum sequitur gregem, qui alia subinde atque alia loca mutare solent, neque in uno commorari, nisi unum aut alterum diem. Sicut faciunt Cedareni, qui rei pecuariæ assiduam dant operam; et quia pascua mutant, quotidie figunt et refigunt tabernacula. Quare tabernaculum hujusmodi proverbiali specie pro re sumitur momentanea, quæque ita dissolvitur, ut illius nullum supersit vestigium : sic Isaias ait cap. I, 8 : « Relinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea,

Umbraculum est typus mutabilitatis.

Impius seipsum destruit ut tinea.

Tabernaculum proverbialiter ponitur pro re

http://www.obrascatolicas.com

momentanea.

et sicut tugurium in cucumerario, » hæc enim peracta vindemia collectisque fructibus sic dissipantur, ut neque speciem habeant ullam neque usum : idem alibi cap. XXIV, 20 ait : « Agitatione agitabitur terra sicut ebrius, auferetur quasi tabernaculum unius noctis. » Hoc tabernaculum aut pastorum est, qui non eodem sæpe loco pernoctant, sed ut mutant pabula, sic etiam alio atque alio transferunt umbracula ; aut certe viatorum, nam viri delicati atque potentes cum domo exeunt, tabernacula secum gestare solent : cum enim non raro contingat ut nox obrepat, antequam commodum inveniant hospitium, ne cogantur pernoctare sub dio, mobile secum tectum circumferunt; quod statim atque illuxit dissolvunt. Tabernaculorum certe pastorum meminit Ezechias apud Isaiam, dum suæ vitæ curriculum confectum jam esse meditabatur cap. XXXVIII, 12 : « Generatio mea ablata est, et convoluta est a me quasi tabernacula pastorum. Præcisa est velut a texente vita mea : dum adhuc ordirer succidit me. »

Viatorum tabernacula sunt aut pastorum.

E quibus satis constat in Scripturis passim *umbraculum* seu *tabernaculum* sumi pro re mutabili fragilique, uti bene Sanctius observat : quapropter per illud apte divitiarum frequentissime dominos suos mutantium inconstantia denotatur. Dum autem custodis meminit, avari hominis indolem expressit, custos enim vineæ, ut ante dicebam, facit umbraculum, ex quo attendat racemis custodiendis in alterius utilitatem : perpetuo curat, vigilat, circumspicit, anxiatur, hoc contendens, ut intacti omnes racemi conserventur domino qui vineam vindemiaturus est. Non potuit meo judicio melius explicari conditio divitis avari quam sub hoc hieroglyphico : non est ille dominus pecuniarum, sed servus et custos, id quod supra demonstravimus, et expresse Spiritus Sanctus exposuit per Salomonem illis verbis expensione dignis *Eccle.* VI, 1 : « Est malum quod vidi sub sole et quidem frequens apud homines (hæc scilicet nostra miseria est, quod grandia mala, quibus afficimur, non attendimus, quantumvis frequentissima sint). Vir cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat; nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo, sed extraneus vorabit illud. » Expende illud : *Nec tribuit ei potestatem Deus* : Olympiodorus intelligit de divina permissione, qua Deus permittit tanto affectu divitem tradi amori divitiarum, ut non permittat amor, quo eas diligit, easdem tangere vel consumere : qui enim nimis aliquid diligit, nulla ratione permittitur ab amore illud perdere aut distrahere. Sicut ergo superbis quibusdam Deus permisit suas passiones sequi, quos propterea dicitur *Rom.* I, 24, tradidisse in passiones ignominiæ, et quod colerent tanquam deos serpentes, voluores, et reptilia : ita propter iniquitatem avari eum dimittit, qui concupiscentia sua inflammetur erga pecunias, quas tanquam deum habeat et venere-

Avarus non est dominus, sed custos et servus divitiarum.

tur. Itaque hic grandis pecuniarum amor, quo divitias diligis, o avare, juxta Olympiodori sententiam, Deo singulariter permittente, ad tui perditionem contingit. S. Gregorius Thaumaturgus et Cajetanus *in Eccle.* cap. VI, non de sola permissione intelligunt, sed de voluntate Dei positiva, qua non vult concedere avaro usum bonorum suorum, a quo juste vult subtrahere auxilium efficax (manente tamen illius libertate) ne divitiis suis utatur : sicut e contra de justo dixerat idem Salomon *Eccle.* V, 18, quod « potestatem ei tribuit, ut comedat ex bonis suis. » Quoniam autem dominium est potestas utendi re in quemcumque usum licitum, sicut dicitur Deus auferre potestatem avaro utendi rebus et bonis suis, ita dici potest auferre ab illo dominium eorum. Quomodo ergo illa retinet? utique tanquam custos : cum enim Deus eum fecisset dominum, ipse se nudum et merum fecit custodem, qui toto pectore intacta nititur conservare bona non sibi, sed hæredi; ideo ipse non audet ea tangere, ut ex eis comedat : alius autem tanquam dominus veniens vorabit omnia. « Custos ergo es, inquit S. Ambrosius lib. *De Nab.* cap. XIV, non dominus tuarum facultatum, qui aurum terræ infodis, minister utique ejus, non arbiter : » habet se itaque dives avarus tanquam custos vineæ in tabernaculo domus suæ, eo enim moriente venit hæres tanquam dominus, et omnes racemos quasi vindemiam sibi repositam rapiet colligetque. Talis est dives in vita sua; sed qualis in morte? id explicat aptissime Job subdens :

19. DIVES CUM DORMIERIT NIHIL SECUM AUFERET : APERIET OCULOS SUOS, ET NIHIL INVENIET, — ubi notandum, vitam hanc *somnum*, et mortem vocari *vigiliam* : « Dives, inquit, cum dormierit (id est, postquam dormierit, post somnum hujus vitæ) aperiet oculos suos, et nihil inveniet : » quia nimirum phantasma totum erat et insomnium, quod hic videbat; cui consentit illa Davidis sententia *Psalm.* LXXV, 6 : « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis; » in quem locum ita pulchre S. Ambrosius : « Quia, inquit, divites somnum suum dormierunt, non habent Christi quietem, non surgunt Christi resurrectione. » Dormiunt ergo somnum suum potentes impiique, in illo non virtutes, non imitationem Christi, non bona somniantes opera, quæ vere sunt res, sed vanitates, sed peccata, sed dominationes et principatus; et hinc est, ut evigilantes non inveniant ea in altera vita, in qua nihil boni nisi quæ sunt Christi; hæc autem ipsi habere non possunt, quia hic non dormiunt Christi somnum, et sic evigilantes, ibi nihil invenientes, tunc videbunt hæc omnia non fuisse nisi insomnia, et vere nihil : quia tota hæc vita nihil aliud est nisi somnus, et res ejus insomnia. Pulchre Philo lib. *Quod Deus sit immut.* ita Moysem introducit loquentem cum rege Edom, et rationem reddentem cur ab ejus bonis se abstineat : « Nam ista, inquit, tibi chara omnino nihil sunt : an putas mor-

Vers. 19. Vita hæc somnus, mors vigilia.

Qualis sit divinum somnus.

talem rem ullam vere esse et subsistere, et non tanquam in suggestu quodam ab inani et incerta opinione sustineri non aliter quam somniorum ludicra? » Cui accinens S. Hieronymus in allata verba Psalmi : Vere, inquit, hæc vita somnus est, et divitiæ : quando enim videmur eas tenere, statim amittimus, sicut illud quod scriptum est in Propheta : Sicut cum aliquis dormit sitiens, si invenerit aquam bibit, postea cum evigilaverit ipsa sitis manet : ita sunt et divitiæ in hoc mundo, dum tenemus amittimus. » Dormiunt impii in hac vita, et ejus sitiunt res; bibunt quidem, et possident, sed quid? possidendo eas amittunt, et evigilant in morte, atque evigilando siti pereunt. Duo ergo mala habebunt, scilicet amissionem illarum statim ac eas acceperunt, et pœnam non solum amissionis, sed etiam deceptionis : sentient enim se deceptos, putantes hæc esse aliquid, cum nihil sint.

Vita hæc ejusque bona insomnium.

Mors corporis somnus et animæ vigilia est.

Sed mirandum est valde, inquit S. Gregorius lib. XVIII *Moral.* cap. XII, « quod dicitur : *Cum dormierit, aperiet oculos suos* : ut dormiamus quippe claudimus, et non cum dormimus oculos aperimus, sed cum evigilamus. Hac tamen in re quia homo ex anima constat et corpore, cum unius rei *somnus* dicitur, alterius *vigilia* demonstratur, quia cum corpus obdormiscit in morte, tunc anima evigilat in vera cognitione. Et dormit ergo dives, et oculos aperit, quia cum in carne moritur, ejus anima videre cogitur, quod videre antea contempsit; tuneque evigilat, et oculos aperit, quia quales sint res vere cognoscit. » Oculos corporis et concupiscentiæ apertissimos habet dives dum vivit, omnia attentissime circumspiciens quæ præsentia sunt; sed oculos mentis habet clausos, nolens conspicere et prospicere futura : in morte oculos corporis claudet, ideoque dicitur *dormiturus*; aperiet autem oculos mentis, et id cogetur vel invitus videre, quod dum viveret videre contempsit; id quod ex epulone illo evangelico *Luc.* XVI, 23, comprobat Gregorius, qui dormiens et mortis somnum incurrens oculos aperuit : vidit enim tunc Lazarum, quem dum viveret nunquam vidit, quamvis ad ejus januam jaceret, per quam sæpe quotidie egrediebatur et ingrediebatur; sed mortuus dum esset in tormentis vidit Lazarum; tunc aperiens oculos nihil invenit, qui nec aquæ guttulam secum tulit.

Alio quoque modo potest intelligi quod S. Job dicit : « Aperiet oculos suos, et nihil inveniet : » *apertio* enim *oculorum* in Scriptura sacra significat brevissimum, momentaneum et imperceptibile tempus; unde Apostolus, ad judicandum quam brevi tempore futura sit in judicio rerum omnium discussio, dixit I *Corinth.* XV, 52 : « In ictu oculi, » ut S. Augustinus annotavit epist. 49 *ad Deograt.* quæst. 1. Itaque idem est, *aperiet oculos*, ac si dicas : In apertione oculorum omnia illi evanescent, et inveniet se omnibus bonis spoliatum et nudum : transibit subito a grandi abundantia ad summam inopiam, et omnia derepente ex oculis

Apertio oculorum pro brevissimo tempore ponitur.

evanescent, ut in divite epulone voluit textus evangelicus demonstrare, de quo tradit *Luc.* XVI, 22 : « Mortuus est dives, et sepultus est in inferno, » ubi observat S. Augustinus lib. XIII *De Civit.* cap. XI, vim illius verbi *mortuus est*, quæ tam subitum transitum indicat, ut simul fieri et factum esse declaret. Ex eo autem quod dives hinc nihil secum auferet, nihilque ibi reperiet eorum quæ hic tenuerat, sequitur ipsum summam incursurum inopiam : non enim ibi quis invenit, nisi quod secum portaverit, neque ibi datur alicui, nisi quod ipse hinc eo prius transmiserit, ut optime D. Augustinus in *Comm. ad Psalm.* XLVIII, ostendit. Unde bene subdit S. Job :

20. APPREHENDET EUM QUASI AQUA INOPIA : NOCTE OPPRIMET EUM TEMPESTAS, — *q. d.* Sicut aqua de cœlo cadens, hominemque in agro reperiens, sic vita functum assequetur et comprehendet inopia, et opprimet eum cumulus tribulationum quasi sæva tempestas; idque *nocte*, id est insperato, cum serius erit, nec spes supererit aut effugii aut remedii : hisce verbis grandia tremendaque continentur mysteria, quæ attenta mentis cogitatione expendenda sunt. D. Gregorius lib. XVIII *Moral.* cap. XII *tempestatis* nomine divinum judicium intelligit aut mortis horam, qua divino judicio quis sistitur : hæc opprimit eum nocte, qua tempus improvisum designatur : idcirco dixit Apostolus I *Thess.* V, 2 : « Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet. Cum enim dixerint : Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. » Ipsemet Apostolus, inquit S. Augustinus epist. 80 *ad Hesych.*, quid *noctis* nomine intelligeret explicare voluit subdens : « Cum dixerint : Pax et securitas, » id est, cum minus exspectatur mors aut adventus Domini, ideoque repentinus superveniet interitus; hinc, inquit Gregorius loco citato, subdidit idem Apostolus : « Vos autem fratres non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat : omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei; non sumus noctis neque tenebrarum. » Non erant in nocte, qui attenta consideratione mortem et Domini adventum exspectabant. Nocte ergo divitem opprimit tempestas, quia advenit ei mors cum minus eam sperat, quando magis implicatus est curis hujus vitæ, et quando dicit : « Pax et securitas; » unde Pagninus hoc loco legit, *nox furatus est eum turbo*, id est, venit turbo nocte, et furatus est eum, qui nullo modo sibi a morte cavebat. Id quod, ut idem S. Gregorius loco supra citato annotat, Christus indicare voluit de quodam divite agens, qui cum nihil minus quam de morte curaret, sed totus intentus esset vitæ præsenti, quam longam sibi promittebat dicens *Luc.* XII, 19 : « Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, » etc. Tunc cum multorum annorum, inquit S. Basilius hom. 6 *in ditesc.* delicias sibi ipsi imaginabatur, subito ad eum facta est vox : « Stulte hac nocte repetent animam tuam; et quæ parasti cujus erunt? » In hujus

Vers. 20. Impii plerumque morte inopinata opprimuntur.

Impiorum pax subita tempestate turbatur.

http://www.obrascatolicas.com

confirmationem et explicationem expendit idem S. Gregorius lib. XXXV *Moral.* cap. I, quod Heliu asseruit de divitibus et potentibus agens cap. XXXIV, 20 : « Subito morientur : quamvis enim sero de hac vita tollantur, subito et repente tolluntur : quia finem suum cogitando prævidere nesciunt. Subitum siquidem est homini quod cogitare non potuit, nec cogitavit : » ita S. Gregorius.

Observa item illud : *Opprimet eum tempestas* ; in Hebræo pro *tempestate* habetur nomen סופה *suphah*, quod significat *turbinem* aut tempestatem turbulentissimam et violentissimam ex grandi vento concitatam, quomodo Vulgatus aliquando hanc vocem transtulit *supr.* cap. XXI, 18 et *Isai.* V, 28; quomodo et Pagninus hoc loco legit, *furatus est eum turbo* : accidet itaque ei sicuti Pharaoni, cujus casum elegantissime Moyses descripsit. Deo agente apertum fuit mare, et parata via, per quam Israelitæ transirent *Exod.* XV, 8 : « In spiritu, inquit, furoris tui congregatæ sunt aquæ, stetit unda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari. » *Spiritum furoris Dei* vocat ventum validum, quem Deus misit ad aperiendum mare et sternendam viam, quo flante, ut in Hebræo habetur, *coagulatæ sunt abyssi in medio maris* ; hinc apparet manifeste, inquit Cajetanus *in Exod.* cap. XV, quod ventus a Deo immissus non solum fuit ad *exsiccandum* locum maris et terram, super quam aquæ fuerant, sed etiam ad *coagulandam* aquam hinc et inde super mare. Per modum itaque congelationis aquæ steterunt tanquam muri, et acervi aquarum effecti hinc et inde super mare. Et ad exaggerationem miraculi dicitur *in corde maris*, quia coagulatio maris in superficie et ad oram naturaliter fieri potest ; sed in corde, hoc est in profundo et medio maris id fieri miraculum est. Dicitur autem ventus ille immissus a Deo *spiritus furoris ejus*, aut quia vehemens, aut quia potius ab ejus indignatione contra Pharaonem procedebat, ut B. Hieronymus censet *in Ezech.* cap. XVI : non enim tam Israelitas illo medio liberare, quam durum et rebellem Pharaonem punire intendebat : potuit namque Deus Israelitas multis modis a Pharaonis potentia liberare ; sed summe illi indignatus, hunc elegit, quo illum tanquam in muscipula et laqueo comprehenderet.

Inferitus Pharaonis est typus oppressionis impiorum.

Unde oranti Moysi, cum videbat contra se et populum Dei advenientem Pharaonem, dixit Deus *Exod.* XIV, 16 : « Eleva virgam, et extende super mare : ego autem indurabo cor Ægyptiorum ut persequantur vos : et glorificabor in Pharaone ; » et vere ita factum fuit. Ingressis enim Israelitis fugientibus, videbis Pharaonem post illos secure et sine timore mare ingredientem, et arrogantissime dicentem *Exod.* XV, 9 : « Persequar, et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea, evaginabo gladium meum, et interficiet eos manus mea. » Quis explicare valeat quanta superbia inflatus incederet Pharao ? Secum ducebat excellentiores duces exercitus, quos *electos principes* Moyses vocat, *triastas* Septuaginta transtulerunt ; quos ait Hieronymus dici apud Græcos *principes* secundi gradus post regiam dignitatem. Omnem itidem Ægypti gloriam secum trahebat : ut enim Scriptura sacra refert *Exod.* XIV, 7 « junxit currum, et omnem populum suum assumpsit secum : tulitque sexcentos currus electos, et quidquid in Ægypto curruum fuit, et duces totius exercitus. » Sed quid factum est ? quando magis se credebat securum *Exod.* XIV, 27, « reversæ sunt aquæ, et operuerunt currus et equites cuncti exercitus Pharaonis, » etc. : sicut enim cum primo jusserat Deus Moysi ut manum extenderet ad mare ad viam aperiendam, extendente Moyse manum misit Deus ventum qui aquas divideret, ut dictum fuit : ita nunc jubente Deo ut extenderet manum ad viam concludendam, « flavit spiritus ejus, » id est grandis ventus aquas concitans, impellens et acuens ; « fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ, et involvit eos Dominus in mediis fluctibus. » Tempestas scilicet valida ac violenta aquas concitans, agitans et impellens excitata fuit, qua aquæ, quæ divisæ exstiterant, fuerunt conjunctæ, viaque conclusa, ab illaque tempestate miser Pharao oppressus fuit : id enim significat involutum fuisse in mediis fluctibus, ubi omnia quæ habebat penitus vi tempestatis amisit, nec adfuit ex tot curribus unus quo se fluctibus subduceret, nec ex tot principibus, ducibus, militibus aut equis unus qui auxilio foret ; sed ubique fluctus et aquæ opprimentes ac suffocantes.

Pharaonis arrogantia et temeritas punita.

Hoc sine dubio peccatoribus accidit, qui contra Deum tanquam Pharao suis militant peccatis, signanter autem diviti avaro, de quo bene dicit Job, quod « nocte opprimet eum tempestas. » Incedit ille tanquam alter Pharao superbus, crudelis, divitiarum jactantia gloriosus, Dei pauperes persequens, et omnia sibi rapere contendens ac dicens *Exod.* XV, 9 : « Comprehendam, implebitur anima mea. » Sed quando majori se credit consistere securitate, respicit Deus, et oculos convertit ad enormia ejus facinora punienda, et ex columna suæ divinæ justitiæ emittit infirmitatem subitam et insperatam, quæ conterat currum corporis, rotas sensuum et virium corporalium, unde miser remanet attonitus conturbatusque mente ; et anima, quæ tanquam eques est, in terram cadit non valens recte discurrere, nec attendere iis quibus oporteret. Cupit jam fugere, et vitam in melius mutare, sed longa restat ei via : nam habere veram contritionem, ex animo et mente perfecte converti in Deum, difficillimum est, et singulari supernaturali opus est auxilio. Ille insuper impeditus est propter corporis currum contritum, et rotas sensuum eversas. Venit statim tempestas mortis valida, quæ undique miserum involvit fluctibus, quem omnibus quæ habebat destitutum dimittit. Bene ergo dicitur : « Nocte opprimet eum tempestas ; » simul autem « apprehendet eum quasi aqua inopia, » quibus verbis primo indicat inopiæ

Pharao typus peccatoris Deum oppugnantis.

Mors inopina obruit peccatores.

magnitudinem, quæ omni ex parte eum circumdabit et cinget : sicut enim quando tempore diluvii aqua advenit, et homines comprehendit, ubique eos cinxit et conclusit, nec tantum exterius, sed etiam interius omnia penetravit et replevit ; ita inopia miserum illum omni ex parte cinget, ut nihil penitus in ipso sit, quod non grandi inopia crucietur. Nec erit talis hæc inopia, ut ab illa possit homo liberari post diem, aut mensem, aut annum, aut saltem post mille annos, sed in æternum duratura eo modo quo dixit David *Psalm.* XLVIII, 20 : « In æternum non videbit lumen : » *luminis* enim nomine bona solent intelligi in Scriptura, sicut *tenebrarum* typo mala. Nullum igitur bonum aut solatium habebit, idque in æternum.

Vers. 21. 21. TOLLET EUM VENTUS URENS, ET AUFERET, ET VELUT TURBO RAPIET EUM DE LOCO SUO. — In Hebræo est, *tollet eum eurus* ventus vehementissimus in terra Israel ab oriente flans ; quem ideo קדים *Kadim* vocant : nam קדם *Kedem* oriens est, sive plaga orientalis. Sunt qui euronoton hoc nomine significari tradunt ; est autem calidissimus, utpote a zona torrida profectus, unde a Græcis καύσων, id est *ventus urens*, redditur, qui in illis regionibus tam vehemens est, ut etiam naves in mari perfringat, juxta illud *Psalm.* XLVII, 8 : « In spiritu vehementi conteres naves Tharsis, » ubi in Hebræo habetur *per ventum* קדים *Kadim*, sive orientalem : quocirca βίαιος, *violentus* vocatur a Symmacho *ibid.* Eo Mare Rubrum pervium reddidit Deus *Exod.* XIV, 21, et *Psalm.* LXXVII, 26, coturnices adduxit in castra Israelitarum dum in deserto essent. Dicit ergo Job fore ut impius tandem a vento urenti sive orientali abripiatur, et loco suo pellatur ; significat autem hac similitudine improbum, licet ad tempus floruerit, opibus et potentia valuerit, abreptum tamen et prostratum iri, non secus ac si ingens aliqua tempestas repente exoriatur, aut ventus, qui omnia pessumdet : turbo enim vehemens et præceps quacumque permeat, late omnia conturbat, arbores ab radicibus convellit, ingentia saxa circumactu rotat, et ejaculatur procul, navigantium vela disjicit et disrumpit, navigia ipsa contorquet, et nonnunquam in altum abripit : ita divites judiciarii turbinis incursus ad tribunal abripiet divitiis omnibus spoliatos. Quod etiam regius Vates expresse cecinit *Psalm.* LXXV, 6 : « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. » A fallacissimis divitiis nihil patrocinii sperandum esse accurate observans S. Chrysostomus hom. *in Eutrop.* : « Si unquam antea, inquit, nunc maxime licet dicere : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas*, ubi nunc inclytus ille consulatus splendor ? ubi illustres illæ faces ? ubi applausus illi ac choreæ, epulæque et festi conventus ? ubi coronæ et aulæa ? ubi strepitus urbis, et illæ circensium spectatorum faustæ acclamationes atque adulationes ? Omnia illa perierunt : procella vehemens folia dejecit, arborem spoliatam reddidit jam radicitus vacillantem : tantaque vis venti impacta est, ut cum nervos ejus universos concusserit, tum ipsam funditus prosternere minetur, » etc. Vere Job ait : « Tollet eum ventus urens, » id est, morbus vehemens, aut mors subitanea vento urenti similis cum dolore vehementissimo illum auferet de medio viventium ; et quomodo venti turbo stipulam subito gyrat, et rapit a loco suo, ac projicit in locum alterum, ita sententia divini judicii ad instar turbinis impetuosissimi impium illum auferet de statu prosperitatis temporalis, in quo ad tempus visus est consistere, projicietque « in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium, *Matth.* XXII, 13. » Recte autem mors impii vocatur *ventus urens*, quia non solum corporis humorem, sed penitus spem siccat omnem : *turbo* vero dicitur ob celeritatem ac vehementiam, qualem ventus fert contortus ac rapidus, qui arbores saxaque bene fixa convellit : de vi turbinis vide quæ dicta sunt *supr.* cap. IX, 17.

Quid per ventum urentem intelligatur.

Turbinis impetus quantus.

Mors et morbus vento urenti et turbini similis.

Vers. 22. 22. ET MITTET SUPER EUM, ET NON PARCET : DE MANU EJUS FUGIENS FUGIET. — Super impium, inquit, in profundo inferni jacentem mittet justus scelerum ultor pœnas horribiles et omnis generis tormenta, quæ hominis ingenium nec enumerare nec excogitare sufficiat, quot et quanta isthic miser sustineat : Deus enim tunc absque misericordia severissime in illum animadvertet faciens illi judicium sine misericordia ; quemadmodum ipse dum viveret noluit misereri proximorum. Quod autem ait, « fugiens fugiet, » id est fugere conabitur, sed effugere nequibit : hebræa enim verba actum inchoatum tantum sæpe significant.

Deus sine misericordia damnatos punit.

Vers. 23. 23. STRINGET SUPER EUM MANUS SUAS, ET SIBILABIT SUPER ILLUM INTUENS LOCUM EJUS. — Potentissimus autem judex Deus sic illum manibus omnipotentiæ suæ stringet, ut elabi nusquam possit aut ulla ratione effugere : adeo vero nulla super illum commiseratione movebitur, ut quasi sibilando irrideat eum complacens sibi in exsecutione severæ justitiæ suæ. Quemadmodum quoque ad impios Sapientia dicit *Prov.* I, 26 : « Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id quod timebatis advenerit : cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit : quando venerit super vos tribulatio et angustia. » Dicuntur hæc ἀνθρωποπαθῶς, id est *humano more*, nec enim risus, qui fit deducto ore, nec sannæ, quæ fiunt contracto naso, nec ira ullave passio cadit in Deum, qui incorporeus est et immutabilis. « Tu enim Domine potentissime et justissime, ait S. Augustinus lib. I *Conf.* cap. IV, stabilis et immutabilis es ; amas, nec æstuas ; zelas, et securus es ; pœnitet te, et non doles ; irasceris, et tranquillus es. » Igitur hic *risus* et *subsannatio* significat Dei grave justumque odium, quo aversatur et graviter plectit impios sui contemptores ; non quod Deus delectetur tortura impiorum, sed quod delectetur justitia justaque vindicta, qua

Quomodo Deus dicatur ridere et subsannare impios.

http://www.obrascatolicas.com

juste plectuntur scelerati : ita S. Bernardus serm. 9 *in Psalm. : Qui habitat* : « Quid ergo, inquit, in insipientium interitu Sapientiæ credimus placiturum, nisi justissimam suam dispositionem et irreprehensibilem ordinem rerum ? Sane quod Sapientiæ tunc placebit, sapientibus quoque placeat necesse est universis. » Unde Job ait : « Sibilabit super illum intuens locum ejus : » Deus enim, ut *ibid.* S. Bernardus observat, gaudet cum res quæque suo loco collocatur, ut sit ordo congruus rerum in toto universo. Locus autem piorum est cœlum ; locus impiorum est infernus. Gaudet ergo cum quisque piorum in cœlo, et quisque impiorum in inferno, loco et gradu suo pro meritis vel demeritis collocatur : gaudet enim ordine rerum, siquidem ordo est commune bonum totius universi, et consequenter singularum ejus partium.

Ridet igitur, inquit Cornelius *in Prov.* cap. I, 26, et subsannat sive exsibilat Deus sceleratos et impios sui contemptores, *primo*, dum eos hostiliter, sed juste pro meritis acriter punit, omnibusque irridendos et subsannandos objicit. *Secundo*, cum eis sua scelera exprobrat, uti immisericordiam exprobrabit impiis a se in judicii die damnandis. *Tertio*, dum de illorum justa pœna gaudet, facitque ut omnes angeli et sancti gaudeant, uti gavisuros de excidio Babylonis docet S. Joannes in Apocalypsi dicens *Apoc.* XVIII, 20 : *Exsulta super eam cœlum, et sancti apostoli et prophetæ ; quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa. Quarto*, dum eos hostibus, præsertim dæmonibus, tradit, qui illos torquendo et cruciando irrideant et subsannant. Fusius hæc vide apud Cornelium nostrum supra citatum ; et consule quæ superius diximus ad cap. XXII, 19 : « Videbunt justi, et lætabuntur, » etc. Septuaginta pro, *stringet super eum manus suas*, cum Hebræo et Chaldæo legunt, κροτήσει ἐπ' αὐτοὺς τὰς χεῖρας αὐτοῦ, *plaudet super eum manibus suis* : sicut nimirum victores peracto prælio manibus complosis lætitiam, sibilis vero victæ gentis derisum significant, cum summa voluptate pedibus suis substrata intuentes cæsa inimicorum corpora, gentemque victam, ac vinculis ad triumphum obligatam. Pro verbis autem illis, *et exsibilabit super illum intuens locum ejus*, Septuaginta legunt, καὶ συριεῖ αὐτὸν ἐκ τοῦ τόπου αὐτοῦ, *et exsibilabit eum de loco suo*, hoc est, cum irrisione sibilove pellet impium de sancto loco, scilicet ipsius Dei : quod cum sensu vulgato facile cohæret ; nimirum Deum a se cum derisu repellere, et pulsum a se cum derisu despicere, ad rem nostram prope idem est, loci, a quo impius rejicitur, et in quem projicitur, observato discrimine vel successu ; in quo est mira proportio atque connexio. Cæterum quis hunc Dei despectum non formidet ?

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Secundam hic causam recenset Job, cur adeo studuerit semper innocentiæ : quia hæc unica via est ad obtinendam veram sapientiam ; quæ licet in Dei sinu occulta, inaccessa et inscrutabilis maneat, homini tamen particula illius aliqua communicatur per sincerum timorem Dei : qua particula jubetur in hac vita contentus esse, integra sapientia fruiturus in futura Dei visione.

1. Habet argentum venarum suarum principia : et auro locus est, in quo conflatur. 2. Ferrum de terra tollitur : et lapis solutus calore, in æs vertitur. 3. Tempus posuit tenebris, et universorum finem ipse considerat, lapidem quoque caliginis, et umbram mortis. 4. Dividit torrens a populo peregrinante, eos quos oblitus est pes egentis hominis, et invios. 5. Terra, de qua oriebatur panis in loco suo, igni subversa est. 6. Locus sapphiri lapides ejus, et glebæ illius aurum. 7. Semitam ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis. 8. Non calcaverunt eam filii institorum, nec pertransivit per eam leæna. 9. Ad silicem extendit manum suam, subvertit a radicibus montes. 10. In petris rivos excidit, et omne pretiosum vidit oculus ejus. 11. Profunda quoque fluviorum scrutatus est, et abscondita in lucem produxit. 12. Sapientia vero ubi invenitur ? et quis est locus intelligentiæ ? 13. Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium. 14. Abyssus dicit : Non est in me : et mare loquitur : Non est mecum. 15. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus. 16. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro. 17. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri : 18. Excelsa et eminentia non memorabuntur comparatione ejus : trahitur autem sapientia de occultis. 19. Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, nec tincturæ mundissimæ componetur. 20. Unde ergo sapientia venit ? et quis est locus intelligentiæ ? 21. Abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque cœli latet. 22. Perditio et mors dixerunt : Auribus nostris audivimus famam ejus. 23. Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius. 24. Ipse enim fines mundi intuetur : et omnia, quæ sub cœlo sunt, respicit. 25. Qui fecit ventis pondus, et aquas appendit in mensura. 26. Quando ponebat pluviis legem, et viam procellis sonantibus : 27. Tunc vidit illam, et enarravit, et præparavit, et investigavit. 28. Et dixit homini : Ecce timor Domini, ipsa est sapientia : et recedere a malo, intelligentia.

Vers. 1. 1. HABET ARGENTUM VENARUM SUARUM PRINCIPIA : ET AURO LOCUS EST, IN QUO CONFLATUR. — Præmittit Jobus hoc nonnulla pretiosa et mirabilia, ut gradum sibi faciat ad sapientiæ contemplationem, quæ sublimissima est ; videtur autem amicos suos eleganti et vario rerum excursu velle mulcere ad veræ sapientiæ studium persuadendum. Tangit argentum et aurum, quorum alterum in modum arboris terræ visceribus infusæ e primordio uno in ramos spargitur, qui sunt similes venis in varias corporis partes a natura diductis. Alterum, scilicet aurum, locum habet suum, ætati nostræ si unquam notissimum, in orbe præsertim novo, ubi non modo in glebas terræ permixtas coit, verum alicubi purum defæcatumque in grana crescit ; quæ aurum aliud natura prius fæculentum, et arte purgatum atque conflatum puritate exæquant : quod est plane mirabile. Et quidem cohærens est explicatio de auro tam a natura puro conflato, defæcato, quam de artis conflatoriæ opere, ut oratio de mirabilibus Dei operibus vario tenore procurat, cujus scopus est ostendere multa esse in mundo arcana, quæ nulla ratione certa fieri videntur ; et tamen tandem ratione non carere comperiuntur, sed sapientiæ Dei summum nunquam posse comprehendi, nunquam homines tam alte posse ascendere. Et hæc quidem comparatio a minori ad majus ducitur, quasi Jobus diceret : Eia agite amici mei, rationem et viam inire, qua aurum et argentum lapidesque pretiosi in terræ visceribus inveniuntur, arduum quidem et difficile est ingenio humano ; verum est eo perveniri posse, sed tamen id potest jure *arcanum naturæ* appellari. En igitur res obscuras, quæ in hoc mundo cernuntur, et humano ingenio eruderantur ; sed longe aliud quidpiam est sapientia Dei, quam nemo investigando assequi potest : « Videtur mihi, inquit S. Hieronymus ad hunc locum, quod per ænigma et parabolam sub horum nominibus metallorum mores hominum et virtutes animorum describat, minime ordinis observantiam prophetarum more custodiens. *Argenti* vero et *auri* vocabulum secundum auctoritatem Scripturarum verbi eloquium et sensus animi judicare voluit. Hæc disserentes, nos ita dicamus : *Habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est, in quo conflatur.* Vena argenti, id est initium eloquii, ab animæ sensibus oritur : sensus vero aureus rationis ac sapientiæ judicio fabricatur ; et ut sit optimus, ab igne divinæ examinationis probatione conflatur. » Eodem fere sensu S. Gregorius lib. XVIII *Moral.* cap. XIV, hunc locum explicat dicens : « Hujus spiritualis auri locus non est profecto alius quam catholica Ecclesia ; et hujus *argenti vena* non est alia nisi Scriptura divinitus inspirata ; ad cujus gnomonem universa quæ corde credimus ad justitiam, aut ore confitemur ad salutem referenda sunt. »

Argenti aurique proventus qualis.

In Ecclesia est vena argenti et locus auri spiritalis.

Hujus porro mineræ locus ditior, in quo et argentum purius, et aurum invenitur pretiosius, est status religiosus, uti bene probat Alvarez noster de Paz tom. I, lib. I, part. III : Sicut enim, inquit, in venis argenti et auri aliqua receptacula inveniri solent plena metalli purissimi, quæ crumenæ metalli vocantur, in quibus auri argentive major et purior est copia quam in aliis venæ partibus, quæ metalla hæc continent lapidibus et terræ permixta : ita in hac vena veræ sapientiæ et verbi Dei, quæ est sancta mater Ecclesia, vitam religiosam et a curis rerum mundanarum avulsam reperimus tanquam metalli thecam, in qua et argentum sermonis pulchrius et efficacius gignitur, et aurum sapientiæ purius effoditur. Sapientia cor mundum amat, et mentem curis sæculi vacuam in sui domicilium requirit : scriptum est enim *Psalm.* C, 2 : « Psallam et intelligam in via immaculata ; » et rursus *Psalm.* CXVIII, 104 : « A mandatis tuis intellexi, » quia vita munda et immaculata ad divinorum custodiam mandatorum aditum scientiæ aperit, ut in abdito cordis introeat. Unde Cassianus *Collat.* XIV, cap. IX, egregie ait : « Et idcirco si scientiæ spirituali sacrum in corde vestro vultis tabernaculum præparare, ab omni vos vitiorum contagione purgate, et curis sæculi præsentis exuite : impossibile namque est animam, quæ mundanis vel tenuiter distentionibus occupatur, donum scientiæ promereri, vel generatricem spiritualium sensuum, aut tenacem sacrarum lectionum fieri. » Anima ergo religiosa mundando cordi et curis sæcularibus evacuandis intenta aptissima est, ut auro sapientiæ spiritualis ornetur. Eloquium vero ad animas movendas efficax, quod pravos affectus evellat, et bonorum operum desideria plantet, non inter curas divitiarum, inter ambitiones honorum et corporis delicias acquiritur, sed in sanctæ meditationis studio, in orationis

Status religiosus est vena auri argentique spiritalis ditissima.

Argentum eloquii mystici et aurum divinæ sapientiæ symbolum.

http://www.obrascatolicas.com

ac gemituum frequentia, in afflictione corporis et despectu omnium terrenorum comparatur : quem enim unquam vidisti cupiditatibus servientem, vanis et ineptis confabulationibus vacantem, et suis divitiis et dignitatibus inhærentem, qui verbo corda permoveat, et vitiis irretita in justorum libertatem educat? Certe nullum, quare recte dicit S. Gregorius Nazianzenus in *Sentent.* : « Aut docendi munere abstine, aut moribus vitæque probitate doce, ne alioquin discipulos altera manu trahas, altera repellas : minus tibi sermone opus erit quæ facto opus sunt facienti. Pictor non tam sermone quam penicillo atque exemplo docet. » Cum itaque religio sit meditationis domus, orationis schola, fletuum et gemituum administratrix, deliciarum corporearum aversatrix, honorum ac divitiarum contemptrix, omniumque virtutum magistra, utique cultoribus suis verbum potens administrabit; quod adjunctum operi cordium sæcularium duritiem emolliat, et ad Christi pauperis et patibulo affixi imitationem impellat. Ornatur nimirum anima in religioso statu argento et auro, quia eam vitam profitetur, cui a Domino sapientia vera, et eloquium castum et velut igne examinatum conceditur.

Vers. 2. Ferrum et æs quomodo præparentur.

2. FERRUM DE TERRA TOLLITUR : ET LAPIS SOLUTUS CALORE IN ÆS VERTITUR. — Ferrum quoque postquam dudum latuit sub terra tandem eruitur, et a scoria purgatum ad usus hominum adaptatur : similiter ex certo quodam lapide metallico in fornacem injecto vi caloris agentis æs eliquatur; hic autem lapis vocatur *cadmia* teste Plinio lib. XXXIV, cap. X et Galeno lib. IX *Simpl. medic.*; Dioscorides quoque lib. V, cap. X docet ex pyrite et lapide conflari metallum æris : vide Franciscum Valesium *De Sacr. Philos.* cap. XLIX. Sensus ergo Jobi est, *q. d.* Horum omnium, uti et sequentium mirabilium locus, materia et origo inventu sunt facilia; sed non ita sapientia : primi enim undecim versiculi hujus capitis pendent ex vers. 12, ad quem referuntur. Ex hoc autem et præcedenti patet, artem eruendi, purgandi et fundendi metalla esse antiquissimam.

Mystica quatuor metallorum expositio.

Mystice quatuor metalla prædicta sic exponit S. Gregorius, ut *argentum* sit sacra doctrina, *aurum* martyrum charitas, *ferrum* soliditas proborum, *lapis* cor durum solutum a Deo, et resonans jam ut æs verba divina : vide hæc apud eumdem pulchre ac fuse deducta et moralizata lib. XVIII *Moral.* cap. XIV-XVII. Breviter S. Hieronymus ad hunc versum : « Fortitudo, inquit, quæ *ferri* nomine appellatur, est, qua terram, id est carnis nostræ malitiam, in nobis tollimus, *lapidis* quoque nomine cordis figuratur durities, quæ per calorem et fervorem fidei resoluta mollescit, ut primum possit in se verba scribentis recipere : deinde velut in *æs*, quod canorum est, merito sanctitatis proficiens, ad laudes et gratias Deo offerendas fidei soliditate proficiet; » hoc autem totum fit igne excandescentiæ et corruptionis ardore, quo durus ut lapis peccator in æs sonorum liquatur. Vides igitur quot mala auferat ignis ille artificialis, quot bona introducat; proinde si desit animadversionis flamma, et impura non purgabuntur, et inchoata non perficientur; frigida non calefient, dura non liquefient, aspera non lenientur, neque quid boni poterit in rebus humanis reperiri. *Ferrum* itaque *de terra tollitur*, quando ex molli et imbecilli homine Dei gratia fit vir ad virtutis arduitatem superandam robustus; *et lapis solutus calore in æs vertitur*, quando ex duritie cordis lapidea, Spiritus Sancti ardore liquescens, fæcibus culpæ secretis atque rejectis, novo Dei robore ad labores duratur atque fulcitur.

Ignis utilitas maxima.

Vers. 3.

3. TEMPUS POSUIT TENEBRIS, ET UNIVERSORUM FINEM IPSE CONSIDERAT; LAPIDEM QUOQUE CALIGINIS ET UMBRAM MORTIS. — Deus, inquit, certum et determinatum *tempus constituit tenebris*, hoc est metallis aliisque rebus in tenebris latentibus, quamdiu latere et occultari pro qualitate et exigentia naturæ suæ debeant, donec ea certis indiciis prodit, ut ad utilitatem hominum, propter quos facta sunt inferiora omnia, in lucem producantur : ipse quoque finem et consummationem omnium rerum istarum considerat, exacte sciens quando et res ipsæ in genere suo perfectæ, et quamdiu duraturæ sint. *Lapidem quoque caliginis*, id est gemmas et lapides pretiosos in densissimis et profundissimis tenebris ac subterraneis terræ visceribus quasi in umbra mortis absconditos videt Deus, et suo tempore eruderat, et profert in lucem : ita Olympiodorus. Duo in primis consideranda sunt data a Deo tenebris et umbræ mortis, nimirum et pretiosa quæque sive auri, sive lapillorum, aut margaritarum in orientis occidentisque latebris abstrusa, et simul incolarum animæ, non abs re ob ignorantiam et errorum caliginem vocatæ *lapides caliginis* et *mortis umbræ*. At nec lapillorum pretiositas, nec Indorum illorum animæ perpetuis erant tenebris occultandæ; sed Deus eorum tenebris terminum posuerat, et infinita sapientiæ suæ vi ordinarat, quando sedentibus in regione umbræ mortis lux veritatis apparitura erat. Non disjungit in sua consideratione Dominus tempus adducendi in lucem auri lapillorumque pretiositatem et animas Indorum; sed simul ut a radicibus montium, a cubilibus draconum dedit posse trahi in lucem orientales occidentalesque divitias; dedit etiam ab umbra mortis et densissimis ignorantiæ tenebris revocari posse animas Indorum, et ad veri Dei fidem et agnitionem adduci. Sequitur :

Deus certum tempus constituit, quo res pretiosæ laterent et in lucem proferrentur.

Simul cum auro Indi e tenebris ignorantiæ Dei educti.

Vers. 4.

4. DIVIDIT TORRENS A POPULO PEREGRINANTE EOS QUOS OBLITUS EST PES EGENTIS HOMINIS, ET INVIOS. — Alicubi, inquit, torrens separat incolas a peregrinis, facitque terram inviam, ita ut egentes et mendici, qui omnia pervagantur, eo non transeant, *q. d.* Licet hi populi aliis hominibus exteris incogniti sint, Deo tamen optime noti sunt, qui aliquando iter ad eos pandet, ut fecit hoc sæculo in

Maria et torrentes separant regiones.

Indias peruanam et mexicanam. Hic locus in Hebræo valde intricatus est, et diversimode illum varii interpretantur, ut videre est apud Stunicam : potest autem sic verti, *erupit torrens a peregrinante*, quem torrentem merito confert Hugo cardinalis cum torrente sapientiæ, quippe inter quærendas abstrusas orientis occidentisque divitias sapientiæ christianæ torrens erupit a populo peregrinante, nimirum populo Hispano et Lusitano in illis regionibus peregrino et adventitio, qui fidei notitia discernit et dividit regionum incolas, eos nimirum, quos oblitus est *pes egentis hominis*, hoc est pes apostolorum pauperum; de quibus Isaias ait cap. LII, 7 : « Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem! » vel, ut ex Hebræo legit cum Procopio et Eusebio Leo Castrius, *annuntiantis et prædicantis Jesum*. Hi pedes quasi obliti sunt Sinas, Japonios, Peruanas et alias remotissimas et pene inaccessas regiones præcipue pauperibus hominibus : quis enim spiritu pauper indagasset prima auri divitiarumque incunabula? et quis censu pauper posset pervenire ad illas regiones, ad quas non sine ingenti sumptu in navibus comparandis pervenitur? etenim ubi tantum fuit *pes pauperis*, oblivioni datæ sunt remotissimæ orientis occidentisque regiones; at ubi pes divitum cœpit apparere, hoc est, ubi Hispani et censu et animo et cupiditate divites apparuere, cœperuntque mundi thesauros investigare, omniaque naturæ repagula revellere, indomita maria domare, draconum cubilia versare, terræ viscera scrutari, et solis cunas et sepulcra lustrare, statim a peregrinante hoc populo per mundi extrema christianæ sapientiæ torrens exundat, qui cum auro et gemmis animas simul Indorum eruit a mortis umbris, ita ut non pervenerit auri cupiditas, quo non etiam simul ingens Dei sitis, ac salutis animarum zelus penetrarit.

Torrens divinæ sapientiæ a populo peregrinante erupit in Indiam.

Hispani dum aurum quærunt, in Indias filem veram invenit.

Huc forsan spectat illud *Gen.* II, 11, ubi de fluviis paradisi dicitur : « Nomen uni Phison : ipse est qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum. Et aurum terræ illius optimum est, ibique invenitur bdellium et lapis onychinus : » nec mysterio vacat, quod de solo hoc fluvio locutus Moyses notet divitias regionis, quam rigat; de aliorum regionum fructibus prorsus sileat. Et cur de aliis silens hujus regionis notat divitias? Phison idem est quod *os mutationis* sive *alterationis*, quo significatur genita Dei sapientia, nimirum ejus Filius, potens verbo virtutis suæ omnia ad se vocare et convertere; unde merito notantur ab hoc jam flumine rigari omnes regiones auriferæ et pretiosorum lapillorum productrices, ne putetur posse avaritia hominum pervenire ad locum, e quo torrens ille christianæ sapientiæ non exundet. Non multum ab hac explicatione discrepat D. Anastasius Sinaita lib. VIII *in Hexaem.* dicens : « Dei Filius dicitur *Phison*, qui est os Patris, et mutavit genus nostrum a corruptione in incorruptionem, et circuit et custodit omnem terram

Phison quid significet.

Phison typus Filii Dei.

Hevilath : quamobrem subdidit dicens de hac spiritali Hevilath, quod illic est aurum, » etc. : ex quo enim aurum et gemmæ orientis venerunt in notitiam, simul apparuit sapientiæ divinæ fluvius regiones rigans in fructus vitæ; nec potuit avaritia humana eo duci, quo non simul christianæ fidei scaturigo perveniret. Præclare notabat Plinius : « Imus in viscera terræ et in sedes manium, opes quærimus, illæ nos ad inferos agunt : » hæc ille in *Proœm.* lib. XXXIII; et deinde cap. IV ubi agit de naturali ratione inveniendi aurum : « Eo tendit avaritiæ ardor, ut nihil immotum maneat, dum aurum innotescat, ipsos altissimos montes excavat, reversat, naturæ leges evertit, sollicitat manium sedes, inferos ipsos pulsat, imo et premit. » Et quis affectus hunc avaritiæ ardorem superabit? unus sane affectus amoris in Filio Dei erga suos homines reperitur, qui avarorum in quærendo auro ardorem longe excedat, siquidem illorum furor ipsamet terræ viscera rimatur naturæ repagula rumpens, et pene ad sedes manium et inferos ipsos penetrat, ut aurum inde extrahat. Ast Dei nostri amor e cœlo descendens in terris visus est, imo in corde terræ abditus inviolabiles tartari leges evertit, vectes ferreos confregit, tenebrosis inferorum spelæis lumen intulit, ut sibi inde acquireret hominem qui perierat; id quod apud Ecclesiasticum cap. XXIV, 45 clamat incarnata Sapientia : « Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino. » Nunquam avaritiæ ardor pervenit eo quo pervenit Dei Filius; ut hominem quærat, penetrat viscera terræ, vere it in sedes manium, et evacuat ipsas inferorum sedes, naturæ repagula et leges evertens.

qui sapientia sua irrigat terram auriferam.

Christi zelus animarum superat avarorum amorem divitiarum.

De hoc divini amoris ardore ait Jonas cap. II, 6 : « Pelagus operuit caput meum, ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me, » ubi Glossa notat : « In Christo homine quasi caput fuit anima, quæ descendit ad inferiora loca, ubi animæ hominum sub diaboli potestate tenebantur : isti sunt *vectes*, qui prohibent animas ab inferis exire; hos vectes frangit Dominus, et eos qui clausi tenebantur liberat. » O divinissima Dei nostri avaritia, non pro auro, sed pro homine suo acquirendo penetrat omnes inferiores partes terræ, nigris tartari spelæis lumen primus invehit, omnia evertit repagula, extrema montium pulsat, atque inferorum sedes evacuat. Nescio si huc respiciat Isaias dicens cap. XI, 8 : « Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis; et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet : » erat apud veteres tritissima et receptissima persuasio, scilicet spelæis, ubi aurum gignebatur, dracones et serpentes venenatissimos incubare; neque adeo evidens periculum potuit ardorem avaritiæ restinguere, quo minus horrendos terræ hiatus de draconum veneno suspectos intrarent homines, ut inde divitias eruerent. Quantum hoc ad Dei nostri amorem? qui innocentia

Christus animarum nostrarum siti tractus descendit ad inferiora terræ.

http://www.obrascatolicas.com

infans aspidum foramina ludibundus intravit, ut detentos ibi sanctorum spiritus liberaret. Rem ita pulchre depingit D. Damascenus orat. *in Sabb. sanct.* dicens : « Natus datusque nobis puer, in foramen aspidum descendens vexat, interimit, perdit arrogantem illum magnaque jactantia insolescentem. Nunc inferorum sedes cœlum quoddam efficitur : infima terræ luce complentur, cæcisque visus restituitur. » Nullum draconum cubile, nullum aspidis foramen tam horridum avaritia sollicitat, ut aurum inde extrahat, quo longe horribilius Dei Filius non sit ingressus, ut lucem suam ipsis inferorum tenebris invehens captivum hominem liberaret. Remotissima et inaccessa orientis et occidentis claustra perrupit hispana avaritia, ut de montium visceribus, de præruptis, de spelæis draconum, de aquarum abyssis aurum eriperet, et gemmas ac lapillos pretiosos erueret; sed dum ad inaccessas nationes auri causa peregrinantur Hispani, cœlestis doctrinæ copiam remotissimis illis nationibus refundunt. Et visus est erumpere fluvius de fontibus Salvatoris inter eos, quos solus ditescere cupiens animus invisit, uti ingeniose Baeza noster speculatur lib. XVI, cap. XIV.

Auri sitim aitis animarum comitatur et superat.

Vers. 5. 5. TERRA, DE QUA ORIEBATUR PANIS IN LOCO SUO, IGNI SUBVERSA EST. — Septuaginta vertunt, γῆ ἐξ ἀυτῆς ἐξελεύσεται ἄρτος, ὑπεκάτω ἀυτῆς ἐστράφη ὡσεὶ πῦρ, *terra ex ea egredietur panis, de subtus ea versatum est sicut ignis*; Græci vel de insito calore ad procreandas segetes apto accipiunt, vel priorem partem de terra frugifera, secundam de sulphurea; S. Augustinus reddit hoc modo, *terra, de qua egressus est panis, et eam incensurus est.* Significat terram fertilem et frumenti feracem temporis progressu reddi sterilem et adustam; aut eadem terra, quæ superne frumentum profert, inferne sulphurea est et ignea, ac proinde sterilis et infrugifera, ut sensus sit : Sub terra, e qua frumentum egreditur, versus est locus, ut sit igni similis, hoc est igneus, aut sulphureus. Non modo lapidem caliginis et aquam occultissimam, sed etiam ignem absconditum et latentem Deus in lucem evocat; quod factum fuisse constat, quando Deus in vindictam nefandi peccati pluit ignem et sulphur de cœlo super Sodomam et Gomorrham, quo terra illa prius frumenti rerumque omnium feracissima plane subversa et sterilis effecta fuit : idem quoque aliis ex causis fieri compertum est, ut cum terra uberrima et panis feracissima igni ex ea orto subvertitur, et tota sterilescit. Quod naturaliter fieri potest, si terra fuerit cavernosa, et sulphur intrinsecus alat, ac ventorum flatibus pateat : ventus enim cavernis inclusus diu colluctatus concipit ignem, quem subito erumpere necesse est, et agrum vastare ac sterilem efficere, quemadmodum superioribus hisce annis cum magno vicinorum damno contigit Vesuvio et Ætnæ montibus, e quibus cum ingenti fragore erumpentes flammarum et cinerum gurgites vicinos longe lateque agros subverterunt, et multis pagis oppidisque vastitatem intulerunt. Sanctius noster juxta superiorum versuum explicationem ait hic ostendi alium modum, quo Deus aperit latentes in terræ visceribus thesauros : ut enim aquis utitur torrentibus ut terram excavet, et inde metalla pretiosa nitentesque lapillos effodiat; et ventis, ut terra gravi concussa motu suas humanis oculis divitias ostentet : sic etiam igne, qui ubi silvas corripuit, suo ardore liquefecit metalla, quæ ab illius calore soluta defluxerunt non secus atque aquarum rivuli, ut de Pyrenæis montibus tradit Diodorus lib. VI; unde noverunt homines metallorum ibi latere venas, quas deinde variis modis scrutati sunt : quare terra frumenti ferax, et agricolarum vomere ante subacta, ab igne subversa, non jam frugum extulit, sed auri argentique proventus. Unde sequitur :

Terra interdum subito igne subvertitur et sterilescit.

Deus diversis modis latentes in terra thesauros prodit.

Vers. 6. 6. LOCUS SAPPHIRI LAPIDES EJUS, ET GLEBÆ ILLIUS AURUM. — Rationem reddit cur terra illa frumenti minus ferax facta sit, quia nimirum in istiusmodi locis processu temporis virtute nimii caloris atque flammarum ardentium terra nimis induratur, ita ut inter alios nullius pretii lapides jam illic generentur sapphiri aliique lapilli pretiosi, qui per caloris vehementiam isthic decoquuntur; atque ex eadem causa glebæ illius antea tritici feraces nunc in auri massas indurantur, ita ut possit ex iis aurum eliquari. Unde hominum ardens avaritia non sinit agros illos agricolarum operi servire, cum a sapphiro atque auro major quam ab alia quacumque semente possit sperari proventus : videmus enim terras agricolarum usibus quondam opportunas, metallorum purgamentis et cineribus plenas, quas neque vomer subigit, neque carpunt armenta. *Sapphirus* autem gemmarum præstantissima atque pulcherrima est, neque nisi in terra quæ sit auri ferax reperitur. *Glebæ* vero illius loci ubi sapphiri generantur dicuntur *aurum*, quia nempe in iis aurum concrescit.

Terra aurifera et gummifera cur sit frumenti minus ferax.

Habet autem sapphirus nomen a pulchritudine, nam ספיר *saphir*, ut doctissimus ait Hieronymus, hebræo syroque sermone *pulchrum* sonat; effecit quoque sapphiri eximia formositas, ut olim *gemma gemmarum* diceretur, ut notat Abulensis *in Exod.* cap. XXVIII, quod ejus decus lapidum aliorum splendorem atque dignitatem superare videretur. Species autem colorque sapphiri est ejusmodi, ut perspicue sacrorum hominum vitam ante oculos subjiciat, est enim cærulei coloris gemma, quæ serenum cœlum repræsentet, ut e sanctis litteris colligimus *Exod.* XXIV, aureis guttis interstincta, scintillante lumine, ut cœlum te videre putes fulgentibus stellis aptum et distinctum; hinc Theophrastus sapphirum nominat χρυσόπαστον, *aureis notis variatum*, ut intelligamus sacros homines cœlestem agere vitam oportere virtutibus undique radiantem. Præterea videmus antiquissimis quoque temporibus hanc multis nationibus mentem fuisse injectam, ut sapphirum eximium quiddam, sacrum et augustum putarent : « Supremam, inquit Rueus lib. II *De Gem.* cap. II, olim

Sapphiras gemmarum præstantissima qualis conditionis sit.

sapphirum apud homines auctoritatem habuisse et apud divos gratiam ipsa perhibet antiquitas : » dicit *apud divos*, quod tum gratum atque jucundum esse numinibus sacrificium opinarentur cum offerretur in sapphiro. Quin et multi prodiderunt ea gemma et imperium summum et sacerdotium significari, quod primum a sacris Ægyptiorum litteris profectum ad alias gentes manavit; hinc ortam esse consuetudinem volunt, ut purpuratis patribus recens in numerum cardinalium ascitis summus Pontifex sapphirum mittat, ut constet eos Ecclesiæ esse principes, sacerdotio insignes, fundamenta sanctæ civitatis, totos sapphirinos cœlestesque esse debere, cum apostolorum gradum excipiant; quos ut aureos æthereosque sapphiros in Ecclesiæ fundamentis posuit Isaias, cap. LIV, 11.

Sapphirus quid tropologice.

Tropologice sapphirus celestia desideria significat. Locus autem, hoc est animus, ubi ea desideria generantur, auri, id est sapientiæ spiritualiumque divitiarum ferax est. Versum hunc noster Alvarez de Paz tom. I, lib. I, part. II, cap. XXIX, ita pulchre applicat viro religioso dicens : Eras in sæculo, o religiose, terra si forte non sterilis et infrugifera, sed ad summum de qua oriebatur panis, quia aut bonis temporalibus abundabas, aut nobilitate fulgebas, aut scientia et litteris splendebas : hæc tibi apud tuos aliquem honorem, nonnullam laudem afferebant, sed divini amoris igne concepto veluti fuisti subversus, dum hæc omnia, quæ mundus amat et veneratur, tanquam vilissima stercora pessumdedisti, et abominatus es. Jam divitias in paupertatem convertisti; jam aut nobilitatem ingenitam, aut dignitatem industria quæsitam pro vilissimis religionis obsequiis vendidisti; jam copiosas bibliothecas, et jurisperitiam vel alterius scientiæ usum pro simplici libello ad movendum affectum edito, et pro fletu et compunctione commutasti. Igni subversus es; lætare tamen, quoniam veniet tempus, et prope est, quando locus sapphiri lapides tui, et glebæ tuæ aurum, quando scilicet mundanis ruderibus hujus splendoris effossis, et jacto supra petram cordis tui humilitatis fundamento, *sapphiri*, id est sapientiæ cœlestis, et auri, hoc est charitatis et omnium virtutum structura consurget. Tunc non apud tuos tantum, sed apud universos in honore et admiratione eris, et quod optabilius est, ipsum honorem et admirationem contemnes; tunc eris utilis et fructuosus non paucis hominibus, qui ex tuo splendore pendebant, sed universæ Ecclesiæ Dei, quam sanctitatis exemplo, orationis vigore et verbo prædicationis juvabis. Sic ille.

Status religiosus reddit hominem auri gemmarumque spiritalium feracem.

Vers. 7. 7. SEMITAM IGNORAVIT AVIS, NEC INTUITUS EST EAM OCULUS VULTURIS. — Explicat quam abstrusus sit locus ille, in quo sapphiri et alii lapides pretiosi, aurumque ac metalla generantur atque proveniunt, ut ipsis etiam avibus ignotus sit, atque adeo ne vulturi quidem, visu alioquin perspicacissimo, et odore sagacissimo, aditus ad eum patet. Allegorice Jesus lapis est sapphirus ab auri-fera B. Virginis terra ortus, adeo occultus et inter peccatores latitans, et persecutionum nubibus obductus, ut ad semitam ejus, id est ad ipsius imitationem, oculatissimi et pennati sapientes hujus sæculi, qui et remotissima divinare solent, minime pertingant : qui enim more volucrum famelicarum ad pastum inhiantium ad terræ delicias anhelant, ignorant loca deserta, ubi a solitariis contemplatoribus aurum sapientiæ et sapphirus cœlestium desideriorum invenitur. Non sine mysterio quoque nominavit *oculum vulturis*, quo carnales designantur, ea enim avis, quæ oculos vulturis habet, nequit semitam aquilæ aut nosse aut sequi : ita carnalis homo licet avis sit propter pennas vanæ gloriæ, elationis et superbiæ; quia tamen oculos vulturis habet, ad volatum spiritalem minime potest ascendere, nec ad sapphirum cœlestium desideriorum pervenire. Sunt enim vultures avidissimi terrenorum et carnalium ciborum, ita ut dicat Epiphanius in *Physiol.* cap. VII voraciores esse cunctis avibus, adeo ut quadraginta diebus continuis se cibo invento ingurgitent; et Plinius lib. X, cap. VI ait vultures biduo triduove ante congregati ubi futura sunt cadavera, adeo eorum sunt avidissimi; unde et Martialis dixit :

Aurum sapientiæ et desiderium cœleste non invenitur a carnalibus hominibus.

Vultur rum mira voracitas.

Cujus vulturis erit hoc cadaver?

Et Origenes hom. 7 *in Levit.* propterea prohibitas has et similes aves asserit, quia illis semper mortuorum corporum cibus est, et ex mortuis cadaveribus vivunt; qui ergo oculos habent vulturis, ad immunda scilicet morticina et terrena intentos, quantumcumque ad volatum superiorem et spiritualem invitentur, provocentur et alliciantur, semitam prorsus ignorantes ad ima sese dimittunt et convolant.

Christus est sapphiro similis carnalibus occultas.

Auri et gemmarum locus abstrusus.

Vers. 8. 8. NON CALCAVERUNT EAM FILII INSTITORUM, NEC PERTRANSIVIT PER EAM LEÆNA. — *Institor* est quem mercator negotiationi præficit, cujusmodi sunt ii qui tabernis a mercatoribus præponuntur, et quibus merces vendendæ mandantur, qui avidissimi sunt, quia in ipsa lucri cupiditate assidue versantur : quare res eas diligentissime odorantur et scrutantur, in quibus uberrimum quæstum facere possint. Quamobrem apte ne istiusmodi quidem homines *semitam* illam *sapphiri calcare* dicit, ut abditissimam esse significet, satis rem abstrusam exaggerans, quam scilicet institores (quibus nihil inaccessum urgente avaritia vel impervium) non agnoscant, horum videlicet oculi vulturis acie perspicaciores sunt; quibus apte leæna prædæ cupidissima conjungitur, quam per sapphiri semitam non irrumpere Jobus ait, ut locum volucribus, reptilibus et hominibus incognitum innuat. Versus hic cum præcedenti arcane notat locum sapphiri, ubi cœlestia desideria coalescunt, prudentibus mundi, qui sunt vultures visu perspicaces; avaris, qui sunt institores; sanguinariis,

Institor quis.

Cœlestia desiderium mundi prudentibus.

http://www.obrascatolicas.com

tibus, avaris et immitibus ignotum.

sive immitibus, qui sunt leænæ sive leones, esse inexploratum. Discamus igitur, quamvis ingenium nostrum sit idoneum ad discernendum hic inferius ea quæ ad vitam terrenam spectant, non tamen inde sequi ut possimus ad cœlum usque ascendere, et arcana Dei consilia penetrare; sensu denique et cerebro nostro ea quæ Deus apud se occulta esse voluit includere. Denique omnia quæ vitam æternam spectant sciamus captum nostrum superare, et oportere ut Dominus operetur in nobis, et quidem supra ordinem naturæ, nec nos illuminet duntaxat quatenus homines sumus, sed det nobis lucem novam, quæ nobis est abscondita, quia promanat a Spiritu Sancto, et ordinis est naturæ captum transcendentis.

Vers. 9, 10 et 11.

9-11. AD SILICEM EXTENDIT MANUM SUAM, SUBVERTIT A RADICIBUS MONTES. IN PETRIS RIVOS EXCIDIT, ET OMNE PRETIOSUM VIDIT OCULUS EJUS. PROFUNDA QUOQUE FLUVIORUM SCRUTATUS EST, ET ABSCONDITA IN LUCEM PRODUXIT. — His versibus Jobus Dei sapientiam potentiamque commendat, ipse enim ubi visum sibi fuerit manum potentiæ suæ ad petram aut rupem durissimam extendit, facitque ita dissilire montes, ut etiam radicitus corruant, fiantque hoc modo loca pervia quæ ante erant inaccessa, possintque calcari a peregrinis; ut quæ in iis latebant abscondita multa naturæ mirabilia cognoscant, et in hominum usum plurima inde eruant opportuna. Nonnunquam quoque Deus cernens loca aquis destituta, per media saxa, quod homines ne suspicari quidem possent, rimas agit, et aquam multis divortiis ducit, terrasque fœcundat, simulque pretiosa metalla detegit : modo etiam imos fluminis alveos nudat, ut gemmas revelet; vel certe homines instruit, ut se in profunda demergant, margaritasque scrutentur, et in lucem proferant.

Deus occultissima quæque cum volverit in lucem profert.

S. Joannes Christum lapidem pretiosissimum mundo indicavit.

Allegorice Baeza noster lib. XIV, cap. I, hæc de S. Joanne Baptista Christum veluti sapphirum nobis manifestante sic explicat : Joannes, inquit, est is, qui dum Christus veluti lapillus pretiosus latitat, ad silicem extendit manum suam, hoc est ad duritiam gentium suæ prædicationis brachium extendit, et fecit peccatorum montes a radicibus commoveri; dumque ad fluviorum ripas baptismum pœnitentiæ prædicat, fontisque christiani præfert dignitatem, omne pretiosum videt oculus ejus, et facit ut abscondita vitæ semita appareat, et Christus velut lapis pretiosus affulgeat credentibus : Joanni etenim debemus, quod abstrusus Jesus appareat, et salutiferi fontis vena prosiliat. In quem apto verba Ruricii episcopi lib. I, epist. 3 *ad Hesp.* sic scribentis : « Te elicitorem et formatorem lapillorum nobilium et rimatorem auri, te repertorem aquæ latentis elegi, qui sciret abstrusas lapidibus gemmas propriæ reddere generositati : quæ utique in tanta rerum confusione amitterent nobilitatem, si indicem non haberent : aurum quoque arenis vilibus mixtum, nisi artificis solertia lavetur aqua, ignibus eliquetur, nec splendorem poterit retinere, nec meritum. Septas etiam aquarum venas, et obductum terra fluenti alveum, nisi diligentius eruderaverit apparitoris industria, laticis unda non fluet. » Hæc ille, quibus nos beneficia a S. Joanne in mundum profecta noscimus decantata : ipse primus salutiferi fontis venas indigitavit, et inter vivida fluenta pretiosissimam gemmam, inter turbarum confusionem pene ignobilem dum indicat, antiquæ reddidit generositati; ipse verum aurum cœlestium bonorum ab arenis mundialium libidinum discretum ostendit, et universas virtutum margaritas pretiososque lapillos ab aquarum fluentium gurgite nobilis urinator extraxit.

Vers. 12. Sapientia vera res obscurissima est, nec in terra reperitur.

12. SAPIENTIA VERO UBI INVENITUR? ET QUIS EST LOCUS INTELLIGENTIÆ? — Totum hoc caput in hac sententia explicanda et ornanda versatur; ornavit autem illam ex rebus dissimilibus ita ratiocinando, *q. d.* Res occultissimæ et abstrusissimæ in terris reperiuntur, sapientia vero in tota terra non reperitur; quare rebus omnibus quæ in terra sunt occultior et pretiosior exsistit : cum itaque in terris non inveniatur, in cœlis quærenda est, quod nimirum hominibus præ cunctis rebus aliis sit magis necessaria. Id quod poetæ philosophi intellexisse videntur, in fabulis suis tradentes Prometheum, ἀπὸ τῆς προμηθείας, id est *a providentia*, sic dictum, cum ignis ad homines informandos in terris inveniri non posset, auxilio Minervæ cœlum ascendisse, faculaque in sole accensa nonnihil luminis ad homines, quos e luto fecerat, absolvendos perficiendosque detraxisse. Cujus rei fabulam multis Plato in *Protag.* prosequitur; multis etiam in toto *Menon.* disserit, nullos in orbe terrarum virtutis, quam vera sapientia postulat, esse magistros. Lumen autem est (ut ad fabulam revertamur) sapientia, quo lumine animus illustratur, et homines terreni informantur, ut ipse Plato interpretatur : quæ si e cœlis non sit delapsa, nusquam in terra reperietur; id quod Plato his verbis in fine *Men.* concludit : Ἀρετὴ ἂν εἴη οὔτε φύσει, οὔτε διδακτόν, ἀλλὰ θείᾳ μοίρᾳ παραγιγνομένη ἄνευ νοῦ οἷς ἂν παραγίγνηται, *virtus neque est nobis natura insita, neque doctrina comparata, sed divina quadam sorte nobis tributa sine mente ejus in quo sit.* Forte Plato cum *sine mente* dicit, illud significavit quod D. Augustinus in definienda infusa virtute ponit, quam Deus in nobis sine nobis operatur. Docet igitur in hoc reliquo capite Job *primum* sapientiam in terra non esse, quare qui tantum terrena sapiunt minime sapientes esse possunt; *deinde* sapientiam longe pretiosiorem esse rebus omnibus quæ in terra pretiosæ habentur; ac *tertio* soli Deo per se vique sua notam esse, ab eoque esse petendam; *quarto* denique, in quo posita sit vis sapientiæ. Ante omnia autem prudenter inquirit ubinam sapientia inveniatur, et quis sit locus intelligentiæ : neque enim est mediocris sapientia scire, unde sapientia ipsa peti et hauriri possit; quod ut sciatur, tenenda est primum via negationis,

Fabula Promethei ignem sapientiæ symbolum e cœlo deferentis.

Via negationis

aptior ad res obscuras investigandas.

quam in rebus occultis, maxime divinis investigandis aptiorem ac veriorem esse docet S. Dionysius lib. *De Cœl. Hier.* cap. II, et alibi passim. Ut ergo Job certior via et ordine sapientiæ locum investigaret, prius edisserit ubi non sit, quam ubi sit.

Vers. 13. Vera sapientia pretium inæstimabile.

13. NESCIT HOMO PRETIUM EJUS, NEC INVENITUR IN TERRA SUAVITER VIVENTIUM. — Loquitur hic Job de vera sapientia, in qua nostra sita sit beatitudo, scilicet tam de sapientia increata et æterna, quæ est ipse Deus primus totius scientiæ et sapientiæ fons, quam de creata nobis ab ipso infusa, qua eum cognoscimus, amamus, colimus, et quæ recta sunt juxta ipsius voluntatem peragimus. Utraque, inquit, adeo pretiosa est, ut nesciat homo pretium ejus, quia, ut dicit D. Gregorius lib. XVIII *Moral.* cap. XXII, non habet pretium, nec digne æstimari potest : est enim inæstimabilis, et omnibus pretiosis infinite pretiosior, nec propriis viribus, meritis vel industriis aut ullis bonis temporalibus potest emi, acquiri aut inveniri. Peculiariter vero enumerat quædam loca, in quibus si quæratur non invenietur, quæ fere videntur coincidere cum locis a sponsa commemoratis *Cant.* III, 1, dum cœlestem sponsum, qui Sapientia est æterni Patris, quæsivit, et non invenit, dicens : « In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea; quæsivi illum, et non inveni; » et quare non invenit? quia, ut Job ait, « non invenitur in terra suaviter viventium, » nec a quærentibus eum in lectulo suo, quod idem est. *Lectulus* enim est locus quieti et deliciis deputatus; quo sensu Amos propheta cap. III, 12, regiones opulentas, in quibus Judæi tranquille et jucunde requiescebant earum fruentes bonis, vocat *plagam* seu *regionem lectuli* et *grabatum Damasci* : id nimirum unicuique hominum est lectulus, in quo suam quærit requiem, et quod sibi præfigit tanquam finem et beatitudinem, in qua tanquam in suo centro quiescat. Qua ratione cupidis lectulus sunt divitiæ, ambitiosis honores et dignitates, carnalibus voluptates; in eo tamen nec Deum nec veram beatitudinem reperire possunt, quia cuncta hæc longissime distant a vero ultimo fine; nec veram requiem et satietatem tribuere queunt, quia cum anima æternæ sit durationis, hæc autem tempore consumantur, necesse est, si illa solum quærit, in æternum manere miseram. Profecto actuosa illa sapientia, quæ digito monstrat quanti caduca quanti sint æterna, non reperitur in ædibus, quas abundantia et opulentia beant, ubi bacchanalia vivere quotidiani moris est : hic abundantiæ et opulentiæ incuria, stultitia, insania, cognatæ deæ semper sunt proximæ. Enimvero quid stultius, quam rerum vilissimarum lucro lætari, et æterna bona perdere? S. Gregorius in hunc locum id asserens : « Tanto, inquit, verius stulti sunt, quanto majora perdentes in minimis lætantur. »

In molli et suavi vita non reperitur Dei sapientia.

Lectulus symbolum quietis et voluptatis.

Qui terrena sapiunt

Hominibus itaque notio veræ sapientiæ denegatur, illis videlicet qui tantum homines sunt, qui terrena sapiunt, qui nihil sublime, nihil supra id quod videtur oculis, et percipitur sensibus, æstimant; nec invenitur apud eos qui suaviter vivunt, qui nimirum suis desideriis parent, rerum suavium appetitionibus delectantur, et in nullo sibimetipsis contradicunt : « hanc enim divinam Sapientiam, inquit S. Hieronymus ad hunc locum, non habet quisquam, nisi carnem suam crucifixerit cum vitiis et concupiscentiis; nisi vixerit ut Paulus apostolus et omnes sancti in tribulationibus, persecutionibus, angustiis et pressuris. Et ideo *suaviter* sunt dicti *vivere* illi, qui nullo jugo disciplinæ tenentur, et effrænes ac præcipites in labem prorumpunt vitiorum. » Ab his abscondit se virtutis sapientia, quam mundi sator opifexque Deus in arduo sitam esse voluit, unde illius formæ nitor et pulchritudo illustrius rutilat, ad nostram potenter exstimulandam et commovendam atque incitandam voluntatem. Quæ enim formositate sunt eximia, dignitate prima, salutaria usu, læta et jucunda, eo vehementius generosum animum ad potiundum solent incendere, si difficultatibus obsepta via est atque intercluса : sic longe amabilius gratiusque videri solet lilium inter spinas, rosa inter aculeos, margarita in ostreo, in glareis aurum, in meta bravium : omnium enim quæ labore et studio exquisito parantur longe dulcior est fruitio, et voluptas inde major liquidiorque percipitur.

non capiunt cœlestem sapientiam.

Virtutis sapientia in arduo sita.

Duo poetæ longe antiquissimi et judicio magno instructi virtutem in arduo jugo et horrenti posuerunt, et hinc inde viam omnem sudoribus implerunt; sunt illi Hesiodus et Pindarus, qui suavibus inventis plasmatisque poeticis aurea sæpe dicta monitaque illigaverunt : posterioris illud est effatum in *Olymp.* od. 5 : Ἀεὶ δ' ἀμφ' ἀρεταῖσι πόνος, *circa virtutes continuo labor est;* Hesiodi autem gnome in ore est omnium, et olim a pueris parvis non in Græcia modo, verum etiam in Italia studiose addiscebatur. A quibus mutuatus Plato lib. II *De Rep.* viam virtutis dixit ἀνάντη, *acclivem*, difficilem et laboriosam; quem deinde tota natio academicorum secuta et doctissimi quique viri, ut Themistius *Orat.* 1, aliique ingenii sui commentationes colore platonico exornaverunt : Simonides apud Clementem Alexandrinum lib. IV *Strom.* : « Fama, inquit, est virtutem habitare δυσαμβάτοις ἐπὶ πέτραις, *in rupibus difficilem ascensum habentibus* : » tendit eodem oraculum illud, quod e Porphyrio Theodoretus memoriæ et posteritati commendavit : Χαλκιδῆτος ἡ πρὸς θεοὺς ἔδος, *via quæ ad Deos perducit ære munita est.* Sed illud ipsum a S. Patribus sive clarorum virorum imitatione, sive potius e proprio sensu dicitur longe divinius, quale est sapiens D. Cypriani dictum : « Durus et arduus est limes qui tendit ad gloriam, » quem secutus D. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 1, sua lingua hoc protulit oraculum : Σπάνιον καὶ πρόσαντες ἡ τοῦ ἀγαθοῦ κτῆσις, *rara et ardua est virtutis adeptio* : illustrat rem eamdem D. Basilius *hom.* 24, cum de legendis profanorum libris sapienter more suo disputat. Quæ omnia præclare probant sapientiam, quam a vera vir-

Via virtutis implexa laboribus.

http://www.obrascatolicas.com

tute non discernimus, uti Job monet, in terra suaviter viventium minime inveniri; hæc autem a magnis Ecclesiæ doctoribus in medium adducuntur non ad tardandam ullius contentionem in paranda virtute sapientiæ graviorum difficultatum obtentu, sed potius ad languorem et socordiam excutiendam, ut in re omnium, ut dixi, pulcherrima inflammato omnes studio et industria elaborent.

Vers. 14. Sapientia non invenitur in mari vel abysso.

14. ABYSSUS DICIT : NON EST IN ME; ET MARE LOQUITUR : NON EST MECUM. — Pergit porro dicere ubi non sit sapientia, et ait neque in abysso reperiri neque in vastis oceani gurgitibus, *q. d.* Ne existimetis sapientiam ex eo esse rerum pretiosarum genere quæ sub aquis nascuntur, et a mortalibus ingeniose extrahuntur : non enim ita se res habet, nam licet gemmas omnes quotquot mare nutrit exemeris arenis in acervos congregatis, ne micam quidem in iis sapientiæ reperies. Tropologice, vide quomodo ipsi peccatores sapientia se esse vacuos fateantur : quid namque *abyssus* et *mare* significant nisi scientiæ multitudinem vitiis coopertam et moribus depravatis fœdatam? unde Richardus *in Cant.* cap. XII, ait : « De hac spirituali sapientia *abyssus* humanæ sapientiæ dicit: *Non est in me*; *et mare* (id est amaritudo vitiorum) *dicit* : *Non est mecum.* Abjicienda est ergo hæc carnalis sapientia, et commutanda pro hac spirituali; et sic emendum aurum mundum et ignitum, et probatum, ut locupletes fiamus, et hoc aurum possideamus. » Superba nimirum et arrogans scientia, quam vitia et peccata damnant, homines vere sapientes non facit, sed stultos et cæcos derelinquit : hi profecto sunt qui suaviter et læte vivunt, sicut ille dives epulo, qui *Luc.* XVI, 19, « induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide, » a quibus vera sapientia fugit, quæ « non invenitur in terra suaviter viventium : » scriptum enim est *Eccle.* VII, 5 : « Cor sapientum ubi tristitia est; et cor stultorum ubi lætitia. » Non itaque sapientes sunt qui rerum solum naturas cognoscunt, cum eorum cognitio tam exilis sit, ut nec quæ judicat bona suscipiat, nec quæ videt mala repellat : si enim secundum sæculum stultus est, qui videns thesaurum non accipit, et videns præcipitium pedem non refert : quare secundum Deum stultus non erit, qui peccati malitiam cognoscens ei se libens subdit, et virtutis pulchritudinem ore laudans operibus vituperat, et a seipso vitæ institutione propulsare contendit? *Mare* igitur, id est animi æstus impiusque furor infandas opiniones tueri cupientis, prompta illa imminensque impudentia ad oppugnandam veritatem, ille acervus mendaciorum et simulationis *abyssus*, clare dicunt aureum hunc sapientiæ fœtum nunquam apud se natum, nunquam nasciturum.

In peccatoribus non reperitur vera sapientia.

Vers. 15. Omnes divitiæ vilescunt præ sapientia.

15. NON DABITUR AURUM OBRIZUM PRO EA, NEC APPENDETUR ARGENTUM IN COMMUTATIONE EJUS. — Nunc agit de sapientiæ veræ inæstimabili pretio, quod tantum est, ut illius comparatione vilescant omnia quæ ab hominibus habentur pretiosa, id quod etiam ethnici intellexerunt, cum ipsimet veræ sapientiæ exsortes aliquam duntaxat ejus umbram et imaginem obscuram cognovissent : sic Menander ait :

Οὐκ ἔστι σοφίας κτῆμα τιμιώτερον :
Nulla possessio pretiosior sapientia est.

Similiter alius in *Floril.* incertus auctor habet :

Σοφία δὲ πλούτου κτῆμα τιμιώτερον :
Plus opibus ipsis sunt opes sapientiæ.

Et Sophocles :

Προνοίας οὐδὲν ἀνθρώποις ἔφυ
Κέρδος λαβεῖν ἄμεινον οὐδὲ νοῦ σοφοῦ :
Quæstus non potest major dari
Quam mens subacta regulis prudentiæ.

Sed ipsiusmet Sapientis longe luculentiorem hac in re sententiam audiamus, quam ex hoc Jobi oraculo deprompsisse videtur *Prov.* VIII, 11 : « Melior est, inquit, sapientia cunctis opibus pretiosissimis : et omne desiderabile ei non potest comparari; » eam deinde sic loquentem introducit *ibid.* vers. 19 : « Melior est enim fructus meus auro et lapide pretioso, et genimina mea argento electo : » *fructus* enim ejus, uti paulo ante dictum est, non viscera terræ pariunt virtute cœli et calore solis tepefacta, non cavernæ et montes hujus infimi elementi proferunt, non flumina ad mare amarum festinantia edunt, sed *Sap.* IV, 18, « gratia Dei (in lucem emittit), quæ simul cum misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius. » Hic autem *respectus* Dei, respectus utique sapientiæ, bonitatis et potentiæ, quemnam thesaurum in nostris visceribus procreabit, nisi illum, qui omnis virtutis lucem et pulchritudinem et divitias contineat? unde non incongrue interrogatus D. Basilius in *Regul. brev.* Quisnam esset thesaurus bonus; ille scilicet, cui Dominus cœlorum regnum comparaverat, respondit: « Sane quidem prudentia omnis, quæ est in Christo, virtutis ad gloriam Dei thesaurus bonus est; » quibus verbis nomine *thesauri* perfectionem intellexit, quæ breviter appellatur *omnis virtutis prudentia,* sive sapientia, et hunc thesaurum non auri aut argenti esse, quæ fures effodiunt et furantur, sed omnium esse virtutum et omnium bonorum spiritualium manifestissime explicavit.

Fructus sapientiæ est omnium pretiosissimus.

Septuaginta pro eo quod interpres noster habet, *non dabitur aurum obrizum pro ea,* ex Hebræo vertunt, *οὐ δώσει συγκλεισμὸν ἀντ' αὐτῆς, non dabit conclusuram pro ea;* monet autem S. Gregorius Nazianzenus ita nuncupari divitias, quoniam has diligenter ut tutæ sint concludimus : quare S. Augustinus hoc loco legit, *non dabitur aurum pro ea inclusum;* hinc in arcanis litteris avari dicuntur *concludentes,* qui pecuniam sitientissime colligunt et includunt, de quibus ita loquitur Isaias cap. XXXII, 7 : « Fraudulenti vasa pessima sunt, » ubi pro *avaro* D. Hieronymus *fraudulentum* vertit, ab eorum hominum genio et consuetudine, quod

Aurum hebraice cur *conclusura* dicatur.

magnarum fortunarum cupidi, struendis fraudibus et machinandis sint obnoxii. Sed ad Hebræi vocabuli vim et significationem propius accedunt eruditi quidam interpretes, qui vertunt *parcum,* tenacem, avarum : in stylo Isaiæ est כלי *kelai,* quæ vox proprie *concludentem* significat, a כלא *kala,* id est *conclusit;* notat nimirum pius vates avarorum illud genus, qui omnem mentem et industriam collocant in accumulandis omni artificio pecuniis, quas domi ita includunt, ut nihil exire possit ad ullius bonum et utilitatem; auctor vero hujus inclusionis est sine dubio malus dæmon, et qui terra vescitur serpens, et prono corde ad opes abjicitur : quæ causa fuit, cur antiqui sapientes draconem incubare thesauris dicerent, ut Romanus Clemens in lib. IV *Const. Apost.* cap. III, et S. Basilius *Hom.* 24, animadvertunt. Vide quæ diximus *supr.* cap. XVI, 15.

Vers. 16 et 17. Quare vitrum præferatur auro et gemmis.

16 et 17. NON CONFERETUR TINCTIS INDIÆ COLORIBUS, NEC LAPIDI SARDONYCHO PRETIOSISSIMO, VEL SAPHIRO. NON ADÆQUABITUR EI AURUM VEL VITRUM, NEC COMMUTABUNTUR PRO EA VASA AURI. — Postquam rebus pretiosioribus præfertur sapientia, nempe tinctis Indiæ coloribus, lapidi sardonycho, saphiro, etc., cur etiam *vitri* mentionem facit, illudque inter gemmas et metalla pretiosissima collocat? Hæc difficultas industriam fatigavit interpretum, et quidem vix rimari datur, cur Jobus inter summi pretii gemmas et metalla vitro fragili tribuat æstimationis principatum. Quid vitro cum principe materia argenti et auri et adamantis? esto æmuletur vitrum venustatem auri et unionum, at in soliditate et diuturnitate vincitur : breve enim est vitri ævum, leni spiritus sufflatione tumescit et fingitur, et lævi attactus injuria læditur et frangitur; unde ergo olim vitro tantæ æstimationis census fuit? Argute Clemens Alexandrinus lib. II *Pædag.* cap. III : « Curiosa, inquit, ac superflua tornatorum in vitro vana gloria : ad frangendum propter artem paratior; quæ simul docet et timere et bibere, » etc. Ex fragilitate, inquam, vitri ejus pretia exaggerantur, nam cum vitrum transparentiam crystalli æmuletur, et cum auro et gemmis certet de nitoris gratia, vincit omnia fragilitate; siquidem et materiæ natura et ingenio artis ad frangendum paratior est crater ex vitro figuratus, docetque simul timere et bibere : conscientia enim fragilitatis census est pretiositatis; nec tam quis bibit in vitro vetustum phalernum quam gratum timorem fractionis : potator non fatue satiat appetitum bibendi, quin potum admisceat titillatione blandientis periculi, nec minus deliciatur in cautela fragilis nitoris quam in potu vetusti liquoris; non satis sapiunt deliciæ, quas aliqualis amissionis timor non condit et mellit : tædium movet non voluptatem, quod securissime placet, quia quod diu placuit displicet, nauseamus enim ad diuturne possessa : aliquis amissionis metus titillatio concupiscentiæ est, et ingenium placendi ex opposito auxilians. Ita ingeniose Celada noster *in Judith.* cap. I, § 20.

Sapientia pretiosis omnibus pretiosior.

Est igitur ejusdem sententiæ amplificatio, qua veram sapientiam gemmis aliisque rebus pretiosissimis merito anteponit : « Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati, » ut Sapiens ait *Sap.* VII, 14 : quare infinitus? ideo profecto, quia sapientiæ thesaurus omnium opum, quæ homini contingere possunt, summa est atque compendium : nam si intima familiaritas alicujus hominis cum rege terreno est honorum, et dignitatum et magnarum divitiarum origo, familiaritas cum rege cœlesti, cujus potentia et largitas in amicos suos est infinita, cujus boni non erit initium? Quid deerit illi, qui Deum amicum habet? cujusnam rei indigebit, qui Deum ipsum et ejus gratiam et amicitiam possidet? quis non magno honore illum afficiet, quem Deus in hac vita honore prosequitur, et in alia magnificat, propter disciplinæ perfectæ custodiam? Hic ergo sapientiæ thesaurus pene infinitus est, qui non aliquod speciale bonorum genus, sed omnia bona animæ continet. Et ideo non minus vere quam audenter ait *Prov.* VIII, 18 : « Mecum sunt divitiæ et gloria, opes superbæ et justitia : » secum enim adfert vera sapientia spirituales divitias, id est omnium virtutum actiones et purissimas voluptates, quæ non carnis obscœnitatem, sed pacatam conscientiam comitantur, ut verissimum honorem, qui non ab hominibus quærendus est, ut S. Paulus ait I *Thess.* II, sed a Deo ipso suos honorante et extollente suscipitur. Istæ vero virtutum divitiæ non exiles sunt aut moderatæ, sed opes superbæ, id est eminentes et cumulatæ, et tales, quæ virum sapientem, et apud homines admirabilem, et apud angelos magnum, et plane beatum efficiunt.

Infinitus thesaurus sapientiæ.

Sapientia est thesaurus multiplex, quem qui habet, et sibi et aliis sufficit.

Sed oblectemus nos parumper hujus consideratione thesauri, et forte ipsa consideratio cordis nostri duritiem emolliet, et ad illum quærendum excitabit. Possumus autem thesaurum duplicem considerare, *unum* scilicet *simplicem,* qui magna copia divitiarum unius generis constet, ut auri solius, vel argenti, vel gemmarum, *alterum* vero *multiplicem,* qui universas omnis generis divitias, ut aurum, et argentum, et gemmas, et vasa pretiosa, et vestes, et utensilia domus, et alias opes valoris immensi comprehendat. Huic postremo similem putamus sapientiam, quare eam *thesaurum multiplicem* sive omnes divitias animæ continentem appellamus; cui nihil omnino ad veram et omnimodam animæ puritatem et sanctitatem comparandam deficiat. Sicut enim qui invenisset illum thesaurum, quem vocavimus *multiplicem,* omnia haberet, quibus et sibi ipsi sufficeret, et sociorum sive amicorum necessitatibus provideret : ita inveniens hunc sapientiæ thesaurum omnia habet, quæ viro spirituali et angelorum amico, et cœlestis patriæ civi, et Dei per adoptionem filio sunt necessaria, quorum possessione et sibi

http://www.obrascatolicas.com

ipsi sufficiens est et aliis quibuscum vitam agit, usui et emolumento. Quo namque indiget verus sapiens? nonne vita? nonne salute? nonne cibo et potu et vestimento? nonne deliciis? nonne honoribus? nonne dignitate? nonne opibus, quibus et usque ad sanctum luxum sibi serviat, et ad alios largus imo et profusus exsistat? Sed hæc omnia cœlestis sapientia complectitur, universa ista unus thesaurus perfectionis habet, quare nemo inficiabitur, veram sapientiam jure optimo *thesaurum multiplicem* appellari.

Vers. 18. 18. EXCELSA ET EMINENTIA NON MEMORABUNTUR COMPARATIONE EJUS : TRAHITUR AUTEM SAPIENTIA DE OCCULTIS. — Postquam sapientiam cæteris rebus omnibus quantumcumque occultis, pretiosis, excelsis et eminentibus anteposuit, tandem unde petenda et accersenda sit declarat, dicens eam « trahi de occultis, » nempe cœlorum sedibus, e sinu Dei Patris, seu, ut ait Apostolus Jacobus *Epist.* I, 5, « a Patre luminum, » a quo nascitur increata sapientia Verbum Patris unigenitum, quod causa et fons est omnis creatæ sapientiæ, ut ait *Bar.* III, 12 et seq. : itaque in cœlum omnino abeundum est, ubi tabernaculum suum collocavit, unde fulgurat, unde in puras mentes lumen spargit : illuc nobis evolandum est, et cogitandum simile quiddam fieri oportere, quod Aristeas, priscæ philosophiæ columen, sibi evenisse comminiscebatur : dicebat enim Proconnesius ille vir θεοδίδακτος, ut Maximus Tyrius *Dissert.* 22 refert, animam suam relicto corpore recta cœlum petiisse; inde Græcorum et Barbarorum terram universam, omnes insulas, fluvios et montes circuiisse, tandemque in hyperboreis constitisse finibus; hinc se ritus omnes, omnium rerumpublicarum observasse mores, terrarum omnium ingenia, mutationes aeris, alluviones maris, fluviorum ostia : quin et cœlum ipsum multo facilius quam inferiora lustrasse. Denique mirabilem animæ peregrinationem exponebat, qua divinum cognitionis genus consecutus fuisset, cum significare opinor vellet, a Deo atque a cœlo maximarum rerum intelligentiam hominibus accidere. Quam utinam nos peregrinationem adhiberemus ad percipiendam sapientiam, quæ a sublimibus Dei thesauris igneoque solio arcessenda est. Christus Jesus, in quo thesauri sunt reconditi omnes scientiæ et sapientiæ Dei, promus-condus et diribitor illius est, quod D. Joannes arcano suo dicto admonuit I *Joan.* cap. II, 27 : « Unctio ejus docet vos de omnibus, » ubi Christus sive sapientia vocatur *unctio*, hoc est *unguentum*, ut S. Hieronymus aliique vertunt, proprie autem oleum odoratum et divinum, splendidum igne, ad fovendum et corroborandum aptissimum, unde sequitur lux, calor, fortitudo : unctio enim, sive intimum istud oleum sapientiæ, oculos mentis fulgore suo illustrat et erudit, ut cognoscamus et virtutis pretium atque pulchritudinem, et vitiorum deformitatem, et mundi fraudes, et Satanæ dolos, et salutis viam, et Dei providentiam, judicia formidanda, summum erga nos amorem, et alia similia, quæ scire pulcherrimam et salutarem dico esse sapientiam. Hoc oleum effundit in mentem Christus, cujus oleum effusum nomen est *Cant.* I, 3, quique ab unctione nominatur, et dicitur etiam aliquando *unctio*, ut apud Danielem cap. IX, 16 : « Occidetur Christus ; » in Græco est χρίσμα, *chrisma*, unctio : itaque vertit eo in loco Tertullianus *Contra Jud.* cap. VIII, *exterminabitur unctio* : ille est enim intra velum magister, in animæ penetrali doctor, quem ait eleganter D. Augustinus cathedram habere in cœlo, qui corda docet, quam ob causam *Joan.* VIII, 12, vocat etiam se *lucem mundi* : vel unctio fit a Spiritu Sancto, qui lucernam accendit, et siparium dejicit, ut clara in luce ponantur veritates; qui, ut Davidis præconio intelligimus *Psalm.* XCIII, 10 : « Docet hominem scientiam : » unctio illius est donum intellectus, quo vulnus ignorantiæ curatur, tenebrosæ mentis nebulæ disjiciuntur, grata lux oboritur. S. Irenæus lib. IV cap. XLIII, *chrisma veritatis* nominat; Gregorius Magnus lib. V *Moral.* cap. XIX, vult esse *allocutionem intimæ inspirationis*, quæ humanam mentem contingendo sublevat : ita reconditam et Deo dignam sapientiam illi attribuit D. Paulus I *Corinth.* XII, 8 : « Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ. » Verum nihil refert Christo an Spiritui Sancto id attribuamus. Constat hoc quidem certe, amatorem hominum Deum istam unctionem oleumque sapientiæ spargere per eorum mentes admirabiliter lucentis, qui clarissimis ejus luminibus obsecundant, neque nubem malitiæ obtendunt. Itaque gentium Doctor instruens Timotheum I *Timoth.* II, 7 : « Dabit, inquit, tibi Dominus in omnibus intellectum. »

Sapientia trahitur de occultis.

Aristeæ fabulosa ad sapientiam acquirendam profectio.

Cœlitus a Deo petenda sapientia.

Christus ejusque unctio sapientiam docet.

Bene habet : jam cognovimus unde sit evocanda sapientia. Divine S. Jacobus *Epist.* I, 5, et felicissime ad humani generis bonum et consolationem : « Si quis indiget sapientia, postulet a Deo. » Quis vero non indiget? In his mundi ut Ægypti tenebris, in circumfusa errorum caligine quam vitium in orbem induxit, in consilii inopia, quam inexplebiles cupiditates et tumultus affectionum ingenerant, nisi nobis sapientia adluceret, quis tandem esset finis malorum? In tartareo flumine concupiscentiæ, quo ut sævo et ineluctabili torrente tam multi ad orcum et justissimas scelerum pœnas rapiuntur, quis reperire vadum posset, nisi duce et monstrante viam sapientia? Cum tam multæ sint apertæ viæ damnationis, et scientia inflet, cæca præcipitet ambitio, diro in luto libido volutet, et velut in νυκτομαχίᾳ funestoque in *nigra nocte prælio* tam multi vulnera mortesque excipiant, quis salutis et vitæ locus foret, ni sapientia nos tantis periculis circumsessos velut e fati faucibus et calamitate eriperet? Sic aliquis in terra pollens magno et amplissimo dominatu, sit in opum abundantia delicatus, sit omnigenæ compos eruditionis, et ingenii magnitudine possit æstimare sæculum; sit denique, ut Salomonis ore dicam *Sap.* IX, 6 : « Consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia, in nihilum computabitur. »

Omnes indigemus sapientia in tot periculis constituti.

Vera sapientia sapit quæ Dei sunt.

Hæc est autem vera sapientia, sapere quæ Dei sunt, et cognitionem ad bonam vitam, et Dei cultum gloriamque referre, non inflante scientia tumescere et efferri, eorum more sapientum, qui cum sibi viderentur sapientes, ob superbiam et impiæ mentis inanitatem stulti facti sunt, ait D. Paulus *Rom.* I, 22. Eleganter Papa Gregorius omni ratione Magnus lib. II *Dialog.* in Præfat. D. Benedictum appellat *scienter nescientem et sapienter indoctum*, qui despecta pompa garrientium philosophorum, et crepante eloquentium bombo, ad quærendam et perficiendam Dei voluntatem magno animo se contulerat. Quod tamen non dicit, ut ostendat, humanam eruditionem atque doctrinam esse alienam a viris probis et religiosis; sed ut potius intelligamus, multum abesse a splendore veræ sapientiæ, ad quam alia multa et magna requiruntur. Cujus perfectio inde animadverti potest, quod cœli fœtus sit, non soli; et proinde a Jacobo apostolo dicitur *Epist.* III, 17, « quæ desursum est sapientia : » et longe ante Baruch cap. III, 12, Deum *sapientiæ fontem* nominaverat; et vetustior quoque Salomon clare dixit *Eccli.* I, 1, « omnem sapientiam esse a Deo ; » qui omnes divinitus afflati homines procul dubio præsens hoc, de quo agimus, Jobi oraculum jam ante consuluerant, et ex eo unde petenda foret sapientia probe intelligentes, ad arcanum ejus fontem Dei munere penetrarunt, atque aliis deinceps ad veram sapientiam divini duces et fidi manuductores facti sunt.

Sapientia cœli fœtus desursum est.

Neque vero existimare debemus similes aliorum fuisse homines illos quos Deus voluit esse internuntios atque interpretes suæ voluntatis et divinæ scholæ magistros; de quorum præstabili dignitate et amplitudine sacræ eruditionis si quis loqui ut par est vellet et cogitare, intimum usque in animum penetrare opus esset, atque ad illum succedere, quem mirifice D. Petrus I *Epist.* III, 4, stylo cœli et inusitato « cordis hominem » dixit *absconditum* et arcanum; ibi sine dubio videremus ut in propria sede morantem sapientiam, quemadmodum excellenter mihi exposuisse visus et prædicasse D. Ambrosius *Epist.* 27 : « Exterior, inquit, homo plurima in se membra habet; interior autem cordis homo totus sapientia est, plenus gratiæ, plenus decoris. »

Sapientia eadem figit in cordis homine absconditio.

Omnis gloria animæ spiritualis ab intus est.

Hoc ipsum more suo, hoc est aureis symbolis, illustravit regius Vates, cum Ecclesiæ typum asciti is pigmentis convenustat ad omnium admirationem : ita enim canit *Psalm.* XLIV, 14 : « Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus : » illud *ab intus* satis innuit loqui illum de abscondito cordis homine, ubi non minus sapientiæ quam sanctimoniæ domicilium est, unde vera et ingenuo animo digna laus gloriaque redundat. Eamdem rem insinuant commutatis verbis Septuaginta, qui sic habent, πᾶσα ἡ δόξα αὐτῆς θυγατρὸς τοῦ βασιλέως Ἐσεβών, *omnis gloria ejus filiæ regis Hesebon*, quam ultimam vocem Didymus in *Caten.* ait significare λογισμόν, *cogitationem*, et dici omnem gloriam animæ peti a rege Hesebon, hoc est Deo, rege cogitationum, qui cum in corde sacrorum hominum velut in augustali verendoque sacrario versetur, splendidissimas et pulcherrimas cogitationes in id immittit lumine sapientiæ fulgurantes. Unde quidam Græci, ut notat S. Hieronymus, pro eo quod nos habemus *ab intus* legunt ἐξ ἐννοιῶν, *ex cogitationibus*, quæ incredibili varietate exornantis animum sapientiæ decorem efficiunt : quo referri quoque potest vocis *Hesebon* interpretatio, quod docti volunt præterea significare opus textile et variegatum, reconditæ cujusdam artis excogitatione perfectum. Nihil sane varium magis ipsa sapientia, nihil est magis compositione aut insigni pulchritudine speciosum : quare cum sacri homines docent et eructant verbum bonum, tunc reclusis pretiose apothecæ valvis intimæ illæ divitiæ panduntur, quasi de illis Job tanto ante præmonuisset : « Trahitur sapientia de occultis, » ab animæ videlicet penetrali, ubi sapientiæ gemmæ reconduntur, vel quiddam etiam omni gemma pretiosius, quod hebræus textus sic effert, *pretiosior est sapientia margaritis*; Septuaginta vero hoc modo, ἕλκυσον σοφίαν ὑπὲρ τὰ ἐσώτατα, *trahe sapientiam super intima*, vel plus quam intima. Vocant *intima*, quæ noster *occulta*, ea videlicet quæ recondi solent, arcanisque in thesauris ob pretium speciemque mirabilem servari : ut enim in principum virorum ædibus occuli solent et tutissimo in loco teneri uniones, pretiosi lapilli, aurum, argentum, purpura ditiorque supellex, cum tamen reliqua domus satis ornata videatur : ita in sacris hominibus cum species cultusque exterior, et communis in publica luce conversatio incredibili modestia refulgeat, tamen intus copiæ longe pulchriores tenentur, quæ uno sapientiæ nomine comprehenduntur. Ita pulchre Cresollius noster *Anthol.* cap. VI, hunc locum illustrat, et aptis similitudinibus exornat : vide plura copiose et sublimiter de sapientia S. Dionysium *De Div. Nom.* cap. VII.

Sapientia trahitur de occultis piæ animæ penetralibus.

Vers 19. 19. NON ADÆQUABITUR EI TOPAZIUS DE ÆTHIOPIA, NEC TINCTURÆ MUNDISSIMÆ COMPONETUR. — Idem est sensus cum jam dictis, aliis verbis expressus ad majorem exaggerationem inæstimabilis pretii, quo gemmas et stragulas vestes pretiosissimas sine comparatione superat et excedit valor sapientiæ, cum qua nulla esse potest topazio, nulla lapillis vario colore radiantibus aliisve rebus de pretio ac venustate contentio; id quod Salomon quoque æquissimus rerum æstimator haud obscure significavit his verbis : « Optavi, et datus est mihi sensus : et invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ : et præposui illam regnis, et sedibus; et divitias nihil esse duxi in comparatione illius : nec comparavi illi lapidem pretiosum; quoniam

Sapientiæ pretium inæstimabile.

http://www.obrascatolicas.com

omne aurum in comparatione illius arena est exigua; et tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius : super salutem et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam, » etc. Sequitur in textu :

Vers. 20 et 21.

20 et 21. UNDE ERGO SAPIENTIA VENIT? ET QUIS EST LOCUS INTELLIGENTIÆ? ABSCONDITA EST AB OCULIS OMNIUM VIVENTIUM, VOLUCRES QUOQUE COELI LATET. — Est repetitio vers. 12 et 13 ad majus sapientiæ desiderium inflammandum, studiumque excitandum proposita rei celsitudine, *q. d.* Hæc sane sapientia tam pretiosa, ut diximus, tam fugiendis peccatis et prosequendis virtutibus necessaria, haudquaquam in sæculo isto cæco et insipiente commoratur : non est enim illius origo sub cœlo, cum etiam cœli aves lateat; significans eam in regione sublunari et ætherea, quam pervagantur aves, nunquam inveniri, cum sit supercœlestis, ut quæ in veris virtutibus Deique cognitione supernaturali consistat, ideoque nec hominibus, quos per viventes intelligit, neque angelis, quos *cœli volucres* metaphorice appellat, notam esse, quod plane verum est, si naturalis duntaxat eorum vis spectetur. Tropologice, vera sapientia, quæ neque ab homine, id est terrena sapiente, cognoscitur, neque in suaviter viventibus et carnalibus invenitur, quam neque abyssus, hoc est astutus, possidet, neque iracundus et instar maris turbatus assequitur; quæ neque inter viventes sibi ipsis et propriis passionibus servientes, neque inter volucres, hoc est superbos et arrogantes, inhabitat; manifestum est, quoniam a sæculo excluditur, et cum impiis et peccatoribus minime commoratur : ita P. Alvarez de Paz tom. I, lib. I, part. I, cap. VII. Hunc sensum B. Gregorius lib. XVIII *Moral.* cap. XXIV et XXV confirmat, qui nomine *terræ* animam humanam, nomine *abyssi* corda hominum, et nomine *maris* inquietudinem mentium sæcularium intelligit; in quibus ait sapientiam non inveniri, quia neque hujus mundi voluptatibus pascitur, neque duplicitate et astutia humani cordis possidetur, neque curarum sæcularium inquietudine delectatur.

Sapientia non invenitur in rebus sublunaribus.

Terreni et mundani ignorant sapientiam.

Mundani respuunt sapientiam.

Sed ad quid rationum momentis aut Scripturæ sacræ testimoniis indigemus, cum ipsos mundanos se esse sapientiæ hostes et inimicos audiamus? Isti enim sunt, qui cap. XXI, 15 « dixerunt Deo : Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus; » qui moniti a Domino, ut interrogarent de semitis antiquis et de via bona, ut ambularent in ea, dixerunt *Jerem.* VI, 16 : « Non ambulabimus; » et rogati ut audirent vocem tubæ, responderunt : « Non audiemus. » Frustra testes adferuntur, ubi ipse mundus procaciter suam insipientiam confitetur. Quamvis autem mundani verbis non dicerent se esse insipientes atque ignorantes, opera tamen illorum id manifeste testantur : si enim *Genes.* XIX, 11, cæci erant illi miseri et impuri Sodomitæ, qui cum essent prope domum justi, ostium tamen ejus invenire non potuerant, multo magis cæci nunc habitatores Sodomæ, id est mundi hujus, qui inter tot magistros, qui eos erudiant, atque in media Evangelii luce, non inveniunt ostium justitiæ, neque in januam suæ salutis incurrunt. Capti erant oculis Syri IV *Reg.* VI, 19, dum putabant se amicum sequi, cum tamen Eliseum hostem sequerentur, qui eos collocavit in medio Samariæ, et hostibus sanguinem Syrorum sitientibus tradidit. Et multo magis lumine capti mundani, qui ab Ecclesia et ministris ejus proprii periculi admoniti, dæmonem deterrimum hostem tanquam fidelem amicum sequuntur, qui eos non in Samariam inferat, sed in gehennam locum tormentorum detrudat; de quo subditur :

Peccatores cæci sunt.

22. PERDITIO ET MORS DIXERUNT : AURIBUS NOSTRIS AUDIVIMUS FAMAM EJUS, — id est, perditi ac mortui homines non viderunt nec possederunt sapientiam, sed aliquam duntaxat ejus famam percepperunt; *primo*, quia in morte et inferno videtur insipientia peccatorum, et per consequens contraria sapientia quasi umbra tenus cognoscitur : norunt quippe infelices illi sontes se fuisse damnatos, quia sapientiæ Dei minime studuere; quod nihil est aliud quam sapientiæ famam velut aure sive per auditum nosse, ut discriminentur ab electis, qui et audierunt, et strictissimo amplexu sapientiam tenuerunt. *Secundo*, quia quando primum peccatum et mors per Adæ peccatum ingressa sunt in orbem, sparsus est rumor et fama de Messia seu Christo, qui est sapientia Patris, in terram aliquando venturo; et sic illi qui Jobi tempore adhuc in limbo erant patres, quantumcumque hic longævi fuissent ac docti : damnati item et dæmones, quantumcumque sagaces, non nisi exiguam habuerunt scientiam et notitiam veræ sapientiæ. *Tertio*, quia pholosophi gentiles et infideles, qui in inferno versantur, umbram aliquam sapientiæ cognoverunt. *Quarto* simplicissime, *q. d.* Sapientia sese quidem exerit ad vitam et ad mortem, aerem et terram, et loca subterranea, ipsaque penetralia mortis, et centrum terræ, quo penetrat fama ejus; ipsa tamen sapientia et fons sapientiæ non ibi, sed in Deo et solio divinitatis quærenda est : nam uti subjungitur,

Vers. 22. Quomodo mortui tantum famam sapientiæ percepperint.

23. DEUS INTELLIGIT VIAM EJUS, ET IPSE NOVIT LOCUM ILLIUS. — Deus, inquit, ex se pernoscit viam, quæ creaturas ad sapientiæ amplexum perducit, creaturæ vero minime, nisi ex Dei beneficentia et largitate. *Via sapientiæ* lex divina est, sive ipsius legis disciplina, quod Sapientia ipsa sic testatur *Prov.* VIII, 32 : « Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, et estote sapientes, » *q. d.* Carpite viam et acquirite me. *Locus sapientiæ* Deus est, sicut ipsa docet *Eccli.* XXIV, 5 : « Ego ex ore Altissimi prodivi. » Ergo et viam et locum nosse Dei est a natura, cæterorum a gratia. Locus sapientiæ dicitur Deus, vel sapientiæ *increatæ*, quæ in eo inest formaliter, ut schola loquitur; vel creatæ, qui in eo non inest, sed ab eo

Vers. 23. Solus Deus docet nos sapientiam, et quomodo.

genus ducit et efficitur : nos enim Dominus hac gratia et honore dignatur, ut nobis sapientiam suam, quæ est thesaurus absconditus, thesaurus inæstimabilis, offerat : ad illam nullum natura nostra aditum habemus; et tamen illam Deus nobis offert, ita ut nobis ad eam inveniendam longis viarum circuitibus minime sit utendum. Cur vero? Duntaxat patiamur nos a Deo nostro doceri, et hic thesaurus nobis offeretur. Bonum igitur hoc singulare et eximium est quod Deus nobis tribuit, quando ipsi visum est nobis id, quod ita a nobis alienum erat, et quo privati eramus, communicare.

Sapientia Dei increata est omnis sapientiæ causa.

Vide quæ superius de hac Dei sapientia diximus cap. IX, 6, quibus hic adde ex S. Dionysio *De Div. Nom.* cap. VII : « Dei sapientiam increatam omnis mentis et rationis, omnisque sapientiæ et intelligentiæ causam esse, et ipsius esse omne consilium, et ab ea omnem scientiam et intelligentiam proficisci, et *Coloss.* II, 3 in ea omnes thesauros sapientiæ et scientiæ Dei absconditos esse : etenim convenienter iis quæ antea dicta sunt, causa supraquam sapiens, et omnia sciens, per se sapientiæ, et totius sapientiæ tam universalis quam singularis effectrix est : ex ea intellectiles ac intelligentes angelicarum mentium virtutes simplices ac beatas habent intelligentias, dum non dividuis, aut e dividuis, vel sensibus, vel divisis rationibus ratiocinando divinam colligunt scientiam; nec iisdem communiter adhærent, sed ab omni materia pluralitateque puræ, spiritali a materia secreto atque uniformi modo ea capiunt, quæ in divinis intelligi possunt : estque illis vis spiritalis atque operatio impermixta et immaculata puritate resplendens, et conspicax divinarum intelligentiarum; quæ divisionis ac materiæ carentia, nec non deiformi unitate, ad divinam et plusquam sapientem mentem ac rationem, quantum fieri potest, per divinam sapientiam efformatur. Hinc etiam animæ ratiocinandi vim obtinent, quæ dum per digressus quosdam et per ambages rerum investigant veritatem, propter divisam et omnifidam varietatem non parum ab unitis illis mentibus deficiunt; sed ubi demum e multis in unum sese colligunt, angelicas etiam, quantum quidem animabus congruit, intelligentias æmulantur. Quin et sensus ipsos si quis sapientiæ quemdam sibilum esse dixerit, nequaquam a vero aberrabit : nam et dæmonum quoque mens, in quantum mens est, ex ipsa est; in quantum vero amens est, et id quod appetit nec scit nec vult assequi, verius *a sapientia defectio* dici debet.

Ex ea angeli habent quod sint intellectiles

Ab hac animæ sunt rationales.

Sensus sunt quasi sibilum divinæ sapientiæ.

Deus omnium notitiam anticipat in seipso.

Est igitur divina Sapientia ipsiusmet sapientiæ creatæ atque omnis etiam mentis, rationis ac sensus principium, et causa, et procreatrix, et perfectio, et custodia, et terminatio; quam porro sublimi modo ac ratione ista omnia complectatur, idem S. Dionysius paulo post edisserit : « Mens, inquit, divina comprehendit omnia cognitione quadam eminenti, qua secundum ipsammet omnium causam in se omnium cognitionem anticipat, prius quam angeli fierent cognoscens angelos, eosque creans, cæteraque omnia intus et ab ipso, ut ita dicam, exordio noscens, et in rerum naturam proferens; idque arbitror Scripturam significare cum ait *Dan.* XIII, 42 : *Qui novit omnia priusquam fiant* : non enim ex rebus ipsis res discens novit eas divina mens, sed ex seipsa et in seipsa secundum causam omnium scientiam et notionem et essentiam præhabet, et ante comprehendit, non singulis secundum cujusque speciem intendens, sed secundum unicam causæ complexionem cuncta sciens et continens : sicut et lux secundum causam tenebrarum notionem anticipat, non aliunde quam ex luce tenebras noscens. Seipsam igitur divina Sapientia noscens sciet omnia; materialia immaterialiter, divisibilia indivise, et multa unice, ipso uno omnia et cognoscens et producens : nam si secundum unam causam Deus omnibus esse impertit, secundum eamdem unicam causam sciet omnia tanquam ex se exsistentia, et in seipso ante præexsistentia; et non ex rebus rerum accipiet notionem, sed et ipsis singulis ipsarum aliisque aliarum notitiam largietur. Non habet itaque Deus peculiarem scientiam sui, aliam vero communem res omnes complectentem : ipsa enim omnium causa seipsam cognoscens, nullo modo ea quæ ab ipsa sunt, et quarum causa est, ignorabit. Hac igitur Deus res cognoscens non scientia rerum, sed scientia sui ipsius ipsas novit. » Quibus verbis S. Dionysius ad Dei sapientiam investigandam et pro captu nostro cognoscendam viam aperit prorsus admirabilem.

24. IPSE ENIM FINES MUNDI INTUETUR; ET OMNIA QUÆ SUB COELO SUNT RESPICIT. — Hæc ex præc. vers. allatis clara sunt et perspicua : Intuetur, inquit, et respicit omnia singulari quadam observatione et circumspectione, ut rerum ordinem intueatur, et sine læsione naturæ earum finem a se destinatum attingat : qui enim credibile est, ut illa quis ignoret quæ ingenio designavit, et arte perfecit? nam *Sap.* XI, 21 omnia quæ mundi complexu tenentur, « in numero, pondere et mensura » confecit, hoc est, eo molimine sapientiæ, ea consilii luce et miranda moderatione, qua major cogitari nequit. Et quemadmodum videmus solem naturæ suæ bonitate radios undique spargere suos, et caloris sui divitias ultro fundere, sic immensa illa Sapientia infiniti sui luminis scintillas mittit, et undique universum beat. Ab illa ut uberrimo et copiosissimo fonte omnes artes et reconditæ scientiæ, atque arcana et magnifica ingeniorum vis profluxit : quam ob causam I *Reg.* II matrona illa nobilis parens Samuelis divino instinctu *Deum scientiarum* nuncupat. Ab illo ordo in omnibus, et mirabilium operum pulchritudo, et velut in concentu symphonia, omne artificium et admirationem superans manavit : itaque S. Paulus *Ephes.* III « multiformem sapientiam Dei » prædicat, et David *Psalm.* LXXVI, 13, cantu extollit « ejus adinventiones, » vel, ut vertit Symmachus, μηχανήματα,

Vers. 24. Deus omnia intuetur.

http://www.obrascatolicas.com

machinamenta, excogitationes rerum mirabiles, molitiones inauditas, quas non nisi interminata Numinis sapientia potuit concipere; quarum hic aliquas Job recenset.

Vers. 25. Quod sit ventorum pondus.

25. QUI FECIT VENTIS PONDUS, ET AQUAS APPENDIT IN MENSURA. — Significat in primis Deum suum cuique vento indidisse pondus, hoc est vim et propensionem ad certum quemdam impetum et cursus ex uno loco in alium : alia est enim vis, alius impetus et cursus per orbem zephyri et euri, aquilonis item et austri. Ne vero quispiam putaret scientiam ventorum vel tenuitate ac vilitate materiæ, vel facilitate noscendi non magno æstimandam, Salomon in Sapientia inducitur inter alia præcipua, quorum scientia sibi divinitus data fuerat, ventorum cognitionem commemorans : sic enim ait *Sap.* VII, 17 : « Ipse dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram : ut sciam dispositionem orbis terrarum, etc. commutationes temporum, stellarum dispositiones, naturalium differentias virgultorum, virtutes radicum, vim ventorum, cogitationes hominum, et quæcumque sunt absconsa et improvisa didici : omnium enim artifex docuit me Sapientia. » Et vero arduum est nosse quæ sit materia ventorum, unde cujusque origo, quæ causa tanti et tam pertinacis impetus ac celeritatis, a quo singulis suorum cursuum discreta et dimensa fuerint spatia, quemadmodum sua cuique periodus et duratio præfinita sit; qua ratione ventorum vicissitudo et alternatio tam constanti ordine certaque lege procedat; unde ventis tantæ vires, tantaque mirabilium effectuum diversitas. Ergo tenuis quidem res ventus est, at ejus scientiam callere non tenuis est gloria, nec minima sapientiæ pars : inter ea enim quæ difficile philosophia nostra assequitur est cognitio naturæ ventorum; in qua explicanda valde se philosophorum princeps Aristoteles torquet; et post omnia ejus documenta et ratiocinationes id verissimum est quod Christus dixit *Joan.* III, 28 : « Nescis unde veniat, aut quo vadat, » id est, ignoras unde processerit et quo tendat, ideoque illum penitus ignoras, cujus principium et finem non cognoscis. Levissime fertur ventus, extollitur et volat, facillimeque dissipatur, de quo si quæras quid remanserit, nihil penitus invenies; hæc tamen Dei potentia, « quæ fecit ventis pondus. » Quod ideo dictum credo, quia vere qui omnia disposuit in numero, pondere et mensura, ita attemperavit ventorum flatus, ut non nisi secundum divini ordinis dispositionem discurrerent, prout conservationi expedit universi, juxta illud quo S. David postea dixit *Psalm.* CXLVIII, 8 : « Spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus, » id est mandatum ejus : nec enim ventus oritur ad sui libitum, aut sine libramento et pondere, sed tali impetu quali Deus concedit : ita *Exod.* XIV, 21 misit ventum qui exsiccaret aquas maris, ut viam Israelitis faceret : ita etiam *Jon.* I, 4 ut mare perturbaret, et grandem tempestatem excitaret, quo Jonam fugientem revocaret : ita etiam *Exod.* X, 12, *Num.* XI, 31 et *Psal.* LXXVII, 26, ut ortygometra aut coturnices quasi in alis suis ferret, et alibi ut locustas Ægypto expelleret, etc. Qua in re Dei potentia manifeste conspicitur, quirem, quæ tam aliena videtur a mensura et pondere, non esse aut fluere permittit, nisi sub determinato pondere et mensura, quam ille statuit.

Ventorum cognitio difficilis et sublimis.

Ignoratur principium et finis ventorum.

Quomodo Deus ventis levibus pondus addat.

Cæterum B. Gregorius lib. XIX *Moral.* cap. IV, aliquid altius in his verbis contemplatur : « Velocitate, inquit, ac subtilitate ventorum in Scriptura sacra solent animæ designari, sicut per Psalmistam de Deo dicitur *Psalm.* XVII, 11 : *Qui ambulat super pennas ventorum*, id est, qui transgreditur virtutem animarum ; » de quibus et illud intelligi potest *Psalm.* CXXXIV, 7 : « Qui producit ventos de thesauris suis. » Animas namque hominum ipsemet de suæ omnipotentiæ thesauris creando producit, et quasi alludere videtur ad illud *Gen.* II, 7, quod animam hominis producturus Deus dicitur « inspirasse in faciem ejus spiraculum vitæ, » quasi ex intimis, reconditioribus et ditioribus pectoris et cordis sui thesauris illam educens. Quoniam igitur anima quasi ventus et spiraculum quoddam est, periculum habet imminentissimum, ne subito se extollens dissipetur et pereat : nihil enim facilius dissipatur et absumitur quam ventus, eo videlicet ipso, quod e terræ cavernis ortus supra terram elevatus discurrit, et fluit. Nihil facilius est quam animam nostram per elationem et superbiam absumi, et dissipari omnem illius virtutem : considerans enim naturam suam excellentem nobilemque, se supra seipsam extollit; idcirco ad sui conservationem fecit Deus ventis pondus, hac de causa illi adjunxit terrenum corpus, cujus gravitatis pondere contineatur ne diffluat : « corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, » *Sap.* IX, 15. Pulchre hoc expendit S. Chrysostomus hom. 12 *in Genes.* ad illa verba *Gen.* II, 7 : *Et formavit Deus hominem pulverem de terra* : « Deus, inquit, cui tanta est salutis nostræ cura, ad nostri eruditionem Prophetæ linguam sic direxit : nam cum superius Scriptura dixerat : *Et fecit Deus hominem, secundum imaginem Dei fecit illum, et dedit illi omnium visibilium potestatem*, ne ignorando, quomodo constitutus sit, magnus sibi videatur, et præscriptos sibi limites transeat; repetendo docet formationis ejus originem, et quomodo productus sit, » etc. Pondus itaque ei subjecit, ut in humilitate se homo contineret, neque limites suos transgredi auderet.

Anima vento comparatur.

Tropologice igitur « Deus fecit ventis pondus, » hoc est animis ventorum instar virtutum levitate præditis, et per cœlum volantibus pondus adjecit tentationum : « *pondus* enim *ventis facere*, ait D. Gregorius loco supra citato, est concessam electis de virtutibus gloriam permixta infirmitate temperare; » et in sequentibus : « Sancti, inquit, viri, qui sancto sublevantur spiritu, ad summa rapiuntur, quamdiu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus reprimun-

Pondus tentationum hamillat.

tur, ut nequaquam tantum proficere valeant quantum volunt; sed ne extollantur superbia, fit in eis ipsarum quædam mensura virtutum, » etc. Confirmat hoc Eliæ exemplo, qui miracula patrabat; et tamen mulierculam Jezabelem fugiebat, mortemque a Deo petebat, et addit : « In illis virtutibus Elias quid de Deo acceperat; in istis infirmitatibus quid de se etiam poterat agnoscebat. Illa potentia virtus fuit, ista infirmitas custos virtutis; in illis virtutibus ostendebat quod acceperat, in istis infirmitatibus hoc quod acceperat custodiebat; in miraculis monstrabatur Elias, infirmitatibus sanabatur, » etc. Item : « Ad ima pertrahit caro, ne extollat spiritus; et ad alta sustollit spiritus, ne prosternat caro. Spiritus levat, ne jaceamus in infimis : caro aggravat, ne extollamur ex summis. » Lege plura in hanc sententiam eodem loco et cap. V.

ET AQUAS APPENDIT IN MENSURA, — ubi notat Pineda noster recte *mensuram* aquis congruere, ut suis quæque rationibus accomodatis et opportunis examinet et dijudicet Deus : nam *numerat* ea quæ multitudine constant; *ponderat* quæ mole et magnitudine; at liquida et effluentia *mensurat* · quapropter propriissime ventis *pondus*, aquæ *mensuram* adhibet. Porro arcane Deus vento, hoc est *spiritui, facit pondus*, afflans hominis animum, ut a spiritu agatur quo decet : *aquas appendit in mensura*, dum sitienti arentique animæ stillicidia quædam divinæ suavitatis immittit ea proportione quæ arentem recreet, nec perfundat.

Vers. 26 et 27.

26 et 27. QUANDO PONEBAT PLUVIIS LEGEM, ET VIAM PROCELLIS SONANTIBUS : TUNC VIDIT ILLAM, ET ENARRAVIT, ET PRÆPARAVIT, ET INVESTIGAVIT, — id est, ab exordio creaturæ, in ipsa creatione rerum, quando Deus pluvialibus aquis, ne nisi certis temporibus et mensura defluerent, et maris procellis sonitu terribili æstuantibus, ne terminos statutos excederent imperabat. *Tunc vidit*, id est, visibilem fecit Deus sapientiam per suos scilicet effectus, per quos et angelis et hominibus innotesceret : quibus *et enarravit* eam declarando et communicando uti et aliis creaturis, prout vers. 23 dictum est. Vel potius figurate enarravit, quia materiam præbuit eam enarrandi, cœli enim *Psalm.* XVIII, 1, et omnia creata enarrant gloriam et sapientiam Dei quasi interpretes, et, ut Trismegistus ait, liber divinitatis; hinc S. Chrysostomus hom. 10 *ad popul.* Antioch. ait cœlum positum esse a Deo βιβλίον μέγιστον καὶ ἰδιώταις καὶ σοφοῖς, *maximum librum et idiotis et sapientibus*; addit, πᾶσιν ἁπλῶς χρήσιμον, *omnibus generatim qui terram incolunt esse utilem librum* : vide quæ in *Expos. Patr. Græc. in Psalm.* annotavimus ad *Psalm.* XVIII. *Et præparavit*, id est, aptavit et attemperavit eam hominibus et angelis, sapientiæ capaces ac participes reddendo; vel certe omnia sapientissime et elegantissime condendo et ornando, dum res universas attingens a fine usque ad finem fortiter suaviterque disposuit

A mundi exordio Deus sapientiam suam manifestavit.

Cœli sunt liber sapientiæ Dei.

ET INVESTIGAVIT, — id est, fecit investigari ab hominibus, eamque ab iis exegit, et tanquam ratione utentibus requisivit, ut eam agnoscerent, agnitam venerarentur, eique obsequerentur et parerent in omnibus : hic enim finis et scopus est omnis elegantiæ et ornatus cœli ac terræ omniumque creaturarum, ut ex iis sapientiam Dei disceremus, et per pulchritudinem creaturarum contemplemur eum qui fecit illas. Itaque S. Basilius hom. 10 *in Hexaem.* mundum eleganter appellat διδασκαλεῖον καὶ παιδευτήριον τῶν ψυχῶν, *commune quoddam auditorium*, exedram sapientiæ, ubi admirabilia doceantur : quem opinor secutus Pisides *in Hexaem.*, σχολὴν κτισμάτων, *creaturarum scholam* nominavit. Mirabantur philosophi quidam B. Antonium, eumque negabant ulla in parte humanitatis atque sapientiæ posse excellere, cum libris et bibliotheca destitueretur; at ille codicem suum aiebat esse rerum naturam, in quibus verba Dei legere consuevisset. Sic Leo Magnus Pontifex Maximus serm. 7 *De jejun. dec. mens.* elementa mundi vocat *publicas paginas*, quibus erudimur. Et alio quodam loco *Serm.* 8, ad eruditionem nostram ait omnia elementa servire, « dum per ipsius mundi cardines quasi per quatuor evangelia incessabili tuba discimus, quod et prædicemus et agamus. » Eadem fere sunt apud S. Prosperum lib. II *De Vocat. Gent.* cap. I, qui in paginis elementorum et voluminibus temporum divinæ institutionis communem doctrinam legi prodique monet.

Mundus hic est schola sapientiæ.

Elementa sunt velut quatuor evangelia quæ Deum prædicant.

Adjiciendi sunt igitur oculi ad librum universitatis, ne quis doctrinarum ignorationem aut librorum inopiam causetur : in eo libro non modo S. Antonius, Bernardus, aliique Ecclesiæ Dei lumina, verum etiam et summi philosophi multa miranda et egregia didicerunt : quare Athanagoras, scriptor vetus et christianus, Platonem ait, cum in hujusmodi considerationem incubuisset, mundum appellavisse τέχνην τοῦ Θεοῦ, *Dei artificium*, in quo divinæ sapientiæ lumen ostendisset. Illo studio gemmei libri atque pulcherrimi usi olim sapientes ad arcana Dei cognoscenda penetrarunt, et ad sempiternam ejus virtutem et divinitatem, ut ait Apostolus *Rom.* I, 20. In hunc rerum apparatum cum aciem intenderet Philo Hebræorum doctissimus lib. II *De Monarch.* mundum hunc universum sibi videri aiebat Dei templum augustum, cujus sacrarium sit cœlum in tota rerum natura præstantissimum; donaria vero sidera; sacerdotes atque æditui, potestates angelicæ, animæ corporibus carentes, Deo finitimæ; et alio in opere, lib. *De Som.* ait mundum hunc aspectabilem esse domum Dei et portam cœli, quemadmodum Jacob patriarcha dicebat; quod per illum ad intelligibilis mundi cognitionem pervenire liceat. Sed non est opus ut in antiquos sophos intueamur, qui evanuerunt in cogitationibus suis, nec cognitum e mundi opificio Deum glorificaverunt, cum in nostris habeamus hujus meditationis et invitamenta et exempla. Divinitus illud a Salomone

Mundus Dei artificium et templum.

http://www.obrascatolicas.com

mihi dictum videtur *Prov.* I, 20 : « Sapientia foris prædicat, » vel, ut est in Hebræo apud Cajetanum, *sapientiæ foris cantabunt* : breve oraculum est, sed insigne, tribus verbis ut pyropis illuminatum atque distinctum, quæ operæ pretium est attingere. *Foris* cum dicit, extra hominem esse multa significat sparsa ubique terrarum, quæ reconditam sapientiam contineant, unde paulo post sequitur de Sapientia : « In plateis (vel, ut est in Hebræo, *in latitudinibus*) dat vocem suam, » nam intueamur hunc omnem mundi complexum quam longus et latus est, ab oriente sole ad occidentem, a polo arctico ad antarcticum, plena omnia sunt magni opificis admirabilitate, et nihil vacuum sapientia. Itaque mihi considerate dixisse videtur Salomon numero multitudinis : *Sapientiæ foris cantabunt*, ut intelligamus in omni re atque loco multiplex nobis artificium a divinæ mentis sapientia objici, et proponi ad intuendum, ut intelligentiam acuentes, et singula considerantes, utilia documenta capiamus.

Sapientia foris prædicat per omnes creaturas.

Illæ vero sapientiæ notæ tam in oculos incurrunt, tamque animum excitare possunt, ut *cantare* dicantur, et tantum non maxima et clarissima voce in omnium auribus clamare, ut rerum omnium Architectum et agnoscamus et veneremur, et pectore omni amemus. Sed quod in Hebræo est *cantare*, apud nostrum interpretem est *prædicare*, apud Septuaginta ὑμνῆσαι, *hymnis*, cantu et laudatione *prosequi* : illa enim quæ videmus omnia e tenebris et nihilo educta, tanta naturæ varietate, vi multiplici, dotibus longe disparibus instructa, magnam illam Creatoris potentissimamque manum concelebrant, fontem illum et thesaurum, verius dicam, infinitum in omnem partem bonorum omnium oceanum undique exuberantem, alto quodam et vocali silentio concinunt et in laude ponunt, ut verissime fuerit dictum : « Sapientia foris prædicat, » ubi sapientia foris ludens in creatis rebus quodammodo pingi videtur instar mesochori aut chorodidascali vocum peritissimi, in musica excellentis, quæ non modo cantat prædicatque, sed omnes universi naturas ciet ad mundi Auctorem summum plenissimo et dulcissimo concentu laudandum; aut tenere manu veluti Timothei cujusdam lyram aureamque testudinem, cujus nete sint beati spiritus, et cœlestes orbes atque lumina; hypate vero terra, mare, elementa; mediæ chordæ reliqua; quæ tanto artificio compositæ sunt atque tensæ, atque ita omnes consentiunt, ut suavissima oriatur symphonia Numinisque prædicatio. Itaque Orpheus in hymnis suis mundum esse aiebat *musicam* et mirabilem *symphoniam* quæ Demiurgum laudet; Athenagoras autem eumdem appellat ἁρμολόγησιν καὶ κινούμενον ἐν ῥυθμῷ, *concinnum et musicum organum quod movetur numerose*, cujus aspectu incitamur, ut præstantissimum illum Opificem, qui tangit fides, et jucundam modulationem e dissimillimis naturis velut sonis efficit, studio omni et religione veneremur. Cæterum ipsiusmet increatæ Sapientiæ doctrinam nobis maxime salutarem audiamus.

Creaturæ clamant et annuntiant Conditorem suum.

Mundus hic quasi musicus concentus Dei laudem resonat.

28. ET DIXIT HOMINI : ECCE TIMOR DOMINI IPSA EST SAPIENTIA, ET RECEDERE A MALO INTELLIGENTIA. — Putaverat homo stulte deceptus a dæmone bonis ejus invidente sapientiam in edendo fructu vetito esse positam, in hac enim ineptissima opinione dæmon ei insidias omnes instruxit dicens mulieri *Genes.* III, 5 : « In quocumque die comederitis ex eo aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii scientes bonum et malum; » at malo et incommodo magno suo eruditus cognovit, non in ea re quam putarat, sed in timore Dei, qui faceret ut a malo et scelere nefario recederet, et legem Dei violare non auderet, sapientiam et intelligentiam versari. Quod quidem supplicio magno angelorum et hominum satis aperte jam inde a mundi principio hominibus demonstratum est : quocirca dicit Ecclesiasticus cap. I, 16 et 22 : « Initium sapientiæ timor Domini, » et paucis interjectis addit : « Corona sapientiæ timor Domini : » itaque alpha et omega (ut B. Joannis ratione dicendi utar) id est, consummatio totius sapientiæ est timor Dei. Quod notissimum erit, si de quo timore, et de qua recessione a malo Job hic loquatur intelligamus : neque enim timorem servilem *sapientiam* appellat, quo spiritu servorum concepto Deum propter horrorem pœnæ timemus, et ante illum qui nos potest perdere et in gehennam mittere trepidamus; sed illum filiorum timorem, ad quem, ut notavit Cassianus *collat.* XI, cap. XIII, non peccatores, sed sancti propheticis invitantur eloquiis, dicente Psalmographo *Psalm.* XXXIII, 10 : « Timete Dominum omnes sancti ejus : quia nihil deest timentibus eum, » qui timor a charitatis magnitudine generatur, et in quadam verissima reverentia erga Deum, et in sanctissimo metu offensam aliquam incurrendi consistit : ille namque timor, qui proprius servorum et mancipiorum est, non *sapientia*, sed *initium sapientiæ* nominatur, juxta illud Davidis *Psalm.* CX, 10 : « Initium sapientiæ timor Domini, » quod iisdem verbis Ecclesiasticus loco supra citato enuntiavit. Quod autem initium tantum est sapientiæ, non potest ipsa totalis sapientia aut sapientiæ consummatio existimari. Est ergo alius timor a perfecta charitate generatus, illique inseparabiliter cohærens, quem perfecta charitas foras non ejicit, sed continuo secum habitare permittit, imo et manere gestit; qui non *initium sapientiæ*, sed *totalis* et *perfecta sapientia* nuncupetur; a quo illa recessio a malo statim exoritur, qua mens nostra ab omni culpa se subtrahit, non quia pœnam timet, non quia infamiam ac dedecus exhorret, non quia præmium laboris sui et mercedem expectat; sed quia propter Dei amorem vel minimam offensam perpetrare formidat.

Vers. 28.

Dæmon hominem falsa opinione sapientiæ decepit.

Initium et perfectio sapientiæ timor Domini.

Timor servilis non est sapientia, sed initium sapientiæ, et dicitur initialis.

Timor filialis perfectus est vera sapientia.

Auscultemus Bedam an ita hunc locum intelligat : « Alter, inquit, timor est, ne quisquam Deum

offendat; alter vero, si offenderit : ille prior sanctus et laudabilis, iste alius non habens charitatem, sed pœnam. Proinde de hoc prædicabili timore dicit Psalmista *Psalm.* XVIII, 10 : *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi.* De alio timore loquitur evangelista Joannes in Epistola sua dicens I *Joan.* IV, 18 : *Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem* : qui timor utique pœnam habet, quia dilectionis meritum non habet. » Hic autem filiorum timor, et hæc a malo recessio, quam magnitudo charitatis gignit, et omne bonum faciendum continet (quoniam non facere bonum quod debeas quoddam malum est, et ab hoc etiam timor iste recedit) ab ipsa perfectione separari non potest. Quare hic timor Domini et recessio a malo consummata sapientia est, in qua vitæ christianæ perfectio versatur, hic enim timor imprimit cordi magnam reverentiam erga Deum, et in prosperis et adversis perfectissime nos divinæ voluntati subdit; imprimit etiam castam quamdam erubescentiam in conspectu Dei, præsertim si mens in aliquo deficiat et inclinat ad despicientiam sui ipsius; confert deinde sollicitam diligentiam in divinis obsequiis. Quare hic dicitur : « Timor Domini ipsa est sapientia, et recedere a malo intelligentia, » quia videlicet timor quasi intellectum acuit, ne in aliquo ab eo quod est Deo placitum exorbitet. Insuper et timor hic sanctus rejicit omnem timorem servilem de morte, de judicio, de inferno, et mundanum de pœnis et confusionibus hujus vitæ; et solum recessum a Deo, et teporem charitatis ac diminutionem virtutum metuit; mortificat insuper omnem sinistram intentionem, et facit ut homo in suis exercitiis non seipsum, sed Deum quærat; ac tandem parens est profundissimæ humilitatis, qua quis se omnium vilissimum et indignissimum putat. De hoc timore ait S. Augustinus lib. XIV *De Civit.* cap. VII : « Non est timor exterrens a malo quod accidere potest, sed tenens in bono quod amitti non potest : ubi enim boni adepti amor immutabilis est, profecto, si dici potest, mali cavendi timor securus est : *timoris* quippe *casti* nomine ea voluntas significata est, qua nos necesse erit nolle peccare; et non sollicitudine infirmitatis, ne forte peccemus, sed tranquillitate charitatis cavere peccatum. » Dicit autem hæc de isto timore in statu beatitudinis, ubi omnino perfectus est : de quo vide quæ diximus cap. XXVI, 11.

Effectus timoris perfecti.

Apte ad hunc locum S. Bernardus lib. *De Vita solit. ad frat. de mon. Dei* : « Sapientia, inquit, pietas est, hoc est cultus, Dei amor, quo eum videre desideramus, et videntes in speculo et ænigmate credimus et speramus, et in hoc proficimus, ut eum videamus in manifestatione. Abstinere vero a malis scientia temporalium est, in quibus nos sumus, in quibus tantum abstinemus a malis, in quantum ad bona studemus. Ad hanc scientiam et ad hanc abstinentiam spectare inveniuntur primo omnium virtutum exercitia, deinde omnium artium vitæ hujus, in qua versamur, disciplina; quorum alterum, id est studium virtutum, respicere potius videtur ad superiora, quasi superioris sapientiæ præferentia virtutem, et redolentia suavitatem. Alterum, quod circa corporalia fit exercitia, nisi fidei religione religetur defluit in inferiorum vanitatem. » Cæterum non hic presse quærendum, an Jobus proprie dictam sapientiam scholastico more definire voluerit, neque enim id ætas illa vel locus iste deposcit; sed gravi sanctoque sensu verba accipienda, qui et apud ætatis nostræ sapientes piosque creberrimus est, ut timorem Dei, mortis meditationem, rerum cœlestium studium, contemptum mundi, et in genus alia quæ hominem Deo sapientiæ auctori conciliant, *veram sapientiam* appellare consuescant : late enim hæc patet, et uno verbo explicari nequit; sive appellare lubet cognitionem rerum maximarum per altissimas causas, seu rerum cœlestium doctrinam, seu quærendæ et promovendæ salutis scientiam, et eorum quæ ad sempiternam gloriam nos ducant; sive nostræ imbecillitatis malitiæque intelligentiam, e qua Dei timor oriatur; sive divinæ bonitatis comprehensionem, quæ gratos et sanctimoniæ cupidos facit; seu Numinis colendi scientiam, et in omni vita religiosissime venerandi : quam hoc loco Septuaginta uno verbo θεοσεβείαν vocant, omnibus enim hisce modis in divinis codicillis exprimitur, et a magnis et sanctissimis viris explicatur. Isaias cap. XXXIII, 6 curam salutis in ea requirit, et sapientiam *divitias salutis* appellat; ne quis putaret, cum de pulcherrimo et mirando mentis ornamento loqueretur, et sapientiæ meminisset, illum intelligere curiosarum rerum intelligentiam, et gloriosam pompam optimorum verborum, ob quam nonnulli ut sapientes gloriantur; in iis cognoscendis, quæ ad salutem et beatam vitam faciunt, laudem omnem sapientiæ collocavit, et nuncupavit, ut aiebam, *salutis divitias*. Lactantius lib. III, cap. VIII, cum illa nobili et sublimi scientia virtutem adjungit, et definit sapientiam, *virtutem cum scientia conjunctam* : B. Macarius *Hom.* 17 vult esse vitam secundum interiorem hominem, quod esse genus sapientiæ magnificæ putavit : « Qui ducuntur, inquit, secundum interiorem hominem, ii sunt sapientes, mites, fortes et philosophi Dei. »

Sapientia in Scripturis et a viris spiritualibus varie describitur.

virtus cum

vita hominis interioris.

Quidam ad nobilem illam cognitionem *saporem* adjungunt, id est affectum pium atque motum bonæ et devotæ voluntatis suavissime divina gustantis, sine quo non sit vera sapientia : D. Bernardus serm. 84 *in Cant.* : « Sapientia, inquit, a *sapore* denominatur; nec dixerim reprehendendum, si quis sapientiam *saporem boni* definiat. » D. Augustinus lib. IV *De Trin.* magnam illius partem in cognitione sui reposuit; nec dubitavit dicere, in humano genere meliores scientiæ terrestrium cœlestiumque rerum anteponere *nosse semetipsos*; omnium esse laudabiliorem, cui nota sit infirmitas sua, quam qui ea non perspecta vias siderum scru-

sapor boni,

Sapientia est cura salutis,

nosse seipsum,

http://www.obrascatolicas.com

tatur, ignorans ipse qua via ingrediatur ad salutem. Quod secuti etiam alii Patres, finem esse christianæ sapientiæ volunt introire in intimos animi sinus, ibi appetitiones ad rationis dominatum adjungere, impium scelus vi mentis et divinæ gratiæ superare. Quod magnus Ecclesiæ veteris Concionator ita celebravit *Eccle.* VII, 20 : « Sapientia confortavit sapientem supra decem principes civitatis; » in Græco est, *sapientia βοηθήσει, juvabit;* præsidio erit, vim et robur conciliabit homini plus quam magna multitudo dynastarum et principum civitatis, qui alioquin potentissimi inter suos et generosissimi esse videantur. Eximie rem illustrat Chaldæa paraphrasis in hunc modum, *sapientia auxiliabitur sapienti, qui subegerit concupiscentiam malam, ideo ut non peccet magis quam decem imperatores qui fuerint in civitate.* Et nescio an huc intuebatur S. Augustinus lib. I *De Serm. Dom.* cap. III, sed profecto paria dicit : « Sapientia, inquit, est contemplatio veritatis pacificans totum hominem, et suscipiens similitudinem Dei. » Præclare homo in luce veritatis se atque sua cognoscit, clara victoria concupiscentiam subigit, turbulentos animi motus et perturbationes coercet, inde jucunda pax consequitur, et gratia, et virtutum vivi et eximii colores, qui Dei similitudinem exprimant, qui mihi gradus veræ sapientiæ luminosus et expetendus omni studio videtur. Sed D. Paulus ipsius sapientiæ florem esse putat in cognoscendo redemptionis opere et percipiendis vitæ Christi mysteriis; quam *sapientiam in mysterio* vocat nimirum arcanam, neque mundo cognitam, propriam autem filiorum Dei : itaque I *Corinth.* II, 7, de se niebat, et profitebatur se nihil sapere, nihil scire, « nisi Jesum Christum crucifixum; » hanc esse nobilissimam partem et colophonem veræ sapientiæ, in qua primi religionis satores apostoli excellere pulchrum putarunt, hanc se docere et loqui inter perfectos. In cruce pulpitum inveniebat, et suggestum eruditionis honoratum, in quo justius quam in sepulcro Pherecydæ Syri elogium illud magnificum inscriberetur : *Τῆς σοφίας πάσης ἐν ἐμοὶ τέλος; in me omnis sapientiæ finis et perfectio.*

In mirandis Christi operibus et vitæ cursu videbat scholas continua sapientiæ voce resonantes, quæ docerent humilitatem animique demissionem esse Deo charam et pretiosam; quæstum magnum esse pietatem cum sufficientia, paupertatem esse anteponendam opibus et supellectili conquisitæ; esse gloriosum Dei causa contumeliam pati; magni esse animi indicium donare injurias, non ulcisci; ante oculos semper habendam esse Dei voluntatem, illam sequendam, et vel dispendio vitæ suæ obedientiam illi præstandam, quam ipse mundi liberator cibum suum esse aiebat; delicias et corporis voluptates, et mundi pompam ambitionemque fugiendam, unde funestæ sæpe clades et humanæ salutis ruinæ sequerentur; nihil esse beatius quam pura frui conscientia, quam nullus peccatorum nævus commaculet; hic laborandi et patiendi campum et palæstram esse, post hanc vitam gloriarum esse tempus et præmiorum; brevi vita emi posse felicissimam immortalitatem. Hæc et alia infinita cum D. Paulus in exedris illis sapientiæ meditando cognovisset, atque alte in animum demisisset, ardebat incredibili desiderio Christum Jesum imitandi, et rapere omnes secum eo cupiebat *Hebr.* XIII, 13 : « Exeamus, inquit, ad eum extra castra improperium ejus portantes. » O ardorem! o mysticam et præstabilissimam theologiam, laureis baccis et amaranthina corolla dignissimam! o sapientiam vere cœlestem, quam filii hujus sæculi opinantur stultitiam! ita est, inquit idem magnanimus Paulus I *Cor.* IV, 10 : « Nos stulti propter Christum. » Quinam illi? apostoli primum, deinde apostolici viri, pii denique omnes christiani; et usque nunc veræ sapientiæ amatores, non discipuli mundi, sed Dei, sacram insaniam insaniunt; dicerem cum rhetore græco *χρυσῆν μανίαν, auream insaniam:* est enim quædam insania sanctorum, quæ magna sapientia est, quam D. Ambrosius *in Psalm.* XXXIX, *veram insaniam* appellat; cum in mundanis sint « falsæ insaniæ, » ut regius vates meminit *Psalm.* XXXIX, 5. Doctor gentium I *Corinth.* I, 25, vocat « stultum Dei, quod sapientius est hominibus. » Sed merito sim longior, si modos omnes recenseam, quibus cœlestium litterarum monumenta aut divini Patres de sapientia locuti sunt : quos fusius recenset Cresollius noster in *Anthol.* cap. VI, unde hæc compendio deprompta.

dominium rationis, — contemplatio veritatis — Sapientia in mysterio est Christus crucifixus. — Crux cathedra sapientiæ christianæ. — Doctrina sapientiæ — christianæ qualis. — Christi sapientia mundo stultitia.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Job ut refellat iniquiter afficta sibi ad Eliphazo scelera, sigillatim recenset virtutes suas, quibus ab adolescentia perpetuo emicuit; sed quæ jam defectu virium et mediorum et multitudine miseriarum occultabantur : unde optat pristinæ restitui felicitati, quo rursum palam innotescant.

1. Addidit quoque Job, assumens parabolam suam, et dixit : 2. Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me : 3. Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris : 4. Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo; 5. quando erat Omnipotens mecum, et in circuitu meo pueri mei; 6. quando lavabam pedes meos butyro, et petra fundebat mihi rivos olei; 7. quando procedebam ad portam civitatis, et in platea parabant cathedram mihi? 8. Videbant me juvenes, et abscondebantur : et senes assurgentes stabant. 9. Principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo. 10. Vocem suam cohibebant duces, et lingua eorum gutturi suo adhærebat. 11. Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi, 12. eo quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum, cui non esset adjutor. 13. Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum. 14. Justitia indutus sum : et vestivi me, sicut vestimento et diademate, judicio meo. 15. Oculus fui cæco, et pes claudo. 16. Pater eram pauperum : et causam quam nesciebam, diligentissime investigabam. 17. Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam. 18. Dicebamque : In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies. 19. Radix mea aperta est secus aquas, et ros morabitur in messione mea. 20. Gloria mea semper innovabitur, et arcus meus in manu mea instaurabitur. 21. Qui me audiebant, exspectabant sententiam, et intenti tacebant ad consilium meum. 22. Verbis meis addere nihil audebant, et super illos stillabat eloquium meum. 23. Exspectabant me sicut pluviam, et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum. 24. Si quando ridebam ad eos, non credebant, et lux vultus mei non cadebat in terram. 25. Si voluissem ire ad eos, sedebam primus : cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.

Vers. 1. **1. Addidit quoque Job assumens parabolam suam, et dixit.** — His verbis insinuatur Jobum aliquantulum tacuisse, ut amicis, si vellent, locum dicendi concederet, at cum nihil reponerent, ad præsentes suas miserias amplius exaggerandas, prosperam, qua olim usus fuerat, fortunam, in memoriam revocasse : nam miserum profecto est homini calamitoso felicem fuisse, ea de causa quam tradit Euripides :

Calamitoso miserum est fuisse felicem.

Κεκλημένῳ δὲ φωτὶ μακαρίᾳ ποτὲ
Αἱ μεταβολαὶ λυπηρόν· ᾧ δ' αἰεὶ κακῶς
Ἐστ' οὐδὲν ἀλγεῖ συγγενὼς δύστηνος ὤν :

Titulum beati qui tulit fati vices
Haud facile tolerat. Non dolet quisquis malis
Suetus miseriam vertit in mores suos.

Job pristinam optat felicitatem sibi restitui. — Rursus igitur sermonem producens commemorat pristinam felicitatem, cujus desiderium exprimit; desiderium, inquam, partis inferioris bene valere florereque cupientis; aut etiam superioris, actu deliberato id optantis ad Dei gloriam amplificandam, promulgata recta de ratione divinæ providentiæ doctrina, quæ ex ipsius calamitate fuerat oppugnata. Oratio autem ejus ad commiserationem plurimum valet, quam sic exorditur :

Vers. 2. **2. Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me?** — Prima quidem specie hic videtur Job tempus præteritum desiderando dolere quod Deus mutarit ipsius conditionem, et pro eo quod olim ipsum rebus prosperis florentem reddiderat, nunc eum tam aspere affligat; sed hæc non est ejus mens et scopus : dirigit enim sermonem suum ad eos qui male de ipsius afflictione judicabant, non secus quam si homo quispiam a Deo reprobatus esset; vult igitur ostendere illos perversum judicium habere, eo quod illa duntaxat quæ in sensus incurrunt intueantur, nec longius respiciant. Jobus autem (sicut in conclusione videbitur) ostendit, si ex rebus externis de ipso judicium esset faciendum, prosperitatis suæ tempus potius respiciendum fuisse. Observemus igitur hic nequaquam Jobum indignari aut lamentari, quod videat se bonis sibi a Deo olim datis spoliatum, sed potius adversarios redarguere, ostendendo eos male in judicio, quod de ipso faciebant, procedere, eo quod ex status mutatione, quam in ipso animadvertebant, eum pro homine penitus damnato haberent, nec ejus temporis, quo olim ipsum tanquam eximium aliquem et selectum virum reveriti erant, meminissent. Ad antiquum igitur felicitatis suæ statum merito sic aspirat, *q. d.* O utinam ad pristinum meum statum revocarer, in quo innocentior mihi vita fuit, et a culpis remotior : nam insana hæc calamitas irritamentum mihi est ad delinquendum; longius sane a vitiis aberam cum regno et opibus florebam, « in quibus Deus custodiebat me, » id est, ut S. Thomas exponit, *promovebat me,* scilicet opes augendo, meque ad honores in dies promovendo, et novis fortunæ accretionibus felicitando, ita ut ipsamet felicitas mihi custos foret sanctitatis. Neque hoc est insolens in Scriptura, siquidem *Gen.* II, 15 « tulit Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso

Felicitas aliquando custos est virtutis.

http://www.obrascatolicas.com

voluptatis, ut operaretur et custodiret illum, » ubi ex mente S. Augustini lib. VIII *De Gen. ad litt.* cap. X Deus posuit hominem in paradiso voluptatis, ut in eodem custodiret hominem paradisiaca voluptate, hoc est amœniori quadam felicitate. Ad quem locum allusisse videtur Job, cum asserit fortunatissimum olim statum pro custode fidelissimo sibi fuisse, non secus ac Deus olim Adamum posuit in paradiso voluptatis, « ut custodiret illum, » scilicet *Adamum*.

Divitiæ Jobo non obfuerunt, sed profuerant ad salutem

Non est itaque quod miremur Jobum pristinam optare felicitatem, noverat quippe vir sanctissimus quas divitias et quæ bona requirat : illa nimirum bona et felicitatem antiquam requirit, quæ ut a Deo in illum profecta fuerant, sic Dei in illo amicitiam promovebant, ut nequaquam illum a recta via deflectere sinerent. Quo spectans Olympiodorus in *Caten. Græc.* sic ait : « Non speciosam tantummodo sobolem, et magnas ac locupletes copias, divinam custodiam atque opem dixit, sed multo magis; quia in tanto splendore, divino septus præsidio, jus summopere tuebatur : idcirco igitur in illum pristinum statum se restitui cupit; quia tanquam Dei amans in ejus fide et tutela optat esse. » Expertus fuerat vir sanctus pristinas divitias a Deo in se profectas fuisse tantis virtutibus connexas, ut ex iis nihil nisi sanctum et justum ad Dei amicitiam pertinens prosiliverit : quare non quascumque divitias exoptat, non solam felicitatem postulat, sed illam suam *pristinam*, quæ ut a manu Dei venerat, sic nihil produxerat, quod non spiraret amicitiam divinam.

Temporalia bona sunt etiam Dei beneficio.

Huc refero illud *Prov.* X, 22 : « Benedictio Domini divites facit, nec sociabitur ei afflictio, » quasi nequeat bonis a Deo acceptis amaritudo aut afflictio se commiscere peccati; unde dona a Deo orta nomen *benedictionum* sibi acquisivere, juxta illud *Psalm.* CXLIV, 16 : « Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione : » procul enim est maledictio a Dei donis. Sapienter Eliu *infr.* cap. XXXII, 13, cavet ne felicitas temporalis justorum putetur ad divinam reprobationem pertinere : ait enim : « Ne forte dicatis : Invenimus sapientiam, Deus projecit eum. » Solent nimirum hæretici felicitatem Ecclesiæ divinæ tribuere reprobationi, quibus cum Eliu respondet D. Gregorius lib. XXIII *Moral.* cap. IV : « Per hoc quod sanctam Ecclesiam in honore hominum florere temporaliter cernitis, projectam eam a Domino non credatis : scit enim redemptor ejus et in hoc itinere solatia venienti tribuere, et pervenienti ad æternam patriam superna præmia reservare : incassum igitur dicitis, quia Deus eam projecerit, cum venerari illam a cunctis fere hominibus videtis; quia sic ei terrenæ gloriæ adjumentum tribuitur, ut per hoc multiplicius etiam ad cœlestia subvehatur : » sic etiam ex temporalibus bonis felicitas æterna justorum claret.

Hæc igitur *Dei custodia*, quam Jobus memorat, ea fuit, quam ægerrime tulit Satan dicens cap. I, 10 : « Nonne tu vallasti eum ac domum ejus? » etc. Deus nimirum ipse, non angeli modo, in hominis bonum intentissimus, vallat, ambit, circumdat illum tanquam murus æneus, qui non valet perrumpi; custodia ergo hæc, quæ animam, corpus, bona temporalia complectitur, a Jobo hic expetitur. Dicens autem se olim a Deo sic servatum et custoditum esse, tacite insinuat se modo ab ipso derelictum esse; non quod fixam et firmam illam opinionem habeat, sed ex sensu suo naturali, prout solent interdum sancti Deum precantes, loquitur, quasi Deus ipsum oblivioni tradidisset, prout nimirum hominibus videri poterat, quodque sensu suo naturali concipiebat, quamvis ipsi ope fidei resistat, qua in omnem Dei voluntatem erat perfectissime resignatus.

Peccatores dies pristinos gratiæ efflagitare debent.

Istiusmodi quoque sunt voces Ecclesiæ, cum pro suis membris fores divinæ misericordiæ pulsat dicens *Thren.* V, 21 : « Converte nos, Domine, ad te, et convertemur : innova dies nostros sicut a principio : » quin et singula Ecclesiæ membra eamdem vocem emittunt, cum eorum quisque verba Jobi innumeris calamitatibus afflicti sibi ipsi accommodant, et non pro dolore corporis, sed pro cruciatu animæ a peccato proveniente sibi convenire pronuntiant : « Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me? » *Dies* quippe *nostri* sicut a principio et *menses pristini* tempus gratiæ designant, ad quos redire cupimus, cum Dei vocationem nos a vetustate peccatorum ad novitatem vitæ revocantem affectamus : cui vocationi, licet a Deo incipienti, quia non sine gratiæ auxilio, (quod præsto nobis est), nos respondere oportet; ideo per Joelem prophetam cap. II, 12, ad conversionem excitamur, cum tubam prædicationis insonantem audimus : « Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu; » et rursus ait Dominus *Zach.* I, 3 : « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, » *q. d.* Prius quidem ego converti me ad vos a somno peccatorum excitando, et vestram molliendo duritiem; convertimini igitur vos ad me vocationi meæ respondendo, et meam inspirationem accipiendo, ut ego tandem convertar ad vos justificando, et gratiam atque amicitiam meam vobis dando.

Hanc enim præstantissimam et desiderabilem amicitiam non natura procreat in nobis, non facultas liberi arbitrii progignit; sed Deus ipse in parvulis quidem per lavacrum regenerationis, in adultis vero, qui post baptismum graviter deliquerunt, per pœnitentiæ sacramentum aut re aut voto rite susceptum, meritis Jesu Christi exigentibus, simul cum gratia et vita spirituali animæ in voluntatem nostram clementer infundit; quod S. Paulus *Rom.* V, perspicuis verbis testatus est, charitatis causam non aliam quam Spiritum Sanctum liberaliter dantem, et misericorditer eam in nos effundentem agnoscens : quam charitatem licet homo adultus, qui semel aut sæpe aliquod

crimen commisit, non ex merito habeat (nunc enim parvulos mittimus sola virtute sacramenti et prævia matris Ecclesiæ fide justificatos) non tamen sine dispositione aut præparatione aliqua particeps tam eximiæ virtutis efficitur : nam primo clementissimus Dominus et verissimus miserationum pater peccatorem in peccatis dormientem excitat, fugientem vocat, et nullis ejus poscentibus meritis, imo multis divinam indignationem provocantibus demeritis, ad supernaturalem amicitiam suam et familiaritatem invitat. Hic etiam notandum, caput hoc animis internam desolationem Deique repulsam patientibus esse aptissimum, ac dulcissimis querimoniis plenum; et ut ab hoc versu ducamus exordium, satis frequenter viri rerum cœlestium studio addictissimi, quos Deus olim suavissimis inspirationibus ac blandimentis demulcebat, cernentes se in derelictionem, anxietatem, ariditatem, tenebras interiores a Deo ad experimentum depulsos, hujusmodi verbis uti solent : « Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me? » *q. d.* Profecto graviter me Deus repulit, imperiose rejecit me, lactabat me olim, ac in deliciis habebat; modo vero, postquam me ablactavit, videtur oblitus mei : gaudebam ego tutela ejus, ac prosperabar; nunc tamen a custodia illa procul actus et derelictus extabesco. Hæc justorum lamenta boni consulenda, neque arctandus animus, ne dolorem exhalet suum, uti Joannes a Jesu Maria ad hunc locum monet.

Quales sint desolatarum querelæ animarum.

Vers. 23. 3. QUANDO SPLENDEBAT LUCERNA EJUS SUPER CAPUT MEUM, ET AD LUMEN EJUS AMBULABAM IN TENEBRIS? — Utinam, inquit, res succederent ut quondam, cum « lucerna (id est, favor et benignitas Dei me dirigens, lætificans et prosperans) in tenebris, » id est in difficultatibus et doloribus affulgebat mihi, ut inter calamitates ac perplexitates caliginosæ hujus vitæ inoffensus incederem : quando, inquam, illuminatio gratiæ ejus quasi fax aut candela lucens super apicem mentis sive verticem rationis meæ splendebat, meque in omnibus credendis et agendis illuminabat; et ego minime rebellis nec inobediens lumini ducatum ejus diligenter sequebar, omnia mea secundum divini luminis instructionem sollicite dirigens; ut sic omnia agerem, quomodo Deo quam maxime grata esse intellexissem, idque in densissimis hujus mundi tenebris, ubi vel maxime opus est lumine divino, sine quo velut in obscura nocte caligamus et impingimus : quantumcumque enim quis lucernam ad excipiendum lumen aptaverit, nisi tamen ignis accesserit, ardere non potest : sic etiam anima nostra nec sibi ardere, nec aliis lucere potest, nisi divinum gratiæ lumen acceperit. Ita pulchre S. Augustinus *in Psalm.* CXIX, ait : « Nemo enim juste vivit nisi justificatus, id est, justus effectus; ab illo autem fit homo justus, qui nunquam potest esse injustus. Sicut lucerna non a seipsa accenditur; ita neque anima sibi

Lucerna designat favorem et benignitatem Dei.

Lucerna gratiæ Dei necessaria est in tenebris hujus vitæ.

præstat lucem, sed clamat ad Deum *Psalm.* XVII, 29 : *Tu illuminabis* (Vulg. *illuminas*) *lucernam meam Domine*, » q. d. Tu luce gratiæ ac favore auxilii specialis benigne me dirigens, lætificans ac prosperans, in tenebris difficultatum, dolorum et periculorum animæ et corporis affulges mihi, ut inter calamitates caliginosæ hujus vitæ inoffenso pede incedam. Nos quippe in hoc mundo tanquam in tenebris versamur et multis undique doloribus, ærumnis et periculis circumdamur, ita ut, nisi clementissimus Deus per lumen gratiæ suæ nobis præfulgeat, non possimus gradum unum promovere, quin statim in multas miserias incidamus : tunc autem omnibus illis periculis occurrit, quando nobis lucernam suam exhibet et accendit.

Vers. 4. Quos Job vocet dies adolescentiæ suæ.

4. SICUT FUI IN DIEBUS ADOLESCENTIÆ MEÆ, QUANDO SECRETO DEUS ERAT IN TABERNACULO MEO? — *Dies adolescentiæ* vocat dies lætæ constantissimæque pietatis, quando velut in flore quodam suo est animi religio, cum devotio est robustior, et nonnullam maturitatem consecuta. Vatablus vertit *dies autumni*, quasi vellet Job id tempus significare, quo mens pia uberem quamdam fructuum opimitatem ut in autumno producit : quo facit græca lectio *Sixtin. Bibl.*, ὅτε ἤμην ἐπιξήρων, *cum eram gravescens*, quod Scholiastes eleganter in hunc modum illustrat, *sicut fructuosæ arbores onustus eram bonis*. In illo igitur beatissimo tempore, cum virtutum florerent baccæ, et cœlestia dona exuberarent, cum mentem suam in oratione ad S. Numen attolleret : « Secreto, inquit, Deus erat in tabernaculo meo, » hoc est, mirabili quodam modo velut in augustali suo Rex regum in domicilio pectoris mei habitabat, in adyto, in penetrali, in arcano animi sinu morabatur. Hanc sententiam ita extulerunt Septuaginta, ὅτε ὁ Θεὸς ἐπεσκοπεῖτο ἐπισκοπὴν τοῦ οἴκου μου, *cum Deus visitationem faciebat domus meæ*, hoc est, cum in me benignitatis suæ oculos injiceret, cum invitatus pia et humili oratione mea, ut amicus et dulcissima familiaritate conjunctus visitandi gratia intimum in animum penetraret. Symmachus vertit, ἡνίκα περιεφράσσεν ὁ Κύριος τὴν σκηνήν μου, *quando circumsepiebat Deus tabernaculum meum*, ut effectum divinæ illius visitationis et conjunctionis exponat; cujus proprium est consepire devotum animum suo præsidio, et undique circumvallare adversus impotentium inimicorum vim et impressionem : neque enim in aliis magis quam in deditis orationi salutaris illius præsidii vis et virtus elucet. Hinc divinæ litteræ, ubi de Salomone magnifici operis duce ita loquuntur II *Paralip.* IV, 9 : Fecit « atrium sacerdotum, καὶ αὐλὴν τὴν μεγάλην; » S. Hieronymus vertit, *basilicam magnam* : in Hebræo est, *atrium præsidii* sive adjumenti, vox enim חֲצַר *hazarah*, ut noster Vilalpandus notat, *opem ferre* et *auxiliari* significat. Locus igitur ille in templo, in quem omnes conveniebant orationem facturi, et Numinis opem et præsidium imploraturi, dicebatur

Quomodo Deus in secreto animi tabernaculo habitet.

Deus animam devotam præsidio suo valat.

http://www.obrascatolicas.com

atrium adjutorii, quasi dicas *auxiliatorium;* idemque ἀυλὴ, *basilica* sive *regia*, quod Deus ibi sit ut in aureo pulcherrimoque palatio, cujus domus est domus orationis ad repugnandum et tuendum opportuna : quod ad piæ orationis commendationem valet plurimum.

Interior conversatio et secretus cum Deo agendi modus.

Cæterum ille dicendi modus : « Quando secreto Deus erat in tabernaculo meo, » significat secretum agendi cum Deo morem, ita ut Jobus Dei præsentiam sentiens, puta dum clauso cubiculo orabat et meditabatur, animadverteret Deum sibi esse propitium, ex quo ad ipsius cultum ardentius inflammaretur : quod profecto in ætate adolescentiæ, quæ vix fræni patiens esse solet, sæculo præsertim illo inculto, mirabile est. Atque hæc nimirum est illa *conversatio interior*, quam spiritalis vitæ magistri vehementissime commendant ut gymnasium quoddam virtutis, ut beatæ vitæ phronstiterium, ut divinæ legis arcanum. Dicitur autem *interior*, quod intimo in corde versetur illa cœlo digna solitudo; nominatur vero *conversatio*, quod religiosæ mentis homines nunquam soli sint vel cum soli sunt, sed clarissimis comitibus sociati : quemadmodum S. Ambrosius lib II *De Virgin.* de sanctissima Dei matre : « Comites, inquit, non desiderabat, quæ bonos comites cogitationes habebat : quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cum sola esset. » Ad illam internam cum Deo conversationem S. Patres invitant, et quod S. Hieronymus scribit *ad Demetr.*, hoc omnibus omnes dicunt : « Adhibe etiam tibi in urbe solitudinem, et remota paulisper ab hominibus propius Deo jungere. »

Homo est Dei tabernaculum.

Huc veterum vatum prædictiones referendæ sunt, cum monent quosdam « redire ad cor, » *Isai.* XLVI, 8; unde velut placido e portu et amico ejecti in turbulentissimam jactationem incidissent. Huc quoque spectat illud quod *Num.* IV, jubet Deus, ut sacerdotes curent interiora velaminis tabernaculi, ubi Origenes *Hom.* 10 tabernaculum ait esse hominem ex D. Paulo monente ingemiscere nos gravatos, qui sumus in hoc tabernaculo : « Igitur interiora, inquit, velaminis, ubi inaccessibilia conteguntur, principale cordis dicemus, quod solum recipere potest mysteria veritatis et capax esse arcanorum Dei. » Quo in loco vir doctissimus *principale cordis* appellat τὸ ἡγεμονικὸν, quod Vates regius *medium domus* hieroglyphice nominavit *Psalm.* C, 2 : « Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ. » S. Chrysostomus eam picturam illuminans : « Medium domus, inquit, vocat τὸ ἡγεμονικὸν τῆς καρδίας, » et sensum istius loci hunc esse ait, διασκέπτων ἠρίθμουν τὰ κατ' ἐμαυτὸν, *meipsum considerabam ac perscrutabar*, num videlicet cor innocentia conservata virtutes sibi omnes conciliaret. S. Ambrosius lib. *De Noe* cap. XI, dixit *animæ principale*; et in rem nostram aliud divinæ Scripturæ oraculum mirificum in modum illustrat : nam exponens illud *Genes.* VII, 1 : « Ingredere tu et omnis domus tua, » sic

Cor dicitur hominis principale.

In corde

loquitur : « Hoc dicit Dominus justo : Intra tu, hoc est, intra teipsum, intra tuam mentem, in tuæ animæ principale : ibi salus est, ibi animæ gubernaculum, foris diluvium, foris periculum. » Nihil dici mihi videtur potuisse elegantius, nihil divinius. Sic Gregorius Nyssenus consummatæ vir sapientiæ serm. *De Resurrect. Christi* cor nuncupat ἑστίαν τοῦ νοῦ, *domicilium mentis*; quod in eo ἡγεμονικὸν seu *principale* esse creditur. S. Augustinus serm. 63 *De Verb. Dom.* « secretarium conscientiæ » dixit : « Intra te vide si habes illic aliquod secretarium dulce conscientiæ tuæ, ubi non perstrepas, ubi non litiges, aut lites pares, » etc. Climacus gradu quarto vocat *abditum cordis*, et pulcherrimum documentum religiosis hominibus consignat in hunc modum : « Studiosus silentii appropiat Deo, ipsique jugiter in abdito cordis assistens ab eo illustratur. » S. Chrysostomus lib. II *De Compunct.* nominat ἀσίκητον, *secretum*, solum locum et desertum a turbis, sacrum silentium et quietem; nec dubitat dicere, virtutis viam incunti « ante omnia necessarium esse, τὴν ψυχὴν εἰς ἀυτὴν ἄγειν τὴν ἀσίκητον, *ut anima in hujusmodi secreta ducatur* non tam loco, quam proposito et voluntate ab omnium rerum inanitate sejuncta. Servator mundi in Evangelio *Matth.* VI, 6, *cubiculum* id vocavit : « Intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito. » S. Augustinus serm. 59 *De Temp.* illud cubiculum ait esse « cordis nostri secretum. » Atque hoc est istud tabernaculum, in quo Deus secreto agebat cum Jobo. Tale similiter sponso tabernaculum ædificaverat in medio cordis sui, et ubique circumferebat Catharina virgo Senensis non vulgari sanctimonia prædita, in quo semper cum Deo agebat, et dulcissimis ejus colloquiis et amore fruebatur, ut in *Vita* ejus narratur.

cum Deo conversandum.

Secretarium conscientiæ.

5. Quando erat Omnipotens mecum, et in circuitu meo pueri mei? — Explicatio est versus præcedentis, neque enim videtur aliud, secreto esse Deum in Jobi tabernaculo, quam esse cum Jobo, et illius commodis invigilare. Eo autem tempore nihil Jobo defuit, quod ad illius faceret luculentos usus et regiæ dignitatis ornamenta : habebat filios, qui tantam exhilarabant ornabantque familiam, copiosum famulitium et nobile, quo ad domestica et publica munera utebatur : utrumque enim significant illi pueri, qui in Jobi circuitu constitisse dicuntur, vox enim *puer* ex Hebræorum idiomate non minus servorum quam filiorum conditionem importat : ita Sanctius. Cæterum si de filiis proprie dictis sumere volueris, significabitur fuisse Job veluti centrum in medio filiorum suorum : solet enim parens triplici de causa dici centrum filiorum, *primo*, quia sicut centrum non magis ad unam quam ad alteram partem circuli accedit, ita pater non debet magis in unum quam in alium filium propendere. *Secundo*, quia sicut totum centrum terminat omnes lineas et totum singulas,

Vers. 5.

Deus erat cum Jobo quando ejus commodis invigilabat.

Parens debet esse centrum filiorum.

ita totus pater debet omnibus filiis et totus singulis instruendis occupari. *Tertio* denique, quia sicut omnes lineæ in centrum, ita filiorum mores in parentum incurrunt, seu illis omnino conformantur. Sic ostensum est *supr.* cap. I, 13, in priori felicitatis statu Jobi filios paternæ pietatis æmulos exstitisse; ad quam gloriam modo orbus in sterquilinio suspirans ait : « Quando erat Omnipotens mecum, et in circuitu meo pueri mei. » Quomodo enim apud Omnipotentem tam acceptus fuisset pater, nisi de filiorum comitatu in operibus virtutum? Pulchre id Nicetas exponit in *Caten.* in persona Jobi loquens : « Res, inquit, meas Deus visitatione sua dignabatur : multa mihi materies divitiarum suppetebat; ipsius vero divitias ac nobilem sobolem virtutis materiam mihi egomet statuebam, cum et divitias in egentes conferrem, et liberos Dei arbitrio ac voluntate educarem. » Prudentissime scilicet totam materiam negotiandi cum Deo referebat eo Job, ut filios virtutum suarum comites curaret habere, nec unquam Deum sine filiis accederet : nulla enim re magis parentum sacrificium exornatur quam filiorum consortio.

Filii Jobi erant paternæ pietatis imitatores.

Parentum sacrificium filiorum consortio honoratur.

Quo mystice spectat illud *Psalm.* CXXVII, 3 : « Filii tui quasi novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ, » quasi cœlestis vivificique sacrificii mensa non adeo grate capiat parentes, qui sine filiis suis accedunt. Quis neget parentibus dulciores esse dapes in mundialibus conviviis, cum epularum consortes habent filios in circuitu suo? Quis parens non putet sibi felicissimum diem, quo una cum filiis adest conviviis? Id sciens Psaltes parentes monet, in quo sit eorum felicitas, non in eo quod in convivio mundiali habeant filios in circuitu suo, sed in mensa, in qua pabulum ministratur divinum; ibi summa est patris felicitas, quod habeat filios in circuitu suo. Ita D. Hilarius : « Non in convivii, inquit, circuitu futuros ait esse filios, sed mensæ : mensa enim Domini, ex qua cibum sumimus, panis scilicet vivi est, et mensa lectionum, in qua spiritualis doctrinæ cibo alimur. » In circuitu harum mensarum habeat pater filios suos, si velit placere in illis : Fœdum enim est patrem frequentem adesse cœlesti mensæ, et filios permittere interdum comessationibus, et ebrietati et scenis servire. Samuelis mater rogata ut in templum adoratura iret, respondit I *Reg.* I, 22 : « Non vadam donec ablactetur infans, et ducam eum, ut appareat in conspectu Domini. » Cur renuit sine filio coram Domino comparere? S. Chrysostomus hanc reddit rationem : « Non existimabat esse tutum relicta domo ascendere in templum, quod cum accepisset donum, non sustineret absque dono comparere. » Præclarissime dictum hoc est, quia cum certum sit patres ex Dei dono filios habere, nunquam satis illis tutum est sine filiis in Dei conspectum venire, hoc est, nunquam tutum est parentibus non sic filios instituere, ut illos possint habere comites religionis suæ : vide plura de recta liberorum institutione cap. I, 13 et seq.

6. Quando lavabam pedes meos butyro, et petra fundebat mihi rivos olei? — Est metalepsis, *q. d.* Tanta mihi erat rerum omnium ad familiæ sustentationem necessariarum abundantia, ut quasi pro aqua mihi esset lac atque butyrum; ita ut si voluissem, in lacte aut butyro pedes potuissem abluere, quemadmodum in aqua solent ablui, nec vel tantillo damno id mihi fuisset. Similis periphrasis ubertatis est illa Jacob in benedictione Judæ *Genes.* XLIX, 11 : « Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum; » quod vero additur : « Petra fundebat mihi rivos olei, » perinde est ac si Jobus diceret : Non solum fœcunda terra, sed et sterilis et petrosa, propter Domini benedictionem, magnam olivarum et olei copiam profundebat, ut quasi per rivos ultro fluere videretur. Septuaginta reddunt, ὅτι ἐχέοντο αἱ ὁδοί μου βουτύρῳ, τὰ δὲ ὄρη μου ἐχέοντο γάλακτι, *cum fluebant viæ meæ butyro, et montes mei fluebant lacte*, quibus verbis significat Jobus se a Deo in ejusmodi deliciis, ut sibi nihil deesset, constitutum fuisse, *q. d.* En Deus me præterito tempore ita tractavit, ut quasi non ambularem super terram, nullam soli duritiem sentirem, sed potius mihi Deus ex butyro et rebus mollibus pavimentum stravisse videretur. Denique significat se quasi ex communi cæterorum hominum conditione exemptum natasse in omni voluptatum genere, non quod in illis se helluonum, ebriosorum et dissolutæ vitæ hominum more inebriarit, sed quod a Deo illi tam florens et prosper rerum status olim concessus fuerit, ut satis ipsum nisi modum verborum excedendo exprimere non potuerit. Et in eo quidem animadvertitur, ipsum quantum maxime potest beneficia Dei erga se extollere et amplificare, sicuti etiam a nobis fieri par est. Cæterum sic etiam hæc explicari possunt, *q. d.* En in quantam ego calamitatem inciderim, qui olim lacte et oleo cæterisque bonis affluebam, quasi terra mihi ad nutum deserviret : profecto nunc pro rivis lactis et olei cerno ex hoc meo corpore tabido et ulceribus exeso rivos saniei ac purulentæ tabis effluere.

Vers. 6.

Quo sensu dicatur Job lavisse pedes butyro.

Fluenta butyri et lactis delicias summas designant.

Tropologice S. Gregorius lib. XIX *Moral.* cap. X : « Butyro, inquit, pedes lavantur, quia prædicatores sancti bonorum operum pinguedine replentur : etenim vix ipsa prædicatio sine aliquo transitur admisso, nam quilibet prædicans aut ad quantulamcumque indignationem trahitur, si contemnitur; aut ad quantulamcumque gloriam, si ab audientibus veneratur. Unde et apostolis pedes loti sunt, ut a quamlibet parvo contagio in ipsa prædicatione contracto quasi a quodam itinere collecto pulvere mundarentur. Pedes ergo lavantur butyro, quia pinguedine boni operis infunditur atque mundatur collectus pulvis de gloria prædicationis. Vel certe butyro pedes lavantur, dum sanctis prædicatoribus debita ab audientibus stipendia conferuntur; et quos fatigat

Butyrum est symbolum pinguedinis bonorum operum.

http://www.obrascatolicas.com

injunctus prædicationis labor, exhibita a discipulis pinguedo boni operis fovet : non quod ideo prædicent ut alantur, sed ideo alantur ut prædicent, id est, ut prædicare subsistant, non ut in intentionem sumendi victus transeat actio prædicatoris, sed ad utilitatem prædicationis deserviant ministeria sustentationis. Unde a bonis prædicatoribus non causa victus prædicatio impenditur, sed causa prædicationis accipitur victus. Et quoties prædicantibus necessaria ab audientibus conferuntur, non solent de rerum munere, sed conferentium gaudere mercede, » etc. Per *petram* autem idem S. Gregorius cap. XI, intelligit virtutem, quæ dura pluribus et aspera instar lapidis videtur, præcipue iis qui tyrocinium non exegerunt. Verumtamen hæc, quam initio petram durissimam judicant, decursu temporis vertitur in oleum, et valde jucunda efficitur. Quo sensu exponit *ibid.* Gregorius illa verba *Isai.* X, 27 : « Computrescet jugum a facie olei, » id est, virtus, quæ instar jugi colla premit tyronum, ipsa consuetudine nullo negotio sustineri poterit, grave pondus deponet instar ligni putridi et vermibus exesi : verba ejus sic habent : « Potest nomine *olei* ipsa S. Spiritus unctio designari, de qua per Prophetam dicitur : *Computrescet jugum a facie olei.* Jugum quippe a facie olei computrescit, quia dum S. Spiritus gratia ungimur, a captivitatis nostræ servitute liberamur, » etc.

Petra symbolum virtutis; cujus rigor dulcescit successu temporis.

Affectus hominis spiritaliter desolati.

Porro in sensu arcano Joannes a Jesu Maria hunc Jobi versum viro justo a Deo repulsam passo ac desolato sic attribuit, *q. d.* Hei mihi, quam videor mihi mutatus ab illo qui quondam fui! Recordor ego puro divinæ consolationis balsamo me solitum fuisse adeo copiose perfundi, ut non mens tantum, sed corpus quoque usque ad ipsos ut ita dicam pedes cœlesti voluptate afficeretur : tunc sane petra, hoc est aspera duraque virtutis disciplina, fundebat mihi rivos olei, adeo ut ex ipsis vitæ austerioris exercitiis, jejuniis, verberibus, vigiliis delicias castas elicerem : nunc vero versa est in luctum lætitia, nihilque nisi mœstum, durum aculeatumque succedit. Precor ergo, qui videor obiisse, renascar. Et hic profecto sensus arcanus mirifice Jobo ipsi congruit, quem interna desolatio immaniter divexavit; at et aliis Jobo simillimis consentit. Quin et damnatis istiusmodi voces acommodat Drexelius noster in libello vere aureo *De Ætern.* Non enim nesciunt, inquit, damnati quantis olim divitiis affluxerint : illis jus cœli transcriptum erat : hæredes regni potuissent esse modo voluissent. Recordantur divinæ gratiæ butyrum copiosissime sibi fluxisse, quo lavari licuisset; id tamen a se repudiatum esse. Meminerunt olei rivos e petra, divini amoris et misericordiæ fontes e Christo sibi emanasse; hæc omnia tamen suo vitio a se neglecta. Jam clamant, sed frustra : Quis nobis tribuat ut simus juxta menses pristinos, quando lavabamus (certe lavare poteramus) pedes butyro, et petra Christus fundebat nobis rivos olei sanguinis sui? Jam nec olei, nec butyri guttula fluit amplius : divinæ misericordiæ fons exaruit : divini favoris rivuli sunt exsiccati. Cœlestis agni sanguis pro nobis frustra fusus est : cruciatus et mors Christi nobis non prosunt amplius : incassum recidit omnis impensa. Eheu actum est de nobis! sic ille pie meditatur.

Damnati frustre optant Dies pristinos.

7. QUANDO PROCEDEBAM AD PORTAM CIVITATIS, ET IN PLATEA PARABANT CATHEDRAM MIHI? — Hactenus de rebus ad vitam instructumque familiæ necessariis; jam agit de auctoritate quam habuit apud omnes, et dignitate regia, quam cum omnium approbatione sustinuit. Sed cur ad urbis januam rex, aut ibi quam ob causam sedile? Nonne a regia severitate alienum in communi loco cum multitudine versari? quare idemmet Jobus *supr.* cap. III, 14 de regibus et consulibus loquens dixit illos sibi solitudines ædificare, quia nimirum sub aureo laqueari interque parietes ebore distinctos latent absconditi, nec se vulgo mortalium patefaciunt. Sed sciendum olim judiciarium tribunal prope urbium introitus fuisse collocatum, regesque ipsos judicum fungi munere non aspernatos. Procedebat igitur ad fores civitatis Job inclytus, ut litium arbiter fieret altercantibus, componeretque discordes, et scelera ulcisceretur : in portis enim fieri hominum conventus, et ibi disceptari atque agitari causas legitimo judicio solere, ex aliis quoque Scripturæ libris constat : sic *Prov.* XXXI, 23 de conjuge mulieris fortis dicitur : « Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ. » Huic autem ordini ac senatui quasi princeps et antistes præerat Jobus; atque ideo illi in honesto illo ac legitimo loco statuebatur cathedra, ubi supremam ac regiam majestatem ostenderet; unde patet ad quantum honorem Job evectus fuerit. Quando autem sic loquitur, nequaquam ea profert ad ostentationem (contra enim cum omni humilitate sibi a Deo impositum opprobrium tolerat) sed redarguit adversarios, *q. d.* Vos hodie judicatis me esse hominem damnatum et maledictum : cur vero? ecce enim me tanquam miserum cadaver omni ope destitutum unusquisque irridet. Considerate vero, num apte judicetis? nam non ita pridem ab omnibus honore afficiebar, vosque mihi tunc plausissetis. Vestrum igitur judicium non rectum est, nec æquum; propterea quod in rebus visibilibus hæretis, cum vobis longius respiciendum fuisset. Porro de judiciis in porta exerceri solitis vide quæ *supr.* cap. V, 4 annotavimus.

Vers. 7.

Conventus olim in portis haberi solebant.

8. VIDEBANT ME JUVENES, ET ABSCONDEBANTUR : ET SENES ASSURGENTES STABANT. — Quando, inquit, incessu regio progrediebar ad portas, ubi legitima, uti dixi, exercebantur judicia, ab omni gentium ordine sic observabar, ut omnes publicum mihi deferrent honorem : ac juvenes quidem cedebant de via, et ne illorum mores severe corriperem abscondebantur; senes vero et viri graves cum me viderent advenientem, in signum honoris ac

Vers. 8.

Job in florenti statu valde honorabatur ab omnibus.

reverentiæ mihi assurgentes tantisper consistebant in pedes, donec ego pertransissem. Quid autem impellebat juvenes ut se occultarent, nisi eximia Jobi virtus ac morum gravitas, quæ ipsum illis venerabilem ac formidabilem reddebat? Si enim vir aliquis jam provectæ ætatis vitiis deditus fuerit, potius inde juvenes ad male agendum, cum ejusmodi fautorem habebunt, licentiam sument, ipsique colludent, et insultabunt. Cum igitur Jobo ea reverentia exhibita fuerit, ut juvenes se ab ipso occultarent, signum est in ipso eas virtutes fuisse, ut propter ipsas, non propter opes, illum honorare cogerentur. En quod nobis hic primo loco notandum est. Sed notemus etiam hoc vocabulum *abscondendi* innuere pudorem aliquem, quo detinentur ii, qui solius Dei timore et amore non satis in officio continentur : nam quidquid sit, adhuc coram hominibus continent se, nec volunt turpitudinem et dedecus suum cognosci; præsertim si virum aliquem gravem, maleficii sui testem et spectatorem habituri sint, ejus præsentiam fugiunt, qui male agere volent. Videmus igitur pudore isto, quo afficiuntur homines dum male agunt, Deum illos reos peragere, ut convincantur, et quæcumque subterfugia opponant, quasi proprio sigillo et propria confessione omnia vitia esse vitia, et se condemnandos esse obsignent.

Virtus Jobum reddebat honorabilem.

Qui male agit fugit aspectum viri gravis et virtute præditi.

Pudor ipse nos arguit vitiorum.

Sed quare non etiam senes ejus conterriti aspectu latebras petebant? videlicet *juvenum* ii significantur nomine, qui nulla legibus habita reverentia luxum et voluptates sequuntur; *senes* vero intelliguntur, quorum compositi mores et vita innocua. Quoniam igitur ob judicis adventum probi lætantur et exsultant; mali autem sibi male metuunt et formidant; propterea juvenes abscondebantur, et senes assurgebant. Unde S. Gregorius lib. XIX *Moral.* cap. XIV : « Sanctam, inquit, Ecclesiam vident nunc juvenes, et abscondunt, senes vero ei assurgentes assistunt; quia vigorem ejus atque rectitudinem immaturi formidant, grandævi glorificant : vident ergo hanc juvenes, et absconduntur, quia deprehendi in suis occultis actibus metuunt; senes vero assurgentes stant, quia perfecti quique ex humilitate indicant quantum in bona operatione profecerunt. » Sed numquid ex senibus etiam mali omnibusque fœdati vitiis quidam sunt, quemadmodum et inter adolescentes reperiuntur virtutum clarissimarum fama laudatissimi? Quamobrem ergo non et se abscondere qui senes reputantur perhibeantur? Adverte subtilitatem : omnis correctio adversus juvenes solos est, non quia de senibus cuncti probi sint, sed quia vitium senectute confirmatum velut irreparabile censeatur ob difficultatem salutis. Concipitur itaque Jobus quasi hos ob desperationem quamdam penitus relinquat, ægritudine quodammodo ob immanitatem medicinæ beneficium respuente; non quoniam non converti et salvari ipsimet valeant, sed ut quam sit ardua provincia demonstretur. Sciens ergo propter neglectam adolescentum educationem spretaque sub initiis mala in tantam deinceps ruere insaniam, ut miraculi instar propemodum habeatur resipiscere, optimus morum moderator in juvenes severius animadvertebat, quo scelerum exordia amputaret : idcirco disciplinam veriti adolescentes, speciatim memorantur, simul ac prodibat, ejus fugere vultum solitos, et se abscondere.

Cur etiam seniores non fugerint Jobi vultum.

Vitia senum irreparabilia censentur.

Hanc igitur doctrinam ex hoc loco colligamus quod nimirum nos Dominus admoneat, cum pudore aliquo male agentes afficimur, hominum conspectum fugimus, nec ita notam esse nostram fœditatem volumus; ut intelligamus, frustra nos in vitiis nostris nobis blandiri, eaque tegere conari, sed potius debere discere ipsa condemnare. Cæterum si ejusmodi confusione coram hominibus afficimur, sciamus nos præsentiam et conspectum Dei non posse effugere, frustra nos latibula quæsituros : ejus enim conspectui nos nudos et retectos esse, et ab eo non solum opera quæ hominibus innotescunt, sed etiam abditissimas et maxime arcanas animi cogitationes observari. Discamus igitur non solum homines, sed imprimis judicem illum cœlestem, qui nos intuetur, timere. Cæterum ut ad Jobum revertamur, significat non tantum homines plebeios ac vulgares, sed etiam viros principes atque primarios omnem sibi honorem detulisse, de quibus subdit :

9 et 10. PRINCIPES CESSABANT LOQUI, ET DIGITUM SUPERPONEBANT ORI SUO. VOCEM SUAM COHIBEBANT DUCES, ET LINGUA EORUM GUTTURI SUO ADHÆREBAT, — id est, ipsi quoque principes me præsente hiscere non audebant, et labiis digito compressis, quem inchoarant, imperfectum relinquebant sermonem : quin et duces, quibus militare studium audaciam alit et loquendi licentiam, cohibebant tamen vocem suam, quasi lingua eorum faucibus adhæsisset, et sermonis facultas prorsus fuisset ablata. Hic igitur admonemur, ut nos Deo, ejusdemque vicariis, sive doctoribus ac rectoribus ab eo missis dociles ac morigeros exhibeamus; cum homines auctoritate et prudentia præditi Jobo se dociles præbuerint, nec doceri recusarint; unde quamvis omnium excellentissimi simus, non debemus tamen ejusmodi perfectionem nobis arrogare, cui non opus sit semper amplius proficere. Cæterum Jobus statim declarat se honoratum et æstimatum fuisse, non solum quod acuto et subtili ingenio esset, sed quoniam inter homines rectum et justum tueretur : quid enim Job inter hæc adeo splendida et gloriosa? numquid tyrannum agebat et pauperum oppressorem, ut Eliphaz cum sociis ei objecerant? Audi quid sequatur :

Vers. 9 et 10.

Apud principes Job erat in veneratione.

11 et 12. AURIS AUDIENS BEATIFICABAT ME, ET OCULUS VIDENS TESTIMONIUM REDDEBAT MIHI. EO QUOD LIBERASSEM PAUPEREM VOCIFERANTEM, ET PUPILLUM, CUI NON ESSET ADJUTOR. — Jobus hic antiquam nominis sui claritatem commemorat non vane conflatam, sed ab egregiis virtutum, misericordiæ præ-

Vers. 11 et 12.

Claritudo nominis Jobi virtutis fundamento.

http://www.obrascatolicas.com

mento nitebatur.

sertim ac justitiæ, actibus exortam, ut ex his versibus perspicuum fit : boni quippe principis est ejusmodi operibus nomen parare, ac amplificare suum, quæ animos subditorum concilient, quos in principe ipso spem firmiter collocare decet affuturum sibi, si quid ingruat adversitatis. Profecto bene respublica temperatur, ubi potentiores ac insolentiores comprimuntur, et indigi ita sublevantur, ut principi ex animo fausta precentur, et velut parentem ac tutelarem suum intueantur. Ergo Jobus fama clarus apud exteros auditu res ejus gestas accipientes, et apud suos, rerum ipsarum spectatores ac testes oculatos, qui et faustis acclamationibus eum prosequebantur, uti sequens versus declarat :

Boni principis officium in quo situm sit.

Vers. 13. 13. BENEDICTIO PERITURI SUPER ME VENIEBAT, ET COR VIDUÆ CONSOLATUS SUM, — id est, qui vel suo infortunio vel aliena malitia perire debuisset, mea ope liberatus me benedicebat. Pro verbis illis, *cor viduæ consolatus sum*, Septuaginta legunt, στόμα δὲ χήρας με εὐλόγησε, *os viduæ benedixit me*. Aliqui ex Hebræo vertunt, *cor viduæ canere feci* : quæ omnia in miseros et afflictos præsertim morituros præsentissimum Jobi auxilium et beneficentiam commendant, quæ magnam promeretur apud Deum et homines benedictionem. Ad hoc autem impertiendæ benignitatis studium multa sunt quæ uniuscujusque animum exacuere et inflammare debeant. Nam ut omittam nos satisfacere illo modo communi humanitati, et eo genere beneficentiæ consequi, ut cum in similem casum et fortunam inciderimus, aliorum consolatione perfruamur; illud mihi plurimi semper faciendum mirandumque visum fuit, quod cum sit opus excellentis charitatis, illi Deus non communia merita, ut in aliis operibus solet, verum privilegia rara quædam et singulares gratiæ dotes adjunxerit, quas Job divinitus afflatus breviter quidem, sed arcano et magnifico sensu *benedictionem perituri* seu morituri nominat.

Jobi in miseros et afflictos beneficentia.

Quæ sit benedictio morituri.

Quod si meis potius verbis quam D. Ambrosii clara sapientia illustrare coner, sim opinor reprehendendus : nam doctor ille sanctus lib. *De Bon. mort.* cap. VIII graviter in hunc modum expendit : « Si quem viderimus debilem, non deseramus; si quem in extremis positum, non relinquamus; occurrat et nobis dicere : *Benedictio morituri in me veniat.* Laudet et te unusquisque moriturus, unusquisque depositus ævo, unusquisque confectus vulnere gravi, unusquisque morbo absumptus, et jam morti proximus. Hic versiculus quantos benedici fecit? quoties mihi pudorem incussit? si moriturum præterii, si non visitavi graviter ægrum, si fastidivi inopem, » etc. Hic vir divinus in se nobis et exemplar clarissimi præsulis, et hujus misericordiæ dignitatem ac magnitudinem expressit : in conspectu divinæ majestatis totus erubescebat, et pudore velut diploide operiebatur, si moriturum præteriisset, si graviter ægrum non visitasset. Excitabat igitur se ad opus illud charitatis, et amore benedictionis, quam morituri piis adferunt, procul a se amoliebatur, si mollioris animi delicatum fastidium et valetudinarii horror insurgeret; et lubens se ad eorum numerum et sapientissimam choream adjungebat, quos Deus propter illud genus miserationis eximiis animi donis et benedictionibus ornavisset; quos fuisse bene multos illis verbis ostendit : « Hic versiculus quantos benedici fecit? » Quod esse verissimum e sacris regum annalibus constat. Joas enim rex Israel morituri benedictionem obtinuit IV *Reg.* XIII, cum ægrotum adiisset Eliseum, qui plenus Deo et beatam spirans immortalitatem eo morbo occubuit : hic cum arcum et sagittas in manum regis posuisset, robur indidit, et veluti consecravit ad lætas victorias referendas; et prædixit fore, ut ter gloriosa tela sua per Syriam, et regium pugionem lauro et palmis inclytum circumferret. Apostoli omnes singulari pietate et reverentia discedenti ab hac vita Dei genitrici adfuerunt : quis dicat, quot et quantas benedictiones adepti sunt? Qua de re cum S. Joannes Damascenus *De Dorm. Deip.* ex S. Dionysio Areopagita *Divin. Nom.* cap. III memorat : « Illi, inquit, conversi sunt ad hymnos, qui dicuntur in excessu divina impleti gratia, et hos commodantes spiritui una cum emigrante Dei matre emigrare cupiebant, quoad ejus fieri potera! vehementi animi studio promigrantes. Postquam vero omnes ut ex multis floribus sic variis hymnis sacram contexuere coronam, benedictionem tanquam aliquem a Deo thesaurum accepere. »

Opera misericordiæ merentur Dei benedictionem.

Hæc morituri benedictio omne quidem emolumenti genus ambitu suo continet, quod officiosa in ægrum misericordia tribuere potest. Quæ si probe apud nos reputemus, non dubito, quin sanctus quoque in nobis ardor excitetur ad perfruendum illa benedictione, quæ in hujusmodi charitatis officiis tribuendis percipitur : nam cum Christus merita illustrium facinorum exponeret, quæ sublimes evehunt animas ad beatissimæ gloriæ communionem, inter alia sic denuntiat *Matth.* XXV, 36. « Infirmus fui, et visitastis me, » etc. : sic enim fore dicit, ut in decretorio illo magno die illos prædicet, quos nominat *benedictos Patris* in ævum sempiternum coronandos. Hoc officium christianæ pietatis sine dubio ad omnes pertinet qui vivere digne Deo cupiunt, et suavissimum illud Servatoris præconium : « Venite benedicti Patris mei, infirmus fui, et visitastis me, » plurimorum animos commovit, et compulit in nosocomium, et chlamydes regum purpureas, et diademata candida, et triumphales ducum palmatas, et infulas pontificum gemmeas, et omnium conditionis hominum contentionem et amorem incendit ad consolandos ægros et levandos. Hæc utique erat *benedictio perituri*, quæ super Jobum veniebat, qui non tam Idumææ princeps, quam nobilis constantiæ rex et virtutum omnium imperator fuit. In utraque fortuna documentum fuit exemplarque mortalium, quod jus fasque et lau-

datæ vitæ excellentia a præstanti viro petat in felici rerum cursu et lætissima abundantia difficile dictu fuit, an re magis et opulentiæ communicatione quam verbo et sapientia prodesset aliis, populumque juvaret. Hoc constat, neminem fuisse in ærumnis positum, et humanis calamitatibus oppressum, quem non ultro et incredibili charitate veluti manu erigeret, et consolaretur : de se enim ita hic vere pronuntiat : « Cor viduæ consolatus sum : » neque leviter illud quidem atque in speciem, verum contentione mirabili et dexteritate, quæ omnem doloris aculeum evellebat. Itaque hunc locum ita quidam vertunt ex Hebræo, *cor viduæ commovebam ad jubilum.* Pectus illius mœroribus circumsessum dulcissimæ vi consolationis adeo permulcebam, ut erumpens in lætitiam plenissimam humanitatis doloris prope sui oblivisceretur. Sed unde a judice tam insignia humanitatis facinora emanarint ipse pandit, cum ita subdit dicens :

minibus virtute fulgebat.

Vers. 14. 14. JUSTITIA INDUTUS SUM : ET VESTIVI ME SICUT VESTIMENTO ET DIADEMATE JUDICIO MEO, — ubi notandum illud, *vestivi me*; quibus verbis haud obscure significatur suapte natura Jobus ad boni judicis munus aptus et comparatus fuisse, uti pulchre D. Chrysostomus in *Caten.* ad hunc locum notat dicens : « Sed nimirum quis eum judicem constituit? A seipso, hoc est, ab ipsa virtute creatus est judex quemadmodum Moyses. Tales videlicet decebat esse principes. » Utinam ad munera obeunda soli illi assumerentur, quos bona naturæ indoles inspecta designaret : fallar, nisi ii optima sui muneris opera præstarent. Quis naturæ propriæ repugnans opus regulariter perfecte conficiat? Quis non perfectissime exsequatur jussus munus illud, cujus opera ex sua propria natura amat? quod enim ex propria cujusque natura venit, id certo sperari consuevit in homine quocumque, ut inde dicat Nazianzenus epist. *ad Eudox.* : « Quæ ad naturæ ductum fiunt, plerumque bene succedunt; quæ vero præter naturam præsumuntur, frustra tentantur. » Frustra speratur fructus, quem non fert arboris natura; frustra in homine opera sperantur, quibus natura adversatur, ex quo fit, ut a Deo communiter in ea evehantur munera cujusque consentanea naturæ. Id quod notat D. Chrysostomus hom. 7 *De Laud. S. Pauli*, ubi immensa hujus sancti miratus facinora : « Unde, inquit, Paulus talis emersit ac tantus? et ex proprio videlicet, et ex Dei : et idcirco ex Dei, quia de proprio. » Inde regulariter cognosces te a Deo vocatum ad munus, si munus fuerit propriæ consentaneum naturæ : habet enim id Deus propriissimum, quod communiter gaudeat ex propriis rerum naturis sua perficere.

Job suapte natura ad judicis munus aptus et comparatus erat

Job non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus virtute fulgebat.

Job itaque a Deo sortitus animam bonam, et indolem nactus ad omnem virtutem suapte natura maxime propensam, haud contentus erat propria conscientia in plenitudine gratiarum et virtutum, quæ intus in corde ab illo administraban-

tur, nisi eam insuper justitiæ plenitudinem procuraret, e qua emanaret in superficiem, emanaret in habitum illustris quidam splendor virtutis, ut qualis esset in conscientia, talis etiam aliis videretur, providens (ut inquit Paulus II *Cor.* VIII, 21) « bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. » Sic igitur Job circumamiciebatur justitia, ut nihil in eo appareret nudum, nihil inane : « Sapiens enim, inquit D. Ambrosius lib. II *De Jac.* cap. V, nunquam inanis est, semper in se habens amictum prudentiæ; qui potest dicere : *Justitiam induebam, vestiebam judicium.* Quomodo inanis qui de plenitudine Christi accipit, et servat acceptum? Quomodo inanis, cujus repleta est anima, quæ accepta gratiæ vestimenta custodit? » sic se vestit et ornat sapiens, ut nihil nudum, nihil inane permittat in se videri. Nec solum vestitur undique justitia, sed etiam in tanta plenitudine recipit, ut ab intus emanet in habitum, et eructet a conscientia in superficiem, ne sit in illo vel fimbria exterior quæ possit inanitatem ostendere, vel possit merito reprehendi. Quod habeat necessum est, qui de Christi plenitudine splendet. Significatur itaque justitiam exterius manifestandam, et sicut pallium circumvestiendam, per opera nimirum et actiones externas. Indumentum enim virtutis actio est, sicut docet S. Chrysostomus hom. 70 *in Matth.* et hom. 25 *in Rom.* : « Christum induamur, inquit, cumque illo perpetuo simus; quandoquidem istud demum est indutum esse, nunquam ab illo deseri, ipsumque undique in nobis per nostram sanctimoniam mansuetudinemque conspicuum esse. » Sic dicitur *Psalm.* CXXXI, 9 : « Sacerdotes tui induantur justitiam, » ubi Bellarminus noster : Non solum, inquit, justi sint intus et in corde, sed etiam exterius in omni eorum vita, in verbis et operibus cernatur justitia, etc.; Unde S. Bernardus *Epist.* 23 : « Sacerdotes, inquit, Dei induantur justitiam, et multo utique decentius et ditius quam auro et serico : » item *Epist.* 113 Sophiam virginem alloquens : « Illæ, inquit, filiæ Babylonis induuntur purpura et bysso, et subinde conscientia pannosa jacet; fulgent monilibus, moribus sordent; e contra tu foris pannosa, intus speciosa resplendes, » etc. Nazianzenus quoque lib. *De Virgin.* : « Vestimentum, inquit, fero aureis excussum texturis, Christum animæ meæ occultum pulcherrimumque ornamentum, » etc. Eleganter Cajetanus ad locum illum *Jud.* VI, 24 : *Spiritus Domini induit Gedeonem* : Reluxit, inquit, in eo Spiritus divinus, quemadmodum in induto regia veste relucet regius fulgor.

Indumentum virtutis actio est.

Justitia et judicium erant Jobi vestimentum.

Job igitur de istis indumentis atque ornamentis gloriatur dicens : « Justitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento et diademate judicio meo; » innocentiam et animæ puritatem *judicium* suum vocans, quia sicut vestimento ex omni parte circumdamur, ita ille, inquit S. Gregorius lib. XIX *Moral.* cap. XII, justitia vestiebatur, quia se undique bono opere protegebat, et nullam partem actio-

http://www.obrascatolicas.com

nis suæ ad peccata nudam relinquebat. Pulchræ profecto vestes, quibus primus parens noster Adam e manibus sui creatoris exivit indutus: præclare enim dixit S. Bernardus serm. 1 *De Annunt.*: « Videre mihi videor, dilectissimi, quatuor virtutibus his amictum primum hominem ab ipso suæ creationis exordio et vestimento salutis indutum. » Per quatuor autem virtutes, *misericordiam* et *veritatem*, *justitiam* et *pacem* intelligit, de quibus regius vates concinuit *Psalm.* LXXXIV, 11 : « Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt. » Virtutes itaque vestes animæ sunt: nam sicut vestis non est aliquid naturale nobiscum exoriens (nudus enim egressus sum de utero matris meæ, inquit Job cap. I, 21, et nudus revertar illuc,) sed extrinsecus corpori adhærens: ita virtus non est cognata homini in iniquitatibus concepto, et in peccatis in lucem edito, sed Dei munere, labore nostro cooperante conquisita. Vestis ad operiendam nuditatem et fovendum corpus inventa est, et virtus ut ignominiam nostram cooperiat data est, et ut animam defendat et foveat: et si illa corpus exornat, et aliquando hominis aut statum aut munus aut dignitatem demonstrat; hæc mentem venustat, et quis sit justus ac Dei filius convenienter ostendit. Sed quare judicium istud diademati comparavit? nempe quod in eo spem retributionis æternæ quasi fundet: quisquis enim in hujus vitæ mortalis decursu adversus semetipsum judex irremissus est, et delicta vindicat, cum ad æterni Judicis subsellia pervenerit, remuneratorem experietur, coronabitur ab eo, et non plectetur. Quod cum Jobus optime nosset, fidenter attestatur judicium sibi in diadema conversum iri; uti pulchre his verbis Gregorius lib. XIX *Moral.* cap. XVI declarat: «Justorum judicia recte diademati comparantur; quia per magni operis gloriam ad retributionis ducunt coronam. »

Virtutes sunt animæ vestes.

Judicium justi diadema.

Vers. 15. Job erat oculus cæco et pes claudo.

15. OCULUS FUI CÆCO ET PES CLAUDO. — Non dicit, cæco se ducem præbuisse, qui illum duceret; nec claudo baculum ministrasse, cui adhærescens incederet; sed cæco se fuisse oculum et claudo pedem: ita enim exacte et perfecte eorum defectum supplebat, ut oculos et pedes ipsis carentibus restituere videretur. Hinc iis, qui vel ignorantia vel imbecillitate judicii quasi mentis oculis capti sibi ipsis consulere non valebant, aderat sapienti et fideli consilio; et qui propter inopiam facultatum vel amicorum penuriam claudorum instar progredi et expedire sua non poterant, eorum ipse negotia promovebat et confecta dabat. Observandum hic, principem ita reipublicæ caput esse debere, ut et oculus cæcorum et pes debilium plerumque fiat: mirifice quippe hæc officia dignitati supremæ congruunt, cum inter mortales onus reipublicæ administrandæ ita principi imponatur, ut pondus gestare, non excutere ac proculcare debeat. Allegorice S. Gregorius lib. XIX *Moral.* cap. XIV, hunc versum ad S. Ecclesiam typica interpretatione sic refert : « Ipsa est, inquit, *oculus cæco*, quia per verbum lucet: ipsa *pes claudo*, quia per adjutorium continet : cæcos enim prædicando illuminat, claudos vero opitulando sustentat : cæcus quippe est, qui adhuc quo pergat non videt; claudus autem est, qui non potest ire quo videt : crebro namque peccatum aut ignorantia aut infirmitate perpetratur, ut vel nesciat homo quid velle debeat, vel non omne quod voluerit possit, » etc.

Princeps debet esse oculus et pes reipublicæ.

Ecclesia est oculus cæco per prædicationem, et pes claudo per opitulationem.

Vers. 16. Job erat pater pauperum.

16. PATER ERAM PAUPERUM : ET CAUSAM QUAM NESCIEBAM DILIGENTISSIME INVESTIGABAM. — Egentium ait se fuisse patrem, quia in ipso egentes non affectum duntaxat pium, sed vere paternum experiebantur, æque eis faciebat ac filiis, eorumque inopiam sublevabat non minus quam si pater illis fuisset; non ut alii passim homines, qui etiam misericordes audiunt, qui cæco alicui mendico duos ad summum dipundios erogant, et claudo forsitan quadrantem impertiunt, et non raro etiam bene precando inanem dimittunt; ille vero tantum eis impertiebatur, ut illius potius filii viderentur quam mendici : « Pater, inquit, eram pauperum. » Non largitor solum, sed pater. Dormit filius in utramque aurem, et pater in lecto jacens huc illuc se convertens dormire nequit, curis filiorum excitatus. Sic Job cum pauperes ipsi dormirent, ipse vigilans cogitabat, quomodo orphano illi favere posset, quomodo viduæ illi remedium præstaret, quomodo xenodochio lectulos et necessaria sufficeret. Talis est *Psalm.* XL, 2, « qui intelligit super egenum et pauperem; » de quo pronuntiat Propheta beatum esse, quia beatorum et prædestinatorum hic affectus proprius est. Pulchre ad hunc locum S. Gregorius lib. XIX *Moral.* cap. XIV : « Plerumque, inquit, multa homines pauperibus largiuntur, non quia eosdem paupere diligunt, sed quia si minime tribuant, iram supremi judicii formidant : qui si Deum non metuerent, quæ habent dare noluissent. Quia igitur aliud est bonum opus *ex præcepto*, aliud vero *ex affectu* facere, sanctus vir, ut mentem nobis suæ operationis insinuet, dicit : *Pater eram pauperum* : non enim *patronum* se, vel *proximum*, vel *adjutorem* pauperum, sed *patrem* fuisse testatur : qui nimirum magno charitatis officio studium misericordiæ vertit in affectum naturæ, ut eos quasi filios cerneret per amorem, quibus quasi pater præerat per perfectionem : » sic ille. Ex cujus doctrina constat, qua mente Christus nos securos reddere voluerit, nihil omnino defuturum iis qui patrem haberent Deum, quando ipse sollicitus admodum de filiis et quærit sollicitudine amoris et impertitur parentis affectu omnia necessaria.

Job pro pauperibus sollicitudo.

Hanc opinor ob causam nostra mater Ecclesia Deum Spiritum Sanctum in Sequentia Missæ Pentecostes veluti titulo gloriosissimo *Patrem pauperum* indigitat; de quo David, cum arcana summæ mentis insueta luce pertigisset, mira cecinit, atque in primis illud in hymno μυσταγωγίαι magnificum

Deus est pater pauperum.

Psalm. CVIII, 31 : « Adstitit a dextris pauperis : » pictura est Davidico penicillo digna : facit pauperem tuto et beate gradientem, *adstare* autem *a dextris* Deum ut hyperaspisten, fidum armigerum, fortissimum invictumque lateronem, qui opposito scuto amoris providentiæque suæ defendat pauperem; vel *adstare a dextris* εὐωνύμων δεξιὸν, *felix augurium*, omen salutare, certum auspicium securæ felicitatis, qui pede dextro, ut alexicacus quidam Hercules et sospitator accedat; vel *adstare a dextris*, ut qui manus habet aureas plenas hyacinthis, in dexteram inopis dona sua et copiæ cornu injiciat; vel denique *a dextris*, ut pauper per se nudus, spoliatus et egens, qui imbecillitate sua corruat, imposita velut in humeros manu illo ipso nitatur, qui portat orbem. Sed idem ipse purpureus Cantor aliam quamdam pingit imaginem ad eamdem rem significandam : vult enim ut mensæ apparatum cogitemus pontificum cœnis ditiorem, sedere autem inopem, ministrare Deum, genialiter illum suavissimeque vescentem, hunc lautia laute suggerentem; et ad picturam addit hoc epigramma *Psalm.* LXVII, 11 : « Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. » Quæ omnia eo tendunt, ut intelligamus, beneficentissimum Deum gerere maxime eorum hominum curam, et providentissime illis prospicere, qui angustia rei familiaris, inopia et mendicitate premuntur. Quod decus B. Numinis, quantum mortalis potest, imitari Job voluit, qui *patrem pauperum*, quam Idumææ principem, aut, ut eum quidam vocant, *regem regum*, appellari se malebat. Sequitur :

Summa Dei in pauperes liberalitas.

Job summa diligentia in causis miserorum investigandis et promerendis.

ET CAUSAM QUAM NESCIEBAM DILIGENTISSIME INVESTIGABAM. — Non sane quiescebat in throno apparato sibi, in circumstante satellitio; sed et tunc totus erat in pervestigando oppresso, et ibat investigans, si quis miser jaceret, cui opem præstaret suam : « Neque enim exspectabat, inquit S. Chrysostomus in *Caten. Græc.* dum ad eum ii, quibus facta erat injuria, accederent; verum ipse prævertens lustrabat omnia, eos quærens qui læsi essent injuria; nec quoquomodo quærebat, sed multa adhibita vigilantia : nec enim dixit : *Quæsivi*; verum : *Causam quam ignorabam investigavi*, scrutatus sum; studiosus disquisivi, omnia movi, ut calamitosos reperirem, neve quispiam violatus injuria uspiam lateret. Genus præfecturæ vides, » etc. : hanc sibi præfecturæ doctrinam ebibant omnes principes, persuasi se inter universas principatus glorias hoc semper debere agitari stimulo, hac sollicitari cura, qua omnia prævertant, omnia moveant, ne lateat vel unus miser, sed quisquis sit, ad remedium possit reperiri. Vere regius ille Theodori animus, qui aiebat apud Cassiodorum lib. III *Variar.* cap. XX : « Inter gloriosas reipublicæ curas, quas perpeti cogitatione Deo auxiliante revolvimus, cordi nostro est levamen humilium, ut contra potentiam superborum nostræ pietatis erigamus obstaculum; nec liceat quidquam apud nos audaciæ, cujus est propositi superba calcare. » Vere rex est et vere princeps, quem totum minime occupant gloriosæ reipublicæ curæ, sed inter gloriosas scit sollicitari miselli cujusque cura, qui causam quam nescit non solum interrogat, sed diligentissime investigat.

Reges non tam ad verba quam ad vestigia suorum attendant.

Proh Deus immortalis! si reges non ad verba, sed ad vestigia ministrorum suorum diligenter attenderent, quot fallaciarum abscondita etiam in iis qui sancti et sinceri videntur deprehenderent : regina erat, et uxor regis illa, cui dictum est *Cant.* I, 7 : « Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, » etc. Consultius videretur esse reginæ ad depellendam ignorantiam, si interrogaret sapientissimos sui gregis, et ad eorum dicta prudentesque sermones attenderet : at non dicitur illi ut interroget, nec ut attendat ad verba, sed ut vigili cura abeat *post vestigia gregum*. Et fallar, nisi universas ignorantias et errores depellat rex, qui paulisper surdescens ad verba multum vigilat ad suorum vestigia deprehendenda. Pulchre Sidonius Apollinaris lib. V *Epist.* 7, gloriatur a se homines deprehensos, et regi et regno valde infensos : « Indagavimus, inquit, qui germani tui et novi principis amicitias criminarentur; si tamen fidam sodalium sagacitatem clandestina delatorum non fefellere vestigia; hi sunt quos hæc peculiariter provincia manet, inferre calumnias, deferre personas, afferre minas, auferre substantias : quorum si nares afflaverit uspiam rubiginosi aura marsupii, confestim videbis illic et oculos Argi, et manus Briarei, et Sphingarum ungues, et perjuria Laomedontis, et Ulyssis argutias, et Sinonis fallacias adhiberi. His moribus obruunt virum non minus pietate quam potestate præstantem. Ad quorum consilia Phalaris cruentior, Midas cupidior, Tarquinius superbior, Nero impurior, Domitianus truculentior redderetur. » Expende unde potuerit bonus regis amicus has cognoscere regni pestes; nimirum ipse ait, « fidam sodalium sagacitatem clandestina delatorum non fefellere vestigia. » Dum ipsi multa apud regem comminiscuntur, blandisque verbis et zelo plenis obruunt virum, bonus indagator Sidonius non compositas hominum orationes attendit, sed perfidos sodales eorum, nititur clandestina indagare vestigia : ex quibus homines invenit perditissimos, illisque moribus compositos, qui procul dubio perderent et regnum et principem. Quo refert Rodulphus gloriam regum, de qua Salomon ait *Prov.* XXV, 2 : « Gloria regum investigare sermonem, » quasi inde gloriosi reddantur reges, quod non hæreant in blandis compositisque sermonibus ministrorum, sed insuper investigent, hoc est, eorum vestigia attendant, clandestinasque eorum semitas speculentur. Quod faciebat Job cum ait : « Causam quam nesciebam diligentissime investigabam : » non ait diligentissime *interrogabam*, sed *investigabam* : ut enim bonus canis venaticus non tam ad voces quam ad semitas, quam ad vestigia attendebat.

http://www.obrascatolicas.com

Vers. 17. 17. CONTEREBAM MOLAS INIQUI, ET DE DENTIBUS ILLIUS AUFEREBAM PRÆDAM. — Sub metaphora bestiæ alicujus sanguinariæ ex rapto viventis et prædam dentibus dilacerantis designat hominem in alios injuriosum, qui fortunas diripit alienas, vel famam lædit, vel quoquo modo alium divexat; quibus infestum se fuisse dicit, ut pauperibus et infirmis opem ferret; qua ratione loquendi David etiam usus est *Psalm.* III, 8 : « Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa, dentes peccatorum contrivisti, » quod maxime decet potentes homines, eos præsertim qui in magistratu sunt; quod per Davidem Deus fieri præcipit *Psalm.* LXXXI, 4 : « Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate. » Optimus ergo judex Job divitum potentiumque improbitatem conterebat, et velut ex ore luporum fractis eorum dentibus prædam injustam eripiebat : ita nimirum ille qui Deo vacans ipsum secum commorantem sentiebat, et butyro internæ suavitatis ac oleo consolationis pedes eluebat; nihilominus adeo totus erat operibus charitatis intentus, ut nullum amoris erga proximos officium omitteret, atque ad molesta, humilia et abjecta obsequia descenderet, et nihil horum suæ mentis tranquillitatem impedire putaret. Quid ergo ex hoc loco vir spiritualis addiscet, nisi ut quamvis butyro et oleo divinarum consolationum abundet, ad proximorum tamen miserias sublevandas condescendere non erubescat, et illam dulcedinem pro charitate interim intermittat; et hanc dejectionem et humilitatis exercitationem utilem putet, qua et Christum ipsum imitatur propter nos ad infima descendentem, et exacto externo labore cœlestia clarius et subtilius intuetur. Optime enim ait S. Gregorius lib. XIX *Moral.* cap. XIV : « Nec tædere animum debet, si sensus ejus contemplationi spiritualium semper intentus aliquando dispensandis rebus minimis quasi minoratus inflectitur, quando illud Verbum, per quod constat omnis creatura, ut prodesset hominibus, assumpta humanitate voluit paulo minus ab angelis minorari. Quid ergo mirum, si homo se propter hominem retrahit, dum Creator hominum et angelorum formam hominis propter hominem suscepit? Nec tamen minoratur sensus cum sic attrahitur, quia tanto subtilius superiora penetrat, quanto humilius pro amore Conditoris nec inferiora contemnit. Quid indignum nobis vel difficile est, si supra infraque animum ducimus, qui eadem manu corporis lavamus faciem qua etiam calceamus pedem? » Confirmat et hoc Bonaventura *De Inform. novit.* part. II, cap. IV, sic scribens : « Bona actio maxime condita pinguedine charitatis, et obedientiæ vel alterius virtutis lætificat conscientiam, et dat fiduciam spei in Deum, etsi ad horam intercipit devotionis quietem; tamen meretur postea majorem dulcedinis infusionem et gratiam puritatis. »

Maxime decet principes defendere pauperes ab injuriis.

Interdum ab oratione vacandum, ut operibus misericordiæ et charitatis vacemus.

18. DICEBAMQUE : IN NIDULO MEO MORIAR, ET SICUT PALMA MULTIPLICABO DIES (1), — id est, domi meæ, non a patrio solo exactus, meos inter liberos ævum transigam, ibi consenescam, ibi mortem obibo; *plicabo dies.* Tam uberem vero ingeniosarum similitudinum materiam hinc nati sunt, ut non raro pro resurrectione mortuorum argumentum ex illa derivarint. Erroris fomentum præbuerunt verba statim antea in textu legenda : « Dixi : In nidulo meo moriar, et sicut phœnix multiplicabo dies : » pronum est enim ut nidus de ave exponatur, et de ave potissimum ejus nominis, tota antiquitate celebratissima, deducendis figuris et allegoriis maxime opportuna. Vers. 18.

Phœnix, avis Arabiæ teste Solino, cap. XLII, aquilæ magnitudine, capite honorato, in conum plumis exstantibus, cristatis faucibus, circa colla fulgore aureo, postera parte purpureus, atque cauda, in qua roseis pennis cæruleus inscribitur nitor : vide et Plin. lib. X, cap. II, et lib. XIII, cap. IV. Addunt, oculos micare ceu sidera, unicum esse in terris, Tacitus lib. VI *Annal.* : « Unum in terris. » Mela lib. III, cap. IX : « Avis semper unica » ; vitam alii ad quingentos annos, Horus *Hierogl.* 33; Seneca *Epist.* 42; Tacitus lib. VI *Annal.*; Herodotus lib. II, cap. III. Alii ad millenos (Auctor poemat. *De phœn.*, sub nomine Lactantii et Claudiani, etc.). Alii ad septies millenos (Chæremon apud Tretz.), producere aiunt; Plinius lib. X, cap. II, ad 660, vel 560, seu 521 annos; varia enim sunt exemplaria. Solino vero 540 annorum avis est. Parem novem corvorum generationibus autumat Hesiodus; corvum vero novem humanis generationibus parem constituit. Albertus Magnus intra 340 annos phœnicis vitam definit. De phœnice ita scribit Tacitus *Annal.* cap. VI : « Paulo Fabio, L. Vitellio Coss. Tiberio principe, post longum sæculorum ambitum, avis phœnix in Ægyptum venit. Sacrum soli id animal..... De numero annorum varia traduntur. Maxime vulgatum, quingentorum annorum spatio. Sunt qui asseverant, mille quadringentos exegerita unum interici, prioresque ejus generis aliter

(1) Scitum est Jobum iis verbis longioris vitæ felicitatem sibi augurari; utrum vero produci sibi vitam *palmæ*, vel potius *phœnici* parem optaverit, an tot sibi vitæ annos, quot maris arenæ sunt, deprecatus sit, ambigitur : denique utrum similitudo ex phœnice, an ex palma, an ex arena e littore maris ducta sit, inter auctores disputatur. Hæc nobis in præsenti discutienda sunt. Profecto si hebraici textus verba satis haberentur explorata, nullus esset controversiæ locus : sola enim sententiæ ad litteram expositio interpretum dissidia componeret, neque magnopere curæ esset, quid veteres pravam interpretationem secuti censuerint : illos interpretes inter veteres nobis sequentibus, qui maxime rem assecuti crederentur. Cum vero rabbini et veteres interpretes, quorum sententia in Scripturæ versione gravior est, non satis inter se constent, et incertam vagamque harum vocum significationem reliquerint, integer nobis manet labor et locum et præcipuas versiones expendendi, ut inter varias illorum sententias optimam pro viribus seligamus.

Et equidem PRIMO, quam ejus loci versionem dederunt Septuaginta, ea variis opinionibus occasionem præbuit et fomentum : utuntur enim voce *phœnix*, quæ in græco tria vel quatuor maxime diversa significat : *palmam* nempe, *phœnicem* avem, et *Phœnicium*, nempe *Phœniciæ* incolam, ac demum *herbam*, quam nos *lolium marinum* appellamus (Dioscorides, lib. IV, cap. XXXIX). Hanc æquivocationem sensisse illi, et subducere voluisse videntur, addentes vocem *truncus* : « Et sicut truncus phœnicis (sive *palmæ*) multiplicabo dies : » quæ enim voci *phœnix* congruere potest significatio, nisi palmæ, si truncus adhibetur? His tamen minime persuasi plures, locum interpretati sunt de phœnice ave, totam sententiam ita legentes (Mercer. Tir. in hunc locum, Hebræi apud Vat. Grot. Codurc. Drus.) : *Sicut corpus* (vel *fœtus*) *phœnicis multi-*

at mea senectus placida et tranquilla non molestiis noctium et rerum infelicium casibus opprimetur; sed longos dies ac lætos soles ducet, tam firma vegetaque ad extremum uti palma in cœ-

Sesostride primum, post Amaside dominantibus, dein Ptolemæo Evergete, in civitatem cui Heliopolis nomen, advolavisse. Sed antiquitas obscura. Inter Ptolemæum ac Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt. Unde nonnulli falsum hunc phœnicem, neque Arabum, e terris credidere, nihilque usurpavisse ex his quæ vetus memoria firmavit. » Hic Taciti numerus annorum inter Evergetem et Tiberium cum veritate quidem non constat; certe tamen quingenti anni ea temporis intercapedine non fluxerunt. Quare falsa licet autumaverit semper tamen verissime asserit, eorum opinionem, qui nonnisi post evolutos quingentos annos phœnicem reducunt, fidei esse levissimæ. Quin si unus tantum phœnix in mundo esse credatur, quod antiquorum consensu assertum est, cum nullus post Tiberii ætatem apparuerit, jam desiisse phœnicem certissime statuendum est. Singulis recurrentis anni, quem astronomi *magnum* vocant, conversionibus phœnicem pariter reduci tradit Manilius, apud Plin. lib. X, cap. II; eamque veterum nonnullorum fuisse sententiam, Solinus cap. XLII animadvertit. Sed quis crediderit avem producere vitam posse non ad quingentos modo, quæ sane ætas fidem excedit, sed ad duodecies mille nongentos quinquaginta quatuor annos, qui periodum magni anni conficiunt; cum nempe cœli omnes et corpora cœlestia ad idem punctum recurrerunt, veluti si tum primum motum suum exordirentur? Cornelius Valerianus, teste Plinio lib. X, cap. II, phœnicem devolasse in Ægyptum tradit, Q. Plautio, Sext. Papinio Coss. Allatus est et in urbem, Claudii principis censura, anno urbis 800, et in comitio propositus, quod actis testatum est, sed quem falsum esse nemo dubitaret.)

Nec minus de genere mortis, reparataque post funus vita, res est inter varias auctorum sententias ambigua. Cum ad vitæ exitum, evoluta annorum, quos natura constituit, periodo, devenerit, seque in mortem urgeri provida avis intellexerit, ipsa sibi ex odoris arborum ramis feralem rogum struit. In cineres resoluta primo vermiculus nascitur, qui paulatim crescens, tandem mutatur in avem; et cum primum volatui explicando se parem experitur, cineribus paternis et nido ubi vitam absolvit, onustus, omnia defert ad solis aram, ad insulam Panchæam in Oceano : vid. Euhemer, apud Euseb. lib. II *Præpar.* cap. II, sive in provincia ejus nominis in Arabia Felici; Virgilius II *Georg.*; Servius *ibid.*; sive in Troglodytide, Vossius ex Mela, lib. III, cap. VIII; sive in Ægypto juxta Heliopolim, Plinius lib. X, cap. II; Harduinus *in eumd.*; de situ enim Panchææ, priscis celebratissimæ, in incerto versamur. Herodotus lib. II, cap. LXXIII, id solum scribit, deferri ab juniori ave parentis corpus in myrrhino feretro, humeris impositum, ad templum Solis, in Heliopoli Ægypti urbe, nihil addens sive de mortis, sive de reparatæ vitæ ratione. Addunt nonnulli phœnicem constructo ex gummiferis aromaticisque lignis nido, excussione alarum ignem excitare; eoque assumptum et in cineres redactum, iterum in vermiculi speciem renasci, paulatimque explicari in phœnicem. Rem aliter narrat Tacitus lib. VI *Annal.* « Confecto annorum numero, ubi mors propinquet, suis in terris struere nidum, eique vim genitalem offundere, ex qua fœtum oriri, et primam adulto curam sepeliendi patris, neque id temere, sed sublato myrrhæ pondere, tentatoque per longum iter, ubi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus, inque solis aram perferre atque adolere. Hæc incerta, et fabulosis aucta. Cæterum aspici aliquando in Ægypto eam volucrem non ambigitur. » Paria Herodoto de phœnice habet Origenes lib. IV *Contra Cels.*, sed rem non negans, ambigere tamen de illa plurimum se demonstrat. S. Clemens *in I Corinth.*, Pseudo-Lactantius in *Carm. de Phœn.*, S. Basilius Magnus lib. VIII *Hexaem.*, S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catech.* 18, S. Ambrosius lib. VI *Hexaem.* cap. XXIII, idem serm. 19 *in Psalm.* CXVIII, n. 13. (Phœnix coitus corporeos ignorat, libidinis nescit illecebras, sed de suo resurgit rogo, sibi avis superstes, ipsa et sui hæres corporis, et cineris sui fœtus), veritatem ejusdem avis persuasissimam habere visi sunt; tum et ex illa argumentum pro resurrectione derivarunt : inter quos S. Ambrosius tanquam rem e Scriptura indubitatam asserit. Hoc relatione crebra et Scripturarum auctoritate cognovimus, etc. (Lib. II *De Fide Resurrect.* n. 59). Hæc plane S. Doctoris verba non aliud Scripturæ testimonium spectasse videntur, quam Jobi, narratæ mox historiæ satis congruens : Sicut phœnix multiplicabo dies; quemadmodum enim avis illa in cineres resoluta iterum nascitur, e sinu mortis ad novam vitam reparatur phœnix; ita ego, post oblatum Deo vitæ meæ sacrificium iterum renovabor, atque e sepulcro iterum vivens resurgam.

Phœnicis exemplum afferunt pariter, ut resurrectionem probent, Tertullianus *De Resurr. carn.*, et S. Epiphanius in *Anch.* Idem pro adstruenda virginitate Mariæ, et præter mortalium morem Jesu Christi nativitate, laudat S. Cyprianus in *Symb.* Frustra essem, si omnium testimonia ea in re congerere conarer. Profecto si tot probatissimi testes pro adstruenda phœnicis veritate satis non habeantur, ea quæ a nobis addi possunt, minoris semper momenti viderentur.

Sed, ut vera fatear, de phœnicis veritate, deque tot historiarum fide plurimum, nec immerito ambigitur : vide Boch. lib. VI *De Anim. sacr.* part. II, cap. V. Qui ea de re scripserunt, inter se non constant, alii alia narrantes, tum de vitæ diuturnitate, tum de genere mortis, tum de reparandæ vitæ ratione. Alii se dubitare aiunt : alii fabellas veritati plures admixtas agnoscunt; ac tandem ipsa rei natura ita singularis est, et supra fidem, ut humanam credulitatem superet. An vero phœnix, fabulosa, uti quidem credimus, avis cum ave paradisi, cujus veritatem omnes fatentur, confusa est? Avis paradisi, plumarum elegantia insignis : vide, si lubet, Bellonium, lib. III *Observat.* cap. XXV; Cardanum lib. X *De Subtil.*; Georgium *De Sep.* de Rom. Societ. Jes. Mus., plumis octo digitorum ornatur. Cauda ad pavonem accedens, colore aureo, varietate insigni coruscat. Collo est brevior, ut deesse prorsus videatur. Caput et rostrum amplum et tenue, cujus radices alis ipsis infiguntur. His plumis ornantur principes insularum quas *Moluccas* vocant, iisque tuto sese a vulneribus arbitrantur. Militum prætorianorum, quos *Janizzaros* nominamus, apud Turcas cristæ illis pariter distinguuntur. Magnitudine est pulli galli gallinacei. Ferunt paradisi avem semper in motu et libratis in aere pennis versari, cum pedibus careat; pasci rore ex aere matutino stillanti. Fabellas huic historiæ admisceri plurimas non ambigimus. Hæc certa sunt : Figura et plumæ avis, alterius plane sunt a cæteris formæ : vix aliquando quiescit : pedibus sive brevissimis utitur, sive penitus caret : insectis, vel suaveolentibus floribus alitur. Ferunt juxta ramos arborum quietem capere, ad quos vel plumis vel filis quibusdam nigris circa caudam natis adstringitur. An vera sit avis, minime ambigitur, cum plures earum avium exuviæ inter cimelia PP. Jesuitarum Romæ spectantur. Solus superest dubitandi locus, utrum ætate scriptorum de phœnice agentium innotuerit : neque enim de ætate Jobi quidquam dixerim, cum ille nec de phœnice, nec de ave paradisi facile unquam cogitaverit. Verum si India et Oceanus Indicus jam inde a Salomonis ætate exploratissimi erant, cur nota in iis regionibus avis, Græcos Romanosque apud quos de phœnice sermo est, latere debuit? Si noverunt,

http://www.obrascatolicas.com

lum assurgens : tam dulcibus perfruetur virtutum bonarum fructibus, sicut palma prædulces expandit dactylos. Pro eo quod hic in Vulgata ponitur *palma*, interpretes alii ex proprietate vocis originalis *arenam* posuere, ut dicat Job : « Et sicut arena multiplicabo dies meos, » id est, dies mei multi erunt instar arenæ; R. Salomon, Mercerus, Vatablus et alii vertunt *sicut phœnix*, ut respondeat præcedenti, *in nidulo moriar;* Septuaginta reddunt, ὥσπερ στέλεχος φοίνικος. Quod licet proprie cum Olympiodoro et Augustino de trunco palmæ, quæ Græcis φοίνιξ dicitur, accipiatur; alii tamen de corpore avis phœnicis accipiunt; unde Philippus : Fieri, inquit, potest, ut Job in similitudinem avis illius significet se per mortem in cinere carnis velut in nido pro tempore moriturum, et inde resurrecturum tanquam phœnicem in gloriam et

Phœnix quid an et qualis avis sit.

multitudinem dierum æternitatis. Licet enim Ulysses Aldrovandus in *Ornith.* et quidam moderni avem hanc fabulosam putent; tamen omnium, inquit Pierius in *Hierogl.* veterum auctorum, scilicet Oppiani, Victoris, Manilii, Herodoti, Suidæ, Philostrati, Claudiani, Lactantii et aliorum, quos citat Gesnerus, concors est sententia phœnicem esse, et mortuum renasci; licet in modo quo id fiat varient, et posteriores commentis commenta addiderint : quin imo Albertus Magnus et Ægyptii phœnicem usurpant ut symbolum restaurationis et resurrectionis. Verum quidquid hac de re sit, certe nusquam non sibi promittit multiplicationem vir justus etiam in casu : sive enim cadat in terram, ex terra sicut palma exsurgit; sive cadat in aquam, non ideo minuetur, ut arena non minuitur in aquis, sed ibi augetur; sive cadat in

Justus palmæ, arenæ et phœnici comparatus.

quid prohibet, quin ejusdem avis historiam sub *phœnicis* nomine tradiderint? Hæc, illius versionis causa, et sicut phœnix multiplicabo dies, disputanda fuerunt.

Altera versio : *Et sicut palma multiplicabo dies*, majori assensu probatur : ita legunt Septuaginta, Vulgata, vetus Italica, et tota ferme vetustas cum pluribus recentioribus. Quin et satis expressum in antiquitate testimonium pro lectione de phœnice utrum demonstrari possit, ambigo. Quidquid in toto Jobi textu legitur, optime cum palma congruit. Arbor est maxime annosa, cæsa facile germinat (Plinius lib. XIII, cap. IV : Sunt et cædum palmarum quoque silvæ, germinantes rursus ab radice succisæ) et ad miraculum usque fœcunda. Ipsum *phœnicis* nomen ex palma derivatum ferunt, quod arbor annosa sit, et veluti post cineres renascens, redacto enim in cineres trunco, nova e radice germina erumpunt (Plinius lib. XIII, cap. IV : Mirum de ea accipimus cum phœnice ave, quæ putatur ex hujus palmæ (syagrorum) argumento nomen accepisse, emori ac renasci a seipsa). Ferunt insuper proceras palmas circum habere ingentium silvam (ad viginti enumerant) ex eadem radice, quanquam inter se distinguuntur, germinantium, Bellon. lib. II *Observat.* cap. XXV : Procerioribus silva arbore ex ipsa. Plinius lib. XIII, cap. IV : vir fide dignissimus, qui decennio in locis palmiferis moratus est, testatur, nunquam e radice palmæ germina oriri, sed e nucleis in terram lapsis, nonnisi certe in locis humentibus, vel humore aliquo irrigatis. Vix latam radices emittere, idem Plinius est auctor : Et ab radice avulsæ vitalis est satus et ramorum tenerrimis. Gaudet et riguis, totoque anno bibere. Quod maxime cum Scriptura (*Job.* XXIX, 19) congruit : Radix mea aperta est secus aquas, et ros morabitur in messione mea.

Ad palmæ ætatem quod attinet, juventam suam arborem emissis germinibus reparare, et ad radices usque cæsam iterum crescere, jam observavimus. Longissimo ævo vivere, asserit Theophrastus, lib. II *De Caus.* cap. XVI; et de palma Deli hæc Plinius lib. XVI, cap. XLIV : Ab ejusdem dei (Apollinis) ætate conspicitur. Magna sunt hæc, et exaggeratione fortasse aucta; sed communem saltem persuasionem de longissima ejus arboris ætate demonstrant. Hæc probabiliora pro vindicanda versionis hujus veritate afferuntur; versionis, inquam, qua Jobus, Dei ope, annos sibi palmæ pares ominabatur, quanquam doloribus et morbo oppressus mortem capiti suo imminentem cernebat. Nec auctoribus sacris novum est et insuetum, ut similitudinem e palma, arbore inter Judæos et Arabes celebratissima ducant, *Psalm.* XCI, 13 : Justus ut palma florebit. Sponsus proceram sponsæ staturam palmæ comparat, *Cant.* VII, 7. Sponsæ coma ramis palmarum similis

esse dicitur *Cant.* V, 11. Ipsa de se Sapientia testatur, *Eccli.* XXIV, 18, cætera omnia infra se despicere, veluti palmam in agro Cades; et *ibid.* cap. I, 4 : Filii Aaronis sacerdotes nobili corona Oniam summum sacerdotem ambiunt, veluti palmæ proceram circa palmam satæ.

His omnibus, quæ in rem præsentem congruere videntur, unum opponunt, quod pluribus æquivalet, nempe vocem hebræam *chol* nullibi in Scriptura palmæ designandæ occurrere. Sæpius quidem de palma, arbore Palæstinæ frequentissima apud auctores sacros, eosque nonnisi voce Thamar usos legimus. Frequenter apud illos quidem vox *chol* occurrit, nunquam tamen pro palma. Nec Septuaginta vocem *chol* alibi unquam quam in hoc Jobi loco, palmam reddiderunt. Aliena est etiam ea nominis significatio in lingua chaldaica, syriaca et arabica, hebraicæ affinibus, ex quibus radicum hebraicarum significatio quandoque derivatur. Quare sive aliam hebraici textus lectionem secutos esse Septuaginta, sive mendose legisse fateamur oportet; id quod etiam ante nos recentiores ejus quique interpretes agnoscentes, illos hac in re deseruerunt.

Tertia superest lectio in hunc sensum : *Dicebam : In nidulo meo moriar, et sicut arenam multiplicabo dies :* quemadmodum enim Jobus florentibus rebus suis, et vitam suam proborum operum exercitio felicem ducens, lætam sibi mortem quietamque domi suæ, lectulo filiorum corona cincto ominabatur : ita pariter, cum in summas angustias, malis oppressus, lepra affectus, vermibus exesus, devenisset, nullum sibi lætam diem sperare audebat : cum tamen aversos a calamitate sua oculos in Deum figebat, exstinctæ spei igniculos excitans, lætiora sibi et augurabatur et sperabat, tum futuram vitam animo contemplatus, carnis suæ resurrectionem et immortalem vitam post corruptionem sibi spondebat. Neque id solum, sed et Jesu Christi resurrectionem prædicit, qui e pulvere et favilla sepulcri vitam sibi excitans, resurrectionis suæ exemplo cæteros in spem resurrectionis perennisque vitæ erexit. Hanc interpretationem indicant, 1° ipsa rei perspicuitas : ducta enim ab arena similitudo, ob annorum et bonorum multitudinem exprimendam, Scripturæ maxime familiaris est. 2° Genuina vocis hebraeæ significatio, quæ variis Scripturæ locis consonat. 3° Peritissimorum interpretum ea in re consensus, ut Chaldæi, Syri, Arabis, Montani, Pagnini, Munsterii, Castalionis, Junii, Tremellii, Merceri, Vatabli, Codurci, et plurium aliorum. 4° Demum rabbini, qui vocem *chol* reddunt *avem* quamdam immortalem, quæ vetito fructu abstinuerit, fabellam venditant adeo putidam, ut nullam fidem nullamque animadversionem mereantur. Postrema igitur hæc explicatio præferenda cæteris videtur. Aug. Calmet.

flammas, inde ut phœnix renascetur. Igitur et planta est, et arena est, et phœnix est vir justus, ne ullo sciat cedere elemento, sed ex omni contrario gloriæ recipiat augmentum.

Cor nostrum nidus, in quo ad mortem usque cum Deo commorandum.

In nidulo meo moriar. — Magno sane judicio et divino affatu cor suum appellat *nidulum*, in quo non modo cum Numine sancto *morari*, sed etiam *mori* cupit, nec latum unguem ab illa Dei habitatione discedere; quod sit forte velut caverna maceriæ, ad quam devolet e cœlo columba, ut D. Spiritus nidum et diversorium opportunum; vel quod animæ piæ sint aviculæ in nidulo suo tutæ, extra nidum prædæ expositæ et cupiditati, unde *pennata* a Sapiente nuncupantur *Prov.* I, 17. Sed opinor ad hirundines præcipue respectum habuit; quarum nidus luteus quidem est, sed in eo chelidonia reperitur tam salutaris atque potens, ut visum non juvare modo possit, verum et cæcis quoque restituere. Sic cor nostrum luteum est, atque, ut dicitur in arcanis litteris *Job.* IV, 19, « habitamus domos luteas : » verum in eo nido reperitur chelidonia, Deus ipse potentissimum alexipharmacum, et ut stylo Tertulliani dicam, « remediator valetudinum, » qui oculis medeatur, lucem animo conciliet, diem faciat, reddat vitam. Probi in corde salutisque amantes suæ cum in humanis tantam caliginem animadvertunt, et sæculi noctem mentis luminibus objectam, a Deo collyria petunt chelidonia ad animi aciem medicandam : cum Ezechia *Isai.* XXXVIII, 14, sicut pulli hirundinis clamant, ut columbæ in nidulo meditantur. Jobus igitur non male providus futuri, cum etiamnum felicissimus ageret; mortis tamen nunquam oblitus nidum sibi struxerat quotidiana meditatione. Nam sicut aviculæ nidulos sibi ædificant frequenti ramulorum aut glebularum congestu; ita Jobus quotidie prævidit mortem, quotidie secum agitavit judicium, eaque ratione velut sedula hirundo glebas comportavit ad struendum nidulum in quo defungeretur. Nos Jobi exemplo nidulum nobis eligamus mature, in quo moriamur, eumque in loco alto aut tuto statuamus.

Job in meditatione mortis sibi nidum struebat.

Allegorice S. Gregorius lib. XIX *Moral.* cap. XVI locum hunc ad pacem Ecclesiæ refert his verbis : « Quid hoc loco per *nidum* exprimitur nisi tranquilla fidei quies? nisi enim S. Ecclesia infirmos quosque filios nunc in pacis nido enutriret, non diceret regius Vates *Psalm.* LXXXIII, 4 : *Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi reponat pullos suos.* Turtur enim invenit sibi nidum, quia Ecclesia amore Conditoris crebris gemitibus utitur, et velut nidum sibi, id est pacatissima, fidei quietem construit, in qua crescentes filios quasi plumescentes pullos, quousque ad superiora evolent, charitatis gremio calefactos fovet; recte autem subjunxit · *Et sicut palma multiplicabo dies :* palma enim tarde proficit, sed diu in viriditate subsistit. » Quæ omnia in spiritualem mentis solitudinem apte conveniunt, qua veluti in nido animus conquiescit, plumescitque virtutum pennis.

Nidus est typus quietis Ecclesiæ.

Solitudo nidus animæ.

Quo etiam pertinet illud *Psalm.* CI, 7 : « Similis factus sum pellicano solitudinis in tecto, » quo loco per *pellicanum*, qui pullos dicitur occidere, et postea tribus diebus lugendo sanguine suo ad vitam excitare, accipiendi sunt pœnitentes, qui peccando opera sua mortificaverant; postea autem lugentes per pœnitentiam tribus diebus, hoc est tribus actibus pœnitentiæ, videlicet contritione, confessione et satisfactione vivificant. Quoniam vero hoc in spirituali mentis solitudine efficitur, additur *solitudinis*. Ejusmodi solitarium commendat Jeremias dicens *Thren.* III, 27 : « Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua; sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit se supra se : » solitarius enim est, qui in sui cordis intimo secessu elevat se super se per contemplationem, se inquam spiritualem super se carnalem. Ita hunc locum intellexit D. Ambrosius serm. 9 *in Psalm.* CIX, quamvis aliter legat, *sedebit singulariter, et silebit, quia tulit jugum grave;* et quidem multi codices correcti habent, *quia levabit super se*, nimirum jugum Domini; cujus paulo ante facta fuerat mentio : « Quis est, inquit Ambrosius, *qui singulariter sedet*, nisi qui sæcularibus voluptatibus abdicatis molestiarum omnium excludit tumultus? » Illud tamen adverte ex eodem Ambrosio lib. III *Offic.* cap. I, hujusmodi virum solitarium, quanquam otiosus videatur, maxime tamen esse actuosum; quemadmodum ipse elegantibus verbis explicavit : « Non primus Scipio scivit solus non esse cum solus esset; scivit ante ipsum Moyses, qui cum taceret clamabat, cum otiosus staret præliabatur : adeo otiosus, ut manus ejus alii sustinerent : nec minus quam cæteri negotiosus, qui otiosis manibus expugnabat hostem, quem non poterant vincere qui dimicabant. Cujus autem majora negotia quam hujus otia, qui quadraginta diebus positus in monte totam legem complexus est? Quando ergo justus solus est, qui cum Deo semper est? quando solitarius est, qui nunquam superatur a Christo? »

Pellicanus symbolum pœnitentium.

Solitarius quo pacto levet se super se.

licet otiosus, maxime actuosus.

Hæc Ambrosius, qui fusius eadem prosequitur epist. 91 *ad Sab.*; quæ ad hunc Jobi locum spiritaliter interpretandum conducunt, uti et illa quæ Thomas de Kempis auctor piissimus lib. I *De Imit. Christ.* cap. XX de cella, religiosorum hominum nidulo, scribit his verbis : « Cella continuata dulcescit, et male custodita tædium generat : si in principio conversionis tuæ eam custodieris, erit postea tibi dilecta amica, et gratissimum solatium. Coge ergo teipsum, ut in ea maneas; et sapienti quodam ac sancto dolo temetipsum decipe. Ad quid nunc sine necessitate cellam deseram? Quid extra illam nisi novitates, et verba otiosa et detractoria, vel ad minus consumptionem temporis, vel alia quæ me distrahant inveniam? Nunc certe in ea manebo, post unam aut duas horas, nisi prius ab obedientia fuero vocatus, exibo. Nunc profecto voluntati meæ ac levitati meæ in hoc nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies. Quantum enim apud me maneo, et ad vana

Cella est nidulus religiosorum.

http://www.obrascatolicas.com

non exeo, tantum diebus meritorum adjicio. » Quibus verbis et aliis similibus tanquam vinculis suavissimis poterit se religiosus quisque in nidulo suo intra cellæ ambitum continere. Quod ei facillimum simul et suavissimum erit, si non deses et otiosus ac dormituriens in ea resideat, sed semper utiliter occupetur; nunc orans, nunc psallens, et precationes suas debite persolvens; nunc libros spirituales, sanctorum gesta et historias ecclesiasticas legens, et quibus incubuit litteris studens, theologiam, Scripturam sacram ac præcipue S. Patres evolvens, ut scientiam comparatam servet ac provehat; nunc scribens, et scripta sua recognoscens, aut aliorum transcribens, aut in compendium redigens. Quæ breviter vulgato hoc versu commendantur :

Quibus exercitiis cella continuata dulcescat.

Nunc lege, nunc ora, nunc cum fervore labora;
Sic erit hora brevis, sic labor ipse levis.

Quisquis hanc vivendi normam constanter tenuerit, cum B. Jobo jure dixerit : « In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies : » nidulus enim ejus status fervoris est, in quo felicissime, et quod ad merita augenda attinet, utilissime conquiescet. In hoc nidulo, in hoc fervore morietur, quia nunquam ad tepidam vitam et ignavam deflectet; sed sicut palma multis annis semper virens, semper victor, et semper fructificans vivet.

Sed quorsum annos suos palmæ potius quam cuilibet alteri plantæ comparat? sane alia silvarum arbusta radices dilatant, et quod in imo est stipitis : itaque initia vasta sunt, robusta, ad omnem firmitatem composita : itur in superna, quantumque ad æthera fertur lignum, tantum sibi dissimile, et sustentat immensus truncus gracile cacumen deformi generatione partuque inæquali. O stygiis dicatum ærumnis infelix lignum, quod intumescit, et distenditur qua parte glebam occupat, qua Olympum prospectat, sine viribus, sine decore est! Non sic palma (ideo et justorum in arcano sermone egregium symbolum) ab exordio lente crescit, inchoamenta obscura sunt, quæ et infantiam sapiant; quasi invita terram occupat arbor generosa, et mœrorem testatura indignos induit vultus; gracilis est primus truncus, rudimenta sanctorum innuens : mox ut assurgit, magis magisque roboratur, donec pulcherrimas comas effundit, cœlique spatia quanto liberius occupavit, tanto formosiori cacumine est. Gaudet agricola, quem initia terrebant exsilia, deceptum se a ramorum et magnitudine et forma et utilitate, discitque excelsiora evadere quorum despecta origo. Cedat nostra oratio Gregorii Pontificis Maximi de palma loquentis oraculo lib. XIX *Moral.* cap. XXV : « Habet quidem aliud palma, quo a cunctis arborum generibus differt : omnis namque arbor in suo robore juxta terram vasta subsistit, sed crescendo superius angustatur; palma vero minor ab imis inchoat, vastior ad summa succrescit : quibus itaque alia arbusta, nisi terrenis mentibus inveniuntur esse similia, inferius vasta, superius angusta? quia nimirum omnes hujus sæculi dilectores in terrenis rebus fortes sunt, in cœlestibus debiles. » Verum properemus ad institutum a nobis præcipuum sensum : « Sunt vero nonnulli (subdit) qui cum cœlestia appetunt, ab inchoatione sua quotidie inconstantiæ pusillanimitate deficiunt : quibus hos nisi arbustis reliquis similes dixerim, qui nequaquam tales superius surgunt quales inferius oriuntur? Hi quippe ad conversionem venientes, non tales quales cœperunt perseverant; et quasi more arborum inchoatione vasti sunt, sed tenues crescunt : quia paulisper per augmenta temporum patiuntur detrimenta virtutum; palma vero, sicut dictum est, vastior in summitate est quam cœpit esse ex radice; quia sæpe electorum conversio plus finiendo peragit quam proponit inchoando. » Sic ille. Sed undenam Jobus, innocentiæ ac patientiæ magister, hanc sibi felicitatem palmæ pollicetur? Ex eo sane quod subjungit :

Palmæ in crescendo natura justorum symbolum.

Palmæ a cæteris arboribus differentia.

19. RADIX MEA APERTA EST SECUS AQUAS, ET ROS MORABITUR IN MESSIONE MEA, — id est prosperitas mea posita, fixa et radicata est juxta aquas divinæ gratiæ ac favoris, ut diutissime vivat et vireat; et radix mea aperta est, ut irriguum humorem assidue exsugat : sic ros divini influxus in me meisque bonis morabitur, ut ea ad bonam maturitatem ac lætam senectutem perducat. Vide quæ *Psalm* I, 3 annotavimus in *Expos. Græc. in Psalm.*, ubi justus arbori juxta aquas consitæ comparatur. Tropologice radix nostra cor nostrum est, a quo sicut a radice vita procedit : quod tunc secus aquas aperimus, cum divinæ inspirationi recipiendæ subjicimus : tunc autem ros moratur in messione nostra, id est in justis actionibus nostris, quæ rore, nimirum superna gratia desuper cadente crescunt, et ad perfectionis maturitatem perveniunt. Tunc pulchritudo mentis nostræ augetur, et fortitudo succrescit : quia Dominus sibi obedientibus et sua alloquia recipientibus largam benedictionem immittit. Bonum est itaque audire Deum, et non tantum ejus præceptis omnibus in commune propositis, sed etiam specialibus inspirationibus obedire quæ custoditæ nos malis liberant, et bonis cumulant, et ad ampliora bona recipienda disponunt.

Vers. 19. A Dei gratia omnis vigor.

Cor nostrum divinis inspirationibus aperiendum.

Quod si *aquarum* nomine Spiritus Sancti gratiam velis intelligi, certe apertio radicis secus aquas erit ipsa oratio, qua et sibi homo et aliis gratiam et divinam miserationem impetrat : quare Richardus Victorinus *in Cant.* cap. XXIV de his aquis et de viris justis sic scribit : « Ad quas aquas anhelant corda bonorum, quia sicut in Job legitur : *Radix eorum aperta est secus aquas*, id est, occulta cogitatio et mentis intentio expansa est ad percipienda fluenta gratiæ et dona Spiritus. Has aquas sitiunt, et ut has percipere digni fiant, a carnalis delectationis aqua arescunt, et vacui sunt. Pro quibus impetrandis etiam ad aquas, quæ super cœlos sunt, oratione et contemplatione conscendunt, ad omnes spiritus cœlestes videlicet qui laudant Deum, et torrente voluptatis ejus inebriantur. Quomodo vero non hunc fontem hauriat et aquas gratiæ anima percipiat, quæ ad omnes cœlestes spiritus aperta est, et se expandit desiderio, et precibus omnes pulsat? quæ si se denique sic dilatet et expandat, ut sicut sibi ab omnibus gratiam postulat, ita quoque omni homini hanc desideret et poscat; nonne tanto largius hac infundi merebitur, quanto ampliori charitate et ad multos dilatatur? Item cum ad omnes illos spiritus extenditur, nonne singulos, quibus custodia humana delegata est, complectitur? Cum itaque omnibus spiritibus sinum cordis expandit, ut spiritualia dona capiat, et gratiam attrahat, et ad singulos versa vice desiderio extenditur, et quidquid obtinere potuerit vel desiderare, hoc eisdem concedatur et refundatur in salutem sibi commissorum, merito exauditur, qui intercessores suos et advocatos sic juvat, sicut eorum adjutorium et patrocinium flagitat : optant enim ipsi sibi commissis misericordiam, et gratulantur collaborantibus sibi circa eorum salutem. Merito talis anima advocatos suos propitios in prece habet, quæ tam præstare cupit quam accipere; merito beata est anima, et Deo grata, quæ ita seminat super omnes aquas, et semen orationis jacit, ut nec terræ inimicorum hoc semen subtrahat, sed pro eis quoque ex charitate intercedat. Multum aperitur radix ejus, quæ ad hos omnes spiritus expanditur, et ad omnes homines pariter dilatatur, quæ ad aquas superiores spirituum ascendit, et omnium hominum necessitates inferius comprehendit. Multum aperitur; cum æqualis ad omnes spiritus intentio pro omnibus hominibus dirigitur, et æqualiter omnibus hominibus sicut sibi gratiam obtinere conatur. »

In oratione cor gratiæ aperitur.

Quomodo cor in oratione dilatandum sit.

Oratio mentem rigat ut fructus ferat abundanter.

Hactenus Richardus Victorinus; oratione igitur rigamur, aut ad aquas quibus rigamur aperimur : quare sine ea non valebimus neque in nobis neque in aliis fructum abundantem generare. Quando autem radicem, id est intentionem nostram, et messem; id est curam laborandi et bene operandi, saluberrimis aquis continuæ orationis irrigabimus, neque spiritus vetustatem, neque fervoris imminutionem, neque vacuitatem meritorum pertimescemus : « A fervore etenim mentis, inquit S. Gregorius lib. XIX *Moral.* cap. XVI, vel inter spirituales inimicos vel inter carnales quosque proximos ipso aliquo modo vivendi usu veterascimus, et assumptæ novitatis speciem fuscamus; a qua tamen vetustate quotidie si studio circumspectionis invigilamus, orando, legendo, bene vivendo renovamur : quia vita nostra dum lacrymis lavatur, bonis operibus exercetur, sanctis meditationibus tenditur, ad novitatem suam sine cessatione reparatur. » Nec solum virtute hujus aquæ in nobis ipsis proficiemus, sed alios quoque verbo et exemplo et precibus nostris ad sanctam conversationem convertemus. Unde subdit :

20. GLORIA MEA SEMPER INNOVABITUR, ET ARCUS MEUS IN MANU MEA INSTAURABITUR. — Hæc omnia referuntur ad verbum *dicebam*, vers. 18 positum, *q. d.* In priori illa mea felicitate pollicebar quoque mihi gloriam perenniter amplificandam, et robur arcu notatum semper auctum iri; in sensu autem arcano idem est, *q. d.* Ex illis orationis aquis superiori versu commemoratis habebit bonum exemplum vitæ meæ ut semper innovetur, et alios quotidie potentius ad sui imitationem trahat. Ex eisdem etiam accipiet arcus doctrinæ meæ, ut quasi ad feriendum instauratus audientes casto timore percellat, et sancto amore inflammet : nam si gloria honorem ac dignitatem et arcus fortitudinem et robur significant, certe dignitatem auges, et fortitudinem provehis, aut hæc a Domino aucta experiris, cum fervorem et devotionem augere contendis. Hujus nimirum vitæ mortalis proprium est, ut omnia senescant, et sensim ad interitum eant, nullisque adversum nos emergentibus incommodis sola temporis lapsione ad senectutem tendimus, et ad mortem properamus. De ipsis cœlis incorruptibilibus dixit S. David *Psalm.* CI, 26 : « Opera, Domine, manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt (quia a præsenti statu mutabuntur) tu autem permanes; et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos; » si autem cœli quasi senescent, quia mutatione et innovatione indigebunt, quanto magis corruptibilia ad vetustatem festinabunt? Vel si per *cœlos*, ut S. Augustinus mystice vult intelligi, sanctos intelligamus, illi certe non tantum quoad corpus, quod instar vestis atteritur, sed etiam quoad spiritualem animæ vitam quasi ad senectam et vetustatem eunt : quia nonnullam qualitatem corruptibilem mutuantes, ad tepiditatem segnitiemque proficiscuntur : ea enim est humanæ mentis imbecillitas et inconstantia, ut nemo diu in eodem vestigio hærere possit, qui non sæpe vires suas et veluti novum animum exsuscitet et instauret.

Vers. 20.

Orationis aquis innovatur spiritus.

In hac vita omnia senescunt, et ad interitum vergunt.

Sancti etiam suapte natura ad teporem tendunt.

Divine animadverit S. Dionysius *De Div. Nom.* cap. IX, proprium esse Dei ταυτοειδῶς, *eodem modo se habere*, quod nec crescere, nec imminui, nec immutari ulla ratione possit, alia omnia et mutationem pati, et perfectionem habere propositam longe et late patentem, in quam se extendant; et alio quodam in opere, scilicet *De Cœl. Hier.* cap. X, ait nihil esse ἀπροσδεὲς καὶ αὐτοτελὲς, *nullius rei indigum et perfectum a seipso*, uno excepto Numine; adeo ut angeli atque homines profectu et perfectione indigeant. Quam etiam rem Theodorus abbas, vir cœlesti consilio præditus, divino quodam genere orationis apud Cassianum VI *Collat.* cap. XIV, exponit : non enim posse hominem diu in eodem statu versari, et proinde esse necessarium, ut renovatus spiritu mentis suæ per singulos dies proficiat, aut redeat retro et labatur : paria prope dicit VII *Collat.* cap. IV. Serenus consimili dono il-

Solus Deus immutabilis et nullius egens.

http://www.obrascatolicas.com

Mens humana semper mobilis.

luminatus, apud quem *mens* sive νοῦς definitur ἀτρεμίζοντος καὶ πολυκίνητος, *semper mobilis et multum mobilis;* quæ causa etiam fuit, cur Salomon, *Sap.* IX, 15 inquit, mentem vocaverit πολυφροντίδα, *multa et varia cogitantem*, versatilem, de genere vertumnorum, mutabilitati obnoxiam. Nihil igitur est facilius, quam ut tam vaga et mutabili ratione prædita mens a proposito declinet suam deflectatque sententiam, atque meliora deserat; unde lumina Ecclesiæ Patres, quos beatæ vitæ magistros habemus, necessariam esse renovationem dicunt ad nævum illum familiarem eluendum, quem divine S. Leo serm. 6 *De Quadr. rubiginem mortalitatis* nuncupat; cujus necessum est ut pulcherrimum et ore magno dignum oraculum audiamus : « Semper necessaria est omnibus contra rubiginem mortalitatis quotidiana renovatio, et inter profectuum gradus nullus est qui non semper melior esse debeat : » pari sapientia D. Augustinus serm. 63 *De Temp.* continuam expolitionem in nobis simillimam ob causam requirit : « Quantumlibet, inquit, caste et sobrie mortalis hæc vita ducitur, quodam tamen pulvere terrenæ conversationis aspergitur; et nitor mentium ad Dei imaginem conditarum non ita a fumo totius vanitatis alienus est, ut nulla possit sorde fuscari, et non semper indigeat expoliri. »

Omnes opus habemus mentis renovatione.

Ejus rei quædam effigies in omni universitate pingitur, ubi fluxus inanium rerum est perpetuus et continua redintegratio : quare doctissimus Tertullianus lib. *De Resurr.* cap. XII, hanc renovationem in natura omni animadvertit : « Reaccenduntur enim et stellarum radii, quos matutina succensio exstinxerat; reducuntur et siderum absentiæ, quas temporalis distinctio exemerat; redornantur et specula lunæ, quæ menstruus numerus attriverat. Quin etiam terræ de cœlo disciplina est arbores vestire post spolia, flores denuo colorare, herbas rursus imponere, exhibere eadem quæ absumpta sunt, » etc. Omnia denique quæ in hac mortali vita esse habent aliquando innovantur, ne pereant; et quæ non innovantur, quantumvis diuturna sint, tandem intereunt. Hinc ipsa etiam regna innovantur, quapropter Samuel ad populum ait I *Reg.* XI, 14 : « Venite, et eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum; » civitates reædificantur, quare Jonathas habitaturus in Jerusalem, cœpit ædificare et innovare civitatem; templa instaurantur, nam et Israelitæ post captivitatem III *Esdr.* V, 44 venerunt « innovare et suscitare templum in loco suo; » amicitiæ resarciuntur, unde et Jonathas I *Machab.* XII, 1 « misit viros Romam statuere et renovare cum eis amicitiam. » Imo et ipse homo post peccatum e paradiso ejectus est, ne se esu ligni renovans, etiam quoad corpus in perpetuum viveret : nam *Gen.* III, 23 « emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, » et antea præmiserat, vers. 2 : « Nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum. »

Res omnes naturales suo tempore innovantur.

Regna et civitates debent innovari, ne intereant.

Qui ergo vult perfecte vivere, ad constituta tempora seipsum renovet; innovet regnum suum, quo super cor suum et affectus ejus regnat; reædificet civitatem animæ suæ, et quod ex virtutibus lapsum per incuriam est erigat; instauret templum spiritus sui, in quo habitat Deus, et sanctorum desideriorum accessione exstruat; amicitiam ad Deum aliquantulum tepefactam actibus orationis accendat; mittat per imitationem Christi manum suam ad lignum vitæ, ut postmodum feliciter et nunc in hac vita vivat ut sanctum decet virum, et contractas ex humana conversatione imperfectiones relinquat : ita Patres ædificandam esse vitæ novitatem dixerunt. Inter quos eleganter S. Paulinus *Epist.* 2 : « Novitatem, inquit, vitæ in nobis ædificantes, necesse est ut vetustatem destruamus, » etc., ac subdit : « Moriamur quibus viximus, et vivamus vicissim his operibus ac studiis, quibus mortui fuimus, cum vivorum essemus mortui, et mortificantia gerentes in mortuis viveremus. » Cum renovatione autem copulatum necessario est promovendi studium et progrediendi ad majorem perfectionem : nullus enim terminus virtuti constituitur, ut olim Herculis columnæ, quas ultra nemini progrediendum esse putabant. Egregie lyricus princeps in *Olymp.* od. 9 : Εἰσὶ γὰρ ἄλλαι ἐδῶν ἐδεὶ περαίτεραι, *sunt aliæ aliis viis viæ ulteriores.* Neque modo dynastæ unius purpurati symbolum est, sed piorum omnium votum, *plus ultra*, qui nihil majus aut sibi aut aliis optare possunt, quam ut se fiant meliores : itaque olim inter christianos commune votum amicorum fuit, ut se mutuo hac formula adjurarent : « Sic melior sis, sic meliorem te videamus, sic de te meliore gaudeamus, » ut memorat D. Augustinus *in Psalm.* XXXII : id divino Sapientis oraculo juberi S. Gregorius Nyssenus putat, quo toties sponsæ dicitur *Cant.* II, 10 et 13 : « Surge, veni; » aitque Deum, qui ad gloriosam illam contentionem invitat, facultatem etiam concedere ascendendi. Quod ipse eloquentissimus Pater uberius exponit homil. 5 *in Cant.*, quo ego pium lectorem ut ad penum sapientiæ remitto. Nos interim Jobi textum prosequamur.

Cum renovatione copulari debet proficiendi studium.

21-23. QUI ME AUDIEBANT EXSPECTABANT SENTENTIAM, ET INTENTI TACEBANT AD CONSILIUM MEUM (hoc ad illam gloriam spectabat, quam innovatum iri exspectat Jobus : illud enim erat omnibus de Jobi prudentia et ingenii maturitate judicium, ut quidquid ex illius ore caderet oraculum putarent, neque ulterius judicarent deliberandum; neque dum suam sententiam diceret quisquam aut avertebat aures, aut loquebatur, aut existimabat his quæ ab ipso dicta forent aliquid addi oportere, ubi circumstantiæ expensione dignæ sunt, avida exspectatio, silentium auditorum, assensus consiliis præstitus, verborum, quibus nihil addebatur, æstimatio. Unde subdit) VERBIS MEIS ADDERE NIHIL AUDEBANT, ET SUPER ILLOS STILLABAT ELOQUIUM MEUM. EXSPECTABANT ME SICUT PLUVIAM,

Vers. 21, 22 et 23.

Jobi summa in dicendo auctoritas.

ET OS SUUM APERIEBANT QUASI AD IMBREM SEROTINUM. — Rhetorica simul et poetica amplificatio est famæ, quæ de Jobi sapientia percrebuerat; metaphoræ autem a rore, pluvia et imbre petitæ perquam opportunæ sunt ad animos sitientes doctrinæque cupidissimos significandos : pluviam enim symbolum esse eruditionis atque facundiæ tum sacri tum profani auctores voluerunt. Græci proinde cum arcanis fabularum involucris sapientiam suam obtegerent, aiebant eo die, quo Minerva doctrinarum præses in lucem edita fuit, auream e cœlo pluviam cecidisse; Ægyptii vero cum eamdem eruditionem atque Pithus suavitatem hieroglyphicis suis notis adumbrare vellent, οὐρανὸν δρόσον βάλλοντα, cœlum aut splendidam nubem dulcissimo rore stillantem pingebant, ut Horus Apollo testatur. Itaque Moyses cum abditis eorum disciplinis eximie foret instructus, illis forte hauriens e fontibus ita cecinit *Deut.* XXXII, 2 : « Concrescat in pluviam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, » ubi duobus clarissimis symbolis magnæ copiæ in dicendo suæ dulcitudinem et doctrinæ præstantiam illuminat : quam ob causam paraphrastes Chaldæus ita vertit, *suavis sit sicut pluvia doctrina mea.* Sed necesse non est ad Ægyptiorum abditos fontes recurrere, cum ejusdem rei documenta in divinis oraculis habeamus : nam orando sublimis Isaias cap. LV, 10 verbum Dei vocat *imbrem de cœlo venientem* et *inebriantem terram* : atque ut linguæ sanctæ majestatem et divinitatem prope dicam in significando videamus, eadem vox apud Hebræos et *docere* et *pluere* significat : ita in Oseæ prophetia de Christo cap. X, 12 : « Qui docebit vos justitiam, » Isidorus Clarius et Forsterus ex Hebræo vertunt, *donec pluat justitiam vobis.* Et Joel cap. II, 23, cum eumdem Servatorem *doctorem justitiæ* nominavisset continuo subdit : « Et descendere faciet ad vos imbrem matutinum, » ubi in fonte est dictio מורה *morah*, quæ et *doctorem* et *pluviam* sonat; unde Hebræi montis Moriæ nomen deducunt, et מור יה *more iah*, id est *doctrinam Domini* interpretantur, ut animadvertunt eruditi. Eleganter autem dictum :

Ros et pluvia sunt eloquentiæ ac doctrinæ symbola.

Stillare pro *loqui* ponitur in Scriptura.

SUPER ILLOS STILLABAT ELOQUIUM MEUM, — ubi verbum *stillandi* idem significat ac continenter ac fluente oratione loqui, ut patet ex Ezechiele, cui dicit Dominus cap. XX, 46 : « Pone faciem tuam contra viam austri, et stilla ad africum, et propheta ad saltum agri. » Et iterum cap. XXI, 2 : « Pone faciem tuam ad Jerusalem, et stilla ad sanctuaria. » Similisque loquendi forma reperitur *Mich.* II, 6 : « Ne loquamini loquentes : Non stillabit super istos; » Chaldæus reddit, *ne prophetetis prophetantes;* Aquila, *ne stilletis stillantes;* quod S. Hieronymus sic explicat, quodam idiomate hebraico eloquium ab eo quod fluat, et ad aures perveniat audientium in similitudinem pluviæ descendentis *stillationem* vocans. Similia habet idem propheta, et idem sanctus doctor eodem in cap. vers. 11. Unde jam patet idem esse hoc loco *stillare* atque *loqui*, ubi S. Hieronymus metaphoram aperiens ait, *sensim utique sermo doctrinæ meæ diligentia mea diligentium me viscera penetrabat;* Philippus, *sensim interiora viscerum penetrabat;* Olympiodorus, *cum siti atque aviditate audiebant;* Chaldæus, *pulcher erat eis sermo meus.* At D. Gregorius hic in voce *stillandi* observat quamdam in docente curam et studium, quo se suaque verba accommodet captui auditorum, ut qui cum sint angustæ mentis, quasi angusti orificii vascula humoris copiam continuo ne respuant : sic enim habet : « In hac stillatione eloquii quid aliud quam mensura prædicationis accipitur? quia oportet ut exhortationis gratia singulis juxta capacitatem ingenii conferatur : debet enim ad infirmitatem audientium semetipsum contrahendo descendere, ne dum parvis sublimia, et idcirco non profutura loquitur, se magis curet ostendere quam auditoribus prodesse : sic ille. Id autem quod sequitur :

Doctrina est auditorum captui accommodanda.

EXSPECTABANT ME SICUT PLUVIAM, — hunc sensum habet, *q. d.* In exspectatione ac desiderio erat doctrina mea, exoptata sicut solet esse pluvia ab arente terra; nec humano favore ingenio et arte depromptum censebatur emanare eloquium meum, sicut irrigationes aquarum, quæ arte et industria agricolæ deducuntur et derivantur; sed sicut pluvia quæ *de cœlo descendit* a Deo, ejusque jussu in terras defluit : non enim pluvia aut ros ejusmodi sunt, ut ab homine sint exspectanda, sed Dei beneficia sunt Deique munera, quemadmodum Michæas ait cap. V, 7 : « Quasi ros a Domino, et quasi stillæ super herbam, quæ non exspectat virum, et non præstolatur filios hominum. » Vel potest etiam esse sensus, *q. d.* Sicut pluvia terram fœcundat, ideoque exspectatur summo desiderio, sic mea doctrina audientium mentes irrigabat, et fœcundabat ad fructus bonorum operum proferendos, juxta illud *Isai.* LV, 10 : « Quomodo descendit imber de cœlo, et inebriat terram, et germinare eam facit, » etc. Pulchre item subdit : *Et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum* : licet enim *aperire os* sæpe habitum loquentis reddat, nunc e contrario tacentis, audientis et inhiantis ad rem aliquam salutarem demonstrat, instar aridæ terræ, quæ in scissuras finditur et panditur, patenteque ore pluviam de cœlo præstolatur; unde David dixit *Psalm.* CXVIII, 132 : « Os meum aperui, et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam, » ubi maximum Dei desiderium hoc habitu corporis indicat, ut qui ardenti cupiditate rei alicujus æstuant, aut siti maxima laborant, aperto ore spiritum sorbent : *imber* porro *serotinus* est, qui ad finem anni agricolarum more computati decidit ad fruges maturandas, ut laboris totius fructus obtineatur.

Doctrina Jobi erat instar pluviæ expetita.

Oris apertio signum est aut loquentis aut avide auscultantis.

24. SI QUANDO RIDEBAM AD EOS, NON CREDEBANT, ET LUX VULTUS MEI NON CADEBAT IN TERRAM. — Mira severitas, magnus servorum timor, ne dicam stupor, ut sic secum familiariter agenti domino

Vers. 24.

http://www.obrascatolicas.com

atque arridenti non credant : imo et hoc augetur ex eo quod S. Gregorius hic annotat, Jobum alibi se pauperum dixisse viduarumque consolatorem; quæ summam dicunt affabilitatem. Unde ergo nunc tantus eis tremor? respondet *ibid.* S. Gregorius, quia Job figuram gerebat Christi Domini nostri; cui sancti « quasi ridenti non credunt, dum multis ejus donis attestantibus, et gratiam favoris ejus accipientes, tamen adhuc sub ejus judicio de sua infirmitate titubant : » egregie titubant, metuunt non tantum ipsum quantum se; hinc, ut idem ait sanctus : « Inter gaudium spei et tentationis metum confidunt et timent, confortantur et titubant, certificantur et suspecti sunt : quia corpus quod corrumpitur aggravat animam. » Pulchre autem addit : *Et lux vultus mei non cadebat in terram,* id est, oris decor et honesta species gravitatis, quam præ me semper ut in vita sic in sermone ferebam, non imminuebatur; auctoritatem meam non spernebant; me nihilominus reverebantur. Origenes ita locum hunc illustrat, *q. d.* « Nec effusus eram, nec tristitiæ severitatisque studiosus : illud enim levitatis signum est, hoc solitudinis privationisque societatis, » ubi duo tangit in hominum congressu secundum prudentiæ regulam cavenda, ut conversatio nostra nec sit tristis nimium et morosa, nec effusa nimium et dissoluta. Quod officii genus D. Chrysostomus hom. 11 *in Epist. ad Coloss.* eleganter expressit in morati hominis forma delineanda, cum æque duo extrema fugienda monet, videlicet σκυθρωπὸν, *frontem caperatam,* tristem, vultuosam et austeram, et διακεχυμένον, *nimium dissolutam* et diffusam : utrumque fini vehementer incommodat, quem viri præsertim religiosi aut sacris initiati intueri in communi cum hominibus usu debent; quibus propositum est virtutis amplificare dominatum, dulces adhibere stimulos ad divinum timorem, ducere comiter ad christianos mores et felicitatem : quod nulla ratione consequi possunt, nisi apud eos gratiam et fidem obtineant, cum quibus agent. Tollit gratiam et benevolentiam imminuit, si severus totus sis et in agendo horridior, ut quasi patruus durus et inhumanus arguere semper velle videaris; quod merito D. Chrysostomus vocat ἀηδὲς, iis qui adsunt *injucundum* et molestum. Parum proficias in eorum cœtu quos offendis, quique non conciliati, sed aversi, importunum monitorem fugiunt et abhorrent : durities claudit fores gratiarum, quas humanissimi animi comitas sermonibus operibusque interlucens et benevolentiæ manus solet reecludere. Sic contra nimia solutio, index levitatis atque animi juvenilis, neque satis ad modestiam compositi, fidem elevat monitorum et monentis auctoritatem.

Jobi summa gravitas.

Conversatio nec dissoluta sit, nec tetrica vel morosa.

Condienda est nimia illa austeritas urbanitate et hæc levitas gravitate; unde sapiens illud præceptum Isocratis cum Nicoclem ad excellentiam vitæ instituit : Stude, inquit, esse ἀστεῖος καὶ σεμνὸς, *urbanus et gravis* : præclare, sed duarum istarum rerum conjugationem difficillimam esse contendit; quod mihi quoque vero simillimum esse videtur, si naturæ motus et impetum consideremus; quam tamen virtus et maxime considerati animi prudentia frænare potest, et cum divino præsidio componere. Cumque duo illa extrema fugienda sint ut indecora et inutilia ad honestæ vitæ fructus efficiendos, tolerabilius tamen est illud primum, quod durities illa major et austeritas oratione atque vultu significata non vulgaris sapientiæ et sanctitatis opinione sublevetur, quam quis sibi claris facinoribus anteactæ vitæ peperit. Sed extremum aliud omni studio et contentione vitandum est, ne quis animi levitatem indecore lascivientis et ridiculi in conventu hominum objiciat, dum videri vult bellus et festivus, et faceti gloriolam aucupatur. Quod si Patres jure asseruerunt sacrorum hominum vitam atque ordinem esse *deificam professionem,* ut *Eccles. Hier.* cap. I et alibi passim docet S. Dionysius; certe male de communi hierarchia meretur, qui inepta, curiosa et putida conversatione splendorem inobscurat vitæ, et professionem dehonestat : neque enim spectat ad viros Deo dicatos et Ecclesiæ lumina in aliorum cœtu lenocinium facere, aut ullam de profanis minus erigere scenam ad captandum risum et petulantiam commovendam. Quid enim est alienum magis ab eorum dignitate, aut fortius graviusque virorum sapientum oculos ferit, cum potius sua præsentia et insigni gravitate inconsideratam aliorum omnium levitatem et petulantis animi insolentiam comprimere oporteret? « In congressibus, inquit Epictetus in *Enchir.* cap. LIV, absit ut risum moveas : res enim est, qua proclivis sit in plebeium vilemque morem lapsus; et hæc una potest remittere apud familiares observantiam tui et venerationem : » hæc e profana philosophia vir magna mente, judicio et prudentia ornatus, qui vim honesti splendoremque videbat. Sed audiamus e christiano lyceo nobilem, sanctum, eruditum, de nugis atque ridiculis mentem suam aperientem D. Hieronymum *Epist.* 8 : « Rideri et ridere sæcularibus derelinque : gravitas tuam personam decet : » quod si jocandum aliquando videatur, hilariusque agendum, id fiat ea temperatione, ut fugiatur immodestia, et indecora animi corporisque remissio et dignitas retineatur.

Urbanitas cum gravitate servanda.

Levitas magis cavenda quam austeritas.

In eo genere Job fuit mirabilis, quem in cœtu loquentem et nonnunquam etiam jocantem audiebant omnes cum honore tacito et reverentia ut tibiam dorico more suavissime gravissimeque resonantem : « Si quando ridebam, inquit, ad eos, non credebant mihi, » *q. d.* Tanta mea erat gravitas, ut si quando cum illis loquens riderem adhuc tamen timerent, et reverentiam servarent : illud enim significant verba illa, « lux vultus mei non cadebat in terram : » pro quibus habetur in Hebræo, *lucem vultus mei non abjiciebant,* vel *non*

Job etiam in risu servabat gravitatem.

faciebant cadere, quod Eugubinus magis exponit, *non sinebant cadere,* id est, vultum meum lætum atque hilarem non contemnebant. Quam expositionem sic paucis complectitur D. Gregorius lib. XX *Moral.* cap. III : « Talis, inquit, debet esse dispensatio regiminis, ut is qui præest ea se circa subditos mensura moderetur, quatenus et arridens timeri debeat et iratus amari, ut eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata severitas odiosum. » Unde Cajetanus per *lucem vultus* hic intelligit quasi radios ipsorum oculorum et conjectum ipsius visus, qui observabatur a Jobi subditis, qui excipiebant illius oculos et aspectum non tanquam vanum aliquid et infructuosum aut vile, sed tanquam pretiosum, utile magnique faciendum. Porro mystice quasi ex persona Dei loquentis : « Lux vultus mei non cadebat in terram : » quia divina illustratio terram diligentibus non apparet : sic alibi ait cap. XXXVIII, 15 : « Auferetur ab impiis lux tua, » ubi S. Gregorius lib. XX *Moral* cap. IV : « Neque Dei lumen illustrat eos qui iniquitatis suæ malitiam *fidei* nomine palliant, » etc.

Terreni non illustrantur a Deo.

Vers. 25. 25. SI VOLUISSEM IRE AD EOS, SEDEBAM PRIMUS : CUMQUE SEDEREM QUASI REX CIRCUMSTANTE EXERCITU, ERAM TAMEN MŒRENTIUM CONSOLATOR. — Hæc postrema perspicua sunt, neque lucem desiderant ab interprete, tantum enim indicant, primam Jobo datam esse cathedram ut regiam decebat amplitudinem, et circumstare alios non aliter atque duces exercitus circumdant; neque tamen sic ab impenso honore immoderate insolescere, ut contemneret aut respueret alios, sed potius solaretur, si ægro essent animo, et eorum liberali manu inopiam sublevaret : ita Sanctius noster. Porro illud *quasi rex* non elevat vim, ac si Jobus non fuerit verus rex, sed aliquid regi simile : modus quippe ille familiaris est Scripturæ, juxta quem *Joan.* I, 14 Christi gloria dicitur « quasi unigeniti, » id est vere unigeniti; et Christus ipse dicitur *Philip.* II, 7 « habitu inventus ut homo, » id est verus homo. Quod autem hic additur *circumstante exercitu,* Septuaginta transferunt ἐν μονζώνοις, *in accinctis;* sunt autem monozoni milites honoratiores divite balteo, inquit Olympiodorus; vel ordines militares, ut vult Isidorus : Hesychius vocat κατασκόπους, *speculatores hostium,* aut pugnaces in militia dexteros, in pugnando exercitatos : utrobique vigilantes, et in opere strenuos pingi video et repræsentari, ut ea virtus prope heroica dici posse videatur.

Jobo prima sessio ubique deferebatur ut regi.

Monozoni quales.

Observa vero quanta Job animi contentione ac pietate ferebatur ad levandam aliorum calamitatem; unde *sup.* II, vers. 13, se « cor viduæ consolatum » asserit, et hic iterum veluti glorioso honoris titulo se *mœrentium consolatorem* appellat. Huc aspiciant pii principes et religiosi sacerdotes, quos in tanto infelicium numero et calamitatum varietate afficit Dei bonitas, et commovet, ut luctu et mœrore dejectis consolationem impertiantur : hæc sunt ubera quæ D. Bernardus serm. 10 *in Cant.* in sacris hominibus requirit, negatque eos qui sunt, ut ipse loquitur, de patrimonio Crucifixi dici posse *matres,* nisi ubera duo præferant; quæ laudans sponsus ait esse meliora vino et fragrantia unguentis optimis : neque enim cessare eos debere exprimere de ubere quidem congratulationis *lac exhortationis,* de ubere vero compassionis *lac consolationis,* ut qui ex monitione D. Pauli *Rom.* XII, 15, norint gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. S. Gregorius lib. XX *Moral.* cap. VIII, ponderans hunc Jobi locum hortatur prælatos ut severitatem benignitate temperent exemplo illius Samaritani, qui ejus qui incidit in latrones vulneribus vinum simul et oleum infudit *Luc.* X, 34 : « Ut per vinum, inquit, mordeantur vulnera, per oleum foveantur. » Quare miscenda est lenitas cum severitate, faciendumque quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur; unde est illud *Psalm.* XXII, 4 : « Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt : *virga* enim percutimur, et *baculo* sustentamur; si ergo est districtio virgæ quæ feriat, sit et consolatio baculi quæ sustentet; id quod etiam in arca fœderis fuit expressum, in qua cum legis tabulis virga simul et manna conjuncta fuerunt, quia cum Scripturæ sacræ scientia in boni rectoris pectore virga districtionis et manna dulcedinis esse debet.

Sacerdotes debent habere ubera exhortationis et consolationis.

In regimine severitas benignitate temperanda.

Significat itaque hoc loco Job se conjunxisse simul duo illa maxime in imperante commendata, clementiam et severitatem; hanc ut timeretur, illam ut amaretur; hanc dum dicit *mœrentium* se fuisse *consolatorem;* illam dum adjungit sedere se solitum *circumstante exercitu;* quod utrumque primum omnium requirit in rege regius Vates dum canit *Psalm.* C, 1 : « Misericordiam et judicum cantabo tibi Domine. » Vel certe, quod probabilius est, significat non arbitratum esse alienum a regia majestate, si in illo culmine dignitatis constitutus demitteret se ad eos qui in luctu versarentur consolandos; hoc autem maximorum semper virorum munus eximium extitisse ex sacris juxta et profanis historiis patet : nam et Jeremiam cap. XVI, virum in tota Judæa genere clarissimum, hoc maxime officio fungi solitum indicat, quod Deus ad calamitatem Judæorum exaggerandam prohibet illum domus ullas funestas adire ad quemquam consolandum. Denique in Novo Testamento *Joan.* XI, ad Mariam et Martham Lazarum fratrem lugentes Hierosolyma Judæorum principes adveniunt, ut eas consolentur : nec minus in christiana Ecclesia semper in usu fuit, ut quo quisque dignitate, moribus et eloquentia inter alios excelleret, etiam aliis omnibus in hoc humanitatis officio præiret : quod cum coram non poterat, per litteras et libellos absens exequebatur, unde tot exstant eloquentissimorum virorum luculenta scripta in morte plurimorum,

Clementia cum severitate temperanda.

Consolandi munus semper fuit virorum maximorum proprium.

Job viduarum et mœrentium consolator.

http://www.obrascatolicas.com

D. Hieronymi ad Paulam in morte Blesillæ, ad Eusthochium in morte Paulæ, ad Oceanum in morte Lucinii Bætici, ad Eliodorum in morte nepotis : Ambrosii ad Gratianum imperatorem in morte Valentiniani, ad Faustinum in morte Sericii : Paulini ad Pammachium in morte uxoris. Quod minus mirum est eos factitasse, cum longe ante gentiles quoque id religiose servaverint : nam et Plutarchi exstat adhuc libellus consolationis ad Appollonium, et Senecæ tres consolationes ad Polybium, Elviam, Martiam. Erant ergo, ut dicebam, consolatores isti; nec plane eodem luctu implicati, ne et ipsi solatio potius indigerent; nec omnino a causis luctus immunes, ne mirum non esset eos siccis oculis alios consolari, quos nullus doloris sensus vellicaret : erant etiam auctoritate maxime conspicui, ut quæ dicebant altius descenderent.

CAPUT TRIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Job post commemoratam præcedenti capite pristinam suam ex divino beneficio felicitatem, jam illi opponit calamitatem maximam et gravissimas ærumnas præsentes quibus obruitur, e summo gradu gloriæ ad infimum ignominiæ deturbatus.

1. Nunc autem derident me juniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei : 2. Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, et vita ipsa putabantur indigni ; 3. Egestate et fame steriles, qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate et miseria. 4. Et mandebant herbas, et arborum cortices, et radix juniperorum erat cibus eorum. 5. Qui de convallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant. 6. In desertis habitabant torrentium, et in cavernis terræ, vel super glaream. 7. Qui inter hujuscemodi lætabantur, et esse sub sentibus delicias computabant. 8. Filii stultorum et ignobilium et in terra penitus non parentes. 9. Nunc in eorum canticum versus sum, et factus sum eis in proverbium. 10. Abominantur me, et longe fugiunt a me, et faciem meam conspuere non verentur. 11. Pharetram enim suam aperuit, et afflixit me, et frenum posuit in os meum. 12. Ad dexteram orientis calamitates meæ illico surrexerunt : pedes meos subverterunt, et oppresserunt quasi fluctibus semitis suis. 13. Dissipaverunt itinera mea, insidiati sunt mihi, et prævaluerunt, et non fuit qui ferret auxilium. 14. Quasi rupto muro et aperta janua, irruerunt super me, et ad meas miserias devoluti sunt. 15. Redactus sum in nihilum : abstulisti quasi ventus desiderium meum, et velut nubes pertransiit salus mea. 16. Nunc autem in memetipso marcescit anima mea, et possident me dies afflictionis. 17. Nocte os meum perforatur doloribus, et qui me comedunt non dormiunt. 18. In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, et quasi capitio tunicæ succinxerunt me. 19. Comparatus sum luto, et assimilatus sum favillæ et cineri. 20. Clamo ad te, et non exaudis me : sto, et non respicis me. 21. Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi. 22. Elevasti me, et quasi super ventum ponens elisisti me valide. 23. Scio quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi. 24. Verumtamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam : et si corruerint, ipse salvabis. 25. Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. 26. Exspectabam bona, et venerunt mihi mala : præstolabar lucem, et eruperunt tenebræ. 27. Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie, prævenerunt me dies afflictionis. 28. Mœrens incedebam, sine furore; consurgens, in turba clamabam. 29. Frater fui draconum, et socius struthionum. 30. Cutis mea denigrata est super me, et ossa mea aruerunt præ caumate. 31. Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium.

Vers. 1. Facilis ex prospera in adversam fortunam commutatio.

1. NUNC AUTEM DERIDENT ME JUNIORES TEMPORE, QUORUM NON DIGNABAR PATRES PONERE CUM CANIBUS GREGIS MEI : — hæc dicit per antithesim eorum quæ sup. cap. narraverat de priori sua prosperitate et auctoritate; ex quo intelligi licet quam misera sit vitæ nostræ ratio, quæ tam gravem in brevi et tam celerem commutationem accipiat : quid enim est sæculum hoc nisi rota quædam volubilis omnia movens, universa consumens et conterens; in qua nihil est quod stabile et constans perseveret? Hodie quemdam honoribus extollit, postera die ignominia et infamia dejicit : jam opibus ac rerum temporalium fortunis auget, statim vero penuria ac miserabili mendicitate premit : nunc amicorum et familiarium turbis circumdat; et in ictu oculi solitarium et inglorium derelinquit. Ostendit hoc nobis in seipso illud admirabile exemplum patientiæ Job cap. XXIX, 8, cujus aspectum, ut paulo ante dictum est, ita universi suspiciebant, ut ad ejus ingressum juvenes absconderentur, et senes assurgentes starent, principes cessarent loqui, et ut advenientis sententiam attentissime audirent, digitum superponerent ori suo : loquente illo vocem suam cohibebant duces, et lingua eorum gutturi suo adhærebat; repente tamen a tanta prosperitate deturbatus est, et in sterquilinium dejectus; et ad mutationem status aliorum opinio et existimatio mutatur : « Nunc autem, inquit, derident me juniores tempore, » etc. Unde quam misera fuerit Jobi commutatio videre licet : cum dives esset a viris principibus colebatur; fortunis amissis vel a vilissimis et abjectissimis hominibus contemnitur, qui ei valde molesti fuisse, et vehementer stomachum movisse videntur : nam eorum vilitatem multis exsequitur dicens :

Homo vilissimus proverbio dicitur indignus qui canes aut porcos pascat.

QUORUM NON DIGNABAR PATRES PONERE CUM CANIBUS GREGIS MEI. — Hoc notat Sanctius Idumæorum esse proverbium, quo significabant genus alicujus esse obscurum et vile, et vitæ modum usque adeo sordidum, ut videretur indignus quem alii ad amicitiam, imo et ad vilissimum aliquod ministerium accesserent; quale esset aut canes alere, aut cum canibus ali, eodem videlicet alimento quo canes nutriuntur. S. Thomas hunc locum explicat, quod propter sordidam et infimam conditionem non dignaretur illis simul cum suis canibus custodiam gregum; quod videbatur esse totius domus vilissimum et extremum ministerium : sic Martialis ad quemdam vilissimum, qui tamen magnorum virorum amicus videri volebat, scripsit :

Dispeream, si tu Pyladi præstare matellam
Dignus es, aut porcos pascere Pyrithoi.

Hanc autem vilitatem et sordes cum comparatione ad aliorum gloriam sic per proverbialem formam explicant Latini : « Indignus es qui hujus vel illius porcos pascas; qui illius calceamentorum corrigiam solvas; qui illi matellam porrigas; » et similia. Quare si illorum juvenum qui Jobo insultabant patres consideres, indigni sunt qui Jobi pascant canes, aut qui in illius domo sordidum quodque ministerium obeant; id quod adhuc magis exaggerans subdit :

Vers. 2. Hominis inutilis circumloentio.

2. QUORUM VIRTUS MANUUM MIHI ERAT PRO NIHILO, ET VITA IPSA PUTABANTUR INDIGNI, — id est, erant prorsus inutiles, sic ut frustra vivere viderentur, in quorum quemlibet recte quadret adagium γῆς βάρος, *telluris onus*, vel, ut poeta dixit, ἀνάξιον ἄχθος ἀρούρης, *telluris inutile pondus* : quod de homine vehementer inutili usurpatur, qui nihil aliud quam terram suo pondere gravet, ideoque vita indignus habeatur : cum enim cunctis animantibus vita data sit propter quasdam vel utiles vel honestas actiones; has qui non præstat, nec vita ipsa dignus est : do quo jure dici possit id quod acute quidam de sue dixit, animam ei datam esse pro sale ne putresceret. Quoad primam versus partem eodem modo illam transfert Chaldæus, eamdemque Græci habent sententiam, qui verbum de verbo Hebræa transtulerunt. *Et vita ipsa putabantur indigni* : hoc per paraphrasin a Vulgato redditum videtur : nam ita ad verbum est in Hebræo, *super ipsos periit senium*, et ita vertit Chaldæus; Septuaginta vero, ἐπ' αὐτοὺς ἀπώλετο συντέλεια, *super eos peribat consummatio*, quod Scholion exponit τῶν συντελούντων πρὸς τὴν ζωὴν εὐπορία, *eorum quæ ad vitam conferunt bona copia*; Symmachus, ἀπώλετο αὐτοῖς πᾶν τὸ πρὸς ζωήν, *perierat illis quidquid ad vitam facit* : quæ verba eamdem sententiam habent cum Vulgata. Id est, inutiliter frustraque ætatem exegerunt.

Cur Job adversarios suos ita deprimat.

Videtur hic prima specie Jobus fastu et arrogantia quadam inflatus loqui, quæcumque enim potest colligit ad despiciendos eos a quibus fuerat irrisus; sed quomodo jam antea sæpe a nobis declaratum est, ipsum tentationes quas sensit, quamvis ipsis non consenserit, expressisse; sic nobis hoc in loco retinendum est, Jobum hic rem qualis erat in se considerasse; nihilominus interim cum suis indignationibus, quæ illi cor et medullas exedebant, eo ut patienter ejusmodi opprobria ferat colluctatur. In hunc finem, ut vidimus, sup. cap. pristinum honorem ac dignitatem suam commemoravit, ut ex comparatione opprobrii, in quo tunc erat, se eo majorem tristitiæ materiam habere ostenderet, sibique eum dolorem intolerabilem esse, quod se ita proculcari ab iis qui vilissimi erant videret : hoc enim est naturale, ut cum quispiam in dignitatem evectus est, si videat se conculcari, id longe magis ipsum excruciet, tantoque amplius, quanto ab indignioribus et vilioribus id patiatur. Vilis et abjectæ conditionis quispiam, qui domi suæ ruri semper vixerit, nec unquam honorem ullum aut pompam gustaverit, etiamsi irrideatur, in nulla existimatione habeatur, in ipsum denique signum aliquod contemptus edatur, non curat, id sus deque habet; sed qui in amplissima dignitate et opum copia vixerit, nullum opprobrium pati potest, quin lethale vulnus accipiat, et quamvis convicium ipsi

Virum principem a fece hominum irrideri et despici indignissimum.

http://www.obrascatolicas.com

in os non fiat, si indirecta aliqua ratione, quæ tamen ad ejus contemptum spectare videatur, perstringatur, valde indignatur. En igitur rem naturalem, quod nimirum ii qui in honore aliquo fuerunt non possint sui contemptum pati, ipsumque, si acciderit, longe ægrius ferant. Id nunc Jobus declarat, ostendens ex quanta gloria in tantam contumeliam incidisset : certum enim est, cum ab iis, qui nihil in se laude dignum habent, despicimur, id longe nobis durius accidere, et ejusmodi adversariorum conditionem, opprobrium, ut eo vehementius afficiamur, magis insigne reddere. En igitur quod hic spectat Jobus, cum ait homines abjectissimos et ab omnibus spretos adversus ipsum insurrexisse.

Quomodo Jobi exemplo ad contemptum nos parare debeamus.

Notemus vero Jobum superius declarasse, se nequaquam honoratum fuisse tanquam divitem, dignitatis aut nobilitatis eximiæ virum aliquem : in iis enim rebus se minime fundarat; sed quod in ea integritate ambulasset, ut qui virtutes, quas in ipso Deus collocarat, intuerentur, cogerentur ipsum revereri, se vero illis donis et gratiis minime abusum fuisse : atque hoc est, cur nunc, cum ita contemnitur ab iis qui nihil laude dignum habebant, id ipsi durius et acerbius videatur. Cæterum ad utilitatem et doctrinam nostram cum Jobum eo usque dejectum videamus, si Dominus velit nobis idem accidere, nos hoc exemplo confirmari debere intelligamus : quamobrem quamvis ea res nobis dura et admodum gravis esse videatur, ita tamen nobis moderemur, ut quamdiu visum fuerit Deo nos affligere caput demittamus. Quanquam etiam ratio naturalis nos adversus ejusmodi opprobria munire debeat; cum neque novum, neque mirum sit, si homines infames, qui nihil honesti in se habent, antiquum suum obtinent, et optimos quosque contumeliis afficiant et conviciis proscindant, id enim quotidie fieri videmus; quod autem tam usitatum est ac frequens, minime insolens videri debet, ut eo tantopere commoveamur, sed ei nos assuetos esse oportet, et jam pridem occalluisse. Sed præter eam rationem naturalem, cognoscamus, ut jam attigi, Dominum nostrum eo magis probare velle patientiam et virtutem nostram, quando nos ita opprobrio vilissimorum et despicatissimorum exponit, perinde ac si belluæ potius quam homines in nos impetum facerent : hoc enim ideo facit, ut nos deprimat. Cæterum quam viles et miseri fuerint qui Jobo insultarint adhuc amplius describens subdit :

Vers. 3, 4 et 5.

3-5. EGESTATE ET FAME STERILES, QUI RODEBANT IN SOLITUDINE, SQUALENTES CALAMITATE ET MISERIA. ET MANDEBANT HERBAS ET ARBORUM CORTICES, ET RADIX JUNIPERORUM ERAT CIBUS EORUM. QUI DE CONVALLIBUS ISTA RAPIENTES, CUM SINGULA REPERISSENT, AD EA CUM CLAMORE CURREBANT. — Est amplificatio sortis vilissimæ, atque indolis ac vivendi rationis ferinæ prorsus ac belluinæ juvenum, aut certe parentum eorumdem qui Jobo afflicto insultabant, et irrisionibus opprobriisque molestias facessebant : qui cum, uti vers. 2 dictum est, manus haberent inertes et languidas, steriles erant ab omnibus commodis quibus indiget natura mortalium; atque ideo fame et egestate premebantur, cogebantur enim urgente fame arrodere silvestres atque ferinos cibos in solitudine, cum civium oculos subire non auderent; ex quo fiebat, ut ex agresti vita longaque illuvie squalidi essent et plane horridi. Quis enim color esset oris, quis succus et nitor, cum herbis vescerentur et arborum cortice, cum juniperorum radicibus austeris simul et duris alerentur? Quæ tamen sic erant in ea solitudine rara, ut si quando se famelicis offerrent, omnes ad illa certatim advolarent. Quod autem de *corticum* esu Job ait durius aliquibus visum quam ut illud admiserint, atque adeo varias nobis lectiones obtruserunt a Vulgata versione dissitas et discrepantes; ac Pagninus quidem ex originali vertit, *qui succidebant herbam ex virgulto;* Vatablus vero, *qui decerpebant malvah juxta arbusta;* Septuaginta, οἱ περικυκλοῦντες ἅλιμα ἐπὶ ἡγοῦντι · εἶτινες ἅλιμα ἦν αὐτῶν τὰ σῖτα, *qui circuibant alima in resonante; quorum quidem alima erat eorum cibaria.* Circuibant vero, inquit Scholion, quod propter egestatem necesse haberent circuire ad quærendas herbas.

Cortices et arborum radices alii quorum cibus.

Nonnulli codices et Complutenses habent περικλῶντες, *qui confringebant;* Symmachus, ἀπεκνίζοντες φλοιὸς φυτῶν, *qui vellicabant,* aut, ut reddit S. Augustinus, *qui radebant cortices arborum. Alima* vero, juxta Chrysostomum, quædam herba est, quæ cito implet comedentem, et satietatem adfert; illam autem quærebant *in resonante,* id est in convallibus et locis petrosis, loca enim ejusmodi sunt bene sonantia, et respondent loquentibus; aut etiam *resonantem* dicit locum nemorosum, in quo quidem spiratio ventorum movens silvam sonum efficit. Symmachus, καὶ ῥίζα σίτων ἀγρίων ἡ σίτησις αὐτῶν, *et radix frumentorum agrestium erat alimentum eorum.* Verum cum Vulgatus constanter legat *arborum cortices,* ejus lectio cæteris merito præferenda, quam Novarrinus lib. V *Sacr. elect.* cap. IV, pulchre vindicat stabilitque, qui jure miratur Pinedam nostrum, satis accuratum alioquin Jobi interpretem, de hoc esu corticum quodammodo subdubitasse, eo quod « inter corticis usus, ut ipse ait, nunquam cibatus meminit Plinius lib. XVI, cap. IX. » Verum, ut bene Novarrinus, nihil refert id Plinium non dixisse, quia neque omnia noverat, neque omnia quæ noverat monumentis consignavit. Aliunde certe satis constat arborum corticibus aliquos nonnunquam ad esum usos; atque in primis ex Suida, qui verbo περιλέποντες citat ista verba Herodoti lib. VIII *De Fam.* dicentis : Καὶ τῶν δενδρέων τὸν φλοιὸν περιλέποντες, καὶ τὰ φύλλα καταδρέποντες κατίσθιον, *et arborum corticem undique detrahentes, et folia decerpentes comedebant.* Hegesippus quoque lib. V *De Excid. Hieros.* cap. XVIII, famis magnitudinem, qua Judæi premebantur, describens : « Plerique, inquit, etiam beneficium putantes mori, egrediebantur urbem ut herbas

Irrisorum Jobi ferina vivendi ratio.

vellerent, vel radices depascerentur, aut cortices arborum detraherent, si quid in his viriditas ad cibi solamina subministraret : quos invenientes Romani necabant. » Quæ verba quantam lucem huic Jobi loco adferant agnoscet is, qui ea quæ hic de barbaris quibusdam a Jobo dicuntur in Judæis postmodum re ipsa consummata considerabit. Quid? quod de Indis loquens Cœlius Rhodiginus lib. XVIII *Lect. Antiq.* cap. XXXI : « Alimenta, inquit, suggerebat arboris cortex, quæillarum gentium vocabulo *sala* nuncupatur : in cujus fastigio prodeunt velut cucurbiculæ agrestes cujusmodi in palmis convisuntur, nec non ferarum incocta caro. » Quibus omnibus Vulgati lectio satis illustratur.

Corticem quinam spiritaliter mandant.

Tropologice locum hunc exponens Glossa : « *Arborum,* inquit, *cortices* mandunt, qui in sacris voluminibus solam litteræ superficiem venerantur; » quibus addi jure possint illi, qui divinarum Scripturarum suavitate contempta sæcularium litterarum vilitati adhærent, de quibus S. Paschasius Radbertus in prol. lib. V *in Matth.* : « Siliquas, inquit, porcorum, sæcularium litterarum adhuc pueri vel cortices rodunt. » Corticibus similiter vescuntur, qui S. Patrum sapidissimis ferculis repudiatis, profanæ et externæ incumbunt eruditioni, de quibus optime Petrus Cellensis abbas lib. VII *Epist.* 19, ait : « Curiositas, an studii assiduitas te urgent vilissimi hominis herbas et cortices insipidos mendicare, cum sedeas ad mensas divitis Augustini, benigni Gregorii, pecuniosi Hieronymi, gloriosi Ambrosii, Bedæ omnium monetarum nummularii, profundissimi tanquam maris, Magni Hilarii, suavissimi eloquii Origenis, et aliorum innumerabilium, quorum nec micas sub mensa dignus sum colligere? » Utile similiter est, quod ex juniperorum foliis radicibusque expressit Glossa hæc Jobi verba explicans, et ad mores flectens, his verbis : « Juniperi pro foliis quasi spinas habent; spina vero est omne peccatum, quia dum trahit ad delectationem quasi pungendo lacerat mentem; per *radicem* ergo *juniperi* avaritia designatur, quæ radix est omnium malorum quasi spinarum. » Quibus adjungit Interlinearis : « Radix juniperorum, quia avaritia latet in corde, sed punitiones peccatorum omnium potenter producit in opere. » Porro si quæras, quid sibi velit post tot enumeratas ærumnas hujusmodi conclusio : *Et mandebant herbas,* etc., quæ non multum habere videtur roboris, et minimum energiæ. Respondebit Magnus Gregorius, *primo* quidem habita maxima decoris ratione adumbratos quasi leviter fuisse scelestos, quos jure optimo et ignobiles, et miseros, et squalidos et luridos nuncupabis : quibus ita constitutis reliquum erat, ut omnium flagitiosissimos describeret, eorumque faceret mentionem; qui utpote mortalium perditissimi maxima diligentia sunt cavendi, dicit ideo : « Mandebant herbas, et arborum cortices. » Audi S. Pontificem lib. XX *Moral.* cap. XV, circa medium sic loquentem : « *Herbas mandere* est levia quædam ac tenera de antiquis Patribus imitari; *arborum* vero *cortices edere* est eorum opera superficie tenus agere. » Qui se luxuriæ, iræ, superbiæ et similibus turpi admodum contagione fœdavit, inter ignobiles, inter miseros, inter ærumnosos censeatur. Quid adhuc mali superest? quid majoris incommodi aut sceleris gravioris reliquum est? Dicam brevissime, auctoritate fretus maximi et sanctissimi pontificis, si herbas comedat, et corticibus pascatur, id est, si hypocrita fuerit : hic enimvero necesse est malo sit pejor, hic pessimo habeatur nequior, hic scelesto nocentior prædicetur; quandoquidem, quidquid agit superficie tenus agit. Postquam vilissimorum hominum cibum descripserat, eorumdem deinceps indicat habitationem.

Juniperi radix avaritiam refert.

Hypocrisis omnium iniquitatum maxima.

Vers. 6 et 7.

6 et 7. IN DESERTIS HABITABANT TORRENTIUM ET IN CAVERNIS TERRÆ, VEL SUPER GLAREAM. QUI INTER HUJUSCEMODI LÆTABANTUR, ET ESSE SUB SENTIBUS DELICIAS COMPUTABANT. — Habitabant, inquit, in locis desertis et inviis prope torrentes in saxorum cavernis et ferarum lustris, ut inde sicut pecora ad sua pabula prodirent : quod si cavernarum non suppeteret copia, sub cœlo in nuda et sabulosa humo pernoctabant; quorum sic erat misera ærumnosaque conditio, ut hæc illis vivendi ratio videretur non injucunda, et in vepretis vivere magnas judicarent esse delicias : ita Sanctius noster.

Peccatorum misera conditio.

Tropologice S. Gregorius lib. XX *Moral.* cap. IX et seq., hæc omnia quæ de Jobi irrisoribus hactenus commemorata sunt, de hæreticis pulchre ac fuse exponit; ac cæteris quoque peccatoribus, præsertim contumacibus, recte accommodari possunt : hi enim non sunt digni, qui ut Chananæa cum catellis comedant de micis gratiarum, quæ cadunt de mensa Domini Dei, sed famem patiantur ut canes rabidi per deserta vitiorum vagantes, ubi præ virtutum egestate et fame verbi Dei misere contabescunt, ac prorsus steriles effecti, quod nullos bonorum operum fructus ferant, squalentes calamitate et media spiritali consumuntur : quin imo in ferarum quodammodo naturam degenerantes, herbis et arborum corticibus, belluarum cibis, victitant, dum fluxis carnis voluptatibus inhiantes et brutalibus suis affectionibus indulgentes frustra illis animum suum pascere conantur. Quod enim peccatores propter sceleris infamiam atque sordes in belluarum conditionem similitudinemque demigrent, expressius in Nabuchodonosore declaratum fuit; de quo per septem annos dubitari potuit, homone an fera esset; quam metamorphosim non Medeæ succi aut lycanthrophia Livonum, sed tumidi animi superbia et crimen effecerat. Id quod apto etiam emblemate illustravit propheta Joel, dum tardam aliquam languidamque pecudem pingebat quæ in mediis sordibus putresceret, ingrato spectaculo et pernicioso; cui addit hoc epigramma cap. II, 17 : « Computruerunt jumenta in stercore suo : » *jumenta* vocat homines rationis inopes, in carnem et terram effusos, inertes, fanaticos et vecordes,

Peccatores in belluas degenerant.

Peccatum corruptio et sordes.

http://www.obrascatolicas.com

qui scelere et maleficio pascantur : *stercus* appellat malos mores et facinorosos, odore et exemplo tetros, imitatione pestilentes, qui ingratissimi Deo cæteris noceant. Sæpe igitur computruerunt jumenta in stercore suo, quod ad intemperantes B. Hieronymus refert; S. Gregorius Papa ad libidinosos, quorum fœdi obscœnique mores in putidam belluam degenerant. Verum in omnes peccatores id quadrat, qui vitio et improbitati callum obduxerunt, quique sordibus involuti, in fimeto oletoque malitiæ vitam agunt; quod regius quoque Vates animadverterat dicens *Psalm.* XIII, 3 : « Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : » ex Hebræo vertunt, *omnes putruerunt, et rancidi facti sunt, marcidique*, ubique tetrum spargunt odorem, mephitim exhalant, puticulos olent; metaphora ducta a rancidis corruptisque cibis, qui putruerunt, et propterea nauseam pariunt, et maxime ab honestis et delicatis hominibus repudiantur.

Peccatum absinthium

Sexcentæ sunt hujusmodi imagines, quibus sceleris conditio pingatur; hinc in sacris oraculis nequitia vocatur *absinthium*, quod amaritudine sua miserum animum vexet et conficiat : Rex sapiens ait *Prov.* V, 4 mella esse in ore meretricis ad maleficium titillantis; « novissima autem illius amara quasi absinthium, » quod ad culpam referendum esse vult Lyranus. Prodit autem Origenes adeo amarum esse absinthium, ut si forte in mel injiciatur, amaritudine sua vincat mellis suavitatem, et dulcedinem illam omnem corrumpat. Quod rem nostram mirifice illustrare potest, nam libido voluptatis licet habere aliquid mellis videatur, tamen subito migrat in absinthium, in eam videlicet amaritudinem, qua vix major cogitari ulla potest, quæque omnem delectationis sensum obtundat. Ob eamdem causam Job in arcano sensu crimen hic *sentes* aculeatas nuncupat, quæ videlicet mentem pungant, et continuo dilacerent : effatum sane illud est verissimum *Isai.* XLVIII, 22 : « Non est pax impiis, dicit Dominus. » Hoc experientia, hoc omne genus litterarum clamat, hoc sancti Vates, hoc docti Patres, hoc vetusti sapientes ore uno et perenni consensione pronuntiant : hoc millies S. Chrysostomus subjicit ante oculos, et velut in theatrum inducit; a quo lubet quædam decerpere ad rem illustrandam, cum hom. 1 *De Laz.* loquitur de beatulo illo, ut multi quidem opinabantur, epulone evangelico : « Ne mihi dixeris, inquit, illum mensa sumptuosa frui, vestibus circumdari sericis, mancipiorum greges circumferre, alios summovere in foro; sed explica mihi illius conscientiam, et videbis intus gravem peccatorum tumultum, jugem metum, tempestatem, turbationem : videbis velut in judicio mentem ad thronum conscientiæ conscendisse regalem, et tanquam judicem quempiam sedentem, et cogitationes loco carnificum adhibentem, in equuleo suspendentem, latera conscientiæ radentem ungulis, pro commissis vehementer inclamantem : cum nemo sciat, nisi quod solum Deum hæc videre noverit, » etc. Pergit in adultero illud idem graphice ostendere; verum de omni graviori peccato idem est judicium, in quo, si S. Jobo credimus, velut sub sentibus miser animus cubat. Semper enim mala conscientia pungit et cruentat, et diurnæ ac nocturnæ quietis partem omnem adimit, semper ut Tantalo saxum metus imminet, et turbidæ semper cogitationes ut Ixioniæ rotæ animum rapiunt atque dilacerant. Verumtamen tanta est hominum vesania, ut esse sub sentibus delicias reputent, quod plane phreneticorum proprium est; unde et hujusmodi homines *stultorum filios* appellat dum subjungit :

Crimina sunt sentes.

8. FILII STULTORUM ET IGNOBILIUM, ET IN TERRA PENITUS NON PARENTES, — id est, erant vere stulti et ignobiles; quique propter vitæ familiare dedecus et domesticas sordes cum hominibus agere et inter illos apparere non poterant : tropologice, tales sunt impii ac peccatores, qui frequenti Scripturæ phrasi vocantur *stulti*; hos igitur filios impiorum etiam *ignobilium filios* appellat, nam virtus sola veram nobilitatem continet. Addit etiam, quod *in terra* penitus *non appareant*, quia ignobili loco nati sunt, et vix parentes aut unde genus trahant ostendere possunt : de quibus ita S. Gregorius lib. XX *Moral.* cap. XVII : « Sicut enim, inquit, plerique qui in terra sunt, et a cognitione hominum abjectione vilitatis suæ quasi quadam superductione velaminis absconduntur : ita sunt quidam in Ecclesia, qui dum se abjectioni pravorum operum subdunt, divino conspectui noti non sunt; quibus et quandoque dicendum est *Matth.* XXV, 12 : *Amen dico vobis : Nescio vos. Esse* ergo *in terra* et *apparere*, est in fide recta per virtutem operis nobilitatem mentis ostendere : *esse* vero *in terra*, et *penitus non apparere*, est in Ecclesia quidem per fidem consistere, sed nihil dignum fidei in opere demonstrare : sunt itaque intra sanctam Ecclesiam divinitatis oculis, et videntur per judicium, et tamen per bonæ vitæ meritum non videntur; quia ea quæ consistendo tenent vivendo non exhibent, de quibus Paulus dicit *Tit.* I, 16 : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Hi in sancta Ecclesia fidem, quam tenere se asserunt, premunt potius quam venerantur; dum sua magis illius nomine quam ejus adipisci lucra concupiscunt. »

Vers. 8.

Impii sunt stulti et ignobiles.

9 et 10. NUNC IN EORUM CANTICUM VERSUS SUM, ET FACTUS SUM EIS IN PROVERBIUM. ABOMINANTUR ME, ET LONGE FUGIUNT A ME, ET FACIEM MEAM CONSPUERE NON VERENTUR. — Postquam in superioribus versiculis satis late ac luculenter probaverat illorum illiberale ac stolidum ingenium, et natalium sordes, et inopiam; nunc quæ ab illis ad ignominiam fœda et ad dolorem acerba pertulerit ostendit et amplificat. Profecto viri justissimi despectus non videtur ulterius valuisse procurrere : versus enim fuit in canticum, ut de ipsius calamitate inepta carmina vulgo jactarentur : factus fuit in proverbium, hoc est calamitatis exemplum, ad imprecationes vel hyperboles, ut cui malum vulgares homines imprecando dictitarent; contingat tibi Jobi calamitas : vel cum ærumnosissimum aliquem describere vellent, dicerent : Est Jobo ærumnosior. Quod vero de facie sputis deturpata subjungitur, ut jacet accipiendum est. Vere scilicet petulantes homines in Jobi faciem inspuerunt : neque subest ratio efficax aut valde nervosa ad rem in hyperbolem aut metaphoram detorquendam. Nicetas in *Caten.* simpliciter locum hunc exponens : « Ubi, inquit, ad me propius accesserint, sputisque fœdaverint, longe recedunt. » Et Theophanes Nicænus in sua *Epist.* 2, quæ est de patientia ad omnes christianos, hunc ipsum Jobi locum elucidans ait : « Servi abjecti et viles illudentes, et deridentes conspuentesque in ipsum, calamitates assidue exprobrare non desistebant. » Ex his liquet Jobum etiam in hoc Christi figuram prætulisse, qui derisus et conspulus fuit, quemadmodum discipulis Jerosolymam ascensuris de se prædixit *Matth.* XX, 18 : « Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum, » etc., ubi expende illud *ad illudendum*, hoc est, ut pro lusu et materia risus et lætitiæ in suis tormentis habeatur.

Vers. 9 et 10.

Job a suis servis conspulus.

Job factus in canticum et proverbium.

Clades et illusiones justorum impiis grata sunt spectacula.

Quippe lanienæ justorum virorum voluptuosis hominibus festiva sunt spectacula. Audisti amphitheatra Romana plena festivis spectaculis quæ populos aspergerent gaudiis? novisti inibi ferarum pugnas, quarum lanienæ miram hilaritatem spectantium animis ingenerarent? sic justi Jesu et Jobi clades, sic laniena sancti hominis nunquam non pro festivo spectaculo impiis accidit. Rem ponderat Chrysostomus serm. 5 *De Pass.* dicens : « Illis discipulos suos simul et iterum prænonebat, ponens ante oculos eorum, et velut arenam suæ constituens passionis, et inducens in eam quot contumeliarum genera tot genera bestiarum. » Ecce tibi Dominus quoties loquebatur de sua morte, sic loquebatur quasi de arena amphitheatri, in qua impiis nihil non ludibundum, nihil non festivum apparebat : sic contumelias omnes æstimat quasi immanissimas feras, quarum unguibus laniatus nobilis athleta gaudia impiorum aspectantium cumularet. Ad hæc aiebat Paulus I *Corinth.* IV, 9 : « Puto quod Deus nos novissimos apostolos ostendit tanquam morti destinatos; quia spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus : » expende, *spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus*, hoc est, ita se habent res nostræ ut spectaculorum in arena lusus, ad quos voluptatis causa confluunt universi; sic ad pugnas nostras universi concurrunt tam boni quam mali, tam qui mundani sunt quam qui angelici; sed hi ut exempla mirentur, illi ut delectationem percipiant. Id quod pulchris verbis notat D. Anselmus aiens : « Sicut omnes concurrunt ubi jocus celebratur, vel pugiles certant, aut aliquod monstrum produci-

In hoc mundo spectaculum sumus bonis et malis.

tur : sic omnes boni vel mali conveniunt ad aspiciendas pœnas nostras. Spectaculum sumus et angelis, et hominibus tam bonis quam malis. Boni angeli conveniunt ad spectaculum passionis nostræ, ut nos præsentia sua confortent, et cæteros ad exemplum nostri certaminis incitent; mali vero, ut gaudeant, cum nos suos adversarios cruciari videant, et cæteros a fide metu pœnarum deflectant : boni homines, ut laudent; mali, ut insultent : boni, ut exemplo nostro confortentur; mali, ut ex pœnis nostris delectentur. »

Impiis justorum vexatio accidit jucundissima.

Sic semper justorum lanienæ jucundissima faciunt impiis hominibus spectacula, amplissimamque suppeditant materiam cantibus improborum; hinc Jeremias ait *Thren.* III, 61 : « Audisti opprobrium eorum, Domine, omnes cogitationes eorum adversum me : labia insurgentium mihi, et meditationes eorum adversum me tota die : sessionem eorum et resurrectionem eorum vide; ego sum psalmus eorum : reddes eis vicem, » etc. Hæc justus vir petit a Deo, ut videat nimirum hominum impiorum conventus, meditationes, concursus singulis horis, singulis momentis, tota die coactos, insuper sessiones eorumdem, hoc est, juxta Glossam interlinearem, *sessiones quasi magistrorum*, non verorum magistrorum, qui veritatis doctrinam probent; sed *quasi magistrorum*, nimirum de solis magisterii fibulis tumentium; in hoc crebro convenientium, ut innocuam et justam gentem lacerent, et e tanta laniena cachinnos excitent, immensaque sibi gaudia condiant. « Ego sum psalmus eorum : » hi enim cantantur psalmi in choro malignantium, in choro impiorum, videlicet laniena justi hominis; hanc vocant ad sua carmina, hanc ad plectra adhibent, ut dum rumpitur justus, ipsi exsultare possint. Præclare igitur Job dum se deridentium exprimit conditiones ait : « Nunc in eorum canticum versus sum; » Septuaginta reddunt, κιθάρα ἐγὼ εἰμὶ αὐτῶν, *cithara eorum ego sum*; et quidem pulchre justus vocatur *cithara impiorum*, non solum quia sicut ex percussis citharæ fidibus dulcis percipitur sonus, sic ex justo percusso, imo laniato, impii voluptatem percipiunt et lætitiam; sed quia ut ad percussarum citharæ fidium numerum psalli et saltari solet, sic ad numerum justi hominis cladium mundiales homines et carmina concinunt, et festivos saltus componunt, ut dicat Nicetas in *Caten. Græc.* : *Cantio itaque et carmen effectus sum eorum, measque calamitates pro quovis alio sermone habent in ore.* Et carminibus et cantibus et universis lætitiis impiorum hæc additur inexhausta materies, scilicet calamitas justorum : hæc illis pro cantu, pro saltu, et utinam in has chordas non videantur alicujus mutati chori, nec inter psalmos et canticum organi tales fabricentur cantiones, quæ in sancti alicujus hominis personent infamiam.

Job fuit cithara sibi illudentibus.

11. PHARETRAM ENIM SUAM APERUIT, ET AFFLIXIT ME, ET FRÆNUM POSUIT IN OS MEUM. — Elegans emblema est, in quo pingitur Deus pharetram ges-

Vers. 11.

Quomodo Deo

http://www.obrascatolicas.com

pharetra et sagittæ accomodantur.

tans, aperiens, sagittas promens, arcui adaptans et excutiens : pingitur etiam ut validus equorum domitor frænum indens, adstringens, ut ea ratione calamitas, qua homo subjugatur, *fræno* notetur; quemadmodum *pharetra* significatur divina providentia, e qua sagittæ calamitatum promuntur, quæ in homines collimantur, ac in finem divinæ gloriæ tandem diriguntur. Potest autem Job ita loquens induci, *q. d.* Hæc porro ab hominibus indecore patior, quia Deus, ut me exerceret atque probaret, illorum manus et linguas istiusmodi spiculis armavit : continuerat hactenus sagittas suas in pharetra, cum me paterno studio custodivit, et quotidianis ornavit beneficiis; nunc autem inclusas ad hoc usque tempus sagittas exprompsit, quibus confixus sum; et sui timore atque observantia, ne quid insultantibus responderem acerbius, quasi quodam fræno linguam meam severe constrinxit. Vel etiam sic, *q. d.* Deus in me jacula vibrat, me fræno compescit, doleoque vehementer : nam neque hostis ejus sagittis petendus sum, neque indomitus equus, qui valide domari debeam, cum semper illum coluerim, semper jubenti morem gesserim, et ad nutum ejus obtemperaverim.

Deo conservationis nostræ vinculum solvente illico effluimus, et perimus.

In Hebræo est : *Quia funem meum solvit, et frænum a facie mea laxaverunt.* His verbis innuit omne robur sibi ademptum fuisse a Deo, omnemque potentiam et auctoritatem imminutam, et se quasi capitis diminutionem passum esse, ut ab unoquoque posset impune contemni : hoc enim intelligit ea similitudine, cum ait Deum solvisse funem sive vinculum ipsius. Dum enim manu Dei sustinemur, id perinde est, atque si vinculo aliquo firmo constringeremur : quod si Deus solvat aut frangat, illico effluimus, nec quidquam in nobis firmum validumve consistit, sed omnia dissipantur. En Jobi scopum; nempe quod homines contempti et nullius auctoritatis, de quibus antea locutus est, non ausi fuissent in ipsum ita superbe involare, et impetum facere, nisi ipsum Deus suo vigore destituisset. Quod enim seipsum continere non potest, opus habet ut colligatur, et externo aliquo adminiculo contineatur. Nos vero ita sumus a natura comparati, ut nihil habeamus quod nos possit sustinere et conservare, nisi Deus nos conservet et vinciat : quare si hoc conservationis nostræ vinculum dissolverit fregeritve, nihil amplius nos potest tueri et fovere, ita ut vel abjectissimi quique in nos imperium et auctoritatem obtineant.

Vers. 12. 12. AD DEXTERAM ORIENTIS CALAMITATES MEÆ ILLICO SURREXERUNT : PEDES MEOS SUBVERTERUNT, ET OPPRESSERUNT QUASI FLUCTIBUS SEMITIS SUIS. — Illud *ad dexteram orientis* in Hebræo est, *ad dexteram efflorescentis* vel germinantis, *q. d.* Cum in me efloruit et coortus est Deus, sive manus Dei, qui me his malis affligi voluit, non secus atque arborem seu truncum rami comitantur atque circumdant; ita calamitates multæ ac graves ad dexteram meam illico insurrexerunt, et undique circumdederunt, quasi jam ante paratæ ad nutum illius me invadere et affligere, metaphora nimirum a ramis truncum comitantibus deducta, vel potius a prætore per satellites suos quempiam cingente, et manus ei ac vincula injiciente, *q. d.* Simul ac Deus veluti prætor me invasit, statim etiam calamitates glomeratim quasi lictores in me insilierunt; quemadmodum ubi prætor signum dederit, a latere, maxime dextero, ubi solet adhiberi vis atque defensio, insiliunt lictores, apprehendunt-que ac stringunt captivum. Et quemadmodum lictores postquam in captivum irruerint, statim pedes illius subvertunt, et in terram eum prosternunt, ut pro suo libito ligent eum vinculis: ita, inquit, afflictiones istæ statim me pessumdederunt, et quasi in terram subito prostraverunt. Et *oppresserunt quasi fluctibus*, id est, quemadmodum fluctibus aquarum quis obruitur, sic et ego illarum multitudine et magnitudine calamitatum obrutus et oppressus jaceo, in multa angustia, obrutus illis, et quasi calcantibus caput meum. Septuaginta vertunt, ἐπὶ δεξιῶν βλαστοῦ ἐπανέστησαν, πόδα αὐτῶν ἐξέτειναν, καὶ ὡδοποίησαν ἐπ' ἐμὲ τρίβους ἀπωλείας αὐτῶν, *ad dexteram germinis insurrexerunt, pedem suum extenderunt, et straverunt super me semitas perditionis ipsorum* : Scholiastes interpretatur, quod sibi quondam rebus dexteris et secundis florenti vel operibus ipsius bonis insultarunt, omnia deteriorem in partem interpretantes, quasi non pure pietatem coleret. Sed alius fortasse, et proprius Hebræo potest esse sensus, ut intelligatur eos, qui in flore ætatis sunt, in Jobum consurrexisse : sic enim ex Hebræo quidam vertunt, *juvenes surgebant a latere, constringebant pedes meos, quin semitas meas cingebant suis offensionibus.* Significat nempe juvenes a latere insurrexisse, qui antea coram ipso procubuissent, eos nunc ipsum supplantare conari, et illi quo offendat et impingat saxa ante pedes in via ponere : hoc nimirum pacto satis indicat se undique irrideri, seque ea reverentia, qua se olim affectum fuisse commemoravit, penitus spoliatum esse. Denique intelligit se omni calamitatum et malorum generi a Deo expositum fuisse.

Quemodo tribulationes Jobum circumdederunt

In sensu arcano ad dexteram orientis illi calamitates adveniunt, cui æquo animo susceptæ ad salutem ac vitam æternam proficiunt : nihil quippe justo viro, etsi durum, etsi acerbum, non expediens saluti a Deo amante paratur, in cujus rei symbolum crucifixi Domini latus dexterum lancea perfossum fuit *Joan.* XII, 34, « et continuo exivit sanguis et aqua; » *aqua* quidem, quæ baptismum adumbraret; *sanguis* vero, qui tribulationum et passionum calicem fidelibus porrigeret. Sed cur tristia et acerba tribulationis signa non magis a sinistris notabantur? Utique ut designarentur tribulationum, quæ justis accidunt, qualitates, quæ dexteræ sunt et nuntiæ venientis felicitatis : ideo, ait D. Bernardus serm. 7 in Psalm. *Qui habitat* :

justis tribulationes a dextris obvenient, quia illis prosunt ad salutem.

« Dominus meus Jesus etiam dexterum sibi propter me passus est latus fodi, quod videlicet non nisi de dextera mihi popinare vellet. » Passionum, dolorum, tribulationum calicem propinat; sed non nisi quæ dexteræ justis veniant et plenæ felicitatis : exsurgunt tribulationes, exsurgunt prælia et dolorum occasiones; at quæ expediant justis illosque in Dei dextera considere efficiant. Hoc igitur non sine mysterio Job significat dicens : « Ad dexteram orientis calamitates meæ illico surrexerunt : » nulla calamitas ulli acerbior unquam accidit quam Jobo acciderint calamitates suæ, quoniam illum et dolor, et intolerabilis fœtor, et hostium rapinæ et amicorum mordacitas vehementer affligebant; et nihilominus de his malis loquitus ait, *ad dexteram orientis* calamitates suas surrexisse. Ad dexteram ais, o bone! an dexter fuit impetus Chaldæorum adversus greges tuos? an dexter fuit ventus, qui concutiens filiorum domum septem tibi charissima pignora eripuit, et orbatum reliquit? Pulchre ait Guilbertus abbas serm. 38 *in Cant.* : « Jure ventum illum *dexterum* vocavit, qui nihil quæsivit sinistrum inferre : quin etiam coronæ gloriæ viro justo comportavit augmentum, quando virtus probata enituit, et quando provocata excrevit. » Nihil adversi, nihil doloris excitatur in viros justos quod illis ex dextera non soleat evenire, quod illos non magis impellat ad dexteram Christi.

Vers. 13. 13. DISSIPAVERUNT ITINERA MEA, INSIDIATI SUNT MIHI, ET PRÆVALUERUNT, ET NON FUIT QUI FERRET AUXILIUM, — id est, hostes mei interceperunt me iter facientem; ex insidiis me adorti prostravere-

Job ab hostibus concinsus effugii locum nullum habuit.

runt me, neque fuit qui cadenti adesset : in Hebræo est, *destruxerunt semitas meas*, scilicet ut nulla, per quam effugiam, via supersit. Est rhetorica summæ afflictionis descriptio, qualis fere est illa Jeremiæ *Thren.* III, 9 : « Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit; » vel quia insidias ei in itineribus struebant, ne sine damno pertransiret. Cujus expositionis causam addit Vulgatus : « Insidiati sunt mihi, et prævaluerunt. » Planius in Hebræo, *in pernicie mea profecerunt*, id est, ea mihi damna et detrimenta inferunt, quæ cogitant et optant, nec ullam eorum injuriam propulsare possum. Id quod alia phrasi declaravit David dicens *Psalm.* LXXXVIII, 43 : « Exaltasti dexteram deprimentium eum, lætificasti omnes inimicos ejus; » id autem Græci omiserunt, et ejus loco posuerunt, ἐξέδυσαν γὰρ μου τὴν στολὴν, *exuerunt enim me stola*, id est, me gloria et amplitudine mea privarunt : ex quo fit ut nihil me revereantur. Pro eo autem quod Vulgatus habet, *et non fuit qui ferret auxilium*, Septuaginta legunt, βέλεσιν αὐτοῦ κατηκόντισέ με, *jaculis suis vulneravit me*; quod simile est ejus quod dixerat paulo ante vers 11, ex versione etiam Græcorum : « Pharetram suam aperuit, et afflixit me. »

Vers. 14. 14. QUASI RUPTO MURO ET APERTA JANUA IRRUERUNT SUPER ME, ET AD MEAS MISERIAS DEVOLUTI SUNT. — Adfert metaphoras multiplices nunc a latronibus clam insidiantibus, mox palam aggredientibus; nunc a militibus muro everso, portisve captæ urbis effractis ad prædam diripiendam valide se proripientibus : quod et ad primos prædonum Sabæorum et Chaldæorum insultus, et ad Satanæ, domum, ubi Jobi liberi vescebantur, concutientis impetum, et ad posteriores hostes atque irrisores, demumque ad ipsas calamitates, dolores, angores, mœrores pertinet, *q. d.* Eo impetu irruperunt in me, quo disjecto muro aut perfractis foribus inimici; aut quo lapides e montium fastigio ad subjecta loca præcipiti rotatu descendunt. Tropologice S. Gregorius lib. XX *Moral.* cap. XX : « Quid hoc loco *muri* nomine nisi Redemptor humani generis appellatur? de quo pro sanctæ Ecclesiæ ædificatione per Prophetam dicitur *Isai.* XXVI, 1 : *Ponetur in ea murus et antemurale.* Sed quasi murus rumpitur, cum pravorum persuasionibus fides, quæ in Redemptore nostro est, in quorumdam corde dissipatur. Cumque perversis in hac vita potestas tribuitur, quid aliud quam janua erroris aperitur? Quasi rupto ergo muro et aperta janua super bonos irruunt mali, cum accepta temporaliter potestate perversi ipsa quoque in quorumdam corde destruere munimina fidei conantur; de quibus apte dicitur : *Et ad meas miserias devoluti sunt*, quia videlicet prius ad suas : nisi enim perverse vivendo ad suas miserias caderent, nequaquam ad eas postmodum et alios suaderent. Sed post suas reprobi et ad nostras miserias devolvuntur, quando ad ea mala, in quibus jam ipsi implicati sunt, etiam quosdam nobis unitos trahunt. Potest quoque intelligi *muri* nomine munitio disciplinæ, Salomone attestante, qui dicit *Prov.* XXIV, 30 : » *Per agrum hominis pigri transvi, et per vineam viri stulti; et ecce totum repleverant urticæ, operuerant superficiem ejus spinæ, et macceria lapidum destructa erat.* Quasi ergo hostis ingreditur, cum vel malignorum spirituum vel pravorum hominum persuasione callida disciplinæ munimina in corde dissipantur. » Sic ille.

Job variis modis ab hostibus impetitus fuit.

Christus murus et antemurale.

Pravi prius se quam alios destruunt.

Possunt hæc quoque de tentatione violenta quam optime intelligi, quæ adeo fortiter et acriter impugnat, ut ab humana imbecillitate superari vix possit, nisi abundantissima gratia hujusmodi impugnationi resistat : hanc passi sunt martyres tormentis, et morte ad deserendam fidem adacti; hanc expertus est beatissimus pater Benedictus tam acribus carnis stimulis agitatus, ut necesse fuerit ad spinas et tribulos et ad remedia insueta confugere, et carnis pruritum sanguine ex vulneribus erumpente suffocare. Quod si ad sacras Litteras oculos convertamus, non paucos ex viris justis hac tentatione pulsatos cognoscemus. Nonne Paulus de hac tentatione conqueritur cum ait II *Corinth*, 8 : « Supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos vivere? » Et David hanc eamdem sentiebat *Psalm.*

Tentatio violenta qualis.

http://www.obrascatolicas.com

LVIII, 4 : « Ecce inquit, ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes. » Patientem quoque Jobum similis tentatio pulsabat cum hæc dixit : « Quasi rupto muro et aperta janua irruerunt super me : » nam sicut rupto muro et aperta janua civitatis vix superest spes evadendi, ita hominis pene virtute sublata et irruentibus hostibus difficile est se in innocentia continere ; unde subdit :

Vers. 15. 15. REDACTUS SUM IN NIHILUM : ABSTULISTI QUASI VENTUS DESIDERIUM MEUM : ET VELUT NUBES PERTRANSIIT SALUS MEA. — Nullum, inquit, mihi reliquum est consilium, quod in tantis malis suscipiam, nulla salutis spes qua nitar : eodem modo David locutus est *Psalm.* LXXII, 21 : « Inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt, et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi; » hebraice tamen hic ad verbum est, *conversi sunt terrores in me,* quod Septuaginta reddunt, ἐπιστρέφονταί δέ μου αἱ ὀδύναι, *convertuntur dolores mei,* quibus ita conturbor, ut fere consilii mentisque sim impos : secundum corpus enim effectus sum miser totus ac miserabilis, penitus deploratæ valetudinis, ac proximus nihilo, utpote cui nulla sit spes humanitus recuperandæ salutis, et qui jam jam sim morte consumendus, quantum ad humanam attinet facultatem. Et quemadmodum ventus vehemens nubem celeriter transire facit, atque etiam alia de loco suo rapit in impetu suo : sic omnipotens Deus sua permissione, et adversarius meus sua malitia, omne desiderium meum, id est, quidquid mihi posset esse desiderabile in rebus mundi hujus, a me abstulit spolians me liberis, famulis, gregibus, omnibus facultatibus et honoribus : insuper et sanitas mea corporalis, qua prius gaudebam præ aliis multis, simul ablata est mihi, et pertransiit celeriter ad modum nubis quæ a vento agitatur aut rapitur, aut dispergitur in nihilum; cujus post paululum nullum apparet vestigium. Nubes enim et nebula et fumus per proverbium dici solent de re valde fragili, inconstante et transitoria; unde ad humanæ vitæ brevitatem indicandam dicitur *Sap.* II, 3 : « Transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est a radiis solis, et a calore illius aggravata : » Præmiserat paulo ante *ibid.* vers. 2 similem locutionem de fumo, dicens anhelitum, quo vitam significat, similem esse fumo : « Fumus flatus est in naribus nostris; » græce, καπνὸς ἡ πνοὴ ἐν ῥισὶν ἡμῶν. Ubi subauditur nota comparationis ἡ πνοὴ ὡς καπνὸς, *flatus sicut fumus;* quemadmodum alibi dicit cap. V, 15 : « Tanquam fumus qui a vento diffusus est; » et David *Psalm.* XXXVI, 20 : « Deficientes tanquam fumus deficient; » et iterum *Psalm.* CI, 3 : « Defecerunt sicut fumus dies mei. » Seneca similiter in *Troad.* πνοὴν describit,

Cum profugo spiritus halitu
Immistus nebulis cessit in aera;

et mox subdit duas has comparationes.

Ut calidis fumus ab ignibus
Vanescit spatium per breve sordidus;
Ut nubes gravidas, quas modo vidimus,
Arctoi Boreæ dissipat impetus;
Sic hic quo regimur spiritus effluet.

Homerus similiter ait *Iliad.* Ψ, vers. 100 :

Ψυχὴ δὲ κατὰ χθονὸς ἠύτε καπνὸς
Ὤχετο τετριγυῖα :

Anima autem sub terram tanquam fumus
Abiit murmure stridens.

Sic vapori comparant alii, qui et ipse fumo similimus « Quæ est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens, » ait Apostolus Jacobus *Epist.* IV, 15 : vide quæ diximus cap. VII, vers. 9. Porro illud quod ait :

ABSTULISTI QUASI VENTUS DESIDERIUM MEUM, — summam quamdam afflicti animi desolationem et quasi spiritus ipsius defectionem significat; quod nimirum cor nimio mœrore oppressum in pia exercitatione non satis libere, ut solet, ad Deum attollere valeret : quamobrem non satisfaciebat ipse sibi, cum lentior et remissior frigidiorque esse videretur, et cœlesti desiderio se prope nudum atque vacuum agnosceret. Hujusmodi sane desiderium, quasi tepidus jejunusque foret, optabat regius Propheta dicens *Psalm.* CXVIII, 20 : « Concupivit anima mea desiderare, » vel, ut vertit S. Hieronymus, *desideravit desiderare anima mea.* Motus animi, vim mentis, pietatis ardorem amplificare in dies cupiebat, et desiderii vela intendere. Talis quoque fuit Daniel, qui *vir desideriorum* in divinis oraculis dicitur : plus enim desideriis piis quam aere ipso spirituque vivebat; de cujus sacrosanctis affectionibus in augusta ejus historia proditur : quoties enim apud se quotidie de magnifico Salomonis templo et religione cogitabat, de captivitate, de miseriis et calamitatibus hujus vitæ, de pœnis sceleratorum, qui divinam justitiam irritant, de providentia, de Numinis clementia et insuperabili bonitate? in quarum et similium rerum consideratione dici vix potest quam sitienter optaret et finem ærumnarum, quibus ipse et probi omnes in hoc cursu brevis ævi conflictantur, et Messiæ adventum, et domicilium Dei reclusum, et pacem mundi, et Numinis regnum sempiternum; ad quod fruendum omnes conditi et beneficentissime recreati sumus. Hæc fuere tanti viri desideria, quibus suspirabat et ardebat, et aperiebat animi os ad attrahendum spiritum, ad divinum quemdam aerem vitæ concipiendum.

Eosdem igniculos pietatis adhibuere viri omnes sancti, qui vitæ puritate atque innocentia Deo placere studuerunt, qui arcanis animi votis abjectas in terram curas in sublime sustollebant, et recentis auræ accessione cor implebant suum. Hanc opinor ob causam in mysticis servatoris nominibus *desiderium* ponitur, quod arcanum sponsa enucleat, cum de sponso in epithalamio ita canit *Cant.* V, 16 : « Totus desiderabilis, » et longe ante radiatus vultu Moyses in Cosmopœia eumdem illum indigitaverat *Genes.* XLIX, 26 : « Desiderium collium

Nubes, nebula, fumus sunt hieroglyphicum inanitatis ac defectionis.

Quomodo Job ad nihilum se redactum dicat.

Desiderium pium est vita animæ.

Daniel vir desideriorum, et cur sic dictus.

Christus dicitur totus desiderium sanctorum.

æternorum : » in Aggæo pariter cap. II, 8 : « Et veniet desiderium cunctarum gentium, » quemadmodum in Hebræo legitur. Hujus igitur tantæ auctoritatis principem et devotionis magistrum pii, ut dixi, probique omnes, atque viri desideriorum pro virili parte imitari contenderunt. Quos utinam et nos quoque æmularemur, et inter æstum profanorum negotiorum os sæpe desideriis sanctis aperiremus ad concipiendum ardorem pietatis : fit enim sæpe ut desideria cordis nostri aut repentia sint, aut humi strata, lita fæce, et mundi sordibus obsoleta, aut etiam nulla sublimium rerum et appetendarum : et si quæ forte nos aliquando evehant ad Deum, atque ad sempiternæ gloriæ cupiditatem, subito auferuntur ut levissimo vento, quod de se Job mœrens et afflictus querebatur. Et tamen cupit Deus, ut simus omnes illa terra desiderabilis, quam instincti a Deo Vates prædicant : Sic enim ore Malachiæ, cap. III, 12 Numen edicit : « Et eritis vos terra desiderabilis; » Septuaginta vertunt, ὡς γῆ θελητή, *sicut terra voluntaria* sive volita. Lingua sancta dicit, *eritis terra* חפץ *chephets,* hoc est *voluntatis,* sive *desiderii,* cum significare vellet terram cordis nostri pro motu voluntatis et frequentium desideriorum aspiratione disponi ad optimos satus capiendos, et uberrimorum fructuum copiam et maturitatem.

Viri pii sunt terra desiderabilis.

Vers. 16. 16. NUNC AUTEM IN MEMETIPSO MARCESCIT ANIMA MEA, ET POSSIDENT ME DIES AFFLICTIONIS, — *q. d.* Ablata sanitate marcescit nunc in me anima mea, deficitque vigor et vita corporis mei, totumque me occupat, sibique quasi subjectum et totum suum firma possessione detinet tempus afflictionis ac tribulationis; quæ tanta est, ut nullam admittat consolationem. Hisce verbis innuit se medullitus vulnerari, potest enim fieri ut aliquis irrideatur, nec tamen id valde curet. Jobus autem ostendit, ejusmodi opprobria et contumelias, quibus petitur, ad cor usque penetrasse; ideoque dicit animam suam vexatam fuisse, et salutem suam sibi ereptam esse. Sensus igitur est ejusmodi : Quod pro eo, quod olim magna dignitate ornaretur, modo plane contemnatur, et pro eo quod ita probe munitus erat, ut ad ipsum nulla pertingere calamitas ullo modo posse videretur, jam sanitas ejus omnino sit prostrata, nec ullius ope aut consolatione sublevetur; malum autem ejus internum erat, nec dumtaxat irrisionibus, opprobriis et contumeliis sibi illatis premebatur, sed prostratus erat in seipso, et animo excruciabatur; præ cujus nimio angore marcescebat. Tropologice S. Gregorius, lib. XX *Mor.* cap. XX : « Electorum, inquit, anima nunc marcescit, quia in illa postmodum æterna exsultatione viridescit : modo eos dies afflictionis possident, quia dies lætitiæ post sequuntur. Scriptum quippe est *Eccli.* I, 13 : *Timenti Deum bene erit in extremis.* Et rursum de Ecclesia dicitur *Prov.* XXXI, 25 : *Ridebit in die novissimo* : nunc enim tempus afflictionis est bonis, ut sequatur eos exsultatio quandoque sine tempore, hinc ab eis alias dicitur *Psalm.* XLIII, 20 : *Humiliasti nos in loco afflictionis* : locus namque afflictionis est vita præsens; justi ergo hic, id est in loco afflictionis, humiliati sunt, quia in æterna vita, id est in loco gaudii, sublimantur. Cum vero marcescere animam diceret, recte etiam præmisit, *in memetipso,* quia in nobismetipsis quidem affligimur, sed in Deo mens nostra refovetur, tantoque a viriditate gaudii longe fit, quanto adhuc ab auctoris repulsa lumine ad se redit; tunc vero ad veræ lætitiæ viriditatem pervenit, quando per æterna contemplationis gratiam sublevata etiam semetipsam transit. »

Job et electi hic marcescunt, ut in æternum floreant.

Vers. 17. 17. NOCTE OS MEUM PERFORATUR DOLORIBUS; ET QUI ME COMEDUNT NON DORMIUNT. — Maximis, inquit, conficior doloribus, de quibus hebræi dicunt, quod ossa conterant, conturbent, dispergant, ut David ait *Psal.* XXI, 5 : « Dispersa sunt omnia ossa mea; » et Ezechias *Isai.* XXXVIII, 13 : « Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea. Et qui me comedunt, » scilicet pediculi atque alii vermes, « non dormiunt; » id est, nunquam cessant me arrodere. Alii metaphorice id exponunt de febribus, aliisque doloribus et calamitatibus seu corporis, seu animi. Sed si historiæ intendimus patet causa, quoniam S. Jobi corpus per sinus ulcerum scaturiens vermium multitudo lacerabat : ita S. Gregorius lib. XX *Moral.* cap. XXI hæc secundum litteram interpretanda docet : « Si vero allegoriæ mysterium perscrutamur, quid, inquit, per *ossa* nisi fortes quique in sanctæ Ecclesiæ corpore designantur? qui quasi suo robore membra continent, dum mores infirmantium stabiliter portant. Sed cum tribulationis ultimæ contra eam fervor excreverit, in nocte os illius perforatur doloribus, quia nonnunquam tormentis victi etiam ipsi ad perfidiam defluunt, qui ad fidem alios tenere videbantur : ait ergo : *Nocte os meum perforatur doloribus,* ac si aperte dicat : Tribulationis tenebris pressi ita afflictione tenebrantur, ut et ipsi, qui in me habebant vigorem fortitudinis, quasi jam quoddam habeant foramen timoris. Bene autem dicitur : *Et qui me comedunt non dormiunt,* quia maligni spiritus, qui carnales quosque de Ecclesia consumunt, tanto magis quiescere a tentatione nesciunt, quanto nullo carnis pondere gravantur. » Acres enim ac vividi de die, de nocte semper et ubique robore omni suo perfruuntur : nec somno egent, utpote spiritus : quare S. Isidorus Pelusiota lib. II *Epist.* 164, dæmonem ait, ut nos decipiat, semper ἀγρυπνεῖν, *insomnem esse,* in perpetua quasi vigilia excubare : cumque celeritate sint mirabili, omnibus locis adeunt; dum abiisse putes, advolant, et celerius afflant pestilentem ignem quam fieri posse quisquam dubitavisset : quorum tantam et tam præsentem nocendi vim cum regius videret Vates, neque unum aut paucos sciret volitare dæmones, sed numerosissimas legiones alis igneis velocissime divagantes, pestem et exitium ubique spargentes vocat *Psal.* LXXVII, 48 « immissiones angelorum malorum, » vel, ut Vatablus vertit, *cacodæmonum incursiones.* Impiæ illæ men-

Vers. 17. Jobo veremes quietem nullam concedebant.

Ossa fortes in Ecclesia designant.

Maligni spiritus nunquam dormiunt.

http://www.obrascatolicas.com

tes semper in actu vigiles, et stimulis invidiæ feroces, tot sæculorum intercapedine jam inde ab initio ad fallendum et vexandum eruditæ, strenue se in hoc opificio versant expoliuntque, ut bene dixerit Tertullianus lib. *De Pat.* cap. 1 : « Lata atque diffusa est operatio mali multiplicia spiritus incitamenta jaculantis. » Jaculantem facit spiritum nequam ut inimicum, ut cor ipsum vitaliaque ferire cupientem : educit autem e pharetra sua grandi et abominanda multiplicia incitamenta, fraudes innumeras, scelerum modos prope infinitos, quos in animam jaculatur.

Vers. 18. 18. IN MULTITUDINE EORUM CONSUMITUR VESTIMENTUM MEUM, ET QUASI CAPITIO TUNICÆ SUCCINXERUNT ME.

Pellis et caro vocantur vestimentum. — *Vestimentum* suum poetica metaphora vel pellem vel carnem suam vocare videtur, quæ vermium multitudine consumebatur : in Hebræo ad verbum est, *in multa vi mutatur vestimentum meum*, id est, morbi magna vi vestimentum meum immutatur, ita ut non pelle carneque sicut antea, sed ulcere et sanie tegi videar. Illud autem, *quasi capitio tunicæ*, clarius est in Hebræo, *sicut os tunicæ meæ*, ubi *os tunicæ* vocare videtur foramen

Quid sit capitium tunicæ. ejus quod collum cingit. Sicut igitur tunica collum cingens totum deinde ad pedes usque corpus complectitur, ita ergo, inquit, sanie et tabe totus contaminatus sum; illud ulcus perstringens, de quo cap. II, 7 dictum est : « Percussit Job ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem ejus : » quia ergo ulcus ejus totum corpus pervaserat, eo sicut capitio tunicæ totus succinctus esse dicitur. *Capitium* autem *tunicæ* vocat os tunicæ, sive orificium ejus quod collo inseritur : nova significatio, nam *capitium*, si Nonio credimus, est tegumentum capitis; Varroni autem aliud est, et Ulpianus recenset inter vestes muliebres. Septuaginta versum hunc ita reddunt, ἐν πολλῇ ἰσχύι ἐπελάβετό μου τῆς στολῆς, ὥσπερ τὸ περιστόμιον τοῦ χιτῶνός μου περιέσχε με, *in multa virtute apprehendit stolam meam, et quasi ora vestimenti mei circumdedit me* : περιστόμιον vetus interpres *capitium* reddit; lexicon vero *victus*, ab Hesychio exponitur ὁ τῆς ἐπιγλωσσίδος τόπος ἐν τῷ βρόγχῳ, *linguæ locus in gutture* : inde βρογχωτὴρ, quæ est vestimenti apertura, qua collum inseritur inter induendum, nonnulli *oram* interpretantur : malim *os tunicæ* appellare.

Ecclesia est vestimentum Christi et fideles Ecclesiæ. Allegorice S. Gregorius lib. XX *Moral.* cap. XXII : « *Vestimentum*, inquit, est sanctæ Ecclesiæ fidelium vita : nam sicut tota simul Ecclesia vestimentum Christi, ita fideles quique ejusdem Ecclesiæ vestimenta deputantur; hinc Paulus ait *Ephes.* V, 27 : *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.* Hinc per Prophetam Dominus ait *Isai.* XLIX, 18 : *Vivo ego, quia omnibus his velut ornamento vestieris.* Sed cum procella suæ persecutionis oboritur, plerique fidelium ab ejus amore separantur, qui ei sedulo inhærere videbantur. Porro tunicæ capitium collum circumdat induentis; collum vero cum stringitur, vocis usus et vitalis flatus necatur. Sanctam ergo Ecclesiam reprobi quasi *capitio tunicæ constringunt*, quia in ea persecutionibus suis vitam fidei et prædicationis vocem exstinguere conantur.

Vers. 19. 19. COMPARATUS SUM LUTO, ET ASSIMILATUS SUM FAVILLÆ ET CINERI. — Ad summam vilitatem perductum se dicit, ut qui vulneribus et sanie sicut lutum computresceret ac fœteret; et omnino inutilem, nisi ut in sterquilinium projectus jaceat, qui similis cineri sit effectus : ita Philippus et alii.

Carnales homines lutei vocantur seu pelusiotæ. Tropologice luto comparantur, et in luto hærent atque indignis modis inficiuntur, qui nimium corpori afficiuntur, et imperiis illius obtemperant : corpus enim lutum est, et, ut elegantissime dixit Tertullianus lib. *De Resurr.* cap. XVI : « Limus titulo hominis incisus; » quodveluti imitatur consimili certe venustate D. Gregorius Nyssenus Magni Basilii frater orat., 1 *De Beat.*, hominem vocans γήινον ἀνδρίαντα, *luteam statuam* : addit Isidorus Pelusiota lib. II, *Epist.* 5, remque etiam amplificat, corpus nostrum esse πηλοῦ παντὸς ἀσθενέστερον, *omni luto imbecillius*. Qui igitur studio amoris impotenti in hoc lutum sive corpus feruntur, ab antiquis significantissime olim dicti *pelusiotæ*, toti lutei, et, ut Tertullianus loquitur, *e limo figulati*, nihil supra lutum sentientes : πηλὸς enim, unde illa vox facta est, *lutum* significat; cujus rei ita meminit S. Hieronymus in epist. *ad Pammach.* : « Pelusiotas nos appellant et luteos, animalesque et carneos, quod non recipiamus ea quæ spiritus sunt : » nec sine ratione doctissimus Pater addidit *carneos* : nam Sybillas, cum divino enthusiasmo hominum imbecillitatem miseriamque pangerent, eosdem appellavisse σαρκίνους, *carneos*, variegato in opere suo lib. III *Strom.* notavit Clemens Alexandrinus, et Theophilus lib. II *ad Autol.*, apud quem est illud hemistichium,

Σάρκινοι οὐδὲν ὄντες;
Carnei et nihili homines.

Eosdem illos pelusiotas, carni suæ auctoratos et sordidis affectionibus illitos, ut luteos imperatores S. Chrysostomus *in Isai.* cap. VII, vocat παχυτέρους, *sensu crassiori*, abdomine suffarcinatos, et χάμαι συρομένους, *humi repentes*, vilissimis rebus affixos, corpore suo tanquam in luto immersos.

Animam carni servire miserum et indignum est. An non igitur fœdum est atque miserrimum, pulcherrimam animam, divinæ particulam auræ, non modo ut hirundinem innocentem in luteo nido circumcludi, verum etiam præpostera audacia carnis arbitrio pessumdari, et crudeli corporis dominatione affligi? Lactantius lib. VI, cap. I, in hominum impietatem invehens : « Quoniam, inquit, sensum illum cœlestem corpori mancipaverunt, libidinibus frœna permittunt, tanquam secum ablaturi voluptatem, quam momentis omnibus capere festinant, cum animus ministerio corporis, non corpus ministerio animi uti debeat. » Hinc Cydonius in orat. *De Contem. mort.* egregie dixit, hoc unicum esse animi probrum et princeps damnum, σαρκὶ δουλεῦσαι, καὶ ταύτῃ συμπλέεσθαι,

carni servire, et ejusdem amore implicari. Quam infelicitatem apud se reputans anima, non potest non profecto ingemiscere, et optare propheticæ columbæ tergo inaurato pennas, quibus supra

Vasa immunda Deus perdi jubet. carnis affectiones evolet. Statuit olim Deus *Deuter.* XVI, 12, ut vas fictile aut terreum, si immundum factum fuisset, contereretur et projiceretur : quod non tam pro vasis materialibus dictum voluit, quam pro hominibus qui vasa fictilia sunt; et « vasa figuli » sæpe in Scriptura vocantur, *Eccli.* XXVII, 6; *Isai.* XXX, 14 et *Jerem.* XIX, 11. Et quid mirum? si videres aliquem principem, cui immunditia esset tam invisa, ut vasa pretiosa auri et argenti, lapidibus pretiosissimis exornata, eo ipso quod videt immunditiam contraxisse, contereret, et in sterquilinium mitti in perpetuum juberet : quid credis facturum de vasis terreis et fictilibus, si immunda fieri videret? Deus ita immunditiam peccati aversatur, ut vasa illa aurea angelicæ naturæ, pretiosissimis lapidibus donorum fulgentissimorum ornata, qualia describit *Ezech.* XXVIII, 13, eo ipso quod videt immunditiam et æruginem superbiæ contraxisse, æternæ damnationis sententia tanquam virga ferrea contrivit, et in sterquilinium inferni in perpetuum projecit. Quid facturum credis de homine, qui vas est fictile et terreum, cum peccatorum immunditia et sordibus viderit inquinatum?

Quidquid peccato inquinatum est a Deo projicitur. Hæc considerasse visus fuit S. Apostolus Petrus II *Epist.* II, 4, qui postquam expendit, quomodo angelos peccantes Deus projecerit, quid de hominibus fecerit considerat : « Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos; et originali mundo non pepercit; et civitates Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem redigens eversione damnavit, » etc. Quasi antecedentis loco supponere videtur, quæ cum angelis peccantibus Deus fecit, illos a se in perpetuum abjiciens et æterna damnatione puniens (antecedentis enim vim habet conditionalis illa : « Si Deus angelis ») ut inde inferat : Non mirum, si similiter mundum carnalem et terreum, atque impudicas et immundas civitates evertens projecerit et damnarit. Si enim vasa aurea, quæ lapidibus pretiosis exstiterant ornata, eo ipso quod immunda fuerunt reddita, projecit, quid mirum, quod vasa fictilia undique sordibus plena abjecerit, et in sterquilinium miserit? hinc cum abjiciendum Jechoniam regem in sterquilinium Babyloniæ Deus prædiceret *Jerem.* XXII, 28 » : Numquid, inquit, vas fictile atque contritum vir iste Jechonias? numquid vas absque omni voluptate? » id est utilitate? « Quare abjecti sunt ipse et semen ejus, et projecti in terram? » quasi dicere volens : Quid agendum est mihi de vase fictili immundo, sordibus pleno, et inutili reddito? Ita et cum *Ose.* VIII, 8 duabus tribubus comminabatur, se illas projecturum et in perditionem daturum : « Devoratus est, inquit, Israel (id est contritus sicut cibus qui devoratur) nunc factus est in nationibus quasi vas immundum; » Septuaginta transtulerunt σκεῦος ἄχρηστον, *vas inutile*, quia vas fictile, quod immundum et contritum est, inutile penitus judicatur, ideoque projiciendum. Magno igitur timore deberent peccatores affici, videntes se vasa fictilia, immunditiis et sordibus plena, peccatorum ictibus contrita, et propterea tanquam inutilia penitus rejicienda; quorum quivis dicere potest *Psalm.* XXX, 13 : « Oblivioni datus sum tanquam mortuus a corde; factus sum tanquam vas perditum : » mortuus deficiente anima ad omnia redditur inutilis, ideo in sepulcrum projicitur, oblivioni traditus, ibi penitus absumendus; et vas fictile inutile redditum ad nihil valet, nisi ut projiciatur, et sicut lutum conculcetur, unde S. Job, postquam omnia recensuit mala, ad quæ deductus fuerat, in sterquilinium quasi conjectus, et ad omnia quasi inutilis factus, concludit : « Comparatus sum luto, » etc.

Vers. 20. Job amice queritur a Deo se non audiri aut respici. 20. CLAMO AD TE, ET NON EXAUDIS ME : STO, ET NON RESPICIS ME. — Hic conquerendi modus plane amatorius est, a conscientiæ puritate profectus, *q. d.* Valde illud meam aggravat miseriam, quod in tantis cruciatibus innocenter degens, consolationem aut levamen nusquam invenio : clamo enim ad te, ut saltem aura humana ferens, ut vel in modico relevetur dolor meus, et paululum liceat respirare; tu vero non me videris exaudire in hac postulatione mea, relinquens me absque levamine in acerrimis doloribus meis : quin et assisto, ut famulus tibi quam possum exactissime obtemperaturus, nec dignaris me saltem intueri. Sed quantum hoc, quod Deus non respiciat, et prætereat hominem jam lutum et limum factum? Multum profecto, et pene inauditum in Deo, qui sic in homine humili sibi complacet, ut in hoc humilitatis humanæ luto pene maneat infixus, juxta illud Davidis *Psalm.* LXVIII, 3 : « Infixus sum in limo profundi. » Audi quid de limo dicat Tertullianus lib. *De Resurr.* : « Limus, inquit, in manus Dei pervenit, satis beatus, et solummodo contactus : recogita totum illi Deum occupatum ac dedicatum manu, sensu, opere, consilio, ipsa in primis effectione, quæ lineamenta docebat. » Sic limus totum Deum rapit, et ejus tenet cogitationem, oculos, manus; et tamen totum hoc limi illicium apud Deum in Jobo deficit : ipse namque ad limum redactus totum suum objicit Deo lutum, et Deus lutum pertransit, nec ibi figit oculos, neque aures accommodat : « Comparatus, inquit, luto clamo ad te, et non exaudis me : sto, et non respicis me. »

Deus humilitatis luto delectatur et trahitur. Nihil scilicet in hac vita sic Deum apprehendit quod non a Deo prætereatur : in nullo sic Deus figitur et hæret, de quo non evolet, et longius abeat; adeo ut pluries se sine Deo possit lugere, quam cum præsente Deo gaudeat. « In lectulo meo, inquit sponsa *Cant.* III, 1, per noctes quæsivi quem diligit anima mea. » Nescio an unum

Deus frequenter diem integrum a sponsa cum Jesu invenies ac-

http://www.obrascatolicas.com

etiam dilectis se abscondit.

tum; et plures noctes vides, in quibus Jesu præsentia caret. Hinc dicebat Guilielmus abbas serm. 1 *in Cant.* : « Noctes ejus frequenter interpolantur absentia sponsi : cum adest, lux est; cum abest, nox est. Ideo multæ sunt noctes sponsæ; quia multi sunt elapsus sponsi, et multæ latebræ. » Quandoquidem nox correspondet absentiæ Dei, necesse est multas esse noctes, quia multæ et frequentissimæ sunt Dei absentiæ, ne quis putet verbum Dei posse esse alligatum, ut illud pro quacumque hora homo voluerit habeat : sæpe enim præsumunt multi de Deo certis temporibus habendo, et misere se fallunt : audi quid de sponsi fuga multiplici dicat D. Bernardus serm. 32 *in Cant.* : « Cum, inquit, vigiliis, et obsecrationibus, et multo labore et imbre lacrymarum quæsitus Dominus affuerit, subito dum teneri putatur elabitur; et rursum lacrymanti et insectanti occurrens comprehendi patitur, sed minime retineri, dum subito iterum quasi manibus evolat. Et si institerit precibus et fletibus devota anima, denuo revertetur, et voluntate labiorum ejus non fraudabit eam; sed rursum mox disparebit, et non videbitur, nisi iterum toto desiderio quæratur. Ita ergo et in hoc corpore potest esse de præsentio lætificat, sed molestat vicissitudo. »

Negligentes temere præsumunt de auxilio Dei.

Hæc quæso expendant omnes, qui otiosam vitam agunt in mundi hujus foro, et dum in cupiditatibus suis implendis sunt toti, nullam salutis sollicitudinem, nullam de Deo propitiando cogitationem habent; nec magni ducunt, hos et illos dies, imo hos et illos annos negare Deo, ejusque vocationi repugnare, negotium animæ vel non curantes, vel in aliud tempus differentes, ac si certi forent Deum pro quacumque hora ipsi voluerint ad nutum eorum paratum et expeditum adfuturum, ut eis efficacia auxilia præstet et singularem sui assistentiam. Sed unde hæc sibi polliceri aut confingere præsumunt? Sane etiam illi, qui omni studio et labore cum lacrymis et sollicitudine Deum quærunt, talia sibi promittere vix possunt, quandoquidem Deus, licet amicissimus, non tamen assiduus, et peculiariter iis semper assistit, nec pro quacumque hora et momento ad nutum eorum adest, sed frequentibus fugis se illis eripit, et suavem suam faciem abscondit. Si ergo etiam laborantes, et anxie quærentes pro quacumque hora certo Deum sibi peculiariter assistentem non inveniunt, sed illum lugent absentem; qui otiosi in foro vivunt, in lecto stertunt, nec ulla Deo placendi sollicitudine tenentur, qua temeritate præsumunt illum sibi præsto futurum pro quacumque hora ipsi voluerint? Adfuit aliquandiu sponsæ foribus *Cant.* v, 2, « vox dilecti pulsantis : Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. » Quid tunc? ipsa dicit *ibid.* vers. 6 : « Pessulum ostii mei aperui dilecto meo : at ille declinaverat, atque transierat. » Quis crederet non magis exspectaturum eum, qui sic ad ostium dilectæ et immaculatæ pulsabat? Quæ dilecta non præsumeret a se inveniendum illum, quem sentiebat pulsantem et ad januam vocantem? Et nihilominus dum paulisper cunctatur, cum vult admittere, jam non invenit quem admittat. Scilicet non pro omni hora qua vult homo adest Deus efficaciter vocaturus, sed frequenti fuga et inopinata absentiam et alienationem ostendit suam. Unde Job subdit :

Vers. 21. Deus videtur crudelis dum nos flagellat.

21. MUTATUS ES MIHI IN CRUDELEM, ET IN DURITIA MANUS TUÆ ADVERSARIS MIHI, — *q. d.* Qui in te ipso crudelitatis nil habes, mihi, quem respirare a percussione non sinis, crudelis videris : ita enim Deus crudelis esse non potest, sicut nec mutari ullatenus potest. Sed quia omnino in Deo nunquam nec crudelitas nec mutabilitas venit, dum *mihi* dicit, quod in semetipso Deum nec crudelem nec mutabilem sentiat ostendit : nam dum circa nos quædam prospera et adversa variantur, in eo quod nos mutamur, quasi ejus circa nos mutatum animum suspicamur. Ipse vero in se incommutabilis permanens, aliter atque aliter in cogitatione sentitur hominum pro qualitate meritorum : sic et lux solis, cum nequaquam sit sibimetipsi dissimilis, infirmis aspera, sanis autem [illegible] videtur, eorum videlicet immutatione, non sua; unde, ut prædiximus, dicens : *Mutatus es,* adjunxit *mihi,* ut ipsa hæc crudelitas atque mutatio non sit in qualitate judicis, sed in mente patientis. Quod verbis quoque aliis retexit dicens : *Et in duritia manus tuæ adversaris mihi* : manus enim Dei dura creditur, cum voluntati nostræ contraria hoc quod ei in nobis displicet feriendo persequitur, et flagella ingeminat, cum dolentis anima clementiam exspectat. Quæ tamen juxta allegoriæ mysterium bene sanctæ Ecclesiæ verbis congruunt, ex vocibus infirmorum, qui plerumque se plus feriri æstimant, quam mereri putant, et quasi crudelitatem arbitrantur judicis districtionem æquissimam rationis : quia et cum vulnus ægri medicinali ferramento abscinditur, *medicus crudelis* vocatur, qui tamen per secantis manus duritiam adversatur vulneri, sed concordat saluti : ita pulchre S. Gregorius lib. XX *Moral.* cap. XXIII, ubi vide illum fusius.

Vers. 22.

22. ELEVASTI ME, ET QUASI SUPER VENTUM PONENS ELISISTI ME VALIDE. — Septuaginta reddunt, ἔταξας δὲ με ἐνδύναις, καὶ ἀπέῤῥιψάς με ἀπὸ σωτηρίας, *statuisti autem me in doloribus et projecisti me a salute* : in Hebræo est, *tollis me ad ventum,* quo innuit instabilem suam conditionem : nam vento nihil levius, nihil instabilius : interdum celeritatem arguit, ut quando Deus dicitur volare super pennas ventorum; hinc *a vento tolli* idem est quod *velociter tolli*; vel *Psalm.* XVII, 11 : « Tollis me in ventum, » id est aufers me ut penitus evanescam. Eodem spectat quod sequitur : « Equitare facis me, » scilicet super ventum, ut quam celerrime auferar e medio : nam venti celeritas in proverbio est. Cæterum sensus est, *q. d.* Ex sublimi felicitatis Gravior

est e sublimi casus.

fastigio, in quod me evexeras, nunc in profundum malorum barathrum præcipitas eo acerbiori et magis miserando casu, quo e sublimiori fortuna : postquam enim sic me in altum nullo stabili fundamento nixum quasi supra ventum sublimaveras, subito me permisisti e supremo felicitatis gradu ad infimam usque sortem et extremam calamitatem decidere; veluti si quis ex suprema vel media regione aeris in profundum terræ puteum corrueret; quibus in verbis demonstrat se maximo dolore affici recordatione præteritæ felicitatis, dum præsentem miseriam intuebatur : « Levior enim dolor est, inquit Seneca *De Tranq.* non habere quam perdere; tolerabilius non acquirere quam amittere. » Itaque lætiores videbis quos nunquam fortuna aspexit, quam quos deseruit : non enim bona non accipere adeo grave est quam acceptis privari; et nihil magis miserabile est quam ex beato fieri miserum, id quod expressit Pompeius apud Lucanum cum dixit :

Dedecori est fortuna prior.

Dolebat hoc quoque David dicens *Psalm.* CI, 18 : « Quia elevans allisisti me; » qui locus huic omnino similis est, eumdemque sensum habet : significat enim se a Deo in sublimiorem dignitatis ac potestatis gradum evectum, ac deinde ex eodem dejectum, deturbatum, præcipitatum, gravissime læsum atque collisum fuisse; unde accidit, ut longe molestior accideret hujuscemodi humiliatio. Tropologice S. Gregorius lib. XX *Moral.* cap. XXIV, interpretatur hoc de transitoria felici-

Prosperitas transitoria super ventum ponitur.

tate : « Quia, inquit, præsentis vitæ gloria quasi in alto cernitur, sed nulla stabilitate solidatur; velut elevatur, et super ventum ponitur, qui prosperitate transitoria lætatur : quoniam ad hoc solum hunc fugitivæ felicitatis aura sublevat, ut repente deterius in infimis sternat. »

Vers 23.

23. SCIO QUIA MORTI TRADES ME, UBI CONSTITUTA EST DOMUS OMNI VIVENTI, — *q. d.* In omnibus autem his non aliam habeo consolationem temporalem, nisi quod cognosco non esse durabilem istam tantam calamitatem, sed morte brevi finiendam : hoc enim scio, te post istam calamitatem, cum tibi visum fuerit, ad mortem usque me perducturum : ad quam velut ad communem domum et generale hospitium migrare oportet sine exceptione universos qui vivunt super terram; quemadmodum ii qui in præteritis generationibus vixerunt illuc jam præcesserunt, et subsequentur nos qui post nascituri sunt in futuris generationibus : omnibus enim hominibus statutum est mori. *Ubi constituta est domus omni viventi* : expende in primis vocem *domus* : in Scriptura enim maxime differunt domus et tabernaculum : nam *tabernaculum* est mansio constituta ad habitandum non permanenter, sed ad breve tempus; illudque exstruitur levissimo aut nullo fundamento supposito, fixis tantum in terra baculis, superponendo illis pelles aut cortinas cilicinas; quomodo *Habac.* III,

Quæ sit differentia inter tabernaculum, et domum.

7 dicuntur « pelles terræ Madian : » cujusmodi habitationibus utebantur filii Israel per desertum ambulantes, figentes tabernacula in locis ad quæ noctu perveniebant, inde statim discessuri; unde et dicitur *Isai.* XXIV, 20 : « Tabernaculum unius noctis. » *Domus* autem dicitur habitatio constructa ad habitandum permanenter, cui solidum firmumque fundamentum, ut stare possit, substernitur; super quod firmi eriguntur parietes; unde Jonadab hoc filiis suis imposuit *Jerem.* XXXV, 7 : « Domum non ædificabitis, sed in tabernaculis habitabitis, » ubi tabernacula domibus opponit. Hinc locus ille, in quo arca Dei primo habitabat, quia mutabilis erat, et minime permanens vocabatur *tabernaculum,* ut tabernaculum Silo *Psalm.* LXXVII, 60; sed templum, quod a Salomone constructum fuit, ut permaneret in illo perpetuo, vocatum fuit *Domus Domini,* III *Reg.* VIII, 20.

In hac vita solum habemus tabernaculum, in sepulcro vero domum.

In hac vita non habet homo locum, in quo habitet tanquam in domo, sed tanquam in tabernaculo : quia nullus est in hac vita locus, in quo sit permansurus. In sepulcro autem constituta est tibi domus, ibi permanebis toto tempore quo mundus perduraverit. Cui concinuisse videtur David, ut S. Augustinus elegantissime annotavit *in Psalm.* XLVIII loquens de divitibus et potentibus, qui ampla exstruunt palatia, domos laqueatas ædificant, tanquam si in eis perpetuo essent permansuri, dicens, hujusmodi ædificia non domos, sed tabernacula esse *Psalm.* XLVIII, 12 : « Sepulcra eorum domus illorum in æternum. Tabernacula eorum in progenie et progenie vocaverunt nomina sua in terris suis : » diligenter annota, prius dicere hominum sepulcra esse *domos illorum,* et domos quidem *in æternum,* aut in sæculum, id est dum mundus duraverit. Deinde habitacula, quæ in terra posteris suis relinquunt, ad nominis sui celebritatem instructa, non domos, sed *tabernacula* vocat; recte quidem, quoniam in habitaculis super terram exstructis minimo tempore manere sinuntur, nec ulla in eis firma aut fixa statio est. Frequenter contingit, ut mox ædificato palatio morte absorbeatur dives, imo et nonnunquam priusquam structura ad perfectionem fuerit perducta; cogaturque velit nolit erecta multis laboribus et sumptibus palatia posteris relinquere, nec eis permanendi ibi facultas conceditur : et si conceditur, certe breve nimium est quod conceditur. Quilibet enim homo confiteri debet se peregrinum super terram, ideoque nec habere in ea civitatem permanentem aut fixam domum : nam ubi quis advena est, ibi domum fixam non habet. Deinde notum est, militiam esse vitam hominis super terram; milites autem non fixas habent domos, sed in tabernaculis agunt : sepulcra vero eorum recte *domus illorum* vocantur, propter stabilem et longissimam mansionem, in qua in æternum manebunt, dum mundus perdurabit. Recte ergo, inquit S. Augustinus, *tabernacula* vocantur, in quibus temporaliter manserunt; sepulcra au-

http://www.obrascatolicas.com

tem *domus*, in quibus quasi in æternum manebunt. Tabernacula suis dimittent, ubi manebunt brevi tempore vitæ, et transibunt quasi ad domos æternas ad sepulcra. Quid illis prosunt tabernacula « in generatione et generationem, » in filios, nepotes, pronepotes? quid? audi *ibid.* vers. 12 : « Vocaverunt nomina sua in terris suis. » Ibi parietibus exstructis procurant nomina sua vocari, etc.

In sepulcro cuilibet domus constituta.

In sepulcro igitur constituta est tibi domus morienti, cui viventi tantummodo locus conceditur, in quo brevissime tanquam in tabernaculo debili et infirmo possis habitare. Apte autem dicitur *domus constituta :* in Hebræo est מועד *moghed*, quod proprie significat locum statutum, ut in eo plures congregentur, aut in unum conveniant; quomodo dantur in civitatibus domus communes, ad quas omnes conveniunt, ubi omnes promiscue congregantur, qualis erat synagoga, apud Judæos, et templa apud nos; Pagninus vertit, *ad domum congregationis omnis viventis;* Regia, *ad domum conventus omnis viventis.* In mundo unusquisque locum suum habet ab alio separatum, dives a paupere, nobilis ab ignobili, dominus a servo; sed in sepulcro constituta est domus, in qua omnes congregentur, simul in unum dives et pauper. « Parvus et magnus ibi sunt, inquit Job cap. III, 19, et servus liber a domino suo. » Quamvis princeps Isboseth et dux Abner dum viverent grandi dissidio ab invicem fuissent separati IV *Reg.* IV, 13, demortui tamen, « tulerunt caput Isboseth, et sepelierunt in sepulcro Abner. » In scachorum ludo, quamdiu calculi super tabulam stant erecti, unusquisque locum suum tenet juxta suam qualitatem ac dignitatem; dum tamen e tabula extrahuntur, omnes turmatim uno eodemque includuntur sacculo : « Aperi sepulcra, inquit S. Augustinus serm. 48 *ad Fratr. in erem.*, et vide, an discernere possis, quis dominus, quis servus, quis pulcher, quis deformis, quis dives; quis pauper, » Et propterea funera vocamus *exsequias*, quia mors omnes exæquat. Aliqui dicunt vocem מועד *moghed* significare *testamentum;* ut vertere possis, *ibi constituta est domus testamenti cunctis viventibus*, id est, domus jure testamenti omnibus conveniens. Hæc domus testamentario jure tibi convenit a primo omnium parente, qui jure hæreditario hoc solummodo tibi reliquit : per illum enim *Rom.* V, 22 ingressa est mors, « et ita in omnes homines mors pertransit. »

Vers. 24. 24. VERUMTAMEN NON AD CONSUMPTIONEM EORUM EMITTIS MANUM TUAM; ET SI CORRUERINT, IPSE SALVABIS. — In morte fit separatio, non abolitio corporis et animæ.

Non autem ideo, inquit, per mortem spero liberari a miseria, quod per eam arbitrer me prorsus consumendum et secundum corpus et secundum animam : tametsi enim in mortem trades omnes homines, ut separetur ad tempus anima a corpore; non tamen emittes manum tuam ad totalem eorum consumptionem; nec extendes potentiam tuam, ut penitus homines in nihilum redigas, ita ut neque corpus remaneat post mortem, neque anima, vel ut nunquam reuniantur corpus et anima; quemadmodum bruta animalia dum moriuntur penitus intereunt, etiam secundum animam et sine spe resuscitationis prorsus consumuntur. Imo vero etiamsi homines per mortem cadant, et ad tempus deficiant per separationem animæ a corpore; tu tamen dextera omnipotentiæ tuæ salvabis eos. Universos quidem et bonos et malos servabis secundum animam, non permittens animam cujusquam secundum substantiam interire cum corpore. Item universos servabis ad resurrectionem, sic ut suo tempore resurgant in corpore et anima vel ad gaudia, vel ad supplicia. Bonos vero speciali ratione salvabis omnes ad vitam et gaudia sempiterna. « Justus autem, inquit Sapiens *Sap.* IV, 7, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. » Hanc justorum mortem ut sortem felicem laudavit S. David, cujus carmen est *Psalm.* CXV, 15 : « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus : » *pretiosa* quidem, sive quia ut sortem magni valoris non permittit Dominus passim et temere ab impiis inferri; sive quia pro ea cohonestanda atque lenienda Filius ipse Dei non erubuit carnem induere; sive quia hujusmodi mortem consuevit mercede amplissima remunerare. Hæc igitur mors a sapientibus et prudentibus vitæ merito præponitur, quod aliquid magnum et pretiosum habeat absconditum, cujus gratia ipsa quoque sit bona atque pretiosa. Et revera ita est, nam hæc justorum mors finis est laborum, principium quietis, fuga tristitiæ et adventus lætitiæ; sedatio tempestatis et initium tranquillitatis; consummatio exsilii et reditus in patriam; in quam tot periculis superatis, tot laboribus exantlatis, et tot afflictionibus sustentatis, conati sumus repedare.

Sanctorum mors pretiosa est.

Quanta sint bona mortis justorum.

O vere felix et beata sanctorum mors, quam tot ac tanta bona nobilitant! quis enim somnum non amet, ex quo in vitam immortalem evigilet? quis non peregrinationem suscipiat, non jam ut sanctorum reliquias veneretur, sed ut sanctis sanctus factus assideat? Quis non libens se dedat itineri, quo in patriam desideratam veniat? quis non transitum a terra in cœlum, ab exsilio in regale palatium, a mortalitate ad immortalitatem gaudens exsultansque suscipiat? Quis non calicem amarum dispensatione Domini edulcatum gustet? quis non carcere exeat, ergastulum fugiat, peccandi occasiones relinquat? Quis non in curiam regiam triumphator ascendat, in qua eum angeli ob victorias de mundo, de diabolo et de carne reportatas coronatum læti et exsultantes excipiant? quis tandem non alacer revertatur in domum suam, ubi eos amplexetur, quos aut ex facie novit, aut nosse desideravit, et cum eis semper vivere concupivit? Hæc autem domus patria cœlestis est quam justus clavis mortis aperit; « ubi eos charorum numerus exspectat, ut verbis S. Cypriani utar, parentum, fratrum, filiorum, frequens eos et copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura et ad-

Beata mors bonam vitam sequitur.

huc de eorum quos diligunt mortalitate sollicita. » Omnibus quidem moriendum et hinc emigrandum est; sed qui pretiosam sanctorum mortem consequi desiderat, eorumdem quoque vivendi rationem teneat necesse est. Huc spectat prudens illud ac salutare monitum S. Bernardi *Epist.* 105 sic scribentis : « Volo te, inquit, mortem etsi non effugere, certe vel non timere. Justus quippe mortem etsi non cavet, tamen non pavet : denique *Sap.* IV, 7 *si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Moritur quidem justus, sed secure, quippe cujus mors ut præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris : bona mors si peccato moriaris, ut justitiæ vivas. Hæc mors necesse est ut præcurrat, ut sequatur illa secura. In hac vita quamdiu durat, compara tibi illam quæ semper durat. Dum vivis in carne morere mundo; ut post mortem carnis Deo vivere incipias : quid enim si conciderit mors saccum corporis tui, dum te subinde circumdet lætitia? O quam beati mortui *Apoc.* XIV, 13, *qui in Domino moriuntur*, audientes a spiritu, *ut requiescant jam a laboribus suis.* Non solum autem, sed et succedit jucunditas de novitate, ac de æternitate securitas. Bona proinde mors justi propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem : » sic ille. Discamus itaque mori, ut bene moriamur, quia nemo bene facit quod nunquam præstare didicit; vivamus sancte, ut in perpetuum vivamus, colamus perfectam justitiam, quæ nos in vita dirigat per semitas æquitatis, et in morte defendat ab operariis iniquitatis, et post mortem in sedes immortalitatis deducat.

Vers. 25. 25. FLEBAM QUONDAM SUPER EO QUI AFFLICTUS ERAT, ET COMPATIEBATUR ANIMA MEA PAUPERI, — id est, ex affectu misericordiæ condolebam miseris, lugens cum lugentibus, et flens cum flentibus; neque verbo aut signo commiserationem tantum ostentabam, verum ex intimo cordis affectu illis condolebam, atque etiam re ipsa pro mea virili illorum miseriis succurrere studebam : ita *sup.* cap. XXIX, 13 et 25 se « cor viduæ consolatum » asseruit, et glorioso honoris titulo » mœrentium consolatorem et patrem pauperum » appellavit, ubi vide quæ de eximia Jobi in egenos misericordia notavimus; quibus hic tantum addo quod habet Chrysostomus ad hunc locum hom. 16 *in Matth.* : « Si, inquit, certa est merces etiam gemituum ac lacrymarum, quando et verbum et studium aliaque plurima concurrerint, considera quanta sit retributio conferenda : nam ipsi quoque cum inimici essemus Dei Unigenitus nos ei reconciliavit, irato medium se inferens et opponens, qui et plagas pro nobis suscepit et mortem. Studeamus igitur et nos eos qui affliguntur de malis innumeris liberare, » etc. Ita D. Chrysostomus, qui nobile quoddam eleemosynæ genus esse dicit στενάζειν, *ingemiscere* et flere propter eos qui affliguntur. Hinc viri misericordiarum in hac hominum societate communique nexu religionis, cum mysticum omnium efficiant corpus, si quod malum in alium cadit, illud minime a se alienum putant, sed potius æquum honestumque opinantur, alienis doloribus affligi. Omnes quidem ad id tum invitat Sapientis monitio *Eccli.* VII, 37 : « Ne desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula; » in arcano autem sermone *ambulare cum aliquo*, est illius mores et agendi rationem imitari : quare *cum lugentibus ambulare* nihil est aliud, quam cum illis se quoque luctui lamentisque tradere, unde illud Apostoli *Rom.* XII, 15 : « Flere cum flentibus. » Quod præceptum longe ante religiosissime Job tenuerat, ut qui fuerit collactaneus miserationi, quam inde ab infantia uberibusque hauserat, de se enim hic vere testatur in hunc modum : « Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi : » hoc præsertim nomine Jobum apud suos regium nomen consecutum puto, imperiique insignibus ornatum; quandoquidem ex mente D. Chrysostomi nemo videri debeat ad alios moderandos idoneus, quam qui noverit συναλγεῖν, *condolere*, flere cum flentibus, miseriisque aliorum tangi et calamitate : propter illud virtutis ornamentum tam excellens, ut cognatum cœlo videatur, ait Moysen evectum a Deo fuisse ἐπὶ θρόνον τῆς δημαγωγίας, *ad thronum publici dominatus* et populi gubernationem, cum sæpe jam specimen suæ humanitatis pignusque dedisset, et acerbo gentis casu sic afflictus commotusque fuisset, ut mœrore plenus lacrymisque se deleri de libro vitæ peteret, ne populus infando exitio premeretur. Hæc est plane regii animi nota et heroicæ charitatis, alienas miserias ducere suas, illasque proprio suo dolore mitigare atque minuere.

Jobi affectus erga afflictos eximius

Vers. 26. 26. EXSPECTABAM BONA, ET VENERUNT MIHI MALA : PRÆSTOLABAR LUCEM, ET ERUPERUNT TENEBRÆ. — Conqueritur maxime de suis ærumnis, eo quod post multa patrata bona tot in eum irruerint mala, *q. d.* Cum semper in alios fuerim misericors, sperabam fore ut etiam mihi consimilis exhiberetur et a Deo et a proximis misericordia, si quando in casus adversos incidissem; sed e contra evenerunt mihi pro exspectatis bonis inexspectata mala, nec Deo miserente, scilicet quantum ad externam consolationem, nec homine, quoniam etiam illi qui ad consolandum me accesserunt longe gravius afflictum animum meum exulcerarunt. Porro *lucem* pro prosperitate, *tenebras* vero pro adversitate ponit, *q. d.* Putabam reliquum vitæ tempus me peracturum in jucundo statu pristinæ felicitatis, eo quod tam devoto corde Deum timuissem, et pauperum misertus fuissem; sed subito et ex improviso obruerunt me adversitates quibusvis tenebris tetriores. Annotat hic Joannes a Jesu Maria, plerosque piissimos Dei cultores, tunc præsertim cum religiosius agunt, et eximia pietatis opera exercent, ut merito sibi videantur peculiare aliquod divinæ benevolentiæ signum exspectare, gravius premi, ac in tristiorem animi ariditatem ac desolationem incidere.

Job pro bonis mala recipit.

27. INTERIORA MEA EFFERBUERUNT ABSQUE ULLA RE- Vers. 27.

http://www.obrascatolicas.com

Jobi erat intimus cruciatus.

QUIE, PRÆVENERUNT ME DIES AFFLICTIONIS. — Sed parum, inquit, fortasse videretur, si tantum in superficie carnis aut in extremis partibus corporis ista desæviret afflictio; nunc vero etiam usque ad intima viscerum, nervorum, ossium et medullarum penetrat horrenda corruptio ac tabes, quæ calore supra modum effervescente quasi inflammat, et ebullire facit omnia intestina, unde continuus nascitur in toto corpore cruciatus, qui nullam mihi quietis partem concedit. Philippus nescio quem ingentem cruciatum significari existimat inferni similem : « Magnos, inquit, dolores gehennarum significat, dum suas cum illis comparat pœnas quibus ejus viscera interno fervore coquerentur; » deinde vero quod additur « absque ulla requie » sic interpretatur, « quod doloribus simul et cogitationibus cruciaretur. » Sed prior sensus est simplicior, et est Titelmanni, Pinedæ et aliorum passim interpretum. *Prævenerunt me dies afflictionis*, id est, ex improviso nihil tale cogitantem oppresserunt : gravissima est enim ærumna, quæ incautum occupat. Porro *dies afflictionis* Septuaginta vertunt ἡμέραι πτωχείας, *dies mendicitatis*. Alii referunt ad diem mortis, quod videret se juvenem aut virum robustum morte præventum, et jam jam moribundum in dimidio dierum suorum. Philippus ad internum judicii appropinquantis timorem refert.

Vers. 28.

28. MOERENS INCEDEBAM SINE FURORE, CONSURGENS IN TURBA CLAMABAM. — Omnia, inquit, ægerrimi et miserrimi animi ac conditionis calamitosissimæ documenta præbui; sed quod ait : « Mœrens incedebam, » obscuritatem adfert, quæ est mœrentis animi tristitia, aliena ab omni luce et jucunditate : quare ex Hebræo legi potest, *obscurus incessi*, contenebratus, aut quid simile : sic *Jerem.* IV, 28, *lugere* terra et *mœrere* cœli dicuntur cum obducuntur tenebris. Solent autem tristibus et miseris videri omnia tenebrescere, occupantibus cerebrum spiritibus obscuris, atris et lucis expertibus : quare et illa melancholiam generant quæ nigra sunt; hinc fit ut obscuritas ad lugubrem et nigrum lugentium habitum referatur. Significat ergo se sibi jam brevi morituro quasi funebrem luctum impendere, quod nemo futurus sit ex amicis ei superstes, qui defunctum lugeat, et supremum funeris honorem impendat : ita Pineda. Quod autem addit *sine furore*, suam mansuetudinem declarat, qua in tantis doloribus sic ab omni furore iracundiæ sibi temperabat, ut præ doloris vehementia nemini convicium aut blasphemiam ingereret : solet enim furor nonnunquam ex mœrore nasci, cum homo eos ulcisci quærit qui sibi mœrorem attulerunt, aut cum mœroris causas a se repellere conatur. Cæterum, inquit, ad satisfaciendum nonnihil dolori meo, eumque vel in aliquo mitigandum, post sessionem mihi ipsi molestus, ut solet evenire iis qui graviter torquentur, « consurgens in turba clamabam, » id est, inter circumstantes me homines miseriam meam lamentabiliter ejulabam, et explicabam dolorem meum, si forte, ut fieri solet, ex hoc aliqua mihi posset provenire consolatio. Sed quid? perparum a proximis inveni consolationis; unde subdit :

Jobi summus mœror.

Vers. 29.

29. FRATER FUI DRACONUM ET SOCIUS STRUTHIONUM, — *q. d.* Concives et cognati mei crudeles sese mihi exhibuerunt ad similitudinem draconum, non solum non consolantes vel alleviantes meum dolorem, verum etiam suis venenosis sibilis, id est maledicis detractionibus et conviciis, mea vulnera aggravantes; quibus tamen ego nunquam aliter quam fratrem me exhibui, omnem illis ostendens familiaritatem et charitatem. Socii quoque mei, cum quibus ego non aliter quam amice et socialiter convixeram, facti sunt erga me crudeles et immisericordes quasi struthiones, quibus non sunt viscera misericordiæ, et qui vix propriorum fœtuum miserentur : dicuntur enim struthiones ova sua passim in viis aut arena a quovis eo accedente proculcanda diripiendave deserere : sic nimirum etiam socii ac sodales, qui Jobum fovere ac solari in tantis doloribus debuissent, eum dereliquerunt. Alii ideo censent Jobum se draconum ac struthionum fratrem appellasse, quod ea animantia tristes voces edant, quales Jobus, immenso malorum pondere degravatus, promebat. Inter dracones porro et struthiones habitare Job dicitur, quia eorum societatem cogebatur ferre, qui instar draconum varii, versipelles, subdoli et vafri sunt; tum etiam qui ore venena vomunt, et dicteria scommataque quasi e plaustro jaculantur, tabe obvios quosque aspergunt; tum etiam stolidi sunt, et capite censi : et tamen tot iniquis hominibus undequaque septus, nunquam eorum ingenium moresve hausit, impietatem ebibit, aut vitium imbibit. S. Hieronymus exponens ista verba *socius struthionum* ait : « Fatuus factus sum et insipiens sicut struthio avis stultissima, » *q. d.* Ne arbitremini me sapientiam ostentare, cum argutias vestras callidas et malitiosas eludo; cum multa taceo, et plura dissimulo, fatuus factus sum et insipiens apud vos; at re ipsa magis sapiens, nam hæc affectata ignorantia diserta sapientia est, et qui sic magis desipit sapit magis : porro sensum hujus loci tropologicum vide apud S. Gregorium lib. XX *Moral.* cap. XXIX, qui per *dracones* vult designari malitiosos, per *struthiones* vero simulatores et hypocritas.

Jobi socii draconibus et struthionibus comparati.

Vers. 30.

30. CUTIS MEA DENIGRATA EST SUPER ME, ET OSSA MEA ARUERUNT PRÆ CAUMATE. — Vi morborum et ærumnarum et maximo mœrore non tantum faciem et carnes extenuatas, sed etiam ipsas ossium medullas absumptas esse significat : simili sensu David *Psalm.* XCI, 11 ait ossa sua sicut cremium aruisse. Sane illud notum est *Prov.* XVII, 22 : « Animus gaudens ætatem floridam facit : spiritus tristis siccat ossa : » mœror enim vitalem calorem absumit, et nutritionem partium minuens paulatim tabem inducit : idcirco Plato in *Cratyl.* censet ex Chrysippi et Socratis sententia λύπην, *molestiam*

Job mœrbis et mœrore extenuatus fuit.

Justi zelo Dei adeuntur et tabescunt.

animi, quasi λύσιν dictam, hoc est totius corporis *dissolutionem*. Tropologice S. Gregorius lib. XX *Moral.* cap. XXX hunc versum exponens, hoc perfectis esse omnibus commune prodit, ut dum infirmi cœlestium obliti atque sui ad vitiositatem et scelus prosiliunt, ipsi magno sint in mœrore, atque intimo igne crucientur : Dei enim zelo uruntur et liquefiunt animæ sanctæ, et velut in equuleo distenduntur, cum perire illos vident et divinis bonis spoliari, quos Deus evangelii lumine collustrat, et amantissime invitat ad sempiternam felicitatem; et libenter quidvis paterentur, ne miseri in calamitosissimam pestem et salutis perniciem corruerent. Cum Deus Noe diceret homini innocentissimo, et in quem oculos benevolentiæ suæ conjecerat *Gen.* VI, 13 : « Ego disperdam eos cum terra, » S. Chrysostomus ait illum perditi mundi instaurarorem, tametsi virtutum omnium præsidio septum, exhorruisse tamen in formidabili Numinis oraculo, et prope immenso animi dolore illud audivisse : justi enim, quos zelus et divini honoris amor salutisque mortalium inflammat, pro aliorum, inquit, salute ferre quælibet eligerent; et mirum quantum solliciti sunt. Et certe apostoli docti a Christo, et qui deinde eorum vitam et pietatem secuti sunt, tum dictis suis tum facinoribus ostenderunt, hujus zeli proprium esse devorari, et comedi, et tabescere, et irasci, dolere, exanimari : vide quæ in *Expos. Patr. Græc. in Psalm.* ad Psalm. LXVIII, 10 notavimus.

Vers. 31.

31. VERSA EST IN LUCTUM CITHARA MEA, ET ORGANUM MEUM IN VOCEM FLENTIUM. — Proverbialis est sententia, qua magna significatur rerum conversio; an autem Jobus usus fuerit cithara et organo sicut David, vel domi habuerit symphoniacos pueros, quorum numeroso cantico laxaret animum, et ad cœlestium rerum contemplationem excitaret spiritum, incertum est. Hoc tamen certum, in *cithara* et *organo* felicem significari fortunam et hilarem animum; in *voce* autem *flentium* et lugubri sono infelicem, et ærumnosam sortem, et anxium animum, et mœrore contractum : quare captivi Babylonii cum nihil sibi in alieno solo jucundum promitterent, mœrentes animis ac diffluentes lacrymis *Psalm.* CXXXVI, 2, ad Babylonica fluenta in salicibus organa sua suspenderunt. Id quod ad custodiam castitatis referens Methodius : *Organa*, inquit, vocant habitacula sua, quæ suspenduntur a funibus castitatis, ut tangant laquearia, ne rursum abjecta in intemperantiæ lacu volutentur · hæc enim castorum princeps cura est et continuum opus, sese a terra disjungere, attollere mentem et cogitationem in cœlum, beato suspendio esse elevatos, nec permittere ut animus et ipsa membra, quæ organa sunt Spiritus Sancti, ulla contagione polluantur; in *salicibus* autem *suspenduntur*, dum omnem speciem inhonesti motus refugiunt, coercent corporis sensus, et nimiam eorum libertatem comprimunt : denique *flent super flumina Babylonis*, dum Sionis recordantur, et deplorant hujus vitæ miserrimam et continuam calamitatem, in qua semper domi et foris sunt hostes omni ratione metuendi, qui insidias pudicitiæ moliantur : contra quos quomodo Job sese armaverit defenderitque, audies seq. cap. vers. 1 ac seq.

Cithara et organum felicitatis et lætitiæ symbola.

Casti organa lascivim suspendunt.

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Postquam Jobus suas recensuit calamitates, subdit eximiorum operum catalogum, quo evincat se non ob anteacta crimina in ærumnas incidisse : ducit autem exordium ab exactissimo ac plane mirabili castimoniæ cultu : deinde plures enarrat alias virtutes suas, quibus a puero assuevit; removens a se suspicionem scelerum quæ semper exhorruit : denique Deum ipsum citat, et innocentiæ suæ judicem optat.

1. Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. 2. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, et hæreditatem Omnipotens de excelsis? 3. Numquid non perditio est iniquo, et alienatio operantibus injustitiam? 4. Nonne ipse considerat vias meas, et cunctos gressus meos dinumerat? 5. Si ambulavi in vanitate, et festinavit in dolo pes meus : 6. Appendat me in statera justa, et sciat Deus simplicitatem meam. 7. Si declinavit gressus meus de via, et si secutum est oculos meos cor meum, et si manibus meis adhæsit macula : 8. Seram, et alius comedat : et progenies mea eradicetur. 9. Si deceptum est cor meum super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum : 10. Scortum alterius sit uxor mea, et super illam incurventur alii. 11. Hoc enim nefas est, et iniquitas maxima. 12. Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina. 13. Si contempsi subire judicium cum servo meo, et ancilla mea, cum disceptarent adver-

http://www.obrascatolicas.com

sum me. 14. Quid enim faciam cum surrexerit ad judicandum Deus? et cum quæsierit, quid respondebo illi? 15. Numquid non in utero fecit me qui et illum operatus est : et formavit me in vulva unus? 16. Si negavi, quod volebant, pauperibus, et oculos viduæ exspectare feci. 17. Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea : 18. (Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum.) 19. Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem : 20. Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est : 21. Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem : 22. Humerus meus a junctura sua cadat, et brachium meum cum suis ossibus confringatur. 23. Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui. 24. Si putavi aurum robur meum, et obrizo dixi : Fiducia mea. 25. Si lætatus sum super multis divitiis meis, et quia plurima reperit manus mea. 26. Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare : 27. Et lætatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore meo. 28. Quæ est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum. 29. Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, et exsultavi quod invenisset eum malum. 30. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus. 31. Si non dixerunt viri tabernaculi mei : Quis det de carnibus ejus ut saturemur? 32. Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. 33. Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam. 34. Si expavi ad multitudinem nimiam, et despectio propinquorum terruit me : et non magis tacui, nec egressus sum ostium. 35. Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat Omnipotens : et librum scribat ipse qui judicat. 36. Ut in humero meo portem illum, et circumdem illum quasi coronam mihi? 37. Per singulos gradus meos pronuntiabo illum, et quasi principi offeram eum. 38. Si adversum me terra mea clamat, et cum ipsa sulci ejus deflent : 39. Si fructus ejus comedi absque pecunia, et animam agricolarum ejus afflixi : 40. Pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina.

Vers. 1. Job pactum init cum oculis; et quale illud.

1. PEPIGI FŒDUS CUM OCULIS MEIS, UT NE COGITAREM QUIDEM DE VIRGINE. — Jobus hic de oculis suis quasi de inimicis loquitur, a quibus salus impeteretur, cum quibus honoratum fœdus ineundum censuit : nam cum nervos eorum omnes elisisset, et in primis curiositatem domuisset, unde erumpit impudicitia, ita victor pactus est, et hanc legem sibi sanctissime et religiosissime indixit, ut oculi ad res necessarias, et præstandam erga alios charitatem, quando esset opus, aciem intenderent, nunquam autem ad ministerium cupiditatis, aut perfruendam e pulchritudine voluptatem, et immittendas in animum minus honestas et pudicas cogitationes. *Ut ne cogitarem quidem de virgine*, ubi modum loquendi observa : neque enim dixit : « Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne intuerentur quidem virginem; » sed, « ut ne cogitarem quidem de virgine : » videbat quippe vir sapientissimus ex aspectu virginis ita facile cogitationem accendi perpetrandi sceleris, ut jam ipsa visio sit veluti cogitatio, quoniam ea aspectum continuo sequitur, cogitationem delectatio, delectationem consensus; unde merito dicitur *Thren.* III, 51 : « Oculus meus deprædatus est animam meam. » Porro eleganter ait se *fœdus pepigisse cum oculis*, quia sicut in fœderibus et compositionibus qui fœdera percutiunt, aliquid ex utraque parte de suo jure deperdunt, ita cupiebat Job, ut oculi de suo jure aliquid perderent non videndo interdum quæ liceret, neque omnem etiam licitam intuendi occasionem arripiendo; ipseque etiam animus de suo jure aliquid remitteret, id est voluptatem, quam ex pulchrarum rerum aspectu licite poterat accipere.

Aspectus virginis quam sit fugiendus.

Cajetanus observavit in fœdere hoc, quod Job pepigit cum oculis, indicari propositum firmum et inviolabile non aspiciendi curiose feminas, eo quod pacta et fœdera nullo pacto licet violare et infringere; sancit igitur fœdus cum oculis, ne cogitet, quia incautus corporeæ pulchritudinis intuitus turpium cogitationum ac motuum seminarium est. Quare significantius dixit : « Pepigi fœdus, ne cogitarem, » quam si dixisset : « Pepigi fœdus, ne intuerer, » ut per hoc ipsum pateat appositum esse ad colendam castitatem consilium, oculos cohibere; quod est primos orsus mali suaviter serpentis præcidere : nam qui amant oculos præsertim intuentur, ut ex Aristotele prodit Athenæus lib. XIII. Præterea cum prodeat animus per oculos in apertam lucem et conspectum, in iisque, ut in tabella bono in lumine collocata, tacitæ animorum affectiones pingantur, clarum est, ita re-

Cur Job cum oculis sanciat fœdus, ne cogitet.

Oculus affectionum animi index.

gendos atque omni providentia componendos videri, ut nullius mali facinoris indicium præbere possint : est enim illud Plinii verissimum lib. XI dicentis : « Profecto in oculis animus inhabitat; » et majori auctoritate D. Hieronymus *Epist.* 10 : « Taciti, inquit, oculi cordis fatentur arcana; » hinc disertissimus Chrysostomus hom. 13 *in Colos.* oculos vocat τῆς ψυχῆς μέλος, *membrum animi*, quod iis tangi quodammodo ipse et prehendi videatur; vel μέλος, *animi cantum*, quod iis velut tibiis perforatis resonet, et arcanas notiones eloquatur : eosdem etiam Nonnus in lib. III *Dion.* venuste nominat κήρυκας ἀναυδίας, *præcones tacitos*, sine voce clamosos, qui dum silent loquantur, qui foras eminentes intimum tamen animum patefaciant, quibus veluti apertis carceribus abditæ animi affectiones in apertum excurrant, seque in communi luce ostentent. In iis mœror, in iis gaudium, in illis hians et indomita cupiditas, in iis venus et libido cubat, in iis quoque modestia mentis expingitur : quo vel solo nomine habendam eorum in primis rationem et diligentem curam esse constaret. Quid quod oculi sunt « fenestræ animorum, » ut eos appellat D. Gregorius hom. 6 *in Evang.*, pontifex vere magnus, qui trophæis virtutum insignibus Capitolium exornavit, per quas fenestras non mors una, sed multæ mortes introeunt; parumne declarat, quam in iis moderandis cauti, et diligentes atque in omnem partem intenti esse debeamus? Nyssenus Gregorius, non virtute minus quam eloquentia nobilis, cum serm. 5 *De Orat.* attulisset illud *Jerem.* IX, 21 : « Mors intrat per fenestras, » quas interpretatur *corporis sensus* : « Vere, inquit, sæpe oculus πολλῶν θανάτων εἴσοδος, *multis mortibus introeundi aditum præbet* : » videt irascentem, et æmulatur; commoda fortuna utentem, et invidet; superbum, et odit; suavitate oris venustam, et concupiscit.

Oculi fenestræ animorum per quas mors intrat.

Itaque hoc mihi dignissimum videtur propheticis illis fontibus lacrymarum, quod in his partibus humani corporis tam pretiosis et tam charis malus dæmon armamentarium suum ponit ad acropolim animi quatiendam, et miserrime crudelissimeque delendam : nam ut leonum vis omnis constat in oculis auctore Plinio lib. VIII, cap. XVI : sic ille, ut a D. Petro nuncupatur I *Epist.* V, 8, *leo rugiens* vim malitiæ omnem immittit in oculos, ut nefariam cupiditatem inflammet in illis qui prompti sunt ad vitia, ut amorem, ut avaritiam, ut invidiam exsuscitet, ut cæteras animi pestes, quæ per oculos in penetrale cordis ingrediuntur. Per has portas impius ille prædo in castellum innocentiæ primum scelus, mortem, ægritudinem et omne genus calamitatis invexit. Vidit enim magna hominum parens Eva lignum vitæ *Gen.* III, 6, quod esset « pulchrum oculis aspectuque delectabile, » illisque tubis canalibusque animi veneni vim exhauriens, se nosque immensis doloribus objecit; hinc opinor insita nobis et innata mirifica a natura videndi cupiditas, quæ

Leonum vis in oculis.

Innata videndi

satiari posse non videatur, quam Salomon in mirandis suis concionibus in hunc modum expressit *Eccle.* I, 8 : « Non saturatur oculus visu, » et ab eo forte sumens Aristoteles lib. I *Metaph.* cap. I : Etiam, inquit, nihil acturi, τὸ ἑᾶν, *ipsum videre*, præ omnibus aliis, ut ita dicam, eligimus. Neque vero modo Satanas hoc genere doli et maleficii grassatur, verum etiam mundus, alter mentium inimicus, cum oculis societatem coisse videtur ad debilitandum animi robur et honestæ vitæ fructus elidendos : illum Joannes evangelii scriptor, et a Christi sinu tantus, quantum humi strati videmus, divino penicillo adumbrat ut tricorporem quemdam Geryonem triplici armorum genere in sacrum Deo pectus ferocientem, atque in primis dat illi « concupiscentiam oculorum » ut telum acerrimum : quo telo eheu! in maxima hominum parte sanguis animi ad pietatis et virtutum omnium internecionem funditur I *Joan.* II, 16 : « Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. » Hinc illæ insidiæ infandæ et salutis proditrices, quas appellat *seductiones oculorum* D. Augustinus lib. X *Conf.* cap. XXXIV, de quibus felicissime superatis adorea nobilis et triumpho gloriosus epinicia Deo canit, et in futurum illius opem præsidiumque implorat : « Resisto seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam, et erigo ad te invisibiles oculos, ut tu evellas de laqueo pedes meos. »

Curiositas.

Dæmon et mundus oculis abutitur.

Oculi seducunt animum.

Expertus vim illius pestis Propheta regius in sacris hymnis consimili devotione precatur *Psalm.* CXVIII, 37 : « Averte oculos meos ne videant vanitatem, » ubi S. Hilarius divine : « Orat, inquit, averti animi et corporis oculos, eos scilicet qui in theatralibus ludis captivi incubant, eos qui vestium pretia mirantur, eos quos auri splendor et gemmarum varietas occupat, » etc. : hæc enim omnia quæ in mundo blandiuntur Propheta pius unius vanitatis nomine intelligit, pro qua dixit Chaldæus paraphrastes *mendacium*, quod sint plenissima inanitatis, cum tamen beatissimam sortem et choragium liquidarum voluptatum præ se ferre videantur. Ab his ergo S. David orat oculos averti suos, et potentissime a Deo sevocari, ne pelliceant ad immoderatam cupiditatem, ne in fraudem scelusque inducant; et alio in loco *Psalm.* XXXIX, 5, beatum illum prædicat, « qui non respexit in vanitates et insanias falsas : » dixit *falsas*, hoc est *mendaces*, ut vertit S. Augustinus e Septuaginta, qui ponunt μανίας ψευδεῖς, *insanias mendaces*; D. Hieronymus eleganter ex Hebræo reddit *pompam mendacii*, nam vere, ut antea innuebamus, pompa omnis et pellucens illa pereuntium rerum felicitas velut arte præstigiatorum illudit oculis pernicioso mendacii genere, animique appetitionem inanem dimittit, ut beatissimi jure videantur, qui avertunt oculos, ne ruant in eamdem insaniam, qua multi bracteato mendacio illusi bacchantur. Itaque Asterius Amaseæ ponti-

Oculi a vanitatibus avertendi.

Mundi pompa mendaces.

http://www.obrascatolicas.com

fex in hom. *De Villic.* ait illos obnubendos esse parapetasmate, ut ego interpretor, manu prudentiæ texto et elaborato : nam de cura loquens oculorum, si quid forte se luminibus objiciat, quod perniciem animæ atque damnum adferre possit : Fuge, inquit, prætercurre, καὶ ἐπιτίθει σαυτῷ κάλυμμα, *velumque ne videant obducito.* Hæc et plura similia adferri possent ad declarandum multiplex periculum, quod in vitam salutemque importaretur, ni aspectum summa diligentia, cura et sollicitudine moderemur; siquidem nullus est patentior aditus quam per oculos ad nequitiam et libidinem intromittendam. Oculi sine dubio sunt non modo *portæ solis,* ut aiebat olim Pythagoras, verum etiam *amoris introitus,* per quem in intimi se animi arcanum insinuat : est enim amor ὑδραργύρῳ sive *argento vivo* persimilis, qui rimas vel minutissimas liquido modo subeat; hinc ἔρως, id est *amor*, ut Plato monet in *Cratyl.*, dictus fuit a sapientibus, quod εἴσῃσι, *in animos influit* : patere oculi non possunt, quin subito ingrediatur. Quo refertur aliorum quoque sententia, qui ἐράν, hoc est *amare*, dictum aiunt ab ἐρᾶν, a *videndo* : quæ non magis sono vocis quam ipsa re similia sunt; cum naturale sit omnibus, ut qui vident formosum quidpiam et concinnum, eo ipso ad amandum incitentur, et qui amant, avidissime cupiant rem amatam pervidere.

Oculi sunt portæ amoris et cupiditatis.

Amor græce ἔρως unde dictus.

Stat ergo amor dolose in insidiis, et in ipsis dicam palpebris nidulatur, ut cum lumina aperta senserit, in arcem ipsius castimoniæ et pudoris violentus invadat. Post videre est continuo exoriri hinc inde symplegadas inter se concurrentes, duo castella in adversis amantium oculis ædificata; hinc inde amores e pupillis armatos ignea tela jaculari, quorum flamma sit ἀδιάστος, omni malleolo et igne græco *potentior* ad inflammandum. Incredibile dictu est, quam subito uno ex visu et conjectu oculorum, ut tenui e scintilla, magnum erumpat incendium; quod vix ullus imber lacrymarum et momentis rationis contentio restinguat : « Ut vidi, inquit ille, ut perii : » *aspicere* prope est uri et perire; et tanta est amoris impotentia insanusque furor, ut perire delectet, atque in luis contagione immori. Quam ob causam meo judicio Vates, cœli oraculo et divino spiritu afflatus *Ezech.* XXIII, 16, « *insanam* concupiscentiam oculorum » nuncupavit; hinc obscœni motus libidinis, hinc maculatus pudicitiæ candor, hinc corporis turpitudo, hinc venereæ insidiæ, hinc thori geniales polluti, hinc stupra adulteriaque gignuntur. Itaque S. Chrysostomus ait oculum non coercitum, quo quis male utatur, fieri sæpe μοιχείας πρόξενον, *adulterii conciliatorem;* quemadmodum longe ante gravissimus Tertullianus lib. *De Cult. fem.* cap. II decorem muliebrem eleganter *invitatorem libidinis* appellaverat; et eadem mente S. Basilius, excellentis et divinæ vitæ magnus auctor, in lib. *De Virgin.* ait contuitum veluti quemdam esse tactum, qui titillet et voluptatem incendat, illumque adeo esse πρόαγωγὸν καὶ προμνήστορα, *ducem prævium et pronubum,* ut ita loquar, ejus conjunctionis, quam libido voluptatis efficit. Quin et genus quoddam fascinationis eruditissimi quidam viri esse putant, quæ ipso intuitu animam conficiat, et tabem furiosi amoris immittat : oculi enim amantium spiritu quodam igneo et radioso complentur, qui cum tenui vapore delatus ferit primum oculos, subit deinde subtiliter usque ad cor, et illa ciet cupidinis miracula, de quibus cogitantes stupemus.

Ex oculis tela concupiscentiæ emittuntur.

Oculi prænetam libidinis.

Fascinatio amoris per oculos.

Hinc Zaleucum multi, ut acerrimo judicio præditum et intelligentem, suis laudibus et honorato præconio in cœlum extulerunt, quod adulteris lumina eruenda lege sancivit, quod oculos esse videret luxuriæ fontes et abominandi flagitii, quo alienus lectulus indigne violatur, proindeque pœnas ab illis peti oportere; id vero si cui forte incredibile videretur, oculosque negaret esse lenones humanæ voluptatis et nequitiæ detestandæ, is si mentem in veterum sæculorum ætates memoriamque intendat, videbit sane multos qui non alio quam oculorum telo primum vulnus pudicitiæ imposuerint, alios offenderint, conscientiam suam lacerarint. Quid enim aliud præcipitem egit Davidem, alioqui sanctum et prophetam, et a pudoris et gratiæ possessione dejecit? res tota prostat in sacris monumentis. Cum somno meridiano se mollius recreasset, surrexit e lectulo regio, captare liberiorem auram voluit, deambulavit in solario domus regiæ, unde liber in omnem viciniam prospectus fuit; circumegit curiose oculos II *Reg.* XI, 2, « viditque mulierem se lavantem ex adverso; » cujus forma et eximia pulchritudo ad omnem venustatem excelluisse dicitur, sic ut nulla videretur esse posse ornatior : vidit et subito a formoso illo spectaculo radius, et cum radio fulgur, et in fulgure vibrans ignis amoris interiora depascens, unde illa consecuta sunt, quæ cum legimus, vel audimus, incredibili miseratione commovemur. Deus bone! quænam hæc mutatio est? Quid fœdam et luctuosam illam cladem in beatissimi viri mentem invexit, quæ deinde tot lamenta, cinerem, et cilicium et perennes fontes lacrymarum excivit? Magnus ille Messiæ pater, ille a Deo coronatus et vaticinio pollens, in cujus puro et niveo pectore ut in opportuno diversorio S. Spiritus domicilium posuerat, unde velut e tripode loquebatur; ille præco mirabilis atque pictor evangelii futuri, et Ecclesiæ olim triumphantis, cujus omnia arcana cognorat; ille divinitus amplissimo dominatu fruens, cœli donis cumulatus, sapientia illustris, domus Saulis et gentium barbararum victor, cui ad cumulum humanæ felicitatis nihil admodum deesse videbatur, uno contuitu fuit stratus et abjectus, e puro incestus, e nitido maculosus, ex innocente reus, e victore captivus, e libero servus libidinis, e vidente cæcus, e Dei amico hostis, ex opulento spoliatus et miser evasit. Ita eleganter Cresollius noster lib. IV *Myst.* cap. X, ubi ample, et adhuc fusius *Anthol.* cap. XI, sect. 6 hoc argumentum prosequitur.

David per incantum aspectum lapsus in crimen adulterii.

Job qualem sibi continentiæ legem indixerit.

Incredibile sane dictu est, quam prompta subitaque sit oculorum actio, quamque facile possint in labem et impudicitiam incurrere : quam ut penitus caveret Jobus, hanc sibi rigidissimam continentiæ legem indixit, ne cogitaret quidem de virgine : quod ut a se impetraret : « Pepigi, inquit, fœdus cum oculis meis. » Quem locum B. Laurentius Justinianus lib. *De Perfect. grad.* cap. IV sic illustrat : « Intelligebat quippe homo sanctus sapientia et virtutibus plenus impudici aspectum oculi noxiis cogitationibus cor maculare, et delectatione inficere, atque sæpissime ad peccati consensum impellere : quamobrem ut mala hæc omnia superaret resistendo, virtutis censura ac etiam divini timoris studio corporalium luminum procacitatem coercebat, quæ semper viget, frequenter etiam affectum continentium virorum evertit, et in impudicitiæ præcipitium trahit. Membrum est oculus lubricum, instabile, semper nova inspicere cupiens, et inspecta repetere; huc illucque reflectitur, curiositatem suam implere volens nec valens; vacantis animi sibi connectit ignaviam, atque in propatulo rerum expositus mentis intentionem rapit, dissipat prudentiam, cogitationes sine intellectu reddit; nisi subjiciatur sapientiæ jugo, et intentæ considerationis refrenetur arbitrio. Merito igitur ille commendandus est vir, qui vigilanti cura ita se utiliter exercet in mente, ut insaturabilem oculorum appetitum gravitatis virtute substernat, » etc.

Seneca libidinum fugam cæcitate emendam censuit.

Sed argutius Septuaginta legunt, διεθέμην εὐθήκην τοῖς ὀφθαλμοῖς μου, *testamentum posui oculis meis;* non quolibet pacto, non qualibet se obstrinxit lege, ne libidinum incentiva videret; sed lege et pacto *testamenti,* in quo et translatio omnium bonorum, et mors civilis, quæ fit per amissionem libertatis, aut mors naturalis intercedat necesse est : itaque S. Job sic accedit ad tractatum de fugiendo conspectu libidinum, quasi accederet ad testamentum condendum; universa bona, et libertatem et vitam spondens, dummodo pretiosam cæcitatem acquirat, qua molestissimam sibi fugiat faciem voluptuosorum. Et quidem Senecæ tam pretiosa erat libidinum apparentium fuga, ut vel oculorum amissione putaret emendam : sic habet in lib. *De Rem. fort.* : « Oculos perdidi. Quam multis cupiditatibus via incisa est, quam multis rebus carebis, quas ne videres, oculi eruendi erant. Non intelligis partem innocentiæ esse cæcitatem? Huic oculi adulterium monstrant, huic incestum, huic urbem et mala omnia, » etc. Quam voluptuosorum fugam emit gentilis homo oculorum amissione, cur non emat fidelis omnibus bonis, etsi libertatem amittere oporteat? Invictus ille castitatis athleta Joseph post importunum Ægyptiæ feminæ congressum accusatus est apud dominum suum *Gen.* XXXIX, 20, « qui iratus est valde, tradiditque Joseph in carcerem, ubi vincti regis custodiebantur : et erat ibi clausus. » Quid tunc Joseph nigro in carcere clausus? an calamitatem luxit? absit : suam cecinit felicitatem, quando tenebris carceris occlusus hoc habuit, ne amplius videret in Ægyptia domina voluptatum simulacra; sic in *Test.* XII *Patriarch.* cap. XI ait : « Rursus conjectus sum in carcerem : ego autem hilari voce gaudens glorificavi Deum meum solum, quod per hanc occasionem amovebar ab Ægyptia. » Sunt nimirum piis viris et tenebræ et cæci carceres pro deliciis; quandoquidem illis comparant hoc, ut fugiant conspectum libidinum ac voluptatum, quem maximum esse oculorum morbum putant. Qua in opinione, teste Philostrato *De Vitis Soph.*, fuit etiam Isæus, non magis oratione quam vita concinnus, a quo forte cum aliquando quæreretur de formosissima muliere, quæ erat in conspectu, num eam pulchram judicaret : « Desii, inquit, laborare ex oculis : » et ne illius quidem vultum vel tenui oculorum conjectu intueri voluit. Talem ostendit in luminibus temperandis modestiam et prudentis animi lumen Alexander Magnus, qui Darii victi filias, quæ pulcherrima oris specie nymphæ quædam augustiores videbantur, noluit aspicere; ne mens illa nobilis, et generosi animi fortitudo, virorum fortium victrix, muliebri jugo et tyrannidi amoris subderetur.

Joseph gaudebat cæco carcere concludi, ut non videret Ægyptiam.

Isæi et Alexandri oculorum continentia.

Oraculum est Hippocratis medici, prudentia et cognitione principis, lib. VI *De Morb. propr.* sect. IV : « Oculi ut validi fuerint, ita et corpus; » quod illustrans Galenus : « Si, inquit, oculi bonum habuerint colorem, et totum corpus bene valere significant : » quæ sane ego libentius ad animi sanitatem referam. Si oculus purus est, et minime vagus et curiosus, sed modestiæ veluti claustris cohibitus, ex eo colore bono et suavi conjicere non dubitem esse animi eam valetudinem, quæ deceat et laudabilem morum et motuum temperationem. Apparetque verissimum esse illud etiam crassiori modo intellectum *Matth.* VI, 22 : « Si oculus tuus simplex fuerit, etiam totum corpus tuum lucidum erit. » Ex quo plane constat singularem diligentiam et moderationem oculorum adhibendam esse omnibus qui pudicitiam conservare cupiunt animique puritatem. Quod studium commendatissimum olim fuisse christianis e scriptorum monumentis liquet : nam a teneris pueritiæ annis imbuebantur monitis verecundiæ, et in primis docebantur, ne curiosos et elatos haberent oculos, sed honesta modestia dejectos. Itaque Julianus imperator, qui malitia cæcus, et improbissimis studiis a religione defecit, cum in sinu piorum parentum educatus fuisset, gloriatus est aliquando se a pædagogis instructum εἰς γῆν βλέπειν, *demisso in terram vultu* esse consuevisse; quam pudoris honesti laudem D. Paulo jam nato grandi et magistro aliorum tribuit S. Chrysostomus; et Satyro fratri D. Ambrosius : « In cœtu virorum, inquit, rarus attollere os, elevare ocu-

Oculi sunt indices constitutionis tam corporis quam animæ.

Cura oculorum magna apud veteres christianos.

http://www.obrascatolicas.com

los, referre sermonem; quod pudico quodam mentis pudore faciebat. » Didicerant id a mundi servatore Christo, qui virtutum omnium scholam cum publice aperuisset, in primis istius moderationis oculorum excellenter magisterium fecit, quod a Beda video scriptore nobili et erudito animadversum : is cum D. Joannis verba exponeret, ubi Jesus dicitur oculos sublevasse : « Hoc, inquit, memoravit, ut disceremus quod oculos non erigebat huc atque illuc, » etc. Hinc, ut aiebam, a primis annis christiani instituebantur ita compositos habere oculos, ut modestiam sibi cum maxime commendatam verecundiamque putarent : tum fere omnes habuerunt illam, quam Græci dicunt σεμνοπροσωπίαν, hoc est *oris gravitatem* et speciosissimam oculorum modestiam; omnes oculum, ut verbo utar S. Gregorii Nazianzeni *Orat.* 9 παιδαγωγούμενον, modestiæ fræno decenter *in officio suo coercitum* et moderatum, quem esse gratum et præclarum Deo munus asseruit. Tum licuit Tertulliano in *Apolog.* cap. XLVI suo jure dicere, cum evangelicæ vitæ professionem contra gentiles veris laudibus extolleret, « christianum salvis oculis feminam videre, animo adversus libidinem cæcum esse. » Quod nimirum omnes sic domitam et compressam haberent Dei gratia et virtutis vi concupiscentiam oculorum, ut non magis illis ad lasciviam abuterentur, quam si penitus orbi essent, et usura luminis destituti. Plura de oculorum mortificatione vide apud P. Jacobum Alvarem de Paz tom. II, lib. II, part. II, cap. IV.

Vers. 2. 2. QUAM ENIM PARTEM HABERET IN ME DEUS DESUPER, ET HÆREDITATEM OMNIPOTENS DE EXCELSIS? — Soli casti sunt pars et hæreditas Dei. Rationem reddit tantæ oculorum continentiæ, *q. d.* Quomodo habitaret in me, mihique sua gratia et favore quasi filio et hæredi adesse vellet Deus nisi ab omni prorsus labe immaculato, cum soli casti sint filii, hæredes, et templum Dei; impuri vero et incontinentes dæmonum sint cloacæ et inferni mancipia : proinde nisi ita serio caverem, nisi occasiones tam studiose declinarem, nisi omnem malam cogitationem mox animo proscriberem, nisi denique parva magnifacerem, aliquod haud dubie lascivum desiderium in me oriretur, per quod Deum amitterem. In quo cacodæmon exercitatum furem feliciter sæpe imitatus : hic namque clausam domum expilaturus, si quod foramen vel fenestellam sibi patefaciat, quæ tamen hominem adultum non admittat, puerum per illam immittit, ut his ac ratione in domum illapsus magistro suo januam reseret, quo rem suam intus agat. Pari modo diabolus cogitationes impuras, jactus oculorum curiosos, lectionem incautam, voces et gestus parum verecundos veluti furunculos prævios intromittit in animum, qui veluti ostium pandant, viamque faciant ingressuro. Unde maximi refert, summa hic cautione uti, occasiones etiam eminus cavere, nihil velut rem parvam negligere, nec tantum libidinem omnem, sed et libidinis umbram aversari et fugere.

Est illa communis omnium nationum lex, quæ non a ficta veterum academicorum politia eruditis in disputationibus, sed a naturæ principe Deo in omnium mentibus alte impressa est atque prodita : « Ad deos caste adeunto. » Vel in magna superstitionis obscuritate, in qua tanquam in antro platonico umbræ tantum rerum videbantur, hoc tamen cognoverunt, omnes animi corporisque sordes impuramque libidinem a sacro alienam esse, et verissimum id videri quod e Latio Poeta cecinit : Ad Deum caste accedendum.

Casta placent superis.

Itaque in propylæo fani magnificentissimi in Epidauro inscriptum fuit illud pulcherrimum et memorabile monitum, quod Clemens Alexandrinus ad æternam prædicationem lib. V in *Strom.* suis posuit,

Ἁγνὸν χρὴ νηοῖο θυώδεος ἐντὸς ἰόντα
Ἔμμεναι,
Esse decet purum sancti qui limina templi
Ingreditur.

Puritas et castimonia tam corporis quam animi servanda. Sapiens quidam e gentilibus hoc dixit, et inscripsit ad mortalium documentum, quod illustrans Clemens ita subdit : Ἁγνεία δ' ἐστι φρονεῖν ὅσια, *puritas autem est sancta cogitare;* vere quidem illud dicitur, sed moniti vim omnem atque amplitudinem non comprehendit : neque enim solis animi cogitationibus sanctorum hominum puritas castimoniaque definitur, verum etiam ad verba et totius corporis statum et morum pertinet.

In hujus rei symbolum S. David divinitus illuminatus, cum pulcherrimo animarum sponso regique Christo palatium inquisivisset ea gloria et magnificentia dignissimum, « domum eburneam » illi tribuit *Psalm.* XLIV, 9; non qualem habuisse rex Achab dicitur III *Reg.* XXII, 39, ad splendoris regii magnitudinem gloriamque significandam, sed qualem vir doctissimus piusque Arnobius oratione sua expressit : « *Eburnea domus,* inquit, est corpus castum, in quo tinea non facit ullam libidinem peccati. » In hoc sane pulchro domicilio multo libentius quam Salomon in solio suo eburneo Deus considet, eoque lætatur. Quod etiam propter singularem animi sanctitatem, quæ pudicitiam comitatur, *templum* appellari solet : sic enim perspicue D. Paulus I *Corinth.* cap. III, 17 : « Templum Dei sanctum est, quod estis vos; » et alias *ibid.* cap. VI, 19, cum hortatur Corinthios ad luxuriæ sordes et contaminationem omnem fugiendam : « An nescitis, inquit quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est? » Hinc Tertullianus elegantissime lib. *De Cultu femin.* cap. I pudicitiam exornans : « Cum, inquit, omnes templum simus Dei, illato in nos et consecrato Spiritu Sancto ejus templi æditua et antistes pudicitia est, quæ nihil immundum nec profanum inferri sinat. » Isidorus quoque Pelusiota lib. III *Epist.* 75, corpus nostrum vocat τέμενος ἢ ἱερὸν τῆς ἁγνείας, *castitatis delubrum* Eburnea domus corpus castum. Membra nostra sunt templum Dei sanctum, cujus æditua est pudicitia.

atque *templum,* in quo perpetua religione hostia vivens offeratur Deo; victimam autem gratissimam esse Numini castimoniam. Ex hac consideratione efflorescit illud admonitum S. Ignatii martyris *Epist.* 10 *ad Heron. diacon.* : « Te castum et purum conserva ut domum Dei templum Christi, organum Spiritus Sancti. » Quod diaconum non modo *templum* nuncupat, verum etiam *organum* sive *instrumentum Spiritus Sancti,* non abludit ab eo quod in oraculis suis ponit Isaias cap. LII, 11, qui corpora sacrorum hominum *vasa Domini* appellat, et augusta ciboria, ut anathemata religiosa, ut hierothecas venerandas; eaque perfectissima castitate expolienda et mundanda jubet : « Mundamini qui fertis vasa Domini; » vel, ut est apud Septuaginta, ἀφορίσθητε, *separamini.* Hoc enim refert ad corpora Origenes hom. 11 *in Levit.* : « Segrega, inquit, te tanquam phialam sanctam et thuribula sancta, solius templi usibus et Dei ministerio vacans. » Tunc ait vere futuros sanctos, quod Deus jubet magnifico illo effato : « Sancti estote, quoniam ego sanctus sum : » nam ἅγιον, hoc est *sanctum,* deducit a nomine γῆ, *terra,* et ἀ privante particula, ut sancti sint proprie absque terra, segregati ab omni corporis contagione atque libidine, excitata vita et cœlesti, exsules mundi, corpore et animo sanctissimi. Quales, ut aiebam, nobilis Vates cupiebat esse illos qui ferunt vasa Domini, qui sacris templis cærimoniisque præficiuntur, ut mundentur in dies magis, et singularem puritatem atque innocentiam concipiant. Quo forte intuens S. Dionysius Areopagita *De Eccles. Hier.* cap. I, monet Timotheum, ut pontificio jure edicat initiatis, καθαροῖς καθαρῶς ἐφάπτεσθαι, *mundi ut munda contingant.* "Αγιον græce dictum quasi sine terra.

Pudicitia tribuit fiduciam ad Deum. Divine omnino Justinianus imperator magnus in *Novel.* de lenon. § *Sancimus* : « Pudicitia cum fiducia animas Deo præsentat : » sicubi summus ille omnium rerum parens viderit castimoniam velut amoris sui illicium, lubentius advolat quam poeticus Jupiter ad Veneris cestum, ad Junonium fucum et regalem paraturam. « Ubi Deus, ibi pudicitia, » ut gravissime dictum a Tertulliano lib. *De Cult. fem.* cap. VIII; et Isidorus Pelusiota lib. II, *Epist.* 186, non dubitavit asserere, Numen divinum aptiorem sibi nullam ac familiariorem sedem constituisse ψυχὴν ἁγνὴν, *quam puram et castam animam* : quod iis oculis, quibus divina contuebatur, vidit etiam D. Paulinus; cujus aureum dictum hic apponam sic scribentis *Epist.* 35 : « Anima quanto castior membris, tanto vivaciorsensibus; et quanto mundior corde, tanto capacior Christi est. » Propter hoc sacræ pudicitiæ cum Deo commercium, divinissimi aiunt viri illam homines efficere συμπαρέδρους Θεῷ, *assessores* comitesque *Dei;* quemadmodum platonici animas puras et beatas nominabant θεῶν ὀπαδούς; quasi honorarios *stipatores lateris* et familiares. Sed longe platonicis omnibus sapientior Salomon illud vere et mirabiliter pronuntiavit *Sap.* VI, 20 : « Incorruptio facit esse proximum Deo, » quod S. Bonaventura aliique ad castimoniæ vim atque decus retulerunt. Imo vero eo usque progrediuntur quidam in hoc tanto bono exponendo, ut dicant e beatissima illa conjunctione et usu consequi, ut homo quodammodo migret in Deum, quod sanctissimus et eloquentissimus Gregorius Nyssenus lib. *De Virgin.* cap. IX e D. Pauli sententia comprobat : qui aggressus ad puritatis virgineæ commendationem, paucis verbis omnem omnium laudum amplificationem superavit, cum eam animam, quæ præstabilis castimoniæ ornamentis sit insignis, ἁγίαν καὶ ἄμωμον nominat, *sanctam* videlicet, *et ab omni labe ac reprehensione alienam.* At cum illæ voces, inquit Nyssenus, proprie ad divinitatem referantur, cum principem rerum omnium Deum ἅγιον καὶ ἄμωμον nominemus, liquido constat eos qui virginitatem summo studio coluerint, seque ad beatæ mentis communionem et societatem adjunxerint, esse divinos : nec veretur pronuntiare, eximiam illam virtutum omnium dominam θεοποιόν, efficere homines non *pares* modo cœlitibus, qui felicitate potiuntur; verum etiam, quod mirabilius merito videatur, *similimos Deo.* Merito igitur Jobus tam corporis quam animi puritatem usque adeo studiose solliciteque semper coluit, ne pretiosissimam suam partem et hæreditatem Dei amitteret : « Quam enim, inquit, partem haberet in me Deus, » etc., hoc est, quæ pars mei cederet in selectum peculium et velut hæreditatem Dei? « Pars enim Domini, inquit Moyses *Deuter.* XXXII, 9, populus ejus : Jacob funiculus hæreditatis ejus. » Nimirum pars maxima generis humani cedit in prædas dæmonis : at et clementissimus Deus sibi partem lectissimam adoptat, ad quam Jobus pertinere impense optavit, a qua excidere timuit. Unde subdit : Pudicitia facit Deo proximum. Castitas reddit hominem sanctum et immaculatum. Castitas reddit nos Deo similliimos.

Vers. 3. 3. NUMQUID NON PERDITIO EST INIQUO, ET ALIENATIO OPERANTIBUS INJUSTITIAM? — Altera ratio, cur Jobus vel minimum luxuriæ horreat appulsum, hæc est : quia vitium hoc innumerabilia gignit et invehit mala, et quem semel occupavit, ad omne virtutis opus languidum reddit, et animi vires frangit et enervat; et omnino quem sibi subjicit devorat ac perdit : nihil enim in homine relinquit, per quod Dei manus cœno absorptum apprehendat, teneat, atque extractum foras educat; non animi sensa, non mentis cogitatum, non oris preces, non studium curamque virtutis : bona quippe omnia pessumdat. « Videlicet, inquit D. Thomas, a bonis operibus et a bonis etiam prædicationibus discedunt homines luxuriosi, » ac proinde omnia, quæ ad resurgendum ex suis sceleribus habere possent remedia, sibi præripiunt. Privato sacerdos quidam ex nostris sermone de divinis rebus, de Dei timore, amore virtutis, cœli gloria, inferorum incendiis, et id genus aliis cum perdito quodam nebulone, qui ex religioso statu in volutabrum vitiorum, luxuriæ præsertim, ceciderat, prudenter pieque agebat aliquando, ut Luxuria innumera mala gignit, et alienat ab omnibus operibus bonis. Luxuriosus odit sermones de rebus divinis. Incorru-

http://www.obrascatolicas.com

scilicet hominem ad pristinum statum meliorem-que vitam traduceret. Quid ille? cessa, inquit, pater, surdo loqui : scito, postquam excidi, nihil mihi tam molestum atque intolerandum videri, quam audire de Deo deque cœlestibus rebus sermocinantem. O dictum impium! o hominem infelicissimum! quam apte in ipsum quadret illud Jobi : «Numquid non perditio est iniquo, et alienatio operantibus injustitiam? » ubi *perditio* quidem exitium interitumve significat; *alienatio* vero aversionem, repulsam et separationem a Deo notat.

Luxurio-sus multa bona perdet.

Vere in hoc vitio verificatur illud *Eccle.* IX, 18: «Qui in uno peccaverit, multa bona perdet:» alii vertunt, *bonitatem multam perdet*; conturbabit videlicet ipsam animi politiam, quæ in bonitate ut possessione longe pulcherrima conquiescebat : proniorem se reddit ad maleficium et improbitatem. Qui status videri debet tum deformissimus, tum etiam miserrimus, quo malitiæ velut regnum et dominatus instruitur. Chaldæus rem illustrans ita vertit, *peccans occasionem adfert, ut perdatur bonum magnum ex mundo* : per *bonum magnum* intelligit opinor gratiam, qua nihil est in hoc mundo præstantius aut melius : quid enim est aliud gratia, quam effulgens in animo splendor æternitatis, felicium animarum insigne, cœlestis radii illuminatio, participatio divinæ mentis, semen gloriæ, tessera immortalitatis? Hem stultitiam hominum inauditam! pro re nihili sibi jacturam tam incredibilem accersere. Sed Chaldæi mens alio etiam modo explicari potest : *Occasionem*, inquit, *adfert, ut perdatur bonum magnum ex mundo*, hoc est, ut ego interpretor, ut integritas et perfectio mundi labefactetur, ut tollatur suavissimus ille concentus et harmonia, quam partes mundi omnes inter se habent. Sic enim Demiurgus sanctus mundi opificium molitus est, ut omnes partes esse voluerit, quemadmodum S. Dionysius lib. *De Div. Nom.* cap. IV de elementis dixit, ἐφαρμογὰς καὶ ἀλληλουχίας, *cohærentias quasdam atque nexus* ad unius totius pulcherrimi effigiem coagmentandam : sic omnia sunt artificiose et divine structa, ut mutuo se contineant et sustentent, ut jungantur Deo : eo conspirant universa, ut summæ mentis modulato velut ductu perveniant ad felicitatem : hæc mundi aurea catena est belle nexa et implexa rotundis et fulgentibus circulis, cujus primus annulus Numen est. Qui peccat sese avellit ab ordine illo magnifico et beato, et imminuit universi decorem, injuriam infert mundo, cujus violat bonum et creatarum rerum symphoniam, quæ pari motu in Deum feruntur, ut verissime dicat Salomon, peccantem efficere ut perdatur bonum magnum ex mundo. Nam ut perverso ordine universi terra movetur, effervescit mare, cœlestia mugiunt tonitrua, presteres et typhones generantur, stellæ currunt, et jaculantur incendium, mors telo furit, et triumphat; sic illa divina politia criminum labe violata, et interrupto providentiæ cursu, quo Deus totum hoc quod tuemur apte nexum et consertum ad se trahit, sequi necesse est multa et grandia incommoda, quæ mundi statum et pulchritudinem dehonestent. Sed in eodem loco Salomonis latius patet Vulgatæ nostræ lectio et insigniter ostendit quid scelus atque vitium in nobis efficere soleat : « Qui in uno peccaverit, multa bona perdet; » alii legunt, *peccans unus* : utrumque verum est, et vel peccatum unum et unus peccans multa bona perdit; *sua* dicam, an *aliena*? vere dixero, et *aliena* quidem certe, et in primis *sua* : quis enim ignorat, ut exemplo rem illustremus, unum Adamum unico suo peccato non modo multa, quod ait Ecclesiastes, sed prope dicam infinita bona perdidisse? O pomum omni ratione funestum! sed ingratam potius voluntatem et cæcam mentem, quæ omni humano generi luem, mortem et omnigenas calamitates invexit, quæ vestem innocentiæ spoliavit, quæ virtutum corollas et singularia ornamenta contrivit.

Unius peccatum sæpe multis nocet.

Marimum bonum gratiæ perditur per peccatum.

Peccatum tollit perfectionem universi

Peccatum inducit rerum omnium confusionem.

Sed non excurro in flebilem elegiam et recensionem eorum malorum, quæ consecuta sunt, quæque omnes luimus, experimur et mœremus. Recordemur quæ tempore Josue acta sunt, cum unus Achan in gloriosissimo illo exercitu Dei Numen scelere impio contempsisset : quam ob causam punientis Numinis manus et ultor gladius in totius populi caput et vitam incubuit *Josue* VII, 5. Illud gravius quod Davidi contigit sive adulteranti sive populum annumeranti, cujus peccatum in totius pene populi communem perniciem redundavit : nam constat ad expiandum conceptum illud facinus septuaginta hominum millia subito uno impetu cæsa et confecta fuisse. Illam stragem innumerabilium hominum, quæ Judæam fletu et plangore complevit, non rhomphæa magnanimi angeli divino imperio grassantis, sed Davidis scelus effecit. Ob illud crimen strata civium cadavera patentibus in campis jacuerunt : atque haud scio, an divinus Ecclesiastes ante oculos illud habuerit cum diceret : « Peccans unus multa bona perdet. » Cæterum ne rarius id putemus evenisse, ut unius hominis crimen in multorum exitium pœnamque redundet : quod non semel, ut videmus, in divinis oraculis proditum est, quotidie fieri sentiunt, qui suis momentis res ponderare solent. Nam propter unius civis indignum facinus et conceptam improbitatem communitas ipsa et ornatæ aliquando urbes multa et gravia patiuntur, ut divinitus magno Poeta ingenio mihi dixisse videatur,

Achæ et Davidis peccatum totus populus luit.

Propter unius crimen aliquando communitas punitur.

Πολλάκις καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ :
Sæpe omnis populus luit improba crimina civis.

Ut enim fel in corpore sæpe in omnes sese artus noxia derivatione spargit, quæ colorem totius corporis immutet et debilitatem adjiciat; sic ex unius felle et acerbitate et importuni animi maleficio in toto corpore, cujus ille pars est, non levia detri-

menta sequuntur. Hæc pluribus ostendit Cresollius *Anthol.* cap. III, ubi peccati mala recenset.

Vers. 4. 4. NONNE IPSE CONSIDERAT VIAS MEAS, ET CUNCTOS GRESSUS MEOS DINUMERAT? — *Vias* pro actionibus, *gressus* pro affectibus, quibus ad Deum accedimus vel recedimus, posuit, *q. d.* Singulas actiones meas considerat, singulas cogitationes meas dinumerat. Nihil humanarum rerum Deum fugit, nihil non explorat magnus ille rerum mundialium præses, et velut ex alta specula suorum acta diligentissime pensitat, omnia scrutatur atque dijudicat. Unde et Ægyptii Deum *mundi oculum* appellabant, quia omnia intueatur, nihil eum lateat. B. Augustinus epist. 111 *ad Fortun.* : «Ego, inquit, dico quod Deus totus oculus est, totus manus, et totus pes : quia omnia videt, omnia operatur, et ubique est. » Quid ni videat omnia qui ubique præsens adest, omnia implet? hoc sibi volunt illa *Jerem.* XXIII, 23 : « Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus? et non Deus de longe? Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum, dicit Dominus? Numquid non terram et cœlum ego impleo, dicit Dominus? » ac si diceret, neminem a Dei notitia subduci, quia nullus locus ab ejus præsentia non impletur. Chaldæus ita postrema refert : «Num putat homo se latitare, cum in occulto est? An non coram revelatus est, dicit Dominus? Nonne cœlum et terram implet gloria mea, dicit Dominus?» Recte S. Chrysostomus in *Caten. Græc.* Jeremiæ, ubi ex Dei præsentia certissimam hanc ejus scientiam ita arguit : « Nam si prophetis non præsentibus dat sæpe ipse ut sciant quæ ubicumque aguntur, multo magis ipse scit. At non dicit hoc, sed Deus appropinquans ego sum, ubique præsens sum : quod indubitatum est judicium nihil illum nescire. » Igitur sicut nullus locus est, quem non repleat, nullo loco quidquam agitur, quod ille non sciat.

Deus mundi oculus Ægyptiis, quia omnia videt.

Deus omnia videt quia ubique præsens adest.

Lyncei oculi in proverbium abiere : hi enim qui perspicacissime quæque intuentur, occulta quæque pervestigant, et nihil fere tam abditum, quod ab eorum notitia subducatur, *lynceos* habere *oculos* dicuntur, a *lynce* animali, ut aliqui volunt, quæ, ut fama est, vereor ne res sit, visus acie vel parietes ipsos penetrat. Dubietatem abseca, rem certissimam cense, cum de Deo loquimur, ipse lynx occulta omnia penetrat, abdita quæque apertissime videt, ut jure Apostolus dixerit *Hebr.* IV, 13 : «Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo : » omnia scrutatur, omnia intuetur Dei oculus. Audiendus S. Petrus Damianus, qui lyncis naturam explicans ita ad divinam cognitionem flexit *Opusc.* LII, cap. XXI : « Lynx quoque tam incomparabile visus acumen habet, ut non modo quodlibet corpus solidum, sed et lapideos parietes penetret. Quod nimirum hoc modo probatur : quia si lynx ex una parietis parte consistit, caro vero altrinsecus ponitur, tanquam nihil intersit, ad eam pro-

Lyncei Dei oculi cuncta penetrant.

tinus inhiat, atque ut sibi præbeatur anhelat. Si ergo mutum pecus tam vivax intuitus acumen habet, humanæ mentis intima Deus omnipotens quanto profundius videt *Hebr.* IV, 11 : *Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti; pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis; et nulla creatura est invisibilis in conspectu Dei : omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus* : » sic ille. Cum igitur nihil Dei oculos effugiat, nihil sit quod ille non videat, ea omnia a nobis vitanda, quæ tantam majestatem offendere possunt : lynceos quisque habeat oculos, quibus se suaque consideret, ne lynceis Dei oculis impurus et immundus appareat.

Cor humanum Deo patet.

Quid magis abditum inviumque quam humanum cor? et tamen hoc Dei notitia permeat, hoc scrutatur *Jerem.* XVII, 9 : « Pravum est cor omnium et inscrutabile : quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda et probans renes : » crassus iste paries densusque, sed lynceis Dei oculis omnia patent. Scite hic B. Chrysostomus in *Caten. Græc.* : « De cogitationibus ipsis loquitur, quod et latentes Deo pateant : nil tam absconditum ut cor hominis. Idcirco alius legit : *Profundum cor et latens homo est; et quis cognoscet eum?* Fortasse latitare putatis ait : non ita est, omnia quæ agitis novit. » Cui non timorem incutiat lynceus hic Dei oculus? cui non pudorem ac reverentiam hæc Dei notitia? Solerter B. Ephrem Syrus, qui hac cogitatione meretricem a nefario opere deterruit, ac ad melius vitæ genus revocavit, a prostibulo ad monasterium duxit, et in castitatis castris pugnavit, quæ ante in lupanaribus sub impudicæ Veneris vexillis militavit. Cogitavit Deum adesse, ac videre omnia, et statim timore correpta ac verecundia, noluit ante Deum agere, quod ante homines erubesceret. Fac tu similiter, ut castitatem colas, ut sanctus evadas; habes monentem S. Augustinum serm. 46 *De Verb. Dom.*, ubi sic ait : « Ipse timendus est in publico, ipse in secreto. Procedis, videris : intras, videris : lucerna ardet, videt te : lucerna exstincta est, videt te : in cubiculum intras, videt te : in corde versaris, videt te : ipsum time, illum, cui cura est, ut videat te, et vel timendo castus esto; aut si peccare vis, quære ubi te non videat; et fac quod vis. » Vides nihil esse quod Dei conspectum fugiat, quod Deum lateat, et timorem ab hoc prospectu nasci, ab hoc timore castitatem. Tremendum sane illud quod Jobus ait : *Ipse considerat vias meas, et cunctos gressus meos dinumerat* : ad calculos quippe omnia revocanda, ut quisque præmium pœnamve recipiat. Omnes semitas nostras Deus exactissime observat, minima quæque diligentissime dinumerat; nihil tam leve tamque minutum, quod ab ejus censu subducatur; nihil tam exile quod ipse non numeret, etiam usque ad capillos capitis nostri, juxta illud *Matth.* X, 30 : « Vestri autem capilli capitis

Dei omnia videntis cogitatio castitatem parit

Deus minima quæque dinumerat.

http://www.obrascatolicas.com

omnes numerati sunt; » quid ni opera, verba et mores cognoscat et numeret, qui capillorum numerum novit? ita arguit quoque S. Augustinus serm. 6 *De Verb. Dom.* dicens : « Capilli nostri numerati sunt Deo, quanto magis mores nostri, cui sic noti sunt capilli nostri? » Quam puræ ergo debent esse cogitationes et affectiones nostræ, quæ a Deo notantur, et adeo exacte supputantur?

Vers. 5 et 6.

5 et 6. SI AMBULAVI IN VANITATE, ET FESTINAVIT IN DOLO PES MEUS : APPENDAT ME IN STATERA JUSTA, ET SCIAT DEUS SIMPLICITATEM MEAM. — S. Jobus purgatissimæ conscientiæ fiducia fretus ad justissimam divini judicii stateram appellat, *q. d.* Si in operibus meis atque consiliis unquam vanitati servivi, si cum aliud spectarem aliud dolosa simulatione præ me tuli, exquirat hoc Deus, et ad severam trutinam quam fieri possit diligentissime expendat : « et sciat (id est, publica scientia notam faciat) simplicitatem, (vel, ut alii ex Hebræo vertunt, *perfectionem*, sive *integritatem*) meam : » neque enim optat Jobus ut Deus adhibito judicio sciat tandem simplicitatem ejus, quasi vero ante non sciverit; sed hoc vult, ut Deus publico judicio se examinet, quo sic omnes scire faciat simplicitatem suam. Alludit autem ad consuetam auri et argenti examinandi rationem : solent quippe artifices, ut auri massam aliquam explorent, partem aliquam primum in statera appendere, deinde vero igni excoquendam tradere, et iterum ad trutinam vocare; quantum autem de pondere ignis detraxit, tantumdem sordium aut alieni metalli habuisse comprobatur : quod si nihil ponderis detractum est, tunc aurum purissimum et defæcatissimum fuisse constat. Huc ergo Job spectans ait : APPENDAT ME IN STATERA JUSTA, ET SCIAT DEUS SIMPLICITATEM MEAM, — id est, jam inde postquam me tribulationis igni excoquendum tradidit iterum ad trutinam vocet atque tribulationem anteactam, nihil de morum meorum gravitate detraxisse comperiet; adeoque nihil in me vanum, nihil subdolum aut fucatum unquam exstitisse. At quænam est isthæc trutina, in qua simplicitatem et integritatem suam examinari cupit? non alia sane, nisi divinæ æstimationis et æquitatis libra de qua David ait *Psalm.* XVI, 2 : « De vultu tuo judicium meum prodeat, et oculi tui videant æquitates. Probasti cor meum, et visitasti nocte : igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas, » id est, non est inventa in me ulla inæqualitas : nam tantumdem post tribulationem momenti habui quantum antea, et mihi semper æqualis et similis omnino fui. Ad hanc trutinam et auri explorandi rationem allusisse similiter videtur Jacobus cum dixit in *Canon.* cap. I, 2 : « Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur : patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes : » nimirum qui tentationibus probatus patienter sustinet, « opus perfectum habet, » id est, tanquam aurum igni traditum nulla ex parte deficit. Ergo patienter, inquit, sustinete, « ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes : » ut nimirum tunc, cum Deus æstimationis et æquitatis suæ libra fidem vestram et virtutem explorabit, et integros vos, et nulla ex parte detritos aut pondere imminutos fuisse comperiat.

S. Job provocat ad stateram Dei.

Job ut aurum igne tribulationis probatus, et in libra justitiæ positus non defecit.

Non modo autem justorum opera et merita libræ suæ examine probat Deus, sed etiam impiorum, ut patet ex tribus vocibus, quas apud Danielem manus illa horrendum in modum ex pariete exstans exaravit; quarum secunda erat *Thecel*, quam deinde Propheta sic exposuit *Dan.* V, 27 : « Appensus es in statera justa, et inventus es minus habens. » Utitur autem Deus ad opera hominum ponderanda *statera* et *libra romana* : quia non tantum gravissima quædam opera mala vel bona justitiæ suæ libramine examinat, sed etiam levissima quæque æquitatis suæ examine librat. Urceus aquæ ex misericordia tributus pauperi momentum habet apud ipsum, et de verbo otioso rationem exposcit; qui ad calculos omnia revocat justus Judex, merita cum præmiis, et scelera cum suppliciis componens. Nota quidem est *libræ romanæ* structura, quam R. David in lib. *Radic.* ad hunc modum exposuit : « Est virga prælonga signis ad cognoscendum pondera, et appendunt in summitate virgæ lapidem ponderis, » etc. Illud vero in hac romanæ libræ structura admirationem movet, quod leve admodum pondus in extrema virgæ parte appensum gravissima ex adversa parte momenta elevat. Igitur Dei justitia in præmiis bonorum operum pendendis romana libra est, nam in ea levissima quædam opera nostra, quasi in extremo virgæ suspensa, ingentia præmia elevant seu attollunt : audi Paulum II *Corinth.* IV, 17 : « Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. » Sic item divinam justitiam in suppliciis imponendis romanam esse libram dixerim, nam levissima etiam momentaneaque hominum peccata cum in justitiæ divinæ libramen veniunt, gravissimum similiter et æternum supplicii pondus elevant; et quidem de hac justitiæ divinæ romana libra respectu delictorum illud mihi in mentem venit, quo longius per virgam trahitur pondus extremum, eo majus ex adverso pondus attollitur. Exspectat ergo nonnunquam Deus impios, et supplicium eorum producit; id vero nihil aliud est quam pondus peccatorum ac scelerum, quod in dies impunitate crescit, per justitiæ suæ virgam longius trahere, ut ex ratione gravius ad extremum suppliciorum onus elevent : pari ratione de justitia Dei in conferendis præmiis contemplari licet, nonnunquam enim servorum suorum gloriam differt, ut meritis in dies incrementa capientibus, et per justitiæ suæ virgam longius deductis, majus denique gloriæ pondus attollant. Quid plura? in expendendis præmiis aut suppliciis futuræ vitæ Deus quidem romana libra utitur : quia utraque magna et ingentia sunt, nam ingentibus ponderibus librandis romanam libram, levioribus stateram adhibere solet, quemadmodum acute ac erudite observat et notat noster Salazar ad illud *Prov.* XVI, 11 : « Pondus et statera judicia Domini sunt. »

Omnes divinæ stateræ sublimes examen, et quæcumque opera sive bona sive mala examinantur a Deo.

Libræ romanæ structura et usus : eam adhibet Deus in suppliciis et præmiis futuræ vitæ.

Christus statera nostrorum meritorum.

Allegorice S. Gregorius lib. XXI *Moral.* cap. V : « Quis, inquit, *stateræ* nomine nisi mediator Dei et hominum designatur? in quo æqua lance omnia merita nostra pensantur, et in cujus præceptis agnoscimus, quid in nostra vita minus habeamus. In hac autem statera appendimur, quoties ad vitæ ejus exempla provocamur; hinc namque scriptum est I *Pet.* II, 21 : *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus;* ac si aperte dicat : Si qua unquam leviter, si qua perniciose perpetravi, Dei et hominum mediator appareat, ut in ejus vita cognoscam, an ego veraciter simplex fuerim : vanitas quippe ad levitatem, dolus vero ad malitiam pertinet. Et nonnulli plerumque ad quædam post malitiosa perveniunt, quia prius levia non declinant : » ita S. Gregorius ad hunc locum. De statera vide plura *supr.* cap. VI, vers. 2 notata.

Vers. 7 et 8.

7 et 8. SI DECLINAVIT GRESSUS MEUS DE VIA, ET SI SECUTUM EST OCULOS MEOS COR MEUM, ET SI MANIBUS MEIS ADHÆSIT MACULA : SERAM, ET ALIUS COMEDAT : ET PROGENIES MEA ERADICETUR. — Si inquit, a justitiæ via deflexi, et intuens alienas opes eas desideravi; si munera accipiens manus fœdavi meas, segetes meas alieni demetant, eisque fruantur, et proles mea prorsus intereat. Plures hic egregios virtutum principi congruentium actus commemorat, *primus*, non recessisse ab eo quod justum esset, quæ est via recta; *secundus*, non optasse aliorum bona, quæ tyranni mox ut aspiciunt, non cupiunt modo, sed etiam occupant; *tertius*, non accepisse munera, quæ manus principum ac judicum inficiunt. Porro illud, *si secutum est oculos meos cor meum*, Septuaginta interpretes sic efferunt, εἰ δὲ καὶ τῷ ὀφθαλμῷ ἐπῆκολούθησεν ἡ καρδία μου, *vel si oculo obsecutum est cor meum*; in Hebræo est, *si abiit cor meum post oculos* : quæ verba sic paraphrastice exponit Philippus, *nec cor meum acquiescens secutum est oculos meos, cum concupiscentiæ imagines illi offerrent.* Hinc manifeste apparet desiderium et concupiscentiam ideo aliquando oculis attribui, quod illorum concupiscentiæ obsequatur et acquiescat voluntas, cujus proprium est desiderare. Sic Ecclesiastes postquam dixerat cap. II, 10 : « Omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, » statim ἐξηγητικῶς subjungit : « Nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, » ubi, ut Pineda noster hic annotavit, advertere licet importunitatem quamdam in postulando et petendo ipsis oculis attribui; sed negandi ac concedendi auctoritatem cordis esse prærogativam. Quare quod Salomon non negabat, obsecutus nimirum oculorum concupiscentiæ, quæ avidissime voluptatibus inhiabat; negabat utique constanter sanctissimus Job, cujus cor nunquam pravo aliquo affectu excæcatum oculorum concupiscentiæ ductum sequebatur; sed objectis sibi per imaginationem voluptatibus frugalissime abstinebat, oculorum vota sistebat, spectatas delicias refutabat, et imagines concupiscentiæ, quas voluptas fallaciter colorat, constanter excutiebat.

Jobus justi ac recti tenax principum vitiis caruit.

ET SI MANIBUS MEIS ADHÆSIT MACULA. — Septuaginta sic reddunt, εἰ δὲ καὶ ταῖς χερσί μου ἐξέμαξάν δῶρον, *vel si manibus meis tetigi dona* : ex quo efficitur, ut idem sit, *adhærere maculam manibus*, et *manibus attingere dona*, quibus judices atque principes corrumpi solent, ut rectum judicium non reddant : qua versione Græci significarunt Jobum fuisse judicem et principem, et hac culpa vacasse. Quo scelere quia judices et principes se contaminare solent, Samuel magistratu se abdicaturus, in conspectu novi regis a se facti et totius populi de hoc se in primis crimine purgavit I *Reg.* XII, 2 : « Ecce præsto sum, inquit, loquimini de me coram Domino et coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim aut asinum : si quempiam calumniatus sum : si oppressi aliquem : si de manu cujusquam munus accepi : et contemnam illud hodie, restituamque vobis. » Nititur probare tria bona, fortunæ, famæ et vitæ, nunquam a se per injustitiam violata : *bona* quidem *fortunæ* illis verbis : « Utrum bovem aut asinum, » etc. nam cum hæc duo animalia apud Hebræos fuerint maxime servilia, et ad externas opes curandas accommodata, illorum nomine omnia bona fortunæ comprehendit : dicite igitur, inquit Samuel, utrum vos in externis bonis fortunæ defraudarim. *Bona famæ* illis verbis : « Si quempiam calumniatus sum; » cum autem calumnia plerumque fiat objiciendo falsum crimen, quo bona fama obscuratur, non immerito *calumniæ* nomine obscuratio bonæ famæ significatur, *q. d.* Loquimini de me, utrum fictis criminibus vestram famam obnubilarim. *Bona vitæ* illis verbis : « Si oppressi aliquem, » *q. d.* Loquimini de me, an unquam vos in bonis corporis læserim aut offenderim. Itaque Samuel omnium judicio definiendum reliquit, an ipse aliquando ullum ex his tribus bonis, fortunæ, famæ ac vitæ arripuerit, aut quovis modo dissipaverit; sed quia justitia non solum violatur, cum aliena bona per vim eripiuntur, sed etiam cum ad injustitiam exercendam acceptantur, subdit : « Si de manu cujusquam munus accepi. » Septuaginta reddunt, ἢ ἐκ χειρὸς τίνος εἴλαφα ἐξίλασμα καὶ ὑπόδημα, *aut de manu cujusquam accepi propitiationem aut calceamentum*, id est abjectissimum munus : Chaldæa paraphrasis habet *mammonam falsitatis*, id est falsum avaritiæ idolum; ut ostendat hujusmodi munera esse quædam inania idola, quemadmodum illorum cupiditas *Gal.* V, 20, dicitur *idolorum servitus*. Ab his igitur muneribus exemplo Jobi liberum se fuisse Samuel contendit : ita Mendoza *in* I *Reg.* cap. XII, 4 et 5, ubi fusius

Munera judicum manus inficiunt.

Samuelis in judicando integritas.

http://www.obrascatolicas.com

Samuelis integritatem in muneribus rejiciendis illustrat. Cæterum Job ad majorem innocentiæ et integritatis suæ confirmationem addit hanc imprecationem :

Injustorum pœna est, ut quæ inique pararunt ab alienis rapiantur.

SERAM, ET ALIUS COMEDAT, — *q. d.* Si manibus meis avaris atque rapacibus ex alienis opibus quidquam adhæsit, idem precor ab hoste aut prædatore contingat mihi; metat alienus quæ ego semi navi, et his fruatur bonis, quæ ego mihi liberisque meis providus paravero; hæc scilicet pœna accommodatissima est ad mulctandum scelus eorum qui alienas fortunas invadunt, ut suis non fruantur; quemadmodum vaticinabatur Amos cap. V, 11 : « Idcirco, pro eo quod diripiebatis pauperem, et prædam electam tollebatis ab eo, domos quadro lapide ædificabitis, et non habitabitis in eis : vineas plantabitis amantissimas, et non bibetis vinum earum. » Quare Solon sapienter dicebat :

Χρήματα δ' ἁμείρω μὲν ἔχειν · ἀδίκως δὲ πεπᾶσθαι
Οὐκ ἐθέλω · πάντων ὕστερος ἦλθε δίκη :

Divitias habuisse velim, sed non bene partas
Non cupiam : seris pœna venit pedibus.

Et Menander :

Πλεονεξία μέγιστον ἀνθρώποις κακόν ·
Οἱ γὰρ θέλοντες προσλαβεῖν τὰ τῶν πέλας,
Ἀποτυγχάνουσι πολλάκις νικώμενοι,
Τὰ δ' ἴδια προστιθέασι τοῖς ἀλλοτρίοις :

Summum est aviditas generis humani malum :
Aliena namque pro suis qui vindicant,
Persæpe non tantum improba spe decidunt
Victi, sed apponunt et alienis sua.

Quomodo filiis extinctis Job imprecetur sibi eorum eradicationem.

Non est autem hic cunctandum, quasi Jobus filiis orbatus inepte sibi eorum exstinctionem imprecetur dicens : « Et progenies mea eradicetur : » nam et aliis bonis exspoliatus, segetum furta inter imprecationes recenset : optandi quippe modus est, qui nihil nisi affectum requirit; potuitque cupere mala sibi inferri, si status id ferret : præterquam quod, uti probabilius est, filios ex aliis uxoribus, quæ *concubinæ* appellabantur, susceperat, quos mors illa infausta non sustulerat.

Vers. 9 et 10.

9 et 10. SI DECEPTUM EST COR MEUM SUPER MULIERE : ET SI AD OSTIUM AMICI MEI INSIDIATUS SUM : SCORTUM ALTERIUS SIT UXOR MEA, ET SUPER ILLAM INCURVENTUR ALII. — Removet a se interposita jurisjurandi religione omnem adulterii suspicionem; et negat se unquam cordis sui habenas laxasse, ut tam indignum atque exsecrabile flagitium in animum admitteret. *Decipi* autem *cor super muliere* eleganter ac theologice dicitur, fallax quippe gratia et vana corporis pulchritudo, quæ aliud videtur esse quam sit, incautos animos seducit, et quæ non est redditura pollicetur : pulcherrimæ enim et venustissimæ formæ, quæ luminibus objiciuntur, pernicitate prope incredibili igneaque evolant, nisi quædam in vitioso animo earum effigies ut perniciosi lemures ad cruciandum insideant. Alia pariter inania delectamenta obscœnique motus corporis, qui luxuriæ et libidini serviunt, promittunt potius quam exhibent ullam voluptatem, cum subito et præter opinionem effluant et vanescant, ut falli eos opinione sua atque illudi sit necesse, qui diuturnam ullam cupiant in eo genere suavitatem, aut studiose moroseque laborent, ut quam diutissime illa potiantur. Eleganter D. Gregorius Nyssenus tract. 1 *in Psalm.* cap. IV voluptatem similem ait esse ἀπατηλῶν φαντασμάτων, *fallacium phantasmatum*, quæ cum teneri a voluptatum amatoribus creditur, subito evanescit, et in nihilum recidit; illius autem spectri inanis unicum vestigium relinqui post recessionem τὴν αἰσχύνην, *pudorem*. Ad hunc vero pudorem jungitur ut plurimum dolor et dissoluti animi molestia; quod singulari Dei providentia comparatum est, ut cupiditatum illecebris et blandimentis sensuum irretiti a vitiosa corporis voluptate abhorreant. Id vero tam certum est atque exploratum, ut omnium sæculorum prudentes tum sacri tum profani doctissimis suis monumentis celebrarint. Intemperanti semper voluptas adfert dolorem, inquit Aristoteles lib. III *Ethic.* cap. XIII et XIV : cum enim abest, fert iniquius nullam se corporis haurire suavitatem; et in ea potiunda insaturabiliter ita gestit atque inhiat, ut nulla ipsius copia abundantiaque expleri possit. Illudit deinde voluptuarios in rota et equuleo deliciantes, aitque videri absurdum propter voluptatem angi et dolore confici.

Fallax est forma mulieris, et incautos animos seducit.

Libido pudorem et dolorem gignit.

Longe ante de sapientibus Græciæ unus Solon, vir et animo et virtute præcellens, aureum illud dictum ut præstantis ingenii pignus reliquerat : ἡδονὴν φεῦγε, *voluptatem fuge* : addebat rationem : Λύπην τίκτει, *ægritudinem et acerbum animi sensum progenerat;* quæ molestia profecto et amari animi sensus multum illius suavitatem exsuperat, si Basilio magno credimus, quem certe ob illustrem animi sapientiam et amare et audire debemus omnes : Oblectatio, inquit, voluptatis corporeæ πλεῖον τὸ ὀδυνηρὸν ἔχει τοῦ ἡδέος, *plus doloris habet quam jucunditatis;* atque ut omittam quod Tertullianus asserit, miserrimam sæpe animam libidinibus et concupiscentiis evigorari, certe constat in usu voluptatum senio plurimos et ægritudine contabuisse, cum vim animi omnem et velut succum illa boni hirudo exsugeret. Hanc opinor ob causam divinus Jeremias *Thren.* IV, 3, voluptatem nominavit *Lamiam* : olim enim opinabantur de genere Lemurum esse Lamias, seu dæmones in formosarum mulierum effigiem indutos, quæ juvenes pronos in nequitiam delicato sensu voluptatis inescatos vorabant, ut ait Philostratus *De Vita Apoll.* Hæc igitur Lamia, blanda inquam et perfidiose ridens, corporis sensuumque voluptas quot et quantos voravit? quot ad vitæ finem intempestive miserabiliterque deduxit? qui passi propemodum id videntur quod Glaucus Minois filius, quem Æneas Gazæus melle suffocatum ait fuisse. O mortem melleam! atrocem potius ego dixerim calamitosi adolescentis, qui in melle non apum dulcedinem, sed

Corpora voluptas plus doloris habet quam jucunditatis.

Voluptas Lamia.

aculeum mortis invenit : sic nimirum Asoti in mediis illecebris ut in colchico melle venenato immoriuntur.

Voluptas circæo poculo et Sirenarum cantui similis.

Hinc etiam Clemens Alexandrinus in *Adhort.* sua vocat eleganter voluptatem περιδέσιον ὡραῖον, *formosam meretriculam*, quæ in modum Circes aut Sirenarum blando veluti cantu et modulata symphonia homines in perniciem et naufragium luctuosum illiciat; ubi vir ille magnus, in omni doctrinarum genere expolitus, recte Sirenas cum Circe conjungit, ad mirabilem vim explicandam voluptatis in humani animi commutatione : nam quasi ad Sirenas quidam appulissent cantatrices, quæ blandæ vocis lenocinio uterentur, ad suadendum et frangendam animi constantiam eruditæ, voluptuarii fiunt, molles et effeminati, qui copia voluptatum gestiant, et deliciarum multitudine et varietate in feminam prope dicam frangantur. Alii divertunt ad Circæam haram, qui mellito et infausto poculo in belluas similitudine vitæ morumque transeunt.

Voluptas similis Ægyptiis Philetis.

Belle item Seneca *Epist.* 51 voluptatem componit cum Philetis in Ægypto, latrocinio et immanitate notissimis, qui quos cepissent amplectendo necabant, et monet in hunc modum sapienter : « Volruptates præcipue exturba, et novissimas habe, latronum more, quos *Philetas* Ægyptii vocant : in hoc nos amplectuntur ut strangulent. » E quibus patet quanta sit in voluptatibus atque libidinibus deceptio, qua se minime seductum fuisse Job merito gloriatur; dum autem negat se insidiatum esse alieno videlicet toro, aut excubasse ad amici seu proximi januam, ostendit amantium consuetudinem, qui ut libidinem suam expleant, omnem captant opportunitatem, et totam interdum aut bonam partem noctis ducunt insomnem : insidiari enim ad ostium adulteræ familiaris abusus intemperantium est ut optatis fruantur, vel etiam ut homicidium adulterio permisceant. De hisce adulterorum machinationibus vide plura *supr.* cap. XXIV, 15 et 16 annotata.

Job sibi imprecatur adulterorum pœnam si fuerit commaculatus.

Huic vero tetro crimini pœna, quam sibi Jobus imprecatur, justa proportione respondet; ut videlicet conjux illius qui alienam deturpat uxorem simili dedecore fœdetur : sic uxores Davidis, qui cum Uriæ conjuge adulterium perpetraverat, ab ipso ejus filio Absalomo pollutæ fuerunt; ac David quidem occulte, Absalomus vero palam hoc egit : sic Jobus, si quid clam peccasset in hoc genere, publicam ignominiam sibi poscit impingi, ut scilicet ejus conjux sit scortum alterius, quod sane publicam impudentiam olet. Quare subdit :

Vers. 11.

Adulterium cur dicatur iniquitas maxima.

11. HOC ENIM NEFAS EST ET INIQUITAS MAXIMA. — *Nefarium* dicitur *scelus* adulterium et *iniquitas maxima*, quia nimirum cæteris criminibus majora generi humano inducit detrimenta : quam ob causam *Prov.* VI, 32 Salomon adulterium cum furto componens, illud longe majora damna secum afferre luculenta utriusque collatione decernit : nec insolens est his, qui adulterii gravitatem extollere volunt, illud cum aliis vitiis gravissimis conferre. D. Chrysostomus hom. 62 *in Joan.* comparat cum idololatria, et nescio quid majoris gravitatis in sacrilega violatione conjugii subodoratur, ex eo quod Paulus infideli uxori cohabitare permiserit (siquidem id sine injuria fidei fieri possit) adulteram vero dimittendi copiam faciat; imo, ut ipse Chrysostomus existimat, suadeat. Rursus in quodam sermone, cujus titulus : *Carnis concupiscentiam ne sectemur*, inter adulterium et homicidium facta collatione præfert adulterium. Thales Milesius, ut auctor est Laertius in ejus vita, percontanti adultero, an jurare liceret se non admisisse adulterium; respondit, perjurium adulterio gravitate criminis cedere : quod ita intelligendum est, quia majora adferre solet incommoda tum adultero tum reipublicæ. Quare a profanis etiam adulteris gravissima sunt instituta judicia : vide Andream Tiraquellum lib. XIII *De Leg. connub.* et ibid. *De adult. gravit.* num. 9, ubi ex sententia S. Petri Clemens papa *in Epist. ad Jacob.* fratrem Domini docet, in omnibus peccatis adulterio nihil esse gravius : rationem reddit Clemens idem lib. VI *Constit. Apost.* cap. XXVII : « Quia adulteri injuriam aliis faciunt cum aliena matrimonia violant; et quod a Deo factum est unum in duo dividunt, ac liberos faciunt suspectos, et legitimum matrimonium insidiis exponunt : » idem pene ad hunc locum habet S. Thomas.

Pœna adulterii qualis ætate Jobi.

Cum autem in omni, ut reor, ætate, quæ sæcula Jobi consecuta est, gravissima adulteriis imposita fuerint supplicia, non tamen levia fuisse existimo ante Jobum, qui ex eorum severitate *nefas* esse *grande* et *iniquitatem maximam* adulterium collegit. Palæstini tempore Isaaci *grande peccatum* dicunt esse adulterium, et illud non solum ad mœchum et adulterum, sed etiam ad totum populum pertinere; unde *Gen.* XVI, 10 dixit Abimelech ad Isaac, a quo uxorem abstulerat : « Quare imposuisti nobis? potuit coire quispiam de populo cum uxore tua, et induxeras supra nos grande peccatum. » Mulctari porro hoc ipso Jobi tempore adulterium igne non obscure colligitur ex *Gen.* XXXVIII, 24 : cum enim apud Judam nurus ejus Thamar accusata esset adulterii, is eam jussit ad ignem duci : « Producite, inquit, eam ut comburatur. » An hoc genus supplicii tunc Hebræis in more et instituto fuerit, an id potius illi usurpaverint secundum leges et instituta earum gentium, quibuscum mixti vivebant, mihi quidem nequaquam exploratum est. Sacerdotis certe filia deprehensa in stupro flammis exurebatur, ut est in *Levit.* XXI, 19 : lex quoque *ibid.* cap. XX, 10 præcipiebat adulterium morte utriusque adulteri vindicari; verum quod esset illud genus mortis non videtur expressum lege, nisi quod scribit Moyses *Deuter.* XXII, 23 : « Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate, et concubuerit cum ea, educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur : » similis pœna in-

Quæ pœna lege statuta fuerit in adulteros.

http://www.obrascatolicas.com

fertur puellæ, quæ in domo patris sui voluntarie perdidit virginitatem, ut eodem loci traditur.

Lapidatio Judæis erat ordinaria adulterii pœna.

Fuisse tamen pœnam adulterorum secundum legem mosaicam lapidationem non sinit nos dubitare, quod scribæ et pharisæi, ut refert Joannes cap. VIII, 8, dixerunt Salvatori nostro adducentes ad eum mulierem in adulterio deprehensam : « Magister, inquiunt, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio : in lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. » Ezechiel quoque cap. XVI, 38 satis indicat id genus supplicii in adulteros fuisse apud Judæos constitutum, sic enim inducit Deum loquentem : « Judicabo te judiciis adulterarum, etc. et adducent super te multitudinem, et lapidabunt te lapidibus, » etc.

Apud varias gentes varia fuisse adulterorum supplicia.

Sciendum quoque apud varias gentes varia fuisse adulterorum supplicia; quin etiam apud eamdem gentem non semper idem, sed alias mitius, alias vero gravius et severius. Dicam primum de Romanis. S. Augustinus lib. III *De Civit.* cap. V : « Romani, inquit, antiqui in stupro detectas Vestales vivas etiam defodiebant; adulteras autem feminas quamvis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant. » Fuit igitur apud ipsos varia diversis temporibus adulterorum pœna, vel nota publicæ ignominiæ, vel mulcta pecuniaria, vel exsilium, vel verbera, vel contusio nervorum, vel castratio, vel etiam mors. Valerius Maximus lib. VI, cap. I, commemorans eos qui in vindicando adulterio publica pœna usi sunt : « Sempronius, inquit, Musca C. Gallium deprehensum in adulterio flagellis cecidit : C. Menius L. Octavium similiter deprehensum nervis contudit : Carbo Actienus a Dibieno, item Pontinus a P. Cernio deprehensi castrati sunt. » Julius Cæsar libertum sibi gratissimum, ob adulteratam equitis romani uxorem, quamvis nullo accusante, pœna eadem punivit : lege Suetonium in utriusque *Vita*. Julius Capitolinus scriptum reliquit, Macrinum imperatorem adulterii reos vivos simul incendisse junctis corporibus : Aurelianus quoque imperator, referente Vopisco, militem, qui adulterium cum hospitis uxore commiserat, ita punivit, ut duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis deligatas subito dimitti jussit, ut discissus ille utrinque penderet. Constantinus Magnus legem sancivit, qua violatores conjugii gladio plectebantur. Tempore S. Hieronymi, qui Constantio imperante natus est, adulterium morte puniri solitum patet ex ipsius epist. *ad Innoc.* de muliere septies icta.

Romanorum in adulteros supplicia.

Exterorum in adulteros supplicia.

Transeo ad alias gentes. Parthos nulla delicta quam adulterium gravius vindicasse auctor est Justinus lib. XLI : apud Ægyptios in adulterio deprehensus virgis cædebatur ad mille plagas, mulier naso mutilabatur; si quis præterea mulierem liberam violasset, virilia ei amputabantur; quoniam uno crimine tria non parva damna intulisset, injuriam, corruptelam et liberorum confusionem : vide Diodorum Siculum lib. II *Biblioth.* cap. II. Zaleucus, Locrensium legislator in primis nobilis, legem tulit, ut adulteris uterque oculus erueretur; cum autem filius ejus in adulterio esset deprehensus, et tota civitas in honorem patris pœnam ei remitteret, aliquandiu repugnavit : ad ultimum victus populi precibus, suo prius uno, deinde filii adulteri oculo eruto, debitum supplicii modum legi reddidit; mirabili æquitatis temperamento sese inter misericordem patrem et justum legislatorem partitus, veluti scite scribit Valerius Maximus lib. VI, cap. V et Ælianus lib. XIII *Var. Histor.* Ac licet apud Athenienses ex lege Solonis, ut in ejus *Vita* tradit Plutarchus, is qui liberæ mulieri vim attulisset decem tantum drachmarum pœna muletaretur; attamen Hippomenes Athenarum princeps cum filiam in adulterio deprehendisset, eam cum equo junxit : qui clausus cum alimentis careret dentes in puellam ingessit : adulterum vero testatur Suidas per regionem Atticam fuisse ab equis tractum atque discerptum. Saletus Crotoniensium princeps legem tulit, ut mœchi cremarentur vivi; at cum ipse fratris uxorem polluisset, et cives oratione ejus permoti pœnam illam in exsilium commutare vellent, ille magnitudinem culpæ animo suo reputans in ignem sponte insiliit, sicut refert Lucianus in *Apolog.* pro iis qui mercede conducti serviunt. Apud Turcas ex lege impurissimi Mahumetis, adulterii convictus centum ictibus flagellatur. Ex quibus omnibus luculenter apparet adulterium communi nationum omnium consensu iniquitatem semper maximam fuisse existimatam, cum illud plerique legislatores gravissimis quibusque suppliciis afficiendum esse statuerint. Plura de libidinis malo vide apud Cresollium lib. IV *Mystag.* cap. IV-VI.

Zaleuci memorabile factum.

Insignis severitas Hippomenis in filiam in adulterio deprehensam.

12. IGNIS EST USQUE AD PERDITIONEM DEVORANS, ET OMNIA ERADICANS GENIMINA. — Crimen hoc *ignis voracissimus* appellatur, quoniam sicut flamma devastat domum aut silvam penitus, sic adulterium consumit omnia, scilicet opes, nomen, valetudinem corporisque vitam; quod tremendis constat exemplis, ut interitum animæ, quod malorum caput est, sileamus. Hic ipse ignis *eradicare* dicitur *genimina*, quia prolem aufert legitimam, pro qua adulterinam ingenti damno piaculoque supponit; radicitus etiam evellit omnium bonorum, quæ in homine vel natura vel gratia unquam plantavit, stirpes; atque adeo exstirpatis radicibus exstinctisque seminibus hujusmodi bonorum, summa difficultas est ut repullulent, ut reviviscant; et ex assuetudine peccandi resurgat, atque e cœno ad puritatem emergat libidinosus. « Quia nimirum (exponit S. Gregorius) reatus luxuriæ non solum usque ad iniquitatem maculat, sed usque ad perditionem vorat. Et quia quælibet alia fuerint bona opera, si luxuriæ scelus non abluitur, immensitate hujus criminis obruuntur : » sic perdit, sic vorat reliqua, si adessent, bona vel naturæ vel moris una ipsa flamma libidinis. Adjungit S. Gregorius : « Ignis est eradicans genimina, quæ sunt

Vers. 12. Exitialis est flamma libidinis.

animæ operationes bonæ : cui tamen si perverso ordine caro dominatur, igne luxuriæ omnia bene prolata concremantur : » ita S. Gregorius lib. XXI *Moral.* cap. IX. Ventus est urens prata, nemora, segetes; raroque videas florentem virtute ulla e moralibus animam, quæ libidinis exardescit incendio : quod si ulla forte apparet turpitudinis aspersa fuligine, parvam aut fere nullam apud homines commendationem adipiscitur. Eleganter hanc flammam depingit Tollenarius noster in *Metr. Paraph.* sect. 6 *in Eccle.* cap. XI sic exclamans :

O quibus facibus furens
Generosa juvenum studia pessumdat Venus!
Et corda cœlo nata collidit solo,
Penitus medullas igne luctifico vorans!
Non sic amœna prata dispoliat vapor,
Dum fervet æstu media solstitii dies,
Noctemque brevibus luna præcipitat rotis;
Non sic honore frondium ornatum nemus
Spoliat superbis flamma populatrix comis;
Non emicantes fontium e venis aquas
Ita sorbet alto Sirius latrans polo,
Ut ignis ille Cypridis depascitur
Animi vigorem, et corporis succum bibit.

Libido ignis est.

Rem hanc illustrat S. Gregorius *in* I *Reg.* cap. XV ad tanti mali cautelam in primis accommodatam ingerens monitionem : « Quid est, inquit, libido nisi ignis? et quid de carne et mente exortæ virtutes nisi flores? quis enim nesciat, quia si in paleis ignis negligenter exstinguitur, ex parva scintilla omnes paleæ accenduntur : qui ergo virtutum incrementa non vult exurere, ita debet libidinis ignem exstinguere, ut per tenuem scintillam nunquam possit ardere. » Aliquanto fusius eamdem rem declaravit D. Basilius lib. *De Vera virg.* indicans ne manum quidem virginis contrectandam esse; sic ergo ait : « Sicut cum ignem tangimus ignis indicia per adustiones excipimus, et aut bullæ repente tactum consecutæ turgescunt, ad dolorosa per fervorem et inflammationem ulcera mox rumpenda minantur : ita possibile non est, quem ignis amoris attigerit ejusmodi tactum innocuum inviolatumque perferre; sed aut simili ratione bullæ per tactum manus cordi clam subrepunt atque intumescunt, dirasque amoris perturbationes ferventibus et æstuantibus incontinentissimisque agitationibus pariunt, ac peccati ulcera continuo rumpenda minantur; aut animum totum in intimis tam graviter exulceratum indicant. *Ignis enim ardens,* inquit Job, *est in omnibus membris : in quem vero supervenit, eum a radicibus perdit.* Itaque quoniam in membris omnibus ignis hic ardet, his qui corpus adustione liberum servare instituunt, membrorum omnium contactus vitandus est, ne ardentem ignis operationem in membro per tactum non in ea solum parte quam tetigit, sed in toto corpore atque in anima ipsa suscipiant. Si enim dum caudam quis tantum serpentis attingit, caput, magna licet corporis prolixitate disjunctum, ad caudæ tactum repente vertitur; et si digito pedis nostri impingente capilli capitis mox in sublime feruntur, et vitiosus profecto contactus etiam, si manu tantum fiat, a capite tamen usque ad extremos ungues ad consensum voluptatis pro ejus qui tetigit nutu pertrahit corpus. Ac sicut lapis in aquam cisternæ conjectus non solum adjacentem aquæ partem, in quam cecidit, agitat, verum orbes alios perpetuis vicibus excitans, eos interdum ad ultimos lacunæ margines agitando perducit : ita et lascivus obtutus, vel sermo voluptatis delinitus illecebris, in virginis animam velut in undam purissimam vehementer injectus, alias post alias quasi in profundo cogitationes amatorias excitat, ipsamque totam ejus, qui fecit, imaginem sauciam fluctibus agitat. » Ita recte Basilius : nam et Ecclesiasticus ait cap. IX, 9 : « Propter speciem mulieris multi perierunt : et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. » Et mox addit *ibid.* vers. 11 : « Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti sunt : colloquium enim illius quasi ignis exardescit. »

Contactus omnis vitandus, quo ignis libidinis suscitatur.

Tactus mulieris maxime periculosus

Verum si quis illam tangat æstu libidinis quodammodo furentem, multo magis concitabit animum, atque ardore incendet eo potentius, quo delicatiorem habet tactum, et liquidius voluptatem illius persentit; hinc S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 6, ἁφὴν λυσσῶσαν vocat, *tactum velut rabie laborantem,* quem esse perquam studiose coercendum ait. Itaque putant magni viri nullum esse vehementiorem in homine sensum, nullum magis in scelere et flagitio impotentem aut periculosum magis : vere et sapienter Climachus *Grad.* 15 : « Fit, inquit, nonnunquam ut ex solo tactu corpus inquinetur : nihil quippe sensu isto gravius, nihil periculosius. » Addit prudens unius factum, qui ne a matre quidem tangi voluit, cum puritatis amans et innocentiæ periculum exhorresceret : tactus enim tam est potens et violenta contagio, ut vel nolenti maculam possit et nequitiæ stillam aspergere : qua de re Theodorus Studita, vir sanctitatis opinione clarissimus, de sensuum moderatione loquens serm. 4 *Catech.* ita monuit : « Attrectavit quis nolens feminam, et incensus libidine scelus contraxit. » Atque ut melius quod in tactu periculum est intelligamus, aiunt viri sapientes summa provisione curandum esse, ut non modo non corpore corpus sive carnem attingamus, præsertim mulierum atque pulchrorum, unde castimoniæ labes oriri possit; sed ne res quidem alias, quæ proxime illos attingunt, cum in illis quoque fomes sit libidinis et voluptatis. In vestitu, in chirotheca, in sudariolo delitescit Cupido telum igneum ferens : tetigisse uri est. Non est ulla veneni vis tam præsens, tam noxia : vix tetigit, cum ad cor penetrat, cum vitæ arcem mors subit : « De vestimentis procedit tinea, et a muliere iniquitas viri, » ait Sapiens *Eccli.* XLII, 13. Tange muliebrem stolam, aut mitram, aut tenues vittas, et theristra, non tineam videbis caput exerentem, sed iniquitatem ut e cesto Veneris prodeuntem, seque in venas atque pectus insinuantem; hinc vere sapien-

Ne res quidem aut vestes mulierum aut formosolorum tangendæ temere.

http://www.obrascatolicas.com

terque D. Hieronymus in *Vita S. Hilar.* asseruit, tactum et jocos esse « moriturœ virginitatis principia. » Atque illud est maximum dæmonis illicium, ut ex contactu viri et mulieris, tanquam e leonis ossibus, flamma exsistat et impuræ libidinis ardor, unde certa animi pernicies sequitur; quod declarat id quod proditum est a Gregorio Magno lib. III *Dialog.* cap. VII de Andrea Fundanæ urbis episcopo, quem salutis inimicus Satan impulit, ut sanctimonialis virginis tergum per jocum et lasciviam manu tangeret; quo ex tactu eos ignitæ luxuriæ aculeos persentit, quos nisi divino præsidio confirmatus superare non potuisset.

Immundities maxime tactu contrahitur.

Atque haud scio an hoc ipsum Deus in vetustis cæremoniis significare voluerit, cum in *Levit.* XV, 22, non modo qui polluti corpus tangit, verum etiam qui lectum, sedile, vestem, divino judicio immundus pronuntiatur; et in eadem lege innumeræ prope sunt immunditiæ quæ tactu concipiebantur, e morticino, ex hominis cadavere, ex aliis rebus, de quibus Moyses accurate summi Numinis imperio edixit, quasi tactus epistomium esset infamis putidæque cloacæ, unde sordes et maculæ indecentes copiose fluerent; hinc forte apud Hebræos *tangere* idem fuit quod *polluï*, quod aspergi maculis et contaminari. Certe lepra, ut

Lepra hebraice *tactus* appellatur.

quæ notaret legali immunditia, et ipsum corpus inficeret, dicta fuit apud illos נגע *neggahh*, id est *tactus*, a radice נגע *nagahh*, quod *tangere* significat. Quare prudens optimumque est D. Hieronymi consilium, qui monet, ne quis a virgine aut alia qualibet ejusdem conditionis atque sexus ore degustatos cibos attingat: si non caves, non tam in stomachum melleam placentulam quam in animum lethale venenum dimittis : tactæ aconito carnes necant protinus illum qui gustaverit; quo pantheras modo capi aiunt ferocissimas belluas, et rabie impotentes : ob id aconitum *pardalianches* appellaverunt, ait Plinius lib. XXVII, cap. II. Vere dicam, nullum aconitum tam celeriter tactu

Amiculorum munuscula quam sint noxia.

perdere : itaque miserrimi illi mihi videntur amatores juvenes, a cupidine, hoc est perniciosissimo dæmone, subornati ad luxuriam et intemperantem voluptatem, qui virginum crines aliaque munuscula amicularum in sinu gerunt, ut blando et insidioso attactu ipsam appetitionem proritent et libidinem incendant. Hoc profecto est quod aiebat D. Jacobus *Epist.* V, 5, «in luxuriis enutrire corda sua,» et babylonico igni semper novam materiam suggerere, donec Erebi os aperiatur, unde sempiternæ flammæ erumpentes libidinosos excipiant. Præclare S. Hieronymus lib. I *Contr. Jovin.* periculosissimum esse hoc pronuntiat, et non minus quidem quam si quis ignem violentissimum contigisset; additque ad rem illustrandam :

Mitura et Erichthonius tactu lapidis aut

« Narrant et gentilium fabulæ Mithram et Erichthonium vel in lapide vel in terra de solo æstu libidinis esse generatos; unde et noster Joseph, quia tangere illum volebat Ægyptia, fugit ex manibus ejus, et quasi ad morsum rabiosissimæ canis, ne paulatim virus serperet, pallium quod

terra generati.

tetigerat abjecit : » hæc ille. Quod si tanta sapientia compos et illustris Pater censet lapidem, terram, pallium ob mulieris tactum libidinem creare posse, et ab eo viros sanctos ut a morsu rabiosissimæ canis præsentique veneno refugisse, an exspectemus ut lapides ipsi exclament et mutæ res periculi magnitudinem denuntient?

Neque vero fidere sibi ullus debet, quod ado-

Nemo sibi de domita libidine blandiri aut confidere debet.

lescentiæ annos prætervectus, jam ætatis quamdam maturitatem, ut quidem opinatur, constantiamque attigerit : homo es, et recusare non potes, quin quæ humana sunt, si Deus sinat, patiare. Concupiscentiam forte liberius exsultantem insanientemque domuisti, sed non oppressisti penitus, neque exstinxisti. Ut serpens quæ appetita lapidibus et corpore in media via contuso exanimis videbatur, quæ deinde vi naturæ motuque excitata petit latebram, inde rursum emergit, vibrat linguam, et venenum spargit : ita voluptas, quam jacentem vi vitaque spoliatam esse putabas, levi tactu exstimulata resurgit et mordet, et virus effundit, ut nulla ætas ab eo periculo et labe immunis esse videatur. Quod cum perspicua et quotidiana exempla declarant, et prisca illa e divinis

Senes etiam libido capit.

litteris senum, qui non plus annis quam sceleribus onerati in Susannæ concupiscentiam exarserunt; tum factum unius viri sanctissimi ad æternam memoriam eximium clare ostendit. Is fuit Ursinus presbyter, qui cum vitam summa in severitate castimoniaque egisset, pene in ipso gremio virtutis atrioque cœli educatus, in morbum incidit, qui lethalis illi fuit : cumque motu et calore omni destitutus jam animam exhalavisse crederetur, accessit illius quondam uxor, cujus

Pulchrum facinus Ursini presbyteri.

tactu atque omni familiaritate quadraginta jam annos abstinuerat : quod omne tempus in sacrosanctis Ecclesiæ ministeriis et divinarum rerum commentatione posuerat : illa dum explorat, an flatus superesset aliquis, et vestigium animæ nondum abeuntis, tetigit, ut fit, ore suo hominis os atque vultum cum ipsa morte luctantis : qui mulieris tactum sentiens, ardore magno collegit vires omnes quæ in corpusculo esse potuerunt ad ea dicenda, quæ pro monito salutari futura essent orbi terrarum : Recede, inquit, mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle. Hanc tuendæ pudicitiæ curam et superioris vitæ merita post paulo benignissimus hominum Parens singulari benevolentia compensavit : nam cœpit æger mirifico gestire gaudio, et oculis lætitiæ magnitudine ridentibus humanissimoque vultu salutare beatos, gratesque iisdem agere, quod ab arcano cœli domicilio ad solandam humilitatem suam reficiendamque venissent. Ii erant apostolorum duces et christiani mundi poli duo, Petrus et Paulus; in quorum plausu et lætissima societate, Deo in æternum fruiturus, corpus reliquit. Historiam hanc narrat D. Gregorius lib. IV *Dial.* cap. XI.

13. SI CONTEMPSI SUBIRE JUDICIUM CUM SERVO MEO Vers. 13.

ET ANCILLA MEA, CUM DISCEPTARENT ADVERSUM ME. —

Job cum servis non pro potestate, sed ex rei æquitate procedit.

Rem hic piisssimo ac mitissimo principe dignam Jobus commemorat, quæ universorum principum animis adhærere deberet, noluisse videlicet se res, quas famuli ancillæve controvertendas censerent, puta operarum mercedem vel rerum aliarum pretia, pro summa potestate decernere, sed aliorum judicum arbitrio ambigua decidi : non enim supercilio potestatis adversarias sibi servorum rationes abigebat aut contemnebat, sed potius sic se servis et subditis accommodabat, ut si ipse in eadem esset servili fortuna constitutus, possit se ab illis defendere, et illos vincere. Quod adstupens D. Gregorius lib. XXI *Moral.* cap. X ait : « Ecce apparet miro modo in potestate principibus potentior, in certamine servis æqualis, in cœtu principum memor regiminis, in certamine famulorum memor conditionis : » sic jus administrat, ut potestatis non meminerit, sed ea faciat, quæ possit sustentare sub habitu servili. Nec otiose vir sanctissimus, dum Jobi juris administrationem commemorat, usus est verbis *in certamine*; sed ut ostendat, quam par debeat esse honor magistratuum honori pugilum, pugil enim in certamen provocatus inexpugnabilem exuit loricam, nudat pectus, fœdissimum sibi reputans, si superiori ferri potestate putetur solum posse

Magistratus non debet facere, nisi quæ deposita potestate possit defendere.

vincere : sic magistratus, sic judex in certamine judicii rem sibi facit turpissimam, si in eo non perficiat, quæ etiam nudus et privatus non timeat. In hoc enim stat tota dignitas et præstantia judicii, quod non timeat a potestatis fine, sed et sine potestate timores fugiat; id quod pulchre monet Cassiodorus lib. VII, dum judicem sic instruit : « Nec quidquam præsumas facere, nisi quod privatus possis legibus vindicare : ipsa est enim recta administratio, quæ et sine potestate defenditur. » Turpis et infamis est administratio, quæ solum habet potestatis patrocinium, adeo ut extra potestatem posita necessum habeat in conculcationem venire : illa administratio et recta, et præclara, et ingenuo homine digna, quæ omnem potestatem exuens in ratione et legibus defensionem invenit, qua vincat.

Job optimus familiæ præses.

Potest quoque *judicium* hoc loco sine forensi strepitu accipi, ut dicatur Jobus non contempsisse subire judicium, hoc est, in rebus agendis non aspernatum fuisse famulos; sed iis ex æquo et bono, non vi et pro summo potestatis jure imperasse; nihil illis præcepisse, nisi quod ratio et eorum officii munus postularet, ita ut si, cur ita juberet, aut fieri vellet, disceptantes interdum, prout servorum usus est, imperiumque renuentes quærerent : non ut alii summa potestate utentes imperiose responderet :

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas;

sed modeste eis officii sui rationem exponeret, et rationibus illorum leniter auditis, ex æquo res incidentes judicio quodam domestico suavitate temperato decideret : huc facit quod Apostolus monet *Coloss.* IV, 1 : « Domini, quod justum est et æquum servis præstate : scientes quod et vos Dominum habetis in cœlo. » Cui certe monito congruit ratio a Jobo subjecta cum ait :

14. QUID ENIM FACIAM CUM SURREXERIT AD JUDICANDUM DEUS? ET CUM QUÆSIERIT, QUID RESPONDEBO ILLI? Vers. 14.

Quia principes a Deo judicandi, judicium ipsi hominum recusare non debent.

— Sciebat Jobus habere se superiorem et judicem Deum, cujus esset censorios oculos et judicium subiturus; a quo ut gratiam iniret, sibique patronum potius pararet quam irritaret, aut inflammaret judicem; nihilo se in causa disceptanda servis suis et ancillis superiorem judicabat, cum didicisset Deum miserorum ac pauperum esse vindicem, qui sæpe ab inimicis judicibus corrupto judicio et vi aut metu a potentioribus dominis opprimuntur. Ne igitur Deus haberet postea quod judicaret et puniret, rem prius voluit esse judicatam ab humano, et quantum ipse conjectare poterat, integro atque incorrupto judice : ita Sanctius noster. Non ignorabat utique Jobus, id quod Sapiens postmodum in suis oraculis expressit *Sap.* VI, 6 : « Quoniam judicium durissimum his

Cur principibus et prælatis judicium durissimum fiat.

qui præsunt fiet; » sed qua ex parte erit durius et horribilius judicium faciendum cum præsulibus, quam judicium faciendum cum popularibus? An quia peccata principum majori examine discutientur, vel majori castigatione mulctabuntur? minime gentium : omnium enim peccata pari discussione proponentur, et debita pœna plectentur, sive sint peccata popularis sive principis. Unde ergo durius erit judicium principum? ex eo quod principes et prælati nullum aliud unquam subierint judicium, sed tunc primo et ultimo aderint judicio. Sic Galfridus apud Titelmannum in *Alleg.* : « Judicant quotidie in Ecclesia Dei prælati subditos : semel veniet Dominus judicare prælatos. Quotidianum monachis suis abbates videntur exhibere judicium; sed numquid melior est abbatum conditio, qui videntur exspectare novissimum? Et quam miseri sunt, qui gloriantur, quod videantur humanum evasisse; quam trepidi venient ad divinum? Quam terribile illud capitulum erit, quod semel et nihil deinceps susceperint corrigendum? » Terribile profecto et

Felix qui ante extremum judicium hic judicatur, et pœnam subit.

plane formidandum, quod homo ad supremum judicium adeo plenum periculi et discriminis cogatur tantum semel venire. Felix qui non semel, nec tunc primum sese judici sistit, sed frequenter tribunal intrat, examen sustinet, et sententiam subit, et pœna afficitur; hic non habet quod timeat in supremo judicio.

Aiebat Dominus *Joan.* XII, 31 : « Nunc judicium est mundi : nunc princeps hujus mundi ejicietur foras; » et cur princeps mundi periit tunc, et ejectus fuit foras? inter alia plurima hæc causa insinuatur etiam ibi his verbis : « Nunc judicium est, » *q. d.* Nunc primum in Dei judicium venit nullum antea passus examen a seipso nec ab alia creatura passus judicium; hinc monebat D.

http://www.obrascatolicas.com

Bernardus milites Templi serm. ad illos habito cap. VIII : « Nunc, inquit, judicium est mundi ; nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Erit judicium cœli, quando ipsum vocabitur cœlum desursum et terra discernere populum suum : in quo sane timendum, ne projiciaris tu cum ipso et angelis ejus ; si tamen inventus fueris injudicatus. » Expende qualem causam apponat timoris, nimirum si ad judicium veneris injudicatus, hoc est, nullum antea expertus judicium. Plena utique timoris res est, si nullum expertus judicium divino te sistas judici, quando mundi princeps nec a se nec ab alio dijudicatus in Dei judicio causa cecidit. Unde S. Petrus exhortans primitivos christianos dum ad tribunalia traherentur ait I *Epist.* IV, 17 : « Tempus est ut incipiat judicium a domo Dei. » Et cur Dei domestici sic anticipata tribunalia et judicia sustinerent, aptam D. Bernardus loco supra citato reddens rationem : « Propter hoc, inquit, judicium incipit a domo Dei, ut suos, quos novit judex, cum venerit inveniat judicatos ; et jam nihil de eis habeat judicare : » qui enim alia novit subire judicia, cum ad divinum venerit, vix invenit quod timeat. Ea causa D. Paulus dum securitati hominum consulit, horrificum tribunal instruit hominum generi formidandum, quod semper in memoria atque mente circumferamus : « Omnes, inquit *Rom.* XIV, 10, stabimus ante tribunal Christi. » Et ne quis forte vitæ impuræ et profani animi reus latere se posse putet, claro præconio sic alio in loco denuntiat II *Corinth.* V, 10 : « Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi. » Quare Magnum Constantinum, cum a tam multis nationibus timeretur, pia in schola eruditum, de divino tribunali loqui solitum, atque illud ut par est timuisse prodit Eusebius in *Vita* ejus lib. IV, cap. II, atque inter alia suis inculcavisse, « cunctos mortales magno Regi aliquando rationem vitæ suæ relaturos : » veniet enim dies *Eccle.* III, 17, cum « justum et impium judicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit. » Si nunc a potentioribus conculcaris, tantisper sustine : « Satis idoneus patientiæ sequester Deus, inquit Tertullianus, si injuriam apud eum deposueris, ultor est ; si damnum, restitutor est ; si dolorem, medicus est ; si mortem, restaurator est. »

Magnam securitatem in judicio divino præstat hic antea fuisse judicatum.

Deus inferiorum judicum sententias dijudicat.

Hujus igitur tribunal ne parvi ducas : veniet dies, cum inferiorum judicum sententias exacte perpendet. Provocarunt aliquando ad hoc tribunal duo Carvajalii fratres a Ferdinando IV Hispaniæ rege oppressi, cum suspecti essent de occulta cæde Benavidii viri primarii ; sed neque testibus convicti, neque crimen fassi, nihilominus a rege, qui præceps ac durus erat in judicando, jussi sunt duci, et ex alta rupe præcipites dari. Cum id fit, clamant innocentes se mori, et quoniam regis aures justissimæ defensioni obstructæ essent, ad summum judicem se provocare, et regi diem dicere ab isto trigesimum. Dicta nihil valuerunt : sententia tenuit, sed et ipsorum vadatio. Ipso die trigesimo rex levi morbo tentatus, eodem paulo post in lecto exanimis repertus est. Rem narrat Lipsius in *Mon. Polit.* cap. XI. Si quid hic intervenit divini, est sane cur timeant iniqui judices. Prudenter sane monet Sapiens *Eccli.* V, 7 : « Si videris calumnias egenorum et violenta judicia, et subverti justitiam in provincia, non mireris super hoc negotio, quia excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii ; et insuper universæ terræ rex imperat servienti. » Est optimus et huic loco valde affinis locus alius apud Isaiam cap. X, 1, qui cum lugeret illorum statum qui causam evertunt miserorum et viduarum, pupillorumque fortunas diripuerunt, subdit : « Quid facietis in die visitationis ? » Gravissime autem sic illis minatur Sapiens *Sap.* VI, 2 : « Audite ergo reges et intelligite : discite judices finium terræ. Horrende et cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his qui præsunt fiet : exiguo enim conceditur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur. » Huc oculos convertant, qui in hac cæca mortalium confusione palpitant : hic gressum figant, qui in hac tam vana tamque ancipiti rerum humanarum vicissitudine fluctuant : « tempus enim omnis rei tunc erit » *Eccle.* III, 17 : tunc neque temporum neque officiorum vicissitudo nos ulla jactabit, sed stabilis nos excipiet æternitas ; et qui naturæ opera intellectu consequi non potuerunt, ex illis tenebris aliquando tandem emergent ; et qui addendo ac detrahendo cogitationes suas exercuerunt, jam in Dei operibus ac judiciis acquiescent, omniaque perfecta ac justa esse cognoscent ; et quibus iniqua judicia mœrori fuerunt, jam divinam providentiam venerabuntur ; et qui iniquis judiciis oppressi sunt, in supremi judicis æquitate respirabunt ; et ipsi iniqui judices digna factis supplicia persolvent : ita Tollenarius noster *in Eccles.* cap. III, sect. 5.

Vers. 15. 15. NUMQUID NON IN UTERO FECIT ME, QUI ET ILLUM OPERATUS EST, ET FORMAVIT ME IN VULVA UNUS ? — Alia ratio cur Jobus servos et ancillas non contempserit, neque a familiari et privato aut a publico legitimoque judicio repulerit, ea est, quia idem omnibus hominibus genus est, eadem natura, idem formator et origo. Formavit in utero, compegitque *unus*, id est Deus, tam reges et dominos, quam pauperes et servos ; neque plus operæ aut studii posuit in formando rege quam humili et inope servo ; neque ex alio luto aut in alia officina finxit vas in honorem, quam quod futurum esset in contumeliam. Qua de re multa tam sacri quam profani scriptores a Sanctio citati, qui pro servis contra dominos acriter neque immerito pugnant, et contendunt deberi servis a domino erectionem, hoc est benevolentiam et humanitatem, qua nimiis laboribus oppressos, inopia dejectos, morbo debilitatos, casu afflictos recreet atque reficiat : qui enim vivit in servitute,

Servus a domino natura et origine non inferior.

Servis domino debetur erectio.

eum necesse est multa et gravia pati mala ; unde illud in legibus, *Regul. Juris* 209 : « Servitutem mortalitati comparamus ; » et ut dixit eleganter Seneca *De Tranq.* cap. X : « Omnis vita servitium est. » Servorum vita quale et quantum servitium erit, quantis miseriis et vexationibus obnoxium ? Pertinet igitur ad domini humanitatem illos sublevare, ne continuo et durissimo labore frangantur. Disputat hac de re divine et egregie Pædagogus apud Clementem Alexandrinum lib. III, cap. XI, negatque utendum famulis καθάπερ ὑποζυγίοις, *tanquam jumentis*. Licet domini sint nobiles et ad magnam dignitatem evecti, honorati, titulis gloriosis illustres ; sic tamen existimare debent, parem omnium esse naturæ conditionem, fortunam dissimilem, neque ullum proprie vilem et despiciendum videri oportere, qui divino beneficio sit Dei filius, et bonorum cœlestium hæres, pro quo mundi liberator sanguinem omnem suum profuderit. Quod cum apud se reputaverint, facile opinor adducentur, ut et labores moderentur suorum, et iisdem salaria honesta constituant, et liberalis animi beneficentia prosequentur : « Summum enim hominum inter se vinculum est humanitas, inquit Lactantius lib. VI, cap. X, quod qui disruperit, nefarius et parricida existimandus est : nam si ab uno homine, quem Deus finxit, omnes orimur, certe consanguinei sumus ; et ideo maximum scelus putandum est, odisse hominem vel nocentem. » Quantum ergo facinus esse arbitrabimur despicere pauperes et innocentes ? Merito igitur Job summam semper eorum curam gessit, ut ipse de se abunde testatur cum subdit :

Non utendum famulis ut jumentis.

Vers. 16, 17, 18, 19, 20, 21 et 22. 16-22. SI NEGAVI, QUOD VOLEBANT, PAUPERIBUS, ET OCULOS VIDUÆ EXSPECTARE FECI. SI COMEDI BUCCELLAM MEAM SOLUS, ET NON COMEDIT PUPILLUS EX EA : (QUIA AB INFANTIA MEA CREVIT MECUM MISERATIO : ET DE UTERO MATRIS MEÆ EGRESSA EST MECUM.) SI DESPEXI PEREUNTEM, EO QUOD NON HABUERIT INDUMENTUM, ET ABSQUE OPERIMENTO PAUPEREM : SI NON BENEDIXERUNT MIHI LATERA EJUS, ET DE VELLERIBUS OVIUM MEARUM CALEFACTUS EST : SI LEVAVI SUPER PUPILLUM MANUM MEAM, ETIAM CUM VIDEREM ME IN PORTA SUPERIOREM : HUMERUS MEUS A JUNCTURA SUA CADAT, ET BRACHIUM MEUM CUM SUIS OSSIBUS CONFRINGATUR. — Septem hos versus, ante quorum ultimum sensus non expletur, connectere ac simul exponere operæ pretium visum est, quibus enumerat Jobus eximios virtutum, præsertim misericordiæ, actus, de quibus ita Petrus Damiani *Opusc.* IX, cap. IV : « Vide, inquit, quam longus sit misericordiarum iste catalogus ; ut nil prorsus omittat, quin omnium necessitatum modis occurrat, cunctis egestatum vulneribus velut medendo subveniat. » *Primus* igitur actus est, indigis non abnegasse quod vellent, hoc est, non eos severe a januis inanes repulisse. *Secundus*, viduas non retardasse ; quod est genus nobilioris eleemosynæ, quando mulieres non sine rubore poscunt, neque sine discrimine exspectant . quibus confestim ac pudice erogare consilium saluberrimum est. *Tertius*, non pransum fuisse solum . quod bifariam exponitur : vel enim e mensa ciborum partes pupillis mittebat, vel etiam invitabat, ut desolatos solaretur et aleret. *Quartus*, qui jugem bonorum operum tenorem prodit, a prima ætatate misericordiam coluisse, quæ ut partus uterinus cum eo simul fusa videretur, quod et ad indolem et ad educationem referendum est : condiscunt quippe, et velut lactis succo concipiunt misericordiam, qui parentes pios ac beneficos sortiti sunt. *Quintus*, non abjecisse cum contemptu inopem pereuntem, quod nudus foret ; imo e vestigio illum convestisse, et ad suas laudes obtectum ac recreatum impulisse. *Sextus*, non levasse manum, hoc est, non terruisse minis aut plagis afflixisse pupillos quibuscum forte litigaret, licet jure ipse potior esset ; at eos leniter accepisse ac perhumaniter fovisse.

Job actus misericordiæ illustres.

Denique nisi hæc ita se habeant, humeri prodigiosam a corpore divisionem totiusque brachii contritionem sibi imprecatur ; ubi nota Jobum ea virtutum encomia complexum fuisse, quæ perpauci christiani promerentur, mirumque videri, hominem in regione Ausitide commorantem anteverso tempore non secus evangelica consilia explesse, quam si e Christi ore illa præsens accepisset. Inspiraverat nimirum mundi opifex istud genus humanitatis et benevolentiæ, atque jam inde ab ipso matris utero in Jobi animum immiserat, ut Christi politiam adumbraret : cum enim esset rex in oriente clarissimus, dives, honoratus, priusquam ad experimentum invictæ patientiæ divino imperio vexaretur, orbum semper aliquem, a bonis et fortuna derelictum ad suam mensam adhibebat, ut Gregorius Magnus, pauperum et ipse curator humanissimus beneficentissimusque pater, ad hunc locum annotavit. Quod cum Platoni suboluisset, ut erat judicio excellenti, nec improvidus rerum æstimator, ait deos coli maxime ab iis quos miseratio caperet τῆς ἐρημίας ὀρφανῶν, *solitudinis et orbitatis pupillorum*, quique adversus illos se benignos humanosque præberent. Sed in Novo Testamento post Filii Dei ad homines adventum illius splendor humanitatis vehementer eluxit : nam principes religionis Apostoli cum ejus curæ meritum amplissimum e sanctissimis Christi monitis et exemplo didicissent, ut qui viduæ luctu et mœrore confectæ inusitato prodigio consolationem attulisset, ad hoc genus charitatis omnium christianorum animos excitaverunt. Itaque S. Jacobus *Epist.* I, 27, inter opera sanctæ religionis, quibus homines viam sibi muniunt ad æternitatem, ponit : « Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum : » Tertullianus ad *Scapul.* cap. IV, communem in eo morem christianorum sic exponit : « Pupillos pie tractamus, indigentibus refrigeramus. » Sed totius Ecclesiæ judicio id solandi genus semper existimatum fuit sacrorum hominum esse proprium : ita Justinus

Job suis misericordiæ operibus Christi politiam adumbravit.

Pupillorum et viduarum curam maxime habenda.

http://www.obrascatolicas.com

martyr *Apolog.* cap. II piorum antistitum, qui singulas ecclesias moderabantur, fuisse munus ait, ἐπιτεκυρεῖν ὀρφανοῖς τε καὶ χήραις, *opitulari pupillis et viduis*; et illo antiquior S. Ignatius, B. Joannis auditor, cum Heronem diaconum instituit, inter alia sic monet, ὀρφανῶν προΐστασο, *pupillis assistito* : Deus enim pupillorum pater est. Porro in pupillis atque viduis intelliguntur etiam alii omnes, qui propter inopiam consilii et fortunarum injuriæ expositi sunt, seque satis tueri nequeunt, cum alieno studio et charitate spolientur : quos patres in Synodo Chalcedonensi vocant ἀπροστάτους, quibus nullus providet, quorum nemo curat negotia : vide quæ cap. VI, 27, et cap. VII et IX de pupillorum, viduarum et egenorum cura et eleemosynis erogandis fusius a nobis dicta sunt.

Jobo non tam acquisita quam agnata erat miseratio.

AB INFANTIA MEA CREVIT MECUM MISERATIO, etc., — quasi ad misericordiam tam propensus esset, ut eam non acquisitam, sed innatam habere videretur : juvat textus hebraicus sic habens, *ab infantia mea crescere me fecit sicut pater*, scilicet ipsa miseratio : nam sicut Jobus omnibus miseris pater erat, uti cap. XXIX, 16 dictum est, ita et miseratio parens erat ipsi Jobo, quæ eum ab infantia nutriebat. Quam naturalis enim est inter filium et patrem cognatio, tam naturalis erat inter Jobum et miserationem conjunctio : porro cum misericors esset, et vivos hausisset a natura ad bene merendum igniculos, minime despiciebat pauperes, licet eos in veste videret despicabili ac sordida, imo omnino nudos : quia non alterius putabat esse naturæ quam divites, neque illos minori esse Domino curæ quam qui opibus abundant, et regio cultu ac majestate fulgent.

Mundus pauperes et squalidos despectui habet.

SI DESPEXI PEREUNTEM, etc. : — solent quippe pauperes, et nobilitatis, opum ac amicorum præsidiis destituti, haberi contemptui, et ab omnibus sperni, irrideri ac conculcari : quia hæc est antiqua mundi consuetudo (ob quam profecto solam esset fugiendus) quod neminem propter seipsum diligit, aut honore afficit; sed propter divitias, quas possidet, propter vestes aut corporis amictum, quo splendet, propter familiaritatem, aut amicitiam principum, in quam seipsum insinuat, vel propter sodales et amicos nobiles, quorum favore et potentia fulcitur. Hinc fuerunt superiori ævo et nostro etiam sæculo quam plurimi, qui pauperes fastidiunt, et a suo congressu procul arcent, et si squalentes videant, neque intueri volunt nisi dolentibus atque infensis oculis, et stomacho interea nauseante : quibus tamen si indumentum dederis paulo nitidius, displicere desinunt, et ad congressum atque convictum non difficile admittuntur; aut quia nihil habent aut horreant molles et elegantes oculi, aut quia cum indigere non putentur, nihil videntur petituri : quod homines immisericordes et avari in amicitiis eligendis maxime expendunt. Contra faciunt misericordes, quos eo inclinat naturæ propensio, ut aliorum investigent necessitates, quas misererendo levent, neque aliquid capiant ex illorum squalore ac nuditate fastidii. Hanc mundanorum consuetudinem ignorantiæ subnixam jure meritissimo reprehendit Jacobus Apostolus cum ait *Epist.* II, 2 : « Si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum qui indutus est veste præclara, et dixeritis ei : Tu sede hic bene; pauperi autem dicatis : Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum : nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis judices cogitationum iniquarum? » Hac oratione eos damnat, qui, quod attinet ad interiorem reverentiam et æstimationem, solius annuli, hoc est fimbriæ aureæ in veste candida, quod erat nobilitatis insigne, rationem habent, et virtutem atque vitæ innocentiam mendici hominis aspernantur. Hoc autem stultum esse et perversum mundi judicium non solum viri sancti divina fide perfusi mente sunt assecuti, sed ethnici quoque in magnam quamdam ignorationem prolapsi cognoverunt. Quare memoriæ proditum est philosophum quemdam contemptibili habitu amictum a domo principis non sine irrisione repulsum, habitum vilem in alium pretiosum ac splendidum commutasse : quo indutus cum statim non sine honore in palatium esset admissus, pallium quod gestabat osculari cœpit dicens : « Honorantem honoro : quod virtus non potuit vestis obtinuit. »

Misericors alienas necessitates investigat et sublevet.

Job pauperum necessitates levans ab iis laudabatur.

Sed aliud Jobi fuit judicium, qui pauperum sordes non exhorruit, imo amanter est consolatus et amplexus, neque a mensæ societate et multo minus a congressu atque colloquio separavit : non despexit enim nudum hominem et rigentem ac pereuntem frigore. Vere dicit *pereuntem*, quia frigus solum necare potest : Ego talem, inquit Job, Dei gratia non sprevi. D. Gregorius legit, *si vidi prætereuntem*, hoc est, si non statim ac vidi cucurri post eum, domi recepi, et operui; nec nudum solummodo terræ meæ, sed peregrinum. Ignoto nimirum proximo misertum se indicat, quem prætereuntem vocat : quia apud piam mentem plus natura valet quam notitia. In Hebræo est, *si videbo prætereuntem*, hoc est, si quem semel nudum vidi, nudum amplius videbo. O eximiam viri charitatem! Non exspectabat hiemis rigorem, nec pauperum clamorem, sed statim ac eos videbat consuit vestes, quibus frigentia ac peritura membra calefaceret. Porro *a lateribus ovium vellere munitis, a frigore benedici* Jobum nihil est aliud, quam propter illud pietatis opus videri laudabilem; aut eo argumento moneri homines ut Jobum a clementia et humanitate commendent. Neque est in Scriptura novum, ut opera illa dicantur commendare aut accusare aliquem, quæ sunt virtutum aut vitiorum monumenta, quæ alios ad commendationem aut reprehensionem invitant : sic *laudare aliquem* dicuntur opera ejus, juxta illud *Prov.* XXXI, 31 : « Laudent eam in portis opera ejus. » Quod

si *benedico* idem est quod *bene alicui precari*, aut *deprecari malum ab aliquo*, eadem videtur hujus loci sententia quæ illa *Eccli.* XXIX, 15 : « Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo : » nam pia erogatio propitiatorii sacrificii vim et rationem habet, ut hostia averruncа, ut victima sospitatrix et apotropæa, conciliatrix gratiarum. Quam ob causam D. Augustinus in lib. L *Hom.* hom. 29; eleemosynam vocat *sacrificium christianorum*; quod idem alii Patres magna consensione animorum faciunt. Eleganter sane D. Chrysostomus hom. 20 *in* II *Corinth.* : « Cum, inquit, vides pauperem, corpus Christi, aram Christi te videre puta, et reverere, ac eleemosynæ sacrificium offer; unde gloria et gratiarum actio quasi fumus ascendat ad Deum. » Sumunt Patres a D. Paulo, qui II *Corinth.* IX, 12, beneficentiam et communicationem bonorum ad sublevandam pauperum inopiam, appellat λειτουργίαν, *sacrum* et augustum *ministerium*, divinam prope sacerdotis operationem. Sed disertius *Hebr.* XIII, 16 nominat *hostias*, quibus Deus promeretur, id est, quibus conciliatur Deus; est scilicet potentissimum illud sacrificii genus ad Deum conciliandum, quod in odorem suavitatis cum penetraverit in cœlum, quod vult obtinet, et in primis remissionem peccatorum. Itaque opes Dei causa et religionis impensas D. Hilarius oraculorum cœli conscius *in Psalm.* LI, vocat « ambitiosas apud Deum legationes; » item, « potentia deprecandorum criminum et vera suffragia. »

Eleemosyna e sinu pauperis pro nobis orat, estque sacrificii genus.

Levare manum super aliquem quid significet.

SI LEVAVI SUPER PUPILLUM MANUM MEAM, etc. — Idem est, *q. d.* Si gravis exactor fui, aut pupillum fortunis exui, etiam mihi per sententiam judicis addictis : significat scilicet se nulla unquam asperitate, rigore aut inclementia usum fuisse, sed omni mansuetudine, lenitate et humanitate. Obtinuit autem ut contra aliquem, *super aliquem* vel in aliquem *manum levare* vel *extendere* ponatur pro *ulcisci*, ferire, opprimere graviter, juxta illud Davidis *Psalm.* LXXIII, 3 : « Leva manus tuas in superbias eorum in finem, » id est, tandem ulciscere, et prorsus preme. Plura de hac loquendi forma vide apud Pererium nostrum *in Gen.* cap. XIV. Ut igitur se ab omni violenta aliorum oppressione prorsus alienum fuisse comprobet, dignum sibi barbaræ crudelitatis supplicium imprecatur, ut nimirum manus sua obrigescat et torpeat, imo ut brachium confringatur, et humerus a sua sede atque colligatione divellatur et excidat, si ulli unquam vim intulerit aut molestiam.

Vers. 23.

23. SEMPER ENIM QUASI TUMENTES SUPER ME FLUCTUS TIMUI DEUM, ET PONDUS EJUS FERRE NON POTUI. — Hunc locum Græci ita transtulerunt, φόβος γὰρ Κυρίου συνίσχε με, καὶ ἀπὸ τοῦ κάμματος αὐτοῦ οὐκ ὑπέσω, id est, *timor enim Domini continuit me, et captionem ejus non feram*; cujus loci litteralis sensus is est, *q. d.* Præterquam quod turpe sit pupillos et pauperes opprimere, alia tamen me quoque causa deterruit, nimirum Dei timor, qui solet in eorum oppressores graviter animadvertere; quare « timui captionem ejus, » id est, ne ab illo caperer et acerrime flagellarer : et secundum nostram editionem, timui ne ab eo tanquam a gravissimo pondere opprimerer. Id quod dixit etiam Salomon *Prov.* XXIII, 10 : « Ne attingas parvulorum terminos, et agrum pupillorum ne introeas : propinquus enim illorum fortis est, et ipse judicabit contra te causam illorum, » ubi per *propinquum* Deus ipse intelligitur; pro quo græce est, ὁ γὰρ λυτρούμενος αὐτοὺς Κύριος κραταιός ἐστι, hoc est, *redimens illos Dominus fortis est* : cui concinit quod sequitur, καὶ κρινεῖ τὴν κρίσιν αὐτῶν μετὰ σοῦ, *et judicabit judicium illorum tecum*, hoc est, causam illorum defendendam suscipiet, juxta illud *Psalm.* IX, 14 : « Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor : » afflictus et desertus ab omnibus pro beatissimo perfugio habet Deum, illi relictus est, illius curæ tum maxime committitur, cum neminem habet alium qui curet. Quemadmodum Deus peculiarem providentiæ suæ partem dicitur tribuere viduæ, præsertim, ut loquitur S. Paulus, μεμονωμένῃ, *desolatæ*, destitutæ ab omnibus, calamitati et injuriis objectæ : nam ea est in destitutos et calamitatibus obnoxios illius benignitas et singularis benevolentia, ut velut glorioso et honorifico titulo excellentis gloriæ in divinis litteris *Psalm.* LXVII, 6, appelletur *Pater orphanorum* et *Judex viduarum*.

Dens parvulorum et afflictorum patronus.

Cur timor divinus tempestati comparetur.

Sed cur, obsecro, timorem ex divina justitia ortum cum timore orto ex procella comparavit? credo duplicem ob causam : *unam* tradit D. Gregorius lib. XXI *Moral.* cap. XVII : « Quia sicut tempestas cogit ad merces in mare projiciendas, ut vita servetur, ita divinus timor impellit ad bona temporalia abjicienda, ne spiritualia amittantur. » *Alteram* vero non alienam puto, nam sicut coorta tempestate omnes in preces et vota et lacrymas solvuntur, omnes præterita crimina abjurant, nova vivendi exordia promittunt, divinam gratiam humiles deprecantur : ita plane timore divino intra præcordia æstuante etiam sanctissimi viri hæc omnia exsequuntur. Significantissime igitur et incredibili artificio Jobus hic expressit suum quem gereret judicii metum : « Quasi tumentes, inquit, super me fluctus timui Deum. » Cum rapax flumen insolenter auctum jam ruptis aggeribus aut in vicinam planitiem excurrit, aut præceps per saxa ruit, aut aquarum montem in domum invehit, viator qui obvius tendit ineluctabilem moriendi necessitatem in oculis habet : viam relegat? cursu superabitur a flumine, et dum fugiet comprehendetur. Hac illac declinet? ubique et undique aquæ : contra flumen eat? præsentissima mors : locus effugii nullus : sic angoribus pene ante mortem exanimatur. Eadem est ratio, cum aut subitus imber et procellosa tempestas aut cataracta viatorem mediis campis deprehendunt, aut cum in mari decumani fluctus in navim se infundunt : nusquam hic effugium; mors proxima est. Ita Jobus : Divini tribunalis horror, inquit,

http://www.obrascatolicas.com

velut ingens aquarum mons contra me in caput meum devolvitur, quacumque fugero non effugiam : quidquid adversus aquæ impetum obmolitus fuero, heu non effugiam judicium, Dei tribunal ineluctabile : scio me Deo judici sistendum : censorios Dei oculos et judicium subiturus sum, scio. Quid igitur consilii? quid opus est facto? qui fluctus tumentes timet, mutata navigatione in tutum se recipit locum : sic qui Deum timet, mutata velificatione in meliorem se recipit frugem, ut ejus iram evadat. Qui fluctus timet, navis abjicit onera, sentinamque exhaurit : qui Deum timet, pondera abjicit peccatorum, fœdissimamque scelerum sentinam ejicit. Nisi venti spirent, maris fluctus non tumescunt; nisi peccata perpetrentur, ira Dei non commovetur. Ventis fluctus inflantur; peccatis ira Dei concitatur, cujus pondus merito ait Job ferre se non potuisse : si enim navis fluctuum pondus ferre non potest, absorptaque mergitur, multo minus homo divini furoris pondus ferre poterit. Vide plura *supr.* cap. I, 13, de furoris et iræ Dei gravitate notata; quæ huic quoque loco quadrant.

Nemo pondus iræ Dei valet sustinere.

Vers. 24 et 25.

24 et 25. SI PUTAVI AURUM ROBUR MEUM, ET OBRIZO DIXI : FIDUCIA MEA. SI LÆTATUS SUM SUPER MULTIS DIVITIIS MEIS, ET QUIA PLURIMA REPERIT MANUS MEA. — Significat vir piissimus se, cum divitias amplissimas possideret, non solitum iis animum defigere, vel voluptatem inde ullam capere, sed aspernari; quod ex communi sapientum opinione Sozomenus lib. VI, cap. IX, non dubitat dicere τὸ πρεῦχον ἐν τῇ φιλοσοφίᾳ, *in pia vitæ ratione ac disciplina rem unam omnium præstantissimam*, quæque facile primas obtineat. Cujus dicti veritas ex eo constare potest, quod sit necessaria præstans quædam animi celsi et elati fortitudo, ut in mediis commodis et copia fortunarum insignium atque lautarum modestia retineatur, et se quisque ab insidiante voluptate tutum et erectum conservet : est enim vis pecuniæ mirabilis ad sui amorem excitandum et incendendam hominum voluntatem; unde sancta lingua argentum vocat כסף *cheseph*, cujus etymon Hebræorum sapientes, et cum illis viri doctissimi, petunt a כסף *chasaph*, hoc est *amare*, concupiscere, desiderare. Vidisti argentum, concupisti, captus es, per oculos lubrica veneni vis introiit : si ad aurum luminum aciem converteris, non metallum, sed amatorium philtrum experieris, quod tibi cor eripiat, subito insanit et furit cupiditas. Cum formosissimus sol omnium sit quæ in aspectum cadunt, cum auro tamen compositus multis vilescit, qui, ut ait S. Basilius *Hom.* in ditescentes, «libentius vident aurum quam solem, » illud honorant, in pretio habent, suaviantur, ab illo felicissimam in hoc mundo vitam et jucunditate plenissimam exspectant, spem et animi consolationem prope omnem et fiduciam in eodem reponunt; a qua vecordi impietate S. Jobus tam se alienum fuisse profitetur, ut non renuat tristissimis hujus vitæ ærumnis et suppliciorum omnium acerbitati se objicere : « Si, inquit, putavi aurum robur meum, » etc.

S. Job nullam habuit in auro divitiisque fiduciam.

Pecuniæ mirabiliter proritant cupiditatem.

Avaris aurum sole gratius accidit.

Merito igitur illos sæpe flagitiorum ultor Deus, et improbæ cupiditatis, jactura luctuosa et spoliatione fortunarum punire solet, atque monere, nihil esse communibus illis fortunæ bonis incertius nihil mutabilius. Quam veritatem in divinis oraculis expressam videmus, nam Ezechias Hebræorum dominus, cum misisset ad illum Babyloniæ rex legatum cum muneribus et amica salutatione, ex ea re inusitatam animi lætitiam percepit, et elatus animo atque gestiens, quasi magnus quidam esset atque potentia insuperabilis, in cujus sinum bona fortuna copiæ cornu immisisset, quique fontes haberet aureos uberrimæ felicitatis; ostendit illi barbaro domum aromatum, aurum, argentum, pigmenta varia, supellectilem pretiosam, armamentarium suum, quidquid denique in thesauris suis reconditum cimeliisque habebat. Irrisit fatui hominis levitatem Deus, et prophetam misit ad illum grandi voce tonantem Isaiam, qui denuntiaret futurum aliquando tempus, cum illa omnia, quæ vanissime ac magnifice ostentaverat, in Babylonem asportarentur. Quia, inquit Procopius *in* IV *Reg.*, cum Dei potentiam et imperii curam providentiamque docere oportuisset, ipse parens universitatis ostendit, illius opes omnes, in quibus mirificum in modum confidebat, nihil habere firmum et stabile : et sane cum perdi eripique possint, in iis spei suæ fundamenta collocare improvidæ mentis fuerit animique rerum inscientis. Quare Petrus Blesensis *Epist.* 60, eleganter opes nominat *sophisticas*, hoc est, opinor, deceptrices, inanem pompam habentes, usuramque fugitivam; sed divitum illa fiducia, quod merito videri debet gravissimum, in communi orbis theatro illudenda proponetur : avarum enim Dei oblitum atque opibus nimium præfidentem « justi, inquit David *Psalm.* LI, 1, ridebunt, et dicent : Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum. » Est pius sarcasmus, opportunus ad notandam cupidorum insaniam, qui in hujus vitæ navigatione aurum et argentum pro Helice et Cynosura sequuntur; opes, supellectilem pro velis et anchoris habent; qui denique obrizo dicunt : « Fiducia mea. » Davidis verba notanda sunt : *Ecce homo* : in Hebræo est גבר *geber*, hoc est proprie *fortis*, strenuus, *q. d.* Ecce ille Thraso gloriosus, qui ob copiam se divitiarum magnifice et superbe circumspiciebat, qui nummis aureis atque argenteis ut rotundis clypeis prope innumeris se tutum satis et munitum opinabatur adversus omne fortunæ genus et futuros casus; ecce homo, qui Dei præsidio pro nihilo habito, nec optato, spem omnem suam in fluxis et vanissimis rebus posuit.

Deus in pecuniis fidentes iisdem merito spoliat.

Ezechias in opibus gloriatus iisdem spoliatus est.

Opes sunt fragile fiduciæ fundamentum.

Terrenæ opes sunt sophisticæ.

In judicio ridebuntur qui opibus confisi sunt.

Miseris quoque et spe sua delusis Baruch insultat cap. III, 18 : « Ubi sunt qui argentum thesaurizant et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum? » ingratæ item

Stulti, qui Deo relicto in opibus confidunt

animæ nec divinum beneficium agnoscenti exprobrat Isaias cap. XVII, 10 : « Fortis adjutoris tui non es recordata : » duo in Deo notat, singularem in juvando benevolentiam, et insuperabilem potentiam, quæ efficacissima sunt ad gignendam hominum in eo fiduciam, nisi bonorum vilium cupiditas animi lumen exstingueret. Plus enim tam fortis et beneficus adjutor prodesse potest quam acervi pecuniarum, quam montes aurei, quam agrorum ingentium proventus, quam siculæ et africanæ messes, quam imperium orbis terræ; siquidem hæc omnia relinquunt sæpe invitos, nullo fructu atque operæ pretio inanesque deserunt : plura de fallacia divitiarum vide superius ad cap. XV, vers. 29.

Justi nec ingenio neque scientiæ suæ confidunt.

Allegorice S. Gregorius lib. XXII *Moral.* cap. II, *aurum* ad subtilitatem ingenii et *obrizum* ad humanæ mentis dona refert; unde est, ac si S. Job dixisset : « Nec quæ veraciter intellexi meo ingenio tribui; nec menti propriæ, si qua egisse me bona contigit, hæc principaliter deputavi. » Nequaquam igitur in auro fulgentissimæ scientiæ sitam esse suam fortitudinem putat, qui omnem scientiam humanam experientia docente infirmam et errori subjectam existimat; nec in obrizo ejus veritatis, quam minus indagavit, confidit, quia ex consortio Domini non solam lucem, sed et mansuetudinem, qua non resistit contraria cum validiore ratione docentibus, ac docilitatem mutuavit. Id autem proprium esse justorum S. Gregorius *ibid.* in hunc modum explanat : « Sancti viri, inquit, robur suum aurum non deputant, quia quantolibet ingenio fulgeant, nihil se esse ex suis viribus pensant; et cum sentire omnia valenter possunt, prius intelligere semetipsos cupiunt; quatenus lumen ingenii more solis prius illustret locum in quo oritur, et postmodum cætera, ad quæ procedendo dilatatur, ne si intendendo cognoscendis aliis semetipsos nesciant, ibi solis radius ubi oritur obtenebrescat. Ingenii itaque virtutem ad cognoscendam propriam infirmitatem dirigunt, atque ex infirmitatis suæ melius cognitione convalescunt. Aurum ergo robur non creditur, si in accepto ingenio fiducia non habetur. Quod bene Salomon admonens ait *Prov.* III, 5 : *Habe fiduciam in Domino in toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ* »

Sapientia et doctrina a Deo accipienda.

Quæ probe cognita cum haberet D. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 9 gravissimum illud Sapientis non absimile monitum adhibuit : « Qui litteris operam datis, ne doctrinæ atque eloquentiæ vestræ magnopere confidatis, nec immodice et plus quam ratio postulet sapientes sitis : » sciebat enim pontifex ille sanctissimus, qui perfectam eloquentiam erat consecutus, perexiguum esse humani ingenii lumen, nisi a divino sole illuminetur, nec ab eo quidpiam magni exspectari aut confici posse. Dictum est antiquum et venustum : « Lunæ radiis non maturescit botrus : » sic a maligna ea luce cognitionis atque doctrinæ non est sperandum, ut feliciter res maturari et confici possint et deduci ad suam quamdam perfectionem, nisi princeps luminum Deus vim et opem suam communicet; quam proinde quotidiana precatione et devoti animi sensu petere oportet. Calendulas sapientes esse putem aliosque flores, quos solares dicunt, qui de nocte se constringunt, et penitus claudunt et continent; deinde cum aurora tenuē suum lumen cœperit ostendere, quamvis nonnihil commoveri videantur, non tamen plane et perfecte aperiunt se atque explicant, nisi cum sol benefico suo lumine irradiaverit : ita prudentes modestique viri tametsi nonnullum splendorem habeant eruditionis variæque doctrinæ ut lunæ vel auroræ debilius adlucentis; non tamen se penitus effundunt et explicant ad agendum, nisi prius vim, lumen, gratiam, ab intelligentiæ sole mutuentur per orationem et rerum divinarum meditationem. Est enim illud D. Pauli verissimum et generatim pronuntiatum I *Corinth.* VIII, 1 : « Scientia inflat, » magnos animos spiritusque gignit, tumidos facit, et inani sui opinione atque superbia inflatos; ubi autem tumor est, sanitatem ibi non esse aiunt Patres. « Inflatio, inquit D. Augustinus *in Psalm.* XXXVIII, et tumor imitantur magnitudinem, sed non habent sanitatem; » et eadem mente S. Chrysostomus hom. 17 *in* I *Timoth.* : Τὸ φλεγμαίνον οὐ φαμεν ὑγιαίνειν, *quod turgidum est non sanum dicimus.* Inflantem ergo scientiam describit Apostolus, quæ morbum animi insaniamque significet eorum hominum qui propter eximia talenta et multiplicem rerum scientiam non putant opem sibi a Deo petendam, cum alioquin admiranda se facturos opinentur.

Doctrina non temere ostentanda vel effundenda.

Scientia quæ inflat noxia est.

Inconsideratam illam temeritatem vidit Anna prophetica illa heroina, de qua multa in sacris annalibus; quæ cum Numen in suo cantico celebraret, inter alia sic infit I *Reg.* II, 3 : « Deus scientiarum Dominus est, » ubi Procopius sapienter : « Commode, inquit, illorum qui efferuntur atque superbiunt spiritus compescuit, omnem notitiam omnequè discendi studium a Deo hominibus inesse prædicens. » Quam igitur excusationem habere possunt apud Deum tumidi illi arrogantes, qui nimium in abundantia ingenii sui doctrinisque confidunt, nec auctorem omnium Deum humilitatis suæ professione venerantur? Doctus præsul Nyssæ Gregorius *Orat.* 1, cum disputat de oratione, indignatur a plerisque negligi in vita, et omitti « sacrum hoc et divinum opus, » ut ipse loquitur, et paulo post ait, prope omne hominum genus summo mane alia omnia tractare : mercatores, sellularios opifices, judices, illos etiam qui studiis et humanitati operam navant, spem suam præsidiumque ponere in manibus, arte, ingenio continuique laboris industria; divini autem numinis adjumentum, quod oratione quæritur, existimare ἄργον τι χρῆμα, *iners quidpiam* atque inutile sibi esse ad propositum finem consequendum : Ideo, inquit, abundat in vita peccatum omnibus

Scientia a Deo per orationem impetranda.

http://www.obrascatolicas.com

humanis implicatum studiis, quoniam oblivio Dei tenet omnes. Sane oratio est quæ vanam in propria industria et in donis datis nobis fiduciam depellit, et cum viris sanctis divino lumine collustratos has et similes proferre voces facit II *Reg.* XXII, 2 : « Non aurum robur meum, sed tu Dominus petra mea, et robur meum et salvator meus; » et *Psalm.* XXI, 11 : « Non obrizum fiducia mea : sed tu spes mea ab uberibus matris meæ, in te projectus sum ex utero. » Ita ergo theologicis lucubrationibus et sacrarum litterarum studiis intendamus, ut bonam vitæ partem in consideratione divinorum et in ferventi oratione collocemus : hæc enim est, quæ studia nostra complet, labores perficit, et voci nostræ vocem virtutis impertit; hæc ut aqua purissima vinum scientiæ temperet, quod temperatum recreat atque sustentat, purum vero solet officere.

Oratio vanam fiduciam depellit.

Oratio studiis adjuncta illa perficit.

Cæterum vir justus donis Dei cumulatus semper se illis indignum aspiciat, dicatque cum S. Jobo : « Si lætatus sum super multis divitiis meis, et quia plurima reperit manus mea, hæc faciat mihi Deus, et hæc addat. » Non læletur inaniter de divitiis scientiarum, quas ad negotiandum accepit, sed potius cura eum aliquid lucrandi sollicitet : non efferatur de his quæ reperit, licet multa sint et pretiosa; sed tempus jamjam instare, quo ea sint restituenda, animadvertat : « Stultus namque est debitor, inquit S. Gregorius lib. XXII *Moral.* cap. III, qui gaudens pecunias mutuas accepit, et tempus quo reddere debeat non attendit : moderatur autem lætitiam accipiendi, quando solerti providentia etiam constitutum tempus reddendi cogitatur. » Vinum ergo donorum Dei non bibamus purum, sed aqua dilutum, ne sua fortitudine nostram mentem inebriet : purum bibimus, si quid nobis datum sit, quamque divites illo thesauro efficiamur, solum attendimus : mixtum vero bibimus, cum donum illud alienum esse, nempe Dei, et cum usuris reddendum meditamur. Potus hic non dementat oculos mentis nostræ, sed potius roborat, ut se donis indignam et alienis bonis oneratam videat, et non se ex alieno magni pendat.

Non inaniter de Dei donis lætandum, sed cogitandum de reddendis eorum rationibus.

Vers. 26, 27 et 28. 26-28. SI VIDI SOLEM CUM FULGERET, ET LUNAM INCEDENTEM CLARE : ET LÆTATUM EST IN ABSCONDITO COR MEUM, ET OSCULATUS SUM MANUM MEAM ORE MEO. QUÆ EST INIQUITAS MAXIMA, ET NEGATIO CONTRA DEUM ALTISSIMUM. — Quidam hic censent B. Jobum voluisse asserere, se nunquam idololatriæ vitio fuisse coinquinatum, et idcirco antiquiorem communioremque idololatriam expressisse, qua homines solem, quem Apollinem, et lunam, quam Dianam vocabant, adorare soliti fuerant; quemadmodum in *Sap.* XIII, 2 Salomon testatur. Beatus tamen Gregorius lib. XXII *Moral.* cap. IV, hunc locum expendens hujusmodi sensum indignum judicat, quem S. Job intenderet; quod similiter S. Chrysostomus in *Caten. Græc.* judicavit : beatus enim ille vir propter enormes amicorum suorum detractiones, quibus urgebatur, compulsus fuit suarum virtutum catalogum recensere, sicuti postea II *Corinth.* XI, 12 Paulus id ipsum coactus præstitit : in ejus autem exordio excellentissima sanctitatis opera exposuit, et egregios virtutum actus enarrare nitebatur. Quomodo ergo credendum est, voluisse tanquam rem magnam et grandem proponere, quod commune omnibus fidelibus erat, non adorare tanquam deos solem et lunam? Aliquid ergo altius voluit de seipso exponere; illud autem fuit, se nunquam sibi arrogasse gloriam et honorem ex bonis suis operibus, quod majus esse ipsismet bonis operibus S. Augustinus *in Psalm.* VII, et S. Bernardus serm. 13 *in Cant.* demonstrant.

S. Job non quæsivit gloriam suam.

Fulgentis igitur solis et lunæ clare incedentis typo divitiarum suarum fulgorem et bonorum operum splendorem voluit indicare; hæc nequaquam vidit, non quod cæcus esset, aut quia non videret quæ agebat; sed quia non vidit concupiscendo ex eis gloriam : in Hebræo habetur verbum רָאָה *raah,* quod non significat *videre quomodocumque,* sed *cum concupiscentia* et desiderio. Ita Deus cap. XLI, 25 de superbo dæmone ad eumdem Jobum dixit, ut idem S. Gregorius lib. XXXIV *Moral.* cap. XIII et XIV annotavit : « Omne sublime videt : » creatus enim a Deo excellentissimis donis fulgens ita suæ mentis oculos ad ea convertit, ut sibi ex illis gloriam vellet aucupari. Non humile quid sensit, inquit Nicetas, Deo dans gloriam et honorem; sed illum rapere voluit. Sanctus ergo Job excellentissimis donis ac dotibus naturæ ac fortunæ fulgens, et operibus egregiis splendens, hæc non ita vidit, ut inde gloriosus ipse vellet apparere. « Quæ est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum, » id est, quoddam idololatriæ exsecrandum facinus, quo homo Deum de sua quodammodo divina sede deturbare velle videtur, et seipsum in illa collocare; et dum Deo denegat quod illius est proprium, sibique illud tribuit, Deum negare, et seipsum velle statuere Deum apparet. Atque hic videtur mihi geminus hujus loci sensus S. Gregorii et aliorum Patrum explicationibus quam maxime conformis, qui et Sanctio nostro magis placet.

Job rerum splendidarum, utpote vanarum et mutabilium, contemptor.

Septuaginta vero interpretes existimasse videntur proponi hic a Jobo peculiarem quamdam rationem, qua ipse utebatur ad contemnendam regiam majestatem et celsitudinis dulcedinem : nam ipsi legunt, ἢ οὐκ ὁρῶμεν ἥλιον τὸν ἐπιφαύσκοντα ἐκλείποντα, σελήνην δὲ φθίνουσαν; Οὐ γὰρ ἐπ' αὐτοῖς ἐστί, *an non videmus solem qui lucebat deficientem, lunam autem decrescentem? Non enim in eis est;* ubi videtur Job testari se nullatenus adorasse ea quæ nullam prorsus habent permanentiam. « Non enim in eis est, » *q. d.* Non habent esse, neque de eis potest dici, quod est. Ad quod apposite Olympiodorus in *Caten.* : « Non enim in eis est, sed in eo qui ordinavit et constituit; » ut dictum sit hoc a Jobo per allusionem ad illud, quod Deus de seipso dixit *Exod.* III, 14 : « Ego sum qui sum; » at cæ-

terræ dominationes et potestates magis non sunt, cum nullibi sint stabiles aut permanentes. Ubi etiam Chrysostomus relatus a Pineda nostro ait : « Si ea quæ in cœlo sunt astra usque lucentia, vicissitudini tamen sunt obnoxia (sol enim deficit, et luna minuitur) an non extremæ hoc fuerit dementiæ, quæ terrena sunt ea stabilia ac firma putare? Hæc nimirum causa erat, cur illum humana hæc bona neque oblectarent præsentia, neque absentia angerent. » Et subjungit statim : « Si id quod usque adeo utile ac necessarium est, quo sublato vita est erepta mortalibus, commutationem tamen admittit; multo magis ea admittent quæ tum supervacanea sunt, tum nullam nobis necessitatem adferentia, » etc. Eodem modo exponit Olympiodorus in *Caten.* dicens : « Ut sol deficit, ac luna divino jussu consenescit, sic ego quoque de divitiis, tanquam de re quæ nusquam consistit, cogitabam; illudque didici, nequaquam esse mentis aciem in incertas opes intendendam, » etc.

Job non erat servus divitiarum, sed dominus.

Elatio et lætitia de dignitatibus et rebus prosperis mera deceptio est.

ET LÆTATUM EST IN ABSCONDITO COR MEUM. — Septuaginta reddunt, καὶ εἰ ἠπατήθη λάθρᾳ ἡ καρδία μου, *et si deceptum est clam cor meum;* Symmachus legit ἐμπλατύνθη, *dilatatum est,* quasi tumens præ opum magnitudine. Ubi vides hujusmodi tumorem, elationem et lætitiam in dignitatibus et prosperis successibus esse potius deceptionem; quorum perpetuam vagationem et circumlationem tanquam corporum cœlestium pulchre depingit græcus orator Isocrates in *Areop.* sua dicens : « Quam plurima sunt exempla, quæ docent, nedum privatas res, sed etiam publicas frequentissimis mutationibus esse expositas : nam et nos vastata a barbaris urbe (scilicet Atheniensi) ob causam et diligentem rerum administrationem principes Græcorum evasimus : cum autem nos potentia esse præditos insuperabili putaremus, urbis excidium vix evitavimus. Et Lacedæmonii ex obscuris olim et parvis oppidulis progressi vitæ modestia et disciplina militari Peloponnesum subegerunt; post autem fastu et superbia elati, cum terræ marisque imperium adepti essent, eadem quæ nos discrimina subierunt. Quisquis igitur hujusmodi mutationes non ignorat, et cum tantas opes tam subito eversas videat, præsenti statui confidit, amens est, » etc. Hanc igitur insaniam et deceptionem a se prorsus abjecisse testatur Jobus. Unde S. Chrysostomus hom. 22 *in Matth.* ante medium ait : « Job erat quidem dives, non tamen pecuniæ serviebat; sed habebat divitias, eisque ut congruit imperabat : nec erat famulus earum profecto, sed dominus : sicut enim alieni patrimonii dispensator, ita illa omnia possidebat, non modo aliena non rapiens, sed propria quoque indigentibus largiens; quodque his majus est, nec habere se illa gaudebat, quod hinc intelligitur : *Si lætatus sum,* inquit, *quia mihi essent multæ divitiæ.* Unde etiam convenienter, quia gaudium de possessione non habuit, dolorem de amissione non pertulit. An non tales nostra ætate sunt locupletes, sed captivis omnibus deterius affecti, et sicut cuidam tyranno tributa pendentes, non quiescunt a miseria servitutis? quasi enim arcem quamdam, ita eorum mentem amor auri insedit. Unde per dies singulos præcepta eis plena iniquitatis imponit; nec est omnino aliquis, qui non obediat imperanti. » Sic ille ostendit Jobum neque lætatum fuisse in divitiis, neque eis subditum : quod maximum malum est divitum, principum ac regum, de quo præclare S. Paulus in epist. *ad Rom.* ait : « Blandum nomen honos, mala servitus. »

Res prosperæ sunt quidem lucidæ, sed instabiles.

Res fortunæ continuo variantur.

Jobum igitur nullatenus deceptum prosperis minime fregerunt adversa, nam sicut dixit S. Augustinus *in Psalm.* LXXXIII : « Nulla infelicitas frangit, quem felicitas nulla corrumpit : » sunt nempe prospera omnia et præclara mundi bona aspectu quidem lucida sicut corpora cœlestia, instar tamen eorumdem instabilia et convertibilia; unde splendentis fortunæ felicitas ostensa est Josepho, cum *Gen.* XXXVII, 9, vidit solem et lunam et stellas ipsum adorantes, quo iidem admoneretur, nullatenus fidendum felicitati volubili, quæ perpetua varietate rotatur. Hinc Amasenus præsul Asterius in hom. *De Villic.* irridet eos, in quorum sæpe ore est : « Prædium meum, domus mea, » etc., mirari enim se, quonam modo quæ ipsorum non sunt inani syllaba μοῦ sibi vendicent, tribusque fallacibus litteris *mea* aliena capiant : in communibus enim terræ bonis id evenire quod in histrionibus, quorum proprie et singulariter possidet nemo, verum ad usum quisque sumit quod personæ convenit : sic terram, et quæ in ea circumferuntur : quasi vestes ex aliis alios sumere, quibus deinde alii utentur. S. Basilius hom. cui titulus : *Non adhærendum rebus sæcularibus,* alia similitudine rem declarat, monetque bona in continuo esse fluxu, et commeare ab uno in alium ὥσπερ ἐν κύκλου περιτροπαῖς, *ut in talorum circumvolutionibus* fieri solet rebus continuo mutatis; nec esse magis possidentium quam quorumlibet aliorum. Eam ob rem vetusti sapientes fortunam super cylindro pingebant, quæ, inquit Artemidorus lib. II, cap. XLII, in somnis visa mala omnibus significat διὰ βάσιν ἐπικίνδυνον, *propter basis ipsius periculosam volubilitatem :* cylindrus enim continuo volvitur, fortunamque volvit vertitque, et, ut verbo homerico dicam, facit ἀλλοπρόσαλλον, summa instabilitate modo *ad hunc* modo *ad alium divertentem :* « præterit enim figura hujus mundi, » ait Apostolus I *Corinth.* VII, 31. Ut enim comœdia res aguntur nostræ, continuo scena commutatur, alia atque alia rerum facies objicitur : quæ fortunæ dicuntur bona summa instabilitate prætereunt, et hiantes avidosque deludunt; quod cum perspectum haberet vir sanctus, cæci putavit fatuique animi proprium, affectionem ad opes adjungere tam fluxas, et tam brevi dominum relicturas.

Osculum manus propriæ

ET OSCULATUS SUM MANUM MEAM ORE MEO. — Hoc nonnulli quoque ad idololatricum solis ac lunæ cultum referunt; sed, ut paulo ante dixi, verius

http://www.obrascatolicas.com

quid hic significet

videtur nullum hic esse sermonem de adoratione solis, tum quia cum suas narraret Jobus virtutes eximias, non videbatur idololatriæ odium positurus : quid enim tantum est impietatem illam exhorruisse, quam etiam illi, qui profligatissimis essent moribus et omnium vitiorum turpitudine contaminati, aversarentur; neque præterea erat cur Jobus hoc a se idololatriæ crimen aut suspicionem depelleret, cum illud non foret ab amicis objectum : nam reliqua, quæ de se tam hoc quam vigesimo nono cap. prædicavit, aperte confutant, quæ ab insultantibus amicis in maledictis audierat : ita Sanctius noster. Quare placet quod ex græcis Patribus visum est Nilo et Olympiodoro, et ex latinis Augustino et Gregorio, nempe non cogitasse Jobum quidquid haberet divitiarum a sua habuisse solertia et manu; atque ideo quod divites esset et potens non esse tribuendum Dei benignitati, sed dexteræ, quæ res magnas esset constanter aggressa, et easdem obtinuisset feliciter; quæ illi esset pro Deo, atque ideo illam religioso veneraretur cultu, et tanquam divinum aliquid oscularetur. « Quæ est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum. » Hanc autem esse Olympiodori sententiam patet ex ejus verbis sic in *Caten.* dicentis : « Sæpenumero nonnulli cum sua facta efferunt manus osculantur suas. Dicit igitur : Si ego aliquando in mea potius dominatione atque in meis egregiis facinoribus quam in Deo spem atque fiduciam collocavi, plane mentitus sim veritatem; cum non a nobis ipsis, sed a divina gratia omne sit auxilium. Ergo si deceptus tale quid passus sum, in scelere id mihi ponatur gravissimo. » Cui expositioni *ibid.* ita subscribit Nilus : « Cur igitur spe a Deo sejuncti carne brachii sustentamur? divinamque providentiam nostris manibus dimetimur? Et ad ipsum, quod Jobus maxime criminosum sibi fore precatus est, ori manum suam impositam osculari, facere ipsi haudquaquam veremur? Multorum enim hic mos est, manibus suis suavium dare, ut quidquid in iis opis facultatisve est a seipsis habere testentur, » etc. S. Augustinus quoque in *Annot.* ad hunc locum : « Quod si osculatus sum manum meam ponens ad os meum, id est, gavisus sum tanquam de operibus meis. » Sed omnium clarissime S. Gregorius lib. XXII *Moral.* cap. v : *Manum suam*, inquit, *osculatur ore suo*, qui laudat quod facit, et testimonio propriæ locutionis sibi virtutem tribuit operationis. Qua in re quis despicitur, nisi is qui ipsa operandi munera largitur? » etc. Hanc autem esse summam iniquitatem et veluti Dei negationem patet ex eo quod, quantum quidem ex nobis est, Deum gloria et laude sua, quam unicam a nobis requirit, sacrilege fraudemus, et quasi spoliemus.

Job nonquam in propriis facinoribus, sed semper in Deo gloriatus fuit.

Manum suam osculatur qui laudat id quod facit.

Manifestum id fiet, si juxta doctrinam S. Augustini lib. X *De Civit.* cap. v, vi, vii, et S. Chrysostomi hom. 20 *in Rom.* verba quædam Dei, quæ per os Davidis locutus est, expendamus : « Audi, inquit *Psalm.* xlix, 7, populus meus, et loquar; Israel, et testificabor tibi : Deus Deus tuus ego sum, » id est, ut exposuit S. Augustinus ad dictum Psalmi locum : Israel audi, populus meus audi : Israel nomen electionis est *Gen.* xxxii, 28 : *Non vocaberis*, ait, *Jacob, sed vocaberis Israel.* Ergo *audi Israel*, videns Deum etsi non in specie, sed jam in fide : qui habet aures audiendi audiat, qui habet oculos videndi videat. *Et testificabor tibi* tanquam rem certam, securam et firmam : quid loquitur? quid testificatur, qui tantam petit attentionem? *Deus Deus tuus ego sum.* Hoc tanquam primum totius ædificii fundamentum supponendum est, quod me debes habere et colere tanquam verum ac legitimum Dominum Deum; cuicumque autem legitimo domino impendenda sunt a servis aliqua servitutis officia, quibus illius dominium et suam profiteantur servitutem. Quid igitur, inquit S. Augustinus, quærit ab homine Deus noster, imperator et rex noster, qui hoc statutum esse voluit, Deus Deus tuus ego sum? quod vectigal nobis indicit? quid a nobis exigit? Audiamus *Psalm.* xlix, 8 : « Non in sacrificiis tuis arguam te : » non tibi dicam : Quare non mihi pinguem taurum mactasti? quare non de grege tuo optimum hircum elegisti? quare aries ille ambulat in ovibus tuis, et in ara mea non ponitur? Non dicam : Inspice agros tuos et hortos tuos quærendo quid mihi des. Non super sacrificia tua arguam te : hæc abunde mihi offers, et perpetuo altaria mea plena sunt. « Holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo tua vitulos, etc., meæ sunt omnes feræ silvarum, » *ibid.* vers. 8 et 9. Quid a te quæram? quod ego condidi? Magisne est hoc tuum, cui possidere dedi, quam meum qui feci? Sed forte ait Israel : Bestiæ Dei sunt illæ feræ in montibus discurrentes, quas non includo in corte mea, quas non alligo ad præsepe meum : cæterum bos et ovis et hircus mea sunt : « Jumenta in montibus, et boves, » *ibid.* vers. 10 : mea sunt illa quæ non possides; mea sunt ista quæ possides, si enim servus meus es tu, totum peculium tuum meum est. « Cognovi omnia volatilia cœli, » *ibid.* vers. 11 : et numerum eorum apud me descriptum habeo; tanquam quæ subsint omnia ditioni meæ, et quæ singula possim propriis nominibus advocare, et dicent : Adsumus. « Et pulchritudo agri mecum est, » *ibid.* vers. 11; aut, ut S. Hieronymus legit, *universitas agri*, hoc est, quidquid in campo pulchrum est et speciosum *mecum est*, id est, adest mihi præsens, ut non oporteat longa agere itinera ad illud tenendum. « Si esuriero, non dicam tibi, » etc., *ibid.* vers. 12. Dic ergo, Domine Deus noster, inquit S. Augustinus, quid indicis populo tuo, Israeli tuo? quid ab illo postulas? quid tibi præstari vis, quo profiteatur te tanquam legitimum suum Deum habere? « Immola Deo sacrificium laudis, » etc., *ibid.* vers. 11 : Deo aliquod offerre tenemur servitutis officium, quo profiteamur nos illum tanquam Deum verum habere et colere. Et quidem nuda sacrificia aut animalium oblationes puras ille non requirebat, quæ ipsi parum poterant prodesse, qui bonorum nostrorum non eget : quod potissimum requirit est sacrificium laudis. Quid est *sacrificium laudis?* Sacrificium glorificationis, inquit S. Basilius, cum scilicet omnium bonorum nostrorum laudem et gloriam in ipsum tanquam in eorum auctorem referimus. Et alludere visus est David ad sacrificia, quibus Deus thus lucidissimum admisceri volebat, ut thus coram ipso cremaretur, sacrificiorum vero carnes in sacrificantium utilitatem cederent, quo indicaret, solum fumum laudis et gloriæ sibi ex sacrificiis reservari; unde in tantum sacrificia præcipiebat et acceptabat, in quantum illa ad ipsius laudem et gloriam referebantur. « Ideo dicebat, inquit Chrysostomus *in Psalm.* xxxvi : *Sacrificium laudis honorificabit me;* et iterum *Psalm.* lxviii, 31 : *Laudabo nomen Dei cum cantico; et placebit Deo plusquam vitulus novellus cornua producens et ungulas.* » Hic igitur actus est, quo Deum singulariter colimus, quo profitemur nos illum tanquam verum legitimumque Deum habere : quem qui Deo exhibere renuit, ac sibi alterive sacrilege usurpat, Deum ipsum altissimum negare censendus est.

Deus non requirit a nobis victimas, sed laudem suam.

Qui Deum laudare recusat, ipsum negat.

Vers. 29 et 30.

29 et 30. Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, et exsultavi quod invenisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut exeteret maledicens animam ejus. — Significat se perfectam habuisse charitatem, qua etiam inimicos diligeret non ficte aut simulate, sed ex corde, de bono illorum gaudendo, nullum eis malum imprecando, sed illud quoad poterat amoliendo, et benevolum se iis qui ipsum oderant ac beneficum exhibendo. Nondum legem audiverat præcipientem *Matth.* v, 44 : « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, » etc., et perfectissime illa quæ legis sunt præstabat; quin imo potius ante legem ipsimet legi se normam exhibebat, et exemplo suo quid præcipiendum foret ostendebat. Hoc autem ut clarum nobis fiat, vim mandati de diligendis inimicis expendamus. Qui præcipimur diligere inimicum, tenemur *primo* illi velle et optare quod bonum est illi, simpliciter et absolute loquendo; in primis bonum spirituale, quod ad animæ salutem spectat, gloriam, gratiam, spiritualia dona : nec id solum, inquit S. Basilius in *Reg. brev.* interrog. 176, sed et ea temporalia bona, quæ illi necessaria sunt ad vitam spiritualem et corporalem : constat enim homo ex anima et corpore; et cum utrumque diligendum sit, utrique debemus velle bona commensurata. *Deinde* tenemur lætari de bonis quæ illi eveniunt, et tristari de malis quæ illi accidunt : ut enim demonstrat B. Augustinus lib. XIV *De Civit.* cap. vii et ix, cujus doctrinam sequitur, explicat et confirmat D. Thomas in I II, *Quæst.* xv, art. 2 et *Quæst.* xxviii, art. 6, amor quando est in corde excitat lætitiam de bono, quod advenit amato, et tristitiam de malo, quod illi accidit. Quæ omnia complexus est S. Basilius in *Reg. brev.* interrog. 175 interrogans : « Quomodo deprehendatur aliquis quod fratrem diligat ex mandato Domini, et quomodo item convincitur quod juxta hoc mandatum non diligat; » et respondet : « Charitatis præcipua sunt hæc duo, dolere et angi in his rebus, in quibus lædítur is erga quem charitas habetur; similiterque ipsius utilitate lætari, et pro eo laborare. Beatus igitur quicumque mœret propter illum qui peccat; cum ejus periculum adeo sit metuendum; et lætitia afficitur propter illum qui recte facit, cum ejus lucrum incomparabile sit, sicut scriptum est. Quin et hoc etiam Paulus apostolus testatur cum ait I *Corinth.* xii, 26 : *Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; et si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Qui autem hoc modo varie non afficitur, de hoc prorsus dubitari non potest, quod fratrem ex mandato non diligat : » ita S. Basilius. Sicut ergo ex eo intelligimus membrum participare spiritum vitalem corporis si compatitur, et quasi tristatur ad dolorem alterius membri, et si congaudet ad gaudium alterius membri : ita ex eo quod quis tristatur ad alterius læsionem, et lætatur ad ipsius gaudium, indicat se vivificari Spiritu illo a quo profluit charitas, de quo dixit Apostolus *Rom.* v, 5 : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. »

Job perfectam habuit inimicorum dilectionem.

Ex eo deprehendatur quis an vere diligit.

Ex his infertur *primo*, non posse hominem prosequi odio inimicum suum : hoc enim expresse Christus prohibet, et evidenti ratione comprobatur ex eo quod impossibile sit unam et eamdem rem absolute diligere, et absolute odio habere. Infertur *secundo*, homini non licere desiderare malum inimico suo : si enim tenetur eum diligere, et diligere est velle et optare bonum, non poterit ei desiderare malum. Sequitur *tertio*, hominem non posse lætari de malo quod accidit inimico : ex amore enim erga dilectum non sequitur nisi tristitia de ejus malo : ita B. Anselmus *in* I *Corinth.* xiii, 6, expendit illud quod Apostolus, postquam dixit de charitate : « Non irritatur, non cogitat malum, » subdit : « Non gaudet super iniquitate, » id est, non de perditione adversantium exsultat. « Sunt enim, inquit, nonnulli qui nec faciunt malum, nec facere cogitant eis, a quibus adversa perferunt; sed si factum illis ab aliis fuerit lætantur; et ideo nunc quando dictum est : *Charitas non irritatur*, id est, non provocatur ad iram, et injuriis lacessita ad nullos se ultionis motus excitat; *non cogitat malum*, id est, non cogitat, quomodo ei, qui sibi facit injuriam, vicem reddat; additur : *Non gaudet super iniquitate*, id est, non ei placet, si quid inique passus fuerit vel ipse qui ei adversatur. » Atque hoc est quod hoc loco Jobus significat cum ait : « Si gavisus sum ad

Non licet odisse inimicum nec illi optare malum, nec de illius malo lætari

Quomodo diligendos sit inimicus.

Dei ius est pro-

http://www.obrascatolicas.com

ruinam ejus qui me oderat, et exsultavi quod invenisset eum malum. » Quæ verba sic egregie expendit S. Gregorius lib. XXII *Moral.* cap. VI : « Sciendum est, inquit, quia inimici dilectio tunc veraciter custoditur, cum nec de profectu addicimur, nec de ruina illius lætamur : nam sæpe in dilectionis imagine erga inimicum animus fallitur, seque hunc diligere existimat, si ejus vitæ contrarius non exsistat. Sed dilectionis vim occulte et veraciter aut profectus inimici aut casus interrogat : hac etenim de re ad plenum semetipsum mens hominis nescit, nisi eum, quem sibi adversarium credit, in defectu vel profectu mutasse modum sui status invenerit : si enim de prosperitate addicitur, et de calamitate se odientis lætatur, constat quod non amat, quem non vult esse meliorem, eumque etiam stantem voto prosequitur, quem cecidisse gratulatur. »

Circa inimicum sæpe dilectionis imagine fallimur

Vers. 31. 31. SI NON DIXERUNT VIRI TABERNACULI MEI : QUIS DET DE CARNIBUS EJUS UT SATUREMUR? Aliqui accipiunt hoc ut symbolum amoris, *q. d.* Domesticis meis tam benevolum et suavem me exhibui, ut carnis sive corporis mei præsentia nihil ipsis esset gratius, eaque saturari nequirent : ita mihi eos affixi, ut artus meos absorbere meque intra sua viscera condere peroptarent : amor enim vis unitiva est : ita S. Chrysostomus, S. Thomas, et Sanctius noster. Alii tamen malunt esse signum odii famulos incitantis ad vorandam Jobi carnem, quod obsequia ab eis accurata requireret : ita Philippus, Olympiodorus, Paulus Burgensis, Stunica, Mercerus, Vatablus, Tirinus, R. Abraham, et passim Hebræi, *q. d.* Optarent me dentibus discerpere ac devorare : est enim hoc extremi odii indicium, ut passim alibi in Scriptura et in communi sermone accipitur. Posset etiam referri ad inimicum Jobi, de quo immediate sermo præcesserat, *q. d.* Tam injuste mihi fuit inimicus, tam indignis modis me lacessivit, ut domestici mei, mihi alioquin amarissimi, injuriæ tamen atrocitate commoti, viderentur eum devoraturi ; nisi illos compescuissem, præ nimia mansuetudine, quantumvis irritatus, nullam ab eo vindictam sumi volens. Et quidem tertius hic exponendi modus, uti et primus, congruentior videtur : nam secundus friget, cum Jobus catalogum virtutum ac rerum amabilium recenseat, cui cohærentior est prima et tertia explanatio. Certe plures, præsertim Patres, de ardentissimo amore, quo famuli Jobum prosequebantur, locum hunc intepretantur.

Quomodo desiderent domestici Jobi carnibus saturari.

Christiani vere Christi corpore saturantur.

Allegorice S. Chrysostomus hom. 61 *ad popul.* hoc applicat venerabili Eucharistiæ de Christo dicens : « Propterea semetipsum nobis immiscuit, et corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid efficiamur tanquam corpus capiti coaptatum : ardenter enim amantium hoc est. Hoc itaque Job insinuans dicebat de servis suis, quibus erat supra modum desiderabilis, quod desiderium ostendentes dicebant : *Quis det nobis ut de carnibus ejus saturemur?* Propterea quidem Christus id fecit in majorem nos inducens charitatem, et suum erga nos ostendens desiderium, non tantum se præbens cupientibus videndum, sed et palpandum, et comedendum, et carni dentes infigere, et complicari, et omne desiderium impleri, » etc. Ubi S. Chrysostomus ostendit, quanto præclariori beneficio nos affecerit Christus Dominus quam Veteris Testamenti etiam electos reges : illi enim tantum templum Domini videbant, nos vero Christum ipsum tangimus et sumimus.

Vers. 32. 32. FORIS NON MANSIT PEREGRINUS : OSTIUM MEUM VIATORI PATUIT. — Significat se extraneis hospitalem totum et liberalem exstitisse peregrinos quoslibet ex longinquo advenientes sub tectum colligendo, et in domum propriam introducendo, ac benigne illis præbendo etiam quæ ad victum essent necessaria : videre mihi videor alterum in Jobo Abrahamum, qui etiam ignotis occurrebat, et de via ad se invitabat, et tantum non cogebat invitos. Quæ res magnam admirationem omnibus creabat, qui genus illud humanitatis et beneficentiæ summis laudibus in cœlum ferebant. « O præclarum virum et hospitalitatis egregium magistrum, exclamat Ambrosius lib. I *De Abrah.* cap. V, suo quidem exemplo docuit qualis debeat esse hospitalitas ; nimirum ut præsto sit advenientibus, et occurrat obviam, et itinera exploret, et adsit non quærentibus, et rapiat prætergredientes. Ante ostium sedebat Abraham, sedebat meridie, quando alii requiescebant ; iste hospitum explorabat adventus : » hæc Ambrosius de Abrahamo, quæ mutato nomine de Jobo eodem veritatis jure dixeris, ut cujus « ostium semper viatori patuit, et foris non mansit peregrinus. » Expende studium patriarcharum, cum plurimos haberent servos, quibus eam curam explorandi hospites demandare poterant; nulli tamen eam commiserunt, sed tanquam pretiosum thesaurum aut etiam honorem amplissimum sibi ipsi reservarunt. Tradunt de Abrahamo sacræ litteræ *Genes.* XVIII, 1, sedisse ipsum æstivo tempore in ostio tabernaculi sui ad captandam auram in meridie, et præcipue ad speculandum, num forte illac transirent peregrini, quos exciperet hospitio : ad meridiem enim maxime viatores lassitudine, fame sitique confecti divertere ac recipere se ad hospitia consueverunt. Et quidem in ipso fervore diei, quasi locus alius vel ad quietem captandam, vel ad æstum vitandum nullus esset aptior quam ostium tabernaculi. Sed justum nulla cœli retardat intemperies ; cum tamen pigri et socordes qualibet aeris inclementia consternamur, atque ab operibus pietatis et charitatis desistamus. Explorat Abrahamus peregrinos, et indigos vel procul transeuntes ; et nos pauperculis occurrentibus faciem avertimus, et qualemcumque stipem postulantes contumeliose aut certe perquam moleste repellimus. Plura pulchre ac fuse de Abrahami hospitalitate vide apud S. Chrysostomum *in Gen.* cap. XVIII, quæ et optime in Jobum quadrent.

Vers. 32. Jobi hospitalitas similis Abrahami.

Job et Abraham magistri hospitalitatis.

Vers. 33. 33. SI ABSCONDI QUASI HOMO PECCATUM MEUM, ET CELAVI IN SINU MEO INIQUITATEM MEAM. — Loquitur apte de confessione peccatorum, si quæ unquam commisisset, humiliter, postposita omni confusione, instituenda; id quod Septuaginta expressius dixerunt, hæc cum sequenti versu ita conjungentes, ut ex utrisque una istiusmodi exsistat sententia, « εἰ δὲ καὶ ἁμαρτῶν ἀκουσίως ἐκρύφτα τὴν ἁμαρτίαν μου · οὐ γὰρ διετράπην πολυοχλίαν πλήθους, τοῦ μὴ ἐξαγορεῦσαι ἐνώπιον αὐτῶν, *si etiam non sponte peccans abscondi peccatum meum : non enim expavi turbam multitudinis, quo minus confiterer coram ipsis.* Hæc Jobi laus duplici sensu accipi potest, quorum *primus* est, peccasse quidem, sed non obtexisse culpam, imo aliquo signo, puta sacrificio pro peccato, prodidisse, ne sanctior quam esset haberetur; *secundus* est, non commisisse quidquam quod absconderet, cum tamen ita esset animo comparatus, ut si pro fragilitate humana peccaret, minime id tegeret. Quod ex Olympiodori expositione deducitur, quæ sic habet : « Peccati voluntarii nullius sibi conscius erat, usque eo ad virtutem vitam exercebat; verum quia non id fert humanæ naturæ conditio, ut qui homo est, non aliqua noxa, quæ minime voluntaria sit, teneatur, idcirco perspectam sibi prolapsionem pœnitentia atque confessione curabat, nec ejus rei, quæ non esset ad rectæ rationis legem expressa, confessionem reformidabat. » Prudenter sane Job primis parentibus cautior promptus erat ad prodenda crimina, alienus ab excusandis, ut propterea non minorem videatur laudem mereri dum culpas suas humiliter aperit, quam cum virtutibus honestatur : « Recte factorum, inquit S. Chrysostomus in *Caten.*, nullum sibi testem quærebat; erratorum autem cunctos esse conscios optabat. » Longe aliter homines hodie usurpant, qui vitia quidem occultant, et si quid boni habent, in vulgus et in forum educunt.

Laudatus Job qui sponte sua delicta confitetur.

Nota pro illis verbis, *si abscondi quasi homo*, hebraice dici *ut Adam*, qui simul atque peccavit illico nuditatem vel arreptitiis obtexit foliis, et abscondit se : *abscondi* verbum, hebraice כסה *casah*, significat etiam *vestire*, operire; unde כבב *cabab*, *pectus*, sinum, latibulum significare dicitur. Hæc scilicet est vitiosa filiorum Adam consuetudo, ut vitia sua gerant et foveant in sinu, in latibulis habeant abstrusa, ne prodantur; et si in sacramentali confessione omnia fateantur, vestire soleant nefario quodam amictu excusationum : vide S. Gregorium lib. XXII *Moral.* cap. IX, ubi confessionis humilitatem laudat, damnat excusationis velamenta, aitque non minus virtutibus esse Jobum admirabilem quam humili peccatorum develatione. Videndus quoque in hanc sententiam S. Basilius *in Psalm.* XXXVII, ad illa verba : *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*, ubi ostendit hoc esse sceleratissimorum hominum ingenium, ut peccata et abscondant, et animo recondant; at proborum, ut si quando delinquant, quam citissime Deo aperiant : « Quemadmodum, inquit, in febri, quæ si intro altiusve serpat, morbum longe validiorem facit; si vero in apertum se promoverit, spem remissionis vel uti indice promittit : sic et animæ contingit. Qui inexorabilis et obduratus fuerit, secundum duritiam suam et impœnitens cor thesaurizat sibi iram in die iræ, adjungens peccatum peccato, et propria adaugens mala : etenim peccator cum in profundum malorum venerit contemnit. Contra, qui probæ est mentis, si interim vel semel per diaboli subreptionem offenderit, ejus conscientia maximopere gravatur, ut quod admisit tacere aut occultare nequeat, » etc. Pulchra similitudine hoc explicat Origenes ad illa verba *Psalm.* XXXVI : *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo* : « Vide quid docet nos Scriptura, quia oportet peccata non celare intrinsecus : fortassis enim sicut hi qui habent inclusam escam indigestam aut humoris vel phlegmatis, stomacho graviter et moleste imminentia si vomuerint, relevantur : sic etiam ii qui peccaverunt, siquidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, et propemodum suffocantur a phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse peccator sui accusator fiat, dum accusat seipsum, et confitetur, simul evomit delictum, atque omnem morbi causam digerit, » etc.

Confessio est vomitorium peccati.

Peccatum occultatum conscientiam suffocat.

Vers. 34. 34. SI EXPAVI AD MULTITUDINEM NIMIAM, ET DESPECTIO PROPINQUORUM TERRUIT ME : ET NON MAGIS TACUI, NEC EGRESSUS SUM OSTIUM. — Quantum ad judicis et gubernatoris populi officium spectat, non sic unquam Jobus timuit multitudinem populatem, ut propterea omitteret arguere, vel prohibere, aut agere vel dicere quidquam eorum, quæ illi dicenda vel agenda secundum Deum videbantur : neque item ipsum ab hujusmodi officio deterruit despectio propinquorum vel activa, qua solent propinqui ut familiariores eos qui magnum aliquid attentant facilius despicere quam alieni aut extranei, propter familiaritatem quæ parit contemptum ; vel passiva qua solent nonnunquam venire in contemptum propinqui propter odium judicis aut gubernatoris populi, maxime cum se opponit multitudini, aut magni aliquid attentat : imo cum potuisset tacendo et dissimulando odium declinare, et negotium subterfugere, quietemque servare, noluit potius tacere quam loqui, cessare quam agere quæ dicenda vel agenda ex officio et pro temporis ratione judicabat. Scilicet arx invicta bona conscientia est, qua Jobus ubique tutus nihil timuit, neque a justitiæ cultu recessit : frequentem populum rexit, neque sibi visus est cuiquam injuriam irrogasse : conjunctos sanguine vel familiaritate ita excepit, ut in jure dicendo solam justitiæ rationem haberet, tametsi propterea cognati vel necessarii excandescerent, ac in illum inveherentur : maluit quippe correptiones sive objurgationes patienter ferre, quam jus ulla ex parte violare. Ergo exantlavit injurias, ne ullam injuriam inferret.

Jobi in rebus secundum Deum judicandis et exsequendis constantia.

Job æqui rectique tenax.

http://www.obrascatolicas.com

Job ostium oris servabat occlusum dam calumniis impeteretur.

Erant aliquando tot ostia aperta quot hominum ora contumeliosa, circumcirca maligni spiritus furentes et exspectantes occasionem, qua sanctum virum de statu mentis ac virtutis dejicerent. Quid tunc Job? « Tacui, inquit, nec egressus sum ostium, » hoc est, os meum continui, quo meam innocentiam sartam tectam conservavi. Atque in hunc sensum dicta Jobi verba sic exponit S. Gregorius lib. XXII *Moral.* cap. XVI : « Quidnam hoc in loco *ostium* nisi os debemus accipere? Hi coguntur *ostium egredi*, qui pulsati contumeliis, quam magni apud se lateant loquentes denuntiant: dumque per impatientiam victi, quædam de se quæ nesciebantur produnt, tanquam per oris ostium egrediuntur; unde B. Job dicturus quod oris ostium non fuerit egressus bene præmisit : *Tacui.* » Et quidem quot ora conviciis, opprobriis aperiuntur, tot aperiuntur januæ malignis spiritibus, qui omnia turbent, omnia commoveant, nihil quietum relinquant; quod notabat S. Isidorus Pelusiota lib. I *Epist.* 309 ad maledicum hominem scribens : « Te caducam vitam fugisse odio, atque interim tamen procacem ac petulantem linguam habere ac temere eloqui. Quod nil aliud est, quam murum firmissimum atque hostibus inaccessum exstruere, ipsisque portam ad ingressum relinquere. » Patet ostium, patent fores hostilibus incursibus, dum os aperis maledictis : miser erit, qui ex adverso similiter suum ostium cœperit aperire, intima illius tempestatibus replebuntur, nulla ibi manebunt Spiritus Sancti lumina inexstincta.

Quam salutare sit contumeliosis verbis nil respondere.

Dum alius aperto ore te maledictis ferit, nil perdidisti, dum clausum os tuum contineas; si vero similiter os tuum aperias, et totidem ex adverso maledicta regeras, omnia mentis bona exsufflantur, et Spiritus exstinguitur. Patet hoc in domo, in qua duo sunt ostia invicem opposita, dum alterum sit clausum, licet tempestas ingruat, ac venti insurgant, omnia intra domum pacata sunt et secura; sed si ambo ostia fuerint aperta, illico domus perturbatur, omnia a ventis feruntur, lumina exstinguuntur. Hoc exemplo monebat suos S. Chrysostomus, ne conviciatori responderent, si Spiritum in se Sanctum servare vellent.

Vers. 35, 36 et 37.

35-37. QUIS MIHI TRIBUAT AUDITOREM, UT DESIDERIUM MEUM AUDIAT OMNIPOTENS; ET LIBRUM SCRIBAT IPSE QUI JUDICAT : UT IN HUMERO MEO PORTEM ILLUM, ET CIRCUMDEM ILLUM QUASI CORONAM MIHI? PER SINGULOS GRADUS MEOS PRONUNTIABO ILLUM, ET QUASI PRINCIPI OFFERAM EUM. — Quoniam Jobus præstantissima sua officii munera narraverat, ne frustra id fecisse videretur, optat æquum auditorem, id est, qui ex veritate, non ex opinione res suas æstimet; quo amicorum simul notat iniquitatem, qui ejus vitam non ex scelere aut crimine aliquo, quo teneretur, sed ex miseriis et ærumnis, quibus urgebatur, reprehendebant, quod non poterat non graviter et moleste ferre : quapropter subdit : *Ut desiderium meum audiat Omnipotens*, id est, faxit Deus, ut pro desiderio meo auditoris æqui compos sim, nec me diu cum istis iniquis auditoribus contendere sinat. Pertinet ad judicialia auditoris vocabulum, estque idem auditor et judex; optat ergo Jobus auditorem Deum in forma judicis ad exaggerandam in eo audiendi promptitudinem, cui narret omnia desideria sua, quæ audiat sane Deus, imo scribat, ut exactior sit in judicando; certo sciens librum istum a Deo scriptum sibi vertendum in gloriam, et insigne quoddam dignitatis; qualis est corona regum capitibus aut sceptrum humero gestari solitum. Quamobrem omnia quæ sibi patienda forent in unum volumen redigi cupiebat, paratus hoc onus non invitis humeris asportare. Cæterum hic locus dupliciter exponi potest : uno modo, ut significetur Jobum de sua ipsius innocentia confidentem optare, ut judex aliquis, qui de sua causa criminose judicaret, librum scriberet universa vitæ suæ facta complectentem : quia nimirum sic sperabat fore, ut omnes vitæ suæ seriem gloriosam rerumque optime gestarum gloriam cognoscerent, et ipse de libro illo quasi de facinorum suorum monumentis et quadam veluti corona gloriaretur. Altero, ut velit Job in librum referri labores omnes, qui ex divino consilio sunt pro toto vitæ suæ decursu definiti, videlicet memoriæ causa, ne vel unus prætermittatur quem ipse non ferat, atque ita totum librum patiendo percurrat et absolvat : id enim significat, cum optat ut humeris suis imponatur, intelligens in iis omnibus ferendis illustrissimam gloriæ coronam, ad quam per eos assumi debeat, esse constitutam, quod subsequentia verba significant : *Et circumdem illum quasi coronam mihi.*

Deus auditor quasi judicialis.

Innocentia Jobi gloriosa.

Tolerantia laborum illustrissima corona.

Magna sane est consolatio justorum, quod ipse Deus librum scribat de ipsorum bonis actionibus, ut præmiis afficiat : solitos quidem id facere reges Persarum loco magnæ laudis habetur; unde *Esth.* XII, 4, illud Assueri de Mardochæi fidelitate in denuntiandis insidiis eunuchorum, quod ipse rex dicitur manu sua scripsisse in commentariis; et apud Hebræos illi qui erant a commentariis hoc idem munus habuisse dicuntur II *Reg.* VIII, 16 et III *Reg.* IV, 3. Quanto Deus ipse mirabilius, ut ab Ezechiele cap. IX, 2 exprimitur, qui visus est tanquam judex angelorum satellitio stipatus, et atramentarium scriptoris ad renes habens, ut malorum peccata et proborum virtutes describeret? Id vero muneris assumens sibi Deus ostendit *primo*, rem esse quæ soli Deo tuto credi possit : nam homines in notandis aliorum vel peccatis vel virtutibus sæpe a veritatis æquilibrio deflectunt vel nimium amplificando mala, vel de virtutibus nimium detrahendo. *Deinde* ostendit exactam judicis sollicitudinem et studium, cum appensum ipse ad renes atramentarium præferat, ut in promptu habeat, quo notet illico quæ occurrerint. Zona *denique* sapphirina, de qua pendebat atramentarium, cum coloris sit cœlestis, monstrat eam diligentiam nihil habere terrenæ fæcis admixtum, quasi ex invidia autma levolentia adhibitam, sed

Deus scribit acta justorum.

Solus Deus rite notat opera hominum.

prorsus esse cœlestem ac puram, ipsique cœlo pretiosam; utpote per quam fiat separatio justorum et injustorum. Porro Deum opera hominum sive bona sive mala, operibusque congruentia præmia et supplicia quasi in libro exarare hic et alibi sæpe in Scriptura testatum habemus : ita Jeremias *Thren.* I, 14, ait « iniquitates in manu Dei convolutas; » id Vatablus in hunc modum interpretatur, quasi Deus quibusdam notis peccata in manibus suis designarit, ut illorum recordetur. Pius Vates meo judicio volumen intelligit, quod more antiquo circum umbilicum convolvitur, in quod Deus atramento illo Ezechielis omnia hominum dicta, facta, cogitationes refert, et in sua manu, hoc est potentia divinitatis suæ, et aperta scientia conservat, ne unquam excidant et obliterentur, sed semper sint in conspectu, et clarissime perfectissimeque legantur. Hoc ipsum innuit Isaias cap. LXV, 6 : « Ecce scriptum est coram me : non tacebo, sed reddam et retribuam in sinum eorum : » id etiam perspicue dicit Joannes *Apoc.* XX, 12 : « Et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum. » Quæ et alia divinarum litterarum arcana monita probi omnes et salutis suæ amantes viri ante oculos habere solent atque expendere ad necessariam cautionem, ut cum nullum Deo scelus tectum esse possit atque incognitum, mature obviam eant periculo suo, et peccata defleant, puniantque in se ipsi, ne deinde omni acerbitate ab æquo judice puniantur.

Deus judex semper ante oculos habendus.

Job sane vir tantus, quantum nobis cœli scribæ atque annalium monumenta dicunt, non saluti indormiebat suæ, nec exspectabat illud tempus ultimum, dum Auctor universitatis atque judex nigrum theta in commentario suo pingeret, sed abjectus coram Deo pœnitensque provolvebatur : cumque foret non pœnitentiæ modo; sed maximarum quoque aliarum virtutum coronis undique redimitus, cum tam puræ et innocentis conscientiæ, ut cor suum nunquam illum reprehenderet, cumque dicta factaque sua referri in divinum librum peteret, ad æternam propositi sui et devoti animi memoriam (id enim ea verba ipsius volunt: *Et librum scribat ipse qui judicat*), hic vir, inquam, simplex, et rectus ac timens Deum, et quotidianis sacrificiis intentus, inter Hussitas sanctimoniæ quoddam miraculum et exemplar; cum tamen apud se reputaret lucidum Dei oculum forte quiddam in se animadvertere, quod ipse non videbat, divinæ justitiæ et bonitati contrarium, anxius et mœrens obsecrabat dimitti se ut plangeret paululum antequam iret ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine, quo judicem propitiare posset, et animi abjectione atque lacrymis illius mentem ad misericordiam et lenitatem commovere. Quamobrem etiam prudenter Jobus hic ante extremum judicii diem desiderium suum audiri et libellum scribi postulat, *ut portet illum in humero*; quibus verbis se justum operatorem coram Domino constituere nititur, divina scilicet adjuvante gratia, ut justa præcepta Domini in libro legis contenta operetur. « *Librum* quippe *in humero portare*, inquit S. Gregorius lib. XXII *Moral.* cap. XIV, est Scripturam sacram operando perficere; et notandum, quam ordinate describitur, et prius *in humero portare*, et postmodum *sicut corona circumdari* : quia videlicet sacri eloquii mandata si modo bene portantur in opere, post nobis victoriam exhibent in retributione, » etc. En quomodo nobis propria opera et merita coronam concilient et operentur, tandemque e manibus nostris ad caput progrediantur. In hoc ergo sensu, juxta S. Gregorii expositionem, adjutorem divinum postulat Job, ut gratiæ cœlesti cooperando gloriæ coronam promereri valeat. Quare etiam S. Paulus ait II *Corinth.* VI, 1 : « Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei accipiatis, » ubi S. Anselmus : « In vacuum, inquit, gratiam recipit, qui cum ea non laborat, nec ei suum studium adjungit; quique per desidiam facit, ut in se gratia sit otiosa, dum eam bonis explere operibus non satagit, » etc. Ea igitur ratione Job adjutricem gratiam postulabat, ut cum ea posset laborare et mereri, sciens quia neque sine gratia posset meritum comparare, neque sine labore coronam obtinere. Quod autem subdit :

Scripturam in humero portare est illam opere complere.

PER SINGULOS GRADUS MEOS PRONUNTIABO ILLUM, — idem est, *q. d.* Ego omnem meam actam vitam in medium proferam, singulasque actiones et cogitationes meas ei confitebor, omnesque mei cordis recessus ad unum retegam. S. Gregorius loco supra citato exponit tropologice de gradibus meritorum, de quibus per Psalmistam dicitur *Psalm.* LXXXIII, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem* : « Neque enim, inquit, repente ad summa pervenitur, sed ad virtutum celsitudinem per incrementa mens ducitur. Ille ad doctrinam Dei veraciter ascendit, qui ad obtinendam hanc gradibus sanctæ operationis eruperit; et quasi per singulos gradus suos librum pronuntiat, qui percepisse se ejus scientiam non per verba tantummodo, sed etiam per opera demonstrat. Unde adhuc subditur : *Et quasi principi offeram illum* : omne enim quod offerimus in manibus tenemus. Venienti ergo ad judicium principi librum offerre est verba præceptorum illius in actione tenuisse. » Septuaginta longe aliter locum hunc totum transtulerunt, sic enim tres versus hos interpretati sunt, τίς δώη ἀκούοντά μου; χεῖρα δὲ Κυρίου εἰ μὴ ἐδεδίκειν· συγγραφὴν δὲ ἣν εἶχεν κατὰ τινος, ἐπ' ὤμοις ἂν περιθέμενος στέφανον ἀνεγίνωσκον, καὶ εἰ μὴ ῥῆξας αὐτὴν ἀπέδωκα, οὐδὲν λαβὼν παρὰ χρεωφειλέτου, *quis mihi tribuat auditorem? Et manum Domini si non timui; syngraphum vero quam habui contra quempiam, in humeris utique circumponens coronam legebam, et si non scindens eam reddidi, nihil accipiens a debitore.* Qua versione illud officii munus Jobum præstitisse significarunt, quod præcipit Isaias dicens cap. LVIII, 6 : « Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos de-

Ad virtutis celsitudinem gradatim ascenditur.

Job pauperes debitores non vexabat, sed iis debitum condonabat.

http://www.obrascatolicas.com

primentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus disrumpe, » hoc est, ne divites tabulis et scriptis pauperes debitores suos opprimerent; sed pecunias creditas eis potius condonarent.

Job de debitorum remissione coronatur.

Habebat autem codicem Job, in quem rationes referebat datæ mutuo pecuniæ, ut eorum levaret indigentiam; servabat syngraphas et schedulas satisdationis propria manu debitoris subscriptas; ad constitutum tempus remittebat famulos qui pensum pecuniæ exigerent; debitores domesticis difficultatibus impediti, aut angustia rei familiaris oppressi, pensitandi pecuniam non habebant facultatem. Quid faciebat Job? mittebatne exactores, qui judicis edicto ære alieno constrictos ad solutionem cogerent, aut debitores suffocarent instar mali servi, aut traderent custodiæ et vinculis? minime gentium. Magna animi celsitudine cautiones et chirographa coram debitoribus et stipulatoribus in minutas partes distrahebat, ut abolita et oblivione obtuta manerent debita. « Et si non scindens reddidi, nihil accipiens a debitore. » Mira Jobi benignitas. Sed cur discindit syngraphas, rumpitque cautiones diademate coronatus? Hoc indicant verba Septuaginta, *circumponens coronam legebam*; S. Augustinus legit, *et coronatus publice legebam*; S. Ambrosius lib. *De Tob.* cap. XVII, *imponens coronam legebam*; Glossa Lyræ habet, *tanquam suæ victoriæ vexillum*. Neque minus sane illustre facinus condonare injurias, probra, maledicta, quam debita. Qui æris sui vincula proximo relaxat, quibus tenebatur adstrictus debitoribus suis remittit, et ab obligatione nominum eos absolvit, Dei munificentiam in dimittendis debitis et solvendis peccatorum vinculis æmulatur : is dignus regiis infulis, imperatoriis paludamentis, ut rex augustus incedat coronatus.

Triumphus et corona Jobi cum debitorum syngraphas scidit.

Vers. 38, 39 et 40.

38-40. SI ADVERSUM ME TERRA MEA CLAMAT, ET CUM IPSA SULCI EJUS DEFLENT : SI FLUCTUS EJUS COMEDI ABSQUE PECUNIA, ET ANIMAM AGRICOLARUM EJUS AFFLIXI : PRO FRUMENTO ORIATUR MIHI TRIBULUS, ET PRO HORDEO SPINA. — Iniquum merito putat vir divinus, si agrorum suorum operarii solum nossent laborare, et sub laboribus gemere, et nullam viderent mercedis jucunditatem sudoribus madidi, sicci et arentes solatio; quam iniquitatem sic objicit D. Jacobus divitibus mundialibus dicens *Epist.* I, 4 : « Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras clamat; et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit : » et quando merces et solatium negatum operariis non clamat adversus dominos, et cœlum clamoribus implet? Itaque Job quasi dira sibi imprecatur, si unquam vel subditorum lacrymas vel sanguinem sitiverit, sic subditos vexando exactionibus, ut cogeret illos plus solito terram sollicitare et vexare, quo possint persolvere tributa : ita Auctor *Caten. Græc.*, q. d. « Hæc patiar mala, si causa mea terra a suo domino est aliquando gemitu debilitata; aut si sulci ejus ab aratoribus, atque ab his, qui eam sciderunt, flere aliquando coacti sunt : » quippe

Job agricolas non opprimebat laboribus.

Merces operariorum defraudata clamat in cœlum de terra.

merito tot sibi calamitates a Deo inflictas putaret bonus rex, si quando libuisset de terræ vulnere aut de subditorum sanguine bibere, eos sic premendo tributis, ut ingenti labore ægre ac difficulter satisfacere vix possint.

Hic nempe mundialium tyrannorum est mos, qui subditos gravibus exactionibus et laboribus supra quam ferre possint onerant, nec ullam eis requiem aut solatium concedunt; boni vero domini est sic labores inter servos partiri, ut impertiatur etiam solatia : sic Deus *Gen.* IV mandavit homini labores, sed ex quibus cibus nascatur; minatus est soli sterilitatem, elementorum inclementiam; sed et vestes paravit, ut tanquam a bono domino venirent in servos labores mixti, imo et attemperati solatiis. Id quod pulchre observavit Rupertus lib. III *De Trinit.* cap. XXVII cum ait : « Habes itaque duo miseriæ solatia cum labore et indigentia homini proposita, victum scilicet et vestitum : victum, ubi paulo ante dixit : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* : vestitum, ubi nunc dictum est : *Fecit Dominus Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos.* » Proh optimi et celsissimi Domini conditionem ! Servituti addicit homines, ingentes illis labores mandat; sed et simul providet illis victus vestitusque solatia, et ut in laboribus immittendis severus, sic bonus in parandis solatiis apparet : hinc merito David mundialium principum iniquitatem atque duritiem a Deo longissime removebat dicens *Psalm.* XCIII, 20 : « Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto? » plane iniquitas magna est, quod in domini alicujus præceptis tantum videantur labores ac sudores mandati, et nullum ibi appareat solatium. Pulchre ait D. Laurentius Justinianus in *Fasc. amor.* cap. VI : « Aperte dicit Psalmus : Neque iniquus neque immitis es, ut laboriosa mandes, et absque delectationis suffragio operarios fatigari sinas : » non potest dominus, qui iniquus non est, qui immitis non est, decernere labores servis absque ullo delectationis suffragio; non potest dominus, qui iniquus non est, sinere fatigari subditos in adimplendis mandatis, et non curare de illorum victus vestitusque solatio. Unde de se et pro se aiebat Job : « Si adversum me terra clamat, et cum ipsa sulci ejus deflent, » etc. : et qualis esset ista Jobi iniquitas, quam terra clamaret, quam sulci ejus deflerent? Utique hæc esset, si agros suos ita sudoribus et laboribus operarum impleret, ut laborantibus excolentibusque eos solum liceret gemere et lacrymari sub labore, percipere autem aliquod solatium mercedis nunquam liceret. Sic exponit locum hunc Nicetas in *Caten. Græc.* : « Sed neque meos agros ac sulcos, neque terram meam quisquam coluit, qui non esset pretio atque mercede conductus, ne forte eum gemitu lacrymisque vexarem, si ipsius operam certam mercede spoliassem. »

Boni Domini est servorum laborum solatiis attemperare.

Iniquitas est solum dura servis præcipere, et nullis solatiis eos sublevare.

Juxta mentem S. Gregorii lib. XXII *Moral.* cap. Quid per

terram et sulcos significetur.

XV *terra* hoc loco significat terram desertam et squalentem jejunaque glarea sterilem; e contra vero *sulci* felicem glebam et subactam terram. Juxta anagogen *terra clamat*, id est imperiti vel impii homines; *sulci* vero qui in virtute profecerunt; utrique ergo coram Deo clamant, scilicet tam impii quam pii adversus prælatos, cum se illorum cura destitutos conspiciunt : nempe impii homines ad pietatem reducerentur, si eorum curam prælatus ageret, et pii in virtute proficerent; unde merito utrique de prælato conqueruntur. In quem sensum adducit S. Gregorius verba ejusdem Jobi vers. 39 : « Si fructus ejus comedi absque pecunia; et animam agricolarum ejus afflixi : » fructus terræ absque pecunia comedit ille, qui cum præsit aliis, et ob hanc causam honorem accipiat et annuos redditus, ipse tamen omnino injuncti muneris curam abjicit : oves quidem tondet, non tamen ad pascua reducit, neque lupos arcet. « Perfecti namque, inquit S. Gregorius, cum semper de spiritualibus moveantur, tanto sciunt de alienis corporalibus damnis ingemiscere, quanto jam edocti sunt non dolere de suis. Omnis ergo qui præest, si perversa in subditis exercet, contra hunc *terra clamat*, et *sulci deflent*, quia contra ejus injustitiam rudes quidem populi in murmurationis vocibus erumpunt, sed perfecti quique pro pravo ejus opere se in fletibus affligunt; quodque imperiti clamant et dolent, hoc probatioris vitæ subjecti deflent et tacent, » etc. Idem hom. 17 *in Evang.* hunc Jobi locum exponens : « *Terra*, inquit, *contra possessorem suum clamat*, quando contra pastorem suum juste Ecclesia murmurat : cujus etiam *sulci deflent*, si corda audientium, quæ a præcedentibus sunt patribus prædicationis voce et vigore invectionis exarata, vident aliquid quod lugeant de vita pastoris. Cujus videlicet *terræ fructus* possessor bonus *sine pecunia* non *manducat* : quia discretus pastor prærogat talentum verbi, ne ad damnationem suam de Ecclesia stipendium sumat alimenti : tunc enim de terra nostra cum pecunia fructus comedimus, quando sumentes ecclesiastica subsidia in prædicatione laboramus : præcones namque venturi judicii sumus. » Hæc pie ac sapienter Gregorius.

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Irascitur Eliu tam Jobo, quod suam tantopere justitiam prædicasset, quam amicis, quod vi rationis Jobum refellere nequivissent. Quare ipse præfatus modeste veniam, quod coram senibus adolescens loqui audeat, docet adolescentibus interdum divinitus inspirari sapientiam; cujus rei asserit se accepisse experimentum, ideoque longe aliis ac validioribus argumentis Jobum convicturum.

1. Omiserunt autem tres viri isti respondere Job, eo quod justus sibi videretur. 2. Et iratus, indignatusque est Eliu filius Barachel Buzites, de cognatione Ram : iratus est autem adversum Job, eo quod justum se esse diceret coram Deo. 3. Porro adversum amicos ejus indignatus est, eo quod non invenissent responsionem rationabilem, sed tantummodo condemnassent Job. 4. Igitur Eliu exspectavit Job loquentem : eo quod seniores essent qui loquebantur. 5. Cum autem vidisset quod tres respondere non potuissent, iratus est vehementer. 6. Respondensque Eliu filius Barachel Buzites, dixit : Junior sum tempore, vos autem antiquiores, idcirco demisso capite, veritus sum vobis indicare meam sententiam. 7. Sperabam enim quod ætas prolixior loqueretur, et annorum multitudo doceret sapientiam. 8. Sed, ut video, spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. 9. Non sunt longævi sapientes, nec senes intelligunt judicium. 10. Ideo dicam : Audite me, ostendam vobis etiam ego meam sapientiam. 11. Exspectavi enim sermones vestros, audivi prudentiam vestram, donec disceptaremini sermonibus : 12. Et donec putabam vos aliquid dicere, considerabam : sed, ut video, non est qui possit arguere Job, et respondere ex vobis sermonibus ejus. 13. Ne forte dicatis : Invenimus sapientiam, Deus projecit eum, non homo. 14. Nihil locutus est mihi, et ego non secundum sermones vestros respondebo illi. 15. Extimuerunt, nec responderunt ultra, abstuleruntque a se eloquia. 16. Quoniam igitur exspectavi, et non sunt locuti : steterunt, nec ultra responderunt. 17. Respondebo et ego partem meam, et ostendam scientiam meam. 18. Plenus sum enim

http://www.obrascatolicas.com

sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei. 19. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit. 20. Loquar, et respirabo paululum : aperiam labia mea, et respondebo. 21. Non accipiam personam viri, et Deum homini non æquabo. 22. Nescio enim quandiu subsistam, et si post modicum tollat me Factor meus.

Vers. 1. 1. Omiserunt autem tres viri isti respondere Job, eo quod justus sibi videretur. — Cum longam Jobus et continentem orationem habuisset, quam non minus sex capitibus absolvit : « Finita sunt verba Jobi, » quemadmodum ad calcem cap. super. in latino textu adjungitur ; Septuaginta vero inde hujus capitis initium faciunt, cum aiunt, καὶ ἐπαύσατο Ἰὼβ ῥήμασιν· ἡσύχασαν δὲ καὶ οἱ τρεῖς φίλοι αὐτοῦ ἔτι ἀντιπεῖν Ἰῶβ, *et cessavit Job a verbis : cessaverunt autem et tres amici ejus ultra contradicere Job* : quia scilicet ipsum a sua sententia deducere se posse desperabant ; neque quidquam habebant, quo illum urgere possent vehementius. Quod autem pro ratione additur : *eo quod justus sibi videretur*, ambiguam facit orationem : nam relativum *sibi* potest ad tres amicos vel ad ipsum Jobum referri. Ad tres viros referendum putarunt nonnulli interpretes latini, ut S. Gregorius, Odo, Titelmannus, et alii, quasi nimirum hac prolixa Jobi oratione tres amici convicti, præsertim illa officiorum ejus narratione, et quod illam diram imprecationem, si secus esset, adjunxisset, sibi jam persuasissent ipsum esse justum. Quæ sententia probatur Græcorum versione, nam Septuaginta id plane ad viros retulerunt vertentes, ἦν γὰρ Ἰὼβ δίκαιος ἐναντίον αὐτῶν, *erat enim Job justus coram eis.* Qua interpretatione bonorum virorum victoria repræsentatur, qui tandem adversarios suos se sanctos esse convincent, sicut ipsos dicturos Sapientia scribit *Sap.* v, 4 : « Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore : ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est, » de Christo etiam scribitur *Apoc.* I, 7 : « Ecce venit in nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. » Verumtamen illud relativum *sibi* non ad tres viros, sed ad ipsum Jobum referendum esse probatur ex eo, quod ita purior sit latina locutio ; tum quod in Hebræo et Chaldæo plane ipsum referat Jobum : est enim relativum singulare tertiæ personæ in Hebræo quidem *vau*, in Chaldæo vero *iod*. Adde, quod aptius sit ipsi textui, ut relativum *sibi* Jobum ipsum, non ejus amicos referat : nam ipsis minime visus est justus, quousque a Deo convicti sunt, et jussi ab ipso Jobo veniam impetrare, quo ipse Deum pro illis precaretur, ut in fine libri narratur. Significat ergo tres viros omisisse respondere Jobo, « eo quod justus sibi videretur, » hoc est, tot pœnas non commeruisse, in quo tota inter eos disputatio versata erat ; omiserunt igitur ipsi loqui, quia quid amplius dicerent non habebant ad sententiam suam probandam : ita Stunica, Pineda, Sanctius, et alii passim. Quæ explanatio valde convenit cum eo quod sequitur :

Job tres amicos ad metam silentii redegit.

Bonorum virorum victoria.

Vers. 2. 2. Et iratus indignatusque est Eliu filius Barachel Buzites, de cognatione Ram : iratus est autem adversum Job, eo quod justum se esse diceret coram Deo. — Hic Eliu fuit ex progenie Buz filii Nachor, fratris Abrahæ, de quo agitur *Gen.* xxii, 21, de cognatione Ram ; Septuaginta addunt τῆς Αὐσίτιδος χώρας, *Ausitidis regionis*, in qua eadem erat terra Hus patria Jobi, ut vidimus cap. I, 1 ; Chaldæus vertit *de cognatione Abrahæ* ; alii appellative vertunt *de cognatione illustri* : nam Ram *illustrem* significat. Recte et vere omnes. Sed falso Hebræi putant hunc Eliu Balaam fuisse, qui tempore Moysis maledixit Israelitis : nam Eliu cum Jobo longe antiquiores sunt Moyse, uti Tirinus in *Chron.* aliique ostendunt. Plura hic de Eliu quæri solent curiosius quam utilius : nobis sat fuerit, nosse mores hominis, quos ipse dum loqueretur expressit. Fortasse cum esset hussita, sive ex ausitide regione, ut Septuaginta interpretes habent, et trium regum adventum intellexisset, quorum tamen neque socius neque comes fuit, sponte sua accurrit juvenis, ingenio acer ac vehemens, si quid novi esset exploraturus ; cœptaque disputatione captus exitum exspectavit, donec ipse in re gravissima sententiam diceret. Vir sane illustris fuisse videtur, qui inter viros tantos non incongrue loqui posset. Quod et nominis paterni *Barachel* et cognationis *Ram* mentio indicant, quæ hic tanquam celebria scribuntur ; licet incertum sit quis Barachel. Quis Ram fuerit. Eliu vero urbanitas ex hoc ipso patet initio, quod neque Jobum neque tres concertatores interpellaverit, sed impetum represserit, donec pro ætatis ratione suam sententiam subtexeret : pietas vero posthac spectabitur, Deo litem dirimente ; verosimile tamen est eum in eodem cum tribus amicis Jobi errore versatum, existimasse Jobum ob anteactæ vitæ scelera mulctari : id quod non obscure ipsius adversum Jobum ira et indignatio manifestant : *eo quod justum se esse diceret coram Deo*, id est non habere talia aut tanta ulla peccata, quæ potuisset ita Deus in eo punire tam gravi plaga. Hæc enim verba severius expendens, et alia intentione accipiens quam a Jobo fuerant prolata, superba et impia reputabat : neque sat validæ ei videbantur excusationes, quibus hactenus coram tribus amicis se expurgaverat, ut solent juvenes esse senioribus magis ferventes ad contentionem, tardiusque placari ut cessent a contentione, propter fervorem sanguinis juvenilis. Tropologiam hujus versus vide apud S. Gregorium lib. XXII *Moral.* cap. II.

Vers. 2. Quis fuerit Eliu, ejus ue progenies et patria.

Eliu quibus moribus præditus fuerit.

Eliu urbanitas.

Cur Jobo indignatus sit,

Vers. 3. et amicis ejus. 3. Porro adversum amicos ejus indignatus est, eo quod non invenissent responsionem rationabilem, sed tantummodo condemnassent Job. — Contra tres, inquit, amicos istos, qui hactenus Jobum oppugnaverant, non minus exardescebat ejus iracundia, propterea quod non adinvenissent neque adduxissent contra Jobum responsionem suo judicio rationabilem aut urgentem, id est argumenta satis valida et efficacia ad confutandum illum et occludendum illi os vi argumentorum ; sed tantum visi essent ipsum Jobum calumniari et condemnare absque sufficienti ratione, simpliciter asserendo ipsum impium esse, et propter peccata sua puniri, sed non satis probando vel ipsum redarguendo. Non est autem hoc virorum sapientum sine idonea ratione quemquam condemnare, cum hoc non aliud sit quam calumniari ; ex quo clarum fieri videtur illud relativum *sibi*, de quo vers. 1 diximus, ad amicos non referri : non enim, si justus eis visus fuisset, hic diceretur quod eum condemnassent. Verumtamen non debebat Eliu hac de causa indignari, cum admodum difficile sit veritatem eloquenter et ingeniose defensam confutare, prudentiusque sit tacere quam ei verbis repugnare : nam tandem contradicentis apparebit stultitia ; unde merito S. Gregorius lib. XXIII *Moral.* cap. III, notat per Eliu speciem amatorum vanæ gloriæ designari : « Jobum quippe de præsumpta justitia, amicos vero ejus de stulta responsione redarguit : cuncti enim vanæ gloriæ sectatores dum se omnibus præferunt, alios quidem de fatuis sensibus, alios autem de indignis meritis reprehendunt, id est alios censent nihil scire, alios non bene vivere, » etc.

Eliu typus vane gloriantium :

Vers. 4. Senioribus loquentibus morem gerit. 4. Igitur Eliu exspectavit Job loquentem : eo quod seniores essent qui loquebantur. — Cum igitur Eliu ab initio interfuisset disputationi, audivissetque omnia ultro citroque dicta tum ab ipso Jobo tum ab amicis ipsum impugnantibus ; tamen quamdiu Jobus ipse cum amicis loquebatur penitus tacuit, illis, utpote senioribus, morem gerens, nec verbum ullum interponens ; unde satis elucet vel hominis vel ætatis illius disciplina. Cum enim junioribus, juxta monitum Ecclesiastici cap. xxxii, 10, vix in conspectu senum loqui liceat cum decoro, nisi forte interrogentur, ut quam brevissime respondeant ; multo minus absque dedecore eis licebit majorum sermonem importuna loquacitate interrumpere *ibid.* vers. 13 : « In medio magnatorum, inquit Sapiens, non præsumas. » Quæ monitio, ut bene notant Cornelius et Bonartius, pertinet ad juniores instituendos, *q. d.* Vide adolescens ne præsentibus viris principibus aliquid dicas, vel facias, vel præsumas, quo teipsum illis exæques (hoc enim Septuaginta dicunt μὴ ἐξισάζου) volens sapientiam tuam ostentare, et ante canos sapere ; vel ea libertate loquaris inter seniores qua illi, qui auctoritatem dicendi longo sibi usu vel ætate compararunt : hoc enim signum est arrogantiæ, audaciæ et impudentiæ, quo offensi magnates, et indignantes, quod te illis æquiparare velis, cum sis inferior, in te insurgent, teque verbis et factis quoad poterunt deprimant ; ut qui volueras esse æqualis summis, fias par imo inferior infimis. Eamdem ob causam *ibid.*, « et ubi sunt senes non multum loquaris, » quia per hoc videris te eis æquare, eorumque gravitatem, auctoritatem et prudentiam tibi arrogare : quare illos offendes, ipsique tuam arrogantiam carpent et obtundent. Huic affinis est S. Bonaventuræ monitum : « Inter multos ne multum loquaris, » tum ut multitudinem reverearis, tum ut vites confusionem, tumultum, contradictionem et reprehensionem cujuslibet e multis. Hinc omnium gentium ritu juventus honorat senes, eisque defert honorem sedendi et loquendi ; unde Macrobius lib. III *Saturn.* : « Senectus nobis, inquit, si sapimus, adoranda est ; » et Valerius Maximus lib. II, cap. I, scribit juvenes olim ita honorasse majores natu ac si ipsi communes omnium forent parentes ; quam autem Esseni honorarint senes vide apud Philonem lib. *De Essen.* ; quantum Ægyptii, vide apud Herodotum in *Euterp.* : plura de honorandis senibus vide apud Ciceronem lib. I *Offic.*, Platonem *De Leg.* Aristotelem lib. IX *Ethic.* dial. 9, cap. II. Hoc igitur et sequentibus versibus gloriatur Eliu se natu majoribus, uti decebat, morem gessisse ; sed tamen contra illos graviter postea peccavit, ut mox videbimus, multa futiliter eructans, seniores arguens, Jobum reprehendens, et plenis bucis sapientiam suam crepans : unde subditur :

Inter multos non multum loquendum.

Omnes gentes senectuti honorem sedendi et loquendi detulerunt.

Juvenibus coram principibus et senioribus tacendum.

Vers. 5, 6 et 7. 5-7. Cum autem vidisset quod tres respondere non potuissent, iratus est vehementer. Respondensque Eliu filius Barachel Buzites dixit : Junior sum tempore, vos autem antiquiores, idcirco demisso capite veritus sum vobis indicare meam sententiam. Sperabam enim quod ætas prolixior loqueretur, et annorum multitudo doceret sapientiam. — Hactenus quidem pro ratione ætatis suæ siluerat Eliu, donec seniorum aliquis aut Job loqueretur ; verum posteaquam conspiceret neminem ex tribus illis qui adversus Jobum contenderant ultra respondere, sed cedere ipsi Jobo, et prorsus præbere silentium ; hinc videlicet juvenilis in eo sanguinis ardor efferbuit, et iracundia magna permotus, quasi ex zelo quodam tuendæ veritatis, quam ipse periclitari et succumbere existimabat ex silentio trium amicorum, si Job non confutaretur, quem existimabat male locutum contra Deum, ac proinde confutatione dignum. Ipse igitur aliis omnibus silentibus, tempus opportunum loquendi nactum se existimans ; primum quidem adversus tres amicos pauca, deinde adversus ipsum Jobum multa loqui cœpit, eaque magna satis vehementia, præmissa ampla, et, ut videtur, pomposa satis præfatione rhetorica juvenilem quamdam φιλαυτίαν et ostentationem redolente ; qua etiam nimis juveniliter et mordacius quam ipsius ætati videatur convenire, seniores ipse junior non solum arguit, verum etiam irridet et

Eliu zelo indiscreto movetur ad loquendam.

http://www.obrascatolicas.com

subsannat, ut palam imperitos, elocuturus nempe suam sententiam, in hunc modum præfari cœpit: Ego quidem Eliu, quod ad ætatem attinet annorum, agnosco et fateor me omnibus vobis juniorem, et vos ut tempore ætateque seniores plurimum veneror: ac propterea meæ juventutis ac vestræ senectutis intuitu hactenus ego vobis loquentibus ac verbis prolixe disceptantibus silui, capite demisso in terram cum humilitate et attentione eorum quæ a vobis dicebantur. Et præ reverentia ætatis vestræ et verecundia juventutis meæ huc usque vobis meam proponere sententiam erubui: existimabam enim vos, utpote seniores allaturos sufficientia et efficacia ad rem propositam argumenta, quibus vestram sententiam stabiliretis ac veram sapientiam edoceretis, qua spe lactatus et adductus hactenus audire vos malui, et humiliter attenteque audiendo discere, quam superbe et intempestive loquendo doctoris officium, quod ætati meæ minus convenit, usurpare.

Vers. 8 et 9.

8 et 9. SED, UT VIDEO, SPIRITUS EST IN HOMINIBUS, ET INSPIRATIO OMNIPOTENTIS DAT INTELLIGENTIAM. NON SUNT LONGÆVI SAPIENTES, NEC SENES INTELLIGUNT JUDICIUM. — Verumtamen, inquit, hoc ego experior nunc verum esse, quod frequenter alias quoque mecum cogitavi; nimirum ipsum esse in hominibus Dei spiritum, qui veram docet homines sapientiam, et Dei inspirationem dare hominibus veram et salutarem intelligentiam; ideoque sapientiam et intelligentiam donum esse omnipotentis Dei, qui per Spiritum suum Sanctum quibus vult, et quando vult, et quantum vult, ea impertitur tam juvenibus quam senibus non habito ætatis aut personæ respectu. Non enim vera ista sapientia sic ætati aut annorum numerositati alligata est, ut oporteat eos omnes qui annos multos vitæ transactæ numerare possunt sapientes haberi; aut eos omnes qui dierum multitudine senes vel cani videntur prudentes ob hoc existimari, et verum æquitatis judicium intelligere. Neque iterum sic est alligata sapientia annis, ut oporteat omnes eos qui sapientia prædíti sunt annos plurimos numerare, aut capillorum canitiem ostentare: e contra enim experimur, multos ætate senes et capillorum canitie perfusos, qui tamen stulti sunt et pueri moribus: quales sunt pueri centum annorum maledicti a Domino, de quibus Isaias ait cap. LXV, 20: « Quoniam puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit. » Iterum alios videmus ætate quidem juvenes, sed judicio maturos et moribus senes, qui *Sap.* IV, 13, « consummati in brevi explerunt tempora multa. » Unde clare patet, scientiam et rerum prudentiam non tam ex multis annis quam ex Dei beneficio ponderandam esse, ut is prudentior habeatur, non qui plures annos habeat, sed cui majorem Deus prudentiam præstiterit. Quæ verissima sententia est: « nam omnis sapientia a Domino Deo est, » ut ait Ecclesiasticus cap. I, 1; et ita sæpe factum est, ut multi juvenes singulari sapientia Dei beneficio excelluerint, ut Joseph, David, Jeremias, Daniel, Joannes Baptista, Joannes Evangelista, et multi alii. Certe David divini Spiritus instinctu pro testimonio dicit *Psalm.* CXVIII, 100: Super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi; » et Sapientia cap. IV, 8: « Senectus, inquit, venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. »

Sapientia a Deo inspiratur.

Sapientia non est annis aut ætati alligata.

Senes sæpe stulti et juvenes prudentes.

Sapientia est donum Dei.

Hanc ob causam sæpe a Deo juvenes magno pretio æstimantur, senes vero pro nihilo habentur: quia hi morum levitate repuerascunt; illi virtutum maturitate consenescunt, id quod D. Ignatius epist. 6 *ad Magn.* pluribus exemplis demonstrat; e quibus probat, non tam adolescentiam quam prudentiam spectandam: « Nec enim, inquit, annosi sapientes continuo sunt, nec senes intelligentiam possident; sed spiritus qui in hominibus est. Daniel enim ille sapiens, cum duodecim esset annorum spiritu Dei afflatus erat; et senes frustra canos ferentes, calumniatores et alienæ formæ appetentes esse coarguit; Samuel autem puer parvulus Heli nonagenarium reprehendit, quod suos filios plusquam Deum honoraret. » Et post alia exempla Jeremiæ, Salomonis et Josiæ, qui admodum juvenes res præclaras ediderunt, concludit: « Adolescentia igitur non est contemnenda, quoties Deo dedita consecrataque fuerit; verum is contemnendus est qui pravo est animo, tametsi malorum dierum tempore plenus sit. » Hinc est illa frequens sacrarum litterarum consuetudo, ut seniores propter morum intemperantiam *pueri* dicantur; juniores propter virtutum excellentiam *senes* appellentur, quasi nulla annorum, sed morum ratio habeatur. Quod recte observavit Philo Hebræus lib. de his verbis: *Resipuit Noe*, ubi hoc pluribus ostendit: « Hic certe, inquit, mos est legislatoris, ut et provectos ætate appellet *juvenes*, et eos qui nondum senuerunt *seniores*, non respiciens annorum numerum, aut tempus breve longumve, sed potentias animæ, quæ movetur melius aut deterius. » Id quod pluribus exemplis illustrat: nam in primis juniorum nomina tribui senioribus, si malis moribus imbuantur, probat primo exemplo Cham, qui inter filios Noe dicitur *minor* non ætate, sed levitate: « Juniorem, inquit, filium dicens non ætatis nomen scribit, sed qualibus moribus præditi sint rerum novarum amatores indicat, » etc. Contra vero eos, qui virtutibus procedunt, quamvis annis adhuc reptent, *seniores* appellari non paucioribus neque obscurioribus exemplis *ibid.* Philo demonstrat: « Jam ostendimus, inquit, non ætate, sed honore præstantes nominari *seniores*; » et in primis ab illis duobus conjugibus S. Patriarchis, Abraham et Sara, exorditur, qui omnium primi in Scriptura *senes* appellantur: « Erant, inquit textus *Gen.* XVIII, 11, ambo senes provectæque ætatis, » non quod ætate, sed quod sanctitate alios præcesserint.

Juvenes boni præferuntur senibus.

Auctoritas non comparatur annis sed moribus.

Senes propter intemperantiam pueri dicantur.

Virtus in pueritia conciliat auctoritatem senilem.

Et rursus de Abraham dicitur *Genes.* XXII, 1: « Erat autem Abraham senex dierumque multorum; et Dominus in cunctis benedixerat ei; » ad quem locum alludens Philo: « Quis ignorat, inquit, quod ille sapientissimus Abraham brevioris ævi quam ullus pene omnium majorum suorum inducitur? illorum tamen, qui diutissime vixerunt, nemo quod sciam, sed solus hic scribitur senior. Dicunt igitur sacra oracula, quod Abraham erat senior ætatis provectæ; et Dominus benedixit Abraham rebusque ipsius omnibus. Quod mihi videtur subjunctum tanquam causam præcedentium, cur *senior* dicatur ille sapiens: cum enim a benigno Deo bene afficitur animæ pars rationalis, nec unam modo, sed omnes benedictionis species accipit, seniliter sapit, atque ita fit senior. » Itaque Abraham et Sara cum multis antiquis Patriarchis ætate fuerint juniores, omnium tamen primi *senes* appellantur, ut matura illis fuisse non tam ætatis quam sanctitatis, neque tam annorum quam benefactorum senectus ostenderetur. Ea de causa D. Paulus *Act.* XVI, 1 et *Rom.* XVI, 21, elegit Timotheum, quamvis multi tunc essent etiam in ipsa Ecclesia senes: quando enim *Philipp.* II, 20 et I *Thess.* III, 2, vidit virum illum eximium (ut qui non solum ab hominibus, sed etiam a Spiritu Sancto testimonium haberet) illum senioribus prætulit I *Timoth.* I, 18. Eam rationem modo sequitur Eliu, qui auditis senioribus dicit se cognoscere Spiritum Dei esse qui inest in hominibus, *q. d.* Verum est nos, re non satis cognita et explorata, non debere judicare senes delirare, aut ipsis non esse loco cedendum; sed potius hunc honorem illi ætati deferre debemus, ut dicamus: Vir qui multa vidit poterit nos docere; sed si animadvertamus ipsum non fungi munere suo, aut tempus quod vixit in mundo perdidisse, tunc si Spiritus Dei sit in juvene aliquo proferat se oportet, et in ordinem naturæ dominetur, ut intelligamus, quia « inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam, » quæ donum est speciale, quod Deus privilegio quodam concedit, quando vult aliquem aliis intelligentiorem esse. Sed Eliu nimis temere et arroganter sibi præ cæteris excellens illud donum divini Spiritus munere concessum esse jactitans, docendi partes sibi sumens subdit:

Abraham et Sara primi dicuntur in Scriptura senes.

Non annorum, sed probitatis et prudentiæ senectus attendenda.

Vers. 10.

10. IDEO DICAM: AUDITE ME, OSTENDAM VOBIS ETIAM EGO MEAM SAPIENTIAM. — Cum igitur, inquit, videam neque in senibus ubique esse sapientiam, neque ubique in adolescentibus ignorantiam (homo enim etiam in juventute sapientiæ est ac disciplinæ capax, quam Deus hominibus inspirat) non est quod vos senes soli de sapientia quasi de propria possessione gloriemini. Quapropter nunc etiam audite sapientiam mihi adhuc in juvenili ætate communicatam: non enim mihi videmini satis pro dignitate vestræ ætatis locuti, a quibus longe majorem exspectaveram sapientiam: quare confidens me non minora nec minus digna prolaturum, jure postulo, ut me novissimo loco loquentem patienter audiatis: ostendam enim quid aut quantum sit in me sapientiæ, ut comparatione mutua possit elucere cui debeatur victoria. Verum arrogantia illa, qua juvenis grandia cogitat, docereque constituit, minime probanda est; quamvis alioquin, si prudentia scientiaque prolixa ætate parta, cum disciplina Spiritus Sancti comparetur, exploratum sit assertionem Eliu esse plane verissimam; sed laus illa propria, qua sibi cœlestem instructionem tribuit, non bene olet. Quatuor quippe sunt species, uti bene notat S. Gregorius lib. XXIII *Moral.* cap. IV, quibus omnium tumor arrogantium demonstratur, aut cum bonum a semetipsis habere se æstimant, quibus contra dicitur I *Corinth.* IV, 7: « Quid habes quod non accepisti? » etc. Aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant, contra quos Paulus dicit *Ephes.* II, 8: « Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est: non ex operibus, ut ne quis glorietur. » Aut certe cum jactant se habere quod non habent, sicut angelo Laodiciæ dicitur *Apoc.* III, 17: « Quia dicis: Quod dives sum et locupletatus, et nullius egeo: nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, cæcus, et nudus. » Aut despectis cæteris singulariter videri appetunt habere quod habent, sicut pharisæus ait *Luc.* XVIII, 11: « Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines. » Eliu ergo quamvis dari a Domino sapientiam confitetur, in hac tamen elationis specie labitur, ut sapientiorem se cæteris gaudeat. Vide hæc fusius apud S. Gregorium jam citatum.

Eliu jactat suam sapientiam.

Sui ipsius insipida est jactantia.

Quatuor species arrogantium.

Vers. 11 et 12.

11 et 12. EXSPECTAVI ENIM SERMONES VESTROS, AUDIVI PRUDENTIAM VESTRAM, DONEC DISCEPTAREMINI SERMONIBUS: ET DONEC PUTABAM VOS ALIQUID DICERE CONSIDERABAM; SED, UT VIDEO, NON EST QUI POSSIT ARGUERE JOB, ET RESPONDERE EX VOBIS SERMONIBUS EJUS — Jure quidem, inquit, vos mihi saltem nunc loquendi locum concedere auremque accommodare debebitis, quandoquidem ego hactenus vos prolixe disputantes patienter audivi; neque sermones vestros interrupi: non enim quia junior sum idcirco mihi perpetuo silendum est; in hoc autem satisfecisse me arbitror officio meo, quod vobis hactenus detulerim, prioremque in loquendo locum concesserim. Verum post verba vestra patienter audita et diligenti consideratione perpensa, video neminem e vobis tribus idoneum esse ad Jobum tam male de Deo loquentem et sentientem redarguendum, quique verbis ejus impiis satis fortiter valeat contradicere, manifestis rationibus ea tam evidenter refellendo et evertendo, ut os ipsi occludatur, et ad metam silentii redigatur: tametsi enim multa diceritis, nequaquam tamen satis valida videntur aut prægnantia, cum Job æque adhuc in sua sententia persistere

Eliu suas etiam sibi vices loquendi expetit.

amicorum Jobi responsiones extenuat.

http://www.obrascatolicas.com

videatur, et vos illi palmam silentes concedatis.

Vers. 13. 13. NE FORTE DICATIS : INVENIMUS SAPIENTIAM : DEUS PROJECIT EUM, NON HOMO. — Septuaginta vertunt, ἵνα μὴ εἴπητε, εὕρομεν σοφίαν Κυρίῳ προσθήσετε· ἀνθρώπῳ ἐπιτρέψατε λαλῆσαι τοιαῦτα ῥήματα, *ut ne dicatis : Invenimus sapientiam Domino adjecti : homini autem permisistis loqui talia verba*; S. Chrysostomus, *neque dicatis : Hoc ipsum sapienter fecimus, quod ad Dei partem nos applicavimus, ejusque justitiam defendimus : nihilominus enim peccastis, quando Job redarguere non potestis;* S. Augustinus hoc aut propinquo huic loco hæc videtur legisse, quæ non longe absunt ab Hebræo, *Deus abjecit eum, et non vir; et sermonibus vestris non respondebo ei.* Ubi ostendit Eliu suos sermones non similes fore aliorum sermonibus, sed longe alia ratione cum Jobo agendum quam alii egerint : quam enim rationem illi secuti sunt? Affligeris, inquiunt, manu Dei, nec sine causa; concludendum est igitur te improbum esse : adeo magna et enormis est afflictio tua, ut ex omnibus hominibus nemo sicut tu vexatus et afflictus sit; unde sequitur te omnes iniquitate superare. En fundamentum quod sumpserunt amici Job cum ipsum redarguere voluerunt. Eliu autem profitetur se non ea ratione cum Jobo acturum, *q. d.* In hoc rei cardinem verti putatis, nempe Deum, cum Jobum sic premat, sic affligat, et aspere tractet, ipsi infensum et inimicum esse : existimatis, inquam, fundamentum illud adeo bonum et validum esse, ut nihil supra; inane tamen est et nullius momenti, quemadmodum jam sæpius declaratum est non sequi, aliquem improbum esse, eo duntaxat quod a Deo affligatur. Nam licet Deus transgressoribus legis sit interminatus se ipsos cum in personis propriis tum in bonis ac liberis puniturum; non tamen hoc fine, sed alia de causa Jobum persequebatur, uti in superioribus luculenter ostensum est. Quod si ergo Deus minetur transgressoribus legis, id non impedit, quo minus eam sibi libertatem retineat, ut cum volet fidelium patientiam exerceat; et quamvis non proponat sibi ab ipsis commissa peccata vindicare, severum tamen et asperum se erga illos exhibere possit, ut ipsos humiliet; quæ vel sola ratio debet sufficere : præterea Deus vult servos suos aliis exemplo esse. Huc accedit, quod opus sit ipsorum affectus carnales edomare et mortificare; unde fit interdum, ut illi severius quam vel improbi ipsi tractentur : an propterea illi improbi habendi sunt? minime. En igitur argumentum inane, quamvis amici Jobi eo nixi fuerint, et sapientiam se invenisse putaverint, valde tamen puerile et frivolum fuit.

Ostenditur quam falso fundamento nitantur argumenta trium amicorum Jobi.

Ex afflictione temporali non potest ferri judicium de culpa.

Quare hic retinendum id quod jam superius attigimus, ut nimirum, cum Deus homines affligat, prudentes simus, nec temere judicemus eum qui flagellis Dei cæsus sit condemnandum esse, et ex afflictionibus metienda esse peccata : nam si quis ea de re regulam aliquam generalem velit constituere, is temere et præcipitanter egerit; cum constet Deum varias habere causas cur homines affligat. Verum quidem est, judicium illius ordinarium ejusmodi esse ut peccata puniat; vult tamen etiam interdum bonorum, et eorum qui ipsum coluerunt, studiumque suum omne ad mandatorum ejus obsequium contulerunt, obedientiam atque patientiam hoc modo probare; unde nonnunquam accidit, ut illi graviores improbis sustineant persecutiones. Cum itaque Deus sibi hanc causam interdum proponat, suspensos nos tenere debemus cum aliquis affligitur; nec propterea eos, qui asperius tractantur, aliis sceleratiores esse judicabimus. Cæterum sunt nonnulli qui locum hunc ita exponunt, quasi tres isti amici dixerint, sapienter se et data opera siluisse, et Jobum amplius urgere noluisse, quod a Deo satis superque vexatus, et de gradu suo dejectus esset, ita ut ipsa ejus miseria plus quam abunde ipsius reprimat arrogantiam. Sed melius et congruentius est sic exponere, quasi dicat Eliu : Ne forte dicatis otiosam fore prorsus et vanam meam disputationem, cum vos quod esset acutissimum telum in obstinatum virum conjeceritis, cum dixeritis percussum esse Jobum a Deo, non ab homine; quo existimabatis aperte concludi peccatorem esse Jobum, quem Deus tam gravi ac fœdo vulnere percusserit; atque ideo sapientem vos excusationem invenisse, cur plura de hac re verba non faciatis. Nam cum ejus miseria conflata fuerit a Deo, qui errare non potest, non debemus decreta et judicia Dei accuratius discutere, ne parum reverenter ea tractare videamur. Quæ explicatio est Stunicæ et Sanctii nostri; atque aptius cum eo congruit quod sequitur.

vel malitia alienius.

Vers. 14. 14. NIHIL LOCUTUS EST MIHI, ET EGO NON SECUNDUM SERMONES VESTROS RESPONDEBO ILLI. — Eliu, inquit Sanctius noster, hic grandia pollicetur, eo peccans vitio, quo acres disputatores, ætate præsertim juniores, solent, quos experientiæ defectus facit audaces : recipit ergo se meliora et firmiora ad rem attinentia prolaturum argumenta, quæ a tribus aliis amicis fuerant prætermissa, quibus Jobi præfractum debilitet et eo deducat indocile ingenium, ut tandem convictus fateatur quod antea negaverat; ideo autem indicat se novis ad oppugnandum Jobum rationibus uti velle quia cum nunquam ad illum usque rerum articulum cum Jobo certavisset, aut cum eo de argumento simili esset collocutus, non erat cur ad seniorum rationes et disputandi formam agendi genus attemperaret, cum neque ipse quidquam objecisset, neque ad ipsum redditum a Jobo responsum foret : quare integrum ipsi relinquebatur argumentum et agendi modus. Quomodo autem hæc promissa servaverit, ex sequentibus constabit : ubi in eumdem errorem incidit, quem in amicis reprehendit.

Eliu arroganter jactat se aliis meliora prolaturum.

Vers. 15, 16 et 17. 15-17. EXTIMUERUNT, NEC RESPONDERUNT ULTRA : ABSTULERUNTQUE A SE ELOQUIA. (Hæc Eliu verba per apostrophen ad aliquos, qui aderant, vel quos

adesse oratorio more fingebat, diriguntur, et expendenda committuntur; seniores autem post hanc etiam increpationem et insultationem Eliu extimuerunt rursus ad stadium redire, et inchoatos cum Jobo conserere sermones; cumque illos adhuc silere videret Eliu subdit) QUONIAM IGITUR EXSPECTAVI, ET NON SUNT LOCUTI : STETERUNT, NEC ULTRA RESPONDERUNT : RESPONDEBO ET EGO PARTEM MEAM, ET OSTENDAM SCIENTIAM MEAM. — Eliu tanquam morosus proœmii textor eadem repetit quæ modo protulit, et quid ipse valeat, se experiri velle sæpe decernit : novellorum nempe militum brachia tollentium et vires suas venditantium hic mos est. Hæc verba satis indicant superiora etiam fuisse Eliu, quando parum a prioribus differunt. Ait igitur se exspectasse secundo ut loquerentur seniores, et illos sibi, ut videri poterant, æternum indixisse silentium : quare sibi relictas videt esse partes respondendi, et si quid habet sapientiæ, quidquid illud sit, coram ostendendi.

Eliu ithrasonice agit.

Arrogans non tam habere quam ostendere scientiam nititur.

« Hanc enim partem suam, inquit S. Gregorius lib. XXIII *Moral.* cap. IV, omnis arrogans æstimat, si scientiam non tam habeat quam ostendat, quia nimirum omnes elati scientiam habere non appetunt, sed ostendere. Quo contra bene per Moysen dicitur *Num.* XIX, 15 : *Vas quod non habuerit operculum et ligaturam immundum erit.* Tegmen quippe operculi vel ligatura est censura disciplinæ silentii, qua quisquis non premitur, quasi vas immundum pollutumque reprobatur. An non vas sine operculo Eliu fuerat, qui hanc esse partem suam æstimaverat, si ostenderet scientiam quam habebat? quasi enim vas sine operculo vel ligatura polluitur, qui per studium ostentationis patens nullo velamine taciturnitatis operitur, » etc.

Vers. 18 et 19. 18 et 19. PLENUS SUM ENIM SERMONIBUS, ET COARCTAT ME SPIRITUS UTERI MEI. EN VENTER MEUS QUASI MUSTUM ABSQUE SPIRACULO, QUOD LAGUNCULAS NOVAS DISRUMPIT. — Eleganter hominem loquendi cupidissimum scientiaque turgentem Eliu repræsentat; ait igitur plenum se esse sermonibus, aut quia in memoria tenebat omnia, quæ in longa disputatione dicta fuerant a Jobo et tribus senioribus, aut quæ ipsi occurrebant ad producendam disputationem opportuna; dicit ergo urgeri se vehementer a verborum copia, quæ sic intima complent distenduntque præcordia, ut timendum sit, ne si diu continere luctetur ilia rumpantur. Id quod duplici similitudine ad rem explicandam apposita illustrat : una est a parturientibus; altera a lagunculis musto occluso plenis petita; ac primum quidem ait se videri similem mulieri, in quam dolores partui proximi incubuere, illamque ad enitendum fœtum impulere : hanc quippe vim prodit ille dicendi modus : « Coarctat me spiritus (id est vis, vigor, ardor, impetus) *uteri* mei, » quo loquendi modo, aut Spiritu ait se instinctum esse divino, quod indicarat *supr.* vers. 8, cui nemo unquam restitit impune; aut abundare verbis et rationibus, quæ cum erumpere gestiant et prodire foras, illa velle comprimere magni conatus est et doloris ingentis. *Spiritus* igitur aut verba sunt, quæ ex aere sive spiritu formantur; aut internus impulsus, qui animum quiescere non sinit, donec conceptum sermonem foras effundat. *Uterus* aut memoria est, quæ rerum species aut verborum continet ac servat; aut animus ipse qui concipit, et concepta parturit. Est autem a parturiente sumpta metaphora, quæ conceptum et jam maturum fœtum, ut maxime cupiat renitaturque, fieri tamen non potest quin enitatur, atque in lucem edat : ita Sanctius noster, qui addit fortassis hanc similitudinem duci ab utribus vel follibus, qui sic vento nonnunquam distenduntur, ut levi interdum motu rumpantur.

Eliu loquendi cupidissimus et scientia turgidus.

Homo loquax similis est parturienti.

Qui autem loquacissimi sunt, et verbis aut rebus abundant, quæ aut effutiant leviter aut detinent superbe, *folles* dicuntur *vento pleni*, quorum ferrariis usus est; quam similitudinem. Septuaginta versu sequenti adjiciunt isti de utribus aut lagunculis musto plenis, dum sic vertunt, ἡ δὲ γαστήρ μου ὥσπερ ἀσκὸς γλεύκους ζέων δεδυμένος, ἢ ὥσπερ φυσητὴρ χαλκίων ἐξρηγώς, *venter autem meus sicut uter musto fervens ligatus, aut veluti follis ærarii diruptus;* ubi duas conjungunt similitudines, quarum prima congruit vulgato, secunda eumdem sensum amplificat : follis enim fabri ferrarii nimio vento distentus dum nervose constringitur crepat, non secus ac laguncula vel uter musto plenus, nisi respiraculum aliquod apertum habeat. Utraque aptissima est et proverbialis comparatio, qua explicatur ingenium loquax et impotens silentii : sunt enim nonnulli quos sic discruciant verba compressa et cogitationes vehementer inflatæ, ut disrumpant viscera : sicut mustum recens expressum a vindemia, nisi apertum sit orificium vasculi aut utris, per quod furor ille æstusque despumet et defervescat, dolia diffringit. Ex hoc, opinor, loco orta sunt aliqua proverbia in Scriptura sacra, quæ studium vehemens loquendi significant, quod cum parturientis dolore ac nixu comparatur, quale est illud *Eccli.* XIX, 11 : « A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis; » et *ibid.* vers. 10 : « Audisti verbum adversum proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet. » Neque multum abest ab his verbis Eliu illud *ibid.* vers. 12 : « Sagitta infixa femori canis, sic verbum in corde stulti. » Plura invenies quæ hinc sumuntur, aut huc alludunt : vide quæ diximus *supr.* cap. IV, 2, ad illa verba : « Conceptum sermonem tenere quis poterit? »

Verbosi homines cum follibus et utribus comparantur.

Tropologice S. Gregorius lib. XXIII *Moral.* cap. X, ex hoc loco infert non omittendam esse correptionem, etiamsi audientes nullam ex ea utilitatem capiant : plerumque enim contingit, ut hi qui e suggestu loquuntur ad populum, et alii quibus proximum corripiendi munus incumbit, libera voce vitia insectentur; si vero animadverterint se oratione sua nihil proficere, sibi silen-

Correptio etiam adhibenda cum scitur auditoribus non profutura.

http://www.obrascatolicas.com

tium imperent; quos sugillat Gregorius, ostendens quantum malum impendat eis, qui cum ratione injuncti sibi muneris teneantur male agentes correptione retundere, verbis parcunt. Huc autem refert exemplum musti ab Eliu propositum quod e prælo expressum dum decoquitur, dum fervet, si contineatur, facile vasa vinaria disrumpit, ita ut vinum diffundatur : non secus, inquit, qui ex officio tenentur crimina objurgare, dum silent, tam sibi quam aliis maximum inferunt nocumentum. Confirmat porro idem hisce verbis *Jerem.* XX, 9 : « Et dixi : Non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius, » *q. d.* Cum nihil me proficere viderem sermonibus, decrevi silentium mihi indicere, et ultra non loqui; verum quid ex isto silentio passus sit Propheta ostendit dum subdit : « Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans claususque in ossibus meis, et defeci, ferre non sustinens. » Veluti enim ignis in terræ visceribus conclusus terram concutit, et montes evertit, donec via vi facta eluctetur, et ad superna loca emergat : non aliter depravatorum morum objurgatio si corde contineatur animum lædit, et reipublicæ officit : vide hac de re fusius S. Gregorium loco *supr.* indicato.

Vers. 20, 21 et 22.

20-22. LOQUAR, ET RESPIRABO PAULULUM : APERIAM LABIA MEA, ET RESPONDEBO. NON ACCIPIAM PERSONAM VIRI, ET DEUM HOMINI NON ÆQUABO. NESCIO ENIM QUAMDIU SUBSISTAM, ET SI POST MODICUM TOLLAT ME FACTOR MEUS. — Vim verborum quasi pondus aliquod importabile sustinere non poterat Eliu : a quo sic premebatur anguste, ut videretur, si non verba ageret, animam acturus : ait igitur velle se loqui, ut laborantem spiritum aliquantulum laxet, et ab illo difficili atque molesto pondere seipsum exoneret : antequam autem id faciat, suam causam et studium commendat, dum ait in hac disceptatione nihil sibi fore veritate potius, atque ita pro Deo constanter esse certaturum, ut nulla ipsum humana ratio aut personarum acceptio transversum actura sint a recto sinceroque judicio. *Non accipiam,* inquit, *personam viri,* quem locum Septuaginta uberiori paraphrasi sic illustrant, ἄνθρωπον γὰρ οὐ μὴ αἰσχυνῶ · ἀλλὰ μὴν οὐδὲ βροτὸν οὐ μὴ ἐντραπῶ · οὐ γὰρ ἐπίσταμαι θαυμάσαι πρόσωπα, *hominem enim non verebor : sed neque erga mortalem confundar : non enim novi admirari facies :* loquar, inquit, o Job, et sic loquar, ut veritatem dicam, nulla personarum acceptione interposita, non respiciens ad dignitatem aut ad officium; canos non reverebor, dummodo veritatem, quam profiteor, tuear. *Accipere* enim *personam* familiarissima phrasi sumitur pro abusu gratiæ hominum, quod vitium admittitur, dum plus personæ quam veritati meritisque tribuitur. Hoc igitur a se propulsat Eliu, gravi pollicitatione asserens se in nullius gratiam quidpiam a veritate alienum prolaturum.

Eliu silentium suum abrumpit ut spiritum laxet.

Prædicator quomodo increpare debeat.

Quid sit proprie personarum acceptio.

Quid Deum homini æquare.

DEUM HOMINI NON ÆQUABO. — Quid est *Deum homini æquare,* nisi Deum homini assimilare, et ita hominem tractare ac si esset Deus, in quem nulla cadit aut cadere potest iniquitas? unde bene aliæ translationes habent, *non mutato nomine loquar,* ita Vatablus; vel *hominem non cognominabo,* ita Pagninus : quid enim aliud est *hominem cognominare,* quam tacite suppresso nomine proprio nomen ei aliquod imponere honorificum ac præclarum? Unde tantumdem est Eliu Jobo dicere : *Hominem non cognominabo,* q. d. Propriis te nominibus appellabo, non fictitiis; si justus eris, justum; si peccator, peccatorem; et ne exspectes a me cognomen aliud, quam proprium tuum erit nomen : non enim te Deum faciam cum sis homo. Sic certe justi in increpationibus ex zelo procedunt justitiæ, ut inflatus ille Eliu ex zelo arrogantiæ, dum sic in vitia invehunt, ut nullam respicientes hominis personam cognomen non imponant : non enim adulantur, nec crudelitatem *justitiam* dicunt, nec tenacitatem *prudentiam,* nec effusionem *liberalitatem,* ut faciunt mali, quorum proprium est nomina virtutum vitiis imponere, ut S. Chrysostomus lib. III *Contr. Vitup. vitæ Monast.* his verbis notat : « Homines perditi et vitia et virtutes contrariis nominibus vocant : quippe circensibus ludis et reliquis spectaculis jugiter interesse *urbanitatem* et *facetias* vocant; divitiis affluere *liberalitatem;* gloriam amare *magnanimitatem;* arrogantiam, *confidentiam;* prodigalitatem, *clementiam;* injustitiam, *fortitudinem.* Virtutes quoque vitiorum nominibus nominant : nam pudicitiam *rusticitatem* vocant; modestiam *formidinem;* justitiam *imbecillitatem;* contemptumque fastus et gloriæ servilis esse animi æstimantes; et tandem malorum tolerantiam *ignaviam* et *infirmitatem.* » Quod etiam elegantibus verbis prosecutus est S. Basilius hom. 15 ex variis *in Psalm.* : « Multi sunt, inquit, qui pro bonis pravas comprobant actiones, et vitia virtutibus vicinis honestare contendunt : nam scurrilia loquentem ut bonum ac lepidum; turpiloquum vero politicum; amarulentum et iracundum neutiquam contemnendum prædicant; parcum vero ac minime liberalem ut sobrium dispensatorem commendant; prodigum quoque ut liberalem; libidinosum vero et lascivum et voluptuarium animi solutioris virum : utque semel dicam, vitium omne palliant adumbrata nomenclatura e vicino subjectæ virtutis : unde reos æternæ damnationis ab ea quæ approbant sese constituunt. » Tremenda hæc postrema sancti verba, quorum quid simile hic Eliu se timere significat, si ad aliorum gratiam et non ex veritate loqueretur : « Nescio enim, inquit, quamdiu subsistam, et si post modicum tollat me factor meus, » quasi diceret, interprete Lyrano : Vera loquar, quia alias pro ista taciturnitate condemnabor.

Quid Deum homini æquare.

Mali nomina virtutum vitiis imponunt.

Huc pertinet illa Sapientis admonitio *Eccli.* IV, 24 : « Pro anima tua ne confundaris dicere verum, » quod Jansenius ibi dupliciter exponit, *pro vita tua corporali, vel pro vita tua spirituali.*

Veritas vita charior esse debet.

Priori modo sensus est : Pro vita tua temporali defendenda a dicenda veritate ne desistas, hoc est ne taceas veritatem, ut vitam tuam temporalem tuearis; si tibi unum e duobus periculis subeundum sit, aut amittendæ vitæ, aut occultandæ veritatis, illud prius subeas non hoc posterius : æquum enim est ut veritatem habeas vel vita ipsa charioremm. *Posteriori* modo sensus est : Pro tua conscientia a peccato liberanda verum dicere ne formides, hoc est, ut conscientiæ tuæ consulas magna cum libertate verum loquere; si tacendo incurras culpam, cave ne taceas : nullus te pudor, nullus timor ad hanc ignavam taciturnitatem cum salutis tuæ periculo impellat. Et paulo post subdit Ecclesiasticus cap. IV, 27 : « Ne revereare is proximum tuum in casu suo, ne retineas verbum in tempore salutis, » hoc est, ne propter intempestivum pudorem aut timorem desinas corripere proximum tuum, quem vides in peccatum misere corruisse, et speras in priorem statum per tuam correptionem erigendum. Septuaginta interpretes sic reddunt ultimum hemistichium, εἰ δὲ μή, καὶ ἐμὲ σῖτες ἔδονται, *alioquin et me tineæ edent;* quod supplicii genus Jobi calamitati non absimile videtur : tinea enim metaphorice accepta commodum significatum habet cujusvis vexationis vel cruciatus, quo homo infestatur atque consumitur. Ratio hæc sane gravissima est, quæque homines maxime a peccando perversoque judicio deterrere debet, quia incertum est, quando ex hac vita hominibus excedendum sit; certum vero post mortem futurum esse judicium, ac tandem posse fieri, ut statim atque suam disputationem absolverit, ipsum tollat e vivis ille a quo creatus est, et ad judicium avocet, ubi judicetur reus acceptæ personæ aut corrupti judicii. Vitæ itaque incertitudo et mors, quæ semper ante oculos oberrat, perpetuo nos admonet, ne quid audeamus, cujus a nobis severus et incorruptus Judex exigat pœnas. Addit S. Thomas timuisse Eliu ne satis a Deo concederetur spatii, ut acceptæ personæ aut injusti judicii crimen pœnitendo purgaret; et notat in hoc Eliu cum Jobo concordasse, quod retributio peccatorum esset post mortem : alias enim propter mortis vicinitatem frustra videretur timuisse Deum offendere.

Omnia pericula subeunda ut conscientiæ consulatur.

Mortis et judicii timor continet homines a peccando.

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliu convertit suam orationem ad Jobum, redditque benevolum et attentum ex sui animi sinceritate, qua illius temeritatem coarguit, quod de suis ærumnis expostulare cum Deo ausus fuerit; et de ipso conqueratur, quod sæpe interrogatus, nunquam tamen ad interrogata responderit : interim docet non inquirendam curiosius ab homine divinorum operum rationem, sed res nostras illius arbitratui permittendas; qui solet nihilominus multis modis quid velit aut quid futurum sit non obscure significare; unde Jobum hortatur ad vitæ emendationem et sanctorum invocationem, ut sibi Deum hoc modo reddat propitium.

1. Audi igitur Job eloquia mea, et omnes sermones meos ausculta. 2. Ecce aperui os meum, loquatur lingua mea in faucibus meis. 3. Simplici corde meo sermones mei, et sententiam puram labia mea loquentur. 4. Spiritus Dei fecit me, et spiraculum Omnipotentis vivificavit me. 5. Si potes, responde mihi, et adversus faciem meam consiste. 6. Ecce, et me sicut et te fecit Deus, et de eodem luto ego quoque formatus sum. 7. Verumtamen miraculum meum non te terreat, et eloquentia mea non sit tibi gravis. 8. Dixisti ergo in auribus meis, et vocem verborum tuorum audivi : 9. Mundus sum ego, et absque delicto : immaculatus, et non est iniquitas in me. 10. Quia querelas in me reperit, ideo arbitratus est me inimicum sibi. 11. Posuit in nervo pedes meos, custodivit omnes semitas meas. 12. Hoc est ergo, in quo non es justificatus : respondebo tibi, quia major sit Deus homine. 13. Adversus eum contendis, quod non ad omnia verba responderit tibi? 14. Semel loquitur Deus, et secundo id ipsum non repetit. 15. Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo : 16. Tunc aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina. 17. Ut avertat hominem ab his quæ facit, et liberet eum de superbia : 18. Eruens animam ejus a corruptione : et vitam illius, ut non transeat in gladium. 19. Increpat quoque per dolorem in lectulo, et omnia ossa ejus marcescere facit. 20. Abominabilis ei fit in vita sua panis, et animæ illius cibus ante desiderabilis. 21. Ta-

http://www.obrascatolicas.com

bescet caro ejus; et ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur. 22. Appropinquavit corruptioni anima ejus, et vita illius mortiferis. 23. Si fuerit pro eo angelus loquens, unus de millibus, ut annuntiet hominis æquitatem : 24. Miserebitur ejus, et dicet : Libera eum, ut non descendat in corruptionem : inveni in quo ei propitier. 25. Consumpta est caro ejus a suppliciis, revertatur ad dies adolescentiæ suæ. 26. Deprecabitur Deum, et placabilis ei erit : et videbit faciem ejus in jubilo, et reddet homini justitiam suam. 27. Respiciet homines, et dicet : Peccavi, et vere deliqui, et, ut eram dignus, non recepi. 28. Liberavit animam suam ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret. 29. Ecce, hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos. 30. Ut revocet animas eorum a corruptione, et illuminet luce viventium. 31. Attende Job, et audi me : et tace, dum ego loquor. 32. Si autem habes quod loquaris, responde mihi, loquere : volo enim, te apparere justum. 33. Quod si non habes, audi me : tace, et docebo te sapientiam.

Vers. 1, 2 et 3.

1-3. AUDI IGITUR JOB ELOQUIA MEA, ET OMNES SERMONES MEOS AUSCULTA : ECCE APERUI OS MEUM, LOQUATUR LINGUA MEA IN FAUCIBUS MEIS : SIMPLICI CORDE MEO SERMONES MEI, ET SENTENTIAM PURAM LABIA MEA LOQUENTUR. — Disponit artificiose Jobum Eliu ut æquo animo et sine offensione audiat, quasi dicturus sit eximium aliquid et attentione benevola non indignum : Audi, inquit, o Jobe, sermones meos, et sententiarum pondere fœcunda verba diligenter expende, ne ea quæ ad tuam emendationem et salutem a me proferuntur, tua oscitantia aut incuria sine profectu ullo tibi abeant : ecce jam cœpi ex rationis judicio, urgente veritatis zelo, non passione aliqua vanitatis impellente, aperire ad loquendum os meum : jam ad loquendum laxavi linguam oris mei, quam hactenus silentio constrictam tenui, donec vos loqueremini. Quid autem per *apertionem oris* significetur passim in Scripturis habes *supr.* cap. III, 1 fusius explicatum; *in faucibus* vero *loqui* est silenter dicere, et non clamoribus vociferari. Cæterum, inquit, mi Jobe, quo tibi amplius proficiant et efficacius præstent remedium verba mea, hoc tibi jam ante protestor, non in duplicitate animi aut fraudulentia verborum acturum me tecum, sed in simplicitate cordis et verborum rectitudine, *q. d.* Verum quidem est me loqui lingua, et palato verba mea proferre; sed tamen sermones mei sunt rectitudo cordis mei, nec ex ore meo quidquam nisi verum et rectum audies. En quod profitetur Eliu ut audiatur, se nimirum non simulate et more hominis duplicis locuturum, sed prout res cognoverit, et sibi illæ fuerint revelatæ, illas sincere et ingenue prolaturum.

Eliu captat benevolentiam et attentionem :

profitetur animi candorem et sinceritatem.

Vers. 4.

4. SPIRITUS DEI FECIT ME, ET SPIRACULUM OMNIPOTENTIS VIVIFICAVIT ME. — Alludit ad primi hominis formationem, quem *Genes.* II, 7 finxit Dominus de limo terræ, et « inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, » id est animam; videtur autem Eliu hoc præmittere, ne contemnatur ejus ætas, quasi innuat facile esse Deo qui condidit hominem sapientiam juniori ætati suggerere atque inspirare. Videtur etiam cohærens sensus, si verba illa, *Spiritus Dei fecit me*, ad creationem; *spiraculum Omnipotentis*, ad vitalem quamdam motionem pertineant, quasi Deus illum ad disceptandum impellat. Quamobrem, inquit, minime tibi mirum videatur, si ego mihi videar aliquid posse adferre auditu dignum coram vobis ætate senioribus : nimirum spiritus ille omnium artifex, qui Deus est et creator omnium, me fecit hominem rationis participem ad imaginem et similitudinem suam; et inspiratio omnipotentis Dei mihi vitam contulit per creationem infundendo corpori meo animam præditam ratione, quæ mihi vitæ principium exsistit. Anima enim humana cum sit spiritus a materia non educitur, nec alio modo quam ex nihilo produci potest et per creationem : quæ cum postulet infinitam vim in agente, solius divinæ potentiæ est, non angelicæ, multo minus humanæ, ut subtiles et accuratæ scholæ theologorum nos monent. Quamobrem hoc loco scite *spiraculum Omnipotentis* nuncupatur, cujus est expressa quædam effigies, quantum illa interminata vis ac natura omni cogitatione major hoc restricto et exiguo in opere repræsentari potest. Ex illo fonte lucis prodiit hic purus radius et candor lucis æternæ. Tanti patris hæc aurea est proles, de Numinis prosapia, cœli hæres divina, de qua loquens Nazianzenus *Orat.* 1 heroico stylo more suo ita prædicat : Ἐκ Θεοῦ θεία καὶ τῆς ἄνωθεν εὐγενείας μετέχουσα, *ex Deo divina supernæque nobilitatis particeps*, in ea est imago divinitatis, in ea similitudo. *Imago* ad naturam spectat, *similitudo* ad divinos mores, est enim in humana anima trias quædam cum unitate copulata, in qua fit illa admiranda divinæ mentis expressio; et licet unius illa naturæ, tres tamen in se dignitates habet, intellectum, voluntatem et memoriam, in quibus noster interior homo Numinis imaginem mirabiliter gerit; unde ex illis quasi excellentioribus animæ dignitatibus jubemur diligere conditorem, ut in quantum intelligitur diligatur, et quantum diligitur semper in memoria habeatur; et ideo juste mihi videtur dictum, interiorem hominem imaginem esse Dei. Similitudo autem, ut aiebam, in divinis moribus elucet, in bonitate, in sanctimonia, in gratia, in virtutum illustrium apparatu, in reliquis dotibus ac S. Spiritus donis, quibus Deo parenti suo similis efficitur. Postquam ergo, inquit Eliu, talem Deus me creavit, nihil mirum si etiam ego quædam possim auditu digna ex Dei omnipotentis inspiratione sive naturali sive gratuita proferre.

Hominis formatio qualis.

Animæ humanæ dignitas quanta.

Vers. 5.

Eliu provocat Jobum ad singulare certamen.

5. SI POTES RESPONDE MIHI, ET ADVERSUS FACIEM MEAM CONSISTE. — Provocat Eliu Jobum ad singulare certamen iis verbis utens quæ ardentem ætatem indicant, militis scilicet recenter in arma venientis, qui maximarum rerum ampla cogitatione intumescit : Age, inquit, mi Jobe, tu ipse mecum certamen rationabilis disputationis aggredere, ut iis, quæ a me contra te objicienda sunt, si possis, respondeas, eaque congruis rationibus dissolvas : descende mecum in arenam, pedemque mecum conferto, et ex adverso contra faciem meam te opponito, ut experiaris, utrum impetum verborum et argumentorum meorum valeas sustinere. Ille dicendi modus : *Si potes responde mihi*, etc., nescio quid elationis portendit, quasi Jobum Eliu præ se despiciat et contemnat, id quod S. Gregorius lib. XXIII *Moral.* cap. IX, bene annotavit : « Ecce, inquit, dum narrat ordinem veræ conditionis, in fastum subito superbæ elationis erumpit, » cujus rei rationem paulo ante *ibid.* cap. VII dederat dicens : « Hoc enim habet proprium doctrina arrogantium, ut humiliter nesciant inferre quod docent, et recta quæ sapiunt recte ministrare non possint : in verbis enim eorum proditur, quod cum docent, quasi in quodam sibi videntur sublimitatis culmine residere, eosque quos docent, ut longe infra se positos, velut in imo respiciunt, quibus non consulendo loqui, sed vix dominando dignantur. At contra, vera doctrina tanto vehementius hoc elationis vitium per cogitationem fugit, quanto ardentius verborum suorum jaculis ipsum magistrum elationis insequitur : humilitatem namque magistram omniumque matrem virtutum et loquendo dicere et vivendo conantur ostendere, ut eam apud discipulos veritatis plus moribus quam sermonibus eloquantur. Hinc Paulus ait I *Thess.* II, 7 : *Facti sumus parvuli in medio vestrum.* » Ubi ostendit quodnam sit officium boni doctoris, ut nimirum diligenter se intueatur antequam os aperiat : quia illi, quibus non satis sua fragilitas cognita est, proximorum commiseratione non tanguntur; cumque volent eos qui peccarunt redarguere, ea violentia et impetu procedent, ut miseros errones potius a via longius abducant, quam in ipsam reducant : cumque consolandum erit, nulla ejus rei facultate præditi erunt : si docendum sit, cum fastidio eo munere fungentur. Ut ergo rite alios doceamus, ante omnia nostras ipsi infirmitates cognoscamus oportet; quibus cognitis ad modestiam et mansuetudinem adducamur, quo spiritu leni et mansueto peccantes corripere et ignorantes instruere valeamus : qui enim miserias suas non cognoscit nulla commiseratione ducitur, qua se ad alterius tristitiam componat ipsique respondeat. Si igitur volumus consolari miseros afflictos, sciamus quid sit miserum esse, non ignari simus illius conditionis; afflictione et tristitia tangamur, eo ut consolemur nos una cum iis qui tristes sunt, et ad ipsos nos accommodare possimus. Hinc Eliu ut facilius id quod intendit, Jobo persuadeat, ipsi se in omnibus quoad fieri potest assimilare non dubitat dicens :

Doctrina arrogantium infata est.

Vera doctrina humilitatem redolet.

Docto, ris munus quale.

Vers. 6 et 7.

6 et 7. ECCE ET ME SICUT ET TE FECIT DEUS; ET DE EODEM LUTO EGO QUOQUE FORMATUS SUM. VERUMTAMEN MIRACULUM MEUM NON TE TERREAT, ET ELOQUENTIA MEA NON SIT TIBI GRAVIS. — Inducit Eliu creationis mentionem parem, sed disparem sapientiam et eloquentiam, ne Jobus juniorem ex ætate, sed ex collato sapientiæ dono censeat, judicetque non dignum modo cum quo decertet, sed tanto sapientiorem, ut ad ineundum cum eo certamen animum roborare opus sit, *q. d.* Non est, o Jobe, quod recuses disputare mecum, quasi cum impari et indigno quocum agas, quemadmodum solent nonnunquam seniores superbe contemnere juniores etiam rationabilia loquentes : ecce enim unus idemque Deus omnipotens, qui ambos nos fecit secundum animam ad imaginem et similitudinem suam ratione et intellectu pollentes; ex eodem limo pariter utriusque corpus idem ille artifex efformavit. Unde sive animam spectemus, hac ex parte æqualis invenimur dignitatis, ut non debeat alter alterum quasi fastidiendo spernere; sive corpus istud crassum et corruptibile consideremus, eadem similiter est indignitas aut materiæ vilitas utriusque, ut neque hac ex parte possit alter præ altero inflari, aut alter alterum dedignari. Rursum vero, inquit, et illud te præmoneo, si forte, cum rem ipsam eloqui aggrediar, sermo meus tibi videbitur pro ratione meæ ætatis nimium excellens et admirabilis, et quasi miraculum quoddam ob tantæ sapientiæ in tantilla ætate raritatem et insignem excellentiam, ne ob hoc terrearis, aut conturberis, sic ut propterea non audeas respondere mihi, vel obstupefactus negligas attendere ad ea quæ loquar.

Eliu se natura Jobo parem, sed sapientia et eloquentia superiorem jactat.

In Hebræo versus hi ita sonant, *ecce ego secundum os tuum pro Deo, ex luto excisus fui etiam ego : ecce terror meus non exterrebit te, et manus mea super te non erit gravis*, ubi Eliu respondet ad id quod Job superius postularat, ut nimirum Deus sine eo terrore, quem sentiebat, accederet dicens cap. XIII, 21 et cap. XVI, 22 : « Formido tua non me terreat : voca me, et ego respondebo tibi : aut certe loquar, et tu responde mihi. Atque utinam sic judicaretur vir cum Deo, quomodo judicatur filius hominis cum collega suo. » En quomodo Job loquebatur, cui Eliu hic ita respondet : « Ecce me secundum os tuum, » id est secundum id quod tu postulasti; vel, ut alii exponunt, *ecce me secundum mensuram tuam*, hoc est, tibi sum similis (utrumque enim hebræum כפיך *kephicha* significat) ut sit sensus, ac si dicat se non

http://www.obrascatolicas.com

esse Deum, ut velit Jobum terrere, sed ex luto non secus quam Jobum creatum esse; nihilominus se cum eo iis rationibus et argumentis pro causa Dei acturum, ut Jobum vinci oporteat. « Quid est hoc, inquit S. Gregorius lib. XXIII *Moral.* cap. IX, quod Eliu ordinem veræ conditionis agnoscit, et modum rectæ locutionis ignorat? quid est, quod se B. Jobo et conditus exæquat, et locuturus exaltat, nisi hoc, quod arrogantes omnes cunctis quidem hominibus se æqualiter conditos meminerunt, sed per fastum scientiæ auditores suos æquales sibi vel esse vel credere dedignantur, eisque se per naturæ conditionem conferunt, sed per tumorem scientiæ superponunt?» Pulchrum ad hanc rem illustrandam apologum vide apud Cyrillum lib. II *Apolog.* cap. XVI: *Contra arrogantes ex eloquentia,* ubi ranam cum anguilla loquentem inducit; item cap. XV: *Contra tumentes ex scientia.* Post longam itaque et verbosam præfationem tandem rem ipsam aggressurus Eliu, primum ea quæ male a Jobo dicta esse arbitrabatur proponit.

Vers. 8, 9, 10, 11 et 12.

8-12. DIXISTI ERGO IN AURIBUS MEIS, ET VOCEM VERBORUM TUORUM AUDIVI : MUNDUS SUM EGO ET ABSQUE DELICTO; IMMACULATUS, ET NON EST INIQUITAS IN ME. QUIA QUERELAS IN ME REPERIT, IDEO ARBITRATUS EST ME INIMICUM SIBI. POSUIT IN NERVO PEDES MEOS, CUSTODIVIT OMNES SEMITAS MEAS. HOC EST ERGO IN QUO NON ES JUSTIFICATUS : RESPONDEBO TIBI, QUIA MAJOR SIT DEUS HOMINE. — Recenset Eliu nonnulla Jobi dicta in speciem duriuscula, ex quibus eum confutare parat; quo autem suam aliis pietatem et studium probet, divini nominis et æquitatis defensionem suæ disputationi prætendit : quædam igitur repetit quæ vere dicta sunt a Jobo; aliis nonnihil affingit quod causam Jobi injuste premit, et illius gloriam aliquantulum obscurat: alia aut non intelligit, aut interpretatur iniquius. In quibus exponendis non est quod immoremur, quia jam suis locis sufficienter, opinor, explicata sunt : tantum in illa hic digitum intendemus, et ex iis, si in sensu quo prolata sunt accipiantur, contra Jobum nihil concludi ostendemus. Ac prima quidem verba, quæ in Jobi oratione improbat Eliu, sunt ea quæ dixit cap. X, 7 : « Et scias, quia nihil impium fecerim; » et cap. XVII, 2 : «Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus; » in eo autem quod ait : « Querelas in me reperit, » etc., alludit ad ea quæ Job dixit cap. IX, 30 : « Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me; » et cap. X, 15 : « Si impius fuero, væ mihi est : et si justus, non levabo caput saturatus afflictione et miseria; » et vers. 17 : «Instauras testes tuos contra me : et multiplicas iram tuam adversum me; » et cap. XIII, 26 : « Scribis contra me amaritudines, ideo arbitratus est me inimicum sibi; » *ibid.* vers. 24 : «Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum?» Verba vero illa, *posuit in nervo pedes meos,* etc., Jobus extulit cap. XIII, 27. Ex quibus liquet Eliu attente Jobi verba observasse, fidaque memoria retulisse; per hæc autem ipsa compendiario et firmissimo, ut credit, argumento Jobum prosternere nititur, quod cum Deus major homine sit, plurima efficit, quorum rationes homo ignarus ac fragilis minime assequitur; ac propterea debet Deo, quidquid agat, acquiescere, nec ab eo quidquam scisciatari, vel se acerbe tractatum conqueri. Et quidem hoc argumentum Eliu ex genere suo nervosum, ex personis tamen et circumstantiis expensum friget : ut enim ex variis locis *supr.* expositis constat, actus virtutum egregii fuerunt, dolorem exhalare, innocentiam suam asserere, querimonias proferre, ac in vera doctrina de providentia Dei tuenda ex occasione calamitatis suæ Jobum varia vota concipere, nunc Dei judicium optare, nunc ad illud provocare, nunc mortem expetere, atque id genus alia quæ suis jam locis exposuimus.

Argumentum Eliu contra Jobum.

Quænam Eliu in Jobi dictis reprehendat.

13 et 14. ADVERSUS EUM CONTENDIS, QUOD NON AD OMNIA VERBA RESPONDERIT TIBI? SEMEL LOQUITUR DEUS, ET SECUNDO ID IPSUM NON REPETIT. — Hoc tangit illud quod Job multa contentione cap. X, 2 dixit : « Indica mihi cur me ita judices? Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, et opprimas me opus manuum tuarum?» etc.; et cap. XIII, 23 : « Responde mihi, quantas habeo iniquitates et peccata? » etc. Qua in re Eliu Jobum arguit impudentiæ, quod sæpe rationem exigat a Deo, cur hæc vel illa faciat; quasi esset similis sibi aut etiam inferior, qui alieno præscripto viveret, non arbitratu suo. Quomodo autem Deus nobis loquatur deinceps edisserit dicens : « Semel loquitur Deus, » etc.; hebraice *in una* seu uno modo indicat mentem suam, *q. d.* Non opus est ut Deus multis et variis viis ac rationibus instar causidicorum exponat, et probet hominibus cur quodque agat; sat nobis esse merito debet, quod vel una via et una vice id manifestet, puta vel per vocalem internam aut externam locutionem, eamque vel in somnis, vel in vigilia, per se, per angelum, vel per prophetam; vel absque vocali locutione, per aliquam realem rationem suam mala puniendo, bona remunerando, manifestat nobis causas actionum suarum; v. g. puniendo te tot morbis, tot plagis, aperte indicat te injustum fuisse : neque enim puniret te, nisi pœnas promeritus fuisses. Hos loquendi modos prosequitur a vers. 15 usque ad vers. 25, ostendens divinæ locutioni cuicumque statim ac prompte acquiescendum atque obediendum esse, juxta monitum Psalmistæ *Psalm.* XCIV, 8 : «Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. » Symmachus et Aquila hoc loco vertunt, πάντες γὰρ οἱ λόγοι αὐτοῦ ἀναντίῤῥητοι, *omnes enim sermones ejus sunt ejusmodi, quibus contradici non possit,* id est, sunt irrefragabiles, refelli non possunt; id quod Olympiodorus explicat : Deum nunquam dicti pœnitet, cui proinde semel pronuntiasse est satis. Vel etiam ait *semel,* quia semel sapientia sua decrevit, quodcumque tandem sive de probis sive de reprobis facturus est judicium. Quod autem Deus semel dicit, id non minus firmum fixumque est quam quod dictum millies : decreta enim Dei immutabilia nec syllaba, nec litterula, nec apice mutari possunt; verbis suis insistit Deus : eadem omnino phrasi David usus ait *Psalm.* LXI, 12 : «Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, » etc.; ad quem locum consule nostras *Annot.* tom. II *Expos. Patr. græc. in Psalm.,* quæ huic quoque loco mutuam lucem addent.

Vers. 13 et 14.

Non est a Deo facti ejus ratio exigenda.

Decreta Dei immutabilia.

Deus nobis per Scripturam loquitur in communi, qua singulis respondet in particulari.

Tropologice semel omni homini per Scripturam loquitur Deus, nec ulterius singulis hominum cogitationibus per prophetarum voces vel angelorum ministeria interrogatus respondet : ita S. Gregorius lib. XXIII *Moral.* cap. XI, cujus hæc sunt verba : « Deus singulorum cordibus privatis vocibus non respondet; sed tale eloquium constituit, per quod cunctorum quæstionibus satisfacit : in Scripturæ quippe ejus eloquio causas nostras singuli, si requirimus, invenimus; nec opus est in eo, quod specialiter quisque tolerat, responderi sibi divina voce specialiter quærat : ibi enim nobis omnibus in eo quod specialiter patimur communiter respondetur; ibi vita præcedentium sit forma sequentium. » Sed quamvis fatear non esse privatas a Deo locutiones requirendas, cum una Scriptura divinitus inspirata satis sit ut omnibus satisfiat; adhuc nihilominus inquiri potest, cur ipsa Scripturæ vox tam diversos ad prophetas ac tam diversis temporibus exhibita, semel tantum facta dicatur cum *Hebr.* I, 1 multifariam ac multis modis pronuntiata ab Apostolo affirmetur? Ratio plane mihi videtur optima ad rem præsentem : quia quamvis in Scriptura multiplex Dei locutio includatur, si verba ipsa attendantur, tamen si omnium veritas et consensus spectetur, vox una est : nam sicut fieri nequit ut una tantum vox sibi repugnet, ita neque ut tota Scriptura sibi ipsi adversetur. Fuerint illius terreni Salomonis III *Reg.* IV, 32, «tria millia parabolarum, et quinque millia carminum, quia si humanum ejus ingenium attendatur, non solum diversa loqui poterat, sed etiam adversa; hujus tamen æterni ac divini Salomonis vox sine dubio vox una est : «Semel loquitur Deus : «nam sicut unum ab æterno Patre Verbum exprimitur, quod non solum verum, sed etiam ipsa veritas est, nec duplex potest efformari : ita necesse fuit, ut non nisi una vox illi Verbo redderetur : una, inquam, propter summam rerum omnium quas exprimit concordiam et concentum. Unam tantum vocem habuit Jacob, quam mutare nunquam potuit : nam quamvis se totum in fratris sui cultum et habitum conformaret, tamen ejus vocem nunquam potuit ementiri patre ipso testante *Gen.* XXVII, 22 : «Vox quidem vox Jacob est : » cum enim Esau grossiori et rigidiori voce uteretur tanquam vir agrestis; Jacob autem subtiliori et suaviori tanquam urbanus, ut D. Thomas ad eum locum observat, facere non potuit Jacob, ut suavitatem vocis suæ cum asperitate vocis alienæ commutaret : vocem sibi semper retinuit eamdem, ut hac unica voce unicam mentis fidem et sinceritatem testaretur. Talem esse oportebat vocem æterni Verbi unicam et eamdem, quæ scilicet contrarios sensus non indicaret, sed explicationes sententiarum inter se mirifice concordes obtineret.

Scriptura licet multiplex est unica Dei vox.

Vers. 15 et 16.

15 et 16. PER SOMNIUM IN VISIONE NOCTURNA, QUANDO IRRUIT SOPOR SUPER HOMINES, ET DORMIUNT IN LECTULO : TUNC APERIT AURES VIRORUM, ET ERUDIENS EOS INSTRUIT DISCIPLINA. — Traditur hic alius divinæ eruditionis modus, quo solet Deus non justos tantum, verum etiam impios alloqui, atque a sceleribus per visa terroresque divertere : sic *Gen.* XX, 3 Abimelechum, ne Sara abuteretur, coercuit : sic *ibid.* cap. XXX, 11 Laban, ne Jacobo officeret, admonuit : sic *ibid.* cap. XLI, 1 et *Dan.* II, 1 Pharaonem et Nabuchodonosorem erudiit. Animum ergo hominis somno indulgentis, a tumultibus rerum aspectabilium atque exteriorum avocatum, et divinis monitis per quietem accipiendis aptatum Deus ita instruit, ut ejus aures, hoc est intellectus vim perceptricem, aperire eleganter dicatur, ignota aliqua occultaque illi manifestando quibus ad disciplinam instruatur. Eodem pertinet illa Prophetæ locutio *Isai.* L, 5 : « Dominus Deus aperuit mihi aurem, » hoc est, ut Oleaster in suis *Hebr.* exponit, *rem mihi ignotam manifestavit.* Cæterum notemus Deum in nobis geminam aurium apertionem efficere : interdum enim aures aperit nobis, ut cogamur sentire ipsum esse qui loquatur; sed tamen interim obstinati sumus, doctrinam et correctiones, quibus erga nos utitur, repellimus, nec castigationem ullam ad nos corrigendos admittimus. Est altera auris apertio melior, cum Deus ita flectit et emollit animos nostros, ut sponte quæ proponit accipiamus, nosque attentos, eo ut penitus doctrinæ ipsius subjiciamur, præbeamus. Quando igitur hic dicitur Deum aperire aures, non inde sequitur omnes promiscue dociles se præbere, omnesque ad ipsi obediendum dispositos esse; sed hic agitur tam de reprobis quam de filiis Dei, reprobis enim etiam quodammodo auris aperitur; quin inviti sentire coguntur Deum ipsos alloqui, sed quia eam cogitationem repellunt, semper tanquam surdi remanent. Interim boni inde capiunt utilitatem, dum agnoscunt non esse Deo reluctandum.

Quomodo Deus per somnia et visiones eruditat.

Deus duobus modis aures nobis aperit.

ET ERUDIENS EOS INSTRUIT DISCIPLINA. — In Hebræo est, *en in vinculo suo claudet,* quod clarius Tigurina vertit, *disciplinam eorum velut impresso sigillo consignat,* ubi castigationes et flagella eleganter vocat *sigilla eruditionis,* loquens de iis qui ita adversus stimulum duri sunt, et ita refractarii, ut verbo Dei domari nolint. Qui itaque sic omnem doctrinam repudiant, Deum alio modo loquentem audiant oportet, hoc est percutiantur; illosque Deus magnis ictibus erudiat, et ostendat se in ipsos imperium et dominatum obtinere : eo enim

Dei castigationes obsignant ejus admonitiones.

http://www.obrascatolicas.com

ostendit castigationes prodesse ad instructionem ipsam authenticam reddendam, ipsique pondus et auctoritatem conciliandam, quando ea ab hominibus rejicitur aut spernitur. Quando igitur Deus nobis doctrinæ suæ sponte non obtemperantibus castigationes aliquas immittit, sciamus esse sigilla, quæ imprimit et apponit admonitionibus quas proposuerat. Si instrumentum aliquod contractus non fuerit obsignatum, ejus fides in dubium vocatur; sed si sigillum appositum fuerit, jam instrumenti illius fides pro rata et authentica habetur. Observemus itaque Deum nos affligendo sic agere et operari : doctrinam enim obsignat. Septuaginta legunt, ἐν μελέτῃ νυκτερινῇ, ὡς ὅταν ἐπιπίπτῃ δεινὸς φόβος ἐπ' ἀνθρώπους ἐπὶ νυσταγμάτων ἐπὶ κοίτης· τότε ἀνακαλύπτει νοῦν ἀνθρώπων, ἐν εἴδεσι φόβου τοιούτοις αὐτοὺς ἐξεφόβησεν, etc., *in meditatione nocturna, sicut quando incidit sævus timor in homines in dormitationibus super cubili; tunc revelat mentem hominum in speciebus timoris talibus eos exterruit*, etc. : visa quippe aut somnia, quibus peccatores instruuntur, ad resipiscentiam crebro terribilia sunt, qualia superius attulimus. *Aures* autem *internæ*, quas Deus aperire dicitur, nihil sunt aliud quam intellectus ipse ad Dei illuminationem sive sermonem patescens, Dei verba concipiens. Auditus quippe, quemadmodum et visus, ad intellectum familiariter traducitur.

Qualia fere sint somnia quæ Deus peccatoribus immittit.

Ratio vero, ob quam Eliu istiusmodi loquendi modum induxit, videtur fuisse ista, quia nimirum inter Jobi verba observarat illa quæ *supr.* cap. VII, 14 dixerat : « Terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties. » Quapropter mens Eliu sic exponenda est, *q. d.* Non recte conquereris, o Jobe, quod tibi Deus minime respondeat, semel quippe tecum locutus est per naturale lumen, quo bene uti posses; rursus, et id quidem crebro, per somnia, ubi te horrore concutit; quemadmodum tu ipse fassus est. Quid ergo requiris? cur obdurescis impavidus, neque timore Dei coarctaris, ac subjugari te sinis? Is nimirum Dei mos est, ut si animadvertat homines sic obdurescere, ut simplicem doctrinam aut instructionem sibi datam non recipiant, tunc percutiat ipsos flagellis, et variis morbis ac doloribus domet, multisque stimulis conscientiam pungat, ut vel sic errantes ad se revocet. Quando igitur stimulis quibusdam et cogitationibus sollicitamur, sciamus Deum nos ad se revocare, quia sumus proclives ad ipsum oblivioni tradendum et obbrutescendum. In primis noctu, cum in nos ipsos quasi secessimus, et collecti sunt animi nostri, non vagamur huc atque illuc, si tunc subeant animum nostrum cogitationes, quæ eo usque graves sint, ut sudorem et tremorem nobis injiciant; aut si angimur et premimur, perinde ac si in quæstione essemus : Deus est, qui istiusmodi operatur, et nos citat ad tribunal suum, quia videt nos esse tanquam fugitivos, et instar adolescentis qui ex domo patris profugit, ut peregre vagetur et discurrat : animadvertens enim nos errare et vagari, ad se nocturnis istiusmodi visionibus ac terroribus nos retrahit. Sed quid hoc portenti est? sermo Dei non clanculum et in tenebris, sed super tecta et in luce gentium prædicandus, ut divina Sapientia monet, non modo nocturno tempore, sed hominibus dormientibus hic dicitur audiri. Sane Spiritus sanctus monebat *Eccli.* XXXII, 6 : « Ubi auditus non est non effundas sermonem : » somno itaque consepulti Dei vocem quo pacto audient? nodum solvit Gregorius Magnus lib. XXIII *Moral.* cap. XX dicens : « Quid est quod per somnium nobis locutio divinitatis innotescit, nisi quod Dei secreta non cognoscimus, si in terrenis desideriis vigilemus? » Tu qui erga plurima turbaris, sæculi labentis et fallentis sollicitudinibus distractus, honores anxius affectas, cupiditate flagrantissima inhias facultatibus, modo in hanc, modo in illam partem semper avidus, semper pavidus, nunquam quiescis, cape somnum spiritalis quietis; sepone tibi certum tempus, quo serio pendas, qualem te gerere debeas in iis quæ ad salutem pertinent, ut dum hujusmodi placido somno frueris, audias quid loquatur in te Dominus. « Male autem, inquit *ibid.* Gregorius, homo vigilat, quando eum sæcularium negotiorum æstus insolenter inquietat : » vide apud ipsum hac de re plura loco citato, et cap. XII. Pulchre autem subdit :

Quomodo dormientes Dei vocem audiant.

In quieta Dei vox innotescit.

Variis modis Deus urget peccatores ut resipiscant.

TUNC APERIT AURES VIRORUM; — siquidem prius Dominus quos diligit, viros aut ætate aut saltem sensu et maturitate facit, et tunc in quieto orationis somno erudit eos, et instruit sui ipsorum notitia ac humilitatis disciplina, ut et mala ab iis prius gesta corrigat, et a superbia, quæ solet nasci e bonis, eripiat : unde sequitur, *et erudiens eos instruit disciplina*, ubi S. Gregorius cap. XIII, *disciplinæ* nomine compunctionem nos ad humilitatem et modestiam atque ad submissionem trahentem intelligit, cujus causas edicens sic ait : « Quatuor sunt qualitates, quibus justi viri anima in compunctione vehementer afficitur : cum aut malorum suorum reminiscitur, considerans ubi fuit, aut judiciorum Dei sententiam metuens, secum quærens, cogitat ubi erit; aut cum mala vitæ præsentis solerter attendens, mœrens considerat ubi est; aut cum bona supernæ patriæ contemplatur, quæ quia nondum adipiscitur, lugens conspicit ubi non est. » His considerationibus Deus viros erudit, et in humilitate stabilit, ut vita ipsa naturalis illis ad humilitatem serviat, qua parati ampliora dona recipiant : hæc enim instructio practica cum sit, plane ad vitæ correctionem destinatur, uti ex adjunctis perspicitur. Unde subdit :

Quatuor motiva compunctionis.

17 et 18. UT AVERTAT HOMINEM AB HIS QUÆ FACIT, ET LIBERET EUM DE SUPERBIA : ERUENS ANIMAM EJUS A CORRUPTIONE, ET VITAM ILLIUS, UT NON TRANSEAT IN GLADIUM. — Hoc nempe potissimum spectat Deus, ut corrigat in nobis anteactæ vitæ obliquitatem, et ne in posterum insolescamus apposita instructione ac filiali castigatione præcaveat, quod indi-

Vers. 17 et 18.

Quid Deus spectet potissimum

dum nos affligit.

care videntur verba illa : *Et liberet eum de superbia*, et quidem hic est divinæ instructionis fructus primus, qui animum a culpa repurgat : mox annectitur secundus, qui liberationem a pœna culpæ inferenda complectitur, hoc enim sibi volunt verba illa : « Eruens animam (hoc est vitam) ejus a corruptione (id est a morte) et vitam illius, ut non transeat in gladium, » id est, ne incidat in structas sibi inimicorum insidias, infestisque necetur ensibus, vel certe publico gladio judicum rempublicam administrantium peccator contrucidatus intereat. Ait igitur Eliu Deum, doctrinam suam afflictionibus obsignantem, non hoc duntaxat spectare, ut verbum suum magnificet, quo majestatem suam obtineat, sed in eo etiam simul salutem hominum procurare. Quamobrem finis iste, quem Deus sibi proponit nos affligens, debet esse instar sacchari ad acerbitatem et amaritudinem illam, quæ alioquin se in afflictionibus exhibet, dulcedine temperandam : opus enim est ut nos sic Deus ad se revocet, hoc est afflictionibus, quas nobis immittit, nos a levibus et temerariis ausis et cœptis retrahat; unde magnam nos consolandi occasionem habemus. Cum enim natura nostra peccato vitiata nunc adeo ferox et refractaria sit, ut nunquam ad Deum sponte accedamus, quid esset nisi ab eo inhiberemur, ut sub fræno obedientiæ contineremur, ne ferarum instar in devia præcipites feramur, sed a superbia liberati, sub potenti manu ejus humiliemur?

Utilitas afflictionis mittit ejus acerbitatem.

Notemus itaque præcipuum, quod nobis in afflictionibus nostris faciendum sit, hoc esse, ut discamus nos deprimere, nec amplius tam stulti et temerarii esse, ut plusquam Deus nobis permittit aggrediamur; sed sub ejus ductu ambulemus, ut in iis quæ jubet, nihil viribus et virtutibus nostris attribuentes, acquiescamus : quoniam ea est perditio hominum, cum sic inflantur, et plus quam ipsis licitum est se promovent. Nullum igitur opportunius remedium est ad nos de superbia liberandos, et impediendum quo minus casu lethali præcipites cadamus, quam ut Deus nos afflictionibus retineat. Eliu autem magis id ipsum exprimens addit, etiam animam nostram hac ratione erui a corruptione, et simul impediri, ne vita nostra transeat in gladium; unde patet Deum hoc pacto salutem nostram procurare, cum nos humiliat. *Corruptionem* autem hic vocat mortem animæ, quæ et mors altera sive secunda nuncupatur, qua homo moritur una cum anima totus, quantus quantus est æternæ damnationi obnoxius, sempiternis ignibus cruciandus : vita porro *transit in gladium*, quando homo gladio necatur; quemadmodum autem hic vita *transire* dicitur *in gladium*, sic alibi anima dicitur *occidi*, quæ tamen proprie dicta occidi nequit; sed anima, ut dixi, pro *vita* usurpatur; sicut ergo anima sic etiam vita occiditur, quando alteri adimitur. Septuaginta denique duos hos versiculos ita transferunt, ἀποστρέψαι ἄνθρωπον ἀπὸ ἀδικίας, τὸ δὲ σῶμα αὐτοῦ ἀπὸ πτώματος ἐῤῥύσατο. Ἐρύσατο δὲ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ ἀπὸ θανάτου, καὶ μὴ πεσεῖν αὐτὸν ἐν πολέμῳ, *ut avertat hominem ab injustitia, et corpus ejus a ruina liberavit. Pepercit autem animæ ejus a morte, et ne cadat ipse in bello* : propterea nempe Deus hominem admonet, et afflictionibus exercet, ut eum a morte tam hac quam altera conservet. En igitur causam cur non pereamus, quia nimirum Deus paterne nos erudit, et castigat nos flagello filiorum, ne in bello incidamus in gladium inimicorum; ubi cum S. Gregorio notandum, quomodo Deus prius nos a *corruptione* et postmodum a *gladio* liberet, quia nimirum illius vitam illic eripit ab ultione supplicii, cujus hic mentem subtrahit a delectatione peccati. Sequitur :

Afflictiones sunt proprium remedium contra superbiam.

19-22. INCREPAT QUOQUE PER DOLOREM IN LECTULO, ET OMNIA OSSA EJUS MARCESCERE FACIT. ABOMINABILIS EI FIT IN VITA SUA PANIS, ET ANIMÆ ILLIUS CIBUS ANTE DESIDERABILIS. TABESCET CARO EJUS : ET OSSA, QUÆ TECTA FUERANT, NUDABUNTUR. APPROPINQUAVIT CORRUPTIONI ANIMA EJUS, ET VITA ILLIUS MORTIFERIS. — Aliud sermonis genus producit Eliu, quo Deus interdum utitur ut homines admoneat, et a peccando deterreat : mittit enim dolores et ægritudines, quas per *lectulum* explicat, quia ægroti plerumque in lectulo decumbunt; et eo redigit, ut non solum caro, quæ fluxa est, sed etiam ossa, quæ dura sunt, et minus tabi ac putredini obnoxia, marcescant, et a sua firmitate solvantur. Hoc idem de se dixerat Jobus cap. XXX, 16 : « Nunc autem in memetipso marcescit anima mea : et possident me dies afflictionis : nocte os meum perforatur doloribus. » De *cibi* autem *nausea* Jobus non pauca dixit cap. III, 24 : « Antequam comedam suspiro, » etc.; et cap. VI, 7 : « Quæ prius nolebat tangere anima mea, » etc. De *tabe* quoque *carnis* et *ossium* multa passim retulit cap. XIX, 20 : « Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum; » et cap. XXX, 30 : « Cutis mea denigrata est super me : et ossa mea aruerunt præ caumate. » De *die* porro *mortis* instante dixit cap. X, 20 : « Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? » et cap. VII, 15 : « Quam ob rem elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea, » etc. Ad quæ loca vide quæ a nobis annotata sint. Cum autem per hæc omnia loquatur Deus, et hæc omnia sibi contigisse fateatur Jobus consequens est, ut multis variisque modis divinum de se responsum audierit.

Vers. 19 20, 21 et 22.

Dolore, morbo et aliis afflictionibus loquitur Deus.

Iis sane, qui divinæ providentiæ mirum ordinem observare ac perpendere assueverunt, perspectum est morbos a Deo immitti solere, ut homines feri mitescant, peccata odisse ac deflere, Deum serio implorare condiscant. Quocirca qui graves affectiones explorant, disertam ibi linguam Dei loquentis et erudientis dignoscunt, quæ universorum mortalium eloquentiæ debet anteferri : schola enim Dei est afflictio, qua homines, quibus plerumque sacra verba frigent, mirifice eruduntur, et ad pietatem colendam permoventur. Ibi se prodit Dei cædentis majestas, cui omnino

Afflictio est schola Dei.

http://www.obrascatolicas.com

cedendum esse viribus fractis, afflicto animo, subeunte lethali anxietate, vel ipsi obdurati peccatores cœlitus eruditi animadvertunt. Ergo ad exprimendum morem hunc loquendi, quo Deus hominem instruit, pingit Eliu ægrotum in lecto jacentem, doloribus transverberatum, tabe marcescentem, nausea quadam molestissima in sumptione ciborum divexatum, consumptum, solaque propemodum ossium structura constantem, et morti denique proximum. Quod sane spectaculum excitat animum, ut consideret rem minime fortuitam esse, sed æterno Dei consilio dispositam, ut ibi velut in tabula quadam Dei timorem legisque divinæ custodiam expressam intueatur ac legat. Potest autem Eliu ad hunc modum exponi, *q. d.* Quorsum nova Dei responsa reposcis, mi Jobe? an desiderantur Dei verba? Ecce tibi diserte locutus est, imo in ipso corpore tuo responsa plurima eruditionis plena conscripsit: dolores quippe hi, sanies, inappetentia, mœror, anxietas, et horrenda corporis deformatio, quid aliud sint quam Dei te admonentis verba, ut resipiscas, culpas expies, legi divinæ acquiescas, Deique pace fruaris? Ergo age, oracula Dei, quæ in teipso scripta et alte impressa cernis, lege, recole, expende: neque supervacanea responsa, qualia Deum minime decent, insolenter exquiras. Ita Sanctius et Joannes a Jesu Maria.

Lectos quid mystice significet.

Tropologice S. Gregorius lib. XXIII *Moral.* cap. XV: « In Scriptura, inquit, sacra *lectus*, sive grabatum, sive stratum aliquando voluptas carnis accipitur, ut illud *Joan.* v, 8: *Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam;* aliquando repausatio in bonis operibus, ut illud in Actibus: *Ænea, sanet te Dominus Jesus Christus, surge, et sterne tibi, Act.* IX, 34: *surgere* enim est mala perpetrata relinquere; *sternere* autem, mercedis causas, in quibus requiescere debeat, operari. Aliquando vero requies temporalis accipitur, sicut scriptum est *Psalm.* XL, 4: *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus,* ac si diceret: Omne quod sibi paravit ad requiem hoc ei mutasti occulto judicio ad perturbationem; quia nos in præsentis vitæ requie vel tentationis stimulis vel flagelli afflictione conturbat. *Et omnia ossa ejus marcescere facit,* Job. XXXIII, 19. *Ossa* in Scriptura sacra virtutes accipimus, sicut scriptum est *Psalm.* XXXIII, 21: *Dominus custodit omnia ossa eorum; unum ex his non conteretur.* Et quia in ea requie, quam nobis ab hoc sæculo præparamus, flagello tentationis afficimur; qui fortasse de virtutibus nostris inflari potuimus, cognitæ infirmitatis tædio attenuamur,» etc. Vide hæc ipsa fusius apud S. Gregorium cap. XV et sequentibus deducta atque explicata. Itaque in hac vita, quæ infirmitas et imbecillitas quædam est, *stratum,* id est quies, in turbationem vertitur, dum etiam occulta, et a negotiis libera, in quibus pausare solemus, impulsu alicujus tentationis turbantur; et experimur illud quod hic ait Eliu: *Increpat quoque per dolorem in lectulo,* etc.: nam in loco quietis et pacis tentationem sentimus, et ossa virtutum exsiccari vento urenti impugnationis pertimescimus. »

Ossa sunt virtutis typus.

Pain's quid mystice in Scriptura.

ABOMINABILIS EI FIT IN VITA SUA PANIS, etc., — ac si aperte dicat.: « Afflicta mens sibi in amaritudinem verti considerat quidquid se antea blande libenterque satiabat. In Scriptura enim sacra *panis* aliquando ipse Dominus, aliquando spiritalis gratia, aliquando divinæ doctrinæ eruditio, aliquando hæreticorum prædicatio, aliquando subsidium vitæ præsentis, aliquando jucunditas humanæ delectationis accipitur: » ita S. Gregorius lib. XXIII *Moral.* cap. XVII, ubi hæc ipsa fusius exponit. Apte autem subjungitur illud: *Tabescet caro ejus, et ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur,* quia dum caro per tribulationem patienter toleratam atteritur, multiplex virtus in corde latens demonstratur, quemadmodum idem S. Doctor cap. XVIII fusius declarat.

Dum caro atteritur, virtus cordis demonstratur.

Vers. 23 et 24.

23 et 24. SI FUERIT PRO EO ANGELUS LOQUENS UNUS DE MILLIBUS, UT ANNUNTIET HOMINIS ÆQUITATEM: MISEREBITUR EJUS, ET DICET: LIBERA EUM, UT NON DESCENDAT IN CORRUPTIONEM: INVENI IN QUO EI PROPITIER. — Postquam Eliu disseruit de afflictionibus, quas Deus immittit fidelibus, et ostendit oportere eos tanquam funditus everti antequam Deus illos instauret, subjicit, Deum, cum vult, tandem efficere ut sentiant ipsius bonitatem et gratiam, mittendo scilicet angelum, qui nuntium adferat reconciliationis, quo postquam semianimes fuerant instaurentur; unde patet Deum, cum nos affligit, salutem nostram, quamvis non videatur, procurare. Verum quidem est, reprobos quoque affligi; sed afflictionibus illi indurantur, fremunt, et indignantur adversus Deum; tantumque abest ut afflictionesillisprosint, ut eo magis iniquitatem ipsorum detegant, et ad summum usque adducant. Sed cum Deus suos electos visitat, sic domat et mortificat ipsos, ut coram majestate ipsius tremant, et sint confusi, et ad ejus misericordiam supplices confugiant; ubi consolatur ipsos sua bonitate, atque declarat se paratum esse ipsis sua peccata condonare. Quamvis itaque afflictiones nobis utiles sint, et medicinæ vicem obeant, id nihilominus non nisi ipso exitu apparet; exitus autem hic nobis ostenditur, quando nimirum Deus nobis manum porrigit, confirmans se, quidquid sit, velle nobis esse propitium, quamvis nos aspere tractarit. Inducit ergo Eliu hac oratione Jobum ad considerationem beneficii plane maximi, quo Deus homines auxit, dum singulis angelum tutelarem præfecit, ut ex hoc ipso capite pernoscat Jobus sat sibi verborum et oraculorum a Deo reddi, qui quasi pædagogum cœlestem ei destinavit, a quo instrueretur, fulciretur, in patriam deduceretur.

Deus post afflictionem electis mittit consolationem.

Cæterum expendenda hic versio Chaldæi quæ legit, *si est in eo meritum, præparatur angelus paracletus, unus de millibus*: scilicet custos angelus, qui divina officia exercet, *paracletus* dicitur, quod est epithetum Spiritus Sancti familiare, et quo

Angelorum munificentia erga homines.

denotatur, quanta cordis lætitia homines muneret, quam liberaliter illis impetret gratiæ dona et gloriæ lumina: enimvero munificentia agnatum est amoris elogium, imo veri amoris medulla. Vis nosse velut effusam angelorum liberalitatem erga homines? adverte ad oraculum Jacobi dicentis *Epist.* I, 17: « Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, » ubi in comperto est *Patre luminum.* Deum significari. Sed dubium est, quorsum, cum prædicatur ab Apostolo largior Dei munificentia, dicatur *Pater luminum*: quæ sunt ista lumina, quorum Deus appellatur *Pater*, quando largior munerator exsistit? Aliqui interpretes secuti S. Nazianzenum orat. 2 *De Pasch.* censent *luminum* nomine sanctos angelos intelligi. Scilicet cum omne datum optimum et omne donum perfectum emanare dicitur a Deo tanquam a liberalissimo hominum muneratore, tunc speciatim nominatur *Pater luminum* seu angelorum, ut inde apud homines nobilitetur summa Dei liberalitas a prolis angelicæ liberalitate. Sic ab angelorum erga homines beneficentia commendatur liberalior Dei munificentia. O quam benefica largioris pietatis officia obeunt angeli hominum beneficio! Vide quæ de his dicta sunt ad cap. V, vers. 1. Hisce igitur et sequentibus versibus Eliu complectitur dogmata multa, quibus orationem exhortatoriam contexit, quam cupit a Jobo perpendi: et primum quidem angelorum pro hominibus interpellantium preces piaque opera Deo offerentium munus attingit; numerum quoque beatorum spirituum innumerabilem indicat: angelis præterea officium homines ægrotantes curandi imperari a Deo notat per illa verba: *Libera eum, ut non descendat in corruptionem,* hoc est mortem. Innuit deinde rem plane suavem, Deum scilicet captare miserendi occasiones, easque repertas gratissimas habere, per illud: *Inveni in quo ei propitier,* quasi clementissimus Deus diceret: Observavi ego actus hominis flagitiosi, an intermicaret aliquid, ex quo ansam large miserendi arriperem; diuque conspicatus reperire non potui; at ex quo gravi morbo tactus ad me suspiravit, inveni, in quo ei propitiarer, ac lubens id accepi. Mox angeli deprecationem subtexit in hunc modum.

Angelorum pro hominibus mira sollicitudo.

Deus quærit in nobis unde propitietur.

Vers. 25.

25. CONSUMPTA EST CARO EJUS A SUPPLICIIS, REVERTATUR AD DIES ADOLESCENTIÆ SUÆ. — Hoc est, respice Deus, qui gaudes te invenisse in quo clementiam exerceas, hominem cruciatibus confectum: redeat obsecro flos primævus, renascatur caro absumpta, quasi nunc adolescentia ipsa vigeret. Ecce tibi, qui præ fastidio cibum antea desiderabilem abominabatur, adeo ut mallet mori quam edere, ubi angeli verba excipit, misericordiam consecutus, ad juveniles annos rediit; quæ verba tantum fastidium sustulerunt, et tam validam juventutem causarunt? Ait Vatablus, *si fuerit angelus bonus, qui ponat ante oculos hominis millesimam partem beneficiorum Dei, et annuntiet homini ipsi Deum omnia juste facientem, et homo acquiescat; tunc miserebitur ejus Deus, et revertetur ad dies adolescentiæ suæ.* Hic nimirum est scopus castigationis Dei, ut qui prosperitate superbierat, et ab humilitate status innocentiæ discesserat, doloribus eruditus, ad florem illius spiritualis adolescentiæ, in qua Deo subdebatur, redeat; multiplici autem flagello justi ad humilitatem revocantur: nam aliquando doloribus, angoribus, ægritudinibus, persecutionibus et aliis adversitatibus atterit eos Deus, ut humiliter de se sentiant, et suam imbecillitatem advertant. Ob hanc causam Agar afflicta a Sara est, et fugæ ac quasi exsilii incommoditates experta, quare monetur ab angelo *Gen.* XVI, 9: « Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius, » ut scilicet humilitatis itinere secura domum tuam repetas, et ab heræ percussionibus libereris. Similis fere est hæc angeli pro Jobo deprecatio, cui subnectitur exauditionis promissio in hæc verba:

Angeli fastidium spiritale auferunt, et nos ad Deum convertunt.

Vers. 26.

26. DEPRECABITUR DEUM, ET PLACABILIS EI ERIT: ET VIDEBIT FACIEM EJUS IN JUBILO, ET REDDET HOMINI JUSTITIAM SUAM. — Videtur hic alludi ad perfectissimum sanitatis modum, qui nullum transacti morbi vestigium relinquit: qualis IV *Reg.* V, 14 fuit restitutio illa Naamani Jordanis aqua eluti, cujus caro, quæ ante fuerat lepra exesa et maculosa, restituta fuisse dicitur non secus ac pueri parvuli sive infantis caro, in qua nihil sordidum, nihil non candidum appareret. *Videbit faciem ejus in jubilo,* hoc perinde est, ac statuet se coram Deo lætus, exsultans gratias agens ob valetudinem recuperatam: qui certe mos nunc quoque familiarissimus est, nam postquam quis Dei ope e morbo convaluit, templum gratias acturus petit, ubi Dei faciem videt, hoc est, intuetur locum, ubi Deus præsentiæ suæ signa exhibet, et quasi faciem spectandam offert. *Et reddet homini justitiam suam,* hoc est, restituet hominem in gratiam justificationis quam amiserat: ita enim ex Dei præscripto fit, ut tangente Deo cor hominis, ipsoque homine resipiscente, justificationis gratia ei conferatur; quæ prioris ruinæ reparatio est, priorisque *justitiæ redditio* hoc loco appellatur. Unde patet quanti ponderis et momenti sit pia Numinis deprecatio, sine qua nequaquam fructum gaudii ejus, cujus hic fit mentio, percipere valemus; in quo tamen omne nostrum bonum consistit, siquidem tunc libere et confidenter Deum adire possumus, tanquam in ejus sinu cum affligimur conquiescere, ipsumque adeo juxta promissa sua nobis esse velle propitium experimur. En summum nostrum bonum quamdiu hic vivimus, quoniam per orationem Deo appropinquamus: jam enim nobis fide ambulandum; Deus vero, quod ad aspectum attinet, a nobis abest, et quamvis in nobis virtute sua habitet, nobisque suæ gratiæ fructum communicet; sumus tamen, quod ad speciem attinet, tanquam ab ipso remoti et absentes; sed ipsum pie deprecantes in

Deus ad se conversis perfectam confert sanitatem.

Fructus piæ orationis est conjunctio cum Deo.

http://www.obrascatolicas.com

cœlum mente ascendimus, nos coram ipsius majestate sistimus, denique cum ipso conjungimur. Atque hoc est quod in textu dicitur, Deum illi faciem suam ostensurum, et hoc pacto justitiam illius ad ipsum reversuram, aut hominem Dei faciem conspecturum. Sic porro animus divinæ gratiæ lumine illustratus ingenuam delicti confessionem expromit, quod subjectis verbis indicatur.

Vers. 27 et 28.

27 et 28. RESPICIET HOMINES, ET DICET : PECCAVI, ET VERE DELIQUI, ET UT ERAM DIGNUS NON RECEPI. LIBERAVIT ANIMAM SUAM NE PERGERET IN INTERITUM, SED VIVENS LUCEM VIDERET.— Hoc est, cum publica confessione hominibus dixerit se peccasse, et pro scelerum magnitudine leviora subiisse supplicia, accipiet bona, quæ cum peccator esset ante perdiderat, seque ipsum ab eo, qui jam impendebat, interitu liberabit; potest autem hujus ultimi versus pars prima de anima proprie accipi, ne pergeret in interitum sempiternum; pars secunda de vita corporali. Quæ satis apte significatur hoc hemistichio : *Sed vivens lucem videret.* Cæterum locus hic a quibusdam exponitur, quasi Eliu de Deo loqueretur, inquiens Deum intueri homines : quod si dicat aliquis : *Peccavi*, tunc Deum animam ipsius ab interitu eripere, et vitæ lucem ipsi restituere, pro eo quod in tenebris mortis jacebat. Sed quia e verbo ad verbum est : *Respiciet homines, et dicet : Peccavi*, etc., facile patet Eliu continuare sermonem suum, ostendendo eum qui sic humiliatus fuerit, ut agnoscat peccata sua, et ad extrema redactus fuerit, cum Deus ipsi hanc gratiam largitur, ut eum ad se revocet, illi vitæ spem dari, quin etiam cor ipsius exhilarari, ut possit Deum certa cum fiducia invocare; ac postea se ad homines convertere, ut ipsis suas miserias exponat, et bonitatem Dei infinitam, quam senserit, magnificet. Atque hic secundus est fructus remissionis peccatorum, cum miser peccator cognoscit se a Deo non fuisse repudiatum : quamobrem oportet ut bonitatem illam Dei apud homines confiteatur, nec pudeat ipsum miseriam, qua, donec illum Deus ex ipsa misericordia sua liberarit, detinebatur, ostendere. Neque enim satis est, ut privatim quisque Deum precetur; sed gloriam ejus a nobis magnificari oportet, et unumquemque incumbere ad proximos incitandum, ut sic alii ab aliis ædificemur; utque cum sic conspirabimus simul laudes Dei prædicemus.

Deus humili confessione placatur.

Oportet etiam coram hominibus confiteri et magnificari misericordiam Dei.

Vidisti summum in homine fastidium, quo universos cibos abominabatur, adeo ut pene enectus inedia animam exhalaret : simul et vidisti Dei in illum misericordiam, qua a tanto inediæ periculo liberatur, et in floridam juventutem ac fervidam revirescit. Sed quo medio tam fastidioso homini juvenum vires donantur a Deo; imo juvenum fames paratur inter adeo lethalia tædia? Modo explicatum est remedium vers. 23 : *Si fuerit pro eo angelus loquens*, etc. : nimirum si ex angelico impulsu pœnitentiæ verba assumat in ore, quibus pristina vitia detestetur. Ubi enim pœnitentia vera adest, nullus panis non dulcescit; etiam panis lacrymarum avide editur, totumque lethale fastidium aboletur. Audi Nicetam in Catena Græca sic loquentem : « Si perpessionis suæ causam in peccato consistere intellexerit, atque ad Deum de errato suo confessus se converterit, impendentem mortem inhibebit, etiamsi sexcenta sint quæ mortem lacessant et accersant. » Omne lethale arcetur per pœnitentiam, et fastidium et tædium mortem adferens tollitur; multaque apparent incitamenta, quæ appetitum humanum moveant, ut vitæ aspera avide capessat; unde dicebat Cellensis abbas lib. XII *De Panibus* : « Lacryma aut facit aut invenit paradisum : cum enim profusione lacrymarum tota irrigatur conscientia, ligna producuntur fructum vitæ facientia. »

Angeli inducuntur ad pœnitentiam.

29 et 30. ECCE, HÆC OMNIA OPERATUR DEUS TRIBUS VICIBUS PER SINGULOS. UT REVOCET ANIMAS EORUM A CORRUPTIONE, ET ILLUMINET LUCE VIVENTIUM.— Multiplex est tres has vices exponendi modus, *primus*, isque maxime litteralis, est, qui numerum ternarium pro incerto quovis magno numero accipit, *q. d.* Multis vicibus sive sæpius loquitur, et erigit Deus singulos hominum : vide dicta Jobi cap. V, 19 : ternarius enim significat universitatem, uti et septenarius. *Secundus* est, quo per tres vices tres viæ intelligantur, quibus Deus cum sceleratis hominibus agere solet, conformiter græco textui, qui sic habet, ἰδοὺ ταῦτα πάντα ἐργᾶται ὁ ἰσχυρὸς ὁδοὺς τρεῖς μετὰ ἀνδρὸς, *ecce hæc omnia operatur fortis tribus viis cum viro*, scilicet verbis horribilibus, somniis et morbis, vel dicendo, mirando et puniendo : ita Olympiodorus in *Caten.* : « Hæc sapientis atque adeo robusti Dei sunt opera, ut tripartita quadam ratione peccantes convertat; verbis, inquam, horribilibus, somniis, morbis. His viis tribus is, in cujus nutu ac potestate cuncta vertuntur, cum unoquoque agit homine, ut una aliqua ex his, is qui noxa tenetur, eruditus vitet interitum, atque Deum in vita laudibus efferat. » Similia fere habet S. Chrysostomus *ibid.* in *Caten.* dicens : « Is qui sic hominum rationibus moderatur vitam impertitur; rerum necessariarum disciplinam tradit, recteque factis mercedem persolvit, atque supplicia flagitiis decernit : itaque cum hominibus agit, ut coarguat, increpet, nocturnis terroribus minitetur, loquendo doceat, ægrotationibus atque imbecillitatibus cruciet. » *Tertius* has tres vices explicandi modus est S. Gregorii lib. XXIV *Moral.* cap. VII, ubi per *tres vices* accipit tres modos conversorum, scilicet inchoationem, progressionem et perfectionem vitæ christianæ, sive tres gradus perfectæ libertatis, scilicet ipsam conversionem, tentationes, formidinem mortis, judicii et æternitatis. Si enim tres sunt justorum status, *primus*, quo ad bonam frugem convertuntur; *secundus*, quo in virtutis itineribus progrediuntur; *tertius*, quo ad finem viæ, scilicet ad perfectionem perveniunt : quid erit tribus vicibus per singulos Dominum suos electos affligere, nisi in ipso virtutis initio, atque in progressu, nec non in virtutis culmine eos tentationibus pressurisque probare? quemadmodum Paulus de se et de omnibus perfectis dixit *Actor.* XIV, 21 : « Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. » Quod quidem cum excelsum sit pusillis et magnis, ascensum habet perdifficilem, quos omnes infirmitas carnis onerat, et qui ex eo ceciderunt adversarii circumdant. Plura vide in S. Gregorio loco citato.

Vers. 29 et 30.

Quid hic per tres vices intelligatur.

Tres modi conversionis ad Deum.

Vers. 31, 32 et 33.

31-33. ATTENDE JOB, ET AUDI ME : ET TACE DUM EGO LOQUOR : SI AUTEM HABES QUOD LOQUARIS, RESPONDE MIHI, LOQUERE : VOLO ENIM TE APPARERE JUSTUM : QUOD SI NON HABES, AUDI ME : TACE, ET DOCEBO TE SAPIENTIAM.— Quemadmodum Jobus sæpe cum stomacho similes voces ab amicis audierat, sic etiam verisimile est; hæc quoque verba Eliu durius accepisse, neque dubiis id signis ostendisse, avertendo nimirum aut distorquendo faciem, aut aliquo alio modo, quo audaci et sciolo adolescenti silentium indiceret. Quod videtur impatienter tulisse superbus adolescens, quem de vana opinione sapientiæ tumor inflabat; unde Jobum inurbanius atque imperiosius alloquitur, quam modestiæ ratio et juvenilis ætas postulabat, *q. d.* Quid tacite, o Jobe, contra me tecum obmurmuras? quid faciem stomachosius avertis, quasi quæ a me dicuntur superbe despicias? Audi jam, et adverte faciem, neque me loquentem impedias obstrependo; quod si quidquam habes quod obloquaris, aut tuam innocentiam probes, audiam non invitus : ut enim cupio te esse, sic etiam aveo te apparere justum : quod si nihil habes, quod in tuæ causæ defensione respondeas, aut quo te sapientem esse doceas, tace, et audi, fortasse ex mea sapientia incipies esse sapiens : ita Sanctius.

Tacendum ut doceamur.

Cæterum ut hinc etiam aliquid in usum nostrum decerpamus; hic in persona Jobi admonemur tacendum esse nobis, ut doceamur. Omnis enim vera hominum sapientia in eo posita est, ut se Deo dociles præbeant, seque iis quæ in nomine et auctoritate ipsius proponuntur penitus subjiciant. Estque hæc admonitio valde utilis : sentimus enim fere semper in nobis repugnantias esse, ne se ingenia nostra ea qua par esset humilitate verbo Dei accommodent; neque si nobis bona et sancta aliqua doctrina proponatur, sumus ea modestia præditi, ut illam admittamus; sed ea plerumque superbia laboramus, ut nulli alii quam voluntati nostræ obnoxii esse cupiamus. En naturam nostram ita vitiatam, ut adversus Deum insurgat, et adversus verbum ipsius fere semper recalcitret. Cum igitur ejusmodi vitio tam malo et detestando laboremus, nobis hic propositam admonitionem observemus; ut nimirum dociles simus, cum Deus efficit, ut nobis sua veritas proponatur. Atque hoc primum nobis observandum est in exhortatione, quam hic Jobo Eliu proponit. Alterum, quando ait se cupere ut Jobus absolvatur, in eo admonemur, ne acerbitate quadam animi aut contentionis studio ducamur; quomodo fere solent homines in adversarios suos ferri; sed zelo rectitudinis et æquitatis solius Dei gloriam et proximi ædificationem spectando.

Non contentionis studio, sed zelo rectitudinis agendum.

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jobo ad jactabundi hominis verba prudenter silente, Eliu novis animis prosequitur disputationem, et totus jam in eo est, ut ostendat Deum in omni rerum administratione esse æquissimum : hoc autem jacto fundamento vult concludere, Jobum nihil iniquum pati a Deo, et inique conqueri de divino judicio.

1. Pronuntians itaque Eliu, etiam hæc locutus est : 2. Audite sapientes verba mea, et eruditi auscultate me : 3. Auris enim verba probat, et guttur escas gustu dijudicat. 4. Judicium eligamus nobis, et inter nos videamus quid sit melius. 5. Quia dixit Job : Justus sum, et Deus subvertit judicium meum. 6. In judicando enim me, mendacium est : violenta sagitta mea absque ullo peccato. 7. Quis est vir ut est Job, qui bibit subsannationem quasi aquam : 8. Qui graditur cum operantibus iniquitatem, et ambulat cum viris impiis? 9. Dixit enim : Non placebit vir Deo, etiamsi cucurrerit cum eo. 10. Ideo viri cordati audite me, absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas. 11. Opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis. 12. Vere enim Deus non condemnabit frustra, nec Omnipotens subvertet judicium. 13. Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est? 14. Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet. 15. Deficiet omnis caro simul, et homo in cinerem revertetur. 16. Si

http://www.obrascatolicas.com

habes ergo intellectum, audi quod dicitur, et ausculta vocem eloquii mei. 17. Numquid qui non amat judicium, sanari potest? et quomodo tu eum, qui justus est, in tantum condemnas? 18. Qui dicit regi : Apostata : qui vocat duces impios : 19. Qui non accipit personas principum : nec cognovit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem : opus enim manuum ejus sunt universi. 20. Subito morientur, et in media nocte turbabuntur populi, et pertransibunt, et auferent violentum absque manu. 21. Oculi enim ejus super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat. 22. Non sunt tenebræ, et non est umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem. 23. Neque enim ultra in hominis potestate est, ut veniat ad Deum in judicium. 24. Conteret multos, et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis. 25. Novit enim opera eorum : et idcirco inducet noctem, et conterentur. 26. Quasi impios percussit eos in loco videntium. 27. Qui quasi de industria recesserunt ab eo, et omnes vias ejus intelligere noluerunt : 28. Ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni, et audiret vocem pauperum. 29. Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet? ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum et super gentes et super omnes homines? 30. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. 31. Quia ergo ego locutus sum ad Deum, te quoque non prohibebo. 32. Si erravi, tu doce me : si iniquitatem locutus sum, ultra non addam. 33. Numquid a te Deus expetit eam, quia displicuit tibi? tu enim cœpisti loqui, et non ego : quod si quid nosti melius, loquere. 34. Viri intelligentes loquantur mihi, et vir sapiens audiat me. 35. Job autem stulte locutus est, et verba illius non sonant disciplinam. 36. Pater mi, probetur Job usque ad finem : ne desinas ab homine iniquitatis. 37. Quia addit super peccata sua blasphemiam, inter nos interim constringatur : et tunc ad judicium provocet sermonibus suis Deum.

Vers. 1, 2, 3 et 4.

1-4. PRONUNTIANS ITAQUE ELIU ETIAM HÆC LOCUTUS EST : AUDITE SAPIENTES VERBA MEA, ET ERUDITI AUSCULTATE ME : AURIS ENIM VERBA PROBAT, ET GUTTUR ESCAS GUSTU DIJUDICAT. JUDICIUM ELIGAMUS NOBIS, ET INTER NOS VIDEAMUS QUID SIT MELIUS. — Cum a Jobo nihil exspectaret Eliu, seque ab illo contemni putaret, viros advocat, qui præsentes aderant quasi sapientes, a quibus petit, ut ipsi judicent an juste accusetur Jobus, et sua verba ab illo tanquam inania judicari debuerint. Quod autem ait : « Auris enim verba probat, » etc., supra cap. XII, vers. 11, explicatum est; ubi hæc eadem sententia repetitur, videturque fuisse Idumæis attentionis captandæ forma familiaris. Quoniam ergo arrogans et invidiosum erat postulare, ut illum juvenem sapientes et eruditi audirent, lenit invidiam ad ipsorum judicium provocans, et rem totam ipsis discernendam relinquens. *Judicium eligamus nobis*, id est, in modum judicii publici pro tribunali causam hanc excutiamus, disceptemus inter nos justis rationibus; et videamus uter nostrum melius sentiat, et verum dicat, *q. d.* Vos appello et facio judices. Electionem autem postulat non judicii cœpti, sed absoluti : nam judicium hoc loco discussio, collatio, exploratio est, quam vulgo *revisionem* vocant, per quam cognoscitur quod est omnium optimum atque verissimum, cujus delectus, rejectis parum piis ac veris sententiis, haberi debet. Et quidem hac dicendi ratione ætatem excusat, quasi non quærat sibi, sed rebus ipsis adhiberi fidem, quo per sententiæ discussionem collimat. Subjicit autem nonnulla Jobi dicta examini postulato :

Eliu provocat ad judicium sapientum.

Vers. 5 et 6.

5 et 6. QUIA DIXIT JOB : JUSTUS SUM, ET DEUS SUBVERTIT JUDICIUM MEUM. IN JUDICANDO ENIM ME MENDACIUM EST : VIOLENTA SAGITTA MEA ABSQUE ULLO PECCATO. — Quoniam judicium postulavit, quo ferretur de suis et de Jobi dictis sententia, adfert Jobi verba, ut cum illis conferat sua, quibus ea confutat. Asserta vero hæc quæ profert ex Jobo Eliu ad examen non uno sensu ab interpretibus accipiuntur. Nos tantum ea quæ cohærere videntur dicemus, videlicet cap. XIII, 18 : « Si fuero judicatus, scio quod justus inveniar; » capite vero XXVII, 6 : « Justificationem meam quam cœpi tenere, non deseram, » ubi aperte constat Jobum se justum asseruisse. Quod vero ad secundum assertum pertinet, « Deus subvertit judicium meum, » cap. XXVII, 2, sic habet : « Vivit Deus, qui abstulit judicium meum : » capite autem XIX, 6 sic dixerat : « Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo judicio afflixerit me. » *Subvertere judicium* hic, quod ad rem attinet, idem est quod *auferre judicium*, non æquo judicio affligere, vel quid simile. Quod vero ait : *In judicando enim me mendacium est*, si verba spectemus, nullibi de Deo a Jobo dictum videtur; at quod ad rem spectat ipsam sæpe de amicis id videtur affirmasse, dum contendit eos aperte falli, falsove opinari illum peccasse, qui fuisset innoxius; et quidem ita se res habet, amicos videlicet Jobi in eo judicando fuisse mendaces, cum longe aliter quam veritas requireret asseverarint.

Eliu non satis æquus verborum Jobi interpres.

Job nullibi judicium Dei mendacii arguit.

illud denique : *Violenta sagitta mea absque ullo peccato*, respicere videtur verba illa cap. XVI, 18 : « Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces : » violentum quippe juxta opinionem Eliu foret, graviter torqueri absque culpa, cum minime nosset aliis de causis insontes a Deo exerceri. Interest multum, quo sensu verba sincere prolata accipiantur : neque enim quod ex alicujus verbis argutando colligimus, continuo sequitur id ab illo directo, et, ut aiunt, formali sensu fuisse prolatum; quo sensu autem Jobus illa dixerit, quæ hisce criminationibus accusat et damnat Eliu, diximus suis locis, ubi illa a scelere et errore vindicavimus; neque illa hoc loco repetere necessarium est. Hic tantum nota illud : *Violenta sagitta mea*, hebraice haberi אנוש חצי *anusch chitzi*; quod alii vertunt, *valida sagitta mea*, alii *infirma*, *languida*, alii *insanabilis*, alii *desperata* : quæ omnia apprime conveniunt afflictioni Job, quæ hic vocatur *sagitta;* satis quidem illa homini fragili qui patitur violenta, insanabilis, desperata; satis vero infirma respectu Dei omnipotentis, qui multo acerbioribus potest hominem pœnis excruciare; infirma etiam homini, qui Dei adjutus ope æquanimiter fert; infirma denique homini, si eam comparet cum gehennalibus incendiis.

Afflictio est respectu hominis violenta, sed respectu Dei infirma.

In quibus Eliu Jobum arcuset.

Itaque Eliu præcipue Jobum hic accusat, quod conquereretur vulnus suum, et quidem sine prævaricatione ulla sua, grave esse, Deumque ita jus ipsius pervertisse, ut se mendacem inveniri oporteret, quamvis vere haberet unde posset se justificare. Septuaginta vertunt, ὅτι εἶρηκεν Ἰὼβ· Δίκαιός εἰμι, ὁ Κύριος ἀπῴλαξέ μου τὸ κρῖμα, *quia dixit Job : Justus sum, et Dominus removit judicium meum;* Scholiastes exponit παρῴλαξε, *immutavit*, alienavit; Olympiodorus, ὁ δὲ Θεός μοι τὸ κριτικὸν οὐκ ἐφύλαξε, *Deus autem mihi facultatem judicantem non custodivit*. juxta Symmachum et Aquilam, παρέτρεψε καὶ ἀπέστησεν ἀπ' ἐμοῦ τὸ κρῖμα, *pervertit et amovit a me judicium*. Cæterum aufertur judicium ejus qui non potest se judicio defendere, aut jure causam suam prosequi; quod Job summopere desiderabat; aut cui jus petenti denegatur. Quando igitur Eliu Jobo exprobat ipsum dixisse : *Justus sum, et Deus subvertit judicium meum*, hoc non ita crude accipiendum, quasi Jobus sic præcise Deum voluerit accusare, quod is jus ipsius pervertisset; sed hoc illi vitio vertit, quod cum homo mortalis esset, adversus Deum jus suum præcise tueri velle videretur; cum id fieri non possit, quin Deo obtrectet, et adversus ejus justitiam insurgat. Quo etiam spectant verba sequentia : *In judicando enim me mendacium est;* Septuaginta vertunt, ἐψεύσατο δέ τῷ κρίματί μου, *mentitus est in judicio meo* : in Hebræo est, *in judicio meo mentior*. Quod Mercerus explicat, in meo jure et causa mendax habeor et falsus, quasi injuste me tuear, et me falso dicam innocentem : itaque tyrannice quoque jure quaque injuria punior et condemnor. Mentior ergo, id est, mentiri videor in meo jure, et quasi mendax et injustus damnor. Quo significet se non admitti ad causæ suæ defensionem; idque perinde esse, atque cum judices sunt iniqui et crudeles, et sua auctoritate bonum aliquod jus volunt opprimere. En quomodo Eliu nunc Jobo exprobret, quod Deum accusarit : quamobrem in ipsum tanquam in impium et blasphemum acrius invehitur dicens :

Vers. 7, 8 et 9.

7-9. QUIS EST VIR UT EST JOB, QUI BIBIT SUBSANNATIONEM QUASI AQUAM : QUI GRADITUR CUM OPERANTIBUS INIQUITATEM, ET AMBULAT CUM VIRIS IMPIIS? DIXIT ENIM : NON PLACEBIT VIR DEO, ETIAMSI CUCURRERIT CUM EO. — Contendit Eliu Jobum, ut projectissimæ audaciæ hominem, Dei irrisorem ac contemptorem redarguere, *q. d.* Quis est, o viri sapientes, tam insigniter impius, et ad omne scelus usque adeo projectus, quem Jobi non superet insolens audacia? qui nihilo difficilius subsannat alios, et impudenter insultat, quam sitiens bibit aquam, qua ardorem æstuantis stomachi restinguat. Ubi obiter nota illud, *bibere sicut aquam iniquitatem aut subsannationem*, proverbialem habere speciem, qua significetur iniquitas aut subsannatio non solum avide, sed etiam sine sensu, sine scrupulo aut remorsu conscientiæ temere admitti. De qua loquendi forma vide quæ cap. XV, 16 dicta sunt. *Qui graditur cum operantibus iniquitatem*, etc. : hic modus loquendi licet societatem indicet, quam frequens usus congressusque alit atque confirmat; aliquando tamen non tam significat vitæ familiarem consuetudinem quam similitudinem morum, cum aliqui, licet vitæ genere atque instituto et locorum diversitate distantes, conveniunt tamen similitudine et exemplo; ita ut quilibet aliorum exprimat mores et ingenium, ita ut si hunc noris, cæteros noris : hoc sensu dicitur *Psalm.* I, 1, justus non stetisse in via peccatorum, atque non ambulasse cum peccatoribus, id est, non fuisse peccator. Et alibi de impio dicitur *Psalm.* XLIX, 18 : « Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas, » id est, eras fur et adulter. Hoc opinor sensu dicitur Jobus ab Eliu *ingredi cum operantibus iniquitatem*, et *ambulare cum impiis*, quia illum iniquitatis et impietatis accusat : de alia enim societate non ausus esset quidquam affirmare, quia semper improborum societatem exhorruit, neque unquam cum impiis conversatus fuit. Huic affinis est ille dicendi modus, quo qui moribus sunt similes *fratres* appellantur; juxta illud *Prov.* cap. XVIII, 9 : « Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis; » et Ecclesiasticus ait cap. XXXIV, 27 : « Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. » Quam explicationem probat id quod proxime sequitur :

Quo sensu Eliu dicit Jobum bibere sicut aquam subsannationem.

Quo sensu dicatur Job gradi cum operantibus iniquitatem.

DIXIT ENIM : NON PLACEBIT VIR DEO, ETIAMSI CUCURRERIT CUM EO,—id est, exsecutus fuerit festinanter ejus mandata, quasi currens cum eo : *currere* enim

Quid sit *currere* aut am-

http://www.obrascatolicas.com

Ambulare cum Deo

seu ambulare *cum Deo* aut coram Deo, est ad Dei exemplum et similitudinem vivere, ac divinæ voluntati amice, reverenter et fideliter per omnia se accommodare. Carpit Eliu Jobum, quasi sentiat frustra Deum coli, qui nihil boni suis cultoribus et sequacibus conferat, fortasseque malus interpres alludit ad illud Jobi assertum cap. IX, 22 : « Innocentem et impium ipse consumit; » vel ad illud cap. X, 15 : « Si impius fuero, væ mihi est; et si justus, non levabo caput saturatus afflictione et miseria. » Vel certe ex eo collegit, quia se justum Jobus sæpe appellavit, et se dure tractari conquestus est; unde Jobi hanc interpretatur mentem, quasi putaverit non placere hominem Deo, etiamsi cum Domino perpetuo currat, id est, ab eo nunquam oculos avertat, sed illum habeat suarum actionum vivum quoddam exemplar. Hoc enim est concurrere sive ambulare cum Deo, in quo perfectionis florem atque fructum esse positum censuerunt sapientes; unde illa velut præcipua sanctimoniæ laus et prædicatio tribuitur Noe *Gen.* VI, 9, quod « cum Deo ambulavit : » ita nimirum ille in terris atque inter homines versabatur, ut non in luto volutaretur, et plebeiæ voluptatis appetitione serperet humi, sed a terrena omni affectione defæcatus ambularet cum Deo, et illius voluntati tota mente inhæreret. Ad eamdem altitudinem animi celsi et humana omnia contemnentis Abrahamum invitat, et attollit Deus suavissimo illo monito *Gen.* XVII, 1 : « Ambula coram me, et esto perfectus : » nam *ambulare coram Deo* et *cum Deo concurrere* res eadem est, et quod jungit, esse perfectum atque sanctum. Septuaginta *ibid.* legunt εὐαρέστει ἐνώπιον ἐμοῦ, καὶ γίνου ἄμεμπτος, *place in conspectu meo, et esto inculpabilis.* Denique *ambulare coram Deo*, vel *cum Deo*, est vi amoris et puritate sanctimoniæ Deum comitari non circa cœli cardines ambulantem, sed ab omni vitiorum contagione secretum, liberum et exsolutum ab omni labe, undique perfectum, et quantum homini licet ejus puritatem æmulari; quod cum Jobus in utraque fortuna vel ipsiusmet Dei testimonio accurate semper fecerit, immerito ipsum accusat Eliu, quasi dixerit, nihil profuturum homini, quod cum Deo ambularit aut concurrerit. Septuaginta legunt, μὴ γὰρ εἶπας· Ὅτι σὺκ ἔσται ἐπισκοπὴ ἀνδρὸς, καὶ ἐπισκοπὴ αὐτῷ παρὰ Κυρίου, *ne enim dixeris : Non erit visitatio viri, et visitatio ei a Domino*; apud Olympiodorum Theodotion hoc ita reddidit, ὅτι εἶπεν· ὃν κινδυνεύσει ἀνὴρ ἐν τῷ εὐδοκιμῆσαι αὐτὸν μετὰ Θεοῦ, *quoniam dixit : Non periclitabitur vir dum ipse bene complacuerit cum Deo;* Symmachus vero, οὐχὶ σωθήσεται ἀνὴρ; *non salvabitur vir?* Et verba quidem Theodotionis per enuntiationem legenda sunt; Symmachi autem morate et per interrogationem S. Augustinus transtulit, *dixit enim : Non visitabitur qui ambulaverit cum Deo?* hoc Persius dixit *vivere cum Deo:*

Mane regustatum digito terebrare salivum
Contemptus perages, si vivere cum Jove tentes.

Vers. 10. 10. IDEO VIRI CORDATI AUDITE ME, ABSIT A DEO IMPIETAS ET AB OMNIPOTENTE INIQUITAS. — Cum nihil sanum a Jobo exspectaret Eliu, quem sceleratum esse et insipientem crederet, neque speraret futurum facilem aut docilem auditorem, convertit se ad viros cordatos et sapientes, et apud illos quantum ingenio atque sapientia possit ostendit, dum Jobum impietatis accusat, et Deum ab omni impietatis et iniquitatis suspicione vendicat. Est autem hujus disputationis præcipuum caput et argumentum, quod paucis verbis hic propositum est : *Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas*, ut videlicet homo post impletam omnem Dei voluntatem apud Deum adhuc inimicus et puniendus inveniatur (quemadmodum super. vers. Eliu calumniose hoc affinxerat Jobo, qui tamen nihil tale dixerat, sed solum, tractari interdum perinde a Deo pios sicut impios, nempe quoad externos casus et eventus cap. XXI et alibi expressos; nusquam vero negavit justos placere Deo, vel præmium habere repositum apud Deum) : Deus enim, qui fidelis judex est, bonus etiam, justus et rectus est, quod raro invenitur in iis qui fortes potentesque sunt. Nam sicut notavit hoc in loco Cajetanus, rarus fortis, qui vel non iniquus sit, aut fallax; qui jus suum unicuique reddat, qui in omnibus rectitudinem servet; sed non sic Deus omnipotens, qui neque impius neque iniquus esse potest : pugnant enim hæc cum Dei natura. Ergo non possunt, qui eum sequuntur, qui eum imitantur, boni denique viri ei non placere, ab eo non amari, et aliquid ab eo boni non habere : sicut enim seipsum, ita et sui similes debet diligere : se enim amat, cum viros bonos amat; siquidem amat in illis id bonitatis, cujus ipse fons est, et quæ ab ipso in illos derivatur : ita S. Paulus argumentatur II *Timoth.* II, 12 : « Si sustinebimus, et conregnabimus : si negaverimus, et ille negabit nos : si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. »

Deus omnis impietatis et iniquitatis erpers.

Quapropter illud omnino certum et constitutum habere debemus, Deum esse justum, quia ejus voluntas omnis justitiæ et rectitudinis regula est : ita ut quidquid ab ipso promanat nobis sit adorandum, quamvis absurdum, et aliter habere se debere nobis videatur. Hoc igitur timore retineamur, ut quoniam Deus est omnis justitiæ fons, quidquid agat, probandum nobis esse confiteamur. Propterea ut eam justitiam in omnibus iis quæ in mentem et cogitationem veniunt agnoscamus, hoc semper nobis occurrat : « Justus es, Domine *Psalm.* CXVIII, 137 : et rectum judicium tuum; » v. g. videmus improbos dominari et regnare; id male nos habet : interim Deus nobis videtur in cœlo quasi dormire; et si non statim his malis et confusionibus medeatur, videtur nobis suo munere non fungi; in his tamen omnibus Deum justum esse confiteamur oportet. Præterea cum cruciamur et affligimur modo in bonis nostris, modo in personis, Ecclesiam in genere videmus pedibus proculcari, improborum tyrannidi obnoxiam;

Deum in omnibus justum agnoscere debemus.

statim hæc cogitatio animum nostrum ferit. Quid hoc sibi vult? Deum tamen confiteamur, et agnoscamus justum oportet; cumque ita se res habeat, exspectemus, dum nobis declaret, cur res tam male nostro judicio se habere videantur, et sciamus non sine causa ipsum sic statuere. Quare claudamus oculos, cum res prorsus contra opinionem et sensum nostrum evenient; hoc duntaxat constitutum habeamus et dicamus : Domine, tu justus es, et hac justitia contentus ero, donec me introducas in tuum sanctuarium, et intelligam, cur sic de statu generis humani constituas. Cæterum Septuaginta versum hunc ita reddunt, διὸ συνετοὶ καρδίας ἀκούσατέ μου· μὴ μοι εἴη ἐναντι Κυρίου ἀσεβῆσαι, καὶ ἐναντι Παντοκράτορος παράξαι τὸ δίκαιον, *quare intelligentes corde audite me : Absit a me coram Domino impie agere, et coram Omnipotente turbare justitiam*; Symmachus, ἀπεὶη τοῦ Θεοῦ ἀνομία, καὶ τοῦ ἱκανοῦ ἀδικία, *absit a Deo iniquitas, et a sufficienti injustitia* : in Hebræo est *a Deo saddai*, quem ἱκανὸν reddit; quod suo contentus sufficienter habeat omnia ad vitam beatam necessaria. Dixit igitur Eliu procul esse iniquitatem ab Omnipotente, seu sibi sufficiente, *q. d.* Longe abest iniquitas a Deo, non tantum quia beatus est, quia immutabilis, etc., sed etiam quia sibi sufficiens est, et nullius rei indigus : quia si insufficiens sibi esset, et aliqua re indigens, forte non abesset a Deo iniquitas, nam dira indigentia adeo sæpe instigat ad iniquitatem, ut vel Deus justus et sanctus forsitan non esset, si indignus esset. Sapienter ergo Eliu dixit : « Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas, » quæ sententia adeo illustris olim fuit, ut meruerit Davidem commentatorem, qui sic accinit *Psalm.* XV, 2 : « Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges, » id est, quia tibi ipsi sufficiens es, ac si Deus nec summe beatus, nec justus, nec sanctus foret, nisi esset sibi sufficiens, et minime indigus aliorum bonorum : nam si aliquo egeret, Deus non esset. Ex dictis porro sequitur id quod subjungitur :

Procul impietas et iniquitas ab Omnipotente, quia sibi sufficit.

Vers. 11 et 12. 11 et 12. OPUS ENIM HOMINIS REDDET EI, ET JUXTA VIAS SINGULORUM RESTITUET EIS. VERE ENIM DEUS NON CONDEMNABIT FRUSTRA, NEC OMNIPOTENS SUBVERTET JUDICIUM. — Hæc aperta sunt et clara : ex eo enim quod Deus injustus esse nequeat, sequitur ipsum reddere cuique quod commeruit, neque condemnare *frustra*, hoc est, absque peccato quod plectendum sit. Huc spectat illud Pauli loquentis de Deo in præmiis suppliciisque distribuendis fidelissimo *Rom.* II, 6 : « Reddet, inquit, unicuique secundum opera ejus : iis quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quærunt, vitam æternam : iis autem, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. » Ubi distinguenda sunt duo antithesis membra : nam bonis dicitur Deus redditurus vitam æternam; malis autem non dicitur redditurus pœnam æternam, ut consequenter dicendum fuisse videbatur; sed solum dicitur malis affutura ira et indignatio; quia Deus non hujus pœnæ, sed illius gloriæ prædicare se voluit auctorem. Quod Origenes lib. II *in Epist. ad Rom.* recte ponderavit : propterea enim docet Apostolum ea loquendi diversitate usum fuisse, « ut per hoc ostenderet ea quidem quæ bonis reddenda sunt per Deum reddi, id est vitam æternam; ea vero quæ sequuntur malos non a Deo dari; cujus dona ipso digna sunt : sed in his qui operantur malum ira et indignatio erit, secundum ea quæ thesaurizaverunt sibi ipsi. » Quod statim deducit ex diversitate illa loquendi : « nam sicut ibi vitam æternam casu accusativo protulerat; ita et hic iram et indignationem casu accusativo protulisset; si id ad reddentis Dei personam referre voluisset. » Hinc est quod maledictionibus, quæ peccatoribus inferebantur *Deuter.* XXVII, 15, universus populus acclamabat : *Amen*; benedictionibus autem, quibus justi donabantur, nullum *Amen* a populo reddebatur *Deuter.* XXVIII, 1, ut significaretur, D. Hieronymo interprete, maledictiones quidem ab hominibus, benedictiones autem a solo Deo emanare.

Præmiorum, non pœnæ auctor.

Deus benedictionum tantum auditor, homines maledictionum.

Deus reddet unicuique secundum opera sua.

VERE ENIM DEUS NON CONDEMNABIT FRUSTRA (id est sine peccato, ut Eliu recte pronuntiavit) NEC OMNIPOTENS SUBVERTET JUDICIUM : — nam, ut Paulus ait *Rom.* II, 3, « judicium Dei est secundum veritatem : » quapropter bonis retribuet præmia, et malis supplicia; omnibus vero et cuique secundum operum quæ fecerunt et conditionem et numerum et qualitatem. Quæ omnia ut de ultimo judicio et æternis bonorum præmiis ac malorum suppliciis intellecta prorsus sunt verissima et infallibilia, sic de solis hujus vitæ bonis ac malis, ut Eliu et cæteri disputatores intellexerunt, accepta nihil omnino habent certitudinis aut veritatis. Enimvero in præsenti vita Deus non reddit homini secundum opera ejus : nam et peccata dissimulans, non punit hic, et quandoque male agentibus gratiam largitur, sicut ipsi Paulo, qui prius fuerat blasphemus et persecutor; et nihilominus tamen tantam est a Deo consecutus misericordiam, ut non modo christianus fieret, sed etiam talis tantusque Apostolus. At vero in die judicii non ita fiet : tunc enim tempus erit judicandi tantum secundum justitiam, sicut dixit Deus *Psalm.* LXXIV, 3 : « Cum accepero tempus, ego justitias judicabo. » Si quis autem dicat, non fore in die judicii retributionem secundum opera, quia peccato temporali retribuetur pœna æterna; respondendum est secundum B. Augustinum lib. XXI *De Civit.* in retributione justitiæ non considerari æqualitatem temporis inter culpam et pœnam : nam etiam secundum humanum judicium pro culpa adulterii, quæ brevi tempore committitur, infligi solet pœna mortis; in qua non attendit legislator brevem illam moram occisionis, sed id potius spectat, quod ille per mortem perpetuo excluditur a societate viventium. Similiter etiam homo pro culpa temporali quæd æterna punitur : quod quidem justissimum

Judicium Dei est secundum veritatem.

Deus in hac vita non semper tribuit cuique secundum opera ejus.

Quomodo peccato temporali juste respondeat pœna æterna.

Quomodo Deus sit

http://www.obrascatolicas.com

esse intelligitur ex infinita dignitate Dei, in quem peccatur: tanto enim gravius quis peccat, quanto major est dignitas personæ, in quam peccat: plus enim peccat qui percutit principem, quam qui percutit privatam personam. Quo fit, ut culpa peccati mortalis contra Deum quamdam velut infinitatem contrahat; et cum non possit pœna esse infinita secundum intensionem, relinquitur ut sit infinita secundum durationem. Cum autem dicitur Deum redditurum cuique secundum opera ejus, intelligere oportet, Deum esse redditurum non quidem secundum æqualitatem operum : nam si substantia meriti atque præmii æstimetur, præmium multis parasangis exsuperat et excedit ipsum meritum; ideoque Paulus scribit *Rom.* VIII, 18, passiones hujus temporis non esse condignas gloria quæ revelabitur in nobis, et alibi II *Corinth.* IV, 17, ait leve ac prope momentaneum tribulationis hujus temporis immensum gloriæ pondus operari. Reddet igitur Deus secundum opera, id est, secundum qualitatem, et numerum et intensionem operum; quia bonis retribuet bona, et melioribus meliora; similiter etiam malis.

Contra hæreticos nostri temporis, negantes vitam æternam dari justis propter bona eorum opera.

Hinc valide confutantur hæretici hujus temporis, qui licet non inficientur justos facere bona tanquam fructus fidei suæ, per quam justificati sunt; pugnaciter tamen præfracteque contendunt, non dari justis vitam æternam propter bona eorum opera, quasi justam mercedem merito bonorum operum respondentem; sed hanc istorum sententiam evidenter ostendit esse falsam B. Paulus dicens *Rom.* II, 6 : « Qui reddet unicuique secundum opera ejus. » Quibus verbis Paulus docet Deum redditurum vitam æternam non solum habentibus bona opera, sed etiam redditurum ipsis secundum opera ipsorum. Id autem est pro qualitate et quantitate operum quæ fecerunt in hac vita. Hanc ipsam Pauli sententiam etiam pluribus aliis in locis sacræ Scripturæ usurpatam reperimus, ut in isto *Psalm.* LXI, 12 : « Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est, et tibi Domine misericordia : quia tu reddes unicuique secundum opera sua. » Quid est : *Semel locutus est?* hoc nempe sententiam firmam et irrevocabilem dixit, et firmissimum et immutabile voluntatis suæ decretum significavit : sic enim exponere convenit juxta id quod præc. cap. XXXIII, 14 dixit Eliu : « Semel loquitur Deus, et secundo id ipsum non repetit. » Præterea eamdem sententiam pronuntiaturus est Dominus in die generalis extremique judicii, sicut refert S. Matthæus in evangelio cap. XVI, 27 : « Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis : et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. » Quæ sunt verba ipsius Domini, uti et illa *Apoc.* XXII, 12 : « Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua : » quæ omnia sunt prorsus eadem cum hisce verbis Eliu : « Opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet. »

Hæreticorum fatiles explicationes loci sancti Pauli superius allati de operibus et remuneratione.

Sed audi, quæso, quemadmodum hæretici clarissimam hujus sententiæ lucem veritatis commentitiis interpretamentis varie conati sint infuscare : quidam eorum aiunt, illud *secundum opera* perinde dici, ac si diceretur, secundum fidem, quam indicant opera; præsertim vero, cum ipsum etiam *credere in Deum* appelletur *opus* : Dominus enim Jesus quærentibus ex ipso Judæis *Joan.* VI, 28 : « Quid faciemus, ut operemur opus Dei? » respondit : « Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille. » Sed nemo est profecto qui non videat contortam et violentam esse istiusmodi expositionem : cum enim dicuntur opera hominis, non intelligitur fides tantum, sed opera aliarum virtutum tam interna quam externa; præsertim autem apud Paulum, qui solet opera distinguere a fide. Alii autem illud, *secundum opera*, dicunt significare non *causam*, quasi opera sint causa propter quam reddatur justis vita æterna; sed significare tantummodo *ordinem* et consequentiam futurorum, ut sit hic sensus : Dabit unicuique post bona opera ejus vitam æternam; sed enim in Scriptura præpositio illa *secundum* nusquam ponitur, ut significet *post*. Nonnulli dicunt illud *secundum* significare tantum compensationem quamdam, non autem meritum et causam, ut sit sensus : Licet bona opera justorum non sint condigna retributione vitæ æternæ; Deum tamen pro sua infinita benignitate compensare ea retributione vitæ æternæ. Verum longe diversus est intellectus verborum Pauli, aperte significantis pro qualitate ac merito dignitateque operum retribuendum cuique esse a Deo. Nec desunt qui dicant, Paulum istis verbis non aliud declarare voluisse, nisi quibus personis retribuenda esset vita æterna, iis nimirum personis, quæ habent bona opera tanquam fructus fidei, per quam justificati sunt, et per quam potissimum apprehendent vitam æternam; sed isti fallaciter dissimulant illam præpositionem *secundum*, quæ demonstrat, non solum habentibus bona opera, sed propter ipsa bona opera retributum iri vitam æternam. Alias præterea confingunt interpretationes, sed tales, ut plane ostendant se constrictos hac Pauli sententia teneri, et quoquo modo effugium aliquod quærere, nec ullum tamen reperire posse.

Eamdem porro sententiam, licet diversis verbis, idem tamen significantibus, tradit idem S. Paulus aliis in locis, ut I *Cor.* III, 8 : « Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem; » et II *Cor.* V, 10 : « Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum; » et *ibid.* IV, 17 : « Momentaneum hoc et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operabitur in nobis. » Eamdemque veritatem comprobat sententia illa, quam Dominus noster in extremo judicio pronuntiaturus est : eam vero S. Matthæus refert his verbis cap. XXV,

Operibus misericordiæ promissum est cœlum.

34 : « Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi : esurivi enim, et dedistis mihi manducare, » etc. Quibus verbis aperte declarat Dominus vitam æternam retributum iri hominibus propter bona eorum opera, præcipue autem propter opera misericordiæ, quorum proprie merces est regnum cœlorum. Unde S. Chrysostomus hom. 32 *in Hebr.* de miseratione loquens : « Huic, inquit, portæ cœli aperiuntur, et veluti regina intrante nullus janitorum, nullus custodum, qui portis assistunt, audet dicere : Quæ es tu, aut unde? sed omnes eam prompte continuoque suscipiunt. » Falluntur quidem gentiles, cum genium quemdam inducunt Mercurium *hegemonium* et *psychopompum*, hoc est *ducem* et *perductorem animarum* cum solutæ a corpore fuerint : sed doctus a Deo Chrysostomus loco jam nunc citato pie misericordiam induxit ut virginem niveo vultu et amiculo decoram, et alis præditam aureis, quæ ad sublime Dei solium nos evehat. Unde negat S. Augustinus *in Psalm.* CII, aliud esse vehiculum, quo perducamur ad patriam. Et S. Ambrosius lib. VII *in Luc.* ea causa eamdem vocat *præviam cœlestium mansionum*, quæ nimirum aditum pandit ad felicitatem : « Sola virtus, inquit, comes est defunctorum : sola nos sequitur misericordia, quæ cœlestium prævia mansionum, pecuniæ vilis usura tabernacula defunctis acquirit æterna. »

Vers. 13.

Deus non alteri quam sibi mundum regendum commisit.

13. QUEM CONSTITUIT ALIUM SUPER TERRAM? AUT QUEM POSUIT SUPER ORBEM, QUEM FABRICATUS EST? — Duo paucis firmissima tangit argumenta ad probandum id quod proxime dixerat, Deum neque frustra condemnaturum, neque judicium subversurum, tum quia omnia ab ipso fabricata sunt, tum quia res omnes gubernat; non potest autem non amare quod fecit, et non curare quod regit, quemadmodum pulchre S. Gregorius lib. XXIV *Moral.* cap. XI, ad hunc locum docet his verbis : « Per se quippe mundum regit, quem per se condidit; nec eget alienis adjutoriis ad regendum qui non eguit ad faciendum. Sed hæc idcirco colliguntur, ut liquido indicet, quia omnipotens Deus si per semetipsum regere non negligit quod creavit, quod bene creavit utique bene regit : quia quod pie condidit impie non disponit, et qui necdum facta curavit ut essent, quæ facta sunt non deserit. Quia ergo præsens est in regimine, qui auctor exstitit in creatione, ideo curam nostri non præterit : » sic ille. Vis ergo rationis ab Eliu allatæ petitur vel a divina providentia, quam oportet esse perfectissimam, et cui accidere nequit immoderatus aliquis affectus aut rerum ignoratio, ut judicium pervertat; vel a Dei amore, quo suas prosequitur creaturas, juxta illud *Sap.* XI, 21 : « Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti : nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti. »

Deus non potest corrumpere judicium.

Ex quo duci potest argumentum, incredibile esse a Deo corrumpi judicium erga res quas impense amat : nequit enim credi Deum, qui absque detrimento illo beneficentiam exercere potest, gratis excruciare affligereve innoxios, vel non sincere judicare. Sicut enim semper Deus est, ita et justus, ut nihil ipsi magis conveniat quam justitia et æquitas : hanc quisquis Deo derogat, essentiam ejus violat, quia non est Deus ut sit idolum, ut sit res mortua et otiosa; sed Deus est ad mundum regendum, ideoque habet in se summam majestatem, ut eum judicet; eumque judex sit, cum ita æquum esse oportet, ut nihil in ipso culpari possit : sciamus itaque hæc duo vinculo indissolubili conjuncta esse, Deum omnia fecisse et omnia regere. Numquid igitur existimamus Deum vocare et asciscere sibi socium, qui ipsum in regendis suis creaturis adjuvet? verum quidem est Deum uti mediis et causis inferioribus ad mundum regendum; id tamen ejus auctoritatem non imminuit; supra omnes siquidem dominatur. Quid sunt magni reges nisi manus Dei? Ipse vero illis, prout ipsi videtur, utitur, sicuti per Prophetam superbo illi Sennacherib exprobrat, qui se omnia sua industria effecisse existimabat *Isaï* X, 15 : « Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum a quo trahitur? » id est, si homo quispiam serram aut cultrum tractet, eo secet aut utatur pro arbitrio, numquid instrumentum adversus hominem potest insurgere? Minime. Quod ostendit hominem non solum posse uti manibus et brachiis, sed etiam habere ea quæ sunt extra se in potestate sua. Num quæ est virtus in creaturis mortalibus nisi a Deo vivente? nonne omnia suum esse ab ipso habent? Nihil igitur sumus a Deo separati, in quo *Actor.* XVII, 28, « vivimus, movemur et sumus. » Cognoscamus itaque, cum Deus hujus mundi media adhibet, et hominum opera utitur tanquam instrumentis, id non eo referendum esse, ut ejus potentia imminuatur aut circumscribatur, sed potius eo ostendere se ipsos regere; si jubeat duntaxat et sibilet, homines præsto esse ad voluntatem ipsius exsequendam : quin etiam inferni diabolos eo adigi, et quamvis id nolint, idque omnino contra ipsorum scopum et voluntatem fiat, Deum tamen illos potentia violenta inducere ad id quod in concilio suo decrevit exsequendum. Unde subdit :

Reges omnes sunt instrumenta Dei, a cujus nutu pendent.

Vers. 14 et 15.

14 et 15. SI DIREXERIT AD EUM COR SUUM, SPIRITUM ILLIUS ET FLATUM AD SE TRAHET : DEFICIET OMNIS CARO SIMUL, ET HOMO IN CINEREM REVERTETUR. — Convenit inter omnes interpretes et expositores de horum verborum, licet obscura videatur, explicatione, *q. d.* Si Deus hominem vellet aut universum quod creavit omnino delere, cum id facere sua voluntate posset; non esset opus calumnias struere, aut judicia subvertere, quod faciunt iniqui; sed satis esset, ut omnem carnem et rerum universitatem dissolveret, illud tantum voluisse simpliciter : *dirigere* enim aut *apponere cor* idem

Deus solo nutu et voluntate potest hominem et universa delere.

http://www.obrascatolicas.com

est quod *velle*, aut ad aliquid curandum advertere seu inclinare cor sive ad bonum de rebus sive ad malum statuendum, quomodo cap. VII, 17 dixit Job : « Quid est quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? » *Spiritum* vero seu *flatum ad se trahere* perinde est ac intercipere, perimere, exstinguere, quod videtur alludere ad hominis creationem *Genes.* II, 7, in qua factus est homo in animam viventem, mox ac inspiravit Deus in faciem ejus spiraculum vitæ. Nostro quippe more intelligendi Deus ad hominis corpus propius accedens quasi inhalavit, flavit, sive halitum suum infudit, inspiravit ut viveret : quapropter a contrario sensu eleganter dicitur Deus, dum interficit, *flatum*, quem emiserat, *ad se trahere*. Cum itaque a Deo assidue conservemur, de ipso nobis sentiendum est in bonitate, quod unoquoque temporis momento non pereamus : qua enim alia re opus est ad nos in cinerem et nihilum penitus redigendos, quam solo Dei aspectu vel flatu? « Aspexit, inquit Habacuc cap. III, 6, justo videlicet furore inflammatus ; quid igitur inde sequitur? et dissolvit gentes, » vel ut est apud Septuaginta, καὶ διετάκη ἔθνη, *et distabuerunt gentes*. Sic alibi dicitur Deum in homines sufflare, tunc omnem ipsorum vigorem statim mutari, marcescere et exarescere. Propheta Isaias sic loquitur de virtute hominum, quando ipsos herbæ aut flori comparat clamans cap. XL, 6 : « Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos; quia spiritus Domini sufflavit in eo, » ubi dicit Deum, si sufflet, duntaxat nobis fore instar venti, qui exsiccat herbas : sic exarescemus. Atque illud est quod etiam *Exod.* XV, 10 in cantico Moysis dicitur; verum hic est alia comparatio, quæ tamen tendit ad eumdem finem, si nimirum Deus ad se spiritum et halitum suum retrahat nos perire, sicut etiam dicitur *Psal.* CIII, 29 : « Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur, » quod congruit cum eo quod hic habetur. Cum enim non subsistamus, nisi quia placet Deo spiritum suum super nos effundere, si vim illam subtrahat, statim pereamus necesse est; quo admonemur nostræ fragilitatis, ut intelligamus nos a Deo sustentari ac tolerari; cumque vel momentum temporis super terram manemus, id ejus gratiæ acceptum referendum esse.

Dum Dei amore inflammamur, quidquid in nobis carnale est deficit.

Mystice locum hunc sic recte exposueris, ut sensus sit : Si Deus apposuerit cor suum erga hominem amore illum prosequens, et consequenter suo amore eum inflammans, trahet ad se spiritum illius et flatum, id est animam seu mentem, et omnes ejus internas ac externas operationes quæ hominis propriæ sunt, et ad spiritalem vitam diriguntur; simul autem quidquid carnale in eo est deficiet et consumetur, ac revertetur in cinerem : de quo vide D. Gregorium lib. XXIV *Moral.* cap. XI. Cæterum sicuti vis mortis aliter ostenditur in bestiis et in hominibus : animas enim bestiarum penitus exstinguit, et in nihilum redigit, animam vero hominis minime, sed in novam mutat vitam a corpore independentem; corpus autem consumit, et in pulverem convertit : sic charitas omnes bestiales motus carnis penitus absumit, spiritum vero hominis in melius mutat, et ad Deum elevat,ut in ipso vivat rejecta superflua carnis cura, et tanquam vilem pulverem reputans quidquid ad ipsam spectare videtur.

Vers. 16. et 17.

16 et 17. SI HABES ERGO INTELLECTUM, AUDI QUOD DICITUR, ET AUSCULTA VOCEM ELOQUII MEI. NUMQUID QUI NON AMAT JUDICIUM SANARI POTEST? ET QUOMODO TU EUM, QUI JUSTUS EST, IN TANTUM CONDEMNAS? — Avertit Eliu sermonem ab aliis, et refert ad Jobum, quem insipientem judicat, dum de illius intelligentia dubitat dicens : « Si habes ergo intellectum, » etc. *q. d.* Tu igitur, o Jobe, si quid habes mentis audi quod jam dicam, quod si attente consideres, magno tibi erit usui : si sanari desideras, neque ab alio salus quam a Deo sperari potest, quomodo illum iniquitatis arguis, et perversi ac violati judicii tam aperte condemnas? « Manifestum est, inquit Philippus presbyter ad hunc locum, quia is qui juste et recte judicare non diligit, neque sanare a vitiis neque corrigere quemquam potest : » quæ eadem verba habet Beda; sensusque est : Qui non amat judicium sanare non potest : propterea Deus sanat, quia diligit judicium, et ex amore justitiæ judicat. Hoc est quod dixit regius Vates *Psalm.* XLIV, 8 : « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, » ubi verbum *diligendi* in originali est ardens et vehemens, adfertque aliquid affectione plenum, a qua etiam voce dictum est *Isai.* LXI, 8 : « Ego Dominus diligens judicium. » Unde S. Basilius citato loco Psalmi indicat dicto diligendi verbo significari non tam labore et exercitatione partam dilectionem, quam insitam a natura justitiæ affectionem; quamobrem additur : « Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, » quod S. Augustinus ad Christum refert dicens : Propterea ut diligeres justitiam, et odio prosequereris iniquitatem, unctus es. Quo sensu videtur dictum illud *Luc.* IV, 18 : « Propter quod unxit me, evangelizare pauperibus, » id est, ad eum finem veritatis et sanctitatis docendæ et justitiæ servandæ pauperibus unctus sum : is enim Deus, qui justitiam diligit, quia justus et rectus est, adeo diligit justitiam, ut pro illa servanda et docenda miserit Filium suum. Neque vero satis justissimo Deo fuit, si justitiam diligeret, nisi etiam et principes ac judices voluerit dilectores esse justitiæ, ut sic melius innotesceret, qualiter Deus erga justitiam afficeretur; unde per Salomonem ait *Sap.* I, 1 : « Diligite justitiam qui judicatis terram. » Quo loco verbum græcum *diligendi* vehemens est, et inculcat non quomodolibet, sed toto animo sectandam justitiam. Quod etiam inculcasse videtur Christus Dominus quando dixit *Matth.* V, 6 : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam : » sic enim exponit S. Chrysostomus hom. 6 ex variis *in Matth.* in medio, ut dicta verba spectent ad judices, qui non quoquo modo debent justitiam administrare, sed veluti qui sitiunt et esuriunt : « Nota, inquit Chrysostomus, cum quanta id ponit excellentia : non enim dixit : *Beati qui justitiam vendicant*; sed : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam*; ne simpliciter, sed omni studio ea obeamus; quoniam hoc avaritiæ præsertim proprium est, » etc. S. Bernardus quoque lib. III *De Consid.* ait : « Parum est jutitiam tenere, nisi etiam diligas : qui tenent tenent; qui diligunt zelantur. Amator justitiæ inquirit justitiam, et prosequitur eam, » etc.

Judicium et justitiam diligere oportet.

Judices debent esse dilectores justitiæ.

Vers. 18 et 19.

18 et 19. QUI DICIT REGI APOSTATA : QUI VOCAT DUCES IMPIOS : QUI NON ACCIPIT PERSONAS PRINCIPUM : NEC COGNOVIT TYRANNUM, CUM DISCEPTARET CONTRA PAUPEREM : OPUS ENIM MANUUM EJUS SUNT UNIVERSI. — Ostendit quam alienum a Deo sit judicium subvertere, cum ipse reges, principes et magistratus omnes in judicium vocet; et qua ratione administraverint et judicium reddiderint quæstionem instituit, et verbis eos gravissimis et acerbissimis, si in hac re peccaverint, reprehendit. Qui duces, inquit, qui pietatem prodiderunt, nulla adhibita vocis moderatione, *impios* appellat; qui reges a recto deficientes, quasi nullis essent alligati legibus, libera sive compellatione sive convicio *apostatas* vocat. Quo autem vultu illos ita reprehenderet, si eodem ipse vitio contaminatus esset? nam qui æqui et iniqui regula futurus est, debet ipse omni iniquitate vacare. Ex quo intelligitur, quantum oporteat eum illo crimine carere, cujus alium reprehendit. In originali prior hic versus per interrogationem exprimitur hoc modo, *an dicetur regi, nequam es? impius es principibus?* quod diversum a Latino sensum facit, et a Septuaginta sic vertitur, ἀσεβὴς ὁ λέγων βασιλεῖ· Παρανομεῖς ἀσεβέστατε τοῖς ἄρχουσιν, *impius est qui dicit regi : Injuste agis, impiissime principibus* : in quibusdam Codicibus habetur ἀσεβέστατος, *impiissimus*; et exponitur a Scholiaste, *qui dicit regi : Injuste agis, sicut impiissimus judicatur a principibus*, q. d. Si regi terreno, qui est caro et sanguis, hoc non licet dicere, multo minus regi cœlorum, qui est Deus benedictus in sæcula. Quæ enim inter ipsum et principes terrenos est comparatio? rex quantumvis majestate aliqua præditus sit improbus esse poterit; principes vero et gubernatores, cum improbi sunt, et pessime officio funguntur, nihilominus tamen propter dignitatem, qua pollent, ipsorum nomini et famæ parcitur. En vero tibi Deum, qui non accipit personam, omnes istos magnos secundum mundum honoratos conterit, exscindit ipsos non secus quam infimos, et ostendit se nihili omnium suarum creaturarum sublimitatem facere. Quis ergo audebit adversus ipsum os aperire? regem timebimus; est et ille timendus : gubernatores et præsides provinciarum verebimur; id quoque æquum est, cum Deus illos eo honore affecerit. Sed quid est universus mundus præ eo qui omnia habet in manu sua? « Omnes gentes quasi non sint sic sunt coram eo : et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei, » inquit Isaias cap. VI, 17 : et reges et gubernatores cum omni hominum multitudine tenet instar grani pulveris. Cum igitur sic se res habeat, audebimusne adversusipsum insurgere? quæ ea est audacia? quapropter non alia opus est condemnatione in eos qui indignantur et insurgunt adversus Deum, quam ea reverentia, quam hominibus exhibent. Ratio igitur leniter decurrit, qua Eliu probare pergit a Deo judicium minime corrumpi : nulla enim creatura vel potentissima est, cujus causa credi possit a Deo jus perverti : nihil enim ab eis sperat, vel timet, et dum a recto aberrant, graviter objurgat; in judicio vero tanti apud eum ponderis inops quam dives ac potens est, cum omnium dominatu æque potiatur.

Deus non potest judicium subvertere, cum iniquos judices in judicium vocet.

Qui alium reprehendit, debet carere crimine.

Si regem, qui sit impius, non licet sic compellare, quanto minus Deum.

NON ACCIPIT PERSONAS PRINCIPUM, NEC COGNOVIT TYRANNUM. — Septuaginta legunt, οὐκ ἐπαισχυνθῇ πρόσωπον ἐντίμου, οὐδὲ οἶδε τιμᾶν θέσθαι ἄδροις, θαυμασθῆναι πρόσωπα αὐτῶν, *non est veritus faciem honorati, neque novit honorem ponere potentibus, admirari facies eorum.* Accipere autem personam est non æquitatis, sed qualitatis personæ, vel quia dives, vel quia pauper, vel quia amicus, vel inimicus est, in judicio rationem ducere. Ut si quis judicet secundum divitem, non quia jus habet, sed quia dives est, quæ judicandi ratio valde aliena est a Dei judicio, cum nullum neque principem neque tyrannum revereatur, sed jus æquale in omnibus statuat : quare non potest frustra condemnare, aut judicium subvertere, quia tunc personæ potius qualitate quam æquitate judicium dirigeret. Huc spectat locus ille *Deuter.* I, 17, ubi Deus ait : « Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum : nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est; » ubi vides rationem reddi, cur in judicio exercendo acceptio personarum nullatenus esset admittenda, quia scilicet judicium Dei est, qui personarum acceptor exceptorve minime est. Unde et qui in hac parte defuerunt officio acriter reprehenduntur, ut videre est lib. I *Reg.* VIII, 3, et *Isai.* I, 17, et cap. V, 23 et X, 2 et sæpe alibi, videndusque erit S. Hieronymus *in Dan.* cap. VII, ubi visionem illam, quæ *Apoc.* I, 14, continetur, exponit : « Vetus, inquit, dierum ille qui apud Joannem in throno sedet, quod capilli ejus lanæ mundissimæ comparantur, purum ostenditur sincerumque judicium, et nullam personam in judicando recipiens : senex quoque describitur, ut maturitas comprobetur sententiæ, » etc. Quibus similia habet idem S. Hieronymus ad illa verba *Ezech.* XLIV, 24 : « Cum fuerit controversia (Septuaginta addunt *sanguinis*) stabunt in judiciis meis. » Ait ergo S. Hieronymus : « Stabunt sacerdotes non ut judicent secundum honorem, nec accipiant personam pauperis sive divitis in judicio, sed stent in judiciis Dei, et recordentur illius *Psalm.* LXXXI, 1 : *Deus stetit in synagoga Deorum; in*

Quid sit accipere personam in judicio.

Personarum acceptio procul abesse debet a judicio.

http://www.obrascatolicas.com

Deus judicat sine acceptione personarum.

medio autem Deos dijudicat: deos appellans, qui habent judicandi de hominibus potestatem; qui in quo judicio judicaverint judicabitur de eis. » Ita S. Hieronymus ostendit Dei judicium rectum et sine acceptione personarum; quale præcipit fieri a judicibus, qui eumdem imitari tenentur.

Prosequitur hoc argumentum Salvianus lib. I *De Provid.* ad finem in supplicio a Deo illato Aaroni et Mariæ: « Maria, inquit, contra Moysen loquitur, nec punitur tantum, sed more judicii punitur. Primum ad judicium vocatur, deinde arguitur, tertio verberatur. In lepra autem patitur piaculum criminis; quamvis coercitio istiusmodi non Mariam tantum, sed Aaronem humiliavit, quia etsi deformari lepra summum antistitem non oportuit, et ipsum tamen Domini castigatio flagellavit. Nec solum hac in pœna, quam Maria patitur, Aaron etiam quasi culpæ particeps coercetur. Maria enim supplicio afficitur, ut Aaron confusione mutetur. Porro autem ut inexorabilem in quibusdam agnosceremus formam divini esse judicii, ne illius quidem intercessu, qui læsus fuerat, indulsit, » etc. Ubi ostendit Deum inflexibilem adeo, ut nec etiam intercedente Moyse, qui injuriam passus fuerat, voluerit Deus placari. Ubi jam vides non solum non accipere personas hominum, sed nec etiam prece aliquando flecti, sicut nec miseria paupertateve; unde et ita exerceri judicium mandavit *Exod.* XXV, 3 : « Pauperis inquit, non misereberis in judicio, » etc., ubi Procopius ait : « Opus est sapientia ad discernendum justum, nec temere et importune decurrendum ad misericordiam; » et S. Augustinus ad eumdem locum : « Nisi addidisset, inquit, *in judicio*, magna esset quæstio, sed intelligendum esset, etiamsi scriptum non esset; sed cum additum est, nulla quæstio est, hoc esse præceptum : ne forte cum judicamus, videamus injustitiam esse pro divite contra pauperem; et nobis recte facere videamur, si contra justitiam pauperi faveamus causa misericordiæ. Bona est ergo misericordia, sed non debet esse contra judicium. Judicium sane illud appellat Scriptura, quod justum est. » Et S. Isidorus Pelusiota lib. II, *Epist.* 250 expendens dicta verba Exodi ait : « Propterea his verbis usus est in judicio : *Non misereberis pauperis :* etenim ipsius quidem misericordia affici convenit, sed non cum litigat, sed cum obsecrat : si autem preces in accusationem vertat, justitia misericordiæ anteponenda est : neque enim jus corrumpi justum est. »

Deus a justo judicio nec prece nec miseria deflecti patitur.

Merito igitur illi a Domino eliguntur in principes et judices populi, quorum talis indoles est, ut nesciant aliud quid præter meritorum dignitatem respicere. De ipso Deo, qui essentialiter et a propria natura judex est, ait Ecclesiasticus cap. XXXV, 15 : « Dominus judex est; et non est apud illum gloria personæ, » hoc est, ut digna gloria videatur persona non habet id ex eo quod adjuncta sit principi, nec ex alio aliquo principi adjuncto, sed ex valore proprii meriti. Id quod pulchro exemplo explicabat Ægidius diaconus lib. *De Reg. princ.* dum ait : « Ne sit specularis, sed opacus princeps. » Natura speculi est, quod referat colorum facies; sed si quæras quas facies referat speculum; an pulchras, an deformes? an candido colore lucentes, an fusco? Sane speculum parum curat has differentias, illa quæ magis vicina et adjuncta est speculo ab illo repræsentabitur, quæcumque sit, cæteris omnibus quavis excellentia præstantibus prætermissis. Dum Æthiops speculo adhæreat Phœbum ipsum vincet; quia repræsentatio non agitur ex his quæ ad valorem pulchritudinis conducunt, sed ex his quæ apud speculum sunt. Optimus ergo judex cavet, ne speculum sit, hoc est, ne apud illum sit gloria personæ; nec persona in illo gloriosa appareat ex eo quod vicina seu magis adjuncta sit, sed ex eo quod dignior. Expende modo quales sint illi judices, qui in præmiorum societatem eos solos admittunt, qui cives et vicini sunt : hi non a natura, non a Deo judices sunt, sed ab artis humanæ malitia inventi instar speculorum. Quos autem facit aut Deus aut natura principes et judices, non *speculares*, sed *opaci* exsistunt, qui nec vicinos agnoscunt, nec facile contra veritatem frangunt : quippe speculares illi ut habent instar speculi, quod ab adjunctis et vicinioribus præoccupentur, ita similiter habent instar speculi, quod vitrei sint, et vel levi munere corrumpantur. Id quod affirmat Veritas ipsa dicens *Prov.* XXVIII, 21 : « Qui cognoscit in judicio faciem, non bene facit iste : et pro buccella panis deserit veritatem. » Novit sane Spiritus divinus affectus humanos, et qualiter inter se conjuncti sint; et is asserit hæc duo esse conjuncta in malo judice, et cognoscere faciem, et pro buccella panis deserere veritatem. Sed non talis Deus, qui personam non accipit tyrannorum et principum, si quando cum paupere controversiam inierint : quia ut creator est omnium, sic etiam omnium æque curator est, et sicut leges statuit, sic etiam illarum est custos et vindex.

Judex non specularis, sed opacus sit.

20. SUBITO MORIENTUR, ET IN MEDIA NOCTE TURBABUNTUR POPULI, ET PERTRANSIBUNT, ET AUFERENT VIOLENTUM ABSQUE MANU. — Tantum abest ut tyrannos et potentes homines revereatur, si contra pauperem inique disceptent, ut per ipsos pauperes gravissimo nonnunquam eos supplicio constringat : contingit enim aliquando iniquis modis a tyranno ignobile vulgus oppressum, ut subito in eum sæviat, magnoque tumultu in civitate excitato, nocte intempesta ipsum quærat, et inveniat, facileque, nemine ei auxilium ferente, vitam crudeliter auferat. Hoc enim significat hebraismus ille *absque manu*, id est facile : ita Julio Cæsari, Neroni, Heliogabalo aliisque regibus et imperatoribus evenisse memoriæ proditum est; ut bene cecinerit Juvenalis *Satyr.* 10 :

Vers. 20.

Ad generum Cereris sine cæde et vulnere pauci
Descendunt reges et sicca morte tyranni.

Tyranni ut plurimum male pereunt.

Septuaginta vero interpretes hanc sententiam, quam et hebræa verba declarant, prætermiserunt, et aliam textui quidem aptam ejus loco posuerunt, quæ sic habet, καὶ δὲ αὐτοῖς ἀπροβούλευτα τὸ κακοργήσαι καὶ διῆσθαι ἀνδρὸς, ἐχρήσαντο γὰρ παρανόμως ἐκκλεισμένων ἀδυνάτων, *frustra autem usu veniret eis clamare et precari virum, cum inique usi fuerint potestate exclusis infirmis*, id est, tanta integritate et severitate Deus jus dicet principibus atque tyrannis, ut nullis clamoribus nullisque eorum precibus flectatur, nedum quidquam eorum personas revereatur. Et jure quidem optimo tam severe cum iis se geret, qui tam inique potestate quam habebant sunt abusi, pauperes et infirmos homines partim in exsilium partim e vita expellendo. Non desunt tam in sacra quam in profana historia exempla eorum, qui dum imperium exercent tyrannicum, facto in eos populari impetu mortem obierint non incruentam, sicut paulo ante citatus de principum fato cecinit Juvenalis. Dicuntur autem hi *absque manu* periisse, quia externas cogere acies et alienas manus conducere necessarium non fuit ad reges exstinguendos, cum satis in illos arderent domesticorum et subditorum odia, qui in communem hostem incredibili conspiratione conspirarunt; aut quia eo adegerunt reges pessime de sua republica meritos, ut antequam irruerent hostes, mortem anteverterent, et sua sibi manu mortem consciscerent. Qualis in annalibus sacris traditur fuisse Zambri rex Israel III *Reg.* XVI, 18, qui cum videret se urgeri a potentiori hoste, et omne desperaret effugium, « ingressus est palatium, et succendit se cum domo regia. » Quod item fecisse Judæos tradit Josephus lib. III *De Bell. Jud.* cap. XIV; et idem de Sardanapalo scribit Justinus lib. I. Vel fortasse *absque manu* dicitur auferendus tyrannus, quia illum internus dolor et subitus exstinguet, non vis extrinsecus allata : ita Sanctius et Stunica. Neque obstat huic tremendo judicio multiplex dolus et ingeniosa scelerum occultatio.

Tyranni a suis popularibus opprimuntur.

Vers. 21 et 22.

21 et 22. OCULI ENIM EJUS SUPER VIAS HOMINUM, ET OMNES GRESSUS EORUM CONSIDERAT. NON SUNT TENEBRÆ, ET NON EST UMBRA MORTIS, UT ABSCONDANTUR IBI QUI OPERANTUR INIQUITATEM. — *Oculi enim ejus super vias hominum*, etc. : hoc gravissimum et firmissimum argumentum est ad probandum Deum non subversurum judicium : ab hominibus enim ob eam rem subvertitur, quod eos res multæ lateant, neque tacitas cogitationes et animum impii hominis iniquum penitus cognoscant; facileque eorum mentis acies externa auctoritate et divitiarum splendore perstringitur, ut secundum divitem sceleratum judicent : quam ob causam boni viri vehementer reformidant in hominum judiciis cum sceleratis hominibus contendere. At non ita, inquit Eliu, in Dei judicio accidet : nihil enim eum latet, sed omnes omnium hominum gressus et viæ, id est vivendi rationes, ei patent : quare minime in judicio errare potest : « Tu autem Domine Sabaoth, qui judicas juste, et probas renes et corda, » dicebat Jeremias cap. XI, 20, significans conjuncta et consequentia esse illa, scilicet, juste judicare, et probare renes et corda. Hac de re luculentissime disserit liber Sapientiæ dum ait cap. I, 7 : « Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum, etc. Propter hoc qui loquitur iniqua non potest latere, nec præteriet illum corripiens judicium. In cogitationibus enim impii interrogatio erit : sermonum autem illius auditio ad Deum veniet ad correptionem iniquitatum illius. Quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur. » Jeremias etiam ait cap. XVII, 9 : « Pravum est cor omnium et inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes : qui do unicuique juxta viam suam, et juxta fructum adinventionum suarum. » Vide quæ ad cap. XIV, 16 de hoc argumento diximus. Eodem spectat id quod sequitur : *Non sunt tenebræ, et non est umbra mortis, ut abscondantur*, etc., id est, nihil quantumvis occultum latere potest eum qui omnia fecit, et omnia conservat : nam, ut Paulus ait *Hebr.* IV, 13, « non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus. » Dei enim visus perspicacissimus cum sit, in ipsis antris latentes peccatores aperte cernit, adeoque severe plectit, ut nullum redintegrandi judicii locum eis relinquat. De hac Dei perspicacitate etiam occulta cordis penetrante vide quæ cap. X, 4, cap. XXII, 2 et 13, cap. XXIV, 15 notavimus.

Quia Deo omnia patent, non potest in judicio errare.

Nil Deo occultum.

23. NEQUE ENIM ULTRA IN HOMINIS POTESTATE EST, UT VENIAT AD DEUM IN JUDICIUM. — Cum igitur Deus abditissima quæque videat; neque homo peccator aliquid ad Dei judicium adferre possit novi, quod ille non viderit, non est cur speret retractatum iri judicium, quod tunc fieri assolet in humano foro, cum nova accedit rerum cognitio, quæ de priori consilio aliquid mutat. Non ergo est ultra in hominis damnati potestate, ut in judicium Dei rationes novas producturus revertatur. Ex quo profecto efficitur, ut Deus nullo modo judicium pervertat, cum non sit regressus vel appellatio ab ejus sententia, uti esse deberet, si ulla culpa in jure dicendo fœdari posset. Septuaginta ex Hebræo vertunt, ὅτι οὐκ ἐπ' ἀνδρα θήσει ἔτι· ὁ γὰρ Κύριος πάντας ἐφορᾷ, *quoniam super virum non ponet ultra : Dominus enim omnes inspicit :* exponunt Græci, quod post mortem non sit amplius in hominis potestate electio agendorum. Symmachus, οὐ γὰρ ἐπ' ἀνθρώπῳ κεῖται ἔτι, *non in homine situm est amplius.* Quidam vero sic accipiunt, quasi Deus homini non amplius oneris quam debeat, aut quam ipse homo ferre possit, imponeret; sed cum continua series textus de judiciis agat, de iisdem explicandum est : nempe hominem non posse Dei sententiam reddere irritam, aut arguere injustitiæ. Et quamvis possemus Deum in jus vocare, ipseque nobis respondere teneretur, et eorum quæ agit reddere rationem, nobisque liceret ad ipsi

Vers. 23. Judicium Dei immutabile et irrefragabile.

http://www.obrascatolicas.com

resistendum os aperire, id tamen nihil profuturum : nam tandem rationibus et calculis diligenter subductis invenietur Deus nos nequaquam nimis et præter æquum premere. Cur? quia peccata nostra ipsi penitus cognita sunt, et ita explorata, ut castigationis etiam, quam meremur, mensuram exacte norit; quæ delicta minime excedit, adeo ut Deus necessario justificetur in semetipso, et semper vincat cum judicarit. Caveamus igitur nobis hoc sumere, ut litem adversus ipsum suscipiamus : quamvis enim speciosam causam coram hominibus habeamus, quando coram Deo comparendum erit, in iis omnibus quæ objicere et in medium adferre volumus confusi erimus.

Vers. 24. 24. CONTERET MULTOS ET INNUMERABILES, ET STARE FACIET ALIOS PRO EIS. — Hæc contra principes et tyrannos dicuntur, quorum Deus non accipit personam : de quorum numero putat esse Jobum, quem hoc loco et hac oratione præcipue pungit Eliu : ait igitur in Deo eam esse potentiam, eam in tyrannos virosque opibus atque auctoritate principes libertatem, ut illos momento temporis de solio depellat; et alios eorum loco cum eadem aut etiam majore auctoritate sufficiat. Quod accidisse affirmat Jobo, aut illi eventurum esse minatur. Contigisse porro hæc aliquando ante Jobi sæculum verisimile est, licet id ignoremus. Aliis deinde temporibus sic accidit frequenter, ut laboris videatur otiosi id velle confirmare. Porro hæc non solum in tyrannos et principes sæculares dicuntur qui potestate sua abutuntur, verum etiam in malos pastores et iniquos sacerdotes in primis quadrant, a quibus sacerdotium auferendum significatur. Quem sensum D. Hieronymus ex illis verbis elicit hanc comminatoriam sententiam illustrans exemplis de Heli et Samuele, de Saule et Davide, de Judæorum populo et gentium, quorum alios de sua dignitate dejecit, alios eis successuros excitavit. Aliquam incuriam saltem leviorem circa oves gubernandas incurrit olim episcopus Ephesinus, juxta illud *Apoc.* II, 4 : « Charitatem tuam primam reliquisti, » hoc est, interprete Hugone, reliquisti tuam illam pristinam diligentiam in tuis gregibus pascendis, quamvis in tuis moribus gubernandis laudabilem te exhibeas : quam igitur pœnam illi Deus comminatur? « Memor, inquit *Apoc.* II, 5, esto unde excideris : et age pœnitentiam : et prima opera fac : sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo; » ubi *candelabri* nomine episcopalis dignitas intelligitur. Non dixit *destruam*, aut exstinguam, sed *movebo*, hoc est, a te in alium transferam, qui tuam negligentiam resarciat et instauret, et quem tu intuens tuo munere donatum multo magis crucieris.

Verissimum igitur fuit illud oraculum Eliu de divina providentia dicentis : « Conteret multos innumerabiles, et stare faciet alios pro eis. » Quibus verbis non solum multitudinem negligentium prælatorum exaggerat vocando *innumerabiles*, sed etiam potentiam et opes, vocando *multos*. Non enim sensus est fuisse multos numero, sed fuisse fastu et majestate præcellentes, ut Pineda noster advertit; nihilominus eos omnes ait a Deo deturbandos, neque defuturos, qui ex pulvere assumpti in eorum locum excitentur; causam vero tanti supplicii fuisse, quia oves non pascebant, sed perdebant, quas ad clamores apud Deum querelarum plenos excitandos sua perversa dominandi libidine provocabant, id quod significat dum paulo post subdit cap. XXXIV, 28 : « Ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni, et audiret vocem pauperum. » Hoc infortunium vaticinatus est David Judæ proditori *Psalm.* CVIII, 8 : « Episcopatum, inquit, ejus accipiet alter : » quam enim ille indignissimus amisit dignitatem, Matthias dignissimus recepit; scilicet pastoris munere spoliari oportebat eum, qui lupos in dominicum gregem incitabat, et qui divinum illum agnum Christum dominum luporum faucibus ingerebat, non pastoris, sed tortoris munere fungebatur. Cæterum Septuaginta locum hunc ita vertunt, ὁ καταλαμβάνων ἀνεξιχνίαστα, ἔνδοξά τε, καὶ ἐξαίσια, ὧν οὐκ ἔστιν ἀριθμός, *qui comprehendit non vestigabilia, et gloriosa, et magnifica, quorum non est numerus* : in Hebræo est, *conterit fortes absque investigatione* sive inquisitione. Quod sicut de numero accipi potuit, ita etiam, inquit Pineda, nihil obstabit, ut ad occultum Dei judicium nobis incognitum et inexploratum referri possit, *q. d.* Principum interitus et intereundi causæ in Dei rationario sunt; nos non sumus eorum judices, sed Deus, quem minime latent : explorata ille habet corda regum inscrutabilia, et mille finibus flexionibusque prava. Quare Deo non opus est more judicum terrenorum inquisitione uti : sunt enim illi creaturæ; multum est in ipsis ignorantiæ; mediis igitur illis utantur oportet, neque enim divinare possunt. Quia vero omnia Deo patent, ipse homines, etiam non servato ordine, qui hic inferius in judiciis humanis locum habet et servatur, judicabit : cum enim homines aliquem in judicio publico condemnant, modus et forma judiciorum usitata observatur, ita ut tota res vulgo innotescat, elogium et titulus rei divulgetur, ab eo perpetrata crimina cognita sint, et quomodo convictus fuerit declaretur. Sed Dei potentia et auctoritas ejusmodi legibus humanis non est adstringenda : quia conterit sine inquisitione, hoc est, non declarata nobis causa; omnia tamen cum æquitate et justitia facit.

Tropologice S. Gregorius lib. XXV *Moral.* cap. VIII, hinc nos ad humilitatem adhortatur dicens : « Hac sententia, qua narratur aliorum erigi, aliorum autem vita confringi, et spes nutritur humilium, et elatio premitur superborum, dum et illi bona possunt amittere, de quibus superbiunt, et isti ea percipere, quæ, quia non habebant, contemnuntur. Formidemus igitur in his quæ accepimus; nec eos qui illa necdum assecuti sunt despiciamus. Quid enim sumus hodie novimus, quid autem post paululum possimus esse nescimus; hi vero, quos fortasse despicimus, et tarde possunt incipere, et tamen vitam nostram ferventioribus studiis anteire. » Hoc nimirum est quod angelus episcopum monet dicens *Apoc.* III, 11 : « Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam; » quem locum Rupertus in *Comm.* suis explanans : « Quid est, inquit, istud? » et mox respondens subdit : « Hoc nempe : Tu in humilitate firmo pede consiste, ne moto pede corruas, et corruendo coronam tibi præparatam amittas, et alius in locum tuum succedens illam accipiat, quapropter David rogabat Dominum dicens *Psalm.* XVI, 5 : *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Et quidem hoc fieri non potest, ut perdat coronam quisquam eorum quos Deus præscivit, et ad coronam prædestinavit : verumtamen et fieri potest, et factum est, ut is coronam perderet, quem Deus ad coronam vocavit vocatione visibili, sive quæ ab hominibus potuit videri. Nam exempli gratia, Judam Dominus ad coronam vocavit apostolicam, quem tamen ad coronam non prædestinavit, quia corona indignum fore præscivit; unde et coronam ejus, scilicet apostolatus honorem, alius accepit, in locum ejus suffecto Matthia, sicut in *Psalm.* CVIII, 8 scriptum est : *Fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter*, quod B. Petrus de Juda interpretatus est *Actor.* I, 20. Nemo itaque quamdiu certat, multum de corona confidat : quia si omnium præscius Deus te in fine dignum corona fore scit, tu tamen nescis. »

Hinc D. Thomas I, *Quæst.* XIII, 6, disputans an prædestinatio sit certa, cum ex loco Apocalypseos supra citato argumentatus esset, non videri certam, quia corona, quæ est prædestinationis effectus, potest amitti, et ab uno in alium transferri, sicut dicitur in dicto loco Apocalypseos : ad hoc ipse respondens ait dupliciter coronam dici alicujus : uno modo ex divina prædestinatione, quod is sit ab æterno prædestinatus a Deo ad coronam cœlestem; et sic nullus coronam suam amittit, dicente Augustino lib. *De Bon. Persev.* cap. XIV; prædestinationem esse præscientiam et præparationem beneficiorum Dei, qua certissime liberantur quicumque liberantur. Alio modo dicitur corona esse alicujus non ex divina prædestinatione, sed ex merito gratiæ, quam ille habet : quod enim meremur quodammodo nostrum est; sic autem quis potest amittere coronam, perdendo scilicet meritum suum propter lapsum in peccatum mortale. Alius vero coronam illam amissam dicitur accipere, eo quod in locum ejus subrogatur : non enim permittit Deus aliquos cadere, quin alios in eorum locum erigat, secundum illud quod hic ait Eliu : « Conteret multos et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis : » sicut in locum angelorum cadentium substituti sunt homines, et in locum Judæorum gentiles. Præclarum hujus rei exemplum habemus in illis 40 martyribus, quorum natalem martyrii celebrat Ecclesia 9 martii. Substitutus autem in statum gratiæ loco alterius, etiam quantum ad illud coronam accipit illius cadentis, quod de bonis quæ alius fecerat in æterna vita gaudebit : ubi quisque gaudet de bonis operibus tam a se quam ab alio quolibet factis. Ita D. Thomas.

Vers. 25. 25. NOVIT ENIM OPERA EORUM : ET IDCIRCO INDUCET NOCTEM, ET CONTERENTUR. — Non ignorat Deus quales fuerint futurique sint in posterum hi tyranni ac principes, atque ideo, ut universi administrationi provideat, illos conterit, ut meliores substituat; ideo illorum splendori noctem obducit, et eos qui antea erant gloriosi reddit inglorios, deposita corona, et assumpto gregali atque servili sacco, aut sublatis de viventium numero : id enim valet *nox*, in qua ærumnosum aliquid quocumque in genere significatur. *Inducere* ergo *noctem* idem est ac inferre mortem, quæ adimit hujus vitæ lucem; vel certe idem hoc loco valet *nox* quod stupor aut ignorantia, quæ excæcant homines quantumvis acutos et solertes, ne quid faciant prudenter, sibique caveant ab impendente malo, quod indicat S. Thomas ad hunc locum. Septuaginta vertunt, ὁ γνωρίζων ἀυτῶν τὰ ἔργα, καὶ στρέψει νύκτα, καὶ ταπεινωθήσονται, *qui cognoscit eorum opera, et vertet noctem, et humiliabuntur.* Santes interpretatur, *cognoscere faciet* : nam γνωρίζειν tam potest reddi *cognoscens* quam *nota faciens*, utrumque enim hoc verbum significat. Sed ambigua reducenda sunt ad veritatem hebraicam, ideo bene vertit interpres romanus, *qui cognoscit*, quanquam et illud, *qui nota reddit*, id est, facit ut ab omnibus eorum scelera cognoscantur, sententiam continet non inelegantem, uti et illud quod addit : *Et vertet noctem*, id est, quam cito diem convertit in noctem, tam cito conterentur ab eo improbi : sic in Proverbiis dicitur *Prov.* XII, 7 : « Verte impios, et non erunt, » hoc est, citius quam vertas eos peribunt improbi.

Vers. 26. 26. QUASI IMPIOS PERCUSSIT EOS IN LOCO VIDENTIUM, — id est manifeste percussit eos omnibus videntibus, et justam Dei vindictam cognoscentibus : locus enim videntium locus patens, frequens, celebris, omnium oculis expositus est : significat itaque tyrannos publice a Deo puniri in conspectu omnium, ut eorum supplicium terrori aliis esset et exemplo : cum enim Deus punit peccatores, id non fit eo duntaxat, ut peccata ab illis commissa unusquisque cognoscat, sed ut omnes inde exemplum capiant, juxta illud *Isai.* XXXVI, 9 : « Cum feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis. » Non frustra igitur ait Deum percussisse impios *in loco videntium*, id est in oculis hominum, quo admonemur, ut attentiores nos præbeamus ad diligenter notanda et observanda Dei judicia : magna sane est hæc gratia, quam nobis concedit, cum nos aliorum damno vult erudire; si autem tunc claudimus oculos, et stupidi sumus, quis excusationi locus erit? Quo-

Deus a malis sacerdotibus aufert sacerdotium, et in meliores transfert.

Dignitatis amissio debitam gravi pastoris supplicium.

Negligentes prælati officio spoliandi.

Deus pro tyrannis alios principes substituit.

Judas apostolatum amisit.

Deus non tenetur uti forma judicum terrenorum.

Ex aliorum lapsu ad humilitatem erudimur.

Quomodo possimus perdere coronam nobis præparatam.

Quomodo quis accipiat coronam alterius.

Deus tyrannos conterit ut meliores principes substituat.

Nox symbolum calamitatis et ignorantiæ.

Locus videntium quis.

http://www.obrascatolicas.com

tiescumque igitur Deus peccatores punit, attendat unusquisque pro parte sua, et communem inde instructionem capiat, ne flagellorum istorum fructus in se pereat : certe si ex eo quod Deus nobis ante oculos ponit ad nostrum fructum et utilitatem applicaremus, unius castigatio ad sexcentorum instructionem prodesse posset; sed quoniam instructiones et documenta, quæ Deus nobis proponit, sine fructu præteriri sinimus, et ea negligimus, unusquisque suo ordine vocatur, et singuli nos sistamus oportet. Unde sequitur :

Vers. 27. 27. QUI QUASI DE INDUSTRIA RECESSERUNT AB EO, ET OMNES VIAS EJUS INTELLIGERE NOLUERUNT. — Taxat eos qui prudentes et scientes Dei legem neque servare neque intelligere voluerunt; sed ignorantiam affectant, ne vitam corrigant, ultroque supprimunt omnem delectum boni et mali, quia meliores esse nolint : scimus rationem ad bene agendum hominibus ducem esse; eam reprobi fugitant, ne vitam suam in melius corrigere cogantur. De talibus autem S. Dionysius Areopagita *Eccles. Hier.* cap. III, loquens : « Impudenter, inquit, salutarem divinæ cognitionis disciplinam repudiant, eloquiisque sacris exitiose prorsus obstrepunt, *ἑδεύς σου εἰδέναι οὐ βούλομαι, vias tuas scire nolo;* quibus propterea jure meritissimo Dominus vicissim his verbis repulsam minitatur *Ose.* IV, 6 : « Quia tu scientiam repulisti, repellam te, » quod extremum est exterminium, et malorum omnium gravissimum. Hujusmodi homines aptissime Apostolus *Ephes.* IV, 19, vocat *desperantes semetipsos* : in Græco est *ἀπηλγηκότας*, D. Hieronymus vertit *indolorios*, qui videlicet de nequitia et maleficio nullum dolorem concipiant. Et quoniam placuit semel gnaviter fieri impudentes, non pseudothyro, sed apertis januis omnes intromittunt voluptates; et male agendi consuetudine non feruntur in malum, sed ruunt : « Quibus, ait S. Paulinus epist. 7 *ad Sever.*, dulce est quod amarum, et turpe, quod castum, et hostile quod sanctum. » Quare non miror, quod cum in suum et aliorum exitium desperata mente rapiantur, D. Apostolus eos nominarit *desperantes seipos*, ut qui medicinam omnem respuant et proculcent : loquitur enim de illis qui non solum præcepta Dei violant, sed etiam perfidi sunt, et religionem contemnunt, et numen abnegant, qui non indebitas sceleribus suis pœnas luent.

Fessimi sunt qui nolunt intelligere ut bene agant.

Despersti sunt qui repudiant medicinam.

Vers. 28. 28. UT PERVENIRE FACERENT AD EUM CLAMOREM EGENI, ET AUDIRET VOCEM PAUPERUM. — Hic Eliu speciem peccatorum notat, quam Deus in hominibus punit, et quidem omnium maxime evidentem : cum enim violentiæ committuntur, alienæ opes diripiuntur, et qui affliguntur, omni ope et auxilio humano destituuntur, ad Deum clamant, querelæ audiuntur, unumquemque ipsorum commiseratio capit, sed in primis Deum, qui voces eorum non gravate audit, et ulciscitur injurias. Neque enim inultos relinquet eos, qui injuste pauperes afflixerint et vexarint; verum quidem est tyrannos ad male agendum audaciam et licentiam sumere, cum vident pauperes omni præsidio destitui, neminem iis opitulari, cognatis et amicis carere; quæ causa est, cur se ad omne scelus projiciant, et quidlibet sibi licere putent. Sed diligenter notemus dici Deum ipsorum *causam suscipere*, atque ita, quo magis pauperes omnibus injuriis, nemine ipsis opem ferente, expositi fuerint, eo majorem Deus se ostendet ipsorum curam gerere, ut illos ulciscatur. Et quamvis pauper injuriam sibi factam patienter ferat, clamor tamen ejus ad cœlum perveniet, isque a Deo exaudietur. Quod sane pauperibus debet esse maximo solatio, quod se videant in Dei protectione esse; et si ipsos improbi vexent et affligant, Deum tamen iis invigilare, et tandem ostensurum, se nunquam illos oblivioni tradidisse. Vide quanti pauperem Deus faciat : clamat ille, et exauditur : gerit scilicet secum paupertatem, cujus in gratiam Deus majestatis se inclinat. Hinc illud egregie dictum a S. Ambrosio *Apolog.* cap. XI : « Bona paupertas, quæ si thesaurum non habet pecuniæ, habet tamen thesauros sapientiæ et scientiæ. Nolite filii vilem despicere paupertatem : *Pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum,* Psalm. XXXIII, 7. Nolite quasi magnis invidere divitiis : divites eguerunt, et esurierunt : » sic ille. Cæterum pauperes hic vocantur non tam pecuniis egeni, quam omni auxilio et robore destituti. Ait ergo istiusmodi tyrannos usque eo immites et crudeles erga pauperes se exhibere, ut Deus pauperibus subsidio adesse decernat, et acriter in tyrannos istos animadvertere, sicut ait David *Psalm.* IX, 13 : « Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est; non est oblitus clamorem pauperum. Quoniam non in finem oblivio erit pauperis : patientia pauperum non peribit in finem. » Ad quem Psalmi locum vide quæ annotavimus tom. I *Expos. Patr. Græc. in Psalm.*, item ad *Psalm.* XI, 6 et *Psalm.* XXXIII, 7 et *Psalm.* XL, 2 : quæ omnia hunc locum illustrant.

Deus pauperum ad se clamantium injurias ulciscitur.

Vers. 29. 29. IPSO ENIM CONCEDENTE PACEM, QUIS EST QUI CONDEMNET? EX QUO ABSCONDERIT VULTUM, QUIS EST QUI CONTEMPLETUR EUM ET SUPER GENTES ET SUPER OMNES HOMINES? — Quoniam de supplicio impiorum egit, et præc. vers. salutem quoque piorum attigit, apte utrumque hoc versu conjungit, docens in Dei potestate esse et pacem facere, et bellum inferre, et perdere, et servare, ita ut nemo possit eam pacem et salutem impedire, quam attulerit ipse; nemoque illam calamitatem depellere, quam ipse conflaverit. Eadem doctrina, licet aliis verbis *Apoc.* III, 7 et *Isai.* XXII, 22 traditur : « Qui aperit, et nemo claudit : claudit, et nemo aperit : » hanc enim pacem firmissimam Christus mundo reliquit dicens *Joan.* XIV, 27 : « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis, » quam scilicet nulla vis, nulla tanta mundi et inferni potentia infringere ullo modo aut debilitare potest. Dici enim non

Pacem quam Deus dat nemo potest infringere.

potest, quam tuta et tranquilla sit ea pax, quæ optimorum consiliorum conscientia et Dei subsidio nititur; contra vero illud exitium insanabile, cum se nobis Deus immutat, et a nobis multum absconditur, ut dicit Eliu. Quod quidem perditi mores et sceleris conscientia comparat. Absconsio autem vultus signum iræ, sicut ostensio benignitatis : quam observasse videtur, qui dixit *Psalm.* LXXIX, 4 : « Ostende faciem tuam, et salvi erimus. »

Absconsio vultus est signum iræ.

ET SUPER GENTES ET SUPER OMNES HOMINES. — Clare significat, hanc tutam et integram salutis conservationem non solum homines singulos, sed etiam civitates et regna, provincias atque nationes a Deo habere; ita ut incolumitas reipublicæ et felix ejus status Deo in primis sit acceptus referendus; et ob eam rem dicebat David *Psalm.* CXLVII, 1 : « Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. Quoniam confortavit seras portarum tuarum; benedixit filiis tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te. » E contrario vero si Deus rempublicam non respiciat, sed vultum abscondat, in eas ingruent calamitates, quæ nullis consiliis dimoveri possint. Quam utilissimam doctrinam ut facilius disceret Jeremias, et aliis traderet, jussit eum ire in domum figuli; ubi vidit figulum dissipantem vas quod in manibus habebat, et deinde ex eodem luto aliud sicut placuerat ei facientem; ac deinde Deus hoc Jeremiæ reddidit responsum cap. XVIII, 6 : « Numquid sicut figulus iste non potero vobis facere domus Israel, ait Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel. Repente loquar adversum gentem et adversus regnum, ut eradicem, et destruam et disperdam illud, etc. Et subito loquar de gente et de regno, ut ædificem et plantem illud, » etc. Salus igitur et incolumitas potius officii muneribus quam copiarum præsidiis præstabitur. Neque ulla major regni ruina est quam rex iniquus, qui Dei iram improbis suis facinoribus provocare non dubitat; quapropter sequitur :

Vers. 30. 30. QUI REGNARE FACIT HOMINEM HYPOCRITAM PROPTER PECCATA POPULI. — « Facit (id est permittit, scilicet Deus) regnare hypocritam, » id est principem tyrannum, qui sub purpura et tiara corruptos et pueriles mores et effeminatum animum gestet; sicque illudat populis suæ curæ commissis : significant enim hypocritæ non dissimulatores modo, sed etiam illusores, de quibus Isaias ait cap. XXVIII, 14 : « Audite verbum Domini viri illusores, qui dominamini super populum meum. » Magnum sane Dei supplicium est, et in scelerum pœnam populis inflictum, cum permittit eis scelestos principes præesse : nam, ut bene Origenes hom. 4 *in Judic.* annotavit, « non semper princeps populi et Ecclesiæ judex per Dei arbitrium datur; sed ut merita nostra deposcunt. Si mali sunt actus nostri, et operamur malignum in conspectu Domini, dantur nobis principes secundum cor nostrum; » et statim rem confirmat ex illo oraculo *Ose.* VIII, 4 : « Ipsi regnaverunt, et non ex me : principes exstiterunt, et non cognovi; » quod de Saule interpretatur, « quem, inquit, ipse Dominus regem fieri jusserat; sed quoniam non secundum voluntatem Dei, sed secundum peccatoris populi meritum fuerat electus, negat eum sua voluntate vel consilio constitutum. » Idem Origenes lib. IX *in Rom.* paulo post initium ad illa verba ex cap. XII : *Quæ sit voluntas Dei*, etc., distinguit voluntatem beneplacentem et irascentem : « Dei, quidem, inquit, voluntas semper bona est; sed non semper ejus bona voluntate dispensari meremur, neque beneplacita et perfecta, v. g. Ut ungeretur Saul in regem fuit quidem voluntas Dei, sed non beneplacita, neque perfecta : irascens enim paupulo, qui recusaverat Deum habere super se regem, regem eis hominem jussit instituí. » Divus similiter Augustinus *in Psalm.* XXXI sub initium : « Saul, inquit, rex non ad permanendum electus fuit a Domino, sed secundum populi cor durum et malum datus ad eorum corruptionem, non ad utilitatem. secundum illam sententiam : *Qui regnare fecit hominem hypocritam propter perversitatem populi.* » Idem sanctus Doctor lib. V *Contr. Julian.* cap. III vocat Saulem *pœnam peccantium*, hoc est, datum in pœnam iis qui Samuelem contempserunt, et regem postularunt. D. Cyprianus epist. 38 *ad Rogat.* locutus de peccato populi Samuelem contemnentis, « ut hoc, inquit, ulcisceretur Dominus, excitavit eis Saul regem, qui eos injuriis gravibus affligeret, et per omnes contumelias et pœnas superbum populum calcaret et premeret, ut contemptus sacerdos de superbo populo ultione divina vindicaretur. »

Duplex Dei voluntas, beneplacens et irascens.

Saul datus rex ad corruptionem populi, non ad utilitatem.

Saul pœna peccantium

S. Sixtus III, Pontifex Maximus in lib. *De Divit.* « bonum definit, quod a Deo principium sumpserit; non bonum vero, cujus exordium non Dei dignatione, sed humana præsumptione censetur, » et exemplo rem ostendens : « Ut rex, inquit, Israel, quem non tam Dei voluntate quam populi pravitate legimus ordinatum. » Ubi etiam significat male petitum regem in male petentis populi vindictam divinitus concessum. Clemens Alexandrinus lib. III *Pædag.* cap. IV : « Per Samuelem, inquit, prophetam verbum protestans, petenti regem populo non humanum pollicetur; sed quemdam insolentem minatur tyrannum libidini et voluptati deditum. » Tyrannum autem si non in potestate, saltem in usu potestatis, quis dubitet in vindictam populi institutum? Clarius olim Deus *Ose.* XIII, 11 : « Dabo, inquit, tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea. » Quem locum licet alii de aliis regibus Israel interpretentur; tamen Rupertus mihi videtur ad litteram de Saule interpretari, quem Deus regem dedit in furore suo, ut populum injuste postulantem justissime puniret : et abstulit in indignatione sua, ut de ipso iniquo punitore æquissime ulcisceretur. Unde D. Hieronymus addit,

Boni et non boni difinitio S. Sixti.

Saul populi tyrannus in vindictam.

Deus iratus Saulem regem facit.

http://www.obrascatolicas.com

pessimos reges male petentibus in furore datos : « Non quod Dominus, inquit, tales eos voluerit habere reges; sed quod dimiserit eos voluntatibus suis; ut comedentes et incrassati carnibus nauseærent, et evomerent per nares suas, et odisse inciperent eos, quos tanto studio sequebantur. » Nec mirum, reges Israel datos a Deo in pœnam populi, cum de aliis quoque regibus Patres universalius loquantur, idque pariter testentur : permittuntur enim a Deo etiam in aliis populis fieri mali reges, ut sub iis mali subditi puniantur. D. Irenæus lib. V, cap. XIV : « Cujus, inquit, jussu homines nascuntur, hujus jussu et reges constituuntur; apti his qui in illo tempore ab ipsis regantur : quidam enim illorum ad correctionem et utilitatem subjectorum dantur et conservationem justitiæ; quidam autem ad timorem et pœnam, et increpationem; quidam autem ad illusionem, et contumeliam, et superbiam. » D. Gregorius lib. XXV *Moral.* cap. XIV expendens illud : *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*, illum hypocritam interpretatur Antichristum, « qui sanctitatem simulat, ut ad iniquitatem trahat; » et statim ad rem præsentem : « Nullus, inquit, qui talem rectorem patitur, eum quem patitur accuset, quia nimirum sui fuit meriti perversi rectoris subjacere ditioni : culpam ergo proprii magis accuset operis quam injustitiam gubernantis. » In quam sententiam late spatiatur D. Isidorus Hispalensis lib. III *Sentent.* cap. XLVIII, ex verbis Apostoli *Rom.* XIII, 1 : « Non est potestas nisi a Deo, » recte colligit bonam malamque potestatem a Deo ordinari : « Sed bonam, inquit, propitio malam irato; » et ulterius pergens : « Reges, inquit, quando boni sunt, muneris est Dei; quando vero mali, sceleris est populi. Secundum enim meritum plebium disponitur vita rectorum; » quod probans ex Jobo et Osea citatis concludit : « Irascente Deo talem rectorem populi suscipiunt, qualem pro peccato merentur. »

Reges a Deo in pœnam vel utilitatem constituuntur.

Antichristus hypocrita.

Bona et mala potestas a Deo ordinatur.

Huc spectat illa Dei comminatio *Zach.* XI, 16 : « Ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, et contritum non sanabit; et id quod stat non enutriet; et carnes pinguium comedet, et ungulas eorum dissolvet. O pastor et idolum derelinquens gregem, gladius super brachium ejus, et super oculum dexterum ejus. » *Suscitabo*, inquit, id est, suscitari, et vires ad regnandum assumere permittam, *qui derelicta non visitabit*, hoc est lassa et ægrotantia pecora, quæ inter ambulandum reliquum gregem assequi non valent, certo loco relinquuntur a pastoribus, et postmodum requisita cæteris adjunguntur. *Contritum* vero vocat oves, quæ pedes fractos aut luxatos habent; *id* vero *quod stat*, hoc est, quod subsistit, et ambulare nequit, cui necesse est ut cibus adferatur a pastore; vel certe significat juxta Septuaginta integras et sanas oves. Porro cum subdit : *Ungulas eorum dissolvet*, robusto pede diffindet ungulas, ut incedere non valeant. *O pastor et idolum*, nimirum qui non regis, sed pervertis populum, et adorari vis quasi Deus, *gladius super brachium ejus*. Dei ultio contra fortitudinem et potentiam ejus insurget, ut ad nihilum tandem redigatur : neque id tantum, sed *contra oculum dexterum ejus* veniet, hoc est, omnem in administrandis rebus providentiam perdet, et in nihilum recident omnia ejus consilia tanquam infatuata. Et vero quamvis de Antichristo hæc sint a Deo dicta; de iniquis tamen cæteris pastoribus et rectoribus vere etiam accipi possunt : permittit enim aliquando Deus, ut hi in pastores ac principes assumantur, quos novit certissimam luem et perniciem subditis esse allaturos; qui cum pastores dicantur, idola verius sunt extrinsecus præsulum imaginem præ se ferentia, intus vero vana et inutilia sunt idola. An non tu hos idola dixeris, qui oculos habent, et non vident; aures, et non audiunt? Dicam clarius, qui detestanda et publica flagitia dissimulant; qui veritatem moniti audiri nolunt. Narrat Anastasius *Quæst.* XV, tom. I *Bibl. Patr.* illustria duo exempla huc pertinentia, nec dissimulanda : « Quando Phocas tyrannus factus fuit imperator, et per Bonosum lictorem eas cœpit facere sanguinis effusiones; quidam monachus in civitate Constantinopolitana, vir sanctus, et qui ad Deum magnam habebat fiduciam, cum Deo disceptabat dicens in simplicitate : *Domine, cur eum fecisti imperatorem?* deinde cum permultis diebus hoc dixisset, vox ad eum venit a Deo dicens : *Quoniam non inveni pejorem.* Fuit etiam quædam alia civitas in Thebaide iniqua, in qua vir quidam perniciosissimus angeli monitu electus est episcopus, qui ob id cœpit apud se esse elatus et sibi valde placere. Accedens autem angelus Domini ei dicit : *Cur superbis, et magnifice tibi places, o infelix? Revera non tanquam dignus sacerdotio factus es episcopus; sed quia hæc civitas tali digna erat episcopo.* » Subdit deinde Anastasius : « Quamobrem quando videris indignum aliquem principem et episcopum, ne mireris, neque Dei accuses providentiam, sed disce, et crede, quod propter nostras iniquitates tradimur ejusmodi tyrannis, et ne sic quidem a malis abstinemus.

Malus pastor gregis pernicies est.

Malus pastor idolum est.

31 et 32. QUIA ERGO EGO LOCUTUS SUM AD DEUM, TE QUOQUE NON PROHIBEBO : SI ERRAVI, TU DOCE ME : SI INIQUITATEM LOCUTUS SUM, ULTRA NON ADDAM. — Postquam Eliu longiorem de Deo sermonem instituisset, ne minus urbane aut nimis insolenter egisse videretur, quasi in judicio constitutum permittit Jobum interloqui, ut si quid minus vere aut caute dixisse existimetur, illud aut retractet, aut explicet. S. Gregorius lib. XXVI *Moral.* cap. I, in his verbis Eliu notat indolem doctorum superborum dicens : « In locutionibus suis hoc arrogantes viri habere inter alia proprium solent, quod ab auditoribus suis, ne quid fortasse inordinatum dixerint, tunc requirunt, cum se laudabiliter aliquid dixisse cognoscunt : hæc videlicet faciunt, non quo de dictis suis ambigant; sed quo ab

Vers. 31 et 32.

Superborum doctorum ingenium et fraus ut se corrigi petant, cum be-

nevolentiæ se dixisse sciant. audientium judicio favores quærant. Nam inveniri facile poterunt, quo animo percunctantur, si quisquam eorum bona laudat, etiam mala reprehendat : certum quippe est, quia sicut inflantur laudibus, ita correctionibus inflammantur, et a quolibet se vel juste reprehendi despiciunt; moxque in malis suis fomitem defensionis exquirunt, » etc.

Vers. 33. 33. NUMQUID A TE DEUS EXPETIT EAM, QUIA DISPLICUIT TIBI? TU ENIM COEPISTI LOQUI, ET NON EGO : QUOD SI QUID NOSTI MELIUS LOQUERE. — Hic versus valde obscurus est, quod illius relativi *eam* non constet quodnam sit antecedens, neque illius verbi *displicuit* quodnam sit suppositum; ut igitur hæc sensum congruentem reddant, intertextis quibusdam verbis aliis procul dubio explenda sunt. Paulo ante vers. super. *iniquitatem* nominaverat, quam respicere videtur relativum *eam*, ut sensus Eliu sit : Numquid a te, o Job, expetit Deus iniquitatem, seu ut inique sentias, judices, et loquaris de Deo, quia ipse displicuit tibi, justo suo judicio flagellans te? *q. d.* Extreme Deo displicet hæc tua obmurmuratio, qua adversus Deum cœpisti obloqui : ita Tirinus noster. Vel etiam hoc sensu exponi potest, *q. d.* An Deus exquirit, exigit, exposcit a te iniquitatem, ut propterea tibi velut injustus postulator tantopere displiceat? ita Joannes a Jesu Maria. Vel denique sic, ut sit sensus : Quia Deus tibi displicuit, et ejus de te judicium et vindicta, ideo inique de Deo sentis et loqueris; hanc autem iniquitatem non exigit a te Deus, sed reprobat, et condemnat, *q. d.* Cave ne me refellendo ut iniquum ipsemet sis in Deum iniquus : etiamsi enim ego in verbis prædictis locutus essem aliquam iniquitatem aut falsitatem, quæ merito esset redarguenda, illam tamen non expeteret a te Deus, non te requireret fieri judicem meum et reprehensorem, non quæreret ipse per te vindicari de mea falsitate, eo quod ipse Deus tibi displicuit, quia ipsum Deum exosum habuisti, simulque judicia ejus exsecratus es, quemadmodum tuis verbis blasphemis satis indicasti. Unde cum tu prior illum oderis, et adversus eum blasphemaveris, non cupit Deus per te corrigi aut redargui, etiamsi quid ego falsum dixerim : nec ad eam rem tu videris idoneus, qui Deum tibi non placere, et male contentum te esse de ejus judiciis aperte satis jam ante demonstrasti : tu enim cœpisti hanc disputationem : tua verba blasphema et impia, quæ ab initio disputationis hucusque loqui non desiisti, me ad loquendum compulerunt propter zelum justitiæ Dei, quam tu blasphemas. Non autem ego prior incœpi ex memetipso hanc disputationem, sed coactus et quasi invitus loquor quæ loquor; unde etiamsi quid erroneum loqui me contigerit, ero ego plus quam tu excusabilis; imo in te potissimum culpa mei quoque errati recidet, qui me tuis impiis sermonibus ad loquendum cogis. Nihilominus si quid melius, verius aut certius tu noveris quam quæ ego jam dixi, aut quo putes te posse destruere ea quæ jam dixi, conceditur tibi locus eloquendi et meliora proferendi. Septuaginta legunt, μὴ ἀπὸ σοῦ ἀποτίσει αὐτήν, ὅτι σὺ ἀπώσῃ; ὅτι σὺ ἐλάλεῖ, καὶ οὐκ ἐγὼ · καὶ τί ἴσμεν, λάλησον, *numquid a te reddet eam, quia tu expelles? quoniam tu eliges, non ego : quod si nosti melius, loquere.* Nonnulli codices et Polychronius habent, ὅτι ἀπώσω, et S. Augustinus, *quia repulisti.* Scholiastes videtur legisse, ὅτι μὴ ἀπώσῃ, *quare ne repellas* : ita enim interpretatur, *nonne tu debes reddere vices sermonum meorum? Ne igitur repellas, sed redargue quæ dicta sunt. Tuum enim est eligere et judicare, utrum bene an secus dixerim, non autem meum, qui dixi.* Si quid ergo, inquit, nosti aut habes quod opponas, profer et loquere; loquitur autem in judicio qui causam suam tuetur sive per se sive per advocatum. Tacet, qui seipsum non defendit, qui causam suam deserit, et indefensam relinquit.

Deus non expetit iniquitatem.

34 et 35. VIRI INTELLIGENTES LOQUANTUR MIHI, ET VIR SAPIENS AUDIAT ME : JOB AUTEM STULTE LOCUTUS EST, ET VERBA ILLIUS NON SONANT DISCIPLINAM. — Eliu significat se de Jobo tanquam de amente et stolido nihil curare, neque cum illo ulterius verba facere velle. « Dedignatus videlicet, inquit S. Gregorius, si Jobus loqui præsumeret, qui quasi ejus intelligere verba non posset : et quia non solum ad loquendum, sed etiam audiendum indignum fuisse indicavit, ait : *Vir sapiens audiat me*, ac si diceret : Huic loqui injuste conceditur, qui etiam audire verba sapientum non meretur. Porro Eliu B. Jobum stulte ac sine disciplina locutum credidit : quia justum se in suis operibus fuisse memoravit. Et verum fortasse Eliu diceret, si ea quæ B. Jobus de seipso narraverat, non de illo hæc eadem disciplinæ auctor æstimasset. Innocentem enim Jobus se asserit flagellatum, quem Deus etiam perhibuit frustra percussum. Quid ergo vox percussi superbum sonuit, quæ a sententia ferientis nullatenus discrepavit? Incaute sunt humiles, qui se mendacio illaqueant, dum arrogantiam vitant; imo mentiendo superbiunt, qui contra veritatem se erigunt, quam relinquunt : qui enim necessitate cogente vera de se bona loquitur, tanto magis humilitati jungitur, quanto et veritati sociatur. » Ita S. Gregorius lib. XXVI *Moral.* cap. III.

Vers. 34 et 35.

Eliu de Jobo tanquam stulto et indisciplinato loquitur.

36 et 37. PATER MI, PROBETUR JOB USQUE AD FINEM : NE DESINAS AB HOMINE INIQUITATIS. QUIA ADDIT SUPER PECCATA SUA BLASPHEMIAM, INTER NOS INTERIM CONSTRINGATUR : ET TUNC AD JUDICIUM PROVOCET SERMONIBUS SUIS DEUM. — Deum appellat *Patrem*; unde Chaldæus addit : *Qui es in cœlis*, cujus honorem, uti decet filium, tueri adnititur Eliu; obsecrat ergo Deum, cædat Jobum usque in finem vitæ, si in culpa persistat, vel usque ad finem sceleris, si desistat : *Ne desinas*, inquit, *ab homine iniquitatis*, hoc est, familiari phrasi hebraica, ab homine iniquissimo cædendo, affligendo et excruciando :

Vers. 36 et 37.

Eliu vult Jobum a Deo amplius flagellari in finem.

http://www.obrascatolicas.com

qui supra omnia peccata sua priora, quæ ante plagam istam commisit, etiam nunc adjicit apertam blasphemiam, imputando videlicet Deo injustitiam, perinde quasi non sufficerint priora illa tam multa et tam magna peccata, quæ ante commiserat, nisi hunc horrendum illud blasphemiæ scelus adjecisset. En quam enormiter aberrat Eliu, et quam vehementer pia, ut putat, mente præcipitat: accusat Jobum et pro peccatis suis flagella meruisse, et post flagella blasphemando peccasse. Longe vero aliter Dominus judicat, qui et frustra flagellatum insinuat, et bona duplicia post flagella retribuit, uti cap. XLII videbimus : pœna enim debetur culpæ, non præmium. Concludit autem facta ad circumstantes apostrophe : *Inter nos interim constringatur,* id est nostrum omnium communi calculo et judicio condemnetur Jobus, et falsitatis ac blasphemiæ reus declaretur : hoc solum jam postulo : tum per me licet, provocet ad divinum tribunal quamdiu lubebit.

Quantum Eliu aberret a judicio

Dei de Jobo.

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit Eliu falso accusare Jobum, quasi dixisset, Deo cordi non esse pios præ impiis : docetque, si non Deo, certe ipsi homini, et pietatem prodesse et impietatem obesse plurimum.

1. Igitur Eliu hæc rursum locutus est : 2. Numquid æqua tibi videtur tua cogitatio, ut diceres : Justior sum Deo? 3. Dixisti enim : Non tibi placet quod rectum est : vel quid tibi proderit, si ego peccavero? 4. Itaque ego respondebo sermonibus tuis, et amicis tuis tecum. 5. Suspice cœlum et intuere, et contemplare æthera quod altior te sit. 6. Si peccaveris, quid ei nocebis? et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? 7. Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? 8. Homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua : et filium hominis adjuvabit justitia tua. 9. Propter multitudinem calumniatorum clamabunt : et ejulabunt propter vim brachii tyrannorum. 10. Et non dixit : Ubi est Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte? 11. Qui docet nos super jumenta terræ, et super volucres cœli erudit nos. 12. Ibi clamabunt, et non exaudiet, propter superbiam malorum. 13. Non ergo frustra audiet Deus, et Omnipotens causas singulorum intuebitur. 14. Etiam cum dixeris : Non considerat : judicare coram illo, et exspecta eum. 15. Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valde. 16. Ergo Job frustra aperit os suum, et absque scientia verba multiplicat.

Vers. 1 et 2.

1 et 2. IGITUR ELIU HÆC RURSUM LOCUTUS EST : NUMQUID ÆQUA TIBI VIDETUR TUA COGITATIO, UT DICERES : JUSTIOR SUM DEO? — Instimulatus acrius Eliu, quia a Jobo se contemni arbitrabatur, in illum non minus quam ante impatienter invehitur, et quædam objicit impia atque stulta, quæ aut ipse fingit, aut ex verbis Jobi male ratiocinando componit; quæ dum sapienter confutare se putat, impie ipse et insipienter agit. Notat ergo in primis Jobum blasphemiæ, quod dixerit se Deo justiorem esse. Sed ubi hoc dixerit Jobus non habemus, neque ostendere potest Eliu, et est sine dubio longe falsissimum; unde tamen aut malitiose aut insipienter illud intulerit exploremus. Potuit videlicet Eliu tum ex variis Jobi assertionibus prave intellectis; tum ex constanti Jobi asseveratione, qua se insontem esse, et a Deo absque culpa cædi defendit, sensum istiusmodi deducere : eo quippe ipso, quod Jobus sine delicto se plecti affirmavit, visus est Eliu sicut et primis certatoribus Deo notam injustitiæ impingere, ac proinde se Deo, uti minus justo, aut certe injusto, anteferre. Dixerat enim Jobus cap. XIX, 6, aut dixisse videbatur, se justum esse atque innocentem, et tamen a Deo injuste puniri : « Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo judicio afflixerit me; » et cum Jobus cupere se dicebat venire cum Deo in judicium cap. XXIII, 3, ostendere videbatur justiorem esse suam quam Domini causam. Sed hæc, ut suis locis et proxime præced. capit. docuimus, sensum habent modestum ac pium. Quando enim Jobus de sua justitia locutus fuit, huc spectavit, ut ostenderet, se non secundum peccata puniri, nec improbum judicandum esse, eo quod a Deo gravius quam reliqui homines affligeretur : nam superius aliquoties declaratum fuit Deum affligentem homines non semper hoc spectare, ut ipsorum peccata puniat; sed velle ipsorum patientiam probare, quomodo Jobo accidit, cum Deus Satanæ laxavit habenas. Non enim hoc eo factum est, quod Jobus vias suas depravasset, aut magnis criminibus iram Dei provocasset; minime : sed quamvis Satan non inveniret quid in illo reprehenderet, potestatem tamen ipsum cruciandi obtinuit. Ergo causa Deo proposita in Jobo sic affligendo non fuit, quod Deus ipsi infensus esset; sed hoc pacto voluit ejus patientiam probare, ut nobis speculi loco esset. Jobus igitur recte contendit, cum asseruit se minime propter peccata, sed alia de causa sic afflictum fuisse.

Eliu falsas Jobo impingit calumnias.

Job optime defendit justitiam suam.

Vers. 3.

3. DIXISTI ENIM : NON TIBI PLACET QUOD RECTUM EST : VEL QUID TIBI PRODERIT SI EGO PECCAVERO? — Neque illud uspiam a Jobo dictum fuisse reperietur, sed operæ pretium est intelligere quid his verbis Eliu calumnietur, ut ubi calumniæ ansam repererit demonstremus; calumniatur autem Jobum Dei abnegasse providentiam, neque probis consulere, neque in improbos animadvertere, neque ullam utrorumque curam gerere; et propterea dicit : « Dixisti enim : Non tibi placet quod rectum est, » etc., id est, neque ad te, o Deus, pertinet quod rectum faciam, neque quod peccem; utrumque parum attendis, quod nihil emolumenti nihilque detrimenti ad te ex utraque re veniat. Hebræa ad verbum reddita eamdem habent sententiam, licet obscurius, *quoniam dixisti : Quid proderit tibi, aut quid commodi capiam ex peccato meo?* Ex uno contrario utrumque vult Hebræus intelligi : quocirca bis dixit eamdem sententiam, *quid proderit tibi, aut quid commodi capiam,* subaudi a te, *ex peccato meo?* id est, non curas, utrum ego peccem nec ne. Aliqui vertunt, *quid commodi capiam ex expiatione mea :* et quadrat hebræo חטא *hata,* quod et *peccatum* significat et *sacrificium pro peccato;* et eodem modo ex uno contrario alterum intelligendum. Et ita optime explicarunt Septuaginta interpretes, qui totum hunc versum ita transferunt in plerisque codicibus, ὅτι εἶπας δίκαιός εἰμι ἐναντίον Κυρίου · ὅτι ἐρεῖς,τί ποιήσω ἁμαρτῶν, *quoniam dixisti : Justus sum coram Domino; quoniam dices : Quid faciam cum peccaverim?* id est, sive bonus sim, sive scelus faciam, quid hoc ad Deum spectat? cum ipse nihil ex utraque re commodi vel incommodi percipiat. Videtur autem Eliu sententiam hanc expressisse ex verbis illis quæ legimus cap. IX, 12 : « Innocentem et impium ipse consumit, » et statim : « De pœnis innocentum rideat; » et cap. X, 15 : « Si justus fuero, non levabo caput, » hoc est, non relevabor, honorabor, remunerabor, si juste egero; ex quo videtur effici ad sensum Eliu, Deo non placere quod rectum est; quandoquidem non illud remunerat. Illud denique : *Quid tibi proderit si ego peccavero?* attribuit Jobo Eliu ex verbis illis capitis ejusdem : « Quare mundum me esse non pateris? » ac si Deus ideo non pateretur Jobum esse purum, quod aliquid lucri ei proinde accederet, utpote quem putaret humanis judicibus esse similem, qui hominum ideo peccatis gaudent, quia habent quos judicent et condemnent, et ex eorum judicio aliquid lucri faciant. Quomodo etiam medici grassari morbos optant, precanturque hominum, maxime locupletum, corpora tentari, ut aliorum incommoda ipsis divitias pariant. Ita puto secum cogitabat Eliu dum hæc verba affingit veritati, et adscribit Jobo, dum ait illum dixisse : *Non tibi placet quod rectum est.* Significat nempe Deo virtutem et pietatem non placere, quia non habet ex quorum damnatione compendium captet : ita Stunica et Sanctius noster. Recte autem ad hunc locum notat S. Gregorius lib. XXVI *Moral.* cap. VII : « Si tota libri series attenditur, nihil horum beatus Job dixisse monstratur. Sed arrogantes viri, sicut et superius diximus, habere hoc proprium solent, ut dum in nimia invectione prodeunt etiam invehendo mentiantur : et cum non possunt reprehendere juste quæ sunt, reprehendunt mentiendo quæ non sunt. »

Eliu fingit Jobum negasse Dei providentiam.

Fingit Eliu Jobum putasse Deo ex peccatis lucrum accedere.

Vers. 4 et 5.

4 et 5. ITAQUE EGO RESPONDEBO SERMONIBUS TUIS, ET AMICIS TUIS TECUM (insolenter simul et arroganter Eliu jactat se responsurum esse Jobi sermonibus impietatis et insipientiæ plenis, et docturum Jobi amicos, quomodo Dei causam et nomen a maledico sermone tueantur, et Jobo de ipsorum victoria exsultanti silentium indicant). SUSPICE COELUM, ET INTUERE, ET CONTEMPLARE ÆTHERA QUOD ALTIOR TE SIT. — Arguit modo Jobum quasi aliquando dixerit Deum ex hominum peccatis aliquid captare compendii, dicitque Deo neque quidquam accedere posse lucri ex hominum justitia, neque ex eorum iniquitate nocumenti, quia Deus in cœlo procul ab hominibus est, quo hominum opera, qualiacumque fuerint, pervenire non possunt. Qui gravis est et infantilis error, cum Deus ubivis locorum sit, et universa compleat. Argumentum igitur, quod ad hujus pronuntiati confirmationem utitur Eliu, illius indicat insignem ignorantiam : concludit enim in cœlo Deum, ita ut neque terram neque universum compleat, neque cum hominibus sit. Unde S. Hieronymus et Beda arrogantem illum philosophastrum crassæ cujusdam ignorantiæ coarguunt : tota enim ea ratio in locorum distantia ac diversitate consistit, quasi ad Deum, qui tanto ab hominibus intervallo disjungitur, pervenire nihil possit, perventurum utique, si propo nos esset, aut ubi a nobis adiri aut conveniri difficile non posset. Ita Sanctius noster.

Eliu male putat Deum cœlo concludi.

Secundum anagogiam autem hic invitamur ad cœli contemplationem, ut exinde animos ad Numinis cognitionem amoremque attollamus : cœlum enim maxime naturam divinam et procreantis omnia vim, potentiam et inexplicabilem sapientiam eximie declarat, hinc S. Chrysostomus hom. 10 *ad Popul.* ait cœlum positum a Deo βίβλον μέγιστον καὶ ἰδιώταις καὶ σοφοῖς, *maximum librum et idiotis et sapientibus :* addit πᾶσιν ἁπλῶς χρήσιμον, *omnibus generatim utilem esse.* Liber ille tam apertus, tam pictus, et tanta varietate pulcherrimus, clarissima in luce, ut Psalmographus canit *Psalm.* XVIII, 1, « enarrat gloriam Dei; » vel, ut vertunt Septuaginta, δόξαν, *claritatem,* existimationem, magnificentiam; vel, ut Chaldæus, *pretiositatem;* vel, ut

Cœli contemplatio nos ad Dei cognitionem adducit.

http://www.obrascatolicas.com

doctores hebræi, *vim*, valorem, gravitatem; vel, ut Patres, *divinitatis imaginem atque dotes*. Itaque animadvertit S. Gregorius Nyssenus in *Vita Greg. Thaum.* Abrahamum, cum apud Chaldæos in philosophia esset institutus, et cœli apud se pulchritudinem ordinemque siderum, vim et efficientiam reputaret, earum rerum cognitione usum ὡς ὑποβάθρᾳ, *ut scala et adminiculo* ad superi boni contemplationem fuisse, et per ea quæ videntur ad divina, quæ tantum intelligentia percipiuntur, religiose pervenisse. Etsi enim cœli corpora quidem muta sint et inanima, nihilominus adeo aspectu pulchra videntur, ut visa defixos teneant oculos, et cum intuentium oculis pariter pensitantium animi et animorum desideria in cœlestem illam beatorum patriam intendantur. Hinc S. Pater noster Ignatius, rerum cœlestium contemplatione absorptus, sæpenumero exclamasse solitus fertur : « Quam sordet mihi terra cum cœlum aspicio! » Profecto cœlum et Dei prædicat omnipotentiam, et pulchritudinem ostendit, ut illius aspectu invitati et prorsus convicti de infinita conditoris ejus pulchritudine philosophemur; ad hoc Minutius Felix in *Octav.* nos invitans : « Cœlum, inquit, ipsum vide quam late tenditur, quam rapide volvitur, vel quod in noctem astris distinguitur; vel quod in diem sole lustratur; jam scies, quam sit in eo summi moderatoris mira et divina libratio : » sancti quippe viri non hærent in sola cœlorum aut siderum consideratione; sed ulterius mentem referunt ad laudandum et amandum eum, qui tantum opus tam exquisito artificio est molitus.

Vers. 6. 6. Si peccaveris, quid ei nocebis? et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? — Neque enim peccatum in detrimentum Dei, contra quem admittitur, sed ipsius peccatoris, a quo committitur, terminatur; unde D. Augustinus in illo *Deuter.* XXXII, 5 : « Peccaverunt ei, et non filii ejus in sordibus, » cum Septuaginta legit, *peccaverunt non ei filii ejus vituperabiles*, et rationem reddit : « Quoniam, inquit, qui peccat, non peccat ei, id est, non Deo nocet, sed sibi ipsi : » et congruit Chaldæus transferens, *dissipaverunt seipsos, et non illum*. Nullum enim Deo, maximum autem peccatori ex suo peccato infertur nocumentum. Quod si D. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 12 dicit : « Prolapsionibus nostris Deum nostrum afficimus detrimento; » tamen statim rationem reddit : « Nam Deus, inquit, pro divitiis nos habet, » ubi sicut nos metaphorice *divitias Dei* vocavit : ita Deum ex nostris culpis affici detrimento improprie dixit, quamvis hoc detrimentum, quodcumque sit, potius ipsarum divitiarum est, quæ misere disperduntur, quam ipsius Dei, qui nullis externis opibus indiget, infinitis sibi intrinsecis abundans. Non obscure hoc significavit ipse Deus de Judæorum idololatria locutus *Jerem.* II, 11 : « Populus, inquit, meus mutavit gloriam suam in idolum, » ubi D. Chrysostomus orat. 1 *adver. Jud.* : « Non dixit, inquit : *Mutastis Deum vestrum*; Deus enim non mutatur; sed : *Mutastis gloriam vestram* : neque enim me læsistis, inquit, neque ulla noxa ad me pervenit : vosmetipsos affecistis ignominia : meam gloriam non imminuistis, sed vestram ipsorum. » In eamdem sententiam conspirat D. Paulus, qui postquam innumera gentium peccata commemoravit subdidit *Rom.* I, 25 : « Servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen, » ubi postquam Deum multis hominum injuriis et opprobriis et maledictionibus impetitum esse dixit, tunc benedictum in sæcula appellavit; ut significaret Deum ex tam multis injuriis nullam sui gloriosi nominis jacturam incurrisse, neque minus quam cœlestibus laudationibus benedictum coruscasse. Quod D. Chrysostomus hom. 3 *in Rom.* recte expendit : « Quanquam illi, inquit, injuriam fecerunt; tamen ipse non accepit : neque enim ejus gloria aliqua ex parte lacera aut mutila facta est; sed manet ipse omnino laudandus. » Non ergo læditur Deus peccatorum jaculis : imo sagittæ, quas in Deum jaciunt peccatores, in ipsos retorquentur; hinc inter gravissima mala, quæ David Judæ posteris imprecatur, unum est *Psalm.* CVIII, 15 : « Fiant contra Dominum semper. » Atqui hoc, dicet aliquis, potius est Deo quam hominibus malum imprecari : Absit profecto; imo nulla esse potest acerbior in homines imprecatio, dum enim contra Deum insurgunt, Deo prorsus illæso, ipsi infinitis malis substernuntur : vide plura de peccati damnis et molestiis cap. IV, 8 et passim alibi.

Sed suam gloriam perdit.

Deus a peccatoribus maledictus adhuc est benedictus.

Qui peccat, sibi non Deo nocet.

Idololatria non divinam

7. Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? — Quibus verbis non negat Deo placere officia nostra et virtutum opera, quæ intuitu ejus operamur; sed tantum affirmat illa Deo infinito et per se immensa gloria referto nihil adjumenti, quo ille egeat, adferre posse, *q. d.* Nihil prorsus de tuo, quod ab illo non acceperis, donare Deo potes. Quo sensu olim Deus ad populum suum *Psalm.* XLIX, 9 : « Non accipiam, inquit, de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, » scilicet tanquam a te mihi donatos, et non potius restitutos, quasi a tuo dominio in meum transferantur; cum tamen nunquam ita fuerint sub tuo dominio, ut de meo exierint. Quam rationem statim reddit : « Quoniam meæ sunt omnes feræ, » etc. Quibus verbis significat se omnibus divitiis affluere; neque nostras tanquam alienas emendicare, sed pro arbitrio et jure suo quando voluerit exigere; unde David I *Paral.* XXIX, 14, contemplatus illa ingentia donaria, quæ et ipse et cæteri principes in templi fabricam liberaliter conferebant, inter alia, quibus Deo gratulatus est, « Quis ego, inquit, et quis populus meus, ut possimus hæc tibi universa promittere? Tua sunt omnia; et quæ de manu tua accepimus dedimus tibi; » et iterum in humiles gratulationes effusus *ibid.* vers. 16 : « Domine Deus noster, omnis hæc copia, quam paravimus ut ædificaretur domus nomini sancto tuo, de manu tua est, et tua sunt omnia : » eo enim magis Deum sibi conciliabat, quo humilius fatebatur nihil se illi offerre, quod ab eo non accepisset.

Vers. 7. Deus nostra ut propria non ut aliena exoptat.

Nihil Deum plus conciliat quam omnia Dei esse humiliter fateri.

Jam vero spiritualia dona quæ possunt a nobis offerri Deo, nisi prius a Deo in nos ipsos deriventur? ita plane testatur D. Augustinus lib. IX *Confes.* cap. XIII : « Quisquis, inquit, tibi Domine, enumerat vera merita sua; quid tibi enumerat nisi munera tua? » Et rursus epist. 105 *ad Sixt.* : « Cum Deus, inquit, coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua, » ubi plane fatetur ea, quæ Deo offerimus, non solum prius in nos a divina liberalitate derivari, sed etiam adhuc sub divina potestate contineri. Eleganter de hac re D. Bernardus serm. *De Quadr. deb.* : « Totum, inquit, quod es illi debes, a quo totum habes; » et paulo ante : « Cum, inquit, ei donavero quidquid sum, quidquid possum; nonne istud est sicut est stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? » ubi multa de hac re, quibus non solum asserit exigua esse munera, quæ Deo offerre possimus; sed etiam plane fatetur nihil nos habere offerendum, quod Deo pluribus nominibus non debeatur. Idem rursus in tract. *De Dilig. Deo* : « Si totum, inquit, me debeo pro me facto; quid addam jam pro refecto? In primo opere me mihi dedit, in secundo se : et ubi se dedit me mihi reddidit. Datus ergo et redditus me pro me debeo, et bis debeo. Quid ergo retribuam pro se? nam etiamsi millies me rependere possem, quid sum ego ad Deum? » Vides ut nihil se habere fateatur quo divina beneficia compenset; cum sua omnia Deo, a quo accepta fuerant, debeantur. Itaque Deus quidem, cum sit infinite perfectus, neque suæ felicitatis detrimentum patitur, quantumvis fœda peccata perpetrentur; neque incrementum, quantumvis eximia pietatis opera augeantur; attamen externa ejus gloria apud homines peccatis obscuratur et egregiis operibus clarescit. Quod Eliu parum expendisse videtur. Deum ergo interne tantum consideravit, atque in eo sensu idoneum argumentum confecit : tametsi ad Jobi animum expugnandum frigeat, qui hæc et his majora minime ignorabat.

Omnia Deo debentur, a quo omnia habemus.

Vers. 8. 8. Homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua : et filium hominis adjuvabit justitia tua, — *q. d.* Homo, qui in eodem tecum loco atque ordine vivit, tua sæpe opera ac patrocinio juvari, et tuis insidiis ac fraudibus lædi ac violari potest : quare illi tua justitia proderit, aut nocebit impietas, in multis enim adjuvare eum potes consilio et auxilio, ut bona sibi congruentia acquirat, mala sibi adversantia effugiat. Ita quidem mirum in modum potest homo homini vel per justitiam suam prodesse, vel per injustitiam obesse, ut merito proverbio vulgato celebratum sit, hominem homini Deum esse, rursumque, hominem homini esse dæmonium. Ipsi autem Deo nullius obesse valet injustitia, nullius prodesse justitia; multo vero minus ab homine quidquam exspectat emolumenti aut auxilium implorat. Verum quidem est nos, cum Deum offendimus, quantum in nobis est violare ejus justitiam, eoque pacto magnam ipsi facere injuriam; sumus igitur rei cum peccamus æque ac si Dei majestatem imminuissemus : scimus quæ sit norma ejus rectitudinis quam a nobis exigit; cum in contrarium tendimus, id perinde est atque si ipsum impedire vellemus, quo minus regnaret, quasi ipsum ex suo tribunali avelleremus, quasi ipsum pedibus proculcaremus. Omnium igitur eorum homines sunt rei; sed tamen in se Deus nec augeri nec diminui potest. Sciamus igitur nos nullum ipsi damnum inferre cum peccaverimus, sed nobis ipsis, in quorum capita peccata recidunt; atque ita homines non possunt adversus Deum insurgere nisi in suam confusionem. Quare pro conclusione retinendum est, quod hic paucis Eliu pronuntiat; nempe peccata nostra hominibus nocere, non Deo; pariterque nostram justitiam hominibus, non autem Deo prodesse.

Deo nullus prodesse potest aut obesse.

Hominibus impietas nocet, et prodest justitia.

Vers. 9. 9. Propter multitudinem calumniatorum clamabunt : et ejulabunt propter vim brachii tyrannorum. — Probat quod proxime dixit, hominibus hominum impietatem nocere, et miserorum ab aliis levari posse calamitates : alioqui qui calumniis violentorum et tyrannorum manibus opprimuntur non clamarent ejularentque, ut vel Deus, vel homines potentes ac pii suppetias ferrent laborantibus, et vim injustam justa vi repellerent. Eliu igitur omnia illa comprehendit, et ostendit minime mirandum esse, si Deus, cum sit patiens, sinat res male se habere, nec prospiciat simul atque ipsum invocamus, quia etiam serio et ex animo non precamur. Primum autem hic declarat homines non dignos esse ut Deus ipsis in necessitate opituletur : quia si opprimantur, injuria aut vis aliqua ipsis adferatur, verum quidem est ipsos vociferari, tumultuari, lamentari; sed tamen propterea non confugiunt ad Deum. Audiuntur itaque clamores et ululatus eorum qui malum patiuntur; Deus tamen illos non exaudit, quamvis ejus munus sit iis qui injuste opprimuntur subvenire : quoniam ipsum non respiciunt, nec ad eum precibus confugiunt, sed confuse lamentantur. Modo etiam verum est, confusiones tam horrendas esse in mundo, ut de iis, quin toti cohorrescamus, cogitare non possimus. En bella, quæ multis in locis grassantur, et regionem vastatam; miseri homines nesciunt quid amplius agant; incensas domos videas, fortunas omnes diripi. En igitur populos ita vexatos, ut illis trucidari quam sic languere satius sit. Si quis regionem circumeat, illic multas querelas et expostulationes audiet : nec tam procul eundum est; qua milites tanquam tempestates aliquæ transeunt, nemo est qui non vociferetur se ad ossa usque exedi. Interim numquid homines ad bonam frugem redeunt, et ex toto corde Deum inquirunt?

Passim quidem homines in afflictionibus clamant, sed uti par est non invocant.

http://www.obrascatolicas.com

Vers. 10. 10. ET NON DIXIT : UBI EST DEUS QUI FECIT ME, QUI DEDIT CARMINA IN NOCTE? — Eam igitur ob causam Deus non omnibus oppressis auxilium fert, quia non omnes spem suæ salutis in Deo ponunt, neque ejus ex animo præsidium petunt, sed alias pessimas forte ineunt rationes, quibus cum mala urgent liberentur. Quorum hominum absurdissimum esse consilium duobus argumentis breviter ostendit : quoniam a quo potius deberent conservationem et liberationem sperare quam ab eo a quo facti sunt? nam qui præstitit eis ut essent, cum nihil ab eo peterent, multo melius factos servaret, si ejus clementiam et benignitatem implorarent, et amori ejus responderent; tum vero etiam ratione potentiæ ejus, qui dat carmina, id est causas cantandi in nocte, quando in mediis calamitatibus afflictos exhilarat, et tyrannos interimit.

Cur in miseriis ejulantes aliquando non liberemur.

Angelorum custodia in nocte.

QUI DEDIT CARMINA IN NOCTE. — Septuaginta reddunt, ὁ κατατάσσων φυλακὰς νυκτερινὰς, *qui distribuit custodes nocturnos*, hoc est, ut vult Origenes, *angelorum excubias*, adversus latrones impios et crudeles animorum inimicos. Pium igitur et prudens consilium est, ut omnes in lectum ituri amicam illam beatarum mentium manum et maxime tutelarem invocent; et si quando evigilaverint, cum iisdem choros ducant, et velut astra matutina jubilent, et una cum illis recitent pia carmina in nocte. S. Ambrosius contra insidias dæmonis, noctu venenum spargentis suum, potentissimum quoque suggerit alexipharmacum, quo præsertim religiosæ animæ et sacris altaribus servientes magno suo bono frequenter uti solent: nam cum *Exod.* XII, 4 vidisset Hebræos in Ægypto, quod agnum edissent, liberos fuisse ab immani et funesta clade, quam sævus de nocte speculator divino imperio confecerat; singularis ille doctor asseruit, christianos longe felicius tutos et defensos a nocturna calamitate futuros, qui ad sacram Domini mensam et immaculati Agni cruorem accesserint; hanc vero subdit rationem: «Cum hospitium tuum adversarius viderit occupatum cœlestis fulgore præstantiæ, intelligens locum tentamentis suis interclusum esse per Christum, fugiet, ac recedet, et in mediam noctem sine ulla offensione transibit:» ita S. Ambrosius *in Psalm.* CXVIII.

Deus tribulationibus gaudium admiscet.

Hinc porro gaudium in animo exsistit, quo pius quilibet roboratur ad pugnandum, et ad victoriam obtinendam accenditur : nam quis nesciat ex tentatione victa gaudium nasci, et veluti stillam futuri præmii statim pro foribus exsultationem adesse? Equidem nullus ignorat filios Israel victis et suffocatis Ægyptiis ingenti lætitia fuisse perfusos, qui, ut est *Sap.* XIX, 9, «tanquam equi depaverunt escam, et tanquam agni exsultaverunt, magnificantes te, Domine, qui liberasti illos.» Hi autem justorum exstiterunt figura, quorum corda victis suis adversariis et in sanguine Christi demersis vehementer exsultant : « In mari, inquit S. Dorotheus *Instit.* 12, dum tempestas excitatur omnes semper affliguntur; postquam autem tempestas desæviit, continuo sibi invicem cum gaudio quæ in ea contigerint narrant. » Ita prorsus turbine tentationis instante magna mentem subit afflictio; ac tentatione rejecta, et corde victoriæ obtentione sedato Dominum victoriæ auctorem laudamus, nobis ipsis congratulamur, et ex adventu tantæ tranquillitatis arrham adesse cœlestis præmii sentimus. Æquum ergo est non solum ut vincere tentationes curemus, sed ut in mediis tentationibus de spe tantorum bonorum gaudeamus; cujus gaudii inter tenebras quoque tentationum lucentis Dominus ipse dator et effector est, juxta illud : «Qui dedit carmina in nocte.» Quid enim aliud est Conditorem nostrum in nocte nobis carmina dare, nisi ex spe retributionis gaudium in media afflictionis tentatione concedere? « Carmen in nocte, inquit S. Gregorius lib. XXVI *Moral.* cap. XII, est lætitia in tribulatione : quia etsi pressuris temporalitatis affligimur, spe jam tamen de æternitate gaudemus. Carmina Paulus in nocte prædicabat dicens *Rom.* XII, 12 : *Spe gaudentes; in tribulatione patientes.* Carmen in nocte David sumpserat, qui dicebat : *Psalm.* XXXI, 7 : *Tu mihi refugium a pressura quæ circumdedit me : exsultatio mea, redime* [erue] *me a circumdantibus me* (Vulg. : *Tu es refugium meum a tribulatione*). Ecce noctem *pressuram* nominat, et tamen liberatorem suum inter angustias exsultationem vocat. Foris quidem nox erat in circumdatione pressuræ, sed intus carmina resonabant de consolatione lætitiæ. » Hæc lætitiæ carmina resonent in cordibus nostris cum tentamur, et similes illis erimus, de quibus scriptum est I *Mach.* III, 2 : « Et præliabantur prælium Israel cum lætitia. » Lætitia autem impatientiam et tristitiam depellet, ardorem in pugna adjiciet, hostes percellet et effringet. Sic tandem ad tantam felicitatem assurgemus, ut ex lætitia hujus temporis vera, quæ tota in Dei obsequio collocata est, ad æternam lætitiam transeamus, et ut in futuro sæculo gaudiis et pace perfruendo et in hoc passiones sustinendo lætemur.

Carmen in nocte est lætitia in tribulatione.

Vers. 11 11. QUI DOCET NOS SUPER JUMENTA TERRÆ, ET SUPER VOLUCRES COELI ERUDIT NOS. — Alio argumento demonstrat valde absurdum esse, hominem in rerum discrimine ad Deum non confugere, a quo tam singulare accipit beneficium, ut ipse unus inter cætera animalia mente et ratione polleret; quam ipse præterea multis modis imbuit, et ad veram doctrinam informat; unde S. Paulus ad Romanos scribens ostendit homines etiam gentiles non posse excusari per ignorantiam, si non servent præcepta moralia, cum ab ipsa natura lumen in corde impressum habeant, quo Deum et illa cognoscant. Quod ut clarius intelligamus, in primis statuendum est in hominibus lumen esse quoddam clarissimum, in cujus possessione mens lætitia inexplicabili perfruitur : hoc animadvertit Cassiodorus lib. *De Anim.* aitque lumen aliquod

Naturale lumen sufficit homini ad bona et mala

discernenda. substantiale animas habere, quod in Evangelio *Joan.* I, 9, dicatur lumen *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum* : « et in cogitatione, inquit, positi, nescio quid tenue, volubile, clarum nobis inesse sentimus, quod respicit sine sole, quod videt sine extraneo lumine. » Id meo quidem judicio Vates regius *lumen vultus* Dei nominavit *Psalm.* IV, 7 : Ecclesiastici auctor cap. XXIV, 44, *antelucanum* illuminatum omnibus; magnus Apostolus *notum Dei* in omnibus manifestum dixit *Rom.* I, 19, quod Origenes vult esse *notitiæ divinæ irradiationem;* sanctus vero Hieronymus, et D. Augustinus *illuminationem rationis*, quæ divinitatis imago est impressa in animo, et insignita.

Homini a creatione impressa est Dei similitudo.

Id quod hominis dignitatem mirum quantum commendat, et supra omnes creaturas effert : quæcumque enim in hoc orbe aspectabili a nobis videntur tantum exhibent vestigium aliquod divinæ illius sempiternæque mentis : unus homo ejus imago quædam et veluti expressa similitudo est, siquidem in homine semetipse impressit et expressit Deus velut in cera molli, nuda tabella, pretioso numismate, signaculo similitudinis, de quo pulchre Rupertus lib. II *in Genes.* cap. XII : « Tanquam cera, inquit, sigilli testatoris imagine signata, sic imagine Dei signatus est homo. » Hoc ipsum Tertullianus lib. V *in Marc.* cap. XI, vocat *lumen personæ Dei*, ut sit Numinis quædam veluti irradiatio. Ad hæc, exposuit Deus et objecit hominum sensibus et mentibus tot et tanta opera sua, quæ in hoc mundo perfecit : ex quorum aspectu et contemplatione facile possent quasi manu deduci in effectoris eorum cognitionem, sicut ex pulchritudine opificii artificis præstantia cognoscitur.

Deus ex creaturis a posteriori clare cognosci potest.

Deus se etiam per angelos nobis manifestat.

Catharinus præterea hisce modis, quibus Deus se suaque manifestavit etiam ethnicis hominibus, addit alium modum manifestandi se per angelos, videlicet interius illuminando hominem, et applicando mentem ejus ad capessendam Dei cognitionem : nuda quippe cognitio Dei ex creaturis tantum petita, ob infirmitatem humanæ mentis, et præstigias ac fallacias dæmonum, facile potest vel contrariis argumentis in speciem probabilibus vel dæmonum fallaciis infirmari et labefactari, nisi Deus singulari quapiam illuminatione præcipue hominem juvet firmetque in sui cognitione. In quam sententiam S. Anselmus exponit illud Pauli *Rom.* I, 19 : « *Deus enim illis manifestavit*, id est, non solum naturalis ratio ad id profuit illis, sed Deus etiam quotidie adjuvit, ne sola natura sufficere videretur. Judæis porro manifestavit multa Deus non modo supra sensus, verum etiam supra humani intellectus facultatem, de quo præ gentibus merito gloriantes et exsultantes cantabant *Psalm.* LXXV, 2 : *Notus in Judæa Deus*, » etc., notitia scilicet non solum generali, qualis fuit in gentibus, præsertim philosophis, e sensu creationis et naturæ operibus hausta, verum etiam speciali, per gratiam, Scripturas aliasque revelationes propheticas comparata; cujus finis est Dei cultus, fides, religio, amor, metus. Unde præter illa quæ philosophus de Deo novit, id est, esse conditorem, moderatorem, motorem primum, primam causam, finem rerum omnium, actum purum, incorporeum, seipsum et in seipso cuncta intelligentem, alia multa jam christianus cognoscit, quæ Dei naturam maxime explicant; ut, Deum esse unum et trinum, omnipotentem, adeo ut ex nihilo cuncta produxerit tali tempore, non prius vel posterius, et nunc omnia regat, conservet, portet verbo virtutis suæ, etc., quæ seipsis verissima sola fide et auctoritate dicentis demonstrata sunt atque stabilita.

Quomodo olim in Judæa et modo in Ecclesia notus sit Deus

Multipliciter itaque erudit nos Deus, ac *primo* quidem per gratiæ inspirationem sicut pater filium, juxta illud *Deut.* VIII, 5 : « Sicut erudit homo filium suum, sic Dominus Deus erudit te, ut custodias mandata ejus;» unde *Tit.* II, 11 «apparuit gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, pie et juste vivamus. » *Secundo* erudit nos per Scripturæ consolationem sicut magister discipulum : per Scripturas enim nos erudit quid credendum, quid sciendum, quid fugiendum, quid sequendum, juxta illud II *Timoth.* III, 16 : « Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, » etc. *Tertio* nos erudit per creaturarum contemplationem, sicut artifex erudit discipulum per imagines et opera suæ artis : sic contemplando opera Dei erudimur de Dei providentia, bonitate et benignitate. *Quarto* erudit nos per disciplinæ flagellationem, sicut dominus servum, quando ipsum rebellem reperit, flagellis erudit, juxta illud *Isai.* VIII, 11 : « In forti manu erudivit me, ne irem in viam populi hujus. » *Quinto* denique cæteris eminentiori quodam modo erudit eos, qui per Dei gratiam ad eam mentis puritatem evecti sunt, ut continua Dei unione perfruantur juxta supremam illam, cujus capaces sunt mortales, divini amoris influentiam : hi enim propriissime a Deo erudiuntur, et, ut divini Dionysii verbis utar, « ab ipsamet divinitate sacris mysticis initiantur, dum ad Deum per dilectionem surriguntur, nec non in eo summa puritate summaque constantia stabiliuntur, atque supernaturalibus divinorum operum rationibus ab ipsomet divino principatu θεοδιδάκτους μυσταγωγίαις eruiuntur. » Tales sunt vere mystici theologi, de quibus vide nostram *Isagog. ad Myst. theol.* S. Dionysii Areopagitæ tom. II. Illa igitur tam excellens et multiplex eruditio, qua Deus super jumenta terræ et super cœli volucres hominem informat, deberet illum in malis jacentem, ad memoriam ejus, a quo tot habet bona, excitare, et ejus ex animo auxilium petere, in eoque omnem salutis suæ spem collocare, præcipiente præsertim ipso, ut ejus verbis ait David *Psalm.* XLIX, 15 : « Invoca me in die tribulationis, et eruam te. » Oportet ergo, ut nos vindicet a malis, ipsum ex animo

Erudit nos Deus multipliciter.

Mystici theologi propriissime a Deo eruditur.

Cur quibusdam Deus subsidio non sit.

http://www.obrascatolicas.com

invocare. Cum autem multi a potentibus oppressi id non faciant, sed aliis viis suam salutem investigent, mirum esse non debet, quod eis nullum subsidium præstet. Quapropter subjungitur :

Vers. 12. Cur aliqui ad Deum clamantes non exaudiantur.

12. IBI CLAMABUNT, ET NON EXAUDIET, PROPTER SUPERBIAM MALORUM. — In tyrannica, inquit, vexatione egentes inermesque oppressi vociferabuntur propter superbiam aggressorum, et tamen Deus non exaudiet, hoc est, non continuo oppressos liberabit, aut oppressores coercebit : quia nimirum ad Deum non clamant, sed vel lamentantur de sua fortuna, quærendo auxilium a cognatis aut amicis aut potentibus hominibus ; vel si Deum invocant, non ejus gratiam et benevolentiam in primis quærunt, sed a malis tantum liberari cupiunt : itaque non tam honestatis quam utilitatis titulo Deum sibi adesse optant. Quamobrem non est mirum si Deus istiusmodi clamores non curet, ut illis ad auxilium ferendum moveatur : de iis enim dicit David *Psalm.* XVII, 42 : « Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, ad Dominum ; nec exaudivit eos ; » et ipse Deus *Jerem.* XI, 11 : « Clamabunt ad me, et non exaudiam eos, » etc. In hac igitur infidelitate sua et cæcitate homines isti providentiam Dei considerare nolentes, cum clamaverint de tribulationibus, quas ex oppressione tyrannorum sustinent, non merebuntur exaudiri a Domino : quia videlicet non in humilitate se subdunt divinæ providentiæ, neque in fide supplices ad eam confugiunt ; sed in superbia sua Deum contemnunt, ejusque providentiam negant et blasphemant. Frequenter autem accidit, ut istiusmodi divini Numinis contemptores, qui postquam prophetarum voces ita respuerunt, ut penitus obsurduisse viderentur, tandem et ipsi necessitate compulsi clament ad Dominum, qui eos non exaudiat. Justissima sane punitio, ut Deum non audientes a Deo non audiantur. Sic impius Esau, qui non vacando in tabernaculis doctrinæ studebat, sed vagando in agris venationi insudabat, negligens doctrinæ auditor, postquam salubres præceptiones contempserat, ne quidem clamans et ejulans a Deo exauditus fuit : « non enim, inquit Apostolus *Hebr.* XII, 17, invenit pœnitentiæ locum, quamvis cum lacrymis inquisisset eam. » Similiter Antiochus rex, cum sæpius a Deo de sua superbia admonitus, non audiret I *Mach.* IX, 6, « et nullo modo a sua malitia cessaret : » hanc quoque justam pœnam meruit impius surdaster, ut in extremis angustiis magnis Deum clamoribus deprecatus minime audiretur, juxta id quod de ipso scribitur *ibid.* vers. 13 : « Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus. »

Dei contemptores meritо non exaudiuntur a Deo.

Vers. 13. Deus non indifferentes omnes ad se clamantes

13. NON ERGO FRUSTRA AUDIET DEUS, ET OMNIPOTENS CAUSAS SINGULORUM INTUEBITUR. — Non itaque Deus quoslibet indifferenter exaudiet quomodocumque clamantes, sed illos tantum qui propter humilitatem et fidem suam, ex qua procedit eorum oratio, merentur exaudiri : rationem adhuc magis aperit et amplificat, et docet, non sine causa Deum quorumdam preces non admittere, sed potius illos hiantes relinquere et miserabiliter clamantes, quia videlicet in illis nulla invenit merita, quæ ipsius misericordiam sollicitent et flectant. Et licet alii aliter sentiant, quia hic auctores varie dissentiunt, ego tamen cum Sanctio consequenter superiora hæc ad miseros et oppressos pertinere arbitror ; qualis tunc erat Jobus, qui cum clamaret urgentibus malis, clausas tamen videbatur Dei aures habere aut inexorabilem animum, quia, ut cogitabat Eliu, frustra clamabat, qui cum Deo sibi nullam inierat gratiam, beneficiorum memor atque laudator, sed potius oratione blasphema atque impia illius animum procul avertisset. Ait igitur Eliu Deum singulorum causas diligenter expendere, neque ignorare quid quisque faciat cogitetve : quare si hunc audit benigneque complectitur, illum vero deserit, et in suo squalore tabescere permittit, non esse sine causa : illum enim pium et humilem esse novit, hunc vero impium, superbum et totius humanitatis expertem. Quare licet aliquando sero, quia patienter exspectat, ut meliorem amplectatur vivendi formam ; punit tamen aliquando, et a sua misericordia prorsus excludit : ita Sanctius noster. Quæ videtur satis ad textum et mentem Eliu accommodata sententia : alias omitto, quia variæ sunt, nec omnino solutæ, et ego longus esse nolo. Hic solum observa, negationem prioris hemistichii repetendam esse in posteriori, quod apud Hebræos usitatum est, in hunc sensum, *q. d.* Non ergo Deus sine causa a miserorum precibus aures, et non sine causa ab illorum miseriis oculos avertit, ab humanis scilicet membris phrasi Scripturæ usitata divinas potentias denominando. Tunc autem Deus similis est non audienti, quando is qui orat indignus est audiri ; vel quod humilitate, fiducia cæterisque ad bonam orationem requisitis careat ; vel quod adhuc peccator sit, qui necdum cogitet de pœnitentia, tunc vero oculos avertit, cum incommodis afficit, et iratus esse videtur ; translatione ab hominibus petita, qui nolunt eum intueri erga quem gravi animo sunt : sic e contra *respicere* dicitur Deus, cum favet, et malis medetur. Qua etiam phrasi auctores profani utuntur : « nam nisi quis nos Deus respexerit, » scribit Attico Tullius, id est, subsidio fuerit. Avertitur porro a nobis in hac vita Deus, ut magis nos alliciat, quemadmodum etiam insanus amator, cum quem amat despiciens derelinquit, haudquaquam ipsum ex animo ejiciens, sed eum converti volens. Unde sequitur:

exaudit.

Aurium et oculorum aversio est signum iræ et offensionis.

Vers. 14.

14. ETIAM CUM DIXERIS : NON CONSIDERAT : JUDICARE CORAM ILLO, ET EXSPECTA EUM. — Sibi persuaserat Eliu Jobum de providentia Dei non recte opinari : quocirca monet illum non ex iis quæ oculis carneis patent censeat sed mentem altius attollat, sciatque Deum omnia pervidere, et tyrannorum insolentiam et inopum anxietatem in-

futuris comparatæ.

tueri ; non tamen confestim innoxios eripere, noxios plectere ; neque vero frustra videre, sive audire, cum tempora discreverit, sinens *Apoc.* XXII, 11, ut « qui in sordibus est, sordescat adhuc : et qui justus est, justificetur adhuc : » ea nempe ratione graves peccatores ad necem, insontes ad palmam festinare. Quod si igitur a miseriis suis liberari velit, a verbis blasphemis abstineat, qualia sunt illa : « Deus nostra non considerat ; » sed potius (inquit), « judicare coram illo, » id est interprete Psalmita *Psalm.* XXXVI, 5 : « Revela Domino viam tuam ; » introspice in te ipsum, in mentem, in voluntatem, in affectiones tuas, in flexus et mæandros cordis, et sublato velamento arcana pectoris tui expande. Vel, ut Hebræi legunt, *revolve super Dominum indigentiam tuam*, et in eum conjice : « et spera in eo (non in re alia ulla), et ipse faciet, » id est, spem tuam ad lætum exitium finemque perducet. Si quæ te premit, inquit, difficultas in vita ; si quod onus incumbit, quod ferre nequeas, Deum adi piorum opitulatorem ; pondus illud tuum cumulumque molestiarum in eum devolve ; cum illo jugum excipe, cujus onus ille valentior totum feret : adjunge te illi per conscientiæ puritatem et similitudinem morum divinorum, et viam tuam atque vitam in eum volve', sive, ut loquitur S. Petrus, I *Epist.* V, 7, projice in eum sollicitudinem tuam et beatæ vitæ curam. Quid vero inde consequetur ? regius Vates ita pergit exponere : « Spera in eo, et ipse faciet : » si piis votis et obsecrationibus illi omnia tua commendes, « ipse faciet ; » fidelissime tibi aderit, successum rerum dabit exspectatione omni tua feliciorem : tu tantummodo « exspecta eum, » et, ut idem David alio loco *Psalm.* XXVI, 14 monet, « viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. » Ad quem locum S. Augustinus eleganter quærit, et respondet quæsito : « Sed quando istud erit ? arduum est mortali, tardum est amanti ; sed audi non fallacem vocem dicentis : *Sustine Dominum*, tolera ustionem renum viriliter et ustionem cordis fortiter : non tibi negatum putes, quod nondum accipis, » etc. : expressius in eumdem locum S. Hieronymus sic commentatur : « Exspecta primum, ut contra certamina mundi a Deo conforteris : exspecta deinceps, ut victor ab eodem Domino coroneris. » Quid trepidas quid diffidis pavidissime mortalium ? ut enim Deus votorum nos compotes faciat, curas nostras spe et patientia in eum conjicere oportet : quisquis huic consilio parebit, ex horribili, quo se frustra passim omnes fatigant, labyrintho emerget, quia ubi negotia nostra Deus regenda susceperit, nunquam deerit felix successus.

Omnes necessitates nostræ Deo revelandæ, ut nos juvet.

Deus exspectandus et viriliter sustinendus.

Vers. 15.

15. NUNC ENIM NON INFERT FUROREM SUUM, NEC ULCISCITUR SCELUS VALDE. — Non dicit Deum in hac vita *non inferre pœnam*, sed *non inferre furorem* seu acerbissimam pœnam ; neque dicit absolute *non ulcisci*, sed *non ulcisci valde*, ut severior ultio in futuram vitam reservetur, quod fortasse significare voluit divus Gregorius lib. XXVI *Moral.* cap. XVII, dum ait « inconversis mentibus æterni jam judicii sententiam propinari : » nam verbum *propinandi* significat poculum porrigere, non ut exhauriatur, sed ut prægustetur, *q. d.* Mali in hac vita solum prælibant divinæ iræ calicem, ut eum totum usque ad fæces exhauriant in futura. Supplicia enim, quibus peccatores in hac vita plectuntur, si vel gravitate vel diuturnitate comparentur cum suppliciis, quæ post hanc vitam peccatores manent, levissima profecto sunt, et tanquam nihili : ira quoque, quam in peccatores Deus in hac vita exerit, parva est, et mollis admodum ac levis, præ illa quæ erit futura post hanc vitam contra peccatores. Hoc ipsum discipulos suos docere voluit Dominus cum dixit eis *Luc.* XII, 4 : « Dico vobis amicis meis : Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant : ostendam autem vobis quem timeatis : timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam : ita dico vobis, hunc timete. » Atque ad hanc rem melius animo et intelligentia concipiendam gradus veluti quosdam ponit, quibus liceat mentem attollere ad formidanda judicia divinitatis pervidenda et ponderosam illius manum metuendam : « Ne terreamini, inquit, ab his qui occidunt corpus. » Quid igitur ? neminem moveat tyrannorum immanium furor, qui expromunt omne genus crudelitatis ad miserorum hominum vitam excruciandam ? Nonne videmus quosdam generosos et animi constantia præditos, cum equulei, fides, scorpiones, cum ardentes laminæ, cum diræ belluæ, rotæ, cruces, cum unci ferrei lampadesque cum tunica molesta proponerentur, homines se professos expalluisse metu, atque in sævo illo apparatu animo cohorruisse ? Sed « ne terreamini, inquit Christus, ab his qui occidunt corpus : » nam ille furor immanium dynastarum hujus vitæ finibus circumscribitur, et possunt quidem exquisito supplicio corpus anima spoliare, sed animam ipsam post migrationem ab hac luce attingere non possunt ; ille ille vere formidandus est, qui non modo corpus, sed animam quoque ipsam perdere in gehennam potest. Non vult Christus ita naturam nos exuere omnem, ut eorum, quæ in vita formidabilia sunt, nullo sensu commoveamur, sed docere quæ dura et aspera in hoc vitæ cursu eveniunt nihili facienda videri, præ illis quæ post mortem sceleratis mentibus a Deo inferuntur ; quæ quanta sint, nullius hominis cogitatio consequi potest. Non igitur homines, sed unum illum esse metuendum, qui corpus hominum cum arbitrio suo laceraverit, potest quoque animam ipsam inexplicabilibus tormentis pœnisque afficere. Hos igitur poni gradus a magistro humani generis Christo aiebam, ut timorem concipiamus ; ut cum illius sanctissimo effato constet, quæ formidamus in hac vita nihil esse, com-

Præ omnibus timendus, qui potest animam perdere in gehennam.

Parvæ sunt pœnæ hujus vitæ cum

http://www.obrascatolicas.com

parata cum illis quæ post hoc vitæ curriculum eveniunt, justissimas illius leges violare timeamus, et iracundiam provocare, qui in omnem partem immaniter cruciatos in gehenna perdere potest. Tu rotam atque ignem brevi periturum nec tangentem animam exhorreas, non reformides æternam mortem, et Cocytum luctu et lamentis in horribilem modum redundantem?

Calamitates hujus vitæ solam pictæ sunt respectu futurarum.

Hoc idem pii vates singulari verborum gravitate more suo expresserunt, hominesque monuerunt, ævi hujus omnes calamitates a Deo illatas picta esse infortunia, post hanc vitam mera supplicia; in hoc sæculo impiorum hominum pœnam esse misericordiam, in altero justitiam : itaque hujus temporis acerbitates quamlibet sævæ, et omni genere cruciatuum horribiles, quas Numen ad vindicandum scelus adhibet, in divinis litteris *stillæ* dicuntur. Habet enim formidandus ille mundi Judex in manu sua calicem furoris, e quo stillat in hac vita, guttatimque spargit, in sequente totum effundit : ita Josias II *Paral.* XXXIV, 21 : « Magnus, inquit, furor Domini stillavit super nos, » eo quod non custodierint patres nostri verba Domini; » et Daniel pari modo cap. IX, 11 : « Stillavit, inquit, super nos maledictio, et detestatio quæ scripta est in libro Moysi. » Acerbissimas illas intelligit exsecrationes et horribiles clades, quas legis promulgator Moyses iis imprecatur, qui divinum jus violaverint : quarum solum auditione cum tinniant aures, et animi intelligentium toti exhorrescant, eas tamen Dei afflatu Daniel *stillas* vocat. Quid igitur tum erit futurum, cum potentissimus mundi arbiter non stillabit, sed diluvium iræ suæ in capita scelerata effundet? quam effusionem incredibiliter obstupefactus mirabatur Nahum cap. I, 6 : « Indignatio, inquit, ejus effusa est ut ignis; » non ut ille pentapolitanus, quo Sodoma et vicinæ urbes haustæ sunt, verum omni cogitatione acerbior; unde addit : « Et petræ dissolutæ sunt ab eo, » ubi dictio hebræa צור *tsur* non *petram* quamlibet significat, sed *fortissimam* et robustissimam *cautem*, silicem durissimum; quæ tamen iracundiæ divinæ ardore tabescunt et solvuntur, ut intelligamus vindicem Deum incredibili modo sæviturum. His autem an gravius quidquam dici potest? aut si nihil obduratos hæc homines movent, ad judicia Numinis iramque metuendam quæ deinceps graviora excogitabuntur? Sapienter divus Hieronymus *in Nah.* cap. I, prophetæ verba sic expendit : « Si stilla indignationis ejus consumit principatus, quid fieret, si tota in nos Dei ira funderetur? Præstet Jesus ut auferatur a nobis cor lapideum. » O votum illius hominis sanctimonia dignum! Quis mihi det ut alta e specula exclamem, sic ut omnes mortales exaudiant : Timete Dominum omnes, non sancti modo, sed multo magis scelere cooperti, a dæmonio illusi, vecordes, ingrati : exhorrescite divina judicia, rubensque fulmen, et vibrantem jam manum, in funestum exitium armatam : ne thesauros iracundiæ Dei contemnite, ne commovete stillantem calicem, priusquam perditos oceanus furoris obruat, et exundet ignis : ne angustam Numinis voluntatem inanissimis mundi ludibriis, avaritiæ, libidini posthabete : verum pio timore abjecti et reverentes, Domino gloriæ et majestatis meritum cultum honoremque deferte. Sed quid ago? cur obtrudo verba mea, cum liceat ore sacro divinæ Sapientiæ loqui *Luc.* XII, 5 : « Timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam : ita dico vobis, hunc timete. »

Furor Domini in hac vita solum stillat, in altera effunditur.

16. ERGO JOB FRUSTRA APERIT OS SUUM, ET ABSQUE SCIENTIA VERBA MULTIPLICAT. — Ex jam dictis concludit Eliu et infert verba Jobi fuisse nihil aliud quam vacuos et sine mente sonos, in quibus nihil esset, quod scientiam oleret aut sanam mentem; dicitur autem os suum *aperuisse frustra*, aut quia nihil dixit, quod viri probent prudentes et pii; aut quia, dum petit a tot rerum et corporis incommodis liberari, assequatur nihil : quia lingua petulanti atque impia divinam in se inflammavit iram, neque illam oratione supplice et morum mutatione placare studet. Imputavit autem Eliu Jobo superbiam, blasphemiam, divinæ providentiæ reprehensionem. Quod si verum foret, profecto verba, quibus ea temeraria asserta protulisset, et vana, et stulta et impia censeri deberent. At error in Eliu interpretamentis inest, quæ correctione indigent; recta quidem multa enuntiavit Eliu, sed non recte; vera quoque multa, sed falso afflicta Jobo; multa etiam sincere, sed importune protulit, Jobus quippe ex sapientiæ, pietatis, integritatis capitibus neque recte, neque pie, neque juste accusari, redargui vel sperni potuit : ita Pineda, Sanctius, et alii.

Vers. 16. Eliu male Jobum redarguit insipientiæ et impietatis.

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eliu æquitatem divini judicii tuetur, qui percutit, ut erudiat; loquitur, ut ad se redeant; redeuntes a flagellis liberat. Hortatur itaque Jobum ut se ex animo convertat ad Deum, utpote quem suis sceleribus, ac nominatim injustis pro tribunali sententiis, provocarit ad tantam iram; resipiscenti autem cuncta prospera pollicetur.

1. Addens quoque Eliu, hæc locutus est : 2. Sustine me paululum, et indicabo tibi : adhuc enim habeo quod pro Deo loquar. 3. Repetam scientiam meam a principio, et operatorem meum probabo justum. 4. Vere enim absque mendacio sermones mei, et perfecta scientia probabitur tibi. 5. Deus potentes non abjicit, cum et ipse sit potens. 6. Sed non salvat impios, et judicium pauperibus tribuit. 7. Non auferet a justo oculos suos, et reges in solio collocat in perpetuum, et illi eriguntur. 8. Et si fuerint in catenis, et vinciantur funibus paupertatis : 9. Indicabit eis opera eorum, et scelera eorum, quia violenti fuerunt. 10. Revelabit quoque aurem eorum, ut corripiat : et loquetur, ut revertantur ab iniquitate. 11. Si audierint et observaverint, complebunt dies suos in bono, et annos suos in gloria : 12. Si autem non audierint, transibunt per gladium, et consumentur in stultitia. 13. Simulatores et callidi provocant iram Dei, neque clamabunt cum vincti fuerint. 14. Morietur in tempestate anima eorum, et vita eorum inter effeminatos. 15. Eripiet de angustia sua pauperem, et revelabit in tribulatione aurem ejus. 16. Igitur salvabit te de ore angusto latissime, et non habente fundamentum subter se : requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine. 17. Causa tua quasi impii judicata est, causam judiciumque recipies. 18. Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas : nec multitudo donorum inclinet te. 19. Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, et omnes robustos fortitudine. 20. Ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis. 21. Cave ne declines ad iniquitatem : hanc enim cœpisti sequi post miseriam. 22. Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus. 23. Quis poterit scrutari vias ejus? aut quis potest ei dicere : Operatus es iniquitatem? 24. Memento quod ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri. 25. Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul. 26. Ecce, Deus magnus vincens scientiam nostram : numerus annorum ejus inæstimabilis. 27. Qui aufert stillas pluviæ, et effundit imbres ad instar gurgitum. 28. Qui de nubibus fluunt, quæ prætexumt cuncta desuper. 29. Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, 30. et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet. 31. Per hæc enim judicat populos, et dat escas multis mortalibus. 32. In manibus abscondit lucem, et præcipit ei ut rursus adveniat. 33. Annuntiat de ea amico suo, quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere.

Vers. 1, 2, 3 et 4. Eliu captat iterum benevolentiam, et renovat attentionem.

1-4. ADDENS QUOQUE ELIU HÆC LOCUTUS EST : SUSTINE ME PAULULUM, ET INDICABO TIBI : ADHUC ENIM HABEO QUOD PRO DEO LOQUAR. REPETAM SCIENTIAM MEAM A PRINCIPIO, ET OPERATOREM MEUM PROBABO JUSTUM. VERE ENIM ABSQUE MENDACIO SERMONES MEI, ET PERFECTA SCIENTIA PROBABITUR TIBI. — Captata rhetorum more benevolentia atque attentione inchoatam disputationem prosequitur Eliu promittens non longe se progressurum esse dicendo; et eo præsertim orationem incumbere, ut Dei causam pro virium suarum facultate tueatur; cujus nomen Jobus audaci, ut ipse putabat, lingua violaverat : Repetam, inquit, quod pridem mecum meditatus sum, quodque esse volui meæ philosophiæ primum maximumque principium : nempe in factore meo nullam inveniri posse injustitiæ labem. Neque quidquam, o Jobe, affingam veritati, neque tu, ut opinor, scientiam meam

http://www.obrascatolicas.com

Quale sit ingenium arrogantium oratorum.

et ejus fundamentum improbabis : ita Sanctius. Observat autem hoc loco S. Gregorius lib. XXVI *Moral.* cap. XVIII, in Eliu arrogantium hominum ingenium, qui in sua sibi sapientia placent; et « grave se damnum perpeti judicant, si scientiam suam loquendi brevitate constringant : tanto enim semetipsos credunt doctiores ostendere, quanto se potuerint multiplicitate loquacitatis aperire, » etc.

Vers. 5 et 6.

5 et 6. DEUS POTENTES NON ABJICIT, CUM ET IPSE SIT POTENS : SED NON SALVAT IMPIOS, ET JUDICIUM PAUPERIBUS TRIBUIT. — Ducit orationis initium a Dei potentia atque justitia, bonumque a malo discernit; et primum hoc statuit, non ideo homines a Deo contemni atque abjici, quod potentes sint : quia aliter Deus eodem seipsum judicio damnaret, cum et ipse sit potens, sed in hominibus potentibus impietatem et violentiam puniri : a cujus indignatione neque alieni sunt pauperes, nisi manus aut animum a scelere contineant. Si enim potentes humiles sint, si spiritu pauperes, si quamvis dignitate ac potestate fulgeant, in sua tamen sint existimatione pusilli, Deus non abominatur eos, non despicit illos, imo diligit, in magno pretio habet, eisque libentissime opem defert; at impios, id est superbos, de sua potestate præsumentes non salvat, sed extremo supplicio plectendos reservat. Merito vero Deus potentes humiles diligit, quoniam eos similes Filio suo, potentiæ et humilitatis plenissimo, reperit : merito eos diligit, quia rara et vix inventa amabilia sunt; et rarum est, potentem, et in dignitate sublimi positum, humilem invenire. Quam mirabile id sit docet in hunc modum S. Gregorius lib. XXVI *Moral.* cap. XIX : « Mirum valde est, cum in cordibus sublimium regnat humilitas morum; unde pensandum est, quia potentes quique, cum humiliter sapiunt, culmen extraneæ et quasi longe positæ virtutis attingunt; et recte hac virtute Dominum quantocius placant, quia illud ei sacrificium humiliter offerunt, quod potentes invenire vix possunt, » etc.

Non ideo homines a Deo abjici quia potentes, sed quia mali sunt.

Potentes humiles Deo grati et accepti.

Humilitas nos coram Deo magnos et potentes facit.

Si itaque divites et potentes ob humilitatem grati Deo sunt, certe eorum thesauri ipsorumque potentia non tam in divitiis atque potentia quam in humilitate consistit, quæ illis apud summum omnium rerum Conditorem gratia peperit et familiaritatem. Ergo quicumque humiles, licet secundum leges hujus sæculi pauperes sint et abjecti, magni revera et potentes existimandi sunt; quorum sola vita et sancta conversatio Deo nobiles et divites et potentes commendat. Et vere ita est : quis enim humiles non magnos et potentes judicet? siquidem mente excelsa et altis cogitationibus et desideriis præditi sunt : equidem judico magnos non tam metiendos esse divitiis aut temporali potestate, quam magnanimitate et studiis præcelsis ac desiderio virtutis; humiles autem in tanta modestia, in tanta rerum temporalium parcitate mirum est quanta magnanimitate polleant, et ad quam ardua et sublimia contendant. Magnum est, quæ magnates hujus sæculi magna existimant, parva æstimare, et ut vilia ac nullius pretii contemnere; sed hæc contemnunt humiles, qui honores et dignitates hujus temporis prorsus indignas judicant, in quibus amor nostræ mentis collocetur. Magnum est vultum potentum non vereri, minas eorum et indignationem non timere, et quidquid possunt facere pro nihilo ducere : id faciunt humiles, quia cum nihil a potentibus exspectent, et Deum protectorem sentiant, illos qui solum possunt occidere corpus, non timent. Magnum est intimam Dei amicitiam percupere, et ad imitationem angelorum aspirare : id aggrediuntur humiles, qui ob id temporalia aspernantur, ut æterna et cœlestia percipiant; sunt ergo illi magni, qui dum magnitudinem creatam rejiciunt, quodam modo magnitudine increata vestiuntur, et vere divinas proprietates participant. Tales ergo « Deus potentes non abjicit, cum et ipse sit potens. » Quid enim in causa est, cur homo mortalis proximo suo nocere studeat, nisi invidia et æmulatio, qua alii in alios laborant; præterea etiam timor, quia timentes sic secum cogitant : ille poterit mihi nocere, quantum ille promotus fuerit, tantum mihi decedet. Quia igitur tanta imbecillitas est in hominibus mortalibus, semper timent ne proximi nimis attollantur, et illos qui in auctoritate et dignitate sunt constituti imminutos cupiunt; sed hæc in Deo locum non habent, qui nimis magnus est, ut nobis invideat : neque enim ipsi damnum inferre, aut ejus honorem imminuere poterimus, cum valde magni erimus; unde etiam non est quod timeat, ut nos dejectos velit.

Quæ sit causa, quod homines invicem deprimant et abjiciant.

SED NON SALVAT IMPIOS. — Septuaginta ex Hebræo vertunt, ἀσεβῆ οὐ μὴ ζωοποίησει, *impium non vivificabit*, id est, vivere sinet, in vita conservabit, quod noster dixit *salvat* : nam salvat qui a morte vindicat. Quidam huc accommodant illud Sapientis *Prov.* X, 27 : « Anni impiorum breviabuntur : » contra pietas producit vitam; quæ, ut Paulus ait, « ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ. » Pios autem hic vocat *pauperes*, quibus Deus « judicium tribuit, » id est, singulariter prospicit; juxta illud Psalmistæ *Psalm.* X, 5 : « Oculi ejus in pauperem respiciunt; » quæ oculorum divinorum in pauperem respectio singularem quamdam benignissimi Numinis erga egenum curam et accuratam omnino providentiam declarat, qua ipsum quodammodo in oculis suis ferre videatur. Hinc ubicumque est pauper, subito respicit et accurrit clementissimus Deus, illumque amplexus dulcissime suaviatur, in sinu condit, in visceribus reponit, præsidium illi est, illum tuetur, et ea quidem humanitate, ut justorum aliorum invidiam quodammodo sollicitare posse videatur. De hoc inexplicabili amore Dei erga pauperes multa in divinis litteris sunt admirabilia, et cum omnes quidem justos complecta-

Deus pauperum singularem curam gerit.

tur, pauperum tamen velut bonus et amabilis tutor proprie esse videtur. Verum illud mirabile quod sequitur : *Et judicium pauperibus tribuit*, quibus verbis prædicit fore, ut in extremo judicio pauperes jus dicant, et aliorum judices statuantur; quod multis de causis faciendum scribit Gregorius lib. XXVII *Moral.* cap. XXVII, in primis, quia rerum indigentia plurima infert mala, et omnes fere difficultates, quas homines patiuntur, ex paupertate oriuntur : nam sicut divitiæ omni voluptatum generi fomenta ministrant, non aliter paupertas omnes ærumnas et calamitates secum adfert. Jure igitur cæteris omnibus præferuntur, qui plus reliquis perpessi sunt; tum etiam pauperes ad tribunal evehit, quia paupertas omnia vitia ex animo pellit, atque adeo pauperes vix habent crimina in illo judicio eluenda : nam sicut rerum copia temporalium vitiis omnibus fomenta suppeditat, ita paupertas omnium virtutum est nutrimentum. Quamobrem pauperes non tam judicandi quam judices aderunt in extremo judicio, quod intelligendum de iis qui propter Christum evangelicam amplexi sunt paupertatem, apostolos æmulati, quorum propterea prærogativis jure merito gaudent.

Et eos aliorum judices constituit.

Vers. 7, 8 et 9.

7-9. NON AUFERET A JUSTO OCULOS SUOS, ET REGES IN SOLIO COLLOCAT IN PERPETUUM, ET ILLI ERIGUNTUR. ET SI FUERINT IN CATENIS, ET VINCIANTUR FUNIBUS PAUPERTATIS : INDICABIT EIS OPERA EORUM ET SCELERA EORUM, QUIA VIOLENTI FUERUNT. — Sententia his versibus comprehensa perspicua est; illud vero est omnium suavissimum : *Non aufert a justo oculos suos*, quasi Deus voluptatem capiat ex justorum aspectu; quo spectat etiam illud Davidis *Psalm.* XXXIII, 16 : « Oculi Domini super justos : » felices plane qui divinitatis inspectionem merentur, quibus protegendis et conservandis tota invigilat Dei providentia : « aspectus enim, inquit Salvianus lib. II *De Provid.*, divinitatis propitiæ munus est conservationis humanæ. » Oculos ergo Dei ad servandos suos cultores intentos esse dicens, de præsenti ejus auxilio certos reddit, modo sub ejus providentia quieti maneant : itaque ne justi impiorum se libidini expositos esse putent, speciali quadam providentiæ ratione eos a Deo respici declarat. Quamobrem etiam Dominus Davidi intelligentiam et directionem ac favorem suum liberaliter addicens, emphatice : « Firmabo, inquit *Psalm.* XXXI, 8, super te oculos meos, » *q. d.* Non auferam oculos meos a te, quia tu assidue levas oculos tuos ad me. Haud otiosus est iste Dei respectus, sed sui nobis imprimit imaginem, et in se transformat : omnes enim id a Dei oculis habemus, ut ad Deum tendamus, et eum aspiciamus in omni opere, et in imaginem Dei transformemur, juxta illud Pauli II *Corinth.* III, 18 : « Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritu : » quid est *a claritate in claritatem?* S. Anselmus exponit, *ab una clara visione in aliam* : itaque quæ nos transformant in Dei imaginem, quæ nos faciunt ire in similitudinem Dei, visiones ejusdem Dei sunt. Sed unde habemus tam claros oculos, qui Deum intuentes, nos Deo similes faciant? a speculo, respondet S. Chrysostomus : ut enim in speculo accedentis ad ipsum oculi exprimuntur : nec alionde speculum bonos oculos habet, nisi ex eo qui ad illud accedit : sic nos instar speculi Deum referentes, clarissimis Dei oculis insignimur, quibus Deum videntes, crebra visione in imaginem Dei transformamur : ut speculum scilicet nos Dei faciem Deique oculos excipimus, et inde in nobis oculi excitantur non otiosi, sed qui nos Deo faciant assimilari. Quo spectat illa Dei ad Davidem promissio *Psalm.* XXXI, 8 : « Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris : firmabo super te oculos meos, » nimirum super nos, ut super speculum, Deus oculos suos firmans intellectum dat, hoc est, mentis oculos dat, qui imaginem Dei referant. Ubi enim prius ipse Dominus oculos suos ad animam vertit, illa instar speculi totam recipit Domini venustatem; itaque de pulchra Dei facie in nobis quasi in speculo expressa habemus pulcherrimos illos oculos, quibus in imaginem Dei transformamur.

Oculi Dei pro providentia singulari.

Ex Dei respectu omnis animi venustas.

Anima instar speculi imaginem Dei refert.

Porro justos hac divina regalique nota insignitos, tametsi ignotos ac inopes, ad solium regium a Deo vocari tum ex aliis tum ex Davidis liquet historia; reges tamen regnandi gloria abutentes a Deo exturbari e sacris et profanis notissimum est : sic II *Mach.* XI, 11, Antiochus judicavit se ob crimina peracerbe cædi, ac infeliciter interire, ut pateat ex vulgatissimo exemplo, Deum reges impios pessumdare, indicareque ipsis scelera eorum, quibus violenter innoxios oppresserunt. Porro *funes paupertatis*, vel, ut ex Hebræo aliqui vertunt, *funes ærumnarum*, sunt funes seu vincula afflictionis, quæ scilicet afflictionem afferunt, graviter vexant, premunt, adstringunt. Quod si igitur pauperes ipsi egestate premantur, neque ab illa minus quam a ferreis vinculis constringantur; si tamen illi tyrannorum ingenium et mores imitati violenti fuerint, et aliis cooperti flagitiis, non levius quam tyranni ac reges punientur. Ut enim Deus non abjicit potentes, quia potentes sunt, sed quia inflati opibus, et abusi potentia tenuiores opprimunt, et a Dei observantia impudenter recedunt : sic etiam non favet pauperibus, quia pauperes sunt, sed quia humiles, modesti, addicti Dei voluntati, et qui in eo spem locarunt suam : nam si illi crudeles fuerint, raptores, violenti, non alio illos loco Deus habebit quam potentes, et qui tyrannicos spiritus imbiberunt. Hoc autem modo Jobum in paupertate ac dolore, cum clamat assidue, a Deo tamen exaudiri negat, quia regios adhuc alit spiritus, neque adhuc tyrannicum exuit ingenium. Ubi observandus dicendi modus, quo pauperum significatur aut ferinus animus, qui

Deus justos et humiles amat, superbos et impios abominatur.

Deus non favet pauperibus quia pauperes, sed quia modesti et humiles sunt.

Pauperes in sum-

http://www.obrascatolicas.com

mis etiam angustiis deficit Deus si inflato sint animo.

ad aliorum diripienda bona aut etiam cædem anhelat; aut præceps alius et immoderatus affectus, qui tamen non erumpit in opus, quia a paupertatis incommodis impeditur. Sicut multi tamdiu furorem a vindicta cohibent, manus a rapina, lascivos motus a damnata venere, quia clausi tenentur in custodia, neque manus a manicis, neque pedes a vinculis expeditos habent: sic quos paupertas impedit, neque quidquam ad vim et cædem facultatis concedit, licet manus habeant inermes, animos tamen habent armatos et spirantes iram, quam explere non possunt. Hos itaque pauperes judicat Deus, et punit severe, non secus ac tyrannos, quia tyrannico sunt animo, etiamsi manus habeant innocentes. Dixit hoc perquam optime Seneca *Epist.* 42, cujus ista sunt verba: « Multorum, quia imbecilli sunt, latent vitia, non minus ausura, cum illis vires suæ placuerint, quam illa quæ jam felicitas aperuit: instrumenta illis explicandæ nequitiæ desunt. Sic tuto serpens etiam pestifera tractatur dum riget frigore: non desunt tunc illi venena, sed torpent. Multorum crudelitas, et ambitio, et luxuria, ne paria pessimis audeat, fortunæ favore deficitur: eadem velle eos cognosces, da posse quantum volunt. »

Multi in humili fortuna tyrannicos habent et superbos spiritus.

Vers. 10, 11 et 12.

10-12. REVELABIT QUOQUE AURIEM EORUM, UT CORRIPIAT: ET LOQUETUR, UT REVERTANTUR AB INIQUITATE. SI AUDIERINT ET OBSERVAVERINT, COMPLEBUNT DIES SUOS IN BONO ET ANNOS SUOS IN GLORIA: SI AUTEM NON AUDIERINT, TRANSIBUNT PER GLADIUM, ET CONSUMENTUR IN STULTITIA. — Pingit hic Eliu officium divinæ bonitatis, quæ impios inspirationibus instruit, illuminat, emollit, terret, allicit, ut si recte agant, præmium, sin obdurescant, pœnam reportent. Damna etiam et incommoda afferendo loquitur Deus, et suam voluntatem declarat, ut cap. XXXIII pluribus exposuit ipse Eliu; iisdemque viis revelat aurem, id est, facit ut eum audiant, et ejus jussis obsecundent: suppliciis enim Deus purgat et recludit aures, ad quas cum vitiis tum perversa doctrina obstructus erat aditus veræ disciplinæ. Cujus rei multa in libro Judicum exempla exstant, quo sæpe narrantur filii Israel abducti, a Deo miseriis et ærumnis fuisse revocati. Quare subdit: *Si audierint et observaverint*, id est, si pœnis affecti, gravissimoque malorum æstu jactati resipuerint, et ad meliorem frugem redierint, audientes et observantes præcepta Dei, præsertim illud, ut pœniteat eos scelerum suorum; « complebunt dies suos in bono, » etc., id est miseriis levabuntur, et tranquillam vitam agent, ac multis gloriæ ornamentis augebuntur. *Si autem non audierint, transibunt per gladium*, id est, si homines iniqui suppliciis a Deo pœnisque mulctati non resipuerint, extremam Dei experientur vindictam, hanc enim *gladium* appellat, quo iniquos homines æterna morte absumet: sic *Apoc.* I, 16, Joannes narrat se vidisse filium hominis cum gladio ex utraque parte acuto ex ore ejus procedente: *falcem* etiam sive gladium Zacharias cap. V, 2, vidit volantem, quem

Deus inspirationibus et castigationibus nos admonet.

venturum ait ad domum furis, et ad domum jurantis in nomine Dei mendaciter: quo gladio Deus populi sui scelera se ulturum minatur dicens *Isai.* I, 20: « Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos. » Recte autem addit: *Et consumentur in stultitia*: nulla enim major stultitia, quam Deum totius scientiæ et sapientiæ fontem, atque adeo tanquam patrem animadvertentem non audire, sed ejus consilia et officii præcepta negligere. Quamobrem scelerati homines, licet sapientes nonnullis quidam illorum videantur, *stulti* non raro in Scripturis appellantur. In Hebræo ad verbum est, *peribunt, eo quod non scientiam*, subaudi *habeant*, sicut dicebat Oseas juxta textum hebraicum cap. IV, 6: *Periit populus meus, eo quod non habuerit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te;* ut autem intelligantur Græci liberiori paraphrasi nonnunquam usi fuisse, ita hunc versum, licet in eamdem sententiam, reddiderunt, ἀσεβεῖς δὲ οὐ διασώζει, παρὰ τὸ μὴ βούλεσθαι αὐτοὺς εἰδέναι τὸν Κύριον, καὶ διότι νουθετούμενοι ἀνήκουσι ἦσαν, *impios vero non facit salvos, eo quod noluerunt scire Dominum, et quia admoniti obedire recusarunt.*

Maxima stultitia, non velle audire Deum.

13. SIMULATORES ET CALLIDI PROVOCANT IRAM DEI, NEQUE CLAMABUNT CUM VINCTI FUERINT. — Quidam ex Hebræo ita vertunt, *hypocritæ falsi cordis iram coacervabunt*, nomen enim חנף *chaneph* Vulgatus fere semper *hypocritas* transferre solet, quamvis hoc loco *simulatores* transferat, quia *hypocritæ* nomen simulatorem significat. « Apte autem cum simulatores dixisset, inquit S. Gregorius lib. XXVI *Moral.* cap. XXVIII, addidit *et callidi*: quia callide procedit quicumque simulator est, unum tenens, et alterum ostendens. » Quod et D. Augustinus observavit lib. V *De Civit.* cap. XIX, de iis autem non dicit quod mereantur iram Dei, sed quod *provocent*, ut *ibid.* S. Gregorius observat: quia non tantum iram Dei sicutcæteri peccatores promerentur, sed eam urgent, et excitant contra seipsos. Septuaginta juxta Hebræum vertunt τάξουσι θυμὸν *ordinabunt furorem*, quod græci patres ita intelligunt; simulatores ipsos contra se ordinare divinum furorem, Dei fulmen in caput suum evocare, dictare quodammodo sibi futurum exitium, æterno furori esse obnoxios, omnem denique Dei furorem contra seipsos dirigere et ordinare, eo modo quo per oppositum sponsa dixit *Cant.* II, 4 sponsum suam in ea ordinasse charitatem, id est totum suum amorem, ita ut illam totius amoris sui fecerit quasi terminum. Pagninus vertit, *ponunt furorem super se*, id est, firmiter statuunt, et disponunt eo modo quo dux dicitur ponere fortitudinem exercitus super aliquam civitatem; et Deus ad Ezechielem constituit *Ezech.* IV, 2, ut « poneret arietes (id est instrumenta quatiendi) in gyro Jerusalem; » Regia legunt, *ponent nasum*, id est vehementem iram, quam Scriptura per *nasum* solet significare, quo fortiter spiramus quando forti ira succensi sumus.

Vers. 13. Simulatores Dei iram provocant.

Hypocrisis quid.

Huc etiam pertinet ea quæ proprie in Evangelio dicitur hypocrisis, quod est genus quoddam simulationis et vitium, quo quis fictis et ascititiis operibus callido artificio usurpatis, ad sanctimoniam in hominum luce oculisque ponendam, famam sibi et nominis existimationem aucupatur: res clara est in divinis evangelistarum commentariis, gravissimis a Christo verbis damnata, ut cui toties væ magnum et formidandum imprecatur. Cumque acerbum, durum, inusitatum et sceleratis hominibus repositum vellet Christus supplicium exponere, dixit *Matth.* XXIV, 51, « ponere partem illius cum hypocritis, » quasi hypocritæ Dei fulmen, quantum quantum est, et gravem manum experturi sint aliquando vindicem illius simulationis. Quod etiam pii prophetæ haud obscure denuntiaverunt: David mœrens, et eorum hominum exitio conturbatus, suam ad lyram id canebat *Psalm.* LII, 6: « Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent, » quos S. Cyrillus interpretatur ὑποκριτὰς, *hypocritas*, bonitatis et virtutum simulatores, ut hominibus placeant. Horum omnium ossa, id est robur vimque Deus extenuabit, fictas et fucatas virtutes in ventum nihilumque disperget, quarum pretium fuit inanitas, gloriolæ captatio, vani fumus honoris. Apud Sophoniam cap. I, 8 quoque istiusmodi minas intentat: « Visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrina, » ubi *visitare* e sacri sermonis usu est punire, severitatem expromere; per *vestem* autem *peregrinam* Rupertus intelligit hypocrisin, quasi filis simulationis opere plumario et levissimo contextam, et velut latum clavum in humeros impositam ad decorem futilemque pompam. Hoc inane paludamentum mendacio illusum visitabit excutietque Deus, exuretque in theatro mundi atque in luce omnium populorum et vulpeculas illas ex involucris simulationum eductas ad sempiternam hominum contumeliam exponet: ita Cresollius *Anthol.* cap. X, sect. 4. Hi itaque qui sanctitatem simulant, et honestatis fucata specie turpitudinem celant, furorem in se divinum acuunt; neque dum diris urgentur incommodis utiliter clamant, quia non bene cum hypocrisi convenit supplex oratio; quandoquidem conscientia, quæ diu Deum repulit, ægre possit ingruente procella cœleste auxilium fideuter implorare: anteactæ nimirum turpis vitæ memoria animum enervat, quemadmodum justitiæ cultæ recordatio roborat. Qualis porro plerumque sit simulatorum exitus subjungit:

Hypocritæ non possunt fideuter orare Deum.

Vers. 14.

14. MORIETUR IN TEMPESTATE ANIMA EORUM, ET VITA EORUM INTER EFFEMINATOS. — Hypocritis et simulatoribus, inter quos Jobum censet, mortem immaturam et infelicem denuntiat, qualis solet in tempestate aut subita ruina contingere; et vitam ignobilem ac sordidam, qualis esse solet hominum effeminatorum et cynædorum, qui infamia publica notantur. Dicitur autem *in tempestate mori*, cui vis aut alia quævis causa gravis et turbida vitam adimit, neque illum pacate naturæ vis mitior aut necessitas exstinguit; quod opponitur morti pacificæ, qua videlicet homo in Scriptura dicitur *in pace mori*: sic III *Reg.* II, 9 præcepit David Salomoni filio, ne canos Joab, quem expertus fuerat infidelem, ad sepulcrum deduceret pacifice. Quo loco Sanctius noster docet pacifice seu in pace mori illos, qui non vi extrinsecus allata perierunt, sed aut senio confecti, aut morbo consumpti, ita ut non tam homo a ferro aut hominum injuria, aut subita ruina, aut tempestate, quam a natura ipsa mortali videatur exstinctus. Hoc nempe significatur *in tempestate*, quæ plerumque repente ingruit, et securum hominem ante suum tempus abripit et perimit, ut in naufragio experiuntur quotidie qui absorbentur a fluctibus, et quos vibrata e nubibus fulmina conficiunt. *Mori* itaque *in tempestate* idem est, quod immaturam mortem oppetere, id quod Septuaginta expresserunt dum vertunt ἐν νεότητι, *in juventute*: quod item alii fere omnes ex Hebræo transtulerunt, licet non eodem sensu: nam quidam in juventute ætatem considerant immaturam et infirmam, et hoc communiter; alii stuporem et ignorantiam, ut expresse reddidit Tigurina, *morietur anima eorum per juvenilem stoliditatem*. Ubi forte insinuatur mors effeminatorum aut immatura ob veneris intemperantiam; aut stolida et veluti brutalis sine contritionis sensu ac pœnitentiæ fructu, sine Dei vitæque æternæ recordatione, sine cura propriæ salutis, ac si tempestas, venti, maria, naufragia omne rationis judicium absorberent. Nihil certe verius, quam quod tempestas quædam sit ipsa juventus, in qua tam crebra, tam fœda naufragia. Proh quam multis in adolescentia ingruit vitiorum colluvies, qua submersæ pereunt in sempiternum animæ infelicium! « Vitiosos, inquit ad hunc locum D. Hieronymus, et vitia esse noverimus, quæ sicut de virtutibus animi nihil in se habent quietum, virile et frugi, sed totum turbulentum, remissum ac fragile: ita necesse est, ut velut tempestate animam semper suis illecebris inquietent, portumque virtutum hominem non sinant apprehendere: et fit istis talibus fluctibus quod Salomon ait, ut jaceat anima tanquam in corde maris, et velut gubernator in magna tempestate. » Sic ille.

Hypocritæ habent mortem infelicem et vitam ignobilem.

Quis dicatur *in tempestate* et quis *in pace* mori.

Multi adolescentiæ naufragio pereunt.

15. ERIPIET DE ANGUSTIA SUA PAUPEREM, ET REVELABIT IN TRIBULATIONE AUREM EJUS. — Longe aliter, inquit, accidet his, qui ut pauperes sunt, sic etiam ad suum statum consentanee vitam agunt piam atque humilem, longe a tyrannorum et hypocritarum ambitione diversam: hos enim benigne alloquetur Deus, et a malis urgentibus eripiet, licet omni penitus auxilio esse orbati videantur, ut in se expertus dicebat David *Psalm.* XXXIII, 7: « Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum: et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum. » Quod autem Vulgatus ibi vertit *salvavit*, in Hebræo est יחלץ *iechalets*, id est *eruet*, liberabit, quod verbum etiam hoc loco ponitur; sed illud per

Vers. 15. Deus pauperum liberator.

http://www.obrascatolicas.com

metathesim litterarum Græci vel legisse vel intellexisse videntur ילהץ *ielahets*, id est *opprimet*, aut *affliget* : nam ita vertunt hunc versum, ἀνθ' ὧν ἐθλίψαν ἀσθενῆ καὶ ἀδύνατον, *eo quod afflixerunt infirmum et imbecillum*. Et est apta sententia contextui, ut sit alterius causæ redditio, cur tam cito iniqui viri, ut vers. super. dixit, animam agent, similis ejus, quam Sophar posuit dicens cap. XX, 18 : « Luet quæ fecit omnia, etc. Quoniam confringens nudavit pauperes, » etc. Quod autem subdit : *et revelabit in tribulatione aurem ejus*, S. Gregorius lib. XXVI *Moral.* cap. XXIII sic exponit : « *Aurem in tribulatione revelare*, est auditum cordis verberum plagis aperire; » viris igitur bonis calamitates non solum nullo detrimento erunt, sed etiam commodum maximum hoc ex eis reportabunt, quod illis ad pietatem informabuntur; et divinæ doctrinæ peritiores fient, id enim significat *aurem ejus revelare*, id est docebit eum. Dici enim non potest, quanta quamque divina prudentia eum augeant calamitates, qui patienter eas et æquo animo tolerat, Dei fretus præsidio : hunc fructum se ex illis suscepisse maximum intelligebat David dicens *Psalm.* CXVIII, 71 : « Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. » Septuaginta hoc hemistichium ita vertunt, κρῖμα δὲ πραέων ἐκθήσει, *judicium vero mansuetorum exponet*, tunc scilicet, cum morte mulctabuntur impii, ut vers. super. dixerat, quemadmodum dicebat David *Psalm.* CXXXIX, 12 : « Virum injustum mala capient in interitu. Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis et vindictam pauperum. » Itaque auris eorum Græcis fuit judicium eorum, quoniam nullus antea judex eos audiebat, ut æquum judicium redderet, et ab indigna improborum oppressione liberaret : quam tunc omnes iniquam fuisse intelligent, cum improbos debitas pœnas persolvere viderint.

Vir patiens ex calamitate magnam haurit prudentiam.

Vers. 16. 16. IGITUR SALVABIT TE DE ORE ANGUSTO LATISSIME, ET NON HABENTE FUNDAMENTUM SUBTER SE : REQUIES AUTEM MENSÆ TUÆ ERIT PLENA PINGUEDINE. — Oratio parænetica est, qua Eliu Jobum ad pœnitentiam hortatur, spondetque fore, ut Deus eripiat eum de ore angusto, hoc est de calamitate, quæ similis est puteis foveisque os angustum habentibus; quibus si semel homo absorbeatur, non superest spes emergendi. Qua metaphora usus est David dicens *Psalm.* LXVIII, 17 : « Non absorbeat me profundum : neque urgeat super me puteus os suum; » in eaque re Deus amicis suis quam eximius patronus sit luculenter declarat, cum in summa rerum desperatione summam salutem affert, quam significat *latissime* dicens, id est latissime salvabit, ex magna rerum angustia in amplissimam vindicans latitudinem, ut dicebat regius Vates *Psalm.* XVII, 19 : « Prævenerunt me in die afflictionis meæ; et factus est Dominus protector meus; et eduxit me in latitudinem; salvum me fecit, quoniam voluit me. » Sed quoniam Hebræum צר *tsar* non solum *angustum*, ut vertit Vulgatus, sed etiam *hostem* et inimicum, qui arctet et affligat, significat, aliter Græci hunc locum verterunt; tum quia quod *salvabit* Vulgatus vertit, hebraice est verbum סוּת *sut*, quod proprie *removere* significat. In eam ergo partem Græci verba hæc acceperunt, ut illis adhuc iniqui hominis scelera exponantur, propter quæ pœnam illam maturæ mortis commeruit, ita vertentes, καὶ προσεπιπάτησέ σε ἐκ στόματος ἰχθροῦ, *et superdecepit te ab ore inimici*, ubi Polychronius et Scholion legunt καὶ πρὸς, ἐπεὶ ἐπάτησέ σε, *et præterea, quoniam decepit te* : putant enim post brevem illam interjectionem de judicio mansuetorum redire ad causas memorandas, cur hypocritæ male pereant, et interpretantur πρὸς, id est πρὸς τούτοις, *ad hæc*. S. Augustinus legit, *et quia decepit te*; est autem hominis iniqui ad omnem malitiam et fraudem versare mentem suam, et dolo malo agere : « Non est in ore eorum veritas : cor eorum vanum est, linguis suis dolose agebant, judica illos Deus, » ait David *Psalm.* V, 10.

Eliu Jobo, si resipiscat, prospera denuntiat.

NON HABENTE FUNDAMENTUM SUBTER SE : — hyperbolica abyssi sive profunditatis, cujus fundum invenire non datur, similitudine gravissimam notat ærumnam, e qua vix subsit spes evadendi; usus quoque David simillima phrasi ait *Psalm.* LXVIII, 2 : « Infixus sum in limo profundi, et non est substantia, » hoc est, nihil firmum substat, quo nitar; quid autem sit infigi in limo profundi, et non invenire *substantiam* seu *fundamentum*, sic exponit Euthymius : « Fœcem, inquit, illam Propheta significare voluit, quæ sub profundo aquæ esse solet. Qui igitur in hujusmodi fœce infixi sunt, *substantiam*, hoc est stabilitatem nullam inveniunt, ipsa nimirum fœce ob cœnosam ac fluxam illam materiam semper magis infra concidente. » Per hunc *limum* sive *fœcem* fluxæ libidinis voluptates adumbrantur, sicut enim qui limo profundi infiguntur, propter fluxam et cœnosam materiam stabilitatem amittunt, et deficit quidquid stabile et firmum illos posset sustentare ne perirent : sic qui fluxis et cœnosis carnis voluptatibus se dedunt, qui turpibus et fœtulentis libidinibus infiguntur, Christi stabile fundamentum a se rejiciunt, et inter instabiles concupiscentias fluitant perituri. Et sane a lascivo homine bonorum omnium stabile fundamentum Christus fugit; solum illi manent aquarum fluctus, hoc est fluxæ voluptates carnis, inter quas naufragio perdendus fluitet. Post malorum autem liberationem Eliu addicit Jobo, si resipiscat, summam bonorum omnium copiam et stabilem ac plenissimam salutem dicens : *Requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine*, id est ad mensam bonis omnibus abundantem sedebis. Id quod aliis verbis probis viris pollicetur David *Psalm.* XXXV, 9 : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ; et torrente voluptatis tuæ potabis eos » (addunt Patres Græci in *Caten.*) *pinguedine vitæ æternæ*, quasi illa Jobi mensa, quæ eucharisticam repræsentabat, ipsius æternitatis

Sicut in limo profundi, sic in carnis voluptatibus nulla consistentia est.

Eliu Jobo resipiscenti promittit omnem felicitatem.

Jobi mensa eucharistica et æternas delicias repræsentat.

deliciis et pinguesceret, et suos convivas impinguaret. Pulchre ad hunc locum S. Gregorius lib. XXVI *Moral.* cap. XXIV : « *Requies*, inquit, *mensæ* est refectio satietatis internæ, quæ pinguedine plena dicitur, quia in æternæ voluptatis delectatione præparatur. » Sequitur :

Vers. 17. 17. CAUSA TUA QUASI IMPII JUDICATA EST; CAUSAM JUDICIUMQUE RECIPIES. — Gravem hæc sententia continet exhortationem comminatione permixtam, cujus sensus est : Deus te ut impium mulctavit, recipies uti egeris; pœnam, si male; præmium, si recte. *Causa* enim et *judicium* pro termino causæ sive discussionis atque judicii, præmio scilicet pœnave ponuntur, *q. d.* Hactenus te quasi magnorum scelerum reum judicavit Deus, et vehementer afflixit, quia convictus es impietatis : sed jam resili si sapis, et evita deinceps peccata ob quæ puniris : nam si in posterum honeste vixeris, non minus tua merita liberali atque paterna manu compensabit : ita Sanctius et Tirinus : varias alias easque diversissimas hujus loci interpretationes vide apud Pinedam. Tropologice S. Gregorius lib. XXVI *Moral.* cap. XXV, hinc docet sanctos quasi impios ab hoc mundo judicari, apud Deum vero justitiæ suæ coronam accipere : « Bonorum, inquit, causa justitia est, quorum causa quasi impii judicatur : quia eorum hic justitia paterno flagello fatigatur, ut ad ampliorem vigiliantiam præceptione non solum mandatorum, sed etiam verberum percussione doceantur; sed causam judiciumque recipiunt : quia ex ea justitia, qua modo vivunt, tunc in culmine judiciariæ potestatis enitescunt, ut tanto tunc potentius cuncta judicent, quanto nunc in eis subtilius cuncta judicantur. » Allegorice hæc Christo conveniunt, cujus causa in passione quasi impii judicata est, cum injuste judicatus fuit ab hominibus, et cum iniquis deputatus est; sed causam judiciumque recipiet, quando in extremo judicio juste judicabit omnes : ita S. Augustinus tract. 19 *in Joan.* : « Forma illa erit Judex, quæ stetit sub judice; illa judicabit, quæ judicata est, » etc.; et *serm.* ult. *De Verb. Dom.* : « Sedebit Judex qui stetit sub judice; damnabit vero reos, qui falso factus est reus, » etc. Item *in Psalm.* XXXVII : « Oportebat ut Christus taceret in passione, non taciturus in judicio : judicandus enim venerat, qui postea judicaturus veniret; et ideo cum magna potestate judicaturus, quia cum magna humilitate judicatus, » etc. : æquum enim erat ut cujus apparuit summa humilitas, appareat summa gloria : idem *in Psalm.* LXXXV : « Videbitur terribilis, qui visus est contemptibilis : demonstrabit potentiam, qui demonstravit patientiam. In cruce patientia erat; in judicio erit potentia, » etc.

Jobi causa ut impii judicata dicitur.

Sancti qui modo judicantur, postea judicabunt.

Christus in passione quasi impius judicatus, postea judicabit ut justus judex.

Vers. 18. 18. NON TE ERGO SUPERET IRA, UT ALIQUEM OPPRIMAS : NEC MULTITUDO DONORUM INCLINET TE, — *q. d.* Si quando vero divina te benevolentia ad priorem fortunam et judicialem potestatem reducat, ne rursus ab illo deturberis, eo tibi diligenter enitendum est, ne ira præceps aut conturbato animo ad judicandum accedas, nec te donorum multitudo a recta judicandi via aliorsum agat : quæ duo sunt monita omni judici cumprimis observatu necessaria. *Primum* autem documentum est, ne quis ira præceps aut conturbato animo ad judicandum accedat : neque enim qui sui impos est de aliorum causa recte judicabit, neque is æquum se præbebit, quem amentem cæca illa animi violentia præcipitat; prope autem est ut innocentes opprimat, si in illos tunc temporis occurrit, quando furore cæcus, æquum ab iniquo discernere non potest. Hoc documentum omni tempore maxime necessarium est illi qui multitudini præest, ne qua in illo immoderatior affectio dominetur; sed præcipue dum alienas judicat causas, et suum cuique jus servare sancte atque legitime debet. Ante omnia autem faciendum est, ne in turbulento illo animi statu pœnas iratus ab illis petat, in quos habet imperium et auctoritatem; ne adminiculante fastidio animi et ardore limitem justi atque æqui prætergrediatur; sinat paulatim exhalare incendium, impetumque illum nimium frangi ac debilitari, quo redeat in se animus, et a gravi jactatione in humanitatis veluti portum succedat. Sic fecisse magnos videmus viros antiquæ memoriæ fama celebratos, qui irati servos suos aut aliis plectendos verberandosque demandarunt, aut nullam pœnam intulerunt. Quo nomine Cicero IV *Tuscul.* et Valerius Maximus lib. IV, cap. I, miris laudibus extollunt celebre illud dictum Archytæ, cum merito exanduisset in servum : « Sumpsissem a te supplicium, nisi tibi iratus essem. » *Alterum* documentum non minus judici necessarium est, ne se muneribus corrumpi patiatur. Quamobrem hoc ipsum prohibens subdit : *Nec multitudo donorum inclinet te*, hoc est, quantiscumque muneribus obruaris, tamen ut palma contra pondus renitere, et nunquam ab æquitate tui muneris te inflecti patiaris. Nec immerito iram cum hac munerum appetentia conjungit : quia ut illa hominem excæcare solet, excæcatumque in vindictam præcipitare; ita et hæc tanta mentem caligine obscurat, ut in prava judicia compellat; hinc illud Syracidis *Eccli.* VIII, 3 : « Multos perdidit aurum et argentum, et usque ad cor regum extendit et convertit. » Ubi tanta auri et argenti vis significatur, ut non solum pauperum animos pertentet et expugnet, sed etiam principum ac regum, qui minus auro indigent, invadat, et, interprete Lyrano, a veritate in falsitatem eorum judicium convertat.

Judex ab ira valde cavere sibi debet.

Iratus nunquam punit.

Munera judices excæcant et incurvant.

Aurum etiam regum animos oppugnat.

Nihil sane est in republica perniciosius quam judices δωροφάγοι, ut Hesiodus appellat, hoc est, *munerum voratores* : patet in primis in filiis Samuelis, qui judicium propter munera pervertentes, et se et rempublicam perdiderunt, de quibus D. Petrus Damianus lib. II *Epist.* 2 : « Filii, inquit, Samuelis nullum aliud crimen habuisse leguntur, nisi quia munera dilexerunt : et quia pa-

Nihil perniciosius quam judices munerum voratores.

http://www.obrascatolicas.com

ternæ munditiæ non sequebantur exemplum, irrecuperabiliter amiserunt plebis Israeliticæ principatum. Et notandum, quia cum de illis Scriptura dicit : *Declinaverunt post avaritiam, acceperunt munera*; protinus intulit : *Perverterunt judicium.* Vicinum quippe est atque contiguum, ut post munus acceptum pervertatur etiam corrupto censore judicium. » Itaque munerum acceptio duo præcipue mala judicis afferre solet, *unum*, ut in judiciis ferendis penitus cæcutiant; *alterum*, ut in peccatis arguendis penitus obmutescant, aut saltem fallaciter adulentur. Utrumque malum olim in lege exprimebatur *Exod.* XXIII, 8 : « Nec accipies, inquit Deus, munera, quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum; » et rursum *Deuter.* XVI, 19 : « Non accipies personam nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum, » ubi vides duas maximas virtutes, sapientiam in judiciis formandis, et justitiam in sententiis ferendis, per munerum largitiones facile corrumpi; unde recte Salomon *Eccli.* XX, 31 : « Xenia, inquit, et dona excæcant oculos judicum, et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum. »

Munera oculos et eos claudunt.

Sapientia et justitia muneribus corrumpuntur.

Quæ posteriora verba difficiliora sunt : Jansenius e Græco legit, *et quasi frænum in ore* : nam sicut equi fræno domantur, et in quam partem sessor voluerit inflectuntur, ita judices muneribus coercentur, et in quam partem voluerint litigantes se abduci patiuntur; at vero Lyranus et Dionysius legunt, *et quasi rana in ore*, et sic interpretantur ex Strabone : nam quemadmodum, inquiunt, datur quoddam genus ranæ, quam Græci vocant καλαμίταν, *calamitam*, quæ in os canis insiliens canem tacentem reddit, et latrandi eripit potestatem, ita plane et munera judices efficiunt mutos et elingues, ne quidquam adversus peccantes eloquantur. Alludere etiam potuerunt ad ranas seriphias ab insula Seripho, ubi ranæ mutæ inveniri dicuntur : quasi hi judices ore muneribus obstructo tanquam ranæ seriphiæ obmutescant; et sicut illæ ranæ monstrosæ sunt, quia præter naturam ad coaxandum quodammodo factam perpetuo silent : ita et hi judices monstri similes habeantur, quia cum dicendo juri vacare debeant, tamen reticendo potius incumbunt. Notandum porro maxime est verbum *inclinet*, alludit enim ad id quod in bilance contingit, ubi si in una statera quid gravius apponatur, eam deprimit, alteram vero sursum elevat : sic et munera judicem inclinant, et deducunt, ut eo propendeat judicio et sententia, quo data inclinant : ab hoc enim verbo dicitur *Prov.* IV, 27 : « Non declines ad dexteram, neque ad sinistram; » et de pravis etiam judicibus dicitur I *Reg.* VIII, 2 : « Declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt judicium. » Opus igitur est recto judici ut cum illis rectis aggregetur, de quibus dicitur *Cant.* I, 3 : « Recti diligunt te, » quod bene explicavit Alanus dicens : Qui non incurvantur, sed diriguntur, æqua etiam libripende, ut pro æquitate, non pro iniquitate appenso munere deprimat elevetve judicis mentem, neque respiciat data, sed probata; non iniquitatem, sed æquitatem; non aliorum munera, sed proprium justitiæ munus et officium.

Munera sunt judicum fræna, quæ eos cogunt obmutescere.

Munera judicem inclinant.

19. DEPONE MAGNITUDINEM TUAM ABSQUE TRIBULATIONE, ET OMNES ROBUSTOS FORTITUDINE. — Monet Jobum, ut si quando pristinæ dignitati restituatur, omnem superbiam a se rejiciat, et elati ànimi fastum sua sponte deponat; antequam novis a Deo afflictionibus vel invitus humilietur, et in ordinem redigatur : altus enim ille et magnis assuetus animus, qui potentiæ alis supra verticem aliorum attollitur, cito plerumque indignans ardorem concipit, et prono cursu humanæ imbecillitatis it sæpe in furias, pœnas petit non ratione definitas, sed impetu animi violenti et crudelitate. Hos igitur motus coercere Jobum jubet, atque in alta potestate constitutum omni animi mansuetudine et humanitate ad inferiores sese accommodare, eosdemque complecti, quos dignitate et insignibus anteiret. Personarum autem cum sit magna dissimilisque varietas, sicut erga morigeros comem, et in supplices facilem ac indulgentem : sic erga robustos sive iniquos aliorum oppressores fortem seu rigidum vult esse atque severum. Unde prudentissimus Jesus Sirach, de officio judicis agens, primas partes tribuit fortitudini dicens *Eccli.* VII, 6 : « Noli quærere fieri judex nisi valeas virtute irrumpere iniquitates : ne forte extimescas faciem potentis. » Ad quem plane modum S. Isidorus Pelusiota lib. III *Epist.* 175, optimi judicis effigiem delineans : « Judicem, inquit, oportet et sagacem et integrum esse, pudoreque ac blanditiis et metu superiorem : nam cuivis horum affectuum succumbat, totam judicii religionem obteret. » Quamobrem alta mente David judices istiusmodi affectibus obnoxios graviter increpans, ex persona Dei judicum supremi judicis sic alloquitur *Psalm.* LXXXI, 2 : « Usquequo judicatis iniquitatem : et facies peccatorum sumitis? » id est quousque iniqua facitis judicia? quousque opulentorum rationem et delectum habetis, iisque indulgetis et favetis? quousque in gratiam potentiorum tenuiores condemnatis, non ad causam et jus, sed ad personas attendentes? reprehendit quippe in judicibus προσωποληψίαν, *personarum acceptionem*, et δωροδοκίαν, id est *munerum acceptationem* : quæ maxime sunt judiciorum corruptelæ. Pulchre autem Heracleota in commentario ad istum Psalmi locum observat, *facies peccatorum* dici pro *divitum* : « Divitiarum enim amatores appellavit *peccatores*, quia omnis qui divitias amat non veretur peccatum, » sic ille sapienter; unde tanquam ex re communiter accidente credo natum diverbium : « Omnis dives aut iniquus, aut iniqui hæres; » et in Evangelio divitiæ *mammona iniquitatis* nuncupantur. Porro ad diligentiam Jobum excitans subdit :

Vers. 19. Judici humilitas et fortitudo commendata sit.

Personarum acceptio maximum in judice vitium.

Vers. 20. Vigilantia principi et judici maxime necessaria.

20. NE PROTRAHAS NOCTEM, UT ASCENDANT POPULI PRO EIS. — Commendat Jobo vigilantiam, vetans ne dormiendo vel comessando noctem protrahat, sed sibimetipsi subditisque invigilet, ne ob ejus in judicando oscitantiam segnitiemque populus facta seditione in ipsum irruat, et ascendat sive insurgat *pro eis*, scilicet *robustis* (quorum versu præcedenti mentionem fecerat) populi oppressoribus, quos non satis fortiter coercuisset ac prohibuisset. Cum enim istiusmodi seditiones ac tumultus populares non sine maximis civitatum ac provinciarum periculis accidant, summopere providendum est principibus eorumque præfectis ac judicibus, ne per suam oscitantiam ac negligentiam hujusmodi malo præbeant occasionem : quamobrem eos non decet integram dormire noctem, uti ex Homero Dio Chrysostomus orat. 1 *De Regn.* sic monet : « Ne somnum quidem per totam noctem capere se debere putet, ut cui nullum sit otium ad socordiam; » imo vero ne vix quidem somnum videre, uti de bono consule aiebat Cicero lib. VII *Epist.* 30 : « Vigilantia mirifica fuit, qui suo toto consulatu somnum non vidit. » Ut vel hinc videant, quam stricta lege teneantur omnes diei partes publicis curis impendere, ne bonas horas male sive inutiliter collocent : nam in primis scire debent id quod Marcellinus Ammianus lib. XXIX, graviter pronuntiavit : « Imperium curam esse salutis alienæ : » quare principes ac judices perspectum habere debent, se sibi minime natos esse, sed sui populi commodo et utilitati. Hic certe communis omnium sensus fuit jam inde ab eo tempore, quo philosophari homines atque in rerum cognitionem incumbere cœperunt; qui communibus tacitisque suffragiis, velut in comitiis universitatis, regium principatum inter marinas belluas Delphino tribuerunt : non quod ille mirabili in natando celeritate feratur, sed quod in eo insignis quædam vigilantia notetur atque celebretur. Delphinum enim rerum naturalium interpretes aiunt, cum in summa se aqua composuerit ad necessarium somnum capiendum, pondere corporis ferri ad imum solum, cujus contactu excitatus iterum ad summum se attollat, tum iterum subsidat reciproco et perenni motu; adeo ut in modico illo somno et toties interrupto plus vigilare quam dormire videatur. Hoc igitur velut commune humani generis edictum est, vigilantiam aut facere reges, aut regum esse maxime propriam, qui res multas atque magnas administrant.

Delphinus symbolum vigilantiæ e curæ subditorum.

Huc spectat perelegans Alciati emblema, quo pingit Delphinum anchoræ implexum cum hac inscriptione : « Princeps subditorum incolumitatem procurans : » quemadmodum enim Delphinus, teste Plinio lib. XVIII, futuram tempestatem præsagiens, ὡς φιλάνθρωπος, *ut hominum amator*, si navem ventis agitatam offenderit, tutius ut figatur, anchoram quasi humano quodam instinctu dirigit : sic princeps quisque suorum maxime studiosus esse debet, potissimum vero sæviente tempestate et impetu belli, vel etiam infortunio quodam alio impendente, ne reipublicæ status perturbari aut etiam detrimentum capere ullo modo possit. Hinc qui amplitudine illa dignitatis ornantur moliri semper aliquid debent et excogitare, quod ad magnam eorum curam pertineat, et in commune bonum redundet. Qualem fuisse lego Magnum Constantinum, de quo Libanius in basilica sua oratione sic ait : « Attentam operibus habebat et manum et mentem, et neque jubare exorto neque nocte adventante posset quis dicere illum cessavisse aut ab utroque aut omnino ab altero. » Cambyses quoque, Xenophonte lib. I *Cyrop.* teste, cum præceptis plenis prudentiæ instrueret Cyrum ad bellum cum exercitu abeuntem, inter alia sic monuit : Μηδέποτε ἀφρονίστως ἔχε, *nunquam esto sine cura* seu *sollicitudine* : consilium sane delphico propyleo dignum, nam rectores populorum atque domini se instar habent capitis in humano corpore, in quo totus vigilantiæ apparatus est, et nervorum fons, principium motionis, unde functiones vivæ ac mirandæ : illorum ergo proprium est agere, illuminare, speculari, sua cuique munera tribuere, vim et motionem impertiri, omnia, ut uno verbo dicam, providere.

Constantini Magni mira diligentia.

Vers. 21. Blasphemia est maximum peccatum

21. CAVE NE DECLINES AD INIQUITATEM : HANC ENIM COEPISTI SEQUI POST MISERIAM. — Blasphemiam Jobo prohibet, quam hoc loco *iniquitatem* vocat ἀντονομαστικῶς, utpote crimen gravissimum et odiosissimum Deo, ut S. Patres animadvertunt, et punientia jura declarant : quamvis enim Deus in cæteris delictis connivere diu soleat, nescio quos tamen ejus furori stimulos addere videtur blasphemia : nec mirum : « nihil enim horribilius blasphemia, inquit S. Hieronymus *in Isai* cap. XVIII, quæ ponit in excelsum os suum : omne quippe peccatum comparatum blasphemiæ levius est. » Hoc autem crimen infandum ait Jobum cœpisse sequi post miseriam : notat enim, ut apparet, Eliu, nunquam ante miseriam locutum esse Jobum verba blasphemiæ; fecisse tamen plurima avare et crudeliter et omnino tyrannice cogitabat, licet sua ipsum cogitatio falleret; sed linguam antea exeruisse blasphemam non putabat, quod nuper significavit cum dixit cap. XXXIV, 37 : « Quia addit super peccata sua blasphemiam, » scilicet ad antiqua peccata novam blasphemiam. Unde patet verba illa, *hanc enim cœpisti sequi post miseriam*, non ita accipienda, quasi Jobus juste prius egisse, at miseria instigante peccasse existimaretur; sed quasi præteritis sceleribus novum illud horrendumque blasphemiæ peccatum apponeret e multis capitibus conflatum, puta ex assertione propriæ justitiæ et reprehensione divinæ providentiæ : ita Sanctius noster et Joannes a Jesu Maria, et ante illos S. Gregorius lib. XXVI *Moral.* cap. XXIX : « Iniquitatem, inquit, post miseriam sequitur, qui post mala, quæ pro correctione sustinet, ferventi corde impatientiæ se facibus inflammat, quod B. Jo-

http://www.obrascatolicas.com

bum perpetrasse Eliu credidit, qui eum inter flagella positum liberis effari vocibus audivit; videlicet nesciens, quia omne quod dixit, non hoc de iniquitate impatientiæ, sed de virtute veritatis protulit : quia ab interni judicis sententia nec cum se justificaret erravit. »

Vers. 22. 22. ECCE DEUS EXCELSUS IN FORTITUDINE SUA, ET NULLUS EI SIMILIS IN LEGISLATORIBUS. — Optarat Jobus examen, et rogarat, cur ita cum Deus judicaret, aliaque id genus : quibus occurrit Eliu, Dei fortitudinem et sapientiam, cui nemo ex legislatoribus parem adeptus esset, proponens, ut Jobus legi divinæ collum subderet, bonique consuleret calamitatem a Deo illatam, quam ex divinæ legis præscripto patienter ferre deberet. Sed quinam erant hi legislatores quibus Deum præfert? quos enim celebravit antiquitas, quosque refert D. Isidorus et ex illo Gratianus in Decreto : Moyses, qui leges dedit Hebræis, rex Phoronæus Græcis, Mercurius Trismegistus Ægyptiis, Solon Atheniensibus, Lycurgus Lacedæmoniis, Numa Pompilius Romanis, etc., omnes sunt posteriores ipso Eliu et Jobo. Legislatores certe illo tempore erant tyranni, qui potentia et viribus prævalebant, qui cæteros per vim sibi subjugabant, subjectosque tenebant : hi leges imponebant secundum suæ tyrannidis affectum, qui propterea præcipiebant id quod durum, asperum, importabile ac sæpe erat impossibile; Deus autem cum illis omnibus sit potentior, non tamen leges suæ potentiæ commensuratas imponit, sed quæ congruant potentiæ ac facultati eorum, quibus legem imponit. Hoc sensu potest intelligi id quod ad litteram ex Christi persona dixit Isaias, postquam a Patre missum tanquam lapidem angularem exhibet *Isai.* XXVIII, 17 : « Et ponam in pondere judicium : » in Hebræo est verbum שכל *sakal*, quod proprie est *librare in statera* aut bilance; eo modo quo dicitur Deus *ibid.* cap. XL, 12, *librare in pondere montes* et *colles in statera*, q. d. In bilance stateræ librabo et ponderabo judicium. *Judicii* nomine sæpe in Scriptura sacra intelligitur lex, quæ nihil aliud est quam judicium quoddam rationis aut mentis legislatoris, quod tanquam sententia firma in subditos profertur : ita David *Psalm.* XVIII, 10 : « Judicia, inquit, Domini vera justificata in semetipsa; » et iterum *Psalm.* CXVIII, 62 : « Super judicia justificationis tuæ. » Et Deus ipse conqueritur *Ezech.* X, 13 : « Quoniam judicia mea projecerunt; » et *Jerem.* VIII, 7 : « Populus meus non cognovit judicium Domini. » Hoc judicium tradit quasi librando in statera : ita enim fert legem suam evangelicam Christus, ut libret ac ponderet vires et facultates hominis, cui legem tradere paral, ut non sit majoris ponderis lex quam sit virtus propria, vel emendicata humeri illius cui est imponenda. Pharisæos arguit Christus Dominus *Matth.* XXIII, 1, quoniam « alligant, inquit, onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, » quia ea præcipiebant quæ vires excedebant humeri subditorum; Deus autem legem daturus ponderat prius quasi in una bilance vires hominis, ut lex in alia bilance posita non sit majoris ponderis quam ille portare aut sustinere possit.

Qui sint primi legislatores.

Deus leges suas viribus hominum attemperat

Hæc omnia mire complexus est diligens ille divinæ legis scrutator dicens *Psalm.* CX, 8 : « Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate et æquitate, » ubi expendit S. Basilius illud signum universale *omnia* : non sunt mandata ejus talia, ut unum sit justum et conveniens, alterum injustum et disconveniens : *omnia mandata ejus fidelia*, id est firma, summa firmitudine stabilita; quæ propterea nulla contraria consuetudine abrogari possunt. Et merito, quia omnia facta sunt « in veritate et æquitate, » in *veritate* quidem, quia recta sunt, utpote summæ veritati intellectus divini conformia, ideoque, inquit S. Basilius, nihil obliqui, nihil tortuosi, nihil obscuri, sicut humanæ leges continent; in *æquitate* vero, quia omnia ad nostram commoditatem sunt instituta; aut in *æquitate*, quia secundum æquitatem constituta sunt, ideoque possibilia, non enim æquum esset, ut dominus sub gravi pœna præciperet servo id quod illi esset omnino impossibile. De illis ipse David ait *Psalm.* CXVIII, 172 : « Omnia mandata tua æquitas; » Pagninus ex Hebræo vertit *justitia*. Talia ergo sunt ejus mandata, ut in se sint recta, et in ordine ad nos possibilia et convenientia : justitia namque est, quæ æqualitatem facit et attendit, quare si inæqualia essent viribus nostris Dei favore adjutis, utique injusta essent, quod de mandatis divinis dici non potest, cum sint omnia in veritate et æquitate.

Mandata Dei fidelia facta in veritate et æquitate.

Præceptum quidem dilectionis inimici quibusdam visum est impossibile, quia videtur contra naturalem cujusque inclinationem, quam nemo potest tollere; aliis, contrarium propriæ conservationi et saluti : nulla enim res conservari potest, si contrariis non resistat et repugnet, ut docuit Aristoteles lib. II *De Cœlo*; aliis oppositum rationi et æquitati, secundum quam sicut justum est diligere diligentem, et benefacere benefacienti, videtur justum odisse odientem, et malefacere malefacienti, id namque est æqualitatem servare. Ita multi gentiles antiquitus sentiebant, imo et quamplurimi, qui se fideles prædicabant, ut ex Marcellino *Epist.* 4 apud Augustinum; Justino martyre *Apolog. contr. Gent.*, S. Hieronymo *in Matth.* cap. V, et aliis Patribus constat. Verumtamen Deus noster, cui, ut dixit Eliu, « nullus ei similis in legislatoribus, » tam sapienter procedit, ut legem istam promulgans et statuens simul rationes efficacissimas tradat, quibus demonstrat illam non impossibilem, nec injustam, nec rationi aut propriæ utilitati contrariam; quin potius possibilem, justam, secundum rationem, propriæque utilitati ac saluti maxime convenientem.

Lex de diligendis inimicis visa gentilibus impossibilis, sed est valde rationabilis, et per Dei gratiam servari commoda potest.

Hinc etiam illam ante Evangelium David divino instinctus spiritu agnovit, et exactissime servavit

quando ab iis, in quos maxima beneficia contulerat, atrocissimis injuriis affectus, et ad mortem quæsitus, non tamen ipsos ultus est, sed etiam benignissime habuit, dicens *Psalm.* VII, 5 : « Si reddidi retribuentibus mihi mala, » etc. Et alibi eamdem sibi ut optimum viæ ducem præfigi postulat cum ait *Psalm.* CXVIII, 33 : « Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper : da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam : et custodiam illam in toto corde meo. » Primo petit legem, quæ sit via ad veram justitiam et æquitatem tenendam : ut enim annotavit B. Ambrosius *in Psalm.* CXVIII, octon. 5, vers. 2, hæc debet esse præcipua hominis cura, quærere legem, secundum quam sine errore viam vitæ teneat, per quam juste vivat, et ad vitam veram tendat, ad quod institutum expendit illam divinam admonitionem *Jerem.* VI, 16 : « Hæc dicit Dominus : State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris; » *stare* autem *super vias* est attentissime considerare quænam via tenenda sit. Et certe nullum negotium gravius se potest homini offerre, quam quod ad rectam viam tenendam pertinet : si enim ab ea aberraverit, irreparabile malum incurrit : propterea huic negotio summa est adhibenda cura magis quam pecuniis, et quibusvis rebus sæculi. Recte ergo Deus clamat : « State super vias; » et quoniam non potest homo a seipso veram viam invenire, hortatur Deus, ut interroget et quærat ab eo qui illam potest docere : « Interrogate de semitis antiquis, » id est securis et certis, quas antiqui patres tenuerunt. David itaque desiderans rectam viam tenere, a Deo postulat ut eam sibi designet et statuat dicens *Psalm.* CXVIII, 33 : « Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum. » Et recte quidem ad Deum ipsum recurrit, *primo*, quia leges imponere proprium est regum et dominorum, qua de causa qui regnant dicuntur *Prov.* VIII, 15, « legum conditores, qui justa decernunt : » dominus est, qui legem imponit servo; rex, qui legem in republica statuit; intelligens ergo David supremam Dei potestatem et absolutum dominium, seque illius servum profitens, legem sibi ab eo imponi postulat. *Secundo*, quoniam intelligebat se a Deo creatum ad æternam beatitudinem, cujus viam solus ille noverat, qui illam tanquam finem instituerat, qui solus sufficienter potest ad eam ordinare. Observant S. Ambrosius et Hilarius in dictum Psalmi locum, Davidem, cum hanc petitionem fecit, memoria tenuisse id quod Deus cum antiquis patribus egit, quibus, quando eos ex Ægypto eduxit, ut in Terram Promissam introduceret, quoniam per desertum erat iter agendum, facileque poterant a recto itinere deviare, columnam illam celebrem nubis et ignis, quæ per diem solis æstum temperaret, et noctu viam ostenderet ambulantibus, et tenebras fugaret, præstitit. Hocque, inquit Ambrosius, est quod David dixit *Psalm.* XCVIII, 7 : « In columna nubis loquebatur ad eos : » per illam enim non minus clare quam si verbis ageret et loqueretur docebat et instruebat, quando, quomodo et per quam partem iter esset agendum.

Lex Dei diligenter quærenda et observanda.

Leges imponere est regum et dominorum.

Lex ergo *viæ*, inquiunt Ambrosius et Hilarius, columna illa dici poterat, quam divina providentia, non humanum arbitrium constituit. Et recte quidem ad Deum pertinebat hanc viæ regulam dare populo, quem ad terram illam, quam nunquam viderat, et cujus viam ignorabat, destinarat. Similiter intelligens David sibi ad æternam patriam proficiscendum, et nimis facile posse hominem a scopo aberrare, si suæ rationis ductum solummodo sequatur, petit a Deo sibi legem statui, quæ sit tanquam via, qua rectum iter teneat, per quam sine errore procedat. Cæterum non tantum petit a Deo, ut legem sibi imponat, sed et postulabat ab eodem intellectum ad eam intelligendam : « Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam : » ut enim demonstrat D. Thomas in I II, *Quæst.* XC, art. 1. Lex est actus intellectus et rationis illius qui illam imponit, et lex divina est actus quidam intellectus divini; ea autem quæ ad intellectum divinum pertinent nemo novit, nisi Deus ipse revelet. Lycurgus, Solon aliique legislatores, quos antiquitas commendavit, cum leges ferebant, earumdem legitimam intelligentiam tradebant : quoniam erant actus intellectus eorum; quos nemo recte poterat capere, nisi ipsimet eosdem explicarent. Multo magis hoc ipsum dicendum est de illo, de quo scriptum est *Psalm.* XXXIII, 26 : « Nullus ei similis in legislatoribus, » cujus cogitationes tam altæ excelsæque sunt, ut dicat David *Psalm.* XXXIX, 6 : « Cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi; » et I *Corinth.* II, 11, si « quæ sunt hominis, ut inquit Apostolus, nemo scit, nisi spiritus hominis qui in ipso est; » multo minus ea quæ Dei sunt cognoscet, nisi spiritus Dei, qui in ipso est, nobis revelet. Id quod Deus ipse demonstrare voluit, quando in monte Sina apparuit Moysi deferens in manu sua legem igneam, splendentem ac fulgidam *Deuter.* XXXIII, 2 : « Dominus, inquit, de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis; apparuit de monte Pharan : in dextera ejus ignea lex; » quem juxta aliquorum sententiam similiter descripsit Habacuc cap. III, 3 : « Deus ab austro venit, et sanctus de monte Pharan, etc. splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus. » In Hebræo est, *cornua a manibus ejus* : describit Deum ferentem legem in manu sua, et eximios splendoris radios ab eadem manu emittentem, quos *cornua* vocat, id est flammas ignis aut radios splendoris; eo modo quo facies splendida Moysis *Exod.* XXXIV, 29 dicitur *cornuta*, quia radii splendoris tanquam pyramides et cornua ab ea procedebant, ut non possent in eam intendere filii Israel. In manu ergo Dei erat lex, et in eadem manu erat lux et claritas : quia sicut lex divina ab ejus manu procedit, ita et lux ad eam intelligen-

Columna nubis et ignis instar legis dirigebat Israelitas in deserto.

Lex est actus intellectus.

Quomodo Deus ipse revelet legem suam.

http://www.obrascatolicas.com

dam; et sicut lex divina non potest ad nos nisi ipso operante et agente pervenire; ita neque possumus legitimam ejus intelligentiam consequi, nisi ab ejus manu et potentia lucis radii ad nos procedant. Sequitur :

Vers. 23 et 24.

23 et 24. QUIS POTERIT SCRUTARI VIAS EJUS? AUT QUIS POTEST EI DICERE : OPERATUS ES INIQUITATEM? MEMENTO QUOD IGNORES OPUS EJUS, DE QUO CECINERUNT VIRI. — Ait neminem posse *vias*, hoc est opera sive actus Dei, perscrutari, vel injustitiæ ipsum incusare, cum sit inscrutabilis et ineffabilis ac natura justissimus : propterea urget Jobum ut recordetur se modici captus esse, ignorareque mira Dei facta, virosque antiquiores non sic egisse, ut opera Dei scrutarentur aut reprehenderent, sed cum animi demissione decantarent. « Ne innitaris prudentiæ tuæ, » monet Salomon *Prov.* III, 5, est enim baculus arundineus, cui si innitaris frangitur, innitentemque vulnerat. Innitamur ergo omnes baculo fortissimo, cui etsi totis viribus incumbamus, minime frangetur; innitamur inquam fidei Deique omnipotentiæ, cujus opera adeo sunt sublimia, ut humana ratione comprehendi non possint. Unde D. Augustinus epist. 3 *ad Volus.* : « Tota, inquit, ratio facti est potentia facientis, » etc., id quod Apostolus quoque non obscure insinuat dicens *Ephes.* III, 20 : « Qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, » etc. Si naturæ opera intelligendo complecti nequimus, qui fieri potest, ut opera illa, quæ naturam vincunt, complectamur? « Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, inquit Ecclesiastes cap. XI, 3 : et qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis; sic nescis opera Dei qui fabricator est omnium. » Ignorat homo corporis sui in utero fabricationem, animum ignorat suum, naturæ arcana mille ignorat, ut S. Augustinus docet lib. XXI *De Civit.*; ignorat artificum mille opera, quæ nisi videret facta, fieri non posse judicaret; persuadeat ergo sibi Deum omnipotentem multa et posse facere et fecisse quæ ipse ignoret, intellectusque acie attingere nequeat. Unde perquam acute ac vere S. Gregorius lib. XXVII *Moral.* cap. I sic infert : « Cujus perscrutari actio non potest, quo pacto reprehendi potest? nemo enim bene judicat quod ignorat. Tanto ergo debemus sub ejus judiciis silendo quiescere, quanto et rationem judiciorum illius nos cernimus non videre : » sic ille. Vide quæ notavimus ad cap. IX, 11.

Opera Dei non curiose scrutanda, sed humiliter credenda sunt.

Vers. 25.

25. OMNES HOMINES VIDENT EUM, UNUSQUISQUE INTUETUR PROCUL. — Probaturus Eliu Deum incognitum esse Jobo, ponit ipsum ab omnibus quidem hominibus naturali lumine videri, hoc est agnosci; procul tamen, hoc est exiliter, tenuiter, qualis est notio rerum longe dissitarum, quas conspectu vel intuitu parum discernimus; et quidem cognitionem hanc asseruit Apostolus aiens *Rom.* I, 20 : « Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas. » At cognitio illa exigua est, ita ut verba *conspiciuntur* et *vident*, quibus Apostolus et Eliu usi sunt, pro *cognoscuntur* et *intelligunt*, et modice id quidem, accipienda sint : nam omnes quidem homines rationis beneficio utentes aliquatenus Deum agnoscere possunt, et cognitione aliqua, saltem tenui et imperfecta, ad eum pertingere, considerantes in creaturis quasi in speculo creatorem; in opere artificem quasi in ænigmate contemplantes; attamen nemo potest illum perfecte sicut in se est cognoscere, quemadmodum ea cognoscimus, quæ e propinquo videmus, nostris oculis proxime objecta; sed cognitione admodum imperfecta, et nimis exigua scientia; quemadmodum ea quæ longe a nobis distant, et quæ a longinquo respicimus, admodum tenuiter et imperfecte cognoscimus. Septuaginta versum hunc ita legunt, πᾶς ἄνθρωπος εἶδεν ἐν ἑαυτῷ ὅσα τιτρωσκόμενοί εἰσι βροτοί, *omnis homo videt in ipso quicumque vulnerati sunt mortales*; cujus sensus est, omnes quidem homines in seipsis vel ex sibi insita vi naturali possunt videre et contemplari Creatorem, a quo vitam et omnia bona recipiunt; maxime autem hoc assequuntur quicumque, vulnerati sunt mortales : ex eo enim quod in se intuentur tot vulnera totque miserias in mortem eos pertrahentes, fortius aperiunt oculos mentis, ut Deum omnium providentissimum liberatorem intueantur. Si pauper es, ipsâ pauperies te excitat ut Deum quæras, cui facile est subito honestare pauperem : si famelicus es, ipsa te fames urget, ut ad Deum tendas, qui dum aperit manum suam *Psalm.* CXLIV, 16, « dat omnibus escam in tempore opportuno, et implet omne animal benedictione : » si infirmus es aut vulneratus, ipsa te vulnera provocant, ut mentem eleves ad Deum, qui I *Reg.* II, 6; percutit et sanat, vulnerat et medetur, « mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit » adeoque immensa est ejus charitas, ut providerit cellaria et apothecas congruis remediis refertas ad corporis animique vulnera curanda.

Deus potest ab homine quidem naturali lumine cognosci, sed perobscure.

Ipsæ miseriæ nostræ nos Deum faciunt agnoscere.

Vers. 26.

26. ECCE DEUS MAGNUS VINCENS SCIENTIAM NOSTRAM : NUMERUS ANNORUM EJUS INÆSTIMABILIS. — Ait nos Deum nullo modo posse comprehendere, quod reliqua sua oratione persequitur, id probans ex mirabilibus ejus operibus, quæ eo pertinent, ut probet cum Deo, ut Job optabat, non esse disputandum, neque rationes consiliorum ejus indagandas. « Quis enim, inquit Apostolus *Rom.* XI, 34, cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? » Subjiciamus ergo summæ veritati intellectum humiliter; mysteria vero divina ne scrutemur superbe. « Mel invenisti, inquit Sapiens *Prov.* XXV, 16, comede quod sufficit tibi : » mella dulcissima sunt divinitatis mysteria, sed quod sufficit comedendum, hoc est, ut exponit interlinearis Glossa, « non plus sapiendum quam oportet sapere. » Dionysius Carthusianus ad eumdem locum : « Si mel, inquit, invenisti, id est, Deum contemplari cœpisti, et Scripturarum dulcedinem aliqualiter degustasti, comede quod sufficit tibi, id est, juxta capacitatem intellectus tui te refice; neque incomprehensibilia comprehendere nitaris. » Item eodem cap. vers. 27 ait Salomon : « Sicut qui mel multum comedit non est ei bonum : sic qui scrutator est majestatis opprimetur a gloria : » opprimitur a majestate et gloria Dei arrogans intellectus, qui illius unitatem arroganter scrutatur, ut is stomachus a melle opprimitur, qui mel multum comedit; et is homo ponderi succumbit, qui pondus vires excedens in humeros tollit. D. Gregorius lib. XIV *Moral.* cap. XIV : « Dulcis, inquit, est requisitio majestatis, sed qui plus hanc scrutari appetit quam humanitatis cognitio permittit, ipsa hunc ejus gloria opprimit : quia velut immoderate sumptum mel perscrutantis sensum dum non capitur rumpit : » sic ille. Quemadmodum qui solis splendorem fixis in eum oculis contemplatur, solis ipsius luce nimia obruitur et excæcatur : sic qui divinitatis radios ardentissimos temere et insolenter intuetur, coruscanti eorum splendore opprimitur : « Altiora te ne quæsieris, inquit Ecclesiastes cap. III, 22, et fortiora te ne scrutatus fueris. » Altius nostro intellectu est mysterium Divinitatis et fortius : non potest parvus intellectus ad altissimum pertingere mysterium; imbecillis mens non potest fortissimum capere arcanum.

Deus nullo modo potest a nobis comprehendi.

Divina mysteria non sunt superbe perscrutanda.

Duplex autem est causa, cur ad tantum mysterium non pertingamus; altera est in nobis, altera in ipso mysterio : in mysterio est infinita altitudo, quæ omnem superat intellectum, juxta illud cap. XXXVI, 26 : « Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram, » id quod David etiam significat dicens *Psalm.* CXXXVIII, 6 : « Mirabilis facta est scientia tua ex me (id est præ me, nam captum meum excedit) : confortata est (id est, fortis facta est) et non potero ad eam » ascendere, non potero ei prævalere. In nobis vero est causa magna imbecillitas, unde D. Gregorius lib. IX *Moral.* cap. XI : « Qui, inquit, in factis Dei rationem non videt, infirmitatem suam considerans, cur non videat rationem videt; » et post pauca *ibid.* subdit : « Nequaquam sufficit sensus carnis, ut secreta penetret majestatis, » etc. Sed heus tu, o Eliu, quid mirum, si magnus Deus suæ majestatis magnitudine humanam scientiam et intelligentiam exsuperet? longe majus prodigium, quod Deus humilis et humiliatus vincat scientiam nostram : multo enim minus admiror, cum Deum nescio, quia se altius elevat, quam quia se humilius abjicit; plus stupeo, cum Deus præ humilitate exinanitus a meis oculis disparet, quam cum præ altitudine suæ majestatis eo subvehitur, quo nec visus nec scientia mea pertingit. Majus denique signum Dei humilis profunditas quam Dei altissimi magnitudo : audiendus hic D. Augustinus lib. IV *De Trinit.* de cognitione nostræ infirmitatis agens : « Scientiam, inquit, terrestrium cœlestiumque rerum magni æstimare solet genus humanum; in quo profecto meliores sunt, qui hujus scientiæ præponunt nosse semetipsos; laudabiliorque est animus, cui nota est vel infirmitas sua, quam qui ea non respecta vias siderum scrutatur etiam cogniturus, aut qui jam cognitas tenet, ignorans ipse qua via ingrediatur ad salutem et firmitatem suam. » Idem argumentum videtur quondam Thaleti factum : is enim, ut est apud Alciatum in *Embl.* 104, cum aliquando stellas inspecturus astrolabium in cœlum intenderet, casu factum ut in foveam incideret; tunc subridens ejusdem Thaletis famula : Heus, inquit, qua ratione cœlum intueberis, qui nec terram potis es intueri? Non sunt ergo superbe perscrutanda altiora mysteria, perscrutanda potius sunt humiliter Dei mandata, ut illa exsequamur, juxta illud *Psalm.* CXVIII, 69 : « In toto corde meo scrutabor mandata tua : » item *ibid.* vers. 33 : « Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo : » quamobrem Sapiens postquam dixit *Eccle.* III, 22 : « Altiora te ne quæsieris, » etc., illico addit : « Sed quæ præcepit tibi Dominus illa cogita semper. » Plura de Dei incomprehensibilitate et incognoscibilitate ejus vide sublimiter apud S. Dionysium Areopagitam lib. *De Div. Nom.* cap. I et *Myst. Theol.* cap. I et IV, et *ibid.* nostras *Annot.*

Non sola Dei majestas, sed ejus etiam humilitas nostram superat scientiam et intelligentiam.

Ipsius cognitio utilior quam Dei curiosa scrutatio.

NUMERUS ANNORUM EJUS INÆSTIMABILIS. — Periphrasis est æternitatis, quæ tempora omnia sine ullo successu complectitur, sed ad captum nostrum per inæstimabilem annorum numerum explicatur : ita D. Gregorius lib. XXVII *Moral.* cap. IV : « Dicere utcumque æternitatem voluit, et ipsam æternitatis longitudinem *annos* vocavit : cum enim brevitatem temporis dilatare volumus, momenta per horas, horas per dies, dies per menses, menses autem per annos extendimus. Quia ergo peramplum quiddam dicere voluit, sed quid diceret latius non invenit; ideo annos sine æstimatione numeri multiplicavit dicens : *Numerus annorum ejus inæstimabilis*, ut dum ea quæ apud se sunt prolixa multiplicat, æternitatis longitudinem se metiri non posse infirmitas humana cognoscat. Tende itaque oculum in æternitatem, ut videas Deum, vel quando est a principio, vel quousque; et nusquam finis superior, quia esse non incipit : nusquam finis inferior, quia esse non desinit : intra ipsum omnia coangustantur, ipse vero circa omnia sine spatio extenditur, sine loco dilatatur, » etc. : sic ille. Huic tam salubri consideration lubet paulo diutius admirando immorari, ut soli Deo æterno vivere et placere consuescamus.

Æternitas per inæstimabilem annorum numerum circumscribitur.

Dei æternitas est sine principio et sine fine.

Æternus Deus dicitur PRIMO, quia infinito intervallo ante omne tempus imaginabile fuit, et infinito intervallo seu infinitis sæculis post omne tempus imaginabile erit. Concipe retro ante mundum conditum tot myriades sæculorum (*sæculum* voco durationem centum annorum) quot

Deus infinito intervallo præcessit omne tempus imaginabile.

http://www.obrascatolicas.com

sunt arenæ in omnibus littoribus; quot guttæ in omnibus aquis; quot folia in omnibus arboribus; quot gramina in omnibus pratis; quot semina in agris; quot pili in omnibus animalibus: et huic incomprehensibili numero adde tot milliones sæculorum, quot pulvisculi sunt necessarii ad implendum totum universum corporeum (de quo fuse noster Clavius in *Sphær.*) adhuc Deus totum illud temporis incomprehensibile spatium, quod nobis videri possit instar cujusdam æternitatis, infinitis sæculis et sæculorum infinitis millionibus antecessit. His adde longe majora: multiplicetur totus iste numerus sæculorum intellectu angelico, ratione quadrata vel cubica, semper ascendendo, quantum per mille annos iste actus repeti potest, adhuc infinito intervallo et infinitis sæculis Deus prior et antiquior deprehendetur. Idem dicendum, etiamsi tot fiant cubicæ multiplicationes ordine recto ascendendo quot arenæ sunt necessariæ ad implendum universum. Nullus numerus annorum vel sæculorum tam ingens a mente creata retrorsum concipi potest, quin tandem desinat in certum terminum, et ante illum terminum supersint infinita sæcula, quibus Deus illum terminum antecesserit. Ob hanc causam vocatur *Dan.* VII, 9, *antiquus dierum*, et *Apoc.* I, 17, *primus ac novissimus* : simili modo concipienda æternitas in futurum. Concipe in futurum tot milliones sæculorum quot modo assignavimus, exactis omnibus illis adhuc restabunt alii milliones sæculorum, et quidem infiniti, quibus Deus cum sanctis suis regnabit, et damnati apud inferos torquebuntur; nec potest ulla mente creata tanta multitudo sæculorum concipi, quin illa exacta et post illam adhuc alia multitudo sæculorum infinita non sit subsecutura. Ubi advertendum est, integram æternitatem, quatenus dicit quamdam durationis extensionem, nostro modo concipiendi quasi duabus constare partibus, etsi in seipsa sit tota simul, et partibus careat; quarum *altera* concipitur ut exsistens complete ante omnia sæcula imaginabilia, quasi semper exacta, hæc soli Deo convenit; nec puto ullam creaturam illius esse capacem, ut bene probat Lessius noster lib. IV *De Perfect.* cap. II. *Altera* concipitur ut exsistens post omnia sæcula imaginabilia, quasi semper futura, ita ut nihil unquam de ea decerpatur quo possit imminui : hæc communicari potest rebus creatis, sic enim et mundus renovatus, et beatitudo sanctorum et tormenta peccatorum æterna erunt.

Deus adhuc erit post quodlibet magnum intervallum temporis imaginabile.

Æternitas quasi duabus partibus constare concipitur.

SECUNDO Deus dicitur *æternus*, non solum quia ante omne tempus conceptibile infinitis sæculis exstitit, et post omne tempus conceptibile exstabit; sed etiam quia omnia bona sua, omnem potentiam, sapientiam, beatitudinem, omnia gaudia et oblectamenta, quæ per infinitum tempus acquirere posset, perfectissime in unum collecta habet, et immutabiliter ex omni æternitate in omnem æternitatem absque omni initio et fine possidet, ita ut nulla ei fieri possit accessio, nulla decessio. Nemo in hac vita potest omnes voluptates, omnes oblectationes et gaudia, quibus toto vitæ decursu fruitur, simul habere collecta, ut simul omnia illa sentiat et percipiat, illisque simul fruatur : imo non posset ea simul perferre, sed moreretur gaudii magnitudine, corde se nimium dilatante, ut constat multis exemplis eorum qui gaudio ex una aliqua re insperata concepto repente expirarunt. At Deus omnia gaudia, et omnem delectationem, quam infinito tempore de infinitis bonis percipere posset, simul et collectim per totam æternitatem possidet; unde triplici ratione gaudium Dei est infinitum, *primo*, quia est de bono infinito, nempe de essentiæ suæ excellentia, idque tanta cum perfectione, ut ei omnino exæquetur; et ulterius est de bonis infinitis, quæ in essentia divina eminenter continentur. *Secundo*, quia simul et conferte habet omne gaudium, quod per infinitum tempus successive percipi potuisset. *Tertio*, quia hoc totum simul possidet non finito aliquo tempore, sed per omnem æternitatem. Sicuti si daretur lux corporalis intensive et extensive infinita, et tota perfectio extensiva contraheretur in punctum; et illa lux sic contracta esset in infinitum diffusa, ubique tota perfecte exsistens : pari modo Deus omnes suas cogitationes, omnia consilia, omnia decreta simul ab æterno immutabiliter concepit et retinet, ita ut nihil novi possit cogitare, nihil novi ei posset occurrere, nihil etiam velle aut decernere, quod ab æterno non cogitarit, voluerit, statuerit, decreverit; nihil permittere fieri in tempore, nisi quod decreverit in æternitate. Semper enim æternum decretum circa omnia et singula debuit præcessisse, sine quo in tempore nihil fieri potest; non quod Deus absolute non possit facere alia quam quæ fecit aut facturus est, absit : potest enim alia et alia sine fine, etsi re ipsa non decreverit facere: fieri tamen non potest, ut re ipsa aliquid faciat, nisi decretum faciendi ab æterno præcesserit. Itaque potest omnia absolute, considerata ipsius potentia et sapientia, et summa libertate ab æterno quidlibet decernendi : non potest omnia ex suppositione, nempe supposito quod decretum non præcesserit : postulat enim ipsius eminentissima æternitas et immutabilis celsitudo, ut omnia quæ fiunt in tempore, et quæ non fiunt, in sua luce infinita tam perfecte consideraverit, expenderit, ponderaverit, atque si infinito tempore de singulis deliberasset et consultasset. Unde facile illa fuit de omnibus et singulis statuere semel et simul quæ infinito post tempore facienda vel permittenda erant : imo id erat necessarium, ne voluntas ejus circa aliqua objecta maneret quasi suspensa, quod est imperfectionis, quare nulla est in eo actuum intellectus aut voluntatis successio. Quod semel cogitat aut videt, semper cogitat et videt; quem semel amat, semper amat, sed pro eo tempore quo

Deus omnes suas cogitationes, consilia, decreta simul ab æterno immutabiliter concepit et retinet.

In Deo quoad actus intellectus et voluntatis nulla est successio.

Gaudium Dei triplici ratione est infinitum.

erat amabilis, nempe pro tempore status gratiæ; quem semel odit, semper odit, non absolute, sed pro tempore quo odio dignus est; pro alio vero tempore, quo amore dignus est, illum amat. Hi actus, qui nostro modo concipiendi in Deo exsistunt ab æterno, non cessant proprie, nec exstinguuntur, neque de novo emergunt vel eliciuntur, sed manent invariabiles respectu sui objecti pro certo tempore, quo objecta in certo statu exsistunt, et pro illo tempore quo in eo statu exsistent vel exstiterunt.

TERTIO Deus dicitur *æternus* tanquam supra æternitatem, et ut causa æternitatis in creaturis : ipse enim suo potentissimo, assiduo et immutabili influxu, quo omnia creat et conservat, est causa cur mundus, angeli et homines in æternum sint permansuri et duraturi una cum statu gloriæ vel damnationis. Denique res omnes suam durationem, ætatis mensuram, spatia vivendi et essendi, tempus nascendi et moriendi, pro sua qualibet conditione ac natura ab ipso acceperunt, uti pulchre docet S. Dionysius lib. *De Div. nom.* cap. X. Vide quoque Lessium lib. IV, de perfectionibus divinis, et Drexelium nostrum in opusculo de æternitate.

Vers. 27 et 28.

27 et 28. QUI AUFERT STILLAS PLUVIÆ, ET EFFUNDIT IMBRES AD INSTAR GURGITUM : QUI DE NUBIBUS FLUUNT, QUÆ PRÆTEXUNT CUNCTA DESUPER. — Postquam de incomprehensibili scientia Dei egit, ad ejus opera transit, proferens exemplum ariditatis et pluviæ, quod in superioribus quoque, præsertim cap. XXVI, 8 et cap. XXVIII, 26 expensum est; cujus perfectam cognitionem hominibus non contingere rationibus multis asseritur; ut ex hoc pateat exactam divinorum operum notitiam a mortalibus minime parari, ac proinde a curiosa eorum discussione abstinendum esse. Eodem argumento usus est Siracides dicens *Eccli.* I, 2 : « Arenam maris, et pluviæ guttas et dies sæculi quis dinumeravit? » etc., probat impossibilem esse divinæ Sapientiæ cognitionem argumento a minore ad majus : si enim res finitas et terminatas certis numeris et mensuris definire nequaquam possumus, qua ratione poterimus brevi circumscriptoque modulo nostri intellectus infinitam atque immensam Dei sapientiam investigare? Tantæ igitur pluviæ nobis innumerabiles sunt, licet finitæ, numerantur autem a Deo solo; unde Septuaginta hunc locum ita vertunt, ἀριθμηταὶ δὲ αὐτῷ σταγόνες ὑετοῦ, *numerabiles autem ei stillæ pluviæ*, ubi S. Chrysostomus scientiam et providentiam notat. Ex quo loco videtur mihi colligi posse, ut pluviæ guttæ scientiam humanam significent, quæ licet haberi possit (humana enim est et finita) non tamen habetur omnis; et hæc etiam quæ non habetur, si cum divina comparetur, non secus erit, ac si pluviæ guttæ cum fluminibus conferantur. Pluviæ nimirum stillæ sunt sapientia nostra : quare Moyses *Deuter.* XXXII, 2 : « Concrescat, inquit, ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina : » en tibi stillæ pluviæ; has tamen aufert Deus : stillæ enim et guttæ humanæ sapientiæ evanescunt, si cum divina quæ ad instar gurgitum fluit, conferantur. *Et effundit imbres ad instar gurgitum*; gurges autem proprie est locus in fluvio profundus, in quo aqua congeritur et circumvolvitur, accipiturque pro ipso aquarum periculo, ut apud Virgilium I *Æneid.* :

Gurges quid sit.

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Quare loci hujus sensus etiam esse potest, *q. d.* homines enavigare gurgitem divinæ Sapientiæ absque naufragii periculo nequaquam posse: nam Deus magnus est, vincens scientiam nostram, atque gurgites sapientiæ illius nos obumbrant; unde subdit : *Qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta desuper*; pro quo S. Augustinus legit, *tenebrescent super homines plurimos*. Sequitur :

Vers. 29 et 30.

29 et 30. SI VOLUERIT EXTENDERE NUBES QUASI TENTORIUM SUUM : ET FULGURARE LUMINE SUO DESUPER, CARDINES QUOQUE MARIS OPERIET. — Vocat autem nubes *tentorium Dei*, quod nube quasi tectus et inclusus apparere soleat, ut narratur *Exod.* XVI, 10 : « Gloria Domini apparuit in nube, » adeo ut regius Vates quasi ovantis nobile spectaculum laude et prædicatione consecutus exclamarit *Psalm.* LXVII, 35 : « Magnificentia ejus in nubibus, » quam magnificentiam ab æterno Patre in veteri lege patefactam tantum abest ut Filius Novo in Testamento imminuisse putandus sit, ut etiam cumularit : nam in sua gloriosissima transfiguratione, ubi eluxit « magnifica gloria, » ut D. Petrus II *Epist.* I, 17, testis oculatus prodidit, pro regifico instructu et splendore eximiæ pompæ grande veluti et blatteum adhibuit conopeum roseæ nubis, non divinitate minus quam argentea luce radiantis. Et cum victor remearet in cœlum domita morte, ereboque spoliato, non leonibus, ut quidam in Capitolium, non elephantis, ut alii, nec ut communis triumphantium mos fuit, insignibus equis in Empyreum est invectus; sed *Act.* I, 9 « nubes suscepit eum; » et, quod subtiliter fuit notatum a S. Chrysostomo, paternum currum deligere voluit jam toties a divinitate usurpatum, ad indicandam augustissimam dignitatem. Inde quoque *Matth.* XXIV, 30, ad decretorium magnum diem et tribunal universitatis cum gloria et majestate in nubibus est venturus, ut Evangelium monet. Non solum autem Deus in signum majestatis extendit nubes quasi tentorium suum, verum etiam ad defensionem et protectionem suorum, quemadmodum in sacro hymno David cecinit *Psalm.* CIV, 39 : « Expandit nubem in protectionem eorum, » vel, ut vertit S. Ambrosius, *ad protegendum eos*, quam nubes Vates purpureus recte nominat *protectionem*; S. Hieronymus vertit ex Hebræo *tentorium*; alii *umbraculum* : paraphrastes Chaldæus, *expandit*, inquit, *tentorium suum in nubibus tanquam velamen*. In libro Sapientiæ cap. X, 17, dici-

Deus in nubibus ostendit gloriam suam.

Nubes est velut currus Dei triumphalis.

Nubes sunt etiam symbolum protectionis Dei.

Cum res finitas capere non possimus, frustra Deum infinitum volumus comprehendere.

Scientia humana pluviæ guttis assimilatur.

http://www.obrascatolicas.com

tur *velamentum dici*, in Græco σκέπη, *operimentum*, præsidium, munimen, et tutela. Et alias vocat εὐδέτημεν ξενιτείαν, *peropportunum et magnificum peregrinationis hospitium*, castris videlicet positis sub aurea nube veluti regio conopeo, intermicantibus leniter radiis ut argenteis bullis gemmeoque fulgore. Addit eamdem ipsam nubem exhibuisse solem ἀδλαβῆ: noster interpres vertit *sine læsura*, hoc est innocuum, non æstu molestum, non caloris magnitudine gravem, non telis diei, ut cum Lucretio dicam, pestem et perniciem adferentem: eadem enim nubes, quæ armatas copias Israelis comitabatur, in modum igneæ columnæ angelorum manu figurata, et prævia dux erat longi et periculosi itineris, ordinesque antecedebat; et super omnem exercitum late intenta erat; quam Salomon ait legiones Hebræorum σκιάσαι, *obumbrasse*; eamdemque annos omnino quadraginta per deserti anfractus ab ardore solis Dei populum defendisse produnt Hebræi. Cum vero cum delectis equitibus Pharao et numerosa militum manu pia castra insequeretur, et Ægyptii crudelitatem anhelarent, nec animos cruoris sitientes alia ratione posse restinguere, nisi omnium internecione viderentur; angelus nubem a castrorum principiis ad extrema deduxit, interque instructas Ægyptiorum copias atque Hebræorum expandit, sic ut hostium non modo vis atque ferum, verum etiam et aspectus arceretur. De qua nube illud Davidis *Psalm.* CIV, 39, intelligendum putat Bellarminus : « Expandit nubem in protectionem eorum : » erat enim ut prætentum vallum, quod Niliacæ furiæ cœlo minantes nulla vi et machinatione frangere potuissent.

Nubes dux et protectio Israelitarum.

Deus extendit nubes dum mittit prædicatores.

Mystice S. Gregorius lib. XXVII *Moral.* cap. VI : « Extendit, inquit, nubes Dominus, dum ministris suis viam prædicationis aperiens, eos in mundi latitudinem circumquaque diffundit. Bene autem dictum est : *Quasi tentorium suum* : tentorium quippe in itinere poni solet; at cum prædicatores sancti in mundum mittuntur, iter Deo faciunt; unde scriptum est *Malach.* III, 1 : *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Et unde rursum per Psalmistam dicitur *Psalm.* LXVII, 5 : *Iter facite ei qui ascendit super occasum* : iter quippe per eos agit, dum humanis cordibus eorum se eloquio infundit. Atque in hoc itinere tentoria Dei sunt hæc eadem corda sanctorum, quibus quasi in via quiescendo tegitur, dum per hæc ad mentes hominum veniens agit quæ disponit, et non videtur. Hinc est quod simul omnis synagoga *tentorium* vocatur, cum cessasse a prædicatione sacerdotes Dominus per Jeremiam queritur dicens *Jerem.* X, 20 : *Non est qui extendat ultra tentorium meum, et erigat pelles meas.* Hinc rursum de exterminatione ejus dicitur *Thren.* II, 6: *Dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum.* Quia enim in unius populi cultu tunc Dominus inter homines latuit, eumdem sibi populum *tentorium* vocavit; unde et recte nunc nubes istæ ejus *tentorium* dicuntur, quia ad nos Deus per gratiam veniens, intra prædicatorum suorum mentes operitur. An Paulus ejus tentorium non erat, cum *Rom.* XV, 19 ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum ad corda mortalium veniens, in ejus mente Dominus quiescebat? nubes quippe erat hominibus, tentorium Deo, quia quem prædicando infundebat audientibus, hunc invisibiliter in mente retinebat. Idem rursus *Act.* XXVIII, 14, dum catenis vinctus Romam peteret Paulus occupaturus mundum, latens in ejus pectore quasi sub tentorio ibat Deus : quia et occultus videri non poterat, et per verba prædicationis proditus iter inchoatæ gratiæ sine cessatione peragebat. » Ita S. Gregorius. Ecce quomodo Paulus non solum per naturam, sed etiam ex vinculorum colligatione infirmus, tamen præsente Deo, ac in ejus pectore quasi sub domestico tentorio degente, ibat Romam, inde velut a capite debellaturus mundum. Notanda vero ratio præsentiæ Dei, « quia iter, inquit, inchoatæ gratiæ sine cessatione peragebat : » mirum enim videri poterat, quomodo colligatus homo in ipso cursu prædicationis non præpediebatur vinculis? et tamen ratio admirationem tollit, quia scilicet in ejus pectore tanquam sub tentorio ibat Deus, non solum interiora confirmans, sed etiam exteriora complanans, atque adeo, quasi nihil obstaret iter prædicationis, sine cessatione peragebat.

Sancti viri sunt tentoria Dei.

Prædicatores sunt auditoribus nubes, et tentorium Deo.

Pectus Pauli ejus tentorium Christi.

Paulus vinculis non præpediebatur in itinere prædicationis, et cur.

Huc spectare videtur doctum Isaiæ emblema, qui cum vellet apostolicos viros quodam symbolo exprimere, nubes volantes oratione sua pinxit, atque in bono, ut aiunt, lumine collocavit : cumque illorum videret promptum et paratum animum ad Dei nutum et voluntatem, ut non minus quam beati spiritus ferre alas videantur; cum piæ mentis admirandam magnitudinem, cum eximiæ vim charitatis sese late ad omnium bonum et salutem effundentis, cum beneficam voluntatem, quam labor nullus atque defatigatio retardare queat in tuendis hominum animis, et promovendis ad felicitatem, illius tantæ tamque excellentis virtutis specie obstupefactus rogat *Isai.* LX, 8: « Qui sunt isti, qui ut nubes volant? » quales tandem illi sunt? homines dicam, an heroes de numero cœlestium geniorum, qui non tantum una contenti civitate atque provincia sacro impetu volatuque feruntur, ut per omnes mundi plagas aureum doctrinæ imbrem et sanctimoniæ fluenta spargant, sese totos cum Apostolo impendant et superimpendant, inflammato omnes studio et æquante cœlos charitate juvent? S. Ambrosius lib. I *Offic.* locum hunc Prophetæ de volatu ad cœlestia interpretatur : et Platonis etiam theologiam quidam adferunt de animæ vi atque natura, quæ cum exuit perturbationes adversus dominam rationem incitatas, et cœpit cum virtutibus habere commercium, producit, inquit ille academiæ princeps, ex sese pennas, quibus

Viri apostolici *nubes volantes* appellati, et cur.

Pennæ animi et volatus ad cœlestia.

in cœlum tollitur, inhiatque divinis rebus. Et certe ob eamdem ipsam rationem D. Thomas *in Hebr.* viros sanctos appellari *nubes* in divinis monumentis ait. Sed idem Plato in *Phæd.* Deo optimo maximo πτηνὸν ἅρμα, *currum volucrem* attribuit, cum a divinis litteris id fuisset mutuatus, ut vult Justinus martyr in *Paræn.* et opinor ejus late patentem et in omnes partes fusam providentiam voluit innuere : « attingit enim, ut ait Salomon *Sap.* VIII, 1, a fine usque ad finem, » mirumque in modum semper immotus in perpetuo veluti cursu est et volatu, ut bene de omni hominum genere mereatur. Ad cujus se exemplum accommodantes viri apostolici, magno quodam sinu amoris totius mundi regiones complexi, evolare ad omnes gestiunt, atque animas, si fieri posset, omnes secum in cœlum evehere. Sic Theodoretus *in Cant.* monet, Isaiam longe ante prospicientem sanctos apostolos, tanquam aligeros quosdam universum orbem terrarum pervolantes, magna voce clamasse : « Qui sunt isti, qui ut nubes volant? » Talis fuit D. Paulus omni laude superior, cujus ardor immensæ charitatis unius Judææ finibus contineri non potuit, sed cupidus omnium salutis et felicitatis, ut nubes volans adit Corinthum, in Peloponnesum, in Macedoniam; irrigat Asiæ urbes atque Europæ; lustrat Hispaniam; insulis quoque per Ægæum mare sparsis Evangelii lucem impertitur; in Italiam cataplum cœlestium bonorum inducit; pluit undique aureum imbrem religionis et sanctitatis. O mirificam nubem! quam sol magnus ad mortalium bonum alte sustulit, et uberius illuminavit, atque, ut sequitur, fecit eam « fulgurare lumine suo desuper, » id est miraculis coruscare. « Quid enim sentire fulgura, inquit S. Gregorius *ibid.* cap. IV, nisi miracula debemus? de quibus per Psalmistam dicitur *Psalm.* XVII, 15 : *Fulgura multiplicabis, et conturbabis eos.* Per has ergo nubes lumine suo desuper fulgurat, quia per prædicatores sanctos insensibilitatis nostræ tenebras etiam miraculis illustrat. Cumque nubes istæ verbis pluunt, cumque miraculis vim coruscæ lucis aperiunt, extremos etiam mundi terminos in divino amore convertunt. Unde recte subditur : *Cardines quoque maris operiet* : omnipotens enim Deus coruscantibus nubibus cardines maris operuit, quia emicantibus prædicatorum miraculis ad fidem etiam terminos mundi perduxit. Ecce enim pene cunctarum jam gentium corda penetravit : ecce in una fide orientis limitem occidentisque conjunxit. »

Currus Dei volans est providentia.

S. Paulus nubes volans per orbem universum.

Fulgura sunt miracula prædicatorum.

Vers. 31. 31. PER HÆC ENIM JUDICAT POPULOS, ET DAT ESCAS MULTIS MORTALIBUS, — id est, per nubes et pluvias, per fulgura et tonitrua et similia mille Deus hominibus calamitates adfert et commoditates, sontibus supplicia et insontium meritis mercedem rependens : notum enim est pluviis e nubibus effusis aliquando quidem homines puniri; non raro vero etiam recreari et ali, et ex iisdem nunc copiam nunc inopiam exsistere. Hujus rei varia Deus documenta præbuit, primum, cum *Gen.* VII, 8, ruptis cœli cataractis Noetico sæculo mundum delevit, et deinde *Exod.* IX, 24, Ægyptios grandine afflixit; de cœlo quoque *Jud.* IV, 15, contra Sisaram dimicatum esse dicitur; quin et tonante cœlo perterriti atque fugati fuerunt Palæstini, ita ut quædam arma Dei in nubibus dicantur esse reposita, de quibus vide *infr.* cap. XXXVIII, 22. Vicissim etiam per nubes Deus hominibus alimenta præbet, dum ex illis opportunos effundit imbres, et exhilarata herbarum viriditate terra, hominum etiam animos confirmat et exhilarat : ita Sanctius. Mystice S. Gregorius lib. XXVI *Moral.* cap. VI : « Per hæc, inquit, nimirum verba prædicatorum, id est guttas nubium, per hæc fulgura miraculorum Deus populos judicat, quia eorum corda territa ad pœnitentiam vocat : nam dum superna audiunt, dum mira opera attendunt, mox ad corda sua redeunt, et se de anteactis pravitatibus affligentes æterna tormenta pertimescunt. Sed per easdem nubes, per quas terror infligitur, etiam esca datur, quia magna prædicatorum dispensatio est, ut sic sciant superbientium mentes affligere, ut etiam afflictas noverint consolationis eloquio nutrire; quatenus et peccantes de æternis suppliciis terreant, et pœnitentes de superni regni gaudiis pascant, » etc.

Deus pluviis et tempestatibus malos punit, et bonos alit.

Verba prædicatorum malos terrent, et bonos solantur.

Vers. 32. et 33. 32 et 33. IN MANIBUS ABSCONDIT LUCEM, ET PRÆCIPIT EI UT RURSUS ADVENIAT. ANNUNTIAT DE EA AMICO SUO, QUOD POSSESSIO EJUS SIT, ET AD EAM POSSIT ASCENDERE, — id est, lucem ea facilitate dispensat, diffundit ac condit, qua nos illa ostendimus, aut claudimus, quæ gestantur in manibus, quæ explicata porrigimus manu, et eadem contracta negamus. Sic nullo negotio potest Deus abscondere lumen ne nobis in terra appareat, v. g. per noctem, per nubes densas, per subtractionem radiorem miraculosam, ut *Exod.* X, 22 fecit in Ægypto, et *Matth.* XXVII, 45 in passione Christi; rursumque ubi voluerit splendidum solis jubar terræ restituere, vel post noctem reducturus diem, vel post tempestatem redditurus serenitatem, ex ipsius præcepto, decreto et ordinatione post occultationem iterum sese mortalibus ostentat. Eamdem porro lucem quasi possessionem propriam suis Deus amicis promittit et annuntiat, dicitque illos visuros esse post tenebras lucem, et ad illam reversuros esse fortunam, ex qua prius ad modicum tempus exciderant : in luce enim non solum intelligitur illud quod proprie sonat, sed etiam quod in ea metaphorico sensu significatur, nempe quidquid lætum et optabile est. Est autem theologicum id quod Eliu his ultimis verbis insinuat, dum ex aspectabili luce sese ad lucem immensam, divinam et æternam effert; ad quam Dei amicos ascendere posse testatur. Et quidem apposite, nam solis lux nobilissima, quæ mundum exhilarat, fovet, illuminat, idoneis rerum divinarum contemplatoribus usui maximo est ad ascensum in divina, quibus immortalis animus

Deus nobis lucem pro libitu dispensat et subtrahit.

Lux symbolum lætitiæ.

Ex luce hac aspectabili ad divinam lucem animus est erigendus.

http://www.obrascatolicas.com

illustratur et pascitur, uti pulchre docet S. Dionysius Areopagita lib. *De Div. nom.* cap. IV. Potest item versus iste ultimus sic accipi, quasi Deus moneat amicum suum fidelem, quod sol lucens, sive cœlum lucidum, sit possessio, hoc est locus possessionis ejus : quia locum illum gloriæ beatorum destinavit, ad quem bonis operibus paratur ascensus; et in hac expositione lux pro corpore lucido accipienda, et pro cœlesti fabrica illa, quæ tenebrarum expers est, uti decet locum divinæ lucis consortio decretum. Potest denique sic versus idem explanari, quasi Deus annuntiet amico sive homini gratia divina illustrato, quod lux solis pertineat ad possessionem sive opes suas : nam sicut qui male agit odit lucem, ut non arguantur ejus opera; ita e contrario qui recte agit amat et quærit lucem ut rem sibi congruentem; cui apte dicitur, posse ad illam ascendere, hoc est ad loca conspicua prodire ubi lux affulget, ut eo ipso discernatur a peccatoribus, qui latebras exquirunt, et hominum conspectum conscientia carpente refugiunt.

Calum est locus possessionis Dei.

Lux bene agentibus amica.

Allegorice recte dici potest Christus in manibus suis divinitatis et gloriæ lucem abscondisse, quando homo factus nostræ mortalitatis vestem induit, et deitatis suæ gloriam celavit : apte vero in manibus abscondisse dicitur, quia lux in manibus abscondita vix potest ita celari; quin per digitorum saltem rimas aliquo modo ejus splendor non emicet : ita Christi divinitas et gloria quasi in manibus celabatur assumptæ humanitatis, per quam velut per manus operabatur Deus : erat enim illa conjunctum divinitatis organum. Quamvis autem sic Christus vere Deus absconditus esset, quandoque tamen gloriæ suæ radios per humanitatem emittebat, dum vel mortuos ad vitam revocabat, cæcis visum restituebat, curabat infirmos, dæmones pellebat; præsertim vero cum in monte Thabor gloriosus apparuit, tunc præcepit luci, hoc est gloriæ deitatis, ut rursus adveniret : singulari enim modo tunc divinitatis suæ et gloriæ dedit indicia. Nec mirum, quia in manibus suis absconderat lucem, promptumque erat illi, quoties libuisset, et abscondere et aperire gloriam suam; sed cur id tunc potissimum præstiterit sequentia verba declarant :

Christus in humana natura lucem divinitatis abscondit.

Christus in transfiguratione quasi per rimas divinitatis lucem ostendit.

ANNUNTIAT DE EA AMICO SUO, QUOD POSSESSIO EJUS SIT, etc.:—nam ut annuntiaret amicis suis de hac suæ gloriæ luce, quod possidere eam et ad eam ascendere possent, ideo gloriosus apparuit; ideo divinitatis suæ sic voluit radios quosdam emittere; ideo Petrum, Jacobum et Joannem testes gloriæ suæ esse voluit : nimirum, ut ita suorum spem erigeret, et qui ipsum ducem sequi vellent, intelligerent posse se post laborum et crucis tolerantiam ejusmodi gloriam adipisci. « Electo enim et dilecto, inquit S. Bernardus *ad Fratr. de Mont. Dei*, aliquando vicissim lumen quoddam vultus Dei ostenditur, sicut lumen clausum in manibus patet et latet ad arbitrium tenentis, ut per hoc quod quasi in transcursu vel in puncto permittitur videre, inardescat animus ad plenam possessionem luminis æterni et hereditatem plenæ visionis Dei : cui ut innotescat aliquatenus id quod ei deest, nonnunquam quasi pertransiens gratia perstringit sensum amantis, et eripit ipsum sibi, et rapit in diem, qui est a tumultu rerum ad gaudia silentia, et pro modulo suo ad momentum, ad punctum id, ipsum ostendens ei videndum sicuti est; interim etiam et ipsum efficit in idipsum, ut sit suo modo sicut illud est. Ubi cum dicerit quid intersit inter mundum et immundum, redditur sibi, et remittitur ad mundum cor, ad visionem, ad aptandum animum, ad similitudinem, ut si aliquando rursum admittatur, sit purior adhuc ad videndum, et stabilior ad fruendum. Nusquam enim se melius deprehendit modus humanæ imperfectionis quam in lumine vultus Dei, in speculo divinæ visionis. Ubi in die qui est, plus et plus videns quid sibi deest, emendat in dies similitudine quidquid deliquit dissimilitudine, similitudine ei appropinquans, a quo longe factus est per dissimilitudinem. Et sic expressiorem visionem expressior semper similitudo comitatur. »

Qualiter Deus in hac vita se justis ostendat.

Tropologice luci ac soli comparari labor potest, ut sicut corporeo oculo ad videndum necessaria lux est, sic et mentis oculo labor, ut virtutum actiones attingere possit, quod eleganter his verbis explicat Philo Judæus lib. *De Sacr. Abelis et Caini* dicens : « Labor inter præcipua bona numerandus, bellum cum voluptate gerit perpetuum : hunc enim, si verum dicendum est, omnis felicitatis omnisque virtutis principium hominibus Deus declaravit; sine quo nihil honestum apud mortales esse invenies. Nam sicut sine luce videre non possumus, quia nec colores, nec oculi ad videndum sufficiunt : hanc enim ceu vinculum natura præparavit, quo coaptaretur colori oculus : nam in tenebris neuter suam vim exserit : eodem modo animæ oculus nullam virtutis actionem potest attrectare, nisi a labore ceu luce adjutus. » Quam ingenti luce perfunditur qui laborat! quantis tenebris obsidetur qui otium quærit, laborem fugit! et cui non grata lux, non gratus sol! cur igitur non sit et labor, qui mentis lux et quidam sol est? Præclare profecto Eliu potentiam Dei efferens ait illum in manibus suis lucem abscondere, eique rursus præcipere ut adveniret, hoc est, ut exponit S. Thomas hic : « Per opera virtutis suæ facit, ut quandoque lux solis et stellarum nubibus occultetur; sed quia hæc occultatio non est perpetua, sed ad tempus, præcipit ei ut rursus adveniat, videlicet descendentibus nubibus. » Diceres et homines in manibus suis lucem abscondere, et lucem ostendere : nam dum laborando operi manum admovent, lucem ostendunt; si otio torpeant, abscondunt : aut certe tunc abscondunt lucem cum operantur quidem, sed labores suos tegunt, tegunt opera, nolunt videri.

Quod lux oculo, hoc labor mentis.

Quid sit lucem in manibus abscondere.

Lucem certe in manibus habent laborantes, quia ipsi luce perfruuntur dum laborant, et cæteros quoque luce perfundunt dum videntur.

Laborantes habent lucem in manibus.

Hinc intelligimus quid sibi illa Davidis verba velint, ubi de seipso ait *Psalm.* LXXVII, 72 : « Et pavit eos in innocentia cordis sui : et in intellectibus manuum suarum deduxit eos : » itane vero intellectus manibus inest, inest lux? utique præditæ luce sunt manus, quia lucem laborantium quin et spectatorum manibus immittunt, dum qui præest operi manus admovet, et manibus laborat. Numquid etiam Christus operum luce præditas esse manus voluit, cum illis lucernas affixit *Luc.* XII, 35 : « Sint, inquit, lumbi vestri præcincti, et lucernæ in manibus vestris, » quæ verba sic ad nostram mentem interpretatur B. Gregorius hom. 13 *in Evang.* : « Lucernas ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus, de quibus profecto operibus Dominus dicit *Matth.* V, 16 : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* : » caret hac luce, caret hisce lucernis, qui otio torpet, desidiæ atque socordiæ laboris hostis indormit. Lux manibus et operibus inest luce gravidus labor, ut non abs re tantam cum sole cognationem nexumque labor habere videatur, ut exoriens ad laborandum homines evocet, requiem ubi abierit concedat. Pulchre Richardus Victorinus explicans illa verba *Eccle.* I, 3 : *Quo laborat sub sole*, ait : « Fortasse simpliciter accipiendum est, quia homines in hac mundi parte inferiore degentes desuper solis lumen accipiunt, et ad agenda opera usibus humanis necessaria illuminantur, ut videant; sicut scriptum est *Psalm.* CIII, 22 : *Ortus est sol, et exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam.* » Invitat igitur ad laborem mortales omnes sol dum oritur, refrigerium ubi recesserit permissurus. Sed hic laboris et solis nexus tacite hoc etiam indicat, laborem laborantibus lucem immittere, ut ex Philone dicebamus.

Solis et laboris nexus.

CAPUT TRIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ex fulmine, tonitru, ventis, imbribus et horum mirabilibus effectibus concludit Eliu inscrutabilia esse Dei judicia; sicut etiam est ejus potentia, majestas et sapientia; unde monet Jobum, ut se nutui divino penitus subjiciat, integreque permittat.

1. Super hoc expavit cor meum, et emotum est de loco suo. 2. Audite auditionem in terrore vocis ejus, et sonum de ore illius procedentem. 3. Subter omnes cœlos ipse considerat, et lumen illius super terminos terræ. 4. Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ; et non investigabitur, cum audita fuerit vox ejus. 5. Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna et inscrutabilia. 6. Qui præcipit nivi ut descendat in terram, et hiemis pluviis, et imbri fortitudinis suæ. 7. Qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua. 8. Ingredietur bestia latibulum, et in antro suo morabitur. 9. Ab interioribus egredietur tempestas, et ab arcturo frigus. 10. Flante Deo concrescit gelu, et rursum latissimæ funduntur aquæ. 11. Frumentum desiderat nubes, et nubes spargunt lumen suum. 12. Quæ lustrant per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum. 13. Sive in una tribu, sive in terra sua, sive in quocumque loco misericordiæ suæ eas jusserit inveniri. 14. Ausculta hæc Job : sta, et considera mirabilia Dei. 15. Numquid scis quando præceperit Deus pluviis, ut ostenderent lucem nubium ejus? 16. Numquid nosti semitas nubium magnas, et perfectas scientias? 17. Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra austro? 18. Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt. 19. Ostende nobis quid dicamus illi : nos quippe involvimur tenebris. 20. Quis narrabit ei quæ loquor? etiamsi locutus fuerit homo, devorabitur. 21. At nunc non vident lucem : subito aer cogetur in nubes, et ventus transiens fugabit eas. 22. Ab aquilone aurum venit, et ad Deum formidolosa laudatio. 23. Digne eum invenire non possumus : magnus fortitudine, et judicio, et justitia, et enarrari non potest. 24. Ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes.

http://www.obrascatolicas.com

Vers. 1. Super quid Eliu hic expavescat.

1. SUPER HOC EXPAVIT COR MEUM, ET EMOTUM EST DE LOCO SUO. — Quanquam hoc caput explicatio sit aut continuatio præcedentis, in quo admirabilia quædam et arcana proponuntur, ad quorum perfectam cognitionem pervenire non potest humana solertia; incertum tamen quid præcise designet Eliu pro materia proxima sui terroris cum ait: « Super hoc expavit cor meum, » etc. Græcus Scholiastes hoc ad Dei sapientiam refert, *q. d.* Ex hac consideratione incomprehensibilis sapientiæ Dei expavit cor meum, etc.; latini vero interpretes fere referunt ad ea quæ præced. cap. dicta sunt; et nominatim Sanctius noster refert ad canticum illud vulgare, cujus in superioribus est facta mentio, quod æquitatem in Deo et providentiam commendat, docetque altiora magisque occulta esse divina consilia, quam quæ homo scrutari debeat aut possit: quare dicit admirari se supra modum, et omnino expavescere, ita ut apud seipsum non sit, cum videat vilem homuncionem ingenio inculto et hebeti non solum sublimia Dei explorare consilia, sed eo pervenisse dementiæ, ut in illis æquitatem et providentiam requirat, *q. d.* Vix sum apud me præ admiratione stuporeque vehementi, cum videam hominem, in cujus auribus egregium illud vulgatumque carmen toties personuit, sic esse aut imprudentem aut stolidum, ut in Deo deprehendat quod notet ac damnet. Impium nempe ac blasphemum Jobum judicarat Eliu, quia, ut ipse male cogitabat, *iniquum in judicando* vocaret Deum, et in illo ad res administrandas desiderabat providentiam. Quæ omnia licet non improbabili ratiocinatione versum hunc ad præcedentia referendum probare videantur; mihi tamen cum Stunica et Pineda probatur magis, ut ad sequentia referatur, quæ proxime nunc denuo proponet, *q. d.* Magna dixi, dicam majora et maxime stupenda, quorum terrore animos auditorum excitat vers. seq. Sic videtur nectere Symmachus, καὶ περὶ τούτων πτήσσει ἡ καρδία μου, *etiam de his expavescit cor meum*; et S. Augustini lectio, *sed et in hoc obstupuit cor meum.* Et respondet Hebræo, quod a simili particula exorditur אף-לזאת *aph-lezot*: quod Septuaginta reddunt, καὶ ἀπὸ ταύτης, *et ab hac*; sed sciendum Hebræos femininum pro neutro usurpare, quæ est ratio, cur Septuaginta eodem genere expresserunt: sic alibi *Psalm.* XXVI, 4: Μίαν ἠτησάμην παρὰ Κυρίου, *unam petii a Domino*, id est *unum*: item *Psalm.* CXVII, 23: Παρὰ Κυρίου ἐγένετο αὕτη, *a Domino facta est hæc*; latine, *factum est istud*, aut hoc. *Super hoc* itaque, id est ob tonitru, se expavisse significat: quis enim eo audito non consternatur? vel ipsimet athei expavescunt tonante Deo, qui tamen nullum Deum esse credunt. Atque hoc est omnibus generale; sed increduli quantum possunt pavorem et terrorem istum, quo illos moveri et affici oporteret, exstinguunt; fideles in ipso proficiunt, et sponte se sollicitant ad expavescendum, ut cum omni humilitate et reverentia Deo debitum honorem exhibeant. Unde subdit:

Vers. 2, 3, 4 et 5.

2-5. AUDITE AUDITIONEM IN TERRORE VOCIS EJUS, ET SONUM DE ORE ILLIUS PROCEDENTEM. SUBTER OMNES COELOS IPSE CONSIDERAT, ET LUMEN ILLIUS SUPER TERMINOS TERRÆ. POST EUM RUGIET SONITUS, TONABIT VOCE MAGNITUDINIS SUÆ, ET NON INVESTIGABITUR, CUM AUDITA FUERIT VOX EJUS. TONABIT DEUS IN VOCE SUA MIRABILITER, QUI FACIT MAGNA ET INSCRUTABILIA. — Pergit Eliu in describendis aliquot naturæ effectis meteoricis plane mirabilibus, quibus Deus mortalibus terrorem incutit, quorum causæ finesque perfecte cognosci nequeunt, ut ex hoc divinam potentiam sapientiamque commendet, hominumque Dei opera scrutantium audaciam frangat. In primis *tonitruum* hic amplificat, quod περιῤῥαστικῶς, auditionem in terrore vocis Dei, et sonum de ore illius procedentem, sonitum rugientem, vocemque magnitudinis Dei appellat. *Post eum rugiet sonitus*: significat nostro intelligendi more Deum quasi super ventos regionemve aeris alte gradientem, transituque suo terribiles illos crepitus excitantem, ut homines ad sui timorem permoveat. Alii opinantur verba illa: *Post eum*, perinde esse ac post fulgorem seu fulgur, quia physice agendo prius cernitur fulgur, postea tonitruum auditur, quod cum motu successive ad aures perfertur.

Tonitrui descriptio.

NON INVESTIGABITUR, CUM AUDITA FUERIT VOX EJUS: — hoc referri potest et ad sonum incerto ex loco delatum, et ad fulmina et conflagrationes horrendas, quæ passim contingunt incertis in locis, quæ certo sciri non possunt; et denique ad multa naturæ mirabilia ibi latentia, quæ satis comprehendi nequeunt, tametsi incendia et fulmina quandoque investigentur. Præmisit porro Eliu tonitrui mentioni verba illa: « Subter omnes cœlos ipse considerat, » ut significaret jactus fulminum, tonitrui terrorem, cæteraque omnia, quæ fortuita et nullis legibus adstricta videntur, divino consilio regi, ut ne minima quidem coruscatio hiante nube vibrata extra Dei decretum splendeat. Est autem perelegans ordinis ratio, nam post verba ista, « Subter omnes cœlos ipse considerat, » subjungit: « Et lumen illius super terminos terræ; » tertioque loco tonitrua commemorat, quasi nostro dicendi more Deus primum consideret, mox fulguribus subitis illa, quæ in orbe densis nubibus obducto geruntur, retegat, denique peccatores tonitruis et fulminibus terreat ac puniat: ita Joannes a Jesu Maria, qui recte notat Eliu videri idoneum contemplatorem mirabilium Dei operum, quæ mentem ad sapientiæ ac potentiæ divinæ admirationem extollant. Et sane cum ingruunt fulmina, tunc mirabilia et prope incredibilia fiunt: videre enim erit hominem in cinerem redactum, qui figuram humanam retinebit, vix foramen pisi magnitudine reperietur, et tamen ecce hominem intus exesum et consumptum. Ferrum etiam absumetur, vagina, qua conditum est, quia cedit, integra permanente. Arbores interdum radicitus

Mirabiles fulminum effectus.

exstirpantur, interdum quasi secantur, interdum ita absumuntur, ut nullæ ipsarum reliquiæ appareant: idem in ædificiis accidit. Denique si fulminum omnia effecta considerentur, tanta sunt, ut credi non possint, nisi experientia cognita essent. Par est igitur ut hic homines se humilient conspecta sensuum suorum infirmitate et operum Dei magnificentia.

Peccatores Deus prius terroribus concutit, ac deinde solatur.

Tropologice S. Gregorius lib. XXVII *Moral.* cap. X: « Notandum, inquit, est, quod vox Dei non in gaudio, sed in terrore audiri perhibetur: quia nimirum peccator quisque dum sola quæ terrena sunt cogitat, dum cor oppressum infimis cogitationibus gestat, si repente divinæ gratiæ aspiratione tangitur, hoc ante omnia intelligit, quod cuncta quæ agit districta æterni judicis animadversione puniantur. Auditio igitur vocis Dei prius in terrore fit, ut post vertatur in dulcedinem, quia ante nos districti judicis timore castigat, ut jam castigatos supernæ dulcedinis consolatione reficiat, etc. Sequitur: *Subter omnes cœlos ipse considerat, et lumen illius super terminos terræ*, ac si aperte diceretur: Qui summa regit, etiam extrema non deserit: quia sic impeditur maximis, ut tamen hæc eadem cura regiminis non præpediatur a parvis: qui enim ubique præsens et ubique æqualis est, etiam in dissimilibus sibi ipsi dissimilis non est. Æque ergo respicit, æque cuncta disponit, qui in omnibus locis præsens nec localiter tenetur, nec varia curando variatur. » Possunt quoque *cœli* nomine sancti prædicatores designari: hinc enim scriptum est *Psalm.* XVIII, 2: « Cœli enarrant gloriam Dei; » sunt namque nonnulli, qui cum mira apostolorum opera audiunt, quia has virtutes nunc in Ecclesia non vident, subtractam ab Ecclesia supernam gratiam suspicantur, nescientes quod sicut dicit Apostolus I *Cor.* XIV, 22: « Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus. » Sed elevatis cœlis Dominus inferiora considerat, quia et ablatis summis prædicatoribus incessanter etiam infima nostræ infirmitatis curat; et quasi subter cœlos lumen illius terræ terminos respicit, quia post sublimem vitam præcedentium, etiam peccatorum mores actusque gratiæ suæ illustratione comprehendit: qui etsi virtutum signa nunc per vitam fidelium crebro non exerit, ab eisdem tamen fidelibus per virtutem operum non recedit.

Providentia Dei sic intendit maximis, ut minima non negligat.

Cœli sunt sancti prædicatores.

Termini terræ sunt fines hominum peccatorum.

Potest etiam intelligi *lumen illius super terminos terræ*, quod prædicatio supernæ gratiæ, dum gentes ad fidem colligit, intra semetipsam mundi limites clausit. Vel certe *termini terræ* sunt fines hominum peccatorum; et sæpe contingit, ut plerique Deum deserant, et vitæ suæ tempora in desideriis carnalibus expendant; sed tamen cum superna gratia respicit, in extremis suis ad Deum redeunt, quæ sint judicia æterna cognoscunt, cuncta quæ se perverse egisse meminerunt fletibus puniunt, atque hæc vere se insequi rectis operibus ostendunt; quibus subsequente justitia profecto totum dimittitur quod ante deliquerunt. Hæc per compendium ex S. Gregorio dicta sunt, quibus non dissimilia S. Hieronymus adfert in hunc locum, docens eos habere lumen perfectæ cognitionis, qua percipiant vanitatem sæculi, et eleventur ad capescenda vera bona, qui terrenos terminos excedunt, super illos elevati et excelsi constituti. « Termini, inquit, sive fines terræ ipsi sancti sunt, finem terrenis passionibus et cupiditatibus imponentes, eo quod non sint in medio Babylonis, nec sæculi hujus vitiis circumdentur, secundum quod Petrus Apostolus ait II *Epist.* II, 11: *Christus igitur in carne passus reliquit nobis exemplum.* Qui passus est in carne desiit esse a peccatis, ut jam non hominum desideriis, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne, vivat temporis, id est vivens pro tempore, desinentibus in carne peccatis, velut in finibus habitet carnis. In his finibus posita regina Saba, quæ typum gerebat Ecclesiæ, veri Salomonis meruit audire sapientiam. Tales igitur terminos Deus lumine gratiæ suæ atque agnitionis illustrat. » Ita S. Hieronymus. Quod autem addit: *Post eum rugiet sonitus*, de pœnitentiæ gemitibus ita pulchre exponit S. Gregorius XXVII *Moral.* cap. XII: « Quem enim Dominus illustrando repleverit, ejus vitam procul dubio in lamentum vertit, atque illuminatæ menti quo magis æterna supplicia insinuat, eo hanc durius de transacta nequitia gemitibus fatigat, et dolet homo quod fuit; quia bonum jam incipit videre quod non fuit: odit qualem se fuisse meminit; amat qualem se esse debuisse cognoscit; et solam jam pœnitentiæ amaritudinem diligit, quia caute considerat in quantis voluptatibus sua delectatione peccavit, etc. Unde post pœnitentiæ rugitum apte subjungitur: *Tonabit voce magnitudinis suæ*: voce enim magnitudinis suæ Deus tonat, cum se nobis bene jam per lamenta præparatis quam sit magnus in supernis insinuat, » etc.

Sancti sunt termini terræ quos Deus illustrat.

Gemit quisquis peccati sui agnoscit gravitatem

Vers. 6. Nix et pluvia præcepto et ordinatione Dei proveniunt.

6. QUI PRÆCIPIT NIVI UT DESCENDAT IN TERRAM, ET HIEMIS PLUVIIS, ET IMBRI FORTITUDINIS SUÆ. — Persequitur alia meteora ad explicandam Dei potentiam; est autem nivis effectio prorsus mirabilis, ex qua etiam Deum præcipit laudare David, dum creaturas omnes in choream adducit ad laudes Numinis celebrandas; inter quas etiam citantur *Psalm.* CXLIII, 8: «Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus, » ut res illæ, quæ impetu celerrimo feruntur, et absque consilio accidere videntur, præcepto Dei ordineque miro succedere demonstrentur, quod congruit asserto Eliu dicentis: « Qui præcipit nivi, pluviis, imbri fortitudinis, » hoc est fortissimo, per phrasim Hebræis familiarissimam. Eo autem ipso quod ex Dei præcepto hæc contingant, multiplex divinæ sapientiæ ac potentiæ et justitiæ laus ex hoc textu conflatur a mensura, distributione, effectis aliisque capitibus, quæ novit ipse rerum conditor et servator: ipsius enim præcepto, de-

http://www.obrascatolicas.com

creto et ordinatione nix ipsa certis anni temporibus desuper cadit super terram, eamque cooperit pro utilitate terræ germinum; ut videlicet terra frigidissimis cooperta nivibus intra se calorem seminalem multiplicet, semina quoque ipsa in terra delitescentia melius mortificentur ad proferendum fructum multiplicem, ac deinde resoluta in aquam nivis materia terram ipsam subingrediatur, et fœcundet eam. Neque vero minor elucet in pluviis imbribusque opportuno tempore dispensandis Dei providentia.

Nix symbolum lucis et candoris justitiæ.

Anagocice S. Gregorius lib. XXVII *Moral.* cap. XIV : « Quid, inquit, hoc loco *nivem*, nisi per lucem justitiæ candida accipimus corda sanctorum? aquæ autem ductæ in superioribus constipantur, ut nives fiant; sed cum hæ ipsæ nives ad terram veniunt, in aquarum iterum liquorem vertuntur. Aquæ igitur sunt prædicatorum mentes, quæ dum ad contemplanda superna se erigunt, altiori intellectu solidantur : cumque in summa consideratione rapiuntur, virtutem confirmationis accipiunt; sed quia adhuc in terris fraterna dilectione retinentur, semetipsas ab alto intellectu modificant, et infirmis humiliter prædicantes, more nivium corda arentium liquatæ rigant. Nives ergo ad terram de cœlestibus veniunt, cum sublimium corda sanctorum, quæ jam solida contemplatione pascuntur, pro fraterna charitate ad humilia prædicationis verba descendunt. Sicut enim nix terram cum jacet operit, cum vero liquatur rigat, ita sanctorum virtus per firmitatem suam apud Deum vitam peccatorum protegit, et per condescensionem suam quasi liquefacta arentem terram ut fructus proferat infundit. Et quia aqua prius ab infimis trahitur, ut post a superioribus sparsa reddatur : sancti quique etiam cum in virtutis arce consistunt, unde elevati sunt, considerant, ne alienæ infirmitatis abjecta contemnant. Quasi ergo aquæ ad terras, de quibus sublevatæ sunt, redeunt, dum condescendentes justi peccatoribus reminisci non desinunt quod fuerunt, » etc. Sic ille, qui per *pluvias*, et *imbres* et *nivem* verba concionatorum intelligit.

Prædicatio est pluvia hiemis, et cur.

Cæterum quid est quod verba concionatorum *hiemis* pluviis comparentur, non vero *æstatis?* Hiems dicitur præsens sæculum; hoc autem tempore ingruunt imbres, id est frequenter monemur vel Deo interius ad cor pulsante, vel concionatore aut alio pio viro ad aurem insonante; cum vero homo diem suum obierit, hæ admonitiones cessabunt, una conscientia supererit, quæ reprobos torqueat, discruciet, pungat et lancinet : itaque tunc cessabunt ea omnia quæ prodesse poterant, iis tantum permanentibus quæ dura, gravia et toleratu acerba erunt. Vel certe sensus est, imbres, pluvias et nives hiemis quidem tempore agris utiles exsistere; si vero per æstatem ingruant, non modo nullam utilitatem afferre, verum etiam nocumentum frugibus, perniciem arboribus, interitum oleribus ac stragem vitibus inferre. Idem quoque in spiritualibus imbribus usu venit; siquidem monita salutis, quæ vel de suggestu dicta audimus, vel a viro pio nobis instillantur, vel ex spiritali lectione aut meditatione haurimus, valde nobis utilia sunt dum vivimus; impiis vero jam vita functis et in tartara detrusis non modo nihil utilitatis afferunt, verum etiam ipsamet horum recordatio damnatorum animos mordet, corda depascitur, aures vellicat, mentem lancinat. Imber quidem est, sed per æstatem ingruens, qui nihil commodi, nocumenti vero plurimum adfert, uti pulchre Gregorius lib. XXVII *Moral.* cap. XVIII his verbis edocet : « Hæ nimirum pluviæ hiemi congruunt, æstate cessabunt: quia cum nunc carnalium oculis vita cœlestis absconditur, necesse est ut sanctorum nobis prædicatio irroretur; cum vero æterni judicii æstus incanduerit, nullus verba prædicantium necessaria tunc habebit, quia veniente Judice ad cor suum quisque reducitur, ut sancta jam cum agere non valet sentiat, et rectum, quod sequi debeat, ex fortitudinis suæ pœna cognoscat. »

Sed hic ulterius quæret aliquis, quid sit, quod præcipue de nive dicatur ad Dei præceptum de cœlo ad terram descendere : sane tam nix quam ros aut imber, quæ terram irrigant, juxta anagogen superius ex Gregorio allatam, christiani oratoris eloquium adumbrant. Cæterum nix ob candorem, quem a supernis locis trahit, eam orationem notat, quæ nos ad pietatem inducit, et animorum motus ciet : christiani enim oratoris partium est docere, delectare, movere auditores : docet enim dum animos instruit, et difficilia aperit; delectat autem, dum comptam et ornatam orationem profert, movet vero cum ad pietatem auditores suos pertrahit. Ergo nix ob candorem eximium eum dicendi modum in concionatore designat, qui populos ad pietatem permovet. Hinc est quod nix potius Deo deferatur quam imber aut ros : quia forte queunt homines auditorum animos demulcere, mentes delinire elaborato eloquio et oratione ad numerum fluente; possunt etiam multa docere et naturæ aperire arcana, verum eos ad christianam pietatem inducere unius opus est Dei. Quocirca etiam David orat *Psalm.* L, 9 : « Lavabis me, et super nivem dealbabor; » utique eloquium illud exoptans, quod animo candorem virtutis inducat nivis instar albicantem, quo instruatur ad pietatem. Hinc etiam Christi vestimenta cum nive composuit Evangelista, dum latentis intus Numinis indicia exterius promicare voluit, dicens *Matth.* XVII, 2 : « Resplenduit facies ejus sicut sol : vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix; » unde et Pater cœlestis his vestibus Filium indutum videns, nobis illum Doctorem præfecit de cœlo insonans *ibid.* vers. 5 : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. » Talibus nempe concionibus nos adesse Deus vult, quæ potius animum percellant quam oblectent; quæ potius aures vel-

Quæ sint munia oratoris christiani.

licent quam pruriant; quæ ad pietatem trahant, non demulceant. Addit S. Marcus *ibid.* cap. IX, 2 : « Vestimenta ejus facta sunt splendentia et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere, » id est, nulla humana ars vel industria vim hanc verbis tribuere potest nisi solus Deus, qui possit animum quo velit inflectere.

Vers. 7.

7. QUI IN MANU OMNIUM HOMINUM SIGNAT, UT NOVERINT SINGULI OPERA SUA. — Locus hic varie a variis exponitur, *primo*, q. d. Qui facit ut quisque in manu sua legat quasi in organo organorum descriptum ejus suumque officium : sicut enim agricola per ligonem et falcem sui monetur officii, ita homo videns manus suas monetur se natum ad laborem, ad artes exercendas, et Deo serviendum, etc. : ita Franciscus Valesius *De Sacr. Philos.* cap. XXXII. *Secundo* pressius : « Qui in manu (id est in vi operativa et industria exsecutiva, cujus symbolum est manus) signat, » ut ex eo quod manibus libenter et quasi naturaliter tractant homines, videant inclinationes omnium hominum, ut ex illis quisque sciat opera sua ad quæ quasi natus est, ut in iis excellat : ita Titelmannus. *Tertio*, ut Lyranus et S. Thomas : « Qui signat in manu, » id est in potentia et industria operativa hominum, ut sciant opera sua, scilicet quo modo et tempore quæque sint exercenda, v. g. quando serendum, quando plantandum, metendum : aliis enim operibus aptius est tempus siccum, aliis humidum, aliis calidum, aliis frigidum; et sic melius consentit cum vers. præced. et seq. *Quarto*, Valesius supra citatus hoc accipit de chiromantia non magica, sed physica et naturali : manus enim post vultus physiognomiam maxime indicat indolem hominis : de qua re ipsum consule. *Quinto*, et omnium optime, ad litteram Tirinus noster hæc exponit de manu seu potentia Dei, et in verbis istis : « Qui in manu omnium hominum signat, » hebraismum notat, ut sensus sit : Qui manu seu potentia sua divina (quam singulariter exerit, dum tonat, pluit aliasque tempestates excitat) aperte ostendit, se omnium hominum personas et res omnes obsignatas habere quasi sera, claustro vel sigillo, ut habent Septuaginta, qui utuntur verbo κατασφραγίζει. In Hebræo est, *in manu omnem hominem clausum tenet* : nam tonando, fulminando, pluendo, ningendo, et quasvis pro libitu tempestates ciendo, re ipsa demonstrat, et quasi sigillis signat, se absolutum esse dominum universi et omnium hominum, « vultque ut singuli noverint opera sua; » id est, opera hæc omnia a Deo esse, et a manu divina. Frustra ergo Franciscus Valesius et quidam alii conantur ex hoc loco astruere chiromantiam physicam seu naturalem, qua ex manu hominis colligatur indoles animi ejusdem, sicut ex physiognomia vultus : neque enim hic sermo est de manu hominis, sed de manu Dei sive potentia ejus. *Sexto* denique S. Gregorius lib. XXVII *Moral.* cap. XVI : *Qui in manu hominum omnium signat*, sic exponit, *q. d.* Qui homini indit rationalem mentem et conscientiam, qua bona opera a malis discernat; unde Philippus per *manum* accipit potestatem liberi arbitrii. Septuaginta pro istis verbis ultimis : « Ut noverint singuli opera sua, » verterunt, ἵνα γνῷ πᾶς ἄνθρωπος τὴν ἑαυτοῦ ἀσθένειαν, *ut sciat omnis homo infirmitatem suam*, quam scilicet Deus in omnibus operibus homini objicit.

Manus nos admonet officii nostri.

Manus symbolum operationis.

Indicat modum et tempus operandi.

Est index indolis.

Hic Dei potentiam designat.

Manus

pro conscientia.

8-10. INGREDIETUR BESTIA LATIBULUM, ET IN ANTRO SUO MORABITUR (non hominibus solum signa dedit Deus, sed etiam mutis rationisque expertibus animalibus, ut futuras agnoscant temporum mutationes ac tempestates, sibique ab illis matura fuga aut occultatione caveant, Deo enim agente et instigante norunt bestiæ sua cubilia, quasi domos in pluvia, in nocte, in æstu : tropologice S. Gregorius per *bestiam* intelligit diabolum, qui in reproborum cordibus quasi in antro suo latet : vide eum lib. XXVII *Moral.* cap. XVII.) AB INTERIORIBUS EGREDIETUR TEMPESTAS, ET AB ARCTURO FRIGUS. FLANTE DEO CONCRESCIT GELU, ET RURSUM LATISSIMÆ FUNDUNTUR AQUÆ, — id est a meridie, et australi plaga et polo antarctico, qui nobis perpetuo absconditur, et quasi intra terræ viscera conditur, ideoque *interior* appellatur, quia plaga illa nobis abscondita est, ut solent esse interiora domus loca; et quidem Septuaginta pro *ab interioribus* aptissima metaphora posuerunt ἐκ ταμείων, *de promptuariis*, quasi venti in cellariis quiescant, e quibus, ubi opus est, a Deo promantur. Inde ergo Deo sic disponente oritur ventus tempestuosus, humidus et calidus, pluviæ ac morborum parens; unde Septuaginta pro *egredietur tempestas* vertunt ἐπέρχονται ὀδύναι, *superveniunt dolores*, eo quod australi vento flante morbi maxime propagentur, qui varios ac multiplices adferunt dolores. Ab *arcturo* autem, id est septentrione et polo arctico, ubi est arcturus, sive constellatio illa quæ dicitur *Ursa*, egreditur frigus et ventus borealis, quem constat esse frigidissimum : vide quæ de plagis ac ventis istis annotavimus *supr.* cap. IX, 9, in illa verba : *Qui facit arcturum, et oriona*, et *hyadas, et interiora austri*. Jam vero quod subtexitur : *Flante Deo concrescit gelu*, etc., idem est, *q. d.* Deo frigidos ventos emittente, aqua coit ac congelascit, et induratur; austro vero aspirante intepescit cœlum, et coactæ prius aquæ funduntur et colliquantur; quod ad sermonem arcanum, ubi Deus animam nunc velut congelare sinit, mox calore divino in dulcissimas lacrymas resolvit, eleganter traducitur.

Vers. 8, 9 et 10. Bestiæ sua quoque tempora observant.

Interiora dicuntur loca australia, cur.

11-13. FRUMENTUM DESIDERAT NUBES, ET NUBES SPARGUNT LUMEN SUUM. QUÆ LUSTRANT PER CIRCUITUM, QUOCUMQUE EAS VOLUNTAS GUBERNANTIS DUXERIT, AD OMNE QUOD PRÆCEPERIT ILLIS SUPER FACIEM ORBIS TERRARUM : SIVE IN UNA TRIBU, SIVE IN TERRA SUA, SIVE IN QUOCUMQUE LOCO MISERICORDIÆ SUÆ EAS JUSSERIT INVENIRI. — Frumentum, inquit, et alia terræ semina irrigari cupiunt ab aquarum pluvialium in-

Vers. 11, 12 et 13.

Nubes frumen-

http://www.obrascatolicas.com

tis vigorem et quasi locum præbent suis irrigationibus.

fluxu : quorum vobis nubes opportuna largitate respondent; quarum imber agrorum jure optimo vocari potest lumen et vita, quia illo demisso virescunt, et quodammodo illuminantur fruges; quæ cum marcescerent obscuræ videbantur et mortuæ. Hæ porro nubes totum orbem incredibili celeritate permeant, quocumque illas gubernatoris sui voluntas impulerit, sive ut irrigatis frugibus sedata atque benigna pluvia homines exhilarent, sive ut frigore et grandine conturbent et exterreant; utrumque autem divinæ misericordiæ opus est, quæ tum prosperis tum adversis nostram salutem operatur. Si consulas in *Caten. Græc. Patr.* coronam, invenies hic per *nubes* principes designari, quibus incumbit directionis suæ imbre humanas regni segetes fœcundare ac promovere, ut quemadmodum herbescens viriditas, quæ nixa fibris stirpium, sensim adolescit, culmoque erecta geniculato vaginis jam quasi pubescens includitur, et pluviis nutritur, ut ad celerem uberemque maturitatem assurgat : sic regni humana sata a principe tanquam a nube, quæ Dei nutu dirigitur, velut pluvia, qua irrorantur, et in auctiora incrementa proficiunt, imperii directionem exspectant. Sed operæpretium est scire, in quo vis potissima comparationis firmetur, cum

Principes nubibus comparati.

principes Spiritus Sanctus appellat *nubes* : fit exemplis res manifesta. Æstivo tempore præ nimia caloris intemperie sitiunt segetes, et humiditatis inopia lassantur et languent, pascua arescunt, arva rimis hiant, fatiscensque terra quasi aperto ore imbrium nutrimenta implorat; incipit in aere conflari ex vaporibus nubes, et sicut pellis super agros evolvi; et vix humorem inchoat spargere, cum subito vel concitatur boreas, qui eam extenuando dissolvit, et inter juges flatus evanescit; vel eam in aliam provinciam impellit, cogitque ut regioni, in qua nata est, se exhibeat ingratam, extraneæque faveat.

Atque id est quod innuit Job : *Sive in una tribu sive in terra non sua, sive in quocumque loco misericordiæ suæ eas jusserit inveniri*, ex interpretatione Lyræ dicentis : « Quia aliquando contingit, quod in eadem regione vapores elevantur, et in nubes condensantur, et in pluvias convertuntur; aliquando autem contingit, quod moventur ad aliam regionem antequam convertantur in pluviam. » Vel flante subsolano urente frigida nubes per antiperistasin incipit comprimi et coarctari, et in grandinem durissimam concrescere, quam illico a se explodit, segetesque diverberat atque dilacerat; et quæ initio favor apparuit, demum fit agrorum calamitosa pernicies. Quis audeat ingratitudinis incusare nubem, eo quod pluviam ubi coacta est fuerit inficiata, alienis arvis liberalis effecta? vel quis eam vocabit in crimen, eo quod favorem et fertilitatem promittens pepererit excidium? nam poterit nubes respondere, si increpetur, se non quidem a se agitari, sed supremi arbitrio gubernatoris, cui ad nutum ipsa paret; et Deum quis audeat interrogare, qui per hanc rerum varietatem, vel injustorum eruditionem vel pravorum punitionem molitur. Ex his igitur desumitur ad principis comparationem disciplina, qui tanquam nubes optimæ gubernationis pluviam portat; squalent et arent quandoque subditorum mores, egent ejusmodi humani agri præclaræ dispensationis et egregiæ pluvia institutionis. Principes strenua concipiunt consilia, inveniunt decreta, madent salubri moderandi ratione, ut ea omnia nubium instar in subditos effundendo velut opportuno rore eos fœcundent et nutriant. Sed evenit, ut quod salutaris imber et sapiens consilium putabatur ad regnum locupletandum, exterorum regioni fiat proficuum, et propriæ segeti adversum; et quæ putabatur prudenter optimæ gubernationis pluvia nubes tumens, tandem fulminet et grandinet in subditos, supremaque illorum strages exsistat. Numquid istiusmodi inexspectati eventus erunt principum piacula? numquid æquum erit ut ob eos principes publice arguantur? Insilientne merito jure in majestatem oblatrantes et mordentes concionatores? apage, nam cur nubes in culpa erunt, si ab alio potentiori regantur? hæc etenim fiunt sive ad nocentes corrigendos, sive ad aliorum utilitatem, sive ob alias causas nobis minime perspectas.

Mystice frumento etiam electi et concionatores nubibus comparantur a S. Gregorio lib. XXVII *Moral.* cap. XIV, ubi hanc comparationem fuse ac pulchre deductam vide. Has tamen salutares nubes interdum prohibet iratus Deus regiones aliquas lustrare; unde fit ut fames ingens illas occupet : audi quid Spiritus Sanctus dicat *Amos* VIII, 11 : « Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini, » idque fit, « quando, ut ait S. Hieronymus, propter peccata populi doctrina deficit in Ecclesia. » Nec est silentio prætermittendum quod subdit Amos : « In die illa deficient virgines pulchræ et adolescentes in siti; » in quem locum idem S. Hieronymus : « Deficient, inquit, virgines, quia verbum Domini non invenient. » Ex quo intelligimus, quando doctrina non fuerit in Ecclesia, perire pudicitiam, castitatem mori, omnes abire virtutes : quia non comederunt verbum Domini. Quis ergo ita mentis inops est, ut non videat, quantopere operarii, tanquam nubes cœlestes a Deo missi, necessarii sint ad terram animæ nostræ irrigandam et fœcundandam, ac famem sitimque spiritalem depellendam? Quemadmodum igitur, cum exaruit terra ob aquæ penuriam, solemnes solent preces institui ad divinam opem implorandam, nimirum, ut de thesauro suo dignetur Deus arentem terræ faciem irrigare : ita cum desunt divinæ prædicationis pluviæ, atque adeo arescunt hominum animi, summis precibus exorandus est Deus, ut cœlestes nubes mittat, quæ salutaris doctrinæ aqua arida hominum corda irrigent et fœcundent. Sunt enim instar nubium Ecclesiæ doctores, pastores, et divini verbi præcones, quos Deus quocumque vult transmittit tanquam nubes vel ad hos vel ad illos populos edocendos super faciem orbis terrarum. Cæterum sicut singulari Dei misericordiæ tribuendum est, quod terrestres istæ nubes hanc vel illam fœcundent terram; contra vero justitiæ, ut agri arescere permittantur, prohibitis nubibus ne dent temporaneum terræ imbrem, juxta quod ait *Amos* IV, 7 : « Plui super unam civitatem, et super alteram civitatem non plui : pars una compluta est, et pars, super quam non plui, aruit. » Ita multo etiam illustrius Deus liberalem suam bonitatem et gratiam ostendit, dum suos prædicatores tanquam spirituales nubes ad cœlestis doctrinæ imbrem effundendum ad aliquas gentes mittit; contra vero justitiæ ultionisque divinæ signum clarissimum est, cum eas nubes vel imbrem negat illis cœlestem. Et vero quemadmodum nubes promptæ obedientiæ symbolum sunt, et exhibent eximiam quamdam Creatori obedientiam, quod non sint uni vel alteri loco alligatæ, sed quocumque eas spiritus impulerit convolant : ita et in hoc similitudinem referunt ministrorum Dei, qui in universum mundum mittuntur ad prædicandum Evangelium omni creaturæ. De quibus prædicatoribus Isaias ait cap. LX, 8 : « Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas? » quibus verbis declarat gratiam D. Spiritus, qui apostolos et divini verbi ministros columbarum et nubium instar impellit ad varias mundi partes, ut illas salutari doctrina perfundant, et amore filiorum spiritualium, hoc est, ut infideles ad fidem perducant, et pravos homines ad meliorem vitam convertant, excitat ad quærendos eorumdem infidelium vel pravorum hominum extremos recessus et occultas abditasque cavernas.

Deficiente prædicatione deficiunt virtutes.

Divinæ prædicationis necessitas.

Concionatorum penuria est signum divinæ indignationis.

Nubes sunt symbolum promptæ obedientiæ.

Vers. 14 et 15. 14 et 15. AUSCULTA HÆC JOB : STA, ET CONSIDERA MIRABILIA DEI. NUMQUID SCIS QUANDO PRÆCEPERIT DEUS PLUVIIS, UT OSTENDERENT LUCEM NUBIUM EJUS? — Acriter instat Eliu rogans multa, quorum notio modica est, ut ex hoc struat argumentum, evincatque, ab homine ignaro non esse cum Deo congressum faciendum : proponit igitur duo illa meteorica, scilicet effusionem pluviæ, et lucem sive fulgur e nube micans, ut ignis et aquæ mistionem quamdam miram neque satis cognitam repræsentet, *q. d.* Qui tibi videris omnia scire, scisne quo tempore et qua ratione nubes, totæ aqua cum sint, tamen fulmen et ignem ejaculentur? Vides o Job, quam sint admiranda et stupenda ista opera Dei; ausculta proinde diligenter, dum tibi per me enarrantur, et erecta mente in cœlum contemplare mirabilia opera Dei tui, ut vel sic illum discas affectu debito revereri, neque tam licenter in ipsum tuas ejaculeris blasphemias : tu enim quis es, qui illum in jus voces, qui neque istorum, quæ quotidie ante oculos nostros fieri cernimus, operum Dei possis comprehendere vel reddere rationem?

Probat a minori non esse cum Deo disputandum.

Vers. 16. 16. NUMQUID NOSTI SEMITAS NUBIUM MAGNAS ET PERFECTAS SCIENTIAS? — Petit quoque an noverit « semitas nubium, » hoc est cursus varios, flexus, reflexus, elevationem, depressionem motusque multiplices, quos exacte nosse difficile est. Pro semitis in Hebræo est מפלש *miplas*, id est *pondus*, libramentum et differentias : quidam hoc loco *libramentum* significare putant, quos Vulgatus secutus fuisse videtur, q. d. *Nosti nubium pondus et libramentum*, scilicet quo pacto usu veniat, ut tanto et non majori intervallo a terra eleventur atque ferantur. Quod *nubium semitas* docte Vulgatus appellavit, alii *nosti nubium differentias* exponunt, id est, nosti cur ex alia nube imber tenuis, ex alia imber vehemens, ex alia nix, ex alia grando diffluat; quæ etiam quadrat expositio, et Græcis placuit, nam ita convertunt Septuaginta, διακρίσιν νεφῶν, *differentiam nubium. Magnas et perfectas scientias*, id est, res multas scitu cognitioneque dignissimas, quæ de nubibus dici possunt; sed pro דעים *degim*, id est *scientias*, quod est in Hebræo, græci interpretes רעים *ragim*, id est *impios*, legisse videntur : sunt enim ד *dalet* et ר *res* litteræ adeo similes, ut vix ab Hebræis distinguantur : quare mirum non est unam pro altera irrepsisse. Ex quo fit ut ita traducant Septuaginta, ἴαίσια δὲ πτώματα πονηρῶν, *et ingentes lapsus malorum*, ut sic miracula moralia cum naturalibus conjungat ad potentiam Dei infinitam comprobandam, id quod hoc libro sæpe usurpatum esse vidimus. Mirabile autem est, et quod homines vix accidere posse crederent, tantam quorumdam impiorum hominum potentiam tam subito et quasi unico fortunæ reflatu corruisse, sicut cujusdam ruinam miratur Isaias dicens cap. XIV, 12 : « Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? » etc.

Semitæ nubium quæ.

Quale sit nubium pondus, libramentum et differentia.

Vers. 17. 17. NONNE VESTIMENTA TUA CALIDA SUNT, CUM PERFLATA FUERIT TERRA AUSTRO? — Meridionalis venti calidis vaporibus gravidi, et obvia quæque humectantis ac tepefacientis mentionem inducit, *q. d.* Nosti cur perflante austro vestimenta tua concepto ex illius aspiratione calore tepescant? Quod si hæc sublunaria atque inferiora non assequeris, quomodo putas cognoscere te posse cœlestia? ut autem hujus rei causam ignorabat Eliu, sic eam etiam Jobo et aliis obscuram putabat esse; et fortasse in rudiori illo et illiterato sæculo res erat ignota. Nunc vero philosophi nostri causam invenerunt, eamque assignant istam, quia nimirum ventus ille aspirat a meridie : quare a calida regione ipsius quoque halitus calidus est : ita Sanctius noster. Sed cur austro tribuit Eliu, quod vestimenta nostra calida sint, cum potiori jure hoc deferre deberet innato hominis calori, qui adhærentia corpori indumenta calefacit, quæ a perflantibus austris valde parum vel potius nihil caloris trahunt? S. Gregorius lib. XXVII *Moral.* cap. XXV, rem ad moralem locum inflectit, nempe vestimenta significare auditores, qui concionatorem circumstant non aliter ac corpus vestimenta; hi autem spiritalem virtutis calorem non tam hau-

Auster cur sit ventus calidus.

Cur austro vestimentorum calor tribuatur.

http://www.obrascatolicas.com

riunt a calore ipsius corporis quod contegunt quam ab austro: auster enim frequenti metaphora Scripturæ sacræ Spiritum Sanctum notat. Est ergo sensus, audientes non tam ad virtutem trahi oratione leviter fluenti oratoris christiani quam virtute Spiritus Sancti, cui profectus et proventus omnis deferendus est.

Vers. 18. 18. TU FORSITAN CUM EO FABRICATUS ES COELOS, QUI SOLIDISSIMI QUASI ÆRE FUSI SUNT. — Arguta est derisio Jobi : nemo quippe Deum adjuvit eive ministravit dum cœlos conderet, præsertim cum creatio solius Dei opus sit; et quidem licet Deus creatura aliqua in opere illo usus fuisset, certe non Jobo, quem nondum creaverat. Dicuntur autem cœli *solidissimi* et quasi *ærei* ob incorruptibilem materiam, eo quod apud homines fusa ex ære videantur solidissima. In tanta quoque claritate et limpiditate conditi sunt cœli, ut videantur quasi speculum æneum politissimum. In Hebræo est רקע *racahh*, quod et *cœlos* significat, et *nubes* sive *aerem*, et maxime superiorem ejus partem, quæ *æther* dicitur; idque a subtili et tenui eorum substantia, verbum enim hebraicum significat *extendere*, expandere, extenuare; unde Stunica, Mercerus et alii hic vertunt *nubem* vel *æthera*, qui licet rarus sit et diductus, firmus tamen consistit, et sua se veluti virtute continet. Melius tamen cum S. Thoma et aliis hoc de propriis cœlis accipimus; de quibus communi philosophorum sententia verissimum est quod solidissimi sint tanquam ære fusi, pro quo hebraice habetur, *fortes sunt sicut aspectus fusionis*; quod etiam Septuaginta reddiderunt, στερεώσεις ἰσχυραὶ ὡς ὄρασις ἐπιχύσεως, *firmationes validæ ut visio effusionis*, id est, ut res fusa et conflata, aut ut speculum fusum, id est extensum, durum, firmum, nitidum et splendens, ut olim ænea habebant specula. Hinc Homerus lib. I *Iliad.* et alibi sæpius cœlum vocat χαλκέατες δῶ, *ære niæam domum*.

Nemo Deum juvit in creatione.

Cœli sunt solidi.

Verum non satis constat adhuc inter astrologos, an materia cœlorum solida sit, an vero liquida, ita ut sidera non affixa sint cœlis, sed per ipsos cœlos ferantur non aliter ac pisces per undas; et tamen juxta hoc dictum Eliu solidissimi dicuntur. Sane, juxta placitum Petri Chrysologi, per *cœlos* hoc loco beatitudo ipsa intelligitur : nam ibi locus proprius est, in quo Deus seipsum palam ostendit. Hæc autem *solida* dicitur et velut ære fusa, quia reliqua omnia præter ipsam vana sunt et omni virtute vacua; una est gloria cœlestis, quæ firma est et stabilis, et homines firmos ac stabiles reddit : S. Gregorius lib. XXVII *Moral.* cap. XXIV per *cœlos* angelos intelligit : quem vide loco indicato. Sunt etiam justi sicut cœli, qui sine ulla intermissione ordinatis motibus volvuntur, et in loco, in quo a Deo positi sunt, torpore sepositio moventur, nunquamque eumdem tenorem sanctæ vitæ relinquunt; sed semper ad virtutem incitantur, vel potius ex una virtute ad aliam, et ex ista ad illam circumvolvuntur. Hi sunt cœli non jam in suprema orbis visibilis regione, sed in imo terræ fabricati, ut Dominus etiam in terra habeat cœlos non undecim, sed innumerabiles, in quibus libentissime conquiescat. De his cœlis pulchre dixit S. Ambrosius *in Psalm.* CXVIII, serm. 12 : « Sunt in terris cœli qui narrant gloriam Dei : qui sunt isti cœli? audi dicentem I *Corinth.* XV, 49 : *Sicut portavimus imaginem illius terreni, portemus et imaginem hujus cœlestis* : » isti igitur sunt cœli, qui etiam in terris positi audent dicere *Philip.* III, 20 : « Nostra autem conversatio in cœlis est. » Isti sunt cœli, in quibus fides, gravitas, continentia, doctrina, vita cœlestis est : nam quemadmodum *terra* dictus est, qui lapsus ex illa prævaricatione cœlestis gratiæ, et in hæc vitia terrena dejectus, prævaricationis suæ se vinculis religavit : ita e contrario *cœlum* dicitur, qui vitam angelorum custodia integritatis exercet, et corpus suum continenti sobrietate moderatur, mentem quoque suam miti tranquillitate componit, pecuniam pauperibus misericordi liberalitate dispensat. Est ergo et in terris cœlum, in quo possunt virtutes esse cœlestes. Illum puto cœlum, ad cujus animam venit Christus, et pulsat januam; et si aperuerit, ingreditur.

Beatitudo sola solida est in cœlo.

Justi sunt cœli.

Sancti igitur et perfecti viri sunt cœli claritate perspicui, quos radii justitiæ solis illuminant; in cujus lumine dum fallacias sæculi et virtutis dignitatem intuentur, vident veritatis lumen. Ipsi sunt instar cœlorum capacitate maximi, quos solus Deus replet, et omnis creatura vacuos derelinquit; quorum confessio est *Psalm.* XVI, 15 : « Satiabor cum apparuerit gloria tua. » Ipsi sunt non corpore, sed mente rotundi, siquidem quidquid cogitant, quidquid desiderant, quidquid ut bonum faciunt, vel ut malum omittunt, id totum a Deo incipiunt, et in eodem Deo tanquam in puncto circuli finiunt, habentes cum Paulo *Rom.* XV, 17, « gloriam in Christo Jesu ad Deum, » et non vanum honorem ab hominibus quæritantes. Ipsi sunt semper mobiles, quia nunquam otio torpent, nec socordia tepescunt, sed ordinatis motibus et assiduis virtutis operibus in idem punctum, scilicet in Deum, a quo progressi sunt, incessabiliter tendunt : nam *Psalm.* XXI, 32 et vita ipsa « annuntiant hi cœli justitiam ejus populo, qui nascetur, quem fecit Dominus. » Ipsi sunt virtute influendi præcipui, qui in alios homines innumerabilia bona a Deo impetrata efficacia orationis effundunt; unde Salomon ait *Prov.* XI, 10 : « In bonis justorum exaltabitur civitas, et in perditione impiorum erit laudatio. » Ipsi sunt a terra valde remoti, quia nec affectibus terrenis subserviunt, nec temporalibus occupationibus detinentur, sed una eis sollicitudo est, intellectu et affectu divinis inhærere, et a sæculi vanitate separari; Deum thesaurum cordium suorum ac hæreditatem desiderabilem æstimantes. Ipsi denique sunt sedes et domicilium Dei; et ille qui dixit *Isai.* LXVI, 1 : « Cœlum sedes mea, terra autem

Ii terrestres et homines cœlestes.

Viri sancti habent proprietates cœli.

scabellum pedum meorum, » etiam Prophetam regium ad hoc scribendum incitavit *Psalm.* V, 12 : « Et lætentur omnes qui sperant in te, in æternum exsultabunt, et habitabis in eis : » habitat in eis tanquam in templo sancto suo, et plane tanquam in cœlo, in quo sincerissimo amore diligitur, et cultu purissimo colitur et adoratur. Sancti ergo et perfecti viri adhuc in terra degentes rempublicam illam felicem constituunt, et omnibus modis suspiciendam, quam proprie satis vocamus regnum cœlorum : quoniam jam habet inchoata et incœpta, quæ illud cœlorum regnum, quod speramus, et pro quo indefesse et humiliter supplicamus, habet absoluta atque perfecta. Ita noster Alvarez de Paz lib. IV *De Perfect.* part. I, cap. IV, ubi hæc ipsa fusius prosequitur.

Vers. 19. Elihu a Jobo per sarcasmum doceri cupit.

19. OSTENDE NOBIS QUID DICAMUS ILLI : NOS QUIPPE INVOLVIMUR TENEBRIS. — Hæc cum stomacho aut irrisione subamara videtur dixisse, quasi in sua disceptatione superior et de Jobo triumphans Eliu, *q. d.* Age nunc, o Jobe, quando tam te sapientem et justum esse putas, ut de sapientia atque justitia cum Deo ipso certare posse tibi videaris, ostende nobis quos præ te nihil esse arbitraris, quique ignorare fatemur ingenue illa, de quibus modo te cogitare volui. Si Deus velit nunc nostram explorare sapientiam, et de his rebus interrogare, quarum obscuram diximus esse cognitionem, et humano captu superiorem; quid illi respondere non inepte possumus, ut inertiæ atque ignorationis declinemus infamiam, videamurque non esse omnino rudes, et in re philosophica prorsus ignari. Tibi enim, ut præ te non obscure fers, hæc omnia nota, cui lux affulsit major; nos horum nihil videmur assecuti, quibus ignorationis profundæ offusæ sunt tenebræ, neque spes ulla superest caliginis discutiendæ. Sic quidem Eliu Jobum irridet; interim vero ea doctrina nos omnes spectat, ut nimirum qui hoc sibi sumet et arrogabit, ut cum Deo velit agere et disceptare, is ostendat quomodo Deum simus allocuturi, et quid adferre possimus, ut ostendamus in ipso et ejus operibus aliquid carpi et reprehendi posse. Ac sane quid nobis tantam licentiam et audaciam dat, ut adversus Deum nonnunquam indignemur et irritemur, hoc vel illud ipsi objiciamus, nisi quod majestatem ejus non respicimus? Discamus igitur, quotiescumque tentamur ad carpenda opera Dei, coram ipso nos sistere, et ea quæ hic continentur nobiscum reputare. Quomodo illum alloquemur? unde initium faciemus? Tunc nos reprimendi occasionem habebimus, eaque stultitia, quæ in nobis prius erat, dometur et concidat oportebit; quando autem nos tenebris involvit, manifestius adhuc ignorantia hominum exprimitur : hic enim sumus quasi tenebris implicati, ita ut nihil cernamus. Quomodo igitur sermones nostros poterimus adversus ipsum disponere? Unde subdit :

Vers. 20. 20. QUIS NARRABIT EI QUÆ LOQUOR? ETIAM SI LOCUTUS FUERIT HOMO DEVORABITUR. — Quis, inquit, erit adeo sapiens, qui cum Deo de his quæ promo disserere audeat? quantumcumque enim quis pro captu hominis diserte loquatur nihil proficiet; neque vero quidquam loqui videbitur, quemadmodum tenuis rivulus qui in oceanum influit, et absorbetur immensis maris aquis, nihil esse videtur. Solent homines, cum magna quædam coguntur exprimere, salivam glutire, et verba mandere; at qui ad Deum loquitur, et magnalia divina conatur explicare, non solum salivam glutit, aut verba mandit, sed totus ipse voratur, et penitus evanescit. Ad hæc D. Gregorius lib. XXVII *Moral.* cap. XXV : Homo, inquit, cum de Deo tacet, per rationem, in qua conditus est, esse aliquid videtur; at si loqui de Deo cœperit, illico quam sit nihil ostenditur, quia magnitudinis illius immensitate devoratur, et quasi in profundum raptus absconditur; quia fari ineffabilem cupiens, ipsa suæ ignorantiæ angustia deglutitur : » sic ille. Potest quoque verbum *devorabitur* significare supplicium hominis cum Deo disceptare audentis, quem mors ultrix voraret.

Quis enim Deo disceptat devoratur.

Vers. 21. 21. AT NUNC NON VIDENT LUCEM : SUBITO AER COGETUR IN NUBES, ET VENTUS TRANSIENS FUGABIT EAS. — Revertitur hic ad meteora, ex quibus disparitatem divinæ scientiæ humanam cognitionem vincentis amplificat; proponitque nubes nunc coactas terram obumbrantes, lucemque prohibentes, nunc vento disjectas cœli serenitatem exhibentes. Vis autem argumenti ejus talis est : Si homines non intelligunt rationem et modum et causam lucis corporeæ, imo nec lucem cœli quantumcumque fulgentissimam videre possunt, cum nubibus aer obducitur; multo minus capient rationem lucis spiritualis et aliarum rerum arcanarum, præcipue divinarum. Mystice S. Gregorius lib. XXVII *Moral.* cap. XXV : « Quid, inquit, per *aerem* nisi mentes sæcularium designantur, quæ innumeris hujus vitæ desideriis deditæ, huc illucque more aeris fluidæ disperguntur? Sed aer in nubes cogitur, cum fluxæ mentes per superni respectus gratiam virtutis soliditate roborantur, ut intra sinum cordis recta sentiendo se colligant, et in vanis cogitationibus non liquescant. Ventus autem transiens nubes fugat, quia mortalis vita percurrens prædicatores sanctos a nostris oculis corporaliter occultat : » sic ille. Itaque justi ante justitiam sunt quasi vapores, quos levis aura tentationis fugat; post justitiam vero sunt quasi nubes cœlesti virtute densatæ, et ad pluviam bonorum operum dandam congelatæ, quas in cœlum levatas minime terrena conturbant : has ventus transiens fugat, quia vita transiens a conspectu eorum, quibus exemplo et doctrina prosunt, occultat. Qui tamen justi in hoc a nubibus distant, quod nubes transeuntes evanescunt, justi autem hinc emigrantes præmium stabilitatis suæ æternitatem recipiunt.

Sæculares aeri levidenso, viri spiritales nubibus sunt similes.

Vers. 22. 22. AB AQUILONE AURUM VENIT, ET AD DEUM FORMI-

http://www.obrascatolicas.com

Aquilo serenat aerem.

DOLOSA LAUDATIO. — Septuaginta legunt, ἀπὸ Βορρᾶ νέφη χρυσαυγοῦντα, *ab aquilone nubes aurei fulgoris* : vento enim aquilonari discussis nubibus serenatur aer, et aurea lux solis et cœli emicat, et sic cohæret versui præcedenti, *q. d.* Si aureum jubar solis oculo tuo ferre non potes, qui poteris lucis illius inaccessæ et divinæ majestatis radios tolerare? ita Titelmannus, Vatablus, Mercerus. Quanquam etiam, ut in Latino sonat, proprie verum sit ex aquilonaribus regionibus aurum prodire.

In aquilonaribus regionibus etiam aurum provenit.

Vidi ego ipse non paucas in Bohemia auri argentique fodinas; et qui de metallis scribunt, Pannoniam quoque et Citeriorem Germaniam inter feraces auri provincias numerant; et Hungarici ac Salisburgenses aurei, quos *ducatos* appellant, abunde satis id testantur, quorum aurum purissimum in istis partibus eruitur et cuditur. Et hoc sensu sic formandum esset argumentum : Quid jactas te divina arcana penetrare, qui capere non potes neque exponere hoc naturæ arcanum, quomodo videlicet aurum non modo in calidis, sed etiam in frigidis regionibus nascatur, et quidem nobilissimum ac præstantissimum. Id vero fit tum per occultas cœli influentias, tum per antiperistasin, calore se intra viscera terræ ob externi frigoris vim cogente et condensante : ita Tirinus noster. Allegorice auster est Judæa, aquilo frigida gentilitas : calor est fidei fervor, aurum charitas, justitia gloria æterna; ad Deum autem ipsius auri opificem redit formidolosa laudatio, id est plena timoris et reverentiæ laus, dum talia ejus opera consideramus : vide hæc fusius apud S. Gregorium lib. XXVII *Moral.* cap. XXVI.

Vers. 23 et 24.

23 et 24. DIGNE EUM INVENIRE NON POSSUMUS : MAGNUS FORTITUDINE, ET JUDICIO, ET JUSTITIA, ET ENARRARI NON POTEST. IDEO TIMEBUNT EUM VIRI, ET NON AUDEBUNT CONTEMPLARI OMNES QUI SIBI VIDENTUR ESSE SAPIENTES. — Hic prolixi sermonis conclusio est, qua Eliu duo pronuntiata complectitur; *unum*, non posse nos Dei cognitionem suprema illa natura, potentia, sapientia, justitia dignam in hac mortali vita invenire, ob ineffabilem divinæ majestatis sublimitatem; *alterum*, viros quosvis, etiam eos qui sapientia præstant, si sapiant, non ausuros Deum ipsiusque opera curiose perscrutari; præsertim cum Deus in divinis litteris dicatur *occultus* et *absconditus*, qui neminem ad cognitionem sui admittere videatur. Hinc D. Paulus I *Timoth.* VI, 16, illum ait « lucem habitare inaccessibilem; » et David insuper addit *Psalm.* XVII, 14, Deum « posuisse tenebras latibulum suum; » eumdemque ipsum constat Moysi et prophetis sese nube velut sipario tectum ostendere consuevisse, ut intelligamus hominum generi vix concedi, ut aciem mentis in eas tenebras et inaccessam lucem intendat. Id Sapientes omnium temporum sacri et profani viderunt, qui clarissimo testimonio sunt professi, ninium quantum esset difficile Deum invenire, ut ex Platone prodit Lactantius lib. I *Instit.* cap. VIII, indicari autem in vulgus et explicari nulla ratione posse. Quod Hebræi significare cupientes, nomen Dei aiunt esse ἄῤῥητον, ἀνεκφώνητον, *ineæplicabile*, dici et nominari non posse; a quibus opinor capientes Ægyptii, principem Deum suum nuncupavere *Amun*, quem Græci Latinique dicunt *Ammonem* : quod nomen ait Manethos significare *occultum* sive *occultationem*; hinc Saitæ, inter illos sapientiæ nomine celebrati, in propyleo templi Minervæ nobilem illam inscriptionem posuerant : « Meum peplum nemo unquam mortalium detexit. » S. Justinus martyr *Adhort. ad Gent.* ait Acmonem philosophum ea causa Deum nominasse πάγκρυφον, *prorsus occultum*; et Pachymetes *in Epist.* 3 S. Dionysii Areopagitæ animadvertit eum pro Deo ponere κρύφιον, et divinitatem appellare κρυφιότητα : de quo vide quid ad dictum S. Dionysii locum et in *Myst. Theol.* cap. I annotavimus. Hinc factum credo ut omnes S. Patres cum D. Damasceno lib. I *De Fide* cap. XIII, communi animorum consensione Deum vocent ἀκατάληπτον, *qui comprehendi nequit* : vide quæ præc. cap. fusius a nobis hac de re dicta sunt ad vers. 26.

Deus ineffabilis et inominabilis.

Cæterum Septuaginta hæc ita vertunt, καὶ οὐχ ηὑρίσκομεν ἄλλον ὅμοιον τῇ ἰσχύϊ αὐτοῦ, *et non invenimus alium similem virtuti ejus*, pro quo Symmachus vertit, τὸν ἱκανὸν οὐκ ἐξευρίσκομεν, *sufficientem non invenimus*. Sequentia deinde per interrogationem efferunt hoc modo, ὁ τὰ δίκαια κρίνων, οὐκ εἶει ἐπακούειν αὐτὸν, *qui justa judicat, non putas exaudire eum?* quod Aquila reddit, καὶ κρίσιν καὶ πλῆθος δικαιοσύνης οὐ κακουχήσει, *et judicium et multitudinem justitiæ non affliget* : affligit autem et vexat judicium, qui pervertit jus, atque immerentem punit, aut saltem plus æquo; significat ergo Deum non affligere quemquam temere et sine causa, aut præter jus et æquum, licet immensa ejus potentia sit. Ultimum deinde versum ita exprimunt, διὸ φοβηθήσονται αὐτὸν οἱ ἄνθρωποι· φοβηθήσονται δὲ αὐτὸν καὶ οἱ σοφοὶ καρδίᾳ, *propterea timebunt eum homines; timebunt quoque eum et sapientes corde*, id est, quibus cor sapit : cor enim sedes est sapientiæ, unde qui hac pollent *cordati* dicuntur; sicut e contra qui illa carent vecordes et excordes appellantur. Pro conclusione igitur hortatur Eliu, ut tantam Dei fortitudinem atque æquitatem supplices colant mortales omnes, ne experiri suo malo illius potentiam et vindictam cogantur : quare viri sapientes ac cordati nunquam arcana Dei consilia curiosius perscrutari tentabunt, neque sublimius, quam pro eorum captu divina fert illustratio, insolenter aliquid præsument, ne in præceps perversa propensione labantur; sed, juxta D. Dionysii consilium *De Div. nom.* cap. I, divinas lances imitando, summæ quidem divinitatis arcanum illud, quod omnem intelligentiam transcendit, a scrutatione vacuis animi venerationibus, ineffabilia vero modesto quodam silentio prosequentes, sacris eloquiis attendent; semper simul sit ad Deum istiusmodi formidolosa laudatio.

Deus incomprehensibilis.

Deus occultus et absconditus.

Dei majestas non scrutanda, sed supplici veneranda.

Difficile est perfectam Dei cognitionem assequi.

quorum deinde luce ad divinos hymnos excitentur; ita tamen ut, sicut supra dictum fuit,

CAPUT TRIGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus ipse disputationi se interponit, et reprehenso Eliu ac silere jusso, docet Jobum cæterosque omnes, divinam potentiam ac sapientiam suam esse homini prorsus incomprehensibilem, inductione facta per varias creaturas, et creaturarum operationes ac proprietates, quæ aciem mentis humanæ penitus effugiunt.

1. Respondens autem Dominus Job de turbine, dixit : 2. Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? 3. Accinge sicut vir lumbos tuos : interrogabo te, et responde mihi. 4. Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, si habes intelligentiam. 5. Quis posuit mensuras ejus, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam? 6. Super quo bases illius solidatæ sunt? aut quis dimisit lapidem angularem ejus, 7. cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei? 8. Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens : 9. Cum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem? 10. Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem, et ostia; 11. et dixi : Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos. 12. Numquid post ortum tuum præcepisti diluculo, et ostendisti auroræ locum suum? 13. Et tenuisti concutiens extrema terræ, et excussisti impios ex ea? 14. Restituetur ut lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum : 15. Auferetur ab impiis lux sua, et brachium excelsum confringetur. 16. Numquid ingressus es profunda maris, et in novissimis abyssi deambulasti? 17. Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, et ostia tenebrosa vidisti? 18. Numquid considerasti latitudinem terræ? Indica mihi, si nosti, omnia, 19. in qua via lux habitet, et tenebrarum quis locus sit : 20. Ut ducas unumquodque ad terminos suos, et intelligas semitas domus ejus. 21. Sciebas tunc quod nasciturus esses? et numerum dierum tuorum noveras? 22. Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? 23. Quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ et belli? 24. Per quam viam spargitur lux : dividitur æstus super terram? 25. Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonantis tonitrui, 26. ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur, 27. ut impleret inviam et desolatam, et produceret herbas virentes? 28. Quis est pluviæ pater? vel quis genuit stillas roris? 29. De cujus utero egressa est glacies? et gelu de cœlo quis genuit? 30. In similitudinem lapidis aquæ durantur, et superficies abyssi constringitur. 31. Numquid conjungere valebis micantes stellas pleiadas, aut gyrum arcturi poteris dissipare? 32. Numquid producis luciferum in tempore suo, et vesperum super filios terræ consurgere facis? 33. Numquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra? 34. Numquid elevabis in nebula vocem tuam, et impetus aquarum operiet te? 35. Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus? 36. Quis posuit in visceribus hominis sapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam? 37. Quis enarrabit cœlorum rationem, et concentum cœli quis dormire faciet? 38. Quando fundebatur pulvis in terra, et glebæ compingebantur? 39. Numquid capies leænæ prædam, et animam catulorum ejus implebis, 40. quando cubant in antris, et in specubus insidiantur? 41. Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes, eo quod non habeant cibos?

Vers. 1.

1. RESPONDENS AUTEM DOMINUS JOB DE TURBINE DIXIT; — Septuaginta vertunt, μετὰ δὲ τὸ παύσασθαι Ἐλιοὺ τῆς λέξεως, εἶπεν ὁ Κύριος τῷ Ἰὼβ διὰ λαίλαπος καὶ νεφῶν, *postquam autem cessavit Eliu loqui, dixit Do-*

http://www.obrascatolicas.com

Cur Deus in turbine Jobo apparuit.

minus Jobo per turbinem et nubes, id est, cum perorasset Eliu, suam Deus disputationem exorsus est, et de turbine, vento videlicet in seipsum vehementer contorto, aut de nube vel caligine procellosa et quodammodo tonante, quæ Jobo incubuit ea propinquitate, qua vox Dei post strepitum fragoremque turbinis posset commode audiri, quasi de sua cathedra sermonem ad Jobum habuit. Sic in turbine etiam cum Moyse et Elia locutus est *Exod.* XIX, 9 et III *Reg.* XIX, quo significaretur divina majestas, et quam longe a nostris sensibus absit, ut dixerat super. cap. Eliu : nos quippe involvimur tenebris; tum quod tam infirmæ sint res corporis participes cum suprema illa natura comparatæ, et si se adesse declaret, ejus præsentiam ferre non valeant, sed totæ commoveantur et contremiscant, quasi tantæ majestatis pondus declinare satagentes. Adde quod turbo quoque potuerit fuisse symbolum calamitatis quæ Jobum oppresserat, in qua Deus apparuit ei, quia longe maxima amicitia Deus illum sibi per calamitatem adjunxit : quare viri probi cum in graves miserias et acerbas calamitates inciderint, persuadere sibi debent eas turbinem esse, in quo Deus ipsis adsit; quem omnino tandem visuri sunt, si prudenter se gesserint. Nam IV *Reg.* II, 11 et Elias dicitur per turbinem in cœlum ascendisse. Ea de causa igitur Dominus illum turbinem excitavit, ut Jobus cognosceret, cum quo Domino sibi res esset. Hinc passim in Scriptura *Exod.* XIX, 9 et I *Reg.* VIII, 10, Deus dicitur habitare tanquam in nube obscura aut circumdatus esse luce, ad quam accedere non possimus; quod si velimus ipsum contemplari, sensus nostros illico caligare, atque inter illum et nos nimis densam obscuritatem interjectam esse: ita nimirum in genere de gloria Dei verba fiunt, ne præsumamus de consiliis ejus incomprehensibilibus curiose nimis inquirere, sed de illis gustemus id quod libet ipsi nobis patefacere; interim cognoscamus sensus omnes nostros deficere, nisi placeat ipsi nobis appropinquare, aut nos ad se attollere. *Nubes* itaque et *turbo* præsentis divinæ majestatis indicium est, quo etiam usus fuit in legis promulgatione, quando excitavit tonitrua, voluitque tubas in aere audiri, omnia tremere ac trepidare, ita ut populus eo usque perterreretur, et se excusaret *Hebr.* XII, 19, « ne eis fieret verbum. » Nequaquam tamen voluit Dominus populum a se abigere, ne ab ipso audiretur; quin potius noluit frustra legem suam dare, sed hac ratione illam altius ipsorum animis imprimere. Istiusmodi enim turbines et tempestates, quas in aere excitavit, præparationis loco fuerunt ad populum rite disponendum, qui alioquin sine notis illis ac signis, quæ adjuncta fuerunt, Dei verbo non obedivisset, neque loquentis auctoritatem cognovisset; unde videmus non fuisse supervacaneum, quod Deus ex turbine sic locutus fuerit.

Cæterum observa Deum in prioribus istis trium amicorum cum Jobo dissertationibus nihil omnino fuisse interlocutum, sed postquam Eliu longissimam a cap. XXXII usque ad cap. XXXVII inclusive contra Jobum disputationem texuisset, in qua multas ei contumelias impegerat, tum demum ad illud jurgium dirimendum advolasse et pro Jobo respondisse. At cur Deus in priori contentione tacet, et in hac posteriori loquitur? Respondet apposite Lyranus, quia Job in hac posteriori tacebat : nam qui pro se loquitur Deum pro se loquentem non habet; qui vero tacet, Dei patrocinio suscipitur defendendus : sic cum non leves quoque calumnias Maria et Aaron fratri suo Moysi intulissent *Num.* XII, 2 : « Dominus, inquit textus, iratus est : erat enim Moyses vir mitissimus, » etc., ubi vides Deum statim adfuisse Moysi defensorem : quia Moyses singulari præditus mansuetudine omnem sui defendendi curam in Deum rejiciebat; unde Rupertus lib. I *in Num.* cap. XXXIV : « Moyses, inquit, nullo modo seipsum defendebat, et hoc pacto quasi legitima causa defensorem sui Deum magis constituebat. » At vero Theodoretus quæst. XXII *in Num.* : « Per hæc, inquit, docemur, non ulciscendum esse de his qui inferunt injuriam, sed exspectandam sententiam divinam, quæ maxime consolatur injuriam passos, quemadmodum et tunc, tacente Moyse, Mariam lepra percussit. » Unde Tertullianus lib. *De Pat.* cap. XV : « Satis, inquit, idoneus patientiæ sequester Deus : si injuriam deposueris apud eum ultor est; si damnum, restitutor est; si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem? » sic ille. Quia igitur Jobus silebat, Deus ipsemet causam ejus suscepit defendendam; et postquam viros istos terruit, et animos ad attentionem excivit, e vero externoque turbine, vero externoque sono, qualem requirit geminus hujus loci intellectus, ita Jobum affatus est.

Qui tacendo injuriam sustinet, Deum habet defensorem.

Vers. 2.

2. QUIS EST ISTE INVOLVENS SENTENTIAS SERMONIBUS IMPERITIS? — Hæc verba scriptores aliqui de Jobo, alii de Eliu dicta contendunt, argumentis in utramque partem minime spernendis : ego censeo de Eliu dicta, nam de ipso illa exponunt S. Gregorius, Stunica, Titelmannus, Emmanuel Sa, Sanctius, Joannes a Jesu Maria, Tirinus, et alii quidam. Et est hoc probabilius quam ut Jobo aptentur, qui jam pridem siluerat, Eliu vero tum demum sermonem expleverat; ut verosimile sit, vix ullam inter finem orationis Eliu et turbinis ortum intercessisse moram, quemadmodum contextus ipse videtur exposcere. Cohæret quippe, ut oratorem prolixum vix finem dicendi facientem coortus e vestigio turbo quasi præoccuparit, ne de integro sermonem instauraret. Cohæret etiam, ut Deus cum Jobo loquens, rogansque : *Quis est iste?* etc., interroget non de Jobo ipso, sed de alio quopiam, neque succurrit alius, quam qui recenter siluerat; si tamen siluerat, et non potius orationem pertexere cogitabat. Nam et in-

ter dicendum argute ab interpretibus observatum est Eliu aliquoties tantillum exspectasse, si forte Jobus responderet; moxque nullo accepto responso, dicere perrexisse. Cohæret denique ipse verborum sensus : « Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? » hoc est, qui effert pia asserta et erudita, sed imperite, hoc est imprudenter, *q. d.* Quis est iste tam inurbanus et insolens, qui sententias neque leves neque imperitas, imperitis tamen sermonibus includit atque contaminat? Quo ætas Eliu, et fastus et sermo audax arrogantia vitiatus obtrususque Jobo notatur. Eliu ergo tacere jusso, convertit Deus sermonem ad Jobum; simul tamen cum Jobo volebat aliis quoque præsentibus sua dicta intimari.

Eliu miscebat sententias sermonibus imperitis.

Vers. 3.

3. ACCINGE SICUT VIR LUMBOS TUOS : INTERROGABO TE, ET RESPONDE MIHI. — His verbis Dominus de turbine Jobum aggreditur, ut quem peracto certamine ornare vult, ignorantiæ prius manifeste convincat, et per sui ipsius majorem cognitionem ad majora etiam beneficia disponat. Cum enim hæc cognitio indignitatis propriæ, et hic sanctus humilitatis affectus, quo quis se indignum donis reputat, sit quasi scala ad eadem dona percipienda; ideo Dominus, qui ordinis amator est, prius justos suos ad hunc affectum consequendum adjuvat, et postea eos suis donis multiplicat. Volens ergo S. Jobum ad magnam gloriam et ad duplicatas opes efferre, prius illum multis tribulationibus attritum difficillimis insuper percunctationibus deprimit, ut ad dona recipienda indignitatis suæ sensu se præparet : « Accinge, inquit, sicut vir lumbos tuos, » quasi mecum sis in arenam descensurus. Tu quidem, o Jobe, jam ante cum amicis tuis loquens ausus es in disputationem me provocare dicens cap. XIII, 22 : « Voca me, et respondebo tibi : aut certe loquar, et tu responde mihi : » item *ibid.* vers. 3 : « Disputare cum Deo cupio; » aliaque plura hujusmodi secundum exteriorem faciem nimis libere protulisti. Nunc igitur, si confidis te posse mecum disputando contendere, age, præpara te, et accinge lumbos tuos, quasi rem magnam et opus arduum aggressurus, ut facere solent ii, qui ad itinera vel opera quælibet difficilia se parant; ex quo ritu accingendi se factum ut *accinctus* dicatur qui industrius, et *discinctus*, qui negligens est. Hinc qui prompti vigilesque sunt et strenui in exsequendo officio, quod lex et ratio et Deus ab unoquoque postulant, ii *præcincti* dicuntur *Luc.* XII, 35 : « Sint lumbi vestri præcincti : » nam præcinctio paratorum et vigilantium nota est, qua a Christo servatore ad operam strenue et continuo ponendam vigilantiamque impellimur. In scriptis quoque apostolorum I *Petr.* I, 13 dicuntur *succincti lumbos*, quales omnes christianos D. Petrus apex theologorum, et doctor gentium esse voluerunt; in effatis insuper divinorum vatum nominantur *accincti*, quomodo Habacuc cap. III, 16 christianam gentem adumbrans vocat *populum accinctum*. Eodem ergo sensu Deus Jobum jubet esse accinctum : ego enim, inquit, ad declarandam excellentiam magnitudinis meæ (cui tu, si non animo malo, tamen verbis minus caute prolatis visus es non parum derogare) interrogabo te de his quæ in propatulo universis et in prospectu tuo sunt, et apparebit, an scias respondere mihi.

Deus Jobum exaltaturus prius memorem facit propriæ indignitatis et ignorationis.

Accincti iidem qui strenui.

Justis exercenda est vana gloriatio et animi elatio.

Sic ergo Dominus suam interrogationem est exorsus, qua modum loquendi Jobi liberiorem compescuit : hanc enim ob causam, auctore S. Gregorio lib. XXVIII *Moral.* cap. I, tantis Job interrogationibus perculsus est, ut humilitate periculum elationis evaderet, quæ facile ex tanta innocentia suboriri poterat, et se ad capienda ampliora dona disponeret : « Quid, inquit, pejus plerumque animam quam conscia virtus interficit? quæ illam dum consideratione sua inflat, a plenitudine veritatis evacuat; et dum se ad percipienda præmia sufficere suggerit, eam a meliorationis intentione distendit. Justus igitur Job ante flagella exstitit, sed justior post flagella permansit; et laudatus antea Dei voce, postmodum crevit ex verbere. Profecto velut tuba ductilis ex percussione producta in laudem Dei tanto altius elevatus est, quanto majori est castigatione percussus. Sed humiliandus erat iste, qui prostratus ulceribus sic virtutibus stabat : humiliandus erat, ne tam robustissimum pectus elationis tela confoderent, quod constabat certe quia et illata vulnera non vicissent : » ita S. Gregorius. Jubet ergo Jobo Deus non jam lumbos carnis, id est peccata gravia, a quibus ipse jam se immunem ostenderat, sed lumbos quoque mentis præcingere, id est a modicis defectibus temperare : quia isti defectus instar nebulæ inter mentem nostram et lucem divinam interjacent, et quasi importuni clamores vocis divinæ, quæ est instar sibili auræ tenuis, auditionem impediunt. Cor namque ad ima depressum nequit in altum oculos mentis attollere, et imperfectiones amans nequit puritatem perfecte diligere, et manus habens terrenis opibus occupatas non valet ad cœlestes thesauros diripiendos efferre. Ad quam rem asserendam optime Richardus Victorinus ait : « Anima, quæ ad sublimiorem gradum vult conscendere, etiam multitudinem venalium et minores concupiscentias debet cavere, ut proficere et ampliorem gratiam mereatur accipere : debet enim vitare cogitationes carnales et vanas, et item cogitationes suspicionis, iræ et amaritudinis, et hujusmodi consolationes etiam terrenas, in cibo videlicet et potu, in colloquio, in videndo, in audiendo, in curiositate, in vestibus, in somno, in qualibet libertate : quia quantum delectationes istas mortificat et respuit, et carnaliter consolari renuit, tantum spiritualiter merebitur consolari, et in gratia vivificari : quantum ab istis vacuum cor reperit gratia, tantum replebit : quantum caduca ista aliquis contemnit et supergreditur, tantum ascendit · quia tantum de infimis ad superna

Lumbi non solum corporis, sed et mentis accingendi minimos defectus vitando.

http://www.obrascatolicas.com

pergit. Post mortificationem itaque majorum peccatorum, etiam minora mortificare et calcare oportet proficientem animam, et ad spiritualem vitam conscendere volentem. » Ista venerabilis Richardi sententia compertum efficitur, operæ pretium esse ei, qui vult ad perfectionem ascendere, non tantum gravia peccata fugere, sed levia quoque declinare : quod est mentis lumbos accingere.

Vers. 4. 4. UBI ERAS QUANDO PONEBAM FUNDAMENTA TERRÆ, INDICA MIHI SI HABES INTELLIGENTIAM. — Incipit jam Deus interrogare atque urgere Jobum, et eo paulatim adigere, ut se rerum ignarum esse cognoscat, et ingenue fateatur; et primum interrogat, quo tunc esset loco, quando prima terrenæ molis fundamenta ponebat, quæ, cum nondum natus, videre non potuerit; neque dum humanis oculis appareant, necesse est ut a Jobo ignorentur omnino. Loquitur autem de universi fabrica eo prorsus modo, quo quis de molitione aliqua vulgari loqueretur; cum tamen hæc ab illa toto distaret cœlo. Quare in hac admirabili constructione audimus fundamentum, angularem lapidem, lineas, bases, mensuram, quæ vulgo adhibere solent architecti, dum vulgarem aliquam fabricam moliuntur; quæ tamen omnia cordati homines removent ab universi molitione; quia summo rerum Opifici necessaria non fuerunt, neque opportunum aliquem usum videntur habere potuisse. Sic sane Cicero lib. I *De Nat. Deor.* ubi Platonem reprehendit, quod novam quamdam rationem ostendit, qua Deus universum architectatus est : « Quibus, inquit, oculis intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, qua construi a Deo atque ædificari mundum fecit? Quæ molitio, quæ ferramenta, qui vectes, quæ machina, qui ministri tanti operis fuerint? Quemadmodum autem obedire et parere voluntati architecti aer, ignis, aqua, terra potuerunt? » Qua ergo ratione negat Cicero Platonem scire potuisse, quem in universi fabrica Dominus servarit modum; eodem nunc Deus aut probat, aut indicat hoc ipsum ignoratum a Jobo, *q. d.* Misera creatura, cum quo tibi rem esse putas? te parem meum esse oporteret, et ad meam intelligentiam accedere; quanto vero intervallo ab ipsa distas?

Deus de mundi creatione quasi de ædificii cujusdam substructione loquitur.

Tropologice Deus Jobum virum sanctum, et variis tentationibus probatum ac fidelem inventum hac interrogatione ad sui notitiam sensu altiori et abstrusiori vocat, cum ad illum ait : « Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? » Cogita, inquit, ubi eras antequam in te virtutis fundamenta jecissem, et antequam te in virtute soldassem, ut ob mea dona gratias agas, et ne de alienis superbias : ita S. Gregorius lib. XXVIII *Moral.* cap. VI, ubi hæc fusius prosequitur. Invenit plane Deus justos, quando eos justos fecit, peccato sordentes, et instar illorum septuaginta seniorum Israel, quorum Propheta meminit, monstra vitiorum adorantes. Fodit Ezechiel cap. VIII, 8, « jussu Domini templi parietem, et ingressus per ostium a se apertum aspexit : et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium, abominatio, et universa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum. » Hæc eadem quisque nostrum in se vidisse testabitur, si cor suum, antequam a Deo ad justitiam vocaretur, aspiciat : nos enim sumus templa Dei per baptismum divino Numini consecrata; sed per peccatum profanata et delubra idolorum effecta. Si iræ et appetitui vindictæ subjacuisti, serpentem adorasti; si luxuriæ servisti, equum obscœnum et inhiantem ad fœminam veneratus es; si avaritiæ te dedisti, ante lupum voracem procubuisti. Hæc et similia monstra in te, o homo, depicta erant, quæ Deus misericordia motus delevit, ut suam imaginem reformaret. Canitque David *Psalm.* LXXII, 20 : « Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges : » nos civitas tua sumus, o Deus meus, civitas antea solitaria, nunc, si ad justitiam redivimus, beneficio tuo plena populo; antea quasi vidua, nunc desponsata tibi, et facta domina gentium; antea sub tributo, nunc eorum, quibus tributa pendebat, princeps effecta est. Et quare princeps, nisi quia tu, Domine, non solum substantiam, verum et imaginem illorum vitiorum, quæ dominabantur ei, ad nihilum redegisti, et non aliter quam leve somnium eorum qui expergiscuntur ablegasti? in perfectis enim viris sæpe et peccata destruis, et memoriam peccatorum præteritorum expellis, ut ad te confidentius accedant; ipsi vero non raro ad seipsos redeunt, et quales prius fuerint advertunt, ut hac consideratione sui sibi ipsis nullum bonum adscribant, et a bonis Dei sua mala discernant. Omnes ergo tam mali quam boni, tam imperfecti quam perfecti, se ipsos ante se statuant, et nunquam propriæ mendicitatis et miseriæ obliviscantur : si mali et peccatores sunt, seipsos agnoscant, ut justitiam non deponant; si mali sunt, sciant se esse cæcos et ægrotos, Deoque et omnibus civibus curiæ cœlestis ingratos.

Vitia sunt monstra et idola.

Deus monstra vitiorum in nobis delet per justitiam.

Omnes sæpe seipsos considerare debent.

Vers. 5. 5. QUIS POSUIT MENSURAS EJUS, SI NOSTI? VEL QUIS TETENDIT SUPER EAM LINEAM? — Pergit Deus Jobum in eadem metaphora interrogare, quis fuerit universi status antequam singula in partes discederent; quæ ratio mersa et confusa diduxerit; quis loca rebus assignaverit; et ut suapte natura gravia descenderint, evolarint levia; et quæ præter nisum pondusque corporum altior vis legem singulis dixerit; quis denique fuerit is architectus terræ qui tam concinna forma illam construxit, et quasi circino vel linea circulari circumducta rotundam descripsit. Mensura certe et linea imperium Dei certam quantitatem, formam modumve præscribentis est : nam *Sap.* XI, 21, omnia quæ mundi complexu continentur, « in numero, pondere et mensura » confecit; hoc est eo molimine sapientiæ, ea consilii luce et miranda moderatione, qua major cogitari nequit. Quis ergo,

Deus omnia fecit in mensura.

Fundamentum virtutis est cognitio propriæ infirmitatis et indignitatis.

inquit Deus, nisi ego in amplissima, sed certa ac mensurata magnitudine orbem terræ feci? quis, nisi ego terræ partes ad lineam directionis exegi, et certo limite ac terminata quantitate conclusi?

Deus cor humanum ne efferatur angustis virtutum terminis concludit.

Mystice in hac terra aliam terram, cor videlicet humanum, intueri licet, post magnos conatus in quibusdam donis a se desideratis exiguum, et post desideria non nimis accensa in donis minus ardenter quæsitis magnum, ut dona dona esse, et non propriam industriam inspiciat : concludit ipsum Deus nonnunquam angustis quibusdam virtutis terminis, et post multos labores pauperem derelinquit, ut hanc salutarem scientiam propriæ cognitionis acquirat. Meditatus est id S. Gregorius Magnus lib. XXVIII *Moral.* cap. VI, hunc eumdem locum explanans, ubi sic ait : « Nonnunquam clandestina elatio etiam sollicitis cordibus surrepere solet, ut bonorum cogitatio, licet subtilis sit ac pressa, cum valde in virtutibus crescit, oblita infirmitatis propriæ, nequaquam ad memoriam revocet quid in vitiis fuerit. Unde et omnipotens Deus, quia augeri infirmitatem etiam de remediis salutis conspicit, mensuram ipsis nostris profectibus imponit, ut habeamus quædam virtutum bona quæ nunquam quæsivimus; et quæramus quædam, nec tamen habere valeamus : quatenus mens nostra dum hæc non potest habere quæ appetit, et illa se intelligat de semetipsa non habere quæ habet, et per ea quæ adsunt, considerentur illa quæ desunt; et per ea quæ utiliter desunt, serventur humiliter bona quæ adsunt. » Sic ille.

Ubi humilitas, ibi securitas; ubi superbia, ibi ruina.

Magna profecto res est, quam Deus in nobis tam caro pretio mercatur, ut etiam exiguitate profectus nostri velit ad humanæ imbellicitatis notiam excitare; et summopere nobis expedit hanc scientiam addiscere, ob cujus absentiam sæpe multis bonis concupitis privamur, divina familiaritate frustramur, et pauperes et nudi derelinquimur. Deus enim, qui summe bonus est, et nunquam mala nisi propter aliquod bonum permittit, judicat satius nos in sterquilinio tepiditatis et in cœno imperfectionum relinquere, quam in sublimi perfectionis positos, ob elationem ex defectu propriæ notitiæ conceptam, bono, quod receperamus, privare. Ubi enim humilitas, ibi securitas est, ibi confirmata fortitudo; ubi superbia, ibi imbecillitas, ibi ruina : quamobrem prudenter David suæ conscius fragilitatis sic deprecatur *Psalm.* XXXV, 12 : « Non veniat mihi pes superbiæ : » bene ait *pes*, non pedes, superbo enim pes est unicus; ideoque sicut diu consistere non potest qui unico tantum stat pede, eoque totam incumbentis corporis molem sustinet : ita nec diu stare potest superbus, nutabit enim, dubiumque librabit corpus, ac tandem præceps in ruinam. Unde statim subdit : « Ibi ceciderunt omnes, » pulchre rationem reddens, cur tantopere sibi timeat a superbia, quia scilicet communis est scopulus, in quem fere omnes impingunt quotquot

Superbia est communis scopulus pereuntium.

pereunt : « Quoniam initium omnis peccati est superbia : qui tenuerit eam adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem, » ait Ecclesiasticus cap. X, 15 : hæc Luciferum cum complicibus suis præcipites egit e cœlo, Adamum et Evam ejecit e paradiso, quia per eam peccatum in orbem intravit, quod totam humani generis massam infecit.

Vers. 6. 6. SUPER QUO BASES ILLIUS SOLIDATÆ SUNT? AUT QUIS DEMISIT LAPIDEM ANGULAREM EJUS. — Nota terram proprie non habere bases, fundamenta vel lapidem angularem, ut cap. XXVII, 6 ostensum est : quare est hic metaphora sumpta a domo firma, significans terræ firmitatem, immobilem consistentem, velut admoto lapide angulari adnixam basi, qui utrumque latus constringat. Bases ergo et lapis angularis sunt ipsa terræ a Deo indita stabilitas, qua in loco suo firma et immota consistit, perinde ac si basibus inniteretur, et lapidibus angularibus latera undique stringentibus vincirentur : ita passim doctores. Unde non est quod pro his basibus cum Valesio *De Sacr. Philos.* cap. LII, confugiamus ad imam terræ partem circa centrum, quam dicit esse gravissimam, solidissimam et quasi adamantinam; multo minus cum Thalete sentiendum, terram aquis velut lignum innatare; minime omnium cum Xenophane et Empedocle, immensam esse terræ profunditatem.

Bases et lapis angularis terræ est ipsa ejus firmitas.

Terræ bases sunt Ecclesiæ doctores.

Mystice S. Gregorius lib. XXVIII *Moral.* cap. VI : « Terræ bases, inquit, S. Ecclesiæ doctores sunt, qui dum recta prædicant, et prædicationi suæ vivendo concordant, omne pondus Ecclesiæ fixa morum suorum gravitate sustentant, » etc. Tropologice, « bases uniuscujusque animæ sunt intentiones suæ : nam sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus innituntur, ita vita nostra in virtutibus, virtutes vero in intima intentione subsistunt; et quia scriptum est I *Corinth.* III, 11 : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*, tunc bases in fundamento sunt, cum intentiones nostræ in Christo roborantur. Incassum vero alta super se bases ædificia erigunt, si non ipsæ in fundamento soliditatæ consistunt : quia nimirum quamlibet summa opera inaniter faciunt, si intentiones cordium extra æternitatis certitudinem deflectuntur, et vitæ veræ præmia non requirunt : tantoque graviora ruinæ super se damna ædificant, quanto altiora ædificia extra fundamentum portant; quia cum æternæ vitæ præmiis non intendunt, quo plus se quasi in virtutibus erigunt, eo in gloriæ inanis foveam profundius cadunt. » Sic ille. Christus itaque fundamentum est bonorum operum, in quo sane non collocantur, si per intentionem in eum actu vel virtute non tendant; si vero actu et expresse propter illum fiant, tunc firmius et indissolubilius erecta consistunt : quando itaque virtutes ex hac præstantissima intentione fiunt, sunt veluti columnæ pulcherrimæ, quibus capitella et bases decorem adjiciunt. Actiones enim sunt *columnæ* virtutis honestate rectæ, et firmitate

Bases animæ sunt ejus intentiones.

Christus est fundamentum bonorum operum.

http://www.obrascatolicas.com

robustæ; *capitellum* singularum est prima illa intentio, qua in virtutis honestatem tendimus, quia ab illa tanquam a capite et a principio operari incipimus; *basis* vero est alia intentio altior et excellentior, qua Deo placere cupimus, et ejus ardentiores amatores fieri : quoniam cum in hac intentione opus figimus, illud quasi in suo fundamento solidamus. Porro lapidem angularem idem S. Gregorius allegorice exponit eumdem Christum : « De quo, inquit, scriptum est *Psalm.* CXVII, 22 : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli,* qui dum in se judaicum gentilemque populum suscepit, in una Ecclesiæ fabrica quasi duos parietes junxit : hinc enim scriptum est *Ephes.* II, 14 : *Fecit utraque unum,* qui angularem se lapidem non solum in inferioribus, sed et in supernis exhibuit : quia in terra plebi israeliticæ nationes gentium, et utramque simul angelis in cœlo sociavit, » etc.

Christus est lapis angularis.

Vers. 7. 7. CUM ME LAUDARENT SIMUL ASTRA MATUTINA, ET JUBILARENT OMNES FILII DEI? — Illis verbis Deus significat, statim atque stellæ factæ sunt, illud fuisse tanquam cantum ordinatum et concentum ad ipsum glorificandum; non quod stellæ canant, aut sint creaturæ sensu præditæ, sed quod in illis suam magnitudinem, bonitatem, virtutem et sapientiam Deus patefecerit, id perinde est atque si illæ clara et alta voce loquerentur. Quoties igitur oculos cœlum versus attollimus, concentum stellarum debemus audire, quomodo illæ a sua creatione cœperunt canere; et certum est ejusmodi harmoniam et concentum debere nos excitare et sollicitare ad canendas laudes Dei, et ad ipsum glorificandum : sane nisi plusquam surdi essemus, aures cordis nostri ad ejusmodi cantus tam harmonicos essent nobis accommodandæ. Astra igitur matutina sunt sidera proprie dicta, quæ summo illo mundi mane lucere cœperunt : vel allegorice angeli, qui *matutini* vocantur; non quod ante mundum creati sint, ut voluerunt Basilius, Nazianzenus, Origenes, Hieronymus, Ambrosius, Hilarius, Damascenus in *Caten.*; sed quia sub prima mundi initia creati sunt : ita concilium Lateranense et doctores passim, qui addunt, angelos bonos propter excellentia tum naturæ tum gratiæ dona merito comparari astris semper lucentibus, nunquam cadentibus. Iidem propter eximiam sanctitatis excellentiam vocantur hic *filii Dei,* ut patet ex versione Septuaginta, quæ habet πάντες ἄγγελοί μου, *omnes angeli mei,* conformiter Hebræo et Chaldæo; a Vulgato tamen optime *filii Dei* nominantur, sicut et *Dan.* III, 92; *primum* quidem, ut auctor est D. Thomas III, *Quæst.* XIII, quia illi ante alios adoptionem filiorum receperunt. *Secundo,* quia in rerum gerendarum alacritate et obedientiæ promptitudine filiis simillimi sunt. *Tertio,* quia Dei optimi parentis erga res humanas charitatem referunt et imitantur. *Quarto,* quia Dei administri et discipuli, et ideo filii Dei, ut olim *filii prophetarum,* dici possunt Postremo, quia egregiæ naturæ præstantia et illustribus dotibus plusquam reliquæ omnes res creatæ ad Deum accedunt. Ut autem vere Dei filios esse, affectumque filiorum erga Deum habere se ostenderent, initio conditi orbis creatori Deo laudes cecinerunt.

Quomodo stellæ Deum laudent.

Astra matutina cur angeli dicti.

Angeli cur filii Dei vocentur.

Duobus autem modis hæc angelorum laudatio accipi potest, *primum* quidem ut dicamus sua ipsa pulchritudine et naturæ, qua conditi erant, præstantia, additis tot ac tantis etiam gratiæ ornamentis, statim commendasse Deum tanti operis auctorem creatoremve suum, quomodo dicere solemus opus artificiosum et affabre effectum elegantem artificis manum commendare; præsertim vero, quia cum se ipsi viderunt tot tantisque a Deo affectos esse beneficiis, et insignibus multis sive naturæ sive gratiæ dotibus auctos esse, pro acceptis beneficiis cœperunt tunc, nec unquam desinent, Deum laudare, illique continenter gratias agere : nam, ut Theodoretus ait : « Qui creatus est laudat, Creator laudatur; et ingratus, qui Conditorem non laudat. » Hic ergo est primus laudationis angelorum modus communis fere cum astris et reliquis creaturis : nam *Psalm.* XVIII, 2 et « cœli enarrant gloriam Dei. » *Alter* modus hujus laudationis est, ut cum molitione aliarum rerum, quæ tunc a Deo creabantur, conjungatur hymnus angelorum, præsertim quando velut primus lapis primaque totius mundi fundamenta jacta sunt, id est terra creata : etenim terræ creationem comitata est statim lætitia, jubilus et acclamatio angelorum, divinam bonitatem efferentium in nova nascentis orbis creatione; deinde etiam aucta magis magisque est hilaritas et gaudium, cum etiam cœli et sidera ipsa tanquam illustria quædam lumina Deo creante prodierunt. Hinc Septuaginta hoc loco aiunt, ὅτε ἐγενήθησαν ἄστρα, ἤνεσάν με φωνῇ μεγάλῃ πάντες ἄγγελοί μου, *quando facta sunt sidera, laudaverunt me voce magna omnes angeli mei;* et S. Chrysostomus : « Angeli, inquit, ipso aspectu obstupuerunt, cum multitudinem, pulchritudinem, dispositionem, utilitatem, varietatem, ornatum, splendorem, concentum, cæteraque omnia, quæ multo illi quam nos melius vident, intuerentur : » Anastasius item Sinaita lib. IX *Hexaem.* eam angelorum laudem potissimum refert ad incarnati Verbi mysterium sic scribens : « Hymnis Deum celebrarunt : quamobrem? quoniam facta sunt astra. Non certe propterea, sed cum vidissent solem e terra recurrentem, in mysterio didicerunt Christi incarnationem, et e terra assumptionem; et ideo cum vidissent eum ex S. Virgine tanquam ex abysso exortum, statim exclamarunt dicentes *Luc.* II, 14 : *Gloria in excelsis Deo;* » ubi Anastasius videtur dicere astra et solem prius in terra facta esse, ac deinde cœlo fuisse inserta, quod falsum est, ac proinde allegorice sumenda est ejus expositio, quamvis non negem angelos bonos summis laudibus Dei bonitatem extulisse post revelatum ipsis mysterium incarnationis. Igitur primo ipso molitionis mundi exordio vere Dei filios se exhibuere angeli, Deum omnium rerum molitorem ac suæ ipsorum naturæ conditorem mirandum in modum extollentes.

Angeli in ipso mundi initio creati Deum laudarunt, et quomodo.

Ex hac descriptione creationis terræ, astrorum ac proinde orbium cœlestium, quorum partes sunt astra, et angelorum, firmissimum struitur argumentum ad revincendam hominum ignorantiam. Vis rationis hæc est : Ego, inquit Deus ad Jobum, jam inde a primordio mundi is eram, qui nossem ab æterno rationem architectonicam fabricæ mundi et naturæ angelicæ, quod est sublimius : tu vero nondum creatus fueras; quomodo ergo mecum disceptare cupis, vel ais te id vehementer optare? Observandum hic cœlum et terram simul creata, licet distinctis diebus ornata, fuisse; observandum etiam fieri hic expressam angelorum mentionem, quam in Genesi Moyses non fecit, quod est expensione dignum; observandum denique ad sensum arcanum, creaturas nobilissimas recens conditas e vestigio in sui conditoris laudem conspirasse. Quod sane studium et pueris rationis luce uti incipientibus et universis hominibus summo mane evigilantibus impense commendandum : Deus nimirum summo jure primitias ejusmodi requirit. Qua certe in re dolendum est, quam sint contraria mortalium vota et studia; qui vix somno soluti multiplices cogitationes et affectus parum pios patentibus animi portis admittunt, quibus Deo se insinuare cupienti viam intercludunt. Sane ex hoc capite non congruit eis hoc illustre cognomentum, *filii Dei.* In his illud quoque observatu dignum, quod in tota admirabili terræ conditione non meminerit Dei laudes, nisi ubi ad luminaria cœli ventum est : conditur firmamentum, et silet; conditur terra, firmaturque, et se premit silentio; conduntur luminaria, et statim vox laudis auditur, et astra, et planetæ, et angeli portitores sese effundunt in laudes Dei. Cur quæso solum inter luminum creationes Dei laudes reboant? In solis scilicet luminibus condendis sentitur obedientia a creaturis præstita Dei verbo : etenim dicitur *Gen.* I, 1 : « In principio creavit Deus cœlum et terram : et spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixitque Deus : Fiat lux, et facta est lux. » Expende, cui dixit Deus ut fieret, nempe luci, et statim lux divino obedivit verbo : quæ obedientia lucis Dei verbo præstita ubi apparuit, divinæ laudes non potuerunt amplius sileri. Huc spectat B. Basilius Seleuciensis inquiens *Orat.* 1 : « Cœlum productum est et terra cum aquis, cum vox anteverteret nulla; lux vero cum producebatur, Deus voce præivit. Merito nunc loqui incipit, ut ejus quod fit sensu et admiratione angelorum turbas moveat, quo imperium effectione rei comitatum conspicati, eoque perculsi spectaculo ad cognitionem et hymnum Creatoris convertantur. Dicit enim Deus cum Jobo disserens : *Cum astra faciebam laudabant me omnes angeli mei,* » quasi unum Dei imperium effectione rei comitatum efficacissimum omnium esset ad divinas laudes extorquendas. Posset tota orbis creatio, imo ipsa lucis conditio, illaudata manere, nisi imperium Dei voce manifestaretur; at ubi verbo divino creaturæ parent, jam Deus non poterit manere illaudatus : « Simul enim angeli (inquit Gregorius Venetus in *Harm. mundi* cant. V, ton. 8, cap. 1) ipsaque cœlestia corpora suas laudes vocesque gratulatorias adjungunt præ admiratione Creatoris. » Sed luculentius elegantiusque communis harmoniæ gratiam expressit Ambrosius in *Præfat.* Psalmorum dicens : « Laudant angeli Dominum, psallunt ei potestates cœlorum; et ante ipsum initium mundi cherubim et seraphim cum suavitate canoræ vocis suæ dicunt : *Sanctus, sanctus, sanctus* : innumera angelorum millia assistunt : seniores, et turba magna, sicut voces aquarum multarum, concinunt : Alleluia. Ipsum axem cœli fert expressior sermo cum quadam perpetui concentus suavitate versari ut quædam secreta naturæ. » Nec id ab usu naturæ alienum videtur : quandoquidem vox missa gratiore plausu in montibus resonat, et suaviore sono reddunt ipsi quod accipiunt.

Homo rerum originem ignorans non potest cum Deo disputare.

Deus a creaturis rationalibus laudis primitias exigit.

Nulla res tam excitat divinas laudes quam obedientia a creaturis præstita verbo Dei.

Angeli etiam mysterium incarnationis sibi revelatum laudibus extulerunt.

Cæterum argute quærit Celada noster bened. 5 *De Ephr. et Man.,* quam ob causam astra matutina effusius prædicent opificis Dei laudes linguato luminis splendore; cum potius quæ tota nocte splendidius scintillaverant, auroræ exortu suos contrahant radios, et sui occasus metu raræ albescant instante vicinæ mortis præsagio : solaris enim luminis opulento jubare tumulantur. Quare non cum plena lampade noctu micant, sui occasus immemores, laudes Dei modulari dicuntur, sed dum eorum splendor instantis lethi sui pavore languescit? O rem expensione dignissimam! scilicet dum astra matutina instante suæ mortis metu expavescunt et expallescunt, et « velut funereæ faces in occasus suos quasi quibusdam deducuntur exsequiis, » ut eleganter loquitur serm. *De Resurr.* Zeno Veronensis, tunc, tunc quidem languidæ suæ lucis sumptuosiori pompa divinis laudibus ambitiosius militant, et obitus sui pallido aspectu splendidius Deo scintillant, quasi placendi gratiam et officiositatem modulandi non ab opulentia nocturnæ lucis, sed a matutino languore mutuentur. Sic astra occasus sui ambitioso nitent ornatu : sic matutinus pallor sidera adornat ad gratiam : sic spectati obitus sui squalore inornantur. Tantam vicinia mortis sideribus conciliat gratiam, atque ita mortis aspectus placendi favorem meritorum blandimento subornat.

Astra matutina occasui proxima plusquam noctu prælucentia Deo placent.

Vers. 8, 9, 10 et 11. 8-11. QUIS CONCLUSIT OSTIIS MARE, QUANDO ERUMPEBAT QUASI DE VULVA PROCEDENS, CUM PONEREM NUBEM VESTIMENTUM EJUS, ET CALIGINE ILLUD QUASI PANNIS INFANTIÆ OBVOLVEREM? CIRCUMDEDI ILLUD TERMINIS MEIS, ET POSUI VECTEM ET OSTIA : ET DIXI : USQUE HUC VENIES, ET NON PROCEDES AMPLIUS, ET HIC CONFRINGES TUMENTES FLUCTUS TUOS. — Tangitur hic aquarum creatio a Deo velut ex utero, in quo la-

Mirabilis aquarum

http://www.obrascatolicas.com

productio et in unum locum congregatio.

tent omnium creaturarum rationes quasi fœtus erumpentium, hoc est vehementer emanantium pro rei genere : impetus quippe ille congruit naturæ liquidæ, quæ sese præcipitat quousque rem consistentem offendat, qua contineatur et determinetur. Similitudo autem infantuli recens a vulva fusi apte consentit, cum corpusculum tunc molle ac humidum et quasi aqueum sit, varieque formari possit, compressione, depressione, expressione, antequam obdurescat. Jam ergo Deus aere caliginoso sive tenebris nuper creatas aquas obduxit, de quibus dicitur *Gen.* I, 2 : « Tenebræ erant super faciem abyssi. » Est autem insignis divinæ potentiæ ac sapientiæ laus, quod rem indomitam, tumentem, mugientem, quæ terram universam ambiebat, velut inertem ac nudum infantulum nutricis manibus exceptum, resistere non valentem, tractarit, et in locum unum imperio compulerit. Mox nimirum immensitas illa aquarum loco cessit, et in cavitatem sibi destinatam, quasi pavens divinam majestatem, extemplo confluxit. Inter omnia sane quæ divini præcepti vim nobis manifestant est obedientia ista quam mare ei exhibet : nulla enim fera magis effrænis quam mare, quod nullius subjacet imperio, nullius majestatem vel leviter reveretur; et nihilominus summam ad Dei præceptum exhibet obedientiam, quam Deus ipse ad suæ potestatis manifestationem hoc loco cum Jobo agens expressit : « Quis conclusit ostiis mare? » etc. Est quidem mare, juxta multorum sententiam, altius ac superius multo terra ipsa : quis igitur ejus ingens pondus continet, et immensam comprimit molem, ne in terram defluat? certe divinum præceptum et verbum, cujus virtute quasi infantulus fasciis ligatus intra cunas continetur, et in morem criminosi facinorosique hominis vectibus et portis inclusum tenetur. Non autem muris lateritiis aut lapideis propugnaculis, aut vectibus et portis æreis, aut virgis ferreis illud continet Deus, sed leviculo arenæ pulvere; quod perpetuo miraculo S. Patres, Chrysostomus in *Caten.* Basilius hom. 4 *in Hexaem.*, Ambrosius lib. III *in Hexaem.* cap. II et III, Theodoretus *in Psalm.* CIII, D. Thomas I *Quæst.* LXIX, art. 1 ad 2 et 4; aliique tribuunt (si tamen miraculum dici potest, quod in communem legem verbo Dei statutam transivit). Clarius autem hæc maris obedientia ad divinum præceptum ostenditur, cum agitatur ventis, et intumescunt fluctus ejus : aliquando enim ita erigit suos fluctus, ut ad cœlum pertingere videantur, et tanta vi ac impetu in terram irruit, ut eam penitus obruturum appareat; hoc tamen ipso quod arenæ pulveres infirmos et leves attingit, ita se continet, ut nullatenus illos transgrediatur. Et quidem arena non est, quæ illius impetum detinet, ut ostendit D. Thomas prima parte citato loco, et I II *Quæst.* CIV, art. 5, ad 2, tum quia mare altius est terra, tum quia illa infirma est, quam vel levis aura propellit; sed ipsummet mare se-

Maris summa ad Dei præceptum obedientia.

Mare non ab arena, sed Dei præcepto contineri docet S. Thomas.

ipsum continet obediens præcepto Dei dicentis :

USQUE HUC VENIES, ET NON PROCEDES AMPLIUS, ET HIC CONFRINGES TUMENTES FLUCTUS TUOS. — Certe mare nequaquam obedire diceretur, si coacte ac violenter divini verbi virtute contineretur, ut indicavit D. Thomas II II *Quæst.* CIV, art. 2, ad 1, et III, *Quæst.* XLIV, art. 2 ad 1; et docuit expresse B. Augustinus lib. XXVI *Contr. Faust.* cap. III, quem ipsemet D. Thomas I *Quæst.* CVI, art. 6 egregie explicat. His ergo verbis præceptum imponi pelago, ne ultra littoris terminos effluat, et violenta eluvione terras obruat, fere convenit inter expositores Bibliorum; quod ipsum tradit acute Basilius Seleuciæ *Orat.* 1 dicens : « Post Deus nudat aquis terræ dorsa quibusdam velut in cellis mare concludens, dum imperio in abyssum utitur pro claustro; » et statim subdit : « Fertur illud quidem fluctibus alte elatum; ubi vero terminos attigerit, revertit refugitque, et Domini vocem littoribus inscriptam cum intuitum fuerit, curvatis fluctibus termini positorem adorat. » Verum probabilior philosophia docet mare naturaliter contineri intra vastas, quas nunc occupat, cavitates, ibique a natura sua stagnare, nullaque appetentia instigari, ut supra terras violenter peregrinetur. Quod cum ita sit, plane oboritur dubium argumentum, quare Deus ligaverit mare divino imperio, ne in terras prolabatur; siquidem in loco, quem modo occupat, naturaliter jacet, et velut in centro quiescit : imo nisi violente inde extrahi non potest. Aptene imperatur vallestri fonticulo ne conscendat ad prealta montium cacumina? aut reptilibus, ne avium more per aera volent? Hoc naturæ pondus naturaliter vetat, non præceptum, ad id supervacaneum aut forte ridiculum. Quid ergo Deus imperio in abyssum utitur? cur imperiose dicitur pelago : « Huc accedes, et hic confringes tumentes fluctus tuos? » Profecto etiam nemine jubente terminos illos egredi neque vellet, neque, etiamsi vellet, posset; cum ultra proprium centrum nullum agens naturale sponte feratur. Verum mare immanis bellua est, effera, turbulenta, crudelis, peccatoris symbolum exprimens, ut advertit Nazianzenus orat. *in Laud. Basilii.* Æquum ergo fuit ut belluæ flagitiosissimis moribus perditissimæ imponatur præceptum, ne conetur ultra id quod potest : neque enim flagitiosior malitia continetur intra suæ sphæræ cancellos, sed ultra id quod potest irrumpere intentans, temerarie supra vires audet, et conatur ultra potentiam; unde ut maris audacissimam temeritatem reprimat Deus, illi imperat ne prolabatur ultra id quod potest *Prov.* VIII, 29 : « Et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. »

Mare naturaliter locum suum occupare verius est.

Mare symbolum peccatoris supra vires temere audentis.

Hanc ipsam maris legem optime exprimere voluit Sapiens, eam tanquam ultimum quid subinferens ad divini verbi aut præcepti potestatem demonstrandam : incœpit hanc commendare a creatione cœli et firmamenti ex productione stellarum, solis et lunæ, iridis, pluviæ, fulminum, etc.

Venti et mare obediunt Deo.

tandemque tanquam rem supremam subjecit *Eccli.* XLIII, 25 : « In sermone ejus siluit ventus, et in cogitatione sua placavit abyssum. » Ventus per seipsum res est indomita, qui nulli cedit, qui cum perflat valide ac horrisone, ita « ubi vult spirat *Joan.* III, 8 (ut qui inter homines omnes potentior est non solum non possit compescere) sed nescit unde veniat, aut quo vadat; » et agitans mare tam effrœne illud reddit, ut nulla omnium hominum potestate possit vel leviter compesci. Tanta est autem divini imperii potentia, ut horrisonum impetuosissimumque ventum solius vocis suæ levi sono silere faciat; et sola ipsius cogitatio placat abyssum, et ejus impetum quietat *Eccli.* XLIII, 25 : « In sermone enim ejus silùit ventus, et in cogitatione sua placavit abyssum; » ubi in primis expende, quam egregie venti et maris spontaneam, ut ita dicam, obedientiam ad Dei præceptum exprimat : loquitur enim metaphora sumpta a servo, cui valide vociferanti jubet dominus silere : tunc enim ad domini sui sermonem, omni clamore deposito, ipsemet silentium tenet. Similiter tunc homo iratus dicitur placari, quando ad alterius sermonem et exhortationem deponit iram, qua fervebat. Non ergo violenter ventus a Dei præcepto continetur, sed sponte, ut ita dicam, ad ejus imperium omnem clamorosum sonum et velocissimum cursum continet; nec mare violentiam passum ad Dei præceptum continetur, sed potius ipsummet quasi in corde recipiens Dei præceptum, iram suam deponit, ipsius Dei ordinatione placatum. *Hic confringes tumentes fluctus tuos*, quod Tertullianus lib. *De Trinit.* cap. I expendens recte observat, Deum facili quodam aggere arenarum hoc implacatissimum elementum circumdedisse : « Quo cum frequens, inquit, fluctus, et ex alto sinu spumans unda venisset, rursum in se rediret, nec terminos concessos excederet, servans jura præscripta : ut divinas leges tanto magis homo custodiret, quanto illas etiam elementa servassent. » Exsecranda igitur hominum ad sua scelera propensio et pertinax voluntas, quam nulla divini juris repagula coerceant; cum tamen vastissimi et turbulentissimi elementi minas levis quidam arenarum agger frangat et contundat.

Homines ab elementis divinam legem custodire docentur.

Populus Hæbræus mari comparatus.

Allegorice *maris* nomine populus ille antiquus merito exprimitur, qui non minus huc illucque suis affectibus excitantibus, quam mare ventorum impulsu ducebatur; erupit autem quasi de vulva, quando de Ægypto egressus est : sicut enim mulier suscepto semine illud multo tempore retinet, ut crescat, formetur et efficiatur puer, postea vero illud magnis doloribus enititur : ita Ægyptus suscepit illos primos patriarchas tanquam semen, quos sub parvo numero septuaginta duarum animarum Scriptura sacra *Gen.* XLVI, 27 expressit, ibique crevit, et populus formatus est talis ut timorem incuteret Pharaoni et habitatoribus Ægypti dicentibus *Exod.* XII, 33 : « Ecce populus iste Israel magnus est. » Tunc ipsomet Ægypto enitente (urgebant enim Ægyptii filios Israel, ut egrederentur de Ægypto) magnis et ingentibus doloribus, quos Ægyptus sustinuit per plagas et submersionem Pharaonis et exercitus illius, erupit populus tanquam de vulva procedens. Unde et sæpe in Scriptura sacra egressio illa vocatur nativitas aut partus Ægypti; signanter *Ezech.* XVI, 4 dies, qua Synagoga egressa fuit de Ægypto, vocatur *dies nativitatis* aut ortus illius. Tunc autem populum illum conclusit ostiis, præceptis scilicet antiquæ legis : nam post quinquaginta dies ab egressu ab Ægypto lex data fuit in monte Sina. Egregia vero metaphora exprimit legis præcepta, quibus populum tunc constrinxit : « Cum ponerem, inquit, nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem. » Puer statim ac ex utero prodiit vestitur ab obstetrice, vestibus quidem a patre pueri traditis illi ætati convenientibus, pannis scilicet et fasciis stringentibus et colligantibus brachia, manus, crura, pedes et totum corpus : quoniam, namque tener tunc est, oportet omnia membra, ut serventur, colligari et involvi. Moyses obstetricis officium gessit, et vestimentis a Deo datis, præceptis inquam legis, quæ Deus Moysi tradidit, totum puerum omni ex parte exterius colligavit : mirum est enim, quot quantaque præceperit; nulla siquidem res externa est, circa quam præceptum non fuerit impositum. Præcepit enim circa cibum, potum, vestes, domos, lectos, quomodo et quid comedere deberent; quomodo et quid bibere; quomodo domus essent extruendæ, et cætera; quæ quamvis Deo videbantur indigna, omnia tamen ista insignia excellentissimaque continebant sacramenta, quæ propterea vocat nubem et caliginem : « umbram enim habebat lex futurorum bonorum » *Hebr.* X, 11; nihilque erat quod non mysterium aliquod sub illa caligine reservaret. « Nubem ergo, inquit S. Gregorius, Deus vestimentum posuit, dum populum Judæorum ab errore perfidiæ eripuit, nec tamen illis claritatem sui luminis patefecit; quasi ex tenebris eos abstulit, sed adhuc nube vestivit : quem etiam verborum suorum caligine quasi pannis infantiæ involvit, dum non aperta spiritus prædicatione, sed præceptis litteræ adstrinxit. Infirmus namque populus cum præceptorum pannos nolens pertulit, ad firmiorem statum ex ipsa sua ligatione pervenit. » Vide lib. XXVIII *Moral.* cap. IX, ubi plures alios sensus allegoricos adfert.

Populus Israël præceptis velut fasciis constrictus.

Populus Israel nube vestitus.

Tropologice quasi inundans mare profundum et immensum ira est, et diversis truculentisque cogitationibus quasi magna ventorum vi agitare totum atque turbare hominem solet; et effervescens quodam quasi æstu, quidquid adversatur conatur obruere. Hoc ergo mare intumescere cum incipit, terminis rationis obvallandum fortiter est, et ne illos transiliat ac supergrediatur diligenter cavendum; quin audire etiam compellatur jubentem Deum : « Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos, »

Ira immensum pelagus.

http://www.obrascatolicas.com

hoc est : Ne a me positos rationis terminos excedas. Itaque prudenti sapientium consilio monentur irati antequam quidquam designent, dicant, faciant, ratione adhibita expendere omnia, et ne quid contra Dei jussa committant diligenter advertere. Ut enim nautæ præsentientes tempestatem anchoris firmant naves, ita, priusquam ingruat tempestas iracundiæ, ratione firmandus animus, et in diversum nitendum, ut Plutarchus in *Moral.* ait. Plures alios sensus tropologicos seu morales ad hunc locum accommodatos vide apud S. Gregorium lib. XXVI *Moral.* cap. IX, quibus conformiter D. Petrus Damiani *Serm.* 13 : « Quid, inquit, per mysterium *mare* nisi reprobos homines et infideles insinuat; qui nimirum quadam carnalis ingenii salsugine callidi, sed odiis ac simultatibus invicem inveniuntur semper amari, et velut mare diversis tentationum flatibus intumescunt, cupiditatumque carnalium procellis ac tempestatibus quatiuntur? Quid vero *arida*, nisi animam designat fontem fidei sitientem, vel ad creatorem suum ardenti desiderio tanquam sitibundis faucibus anhelantem? Ab arida ergo mare dividitur, quando Deus omnipotens a se sitientium reproborum impetus reprimit, et tanquam littus marinis fluctibus objicit, dum conatibus fervescentis insaniæ suæ moderaminis limitem figit. Quod profecto illa Dei vox probat, qua dicit : *Quis conclusit ostiis mare?* etc. Enimvero recte per mare cor pravi hominis designatur, quod videlicet furore est turbidum, rixis amarum, elatione superbiæ tumidum, caligine malitiosæ fraudis obscurum. Separavit ergo tunc Deus mare, et minaces fluctus ab inundatione terræ compescuit, ut terra virentes herbas et ligna pomifera germinaret, ac deinde segetum fructus afferret. Separat etiam nunc ab electis suis reproborum turbines persequentium, et quasi furentes coercet impetus tempestatum, quos etsi furere usque ad infligenda corporibus tormenta concedit; ne tamen animas lædant, invicta eos atque pervigili brachii sui protectione custodit, quodammodo dicens mari : *Huc usque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos*, ac si patenter dicat : Usque ad inferenda corporibus te tormenta relaxo; ne autem usque ad animam cumulis intumescentibus profluas, legis meæ tibi littus oppono, ut dum furori fluctuum tuorum littus objicitur, terra cordis ad proferenda fructuum germina libera relinquatur. »

Quid sit mystice *aquæ a terra lit.* Reprobi semper justos persequuntur; animam vero lædere non valent.

Vers. 12. 12. NUMQUID POST ORTUM TUUM PRÆCEPISTI DILUCULO, ET OSTENDISTI AURORÆ LOCUM SUUM? — Congruenter post terræ, cœlorum et angelorum creationem et aquarum congregationem progreditur Deus ad opus diei quarti, in quo creatus est sol; ad quem aurora pertinet et diluculum, occasus et ortus, id est orientalis et occidentalis plaga; quæ ab oriente et occidente sole nomen acceperunt, *q. d.* Numquid natus eras, o Jobe, quando formatus est sol; aut posteaquam in vivis esse cœpisti, præscripsisti illi, quomodo suos obiret cursus constantes et ratos? ostendistine locum, ubi occidens absolveret cursum suum, et oriens inchoaret? *Præcipere* autem *diluculo* idem est quod ostendere auroræ locum, id est loca illa definire unde quotidie sol oriatur : singulis enim diebus ortus sui locum in finitore mutat; eadem tamen loca sol singulis annis peragrat. Hæc ergo sapientissima dispositio (qua sol terram universam lustrat, « neque est, qui se abscondat a calore ejus, » ut ait David *Psalm.* XVIII, 7, quæ et *naturæ leges* appellantur, quoniam ab Auctore naturæ latæ et inventæ sunt) *præcipere diluculo* et *ostendere auroræ locum* merito dicitur : quamvis enim oriens sit semper in certa aliqua regione, animadvertitur tamen solem secundum anni tempus modo altius, modo ex inferiore loco oriri.

Ortus solis est quarti diei opus.

Mystice accipiendo hæc nova est interrogatio, et satis stupenda : nam diluculum et aurora præcedunt ortum solis; quomodo ergo sol justitiæ dicit : Nunquid tu es sicut ego, qui post ortum meum præcepi diluculo ut surgeret, et auroræ ostendi locum suum? utique hoc æternitatem verbi divini indicat; cujus ortus a Patre æternus est, juxta illud *Psalm.* CIX, 7 : « Ex utero ante luciferum genui te; » et quia idem est lux vera et splendor paternæ gloriæ, a quo procedit lux matutina, et quidquid in hoc mundo lucis est particeps, ideo per ejus voluntatem oritur diliculum, et aurora consurgit, omnesque sancti resurgent nova luce splendescentes; sed præ omnibus ejus mater, tanquam nova aurora consurgens, cui ostendit locum suum, hoc est omnium supremum post ipsum, ad suam dexteram ei assignans thronum, sicut Salomon matri suæ.

Aurora solis justitiæ est ortus Verbi a Patre.

Aliter D. Gregorius lib. XXIX *Moral.* cap. II, hæc accipit, non de ortu a Patre ante sæcula, in quo non est prius et posterius, ante et post, cum sit æternus; sed de ortu temporali ex matre in Bethleem, post quem Ecclesiæ significatæ per *diluculum* et *auroram*, quæ ex tenebris ignorantiæ tendit ad verum lumen fidei, præcepit ut locum quæreret, in quo plenitudinem lucis inveniret, et ipsum ei locum ostendit, ut re inventa frueretur. « Quid est, ait D. Gregorius, *locus auroræ*, nisi perfecta claritas visionis internæ, ad quem cum docta venerit, de transactæ noctis tenebris nihil habebit? Locum suum aurora considerat, quando sancta anima ad contemplandam Conditoris sui speciem flagrat : » ita Gregorius. Quæ recte ad contemplationem Christi jam nati applicantur, qui Ecclesiæ illius temporis præcepit ut ipsum quæreret, et locum ubi ortus est ostendit; pastoribus quidem per angelos, *Luc.* II, 9, dum claritas Dei circumfulsit illos; magis vero per stellam *Matth.* II, 2, quæ illos excitavit et deduxit ad locum ubi natus erat, ut hic applicare liceat quod scriptum est *Isai.* XLII, 2 : « Quis suscitavit justum ab oriente : et vocavit eum ut sequeretur se? » id est ego, et non alius, suscitavi congregatiuou-u

Aurora quoque dicitur ortus Christi in Bethleem.

lam illam justorum, quæ in oriente erat, et traxi eam ut me quæreret et inveniret; ac meipsum palam manifestavi, ut mea gauderet præsentia. Unde non immerito hoc festum Ecclesia nuncupavit *Epiphaniam*, id est *manifestationem*, quia Christus Dominus mirabili quodam modo gentibus, idque in oriente, unde lumen nascitur, se manifestavit.

Vers. 13. 13. ET TENUISTI CONCUTIENS EXTREMA TERRÆ, ET EXCUSSISTI IMPIOS EX EA? — *q. d.* Rogo etiam te, mi Job, an lucem usque ad ultimas orbis terrarum oras sicut ego lucis auctor diffuderis? item, an extrema terræ solaribus radiis illustrans impios lucis inimicos, cædibus et prædis noctu intentos, in sua lustra latebrasque abegeris? ubi docet duo lucis effecta, scilicet *extrema terræ concutere*, hoc est illustrare quasi feriendo et verberando, quæ videtur esse proprietas radiorum, quæ in terram velut spicula jaciuntur seu feruntur, *et excutere impios ex ea*, hoc est abigere et arcere : noctu enim prodeunt ad prædas, mane ut lux emicuit timore perculsi recedunt, et se in latebras abdunt. Convenienter ergo Deus dum lucem a se factam commemoravit, exclusionis quoque impiorum meminit : sicut enim lucem consequitur ut tenebras pellat, quia ejus contrariæ sunt; ita et impios, qui lucem oderunt, et tenebras amant; et sicut lucem fecit Deus ad tenebras expellendas, ita et ad impios e terra viventium evertendos. Ex quo non levis conjectura est, ea de causa in historia creationis primo die lucis mentionem esse factam; licet quarto die luminaria effecta narrentur; quod primo die sicut angeli simul sunt cum cœlis procreati, ita iniqui angeli facti cacodæmones eo fuerunt die e cœlo ejecti, et æternis tenebris mandati. Pro comperto enim theologis est, brevissimo tempore iniquos angelos in cœlo fuisse; quod non nisi divina luce factum fuit; congruum autem erat, ut eo die, quo tam copiosa lux creaturæ spiritali orta est, oriretur quoque creaturæ materiæ corporisque participi. Sunt autem impii luci contrarii, sive lux materialis sive spiritalis sit : nam iniqui materialis etiam lucis osores sunt quia delitescere cupiunt, ut copiose *supr.* cap. XXIV demonstratum fuit; quod et Christus docet *Joan.* III, 19 : « Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem : erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. » Utraque etiam lux ejicit impios e terra; de luce quidem *spiritali* id satis clarum fit in Evangelio, quod tot improbos homines, improbos mores, improbas hæreses lumine suo clarissimo dejecit : de luce vero *materiali* constat, quia ipse assiduus ortus et occasus solis hominum vitam consumit, quod Ecclesiastes indicavit dicens cap. I, 4 : « Generatio præterit, et generatio advenit, » cujus rei statim causam addit : « Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem. » Cum igitur ipso lucis motu ad exitum vitæ quotidie vocentur improbi, apposite *a luce*, e vita *expelli* dicentur; viris vero probis licet etiam ipsa dies vitam minuat, quia tamen ad aliam veram vitam vocantur, et cum morte potius restituantur quam absumantur : non ita lucis motu *a terra pelli* dicentur; viris autem impiis si hæc vita adimatur, nulla eis alia reliqua est, sed mors tantummodo sempiterna.

Duo lucis effectus.

Lucis effectionem sequitur iniquorum expulsio.

Cur primo die creationis lucis fuerit facta mentio?

Duplex lux, quam utramque mali oderunt.

Utraque lux malos ejicit.

Cæterum adhuc ad litteram, quamvis improbi in terra aperta luce habitent, et suas confusiones exerceant; Deus tamen adhuc illos detegit, eoque pacto illos cohibet, ut illis quodammodo terra purgetur quando sol oritur, non dico vaporibus qui noctu regnarant, et aliis corruptionibus, quibus aer condensatus inficitur. Sed Deus etiam terram improbis purgat, quia tunc illi non habent illam libertatem quam cuperent; tuncque digito scelerati et nefarii possunt monstrari, quo fit ut illos adhuc pudor aliquis retineat : loquor de impudentibus, qui oculos quasi obvolutos habent : adhuc sentiunt illi aliquos conscientiæ stimulos et aculeos, ita ut sibi non permittant ad summum usque suarum iniquitatum venire. En igitur quomodo aurora prosit ad terram aliquo modo, quamvis non penitus, purgandam. Ast cur non Jobum Dominus percunctatur, an ex medio terræ iniquos expulerit, sed tantum de principio et meta quæstio est? terram hanc, de qua Jobus examinatur, intellige naturam humanam : homo quippe malis infestatur sub initium, cum concipitur in peccato originali; sub medium, dum ex prava sua libertate scelera sceleribus conjungit; sub exitum, dum in pœnam primi delicti, quo infecta est tota propago, in pulverem revertitur, et in sepulcro computrescit. Peccata igitur omnia actualia, quæ scilicet mortalia nuncupantur, evitare homo potest; at ne in primo animationis instanti originalem labem contrahat, et ne post mortem cadaver in pulverem dissolvatur, in nullius situm est potestate, sed opus est prærogativa prorsus singulari, quam conferre solus potis est Deus : idcirco medii prætermissa memoria, de solis finibus seu extremis interrogat. Verum quod homines non possunt Deus effecit, quando purissimæ illius terræ virgineæ, de qua « Verbum caro factum est, » extrema sic præservavit, ut neque in conceptione originalem labem contraxerit, neque post mortem experta sit corruptionem. « Ad quod innuendum (verba sunt Richardi a S. Laurentio lib. III *De Laud. B. Mariæ*) quasi de illa loquens Dominus ad Job : *Numquid tenuisti concutiens extrema terræ, et excussisti impios ex ea?* id est motus pravos, quasi diceret : Non tu hoc fecisti, sed ego. Extrema hujus terræ dici possunt conceptio carnalis et mors corporalis : a primo extremo excussit, ut dictum est, fomitem et motus pravos in sanctificatione; ab ultimo extremo excussit putrefactionem, vermem et pulverem in resuscitatione. »

Solus Deus potest hominem a culpa originali, et corpus a corruptione servare.

http://www.obrascatolicas.com

Allegoriæ et tropologiæ judaica perfidia concussa, et extremæ hominis actiones excusæ, cur?

Allegorice S. Gregorius lib. XXIX *Moral.* cap. III : « Extrema, inquit, terræ Dominus tenuit, quia in fine sæculorum ad destitutam jam et alienis regibus subditam synagogam venit, atque ex illa impios excussit, quia spiritualia fidei prædicamenta renuentes, etiam a carnalis sacrificii gloria repulit; vel certe extrema terræ tenuit, quia ex Judæa paucos abjectos et humiles elegit, et legis doctores deserens peccatores assumpsit; dumque ejus extrema tenet, ex ea improbos excutit; quia dum infirmos fideles roborat, fortes in illa infideles damnat, » etc. Tropologice *ibid.* S. Gregorius per *extrema terræ* interpretatur extrema opera peccatoris, qui ex terrenis desideriis, quibus immergitur, terra efficitur; docetque Deum, qui judicat fines terræ, ultimis prædestinatorum actionibus impensius invigilare, ut corrigat; sollicitius concutere extrema terræ, ut emendet; efficacius terrere duras atque insensibiles mentes, « ut quæ, inquit, pessima securitate duruerant, salubri timore mollescant; quatenus vel sero redeant, et hoc ipsum saltem, quod diu expectati sunt, erubescant : » necesse enim est, ut præsentem vitam bonis actionibus claudant, qui apti ad æternam auspicandam judicabuntur. Sed quid? solasne extremas actiones judicaturus est Deus? absit. Sed idcirco has solas expressit, ne aut justus de prioribus bonis confidat, aut injustus propter priora mala desperet; sed uterque extremum vitæ finem sollicitus attendat; malus quidem sperando meliora, bonus autem pejora formidando, de quibus uterque judicetur : ita D. Gregorius : « Quia, inquit, fines terræ Dominus judicat, conversus peccator priora sive media non expavescat; justus inchoata justitia non præsumat. » Concinit D. Isidorus lib. II *De Offic. Eccl.* cap. XVI, de pœnitentibus ita loquens : « Si quis circa finem suum per pœnitentiam desinat esse malus, non ideo debet desperare, quod in termino est ultimo vitæ : quoniam Deus non respicit quales antea fuimus, sed quales circa finem vitæ exsistimus : ex fine enim suo unumquemque aut justificat, aut condemnat, sicut scriptum est I *Reg.* II, 10 : *Ipse judicat extrema terræ*; et alibi *Job.* XXVIII, 3 : *Universorum finem ipse considerat.* » Ubi quamvis nihil dicat de bonorum præsumptione omnino cohibenda per illum metum, ne forte ad vitæ exitum male impingant, qui antea inoffenso pede decurrerunt; tamen satis exprimit spem malorum sine dubio erigendam, si vel ad finem vitæ convertantur, addita tamen optima præmonitione : « Non dubitamus, inquit, circa finem justificari hominem per pœnitentiæ compunctionem; sed quia raro id fieri solet, metuendum est, ne dum ad finem differtur conversio, incerta occupet mors, priusquam veniat pœnitentia. Pro qua re etsi bona est ad extremum conversio; tamen multo melior est, quæ longe ante finem agitur, ut ab hac vita securius transeatur. » Sic ille.

Deus unumquemque justificat aut damnat ex fine vitæ.

Non est conversio ad finem vitæ differenda.

14. RESTITUETUR UT LUTUM SIGNACULUM, ET STABIT SICUT VESTIMENTUM : — in Hebræo ad verbum est, *convertet se ut sigillum luti*, id est, terra, ex qua impii vi lucis excutiuntur, convertet se ut sigillum luti : *luti* enim *sigillum* facile multas accipit et expellit formas seu figuras, ita terra plurimas suscipit et excutit impiorum generationes, juxta quod Salomon ait *Eccle.* I, 4 : « Generatio præterit, et generatio advenit; terra autem in æternum stat. » In hunc modum optime etiam exponi potest Vulgatus interpres, ut sit sensus, terram tam facile variis hominum impiorum generationibus renovari quam lutum, in quo variæ formæ imprimuntur atque signantur. *Et stabit sicut vestimentum*, id est, unaquæque impiorum generatio stabit in terra sicut vestimentum, quod tandem vetustate consumitur, et ejus loco aliud assumitur, ita nimirum præterit una generatio iniquorum, et altera advenit : eodem modo exponitur quod est ad verbum in Hebræo, *stabunt sicut vestimentum*, scilicet impii similes erunt vestimento quod non diu durat, sed vetustate vel tineis consumitur, juxta illud *Isai.* L, 9 : « Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos : » eamdem rationem dicendi usurpavit David cum de impiis ait *Psalm.* CI, 27 : « Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur : tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. » Porro ille dicendi modus : *Restituetur ut lutum signaculum*, non incommode quoque sic exponitur, ut sit sensus : Sigillum illud seu forma rerum, quæ luce se prodit, tenebris velut emoritur, apparente luce reponitur, restituitur, reparatur; qua facilitate lutea materia in varias formas compingitur, variasve impressiones, signacula vel sigilla recipit : etenim a philosophis lux dicitur forma colorum, qui noctu emortui interdiu redivivi videntur. Quod certe assertum ad res omnes aspectabiles eleganter transfertur. Illud vero : *Stabit sicut vestimentum*, significat lucem esse pulcherrimum quoddam rerum corporearum velut indumentum, quod apposita translatione noctu exui, mane resumi dicitur : noctu enim terra prope informis est, nihil in ipsa cernitur, perinde est igitur, atque si magnum aliquod lutum, in quo nihil discretum esset, discerneretur. Quando autem sol incipit lucere, perinde est atque si ex massa aliqua argillæ vasa figulina fingeret, et diligenter ornaret : en terram formatam, quæ antea figura carebat; quando igitur Deus diei lucem mittit, perinde est atque si universam terram formaret ad dandum ipsi speciem et decorem, ut eam cum admiratione intueamur; atque ita ipsam vestit, pro eo quod prius nuda erat, constricta et sterilis. Certe ad oculos nostros quod attinet (hic enim agitur de aspectu hominum) noctu terra veluti deserta et vacua est, cum in ea nihil appareat; die vero, in quamcumque partem oculos conji-

Vers. 14. Homo in convertit ut sigillum luti, et vestit ut et vestimentum.

Lux est veluti sigillum et forma rerum.

cimus, variis eam herbarum, florum fructuumque, quibus a Deo decoratur, ornamentis vestitam cernimus : atque hic sensus mihi cum Pineda videtur maxime litteralis.

Hominis plasmatio de luto.

Aliam adhuc explicandi rationem præbent nobis Septuaginta legentes, ἢ σὺ λοβὸν γῆν πλὴν ἔπλασας ζῶν, καὶ λαλητὸν αὐτὸν θεῷ ἐπὶ γῆς; *aut tu sumens terram lutum plasmati animal, et ipsum ad loquendum idoneum posuisti super terram*; quæ sententia licet verbis hebræis parum conveniens sit, tamen aptissima est contextui, ut ex opere sexti diei, scilicet ex animalium creatione, Dei summa et infinita potentia probetur, sicut ex aliarum rerum creatione probata est. Sic ergo opportune dici possit nunc post alia creationis opera indicari a Deo hominis formatio ex luto, tum etiam natura illius terrea et fragilis, divina tamen potentia consistens et erecta. Quod cum nostra lectione sic recte conciliatur, ut homo dicatur *signaculum* quasi passive, id est Dei similitudine signatus : aut, ut Nicetas ait in *Caten.*, « quod præ cæteris rebus homini Deus tradiderit suum insigne, scilicet rationem; qua reliquæ res omnes caruerunt : » quod signaculum restitutum est ut lutum, id est, versum et conversum est, rursusque reversum; primum cum lutum ipsum versum est in hominem, deinde cum homo ipse signatus divina similitudine reversus est in lutum et terram de qua sumptus est. « Ego, inquit S. Chrysostomus in *Caten.*, utroque nomine Deum admiror, vel quod corruptioni obnoxium humanum corpus conflarit, vel quod in ipsa corruptione vim ac sapientiam suam expresserit. » Plures alias easque maxime varias hujus loci expositiones adfert et rejicit Pineda noster; sensus autem allegoricos et tropologicos vide apud S. Gregorium lib. XXIX *Moral.* cap. IV.

Vers. 15. Impiorum lux exstinguitur.

15. AUFERETUR AB IMPIIS LUX SUA, ET BRACHIUM EXCELSUM CONFRINGETUR. — Sententia facilis est, significans ab impiis lucem vitæ, prosperitatis et gloriæ auferendam : vide quæ *supr.* cap. XVIII, 5 et 6, et cap. XXI, 17 dicta sunt, ubi hæc repetuntur, et fusius explicantur; « brachium autem excelsum (id est, potentia superba tyrannorum et iniquorum hominum qui rerum potiuntur, et penes quos est summa potestas) confringetur, » et in nihilum redigetur. Fractam siquidem esse quis ignorat Alexandri, Cæsaris, Nabuchodonosoris et aliorum superborum potentiam, quantumvis insuperabilis quando florebant videretur; tempore tamen ita consumpta est, ut nullum modo ejus vestigium appareat : « quoniam brachia peccatorum conterentur, » ait David *Psalm.* XXXVI, 17. Post iniquitatem quippe et peccatum necessario sequitur contritio et mors funesta : evolve regum fastos, et arrogantiam potissimum mulctari animadvertes; Ezechielem perlege, et rapinas, Joelem, et lasciviam variis cladibus puniri cernes. Plena omnia divinæ justitiæ exemplis : quantum calamitatis in reges Israel, in Coritas, in Sodomitas, in Dathan et Abiron asseclas, in Judæorum populum, in infinitos alios peccatum non immisit? plura de misero iniquorum regum ac tyrannorum statu ac tragico exitu vide *supr.* cap. XVIII, 5 et seq. et cap. XXXIV, 20 et passim alibi.

Tyranni fere miserе pereunt.

Vers. 16 et 17.

16 et 17. NUMQUID INGRESSUS ES PROFUNDA MARIS, ET IN NOVISSIMIS ABYSSI DEAMBULASTI? NUMQUID APERTÆ SUNT TIBI PORTÆ MORTIS, ET OSTIA TENEBROSA VIDISTI? — Dixerat superius de luce, quæ occulta detegit; nunc Jobum interrogat de rebus abditissimis, quæ maris aquis, et inferorum foveis ac portis mortis, ostiisque tenebrosis, quæ idem significant, celantur. Quæ sane omnia Deo tam pervia et aperta sunt, quam quæ meridiana luce splendescunt. Septuaginta, πλὴν δὲ ἐπὶ πηγὴν θαλάσσης, ἢ δὲ ἴχνιον ἀβύσσου περιεπάτησας; ἀνέῳγονταί σοι φόβῳ πύλαι θανάτου, πυλωροὶ δὲ ἅδου ἰδόντες σε ἔπτηξαν; *aut venisti ad fontem maris, aut in vestigiis abyssi ambulasti? aut tibi aperiuntur metu portæ mortis, aut janitores inferni videntes te timuerunt?* Quæ postrema verba Græci Patres in *Caten.* de eo tempore accipiunt, in quo Christus ad infernum descendit, ut quos ibi profundus ille locus incluserat ad lucem evocaret et gloriam. De portis et umbra mortis vide quæ cap. III, 5 et cap. X, 22 et cap. XII, 22 et cap. XXVIII, 3 annotavimus. Tropologice per *profunda maris* ac *portas mortis*, graves tentationes ac pericula peccati designantur, quibus anima deprimitur et ad mortem adducitur. Quapropter gemens exclamat David *Psalm.* LXVIII, 3 : ἦλθον εἰς τὰ βάθη τῆς θαλάσσης, *veni in profunda* (Vulg. *altitudinem*) *maris*, a quibus liberari postulans mox subdit *ibid.* vers. 16 : « Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum. » Venerat nimirum in profunda maris, et jactabatur fluctibus, undarum pila et lusus, et conjecerant illum in hoc sorbere et nulli parcere assuetum mare peccata Bethsabeæ, Uriæ, numerati populi, quamobrem eximi quibus convolvebatur fluctibus rogat, ne ab irrespirabili profundo integatur, neve sorbeatur in æternum. Idem quoque alibi *Psalm.* IX, 15 Deo, qui exaltat eum « de portis mortis, » laudes concinit, ubi per *portas mortis* Heracleotes in *Comm.* intelligit periculorum multitudinem ac varietatem; Origenes in *Caten.* peccata mortalia, quæ nos ad mortem animæ adigunt; alii extremum periculum; ad quod introitus ingressusque ad mortem protinus sequitur; Ruffinus autem exponit *pravas cupiditates*, quia per illas itur ad mortem; denique S. Gregorius lib. XXIX *Moral.* cap. VIII, *portas mortis* dicit esse « pravas cogitationes, quas Deo pandimus, quando eas in pœnitentia flendo confitemur : quas etiam non confessas intuetur, sed confessas ingreditur. »

Profunda maris sunt graves tentationes.

Portæ mortis peccata et pecandi pericula.

Vers. 18. Latitudo terræ diversimodo considerатur.

18. NUMQUID CONSIDERASTI LATITUDINEM TERRÆ? INDICA MIHI, SI NOSTI OMNIA. — Latitudo terræ et hujus universi non eodem modo accipitur a philosophis ac mathematicis : illi enim ab Aristotele lib. II *De Cœlo* cap. II, accipiunt ab ortu ad oc-

http://www.obrascatolicas.com

casum : appellant enim *orientem* dextrum cœli, *occidentem* sinistrum ; mathematici vero considerantes terram prout habitatur, definiunt latitudinem ab æquatore versus polos. Attamen hoc loco nec mathematicos nec philosophos consulendos existimo : reor enim per *latitudinem terræ* συναδγικῶς omnem ejus dimensionem significari, id est omnem illius ambitum, positionem, circumferentiam. Terræ autem consideratio multiplicem habet difficultatem : si enim de figura loquaris, alii globosam eam arbitrati sunt; alii latam, et ut tympanum expansam : lege Aristotelem lib. II *De Cœlo* cap. XIII. Si ejus profunditatem inquiras, infinitam credidit Xenophanes Colophonius, ut Plutarchus lib. III *De Placit.* cap. IX et XI testatur. Sed R. Paulus Ægidius lib. II *in Hexaem.* cap. XXIV; Burgensis *in Gen.* cap. I, minorem aqua; majorem putavit Picolominius lib. *De Quant. terræ*, Scaliger *in Cardan.* exerc. 39; Conimbricenses nostri lib. III *De Cœlo* cap. V, quæst. III, art. 2. Stare terram cum philosophi ac theologi tum mathematici omnes asseverant; at Niceas Syracusanus illam volvi summa velocitate existimavit; Thales aquis sustentatam more navigii vehi; Philolaus verti in gyrum ; Ponticus Heraclides et Ecphantus agi velut rotam; Democritus a prima origine aberrasse, verum temporis decursu addensatam constitisse. De quorum opinionibus lege Aristotelem supra citatum, Plutarchum lib. III *De Placit.* cap. XIII et XV; Albertum lib. II *De Cœlo* tract. 3. De ejus autem ambitu, quod magis rem præsentem tangit, mirum in quam varias abiere sententias Hipparchus, Eratostenes, Ptolomæus, Alphraganus, Almeon, Thebitius, Fernelius, Ambianus, Cosmotheoria : lege Plinium lib. II, cap. CVIII; Macrobium lib. I *De Somn. Scip.*; Bedam in lib. *De Rep. temp.*, Basilium homil. 8 *in Hexaem.* Quo autem pacto illius magnitudinem comprehendant lege Maurolicum, Ptolomæum *Cosmog.* dialog. 5; Joannem de Sacro Bosco *Sphær.*, cap. I, ibique Clavium nostrum. Cum igitur opinionum varietas tanta, tanta etiam incertitudo in singulis quæ ad terram pertinent difficultatibus, quid dicendum de universis? Bene igitur ex terræ ignoratione, quam tangimus, quam terimus, divinæ sapientiæ ignorationem in Jobo concludit et infert Deus : si enim terræ latitudinem quantum pateat nemo dimensus est, cum tamen finita sit; sapientiam infinitam quis dimetietur?

Terræ consideratio multiplices habet difficultates, et quas?

Virtus animum dilatat.

Tropologice S. Gregorius lib. XXIX *Moral.* cap. VIII, hæc de virtutum latitudine exponit : virtus quippe ita animum dilatat, ut de rebus asperis et difficilibus gaudeat : « nisi enim virtus animum dilataret, nequaquam Paulus diceret II *Corinth.* VI, 13 : *Dilatamini et vos, et nolite jugum ducere cum infidelibus.* Solerter vero intuendum est quod dicitur : *Considerasti latitudinem terræ?* Latitudo namque bonorum interiorum nequaquam comprehenditur nisi caute consideretur : nam plerumque eos exterius inopia humiliat, pœnæ cruciatus angustat; sed tamen inter hæc semper interior fortitudo se usque ad speranda cœlestia dilatat. Angustati apostoli exterius fuerant, quando flagella sustinebant; sed in magna stabant intus latitudine liberi, qui apud se hæc eadem flagella in gaudium vertant. Scriptum namque est *Act.* V, 41 : *Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Hanc latitudinem inter angustias Paulus invenerat, qui dicebat *Philip.* I, 13 : *Scire autem vos volo fratres, quia quæ circa me sunt magis ad profectum venerunt Evangelii, ita ut vincula mea manifesta fierent in omni prætorio.* Hanc latitudinem David inter angustias obtinebat dicens *Psalm.* IV, 2 : *In tribulatione dilatasti miki.* Tunc itaque hæc terra, id est sanctorum conscientia, dilatatur, cum mundi hujus adversitatibus exterius premitur : nam cum a præsentis vitæ securitate repellitur, intus ad se impingitur, ut ad speranda superna tendatur : cumque evagari exterius non permittitur, quasi in sinum suum revocata dilatatur. » Sic ille. Hinc fit ut sancti in tribulationibus glorientur, in fame, in siti et in infirmitatibus carnis exsultent, qui licet gratiam induerint, cum tamen naturam non exuerint, non possent in his laboribus exsultare, nisi eos affectos aliqua voluptate sentirent : sicut enim visu non nisi lucidum aut coloratum percipitur, et sicut auditu non nisi vox aut sonus auditur, ita voluntas non nisi de aliqua voluptate aut consolatione lætatur. Atque adeo sancti et justi viri in studiis virtutis exsultantes, quæ insuavitate et amaritudine obruta apparent, non modicam in eis voluptatem consolationemque percipiunt; sed quid multis opus est? sane vera voluptas, quæ animum satiet et quietet, non nisi ex virtute percipitur : nam terrena omnia, cum summis labiis attinguntur, dulcia videntur, at dentibus experientiæ mansa et deglutita, conscientiæ morsibus amarescunt. Virtus autem eminus conspecta ingenita sua gravitate nonnullum timorem incutit, sed gustata et amplexata dulcescit; stultum ergo est in alio quam in vera virtute et in studiosis operibus gaudium et voluptatem inquirere.

Sanctі in tribulationibus gloriantur.

Sola vera lætitia est in virtute sita.

19 et 20. IN QUA VIA LUX HABITET, ET TENEBRARUM QUIS LOCUS SIT : UT DUCAS UNUMQUODQUE AD TERMINOS SUOS, ET INTELLIGAS SEMITAS DOMUS EJUS. — Cum lux et tenebræ alternatim statis horis velut e domicilio ad terram occupandam procedant et redeant, poetice pro libri hujus stylo interrogatur Jobus, quis sit lucis et tenebrarum locus, quæ via, quis recessus : videtur enim obscuritas nocturna velum quoddam, quod nocte appetente explicetur, orbique terrarum injiciatur, summo mane replicetur, seponaturque in locum abditum, in solis occubitu resumendum; et quidem res mira contemplantibus videtur lucis ortus, effusio, interitus, tenebrarum refusio, protensio atque discussio. Hinc ergo Deus Jobi ita redarguit ignorantiam dicens : Si confidis te nosse omnia, ut

Vers. 19 et 20.

Lucis et tenebrarum mira vicissitudo.

mecum valeas disputare, et de singulis interroganti mihi reddere rationem, indica mihi, ubinam sit locus determinatus et præcisus habitationis ipsius lucis; et quis ex adverso sit determinatus et præcisus locus tenebrarum, ubi ab invicem dividuntur lux et tenebræ; ut sic unumquodque possis reducere ad suos determinatos limites, et unicuique sic præcise suum assignare habitationis locum, ut intelligas exacte singulas semitas, vel singulos angulos habitationis ejus, tam lucis quam tenebrarum. Quemadmodum norunt homines ea quæ sibi familiaria sunt exacte distinguere, et singulis suos terminos locaque determinata assignare, dicentes : Hæc hujus est domus, illa illius; hæc est hujus possessio vel prædium, illud alterius. Vide igitur, inquit, mi Job, an sic possis mihi determinatam et præcisam invenire atque assignare distinctionem inter lucem et tenebras, ut sic probetur perfectio scientiæ tuæ : si enim in luce et tenebris, quæ quotidie sub oculis tuis versantur, id nequeas præstare, multo minus in aliis occultioribus rebus id poteris, quæ latent aspectum tuum, vel non ita familiariter se quotidie tibi offerunt : ita Pineda, Titelmannus et Tirinus.

Justitia est lux, iniquitas tenebræ.

Tropologice S. Gregorius lib. XXIX *Moral.* cap. IX : « Quid, inquit, *lucis* nomine nisi justitia accipitur; et quid per *tenebras* nisi iniquitas designatur? unde quibusdam dicitur *Ephes.* V, 10 : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et de quibusdam in peccato manentibus memoratur I *Thess.* V, 9 : *Qui dormiunt nocte dormiunt*, ac si beato Job diceretur : Si plenam te habere scientiam suspicaris, die vel in cujus corde ea quæ nunc deest innocentia veniat; vel in cujus corde ea quæ nunc est malitia perseveret : *In qua via lux habitet*, id est cujus mentem veniens justitia impleat; *et tenebrarum quis locus sit*, id est, in quo iniquitas cæca perduret, *ut ducas unumquodque ad terminos suos*, id est, ut dijudices, si vel is, qui nunc iniquus cernitur, in iniquitate vitam finiat; vel is, qui justus cernitur, extremitatem vitæ suæ cum justitiæ perfectione concludat; *et intelligas semitas domus ejus*, id est consideres atque discernas, vel cui bona actio perseverans æternam mansionem præstet in regno, vel quem usque ad terminum suum actio prava constringens in æternum damnet supplicium, » etc.

Vers. 21. 21. SCIEBAS TUNC QUOD NASCITURUS ESSES? ET NUMERUM DIERUM TUORUM NOVERAS? — Interrogatio hæc necti potest cum tota oratione præcedenti, ubi de creatione terræ, maris, cœlorum, angelorum dictum est, ita ut illud *tunc* referat tempus creationi proximum, sive momentum creationis ipsius. Potest quoque referri ad versum proximum, ubi de semitis lucis ac tenebrarum dictum est; de quibus cum rogasset Deus, intelligendus est indicasse rem Jobo incompertam esse, sibi vero a primordio mundi compertissimam, cum ipse ab initio discrevisset tempora, diemque ac noctem alternis succedentem. Tunc autem cum Jobus natus non esset, certum procul dubio nosse minime potuisse, an esset nasciturus, vel quidquam omnino aliud; ergo mens Dei est se sempiternum esse, qui antecesserit mundi creationem omniaque norit; Jobum autem paucos ante annos natum, ac proinde sapientiam divinam infinite perfectam venerari debere, nec illam curiosius perscrutari. Septuaginta legunt, εἶδα ἄρα ὅτι τότε γεγένησαι, ἀριθμὸς δὲ ἐτῶν σου πολύς, *novi igitur quia tunc natus es, et numerus annorum tuorum multus* : in aliis codic. et græcis comm. est εἶδας, et sic exponitur : Si ista nosti, scias necesse esse te eo tempore natum esse quo hæc sunt ordinata; aut si hoc non est, certe neque illud : S. Augustinus legit, *numquid scis quia tunc natus es?*

Vers. 22 et 23. 22 et 23. NUMQUID INGRESSUS ES THESAUROS NIVIS, AUT THESAUROS GRANDINIS ASPEXISTI? QUÆ PRÆPARAVI IN TEMPUS HOSTIS, IN DIEM PUGNÆ ET BELLI? — A sole et luce ad aeream regionem descendit, et tradit ea quæ ibi apparent admirabilia, quæ divinam sapientiam assidue prædicant et commendant, ut autem prius luci ac tenebris certum constituit locum, ubi se definitis temporibus conderent, aut unde ad suos sive diurnos sive anniversarios cursus efferrent; sic etiam nunc grandini ac nubi sua tribuit quasi reconditoria ac horrea, quæ *thesauros* appellat, ubi illa servet ad tempus pugnæ, et e suis veluti armentariis ad hostium suorum oppugnationem expromat. *Thesaurus* enim nihil est aliud quam conditorium secretum cujuscumque rei, non solum pecuniæ, cui quidem per synecdochen appropriatum est *thesauri* nomen, ita tamen ut aliis etiam rebus conveniat, quemadmodum affirmat Agellius lib. II, cap. X, ex sententia Valerii Sorani, quando dixit : « Quos *thesauros* græco nomine appellaremus, priscos Latinos *flavissas* dixisse, id est cellas quasdam et specus ad custodiendas res veteres religiosas : » Plinius etiam hiatus et recessus oris satyrorum *thesauros* dixit : « Thesauros maxillarum, in quos satyrorum et sphingiorum genus cibum condit; » in sacris etiam II *Paral.* XXI, 3, cellæ vinariæ et apothecæ olei nomine originali dicuntur *thesauri vini* et *olei* : quin et cavernæ, quibus aquæ marinæ vis ingens continetur, *thesauri* nuncupantur, juxta illud *Psalm.* XXXII, 7 : « Congregans sicut in utre aquas maris : ponens in thesauris abyssos. » *Thesauri* igitur *nivis* et *grandinis* nihil aliud sunt quam conditoria secreta nivis et grandinis, quæ « præparavit in tempus hostis, in diem pugnæ et belli, » quasi diceretur illas esse ejus bombardas, lanceas, enses, quando cum hostibus suis vult congredi. Deus porro illa similitudine prælii et pugnæ sine dubio vult significare, se, quando cum eo belligeramus, ita instructum omni genere armorum et præsidiorum, ut nos perire oporteat; neque enim vires aut virtutem habemus, qua possimus ejus manui resistere : frustra arma capiemus, et omnia humana auxilia colligemus. Quis

Thesaurus quid proprie significet.

Nix et grando sunt arma Dei in die belli.

http://www.obrascatolicas.com

ex Dei manu se expedire poterit, cum sic ad prælium omnes creaturas instruxerit, ipsisque præceperit, ut nobiscum congrediantur, et in nos impetum faciant? Discamus igitur primum Deo non opus esse ut mutuetur auxilium, cum volet se de hostibus ulcisci; sufficit ut rem decreverit in consilio suo, duntaxat verbum proferat, et suam aperiat voluntatem : en cœlum et terram, quæ arma innumera ipsi adferent, nam quemadmodum ad pedis unius aut duorum altitudinem nive terram contegit, cum voluerit etiam in triginta orgyarum altitudinem, qua penitus sepeliamur, nivem extollet.

Misericordia Dei cur dicatur *thesaurus nivis et grandinis.*

Tropologice S. Chrysostomus et Olympiodorus in *Caten.* thesauros nivis et grandinis aiunt esse peccata, e quibus Deus thesauros bonorum elicit; ut autem nescitur unde nix decidat, sic etiam talis effectus causa ignoratur. Hac ratione potest misericordia ipsa divina *thesaurus nivis et grandinis* dupliciter appellari, *primo*, quatenus in se peccatores includit, qui sunt veluti grandines charitate frigidi : sic *thesauros grandinis et nivis* Magnus vocat Gregorius lib. XXIX *Moral.* cap. XI, «dura ac frigida peccatorum corda,» non simpliciter, sed quatenus objecta sunt misericordiæ divinæ, vasaque præparata ad sanctitatem et justitiam, quæ Deus ex malis reddit bona, et ex vasis contumeliæ vasa justitiæ ac sanctitatis : «In nive, vel grandine, inquit, frigida vel dura accipimus corda peccatorum; sed quia omnipotens Deus sanctos suos de talibus eligit, apte thesauros nivis et grandinis habere se perhibet.» Ergo peccatores ad sanctitatem destinati thesauri sunt nivis; quod cum sit opus immensæ Dei misericordiæ, optime ipsa Dei misericordia etiam *thesaurus nivis* et *grandinis* dici potest, quatenus immensa sua bonitate in se includit, amplectitur ac fovet omnes peccatores. *Secundo*, etiam *thesaurus nivis* dici potest, quatenus in se gladium divinæ recondit justitiæ, et non sinit eum calefieri, nec acui vel accendi, etiamsi ingens sit materia accensionisque occasio : frigidus quippe hic divinus manet gladius, cum tanta sit accensionis materia; non alia utique de causa, nisi quia Deus immersum eum tenet in misericordiæ suæ thesauris nivis et grandinis, frigiditate sua peccatorum incendium superantibus. Hoc acutissime consideravit Philo Judæus ponderans illa verba *Deuter.* XXXII, 37 : «Nonne hæc condita sunt apud me et signata in thesauris meis?» in quo loco animadvertit, quod cum ibi conquereretur Deus de peccatis jam contra illum factis, et quæ in dies fiebant, tamen loquens de vindicta et pœna, affirmat illam obsignatam et reconditam, ne in publicum statim prodiret. «Moyses enim, inquit Philo, exaggerans etiam Dei liberalitatem et gratificandi studium, non solum reliquo tempore ait thesauros malorum obsignatos, sed et cum omnia lapsa fuerint in via recta rationis, quando merito pœna digni videri poterant, in die ipsa ultionis indulgens tempus ad pœnitentiam et errati curationem.» Tanta enim est Dei nostri bonitas, et tam ægre ducitur ad puniendum, ut non solum gladium suum et fulgur non accendat, quando materia ei non præbetur, nec adest; sed etiam quando adest, gladium suum obsignet ac recondat, et veluti ab igne exhalationis peccatorum elonget, in misericordiæ suæ thesauris illum reponens et veluti immergens, ne inflammetur : qui ob hanc rationem optime vocantur *thesauri nivis et grandinis.*

Peccatores ad sanctitatem destinati sunt thesauri grandinis et nivis.

Misericordia dicitur etiam *thesaurus nivis*, quia gladium vindictæ recondit ne accendatur.

Deus iram et vindictam suam tenet obsignatam.

Sed dicet aliquis : Numquid in grandine thesauri esse possunt? imo destructio esse videtur, nam grandine adveniente absumuntur omnia; et ideo Deus volens terram Ægypti depopulari grandinem misit *Exod.* IX, 25, « et grando vastabat omnia;» sed vere si ex grandine thesauri extrahi non possent, utique non diceret : *Numquid thesauros grandinis aspexisti?* Inimicus persequens grandini similis est, quia omnia vastare videtur, honorem, quietem, divitias et vitam; sed ingentes thseauri ex eo possunt extrahi, si ex amore Dei sustineatur, quin imo diligatur. Consulto autem non dixit Deus se grandinem congelare aut efficere, sed ea uti ad pugnam contra hostes; ex quo ingentes thesauros extrahit : cum enim nomine *grandinis* impii persequentes et impie agentes intelligantur, Deus illorum voluntatem non facit pravam, nec in frigidissimum grandinem convertit (id enim operatur malitiæ frigiditas, quæ in illa reperitur); ipsa tamen Deus apte utitur in die belli ad victoriam de inimicis suis reportandam. Sæpe namque per impios, tanquam immisso grandine omnia vastante, illos qui se offendunt punit, quomodo per reges Chaldæorum Jerosolymam ejusque populum castigavit, qui *Isai.* X, 5 et Assur propterea vocavit *virgam furoris sui.* Hoc ergo grandine agit contra offendentes se, inde magnos thesauros trahens : nam per hujusmodi flagella, virgam et persecutiones eos qui peccaverant ad pœnitentiam adducit, culpas eorum pœnis excutit, et trahit ut convertantur ad Deum punientem, quem benigne agentem contempserant. Hoc nempe consideravit David videns Semei verba contumeliæ effutientem, et lapides contra se mittentem; quod quamvis Deus illius voluntatem non fecisset iniquam, ea tamen uteretur ad vindictam de peccatis suis sumendam : quapropter non attendebat ad illa quæ Semei faciebat et dicebat tanquam ab ipso prodeuntia, sed tanquam flagella, per quæ Deus illius delicta castigare intendebat, et sic diram illam persecutionis grandinem sibi in thesaurum convertebat. Adde, quod etiam in improbis ipse Dominus thesauros habeat : quia multos electos, qui emendandi sunt, inter pravos esse cognoscit, quos in tempus hostis et in diem pugnæ et belli præparat : quia eorum mira conversione et inculpatæ vitæ exemplo et doctrina sanctissima omnes iniquos impugnat, et multos expugnat, uti in

Qualis esse possit ex grandine thesaurus.

Inimicus persequens grandini similis.

Deus non facit impios, sed iis utitur ad bellum et victoriam.

S. Paulo et sexcentis aliis factum legimus in *Vitis Sanct. et Annal. Eccl.*, quos non attinet hic commemorare.

Tentationes diaboli nivi et grandini comparatæ.

Denique S. Hieronymus hic per *nivem*, quam adversarius immittit, varia tentamenta intelligit, quibus diabolus homines pulsat; et merito mala, quæ diabolus suggerit, cum nive grandineque componit, nam aquæ frigore duratæ in nivem et grandinem coeunt et rigescunt : non aliter diabolus nihil aliud intendit quam fugare charitatem, et animum nostrum frigore in lapidem vertere. Cæterum hanc nivem et grandinem Deus thesauros vocat, quia omnia illa quæ diabolus in nostram perniciem molitur, Deus in nostram utilitatem vertit. Et pulchra similitudine a nive desumpta id evincit : nempe nix, quæ in segetum perniciem missa videbatur, multam utilitatem satis adfert, nam dum terram operit, neque calidas exhalationes effluere sinit, magis eam fovet; tum etiam dum sensim liquefit, terram uberius utiliusque quam imber imbuit. Quamobrem pulchre cum nive tentatio componitur, quia videtur quidem malum inferre, sed plurimas adfert utilitates. Hoc autem efficere dicitur *in diem pugnæ et belli*, id est, ut hac ratione de hostibus suis triumphet : cogit enim Deus diabolum inservire profectui nostro spirituali : nam dum mala nobis immittit, plurimas nobis utilitates invitus accessit, quapropter eum suis armis expugnat : ita S. Hieronymus, cujus ista verba sunt : «Sub *nivis* nomine præfiguratum hoc loco corpus adversariarum potestatum colligari, quod a charitate Dei longe discessit. Hos thesauros, qui per ænigmata *nives* et *grandines* nominati sunt, ait Deus se *præparare in tempus hostis.*»

Vers. 24. 24. PER QUAM VIAM SPARGITUR LUX, DIVIDITUR ÆSTUS SUPER TERRAM? — Variæ sunt loci hujus interpretationes propter hebræa verba quæ ambigua sunt, nam quod Vulgatus *lucem* vertit, in Hebræo est אור *or*, quæ vox et *lumen* et *pluviam* significat; quod vero *æstum* interpretatur hebraice est קדים *cadim*, quæ vox præter *æstum* significat etiam *eurum* ventum : quare Chaldæus vertit hoc modo, *per quam viam suscipitur lux, dispergit se ventus orientalis super terram?* quocirca ventus idem *subsolanus* vocatur, quod ab ortu solis perflet. Cæterum cum vox אור *or* significet etiam *exhalationem*, quod facile lumen concipiat, quidam ex Hebræo vertunt, *per quam viam spargitur exhalatio, dividuntur venti subsolani, et cometæ quæ ex illa fiunt?* Septuaginta autem non exhalationem neque lucem, sed πάχνη, *pruinam*, et non subsolanum, sed νότον, *austrum* ventum traduxerunt in hunc modum, πόθεν δὲ ἐκπορεύεται πάχνη, ἢ διασκεδάννυται νότος εἰς τὴν ὑπ' οὐρανόν, *unde autem procedit pruina, aut dispergitur auster in eam quæ sub cœlo?* id est, quis pruinam et austrum fecit? Quæ interpretationes omnes licet sint aptæ contextui, sicut Pineda noster bene declarat; Vulgata tamen lectio cæteris merito præferenda, quæ et proprie intelligenda de lucis divisione et æstus partitione mirabili, quam necesse est a mortalibus tenuiter cognosci, vel etiam ignorari. Sunt enim quædam loca ubi raro nubes coeunt lucemque adimunt; alia item ubi frequenter cœlum atris nubibus obducitur, et serena solis facies absconditur. Sunt item quædam loca sole torrida, alia diversis gradibus æstu hiantia vel algore rigentia; quorum exactas rationes, et cur a Deo ita statutum sit, plane nescimus.

Lux et æstus sunt symbola virtutis.

Tropologice hæc lux, quæ super terram humani cordis spargitur, et hic æstus, qui super eamdem terram dividitur, non sunt aliud quam perfectio virtutum; quæ sicut vera lux hominem de agendis et omittendis illuminat, et sicut verus æstus et acediæ frigus omnino consumit, et mentem ardore charitatis inflammat. Ista lux atque iste æstus nescit humana ignorantia per quam viam aut spargatur in nos, aut qua mensura dividatur, secundum illud quod legimus *Joan.* III, 8 : «Spiritus ubi vult spirat, et nescis unde veniat, aut quo vadat : sic est omnis qui natus est ex spiritu.» Profecto in hac *luce* quam Dominus hoc loco commemorat, S. Gregorius lib. XXIX *Moral.* cap. XII, sanctitatem intellexit, cum ait : «Dic quo ordine justitiam meam occultis sinibus cordium infundo, cum et per accessum non videor; et tamen visibilia opera hominum invisibiliter immuto? cum unam eamdemque mentem modo hac modo illa virtute irradio; et tamen per sparsam lucem adhuc ex parte aliqua eam in tentationis tenebris remanere permitto? Requiratur homo nesciens per quam viam spargitur, lux, ac si patenter dicatur : Dum dura corda emollio, dum rigida inflecto, dum aspera mitigo, dum frigida accendo, dum debilia roboro, dum vaga stabilio, dum nutantia confirmo, intuere, si vales, incorporaliter veniens quibus ea meatibus illustro. Hæc quippe omnia nos facta cernimus, nam qualiter intrinsecus efficiantur, ignoramus.» Ita S. Gregorius, qui duplicem quæstionis partem, qua Deus Jobum urget, pro nobis exponens, ubi prius de luce sic inquisivit, quam scilicet viam capiat, dum ad nos de cœlo venit; subdit etiam aliam de via quam æstus agit, dum nobis se objicit : et sicut per *lucem* virtutem, ita per *æstum* laborem intelligit. Itaque post lucem statim æstus adest, quia virtutis studium multis difficultatibus implexum est : ubi enim primum a Deo in intellectum nostrum cœlestis gratiæ lumina infunduntur, statim a diabolo in voluntate quædam inferorum incendia excitantur. Sic enim D. Gregorius loco citato ait : «Cum divina lux in mentes humanas spargitur, mox ab occulto adversario contra fulgentem mentem tentamenta succrescunt;» et statim : «Hostis namque callidus quos justitiæ luce splendescere conspicit, eorum mentes illicitis desideriis inflammare contendit;» et rursum : «Post lucem ergo æstus sequitur : quia post illuminationem divini muneris tentationis certamen

Virtutis irradiatio occulta.

Æstus est etiam symbolum laboris.

Mentes a Deo illuminatæ tenebrosa bella experiuntur.

Dum Deus sua

Lucis et æstus partitio mirabilis.

http://www.obrascatolicas.com

gratia ex una parte nos illuminat, diabolus ex altera inflammat æstu capiditatis.

augetur, » etc. Ubi B. Gregorius annotat apte Deum hæc duo conjunxisse, sparsionem lucis e cœlo et ardorem æstus super terram : nam hoc ipso quod Deus e cœlo lumen spargit, quo aliquem illustrat, et fulgore sanctitatis clarum facit, mundi rectores aut principes tenebrarum, qui in terram missi dicuntur, rabido æstu inflammantur, accenduntur atque excitantur, ut contra eum agant et perdant; et eo ipso quod quis bonorum operum claritate lucet, æstus ardoris invidiæ succendit dæmonem, ut variis diversisque modis illum expugnandum assumat. Præcipua enim causa, ut sæpe demonstravit D. Basilius, ob quam diabolus nos expugnare contendit, est invidia : nec enim ferre potest, ut homo vilis vermiculus e pulvere terræ conditus, ad eam perveniat beatitudinis et gloriæ celsitudinem, quam ille, qui excellentiorem habet naturam, amisit. Recte igitur observavit B. Gregorius id quod Deus dixit ad B. Jobum : *Dividitur æstus super terram*, intelligi apte de æstu tentationum, qui dividitur super terram, quia non una eademque tentatione diabolus impetit omnes homines, sed diversis, juxta propensionem quam in unoquoque videt. Cæterum quale sit lumen seu lux animæ vide superius cap. XXIV, vers. 13, amplius explicatum.

Vers. 25, 6 et 27.

25-27. QUIS DEDIT VEHEMENTISSIMO IMBRI CURSUM, ET VIAM SONANTIS TONITRUI : UT PLUERET SUPER TERRAM ABSQUE HOMINE IN DESERTO, UBI NULLUS MORTALIUM COMMORATUR : UT IMPLERET INVIAM ET DESOLATAM, ET PRODUCERET HERBAS VIRENTES? — *q. d.* Numquid assecutus es, quis nimbo aut turbini cursum dederit et impetum vehementem, aut tonitruo, qua se late diffundat, viam aperuerit, ut imbrem effundant in ipsam etiam solitudinem, ubi neque mortalium ullus commoratur, et ibi convestiant et exhilarent agros, unde ad homines nulla possit provenire commoditas? vide quæ superiori capite et cap. XXVIII, vers. 26, de imbre et tonitruo dicta sunt. Allegorice *imber vehementissimus* et *sonans tonitruum* nihil aliud est quam prædicatio evangelica, quæ instar imbris corda hominum rigat, et instar tonitrui mentes impiorum exterret. *Desertum* autem sunt mundani homines, *mundi* et *sæculi* nomine signati quos Deus verbo prædicationis rigat, si forte compungantur, et desideria virtutis concipiant; unde S. Gregorius lib. XXIX *Moral.* cap. XIII : « Sunt plerique, inquit, ad verba Dei valde insensibiles, qui fidei quidem nomine censentur, verba vitæ auribus audiunt; sed ea transire usque ad interna cordis minime permittunt : hi quid aliud quam deserta terra sunt? *Quæ* scilicet *terra hominem non habet*, quia eorum mens sensu rationis caret. *Et nullus mortalium in hac terra commoratur*, quia et si quando in eorum conscientia rationabilium sensuum cogitationes veniunt, non persistunt : prava enim desideria in eorum cordibus sedem inveniunt, recta vero, si quando venerint, ac si impellantur, decurrunt. » Merito autem *deserti* nomine mundus significatus est, quoniam desertum, ut ipsum nomen sonat, locus est inhabitabilis et solitarius, incommodis multis refertus, et omnibus bonis destitutus; desertum locus est infructuosus et vepribus plenus, æstibus ac solis ardoribus patens, bestiarum immanium latibulum, invius et inaquosus, solo aspectu metum et horrorem incutiens : quæ omnia profecto quadrant in sæculum.

Imber et sonans tonitruum est evangelica prædicatio; et cur?

Mundus hic desertum est.

28. QUIS EST PLUVIÆ PATER? VEL QUIS GENUIT STILLAS RORIS? — Ad hanc quæstionem respondent mundi sapientes Jovem esse, quem ea de causa nominavere Græci ὄμβριον καὶ ὑέτιον, Latini *pluvium*; cui sacra faciebant Indi; aram exstruebant Athenienses; Romani, ut Tertullianus refert in *Apol.* « Aquilicia immolabant; » et quidem eum ipsum, quem dixere *soterem* Jovem, habitum quoque fuisse ὄμβρων ἀρχηγὸν, *pluviæ largitorem et moderatorem*, prodit Athenæus lib. XV. Sed eos impiæ vanitatis coarguit Jeremias aculeato hoc dicto cap. XIV, 22 : « Numquid sunt in sculptilibus gentium qui pluant? » *q. d.* Est solius veri potentissimique Numinis habere summum et perfectum imbris dominatum. Hinc hebrææ theologiæ principes, cum Deo quatuor claves tribuerent, quas ille nec ulli angelo ac ne seraphino quidem unquam dedisset, primo loco reponebant *clavem pluviæ* : ita *sup.* cap. XXVIII, 26 Deus dicitur « ponere pluviis legem, » atque, ut est in alio loco cap. XXVI, 8, « aquas in nubibus ligare. » Aristoteles de pluvia disputans ait fieri circulum quemdam et reciprocum veluti oceanum circa terras in ea generanda; vapores enim a præsente sole attolli, eosdem illo absente fluere in imbres atque labi, iterum erigi, mox decidere continuo quodam κύκλῳ et conversione. Sed nos alio quodam modo de mystica pluvia philosophemur, præsente videlicet et favente justitiæ sole Deo illam generari, absente exarescere : si afflaverit spiritus ejus, fluent aquæ; si recesserit, æneum fit cœlum atque adamantinum. Cum ille verbi Dei concionatores ut mysticas nubes charitate sua donisque imbuerit, tum sapientiæ fluenta manabunt, tum ros quidam ab illis divine sparsus in terra flores, in ostreis uniones, in alveariibus mel ambrosiamque generabit. Dicam planius *Psalm.* LXVII, 34 : « Dabit illis; vocem virtutis, » ut doctrinæ cœlestis communicatione christianum populum ad omnem vitæ perfectionem incendant. Absque illo sole brutæ sunt hæ nubes atque inani bombo resonantes, cymbala, ut Apostolus ait I *Corinth.* XIII, 1, tinnientia, crepantesque vesicæ, quæ puerili potius ludo quam veritatis præconio serviant : itaque mihi maxime prædicanda illa videtur ecclesiastarum pia consuetudo, qui cum verba facere volunt ad populum, et cum Moyse concrescere in pluviam doctrinam suam *Deuter.* XXXII, 2, et ut rorem fluere eloquium, in ipso concionum exordio suspiciunt in cœlum, et salutationis angelicæ recitatione magnæ Mentis et magnæ Matris opem auxiliumque implorant · pie et sa-

Vers. 28. Gentiles Jovem vocabant pluviæ patrem.

Soles Deus habet perfectum pluviæ dominatum.

Aristotelis de pluvia philosophia.

Pia concionatorum consuetudo ab invocatione Dei et B. Virginis auspicandi concionem.

Ros Jovis et lunæ filius.

pienter ad solem principem lunam roris effectricem adjungunt, *cœli reginam*. Alcmanus poeta ingeniosissimus et prudens erudito invento Rorem dixit Jovis et Lunæ filium esse : et Græcos scimus vocare plenilunium δροσοβόλον, *rorem jaciens*, ut vim lunæ in rore efficiendo proderent. Ita vero est, nostræ nubes, et divinorum mysteriorum internuntii, si faventem habuerint hanc lunam, rorem mittent copiosius, atque in populo erudiendo fructu longe uberiori contendent : tunc erunt, ut cum Michæa loquar cap. V, 7, « quasi ros a Domino, et quasi stillæ super herbam. » Tunc Ecclesia fiet paradisus Dei, γῆ πάμφορος, *terra promissionis*, in qua olim, cum a maio mense ad octobrem usque nulla foret pluvia, ros vitalis divino beneficio stillans fruges omnes animabat; quo Propheta intuens sic Deum loquentem inducit *Ose.* XIV, 6 : « Ego quasi ros Israeli, » quæ magnifica et plena humanitatis est pollicitatio, cum rerum omnium ubertatem præsidiumque suum bonus omnium parens Deus suis promittit : ita Cresollius noster lib. I *Mystag.* cap. XII, ubi pluribus agit de mystica pluvia.

Vers. 29 et 30.

29 et 30. DE CUJUS UTERO EGRESSA EST GLACIES? ET GELU DE COELO QUIS GENUIT? IN SIMILITUDINEM LAPIDIS AQUÆ DURANTUR, ET SUPERFICIES ABYSSI CONSTRINGITUR. — Sicut præced. vers. Deus se *pluviæ patrem* metaphorice appellat, ita et hic in generatione glaciei et gelu se matrem non obscure indicat, dum rogat, e cujus utero glacies prodierit, etc., ut per hoc non paternam providentiam modo, sed maternam quoque indulgentiam et amorem significet. Alterum quod commemorat est aquæ congelatio durissima, quæ crystallum efficit : crystallum quippe glaciem esse pro explorato habetur, tanta enim est vis gelu, ut cum aquæ sint natura molles et humidæ, gelu concretæ ita rigescant, ut tanquam lapides duræ reddantur; et quod est mirabilius, etiam « superficies abyssi constringitur, » id est, mare cum sit natura sua calidius, et propter magnam aquarum vim æstu ferveat, concrescit tamen : id quod in mari glaciali sub aquilone præsertim conspicitur, ubi non secus ac in continenti iter agitur, ædificatur, pugnatur. Ex quibus contexitur argumentum, quo Jobus convincitur, divinæque sapientiæ ac potentiæ cedit. Cæterum vide hunc locum in S. Gregorio lib. XXIX *Moral.* cap. XV allegorice simul ac tropologice de Judæis ac Satana eleganter expositum; ex cujus doctrina colligitur Satanam nobis superficiem aquæ gelu duratam et constrictam ob oculos ponere. Sed quænam hæc aqua est, cujus superficies nobis a diabolo congelata objicitur? cum tamen inferiores aquæ decurrant, sicuti fieri solet in fluviis hiemali glacie duratis : etenim inferiores aquæ defluunt, et in mare dilabuntur stante superficie congelata et indurata. Quis nescit vitam nostram instar aquæ perpetuo defluentis se habere, juxta illud II *Reg.* XIV, 14 : « Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram; » et cum hoc verum et certum sit, superficiem aquæ nobis diabolus constringit, geluque solidam et stantem objicit ac depingit, quo existimemus nos longe adhuc a morte degere, imo in ea stare, quin defluamus, sed potius permanentes consistamus; proinde posse adhuc delinquere, cum tempus pœnitendi suppetat : nam sicut dixit Tertullianus lib. *De Cult. fem.* cap. II : « Qui præsumit minus veretur, minus præcavet, plus periclitatur. » Hinc et diabolus, cum audivit mulierem ob oculos mortem habentem, statim dixit *Gen.* III, 3 : « Nequaquam moriemini, » etc., ablato enim timore præcepti et mortis, rem facile conficiendam circa peccatum, quod suadebat, putavit : nam sicut dixit Clemens Alexandrinus lib. I *Strom.* : « Quem timorem genuit lex (illius scilicet secundum quam statutum est hominibus mori) is est misericors ad salutem : hunc igitur abolere nititur diabolus, mortemque longissime distare suadet, ut liberior delinquendi locus supersit. »

Deus quasi *mater glaciei* dicitur.

Mirabilis glaciei in crystallum concretio.

Mare ipsum conglaciatur.

Diabolus res transitorias nobis ut stabiles depingit et proponit.

Vers. 31.

31. NUMQUID CONJUNGERE VALEBIS MICANTES STELLAS PLEIADAS, AUT GYRUM ARCTURI POTERIS DISSIPARE? — *Pleiades* sunt sidus stellarum septem caudæ Tauri inhærentium, Latinis dictæ *Vergiliæ*, quia *veris nuntiæ*, ac consequenter florum ac fructuum omnisque amœnitatis reductrices; unde hebræus textus illas vocat *delicias Pleiadum* : quarum situs mirabilis est, neque satis a mortalibus capitur, cur ita conjunctæ sint, et quid arcanum in ea propinquitate lateat, quidve inde in orbem hunc infimum proveniat. Ille autem modus rogandi : *numquid conjungere valebis?* idem valet ac : Num conjunctas creare, disponere, ordinare poteris? *q. d.* Tunc vinculum Pleiadum, tunc has septem stellas in hoc sidere junges, ut ego feci? vel magis eas junges quam ego junxerim? Ita S. Chrysostomus et Olympiodorus in *Caten.* Potest etiam verti, *tunc ligabis Pleiadas?* ut scilicet hiemis asperitatem in vernam amœnitatem resolvere nequeant, *q. d.* Tunc cœli, temporum et terræ ordinem poteris immutare? *Aut gyrum Arcturi poteris dissipare*, hoc perinde est ac disjicere, destruere, ut significet a nemine posse ordinem constellationis illius inverti aut mutari; quod synecdochice de universis sideribus accipiendum, nam e parte insigni apte totum opificium cœlorum intelligitur : potest etiam exponi dissipatio Arcturi, ut sit stellarum sidus illud constituentium, et longe distantium, et velut dissipatarum mira dispositio : de qua vide quæ *supr.* cap. IX, 9 annotavimus ad illa verba : *Qui fecit Arcturum, et Oriona, et Hyadas*, etc., quæ huc valde faciunt.

Pleiades qualis constellatio sit.

Mystice S. Gregorius lib. XXIX *Moral.* cap. XVI per *septem Pleiadas* accipit septiformem gratiam Spiritus Sancti, de quo vide ipsum fusius loco indicato, per *Arcturum* vero intelligit Ecclesiam militantem : nos eadem ratione qua ille ducti, intelligere possumus et triumphantem, nam et Arcturus, quæ est constellatio aquilonaris, eo differt a cæteris stellis, quod cæteræ oriantur et occidant,

Pleiades et Arcturus quid mystice?

Arcturus symbolum cœ-

http://www.obrascatolicas.com

Testis gloriæ.

appareant et evanescant, oceano immergi, indeque emergere videantur; Arcturus vero ita versetur circa polum, ut nunquam occasum subeat, semper conspicuus appareat; unde a Poeta *axis inocciduus* appellatur; et Mantuanus poetico quidem schemate canit illud :

Arctos oceani metuentes æquore tingi.

Ut significent has stellas a suis locis nunquam ruere, sed semper conspicuas apparere : ita plane regnum illud beatorum eo a cæteris regnis temporalibus separatur, quod hæc perpetuæ vicissitudini subjiciantur, incipiant ac desinant floreant et areant, nascantur et moriantur; illud perpetua stabilitate firmetur. Nullus ibi occasus, nulla ruina.

Vers. 32. 32. NUMQUID PRODUCIS LUCIFERUM IN TEMPORE SUO, ET VESPERUM SUPER FILIOS TERRÆ CONSURGERE FACIS?

Mazaroth, quid? — Pro *Lucifero* hebraice est מזרות *Mazaroth*, cujus significatio, quod hoc uno loco reperiatur, non satis comperta est; Septuaginta nomen hebræum in sua versione reliquerunt legentes, ἢ διανοίξεις Μαζουρὼθ ἐν καιρῷ αὐτοῦ; *an aperies Mazuroth in tempore suo?* Symmachus vertit, ἢ ἀναφύσεις τὰ σκορπισθέντα, κατὰ καιρὸν αὐτοῦ ἕκαστον; *numquid produces quæ sparsa sunt, unumquodque juxta tempus suum?* S. Chrysostomus et Cyrillus Μαζουρὼθ signa Zodiaci esse opinantur, ut notat Scholiastes in hæc verba : Μαζουρὼθ τὰ συστήματα τῶν ἀστέρων, ἃ ἐν τῇ συνηθείᾳ ζώδια καλοῦνται, id est, *Mazuroth sunt collectiones siderum, quæ usus obtinuit ut vocentur* ζώδια, *quasi parva animalia*; et subdit : Ἄλλοι δέ φασι Μαζουρὼθ εἰρᾶσθαι μὲν εἶναι τὴν λέξιν, σημαίνειν δὲ τὸν ἀστρῶν κύνα, *alii vero inquiunt* Mazuroth *dictionem quidem esse hebraicam, sed significare sidereum canem.* Lucifer autem est eadem stella quæ Vesperus : sidus enim Veneris solem antegrediens Lucifer est, subsequens vero Vesperus : de quo vide quæ cap. XI, 17 annotata sunt. Allegoriam porro et tropologiam hujus loci vide apud S. Gregorium lib. XXIX *Moral.* cap. XVII ubi Luciferum Christo et electis, Vesperum vero Antichristo ac reprobis applicat.

Lucifer et Vesperus quid?

Vers. 33. 33. NUMQUID NOSTI ORDINEM COELI, ET PONES RATIONEM EJUS IN TERRA? — *q. d.* Non poteris nisi me docente intelligere quam admiranda ratione cœli ipsi inter se apte collocentur, quam ordinate moveantur, quam constanter vim illuminandi et opera sua efficiendi retineant; nec poteris investigare, quomodo ipsi cœli terram et inferiora gubernent, et in his quasi sua jura omnimode servanda præscribant, et annos ac tempora ætatesque disponant, et ad utilitatem hominum universa sibi subjiciant. Pro certo enim habent omnes philosophi hæc inferiora superioribus cœli lationibus gubernari; et ad hoc pertinet illud quod scribitur *Gen.* I, 16 : « Fecit Deus duo luminaria magna; luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti, et stellas : et posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram, et præessent diei ac nocti. » Itaque Dei summa potentia atque sapientia declaratur non solum in eo quod cœlum et terram fecit, sed etiam in eo, quod sapientissime ea inter se adaptavit atque conjunxit.

Cœli ordo mirabilis.

Deus amator ordinis est, quemadmodum in omnibus rebus videre licet : quia illas non solum inter se coagmentavit atque connexuit, verum et in unaquaque earum mirum partium atque perfectionum ordinem collocavit; adeo ut Propheta regius clamet *Psalm.* CIII, 24 : « Quam magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti : impleta est terra possessione tua. » Sapientia namque sua sic Deus illa disposuit, ut magna et admiranda cunctis appareant, et cernentes in laudem Creatoris et gratiarum actionem impellant. Implevit ipse terram creaturis suis, neque illas confuse et perturbate coacervavit, sed ordinatissime quamque earum aliis subjici vel supereminere fecit. E terra et aliis elementis, quæ inter se magnum ordinem habent, mixta inanimata perfecit; his arbores et plantas aliquam vitam habentes proposuit; hæc animalibus in usum attribuit; animalium ac cæterorum homini dominium prærogavit. Hominibus quippe dictum est *Gen.* I, 28 : « Replete terram » non aliter quam possessores et domini; « et subjicite eam, et dominamini piscibus maris et volatilibus cœli, et universis animantibus quæ moventur super terram : » inter homines ipsos ordinem servari voluit, ita ut quidam imperent, cæteri illis obediant; isti doceant, alii vero doceantur; et per eos, qui dignitate aut talentis majores sunt, reliquis bona administrentur. Quod si rebus humanis ordo non deficit, in quibus tanta sunt, quæ ab æqui et boni scitis exorbitent; quis non videat cœlos et angelicos spiritus admirando ordine esse dispositos et pulcherrimo superiorum et inferiorum fœdere colligatos? Denique universus aut ordo creaturarum est, aut certe sine ordine et recta partium collocatione non est : unde Dominus Jobum interrogans ait : « Numquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra? » ubi *ordo cœli* omnia quæ ad conversionem orbium illorum, dispositionem, ornatum, influxum pertinent complectitur : diciturque is ordo in terra poni ab effectu, quia inde terra vim et ornatum concipit. Pro *rationem ejus* Hebræus habet משטרו *mistaro*, hoc est *præfecturam ejus, imperium ejus*, q. d. Numquid cœlis dabis potestatem, modum et rationem terram totam et omnia quæ sub cœlo sunt gubernandi? hæc enim inferiora, inquit Aristoteles, superioribus cœli lationibus seu motionibus gubernari necesse est.

Deus ordinis auctor et amator.

Qualis sit rerum ordo et subordinatio.

Inferiora lationibus cœli gubernantur.

Tropologice S. Gregorius lib. XXIX *Moral.* cap. XVIII : « Ordinem, inquit, cœli nosse, est supernarum dispositionum occultas prædestinationes videre; rationem vero ejus in terra ponere, est supernorum judiciorum mysteria vel considerando discutere, vel loquendo manifestare; quod utique nullus facere potest in hac vita constitutus. » Aliter etiam ordo cœli ponitur in terra, Pars inferior subordinanda superiori. quando ex vi partis superioris, quæ in homine justo cœlesti ordine regitur, pars inferior vim concipit, ut passionibus edomitis, et sedata perturbatione, piis operibus et puris affectibus assuescat. Denique hæc cœli a terra dependentia spiritaliter cernitur in pœnitentibus, quorum exemplum manifestum habemus in Ninivitis *Jon.* III, 5, quorum operibus cœli judicium attemperatur; siquidem ipsis in terra peccantibus cœlum offenditur, mortisque sententia interminatur; pœnitentibus vero reconciliatur, vitaque promittitur. Quin *Luc.* XV, 7, et « gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente; » unde natum est illud diverbium : *Sententiam Petri sequitur sententia cœli*, ex quo nimirum una cum clavium traditione dixit ei Christus *Matth.* XVI, 19 : « Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis : et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis. »

Sententia cœli confirmatur sacerdoti.

Vers. 34 et 35. 34 et 35. NUMQUID ELEVABIS IN NEBULA VOCEM TUAM, ET IMPETUS AQUARUM OPERIET TE? NUMQUID MITTES FULGURA, ET IBUNT, ET REVERTENTIA DICENT TIBI : ADSUMUS? — Hæc elevatio vocis imperium Dei est, elegansque significatio contentæ vocis, qua e longinquis terræ marisque regionibus materia nubium aut nebularum evocetur, ut statim concrescat et resolvatur. S. Thomas *vocem* tonitruum esse putat, quod *vox* dicitur *Dei*, et in nubibus, quæ etiam vocantur *nebulæ*, resonat et mugit : quare loqui censetur cum tonat Deus, juxta quam sententiam sensus est, *q. d.* Numquid, o Jobe, tonabis, sicut ego facio, in nubibus, aut ex illis vim aquarum maximam effundes, quod ego sæpe facio, ita ut te copiosus imber operiat et obruat? aut micabit te jubente cœlum coruscante fulgure quod tuo statim obsequatur imperio, sive abire jubeat, sive emissum revocet? Revertuntur autem fulmina ad Deum peracto motu et officio suo, quod per poeticam catachresin dictum : Deus enim ubique est. Ille vero sermo tributus fulguribus, quo dicunt : *Adsumus*, prosopopœia est, et notatio divinæ potentiæ, cui res, quæ videntur præcipites, concitatæ, indomitæ, ad nutum obediunt : fulmina enim et omnes creaturæ ita Deo parent ac si ratione præditæ essent, idque tam in ortu quam in occasu suo, semper se ad Dei nutum et arbitrium promptissime accommodantes, ut Deo aliquid imperante nullam omnino moram, nullam dilationem faciant : quare recte dixit David *Psalm.* CXLVIII, 8 : « Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus. »

Vox Dei tonitruum.

Obediens fulguri debet esse similis.

Tropologice hic legitimæ ac celeris obedientiæ forma exprimitur : obedientes enim sive ad eundum, sive ad redeundum, velut fulmina quædam velocissime parent. Ubi notandum est, quod in originali hebræo vox *fulgura* non solum *coruscationem fulgurantem*, sed etiam *telum* ipsum *fulminis coruscantis* significet, sicut de animalibus mysticis dicitur *Ezech.* I, 14 : « Animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. » Illud autem, *ire* et *reverti*, et *dicere* : *Adsumus* S. Thomas existimat esse periphrasim feliciter obedientis, qui ad utrumlibet est paratus, sive ad eundum, sive ad revertendum; et cum omnia legitime perfecerit, adhuc habet pedem extensum ad eundum, quo jubentis direxerit voluntas; et ideo ait : Adsumus ad iterum eundum. Sed numquid ob solam indifferentiam et agilitatem comparatur fulmini verus obediens? nequaquam : habet enim hoc etiam fulmen, quod nulli obstaculo cedat, imo tunc fortius irruat et acrius feriat, cum aliquod illi opponitur impedimentum : non rumpit ensis vaginam, quia illa cedit; rumpit et comminuit ensem, quia ei obstat. Sic verus obediens nescit impedimentis cedere, quin potius tunc redditur fortior, et acrius irruit in obstantia : sic B. Paulus, cujus verbum non potuit simul cum ipso alligari, nec quia vincula et carceres in Jerusalem sibi parari nosset, eo proficisci recusavit; quin imo cum a Judæis et gentilibus impediretur, acrius instabat, et animarum curam gerebat : sic S. Andreas in cruce vehementius crucis virtutem prædicabat, etc.

Obedientia sit agilis et fortis.

Sub symbolo igitur *fulguris* hoc loco Dominus obsequentissimorum famulorum expeditissimam simul et efficacissimam describit promptitudinem : Sunt mei, inquit, servi velut fulgura, sic parati, expediti, celeres, rapidique ut eant, quo a me mittentur. Recte quidem *fulgura*, non *tonitrua* : hæc enim tardius ad aures quam illa ad oculos perlabuntur : deinde illud magis amplificat citatissimam obedientiam, quod non missa, sed revertentia dicunt : *Adsumus* : nec enim ante opus completum, vel tantulam dicendi : *Adsumus* morulam consumi patiuntur. Priusquam jubeantur fulgera eunt, revertuntur, et dicunt : *Adsumus*, tam videlicet prompta et expedita obtemperandi fuit contentio, ut prope rem ipsam prius confecisse videantur, quam de illa facienda quidquam agnovissent. Cujus rei clarum exemplum prostat in B. Epiphanio Ticinensi episcopo, de quo adhuc diacono, cum præsuli Crispino inserviret, loquens Ennodius in ejus *Vita* ita prædicat : « Pes illius erat, oculus, dextera; cujus ministerio quidquid optasset fieri, ante jussionem suam videbat impletum : præsentiunt enim bonæ mentes eorum desideria quibus cum integritate famulantur. » Vides ut semper sint in promptu? eunt et revertuntur; imo prius eunt et revertuntur, quam dicant : *Adsumus* : quia tam celeriter mandata exsequuntur, ut cum se offerunt ad exsequendum, jam exsecutioni dedisse videantur. Loco *adsumus*, Septuaginta ponunt, ἐρεῦσι δὲ σοι· Τί ἐστι, *et dicent tibi : Quid est?* Exponit Nicetas, *quid est quod optas facere?* in quo quidem, si ad rem jam absolutam respicias, admirabilis promptitudo in parendo innuitur : tam celeriter enim mandata Domini exsequuntur illius servi ac nuntii, ut simul atque mittuntur opus compleant, et completo opere se offerant sciscitantes : Quid est, Domine,

Fulgur symbolum promptæ et efficacis obedientiæ.

http://www.obrascatolicas.com

quod optas facere? anne illud ipsum quod de tuo nutu conjectavimus, subitoque sumus exsecuti? Quod si de futuro interrogantes intelligas, mira etiam cernitur obedientia: dicunt enim: Fecimus quod jussisti, Domine, en adsumus; quid reliquum est peragendum? infatigabili enim studio etiam ubi revertimur rursus ibimus: tuum erit mittere; nostrum ire et redire, atque in orbem jugiter redire et ire. Incredibilis plane obedientia, atque ardentissimus erga Dominum suum amor servorum Dei hoc loco exprimitur, de quo pulchre Hieremias noster Drexelius lib. II *Heliotr.* cap. IV, § 3: « Fulgur, inquit, et fulmen ignes subtilissimi natura petunt sublime; at quia Deus deorsum illa mittit, suæ naturæ oblita incredibili celeritate ad ima ruunt, ferrum, rupes et quidquid resistit perruptura. Christi fulgura dixeris eos qui suam voluntatem pessumdant, ut pateant divinæ; alta quidem aspirarent, si suos impetus sequerentur; sed quia Deus vult aliud, ad infima sese non inviti demittunt, idque alacritate summa; difficultates omniaque impedimenta perrumpunt, nec itione tam crebra fatigantur, jussis peractis instar fulgurum illorum revertuntur, Dominoque suo se sistunt: *Ecce adsumus.* Quid jam? parati sumus etiam occumbere: jube quod vis. Sicut autem fulgura (quod hic observes) non ex aqua vel terra, sed e nube densa beneque clausa prosiliunt, ita prompta hæc ad omnem obedientiam ductilis voluntas provenit ab oratione et meditatione, quæ nubium instar sublimes volant sensibus corporis undequaque clausis. Si quis enim attente consideret quibus obsequiis in cœlo tot milliones angelorum subserviant Numini, qua ratione ipse Dei Filius Patris voluntatem in præsepi, in pannis ac paleis, in itineribus, in cruciatibus, in cruce sit amplexus, non se continebit, quin velut fulgur promptissimam obedientiam polliceatur, suamque voluntatem cum divina integerrime conjungat.

Obedientia infatigabilis.

Vers. 36. 36. QUIS POSUIT IN VISCERIBUS HOMINIS SAPIENTIAM? VEL QUIS DEDIT GALLO INTELLIGENTIAM? — Postquam de rebus animæ rationisque expertibus egit Deus; ad animantia deducit interrogationem, in quibus majora operata est divina solertia, et primum agit de animalium omnium nobilissimo scilicet homine, ut qui propemodum ad naturæ divinæ communionem sit admissus, cum intimis visceribus a Deo insitam acceperit sapientiam ceu divinæ particulam auræ. De cujus præstabili dignitate et amplitudine si quis loqui ut par est vellet et cogitare, intimum usque in animum penetrare opus esset, atque in illum succedere, quem mirifice D. Petrus I *Epist.* III, 4, stylo cœli et inusitato « cordis hominem » dixit, absconditum et arcanum. Ibi sine dubio videremus ut in propria sede morantem sapientiam, nisi quis degener et tenebrio tantum decus repudiasset; quod excellenter mihi exposuisse visus et prædicasse D. Ambrosius *Epist.* 27: « Exterior, inquit, homo plurima in se membra habet; interior autem cordis homo totus sapientia est, plenus gratiæ, plenus decoris. » Hoc ipsum more suo velut aureis quibusdam symbolis illustravit regius Vates, cum ita canit *Psalm.* XLIV, 14: « Omnis gloria filiæ regis ab intus. » Illud *ab intus* satis innuit loqui illum de abscondito cordis homine, ubi sapientiæ domicilium est; unde vera et ingenuo animo digna laus gloriaque redundat. Hoc ergo opus longe cæteris supra numeratis præstantius est, in quo expressius Dei vestigium relictum fuit, et divina mens et ratio velut in imagine propria nobilissimis sapientiæ splendoribus illustrata refulget: id vehementer miratur David præ stupore exclamans *Psalm.* VIII, 5: « Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? minuisti eum paulo minus ab angelis: gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. » Itaque homo propter sapientiam, qua ejus viscera imbuta sunt, antecellit cæteris Dei operibus quæ in Genesi narrantur. Septuaginta hoc prius hemistichium legunt hoc modo, τίς δὲ ἔδωκε γυναιξὶν ὑφάσματος σοφίαν ἢ ποικιλτικὴν ἐπιστήμην; *quis dedit mulieribus texendi sapientiam aut variegandi scientiam?* ubi magnum aliquid videntur significare Septuaginta cum texendi opus et illustrem in opere textili picturam in qua multum est ingenii atque artis, mulieribus attribuunt; cujus inventrix Pallas existimatur a gentilibus, quibus ars illa digna visa est, cui dea præesset. Hic ergo declarat Deus se veram causam esse omnis sapientiæ et cognitionis tam in hominibus quam in animalibus: nam ipsius sapientia, ut pulchre docet S. Dionysius lib. *De Divin. Nom.* cap. VII, etiam causa est illius tenuis cognitionis omnisque industriæ quæ in animalibus reperitur: de qua subdit:

Homo sapientiæ dono cæteris animalibus antecellit.

Sapientia in corde habet domicilium.

Mulieres texendi arte præstant.

QUIS DEDIT GALLO INTELLIGENTIAM? — In Hebræo est שכוי *secui*, quæ vox hoc tantum Scripturæ loco reperitur, qua de causa pro explorato non est quid præcise significet; Chaldæus et quidam Hebræus *gallum* sicut Vulgatus interpretantur; ponit autem Chaldæus in eo galli intelligentiam, quod laudet Dominum suum; Hebræus vero, quod media nocte surgere doceat hominem ad laudandum Deum. Alii vero cum Sante Pagnino pro gallo *cor* transferunt, ut ejus radix sit שכה *saca*, id est *vidit*, propterea quod corde videmus sive intelligimus: itaque idem est ex horum sententia *ponere in corde intelligentiam*, quod ante dixerat, *ponere in visceribus sapientiam*. Hinc Mercerus vertit *imaginationem*; Arias *contemplationem*, alii *intellectum*. Sed merito præferenda est Vulgati lectio, quæ *gallum* transfert, quomodo etiam legunt thalmudici et veteres hebræi. Et quidem quod ad gallum spectat, notum est illum horas cantu distinguere ac si nosset siderum rationes, et noctu productiorem vocem tollere, et quasi castrensi vigilia homines ad laborem excitare, ut alia hujus animalculi mira prætereamus, quæ assiduitate vilescunt. Porro causa cur gallus post medium noctis et ante solis ortum statis temporibus canat, varii variam dant rationem; sed hæc verior videtur, quod sicut Deus aliis creaturis propria quædam, ita et gallo ex vi nativi sui temperamenti, aerei et ignei hoc indiderit, ut ei tali tempore solvantur sensus, tum quia præcalidus est, et facile cibos digerit; tum quia solis appropinquantis influxum percipit; unde instinctu phantasiæ mox in cantum et alarum plausum erumpit. Plinius lib. X, cap. XXI, rem totam nobis eleganter describit his verbis: « Hi nostri vigiles, inquit, nocturni, quos excitandis in opera mortalibus rumpendoque somno natura genuit, norunt sidera, et ternas distinguunt horas interdiu cantu: cum sole eunt cubitum, quartaque castrensi vigilia ad curas laboremque revocant: nec solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemque venientem nuntiant cantu, ipsum vero cantum plausu laterum. » Hæc ille.

Cur gallus noctu canat.

Quæ sit galli intelligentia.

Sed nostrum nobis cor id officii præstare debet, non injuria gallo conferendum: nam ubi habemus: « Quis dedit gallo intelligentiam? » alii, ut diximus, legunt *cordi*; cor igitur nostrum die noctuque ad instar galli excitare nos debet ad laudandum Deum; ne qua pars temporis diurni nocturnique sine fructu elabatur; neque vero illius tantum diligentia contenti esse debemus, vel determinato aliquo tempore, post quartam nimirum vigiliam, ut ex Plinio retulimus, sed omni tempore, omnibus horis, ante omnes vigilias, opportune importune adstandum illi, ut verum sit nullam particulam diei, nullam portionem temporis sinere nos sine fructu præterlabi. Egregie id præstabat David, ut habemus *Psalm.* CXVIII, 147: « Præveni, inquiens, in maturitate et clamavi: » S. Hieronymus legit, *surgebam adhuc in tenebris*; alii, *ante diluculum*, in Græco est, ἐν ἀωρίᾳ, *in immaturitate*, quod S. Augustinus explicat, *in galli cantu*, vel *intempesta nocte. Maturum* igitur idem dicitur et *inmaturum*, eademque vox *tempestivum* et *intempestivum* significat, nimirum in laudes Dei: nullum intempestivum tempus non tempestivum; nullus, quamvis immaturus appareat, non maturus fructus; quia omni tempore, singulis horis orandum. Subdit autem: « Prævenerunt oculi mei ad te diluculo. » In vetere Psalterio, et apud S. Augustinum et Prosperum, *prævenerunt oculi mei ad matutinum*. Habent, uti dicebam, galli determinatum tempus, suas nimirum, ut Plinius ait, vigilias; sed eædem illæ, licet diligentissimi animalis, præveniendæ: apposite legit S. Hieronymus, *prævenerunt oculi mei vigilias*, quod David alibi repetit *Psalm.* LXXVI, 5: « Anticipaverunt vigilias oculi mei. » Nullum igitur determinatum tempus, nullæ statutæ vigiliæ, semper orandum, semper bene agendum: si enim nullum est tempus, hora nulla, quam Deus abire sinat, absque eo quod nos beneficiis cumulet; cur eamdem abire nos sinamus, nec beneficia beneficiis compensemus, aut orando aut alia virtutis opera exercendo?

Cor nostrum nos instar galli excitare debet ad laudes Dei.

Omne tempus opportunum orationi et bonæ actioni.

Pulchre S. Gregorius lib. XXX *Moral.* cap. IV, divini verbi prædicatores assimilat gallo, de quo Dominus ait ad Jobum: « Quis dedit gallo intelligentiam? » id est, quis nisi ego dedit prædicatoribus ut sciant, quid, quando et quo modo debeant venturum mane annuntiare? Hæc autem scientia maxima ex parte in eo sita est, ut sicut gallus in profundioribus noctis horis valentiores et productiores edit cantus; postea vero, cum matutinum tempus appropinquat, leniores ac minutiores: sic prædicatores cum iniquis et protervis mentibus prædicant, altis et magnis vocibus æterni judicii terrores intimant; cum vero illis, quibus jam veritatis lumen illuxit, clamoris sui magnitudinem in lenitatis dulcedinem vertunt, et ea quæ sunt blanda de præmiis proferunt: sunt enim tanquam docti patresfamilias, « qui *Matth.* XXIII, 51, de thesauro suo proferunt nova et vetera, » id est, ea quæ amorem legis novæ proprium, vel quæ terrorem, qui est legis veteris, annuntiant.

Prædicatores sint gallo similes.

Vers. 37. 37. QUIS ENARRABIT COELORUM RATIONEM, ET CONCENTUM COELI QUIS DORMIRE FACIET? — S. Thomas priorem hujus versus partem ad gallum refert, et ad intelligentiam admirabilem, qua cœlorum motus cognoscere, et illorum partes cantu distinguere videtur: quare hemistichium prius sic explicat: « Quis enarravit gallo cœlorum rationem, id est, proportionem cœlestium motuum, ut possit ex hoc determinatas horas cognoscere seu discernere ad cantandum? » cum S. Thoma sentit Lyranus. Neque deest qui de gallo etiam interpretetur, quod statim subditur de cœli concentu, quem separabit nemo aut silere faciet, quasi nemo possit prohibere, quin suis temporibus cantet gallus, et nocturni temporis spatia distinguat; usque adeo illi constanter et sine errore Deus indidit canendi tempus et modum, ita ut cum temporibus aliis quiescat et dormiat, dormire tamen et quiescere non possit, quo tempore mandatum a Domino accepit, ut homines ad diurnas occupationes aut cœlestium rerum meditationem exsuscitet. Alii hic nihil putant affirmari de gallo, sed de cœlorum specie varia, ex varia astrorum dispositione et ordine: quem vocari putant *rationem* atque *concentum*, quæ tunc primum apparuerunt in cœlo, quando creata sunt astra et duo luminaria: quo tempore etiam cœli moveri cœperunt, et suo motu diurno, menstruo et anniversario distinguere dies, menses et annos. Ex quibus motibus, licet diversis, mira tamen ratione atque ordine consentientibus, efficitur ille concentus et harmonia, quam *silere* nemo, aut, quod idem valet, *dormire* faciet: ita Sanctius noster, qui hanc explicationem cæteris præfert.

Gallí mira motus cœlorum intelligentia seu sympathia.

Mira cœlestium motuum symphonia et concentus in quo consistat.

Alii denique non de orbibus cœlestibus, sed de nubibus intelligunt, quia in Hebræo est שחקים *sehacim*, quæ vox proprie *nubes* significat, id quod

Quid per rationem cœli hic

http://www.obrascatolicas.com

intelligatur.

etiam Septuaginta expresserunt per vocem *νέφη*, *q. d.* Quis satis enarrare poterit nubium naturam, et qua ratione in cœlo cogantur? nam licet de hac re philosophi verba faciant, non demonstrant se omnes ad unum causas nubium et aliorum meteororum comprehendisse. Cœlum ergo hic pro aere ponitur : ad quem sensum volucres cœli dicuntur. Hinc pro *concentu cœli* paraphrastes Chaldæus vertit *nubes cœli*, quem secuti quidam recentiores opportune reddunt hunc locum, *nubes cœli quis quiescere faciet?* R. David exponit *utres cœli*, qui sunt, inquit, nubes. Est enim in Hebræo vox נבל *nebel*, quæ proprie significat *utrem* sive *lagenam*, qua voce Jeremias utitur cap. XIII, 12, ubi noster interpres vertit *lagunculam;* Septuaginta *ἀσκὸν*, *utrem*; Symmachus, ut ait S. Hieronymus, *craterem;* Theodotion *σκεῦος*, *vas*, nimirum fictile sive hydriam, sed vulgo sumitur pro utre coriaceo. Unde נבל *nebel* significat aliquando musicum instrumentum in modum utris, quod inflatum per adjunctas fistulas, digitorum motu atque artificio modulatum edit sonum. Dicitur a quibusdam *chorus* et *tibia utricularis*, hinc *choraulæ*, *ascaulæ*, *utricularii* nominati. Itaque S. Hieronymus in hoc Jobi loco *nebel cœli* vertit *concentum cœli;* alii, ut dixi, *nubes cœli*, sive utres cœli ; et R. Moyses eumdem locum illustrans ait ita vocari nubes, quia sunt plenæ aquis ut uter vino. Quæ omnia confirmant hic non de orbibus cœlestibus, sed de nubibus esse quæstionem. Quærit ergo a Jobo Deus :

Quid per concentum cœli hic significetur.

CONCENTUM COELI QUIS DORMIRE FACIET? — *q. d.* Quis strepitum, crepitum, fragorem nubium disruptarum, imbres fundentium, fulgura fulminaque vibrantium silere et cessare faciet, nisi ego? ad cujus imperium ac nutum quantumvis magnæ tempestates et procellæ extemplo evanescunt, consopiuntur, sedantur, subeunte mox aurea serenitate et defæcatissima aeris tranquillitate : ita Stunica, Pineda et plerique recentiores hunc locum exponunt. Estque sensus iste magis litteralis quam priores, ipsique textui conformior; in quo sermo ferme totus est de meteoris. Nec abs re *concentus* dicitur strepitus ille aeris nobis inconditus : quod enim ad Deum pertinet, harmonice temperatus ac dispositus est, cum Dei jussis ad numerum consonet. Tropologice hic concentus dormit sive quiescit, cum incredibiles animi perturbationes, quibus Dei cultores nonnunquam infestari solent, Dei jussu sedantur. Mystico quoque sensui plurimum conducit secunda expositio ; pro qua cum Sanctio observandum *rationem cœli* esse cœlorum dispositionem et ornatum, qui est ad speciem præclarus, et ad hominum usus necessarius; præsertim cum ex illorum motibus multiplex fiat planetarum congressus, et ex eo in terra mirræ rerum vicissitudines. Iste cœlorum ornatus et ordo concentus quidam est et admirabilis quædam harmonia ; qualis esse solet in vocibus; quarum cum aliæ acutæ sunt, aliæ graves, aliæ ex utrisque temperatæ; sic tamen illas in cantu et cithara moderatur magister, ut ex multis una exsistat symphonia, quæ mirum in modum complet et recreat sitientes aures. Ex hac vocum sonorumque consonantia sive concentu multæ ducuntur translationes, quæ varias in rebus consensiones ostendunt : sic *virtutum concentus* dicitur illa virtutum omnium conspiratio, quæ ad unum aliquod opus mutuo se juvant : sic actionum, quæ ad unum finem spectant, congressio *concentus* vocatur : sic humanæ aut alterius naturæ consensio partium ad actiones alias et ipsius naturæ *conservationem* eodem appellatur nomine : sic Cicero stellarum ex dissimilibus motibus congressionem *concentum* appellavit, quem prohibere non poterit aut mutare vis ulla creata, aut humana solertia.

Admirabilis cœlestium motuum consensio.

Mitto hic cogitationem illorum, qui ex cœlestium corporum collisione cieri crediderunt perpetuos et numerosos sonos, cujus sententiæ auctor fuit Pythagoras, quem alii deinde secuti sunt : in quibus fuit Philo Judæus lib. *De Somn.* ubi cœlum vocat *archetypum musicæ instrumentum*, atque ideo tam scite atque affabre fuisse elaboratum : plura alia addit in eam sententiam, quæ libens omitto, ne illa præteream quæ in *Somn. Scip.* in eamdem sententiam adduxit eleganter Cicero, qui eadem sensit cum Pythagora, apud quem sic Scipio : « Quis hic, quis est, qui complet aures meas tantus et tam dulcis sonus? Hic est, inquit ille, qui cum intervallis conjunctus imparibus, sed tamen pro rata proportione distinctis, impulsu et motu ipsorum orbium conficitur; qui acuta cum gravibus temperans varios æquabiliter concentus efficit. Neque enim silentio tanti motus incitari possunt; et natura fert, ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acute sonent. Quam ob causam summus ille cœli stelliferi cursus, cujus conversio est concitatior, acuto et excitato movetur sono, gravissimo autem hic lunaris et infimus. » Hæc Cicero ; sed plane alius est cœlorum concentus, qui divinas laudes perpetuo personat, de quo David *Psalm.* XVIII, 2 : « Cœli, inquit, enarrant gloriam Dei ; » quæ verba mysteriorum plena sunt, et hominum intelligentiæ proponuntur, ut animos ad Numinis cognitionem amoremque suos attollant. Cœli enim maxime naturam divinam, et procreantis omnia vim, potentiam, inexplicabilem sapientiam, aliaque decora summæ Mentis eximia quadam ratione et admirabili prorsus concentu declarant; unde subdit : « In omnem terram exivit sonus eorum. » Itaque stellæ et variegati illi orbes, qui diurna et nocturna mundo beneficia conferunt, mille habent voces, inde usque in omnia regna terrarum provinciasque resonantes, quibus ad Dei laudem invitent, quæque a probis diligenter excipiuntur.

Ex cœlorum motibus existimatur ortus concentus.

Cœli suo ordine et specie velut concentu quodam suavissimo Dei laudes enarrant.

Quem enim non moveat pulchritudo solis atque stellarum, sed præsertim solis, qui est princeps luminum reliquorum; cujus tanta tamque eximia

Solis pulchritudo ad-

mirabilis : sol antiquis pro Deo habitus.

est naturæ conditio, ut antiqui Numinis vim atque potestatem illi tribuerint. Imo vero vetustissimi e Græcia, apud quos viguit humanitas eruditioque litterarum, cum sole in hoc universo nihil viderent esse augustius atque divinius, ab illo Dei nomen excogitarunt : nam cum usu animadvertissent solem cum primis atque stellas prope immensa atque inexplicabili celeritate mundum obire omnem, *ἀπὸ τοῦ θέειν*, *a currendo*, nominavere *Θεὸν*, hoc est *Deum*. Hinc Apollo in Græcia sanctus, Mithra in Perside, sol ubique, nisi apud Apharantes, qui lucis et diei præsidem exsecratione prosequebantur. Hinc super Darii conopeum, quo religio in populum omnem manaret, ut scribit Curtius lib. III, imago solis crystallo faberrime inclusa in omnem partem radios suos vibrabat.

Sol dicitur vas et instrumentum admirabile.

Sed remota superstitione impia et figmentis anilibus veterum, non est negandum, quin sol unum sit de pulcherrimis Dei operibus, quod omni hominum generi suspiciendum videatur : itaque illum exornant divinæ litteræ, et, ut sit in excellentium rerum admirabilitate exponenda, variis, ut ita dicam, emblematibus adumbrant. Syracides *Eccli.* XLI, 2, nominavit *vas admirabile opus Excelsi*, hoc est, Demiurgi palmarium opificium atque princeps. Dicitur autem *vas admirabile*, quod sit divinæ mentis et potentiæ instrumentum : hoc enim græcum nomen *σκεῦος*, quod est apud Septuaginta, significat : quomodo magnus Paulus *Actor.* IX, 15 vocatur *σκεῦος ἐκλογῆς*, *vas electionis* : aliqui vertunt *instrumentum electum*, quidam *organum*. Ita certe a Mercurio Trismegisto sol dicitur *ὄργανον*, *instrumentum*, quod, ut ego interpretor, a rerum molitore Deo adhibeatur ad generationes et corruptiones, ad concentum omnem universi, ad effectus denique suspiciendos, quos nulla mens consequi potest. S. Joannes Damascenus lib. II *De Fide*, cap. VII. Solem vocat pulchritudinem et ornamentum aspectabilis omnis creaturæ : elegantissime D. Ambrosius lib. IV *Hexaem.* cap. I : « Sol, inquit, oculus est mundi, jucunditas diei, cœli pulchritudo, naturæ gratia, præstantia creaturæ. » Quid majus dici potuit ad formosi utilissimique sideris commendationem? nisi forte paulo etiam magnificentius illum in cœlum Magnus Dionysius sustulerit, qui lib. *De Divin. Nom.* cap. IV, solem dixit *τῆς θείας ἀγαθότητος ἐμφανῆ εἰκόνα*, *claram expressamque divinæ bonitatis imaginem esse:* quam bonitatem in homines omnes effusam sol lucis et caloris sui communicatione imitatur.

Solis elogia ex Patribus.

Sanctі ex solis consideratione in Dei laudem et amorem

Sed non est opus omnium Patrum ea de re dicta sententiasque congerere : breviter dico cum D. Basilio (hom. in illud Joan. : *In principio erat verbum* :) Οὐδείς ἐστιν ὃς οὐ τὸν ἥλιον ὑπεραινεῖ, *nullus est qui non solem supra modum laudet*. Addo viros sanctos non hæsisse in sola tantum illius sideris consideratione, sed mentem et cogitationem retulisse ad eum laudandum et amandum, qui tantum opus tam exquisito artificio esset molitus. Ecclesiastici auctor, cum cam solis laudem posuisset, de qua diximus, in mundi parentem aciem animi sui intendit; cujus magnitudinem atque potentiam reverens atque humi stratus aiebat cap. XLIII, 5 : «Magnus Dominus qui fecit illum, et in sermonibus ejus festinavit iter. » In eo agnoscit commemorandam Numinis magnitudinem, non modo quod uberrimum illum fontem lucis e nihilo eruerit, sed quod nutu ejusdemque imperio sol orbem suum conficiat celeritate mirabili et æquabili, atque nunquam interrupta conversione temporum varietatem impertiat ad humani generis utilitates. Ejusmodi fuere curricula mentis et quotidiana D. Ambrosii exercitatio, cum in sole contemplando versaretur, lib. IV *Hexaem.* cap. I : «Quando hunc miraris, inquit, lauda ipsius creatorem. Si tam velox iste, ut rapidis cursibus die ac nocte lustret omnia; quantus ille, qui ubique semper est, et majestate sua complet omnia? » etc. Jam vero si religione clari viri atque sapientia unius astri considerationem tantas habere opportunitates putaverunt ad Deum melius cognoscendum puriusque venerandum, quid de cœlo universo dicemus, in quo sunt innumerabiles stellæ vi et magnitudine longe dispares, e quarum dissimili cursu et varietate suavissimus exoritur concentus, cujus hic non e somniis pythagoræorum, sed arcano e mysterio fit mentio? Alios hujus loci sensus tropologicos et anagogicos vide apud S. Gregorium lib. XXX *Moral.* cap. V.

accendantur.

38. QUANDO FUNDEBATUR PULVIS IN TERRA, ET GLEBÆ COMPINGEBANTUR? — Ad sensus plenitudinem aliquid e præcedentibus subaudiendum, v. g. « Numquid adfuisti, » vel quid simile, *q. d.* Ubi eras Jobe, quando ego terram ex genere suo aridissimam moleque pulveris maxima constantem, aquis obrutam, quasi glebam pluvia immissa humentem compegi, strinxi et constipavi? Ille modus dicendi : «Quando fundebatur pulvis, » perelegans est : quasi in prima creatione Deus ingentem pulveris molem apparere jusserit, et e nihilo quasi fuderit, e vestigioque, ne pulvis dissiparetur, aquam immensam circumfluere imperaverit, qua pulvis consisteret. Congruit hoc naturæ terreæ; quæ nisi aqua humoreve aliquo temperetur, dissolvitur, et in pulverem dispergitur. Tropologice in arcano sensu pars hominis inferior et vere terrea incredibili fragilitate resolvitur, nisi cœlesti humore aquæ salientis in vitam æternam, hoc est divinæ gratiæ, coagmentetur, roboretur atque consistat : ita Joannes a Jesu Maria. Elegantissime autem S. Gregorius lib. XXX *Moral.* cap. VI : «Quid in pulvere, inquit, nisi peccatores accipimus? qui nullo rationis pondere solidati cujuslibet tentationis flatu rapiuntur, de quibus scriptum est *Psalm.* I, 4 : *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ*. Pulvis ergo in terra fundatus est, cum peccatores vocati in Ecclesiam traditæ fidei sunt ratione solidati; ut qui prius inconstantia mobiles tentationis aura levabantur, immobiles postmodum contra tenta-

Vers. 38.

Pars hominis inferior instar pulveris resolvitur, nisi gratia roberetur.

Peccatores pulveri similes.

http://www.obrascatolicas.com

menta consisterent, et Deo perseveranter inhærentes, fixum bene vivendi pondus tenerent. Glebæ vero ex humore coagulantur et pulvere. In hac itaque terra glebæ compactæ sunt, quia vocati peccatores, et per Sancti Spiritus gratiam infusi, in collectione sunt charitatis uniti, » etc.

Vers. 39 et 40.

39 et 40. NUMQUID CAPIES LEÆNÆ PRÆDAM, ET ANIMAM CATULORUM EJUS IMPLEBIS, QUANDO CUBANT IN ANTRIS, ET IN SPECUBUS INSIDIANTUR? — Hinc putant multi incipiendum esse cap. XXXIX, quia absolutis meteoris novam quamdam de rebus inferioribus disputationem aggreditur Deus, ubi agit de animantibus, quæ gradiuntur in terra, quæ volant in aere, quæ natant in aquis : quæ distinctio non displicet nostro Sanctio neque mihi. Sed quocumque distinguas modo, parum aut nihil refert, cum eadem sit sententia, et eadem firmitas et pondus argumentorum. Postquam ergo de rerum creatione Deus egit, ac meteora multa recensuit, quibus potentiam sapientiamque suam infinitam Jobo repræsentavit, subjungit tractatum animantium, in quo cum potentia sapientiaque sua miram providentiam connectit, qua Jobus facile perspiciat se non desertum iri a Deo, qui animalia tam provide curet, pascat et servet. Exorditur autem a leone, qui animantium rex est, fortitudine roboreve præcellit, impavidus constansque decertat, et quibusdam magnanimitatis ac aliarum virtutum vestigiis signisve clarescit. Producit vero Deus maternam leænæ curam, industriam, ausum, prædæ capturam leunculorumque saturitatem : in quo mira sunt plurima, sive feræ illius vires, sive venandi sagacitatem, sive celeritatem, sive sollicitudinem nutriendi fœtus expendas. De quo sic ad Jobum Deus : Tune, inquit, o Jobe, leænam doceas, quomodo sibi et catulis venetur prædam, et tam suam expleat quam catulorum famem? tunc maxime, quando in suis latent cubilibus, neque satis habent ad prædandum virium, cum infirma est ætas; sed prædam interim et insidias meditantur, quas in ætate adulta utiliter exerceant, *q. d.* Non tu, sed leæna ipsa docta est catulis suis cibos et alimenta suppeditare, quæ ego ei procuro dum ad prædam egreditur, et revertitur, pascitque catulos juvenculos adhuc venandi ignaros; sed conantes tamen, stimulante fame, ex ipsis specubus infirma animalcula prope repentia adoriri atque depascere. Hæc eo Deus adfert, ut ostendat se omnia nosse, gubernare, alere, nihilque ex iis quæ condidit oblivioni tradere aut aspernari : est hæc comparatio valde notanda, nam si Deus leones immanes feras pascit, quomodo non alet homines, quos ad imaginem suam condidit, quosque in filios adsciscit?

Dei circa animalia providentia mirabilis.

Correctio non temere sed opportune adhibenda.

Topologice S. Gregorius lib. XXX *Moral.* cap. XI locum hunc exponit de iis qui tempus captant aptum ad inferendam correptionem, nam si objurgatio tempestive adhibeatur, multum juvat; si vero intempestive, nocere solet : sicut enim leones cubare solent in locis abditis et specubus, ut opportune ad prædam prosiliant nihil minus timentem, et ex inopinato aggrediantur, dum fugam capessere non possit : non aliter is qui alios corripit, tempus opportunum exspectare debet, quo peccantes pungat, ut hac ratione eos a criminibus abducat. Sensus ergo verborum Job est istiusmodi, *q. d.* Ego quidem omnium conditor hanc naturam leoni indidi, ut locum et tempus aptum observet ad prædam, et tunc in eam insiliat, et discerpat, ut per hanc feram eos docerem qui errantes corrigunt, ne temere inferant objurgationem, sed pro oblata occasione, ne lædant et exulcerent, dum sanare cupiunt. «Neque enim, inquit Gregorius, cuncta tempora doctrinæ sunt congrua, nam plerumque dictorum vis perditur, si intempestive proferantur : sæpe enim quod lenius dicitur, conventu temporis congruentius animatur : » hæc ultima S. Gregorii verba videntur alludere ad naturam leænæ, quam nonnulli tradunt deformes parere catulos suo rugitu sensim excitandos. Cum itaque leæna non statim perfectos pariat catulos, sed exspectet tempus donec sensim perficiantur, discant prælati, et penes quos est cura corripiendi, non statim debacchari, si quos viderint vel ad illicita ruere, vel corripiendi non parere, sed exspectent tempus, donec improbam mentem deponant, vel saltem impetus animi deferveat, ut correptio vel supplicium utilitate non careat.

Vers. 41.

41. QUIS PRÆPARAT CORVO ESCAM SUAM, QUANDO PULLI EJUS CLAMANT AD DEUM, VAGANTES, EO QUOD NON HABEANT CIBOS? — Eodem corvi exemplo et argumento usi sunt David et Christus ipse ad divinam erga creaturas suas providentiam commendandam, simul et nostram in tam benignum et liberalem Dominum fiduciam erigendam; ille quidem Deum laudans *Psalm.* CXLVI, 9 : « Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum : » hic vero nos ab omni rerum temporalium supervacanea sollicitudine liberos volens *Luc.* XII, 24 : « Considerate, inquit, corvos, quia non seminant neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, et Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis? » Sunt corvi, ut notat Aristoteles lib. VI *Hist. anim.* cap. VII, voracissimi, multiplicique utuntur escarum genere : nam vescuntur carnibus, fructibus arborum, seminibus, vermibus, et aliis multis; et tamen cum non habeant cellarium seu promptuarium, in quo recondant carnes, nec horreum, in quo semina et fructus terræ congregent, Deus abundanter pascit illos, ejusque materna providentia habet ubera nutrimentis plena; estque illis instar promptuarii et horrei. Multo ergo abundantius hæc hominibus præstabit, ac suis charissimis filiis indulgebit. Non frustra autem pullorum quoque meminit, feruntur enim corvi derelinquere pullos suos (ut notant D. Gregorius, Hieronymus, Thomas et alii plures Patres a Pineda nostro ad hunc locum citati) eo quod recenter exclusi ex ovis albescere videantur, et donec nigrescant ut ipsi, non eos agnoscere pro suis. Tunc autem pascit eos divina providentia vel rore cœlesti, ut ait D. Hieronymus, vel parvis quibusdam bestiolis, quæ intra nidum procreantur, ut dicit D. Chrysostomus in *Caten.* : aut forte quia corvi naturali quadam impietate, ut scribit Aristoteles lib. IX *Hist. animal.* cap. XXXI, cum degunt in locis arctioribus, ubi non satis cibi est pluribus eorum, pullos simul ac volare possunt primum nido ejiciunt, deinde e tota regione pellunt. Tunc autem divina providentia eos vagantes alit, et escas convenientes ipsis præparat. Qui ergo matrem agit corviculorum, et eorum inamœnas crocitationes audit, cum fame oppressi ad Deum clamant, et ex suis uberibus cibum suavem ac delicatum præbet; quanto magis mater erit hominum, eorumque clamores et orationes exaudiet, suisque uberibus abundanter reficiet?

Dei in corvos providentia.

Corvi sunt voracissimi.

Corvi pullorum desertores.

Quomodo Deus pullos eorum desertos pascat.

Deus non solum desertos pullos, sed parentes

Sed adhuc multo excellentius suam providentiam extollit Deus, cum non solum materna pietate desertos pullos nutrit, sed etiam parentibus desertoribus escam præbere non desinit, idque longissimo tempore : sunt enim multum vivaces corvi, suæque voracitati adeo intenti, ut merito etiam benefactores obliviosos, et ingratos, in aliosque crudeles et impios, ac denique cunctos avaros, teste D. Basilio hom. *in divit. avar.* repræsentent. Et quid magis obliviosum et ingratum, quam digressum ex arca, ubi liberaliter alitus fuerat, et hospitis, et hospitii ac hospitalis victus oblitum, non illuc revertisse, ut carnivoram aviditatem ex cadaveribus expleret? Si ergo adeo ingens est Dei providentia atque benignitas, quod tales corvos pascat, quid ni pascat homines, etiam eos qui corvinos imitantur mores? Quod si illos, quid ni Jobum inter homines pietate conspicuum? Potest ergo Deus sic ad eum loquens induci, *q. d.* Ego tempus anteverto, et corvo, qui videtur neglectu dignus, cibum præparo, quem liguriat, ejusque pullis, sive in nido implumibus, sive extra nidum fame incitatis, circumvolitantibus et crocitantibus pastum congruentem præbeo; quid ergo, mi Jobe, erga te non agam? Perculi te calamitate hac; verum hanc in bonum converto tuum, lautasque ex ipsa epulas paravi, quibus felix lætusque vescaris. Opiparum convivium est ærumna patienter exhausta; cujus memoria animus alitur et vires acquirit.

desertores pascit.

Corvus est symbolum hominis ingrati.

Dei erga Jobum providentia.

CAPUT TRIGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Proponit Deus quorumdam animalium admirabilem naturam, in quibus magis apparet divina providentia cum admirabili sapientia conjuncta, arguens Jobum, quod cum ipso contendere voluerit et expostularit; quibus Job commotus, culpam suam agnoscit, et se temere locutum fatetur.

1. Numquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes cervas observasti? 2. Dinumerasti menses conceptus earum, et scisti tempus partus earum? 3. Incurvantur ad fœtum, et pariunt, et rugitus emittunt. 4. Separantur filii earum, et pergunt ad pastum : egrediuntur, et non revertuntur ad eas. 5. Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit? 6. Cui dedi in solitudine domum, et tabernacula ejus in terra salsuginis. 7. Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit. 8. Circumspicit montes pascuæ suæ, et virentia quæque perquirit. 9. Numquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? 10. Numquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo? aut confringet glebas vallium post te? 11. Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus, et derelinques ei labores tuos? 12. Numquid credes illi quod sementem reddat tibi, et aream tuam congreget? 13. Penna struthionis similis est pennis herodii, et accipitris. 14. Quando derelinquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea? 15. Obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. 16. Duratur ad filios suos quasi non sint sui, frustra laboravit nullo timore cogente. 17. Privavit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam. 18. Cum tempus fuerit, in altum alas erigit : deridet equum et ascensorem ejus. 19. Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum? 20. Numquid suscitabis eum quasi locustas? gloria narium ejus terror. 21. Terram ungula fodit, exsultat audacter : in occursum pergit armatis. 22. Contemnit

http://www.obrascatolicas.com

pavorem, nec cedit gladio. 23. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta et clypeus. 24. Fervens et fremens sorbet terram; nec reputat tubæ sonare clangorem. 25. Ubi audierit buccinam, dicit : Vah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus. 26. Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum? 27. Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum? 28. In petris manet, et in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus. 29. Inde contemplatur escam, et de longe oculi ejus prospiciunt. 30. Pulli ejus lambent sanguinem : et ubicumque cadaver fuerit, statim adest. 31. Et adjecit Dominus, et locutus est ad Job : 32. Numquid qui contendit cum Deo, tam facile conquiescit? utique qui arguit Deum, debet respondere ei. 33. Respondens autem Job Domino, dixit : 34. Qui leviter locutus sum, respondere quid possum? manum meam ponam super os meum. 35. Unum locutus sum, quod utinam non dixissem : et alterum, quibus ultra non addam.

Vers. 1, 2, 3 et 4.

1-4. NUMQUID NOSTI TEMPUS PARTUS IBICUM IN PETRIS, VEL PARTURIENTES CERVAS OBSERVASTI? DINUMERASTI MENSES CONCEPTUS EARUM, ET SCISTI TEMPUS PARTUS EARUM? INCURVANTUR AD FOETUM, ET PARIUNT, ET RUGITUS EMITTUNT. SEPARANTUR FILII EARUM, ET PERGUNT AD PASTUM : EGREDIUNTUR, ET NON REVERTUNTUR AD EAS. — Sub finem cap. præced. cœperat Deus quæstionem instituere de animantibus, quam modo prosequitur, de partu ibicum ac cervarum Jobum interrogans. Sunt autem ibices caprarum genus silvestrium, cujus totam historiam Plinius lib. VIII, cap. LIII sic brevissime est complexus : « Capræ, inquit, in plurimas similitudines transfigurantur. Sunt capreæ, sunt rupicapræ, sunt ibices pernicitatis mirandæ; quanquam onerato capite vastis cornibus gladiorumque vaginis, in hæc se librant, ut tormento aliquo rotati in petras, potissimum e monte aliquo in alium transilire quærentes; atque recussu pernicius quo libuerit exsultant : » hæc ille. Et Albertus Magnus nullum ait animal cursu et agilitate tantum pollere, et simul tam ingentia cornua habere quam caper montanus, quem latine *ibicem* vocant : hujus enim cornua a capite usque ad clunes protendi : dum cadit ex alto totum corpus inter cornua protegere a collisione, et ictus lapidum magnorum excipere cornibus. Idem etiam in Catal. quadrup. alphabetico *ibicem* ait animal de genere capri, colore fulvum, in Alpibus Germaniæ abundans, magno etiam hirco majus, summas rupes ascendere, et cum altius ascendere nequit, conversum aliquando venatorem dejicere niti. Plura de illorum indole, venatione et capiendi ratione aliisque proprietatibus vide apud Aldrovandum lib. I *De Quadr. bisulc.* cap. XII, ubi tamen de illorum partu nihil observat peculiare, uti nec Ælianus, aliique physiologi qui de ibice scribunt. Esse nihilominus aliquid in horum partu notabile, in quo divina providentia eluceat, ex hoc loco verisimile fit; quod tamen ideo ignoramus, quia in petris locisque abditis et abruptis pariunt, ubi a mortalium nemine aut nunquam aut non nisi perquam raro videri possunt. Septuaginta primum versum ita reddunt, εἰ ἔγνως καιρὸν τοκετοῦ τραγελάφων πέτρας, *si nosti tempus partus tragelaphorum petræ?* quasi dicas *hircicervorum*, nam τράγος, *hircus*, unde τραγέλαφος, animal hirci et cervi figuram habens, e quibus duobus animantibus quasi mixtum est; cujus cum alii meminerunt, tum Plinius lib. VIII, cap. XXXII : « Tragelaphus, inquit, eadem est specie cum cervo, barba tantum et armorum villo distans, non alibi quam juxta Phasin amnem nascens. »

Ibicum descriptio mores et natura.

Quidquid sit de his bestiis, quarum naturas philosophis indagandas relinquimus, certum est in iis miram elucere Dei providentiam, quæ se ad belluas usque profert. Quando igitur hic dicitur tempus partui cervarum et ibicum præstitutum non cognosci ab hominibus, hoc significat, non esse hominum tempus illud præfinire. Cum autem hæc quæ in terra fiunt a feris occultentur, quid mirum si homo divina, quæ longe superiora sunt, non assequatur? In cervarum quoque puerperio hinnulorumque nutricatione aliquid sine dubio majus est et admirabilius quam scriptores de re naturali cognoverunt prodideruntque : nam quæ illi tradunt, aut communia sunt cum aliis, aut certe non admodum diversa. Illud videtur certum ex hoc loco, qui plus affert lucis ad cognoscendum partum conceptumque cervarum illarum partum esse difficilem, et nixum cum gravissimo dolore conjunctum; quod satis indicant illa verba : *Incurvantur ad fœtum, et pariunt, et rugitus emittunt*, quæ omnia gravissimi doloris documenta sunt. Ad quam difficultatem leniendam aliquibus Deus benigna sua providentia levamentis obstetricatus est; primum incidit cervis paulo ante durum pariendi conflictum, appetitum studiumque quærendi herbam, quæ uterum laxat, et claustra mollit; quæ *seselis* dicitur, de qua Cicero lib. II *De Nat. Deor.* : « Cervæ, inquit, paulo ante partum perpurgant se quadam herbula, quæ *seselis* dicitur : » idem tradit Plinius lib. VIII, cap. XXXII, et addit, statim a partu contra dolorem, opinor, et languorem a partitudine et enixu contractum adhibere cognitam sibi medicinam : « Feminæ, inquit, ante partum purgantur herba quadam quæ *seselis* dicitur, faciliori

Cervarum partus qualis.

Cervæ quomodo se ad partum præparent.

ita utentes utero : a partu duas habent herbas, quæ *aros* et *seselis* appellantur. » Qui locus cum ex Aristotele translatus sit, non immerito a quibusdam putatur depravatus : nam pro χωρίον, quod est *involucrum fœtus*, vel vertit, vel legit ἄρον, quod cum Aldrovando Dalechampius quoque et Gesnerus animadverterunt. Hoc autem docet Aristoteles lib. IX *De Hist. animal.* cap. V, ubi dicit, statim atque enixa est fœtum cervam comedere seselim, et involucrum, in quo fœtus involutus fuerat : cui vis medica inesse existimatur, ut ipse docet ad finem capitis.

Cerva tonitru ad partum juvatur.

Hæc cum in cervarum partu videantur admiranda, illud sane divinæ solertiæ argumentum est, quod eo tempore contingat cervarum partus, quando frequentia sunt tonitrua; quæ cervas natura timidas et partitudinum dolorem refugientes horribili sonitu sic afficiunt, ut phantasiam avertant a dolore et metu, et tandem ad majorem nixum præparant, et cunctantes acuunt. Quod indicavit David dicens *Psalm.* XXVIII, 8 : « Vox Domini præparantis cervos; » vox autem *Domini* tonitruum est. Atque ideo, ut docet Aristoteles lib. VI *Hist. animal.* cap. XXIX, ab Arcturi ortu cervæ ineuntur a maribus, id est mense augusto; et mense septembri implentur atque concipiunt; cum autem eodem teste octonis mensibus uterum ferant, necesse est ut partus in mensem aprilem incidat, id est in vernale tempus jam adultum, quando cum fulmine et fulgure increbescere incipiunt et inhorrescere tonitrua. Vide Plinium lib. II, cap. L, ubi causam reddit, cur horrificæ istæ impressiones in vere potius autumnoque contingant : hoc de conceptus tempore et de octomestri utero docet etiam Plinius lib. VIII, cap. XXXII, uti bene Sanctius hic annotavit. Addit præterea etiam Aristoteles cervæ solertiam exaltaturus, quo hinnulum suum ducens in stabula assuefacit, quod refugere debeat : saxum hoc esse ait abruptum uno aditu; quo loco eam si quis invadit, exspectare repugnareque affirmat : repetit autem hoc alias Aristoteles. Addit insuper Plinius, cervam partus suos exercere cursu, et fugam meditari docere, ad prærupta ducere, saltumque monstrare : Solinus vero etiam ait cervas partus suos educare, teneros studiose occulere, et absconditos inter profunda fruticum, vel herbarum, pedum verbere castigare ad latendum; cum maturuerit ad fugam robur, exercitio docere cursus, et assuefacere salire per abrupta. Plura in hanc rem vide apud Ulyssem Aldrovandum lib. I *De Quadr. bisul.* cap. XXVII, ubi de cervis fuse tractat. Cæterum quod Vulgatus hic transtulit : « Separantur filii earum, » in Hebræo est, *convalescunt filii earum*, id est, valent et sani sunt : licet matres difficilem partum habeant, filii tamen salvi et incolumes sunt beneque valent, pinguescunt, et vegeti sunt. Septuaginta vertunt, ἀποῤῥήξουσι τὰ τέκνα αὐτῶν, *abrumpent filios suos;* S. Augustinus legit, *abrumpent filii earum* : sed Græci

Tempus conceptus et partus cervarum.

Cervæ hinnulum docet fugere et saltare.

volunt significari, num sciat Job, quomodo matres maternæ charitatis oblitæ adultos filios separent, et abrumpant a se; et tamen illi exeuntes ad pascua multiplicentur et convalescant.

Magistri spirituales cervis et ibicibus comparati.

Tropologice S. Gregorius lib. XXX *Moral.* cap. IX, per *cervos* et *ibices* tradit magistros spirituales designari, qui in arcanis Dei symbolis *cervi* nominantur, quia serpentes spirituales, id est peccata, edunt; de quibus Propheta ait *Ose.* IV, 6 : « Peccata populi mei comedent, » hoc est minuent, ut notat Hugo cardinalis, veluti absument et devorabunt, ut ne tenues quidem reliquiæ eorum supersint, quemadmodum digerebat venena Mithridates. Et quidem colubri effigie peccatum Sapiens a Deo instructus adumbrat *Eccli.* XXI, 2 : « Quasi a facie colubri fuge peccata : » imo hydris omnibus colubrisque animi crimen est funestius atque tetrius. Cantu igitur et laude prosequitur David Numinis sapientiam in legendis ornandisque Ecclesiæ moderatoribus, cujus *Psalm.* XXVIII, 9 vox præparat cervos, non cornutos illos e silvis, sed hos mysticos peccatum absumentes; ad quem Psalmi locum pulchre D. Basilius : « Ubi, inquit, cervi præsentia est, omnium ibi serpentum malitia fugatur : » odorem cervi nulla ferunt animalia venenata, quando vel ad suffitum cornu cervini secedunt reptilia. Sane felices illi nostri erunt cervi, si ubicumque fuerint hoc consequantur, ut serpentes venenatos, hoc est peccata, comedant et exterminent, quod opus est longe gloriosissimum et divinum. Illi porro cervi spirituales licet quoad vigorem disciplinæ patres sint, teneritudine tamen viscerum nil matribus concedunt; quippe qui summis laboribus ac doloribus lacrymisque filios suos Christo pariant : audi Paulum instar parturientis cervæ clamantem *Gal.* IV, 19 : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis; » quanto autem zelo æstuaret abunde declarat dicens *Rom.* IX, 2 : « Quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo : optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis. » Propter Hebræos hoc dicit, quos videbat a Deo et salute alienos, pro quibus ad beatam vitam et Christum adducendis vel ipsam animam profundere voluisset : propterea illos perditos et in perniciem suam ruentes ipse mœrebat, et tristitiam continuam patiebatur : ita nimirum divinus ille vir ardebat, et quotidiana parturitione cruciabatur. Cæterum hic etiam expendendum illud in spiritualium cervarum partu, quo pacto « incurvantur ad fœtum, et pariunt : » nisi enim de sublimi contemplationis specula quandoque descenderent, et auditorum captui sese accommodarent, minime illos Christo parerent; unde Paulus I *Cor.* IX, 22 : « Factus sum, inquit, infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem : omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos : » ecce quomodo incurvetur hæc cerva II *Cor.* V, 13 : « Sive enim, inquit, mente excedimus Deo (altissima nimirum contemplationis ex-

Qualiter fœtus pariant.

http://www.obrascatolicas.com

stasi totus abreptus in Deum) sive sobrii sumus vobis (discipulorum captui attemperatus) charitas Christi urget nos : » item alias I *Cor.* II, 6 : « Sapientiam loquimur inter perfectos ; » alias vero I *Cor.* III, 2 : « Tanquam parvulus in Christo Iac vobis potum dedi, non escam : nondum enim poteratis. » Atque hoc modo tanquam cerva parturiens se incurvabat ad fœtum.

Christus et David cervo assimilantur.

Cæterum cervo quoque Salvatorem nostrum et Davidem regem prophetamque assimilari apposite docet in hac verba D. Ambrosius præfaturus *in Psalm.* XLI : « Multi quidem, inquit, deploraverunt infirmitatem fragilitatis humanæ ; excellentius tamen cæteris S. Job et S. David : ille superior, directus, vehemens et acer, et quasi gravibus exasperatus doloribus, majore cothurno ; hic blandus, placidus atque mansuetus mitiore affectu, ut vere, quem imitandum sibi proposuit, cervi imitaretur affectum. Nec te moveat, si tantum Prophetam feræ similitudine videar prædicare, cum legeris ad Apostolos dictum *Matth.* X, 16 : *Estote astuti* (Vulg. *prudentes*) *sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.* Sed tamen quamvis istiusmodi similitudines piis adstruantur exemplis, sitque innocens et mitis natura cervorum, illum cervum ad imitationem Prophetæ propositum hoc loco arbitror, de quo Salomon paternæ mentis assertor *Prov.* V, 19 : *Cervus amicitiæ et pullus gratiarum confabulentur tibi* (Vulg. *cerva charissima et gratissimus hinnulus*). Verus enim Dei Filius in semetipso naturam, quam animantibus ipse donavit, expressit ; qui in hunc mundum tanquam cervus advenit, » etc. Hæc Ambrosius : et mox rursus explicaturus Psalmi exordium, quod est :

Cervorum natura mitis est.

Christus et apostolici viri sunt mystici cervi.

« Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, » etc. *Psalm.* XLI, 1, subdit : « Cervi similitudinem suscipit etiam Christus, quia veniens in terras serpentem illum diabolum sine ulla sui offensione protrivit : cui calcaneum suum obtulit, sed ejus venena non sentit. Unde dictum est ei *Psalm.* XC, 13 : *Super aspidem et basiliscum ambulabis ;* simus ergo et nos cervi, ut super serpentes ambulare possimus. Erimus cervi, si vocem Christi sequamur, quæ nos et præparat cervos, et facit morsus serpentium non timere : ac si qui forte fuerint vulnerati, aufert eorum dolorem solvendo delictum. De his cervis dicit Dominus ad Job : *Observasti partus cervarum, numerasti autem menses earum, plenos partus ? dolores autem earum solvisti, enutristi filios earum, ut non timeant ?* Audi quomodo non timeant filii cervarum talium. Doceat te Isaias dicens cap. XI, 8 : *Et puer parvulus mittet manum in cavernam aspidum, et non illi nocebunt.* Et ut agnoscas, quod Ecclesiæ filios significare videtur, addidit : *Partus autem earum emittes, dirumpent filii earum, et multiplicabuntur in generatione, exibunt, et non revertentur retro.* Nemo enim *Luc.* IX, 62, *mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, habilis* (Vulg. *aptus*) *est regno Dei.* Merito ergo cervus factus est Dominus, ut tales sibi cervos Domini vox præpararet, de quibus ait *Marc.* XVI, 17 : *In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit,* » etc. Plura de cervorum natura mystice exposita vide in *Expos. Patr. Græc. in Psalm.* XXVIII et XLI. In arcano igitur sensu anima adinstar cervæ incurvatur ad partum, quando Christi jugum subit, quæ prius collo erecto superbierat : tunc concipit a timore Dei, tollit onus impositum velut uterum ferens ; mox parturit conatu multo, et bonorum operum fœtus, multa demissione animi curvata ac pœnitentiæ exercitio prona, cum rugitu, hoc est gemitu, enititur.

Anima instar cervæ incurvatur ad partum spiritalem enitendum.

5-8. QUIS DIMISIT ONAGRUM LIBERUM, ET VINCULA EJUS QUIS SOLVIT ? CUI DEDI IN SOLITUDINE DOMUM, ET TABERNACULA EJUS IN TERRA SALSUGINIS : CONTEMNIT MULTITUDINEM CIVITATIS, CLAMOREM EXACTORIS NON AUDIT : CIRCUMSPICIT MONTES PASCUÆ SUÆ, ET VIRENTIA QUÆQUE PERQUIRIT. — *Onagrum* sat notum est esse asinum silvestrem, cujus feracissima est Asia et Africa, ut Plinius scribit lib. VIII, cap. XV ; de quo vide quæ supra annotavimus ad cap. VI, 5, cap. XI, 12, cap. XXIV, 5 : ubi Job ejus mentionem fecit. Hic autem Deus describit onagri mores ingenuos ; in quibus multa sane mira latent, quæ homines exacte callere nequeunt, v. g. cur eum Deus liberum creaverit absque vinculis, quibus jumenta servituti destinata stringuntur ; et assignaverit ei pro stabulo solitudinem, pro domicilio terram sterilem, ubi tamen illum non deserit ; quomodo libere vagetur, quasi spernens urbium commercia, nolens imperantem et labores duros exigentem audire, cum copiosa illi suppetat annona in montibus herbosis atque virentibus, quos ille procul conspicatus, ad pabulum se celerrime proripit. Sed quæres, cur magis de onagro quam de aliis animalibus hæc dixerit Deus, quibus hæc magis convenire videntur, qualia sunt cervus, capreæ silvestres, unicornis, etc. hæc namque magis ab hominum frequentia separata vivunt, et liberiora a vinculis manent ; quippe quæ nunquam capta cicurantur, et hominibus non inserviunt sicut onagri ; de quibus dixit Varro eos captos mansuefieri, et maximo capientibus usui esse ; præsertim ad seminationem et agriculturam. Hinc ego ducor ut sentiam cortici litteræ non nimis hic adhærendum, quasi Deo maxima cura esset de onagri libertate, et de solutione vinculorum ejus, et de pastu illius esset valde sollicitus. « Numquid de bobus cura est Deo ? » inquit Apostolus I *Cor.* IX, 9 ; cura quidem illi est, qui *Psalm.* CXLIV, 16, » aperit manum suam, et implet omne animal benedictione ; » præsertim cum Christus dicat *Matth.* X, 29, quod nec unus passerculus cadat in terram sine Patre cœlesti ; non tamen de iis præcipua cura, sed de illis quos ipsorum voluit figura et typo significare. Unde similia animalia describens, sæpe dicit quæ illis difficile, iis vero, quos sub eorum nomine exprimit, mi-

Vers. 5, 6, 7 et 8.

Onager qualis, et ejus libera vivendi ratio.

Cur hic onagri potius quam alterius feræ mentio fiat.

rifice congruunt. Onagrum itaque hic assumpsit ad insigne quoddam mysterium explicandum.

Onager significat solitarium.

Onager enim in Hebræo vocatur פרא *phere*, et quamvis hoc nomen absolute feram omnem silvestrem, fugientem hominum consortia significet (unde forte latinum *feræ* nomen deductum est) peculiariter tamen onagro tribuitur, quia nomen illud ducitur a verbo פרד *pharad*, quod est *separare se et dividere*, ut idem sit פרא *phere* quod *solitarius*, aut se separans et dividens. Cujus vocis significatum onagro in primis convenit, ut cui juxta vulgarem opinionem solitudo gratissima est ; et maxime satagit se ab hominum frequentia et convictu separare atque dividere, cum sit animal natura sua valde timidum, juxta illud Poetæ :

Sæpe etiam cursu timidos agitabis onagros.

Quare nusquam se reputat securum nisi in solitudine, ab omni hominum frequentia semotum. Quam ob causam Deus sic ipsum a solitudine descripsit *Jerem.* II, 24 : « Onager assuetus in solitudine, » ut S. Gregorius lib. XVI *Moral.* cap. XXIII annotavit ; et dicitur *Ose.* VIII, 9 : « Onager solitarius sibi, » id est qui solitudinem tanquam suam et sibi propriam reputat. Hujus autem præda leo summopere delectatur, ut annotat Albertus Magnus lib. *De Animal.* : quia nimirum ipsum vehementi odio prosequitur, et ejus esum gratissimum ducit ; quod et Spiritus Sanctus docuisse visus est, eum vocans *venationem leonis*, cum ait *Eccli.* XIII, 23 : « Venatio leonis onager in eremo ; sic et pascua divitum sunt pauperes. » Pro nihilo ducit leo alias feras capere, onagri venationem in pretio et deliciis habet. Onager tamen liber a vinculis et laqueis venatorum, leonis quoque insidias cavet, dum juxta nominis sui significationem ad solitudinem se recipit, et ab omnibus se separat. Quando igitur hic mentio fit onagrorum, hoc eo Deus facit, ut ostendat non esse nostrum illos liberos sinere. Quod perinde est atque si diceretur : Nos, cum contemplamur asinos silvestres, debere sic statuere, omnes homines simul congregatos non posse dare illis eam naturam qua præditi sunt. Confiteamur igitur Deum omnia disposuisse supra vires et facultatem nostram ; et si in ipsius operibus aliquid desideremus aut reprehendamus, id a temeritate nimis stulta promanare ; hocque unum superesse, ut oculis sursum sublatis eum, qui ejusmodi et tam immensam potentiam videndam nobis exhibet, adoremus. Hoc enim exemplum adfert Deus, ut redarguat homines, qui se magni faciunt, nec de conditione sua cogitant, falsa sui opinione decepti. Certe si tales sui cum asinis silvestribus comparationem instituant, invenient onagros aliquid longe præstantius et optabilius quam ipsos habere, nempe libertatem ; qua ipsi se privant, dum durissimam omnium vitiorum serviunt servitutem.

Leo maxime insidiatur onagro ; et cur.

Tropologice S. Gregorius lib. XXX *Moral.* cap. XII, per onagrum hic intelligit eum, « qui corde saltem remotus a turbis et a negotiis sæcularibus soli Deo et sibi vacat ; et si aliquam externam occupationem sustinet, eam non in aliquod temporale emolumentum, sed in Dei honorem et obedientiam refundit. » Quis ergo potuit hominem cuiscerrenis affectum, et desideriis rerum carnalium obductum ad similitudinem onagri hujusmodi curis et desideriis eximere, nisi ille, qui absolutam potestatem in cor nostrum habens, valet rerum hujus mundi exilitatem ostendere, et rerum cœlestium dignitatem aperire, et absque ulla vi, imo cum summa voluptate humanam voluntatem ab illis avellere, et in istis occupare ? Hic dum cœlestia perquirit, et a curis terrenis liberatur, apte dicitur *liber*, inquit S. Gregorius : « quia magna est servitus sæcularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quamvis in eis sponte desudet. Cujus servitutis conditione carere, est in mundo jam nihil concupiscere : quasi enim quodam jugo servitutis premunt prospera, dum appetuntur ; premunt adversa, dum formidantur, » etc. Non sunt igitur divites liberi, qui divitiarum pondere prægravati non solum auro et argento serviunt, sed iis, a quibus opes accipiunt, aut a quibus ad earum conservationem et augmentum juvantur, miserrime se subjiciunt. Non sunt potentes liberi, qui dum dignitate potiuntur, litigantium clamoribus obruuntur, querelis quasi vinculis cruciantur ; et eorum, quibus præsunt, curis et negotiis tanquam servi abjectissimi proferuntur. Non sunt liberi ipsi reges et principes sæculi, qui onere regnorum pressi gemunt ; et si non gemunt, stultorum et amentium more inter vincula et compedes se solutos esse conjiciunt. Sed liber est, qui sola Dei possessione contentus nihil terrenum cogitat, nihil caducum amat, nihil quod præterit concupiscit : *Cui*, inquit Dominus, *dedi in solitudine domum*, quia in quadam rerum penuria constitutus umbra meæ specialis curæ protegitur. *Et tabernacula ejus in terra salsuginis*, quia in statu rerum terrenarum sterili et vacuo, tranquillitate et donorum cœlestium abundantia recreatur. Hic *contemnit multitudinem civitatis*, dum a consortio stultorum liberatus, cum Deo et angelis nititur inire commercia ; et *clamorem exactoris non audit*, dum nihil temporale eum urget, ut animæ suæ profectum acceleret, et ab eo quod spirituali profectui non conducit, curis rei familiaris abdicatis, tempestive discedat. Hic denique *circumspicit montes pascuæ suæ*, et vitam illam cœlestem, quam imitatur, attente perlustrat, et *virentia quæque perquirit* : nam virtutum opera, quæ nunquam deficient, et nunquam a sua pulchritudine cadent, in pabulum hominis interioris assumit.

Onager symbolum hominis a sæcularibus negotiis abstracti.

Sæculi jugum excutiendum.

Divites terreni non sunt liberi.

Reges et principes hujus sæculi non sunt liberi.

Expende autem duo quæ Deus facit, ut liber servetur onager a vinculis, *primo* ad solitudinem ducit, quam non transcursim, sed permanenter inhabitet : « Cui, inquit, dedi domum in solitudine. » *Secundo* ejus tabernaculum facit tanquam

Duo quæ onagrum servant liberum, sunt solitudo et

http://www.obrascatolicas.com

terra salsuginis.

terram salsuginis : quidam ad litteram ideo hæc dicta credunt, quod onagri nascantur et vivant in Arabia, quæ solitaria maxime est; et ideo vocatur *Arabia deserta*, ubi herbis salsuginosis sustentantur; sed qui hujus animalis naturam describunt, non hæc annotarunt : nec enim in Arabia sola vivunt, ut superius ex Plinio dictum est, nec salsuginosæ terræ solum herbis aluntur; quin potius, ut Oppianus apud Ælianum lib. V, cap. XI, dixit, onagri pastu aluntur herbarum, quas abunde *fundit* terra; quæ autem salsuginosa est non abundanter fert herbas. Aliquid ergo altius voluit Deus indicare, duo scilicet quæ in justo operatur, ut eum liberum servet a laqueis et vinculis diaboli. Primo eum separat a populorum frequentia, et mundanorum consortio et multitudine civitatis; quo nomine impiorum et carnalium cogitationem intelligit, quorum infinitus est numerus: pauci sunt in civitate qui justitiam undequaque teneant: « Circuite per vias Jerusalem, inquit Dominus *Jerem.* V, 1, et quærite, si inveniatis virum facientem judicium, » etc. Hanc multitudinem vir justus contemnit, et ab ea se separat, et mundum fugit; deinde tabernaculum suum constituit in terra salsuginis. Tabernaculum justi est ejus caro vel corpus, in quo illius spiritus sicut in tabernaculo habitat, dicente apostolorum Principe II *Petr.* I, 14 : « Velox est depositio tabernaculi mei; » de quo argumento fuse loquitur Pineda noster ostendens apte *tabernaculi* nomine humanum corpus designari : hoc porro ponit in terra salsuginis, notum est enim terram fertilem et herbarum feracissimam reddi sterilem si salsuginosa fiat, et sale conspergatur. Sic Deus *Psalm.* CVI, 34 in pœnam peccatorum reddidit aliquando « terram fructiferam in salsuginem, » quæ si aliquid profert, id minimum est et parvi momenti. Est caro nostra terra, quæ abundantissime herbas illas noxias profert, quas Apostolus enumerat *Gal.* V, 19 : « Manifesta sunt opera carnis; quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, » etc. Per salem igitur mordentem pœnitentiæ et mortificationem hæc terra comprimitur, ne hujusmodi mala germina proferat; tabernaculumque spiritui in terra salsuginis erigitur. His autem auxiliatoribus diaboli remotis, facile erit illum superare, et ejus vincula laqueosque evadere. Unde subdit :

Solitudo servat a peccato.

Justi tabernaculum corporis ponunt in terra salsuginis pœnitentiæ.

Mundo et carne subactis languet vox diaboli exactoris.

CLAMOREM EXACTORIS NON AUDIT. — Quis alius nomine *exactoris* debet intelligi nisi importunus ille persuasor, de quo dixit Dominus *Luc.* XII, 31 : « Et judex tradet te exactori? » hujus vox est tentatio miseræ suggestionis quam, qui mundum fugit, et carnem compressit, non audit, nec admittit; sed libere repellit, valideque obsistit. Mundo namque relicto et carne superata, invalidus hic exactor redditur, qui illis sociatus vires quasi insuperabiles resumpserat : idcirco igitur pauci sunt qui hujus evadant laqueos, liberosque se a vinculis peccatorum servent; quia pauci sunt, qui se onagros exhibeant, fugientes mundanorum consortium, et carnis lasciviam comprimentes. S. Gregorius lib. XXX *Moral.* cap. XIII, nomine etiam *exactoris* carnem ipsam intelligit, quæ tanquam durus exactor quæ sibi sunt necessaria exigit; et, ut dixit S. Gregorius Nyssenus lib. *De Beatit.*, per famis affectionem propemodum vocem emittens, se nunc egere cibo declarat. Ubi Magnus Gregorius argute expendit vocem illam *clamorem*. Non enim dixit : *Sermonem* exactoris non audit, sed *clamorem* : quapropter « magnus, inquit, discretionis labor est, huic exactori et aliquid impendere et aliquid denegare, et non dando gulam restringere, et dando naturam nutrire, quæ fortasse discretio subinfertur cum dicitur : *Clamorem exactoris non audit*. Sermo namque hujus exactoris est, necessaria postulatio naturæ; clamor vero ejus mensuram necessitatis transiens, appetitus gulæ. Hic itaque onager exactoris hujus sermonem audit, clamorem non audit; quia discretus vir ac continens, et usque ad temperandam necessitatem ventrem reficit, et a voluptate restringit. » Ita ille.

Caro nostra tra exactor rigidus.

Discretionis opus est, ut carni jus suum tribuatur, nec ejus appetitui indulgeatur.

Hinc factum est, ut sancti viri, cum caro fame, siti, vigiliis et lassitudine affecta petebat cibum, potum, somnum et requiem sibi concedi, summo studio expenderent, an vere peteret ea quæ præcise ad jus suum spectabant; et quoniam sæpe id ignorabant, id eidem denegabant, etiam cum aliquando vere necessarium erat : et considerantes illam B. Basilii sententiam serm. 1 *De Jejun.* : « Quantum carni detrahis, tantum facis animam spiritali bona valetudine relucere, » excedebant aliquando circa carnis mortificationem. Unde ut refert D. Thomas *Quodl.* V, art. 18, egregie de hac re disputans, B. Bernardus se accusabat, quod aliquando corpus suum jejunando et vigilando nimis debilitasset; et B. Franciscus morti proximus, cum lacrymis veniam petebat a corpusculo suo, quod plus justo illud afflixisset; S. Petrus martyr religionem ingressus tam constanter carnis restitit petitionibus, ut necessaria etiam eidem denegando mortis pericula incurrens, a prælatis fuerit reprehensus : ita quidem illi, timentes ne carni concederent superflua, negabant necessaria. « Nec id mirum, inquit S. Augustinus lib. *Quæst. ex utr. Test.*, nam quanta solertia attendit medicus infirmo corpori et febricitanti alimenta præbere, quæ febrem non accendant, et vitam conservent; tanta sollicitudine viri justi attendere debent ita carni necessaria ministrare ad vitam, ut non potius sanguinis calorem accendant. » Et iterum lib. *De Confl. virtut. vitior.* : « Sicut æger, inquit, ad medicinam, sic ad sumendas dapes debet quisque accedere, nequaquam videlicet in illis voluptatem appetens, sed necessitati succurrens. Hinc Veritas dicit *Luc.* XXI, 34 : *Attendite ne graventur corda vestra crapula et ebrietate*. Sustentanda igitur sunt corpora, non gravanda; et quemadmodum medicamenta sic sunt alimenta sumenda. » Sic

Sancti etiam necessaria carni subtrahebant.

Alimenta non secus ac medicamenta sumenda sunt.

Vir solitarius contemplationi deditus onagro comparatur

ille. In arcano igitur sensu onager liber, vir contemplationi deditus est; qui cum corpore cæteris hominibus similis sit, ut asellus silvestris domestico; moribus tamen et exercitiis tam longe discrepat quam vir patritius nobilisve ab ignobili servitutis vinculis obligato. Hic liber a Deo dimittitur solutis temporalis vitæ ac sollicitudinis nexibus. Designat ei Deus in locis desertis antra pro domo, ubi animi libertas, rerum cœlestium æstimatio, mundi ac politicæ vitæ contemptio succrescunt; neque auditur vox ullius mortalis domini, qui ab homine ingenuo operas et negotia sæculi hujus exigat. Hinc efficitur, ut perspicaci mentis acie circumspiciat liber montes pascuæ suæ, hoc est cœlos, in quos suspirat; ubi viror arridet æternus et amœnitas, quæ nunquam languebit, quam perenniter contemplatur, qua pascitur et roboratur, tametsi in eremo sterili inter scopulos et spineta moretur.

Vers. 9, 10, 11 et 12.

9-12. NUMQUID VOLET RHINOCEROS SERVIRE TIBI, AUT MORABITUR AD PRÆSEPE TUUM? NUMQUID ALLIGABIS RHINOCEROTA AD ARANDUM LORO TUO? AUT CONFRINGET GLEBAS VALLIUM POST TE? NUMQUID FIDUCIAM HABEBIS IN MAGNA FORTITUDINE EJUS, ET DERELINQUES EI LABORES TUOS? NUMQUID CREDES ILLI QUOD SEMENTEM REDDAT TIBI, ET AREAM TUAM CONGREGET? — Quæ hic de rhinocerote dicuntur eo adferuntur, ut ostendat Deus illum indocilis esse naturæ, neque condocefieri ab homine posse, ut jugum subeat, aut frænum seu lorum patiatur, ut ex ejus robore aliquam homo commoditatem capiat, sicut ex equo aut bove : hæc omnium quæ hic de rhinocerote dicuntur summa complexio est. Feram istam Aristoteles notam non habuit; jejune præter morem suum delineavit Plinius lib. VIII, cap. XX : « Rhinoceros, inquit, unius in nare cornu, alter hic genitus hostis elephanto, cornu ad saxa limato præparat se pugnæ, in dimicatione alvum maxime petens, quam scit esse molliorem; longitudo ei par, crura multo breviora, color buxeus. » Ita remisse ac parce ille, quod parva admodum eo adhuc sæculo istius quadrupedis Romanos attigisset notitia; nec quidquam Juba Mauritaniæ rex, cujus auctoritati plurimum Plinius defert, super eo prodidisset. Uberius Agatharcides Polyhistor, Oppianus et alii apud Ulyssem Aldrovandum lib. I *De Quadr. bisulc.* cap. XXXIII, ubi vide de illo plura. Aliqui rhinocerota cum monocerote confundunt; Plinius, Solinus et alii aperte distinguunt, nec male ex profanorum scriptorum usu, apud quos monoceros longe diversum a rhinocerote animal, utpote cui formam equi, caput cervinum, cornu quatuor pedum oblongum, idemque in fronte, pernicitatem denique summam ac feritatem tantam, ut nunquam vivus capi possit, tribuant. Si tamen ex Scripturæ usu loquamur, videtur idem rhinoceros qui et monoceros : nam vox hebræa רְאֵם *reem*, quæ hic habetur, ubique a Septuaginta μονόκερως seu *unicornis* redditur. S. Hieronymus vero modo reddit *rhinocerota*, ut

Rhinoceros quale sit animal.

Rhinoceros an idem qui monoceros.

hic et *Num.* XXIII, 22 et cap. XXIV, 8; *Deuter.* XXXIII, 17; *Psalm.* XXVIII, 6; modo *monocerota* vel *unicornem*, ut *Psalm.* XXI, 22; LXXVII, 75, et XCI, 10 et *Isai.* XXXIV, 7. Credit Pineda noster rhinocerota, cujus fortitudinem videtur Scriptura ubique prædicare, esse illud animal, cui in nari cornu est; quod colligit ex hoc loco, ubi videtur tacita fieri hujus feræ cum bove comparatio, quæ optime congruit rhinoceroti; siquidem rhinoceros Pausaniæ est bos indicus vel æthiopicus, et Festo Pompeio bos ægyptius; licet in eo quod Ægyptium dicat vel auctoris lapsus vel mendum videatur. Qua de re consulendæ sunt historiæ animalium : nec enim mei muneris est hæc fusius disputare, aut perfectam historiam scribere, et integram adferre enumerationem proprietatum quæ insunt in animalibus, quorum hic exempla proferuntur; sed intra limites interpretationis consistere, ea duntaxat ex historiis obiter delibando, quæ sacrum textum illustrent, et moribus rite componendis utilem doctrinam suppeditent.

Rhinoceros homini indomabilis nos docet humilitatem.

Dicitur hic ergo rhinocerota non fore nobis subditum, nec eo nos uti posse ut bove, equo et asino; nunquam posse ipsum curari, nec unquam araturum, aut sementem redditurum, et aream congregaturum. Ubi, sive *area* proprie pro loco accipiatur, in quo grana excutiuntur aut ventilantur, vel ad quem convehuntur, uti Lyranus, Pineda et alii exponunt; sive metonymice pro frugibus ipsis in aream convehendis, aut inde evehendis, uti Novarrinus lib. V *Elect.* cap. IX, operose probare conatur, sensus eodem recidit; quia utrovis modo æque probatur rhinocerotis ad humanum obsequium ineptitudo; nec in hominis potestate esse ipsum ita curare, ut ejus imperio pareat : quod hoc loco tantummodo significatur et inculcatur, ut cognoscamus non esse nostrum disponere de operibus Dei. Nam si rhinocerota vel aliam similem feram domare non possumus, quomodo universum mundum regemus? quomodo os nostrum adversus Creatorem, qui omnia sapientissime disposuit, ut nihil sit in operibus ejus culpandum attollemus et aperiemus? Videmus igitur, quomodo nobis hic locus ad nostram instructionem applicandus sit. Ac primum quidem hinc discere debemus, quando nobis serviunt animantia, id eo fieri, quod Deus ipsa domet, et nobis quasi in manum et potestatem nostram tradat, ut illis uti possimus : cur enim *Jacob.* III, 3, « equis frænа in ora mittimus ad consentiendum nobis, et omne corpus illorum circumferimus? » cur morigeris bobus, asinis et mulis utimur? cur sinunt se ab homine regi, trahunt aratrum, aut onera ferunt? nisi quoniam Domino visum est nobis aliquod imperium in ipsa tribuere. Hic igitur bonitatem Dei nostri contemplemur, quando ad usum et ministerium nostrum applicuit belluas, quæ alias solo suo aspectu nos ita perterrefacere possent, ut ad ipsas appropinquare aut accedere non auderemus : jam vero

Beneficio Dei animalia quædam cicurantur in usum nostrum.

http://www.obrascatolicas.com

pueruus illas regit; ita ut boves jugo assueti bacillo contineantur, non inviti ingens illud suum collum jugo submittant, et demittant cornua pro nutu pueri dirigentis ac minantis eos. Cum id videmus, agnoscamus benignissimi erga nos Dei liberalitatem ac bonitatem, qua humano generi de tam utili ad vitæ hujus labores sublevandos jumentorum præsidio prospexit; quando voluit, ut illæ tam grandes belluæ ad usum nostrum et ministerium adhiberentur et cicurari possent. Contra vero quando animadvertimus rhinocerota tam pertinaciter insitam sibi a natura ferociam retinere, ita ut omnes homines conducta in unum sua industria suisque viribus non possint ipsum domare et subjicere; agnoscamus unde id promanet, nempe ex peccato Adami et nostra perversitate, simulque ex eo quod in illum, qui nos in hoc mundo principes constituerat, omnesque adeo creaturas in manum et potestatem nostram tradiderat, rebelles fuimus. Placidum enim et quietum imperium in omnia animantia retinuissemus, nisi erga Deum nostrum ingrati fuissemus, illi debitum honorem denegantes.

Quod rhinoceros domari non possit nostrum peccatum in causa est.

Allegorice D. Hieronymus in commentariis hujus loci (cujus expositionem obiter perstringendam duximus) per *rhinocerota* gentilem populum intelligit, qui antea superbus et indomitus, tandem victus prædicatione evangelica Ecclesiæ servivit, alligatus nimirum charitatis loro : « *Lorum*, inquit, charitatem Christi intelligere debemus, de qua loquens Apostolus ait *Colos.* II, 2 : *Copulati in charitate :* cujus vinculis colligandos mortales Isaias olim prædixerat cap. XLV, 14 : *Labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt; et post te ambulabunt, vincti manicis pergent.* Et David exponens quemadmodum charitatis vinculis per ministros verbi Dei vinciendi essent credentes, ita loquitur *Psalm.* CXLIX, 8 : *Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis.* Quorum vinculorum nominibus charitatis Christi fortitudinem voluit demonstrare, quæ etiam fortis et potens in manicis ferreis ad amorem Domini constringit. » Hæc S. Hieronymus. Plures hujus loci sensus allegoricos, tropologicos et anagogicos vide fuse ac pulchre apud S. Gregorium lib. XXXI *Moral.* cap. II, III et IV.

Gentilis populus ante prædicationem Evangelii erat rhinoceros.

Vers. 13. 13. PENNA STRUTHIONIS SIMILIS EST PENNIS HERODII ET ACCIPITRIS. — Versus hic admodum diverse ab interpretibus effertur; ac in Hebræo quidem est כנף רננים נעלסה אם אברה חסידה ונצה *chenaph renanim negelasah, im-ebrah chasidah venotsah*; quod aliqui quidem sic interpretantur, *ala exsultantium lœta, an penna ciconiæ et pluma?* alii vero sic, *alis pavo exsultavit, numquid pennas struthioni et plumas dedisti?* vel etiam sic, *numquid pavoni exsultantes alas dedisti? an item pennas ciconiæ et struthioni?* Quod pro eo habendum ac si dixisset : Pavones exsultant alis suis, vel, quod malim, pennis suis, ut pennas caudæ pavonum innuat, quibus illa constat. Siquidem penna durior est, ut pluma mollior; unde aves volare pennis dicimus, non plumis. Pavo autem de cauda potius exsultat quam de ala. Septuaginta vertunt, πτέρυξ τερπομένων νεῆλασσα, *penna lætantium neelassa* : Symmachus, πτερὸν ἀγλαΐσμοῦ περιφύεται, *penna exsultationis circumnectitur;* Aquila, πτερύγιον αἰνούντων συναπλέκει, *ala canentium complicatur.* Olympiodorus illud *neelassa* pro avi accipit, ita enim habet, τερπνὸν ἐστὶ τῇ θέᾳ ἡ νεῆλασσα, *jucundum quiddam aspectu est neelassa;* et Scholiastes, νεῆλασσα πτηνὸν ποικίλον καὶ ὡραίαν ἔχον τὴν πτέρωσιν, καὶ πλέον τοῦ ταῶνος, *neelassa volucris est pennas habens varias et pulchras, atque adeo magis pavone.* Sequitur, ἐὰν συλλάβῃ ἀσίδα καὶ νέσσα, *si conceperit asida et nessa,* quod Symmachus transtulit, εἰ ἐναγκαλίσεται ὁ κύκνος πτίλοις αὐτοῦ, *si amplexabitur cycnus plumis suis;* Olympiodorus ait, ἀσίδα ὁ ἐρωδιός ἐστι κατὰ Ἀκύλαν, ἢ πλάργος, ὡς τινες ἔφασαν, οὐ καλῶς νήσαντες, *asida est herodius secundum Aquilam, aut ciconia, ut nonnulli dixerunt, non bene considerantes.* Scholion exponit : ἡ δὲ ἀσίδα καὶ ἡ νέσσα πτηνὰ καὶ αὐτὰ, πλὴν ἀνίπτα καὶ ἰσχυρὰ · εἰς κενὸν, ἐκοπίασε, μὴ σωζομένων τῶν γεννημάτων αὐτῆς · ἀφεῖλε γὰρ ὁ Θεὸς · τοῦτο γὰρ κατεσιώπησεν αὐτῆς τὸ σοφὸν, *asida et nessa sunt et ipsæ aves, sed stolidæ et robustæ : frustra laboraverunt, cum salvos non præstiterint filios suos : abstulit enim Deus illis sapientiam* : hoc enim significatur verbis illis : *Quia tacere fecit ejus sapientiam.*

Variæ hujus loci interpretationes et versiones examinantur.

Cæterum ut ex hac tanta lectionum varietate obiter aliquid ad nostram instructionem eliciamus, juxta textum hebræum in *pavonis alam* oculum conjiciamus : nonne illic artificium tam admirabile est, ut quid dicamus non habeamus, nisi quod Deum glorificare nos oporteat? Si igitur vel unica pavonis penna nos in sui admirationem rapiat, et quasi obstupescere cogat, quid faciet totum illud artificium, quod in hoc mundo apparet; qualis et quanta quæso nobis specialiter videbitur gubernatio generis humani? et tamen in eo hallucinantur et potissimum cæcutiunt homines, quod velint mundum ex ipsorum arbitrio regi. Id vero ex eo est, quod desideriorum suorum non fiant compotes, eosque Deus ex animi illorum sententia et voto non tractet. Nos tamen plus quam convictos officii nostri esse oportet, si ea quæ oculis nostris exhibet velimus considerare. En igitur Dei in hoc loco scopum. De *ciconia* quoque loquitur, quæ in Hebræo a pietate nomen invenit, qua in parentes nemini cedit; quocirca *pietati-cultrix* a Petronio Arbitrio vocatur, cum in illa plus humanitatis quam in hominibus sæpius interdum reperiatur. Parvæ enim ciconiæ cum adoleverunt parem gratiam referunt patribus et matribus, ipsosque in senectute alunt, ut beneficium, quod ab illis in juventute acceperunt, rependant. Id vero si diligenter consideratum fuerit, sufficiet ad liberorum, qui erga suos parentes rebelles sunt, ingratitudinem condemnandam. Vulgatus porro interpres comparationem

Quid ex penna pavonis considerandum.

Ciconia pietati-cultrix.

hic instituit alarum *struthionum* cum pennis herodii et accipitris : sed cum potius intendat immorari in eo quod subjicit de stoliditate et levitate, simulque robore illi animali insito, quid de his tradat audiamus.

Vers. 14, 15, 16, 17 et 18. 14-18. QUANDO DERELINQUIT OVA SUA IN TERRA, TU FORSITAN IN PULVERE CALEFACIES EA? OBLIVISCITUR QUOD PES CONCULCET EA, AUT BESTIA AGRI CONTERAT. DURATUR AD FILIOS SUOS QUASI NON SINT SUI; FRUSTRA LABORAVIT NULLO TIMORE COGENTE. PRIVAVIT ENIM EAM DEUS SAPIENTIA, NEC DEDIT ILLI INTELLIGENTIAM. CUM TEMPUS FUERIT, IN ALTUM ALAS ERIGIT; DERIDET EQUUM ET ASCENSOREM EJUS. — Singularem Dei erga struthiocamelum providentiam declarat, quod cum avis proprie non sit, alas tamen illi herodii aut accipitris similes affixerit, ut illius in tanta mole tarditatem acueret; et cum propter insignem stuporem ova in pulvere peritura relinquat, quod nemo posset sua præstare solertia, Deus illa calefacit; et quod maternus alias efficit incubitus, solius Dei providentia ex illis maturos et vitales fœtus excludit. Neque enim mater amplius de sobole aut ovis curat, neque illis ab hominum seu bestiarum injuria cavet, aut ullam servat sobolis excludendæ aut fovendæ memoriam; neque magis filios suos aut amat aut curat quam alienos. Quare suum laborem, quem in ovorum nixu pertulit, perire sinit; quod facit, non ut oblatum a potentiori hoste periculum evitet, sed cogente nemine, propter stuporem suum et animi duritiem, qua suorum studium et curam abjecit. Quæ tamen licet in filiorum cura atque custodia stolida sit, in sua tamen salute procuranda neque iners est; neque desunt illi a natura et a divina providentia subsidia. Cum enim id exigit temporum angusta necessitas, alarum adjumento ea se alacritate incitat ad cursum, ut neque equum neque equitem curet, quorum prævertit cursum, et studium eludit : ita Sanctius noster in paraphrasi. Sed absurdum fortasse cuipiam videatur, harum avium, struthionis, inquam, herodii et accipitris pennas inter se comparari, cum non uno nomine discrepent : struthio enim pilis similes et lanuginosas quodammodo plumas habet, præter non solum accipitrum, sed et cæterarum avium morem. Verum hoc loco advertendum est id tantum agere illis verbis Prophetam, ut ex hac qualicumque harum avium similitudine maximam ingenii actionumque earum diversitatem innuat ac declaret, *q. d.* Pennæ struthionis cum pennis accipitris in eo conveniunt, quod utræque æque pennæ sint, nec hæ magis pennæ quam illæ censendæ sint, adeo ut plumarum ratione, quæ utrique ex æquo datæ sunt, pari etiam volandi pernicitate præditæ esse debere videantur; vel, ut Glossa interlinearis exponit, et res ipsa etiam testatur : Penna struthionis similis est pennæ herodii et accipitris, nimirum colore castanæo et nigro; usu tamen et viribus toto hæ distant cœlo : accipiter enim plumis densissimis, quæ exiguæ molis corpus obvestiunt, celerrimo per aera fertur volatu; struthio vero etsi pennas habeat, quæ reliquis avibus ad volandi usum concessæ sunt, vix tamen hisce suis ab humo sese potis est attollere ob ingens corporis pondus; ideoque ad cursus tantummodo velocitatem ei serviunt.

Dei in struthiocamelum providentia.

Quæ sit differentia inter alas struthionis et accipitris.

In Hebræo hic habentur nomina, quæ varie ab hebraizantibus transferuntur; recte tamen Vulgatus *herodium* et *accipitrem* posuit, quomodo S. Patres passim legunt : voluit enim Deus eas aves exprimere, quæ in sublime pernici volatu feruntur, ut naturam struthionis declaret; hæ autem sunt herodius et accipiter, quas notum est, inquit S. Gregorius, cæteras omnes volatus sui velocitate transcendere. Struthio igitur *primo* pennas quidem habet in genere pennarum similes pennis herodii et accipitris, sed subtiles, magnas, latas, et diversas ab illis : nam cum accipiter et herodius per pennas quas habent sublimia petant, et cœlum ipsum contingere videantur, struthio nequaquam se a terra elevat; unde medium quid dicitur a Diodoro Siculo lib. III *Rer. Antiq.* inter aves et pecora : habet enim alas sicut aves, sed a terra non elevatur magis quam pecora; ideoque credo struthiones ab eodem Diodoro lib. IV et Strabone lib. XVI vocatos *aves cervinas*, quod etsi alas habeant sicut aves, per terram tamen currant sicut cervi : cursu enim velocissimo feruntur, ut Ælianus lib. XIV, cap. XX, Plinius lib. X, cap. I et Xenophon lib. I *De Cyri exped.* dixerunt. Id ostendit agilitatem, qua ingens illa bellua pollet, est enim semiavis et semianimal terrestre, eaque gravitas est in corpore struthionis, ut non possit se attollere ad alte volandum; sed ita volitat, ut nemo ipsum assequi possit : frustra citato cursu ruas, non valebis illum apprehendere, nam ex parte imis plantis subsultans, ex parte volitans, equorum et aliorum animantium omnium pernicitatem superat. Hoc insuper habet admirabile quod in via fugiens lapides ungulis bisulcis comprehendat, et in sequentes projiciat : alis itaque utitur struthio non ad volandum, sed ad currendum; propter quod Deus dixit : « In altum alas erigit, et deridet equum et ascensorem ejus : » velocius enim alis erectis currit quam velocissimus equus. *Secundo* habet hoc struthio, quod « derelinquit ova sua in terra; obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat : » fœcundissimus est inter aves struthio, adeo ut plusquam octoginta ova ex sese pariat, sicut dixit Ælianus lib. XIV, cap. XIX, XX et XXI, nullum tamen eorum protegit aut fovet, inquit D. Isidorus lib. XII, cap. VII, sed in arena aut pulvere omnia relinquit, non attendens neque curans quod viatorum pedibus aut bestiarum incessu conculcentur et dissipentur. Mirandum sane quod ova, quæ dolore magno peperit, omni cura destituat : nec tantum ova negligit, verum etiam pullos jam ex ovis enatos.

Struthio alas habet similes herodii et accipitris, sed non volatum.

Sthruthiones aves cervinæ, et cur?

Struthio deserit ova sua, et pullos non pascit.

DURATUR AD FILIOS SUOS QUASI NON SINT SUI, etc. — Pagninus vertit, *crudelis fuit pullis suis, ac si non*

http://www.obrascatolicas.com

essent sui; Regia, *duriter tractat filios suos, non sibi*; quod ut intelligatur, observandum est in Scriptura duo de struthione dici quæ contraria videntur : *primum*, quod pullos suos summo amore diligit, ita Deus indicavit *Mich.* I, 8, et Gylius ex Ælíano lib. XIV, cap. XXI; aliisque auctoribus comprobavit. *Secundum*, quod erga filios suos sit omnibus animalibus crudelior, cum illos neque foveat neque pascat; quo alludere videtur Jeremias dicens *Thren.* IV, 3 : « Filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto. » Hinc Philippus diaconus illud quod Job dixerat cap. III, 29, explicavit, *socius fui struthionum* : in Hebræo habetur, *socius filiabus struthionis*, q. d. Sicut enim filii struthionis a parentibus deseruntur, absque eo quod aliquam eorum pascendorum curam habeant; ita ab hominibus relictus sum, ut nullus mei vel levem curam habeat. Utrumque autem verum est : nullum siquidem animal ita filiorum visu delectatur sicut struthio; et nullum est, quod minus curet eos alere, servare et defendere. Unde subdidit Deus : *Frustra laboravit nullo timore cogente*: Pagninus et Regia reddunt, *in vanum labor ejus absque pavore* : loquitur de labore, quem in partu struthio sustinuit. Naturæ Auctor, ut bene Pineda noster annotavit, parentibus in partu et educatione filiorum laborem immiscuit et dolorem, ut ille amorem erga filios augeret. Quæ enim cum labore acquirimus amplius diligimus; et quo majori labore proles stetit, eo plus a parente diligitur; unde aiunt plus a matribus quam a patribus prolem diligi, quæ majoribus matris doloribus editur; et ab utroque parente filios primogenitos magis amari, quod prima procreatio utrique parenti laboriosior exsistat. Unde Jacob alloquens primogenitum suum Ruben *Gen.* XLIX, 3 : « Tu, inquit, principium doloris mei. » Hic amor, quem in parentum visceribus naturæ Auctor indidit, duos affectus excitat in eis : unum audaciæ et fortitudinis, ideoque animalia et aves timidissimas facit audacissimas; alterum timoris et anxiæ sollicitudinis, ideoque animalia fortissima reddit timida, ut illo timore sollicita sint et anxia ad servandos fœtus : ita Plutarchus annotavit lib. *De Amor. prol.*; imo et Spiritus Sanctus loquens de parente filios diligente *Eccli.* XXX, 7 : « Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua (id est erit audax, ut vulnera non timeat pro eorum defensione) : et super omnem vocem turbabuntur viscera ejus. » Quidquid enim audit statim sollicitum reddit, ut de filiis defendendis cogitet; Struthio autem nullo timore sollicitus aut anxius redditur ad filios servandos, nec illorum timet amissionem : omnis propterea labor, quem sustinuit ova pariendo, inanis est et frustraneus : pullorum suorum amissionem non timet, inquit Nicetas, et ita omnem operam sine dolore perdit. Hinc recte de illo dicitur :

PRIVAVIT ENIM EAM DEUS SAPIENTIA : — nempe symbolum fuit struthio stultitiæ et stoliditatis, ut Pierius lib. XXV *Hieroglyph.* annotavit, ostendens avem esse stultissimam; quod vel ex eo statim conjici potest, quia cum omnibus avibus major sit, ipsi camelo æqualis (unde *struthiocamelus* communiter vocatur) et altitudinem equitis equo insidentis excedens, ut dixit Plinius lib. X, cap. I, caput habet parvum ad modum anatis : et certum est parvitatem capitis stoliditatem et insipientiam apud physiognomicos indicare. Sed quis credat Deum tam late et ex professo hæc tractare voluisse, ut solummodo struthionis exponeret stultitiam et naturam? si enim de bobus, quando de eis locutus fuit, non curabat, ut dixit Apostolus I *Corinth.* IX, 9; sed quæ ab hominibus requireret indicare per boves contendebat; credisne totam ejus curam de struthione fuisse, cum de struthione locutus fuit? « Multæ quidem sententiæ, inquit S. Gregorius lib. XXI *Moral.* cap. I, tanta allegoriarum conceptione sunt gravidæ, ut quisquis eas ad solam historiam tenere nititur, earum notitia per incuriam privetur. » Oportere propterea nos sancto patriarchæ Jacob similes esse debere admonet, qui virgas populeas, ac virides amygdali, et ex platanis, partim decorticavit, oculisque ovium cortice detracto exposuit, ut congruos sibi proficuosque fœtus conciperent et ederent. Unde in eam sententiam adducor, ut credam multa admiranda opera naturæ a Deo producta fuisse, ut eis mentem nostram juvaret ad opera mysteriorum gratiæ facilius intelligenda. Quando igitur hic dicitur « Deus privasse sapientia struthionem, » cognoscamus eo nos admoneri, quod cum judicio et ratione præditi sumus, eo magis Deo obstringimur, qui hoc bonum inæstimabile nobis concessit : quantum enim illud est posse bonum a malo discernere, et intelligere quodnam sit officium nostrum, non solum ad ambulandum in hoc mundo, sed etiam ad aspirandum ad vitam cœlestem? Quando igitur eo judicio valemus, ut possimus inter turpe et honestum, virtutem et vitium distinguere, cæteroquin etiam Deus nos Sancto suo Spiritu illuminat, ita ut quodammodo cœli nobis sint aperti, quoad angelorum societatem et ad vitam immortalem transeamus, per Dei gratiam facti cives sanctorum et domestici Dei : quando, inquam, id habemus, quantas Deo gratias debemus, ne stolido struthioni similes simus?

Theologice D. Gregorius lib. XXXI *Moral.* cap. V, censet Deum hoc in loco hypocritam describendum ex professo assumpsisse, illius stultitiam et stoliditatem exponendo, ut inde nos sapientes efficiat, id quod ex nomine hebræo, quo hic *struthionem* vocat, apte satis colligi videtur. Decem enim vicibus in Scriptura struthio nominatur, scilicet *Levit.* XI, 16, *Deuter.* XIV, 15, *Job.* XXX, 29, *Isai.* XIII, 21, *ibid.* cap. XXXIV, 13 et cap. XLIII, 20, *Jerem.* L, 39, *Thren.* IV, 3, *Mich.* I, 8, et hoc ipso de quo agimus loco. Et novem ex illis in Hebræo vocatur יענה *iaghenah*; et tamen nunc vocatur a Deo רננים *renanim*, quod nomen est numeri pluralis, tantummodo hoc in loco totius Scripturæ sacræ positum, quod propterea dubium est quid significet : ducitur enim a radice רנן *ranan*; quæ significat *lætari*, gloriari, ovare, ut transferre possis lætantes ovationibus, et vocibus laudum intendentes; unde hebraizantes transferunt *pavonem*, ac si Deus dicat se illi pennas tam pulchras et formosas contulisse, ut inde glorietur, et ovationes ac laudes exspectare videatur. Unde Pagninus transtulit, *alis pavo exsultat*; Chaldæus *tarnegol* expressit, id est *gallus silvestrem*, qui etiam instar triumphantis erecta crista exsultat ovatque. Septuaginta legunt, πτέρυξ τερπομένων νεῖλασσα, *penna lætantium neelassa*; Symmachus, πτερὸν ἀγλαϊσμοῦ περιφύεται, *penna exsultationis circumnectitur*; Aquila, πτερύγιον αἰνούντων συναναπλέκει, *ala canentium complicatur*. Sed excellenter Vulgatus struthionem expressit, in quem manifeste quæ Deus dixit conveniunt; qui quoniam non tam illum describere curabat quam hypocritam, quem struthionis symbolo nostris oculis objicere cupiebat; non illum consueto nomine יענה *iaghenah*, sed appositissimo רננים *renanim*, in plurali vocare voluit; quo indicaret totam illius mentem et curam positam in ovatione, laude populi ac hominum acclamatione, de quibus Christus dixit *Matth.* VI, 16 « Omnia faciunt ut videantur ab hominibus; et exterminant facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. » Vide igitur quam excellenter eos describat : « Pennæ struthionis similes sunt pennis herodii et accipitris : » *herodii* et *accipitris* nomine viros sanctos intelligit, qui in sublime se elevant, nubes transcendunt, et suo volatu cœlos ipsos contingunt; qui corpore in terra positi, cogitatione et aviditate in æterna patria conversantur, ex quorum persona dixit Apostolus *Philip.* III, 20 : « Nostra conversatio in cœlis est. » *Pennæ*, per quas disponuntur ad volandum et se elevandum, sunt opera mortificationis, jejunia, vigiliæ, disciplinæ, quibus carnem extenuant, ut mens elevari possit. Ideoque Deus *Isai.* XXXIII, 16, *munimenta saxorum* vocavit justi viri sublimitatem : « Munimenta, inquit, saxorum sublimitas ejus; » opera siquidem mortificationis et pœnitentiæ sunt, quibus se muniunt contra inimicos, et quibus præparant se ut ad sublimia eorum animus feratur; tantoque sunt habiliores ad petendum sublimia, quanto majorum horum saxorum congeriem colligerint. Similes pennas habent struthiones, hypocritæ inquam, et tamen nullatenus a terra elevantur : jejunant, mortificant carnem, conficiunt semetipsos jejuniis, vigiliis et abstinentiis, orationibus insistunt, eleemosynas largiuntur; sed nullatenus terram transcendunt, aut ab illa elevantur, quia hujusmodi pennas non ad volandum producunt, sed ut hominum, qui in terra commorantur, oculis videndas conspiciendasque exponant. Miseri profecto illi qui laborant, et opera pœnitentiæ, mortificationis et cæterarum virtutum exercent similia operibus justorum; sed tamen cum per ea justi cœlum attingant et consequantur, illi e contra terram non deserunt, et nil cœleste adipiscuntur, quin potius semetipsos adhuc magis deprimunt, et in infernum demergunt : ita de la Nuza *Tract.* II, num. 143.

In eo autem præcipue stoliditas et stultitia struthionis ostenditur, quod ova sua, quæ cum dolore et labore edidit, quamvis ex una parte plus quam aliæ aves æstimare videatur, ex alia parte nil penitus curet, sinens ea in terra aut in pulvere, ut a transeuntibus conculcentur et pereant. « Privavit, inquit, eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam; » quibus verbis similiter indicat Deus, se non tam de struthione loqui quam de hypocrita, quem struthionis typo voluit adumbrare, ubi expende cum D. Gregorio lib. XXXI *Moral.* cap. IX verbum *privavit*, quo Vulgatus utitur. Ille namque *privari aliqua re* dicitur, qui ejus est capax, et aptus est eam habere : est enim privatio negatio formæ in subjecto apto ad eam; ideoque sicut proprie loquendo Deus non dicitur privare lapidem visu, quia lapis aptus non est ad visum recipiendum, ita nec struthionem proprie loquendo sapientia et intelligentia privavit, ad quam recipiendam aptitudinem non habet. Nihilominus apte dictum est : *Privavit eum*, ut intelligamus, non tam de struthione ipso quam de hypocrita, quem describere volebat, locutum; cui Deus exigentibus ipsius flagitiis lucem sapientiæ, quam habere poterat, non contulit. Hæc itaque est struthionis stultitia et stoliditas, fœtus suos, quos cum dolore et labore peperit, relinquentis in pulvere conculcandos, et transeuntium pedibus conterendos. Omnia animalia fœtus suos servare satagunt, ideoque, quantum fieri potest, quærunt loca secura, ubi ova reponant, et filios constituant. Passeres quærunt loca eminentia, aquilæ inaccessas rupes, vulpes foveas absconditas, lepores et mures abdita receptacula; solus struthio relinquit omnibus transeuntibus exposita ova, conculcanda et proterenda. Vide num possit vivacioribus coloribus hypocrita depingi, cui hoc proprium est, quod bona opera, quæ tanquam fœtus animæ parit, ex una quidem parte videatur, summopere diligere, et maximi æstimare, cum ab omnibus illa laudari et æstimari concupiscat, nihil operum suorum oculos spectatorum fugere cupiens, vehementer sibi in illis complacens; adeo ut justi nunquam habeant tantam de suis operibus æstimationem, quantam hujusmodi struthiones aut hypocritæ, qui laudanda propinant opera sua. Ex alia tamen parte tales fœtus suos nihili facere comprobatur, quod illos non in abditis aut securis locis curet collocare, sed potius in publico omnibus videndos, imo conculcandos et perdendos constituat. Derelinquit igitur ova, id est opera sua, in terra, minime curans si pes inanis gloriæ ea proterat, aut bestia agri, nempe diabolus, in ipsa imperfec-

http://www.obrascatolicas.com

tiones conjiciens, suis malis artibus destruat. Vide hanc struthionis cum hypocrita comparationem pulchre ac fuse diductam a S. Gregorio lib. XXXI *Moral.* cap. V, VI, VII, VIII et IX.

Vers. 19, 20, 21, 22, 23, 24 et 25.

19-25. NUMQUID PRÆBEBIS EQUO FORTITUDINEM, AUT CIRCUMDABIS COLLO EJUS HINNITUM? NUMQUID SUSCITABIS EUM QUASI LOCUSTAS? GLORIA NARIUM EJUS TERROR. TERRAM UNGULA FODIT, EXSULTAT AUDACTER : IN OCCURSUM PERGIT ARMATIS. CONTEMNIT PAVOREM, NEC CEDIT GLADIO. SUPER IPSUM SONABIT PHARETRA, VIBRABIT HASTA ET CLYPEUS. FERVENS ET FREMENS SORBET TERRAM, NEC REPUTAT TUBÆ SONARE CLANGOREM. UBI AUDIERIT BUCCINAM DICIT : VAH! PROCUL ODORATUR BELLUM, EXHORTATIONEM DUCUM ET ULUTATUM EXERCITUS. — Est graphica generosi equi descriptio, in qua admirandam equi fortitudinem expendit Deus, quæ a natura ipsa videtur ad victoriam adornata. Unde quod Vulgatus posuit *fortitudinem*, in Hebræo est גבר *gabar*, quæ vox *dominium* et *triumphum* significat, quia inter omnia animantia videtur comparata equi fortitudo ad triumphum et victoriam : quapropter eam homines in bello sperant, fidentes in curribus et equis, ut sacræ litteræ sæpissime testantur. Unde et Plutarchus in *Quæst.* Romanis Marti, bellatorum duci, victorem equum immolari solitum commemorat: quia animosa, inquit, est bestia, per quam quia victoria comparatur, dum hæc offertur Marti, significatur tali Deo victoriam acceptam ferendam. Quod et Deus expressisse videtur subdens : *Ubi audierit buccinam dicit: Vah!* dictio *vah* interjectio est lætantis, aut excitantis, quod equus quasi gaudens sit, et exsultans audacter, et seipsum acuens ad bellum, cum buccinam audit : significatque Deus hoc differre equum ab aliis animalibus : alia namque dum audiunt buccinam fugiunt, aut certe terrefiunt; sed equus quasi agnoscens se natum ad bellum, hoc ipso quod buccinam audit, seipsum ad illud excitat, et, ut dixit Aristoteles lib. III *Ethic.* cap. VII, fervidus fit et ardens. *Procul odoratur bellum* : præsagiunt enim, inquit Plinius lib. VIII, cap. XLII, equi bellum, tanquam rem ad quam productos se agnoscunt; unde et Virgilius lib. I *Æneid.* dicit Carthaginenses terram effodientes, et equi caput invenientes, illud tanquam belli augurium accepisse; aitque patrem Anchisem, cum quidam illi narraret se quatuor equos in gramine vidisse, tanquam belli omen interpretatum visionem dixisse :

Bellum o terra hospita portas.
Bello armantur equi : bellum hæc armenta minantur.

Equus animal bellicosum et animosum

Equus buccina excitatur, quam alia animalia fugiunt.

Quomodo autem ad bellum procedat equus explicat Deus dicens :

Equi ad bellum promptitudo et habilitas.

TERRAM UNGULA FODIT, EXSULTAT AUDACTER, IN OCCURSUM PERGIT ARMATIS. — Non contentus est fortitudine, quam ab auctore naturæ accepit, sed ut armatos impetat, terram ungula fodit. « Non solum, inquit S. Gregorius lib. XXXI *Moral.* cap. XIII, contra venientes inimicos non metuit, sed et in eorum occursum pergit: » vires quoque resumit, et seipsum fortiorem reddit, dum prius terram ungula fodit. Hoc namque legitimi validissimique equi proprium est, dum inimicos impetere parat, terram prius ungula excavare; a quo *caballi* nomen apud Latinos, Hispanos, Italos Gallosque sortiri visus est. Quod et annotavit Virgilius lib. I *Georg.*:

Cavatque
Tellurem, et solido graviter sonat ungula cornu.

Equus unde *caballi* nomen acceperit.

Hanc autem pedum concitationem et excavationem terræ quidam ad generositatem magnitudinemque animi referunt. Ita Nemissianus cecinit :

Nec pes officium standi tenet, ungula terram
Crebra ferit, virtusque artus animosa fatigat.

Similiter et Ovidius :

Quam tumidus, quantoque venit spectabilis actu,
Compescitque solum generoso concita pulsu
Ungula?

De quibus videndus est Ælianus lib. IV, cap. XIX, de equo agens. Vere tamen ad quamdam naturæ inclinationem referendum est, ut per illam excavationem terræ animos sibi faciat, vires acuat et augeat, eo modo, quo qui cursum celerem aggredi vult, prius quosdam retro passus remittit, et seipsum huc illucque impellit, inde in seipso vires, agilitatem et robur acturus. Unde postquam terram ungula valide perfoderit, *exsultat audacter* : in hebræo habetur *in fortitudine*, vel *fortiter*, quasi inde se fortissimum redditum sentiens, et vires suas exacutas agnoscens. *In occursum pergit armatis*, militibus, inquam, loricatis, omni armorum genere instructis et refertis; Septuaginta legunt, ἐκπορεύεται δὲ εἰς πεδίον ἐν ἰσχύϊ, *procedit in campum in virtute*, id est, postquam terram ungula perfoderit, quasi jam inde robur et virtutem auxerit et traxerit, in arenam descendit, ut simile sit ei quod dicit Virgilius lib. I *Georg.*:

Hinc bellator equus campo sese arduus infert.

Equus vires colligit dum terram ungula ferit.

Sed difficile videtur quod in hac equi descriptione sub initium ait: *Et circumdabis collo ejus hinnitum* : quomodo enim hinnitus equi potest collum ejus circumdare? numquid ex hinnitu potest catena valida confici, qua collum ejus circumdetur et ligetur? Notum est *hinnitum* esse vocem equi, quam, quasi suam nobilem fortitudinem jactans, a longe adhuc positus emittit ad terrendum hostem in bello, quomodo dixit Jeremias cap. VIII, 16 : « A Dan auditus est fremitus equorum ejus : a voce hinnituum pugnatorum ejus commota est universa terra : » *fremitum* vocat hinnitum, quia equus hinniens ad bellum fremere videtur, et hinnitu quasi fremitu terrere. In Hebræo habetur dictio רעמה *ragmah*, quæ hoc tantum loco in Scriptura ponitur; quæ significat *tonitruum* seu *strepitum terrentem*, a verbo רעם *ragham*, quod *tonare* aut tonitruum emittere significat : generosus enim equus hinnitum tam validum emittit, ut tonitruum effundere videatur : hunc hinnitum circumdat Deus collo ejus; itaque præterquam quod equi sint robusti, videmus ipsos ad bellum ex parte natos esse, et in pericula præcipites ruere. Est furia quædam quæ illos inflammat, ita ut inter ipsos et tubas magnosque strepitus arcanus quidam consensus esse videatur : quin etiam ipsos homines audaces reddunt. Hæc quidem cum a Deo tradita sint, nequaquam vacua cœlestibus mysteriis erunt credenda, ut sæpe similia, quæ Deus proposuit, explicans D. Gregorius monuit : nam si solummodo nunc de equo, quæ in cortice sonant voluisset Deus proponere, non majorem sapientiæ profunditatem ejus verba haberent; nec altius mentis ejus conceptus procederent quam philosophorum et poetarum, qui naturam, generositatem, audaciam fortitudinemque equi numeroso versu et soluta oratione mire prosecuti sunt. Quare in similibus descriptionibus in mente habenda est illa Pauli sententia I *Corinth.* IX, 9 : « Numquid de bobus cura est Deo? » utique propter nos hæc dicta sunt, quos sub typo eorum, quæ in quibusdam naturæ operibus expendit, altiori sapientiæ consilio vult instruere; consideranda igitur sunt naturæ opera, sed ad altiora mens nostra est erigenda. Nec dubium esse potest, his verbis Deum viros sanctos describere voluisse, quos, ut hic annotat D. Gregorius, sæpe *equorum* nomine et specie in Scriptura sacra depingit, ut cum ait *Habac.* III, 15 : « Viam fecisti in mari equis tuis. » Et *Zach.* X, 3, « posuit eos ut equos gloriæ suæ in bello. » Sicut enim equus ad bellum est conditus, et in mundo constitutus : « Equus paratur in diem belli, » inquit Sapiens *Prov.* XXI, 31; ita ad hoc in mundo constitutus est homo, ut bellum agat contra dæmonem, mundum et carnem; quos inimicos capitales superando victoriæ coronam assequatur : cujus propterea vita dicitur *militia*, ut *supr.* cap. VII, 1 demonstratum est.

Quomodo dicatur hinnitus circumdare collum equi.

Ex naturalium rerum descriptionibus ad altiora mysteria ascendendum.

Equus symbolum Christi militum.

Tropologice equus symbolum est sanctorum et fortium Christi militum, maxime martyrum, uti S. Gregorius lib. XXXI *Moral.* cap. X et seq. ostendit. His ergo verbis ita declaravit Dominus fortitudinem a natura insitam equo, ut simul significaverit invictam fortitudinem per gratiam infusam justo, qui *equus Dei* dicitur : huic Deus fortitudinem dat, nam *Psalm.* LXVII, 36, « mirabilis Deus in sanctis suis : Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem; » nec enim posset sine illa inimicos suos vincere. Hujus equi hinnitus vox valida est, qua magno cum gaudio exsultans se esse christianum et Christi militem ejusque evangelicam legem colere profitetur : hoc hinnitu tanquam tonitruo valido antiqui illi martyres, et eliamnum in Japonia moderni, terrebant tyrannos, imperatores, judices, imo et omnem inferni exercitum. Hunc hinnitum collo ejus circumda Deus, quia illo tanquam fune et catena valida obligat ejus voluntatem : in Scriptura enim *Exod.* XXXII, 9 et XXXIII, 3, *collum* significat voluntatem, quæ instar colli lege tanquam fune ligatur, cui ejusdem legis jugum imponitur : quam legem qui recusant vocantur *Actor.* VII, 51, *duræ cervicis*; *Psalm.* II, 3, *dirumpentes vincula*, et *projicientes jugum*. Hinnitum ergo collo circumdat Deus, quia voce, quam ab intimo pectore christianus hinniens et exsultans profert; Deus ipsum ligat et obligat : nam ex hoc ipso quo quis gloriatur se esse christianum, intelligere debet se esse obligatum ad tenendam vitam christianis præscriptam. Alioquin, « quid proderit, inquit S. Jacobus *Epist.* II, 14, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? » Unicuique animæ, cui Deus misericorditer præsidet, ante omnia fidei fortitudinem præbet, de qua divus Petrus ait I *Epist.* V, 8 : « Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide, » id est per fortitudinem quæ innitatur fidei. Hæc autem licet potissimum insit animo, tamen sicut equus suam ostendit nativam fortitudinem externis signis, hinnitu et igneo fumo, quem per nares spirat, quasi incutiens terrorem; sic etiam justus cum oportet suam animi fortitudinem et invictum robur externis signis et factis, spirans flammas ardentis zeli contra virtutum hostes, manifestat.

Hinnitus justi est professio Dei.

Fortitudo justi fundatur in fide.

Ille igitur qui pertinet ad equitatum Dei in tribus potissimum fortis ostenditur, primum quidem in velocitate currendi per viam mandatorum Dei, et consiliorum ejus, per magnos saltus quasi locusta volans, per domos et foveas transcurrens et transiliens, id est, per cuncta aspera transiens, et omnia offendicula prætervolans, ne offendat, vel in peccatum aliquod labatur, et hoc est quod dicitur : *Numquid suscitabis eum quasi locustas?* nam Deus ipse est qui sua forti inspiratione justum excitat, et facit ita currere, et saltare, et quasi volare, ut in dies proficiat, et scandalum ex periculis occurrentibus non patiatur. Deinde robur suum in bello contra inimicos domesticos, carnem scilicet et appetitus inferiores, ostendit, eorumque pravas propensiones pugnando viriliter elidit non occidendo carnem, sed eam jejuniis, disciplinis atque ciliciis domando; et hoc est *terram ungula fodere*. Contra vitia vero et concupiscentias ejusque ad internecionem magno spiritus fervore pugnandum est, et hoc est *ferventem et frementem sorbere terram*, id est, ardenti zelo sanctoque furore quidquid terrenum et vitiosum est mortificare ac penitus consumere : nam *Galat.* V, 14 « qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. » Tandem fortitudinem suam exerit contra hostes externos sive invisibiles sive visibiles, qui quovis modo virtutem sive verbis et argumentis fallacibus, sive minis et terroribus, sive vulneribus et tormentis oppugnant. Fortis autem in Domino omnia hæc quæ pavorem incutiunt contemnit,

Justus ut generosus equus velociter decurrit viam mandatorum Dei.

Justus carnem suam non occidit, sed domat.

Fortis Christi

http://www.obrascatolicas.com

miles gaudet adversis, iisque occurrit.

nec cedit gladio vel cuivis tormento, nec periculo mortis pertimescit; sed potius cum oportet alacri audacia *in occursum pergit armatis*, sicut Christus Dominus perrexit in occursum militibus qui veniebant comprehendere illum. Imo et *cum audierit buccinam dicit : Vah!* quia *Rom.* v, 3 gaudet in persecutionibus et tribulationibus pro Christo, et *Jac.* I, 2 omne gaudium existimat in varias incidisse tribulationes. Nequaquam tamen hæc fortitudo est temeraria, sed prudens et sagax, nam procul odoratur bellum, et præsagit tentationes prius quam veniant, ut se præmuniat : nam jacula prævisa minus feriunt. Et ante languorem præparat medicinam; nec suo se sensu ducit, sed libenter exhortationes ducum, et monita prælatorum auscultat, ut per eorum consilia vigor animi accrescat, confortetur cor, et ad pugnandum vires resumat.

Justi sunt quasi equus gloriæ Dei.

Talis igitur est justus, qui Dei *equus* nominatur, de quo dicitur *Zach.* x, 3 : « Posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello, » id est, quasi equum gloriosum, phaleratum et ornatum, sicut pulchre ornari solet ad bellum; *et* quæ sunt istæ pretiosæ phaleræ *nisi virtutes, quæ fortitudinem comitantur*, et animam coram Deo pulchram reddunt et hostibus formidabilem? Cujusmodi sunt temperantia, humilitas, continentia, et reliquæ, quæ terrena bona despiciunt. Unde statim subdit Propheta : « Et erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum, in prælio bellabunt, quia Dominus cum eis; et confundentur ascensores equorum; » et quid est *lutum viarum*, nisi carnis illecebræ, vanitates mundi, fallaces divitiæ, et quidquid vitiorum est fomes et materia? hæc omnia conculcant fortes in Christo, et ideo superant, et prosternunt ascensores equorum et potentes sæculi, quia Dominus est cum sanctis suis. Declarat hæc D. Ambrosius lib. I *Offic.* cap. XXXVI fortitudinis laudes decantans his verbis : « Revera jure ea fortitudo vocatur, quando unusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur, non adversis perturbatur, non extollitur secundis, et quasi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione. Quid autem excelsius et magnificentius, quam exercere mentem, affligere carnem, et in servitutem redigere, ut obediat imperio, consiliis obtemperet, ut in adeundis laboribus impigre exsequatur propositum animi ac voluntatem? » Et iterum : « Non est igitur mediocris animi fortitudo, quæ sola defendat ornamenta virtutum omnium, et judicia custodiat; et quæ inexpiabili prælio adversus omnia vitia decernat : invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates, dura adversus illecebras; quibus autem deferre nesciat, nec, ut dicitur : *Ave* dicat : pecuniam negligat, avaritiam fugiat, tanquam labem quamdam quæ virtutem effeminet. » Hæc D. Ambrosius, egregie depingens equum phaleratum gloriæ Dei, virum fortem, cui Deus insidet, cujus fortitudinem invictam in duobus generibus spectandam dicit, *primo*, ut externa corporis pro minimis habeat, et quasi superflua, magis despicienda quam expetenda ducat; *secundo*, ut ea quæ summa sunt, omnesque res, in quibus honestas cernitur, præclara animi intentione usque ad effectum persequatur.

Fortitudo probatur in sui ipsius et vitiorum victoria.

Talis itaque vir fortis optat bellum, in quo gratia Dei vincat; cupit pugnam, in qua a Domino adjutus hostem prosternat; desiderat occasionem, qua se fidelem Domino manifestet : sicut enim jurisperiti quærunt lites, quarum causa clientulos sibi commendatos defendant; et milites desiderant bellum, in quo adversus hostes prælientur, et nomen victorum ac divitias lucrentur; ita justi possunt tentationes percupere, ex quibus a se Dei auxilio victis, et honorem victoriæ, et virtutum merita et gloriæ præmia conquirant. Et quidem mentium fortissimarum indicium est, hostium incursus non timere, nec tentationum molestia tristari; quorum robur Dominus hoc loco sub figura illius mystici equi pulchre describit, ubi inter alia ait : « Terram ungula fodit, exsultat audacter : in occursum pergit armatis : contemnit pavorem, nec cedit gladio : ubi audierit buccinam, dicit : Vah! » Justus quidem, ut diximus, *terram ungula fodit*, cum tentationis tempus esse persentiens, corpus suum, ne insolescat, et hostibus se adjungat, spiritus fortitudine ferit : sic enim Paulus generosus equus, cui Dominus ad mundum peragrandum et hostes proterendos insedit, terram ungula mortificationis pulsabat, cum I *Corinth.* IX, 27 corpus suum castigabat, et in servitutem redigebat. Insuper *exsultat audacter*, quia sancta quadam elatione, aut potius spiritus magnanimitate, de imminente tentatione quasi de occasione patiendi et proficiendi congaudet : nam et ipse Paulus ait II *Corinth.* VII, 4 : « Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. » Quin et *in occursum pergit armatis* : dum enim videt se ab inimicis invadi, non fugit, non se præ affectu timoris abscondit, sed in occursum hostium advenientium ipse procedit; in cujus exemplum, uti dicebam, Dominus *Joan.* XVIII, 4 a militibus ad crucem quæsitus « processit obviam eis, et dixit : Quem quæritis? » Quin et magnus Antonius, ut in *Vita* ejus narrat S. Athanasius, a dæmonibus laniatus, et semimortuus relictus, provocabat eos dicens : « Ecce ego hic sum Antonius, non fugio vestra certamina; etiamsi majora faciatis, nullus me separabit a charitate Christi; » psallebatque dicens *Psalm.* XXVI, 3 : « Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. » Insuper et vir justus fervore charitatis accensus *contemnit pavorem*, id est, spernit sagittas hostium et jacula, dicitque in divina gratia confisus *Rom.* VIII, 35 : « Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia? » an cætera quæ sequuntur? quæ omnia, ut impotentia ad suum robur spiritus superandum, contemnit

Vir fortis optat bellum, in quo Dei gratia vincat.

Justus non fugit, sed obviam procedit hosti etiam diabolo.

Justus per sui mortificationem prælodit victoriæ.

et ridet. *Non cedit gladio*, quoniam enses diaboli jam emicantes, et ictus inferentes frangit, dum valide cuique suggestioni occurrenti resistit. Ac tandem, *ubi audierit buccinam, dicit : Vah!* nam, ut ait S. Gregorius lib. XXXI *Moral.* cap. XVI : « Cum certamen passionis sibi propinquare considerat, de exercitio virtutis exsultat, nec terretur pugnæ periculo, qui victoriæ lætatur triumpho : » sic ille, quem vide fuse ac pulchre a cap. X usque ad cap. XVII inclusive.

Deus nobis equos subjiciens, suam nobis virtutem ac bonitatem declarat.

En igitur quomodo ad instructionem nostram, omnia quæ hic per partes de equis narrantur, referre debeamus : quin etiam ex alia parte observanda quoque Dei bonitas est, in eo quod sic domet equos, ut ipsos hominibus subjiciat, et ad ipsorum ministerium accommodet. Alioquin numquid existimabimus equum, qui natura sua indomitus est, quique etiam quasi natus sit ad prælium, passurum se ita regi et tractari, nisi Deus ferociam illam insitam auferret, quo homines ipso possint uti? numquid ex nobis ipsis eum domare et tractare auderemus? Concludamus igitur Deum nobis suam virtutem declarare, quando ejusmodi audaciam equis dedit, eosque ita feroces reddidit; nobisque singulare etiam bonitatis et amoris testimonium dedisse, quando nos, qui nihil sumus, equos sic domare possumus, ut illis utamur, et patiantur ipsi se a nobis fatigari, adhiberi ad currus trahendos, et alia ministeria. Quando igitur equi se sic regi patiuntur, minime dubium est, quin Dominus ostendat, quantopere sit liberalis erga nos, idque re ipsa cognoscendum nobis exhibeat.

Vers. 26. 26. NUMQUID PER SAPIENTIAM TUAM PLUMESCIT ACCIPITER, EXPANDENS ALAS SUAS AD AUSTRUM? — *q. d.* Non tuum, sed meum opus est, quod accipiter ad calorem austri alas expandat, ut hujus veris tepore membra ejus ad laxandas plumas veteres et novas induendas concalescant. Præcipua, et maxime theologorum, Ægyptiorum mystarum, philosophorum aliorumque scriptis decantata accipitris affectio, est pennarum casus et renovatio, quam Ælianus lib. XII *De Anim.* cap. IV, quando fieri soleat, ita indicat : « De accipitribus, inquit, audire memini, solere eos antequam Nilus inundet, et agros operiat, ex pennis illas, quæ jam consenuerint, dimittere (ut rami fruticum jam arida folia) et alias novellas et elegantes producere, similiter ut arbores comam. » Tempus vero inundationis Nili ex Claudiani hisce versibus discere licet, ubi ait :

Quomodo accipiter veteres quotannis plumas cum novis commutet.

> Cumque die Titana canis flagrantior armat,
> Et rapit humores madidos, venasque calore
> Compescit, radiisque potentibus æstuat axis :

quibus verbis dies caniculares describit. Verum scire licet hoc fere tempore, nempe sub initium augusti mensis, accipitribus plerisque, quibusdam sub medium, nonnullis etiam sub finem pennas novas perfici, et multo ante veteres decidere; nempe primo vere, mense martio et aprili : tunc enim primum mutare plumas incipiunt, et veluti senectam deponere, vestemque obsoletam pennarum priorum ejicere, in quarum locum paulatim succrescunt novæ, sub finem tandem æstatis perfectionem adepturæ, ita ut in toto habitu nulla plumarum diversitas aut dissimilitudo conspiciatur. Qua vero ratione isthæc renovatio peragatur, pulchre describit D. Gregorius lib. XXXI *Moral.* cap. XVIII : « Quia, inquit, per annos singulos pennam veterem accipiter nova nascente projiciat, ac sine intermissione plumescat, pene nullus ignorat. Non autem hic illud plumæ tempus dicitur, quo in nido vestitur; quia tunc nimirum adhuc pullus ad austrum alas expandere non valet; sed illa annua pluma describitur, quæ laxata veteri penna renovatur. Et quidem domesticis accipitribus, quo melius plumescere debeant, humida ac tepentia loca requiruntur; agrestibus vero moris est, ut flante austro alas expandant; quatenus eorum membra ad laxandam pennam veterem venti tepore concalescant. Cum vero ventus deest, alis contra solis radios expansis atque percussis tepentem sibi auram faciunt, sicque capto tepore, apertis poris, vel veteres exsiliunt, vel novæ succrescunt. » Hactenus ille. Teporem autem hujusmodi renovationis istius effectricem esse causam vel ex eo liquere potest, quod quotidiano experimento venatores comprobarunt, mansuefactos accipitres ægre admodum pennas veteres cum novis commutare, nisi loco undequaque obturato ac tepente recludantur : ita Ulysses Aldrovandus lib. IV *Ornith.* ubi fuse ac docte de accipitribus disputat.

Tropologice S. Gregorius lib. XXXI *Moral.* cap. XVIII : « Quid est, inquit, *accipitrem in austro plumescere*, nisi quod unusquisque sanctorum tactus flatu S. Spiritus concalescit, et usum vetustæ conversationis abjiciens, novi hominis formam sumit? quod Paulus admonet dicens *Coloss.* III, 9 : *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum.* Et rursum II *Corinth.* IV, 16 : *Licet is qui foris est noster homo corrumpatur; tamen is qui intus est renovatur de die in diem.* Vetustam autem pennam projicere, est inveterata studia dolosæ actionis amittere, et novam pennam sumere, est mitem ac simplicem bene vivendo sensum tenere. » Hæc ille. Sicut autem fieri non potest, ut avicula novas plumas induat, nisi veteres exuat, ita impossibile est, ut quis non abjectis actuum vitiosorum vestibus, bonorum habituum, id est virtutum indumentis decoretur. Illos autem vitiosos actus solum studium abnegationis depellit, quia nemo potest quod placet abjicere, et quod delectat relinquere, nisi sibi ipsi contradicens flagello mortificationis utatur. A nobis igitur mortificationis gladio imperfectiones et superflua desideria præcidamus, ut cœlestibus desideriis ad omnem virtutem incitemur : nam hæc desideria robur ad prosequendam mortificationem adji-

Instar accipitris spiritaliter renovari debemus.

Mortificatio et abnegatio sui ad spiritus reno-

http://www.obrascatolicas.com

valionem necessaria est.

cient, et studiosarum actionum erunt initia, quibus virtus ipsa generatur, et semel genita conservatur ac crescit. Expende hic in quo Deus sapientiæ nostræ summam constituat, in renovatione nimirum accipitris, qui veterascentibus plumis, imo gravantibus et deprimentibus, ore ad austrum flantem converso, eum desuper calorem ebibit, quo, depositis vetustis plumis, in eo juventutis flore appareat, quo a parentibus fuit et cognitus et educatus. Olympiodorus in *Caten. græc.* de hac accipitris innovatione loquens : « Dicitur, inquit, accipiter versus austrum explicatis alis ferme erectus in aere consistere : » non supinus, cæterorum animalium more; sed erectus in medio aere constitutus, dimissis vetustis, primas nativitatis plumas explicat. In quo præclare totam sapientiam hominis recognoscit Rupertus lib. II *De Oper. Spir. Sancti*, lib. I *De Sap.* cap. XXI aiens : « Quid est ergo *accipitrem in austro plumescere*, nisi quod unusquisque sanctorum tactus flatu S. Spiritus convalescit, et usum vetustæ conversationis abjiciens, novi hominis formam sumit? » Ille vere sapiens, ille vere in se ostendit sapientiam divinam, qui desuper afflatus vetusta abjicit, mundana despicit, novitiam illam, in qua a Deo primum conditus est, ostendit rectitudinem, qua non humi procumbens instar quadrupedum, sed rectus Deo novus homo exhibeatur et filius. Hujus innovationis mysterium S. Gregorius supra citatus ita prosequitur : « Dicatur ergo B. Jobo : Numquid per sapientiam plumescet accipiter, expandens alas suas ad austrum, id est : Numquid cuilibet electo, tu intelligentiam contulisti, ut flante S. Spiritu cogitationum alas expandat, quatenus pondera vetustæ conversationis abjiciat, et virtutum plumas in usum novi volatus assumat? » In meditatione nimirum spiritales reddimur accipitres, ut quidquid Deo displicet abjiciamus, et virtutum gloria tanquam recentium plumarum vestitu circumdemur. Porro accipiter, ut Ælianus lib. XIV, cap. XII tradit, soli a delusa antiquitate consecratus, optime proficientium ac perfectorum est typus; quod omnem vitam suam soli justitiæ consecrant, et fulgori ac calori divini amoris se dicant : hi namque more accipitrum alas vehementiorum affectuum ad austrum ventum calidum, nempe ad Spiritum Sanctum expandunt; non tam ut veteres pennas et pristina vitia, quæ jam abjecerunt, deponant, quam ut ad modum vulturum, qui vento calido fœcundantur, ex divino illo Spiritu nova perfectionis desideria concipiant.

Vera sapientia in sui ipsius renovatione consistit.

Accipiter typus proficientium et perfectorum.

Vers. 27, 28, 29 et 30.

27-30. NUMQUID AD PRÆCEPTUM TUUM ELEVABITUR AQUILA, ET IN ARDUIS PONET NIDUM SUUM? IN PETRIS MANET, ET IN PRÆRUPTIS SILICIBUS COMMORATUR ATQUE INACCESSIS RUPIBUS. INDE CONTEMPLATUR ESCAM, ET DE LONGE OCULI EJUS PROSPICIUNT. PULLI EJUS LAMBENT SANGUINEM : ET UBICUMQUE CADAVER FUERIT STATIM ADEST. — In eodem genere rapacium volucrum aliud profert exemplum divinæ solertiæ, quæ aquilarum generi illam indidit naturam, ut alta peteret; neque tamen quæ longe distaret præda in depressis terræ locis aquilinos lateret oculos aut ungues effugeret; quod dum facit aquila, divino non humano obsequitur imperio; a quo id accepit, ut inclinationem habeat et impetum ad ardua, et non nisi in præruptis atque inaccessis scopulis aut sublimissimis arboribus nidificet : idem propheta Jeremias innuit dicens cap. XLIX, 16 : « Si elevaveris ut aquila nidum tuum, inde detraham te. » Solerter admodum hoc faciunt, quo nempe, ut affirmat Philosophus lib. IX *De Nat. animal.* cap. XXXII, ab animalium cæterorum insidiis tutæ degant, neve serpens aut aliud animal noxium veneno aut strage prolem enecet, atque ne corporis mole sublimem aera subituræ impediantur, cum difficulter a terra tollantur : præterea, ne cum aliis avibus rapacibus quid commune habeant, prout silvestris ac solitaria feraque earum natura est. Ab omnibus enim hominum ædificiis atque ab aliarum avium rapacium nidis semota procul affectant loca, cum ut pulli, sicut diximus, extra omnem periculi metum degant, tum ne ob loci propinquitatem cum aliis de præda contendendum sit, multæque mutuæ sustinendæ molestiæ. Ita Aldrovandus lib. I *Ornith.* ubi plura vide de aquilæ volatu, ingenio, victu aliisque proprietatibus : inter quas cum etiam illa censeatur, quod cadavera et exanima corpora non tangat; hic autem et in evangelio *Matth.* XXIV, 28, dicantur aquilæ cadavera sectari : « Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ; » accommodum utrique reconciliando loco, et veritati historiæ naturalis maxime consonum erit, existimare cum Aristotele lib. IX *Hist. Animal.* cap. XXXII, aquilas, quæ cadavera sectantur, vulturinas esse, et vulturis speciem referre, dubii nempe inter hunc et illam generis. Unde et *sub aquilæ* latinis et ὑπάετοι vel γυπάετοι, id est, *vulturinæ aquilæ*, græcis dicuntur, nempe degeneres et victu inertes. Hac itaque ratione cum D. Chrysostomo hom. 49 *in Matth.* cap. XXIV, *vultures* cum Evangelista et ipso Deo apud Jobum hoc loco *aquilas* vocabimus; utroque modo apte, cum utriusque naturam referant.

Aquilæ natura et nidificandi ac victus ratio.

Quod ad potum vero attinet, Aldrovandus aliique tradunt aquilam sine ullo potu vivere : siti enim superior, et inaudita fortitudine temperantiaque in victu præsertim prædita, fontes minime quærit, nec pulverulentas volutationes, ut Ælianus, nec arenam ejus firmitudo desiderat, ut Suidas ait, neque siti nisi frigore victa, laboris allevationem extrinsecus objectam exspectat, et aquas et requiem præclare contemnens. Sunt qui existiment, inter quos est Suidas, eam idcirco aquam non bibere, quod ad potum sanguis eorum animalium quæ ceperit ipsi sufficiat. Et Ægyptiis, teste Oppiano in *Ixeut.* placuit, aquilas non aquam, sed sanguinem bibere seu sorbillare; quod ne cui dubium relinquatur, irrefragabili ipsiusmet

Aquilæ sine potu vivunt.

Dei auctoritate adstruitur, de aquila ad Jobum hoc loco dicentis : « Pulli ejus lambunt sanguinem. » Cæterum si forsan aliquando aquam bibisse visæ sunt, non potus sed medicinæ gratia id fecisse putandum erit, ut notat Aldrovandus.

Diversitas naturarum in bestiis a solo Deo est.

En igitur aquilas quæ sunt ad prædam natæ; et quidem ab ortu hoc habent insitum, quod sanguinem sugant : mirum sane est aves sic se pascere et alere sanguine; ea igitur natura (sapiens quilibet inferet) aliunde promanet oportet. Unde autem ejusmodi diversitas inter aves quæ ex præda vivunt et alias, nisi ex eo quod Deus illas distinxerit, nobisque suæ providentiæ signa dederit? ita ut cogamur confiteri ipsum omnia regere et disponere, avesque adeo ipsas, quomodo se non crearunt, quantum ad essentiam suam attinet, ita etiam sibi non dedisse eam inclinationem quam habent; sed eam aliunde accepisse, Deumque se illic patefacere, et providentiæ suæ notas exprimere. Sic cum eminus etiam ad plurima milliaria cadavera odorantur, ut in eam partem se vibrent, clarum fit Dominum ipsis motum quemdam arcanum indidisse : neque enim fieri posset, ut id ex sese aquilæ haberent, nisi Deus naturæ inclinationem ad id ipsis dedisset, aut in illis nescio quid, in quo se admirabilem exhibet, impressisset. Quando igitur huc et illuc oculos conjecerimus, et eam varietatem operum Dei animadverterimus, cogemur vel inviti agnoscere creatorem aliquem esse qui dominetur : nam si omnes belluæ ejusdem naturæ et inclinationis essent, providentia Dei non ita appareret. Quapropter ex tam diversis bestiarum naturis hoc capite propositis discamus non esse cæci, sed divinam in iis potentiam ac providentiam contemplemur adeo manifestis sese indiciis prodentem, ut si modo oculos aperiamus, latere aut ignorari non possit.

Aquila typus hominis contemplativi.

Mystice per *aquilam* significatur ea anima, quæ dono contemplationis est prædita; hæc autem non ad præceptum hominis elevabitur, sed manu et potestate Domini in tanta sublimitate statuetur *Isai.* LVIII, 14 : « Sustollam te, inquit, super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui : » ad hoc enim in altum erigitur, ut amoris ardentissimi suavissimo cibo pascatur. « Ad præceptum Domini in arduis nidum ponit; » quia in rebus supernis consilium ac desiderium figit. « Non vult se in ima dejicere, inquit S. Gregorius lib. XXXI *Moral.* cap. XIX, non vult per abjectionem conversationis humanæ in infimis habitare : in petris manet, et in præruptis silicibus commoratur atque inaccessis rupibus : » quoniam dum illa elevatio perseverat, veluti se in tuto positam, ne telo dæmonis feriatur, ne tentatione aliqua illidatur, agnoscit. Deo tamen sic ordinante ad terram redit, et humanos affectus sentit, ne de se aliquid supra se putet, et propriæ fragilitatis memor, humilitatem et sui contemptum servare curet. Quare benignissima Dei dispensatione quasi ab illa altitudine deturbatur, ut in vera altitudine, scilicet in humilitate et in omni virtute servetur. Hinc tropologice aquila etiam quemvis sanctæ Ecclesiæ operarium designat; et merito sane, quoniam universarum avium regina exsistens, ejus vitam exprimere debuit, quæ inter vitæ spiritualis partes præcipuum et plane regium locum obtinet. Hæc ergo vita, aut hujus vitæ amator et cultor, cum inter homines utilitatis eorum causa conversatur, non propria voluntate illectus, sed divino jussu vocatus, statutis diei horis in cœlestium rerum contemplationem effertur; in sanctorum stabilitate commoratur, angelorum proprietates mentis oculis lustrat, et divinas perfectiones attente considerat; non tamen ita contemplationis jucunditate absorbetur, ut penitus inferiora contemnat : quinimo inde contemplatur animarum escam, ut eam a manu dæmonis rapiat; et commiserationis oculis eos prospicit, quos per ubjectionem vitæ longe a se positos esse cognoscit. *Pulli ejus*, hoc est filii ejus spirituales, quos verbo prædicationis Christo genuit, *lambunt sanguinem*, dum Salvatoris passionem meditari docentur, et ejus purissimo cruore satiari. Ipse vero qui istos genuit perfectiori cibo divinitatis pastus, ejusdem divinitatis amore, velut alter Tobias cap. II, 3 : « Qui exsiliens de accubitu suo, relinquens prandium, jejunus pervenit ad corpus, » delicias contemplationis deserit, mortuos Deo et tabidos putredine peccatorum inquirit. *Et ubicumque cadaver fuerit statim adest*, omnis enim qui in peccati mortem ceciderit, non inconvenienter poterit *cadaver* vocari : quasi exanimis namque jacet, qui justitiæ vivificantem spiritum non habet.

Aquila typus vera Ecclesiæ operarii in vita mixta.

Pulli, id est filii spirituales in meditatione passionis exercendi ut lambant sanguinem Christi.

Qua de re S. Gregorii lib. XXXI *Moral.* cap. XXII, hanc expositionem confirmantis verba audiamus : « Quia sanctus quisque prædicator, inquit, ubi peccatores esse considerat, illuc anxie pervolat, ut in peccati morte jacentibus lucem vivificationis ostendat; bene de hac aquila dicitur : *Ubicumque cadaver fuerit statim adest*, id est, illuc tendit, ubi utilitatem prædicationis prospicit, ut ex eo quod jam spiritualiter vivit, aliis in morte sua jacentibus prosit, quos corripiendo quasi edit, sed ab iniquitate ad innocentiam permutando, in sua membra quasi edendo convertit. Ecce ipse, quem ad testimonium jam sæpe deduximus, Paulus cum nunc Judæam, nunc Corinthum, nunc Ephesum, nunc Romam, nunc Hispanias peteret, ut in peccati morte jacentibus æternæ vitæ gratiam nuntiaret, quid se aliud quam esse aquilam demonstrabat, quæ velociter omnia transvolans, ubicumque jacens cadaver quærebat; ut dum voluntatem Dei lucratis peccatoribus faceret, quasi escam suam in cadavere reperiret? Esca quippe justorum est conversio perversorum; de qua dicitur *Joan.* VI, 29 : *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* » Tales profecto aquilæ post apostolos, et pontifices et Ecclesiæ doctores, fuerunt sanctissimi Patres nostri religionum fundatores, qui curam suarum ovium agentes,

Spiritales aquilæ advolant ad cadaver, id est peccatorem convertendam.

S. Paulus aquila spiritalis.

Sancti religionum fundatores vere sunt

http://www.obrascatolicas.com

Aquilæ spirituales. et actionibus charitatis instantes, amore Dei ardebant, et perpetuæ orationi ac contemplationi se dabant. Talis fuit beatus Pater Dominicus prædicatorum fulgentissimus patriarcha, qui in corpore degens, et inter peccatores vivens, animo semper cum Deo et angelis loquebatur, et dies proximis impertiens, noctibus ferventissimæ contemplationi vacabat; et inter fratres humanissimus exsistens, Deo instantissimis precibus inhærebat; ita ut *Psalm.* XXIX, 6, « ad vesperum demoraretur ei fletus, et ad matutinum lætitia. » Talis aquila B. Pater Franciscus, non jam homo dicendus, sed seraph cœlo delapsus, qui tractus et detentus a turbis, compressus quoque et multipliciter attrectatus, in exstasim raptus, insensibilis videbatur ad omnia, et velut corpus exanime nil penitus sentiebat; et a suis eam actionis mensuram, quæ non suffocaret spiritum orationis, prudentissime efflagitabat. Talis item aquila B. Pater noster Ignatius, novissimo tempore datus in columnam Ecclesiæ, qui fidem ab hæreticis oppugnatam sustineret, et divinam gloriam per universum orbem propagaret: nam immensis animarum salvandarum curis circumdatus, singulis horis intra seipsum se colligebat, et an aliquid minus esset compositum coram oculis judicis cuncta cernentis minutissime examinabat. Singulis actionibus finem divinæ gloriæ actuali recordatione et humillima oblatione præfigebat: singulis in rebus, quæ sensibus objiciebantur, Deum assistentem omniaque sustentantem et vivificantem cernebat; et singulis tandem momentis in eum jacula ardentissimi amoris evibrabat. Hunc tanquam genuinus aquilæ filius æmulatus B. Pater Franciscus Xaverius, magnus totius orientis Apostolus, inter tot infidelium myriadas in ovile Christi pastoris adductas non contentus sæpissime in mentis excessum rapi, et animum in Deo, quem tantopere sitiebat, habere defixum; statum tamen ac certum quotidie seponebat tempus, quod ereptum negotiis contemplationi rerum cœlestium, et præcipue ardentissimæ meditationi vitæ mortisque Christi tribueret, ac purissimum innocentissimi Agni sanguinem ut genuinus aquilæ pullus indesinenter lamberet.

S. Franciscus seraph.

S. Ignatius spiritum habuit aquilæ cœlestis.

S. Xaverius genuinus aquilæ filius.

Aquila varie in Scriptura accipitur. Quomodo autem in Scriptura sacra vocabulo *aquilæ* aliquando maligni spiritus raptores animarum, aliquando præsentis sæculi potestates, aliquando vero vel subtilissimæ sanctorum intelligentiæ, vel incarnatus Dominus ima celeriter transvolans et mox summa repetens designetur, pulchre docet S. Gregorius lib. XXXI *Moral.* cap. XIX, ubi, sicut et apud S. Ambrosium lib. *De Salom.* cap. II et lib. III *in Luc.* cap. III et V, et S. Chrysostomum *in Psalm.* CII : vide plures aquilæ proprietates allegorice, tropologice et anagogice explicatas.

Vers. 31 et 32. 31 et 32. ET ADJECIT DOMINUS, ET LOCUTUS EST AD JOB : NUMQUID QUI CONTENDIT CUM DEO TAM FACILE CONQUIESCIT? UTIQUE QUI ARGUIT DEUM, DEBET RESPONDERE EI. — Postquam Deus ignorantiæ convicit Jobum, et suam ostendit sapientiam singularem, et in universi administratione providentiam et admirabile consilium, neque interrogatus responderet Jobus, nam, ut vides, interrogando Deus illum urgebat, addidit aliquid, non tam ut novam aliquam adduceret rationem, quam ut illum sermonis non adeo considerati, et nunc silentii, cum argumentandi modus responsionem exigebat, argueret, *q. d.* Qui Deum audebat ad disceptandum provocare, qui fit, ut ab eo tam facile victus taceat? Facilis merito hæc vocatur victoria, quæ sola commemoratione horum operum Dei constat, si conferatur cum illo sermone, qui de infinitis Dei operibus esse posset : ita etiam ad verbum ex Hebræo reddi potest, *num contendere cum Omnipotente est erudire?* id est eruditio, ut quidam Hebræi interpretantur. Hoc est, ex his quæ narravi facile congnosces, num sapienter optaveris cum Deo contendere. Vel etiam sic accipi potest, quasi dictum esset : Homo qui litem adversus Deum intendit, numquid præparat se ad corrigendum? imo potius indurat se : atqui vera nostra sapientia in eo posita est, ut nos corrigamus et emendemus, miserias nostras cognoscamus, ut in illis ita confusi simus, et earum ita nos pudeat, ut nihil aliud nobis supersit quam Deum precari, ut nos in gratiam recipiat, et nostri misereatur; en quæ sit vera hominum sapientia. Contra concludendum est, eos qui sic adversus Deum insurgunt esse penitus dementatos; sententia autem semper eodem recidet, nec sermonis ulla erit diversitas; sed eumdem habebit scopum doctrina, nempe homines non solum non satis prudentes, sed sensu ac ratione captos esse, quando sic adversus suum creatorem disceptare et contendere volunt : nam, ut sequitur,

Deus urget Jobum ut respondeat.

UTIQUE QUI ARGUIT DEUM, DEBET RESPONDERE EI, — id est, oportet non omnino tacere, sed aliquid respondere eum, qui Deum ausus est arguere, ubi nota verbum *arguit* duplici sensu accipi posse, *primo*, ut significet idem quod *redarguit*, seu reprehendit; quod egisse visus est Jobus ex concertantium sententia : etsi enim nihil carperet, ex modo tamen loquendi censuerunt illi Jobum Deo notam aliquam inurere. *Secundo*, istud *arguit* potest sumi pro *argumentatur*, et licet in ista significatione vocis hujus acceptio minus latina sit, placet tamen nonnullis interpretibus, et sic consentit cum verbis præcedentibus : *Numquid qui contendit cum Deo?* ubi Deus de *disceptatione*, non de *reprehensione* agere videtur. Cæterum hæc interrogatio et admonitio Dei non obscure docet temerarium omnino esse, velle cum Deo contendere. Quamobrem notemus, si sponte noluerimus nos emendare, et quidem ab omnibus obmurmurationibus abstinendo; et os clausum habendo, Deumque nullo modo arguere audendo, nos invitos eo pertractum iri. Postquam enim diu multumque litigaverimus, Deus satis habebit, un-

Omnino temerarium est velle cum Deo contendere.

de se de nobis ulciscatur, siquidem armabit omnes suas creaturas adversus ejusmodi insensatos, et tot habebit advocatos ac procuratores, quot sunt volucres in aere, pisces in mari, et quot sunt animalia in terra; denique ad omnia Dei opera nobis respondendum erit, si volumus ipsum arguere. Animadvertentes igitur nos ejusmodi oneri impares esse, discamus nos humiliare sub potenti manu Dei, et quietos nos continere, ac pati ut nos regat quomodo ipsi videbitur : interim si tractet nos ratione quæ nobis dura et molesta videatur, id totum æquo animo feramus, ipsumque precemur ut nos consoletur, nosque ita in suo amore confirmet, ut quidquid sit nunquam adversus ipsum obmurmuremus.

Vers. 33 34 et 35. 33-35. RESPONDENS AUTEM JOB DOMINO DIXIT : QUI LEVITER LOCUTUS SUM RESPONDERE QUID POSSUM? MANUM MEAM PONAM SUPER OS MEUM. UNUM LOCUTUS SUM, QUOD UTINAM NON DIXISSEM, ET ALTERUM, QUIBUS ULTRA NON ADDAM. — Duo hic ponenda, unum, ingenuam esse Jobi confessionem, se leviter locutum; alterum, omnes propemodum interpretes existimare verbis illis, *unum* et *alterum*, duplicem verborum lapsum a Jobo designari : nimirum alii notarunt duo illa, quod disputare cum Deo expetisset, suamque justitiam verbose commendasset; alii vero aliter. Et quidem asserta et vota reprehensione carent, modus tamen intemperans fuit; nihil ergo in doctrina, sed in sermonis modo carpitur, quemadmodum propriis in locis observatum est. Ex hoc plane liquet, perquam rarum esse, verba ita trutinare, ut lingua nihil non expensum limatumque producat. Clarissima sanctitatis lumina verbis labuntur : quid non peccent mortales linguæ licentiæ nimis assueti? Recte profecto monet Sapiens *Eccle.* V, 1, et *Eccli.* IV, 34 et XXI, 28 : « Ne temere quid loquaris. Noli citatus esse in lingua tua. Verba prudentium statera ponderabuntur; » quæ nihil aliud significant, nisi quod proverbium dicit, ut verba prius veniant ad limam quam ad linguam : *lima* verborum est ratio, est prudentia, est consideratio. Hæc ergo prius sermonem examinent, et ab his probatum os dicat, improbatum vero rejiciat; et quidem licet universas actiones hominum debeat mentis deliberatio præcedere, maxime ad loquendum requiritur, quia facillimum est lingua labi, et mentem verborum effusione distrahere. Cum igitur vir unquam possit quis tanta circumspectione linguam moderari, quin interdum per ignorantiam, aut per inconsiderationem, aut aliis modis sermone delinquat, enitendum est sanctis operibus jugiter et ferventer instare, ut illicitam locutionem bona operatio tegat, et sermonis ineptias, aliquando nobis nolentibus irrumpentes, multitudo studiosarum actionum absorbeat. Hoc remedio usus est B. Job, qui de se ait :

Jobi ingenua confessio.

Facilis lapsus linguæ.

Verba prius ad limam quam ad linguam veniant.

Bonis operibus tegendi sunt defectus locutionis.

MANUM MEAM PONAM SUPER OS MEUM, — quod ad litteram quidem nihil est aliud, quam sibi silentium indicere et tacere : de qua loquendi formula proverbiali vide quæ *supr.* cap. XXI, 5 notavimus. In arcano tamen sensus significat probis actionibus linguæ defectus operire : « usu enim sacri eloquii, inquit S. Gregorius lib. XXXII *Moral.* cap. II, in manu operatio, in ore locutio solet intelligi; *manum* ergo *super os ponere*, est virtute boni operis culpas tegere incautæ locutionis; » et infra : « Sancti, inquit, viri ante Dei oculos student culpas linguæ tegere meritis vitæ, student bonorum operum pondere premere immoderata verborum; unde in S. Ecclesia manus super os ponitur, dum electis ejus quotidie otiosæ locutionis vitium bonæ actionis virtute operitur : » hæc ille. Bonas igitur operationes Domino pro vitio incautæ locutionis non semel offeramus, ut quoniam operatio est locutione præstantior, in hoc magis eluceat nostra compunctio, quod pro levi verbo, quod vento rapitur, minus circumspecte prolato, non jam solo verbo, sed etiam actionibus solidis satisfacimus, et veniam majoris obsequii oblatione postulamus. Nec in hoc tantum sanctus vir imitandus est nobis, sed et in ratione quoque, qua ipse se a paulo liberiori et minus modesta locutione purgabat : quid enim ipse ait? *Unum*, inquit, *locutus sum et alterum* : ecce sincerissimam oris confessionem. *Quod utinam non dixissem* : ecce verissimam cordis detestationem. *Quibus ultra non addam* : ecce stabilissimum emendationis propositum. Verba ergo nostra minus cauta vere et ex animo detestemur, non quasi ex consuetudine, sed cum dolore et gemitu fateamur; et firmo proposito ab illis abstinere deliberemus : sic enim jam incaute effusa purgantur, et similia in posterum ab ore nostro removentur. Discamus igitur et nos et quidem malum, cui nimis assueti sumus, odio prosequentes reprimere : quia enim tam faciles et proclives ad male loquendum sumus, danda nobis est opera, ut ejusmodi vitium corrigamus. Ac sane non satis est cognovisse, sed ad remedium veniendum est.

Cum itaque Jobus et alii sancti prophetæ manum ori apposuerint, in eo ipsos imitemur, hoc est, cum sollicitabimur ad obmurmurandum adversus Deum, quamvis non desint nobis inventiones satis subtiles, quibus veritatem coloremus, eamque in mendacium convertamus, ei perversitati resistamus, adversus malum illud depugnemus, animadvertentes id ipsum perversum esse, et a Deo condemnari. Quomodo vero? manum ori nostro apponamus, hoc est, obicem nobis ponamus : nam instar ferocium belluarum frænandi sumus; unusquisque igitur sibi attendat. Sin vero accidat ut affligamur, aut aliud aliquod objectum se offerat, quod hunc exacerbet, alium irritet, et virulenta ira repleat, ita ut ad male loquendum sollicitemur, reprimamus nos; et si ex humana fragilitate semel iterumque exorbitavimus, ultra non addamus, neque nobis in nostris vanitatibus blandiamur. Nam quamvis speciosos prætextus et argumenta firma et valida ad cau-

Cum Deo non contendendum, sed ei supplicter obsequendum.

http://www.obrascatolicas.com

sam nostram tuendam habere nobis videamur, nihil adversus Deum valent, omniaque adeo concidere necesse est; et tandem nobis veniendum erit ad id quod superius tractatum fuit, scilicet Deum mille articulos pro uno habiturum. Caveamus itaque nobis, ne cum eo disceptemus et contendamus cap. IX, 3, sed cum Jobo victi ac pœnitentes manus illi supplices porrigamus : *manum* porro *super os ponere* gestus est agnoscentis peccatum oris et verborum, sicut manu pectori admota agnoscimus et fatemur peccatum cordis. Ah manum imponat ori et auri, quisquis turpiloquium unquam vel mutua collocutione vel auditione benevola promovit; doleat talia dixisse, ac detestetur dicta, sed iis ultra non addat; excutiat a se viperinam linguam. Paulus orbis ecclesiastes, cum post longissimam navigationem cœlo frigido ac pluvio in insula Mitylene focum strueret, eique sarmenta pabuli vice ingereret, serpens sarmentis immixtus ab igne resiluit, et Pauli manum invasit : « Et ille quidem, inquit sacer textus *Actor.* XXVIII, 5, excutiens bestiam in ignem, nil mali passus est. » Turpiloquium reptile viperinum est, quod aures invadit, et inde per omnem animum virus suum dividit : excutiat hanc viperam, qui lædi non vult; et illos ignes æternos consideret, in quibus non epulonum duntaxat aut helluonum, sed vitiosorum omnium linguæ ardebunt, guttulam in refrigerium mendicabunt; sed et guttula iis negabitur.

Turpiloquium cavendum.

CAPUT QUADRAGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus adhuc post confessionem acrius instat, arguens Jobum, quod visus sit divinæ justitiæ detraxisse; ostenditque ei potentiam suam in Behemoth et Leviathan, Jobo tandem silentium indicens,

1. Respondens autem Dominus Job de turbine, dixit : 3. Accinge sicut vir lumbos tuos : interrogabo te, et indica mihi. 3. Numquid irritum facies judicium meum : et condemnabis me, ut tu justificeris? 4. Et si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas? 5. Circumda tibi decorem, et in sublime erigere, et esto gloriosus, et speciosis induere vestibus. 6. Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia. 7. Respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo. 8. Absconde eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam. 9. Et ego confitebor quod salvare te possit dextera tua. 10. Ecce, Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet. 11. Fortitudo ejus in lumbis ejus, et virtus illius in umbilico ventris ejus. 12. Stringit caudam suam quasi cedrum, nervi testiculorum ejus perplexi sunt. 13. Ossa ejus velut fistulæ æris, cartilago illius quasi laminæ ferreæ. 14. Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit gladium ejus. 15. Huic montes herbas ferunt : omnes bestiæ agri ludent ibi. 16. Sub umbra dormit in secreto calami, et in locis humentibus. 17. Protegunt umbræ umbram ejus, circumdabunt eum salices torrentis. 18. Ecce, absorbebit fluvium, et non mirabitur : et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus. 19. In oculis ejus quasi hamo capiet eum, et in sudibus perforabit nares ejus. 20. An extrahere poteris Leviathan hamo, et fune ligabis linguam ejus? 21. Numquid pones circulum in naribus ejus, aut armilla perforabis maxillam ejus? 22. Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? 23. Numquid feriet tecum pactum, et accipies eum servum sempiternum? 24. Numquid illudes ei quasi avi, aut ligabis eum ancillis tuis? 25. Concident eum amici, dividentillum negotiatores? 26. Numquid implebis sagenas pelle ejus, et gurgustium piscium capite illius? 27. Pone super eum manum tuam : memento belli, nec ultra addas loqui. 28. Ecce, spes ejus frustrabitur eum, et videntibus cunctis præcipitabitur.

Vers. 1 et 2.

1 et 2. RESPONDENS AUTEM DOMINUS JOB DE TURBINE DIXIT : ACCINGE SICUT VIR LUMBOS TUOS; INTERROGABO TE; ET INDICA MIHI : — Septuaginta interpretes legunt, ἔτι δὲ ὑπελάβων ὁ Κύριος εἶπε τῷ Ἰὼβ ἐκ τοῦ νέφους, *adhuc suscipiens Dominus dixit Job de nube;* qua loquendi ratione etsi secundum Scripturæ phrasim tantum indicetur voluisse Deum se convertere ad respondendum ipsi Jobo, sicut *Luc.* X, 30, « suscipiens Jesus *legisperito* dixit, » etc. Græci Patres tamen hic magnam Dei benignitatem exprimi credunt; unde sic exponunt *suscipiens*, id est complectens aut complexus, quod quasi ad complectendum Jobum se Deus converterit, eo modo quo pius pater ad filium, quem aliquandiu dimisit in tribulatione clamantem, se tandem convertit, eumque complexibus suscipit. Ita Olympiodorus in *Caten.* : « Incredibilis hoc loco Dei erga homines perspicitur benevolentia : quia enim Jobus ea quæ se digna erat sanctitate disputare cum Deo recusarat, ac se nihil esse confessus erat; ideo illum rursus Deus blande amiceque compellat : Noli, inquit, silentio uti; loquere; te ipse collige; vir esto; ægritudinem pelle; animoque complexus quid respondere oporteat, viro dignam da responsionem. » Similia ibidem adferens Origenes : « Etenim, inquit, tanta Dei est benignitas, ut non judicis, sed ejus qui in judicium vocatur, personam suscipiat. Ex quo genere est et illud *Isai.* I, 18 : *Venite, et disceptemus;* nec non illud *Mich.* VI, 3 : *Populo meus, quid feci tibi?* Ecce tibi Deus Jobum præmio afficit, cum interrogat hominem, cum audit, cum ei potestatem facit respondendi, » etc. Deus ergo ex græcorum Patrum sententia quasi benigne Jobum complectens, ad loquendum cum fiducia sic excitabat dicens : *Accinge sicut vir lumbos tuos,* ubi expende quem admittat Dominus ad secum colloquendum de turbine; haud alium sane quam illum, qui exclusa feminea infirmitate virilem accinxerit virtutem; ad quæ verba Origenes in *Caten.* ait : « Nec enim qua par est dignitate cum Deo loquatur, nisi lumbis succinctis atque compressis. Non igitur Deo quisquam, prius respondeat, quam vir absolutus exstiterit, hoc est, ad spiritualem ætatem pervenerit. » Omne exuat femineum, qui de sublimi dignitatum cum Deo colloqui habet; nec prius eo accedere præsumat, quam perfectus vir exsistat. Ubi lex dabatur in monte Sina inter densissimam caliginem, inter flammarum lampades coruscantes, unus Moyses et Aaron tenebant montis cacumen, et ad turbinem penetrabant, at de gregali multitudine dicitur *Exod.* XX, 18 : « Cunctus autem populus videbat voces et lampades, et sonitum buccinæ, et montem fumigantem. »

Deus prostratos Jobi animos erigit ad loquendum cum fiducia.

Non nisi vir perfectus cum Deo de turbine colloquatur : exempla Moysis et Aaron.

Admittitur Moyses ad cacumina montis terenda, ad scrutandam et penetrandam caliginem, ad scribendam legem; verum gregalis multitudo ut infirma minime admittitur : imo in eo vita cujusvis popularis et infirmi hominis consistit, quod monti non appropiet, sed solum voci audiendæ et percipiendæ incumbat. Unde pulchre D. Nazianzenus *Orat.* 29 : « Primum, inquit, ex ipso Moyse audio quo tempore oracula ei Deus edebat, quamvis ad montem multi acciti essent, inter quos Aaron etiam erat cum duobus filiis, iisque sacerdotibus; tamen cæteros omnes eminus adorare jussos esse, Moysem autem solum ad eum propius accessisse, populum vero ne simul quidem ascendisse. Atque alios fulgura, tonitrua, tubarum clangor, et mons fumo circumfusus, et horrendæ comminationes atque hujusmodi terrores deorsum sistebant; adeo ut ipsi præclare secum agi arbitrarentur, quod vel solam Dei vocem audirent. » Expende in quo præclarissimum beneficium populares homines acciperent, nimirum, quod solam Dei vocem audirent : nunquam enim tutum fuit, sed maxime timendum homini infirmæ virtutis aliud quid sublimius spectare, quam ut vocem audiat et percipiat pastoris divini. Cave igitur tibi, quisquis adhuc infirmus es, qui nondum virili et perfecta virtute viges, ne velis in potentias Domini introire : mirum enim erit, si inter magnalia Dei non pereas, ubi montis caligo et turbo adeunda sunt, non ovis accedat, sed pastor; non populus, sed Moyses; non femina, sed qui perfecta et virili virtute insigniuntur. Atque hoc est quod ait Dominus ad Jobum : « Accinge sicut vir lumbos tuos, » id est, præsta te virum, ut mihi valeas respondere. In Hebræo est גבר *geber*, quod vocabulum innuit *virum fortem* ac strenuum; et certe talium est proprium accingi; unde *milites accincti* dicuntur generosi ac strenui, qui et decus et gloriam inclytis facinoribus et labore sequuntur, et ab ignavia refugiunt : hi *supr.* cap. XXIX, 25, a Septuaginta vocantur μεγιστᾶνες : qui sunt milites honoratiores divite balteo, ut *ibid.* notat Olympiodorus; vel ordines militares, ut vult Isidorus, in opere strenuos, in pugnando exercitatos. Hic mirum videri possit, quomodo Deus Jobum iterum modo formidabili alloquatur, et ipsum ad certamen provocet, ejusque arrogantiam irrideat, cum ipse in se prostratus fuerit. Sed sciendum, in eo Deum non loqui duntaxat pro Jobi persona, sed sine ulla exceptione universum genus humanum alloqui et erudire, *q. d.* Homines huc omnes suas vires conferant, præparent se quantum volent, omnibus suis præsidiis instructi accedunt, quid adversus me proficient? En quomodo Deus omnes magnos æque ac parvos ad certamen provocet, ut ostendat ipsos nullam virtutem, quæ sit ipsius virtuti par, adferre posse. Unde subdit :

Populo satis est audire vocem pastoris et Dei.

Non quantum fuit homini adhuc infirmo spectare sublimia

Accinctio fortes decet.

3. NUMQUID IRRITUM FACIES JUDICIUM MEUM, ET CONDEMNABIS ME, UT TU JUSTIFICERIS? — Interrogatio hæc vehemens ad hunc modum exponi potest : Tu Job conquestus es de me, quod te insontem ceciderim, et ita locutus es, ut videreris velle me coarguere, mecum in judicio disceptare, mihi in judicio quasi injusto vexatori prævalere; quod nihil videtur aliud, quam me injustitiæ damnare, ut tu tandem justus appareas : *irritum* enim *facere judicium*, est non rectum fuisse ostendere, quare judex vel iniquitatis vel ignorantiæ condemnatur, cum ejus judicium revocatur. Cum ergo Job tam aperte jactaret cupere se cum Deo de reddito adversus se judicio disputare, adeoque causæ æquitati confideret, ut Deo dicere non dubitaret cap. XIII, 18 : « Si fuero judicatus, scio quod justus inveniar.

Vers. 1.

Quid sit *irritum facere judicium.*

http://www.obrascatolicas.com

Quis est, qui judicetur mecum? Voca me, et ego respondebo tibi : aut certe loquar, et tu responde mihi : » putare videbatur se Deum in disputatione victurum; quod si faceret, et irritum Dei judicium se esse facturum, et eum condemnaturum. Acutissime igitur Deus hoc incommodo gravissimo urget eum. Sed minime putandum est Jobum id aperte sensisse, voluisseque Deum condemnare, et ejus judicium non rectum fuisse ostendere : esset enim hæc impia, nefaria et sacrilega cogitatio, cum nulla possit in Deo hærere culpa, ac jure suo Satan gloriaretur sanctum virum atque adeo Deum ipsum a se in hoc certamine superatum, quo cum Deo de integerrima sancti viri pietate certabat; nec Deus postea diceret Eliphazo cap. XLII, 7 : « Non estis locuti coram me rectum sicut servus meus Job. » Hic ergo sensus Dei est, quo non sententiam Jobi piam et castam, sed liberiorem sermonis modum reprehendit : quod nimirum Deo vellet aperte resistere, cum æquitas nullo modo resistat ei; erant igitur imperita verba Jobi, licet animus minime impius esset, sed imperitus, quod non pro dignitate suam sententiam explicaret : quare Deus argumentatur urgendo incommodum, quo verba imperita esse doceat. Nequaquam vero Job tantum incommodum concederet, quia ob eam rem se insipienter locutum fuisse fatebatur, ne ad tantum compelleretur absurdum, ut justificaretur Deus in sermonibus suis, et vinceret cum judicaret, sicut dicebat David *Psalm.* L, 6.

Job non impie de Deo sentit, sed imperite locutus est.

Vim prodit ille dicendi modus : « Numquid irritum facies judicium meum? » irrita quippe fieri solet crudelium ac iniquorum judicum sententia, uti diximus, eorum actus a superveniente judice infirmantur ac rescinduntur, quasi dicat Deus : Profecto non is judex sum, qui a superiore alio juris custode corripiendus, nedum corrigendus sim; et tamen ita loqueris, ac si actus mei justa trutina perpensi, gratia tua rescindi leges-que meæ abrogari deberent : ita Stunica et Joannes a Jesu Maria. Non recte igitur quidam hunc locum explicant, dicentes Jobum putasse Deum injuste hæc inferiora administrare, deque ejus providentia dubitasse : absit a sanctissimo viro istiusmodi blasphema cogitatio, ut eam unquam in animum admiserit, aut Deum injustitiæ accusarit, quasi ab ipso sine causa affligeretur. Sed interim notemus ipsum præ dolorum magnitudine quasi extra se raptum, incondita quædam et minus limata verba, tanquam spumas quasdam interdum æstu abreptum eructasse; et quamvis patiens esset, ac perpetuo sibi proponeret Deum glorificare, ita tamen subinde perturbatum ac prostratum fuisse, ut nesciret quo se verteret, nec satis attenderet ad ea quæ dicebat. Unde videmus eum suam quam oportuit acrius causam tuendo, et se contra Deum justificare volendo, in verbo lapsum, justam Dei reprehensionem incurrisse. Sed longe alio sensu Septuaginta versum hunc efferunt hoc modo, οὐκ ἀποκρινόμενος ἀπεκρίνω μοι ἢ ἵνα ἀναφανῇς δίκαιος; *an putas me aliter tibi respondisse, quam ut appareas justus?* hoc est, *q. d.* Quam aliam ob rem permisi ut tentationes te invaderent, nisi ut justitia tua elucesceret, ac vivendi ratio amorque erga Deum ipsi diabolo omnibusque hominibus usque ad consummationem mundi manifestetur?

Dei sententia a nemine infirmari nedum corrigi potest.

Jobo per incogitantiam verba quædam minus decentia excidérunt.

4. ET SI HABES BRACHIUM SICUT DEUS, ET SI VOCE SIMILI TONAS? — Brachium hic robur ac fortitudinem denotare nimis notum est quam ut egeat explicatione, ut sit sensus : An eo robore præditus es, quo est Deus? Septuaginta legunt, ἢ βραχίων σοί ἐστι κατὰ τοῦ Κυρίου, *numquid brachium tibi est contra Dominum?* in Hebræo est עַל אֵל *hhal el*, id est, *contra Deum* : sed solemne est Septuaginta interpretibus Dominum cum Deo confundere. Cæterum licet etiam vertere, *brachium quale Dei est?* alia Dei potentia, alia hominis; nulla comparatio est : vox porro Dei est tonitru; quis potest tonare sicut Deus? indicat autem Deus per tonitru singularem potentiam suam, maxime cum cedros frangit, cervas parturire facit, et alia opera insignia edit superius commemorata. Hic ergo nobis ostenditur, quid nos præ Deo simus, ut loquacitas nostra reprimatur, ac sane hoc est quod homines ad humilitatem debet adducere, cum suam conditionem respiciunt, tum etiam quæ sit gloria et majestas Dei cognoscunt : nam si homines se duntaxat respiciant, sibi semper aliquid attribuent, seque vana fiducia efferent; sed cum oculos in altum tollunt, et Deum contemplantur, ac postea in se descendunt, ecce illos penitus prostratos. Certe si homo brachium suum intueatur, imo vero omnes mundi vires, quid in ipsis inveniet præ immensa illa potentia infinita, quæ in omnia dominationem et imperium obtinet? Verum quidem est satis stultitiæ in homine futurum, et vires suas magnas esse putet, cum non longius aspectum suum proferet; sed statim atque Deus se exerit, cætera omnia concidant necesse est. Cæterum quantum attinet ad id quod hic additur : *Et si voce simili tonas*, verum est homines nimis alta voce interdum clamare, sicut animadvertitur ipsos linguas suas acuere ad blasphemandum adversus Deum et eum detestandum, juxta illud Psalmistæ *Psalm.* LXXII, 8 : « Iniquitatem in excelso locuti sunt : posuerunt in cœlum os suum : et lingua eorum transivit in terra. » Ecce igitur homines qui strepitum quidem edunt; sed Deus tamen ipsis, quando illi videbitur silentium imponet. Et certe quando tonitru facit, ut reboent montes, aer horrisono sonitu findatur, terra tremat, arbores commoveantur, scopuli expavescant; quando illa omnia audimus, quis nostrum amplius sibi sumat adversus Deum loqui? habet enim vocem quæ nobis silentium imponet. Alto et pleno gutture vociferemur, invitis tamen nobis Deus audietur, et omnes nostræ murmurationes concidant oportebit : quamvis enim Deus

Vers. 4. Brachium pro fortitudine ponitur.

Tonitru est vox Dei.

Vires humanæ nullæ cum Deo comparatæ.

Frustra vocem adversus Deum attollimus.

non tonet eo modo, nobis tamen declarans suam voluntatem, os nobis claudet, omnesque adeo nostros clamores exstinguet, et quam vox sua formidabilis sit ostendet.

Vers. 5.

5. CIRCUMDA TIBI DECOREM, ET IN SUBLIME ERIGERE, ET ESTO GLORIOSUS, ET SPECIOSIS INDUERE VESTIBUS. — In Hebræo est, *ornare nunc magnificentia et altitudine, et majestate decoreque induaris*, quod Septuaginta sic transferunt, ἀνάλαβε δὴ ὕψος καὶ δύναμιν, δόξαν δὲ καὶ τιμὴν ἀμφίασαι, *assume nunc altitudinem et virtutem, gloriam vero et honorem induere* : dicimur etiam indui decore vel ignominia, nam quare ornamur aut dedecoramur, ea eleganter indui dicimur. Utriusque siginificationis exemplum habemus in Psalmis, ubi *Psalm.* XXXIV, 26, inimicis quidem suis optat David ut « induantur confusione; » Deum vero *Psalm.* CIII, 1 introducit « decorem indutum, et amictum lumine sicut vestimento. » En quomodo Scriptura de Deo loquitur, quin potius res ipsa clamat : quid enim cœlum, nisi sedes Dei? quid sol, nisi tabernaculum ejusdem? quid ipsa denique lux, nisi pallium regale, quo Deus amictus est? ita ut cogamur ad reverentiam moveri et affici, quando creaturas contemplamur : nihil enim est quod non inserviat ad ornandam Dei majestatem, ut ipsa, prout par est atque meretur, a nobis adoretur. Nunc ergo, ut cum Deo congrediamur, et singulare certamen suscipiamus, similia primum conquirere jubet ornamenta : quis autem phrygio aut sartor ejusmodi texere poterit? valde igitur dementati sint homines oportet, cum eo usque excæcantur, et seipsos obliviscuntur, ut adversus Deum obmurmurent, seque ipsi adversarios constituant, et eum adversus se irritent et provocent. Hoc est quod nobis hic insinuatur, dum Job nimis temere cum Deo congredi voluisse convincitur; pulchre autem Deus, postquam ad certamen accingi Jobum jussit, similibus quoque secum ornamentis instructum esse cupit, ut paribus veluti armis et æquo marte ex agonali lege decertet.

Qua ratione dicamur indui decore vel ignominia.

Decor et lumen dicuntur Dei vestimenta.

Simili fere ratione David *Psalm.* XLIV, 4, in *Cantico pro dilecto*, simul atque introduxit Dei Filium tanquam ducem et imperatorem ad bellum se accingentem, pro sponsa dicente : « Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime; » statim ornamentorum quoque subintulit mentionem, immediate subjungens : « Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna; » ubi docti notant *gladium*, de quo prior fit mentio, designare fortis animi vim et excelsitatem, et eumdem mox vocari *pulchritudinem*, ut virtutem ipsam matrem esse venustatis et speciosissimæ dignitatis intelligamus. Vera enim et glorianda pulchritudo manat a virtute, qua speciosius nihil dici potest; et proinde prisci sapientes, cum fortitudinem summam esse virtutem putarent omniumque pulcherrimam, ejus nomen omnium virtutum generi imposuerunt : nam ἀρετὴν, hoc est *virtutem*, deduxerunt ab ἄρης, a *Marte*, belli genio, et apud profanos clarorum facinorum deo; in quo maxime constantiæ lux et pulchritudo emicaret. Quæ quoniam in humanis rebus boni decus et magnum instar obtinet, propterea factum est, ut quod est forte, non modo pulchrum, sed idem nominetur et bonum : sic bonus miles apud varias nationes dicitur strenuus, audax, bellicosus. Hac ergo pulchritudine, decore ac gloria, quæ a virtute promanant, haud dubie Deus Jobum hic indui præcipit. Pulchre versum hunc et præcedentem Pellegrinus noster *in Matth.* cap. I, parad. 8, B. Virgini sic applicans : « Eamdem, » inquit, proponamus conditionem Virgini, dicamusque : « Si habes brachium sicut Deus, et simili voce tonas, in sublime erigere, et esto gloriosa. » Profecto inveniemus utrumque, *habet* nempe *brachium sicut Deus* : « Quia brachium Dei Christus est, » inquit S. Augustinus lib. I *De Cons. Evang.* cap. III, et simul etiam *simili voce tonat;* quia Dei vox prima et præcipua non alia fuit, quam illud celeberrimum *fiat*, quo moles universitatis amplissima exstructa fuit; et Virgo per illud *fiat*, quo cœlesti nuntio responsum dedit, exstruxit digniorem non terrarum, sed gratiarum orbem, id est Christi humanitatem. Habet igitur et brachium sicut Deus, et simili voce tonat, cui ideo dicitur merito : « Circumda tibi decorem, et in sublime erigere, et esto gloriosa. » In hoc autem laudum et gloriarum capite collocatur, quia Dei mater est.

B. Virgo quia habet brachium sicut Deus, et simili voce tonat, ideo gloriosa.

Christi arma et ornamenta qualia?

6-9. DISPERGE SUPERBOS IN FURORE TUO, ET RESPICIENS OMNEM ARROGANTEM HUMILIA. RESPICE CUNCTOS SUPERBOS, ET CONFUNDE EOS, ET CONTERE IMPIOS IN LOCO SUO. ABSCONDE EOS IN PULVERE SIMUL, ET FACIES EORUM DEMERGE IN FOVEAM : ET EGO CONFITEBOR, QUOD SALVARE TE POSSIT DEXTERA TUA. — Tota vis hujus ratiocinationis brevi hoc syllogismo comprehenditur, *q. d.* Ille solus potest cum Deo de justitia aut de potenti virtute contendere, qui æquale cum illo brachium seu potentiam habet : atqui tu, o Jobe, non habes potentiam Dei parem; ergo non potes cum eo certare, neque tuam adversus illum innocentiam seu justitiam tueri. Argumentum hoc Dei Jobum carpentis et ironice irridentis argutum et lepidum est; vis autem rationis ex eo perspicitur, quod nemo alium ad duellum provocat, qui paribus aut certe majoribus se viribus aut dexteritate pollere non censeat. Quod adeo certum ac testatum est, ut vix credi possit quemquam in certamen descendere, qui ea opinione saltem seductus non accedat; quod cum plane verum sit, eo ipso quod Jobus se cum Deo congredi optare asseruit, pares ac divinas vires se habere non sane credidit, at credere seu jactare visus est. Sed vexatio, ut diximus, verba minus limata extorsit, mens casta piaque permansit. Quare Deus, ut hanc Jobi licentiam loquendi reprimeret, et imperitiam corrigeret, quædam illi proponit, e quibus possit virtutis atque potentiæ suæ experimentum capere,

Vers. 6, 7, 8 et 9.

Deus ostendit Jobo quam temere se jactaverit cum Deo velle judicio contendere.

http://www.obrascatolicas.com

antequam temere jactet se cum Deo velle contendere, *q. d.* Tunc, o Jobe, in judicio priores partes tibi concedam, et triumphali more efferri gloriose patiar, et pretiosis indutum ornamentis in altum attolli, cum eamdem mecum in tonando et fulminando potentiam ostendes; cum superbos spiritus in furore tuo disperges et deprimes, et eorum potentiam, quam ipsi tanti faciunt et amant, inanem esse ac futilem demonstrabis. Tunc enim ostendes te aliquid habere divinum, si quotquot in orbe superbo sunt animo, solo tantum oculorum conjectu confundas et deprimas, et impios in eodem loco, in quo immoderate superbiunt et exsultant, exstinguas, et in sepulcrum ac foveam, tanquam ignobilis turbæ, illorum cadavera ignominiose conjicias. Hæc ego nullo obnitente ac retardante facio; quod si tu, o Jobe, præstare potueris, tunc tibi in tua causa disceptanda victoriam concedam, ex te innocentem iniquo judicio damnatum esse confitebor.

Dei proprium est superbos deprimere.

Hic autem semper est ea comparatio quam jam attigi, ut nempe, cum quid sit Deus ejusque natura et officium cognoverimus, vicissim nos intueamur, ut id ex una parte Dei gloriam incomprehensibilem, ex altera tot miserias, quæ in nobis sunt, magis elucere faciat. Cæterum nobis hoc in loco significatur Dei munus esse, solo suo aspectu omnes superbos in abyssum præcipites mittere, et improbos exterminare; cumque regnare et triumphos suos agere videbuntur, eos de terra deletum iri: « Aspexit, inquit Habacuc cap. III, 6, et dissolvit gentes, » vel, ut est apud Septuaginta, *liquefactæ sunt gentes.* Quando nimirum placet Deo mundum punire nequitia pollutum, magnis sceleribus contaminatum, ad nutum æstuantis oculi ejus defluunt gentes, montes liquefiunt, terra dehiscit, cœlum ut liber involvitur, natura tabescit. Nunc vero an idem possint efficere homines? numquid aspectu præditi sumus, qui hostes nostros abolere, et in primis improbos exstinguere et delere possit? hoc itaque cum non possimus, nequaquam nobis cum Deo congredi aut disceptare tutum aut consultum esse intelligamus. Ubi notanda est doctrina quædam singularis, cum ironice nobis exprobrat neminem posse se suis viribus servare: id enim ostendit, nos nobis omnibusque adeo virtutibus nostris diffidere debere; nosque ita deprimi oportere, ut nullum, nisi in ipso solo, præsidium et quietem habeamus. Denique ostendit, Deum immanes quasdam cum in mari tum in terra creasse belluas, quæ nobis terrorem incutere debeant, ne amplius tantopere nos in ipsum insurgendi titillet desiderium. Diserte vero mentio fit *Behemoth*, de quo subdit :

Dei gloria nostris miseriis opponderanda.

Vers. 10. 10. ECCE BEHEMOTH, QUEM FECI TECUM, FOENUM QUASI BOS COMEDET. — Quoniam hæc difficilia sunt, mysteriaque divina continent, ante omnia hic investigandum, quid per nomen *Behemoth* intelligatur; omnes quidem tam græci quam latini Patres et auctores summo consensu intelligunt nomen *Behemoth* esse nomen plurale apud Hebræos, quod græce θηρία, prout Septuaginta transtulerunt, latine *bestias* sonat; quid autem harum bestiarum nomine significetur, varie ipsi declarant. Quidam enim ex græcis Patribus, ut tradit D. Julianus in *Caten. græc.*, creduntsignificare similitudinem vermium, qui ipsi S. Jobo adhærebant, quos, propter voracitatem et edacitatem carnium illius, *bestias* vocat Deus, qui quoniam tantum comedebant carnem illius, quam *fœni* nomine intelligendam dixit Deus *Isai.* XL, 6, et ejus solam pulchritudinem devorabant, animam autem ejus et spiritualem illius pulchritudinem non solum non absumebant, sed splendidiorem reddebant, dicuntur *comedere fœnum* : quod et Olympiodoro non displicuit. Alii itidem ex græcis, ut idem Olympiodorus in eadem *Caten.* recenset, *bestiarum* nomine dæmonum innumeram multitudinem intelligunt, quos David *bestias* vocat dicens *Psalm.* LXXIII, 19 : « Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, » quod ex professo prosecutus est Origenes hom. 16 *in Levit.*; secundum quem sensum voluit Deus indicare magnam dæmonum congeriem, et ingentem exercitum eorum fuisse, qui ad B. Jobum expugnandum processerunt : ita etiam censent aliqui ex latinis, ut Cajetanus ad hunc locum, imo et D. Augustinus lib. XI *De Civit.* cap. XV, et seq. : item lib. XI *in Gen. ad litt.* cap. XX et seq. Alii nomine *Behemoth* absolute intelligunt *Satanam*, quem Deus in plurali vocet *bestias* : quia etsi ipse unus sit, omnium tamen bestiarum feros et immites mores continet : ita ex Græcis Origenes, Olympiodorus, Gregorius Nazianzenus, Athanasius, Didymus in *Caten.*; et ex Latinis S. Augustinus supra citatus, Gregorius ad hunc locum, Isidorus lib. VIII *Ethic.* cap. XI, Urbanus papa *in Psalm.* L et alii. Multi nomine *Behemoth* intelligunt *bestiam* aliquam *terribilem*, in qua tanquam in typo et figura coram oculis nostris exprimeret Deus diaboli tyrannidem, nequitiam, fraudes, fallacias, machinas : ita S. Chrysostomus in *Caten.* sentit. Quænam autem sit talis bestia, difficile est explicatu : mirabiles quasdam fabulas confingunt rabbini, ut eam explicent, indignas quæ a nobis referantur, de quibus vide Hieronymum a Sancta Fide lib. I *Contr. Jud.* cap. IX.

Quid vox Behemoth significet.

Alii qui per Behemoth vermes intelligunt.

Alii dæmonum multitudinem.

Alii Satanam.

Denique D. Thomas *in Job.* cap. XL, lect. 2, omnium optime nomine *Behemoth* ait circumscribi *elephantem*; cujus passim sententiam sequuntur omnes Latini. Hujus autem appellationis congruentia, cur plurali nomine *Behemoth* sive *bestiæ* vocetur, passim ea traditur, quia unus cum sit, omnium bestiarum in se claudit quantitates et qualitates : quantitates quidem, quia, ut Aristoteles lib. IV *Hist. Animal.* cap. IV, et Plinius lib. VIII, cap. I, dixerunt, est omnium animalium maximum : cujus ingentem magnitudinem Ælianus lib. I, cap. II et XXXI describit : qualitates autem et proprietates, quia, ut *ibid.* Aristoteles indicat, habet dentes fortissimos sicut leo; quos eboris

S. Thomas intelligit elephantem; et cur is Behemoth vocetur.

Elephas habet qualitates

natura demonstrat; cornua valida sicut taurus, non a capite, sed ab ore procedentia; serpentis agilitatem in proboscide aut tuba, quam huc illucque versat, ideoque *anguis* a quibusdam vocatur; lupi et ursi voracitatem, nam ingentem cibi copiam absumit : cervorum vivacitatem, cui Aristoteles ducentos annos vitæ concedit, Plinius trecentos, Strabo quingentos; tigridum iram et furorem, summe enim excandescit in offendentes; ovium mansuetudinem erga pastorem suum, quem ut superiorem agnoscit et reveretur. Qua de causa Ælianus lib. I, cap. XXXIX, duplici corde et sensu illum præstare confirmat, quorum uno ira accenditur, altero mitigatur, ut vere nihil aliud elephas esse videatur quam congeries quædam bestiarum. Idcirco igitur ab Hebræis recte dictus est *Behemoth*, id est *bestiæ*, juxta eorum phrasim, qua rem aliquam supremam naturas inferiorum continentem nomine plurali illarum appellare solent : est enim elephas animantium terrestrium maximum, quasi belluas omnes gregatim repræsentans. Mens autem Dei animal grande describentis est, Jobum urgere, ut consideret divinam potentiam in animantis mole immani, altiusque humilitatis ei sensus imprimatur, quo ediscat humanam virtutem divinæ posthabere. Illa verba : *Quem feci tecum*, sic intelligi possunt, *q. d.* Simul te et illum creavi : sexta quippe die homo reliquaque animantia terrestria condita sunt. Pro *tecum* Septuaginta vertunt παρὰ σοί, *apud te*, q. d. Tam grandem et terribilem bestiam cicuravi, ut tecum habitet tuisque usibus serviat. Dicit enim Aristoteles lib. VIII *Hist. Animal.* cap. IX, quod præ cæteris familiare animalium silvestrium sit elephas, et inter omnia animantia nullum magis ad naturam hominis accedat : quia videtur participare aliquid rationis et prudentiæ, adeo ut Cicero non vereatur affirmare, non paucas hominum nationes sensu et ingenio esse illo inferiores. Et vere talia facit, quasi rationis esset compos, quorum multa refert Plinius lib. VIII, cap. III, IV et V, ingenti admirat one digna : nam et adorare reges docentur; « quod non ideo dicitur, inquit D. Thomas ad hunc locum, quia habeat intellectum, sed propter bonitatem naturalis æstimativæ. » Postquam autem descripsit elephantis cum homine convenientiam, subjungit ejus proprietates; ac primum recenset ea quæ ad victus rationem pertinent dicens : *Fœnum quasi bos comedet* : ad litteram enim non vescitur carnibus ut leo; sed herbis, fœno, arundinibus, et aliis hujusmodi, ad modum bovis vili et obvio pabulo contentus.

omnium bestiarum.

Elephas præ cæteris animalibus ad naturam hominis accedit.

Behemoth typus diaboli.

Mystice *Behemoth*, seu elephas, est typus dæmonis, quem Deus propriis coloribus depictum B. Jobo et nobis omnibus ob oculos ponit, ejusque naturam ad vivum exprimit, ut illum non tantum deforis et superficie tenus, sed intus etiam et in cute, ut aiunt, cognosceremus. Iste sane superbus tyrannus non tantum contendit dominari in terra, sed etiam in mari; qua de causa quando cœlo expulsus dicitur, clamavit angelus *Apoc.* XII, 12 : « Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos. » Voluit ergo terram et mare tanquam sua possidere : idcirco, juxta probabilem sententiam, idolum illud Dagon *Jud.* XVI, 23, quod Philistæi tanta veneratione colebant, superius animalis terreni, inferius vero immanis piscis tenebat effigiem, qua diabolus ementitam divinitatem in terra et mari dominantem voluit exprimere. Unde sicut Deus alibi *Ezech.* XXVIII, 2, superbum Pharaonem describens, qui in terra et mari se dominari jactabat, nomine duplicis animalis expressit, unius terreni, alterius marini : « Leoni inquit, gentium et draconi, qui est in mari, assimilatus es : » ita loquens cum B. Jobo, dæmonis supremam superbiam descripturus, sub duorum animalium typo eum depingit, quorum unum primas tenet in terra; alterum, quod supremum est, in mari. Sunt autem illa elephas, quem vocat *Behemoth*, et cetus, quem vocat *Leviathan*. Observat autem hic D. Thomas, Deum quidem in cortice horum animalium naturas describere voluisse, non tamen de eis præcipue agere intendisse, sed de dæmone ipso; sicut sæpe in Scriptura sacra agere consuevit, dum secundum corticem et superficiem de re aliqua loqui incipiens, verius alteram in illa describere intendit; ideoque multa sæpe dicit, quæ rei, de qua loqui cœperat, non videntur posse convenire; quæ egregie quadrant in eam, ad quam exprimendam convertit sermonem : hujus sunt innumera exempla in Scriptura sacra, de quibus alibi. Etsi ergo de his duobus animalibus sermonem instituisse videatur, primario tamen diabolum describendum assumpsit, quod et ipsemet ita clare manifestat, ut non credam aliquam subesse posse dubitationem : nam de *Behemoth* agens, et volens explicare quisnam esset, subdit vers. 14 : « Ipse est principium viarum Dei; » quo nomine dæmonem postea descripsit *Ezech.* XXVIII, 13. De Leviathan similiter inferius agens, tandemque volens significare quisnam esset, de quo præcipue loquebatur cap. XLI, 25 : « Ipse, inquit, est rex super universos filios superbiæ, » quod soli dæmoni convenire manifestum est. « Quod ergo Veritas per seipsam exposuit, inquit D. Gregorius hom. 15 *in Evang.*, hoc aliter humana fragilitas explicare non præsumat. » Ait ergo ad Jobum Deus : « Ecce Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet, » ubi per *Behemoth* diabolum intelligendo loquitur, ut annotavit D. Augustinus lib. XI *De Civit.* cap. XV, non de productione dæmonis secundum naturam (hæc enim præcessit hominis conditionem, nam dæmon prima die creatus est, homo vero die sexta) sed de eo quod Deus dæmoni concessit, ut in mundo remaneret cum homine, toto tempore quo homo viveret super terram, ut sit sensus : Ecce diabolus, quem feci tecum, id est, cui concessi ut tecum in mundo maneret, cui et

Deus primario per Behemoth intendit nobis diabolum depingere.

Quo sensu hic dicatur diabolus mecum factus.

http://www.obrascatolicas.com

permisi ut tecum congrederetur, tecum bellum gereret, et omnes vires suas in te converteret. Non tamen propterea iniquum aliquid egi, quoniam etsi crudelis, immanis et insuperabilis hæc bestia videatur; fœnum tamen tantummodo comedit et consumit.

Diabolus potest tantum *fœnum*, id est terrena, absumere.

Quæ verba duobus modis exponi possunt, sicut et vox *fœni* duo significat, *primo* bona terrena, divitias, facultates, salutem, valetudinem corporis, et quæ ad mundi gloriam et prosperitatem pertinent; quæ omnia *fœnum* dicuntur propter inconstantiam, instabilitatem, brevitatem et modicum valorem : ita *Isai.* XL, 6 : « Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri : exsiccatum est fœnum, et cecidit flos. » De qua re videndus est D. Augustinus *in Psalm.* LXXI, et D. Gregorius *in Psalm.* CI, qui supponit neminem esse, qui nesciat quam tenera et fragilis herba sit fœnum, et quam expers fructus, qui in horrea possit congregari. Vide quoque S. Hieronymum *in Psalm.* CXXVIII, et S. Ambrosium lib. III *Hexaem.* cap. IV. Juxta hunc sensum igitur vult Deus respondere querimoniis B. Jobi, ut notat Philippus, dicens, quod quamvis ipse tradiderit eum in manus inimici, solummodo potuisse illum bona temporalia auferre et consumere, non in perditionem ipsius Jobi, sed ut virtus animi ipsius cresceret, ac splendidior appareret, *q. d.* Verum quidem est, a me hoc esse dispositum, aut potius peculiari providentia permissum, ut elephas iste horribilis tecum ageret, in te irrueret, et totam suam rabiem contra te converteret, non tamen ad tui exitium aut interitum; qui tantum potuit substantiam et facultates tuas, quæ fœno comparantur, devorare, et solummodo vilia quæque et temporalia tua auferre; nullatenus autem potuit, me adjuvante, quæ magna et grandia sunt, scilicet animæ ornamenta, vel leviter attingere. Ex quibus explicari potest, quod Deus dæmoni dixit cap. II, 6 : « Ecce in manu tua est; verumtamen animam illius serva. » Tantum ergo potest bellua hæc externa devorare. *Secundo*, sumitur *fœnum* pro hominibus carnalibus, qui externa tantum gloria nitent, nullumque intrinsecus fructum referunt, juxta illud *Psalm.* XCI, 8 : « Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum; » et iterum *Psalm.* CXXVIII, 6 : « Fiant sicut fœnum tectorum : » ita exponit D. Gregorius hom. 15 *in Evang.* illud *Isai.* XL, 7 : « Vere fœnum est populus. » Vult igitur Deus dicere : Non est cur tu, o Jobe, tantas querimonias effundas, quod te tradiderim in manus Satanæ, et quod ei concesserim ut te oppugnet, teque sagittis suis venenatis impetat : ille namque tantum devorat et absumit homines carnales, deliciis deditos, fragiles, fœno similes, qui præsentia solum cogitant, et externam duntaxat gloriam affectant, interius autem vacui sunt robore ac virtute; non tamen vires habet contra viros strenuos, qui pœnitentiæ operibus dediti, non solum non ab eo superantur, sed illum potius facili negotio superant et devincunt. Huno sensum sequi visus est B. Antonius, qui exploratam habebat Satanæ fortitudinem, suisque monachis dicere solitus erat, illis qui recto corde Deum diligunt, vigilias sacras agunt, jejunia celebrant, orationi intendunt, non esse hanc bestiam formidandam; ut qui non solum non vincantur ab ea, sed potius egregias de illa victorias reportent : ita S. Athanasius in *Vita S. Ant.*

Dæmonis impugnatio est ex permissione Dei.

Primum ergo declarat Deus, unde procedat diaboli impugnatio, docens eam procedere ex peculiari Dei providentia permittente, ut nobiscum ille congrediatur : « Ecce, inquit, Behemoth, quem feci tecum. » Deus autem in Scriptura sacra *facere* dicitur non tantum quod directe operatur, sed etiam quod juxta sapientiæ suæ ordinem peculiariter permittit, ut cum dixit *Ezech.* XIV, 9 : « Ego Dominus decepi prophetam illum; » et *Exod.* VII, 3 : « Ego indurabo cor Pharaonis, » etc. Vult ergo dicere : Ego sum qui permisi diabolo ut tecum esset, te impugnaret, tecum manus consereret; qui sane id nunquam agere posset, nisi id ego illi permisissem, ad bonum certe et utilitatem hominis, ut dictum est. Sed sicut *Tob.* VI, 16 angelus a Tobiæ animo metum, quem conceperat ex dæmonis impugnatione, excussit, demonstrans in quos ille prævaleat : (« Audi me, inquit, et ostendam tibi qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium, ») et docuit illos esse, qui voluptati carnali se tradunt tanquam equus et mulus : ita et Deus docet dæmonem tantum prævalere contra eos qui carnalia sectantur, quos *fœni* nomine exprimit dicens : « Fœnum quasi bos comedet. » In Hebræo est חציר *hhatsir*, quæ vox significat *fœnum crassum*, quod in locis incultis nascitur, tantummodo aptum ad cibum animalium cum viride est, et ad nutrimentum ignis postquam est exsiccatum. Loquitur, ut diximus, de dæmone sub typo elephantis, quem, ut ait Strabo, apud Indos herba vel arundine viridi reficiunt; et hujus *fœni* nomine illi homines exprimuntur qui fœno similes sunt, tantum curantes carnis pulchritudinem et nitorem. Hi sunt quos diabolus expugnat, et prævalet, « qui operatur, inquit Apostolus *Ephes.* IV, 19, in filios diffidentiæ, qui seipsos tradiderunt impudicitiæ in immunditiam, » quos Deus ipse *terram* vocavit, quoniam terreni sunt, et in cibum serpentis infernalis destinavit, cui dixit *Gen.* III, 14 : « Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. » Hi ergo, qui carnalia sectantur *fœnum* dicuntur, qui dum vivunt pabulum diabolo præstant, et post mortem ignibus tradendi sunt æternis. Sequitur :

Cibus elephantis est crassum fœnum; dæmonis vero cibus sunt homines carnales.

Vers. 11.

11. FORTITUDO EJUS IN LUMBIS EJUS, ET VIRTUS ILLIUS IN UMBILICO VENTRIS EJUS. — Locus hic difficilis videtur, sed facilis evadet, si S. Hieronymi epist. 8 *ad Demetr.* et epist. 22 *ad Eustoch.*, Olympiodori in *Caten.* et S. Gregorii Nazianzeni orat. *in S. Bapt.* sententiam sequamur, et dicamus sub metaphora ab elephante desumpta, in cujus typo

In quo situm sit elephantis robur.

dæmon intelligitur, Deum pergere explanare quod explicandum assumpserat. Et quidem quamvis omnia animalia dicantur habere fortitudinem in lumbis, ut annotavit Hesychius *in Levit.* cap. III; signanter tamen per excellentiam præ cæteris elephas eam dicitur habere *in lumbis*, seu, ut Septuaginta transtulerunt, ἐπ' ὀσφύι, *super lumbo*; Aquila reddit ἐπὶ νώτῳ, *super dorso*; Symmachus ἐν λαγόνι, *in latere*; aut, ut alii volunt, ἐπ' ὤμοις, *super humeris*. Nam ut constat ex iis qui elephantis naturam describunt, ingens pondus dorso aut lumbis sustentat : dorso nudo, inquit Ælianus a Pineda citatus, tres bellatores fert, alterum dextra alterum sinistra pugnantem, ac simul quartum, qui bestiam dirigat. Quin imo certum est tantam esse fortitudinem lumborum elephantis, ut super illos turres ligneæ construantur, quibus, ut inquit Philostratus lib. II, decem aut quindecim armati homines insistunt, qui ex illis turribus tanquam ex propugnaculis in hostes jaculantur, aut arcu sagittas intorquent. Sed non egemus profanorum auctorum testimonio, cum Scriptura sacra I *Mach.* VI, 37, narret in exercitu Antiochi fuisse elephantes triginta duos ductos ad prælium, et turres ligneas desuper eos firmatas, ac protegentes super singulas bestias, et super eos machinas, et super singulas viros triginta duos, qui pugnabant desuper; et Indus magister bestiæ. Quapropter Plinius lib. VIII, cap. X, vocat humeros turritos, quia turres ferunt : et Lucretius lib. V, turrito corpore eos vocat. Ingens ergo elephantis fortitudo in lumbis, aut humeris aut dorso sita est. Quod si quæras unde tanta fortitudo proveniat, respondet :

Elephantes quanta ferant onera.

Elephantes turrigeri.

Elephantis vis quomodo proveniat ex umbilico.

ET VIRTUS ILLIUS IN UMBILICO VENTRIS EJUS. — Mirum est, quod ex umbilico ventris tanta fortitudo procedat : nihil enim debilius aut infirmius in eo reperitur quam umbilicus ventris, nam, ut Plinius lib. VIII, cap. X, ait, sicut durissimo tergo elephas est, ita ventre maxime molli; et ita refert rhinocerotem cum elephante pugnantem, alvum aut ventrem præcipue cornu petere, quem naturali instinctu novit molliorem : quod et vir ille nobilis Eleazarus observavit ad elephantem illum ingentem dejiciendum. Existimo autem *umbilici* nomine exprimere voluisse ventrem (ita Symmachus legit, ut observavit Olympiodorus in *Caten.*) non quomodocumque, sed appetentissimum cibi et potus : nam in primis animalia in utero matris per umbilicum attrahunt et sugunt alimentum, quo nutriantur, augeantur et roborentur; unde communi locutione, quem videmus cibi appetentissimum, et comessationibus deditum, dicimus valido umbilico præstare. Vult ergo Deus exprimere a quonam fortitudo lumborum elephantis proveniat : illa enim oritur ex eo quod valido cibi potusque appetitu præstet, multumque comedat et bibat, voracissimum enim est animal, utpote quod, ut Aristoteles lib. I *Hist. Animal.* cap IX, et Ælianus cap. XLIII tradunt, multos hor-

Elephantes quam

dei modios macedonicos quotidie edit, multasque metretas lacedæmonicas bibit. Tam avidus est cibi, ut, teste Plinio lib. XIII, cap. X, palmas excelsasque arbores prosternat, ut earum fructibus pascatur, et, sicut dixit S. Ambrosius lib. VI *Hexaem.* cap. V, nemora involvat ad sui escam, et tanto potu utitur, ut dicat Deus *infr.* vers. 18, quod fluvium absorbere videatur, ipsique montes *ibid.* vers. 15 herbas ferant. Quod multi propter voracitatem elephantis dictum credunt, cui videntur montes herbas ferre, quasi ipse solus sit qui omnes illas devoret. Fortitudo itaque hujus animalis juxta mentem S. Hieronymi, et Olympiodori et S. Gregorii Nazianzeni locis supra citatis, in lumbis est aut in dorso; super quod et turres exstruuntur, ex quibus milites validajacula emittunt; sed hæc fortitudo vim et robur accipit ex umbilico ventris, id est ex nimio cibo et potu, quem elephas nimis appetit et assumit. Unde I *Mach.* VI, 34, et ad acuendum eorum robur ostendebatur eis sanguis uvæ et mori, quem vehementissime cupiunt appetuntque.

sint voraces et bibaces.

Dæmonis fortitudo quomodo sit in lumbis sita.

Mystice his verbis dæmonem expressit Deus, cujus « fortitudo in lumbis ejus : » *lumborum* nomine caro ipsa ejusque effectus et motus designantur, ut S. Patres non solum docent, sed ex Scripturis sacris confirmant, ut S. Hieronymus epist. 22 *ad Eustoch.*, qui et varia loca expendit *in Ezech.* cap. XVI; et S. Basilius in illud *Isai.* XV, 4 : « Lumbus Moabitidis clamat; » et S. Gregorius hom. 13 *in Evang.* ex illo Apostoli *Hebr.* VII, 5, quod Levi decimatus est in lumbis Abrahæ; et ex eo quod dictum est ad Jacob *Genes.* XXXV, 11 : « Reges de lumbis tuis egredientur. » Et ita intelligit ille varia loca, quæ exponit lib. XIII *Moral.* cap. IX et lib. XXVIII, cap. VII. Origenes, Theodoretus, Basilius et Didymus ad carnis motus referunt illud *Psalm.* XXXVII, 8 : « Lumbi mei impleti sunt illusionibus, » ubi S. Hieronymus legit *ignominia* : mirum est enim quam ignominiosi motus ex carne oriantur; statim ut eos senserunt parentes primi, verecundia sunt affecti. In hujusmodi lumbis sita est dæmonis fortitudo, nam ex carne affectus excitat, quos contra animam tanquam jacula et validas sagittas expellit; unde *Luc.* XII, 35 et Christus Dominus primum hortatus est lumbos præcingere et comprimere, ut annotavit S. Hieronymus *Epist.* 22, et *in Ezech.* cap. XVI citatum, varia loca ad hoc institutum expendens : nam *Exod.* XII, 12 qui pascha facturus est, accinctis mortificatisque lumbis facere præcipitur. Et ad Jobum *supr.* vers. 2 dixit Deus : « Accinge sicut vir lumbos tuos; » et S. Joannes Baptista *Marc.* I, 6 dicitur cinctus « zona pellicea circa lumbos suos, » et *Luc.* XII, 35, apostoli jubentur accinctis lumbis Evangelii tenere lucernas. Ex lumbis igitur diabolus extrahit desideria quæ militant adversus animam; et quamvis caro in se infirma sit et imbecillis videatur, id intelligendum est ad bonum : « Non enim habitat in carne

Lumbi sunt arx et armamentarium diaboli.

http://www.obrascatolicas.com

mea bonum, » inquit Paulus *Rom.* VII, 18. Sed ad malum potentissima est, tamque valida, ut super eam diabolus machinas ac turres exstruat, ex quibus illa venenata jacula emittat, quæ S. Paulus expressit *Galat.* V, 19 : « Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia. »

Quid sit lumbos illusionibus impleri.

Et forte id quod paulo ante diximus *Psalm.* XXXVII, 8 : « Lumbi mei impleti sunt illusionibus, » potest ex hac doctrina explicari, ut *illusiones* vocet eas machinas aut turres bellicas, quas instar elephantorum diabolus super lumbos ejus exstruebat, ut ex illis tanquam ex munitis arcibus sagittas venenatas, id est inordinatos affectus et motus mitteret. Commune est enim, in Scriptura sacra *ludum* pro bellico certamine accipi, et ita *illusiones* vocari poterunt machinæ bellicæ, quibus qui utuntur, illudere inimicis contendunt. Hic ergo arcem suam diabolus statuit : « In lumbis fortitudo ejus, » aut propugnaculum, vel arx, ex qua bellum crudele indicit et exsequitur; virtus tamen, a qua pendet et procedit talis fortitudo, est « in umbilico ventris, » in nimio videlicet appetitu, et usu cibi et potus, quo roboratur caro et incrassatur, et apta redditur ut innumeros inordinatos motus excitet, quibus contra animam diabolus agat. Ex his intelligitur quod ad Jerusalem aut synagogam dixit Deus sub specie mulieris, *Ezech.* XVI, 4 : « In die, inquit, ortus tui non est præcisus umbilicus tuus; » *dies* autem *ortus* synagogæ dicitur, cum de Ægypto eductus est populus ille : tunc enim quasi formatus est peculiaribus legibus et cæremoniis a Deo institutis; cui dedit Deus Moysen tanquam nutricem, qui *Num.* XI, 12 populum illum ex Ægypto tanquam ex utero, quo tenebatur inclusus, prodeuntem reciperet et portaret in sinu suo, sicut solet nutrix infantulum portare. Volens ergo Deus indicare, unde populus ille tot mala incurrerit, unde et diabolus tantam habuerit fortitudinem contra illum agens, ut ad suprema vitia etiam idololatriæ pertraxerit : « In die, inquit, ortus tui non est præcisus umbilicus tuus : » *umbilici* nomine indicat nimiam ciborum appetentiam et usum; ab illa siquidem die, qua eductus est populus de Ægypto, cœpit tradere se comessationibus et ebrietatibus *Exod.* XXXII, 6 et II *Cor.* X, 7 : « Sedit enim populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere; » unde factum ut dæmon tantam contra eos fortitudinem adeptus sit, iisque prævaluerit, et usque ad summum illud idololatriæ facinus pertraxerit.

Malum Judæorum ex umbilico incircumciso.

Vers. 12.

12. STRINGIT CAUDAM SUAM QUASI CEDRUM : NERVI TESTICULORUM EJUS PERPLEXI SUNT. — Cum hic de Behemoth seu elephante sermo sit, difficile est explicatu, quomodo ejus cauda cum cedro comparetur : constat enim in primis cedrum esse arborem altissimam, omnes arbores superantem, ut patet ex Scripturis, et indicatur apud Ezechielem cap. XXXI, 3 et 8. Constat etiam caudam elephantis breviorem esse caudis omnium animalium, comparate loquendo : omnia enim animalia, teste Plinio lib. XI, cap. XXV, caudas habent a natura corporum suorum magnitudini respondentes : solus elephas est, qui eam habeat brevissimam, strictam, nullis pilis vestitam, adeoque ne muscis quidem abigendis idoneam; quas idcirco cutem in rugas contrahendo comprimit et occidit. Quomodo igitur possit elephanti convenire, quod « stringat (in Hebræo est חפץ *hhaphast*, quod quidam vertunt *elevat*, erigit) caudam suam quasi cedrum? » verum divina Sapientia non tam elephantis caudam quam dæmonis actiones voluit describere. Brevissima sane est elephantis cauda, et nihilominus eam adinstar cedri erigere, elevare ac stringere conatur. *Caudæ* nomine Scriptura de dæmone agens ejusdem tentationem intelligit, metaphora a serpente sumpta, qui cauda ferit, vel a scorpione, qui per eamdem venenum instillat : nam, ut Plinius ait, scorpionis cauda semper in ictu est. Nullo momento diabolus meditari cessat, ne quando desit occasioni : ita *Apoc.* IX, 10 locustæ illæ, quæ ex puteo abyssi ascenderant, « habebant caudas similes scorpionum, et aculei erant in caudis earum, » quibus varias et validas diaboli tentationes Spiritus Sanctus expressit : ita *ibid.* cap. XII, 4 draco perhibetur « cauda sua traxisse tertiam partem stellarum cœli; » quia tentatione et suasione sua multos et innumerabiles ad ima pertraxit.

Cauda elephantis brevissima

Elephantis cauda dæmonis tentationem refert.

Cauda ergo hujus Behemoth brevissima est, sed eam stringit et erigit tanquam cedrum; quia si vere attendantur bona quæ tentando promittit, ad quæ animum allicere cupit, et mala quæ tentando fugienda proponit, a quibus nos avertere conatur, brevissima sunt et decurtata. Sunt enim temporalia bona et mala, unde tam bona quibus allicit, quam mala quibus terret, brevissima sunt; illa tamen erigit et extollit quasi cedrum, et quasi suprema exhibet : quia bona, ad quæ excitat, proponit tanquam excellentia, et mala tanquam omnino intoleranda, et remedii expertia; quo fit, ut cor hominis hoc ipso stringat, et quasi ad extremas ducat angustias. Quis enim dicere potest, quomodo objiciat mulieri necessitatem, quam patitur tanquam supremam et extremam, quasi jam nullum remedium supersit, nisi illa egerit quæ ipse suadet? quis explicare possit, quomodo stringat cor hominis familiam alentis et prolem copiosam, persuadens ei nullum superesse remedium, nisi manum ad illicita extendat? Quis dicat? quomodo Judæ imposuerit ipsum non posse vivere inter homines, qui tam detestandum facinus commiserat, nec aliud tanto malo remedium superesse præter laqueum? Christum ipsum in deserto tentans hoc modo stringere conatus est, proponens ei necessitatem famis, quam patiebatur, talem esse, quam, nisi miraculum induceret, evadere minime posset; cum tamen ibi Christus

Dæmon mala et bona temporalia, cum sint brevissima, erigit tanquam maxima.

haberet quod edere posset, accommodans se loco et tempori, cibo utens quo Joannes se sustentaverat. Ita quidem tu, o mulier, attende quod vere habeas media tuæ sustentationi accommoda, labora, manuum operibus intende, alteri inservito, etc. Tu itidem homo contentus esto cibo vestituque communi, etc. Ita Hieronymus de la Nuza *Tract.* 7, ubi de jejunio et tentatione Christi agit.

Cur cedro comparetur.

Behemoth seu elephas est typus Antichristi.

Allegorice S. Gregorius lib. XXXII *Moral.* cap. XII, per *caudam Behemoth* intelligit Antichristum; tum quia in fine sæculorum venturus est, eritque ultimus qui partes dæmonis acturus sit; tum quia vilissimus homo erit, ac proinde merito cauda elephantis, inter omnes animalium vilissima et brevissima, typice adumbratur. Hic instar altissimæ cedri eriget se et extollet ope dæmonis, a quo immensas thesaurorum copias accipiat, quibus ad se homines alliciat, atque prodigiosis illusionibus seducet. Quod egregie dixit Daniel cap. VIII, 24, ut annotavit S. Gregorius loco citato : *Roborabitur fortitudo ejus non in suis viribus*, quia Satanæ virtute divitias, quibus ad se homines alliciet, obtinebit; *et interficiet*, inquit, *robustos*, id est eos qui sanctitate videantur firmati; *et in copia rerum omnium occidet plurimos*, quod de morte peccati præcipue intelligendum : innumeros enim trahet ad negandum Deum, et se adorandum : ita Daniel. Bene autem dixit Deus de dæmone agens : « Stringit caudam suam quasi cedrum, » quia per Antichristum, quem ditissimum faciet, stringet firmissime ac valide corda sanctorum : nam nihil magis cor arctat, stringit et quasi compellit ad aliquid, quam abundantissima divitiarum et omnium temporalium bonorum promissio.

Variæ expositiones.

NERVI TESTICULORUM EJUS PERPLEXI. — Mirum est sane Deum ad pudenda elephantis describenda sermonem suum demittere : certe in eo aliquod latere mysterium necesse est; idque tanto amplius credendum, quanto similibus verbis nunquam Deus in Scriptura usus fuit. In primis enim vox hebræa פחדו *phahhadau*, ut notat Brixianus, hoc tantum loco in Scriptura legitur; quæ videtur deduci a verbo פחד *phahhad*, quod significat *timere*; et quia ea quibus timemus abscondita servamus, deductum est nomen פחד *phahhad*, quod *pudenda* aut *verenda* significat, quæ abscondita propter honestatem sunt. Unde alii transferunt, *nervi verendorum ejus*; et transferre possumus, *nervi absconditorum ejus*. Deinde etiam verbum שרג *sarag* solummodo hoc in loco in tota Scriptura reperitur, quod Vulgatus transtulit *perplexi sunt*; Septuaginta reddunt συμπέπλεκται, *complicati sunt*; alii *ramificati sunt*, a verbo enim שרג *sarag* deducitur nomen שריגים *sarigim*, quod significat *palmites* seu propagines vitis; sic a perplexitate dictas, quod multis hinc et inde abundet surculis, quos *claviculos* aut *capreolos* vocamus; quia ad utramque partem quædam cornicula quasi claviculos habent, quibus palmites hinc aut inde arboris ramos apprehendant, et quasi colligatos teneant, quibus implicati adhæreant; propter quos palmes vere ramificatus est, aut perplexus dici potest. Haudquaquam sane Deo curæ fuisset tam minutim abscondita aut pudenda elephantis describere, nisi per illa aliquid altius intendisset circa dæmonem explicare. Per *nervos* igitur *pudendorum* ejus significantur dæmonis tentationes, quibus peccatum generare conatur, ipse est enim mendacii et peccati pater, auctor et genitor, porro *ramificatæ* dicuntur istiusmodi tentationes ad modum palmitum qui varios claviculos habent, ut vel ex hac vel ex illa parte mentem comprehendere et religare possint. Varia namque diabolus tentans intendit, ut si tentatio ex hac parte non apprehenderit, apprehendat ex illa, v. g. cum inducit te ut ad domum ludi te conferas, multa intendit, aut te in perjurium et furorem concitare, aut exponere ut bona tua perdas, ex quo tibi innumera mala nascantur : cum inducit ut ad periculosa spectacula accedas, intendit ut *ibid.* comparentes mulieres aut virgines concupiscas, aut detractionibus vaces, etc. Vide S. Gregorium lib. XXXII *Moral.* cap. XIII.

Nervi pudendorum significant tentationes quibus dæmon generare nititur peccatum.

Vers. 13.

13. OSSA EJUS VELUT FISTULÆ ÆRIS : CARTILAGO ILIUS QUASI LAMINÆ FERREÆ. — Hæc verba quidam de elephante dicta credunt propter dentes, qui fortissimi et quasi ærei sunt, nulla cavitate vacui; alii propter omnia ejus ossa, signanter costas, dictum volunt, utpote quæ propter duritiem et fortitudinem eximiam *ærea* vocentur. Unde Septuaginta vertunt, αἱ πλευραὶ αὐτοῦ πλευραὶ χαλκαῖ, ἡ δὲ ῥάχις αὐτοῦ σίδηρος χυτός, *costæ ejus costæ æneæ, et spina ejus ferrum fusile;* sed nec magnum quid hæc sententia continet, si de ossibus elephantis duntaxat loquatur : quare verius est Deum voluisse dæmonis ossa describere. Vocantur autem dæmonis ossa tentationes, suggestiones, machinationes, consilia fraudesque ejus, ut græci Patres docent; et jure merito, nam sicut in ossibus positio corporis roburque subsistit, ita in fraudulentis consiliis tota se ejus malitia erigit. Hæc autem *ærea* dicuntur propter obstinationem et pertinaciam inflexibilemque malitiam : ita Olympiodorus in *Caten.* : quippe indefessa est dæmonis in tentando constantia; non eum frangit temporis diuturnitas, non ilium moræ tædet, nec si iterum iterumque ac sæpius repellatur, animum despondet, aut in pugnandi contentione languet. Uti enim ossa non flectuntur, nec mollescunt, ita dæmon non incurvatur domitus, non cedit victus, non continuo fugit pulsus : musca est impudens, identidem redit, etsi centies rursumque centies abigatur. Et sicut in exagitanda et persequenda præda non fatigatur, ita etiam in retinenda impigerrimus, nulli parcit operæ : ex ejus unguibus non minus difficulter extorseris prædam, quam, ut vetus est verbum, ex Herculis manibus clavam aut a leonis unguibus semesum agnum. B. Gregorius lib. XXXII *Moral.* cap. XIV addit et aliam rationem, cur

Dæmonis ossa vocantur tentationes; et cur ærea nuncupentur.

Constantia dæmonis in tentando indefessa.

http://www.obrascatolicas.com

hæc dæmonis ossa *ærea* vocentur, quia scilicet dulciter suaviterque sonare videntur : notum est enim in Scriptura sacra *æris* nomine eloquentiam significari, quapropter, ut annotavit D. Hieronymus *in Dan.* cap. II, in illa statua, quam vidit Nabuchodonosor, venter æreus significabat Græcos, quia eloquentia ac sapientia vigebant : « Æs enim, inquit, est vocalissimum maximeque sonorum. »

Diabolus suaviter canit dum tentando decipit.

Eloquenter igitur et suaviter ad modum fistularum ærearum diabolus sonare videtur, et variis tentationibus agens quasi variis fistulis personat : in organo variæ sunt fistulæ æreæ, quas sapiens pulsator ordinatissime pulsat : primo enim personat fistula depressum sonum emittente, et subito convertit manum ad eam pulsandam, quæ altissimum acutissimumque reddit; et ita acutum sonum cum depresso temperat, ut mirum concentum reddat. Idem in tentationibus observat diabolus, quia maxima dexteritate velut insignis modulator non nudas tentationes proponit, sed suaviter sonans animum demulcet et disponit, ut placeant, et earum delectationem velut gratissimam modulationem mentalibus cujusvis auribus inferre contendit.

Fortitudo diaboli sita in subdolis machinationibus.

Unde non est dubium, ut scite hic advertit Pineda, quin ex utroque nomine tum *æris* tum *ossium* ingens diaboli fortitudo et vires significentur, non eæ scilicet, quibus alienos muros valeat confringere, sed callidæ artes et subdolæ machinationes, quibus animum blande pelliciat atque seducat. Aperit has fistulæ æris imago, qua innuitur pessimum hunc impostorem ex hominum nutu atque sententia tibia canere sive tympanum pulsare. Quod luculenter persequitur S. Gregorius lib. XXIX *Moral.* cap. XII, dum ea Jobi verba cap. XXXVIII, 24 : *Dividitur æstus super terram,* sic premit : « Recte vero etiam *dividi* æstus dicitur, quia nimirum non singuli omnibus, sed quibusdam vicinis ac juxta positis vitiis fatigantur : prius enim conspersionem uniuscujusque antiquus adversarius perspicit, et tunc tentationis laqueos apponit. Alius namque lætis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus exsistit. Quo ergo occultus adversarius facile capiat, vicinas consperSionibus deceptiones parat : quia etenim lætitiæ voluptas juxta est, lætis moribus luxuriam proponit. Et quia tristitia in iram facile labitur, tristibus poculum discordiæ porrigit : quia timidi supplicia formidant, paventibus terrores intentat; et quia elatos extolli laudibus conspicit, eos ad quæque voluerit blandis favoribus trahit. Singulis igitur hominibus vitiis convenientibus insidiatur : neque enim facile captivaret, si aut luxuriosis præmia, aut avaris scorta proponeret; si aut voraces de abstinentiæ gloria aut abstinentes de gulæ imbecillitate pulsaret; si mites per studium certaminis aut iracundos capere per pavorem formidinis quæreret. » Hæc Gregorius. Solet etiam diabolus non raro aliqua bona suadere, ut ad malum valeat pertrahere; et sic malum colore alicujus virtutis contegit, atque sub esca pietatis hamum malitiæ abscondit, de quo dicitur : « Cartilago illius quasi laminæ ferreæ; » ubi *cartilaginis* nomine S. Gregorius lib. XXXII *Moral.* cap. XVII hanc ipsius hostis nostri versutiam intelligit :

Quid per cartilaginem significatur.

« Quid enim, inquit, per *cartilaginem* nisi simulatio ejus accipitur? cartilago namque ossis ostendit speciem, sed ossis non habet firmitatem. Et sunt nonnulla vitia, quæ ostendunt in se rectitudinis speciem, sed ex pravitatis prodeunt infirmitate : hostis enim nostri malitia tanta se arte palliat, ut plerumque ante deceptæ mentis oculos culpas virtutes fingat, et inde quisque quasi exspectet præmia, unde dignus est æterna invenire tormenta : » ita S. Gregorius, qui id latissime adhibitis exemplis declarat. Postquam ergo Deus expressit, unde procedat diaboli impugnatio, et qui sint quos diabolus revincit, insuper quibus viribus et armis agat, jam tandem exponit, quonam esset gladio feriendus dicens :

Vers. 14.

14. Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum applicabit gladium ejus. — Ut superius notabamus, cœpit Deus describere dæmonem sub Behemoth aut elephantis specie; et ita quamvis aliqua dixisset quæ vere in elephantem quadrant, tamen ita sermonem ad dæmonem describendum convertit, ut difficile possint ea quæ subdit elephanti convenire, commodissime autem dæmoni aptantur, qualia sunt hæc, quæ non nisi violenter, ut D. Thomas ait, ad elephantem applicant aliqui. Quomodo enim dicitur ille principium viarum Dei? Quisnam gladius est, quem Deus applicat contra eum? dæmonem ergo, et quæ circa eum sunt, hæc verba mire describunt : dicitur enim diabolus « principium viarum Dei : » pro quo Septuaginta legunt, τουτέστιν ἀρχὴ πλάσματος Κυρίου, *hoc est principium formationis Domini* : quia inter omnes creaturas, quas Deus formavit, ille principem tenuit locum secundum naturam, et secundum dona gratiæ quæ tunc recepit. In cujus confirmationem S. Gregorius lib. XXXII *Moral.* cap. XVIII, late prosequitur illud *Ezech.* XXVIII, 13 : « Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, » etc.; et iterum *ibid.* cap. XXXI, 8 : « Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei : abietes non æquaverunt summitatem ejus : platani non fuerunt æquæ frondibus illius : omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi et pulchritudini ejus : quoniam speciosum fecit eum in multis condensisque frondibus, » etc. Dicitur itaque de diabolo sive Lucifero, quod sit ipse *principium viarum Dei,* quia nimirum omnibus creaturis est excellentior secundum naturam, ut late Deus ipse prosequitur. Quoniam autem, ut B. Dionysius Areopagita lib. *De Divin. Nom.* cap. IV docuit, ad naturam sequitur potentia; et unaquæque res tanto majoris est potentiæ, quanto est excellentioris naturæ; et hoc ipso quo fatetur Deus illum esse omnibus superiorem, videbatur inferendum, quod consequenter omnes quoque creaturas secundum potentiam excederet, adeoque nobis impossibile esse illi obsistere; idcirco subdit :

Quomodo diabolus sit principium viarum Dei.

Diabolus secundum naturam omnes superat creaturas.

Deus reprimit potentiam diaboli, et fraudes ejus detegit.

Qui fecit eum applicabit gladium ejus. — Quæ verba egregiam continent doctrinam excellentemque Dei promissionem : nam qui fecit eum Filius Dei est, per quem *Joan.* I, 3 omnia facta sunt; qui dicit *Isai.* LIV, 16 : « Ego creavi fabrum, » id est dæmonem, ut S. Hieronymus exponit; ille ergo qui in mundi initio fecit eum applicabit gladium ipsius. Verbum *applicandi* in Hebræo est נגש *nagas,* quod aliquando in Scriptura sacra significat *offerre*; et ita illud transtulit noster Vulgatus interpres *Amos.* V, 25 : « Numquid hostias et sacrificium obtulisti mihi? » et iterum *Malach.* II, 12 : « Offerentem munus Domino; » et *Isai.* LIII, 7 : « Oblatus est, quia ipse voluit; » et alibi sæpe. Quoniam autem in oblationibus interiora animalis nudabantur et fiebant manifesta, oculisque omnium exponebantur, idcirco verbum illud significare potest *aperire,* manifestare, nudare quæ abscondita erant, ut sensus sit : Qui fecit eum manifestabit, nudabit, explicabit gladium ipsius : ipsius inquam diaboli, ut explicant S. Gregorius, Beda et Philippus in hunc locum. Deus ergo, qui dicitur fecisse dæmonem, non solum quia creavit eum secundum naturam, sed etiam quia peculiari sapientiæ suæ dispositione illi permisit, ut hominem impugnaret, sicut explicat D. Augustinus lib. XI *De Civit.* cap. XV et XVII, et lib. XI *De Genes. ad litt.* cap. XXII, ita se gessit, ut quo facilius homo dæmonem vincere, et semetipsum armare contra illius impetus posset, manifestarit, explicaverit, et in lucem emiserit gladium, id est, vim et fortitudinem ipsius, qua homines impetit, apertissime declaraverit. Vel etiam sic, ut *applicare gladium* idem sit quod restringere, replicare, implicare, vel involvere ad eum modum, quo acutum gladium vagina implicamus et involvimus, qua ejus acies inclusa tenetur, ne ferire possit. Si ergo diabolus sibimetipsi relinqueretur, sicut omnes creaturas secundum naturam suam superat, sic utique easdem etiam secundum potentiam superaret, quam *gladii* nomine Deus expressit; verum hæc potentia comprimitur, involvitur restringiturque a Deo, ut non quantum vult, sed quantum ei permittitur, agere possit.

Deus *applicat,* id est restringit *gladium* sive potentiam diaboli.

Pulchre S. Gregorius lib. XXXII *Moral.* cap. XIX : « Gladius, inquit, Behemoth istius ipsa nocendi malitia est; sed ab eo, a quo bonus per naturam factus est, ejus gladium applicatur : quia ejus malitia divina dispensatione restringitur, ne ferire tantum mentes hominum quantum appetit permittatur. Quia ergo hostis noster et multum potest, et minus percutit, ejus gladium pietas Conditoris adstringit, ut replicatus intra ejus conscientiam lateat, et ultra quam desuper juste disponitur sese in mortes hominum ejus malitia non extendat. Quod igitur ad multa fortiter prævalet, hoc de principio magnæ conditionis potest; quod vero a quibusdam vincitur, ejus nimirum gladius ab auctore replicatur. Iste namque Behemoth, qui principium viarum Dei est, cum contra S. Job licentiam tentationis accepit, gentes movit, greges abstulit, ignem de cœlo deposuit, perturbato aere ventos excitavit, domum concutiens subruit, convivantes filios exstinxit, uxoris mentem in dolo pravæ suasionis exercuit, mariti carnem inflictis vulneribus confodit; sed ejus gladius a Conditore replicatur cum dicitur cap. II, 6 : *Animam illius serva.* Qui replicato gladio quantæ sit infirmitatis Evangelista testante describitur; quia nec manere in obsesso homine potuit, nec rursus invadere bruta animalia non jussus præsumpsit dicens *Matth.* VIII, 31 : *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum.* Malitiæ quippe ejus gladius quam sit replicatus ostenditur, cui si potestas summa licentiam non præberet, nec grassari in porcorum gregem valeret. » Ex quo recte infert idem S. Gregorius dicens : « Quando ergo iste sua sponte nocere factis ad Dei imaginem hominibus audeat, de quo nimirum constat, quod non jussus contingere nec porcos præsumat? » Sic ille. Hoc ipsum ex hac eadem historia similiter D. Thomas III *Quæst.* XLIV, art. 4, ex B. Chrysostomi hom. 24 *in Matth.* expendit. Vult ergo Deus dicere ad Jobum, non esse cur diaboli potentiam nimis timeat, quæ etsi magna sit, tamen ita Dei virtute comprimitur, ut nullam vim ipsius possit voluntati inferre. Peculiarem hac de re tractatum edidit B. Chrysostomus hom. 65 *ad popul.* ostendens nos Deo gratias agere debere, quod commensurata nobis certamina largitus sit; ex quo hanc sententiam liceat clarius explicare, quam si recte expendamus, videbimus vere B. Paulum eam explicandam assumere voluisse cum dixit I *Cor.* X, 13 : « Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ultra id quod potestis, » etc. Verbum enim *applicandi,* quo Deus hic utitur, proprium est medicorum medicamenta applicantium : vox autem *gladii* in Scriptura sacra, juxta SS. Patres, Hieronymum *in Isai.* cap. LXV; Augustinum *epist.* 69, *ad Paul.* atque *in Psal.* CIV, et Gregorium lib. XXXIV *Moral.* cap. IV : id proprie significat, quod ad alterius destructionem, exitium vel malum admovetur, quodque tribulationem inducit. Ita dicitur de peccatoribus *Psalm.* LVIII, 8 : « Et gladius in ore ipsorum; » et iterum *Psalm.* LVI, 5 : « Lingua eorum gladius acutus : » ita persecutio illata S. Joseph dicitur *gladius* aut *ferrum* : « Ferrum, inquit David *Psalm.* CIV, 19, pertransiit animam ejus; » et *Luc.* II, 35, tribulatio B. Virgini inflicta in Christi morte dicitur « gladius pertransiens animam, » idque conformiter ad vim hebræi sermonis, quo gladius dicitur חרב *hhereb,* proprieque significat *exsiccationem,* desolationem, vastationem, ut Brixianus annotavit.

Deus non permittit dæmoni tentare ultra vires nostras.

Vox *gladius* pro quo sumatur in Scriptura.

Unde B. Gregorius supra citatus recte colligit gladium diaboli hoc loco dici ejus malitiam et iram, qua nos vastare, desolare ac perdere nititur. Quo supposito, elegantissime dixit Deus : « Qui fecit eum, applicabit gladium ejus, » ut locutio

Deus instar meditantis.

Diabolus antequam tentet observat cujusque inclinationem naturalem.

http://www.obrascatolicas.com

Si venena et contraria nobis novit applicare ad salutem.

sit desumpta metaphora a medicis applicantibus medicamenta, quæ in se sunt contraria et destructoria naturæ : qualia sunt purgantia, urentia, exsiccantia, mordicantia, quæ in se ita sunt naturæ contraria, ut vere dicantur ejus venenum; quale est diagridium, scamonea, colocintidæ, caustica : et hæc quidem quæ talia in se sunt, moderata et contemperata a medico, et applicata in determinata quadam mensura, vim habent medicamentorum, et maxime proficua ipsi naturæ redduntur. Unde et medicus eorum malignitate utitur ad salutem hominum promovendam, temperando eorum malitiam, mordacitatem, noxiam vim ac facultatem : qui solummodo ea applicat, cum ad salutem sunt necessaria, aut ad superfluos noxiosque humores expellendos vel exsiccandos ; id tamen præcipue observat in eorum applicatione, ut nullatenus ultra vires patientis applicari permittat : metitur propterea et ponderat ea non tantum secundum libras et uncias, sed et secundum drachmas et scrupulos, imo et secundum grana, sciens horum vim contra naturam nostram, quæ nisi temperatissima applicentur, exitium et mortem certissime inducent. Ita ergo Deus se habet; est siquidem diaboli malitia iniqua, et mala in se contrariaque naturæ nostræ; cujus exitium omnibus viribus desiderat et procurat; temperata tamen a cœlesti medico, nobis redditur proficua ad superbiam purgandam, torporem excutiendum, exercendas virtutes, acuendas vires spirituales, animamque ad excellentiorem coronam disponendam. « Non quasi crudelis suscitabo eum, » inquit Deus ad Job *infr.* cap. XLI, 1, agens de dæmone sub specie ceti. Crudelis esset medicus, qui tantum ad torquendum hominem et comburendum eum applicaret ei potionem amaram, aut gladium scindentem carnes, aut serram secantem crura, aut cauterium ardentissimum; similis profecto Neroni, qui tantummodo ad comburendam Romam jussit ignem applicari. Pius tamen et benignus est, qui hæc quantumcumque aspera, acria et mordicantia applicat ad salutem et bonam valetudinem. Non ergo Deus dæmonem suscitat, id est permittit adversus nos exsurgere et suscitari quasi crudelis, sed tanquam pius benignusque medicus, ad nostram salutem, videlicet cum id nobis utile expediensque est. Idcirco nequaquam concedit, ut absolute diaboli malitia nobis applicetur; nec eum sinit agere quantum vult, quin potius malitiæ ipsius vires ac facultates contemperat, et nulla ratione nobis applicari ordinat, nisi secundum mensuram determinatam. « Mensurata, inquit S. Chrysostomus supra citatus, nobis Deus dedit certamina : » metitur enim et expendit attentissime, qui cordis nostri intima lustrat, vires cujusque, non tantum eas, quas a natura, sed præcipue quas ab auxilio gratiæ quivis habet; nec ullatenus ultra tales vires permittit nobis diaboli malitiam aut actionem applicari.

Quomodo Deus diaboli malitiam ad utilitatem nostram nobis attemperet.

Vers. 15. 15. HUIC MONTES HERBAS FERUNT : OMNES BESTIÆ AGRI LUDENT IBI. — Hoc de elephante quidam ideo dictum existimant, quod voracissimus sit, ad quem unum sustentandum videntur necessarii omnes montes herbiferi; qui cum in illis pascitur, ita se mitem exhibet, ut coram eo cætera animantia adeo sine timore subsistant, ut ludere dicantur : elephas enim sanguinarius non est, sed clemens; non carnibus, sed herbis vescitur. Tradunt autem illum tanta esse mansuetudine præditum, ut si quando per greges animalium transeat, ne forte ejus conspectu terreantur, proboscide velut manu significare se nihil læsurum, sed inoffense transiturum : quibus aliquo modo concinunt quæ de elephante Plinius scripsit lib. VIII, cap. VII. Verum commodius hæc de dæmone, quem Deus hic præcipue describere intendit, explicantur; ita nimirum, ut loquatur de mystico ejus corpore, quod sunt iniqui, voluptatum et deliciarum amatores, ut sæpe B. Gregorius annotavit. Cui expositioni concinunt Septuaginta, qui sic vertunt, ἐπιβὰν δὲ ἐπ' ὄρος ἀκρότερον ἐποίησε χαρμονὴν τετράποσιν ἐν τῷ ταρτάρῳ, *accedens autem ad montem præruptum fecit lætitiam quadupedibus in tartaro*, id est, diabolus ad tentandam Ecclesiam multos detraxit in tartara : vel, ut Olympiodorus exponit, *accedens ad occidendum Christum lætificavit suos socios et impios*. Loquendo igitur de dæmone, quantum ad corpus ejus mysticum, « huic montes herbas ferunt : » nam ad hoc dæmonis corpus impinguandum, delectandum et voluptate afficiendum omnia fructificare videntur : ad illius delicias, voluptatem et gulam serviunt montes et valles, campi et horti, maria et aera : ad voluptates illius quæruntur herbæ deliciosæ in montibus, fructus suaves in vallibus, extrahuntur pisces maris, aves aeris capiuntur, et nemorum feræ conquiruntur. Sed quid inde sequitur?

Elephas animal voracissimum.

Elephas animal mansuetum

Iniqui sunt mysticum corpus dæmonis cui montes fructificant.

Terrena omnia serviunt voluptuosis.

OMNES BESTIÆ AGRI LUDENT IBI. — *Bestiarum* nomine vitia intelliguntur, quæ quia tunc libere oriuntur et procedunt, dicuntur ibi ludere : ex nimia enim voluptate carnis illa vitia oriuntur quæ S. Paulus enarrat *Galat.* V, 19 : « Fornicatio, immunditia, impudicitia, iræ, rixæ, » etc.; et vere accidit quod dixit Isaias cap. XIII, 21 : « Requiescent ibi bestiæ, et replebuntur domus eorum draconibus; et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi; et respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus et sirenes in delubris voluptatis. » Quem locum egregie S. Chrysostomus hom. 6 *in Matth.* ad nostrum explicat institutum : « Quid mirum, inquit, si videas tot tantaque vitia libere in teipso discurrere et quasi ludere, si corpus tuum ita voluptatibus impinguas, ut facias omnes mundi delicias ipsi servire? si ventri tuo inserviant montes, valles, maria, » etc. Ex hac ergo radice diabolus talia germina producit. D. Thomas et Cajetanus hunc locum similiter de diabolo interpretantur, cujus agricolatio est in montibus, hoc est in principibus malis : ibi enim seminat exempla pessima in populum, quare « omnes bestiæ agri ludent

Vitia bestiis comparantur.

Dæmonis agricolatio *in montibus*, id est principibus.

ibi, » id est adhærebunt ei impii asseclæ : per principes enim malos lucratur sibi diabolus populum malum. Quod si vero *montium* nomine, ut sæpe in Scriptura contingit, justi, et *bestiarum* appellatione iniqui et peccatores significentur, quis non videat bestias dæmoni ludere, dum illum suis flagitiis oblectant, et justos, proh dolor! herbas offerre, dum his saltem peccatis levibus, quæ manant ex impugnatione vitiorum, ipsum utcumque sustentant? Mons ergo, id est justus, qui cupit non offerre diabolo hujusmodi pabula, radices herbarum, id est vitia, ex quibus defectus isti manant, exscindat : nam his omnino destructis, non erit difficile herbarum pabulum auferre, id est notabiliora ista et crassiora peccata devitare.

Montes, id est justi, etiam herbas levium defectuum dæmoni ferunt.

Porro id quod Vulgatus reddit *ludent ibi* in Hebræo est verbum שחק *sahhak*, quod proprie significat *illudere*, irridere; quod quidam ita explicant, ut voluerit Deus rem mirabilem circa elephantem explicare : ipse quippe est, qui inter animalia terrena primas tenet; nihilominus hæc illius grandis miseria, quod a minimis animalibus ita impetitum se sentiat, ut iis sese irridendum propinet, nam lacessitus ab eis, motibus furiosis et inordinatis circumagitur : videns quippe murem, quem maxime odit, vehementer conturbatur : chamæleon ab ipso nesciente inter pabula devoratus adinstar veneni totum ejus corpus infestat commovetque : suis sive porci grunnitum, teste Plinio lib. VIII, cap. X, ita graviter fert, ut quamvis a primo ætatis tempore mansuefactus domitusque fuerit, tanquam furiis incitatus, nullum ordinem teneat : cujus rei exempla refert Ælianus lib. I, cap. XXXIII, hirundine in potu hausta intolerabili dolore afficitur, et mirum in modum torquetur a vermiculis cæruleis prope Gangem. De quibus omnibus vide Plinium lib. VIII, cap. X et XVII, Solinum lib. IX, cap. XV, et Aldrovandum *De Quadr. solid.* Certe res admiranda est, tantum tamque grande animal, quod omnibus aliis eminet, ita a minimis bestiolis conturbari posse, ut illud totum trementem ac rugientem reddant. Sed magis mirandum est, hominem prudentem ac strenuum, qui ratione eminet, per quam possit cognoscere, quam exigui momenti sit verbum hominis sibi improperantis, nihilominus vel a minimo verbo ita conturbari, ut seipsum vix contineat quin fremat præ indignatione, ac toto pectore contremiscat et inflammetur.

Elephas etiam a minimis animalculis illuditur et irridetur.

Vers. 16 et 17. 16 et 17. SUB UMBRA DORMIT IN SECRETO CALAMI, ET IN LOCIS HUMENTIBUS. PROTEGUNT UMBRÆ UMBRAM EJUS : CIRCUMDABUNT EUM SALICES TORRENTIS. — Loca describit, in quibus elephantes versari solent : prorium enim, inquit Ælianus ex Aristotele lib. IX *Hist. Animal.* cap. XLVI, elephantorum est naturæ roscida et palustria amare, et amnes amplecti, ubi versari maxime student; unde etsi fluviatiles non sint, *riparios* dicere possumus. Plinius quoque lib. VIII, cap. X, gaudere amnibus maxime tradit, et circa fluvios vagari, sed propter magnitudinem natare non posse; Aristoteles vero non simpliciter non natare posse ait, sed non satis id posse propter pondus sui corporis : idcirco autem humidis locis delectantur, quod vehementi siti urgeantur, ut seq. vers. declarabitur. Secretum ergo calami locum calamis obtectum appellat : elephas quippe loca uliginosa ad quietem amat; quod vero additur : *Protegunt umbræ umbram ejus*, etc., ejusdem rei amplificatio est. Quidam non indocte hos duos versus per interrogationem legendos esse credunt negatione solvendam, *q. d.* « Numquid in secreto calami esse potest, aut ejus umbram umbræ protegent, aut circumdabunt eum salices torrentis? » Minime, cum tanta sit corporis vastitate, quæ calamos salicesque longe superat. Tropologice *Behemoth*, qui figuram refert diaboli, diverticula quærit, latebras sectatur, in quibus somnos captet; præcipue autem conquirit calami umbram, in qua requiescat; quid autem est quod calamos quærat ad cubandum? quia nimirum inani foliorum sonitu arundines abblandiuntur, et somnos conciliant. Sensu autem morali assentatores calami sunt, qui vel levi auræ cedunt, et modo in illam modo in contrariam partem inflectuntur prout mollis aura adspiraverit; et assentatores modo aliquid laudant, modo etiam illud ipsum vituperant, juxta principis voluntatem, ad quam omnino se effingunt. Tum etiam arundines nullum fructum ferunt, sed inani foliorum viriditate luxuriant; sic assentatores nullum quoque fructum ferunt. Arundines humoris abundantiam amant, et adulatores principum virorum lateri continenter adhærent; oderunt autem viros pauperes, humilesque contemnunt.

Quibus locis elephantes delectentur.

Calamus symbolum assentatorum.

Hæ autem arundines dum inani motu ludunt, diabolum ad somnum et quietem trahunt. Sane diabolus dicitur tenere omnium iniquorum corda, verum in præcordiis aliorum peccatorum vigilat, in animis vero adulatorum, et eorum quibus assentantur, dormire perhibetur; in primis, quia dum adest assentator, non habet diabolus quod agat, atque adeo quam optime potest dormire et requiescere, nam qui aliis blanditur vices gerit diaboli; neque diabolus habet quid faciat, unde placidos captat somnos, et in utramque aurem stertit. Tum etiam dicitur dormire, quia securus degit, neque timet ab aliquo exterreri ac suscitari : milites dum hostem timent, vigiles adhibent, qui illos de hostium adventu moneant, sed si non adsit inimicus, securi degunt : ita etiam diabolus dum aliorum iniquorum corda possidet, vigilias agit, sibique consulit, ne expellatur; sed dum adulatores tenet dormit, neque adversarios timet. Tum etiam dormire dicitur, quia dum adest assentator longiores in homine moras trahit; cumque somnus homini a natura datus sit ad fessas animi vires instaurandas et robur recolligendum : ita etiam diabolus per adulatorem vires colligit, ut commodius homini nocere pos-

In iis diabolus quiescit, et cor.

http://www.obrascatolicas.com

Dæmon moratur in hominibus otio torpentibus.

sit. Denique cum somnus voluptatem homini afferat, et malorum oblivionem inducat, optime dicitur diabolus in assentatore dormire, quia tantam ex eo capit voluptatem, ut malorum etiam suorum oblivisci quodammodo videatur. Umbrosa ergo et humentia loca, in quibus *Behemoth*. id est dæmon, placide quiescit ac moratur, sunt assentatores, et homines otio torpentes et inertes; quorum studium est æstum laboremque detrectare. De quibus lege S. Gregorium lib. XXXIII *Moral.* cap. III, ubi lascivos et superbos iisdem associat, quem secutus deinde Isidorus Hispalensis lib. II *Sent.* cap. XXXIX : « Principaliter, inquit, his duobus vitiis diabolus humano generi dominatur, id est superbia mentis, et luxuria carnis; unde et Dominus in Job loquitur de diabolo dicens : *Sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus.* Per *calamum* enim inanis superbia, per *loca* vero *humentia* carnis demonstratur luxuria : per hæc enim duo vitia diabolus humanum possidet genus, vel dum mentem in superbiam erigit, vel dum per luxuriam carnem corrumpit : » sic ille.

Excusationes inumbrant peccatum, et ædificant ruinam.

PROTEGUNT UMBRÆ UMBRAM EJUS, — id est umbras multiplicat, ut feliciter delinquat, umbram delicti umbra excusationis abscondens et protegens : temeritatem facinorum protegit patrocinio sive umbra excusationis; cujus beneficio Behemoth non apparet clarus et fulgens, sed peccatorum umbra ab umbris excusationis densior, obtenebrescit magis excusatione caliginem addensante : « An melius est damnatum latere quam palam absolvi? » inquit Tertullianus lib. *De Pœnit.* cap. VII. « Sic fit, teste Gregorio lib. XXXIII *Moral.* cap. VI ad hunc locum, ut summa criminum dum defenditur augeatur : » nam excusatio non tam adstruit innocentiam, quam ædificat ruinam; siquidem non minuit delictum, sed auget; cujus augmento corruit virtutis ædificium. Vere igitur de immani bellua Behemoth dicitur : « Protegunt umbræ umbram ejus, » id est fraudes et technas, quibus miseros homines decipit, umbris temporalium bonorum tegit atque occultat, quasi vera illa et subsistentia bona in animarum pretium tribuat. Hæc S. Gregorius lib. XXXIII *Moral.* cap. IV exponit de his qui per summam fraudem seipsos tuentur, et freti dignitatibus ac magistratibus, quos obeunt, propria peccata et aliena defendunt, et, ut est in veteri proverbio, « manus manum lavat. » In quem sensum adducit ibidem Gregorius illud *Isai.* XXXIV, 13 : « Et orientur in domibus ejus spinæ, et urticæ et paliurus in munitionibus ejus : » sicut enim paliurus complexis spinis aditum occludit, ita qui in potestatibus sunt constituti se mutuo defendunt, et viam justitiæ occludunt, ne quid contra eos pauperes valeant.

Dæmon omnia technarum umbris involvit.

Vers. 18. 18. ECCE ABSORBEBIT FLUVIUM, ET NON MIRABITUR : ET HABET FIDUCIAM QUOD INFLUAT JORDANIS IN OS EJUS. — Bibacitas elephantis declaratur, *q. d.* Elephas tantum bibit, ut videatur sibi fluvium etiam Jordanem perennibus aquis abundantem totum exhaurire et exsorbere posse : est oratio hyperbolica, qua significatur, eum propter ingentem corporis amplitudinem largissime bibere. Pro illo : *Et non mirabitur*, hebraice ad verbum est, *et non festinabit*, seu *non accelerabit*, id est, in tantum exhauriet fluvium, ut is bibente elephante non festinet cursus suum, sed potius, quasi ejus haustu retardatus, tantisper impetum cursus sistat, dum ille bibit. Quod autem hic dicitur de copioso potu elephantis confirmari potest ex eo quod scribit Aristoteles lib. VIII *Histor. Animal.* cap. IX, elephantem uno pastu modios macedonicos novem edere posse; sex autem vel septem edere modios in usu frequenti ei esse; amphoras aquæ, mensuræ macedonicæ, quatuordecim uno potu hausisse, et rursus a meridie ejusdem diei octo, compertum esse. Habet quidem elephas insatiabilem sitim : nec mirum, quia est corpore ingenti, et calore nimio abundat; unde cum ad bibendum accedit, tanta aviditate et insatiabili appetitu haustum ingentem facit, ut quasi totum fluvium exhaurire velle videatur. Hanc propterea sitim egregia loquendi forma explicat Deus dicens : « Absorbebit fluvium, et non mirabitur, » id est non pro magno ducet, non laborabit, ut id agat; quod autem summe exoptat, sperat et desiderat, est Jordanem ipsum deglutire. Quibus verbis dæmonis affectum exprimit, non elephantis : nam, ut docet Ælianus lib. XIX, cap. XLIV, non solum non appetit elephantus aquas claras, quales sunt aquæ Jordanis, sed eas fugit et odio prosequitur : « Claræ, inquit, aquæ potio elephanto inimicissima est; turbulentam ac sordidam suavissime bibit; et si ad flumen aut ad fontem accesserit, non prius quam cœnum pedibus perturbarit, et pulchritudinem aquæ deformarit, ad hauriendam aquam incumbit : » hæc ille. Dæmonis ergo sitim non elephantis exprimere vult Deus; et quidem, ut egregie ac late prosequitur B. Gregorius lib. XXXIII *Moral.* cap. VI, *fluvii* nomine naturam humanam iniquorum egregie describit, quæ procedens a primo illo fonte infecto Adam quasi fluvius tendit ad mare, id est mortem et damnationem; nomine autem *Jordanis* intelligit viros sanctos; aut quia eos Jordanis unda abluit et sanctificavit, aut quia aquæ Jordanis sanctæ reputantur, quas Deus tactu suæ mundissimæ carnis sanctificaturus erat : aut quia Jordanis, inquit S. Gregorius, dixeratque S. Augustinus *in Psalm.* XLI, significat descensum eorum. Quod in sanctificatis completur, in quibus reperitur descensus divinarum personarum, dicente Domino *Joan.* XIV, 23 : « Si quis diligit me, mandata mea servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Hicque descensus considerari potest in Jordane : nam ibi descendere visus est Pater in voce, Filius in humanitate, et Spiritus Sanctus in columbæ specie.

Bibacitas elephantis quanta.

Sitis elephantis oritur ex nimio ejus calore, et est typus sitis diaboli.

Jordanis viros sanctos designat, et cur.

Sancti sunt habitaculum sanctissimæ Trinitatis.

Non ergo diabolus magni facit, aut sollicite satagit, ut devoret avaros, superbos, iracundos, luxuriosos, qui naturæ corruptæ cursum sequentes, ad æternæ mortis mare perenni cursu pergunt. Id quod summopere exoptat, et vehementer expetit, est deglutire justos ac sanctos, in quibus divinas personas commorari conspicit; quos divinis donis cœlo delapsis plenos videt. « Antiquus hostis, inquit S. Gregorius loco superius citato, hoc pro magno non habet, quod sub jure suæ tyrannidis terrena quærentes tenet; Propheta quippe attestante *Habac.* I, 17, cognovimus, quia *esca ejus electa* : neque enim mirum deputat, si eos absorbeat, quos superbia erigit, avaritia tabefacit, voluptas dilatat, malitia angustat, ira inflammat, discordia separat, invidia exulcerat, luxuria inquinans necât. *Absorbebit* ergo *fluvium, et non mirabitur*, quia pro magno non æstimat, cum eos devorat, qui per ipsa suæ vitæ studia deorsum currunt; sed illos magnopere rapere nititur, quos despectis terrenis studiis jungi jam cœlestibus contemplatur. » Ita S. Gregorius; quibus et illud quadrat, sicut expendit B. Hieronymus lib. II *Contr. Jovin.*, quod dixit Dominus *Luc.* XXII, 31 : « Ecce Satanas expetivit vos ut cribaret sicut triticum : » in cribro, inquit Euthymius, triticum transfertur, concutitur et confunditur : ideo *cribrare* est *turbare*, movere, concitare; vel, ut Theophylactus ait, *cribrare* est *turbare*, nocere, tentare : hoc Satanas expetivit, concupivit, et appetiit. Jam quidem Judam, sacerdotes, scribas, pharisæos judæosque absorbuerat, quos omnes tanquam fluvium ad mare perditionis fluentem intuebatur : id non magni faciebat, expetivit nempe tanquam rem sibi gratissimam et palato suo maxime delectabilem apostolos : « Expetivit vos, » inquit Christus *Luc.* XXII, 28-31 : quid est *vos?* respondet idem Christus : « Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis : et ego dispono vobis, etc. ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos, » etc. Hoc, inquit Euthymius, Satanas expetivit, cujus mos est præstantiores expetere ad palæstram : hoc enim ipso quod aliquem videt Deo familiarem, ejus donis illustrem, et ab ipso commendatum, summa siti illum expetit, sicut et B. Jobi docet historia. Cum namque tunc totum mundum quasi fluvium absorbuisse videretur, illud non pro magno ducebat; sed beatum Jobum, quem quasi Jordanem clarissimis virtutum aquis fluentem a Deo videbat laudatum, concupiscebat deglutire et expugnare : ita et apostolos, quos vidit a Christo laudatos, quod secum permansissent in tentationibus, et cœlestibus ac divinis promissionibus auctos ferre non valens, statim expetivit et appetiit. Optime S. Hieronymus *Epist.* 21, cum Eustochium admonuisset, illam celeberrimam B. Petri vocem expendens I *Epist.* V, 8 : *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*, subdit : « Non quærit diabolus homines infideles, non eos qui foris sunt, et quorum carnes rex Assyrius in olla succendit, de Ecclesia Dei rapere festinat : *Escæ ejus*, secundum Habacuc cap. I, 7, *electæ sunt*. Jobum subvertere cupit, et devorato Juda ad cribrandos apostolos expetit potestatem : » ita S. Hieronymus. De qua re videndus Origenes, qui fuse ac pulchre docet diabolum nihili facere gentiles cunctis vitiis addictos, sed singulariter desiderare baptizatos nova regeneratione natos deglutire; similem Pharaoni, qui pueros populi Dei, hoc ipso quod nascebantur, et in lucem prodibant, suffocare et perdere nitebatur.

Dæmon sanctos maxime expetit devorare.

B. Jobum singulariter expetebat Satan deglutire.

Satanas expetiit apostolos cribrare.

19. IN OCULIS EJUS QUASI HAMO CAPIET EUM, ET IN SUDIBUS PERFORABIT NARES EJUS. — Qui hæc ad litteram de elephanto explicare contendunt, se in omne latus vertunt et torquent, quærentes quidnam in illo animali reperiatur, ratione cujus hæc verba in ipsum quadrare possint; et quamvis varii varia expendant, illud non incongruum videtur, quod quidam existimant hoc ideo dictum esse, quod venatores ad elephantem capiendum vinculis laqueisque absconditis istiusmodi cibum superponant quem elephanto gratum norunt, quo viso ad illum deglutiendum accurrens laqueis irretitur, et capitur non secus ac piscis hamo, quem esca tenebat opertum. Qui modus est unus ex illis quos tradunt auctores, qui de capiendo elephanto scribunt, ut Aristoteles lib. IX *Hist. Animal.* cap. I; Plinius lib. VIII, cap. VIII; Strabo lib. XV et XVI; Ælianus lib. XV, cap. XVI, et D. Ambrosius lib. VI *Hexaem.* cap. V, quos citat Pineda noster. Nonnunquam etiam venatores elephanti, quem capere volunt, in foveam ad id paratam delapsi, oculos maxime ac nares, ut cæteris partibus tenuiores, ob idque feriri et dolore affici promptiores, percutiunt; sed superveniente alio, iram adversus percussores elephanti simulante, prohibenteque, ne amplius eum feriant, quin etiam cibum ei gratissimum hordei porrigente, statim is mansuescit, et sese illi, ut liberatori et benefactori suo, in servitutem libenter tradit, sessoremque et rectorem sui libentissime patitur. Narrat Philostratus lib. II, cap. V, Apollonio juxta Indum fluvium occurrisse puerum annos non plus tredecim natum, qui elephanto insidens summa omnium spectantium admiratione acriter stimulis tantam belluam urgebat; bacillo ipsum quocumque vellet dirigens agitansque. Etsi igitur elephas maxima sit corporis proceritate ac robore, facillime tamen se domari et in servitutem hominis redigi patitur, præsertim oculis naribusque percussus.

Vers. 19.

Quomodo capiantur elephanti.

Mystice sub hoc typo Deus descripsit modum, quo dæmonem capturus esset, quem et nunc tenet : seipsum enim coram oculis ejus exposuit famelicum et infirmum, in similitudinem carnis peccati, ad quem propterea tanquam ad cibum sibi congruum subito accessit, ut devoraret; qui tamen latente divinæ virtutis laqueo captus man-

Quomodo Deus diabolum ceperit.

http://www.obrascatolicas.com

sit. Hunc sensum sequitur B. Gregorius lib. XXXIII *Moral.* cap. VII, annotans nos dici id *in oculis habere*, quod coram nobis positum videmus. Exsultabat diabolus se homines comprehendere in oculis eorum, sicut *Eccle.* IX, 12 « aves capiuntur laqueo et pisces hamo : » *quia* exhibebat eorum oculis quod concupiscerent, sub quo laqueum peccati et perditionis tendebat; ideoque illos currentes ad apprehendendum id quod sibi delectabile aut utile conspiciebant, laqueo tenebat comprehensos, quales erant illi, de quibus Apostolus ait II *Timoth.* I, 26 : « Resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. » Quomodo et nunc multos comprehendit ostensa voluptate carnis, alios exposita divitiarum jactantia, multos exhibita honoris gloria : vere enim ex eo quod vident capiuntur in oculis suis, sicut pisces capiuntur hamo. Simili modo volebat Deus illum, qui alios capiebat capere, cui prædixerat *Isai.* XXXIII, 1 : « Qui prædaris, nonne et ipse prædaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris? » Itaque in oculis ejus, dum Christus humanitatem suam dæmoni instar escæ, ad quam deglutiendam avide accurrebat, objecit, ipsum hamo divinitatis captivum cepit, uti Patres loquuntur. Profundius ergo aliquid hæc verba continent, quibus, juxta superius dicta, verius quæ ad dæmonem quam quæ ad elephantem pertinent Deus expressit; cujus postquam vires, astus machinasque descripsit, rem totam concludens, modum tradit, quo a se capienda erat crudelis ista bestia, dicens : « In oculis ejus quasi hamo capiet eum. » Id autem dicitur *fieri in oculis*, quod manifeste, clare et evidenter fit, quodque nulla ratione potest abscondi: quare voluit dicere se comprehensurum illum tam clare tamque aperte, ut captivitatem suam nulla posset tergiversatione obscurare. Nihil enim magis diabolus satagit, ut indicat B. Chrysostomus hom. 3 *in Coloss.*, quam, cum ab aliquo vincitur, illius obscurare victoriam, et suadere se non victum, sed victorem potius evasisse; more scilicet quorumdam militum superborum, qui quando majori lapsu victi sunt, magis sibi victoriam cessisse jactitant. Ideo Christus assumens hunc inimicum expugnandum et revincendum, tam manifeste voluit illum superare, ut illi cæterisque omnibus victoria foret evidentissima : hoc est quod Paulus ait *Coloss.* II, 15 : « Spolians principatus, et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso : » expende illud, *palam triumphans*, id est aperte, clare, manifeste, ut in oculis suis vere captus esse dicatur. Idipsum et nunc Christus Deus per sanctos suos præstat, in quibus palam et manifeste de diabolo triumphat. Quomodo autem id perficiat, aptissime subjungit dicens :

Quomodo diabolus capiat homines.

Christus manifeste diabolum cepit ac triumphavit.

IN SUDIBUS PERFORABIT NARES EJUS. — Nares elephanti sunt tuba illa, quam *proboscidem* aut *pronomidam* Galenus vocat; hæc illi pro naribus, quæ ad extremum duo habet foramina, quibus odoratur et respirat; quam propterea Aristoteles lib. I *Hist. Animal.* cap. XI, *narem prolixam* validamque vocat : hac ille utitur ad ea capienda quæ vult : cujus si foramina sudibus occludantur, omnis ejus respiratio intercipitur, virtusque ita remanet compressa, ut seipsum omnino victum exhibeat : « Quid aliud *sudes*, id est palos, inquit Gregorius lib. XXXIII *Moral.* cap. VIII, accipimus, qui videlicet acuuntur, ut figantur, nisi acuta sanctorum consilia; quæ hujus Behemoth nares perforant, dum sagacissimas ejus insidias et vigilando circumspiciunt, et superando transfigunt. Per nares vero odor trahitur, et deducto flatu hoc agitur, ut res etiam quæ longe est posita cognoscatur. Naribus ergo Behemoth callidæ ejus insidiæ designantur, per quas sagacissime nititur et occulta cordis nostri bona cognoscere, et hæc pessima persuasione dissipare. In sudibus itaque Dominus nares ejus perforat, quia callidas ejus insidias acutis sanctorum sensibus penetrans enervat, » etc. Hactenus de diabolo sub specie terrestris belluæ; jam de eodem sub typo belluæ marinæ, omnium maximæ ac terribilissimæ subjungit :

Elephanti nares sunt proboscis ejus.

20 et 21. AN EXTRAHERE POTERIS LEVIATHAN HAMO, ET FUNE LIGABIS LINGUAM EJUS? NUMQUID PONES CIRCULUM IN NARIBUS EJUS, AUT ARMILLA PERFORABIS MAXILLAM EJUS? — Quid Leviathan vere et proprie significet dubium est, Hebræi enim varias fabulas confingunt in suo Thalmud, indignas quæ a nobis referantur : nonnulli auctores censent esse draconem aut terrestre animal ingens ferocissimumque, ut Camerensis, nostri temporis diligens auctor lib. IV *De Animal.* cap. VI et seq. fuse disputat. Constans tamen et indubitata fere omnium tam græcorum quam latinorum Patrum sententia est, Leviathan esse vastissimum piscem, qui omnes alios magnitudine ac voracitate superet; quod B. Gregorius lib. XXXIII *Moral.* cap. IX, ex ipso contextu Jobi demonstrat, et Cajetanus *in Psalm.* CXL, apud Hebræos ex nominis significatione confirmat : Leviathan enim significat *additamentum eorum*, id est piscem tantæ magnitudinis, ut ad magnorum piscium quantitatem adhuc addat, illam longo excedens intervallo. Quibus concinunt alii auctores, qui dicunt vocem *Leviathan* significare *congregationem eorum*, scilicet piscium, quasi dicas acervum piscium, eo quod tantæ sit magnitudinis, ut in illo uno omnes alii coacervati videantur, eo modo quo de elephante diximus vocari a Deo *Behemoth*, id est *bestiæ*, in plurali; quia unus cum sit, omnes bestias in se continere videatur. Nomine *Leviathan* ergo Deus supremum piscem omnium suffragio significari voluit; quoniam autem omnibus certum est piscem omnium maximum esse cetum, idcirco communior veriorque sententia est, Leviathan significare *cetum*. Quamvis autem nomen *ceti* commune sit, et genericum ad omnes majores pisces, balænam, physiterem, phocam, orcam,

Vers. 20 et 21.

Leviathan quid significet?

Nomen *ceti* quid significet?

pristen, lamiam, caniculam, similesque ingentis magnitudinis marinas bestias, ut ex variis auctoribus tam sacris quam profanis constat; quoniam tamen, ut Plinius lib. IX, cap. III et IV dixit, inter omnes hujusmodi belluas balæna notior est, et omnibus major, nomen *ceti* communiter assumitur ad balænam significandam; cujus magnitudinem, qui de rerum naturis disputant, quasi immensam describunt : Solinus enim cap. XXXVI, et Plinius lib. IX, cap. III, IV, VI, expresse asserunt, dari cetum tantæ magnitudinis, ut occupet quatuor jugera terræ, hoc est tantum spatium, quantum quatuor diebus par boum arare potest, adeoque magno monti æquale. Quod et Cajetanus loco supra citato tanquam communem sententiam affirmavit; et divus Ambrosius lib. V *Hexaem.* cap. X, asseruit se id didicisse ab illis qui viderunt. « Constat, inquit D. Basilius hom. 7 *in Hexaem.*, hæc animalia tantæ esse molis, ut maximis montibus æquentur; quæ cum ad summam aquæ superficiem enatarint, instar insularum sæpenumero apparent, ideoque vocantur *cete grandia* : » sic ille. Leviathan ergo *cetum* significat. Quod et manifeste satis indicat Isaias, qui cap. XXVII, 1, quem primo vocat *Leviathan*, postea nominat *cetum*, qui est in mari.

Balænæ mira magnitudo.

Homini impossibile est balænam hamo capere.

Hoc supposito, admiranda apparent, quæ Deus hic ipsi Jobo proponit dicens : « An extrahere poteris Leviathan hamo? » non quamcumque excipiscationem B. Gregorius intelligendam voluit (dantur enim modi apud aliquas nationes, quibus facile hanc belluam expiscantur, quos S. Basilius hom. 10 *in Hexaem.* recenset) sed de piscatione quæ fit per arundinem, lineam, aut funiculum, et hamum; quam ideo tanquam rem omni admiratione majorem et humanis viribus superiorem Deus proponit : « An extrahere poteris Leviathan hamo? » Qui enim fieri possit, ut accipiens homo arundinem, lineam et hamum ex ea pendentem, talem belluam valeat expiscari? Certe Habacuc cap. I, 15 varia instrumenta piscandi ponit, « sagenam, rete et hamum; » duo priora ad majores pisces, hamum ad minores : et satis notum est, eum qui arundine et hamo ad piscationem procedit neque intendere, neque posse capere nisi pisciculos parvulos, unde et talem piscatorem sæpe irridemus; quomodo ergo tam ingens bellua ita extrahi poterit? Quin imo Deus ipse paulo inferius fateri videtur, tam grandem esse hanc bestiam, ut nec sagena nec reti capi possit; unde interrogat vers. 26 : « Numquid implebis sagenas pelle ejus, et gurgustium piscium capite illius? » *gurgustium piscium* vocatur instrumentum vimineum, quo pisces concluduntur, quasi indicans, nec illis cunctis instrumentis piscatoriis, quibus capiuntur alii pisces, cetum seu balænam capi posse; quomodo igitur hamo posset extrahi? Hæc quidem admiranda sunt, et vires ac facultatem hominum excedunt; Deo tamen facilia sunt, qui non tantum se id facturum pollicetur, sed insuper linguam ejus fune ligaturum :

ET FUNE LIGABIS LINGUAM EJUS. NUMQUID PONES CIRCULUM IN NARIBUS EJUS, AUT ARMILLA PERFORABIS MAXILLAM EJUS? — Miranda res, quæ namque manus tam valida esse potest, ut draconis hujus os aperiat, et dentes ejus minime reformidans, linguam ejus apprehendat et liget? et quis funis tam validus, ut dentibus ejus possit resistere, et linguam illius ingentem colligare? Præterea prædicit se immissurum circulum in naribus, id est ejus superbos conatus compressurum. *Numquid pones circulum in naribus ejus?* S. Hieronymus transfert, *circumdabis capistrum naribus ejus* : habent balænæ, ut ait Plinius lib. IX, cap. VI, foramina aut orificia quædam in frontibus (Ælianus lib. X, cap. I, *fistulas* appellat) per quæ spirant; quæ propterea *nares* vocantur; per quæ ingentem aquarum copiam efflant et eructant. Imo B. Isidorus *balænæ* nomen deductum censet ab *emittendo* seu *effundendo* aquas : βάλλειν enim græce significat *emittere* seu *ejicere*; et quidem Plinius lib. IX, cap. IV, id peculiare demonstrat de quodam balænarum genere, quod propterea φυσητὴρ a Græcis dicitur, id est *flator*, quod reflando soleat ingentes nimbos emittere, de quo Strabo lib. XV, et alii quos citat Pineda noster. Idcirco Deus paulo post sternutationem Leviathan formidabilem notat dicens cap. XLI, 9 : « Sternutatio ejus splendor ignis, » quia nimirum aquarum nimbos maxima vi per nares eructat; qui luce perfusi flammarum instar resplendent, ut vere videatur igneos fluvios per nares efflare, ut D. Thomas seq. cap. annotavit lect. 2. Idcirco igitur tanquam rem summe difficilem proponit Deus : « Numquid pones circulum in naribus ejus? » quo scilicet nares hujus immensæ bestiæ possis comprimere. Id Deus se facturum pollicetur; neque hoc solum, sed et frenum validum se immissurum in os ejus, quo crudelis illa bellua non secus quam equus duro robustoque freno contineatur, quod explicat subdens : *Aut armilla perforabis maxillam ejus?* armillæ nomen etsi communiter significet ornamentum brachii in modum circuli, ut idem sit quod brachiale; vox tamen hebræa significat instrumentum curvum instar uncini aut hami acuti; et hoc in loco capistrum seu validum frenum exprimit, quod ex uncinis componitur; et non quodcumque, sed acriter pungens et perforans labia et fauces, quibus ita infigitur, ut nullatenus excuti valeat; unde et Theodoretus transtulit, *freno perforabis maxillam ejus.*

Deo facile est balænas etiam maximas frenare et capere.

Quæ sint balænæ nares?

Armilla quid?

Mystice hæc omnia complevit Deus cum homo factus est, quæ mire explicat B. Gregorius lib. XXXIII *Moral.* cap. IX et seq. et ante ipsum explicuerat D. Chrysostomus hom. 5 *in Matth.* ex variis. Et certe concors est S. Patrum sententia, Deum sub typo *Leviathan* ita dæmonem ipsum exprimere voluisse, ut multa dicantur hoc in loco, quæ cetis convenire nullatenus aut difficile possint; sunt autem ipsi dæmoni propria, quem cum prius ex-

Leviathan est typus dæmonis

http://www.obrascatolicas.com

pressisset ac delineasset sub specie *Behemoth*, qui est inter animalia terrestria ferocior; deinceps eumdem describit sub specie *Leviathan*, qui inter animantia aquatilia primas tenet. In primis enim, ut S. Gregorius annotavit, et S. Patres, Hieronymus *in Isai.* cap. XXVII, et Philippus, Beda, S. Thomas et alii hoc in loco expendunt, nomen *Leviathan* egregie in dæmonem quadrat : *Leviathan* enim, ut diximus, *significat additamentum eorum*, et derivatur a verbo לוה *lavah*, quod significat *addere*, adjungere, applicare, copulare, sociare; aut, ut alii clarius vertunt, idem est ac *sibi copulans*, aut adjungens, vel associans. Unde et tertius Liæ filius vocatus est ab ea *Levi*, quæ postquam peperit dixit *Gen.* XXIX, 34 : « Nunc quoque copulabitur mihi vir meus, » id est, mihi adhærebit, sociabitur, etc. Unde et recte in balænam tale nomen quadrat, aut quia unus piscis cum sit, in seipso omnes alios quasi copulatos et junctos tenet; quippe quæ habet omnium aliorum voracitatem, crudelitatem, agilitatem, etc., aut quia omnes pisces et quidquid invenerit sibi copulat et concorporat, deglutiens quidquid se illi obtulerit. Quapropter ut Jonas a pisce deglutiretur, præparatus est cetus a Deo : cum enim animal hoc tam ingentis sit magnitudinis ac molis, summa fame ita perpetuo urgetur, ut ne omnes pisces maris Mediterranei devoret, a Deo summa providentia cuncta disponente per fretum Gaditanum, tanquam per ostia valida, in magno Oceano tanquam in carcere inclusus sit, ut notant S. Patres in illud cap. VII, 12 : « Numquid cetus ego sum, quia conclusisti me carcere? » Optime ergo dæmoni tale nomen convenit, qui unus omnium piscium imo et omnium bestiarum in seipso unitos habet noxios crudelesque mores, ut alibi dictum est : qui non solum nunc, ut Christus dixit *Matth.* XII, 44, sæpenumero alios spiritus immundos et inimicos ad nos expugnandum sibi adjungit; sed et ab initio conatus fuit sibi copulare omnes angelos, quorum *Apoc.* XII, 4 tertiam partem sibi adhærentem traxit, sicut et a mundi exordio humanam naturam universam deglutire sibique copulare studuit; perpetuoque id satagit ut omnes devoret et in corpus suum trajiciat; quod ex ingenti iniquorum multitudine, quos sibi copulavit, tanquam ex membris constituitur, ut Deus *ibid.* describit, et B. Gregorius hic exponit.

Leviathan undo sic dictus.

Nomen et significatio *Leviathan* optime convenit diabolo.

Et quidem Christus Dominus caput, cujus Ecclesia est corpus, quod spiritu suo vivificat et regit; ac propterea omnes homines conatur sibi copulare et adjungere Patrem rogans *Joan.* XVII, 21, « ut omnes unum sint; » conaturque omnes in corpus suum trajicere, ut tanquam membra sua suo spiritu vivificentur. Unde et ipsi primo pastori, inquit S. Gregorius lib. XI *Moral.* cap. XXII, dictum est *Actor.* X, 13 : « Macta, et manduca : » qui mactatur quippe vita privatur; id vero quod comeditur in comedentis corpus commutatur. Macta igitur, inquit, et manduca, id est pecato, in quo vivunt, priva; et a seipsis illos in tuum corpus converte, etc. Diabolus e diverso impiorum omnium est caput, quorum universitas est ipsius corpus, quod ille regit, gubernat, et spiritu suo iniquo animat; quem propterea *ibid.* cap. XLI, 25 Deus, eamdem sequens loquendi rationem, *caput omnium iniquorum* appellavit : « Ipse est caput super universos filios superbiæ, » quos tanquam corpus ejus describit dicens cap. XLI, 6 : « Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus : » hæc idcirco summa ipsius cura, omnes homines sibi sociare, in tale corpus trajicere, et in membra quæ sibi cohæreant transmutare. Hic ergo Leviathan aut balæna erat in hoc mari magno supremam habens potestatem, ut pleno ore illius *princeps* diceretur, nec ullus erat qui hanc vastissimam belluam posset expiscari, neque potestas erat in terra quæ ei posset comparari. Quare Deus nostri misertus, suaque omnipotentia usus, manum apposuit, ut eam caperet, ligaret, infrenaret, et jam infirmam nobis exponeret revincendam, juxta id quod eidem sub typo Pharaonis regis Ægypti comminatus fuerat *Ezech.* XXIX, 3 : « Ecce ego ad te draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis : Meus est fluvius, etc., extraham te de medio fluminum, et ponam frænum in maxillis tuis, » etc. Eum itaque Deus cepit, et extraxit hamo : Christus enim Dominus recte *hamus* vocari potest, hamus namque piscatorius in se ferream aut æream habet naturam fortissimam; sed ita coopertus est rubra carne vermiculi, ut vere nihil aliud quam quidam vermiculus videatur. Ita Christus in se veram habebat naturam divinam, nam verus erat Deus, æqualis Patri, coopertus tamen carne rubra vermiculi, id est hominis, qui in Scriptura sæpe *vermis* dicitur; atque hoc modo *Rom.* VIII, 3, « factus est in similitudinem carnis peccati, » taliterque ea fuit coopertus, ut ab omnibus velut vermis, id est communis homo et peccator haberetur; unde et per os David de se prædixerat *Psalm.* XXI, 7 : « Ego autem sum vermis. » Ostendit autem Paulus naturam ejus divinam, fortitudine plusquam ferream, infirmitate carnis convestitam, dicens *Philip.* II, 6 : « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus; » quod et B. Joannes significavit cum dixit *Joan.* I, 14 : « Et verbum caro factum est. »

Christus est caput Ecclesiæ.

Diabolus caput impiorum desiderat omnes sibi incorporare.

Deus diabolum hamo divinitatis carne humanitatis vestito cepit.

Ecce ergo hamum esca carnis vestitum, quem Deus Leviathan, id est diabolo objecit; qui videns vermiculi speciem, accessit pleno ore Christum volens deglutire : nec enim fore suspicabatur, ut humanitatem et infirmam carnem aggressus in divinitatem incurreret. Sicut ergo apposita hamo esca pisces decipimus, qui videntes escam, hamum non considerant, et volentes escam capere, hamo capiuntur : sic et diabolo contigit, dum tantum corpus hominis in Dei Filio consi-

Deus objiciens diabolo escam humanitatis, transfixit illum acule divinitatis.

derat, et Deum in corpore non agnoscit, quasi ad præparatam sibi prædam solita aviditate festinat; sed dum vult avidus prædam rapere, ipsemet draco velut piscis adductus in hamo præda Domini factus est. *Et posuit circulum in naribus ejus* : nares enim in Scriptura sacra indicant iracundiæ et superbiæ spiritum : qui namque eo agitur, narium respiratione illum demonstrat. Hanc ergo belluam cœlo expulsam Joannes visus est conspicere maxima ira concitatam quasi ingentes aquarum nimbos naribus efflantem, et terræ marique exitium minitantem, quapropter clamat *Apoc.* XII, 12 : « Væ terræ et mari, quia diabolus descendit ad vos magnam iram habens; » sed Christus audacem ac superbam ejus iracundiam, qua in homines sæviebat, ita compressit, ut jam coram servis Dei vix audeat hiscere aut respirare. *Et armilla perforavit maxillam ejus*, id est tam valido freno repressit, et ita violentum ejus impetum coercuit, ut vel pueri jam illudere illi possint. Pulchre ad hunc locum B. Petrus Damiani *Serm.* 18 : « Per *Leviathan*, inquit, cetus ille devorator humani generis designatur, qui dum se divinitatem homini addere spopondit, immortalitatem sustulit : qui prævaricationis quoque culpam, quam primo homini propinavit, dum se sequentibus pessima persuasione multiplicat, pœnas eis sine cessatione coacervat. *Armilla* igitur Dominus per electos suos *maxillam Leviathan perforat*, quia ineffabili misericordiæ suæ potentia malitiæ antiqui hostis obviat, ut aliquando eos etiam, quos jam cepit, amittat : et quasi ab ore ejus cadunt, qui post perpetratas culpas ad innocentiam redeunt. Quis enim ore illius semel captus maxillam ejus evaderet, si perforata non esset? » Idem hom. 46 *De Nativ. B. Mariæ* : « Hunc ergo, inquit, Pater omnipotens hamo cepit, quia ad mortem illius unigenitum Filium incarnatum misit; in quo et caro passibilis videri posset, et divinitas impassibilis videri non posset. Cumque in eo serpens iste per manus persequentium escam corporis momordit, divinitatis illum aculeus perforavit. Prius vero eum in miraculis Deum cognoverat, sed de cognitione ad dubitationem cecidit, quando hunc passibilem vidit. Quasi hamus ergo fauces deglutientis tenuit, dum in illo esca carnis apparuit, quam devorator appeteret; et divinitas passionis tempore latuit, quæ necaret. In hamo ejus incarnationis captus est, quia dum in illo appetit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis : ibi quippe inerat humanitas, quæ ad se devoratorem duceret; ibi divinitas, quæ perforaret; ibi aperta infirmitas, quæ provocaret; ibi occulta virtus, quæ raptoris fauces transfigeret. In hamo igitur captus est, quia inde interiit, unde momordit, et quos jure tenebat mortales perdidit : quia eum, in quo jus non habuit mortis, appetere in morte præsumpsit. »

Vers. 21 et 23.

22 et 23. NUMQUID MULTIPLICABIT AD TE PRECES, AUT LOQUETUR TIBI MOLLIA? NUMQUID FERIET TECUM PACTUM, ET ACCIPIES EUM SERVUM SEMPITERNUM? — Qui victi sunt a potentiori hoste, et periculum imminet servitutis aut cædis, cum lacertis ac viribus nequeunt propulsare periculum, ad preces confugiunt et supplices lacrymas, quantumvis prius spiritus habuerint arrogantes. Petit ergo a Jobo Deus, numquid eo adacturus sit prostratum jam marinum hoc monstrum, ut despondeat animum, et nihil in suis viribus putet esse subsidii, et ad supplices preces, quod hostes faciunt superati, confugiat; vel, numquid ad eam conditionem adducturus sit cetum, ut vitam, quam jure victoriæ jam victus amiserat, cum æterna servitute commutet. Notum est enim perpetuo servitutis nexu redimi vitam, quæ fuerat ferro legitime devota : nam qui jure belli occidi potuit, non duram subit conditionem, si paratam mortem cum longa servitute commutet; neque cum illo injuste agit aut crudeliter victor, si servilibus notis ingenuam compungat faciem, dum vitam concedat, quam amittere potuit, qui ad illum usque articulum eripere studebat alienam. Sic III *Reg.* XX, 32 sane fecit Benadad cum victus esset ab Achab, eo se demittens subita rerum inclinatione percussus, ut servum se ultro offerret, vitæ tantum possessione contentus; sed nunquam, inquit, istiusmodi conditionem accipiet Leviathan : quia nunquam quis illum sub suam potestatem adducet : ita Sanctius noster. Allegorice S. Gregorius lib. XXXIII *Moral.* cap. XII : « Si, inquit, ad personam Filii hæc verba referantur, incarnato ei mollia loquebatur cum diceret *Marc.* I, 24 : *Scio quia sis Sanctus Dei.* Ad quem Leviathan iste multiplicavit preces, cum per subditam sibi legionem dixit *Luc.* IV, 34 et *Matth.* VIII, 31 : *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum.* Quamvis intelligi potest apertius, quia ad Dominum preces multiplicat, cum extremi die judicii iniqui, qui ejus corpus sunt, sibi parci deprecantur; cum membra ejus, videlicet reprobi, sero clamantes dicunt *Matth.* XXV, 11 : *Domine, Domine aperi nobis*, quibus protinus dicitur : *Nescio vos.* Tunc etiam Domino per membra sua mollia loquetur, quando multi ex ejus corpore dicturi sunt *ibid.* VII, 22, *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* » etc. : ita Gregorius, qui *ibid.* cap. XIII pulchre ostendit, quomodo diabolus in hac vita nesciens sanctorum usibus servit, et tentationis licentia quasi ex pacto accepta voluntatem suam implet tentando; sed voluntate Dei ligatur, ut electos et volens tentet et nesciens probet.

Mors cum servitute commutari solita.

Preces impiorum irritæ in judicio.

Nulla sane vis, nulla oppositio, nulla adeo est contraria potestas, quæ justis viris non serviat, ut juxta præscripti a Deo finis viam vadant : regnum Josepho præscriptum, ut eliminarent fratres Josephum vendunt, et Ismaelitarum servum faciunt. Quid regi magis contrarium quam servi et conditio et habitus? attamen quando ad servitutem, tunc ad regnum abiit : sic D. Gregorius homil. 21 *in Ezech.* : « Quia, inquit, mutari Dei con-

Ipsæmet contrarietates justis serviunt ad gloriam.

http://www.obrascatolicas.com

silium non valet; quem ideo vendiderant, ne adorarent, adoraverunt, quia vendiderunt. » Quidquid in contrarium moliaris, resistente licet universa creatura, pugnantibus tenebrarum potestatibus, per eas ipsas contrarietates justus vir vadit secundum quod scriptum est de eo; nec ulla est rerum contrarietas, quam sibi servire divina sapientia non faciat. De maximo igitur omnium adversariorum diabolo sic hoc loco divina sapientia *gloriatur* : « Numquid feriet tecum pactum, et accipies eum servum sempiternum? » quasi ipsa sola adversariorum machinas sibi faciat prorsus inservire. Id quod expendit Rupertus lib. II *De Oper. S. Spir.* et lib. I *De Sap.* cap. XXV, ponderans quam serviret diabolus Christi Domini itineribus ad gloriam, dum post multa sic ait : « Intendebat Dominus facere irritam venditionem, qua semetipsum primus homo vendiderat; adjuvit et hanc intentionem bonam servus nequam faciendo, ut venderet hunc hominem traditor. Intendebat divinitas huic homini dare regnum, et subjicere potestati ejus omnia regna mundi; adjuvit et in hoc servus iste agendo, ut per furiosum jocum purpura vestiretur, sceptro, id est calamo, donaretur, coronaretur, et regio nomine salutaretur. Et quia cogitaverat Dominus ponere in eo (nempe Christo) iniquitates omnium nostrum, spinea erat corona; ne posset negare servus illusor, quin iste Dominus omnium spinas portaverit peccatorum nostrorum. » Sic inserviente contrario, ministrantibus ipsis contradictionibus, Filius hominis vadit, imo volat in sibi præfinitam et præordinatam gloriam. Respice iterum Jonam illum, qui ut a Dei fugeret obedientia, quot se contrariis commisit? mittebatur in Niniven, ipse vero se navi dedit; insuper furenti mari committitur, rursus a ceto voratur, quo penitus a via sibi imperata videbatur impeditus; tamen hæc omnia impedimenta illum, licet ignorantem, deducunt in Niniven : ita D. Gregorius lib. VI *Moral.* cap. XXII : « Ecce, inquit, fugitivum Dei tempestas invenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit; et quia auctori suo obedire renitur, ad locum, quo missus fuerat, suo reus carcere portatur. » Sic contraria etiam impedimenta Deo serviunt in deducendis suis placitis ad finem.

Deus ipsius diaboli machinas facit justitiæ inservire.

Vers. 24. 24. NUMQUID ILLUDES EI QUASI AVI, AUT LIGABIS EUM ANCILLIS TUIS? — Notum est silvestres feras et montanas volucres, maxime si in ætate teneriori capiantur, tractatione molli mansuescere, et hominibus præbere assiduos neque injucundos ludos : quales sunt e genere volatili psittaci, corvi, picæ, et aves aliæ, quæ usu condocefactæ neque horrent domesticos, neque illis horrori sunt aut fastidio. Idem dicendum de terrestribus feris, quæ cicuratæ familiariter inter homines vivunt, et non ligatæ solum, sed etiam solutæ ludunt et gestiunt, et mille hominibus afferunt voluptates : ut sunt cervi, dorcades, etc. Quin et apud Ægyptios tradit Ælianus lib. XVII *Histor. Animal.* cap. V

Feræ et aves silvestres ab hominibus cicurantur, sed non ligata.

cicurari aspides, simulque cum infantibus innoxios vivere, et in mensa comedere; hæc autem nullus homo obtinebit a Leviathan, etiamsi capiat, et in domum adducat. Soli nimirum Christo hæc potestas Leviathan, id est dæmonem ligandi, et ita violentum ejus impetum coercendi reservata fuit, qui per crucem et passionem suam ita vires ejus enervavit, et quasi valido freno compressit, ut jam quasi cum ligato passerculo possint pueri parvuli et infirmæ puellæ ludere. In quibus et potentia Filii Dei et infirmitas diaboli demonstrata est, quem jam ligatum tanquam paserem exhibet. « Vinxit namque, inquit Olympiodorus in *Caten.*, hostem Dominus noster, eumque vinculis constrictum, iis qui conversi sunt, et effecti sunt parvuli, uti passerem quempiam illudendum objicit. » S. Hieronymus similiter epist. 8 *ad Demetr.* : « Salvator, inquit, generis humani, qui virtutum et conversationis suæ reliquit exemplum, post baptismum statim assumitur a Spiritu, ut pugnet contra diabolum, et compressum atque contritum tradat discipulis suis conculcandum : » quibus consentiens Origenes in *Caten.* : « Magni, inquit, et corroborati animi perfectionem declarat; quandoquidem ei perinde draco traditus est ut passer puerulo, a quo parvulus lædi non possit : passer autem quo pueri voluntas tulerit circumfertur. Nimirum hoc pacto Domini benignitate ac munere vinctus Satanas, infantibus et lactentibus, e quorum ore *laudem perfecisti, Deus*, subjectus est : » vide S. Gregorium lib. XXXIII *Moral.* cap. XIV et XV.

Solus Christus Leviathan ligavit, et pueris, id est sanctis, ludum fecit.

25 et 26. CONCIDENT EUM AMICI, DIVIDENT ILLUM NEGOTIATORES? NUMQUID IMPLEBIS SAGENAS PELLE EJUS, ET GURGUSTIUM PISCIUM CAPITE ILLIUS? — Petit a Jobo Deus, an cetum concisum in frusta inter se possint dividere amici et negotiatores, uti solent boves et merces dividere, *q. d.* Non potest cetus ab homine capi ac dividi, sed tantum a seipso, si videlicet in siccum se conjiciat, aut ad vadum incautus nimirum accedat, vel anchora velut esca devorata seipsum interimat : vide quæ *supr.* cap. III, 8, de captura ceti seu Leviathan annotavimus. Septuaginta pro *concident eum amici* transtulerunt, ἐνοικοῦνται δὲ ἐν αὐτῷ ἔθνη, *pascuntur eo gentes*; Pagninus et Vatablus *cœnabunt*; Cajetanus *prandebunt*. Comedere autem aliquem, est illum omnino et summa facilitate revincere ac superare, ut annotavit Oleaster in *Num.* cap. XIV, 9, ubi dicitur : « Sicut panem ita possumus devorare eos, » id est, prævalebimus, sicut in panem prævalet qui illum dividit et comedit. Quod observaverat prius D. Augustinus in illud *Psalm.* LXXIII, 14 : « Dedisti eum escam populis Æthiopum. » Mystice hæc omnia complevit Deus cum homo factus est; qui dæmonem tam invalidum reddidit, ut possint amici Dei et negotiatores regni cœlestis eum concidere et dividere, id est, verbi Dei gladio percutere, et ad nihilum redigere; quod revera sanctos viros fecisse compertum est, si eorum

Vers. 25 et 26.

Cetus non facile potest ab homine capi ac dividi.

vitam consideremus; quos videmus illudentes dæmoni, et cum verberibus affligentes. Ludebat enim cum eo B. Dominicus, et illudebat ei, ut in *Histor.* part. III D. Antoninus enarrat : similiter cum contemnebat S. Antonius, ut in *Vita* ejus D. Athanasius late prosequitur; et quasi omnino inermem et infirmum spernebat S. Benedictus, ut tradit D. Gregorius lib. II *Dialog.*

Testimonia S. Patrum de hac Christi victoria.

Hæc omnia Christus Dominus nobis præstitit, quæ egregie consideravit et expendit B. Augustinus serm. 197 *De Temp.* exponens quomodo David in deserto superbiam Goliæ dejiciens, fastum vincens, vires enervans, caput amputans, et relinquens viribus privatum, typum tenuerit Christi Domini : « Ante adventum, inquit, Christi, fratres charissimi, solutus erat diabolus : veniens Christus fecit de eo quod dictum est *Matth.* XII, 29 : *Nemo potest intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem.* Venitergo Christus, et alligavit diabolum. Dicet aliquis : Si alligatus est, quare adhuc tantum prævalet? sed tepidis et negligentibus, et Deum in veritate non timentibus dominatur : alligatus est namque tanquam innexus canis catenis; et neminem potest mordere, nisi eum qui se illi securitate mortifera conjunxerit. Jam videte, fratres, quam stultus est homo ille, quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per cupiditates et voluptates sæculi noli conjungere, et ille ad te non præsumet accedere : latrare potest, sollicitare potest, mordere non potest, » etc. : ita ille. Hanc Christi victoriam a Davide prophetatam et decantatam considerat S. Ambrosius lib. IV *in Luc.* : « Innumeris, inquit, validisque laqueis diabolus orbem repleverat; sed videt David eos omnes et contritos, ideoque exsultans canit *Psalm.* CXXIII, 7 : *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, et nos liberati sumus*; et quasi audiret interrogantem : Quisnam hos laqueos contrivit, nosque in libertatem reduxit? respondet : *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, prophetans, quod venturus esset in hanc vitam, qui contereret laqueum diaboli præparatum. Sed non potuit melius conteri laqueus, nisi prædam aliquam diabolo demonstrasset, ut dum ille festinaret ad prædam, suis laqueis ligaretur. Quæ potuit esse præda nisi corpus? Oportuit igitur hanc fraudem diabolo fieri, ut susciperet corpus Dominus Jesus, et corpus hoc corruptibile, corpus infirmum; ut dum diabolus infirmitate excitatus in eum irrueret, captus per divinitatis vim remaneret, quem jam omnes vincere possemus. » Hæc et alia S. Ambrosius : vide quoque S. Gregorium lib. XXXIII *Moral.* cap. XIV, XV, XVI, XVII.

Vers. 27 et 28. 27 et 28. PONE SUPER EUM MANUM TUAM : MEMENTO BELLI, NEC ULTRA ADDAS LOQUI. ECCE SPES EJUS FRUSTRABITUR EUM, ET VIDENTIBUS CUNCTIS PRÆCIPITABITUR, — id est, si aggrediaris eum ut capias, ita te lædet, ut recorderis tam temerarii prælii, nec ultra quid simile cogitare aut loqui audeas : qui sensus planus est, et idem valet quod Latinorum eodem argumento proverbium : « Piscator ictus sapiet, » quicumque enim marinum illud monstrum temere attentarit, frustrabitur eum spes ejus, quam de illo capiendo ceperat. S. Hieronymus et Beda paulo aliter hoc exponunt; quasi hoc modo Jobum Deus alloquatur : Tu, o Jobe, capere non poteris aut domare Leviathan, illumque ancillis illudendum tradere; sed ego id faciam, et ita tibi subjectum et obsequentem dabo, ut imponas illi manus atque demulceas, non secus ac si dorcas esset aut agnus. Quare memento belli quod frustra et non impune suscepturus esses, quodque ego suscepi cum hoc marino monstro feliciter; et guarus virtutis meæ et infirmitatis tuæ, querelas mitte a te sæpius iteratas, et æternum tibi ea de re indicito silentium. Ita ferme S. Hieronymus, qui dicit juberi a Deo Jobum ut recordetur, quam durum a diabolo certamen sustinuerit, et inde colligat, se non tam sua quam divina potentia in eo congressu fuisse superiorem; et potius gratias agat Deo, quod sibi in illo agone patronus adfuerit, quam queratur se ab illo in eo discrimine fuisse derelictum. Tropologice, qui cum immani bellua, id est dæmone infernali, certamen suscipere voluerit, necesse est ut se ad magna comparet bellorum discrimina, juxta illud Sapientis *Eccle.* II, 1 : « Fili accedens ad servitutem Dei sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem; » in quam sententiam multa Patres eaque gravissima. Qui ergo voluerit manum ponere super hunc Leviathan, id est illi bellum inferre, necesse est belli meminerit, neque vitam sibi putet futuram otiosam et inertem. Allegorice, Christus insignem de terribili ceto victoriam reportavit, ejusque spem frustratam reliquit, cum diabolus illum tentans nihil eorum quæ intendebat ab ipso potuit obtinere : nam nec Christum potuit inducere ut suam personam manifestaret, neque ut aliquod vel minimum peccatum committeret : in vanum ergo et sine causa consumpsit miser fortitudinem suam : nec tantum infelix sua spe frustratus mansit, sed videntibus cunctis fuit præcipitatus : coram multis namque angelorum agminibus, qui aderant ad spectaculum istud, projectus fuit. Aut vero dicitur præcipitatus cunctis videntibus, ad significandum tam evidentem et patentem fuisse victoriam, ut omnium oculis manifesta esse possit. Manifeste ergo præcipitatus est : in Hebræo habetur verbum quod significat *ejicere*, projicere, manu valida expellere : ita nimirum Christus expulit Leviathan verbi sui potentia, et in tartara præcipitem dedit.

Periculosa est ceti captura.

Tropologice qui suscipit bellum cum dæmone animum paret.

Christus diabolum cepit, ligavit et viris sanctis subjecit.

http://www.obrascatolicas.com

CAPUT QUADRAGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Fusius explicat robur Leviathan seu balænæ, ut inde clarius eluceat divina potentia et sapientia et dominium absolutum etiam in omnes alias creaturas.

1. Non quasi crudelis suscitabo eum : quis enim resistere potest vultui meo? 2. Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt. 3. Non parcam ei, et verbis potentibus, et ad deprecandum compositis. 4. Quis revelabit faciem indumenti ejus? et in medium oris ejus quis intrabit? 5. Portas vultus ejus quis aperiet? per gyrum dentium ejus formido. 6. Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus. 7. Una uni conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas : 8. Una alteri adhærebit, et tenentes se nequaquam separabuntur. 9. Sternutatio ejus splendor ignis, et oculi ejus, ut palpebræ diluculi. 10. De ore ejus lampades procedunt, sicut tedæ ignis accensæ. 11. De naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque ferventis. 12. Halitus ejus prunas ardere facit, et flamma de ore ejus egreditur. 13. In collo ejus morabitur fortitudo, et faciem ejus præcedit egestas. 14. Membra carnium ejus cohærentia sibi : mittet contra eum fulmina, et ad locum alium non ferentur. 15. Cor ejus indurabitur tanquam lapis, et stringetur quasi malleatoris incus. 16. Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, et territi purgabuntur. 17. Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit neque hasta, neque thorax : 18. Reputabit enim quasi paleas ferrum, et quasi lignum putridum, æs. 19. Non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ. 20. Quasi stipulam æstimabit malleum, et deridebit vibrantem hastam. 21. Sub ipso erunt radii solis, et sternet sibi aurum quasi lutum. 22. Fervescere faciet quasi ollam profundum mare, et ponet quasi cum unguenta bulliunt. 23. Post eum lucebit semita, æstimabit abyssum quasi senescentem. 24. Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret. 25. Omne sublime videt, ipse est rex super universos filios superbiæ.

Vers. 1. Cur Deus cetum creavit.

1. Non quasi crudelis suscitabo eum : quis enim resistere potest vultui meo? — Persequitur mirabilem ceti descriptionem, diluitque primum tacitam objectionem quæ posset opponi : cum enim belluam adeo immanem condiderit, videri posset alicui rem minus pensitanti non esse æquam providentiam, quæ maris tyrannum, cui non posset repugnari, permittit. Hanc elidit, testatus se non ad crudelitatem, sed ad infinitæ potentiæ suæ ostensionem cetum creasse; neque velle suscitare, hoc est excitare, urgere illum, ut noceat : constat quippe neminem repugnare valiturum, si belluam excitaret; *vultum* autem hic pro ira vultu expressa posuit. Ait ergo non crudelitatis indicium esse, quod bestiam tam immanem excitarit et creaverit, sed potentiæ suæ infinitæ parvam esse portionem et argumentum, *q. d.* Si huic bestiæ resistere nequis, qui, quæso, meam ferre poteris majestatem? De dæmone, inquit de la Nuza *Tractat.* VIII, num. 143, sub ceti typo agens, cujus vires fortes validasque et quasi insuperabiles miris coloribus hic depingit, ne homo ejus terrore nimio corriperetur, cum tam immani bellua sibi certandum esse cernens; neve Deum ut crudelem incusaret, quod tam potentem et natura viribusque longe superiorem homini infirmo hostem opposuisset: Deus in hoc totus est, ut ostendat nequaquam se illi rem nimis duram impossibilemve imposuisse; quippe quod facile sit inimicum revincere, qui, quantumcumque in se potens sit ac validus, quia tamen ligatus est, exerere vires nequit. Supponit ergo Deus se eum tenere hamo captum, fune ligatum, ita ut etiam qui exiguis viribus prædiți sunt, quos sup. cap. *ancillas* vocat, possint illi illudere. Ex quo hæc infert : « Non quasi crudelis suscitabo eum : » in Hebræo est vox אכזר *achzar*; quæ tantum ter aut quater in Scriptura reperitur, significans *crudelitatem* et sævitiam, qua quis utitur, dum eum, quem protegere tenetur, reliquit sævis inimicis aut crudelibus bestiis devorandum : ita Jeremias *Thren.* IV, 3 : « Filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto; » dicitur autem struthio *crudelis*, quia relinquit ova sua pedibus transeuntium conculcanda, uti dictum cap. XXXIX, 17. Eadem voce usus fuerat Job cap. XXX, 21, suas ad Deum instruens querimonias : « Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi : » *crudelis* vocaretur pater, qui filium leonibus objiceret, eorum dentibus et unguibus lacerandum. Videbatur ergo Deus Jobo se crudelem exhibuisse, quod eum dæmonis furori objecisset, qui non solum exteriora ejus bona dissipavit, sed et carnem ipsam innumeris plagis laceravit, adeo ut in unoquoque verme, inquit Origenes, Jobus unum dæmonem carnem suam devorantem conspiceret. Deus idcirco eadem voce usus : « Non, inquit, quasi crudelis suscitabo eum : » in Hebræo est verbum עור *ghur*, quod animantis est et excitantis aliquem, ut fortiter agat contra alium, ut cum dicitur *Isai.* X, 26 : « Suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum; » et *Zach.* XIII, 7 : « Framea suscitare super pastorem meum. » Deus propterea fatetur se dæmonem excitasse contra Jobum, non ut superaret eum, sed ut ab eo victus confunderetur : cum enim dæmon totius orbis dominum se insolentius jactitaret, Deus in medium adduxit beatum illum virum dicens cap. I, 8 : « Numquid considerasti servum meum Job? etc., quasi illum eidem opponens, in quem malitiæ ac fraudis suæ tela converteret. Hæc quidem et similia agit Deus exponens sanctos suos inimici ictibus impetendos; sed nullatenus propterea crudelis debet judicari, quippe cum ita comprimat et enervet hujus validi hostis vires, ut nullam possit violentiam inferre; cui tantum concedit verbis, suasionibus et hortationibus nos impugnare. Vide quæ cap. XL, 14 dicta sunt, ubi ostenditur Deum certamina viribus nostris attemperare.

Deus mirabile

Deus cur dæmonem suscitarit contra Jobum.

crudelis, quod diabolum nobis opposuerit.

Vers. 2. Deus dat cuilibet prout vult, nec cum eo expostulari potest.

2. Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? Omnia quæ sub cœlo sunt mea sunt. — Docet cum Deo minime expostulandum, quod ceto præ aliis vim illam fortissimam contulerit : quis enim prius illum muneribus obligavit, ut similem vim quasi emptam pretio reciperet? Deus omnibus dominatur creaturis, singulisque distribuit ingenia pro consilio sapientiæ suæ, quæ reprehendi non potest : acutissimam sane reddit rationem, cur possit vires atque potentiam cui voluerit præstare, sic ut nemo possit ejus rei vires infringere, quam ipse validiorem esse voluit : quia cum sit auctor bonorum omnium, sic ut nemini, si summo jure agatur, gratiam ullam aut beneficium debeat, jure suo potest bona cui voluerit arbitratu suo tribuere, sic ut nulli injuriam faciat, nec crudelis, ut Vulgatus transtulit, sed bonus ac dives judicari debeat. Probat autem illud, quod nemini gratiam, si summo jure agatur, aut ullum beneficium debeat : nam tunc deberet, si aliquod prius ab alio quam ipse daret beneficium accepisset; nemo autem est qui ullum possit Deo prius beneficium conferre, et id significat dicens : « Quis ante dedit mihi ut reddam ei? » probat autem fieri non posse, ut quispiam ei prius aliquid det, quid enim daret? cum omnia quæ sub cœlo sunt ejus sint. Nihil igitur reliquum ulli est quod Deo præstet; cum igitur Dei omnia sint, nihilque ulli debeat, potest bono quemcumque ut sibi placuerit augere, eritque temerarius et insanus, qui hoc ejus consilium voluerit impedire : cujus enim præsidio aut qua re nixus impediet, si res omnes quæ sub cœlo sunt Dei sunt? quare cum voluerit ipse vires tantas ac magnitudinem tantam ceto suppeditare, temerarius erit qui eum incitaverit, aut qui Deum crudelem, quod eum talem fecerit, indicaverit. Simile est argumentum S. Pauli de Deo dicentis *Rom.* XI, 35 : « Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? » quæ sententia videtur desumpta ex his Dei verbis : « Quis ante dedit mihi ut reddam ei? » Paulus autem loquitur eo loco de æterna electione et prædestinatione hominum ad vitam æternam, et de vocatione eorum ad gratiam Dei; non vero de redditione vitæ æternæ, quæ fit hominibus justis post hanc vitam. Nemo autem hominum ullis suis operibus mereri potest æternam electionem ac prædestinationem, quippe quæ non sit ex prævisione bonorum operum, sed ob gratuitam Dei voluntatem et misericordiam : vocatio etiam prævenit omnia opera hominum, quæ non solum vocationem, sed etiam justificationem subsequuntur. Ergo quamvis priora sint bona opera quam redditio vitæ æternæ; ipsa tamen bona opera tripliciter Deus prævenit, primo per electionem et prædestinationem ab æterno, tum in tempore per vocationem et gratiam prævenientem et auxiliantem; ac demum per gratiam sanctificantem et justificantem; ex quo potissimum et principaliter habent opera justorum, ut sint condigna merita vitæ æternæ.

Deus nulli debet si summo jure agatur.

Electio et prædestinatio non cadit sub meritum nostrum.

Opera nostra bona

Deus tripliciter prævenit.

Vers. 3. Deus non permittit Leviathan agere quod vult.

3. Non parcam ei, et verbis potentibus, et ad deprecandum compositis. — Licet Leviathan, inquit, tantus sit, tam potens, tam fortis, ut nemo illi per se valeat resistere; tamen si mihi libuerit eum perdere, propter nullius minas aut preces illi parcam, sed liberrime interimam : pro *non parcam*, Septuaginta ex Hebræo transferunt οὐ σιωπήσομαι, *non tacebo*, verbum enim hebræum חרש *hharas* significat *silere*, tacere, dissimulare; et ex consequenti permittere, qui enim tacet et dissimulat, consentire aut saltem permittere videtur. Ita de Saule dicitur I *Reg.* X, 28 : « Ille dissimulabat se audire; » et *Habac.* I, 13 : « Quare taces, (id est permittis) conculcante impio justiorem se? » et habetur *Num.* XXX, 4 : « Mulier si voverit quæ est in domo patris, et pater tacuerit (id est consenserit aut permiserit) voti rea erit. » Vult ergo Deus dicere : Non permittam Leviathan, id est diabolum, agere quidquid voluerit; non eum sinam ut ad sui libitum manus moveat; sed hoc tantum, ut agere possit « verbis potentibus et

http://www.obrascatolicas.com

ad deprecandum compositis : » in Hebræo est vox בד *bad* aut בדים *baddim*, quæ *vectes* significat : quapropter Pagninus vertit, *vectes ejus et verbum fortitudinum*, quia *vectis* in Scriptura symbolum est fortitudinis et firmitatis ; quia tota firmitas roburque portarum aut domus vel civitatis in vectium et serarum fortitudine sita est. Ideo *Psalm.* CXLVII, 2 dicitur Deus supernam Jerusalem firmissimam exstruxisse : « Quoniam confortavit seras portarum ejus ; » et *Prov.* XVIII, 19 : « Frater qui adjuvatur a fratre quasi civitas firma : et judicia quasi vectes urbium. » Vult ergo dicere, totam dæmonis potentiam et fortitudinem, quam Deus illi permittit, sitam esse in verbis compositis, ornatis, fucatis ac deceptoriis : vox enim hebræa ערך *gharach* significat proprie componere aut ornare aliquid, ita ut per illud aliquis decipiatur, vel alliciatur, aut provocetur ; hinc voce illa utitur Scriptura *Jos.* II, 6, cum Rahab composuit stipulas super exploratores : « Ipsa enim fecit ascendere viros in solarium domus suæ, operuitque eos stipula lini, quæ ibi erat, » id est, composuit super eos stipulam lini, ut deciperentur quærentes illos. R. David et Complutenses idcirco vertunt, *non tacebo mendacia ejus*, id est verba fallacia deceptoriaque, quia nihil aliud dæmon agere potest nisi mendaciis et ornatis ac compositis verbis, aptisque ad decipiendum locutionibus excitare et inducere. Hoc sine dubio eleganter agit, mirum est enim quomodo rationes componat, quo pacto res fœdissimas repræsentet pulcherrimas, et fulgentissimas illas quæ obscurissimæ sunt, ac proficuas eas quæ extremam inducunt perditionem. Quibus concinit quod a Davide dictum est *Psalm.* XXXVII, 13 : « Qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur. » Notandum quoque vocem בדים *baddim* in Scriptura sæpe sumi ad significandas prædictiones divinorum aut astrologorum, quos *judiciarios* vocant, quæ ut plurimum mendaces sunt ; hinc *Isai.* XLIV, 25, ubi noster Vulgatus legit, *irrita faciens signa divinorum*, in Hebræo habetur, *labefactans signa baddim*, id est astrologorum, et *Jerem.* L, 36, ubi Vulgatus legit, *gladius ejus super divinos ejus*, in Hebræo est, *et gladius ejus super baddim*, id est astrologos. Et quia ut plurimum astrologi mendaces sunt, ideo et pro mendacio hoc nomen ab ipsomet Jobo usurpatum eleganter legimus : nam cap. XI, 3, ubi noster legit, *tibi soli tacebunt homines*, in Hebræo est בדיך *baddecha*, id est, *mendaciis tuis silebunt homines* : talem astrologum agit dæmon, de quo idcirco dicit Deus : « Non tacebo mendacia, » sive *astrologationes* aut *divinationes ejus* : mendaciis namque agit ad modum astrologi, semper futura prædicit, ut homines decipiat et incautos fallat. Unde apposite subjungitur :

Tota dæmonis potentia in verbis compositis ac deceptoriis.

Dæmon est mendax astrologus.

Vers. 4 et 5.

4 et 5. QUIS REVELABIT FACIEM INDUMENTI EJUS? ET IN MEDIUM ORIS EJUS QUIS INTRABIT? PORTAS VULTUS EJUS QUIS APERIET? PER GYRUM DENTIUM EJUS FORMIDO, — id est, quis cetum audeat excoriare, aut pellem ei detrahere? hebraismo enim *facies indumenti* vocatur superficies aut aspectus pellis : « Et in medium oris ejus quis intrabit? (id est, quis ceto frænum in os injiciet, et) portas vultus, » hoc est, os labiaque quis audeat aperire, cum tam terribili dentium vi armata sint? Verum hæc, uti et præcedentia, de dæmone etiam ad litteram explicantur, *q. d.* Quis diaboli vestem ex exteriori specie, forma et habitu, vel iis quæ aforis eam circumstant, valebit discernere? Plerosque homines ex habitu et schemate solemus dignoscere ; alium enim reges, alium induunt nobiles, ignobiles alium et vulgares ; dæmonem vero nequaquam possumus ; quia nullus est ei habitus certus, nullus firmus color, discolor semper et varius, assidue mutat personam, et ad uniuscujusque indolem moresque se conformat, et cujusque cupiditatum atque appetitionum colores in se exprimit, ut facilius unumquemque decipiat ac perdat : cum lascivo enim lenonis, cum avaro furis, cum principibus superbiæ, jactantiæ cæterorumque contemptus, cum iracundo et immiti sævi Martis larvam induit ; serpit sub uniuscujusque desideriis et studiis, ut venena evomat antiquus hostis. Ideo Job ait : « Quis revelabit faciem indumenti ejus? » venuste sic locum interpretatur Origenes in *Caten.* : « Quamobrem non dixit : *Quis revelabit faciem ejus?* sed addidit *indumenti* : quid hoc loco vox sonat *indumenti?* ut id quod dicitur planius percipi possit, a larvis et personis, quæ imponi solent hominibus, exemplum putemus. Sumunt igitur ii qui in scenis versantur histriones personas nonnunquam præfectorum, interdum regum, aliquando etiam mulierum ; et quidem illorum quæ est propria persona latet ; et quod sunt id non vocantur ; existimantium enim judicium fallunt. Talis est draco, nunquam personam suam palam ostendit ; verum ejusmodi personam gerit, qua fallere queat homines : et hic quidem hostis varias tuetur sustinetque personas, et ad singula vitia aptat singulas ; ergo quis demonstrare, quis retegere, quis in lucem aspectumque proferre possit intus latentem draconem? » sic ille.

Cetus excoriare difficile est.

Diabolum ex habita agnoscere difficillimum.

Tropologice igitur hic docetur quam difficile aliquando sit cognitu, an aliqui impulsus, quibus homo excitatur, a Deo sint, an potius a dæmone : ita enim aliquando Satanas se transfigurat, et talia suadet, talibusque rationibus utitur, ut videatur angelus lucis. Quod ipse Deus hic testatur agens de dæmone sub specie ceti, qui postquam præmisit, eum agere verbis dolosis, et sermonibus ad decipiendum aptissime compositis, subdit : « Quis revelabit faciem indumenti ejus? et in medium oris ejus quis intrabit? » faciem enim suam, id est iniquam mentem, ita operit aliquando indumento justitiæ, ut difficile sit eam detegere ; et verba oris ejus tanta duplicitate constant, ut ad intimum eorum difficile sit pervenire. Hac de causa maxime laboraverunt S. Patres præscribentes regulas ad discernendum spiritus et impulsus, quales post Cassianum aliosque asceticos divina prorsus luce plenas tradit S. Pater noster Ignatius in lib. *Spirit. Exercit.*

Discretio spirituum res difficilis est.

Diabolus aliter malos et aliter bonos aggreditur.

Audi Magnum Gregorium eximium morum instructorem lib. XXXIII *Moral.* cap. XXII : « Leviathan, inquit, aliter religiosas hominum mentes, aliter huic mundo deditas tentat : nam pravis mala quæ desiderant aperte objicit ; bonis autem latenter insidians sub specie sanctitatis illudit : illis velut familiaribus suis iniquum se manifestius insinuat ; istis vero velut extraneis cujusdam velut honestatis prætextu se palliat, ut mala quæ eis publice non valet, tecta bonæ actionis velamine subintromittat, » etc. Probandi igitur sunt spiritus, ut docet S. Joannes I *Epist.* IV, 1 : « Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt : quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. » Hinc Josue cap. V, 13, « virum (angelus is erat) cum vidisset stantem contra se evaginatum tenentem gladium, ad eum perrexit, et rogavit : Noster es, an adversariorum? » Idem nobis faciendum, exploranda negotia, exploranda hostium castra, explorandi pseudoprophetæ sunt, consiliarii, amici, et ne decipiamur probandi spiritus. Pulchre in hanc rem S. Chrysostomus hom. 15 *ad Popul.* : « Obumbratus, inquit, est laqueus ; quandoquidem non aperte mors apparet, neque manifesta clades, sed undique obtecta adjacet, multa tibi opus est consideratione et diligenti scrutatione : sicut enim pueri terræ laqueos, sic diabolus vitæ voluptatibus peccata contexit. Sive consulat quispiam, sive aduletur, sive obsequatur, sive honores polliceatur, sive quodcumque aliud, omnia cum diligentia examinemus. Si lucrum occurrat, scrutare, ne forte peccatum intra lucrum sit absconditum ; si voluptas, ne voluptatem solum respicias, sed ne forte iniquitas aliqua in voluptatis profundo obumbrata sit considera, » etc.

Quomodo sint spiritus probandi.

Leviathan typus Antichristi.

Allegorice sub nomine *Leviathan* non inconcinne hæc ad Antichristum etiam referri possunt, q. d. *Quis revelabit faciem indumenti ejus?* hoc est fraudem et malitiam sub specie sanctitatis tanquam sub vestimento occultatam. *Et medium oris ejus quis intrabit?* id est, quis calliditatem verborum ejus poterit introspicere? *Portas vultus ejus quis aperiet?* habebit enim vultus, hoc est externa demonstratio, varias et sibi invicem occurrentes multisque flexibus et meandris implicitas portas propter astum et fraudulentiam ; itaque quemadmodum qui in domum aliquam, quæ multas hinc inde fores habet, ingreditur, non potest deinde facile egredi : ita qui vultum Antichristi, ejusque mores et progressum contemplatur, non poterit facile secum statuere, utrum eum sectari an insectari debeat ; atque adeo ejus rebus signisque ac prodigiis quasi labyrintho aliquo implicitum se sentiet. *Per gyrum dentium ejus formido*, id est in prædicatoribus ejus, qui *dentes* illius appellantur, quod ejus nefariam doctrinam aliis comedendam terant, erit conjunctus terror principum, qui vi et armis mortales ad parendum Antichristo compellent.

Vers. 6, 7 et 8.

6-8. CORPUS ILLIUS QUASI SCUTA FUSILIA, COMPACTUM SQUAMIS SE PREMENTIBUS. UNA UNI CONJUNGITUR, ET NE SPIRACULUM QUIDEM INCEDIT PER EAS : UNA ALTERI ADHÆREBIT, ET TENENTES SE NEQUAQUAM SEPARABUNTUR. — Describit marinum illud monstrum undique tectum et munitum quasi æreis scutis squamatim consertis, quæ neque ferro discindi, neque ulla vi aut machinatione divelli aut diffindi possint. Squamæ enim quasi e duro chalybe formatæ ita se in prodigioso corpore tegendo constringunt et complicant, ut in unam omnes coaluisse videantur : quare neque patere potest vulneri locus hiantibus aut dissociatis squamis, neque perforatis adigi lethale spiculum. Sed hæc balænæ non videntur congruere, cujus pellis neque adeo dura est, neque squamis obducta, sed glabra et mollis, uti testantur illi qui eas viderunt et contrectarunt ; unde colligitur hic aliud quodpiam monstrum marinum describi a balænis nobis notis diversum. Cæterum ea forma, qua magistra et mater natura corpus Leviathan squamis stricte munivit, et inter se colligavit, ac firmiter sic conjunxit, ut omnibus telis aditus intercludatur ; eadem et corpus diaboli contra Christum armatum ex tot squamis compactum est, quot fuerunt reges, principes, gentes et populi, qui licet in reliquis dissidentes et inimici, tamen contra illius Ecclesiam convenerunt. Unde S. Bernardus serm. 24 *in Cant.* optimis coloribus horum concordem discordiam et inimicissimas amicitias conciliatas describens dicebat : « Ineunt familiaritatem ad maledicendum, concordes ad discordiam ; conciliant inter se inimicissimas amicitias, et pari consentaneæ malignitatis affectu celebratur odiosa collatio. Haud secus egere quondam Herodes et Pilatus ; de quibus narrat Evangelium *Luc.* XXIII, 12, *quod facti sunt amici in illa die*, hoc est in die Dominicæ passionis. » O amicitias inimicissimas! o concordias maxime discordes! o pax amara, quæ Deum pacis, et eum qui est pax nostra, et pax dulcis, amarum reddidit, et ad arma incitavit!

Leviathan squamis munitus.

Corpus diaboli simile Leviathan.

Impiorum in malo concordia.

Adversus eosdem etiam S. Hieronymus locum hunc explicans : « *Corpus*, inquit, *diaboli* omnes consortes ejus intelligendi sunt, quos tanta consensione atque conspiratione Deus dicit illi conjunctos, ut indissolubili connexione sint eidem copulati. Quod autem *scutis fusilibus* comparantur ideo est, ut significetur pertinax repugnantia. » S. Gregorius vero lib. XXXIII *Moral.* cap. XXIV explicat prædicta verba de dæmone, cujus *carnes* asserit esse reprobos omnes, *membra* vero *carnium* impios unitos, inter quos major est unio quam inter fratres : nam fratres inter se separantur, cum membra carnibus realiter uniantur. Quod magis amplificat Eugubinus cum ait : « Particulæ

http://www.obrascatolicas.com

sive membra, quæ in aliis animantibus sunt separata ad invicem, in eo unita sunt, connexa et cohærentia. » Videndus pro hac unione Philo lib. *De Conf. ling.* ubi asserit malos non solum conjunctos esse inter sese conceptionibus animorum, sed etiam verbis *Genes.* XI, 6 : « Ecce unus est populus et unum labium omnibus, » ad malum scilicet, ut quotidie videmus ac deflemus. De improborum concordia passim queruntur prophetæ, atque in primis Regius *Psalm.* LXXXII, 6, suis nimirum periculis ac laboribus edoctus : « Quoniam, inquit, cogitaverunt unanimiter adversum te, » etc., ubi D. Hieronymus merito exclamat : « Infelices nos ! infelix populus Dei ! non potest in bono tantam habere concordiam quantam mali habent in malo. » Infelix sane populus Dei, quia nihil plane absurdius, quam ut populus Dei, qui unus est, et unitatis pacisque amator, dissidiis laceretur. Sed hoc ipsum audi elegantiore verborum ac sententiarum ornatu a Gregorio Nazianzeno in orat. *ad Episc. Ægypti* : « Absurdum est, inquit, cum ii qui summum Numen contumeliis insectantur, inter se consentiant ac concordent, ac privatam cujusque imbecillitatem communi consensu et conspiratione, non secus ac funiculi illi qui mutuo nexu roborantur, suffulciri putent; nos contra ea esse amentia, ut cum iis concordiæ fœdere astringi nequeamus, qui nobiscum in religionis causa consentiunt; quod tamen multo æquus erat, cum ipsi divinitatem quoque conjungamus. » Sic ille, et quidem pulcherrime : quid enim ab omni ratione magis alienum est, quam ut qui Deum colunt, et secum habent (si tamen habent, cum inter se dissideant) discordiis atque odiis mutuis exardescant; et filii diaboli concordi voluntatum unitate inter se vivant ? ut Turcæ, Mauri, hæretici, infideles.

Absurdum est improbos citius quam probos inter se convenire.

Concordia malorum contra Deum.

De hac improborum unitate plura in sacris litteris leguntur, quæ colligens D. Bernardus serm. 5 *De Assumpt. B. Mariæ* : « Alia, inquit, est unitas sanctorum, quam ex Scripturis jam commendavimus; alia est facinorosorum, quæ nihilominus ex iisdem Scripturis ostenditur, et improbatur; de hac enim scriptum est *Psalm.* II, 2 : *Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus;* de hac apud Matthæum cap. XXII, 15 : *Abeuntes pharisæi consilium inierunt, ut caperent Jesum in sermone;* et *Joan.* XI, 47 *collegerunt pontifices et pharisæi consilium* : ut quid hoc? *ut interficerent Jesum.* Quam vero pertinax sit ista reproborum unitas docet ipse Dominus, qui de corpore diaboli ad B. Job loquitur dicens : *Corpus illius quasi scuta fusilia, et compactum squamis se prementibus. Una uni conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas : una alteri adhærebit, et tenentes se nequaquam separabuntur.* Talis unitas, imo vero perversitas, solet esse aliquorum fratrum tepide conversantium, quibus si quid honestatis aut insigne cujusquam bonæ consuetudinis persuadere velis, promptiores sunt majore dispendio ac difficultate majori resistere, quam facili compendio assequi velle quod rectum esse constiterit. Perversa et exsecranda talis unitas : hac ergo a cordibus et sermonibus nostris exclusa, illam quæ bona est, et tantum bonorum est, prosequamur. » Ita Bernardus. Allegorice hæc in Antichristum quadrant, cujus corpus dici potest quasi *scuta fusilia compactum squamis,* quia totus erit ex sceleribus sibi invicem cohærentibus concretus; *sese invicem prementibus,* quia singula vitia mutuas sibi præstant operas, seque invicem premunt ac roborant; *et ne spiraculum quidem incedit per eas,* quia nullum permittet locum divinis inspirationibus pervium. Sunt enim qui existiment tantam futuram naturæ perversitatem et obstinationem ad malum in Antichristo, ut nullam unquam sit admissurus inspirationem sive divinam sive angelicam. Ita Suarius noster in III part., D. Thomæ *Quæst.* LIX, disp. 14, et confirmatur ex his verbis quæ sub typo Leviathan de dæmone accipiuntur, et ad Antichristum commode referuntur.

Antichristus erit totus ex sceleribus conflatus.

9. Sternutatio ejus splendor ignis, et oculi ejus ut palpebræ diluculi. — Tanto scilicet impetu et vi eructat aquam, ut dispersa et dissiliens in subtilissimas guttas vel vapores, a solis radiis aut lucido aere illustrata, eminus ignis potius fulgens quam aqua videatur; hinc S. Chrysostomus in *Caten.* et S. Thomas hic dicunt cetum dum sternutat videri flammas ignis ejaculari. *Et oculi ejus* lucentes ac flammei, quod noctu maxime advertitur; *ut palpebræ diluculi* seu auroræ, ut vertit Chaldæus. Septuaginta reddunt, οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ εἶδος ἑωσφόρου, *et oculi ejus species Luciferi* : quem, quia auroram præcedit, vocat Olaus Magnus *palpebras auroræ.* Habet enim cetus oculos lucentes et flammeos, quasi cum primum palpebras suas videtur levare diluculum seu aurora, quod poetice dictum est : poetæ enim palpebras tribuunt auroræ; sic autem vocant primos illos radios lucentes, qui dant diei principium, per quos videtur dies aperire oculos suos. Unde cetos in oceano boreali ex oculorum fulgore eminus vident et devitant nautæ. Tropologice S. Gregorius lib. XXXIII *Moral.* cap. XXV : « In sternutatione, inquit, inflatio a pectore exsurgit, quæ cum apertos ad emanandum poros non invenit, cerebrum tangit, et congesta per nares exiens, totum caput protinus concutit. In hoc itaque Leviathan corpore, id est, sive in malignis spiritibus, sive in reprobis hominibus, qui illi per similitudinem iniquitatis inhæserunt, quasi inflatio surgit a pectore, dum elatio se erigit ex præsentis sæculi potestate, quæ quasi ad emanandum poros non invenit : quia in hoc quod contra justos extollitur, disponente Deo quantum appetit prævalere prohibetur : exsurgens autem cerebrum concutit, quia sensum Satanæ in fine mundi arctius percutit, et caput turbat, dum per Antichristum persecutionem fidelium vehementer excitat, » etc. : ita S. Gregorius, et ex ipso Odo abbas. *Oculi ejus ut palpebræ diluculi* : non dicit esse similes crepusculo *noctis,* cum dies finitur, sed crepusculo *auroræ,* cum dies incipit; *oculorum* siquidem nomine consilia cogitationesque mentis solet Scriptura indicare, per quæ animus exhibetur videns. Cogitationes itaque et consilia, quæ ille iniquus infert, semper sunt quasi lux auroræ, cui longa dies succedit : quia semper exponit et suadet longum adhuc tempus superesse; et semper quasi in vitæ initio nos esse suggerit, quibus longa adhuc dies supersit; hincque nos in omne quod vult peccatum demittit, es in omne vitium homo cadit sublato a memoria mortis clavo. Si timeres, qui ingrederis domum mulieris alienæ, ibi mortem te exspectantem ingrederisme? si attenderes mortem imminentem tibi, antequam illicitum contractum perficias incurrendam; perficeresne? si cogitares mortem te incursurum, cum manum ad rem alienam surripiendam extendis, antequam eam apprehendas, aut cum eam apprehenderis; extenderesne? Hæc nostræ perditionis origo, quod hic timor memoria excidat, et obliviscatur homo mortis suæ.

Sternutatio quid? ejus mystica expositio.

Diabolus nobis semper longam vitæ diem suadet, et mortis memoriam tollit.

10-12. De ore ejus lampades procedunt sicut tedæ ignis accensæ. De naribus ejus procedit fumus sicut ollæ succensæ atque ferventis. Halitus ejus prunas ardere facit, et flamma de ore ejus egreditur. — Describit hic ceti halitum, quem dum recentis aeris captandi gratia eructat, quasi flammas evomere videtur, ubi quæri posset, an pisces respirent : quæ quæstio sane curiosa est, et a physicis ventilata. Ac in primis omnes pisces respirare senserunt Democritus, Anaxagoras, Diogenes apud Aristotelem lib. *De Resp.* cap. II, Tertullianus item lib. *De Anim.* cap. X, et Plinius lib. IX, cap. VII, qui multis probat omnibus animantibus halitu aliquo et aere opus esse tum ad nutritionem et refectionem spirituum animalium, tum ad caloris nativi refrigerium. Sed contrarium, idque verius, cum suis tuetur Aristoteles lib. *De Resp.* cap. I, ubi docet ea omnia et sola respirare quibus inest pulmo; piscibus autem passim ad refrigerium sufficere aquam, et ad spiritus exiguos, quos habent, fovendos sufficere calorem nativum ac sanguinem : cum enim continuo sub aquis degant, ubi nullus, vel exiguus est aer, non videtur unde eum haurire possent.

Vers. 10, 11 et 12. Quæ dicatur eti sternutatio.

An et qui pisces respirent.

Dicendum ergo ex Aristotele lib. I *De Resp.* cap. I, et Rondeleto lib. I *De Pisc.* cap. III et aliis passim, certum esse quosdam pisces habere pulmones, ac per eos respirare, videlicet delphinos, physeteres, balænas et similes; unde fistulam in capite habent eminentem, per quam respirant; verum quia frigidiores sunt, ideo minus frequenti indigent respiratione; ideoque pulmones habent nimis exsangues et fungosos; qui ubi semel aerem imbiberunt, pisces hi ab eo diu refrigerari possunt absque recentis aeris accessione. Quod si tamen aliqui diutius sub aqua detineantur, emoriuntur; uti quandoque accidit delphinis reti deprehensis. Vide hac de re pluribus Conimbricenses lib. *De Resp.* cap. V.

Tropologice S. Gregorius, lib. XXXIII *Moral.* cap. XXVI et seq. hæc exponit de Lucifero et Antichristo aliisque ministris eorum qui odium et minas irasque, quæ per ignem et flammas designantur, spirant et evomunt in christianos, ut in eis prunas, id est concupiscentiæ ignem, accendant. Prunæ autem in Hebræo dicuntur גחלת *gahheleth,* quæ vox significat *carbonem,* qui cum in se nigerrimus sit, flatu tamen aut halitu splendidissimus redditur, ut velit dicere : Flatu aut halitu oris sui carbones atros obscurissimosque reddit fulgentissimas et splendentes ac micantes prunas, ut solis cujusdam clarissimi aut fulgentissimæ stellæ speciem tenere videantur. Hoc diabolus agit, hæc ejus vis et astutia, qui res proponit in se quidem viles et contemptu dignas, sed quas suasionis suæ halitu et instigationis suæ flatu ita accendit, ut eas splendentes reddat ac fulgentes. Videbis hominem toto pectore affectum mulierculæ vilissimæ ac immundæ, et miraris, quomodo vir cordatus id agere possit; sed ratio est, quia diabolus suggestionis et suasionis suæ halitu eam menti illius tanquam splendidissimam pulcherrimamque exhibet. Videbis alium summo conatu divitias optantem et quærentem, quæ nihil aliud sunt quam vile ac « densum lutum, » ut dixit Habacuc cap. II, 6; sed diabolus eas refert quasi fulgentes stellas, ex quarum influxu omne mundi bonum proveniat. Invenies similiter hominem suprema diligentia quærentem honoris locum, qui in se vanior est ipsa vanitate; sed diabolus eum exhibet tanquam fulgidum sidus. Et sic « halitus ejus prunas ardere facit. »

Diabolus res viles tanquam splendidas proponit.

Ubi si inquiras, cur non dixerit *ligna,* sive *carbones,* quod majus videbatur, sed *prunas,* quæ ex seipsis jam ardent, ardere facit; respondebo ex Isidoro Hispalensi lib. III *Sent.* cap. V : « Diabolus non est immissor, sed incentor potius vitiorum : neque enim alibi concupiscentiæ fomenta succendit, nisi ubi prius pravæ cogitationis delectationes aspexerit; quas si a nobis spernimus, sine dubio ille confusus abscedit, statimque franguntur jacula concupiscentiæ ejus, contemptæque jacent et sine luce faces. » Ac si de iis sermo sit, de quibus dicebat Cyprianus : « Quamvis nullo concubitu misceatur, desiderio tamen, visu, colloquio, conjunctione semper oblectatur. » En concupiscentiæ fomenta, quæ dæmon succendit; sed quomodo? num plurimum id illi negotii facessit? minime? Imo vero « halitus ejus prunas ardere facit, » levi scilicet flatu, nullo fraudum sive technarum sumptu; sed vili quapiam esca, tanquam stolidæ ac rudi aviculæ palam appositæ : ita omnino Gregorius Magnus lib. XXXI *Moral.* cap. XXX, ubi cum dixisset : « Hostis itaque callidus contra cœlestem militem diversa percussionum vulnera exquirens, modo ex pharetra per insidias cum sagitta vulnerat; modo ante ejus faciem hastam vibrat, quia videlicet vitia et alia sub virtutum

Diabolus non tam est immissor quam incentor vitiorum.

http://www.obrascatolicas.com

specie contegit, et alia ut sunt aperta, ejus oculis opponit; » subjicit : « Ubi enim infirmari Dei militem conspicit, ibi fraudis velamina non requirit; ubi autem sibi resistere forte considerat, illic contra vires procul dubio dolos parat : nam cum infirmum quempiam in carnis illecebra videt, aperte corporis speciem, quæ concupisci valeat, ejus obtutibus offert. » Hæc et alia S. Gregorius : quem vide fusius hac de re lib. XXXIII *Moral.* cap. XXVII et XXVIII.

Vers. 13. 13. IN COLLO EJUS MORABITUR FORTITUDO, ET FACIEM EJUS PRÆCEDIT EGESTAS. — Egit hactenus de capite Leviathan, nunc ordine suo descendit ad collum, quod caput cum reliquo corpore conjungit : plerique in collo Leviathan significari dicunt illius robur, et dum in eo fortitudinem morari audiunt, fortissimum illum esse intelligunt; quod Aristoteles docuisse videtur in *Physiog.* dum ait illos esse fortes, qui collum habent grossum, imbecilles autem, qui illud habent gracile. Verum cum Sanctio nostro magis probo *fortitudinem* hic sumi pro potenti et immensa ingluvie ac voracitate Leviathan, quæ in collo est, et in faucibus, in quibus hæc morari dicitur; quia nunquam satiatur fames, nec expletur ingluvies; usque adeo, ut quodcumque illi pabulum objeceris, egestatem esse putet, quæ potius acuat et proritet, quam obtundat famem saturetve. Ad cujus rei explicationem recte subditur : *Et faciem ejus præcedit egestas*, quia nimirum cetus omnia devorat vel fugat, ideo ante eum est vastitas; unde Septuaginta vertunt, ἔμπροσθεν αὐτοῦ τρέχει ἀπώλεια, *ante eum currit perditio*, pernicies scilicet omnium piscium : ita S. Thomas. Itaque egestatem præcedere faciem ceti perinde est ac ante faciem ceti omnia consumi, confici, ad inopiam converti : omnia quippe depascit, pisces coram natantes, navesque interdum ipsas; quæ rerum demolitio *egestas* appellatur.

Collum crassum est signum fortitudinis.

Cetus est potens in vorando.

Tropologice S. Gregorius lib. XXXIV *Moral.* cap. II : « Quid, inquit, *collo Leviathan* istius nisi elationis ostensio designatur? qua contra Deum se erigens, cum simulatione sanctitatis etiam tumore potestatis extollitur, » etc.; et *ibid.* cap. III : « *Egestas*, inquit, *faciem illius præcedere* dicitur, quia prius facultas virium perditur, ut quasi per familiaritatem ita postmodum ejus notitia cognoscatur; vel certe, quia multis ita fraudulenter surrepit, ut ab eis deprehendi nequaquam possit, et sic eorum virtutes evacuat : quatenus astutiæ suæ malitiam non ostendat, faciem ejus egestas præire perhibetur, ac si aperte diceretur : Quia cum insidians tentat, priusquam videatur exspoliat, » etc. Optime ergo Deus de diabolo sub specie Leviathan dixit : « Faciem ejus præcedit egestas. » Quod etiam exponi potest hoc modo, ut egestas ostium patens exhibere dicatur tentationi diaboli : nam hoc ipso quod videt aliquem egere, sequitur statim tentator, ex ipsa egestate viam sibi æternens, inducensque ad illicita : quo pacto mulierem egestate afflictam inducit ad luxum, hominem inopia affectum inducit ad furtum. Sed apte etiam verba ista sic accipi possunt, ut Deus iis exprimere voluerit modum, quo sæpe diabolus ad tentandum procedit : id enim facit operiens faciem suam velo et operculo egestatis, ut sub titulo necessitatis ad id quod vult inducat. Neque enim solum sub tali specie inducit mulierem ad illicitam conversationem, et mercatorem ad usuram, et ad furtum illum qui eget, sed et viros sanctos, coram quibus pallio egestatis se induit, et velat faciem, ad vitæ laxitatem inducit, suadens eis necessarium esse indulgere carni et eam nutrire, ut inservire Deo, et proximorum saluti aptius intendere valeant, et ut vires habeant, quibus orationi vacare possint. Caput namque, ait ille, ventre vacuo minus sibi constat : venter esuriens non sinit labori studiorum attendere : cerebrum vigiliis lassatum inepte dispositum est ad acutos mentis progressus : corpus leguminibus pastum infirmum est ad laboriosam concionandi exercitationem : aquæ potus phlegmata et cruditates in stomacho generat, etc. Difficilis sane obscuraque tentatio, qua sæpe viros spirituales diabolus pertrahit ad hoc, ut saluti aliorum consulentes corpori suo nimis indulgeant, et temporalibus ac terrenis nimis afficiantur, et sæcularibus curis tradantur, et sic tandem reprobi evadant.

Egestas multis occasio tentationis.

Diabolus sub specie necessitatis et egestatis inducit ad vitæ laxitatem.

14 et 15. MEMBRA CARNIUM EJUS COHÆRENTIA SIBI : MITTET CONTRA EUM FULMINA, ET AD LOCUM ALIUM NON FERENTUR. COR EJUS INDURABITUR TANQUAM LAPIS, ET STRINGETUR QUASI MALLEATORIS INCUS. — Descendit a collo ad reliqua membra, quorum ea est compages atque durities, ut vel ipsa fulmina ab impenetrabili corpore resiliant, neque ad interiora corporis loca ferantur, sed in ipso corporis tegumento deficiant, cor autem illius usque adeo durum est et impavidum, ut neque silici cedat, neque incudi ferreæ, quam assiduis ictibus mallei diverberant. Cor in cæteris animalibus, ut Aristoteles lib. III *De Part. animal.* cap. IV et Plinius lib. II, cap. XXXVII dixerunt, carneum est et nervosum : quippe cum in illo validius vis animalis et sensitiva debeat vigere; cetus tamen, ut Plinius observat, cor habet durissimum, rigidum et hirsutum, ut totum osseum, lapideum ac ferreum videatur; imo duritiem tenens incudis, quæ quo validius percutitur, majorem duritiem contrahit. Et quidem D. Thomas aliique auctores hoc ideo de ceto dictum credunt, quia cetus aut balæna tali cordis audacia ob suam fortitudinem præstat, ut neque tempestatibus, neque maris ictibus aut agitationibus, quibus cæteri pisces concutiuntur et debilitantur, aliquatenus cedat, quin potius majori tunc agilitate feratur. Tropologice diabolus per *Leviathan* significatus habet membra sibi cohærentia, impios videlicet homines inter se connexos, mutuoque ad maleficia faventes. Deus jaculatur fulmina in dæmonem, valide eum ferit et torquet; ille vero ultionis divinæ tela excipit, tantumque abest ut molliatur, ut potius lapidescat, et velut incus percussa plus obduretur : similem autem duritiem in suis creat membris, et ad statum obstinationi tartareæ quasi contiguum impellit. Vide grandem illius obdurationem, quem nec immissa fulmina loco moveant. *Ad locum alium non ferentur* : alii explicatius legunt, *locum in quo stabat non mutabit.* « Quid appellatione *fulminum*, inquit S. Gregorius lib. XXXIV *Moral.* cap. V, nisi tremendæ illæ æterni judicii sententiæ designantur? » Videbis Deum per *nubes*, id est prædicatores, fulmina mittere in peccatorem, quem æternæ damnationis sententia ferit; qui tamen nullatenus a peccato dimoveatur : quippe cujus cor induratum sit quasi lapis, et quasi malleatoris incus, quam crebri ictus nullatenus emolliant. Damnatorum itaque catervam, quæ cor dæmonis est, apta similitudine cum incude confert, cujus ope dum faber ferrarius varia instrumenta conficit, et mira arte industriaque elaborat, ipsa quidem ictus recipit, sed pristinam suam formam minime mutat, nec ad meliorem refingitur. Haud aliter incusso gehennæ metu Deus dum timore adhuc suo præditos ad meliorem frugem reducit, damnati nunquam suam ipsorum mentem aut ingenium mutant, sed semper in eodem sensu perseverantes instar incudis meliorem formam respuunt. « Recte ergo Leviathan iste, inquit S. Gregorius lib. XXXIV *Moral.* cap. VI, incudi comparatus est, quia nos illo persequente componimur, ipse autem et semper percutitur, et in vas utile nunquam mutatur. »

Vers. 14 et 15.

Ceti mira duritiei.

Vers. 16. 16. CUM SUBLATUS FUERIT TIMEBUNT ANGELI, ET TERRITI PURGABUNTUR. — In Hebræo est verbum נשא *nasa*, quod cum puncto ciboleth significat *elevare*, aut in altum erigere, quia, ut B. Isidorus explicat, cum cetus caput elevat, aut super aquas quasi assurgit, summo timore afficiuntur navigantes, quos angelos, id est nuntios, hinc inde discurrentes vocat. In Hebræo est אלים *elim*, id est *fortes* et potentes *timore purgabuntur*. Quod quidam de purgatione peccati accipiunt, quia fortiores epibatæ ubi cetum ex aquis caput erigentem viderint, præ timore totos se ad Deum convertunt, et ob imminens mortis periculum de peccatis per contritionem purgandis cogitant. Cum puncto autem siboleth verbum נשא *nasa* significat *percutere*, vel *destruere*, ut sit sensus : Cum percussus vel gravi vulnere sauciatus fuerit, tunc fortissimi milites, qui eum percusserunt, vehementer timebunt, non ignorantes illius bestiæ rabiem implacabilem, ut quæ quanto majori plaga feritur, tanto majori rabie contra percutientes excitetur, mare conturbans et fluctus commovens, quibus in vitæ discrimen adducantur. Tropologice diabolus casto timore justi se protegunt. Dæmon et damnati in malo obdurati.

Cum setus sese elevat navigantes terrentur, et purgantur.

Contra impetum diaboli casto timore justi se protegunt.

Exemplo cadentium cautiores evadimus.

Ruina impiorum purgatur collegium bonorum.

17-20. CUM APPREHENDERIT EUM GLADIUS, SUBSISTERE NON POTERIT NEQUE HASTA, NEQUE THORAX : REPUTABIT ENIM QUASI PALEAS FERRUM, ET QUASI LIGNUM PUTRIDUM ÆS. NON FUGABIT EUM VIR SAGITTARIUS : IN STIPULAM VERSI SUNT EI LAPIDES FUNDÆ. QUASI STIPULAM ÆSTIMABIT MALLEUM, ET DERIDEBIT VIBRANTEM HASTAM. — Est paraphrasis sane pulchra ferocissimæ belluæ, quæ vires omnes frangat, et nullo impetu mortalium deterreatur; in hujusmodi autem ceti conditionibus Satanæ fortitudinem chalybeam et adamantinam eleganter expressit, cujus in malo ita est obstinata obdurataque voluntas, ut nullis ictibus frangatur aut emolliatur; quin potius, quo validius percutitur, durior reddatur. Ex quo id evenit, ut etiam angeli, ut paulo ante dictum est, robore illo invicto immanique territi illum timeant. Et merito quidem tunc majori timore pavent sancti viri, cum validiori ictu aut vulnere inimicum istum percusserint : quando namque aliquis contra illum inimicum agit, qui quo validius fuerit percussus, hoc magis debilitantur ejus vires et conatus enervantur, ad majorem inimici percussionem minus timet; sed quando talis est inimicus, ut ad majorem percussionem conatus ejus augeantur, magis roboretur viribus, validiusque congressurus assurgat; certe majorem percussionem major timor consequitur. Talis autem est inimicus noster, qui non frangitur ictibus, non cedit percussionibus, id quod hæc verba declarant : « Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit neque hasta neque thorax, » etc. Omnia ferme bellica instrumenta, quibus milites in bello uti solent, Deus hic recenset, gladium, lanceam, vibrantem hastam, thoracem, arcum, sagittas, fundam, malleum, jacula ærea, etc., quibus omnibus quantumcumque inimicus hic percutiatur, nequaquam perit, quin potius ad majores congressus seipsum excitat. Gladius qui con-

Vers. 17, 18, 19 et 20.

Dæmonis obstinatus animus nullis armis frangitur.

http://www.obrascatolicas.com

tra eum admovetur « non subsistit; » id est, non prævalet : nec enim potest gladius ipsum discindere aut enervare. Quando Aod percussit regem Eglon *Jud.* III, 22, « non eduxit gladium, sed ita ut percusserat reliquit in corpore. » Et merito quidem, quippe cum unicus illius ictus sufficiens fuerit ad occidendum regem. Similiter cum Joab gladio percussit Amasa II *Reg.* XX, 10, « nec secundum vulnus apposuit, » nec apponere curavit; quia primo ictu illum confecit. At non talis est inimicus noster, in quem etsi divini verbi gladium distringamus, non omnino eum conficimus, aut occisum relinquimus; quin potius valide percussus valide consurgit, percussorem suum valide impetiturus. Idcirco sancti viri tanto vehementius timent, quanto acriori vulnere illum percusserint, et acutiori sagitta confixerint; qui propterea tunc orationibus, humilitate et mortificationis operibus semetipsos purgare contendunt, et hoc modo se disponere ac præparare, ut aptiores sint ad sequentes congressus revincendos.

Dæmon cum a nobis superatus est, tunc magis timendus et cautius observandus.

Hanc hujus loci interpretationem tradidisse visus est validissimus ille Christi miles Antonius, hujusmodi bellorum scientissimus, qui sicuti omnes principis tenebrarum acies invicte Dei auxilio munitus superavit; ita et omnes illius astus, machinas callidasque cogitationes egregie calluit. Is autem, ut refert B. Athanasius in ejus *Vita*, quam elegantissime descripsit, crebro asserebat talem a se visum diabolum, qualem eum Dominus B. Johbo hoc capite sub typo Leviathan depinxit : duritiem autem et obstinationem, qua nobiscum agit, exprimens dicebat, dæmones quidem orationibus ac jejuniis vinci posse; sed solent, inquit, saucii gravius assurgere, et mutata arte pugnandi acrius in eos qui se vicerant agere. Imo, sicut idem Athanasius retulit, cum egregiam Antonius de diabolo tentante victoriam reportasset, neque Antonio, inquit, securitatem dedit hic unus triumphus, nec diabolo semel fractæ defecere vires : nam et iste ut leo rugiens quærebat aditum, per quem posset irrumpere, et ille Scripturarum doctus eloquio non ignorabat multas esse dæmonum captiones, propter quod solerti proposito labore servabat, considerans, quia posset Satanas in carnis colluctatione superatus novarum adversus se artium machinas acrius commovere : idcirco magis ac magis subjugabat corpus suum, ne victor aliorum in aliis vinceretur. Unde quomodo hic angelus, eo ipso quod inimicum hunc valide percussisset, timore angatur, et seipsum per eximia mortificationis opera purgare contendat, sciens inimicum suum primo certamine victum statim aliud gravius bellum inducturum. Nemo igitur securitatem sibi promittat, quantumcumque tentatorem devicerit : quem enim de gula tentantem fortiter percussisti, statim experieris ad superbiam vel inanem gloriam excitantem : et quem in luxuriæ materia Deo adjuvante superasti, subito senties, si attendis, ad murmurationem vel detractionem vel aliud vitiorum genus pertrahere conantem. Nullius quippe hominis virtute et gestientis animi fiducia a conatu furioso et impressione revocatur; imo vero tum maxime ut myrmillo in retiarium sic in hostem irruit, cum objectum videt fortem et erectum animum, quem elatus victoriæ spe aggrediatur. Vidit hoc Ennodius in *Vita S. Ant.* et sic admonuit : « Acrius circa robustos diaboli certamen est, et majoribus copiis illos aggreditur, » etc.; et D. Cyprianus *Epist.* 6 : « Fortiorem, inquit, quemque magis aggreditur, et acrior factus hoc ipso quod victus est, superantem superare conatur. » Similia quædam multo ante gravissimus Tertullianus prodiderat, qui cum lib. *De Pœnit.* cap. VII dixisset pervicacissimum hostem nunquam malitiæ suæ otium facere, subdit : « Atqui tunc maxime sævit, cum hominem sentit plane liberatum : tunc plurimum accenditur dum exstinguitur. » Nec eleganter minus atque vere Fulgentius *Epist.* 3 : « Armis, inquit, quibus eliditur surgit, et virtute qua dejicitur dejicit. »

Victoria S. Antonii de dæmone.

Dum vitiis nonquam possumus esse securi a tentatione.

21. SUB IPSO ERUNT RADII SOLIS : ET STERNET SIBI AURUM QUASI LUTUM. — Locus hic, inquit Sanctius, sicut varie a variis redditur, sic etiam in varia auctorum judicia distrahitur. Hebræi pro *solaribus radiis* accuta supponunt testarum fragmenta; quod item secundo loco faciunt pro *auro*, et usque adeo duram esse putant cutem aut squamatam loricam Leviathan, ut in acutis testis aut petrarum acuminibus ita placide dormiat, ac si supra lutum subactum et molliter solutum requiesceret. Non longe ab his recedit translatio Septuaginta, quæ sic habet, ὑπόστρωμνὰ αὐτοῦ ὀθλίσκια ὀξεῖς, πᾶς δὲ χρυσὸς θαλάσσης ὑπ' αὐτὸν ὥσπερ πηλὸς ἀμύθητος, *lectus ejus obelisci acuti, et omne aurum maris sub eo sicut lutum inenarrabile*; Theodotion pro obeliscis vertit σιδήρια τέκτονος, *ferramenta fabri*; Aquila ὀξυντῆρες ὀστράκων, *acumina testarum* : eodem ferme modo Chaldæus. Ratio autem tantæ diversitatis orta est ex duabus vocibus hebraicis, quæ ambiguam habent significationem : prior est חדודי *chadude*, quæ significat *acumina*, quæ figuram referunt radiorum qui acuminati sunt : posterior est חרש *cheres*, quæ *testam* valet, et levi permutatione *solem* significat. In Vulgata translatione nostri etiam interpretes non satis inter se conveniunt : quidam in *auro radiisque solaribus* squamas intelligunt splendentes, quibus incubans Leviathan quiescat et dormiat : alii, tantam esse molem prodigiosæ belluæ, ut umbram longissimam tanquam mons altissimus effundat. Alii radios sub ceto exponunt, tales quæ minime valeant ipsum calefacere, quasi in eo genere radii vincantur, et sub ceto proinde esse dicantur. Alii dicunt sub ipso esse radios solis, quia illos quasi in sua potestate habeat, ut quando vult incalescere, diductis loricis et squamis pro libito eos excipiat; sin nolit, conclusas teneat, et quasi ferreum et impervium montem sese illis opponat.

Quid per *aurum* et *solis radios* hic intelligatur.

Mihi autem hoc loco *radii solis* videntur metaphorice sumendi, prout Sanctius et Joannes a Jesu Maria recte observarunt, pro rebus quibuscumque maximi splendoris ac pretii, ut sit sensus : Res pretiosas et instar radiorum solis illustres sub ceto jacere in imis cavitatibus maris, quibus ille incubat; ubi quoque merces aureas et gemmeas, quæ ex transmarinis regionibus magna copia navibus quaquaversum vehuntur, ipse diripit, dissipat, dispergit, ipsis navibus eversis et confractis; nec immensos thesauros pluris facit quam lutum, quod pedibus conculcatur. Aut denique intelligit nomine *auri et radiorum solis* excellentes militum exercitus, qui omni armorum genere muniti procedant, inter quos quidam reperiantur, qui spectantium oculos rapiant; aut quia ita auro repleti sunt, ut nihil in eis nisi aurum appareat; aut quia lucidissimis armis induti radios adinstar solis a seipsis emittere videantur : hos quidem homines magni faciunt, et inimici superare contendunt, ipse tamen floccipendit.

Dæmon non laborat ut impios, sed ut viros sanctos capiat.

Et hunc esse legitimum horum verborum sensum puto, uti clarius patebit consideranti, Deum ibi sub typo *Leviathan* exprimere voluisse diabolum nullos militum incursus formidantem, omniaque armorum genera, ferrea, ærea, argentea vel aurea pro nihilo ducentem : non enim appetit ille hominem, quem in hoc mundo divitiis aut gloria corporisve robore pollentem viderit; sed « caput, inquit, ejus in navibus piscatorum est, » ita legit S. Hieronymus *supr.* vers. 16, quod in nostra Vulgata habetur : *Cum sublatus fuerit timebunt angeli.* Piscatores autem sunt apostoli et viri apostolici, qui omnia pro Christo reliquerunt, seseque totos ejus obsequio dicarunt, et quos Dominus ut se sequerentur vocavit. In his est *caput ejus*, id est, hos appetit et concupiscit, omnemque movet lapidem ut hos capiat, sibique subjiciat. In arcano igitur sensu *radii solis* et *aurum*, hoc est pretiosa quæque cimelia spiritualia virtutesque divinæ, sub dæmone esse dicuntur, quando viros sanctimonia vitæ insignes prosternit : non res infimas contemplatur, nec oculos ejus rapiunt homines perditi, qui seipsos eidem tradiderunt; sed viros sublimes, quos excellentiori sanctitate fulgere videt, vehementius insectatur. Quamobrem dæmon optime a S. Chrysostomo *Hom.* 3 in verba Isaiæ : *Vidi Dominum*, etc. piratæ comparatur, qui omni ope atque opera nos bonis omnibus conatur evertere : Ut enim prædones, inquit ille, non solventem e portu navim inanem et merces aliunde petentem invadunt, sed onustam in reditu observant atque diripiunt : ita diabolus, ubi complures virtutes magno studio collegeris, tum vero in te quasi in onustam mercibus navim impetum facit. In quo quidem, ut bene admodum R. P. N. Claudius in epistola sua *De Renov. spir.* animadvertit, illius præda non solum magna est, quod de nostris bonis prædatur, sed etiam quod offensio nostra ad direptionem valet aliorum, qui nostro exemplo in fraudem ac perniciem inducuntur. Eodem spectat quoque magna illa celebrisque S. Antonii visio, quam B. Athanasius refert in ejus *Vita* : « Quadam enim nocte, inquit, cubiculo inclusus suo audivit vocem clamantem et dicentem : *Antoni, exsurge, exi, et vide*; qui exsurgens, et egressus, elevatis ad cœlum oculis vidit quemdam longum atque terribilem caput usque ad nubes attollentem; vidit etiam pennatos quosdam se elevare cupientes ad cœlum, atque illum extensis manibus prohibere transgressum : e quibus alios apprehensos elidebat ad terram; alios frustra retinere contendens, dolebat super se ad cœlestia evolare; et maximum gaudium mixtum mœrore victi victoresque tribuebant. Statimque ad eum vox facta est dicens : *Animadverte quod vides;* et tunc cœpit illuminato corde intelligere animarum esse conscensum et diabolum prohibentem, qui et sibi retineret obnoxios, et in sanctorum, quos decipere non poterat, cruciaretur volatu, » scilicet ad eos potissimum devorandos rapitur, qui virtutum pennis evolant ad cœlestia.

Dæmon piratæ assimilatur.

Diabolus sanctissimos quosque vehementius impetit.

22. FERVESCERE FACIET QUASI OLLAM PROFUNDUM MARE, ET PONET QUASI CUM UNGUENTA BULLIUNT, — id est, hac bellua natante tanto fervet æstu pelagus, ut tanquam unguentorum olla juxta ignem ebullire videatur. Tropologice ponit hic duas metaphoras aptissimas, ad explicandum quid diabolus in iracundis, qui illi obsequuntur, efficiat. Prima desumpta est a mari fervescente quasi olla. Consueverat S. Gregorius Nazianzenus, ut ipse refert *Orat.* 28, aliquando a studiis et negotiis, quæ pastoralis cura secum fert, defessus ad maris oram recreandi animi gratia accedere, ubi nec a sanctis cogitationibus vacabat; quin potius ex iis quæ in mari videbat ad philosophandum adducebatur : illud autem diligenter attendebat, quomodo mare aliquando quidem placidum quietumque staret, aliquando vero instar ebullientis ollæ fluctus validos emitteret, quibuscum una densam spumam fœcesque immundas, quas prius tenebat absconditas, ad littus effundebat. Qua in re cor hominis S. Gregorius considerabat : « pravum est enim cor hominis et inscrutabile, » *Jerem.* XVII, 9, et nemo scit quænam intra se contineat, sicut nec quid mare sinu suo foveat : nam dum homo quidem cor suum quietum tenet, placidam faciem, gratos oculos, aspectum jucundum videntibus offert; ubi autem vento iræ aut maligna dæmonis instigatione agitatur, mirum est quantas immunditias, quot maledicta, convicia, verba fœda et inordinatos incompositosque motus eructet, ut recte in ipsum quadret quod sanctus apostolus Judas de quibusdam dixit *Epist.* I, 13, vocans eos « fluctus feri maris despumantes suas confusiones. » Addit Deus secundam metaphoram : *Et ponet quasi cum unguenta bulliunt* : cum unguentarius ex diversis radicibus et oleis unguenta conficit, ignemque cacabo vel caldariæ admovet, mi-

Mare tempestuosum typus hominis perturbati.

http://www.obrascatolicas.com

rum est hoc ipso quantæ illico impuritates ac sordes in partem superiorem et externam enatent, ut adstantes manibus nares obturare cogantur. Idem accidit iis quos diabolus ira succendit, ponit enim eos quasi unguenta dum bulliunt, et facit ut exterius impura fœtidaque verba effutiant, quæ circumstantes plurimum offendant. Aliter S. Hieronymus (si ejus sunt illi commentarii) hoc loco per *mare* hunc mundum intelligit, quem diabolus quasi olla carnali accendit concupiscentia, ut ferveat ad amanda terrena. Illud autem quod sequitur : *Quasi cum unguenta bulliunt*, sic intelligit, ut quemadmodum sancti spiritualium gratiarum amore in Spiritu Sancto fervescunt, ita ad amorem mundi homines præsentis vitæ desiderio quasi quibusdam succensionibus exardescant. Illud etiam existimo indicare suggestionem et tentationem Leviathan, quæ facit ut improbi tanquam olla carnalibus desideriis effervescant, eamdem, cum bonos exagitat, efficere ut eorum pretiosa et suavissima virtutum unguenta, quæ abscondita animo latebant, tentationis igne calefacta ebulliant, et incredibilem ex se fragrantiam et odorem affient : itaque quo tempore nefarii homines tanquam ollæ carnalibus desideriis fervent, eodem in ipsamet tentatione sancti quasi pulcherrimæ phialæ unguentis virtutum ebullientibus mirifice redolent. Quod autem virtutes *unguenta* appellentur sponsa ipsa confitetur *Cant.* I, 3 : « Trahe me : post te curremus in odorem unguentorum tuorum ; » quæ Christi unguenta, cum ardentissimo passionis igne ebullierunt, universum orbem suavissimo sui odore impleverunt.

Diabolus mundum carnali concupiscentia accendit.

Improbi cum tentantur fœdum, probi bonum odorem emittunt.

Vers. 23. Ceti in capienda præda aviditas et diligentia.

23. POST EUM LUCEBIT SEMITA, ÆSTIMABIT ABYSSUM QUASI SENESCENTEM. — De ceto in cortice loquitur, qui tanta aviditate et celeritate incedit ad capiendam prædam, quam videt, ut semitam quamdam spumosam albicantemque super aquas, quas concitat, post se relinquat ; unde in locis, ubi piscatores cetos piscantur, per multa milliaria vident eos venientes aut discurrentes : hocque illud est : « Post eum lucebit semita, » color enim albus, *lucens* ac *splendens* in Scriptura vocari solet. Si quæras, quidnam eum urgeat, ut tanta celeritate et diligentia feratur, respondet, quia *æstimabit abyssum quasi senescentem*, id est propinquum defectioni et fini : « Quod enim antiquatur et senescit prope interitum est, » ut dixit Apostolus *Hebr.* VIII, 13, *q. d.* velocissime excitari ad capiendam prædam, quia reputat abyssum ac mare quasi jam statim defecturum et finiendum. Hoc similiter de accipitribus Norvegianis dicitur, quod velocissime volent ad prædam, quia in illis regionibus dies tantum per tres horas durat, et reputantes diem cito finiendum et quasi senescentem, pernicissimo volatu feruntur. Hæc de cæco non assertive accipienda sunt, sed juxta communem phrasim, qua, cum volumus explicare aviditatem, qua quis ad aliquid fertur, dicimus velocissime ferri ac si jam omnia sibi crederet deficere.

Tropologice autem de diabolo est legitima horum verborum intelligentia, quem Deus, ut sæpe jam monuimus, sub typo ceti principaliter depingendum assumpsit ; de quo inter alia hoc tradit, quod incredibili celeritate et diligentia feratur ad captandam animam justi ; unde et B. Petrus I *Epist.* V, 8 illum tanquam leonem rugientem expressit circumdantem omnes, et quærentem quem devoret. Et si quæras hujus rationem : « Æstimat, inquit, abyssum quasi senescentem. » Constituit Deus dæmonem in mundo, cui indulsit et concessit homines, præsertim sanctos et pios, tentare ; non tamen ei indicavit quando futurus sit finis mundi : hoc tantum in Scripturis novit a Deo dictum, quoniam novissima hora est, et tempus quod restat breve. Idcirco ille reputat mundum quasi senescentem, id est proximum fini et morti ; ideo tanta velocitate fertur, non exspectat annum sequentem, nec mensem imo neque diem crastinum, aut vero horam futuram : nescit enim an futurus sit dies crastinus, an potestas tentandi et impugnandi sibi concessa hora sequenti sit duratura. Hoc nimirum est quod sanctus Evangelista Joannes audivit cœlesti præconio hominibus intimatum, quando diabolus cœlo pulsus fuit : audivit enim vocem clamantem *Apoc.* XII, 12 : « Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet. » Sed quomodo modicum tempus habet ? jam post illam vocem transacti sunt fere mille et sexcenti anni, et nondum finis, et modicum tempus habet. *Modicum* tempus dicitur *primo*, quia, ut S. Hieronymus epist. 3 *ad Heliod.* et S. Gregorius lib. XV *Moral.* cap. II, observant, modicum vere dici potest omne tempus quod finitur. *Secundo*, quia nescit ille, si hodie, aut cras aut anno sequenti erit finis temporis sibi concessi ad tentandum aut durationis mundi : scit ille totum tempus durationis mundi futurum modicum, et timet qualibet die, ne illa sit extrema ; hæc autem ratio vehementius illum urget et acuit erga quemcumque hominem singularem. Scit diabolus mortem cujusque propinquam esse, et nescit, an qui surgit mane ad vesperam sit perventurus, et qui nunc vivit, an hora sequenti victurus sit ; ideo non exspectat horam sequentem aut tempus futurum ad te impugnandum.

Diaboli diligentia in capiendis animabus.

Tempus præsentis sæculi modicum est.

Si igitur diabolus, quia reputat mortem tuam propinquam, tanta diligentia ac veloci sollicitudine procurat te a gratiæ statu dejicere, timens ne si nunc non te dejiciat, morte tua interveniente deficiat sibi tempus : tu, qui minorem habes de vita tua certitudinem, quomodo in peccato permanere audes ? quomodo exspectas non horam, sed annum, imo et annos sequentes ? quomodo ad peccatum secure tendis, tibi secure multam longamque durationem promittens ? Maledictam securitatem istam vocat S. Bernardus, serm. de verbis *Job* V, 19 : *In sex tribulationibus*, et omnium malorum causam. « Ipsa est res, inquit S. Augustinus serm. 16 *De Verb. Domin.*, quæ multos occidit cum dicunt cras, et subito ostium clauditur. Remansit foris cum voce corvina ; quia non habuit gemitum columbinum. Cras, cras vox corvi est. Geme ut columbus, et tunde pectus, » etc. » Nihil ita decipit humanum genus, inquit S. Hieronymus *Epist.* 139, quam quod dum ignorant spatium vitæ suæ, longiorem sibi sæculi hujus possessionem repromittunt ; unde et illud dictum est egregie, nullum tam senem esse et decrepitæ ætatis, ut non se adhuc uno plus anno vivere suspicetur. » Plura de vitæ hujus brevitate et incertitudine vide *supr.* cap. XIV, 1 et seq. Porro illa verba : « Æstimabit abyssum quasi senescentem, » sic exponit S. Gregorius lib. XXXIV *Moral.* cap. XXVI, ut significetur eo pervenire diabolica mens et serpentina Leviathani astutia, ut pœnarum abyssum amaritudinumque immensitatem reputet quasi posse senescere et hebetari : « Leviathan, inquit, iste æstimabit abyssum quasi senescentem, quia reproborum corda sic infatuat, ut suspicionem eis de venturo judicio, quod quasi finiatur, infundat : abyssum namque senescere æstimat, qui terminari quandoque in suppliciis supernam animadversionem putat. » Proh mens diabolica ! proh imprudentissima perditorum stultitia ! fingunt miseri veterascentes pœnas et senescentem divini judicii aculeum, ut magis in eorum animis vitia adolescant. Nec pudet diabolum tam insigne mendacium hominum cordi inseminare, quando et Deus et tota Scriptura clamat vindices inferni flammas in dies repuerascere, et nunquam pati diminutionem. Turpissime ergo a diabolo fallitur, qui vel post longam temporis diuturnitatem aliquid mitius in inferno posse enasci putat : ibi enim pœnæ nesciunt mitescere, nesciunt a primo vigore declinare, sed singulis momentis instaurantur.

Non procrastinanda est emendatio.

Diabolus impiis persuadet pœnas inferni senescere et hebetari.

Vers. 24 24 et 25. NON EST SUPER TERRAM POTESTAS QUÆ COMPARETUR EI, QUI FACTUS EST UT NULLUM TIMERET. et 25. OMNE SUBLIME VIDET, IPSE EST REX SUPER UNIVERSOS FILIOS SUPERBIÆ. — Conclusio est longæ descriptionis ceti sive Leviathan, cujus sive molem sive vires spectentur, nihil est in terris quod cum eo possit comparari : quamobrem illi hoc a natura concessum est, ut nulli cedat, nullum timeat, quia scilicet suam super omnes excellentiam agnoscit. Porro « omne sublime videt, » id est res omnes ingentes et egregias præ se despicit, quia ipse est rex super universos filios superbiæ, pro quo Chaldæus vertit, *super omnes filios montium* : Hebræus habet, *super filios elationis*, id est super omnes elatos, vel omnia elata et immania alia. Septuaginta vero transtulerunt, ἀυτὸς δὲ βασιλεὺς πάντων ἐν τοῖς ὕδασιν, *ipse autem rex omnium quæ in aquis* ; Symmachus reddit, παντὸς βρυμώδους, id est, *omnis naturæ reddentis virus* ; Theodotion, ὑιῶν βαναυσίας, *filiorum tumoris et arrogantiæ*, q. d. Ipse est rex omnium animalium, et maximum inter ea Dei opificium et vestigium : sic enim Hebræi tribuunt bestiis *filii* nomen, juxta *illud Psalm.* XXVIII, 1 : « Afferte Domino filios arietum : » ita Mercerus, Vatablus, Aben-Ezra, et alii. Verum hæc magis proprie de dæmone dicuntur, quem Deus sub typo ceti seu Leviathan præcipue voluit describere ; et ut intelligamus non tam de balæna quam de dæmone sermonem institui concludit : *Ipse est rex super omnes filios superbiæ*, q. d. Is, de quo omnia quæ prædixi intelligenda volo, est Lucifer, qui dicitur rex super omnes filios superbiæ : ejus regna sunt vitia, quæ inhabitant diversi generis homines, in his scilicet regnat, quos inquinat, et in iis quos polluit dominatur. Propterea Clemens Alexandrinus in *Orat. adhort. adv. Gent.* vocat diabolum principem aut regem vitiorum, in vitiorum enim malitia dominatur ille, et principatum tenet, præsertim in superbia : vide fusius hac de re S. Gregorium lib. XXXIV *Moral.* cap. XVIII.

Leviathan mole ac viribus cæteras superat animalia.

Diabolus typo ceti expressus rex superbiæ filiorum et omnium vitiorum.

CAPUT QUADRAGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Job iterato culpam agnoscit coram Deo, veniamque petit, et impetrat : laudaturque a Deo præ amicis, qui jubentur per holocausta et intercessionem Jobi reconciliari Deo. Job duplicia omnia recuperat ; et plenus dierum in pace quiescit.

1. Respondens autem Job Domino, dixit : 2. Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio. 3. Quis est iste, qui celat consilium absque scientia ? ideo insipienter locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam. 4. Audi, et ego loquar : interrogabo te, et responde mihi. 5. Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. 6. Idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere. 7. Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themanitem : Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job.

http://www.obrascatolicas.com

8. Sumite ergo vobis septem tauros, et septem arietes, et ite ad servum meum Job, et offerte holocaustum pro vobis : Job autem servus meus orabit pro vobis : faciem ejus suscipiam ut non vobis imputetur stultitia : neque enim locuti estis ad me recta, sicut servus meus Job. 9. Abierunt ergo, Eliphaz Themanites, et Baldad Suhites, et Sophar Naamathites, et fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos, et suscepit Dominus faciem Job. 10. Dominus quoque conversus est ad pœnitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Job, duplicia. 11. Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, et universæ sorores suæ, et cuncti qui noverant eum prius, et comederunt cum eo panem in domo ejus : et moverunt super eum caput, et consolati sunt eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum : et dederunt ei unusquisque ovem unam, et inaurem auream unam. 12. Dominus autem benedixit novissimis Job magis quam principio ejus. Et facta sunt ei quatuordecim millia ovium, et sex millia camelorum, et mille juga boum, et mille asinæ. 13. Et fuerunt ei septem filii, et tres filiæ. 14. Et vocavit nomen unius Diem, et nomen secundæ Cassiam, et nomen tertiæ Cornustibii. 15. Non sunt autem inventæ mulieres speciosæ sicut filiæ Job in universa terra : deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres earum. 16. Vixit autem Job post hæc, centum quadraginta annis, et vidit filios suos, et filios filiorum suorum usque ad quartam generationem, et mortuus est senex et plenus dierum.

Vers. 1 et 2.

1 et 2. RESPONDENS AUTEM JOB DOMINO DIXIT : SCIO QUIA OMNIA POTES, ET NULLA TE LATET COGITATIO. — Postquam præcedentibus quatuor capitibus potentiam et sapientiam suam Deus mirifice commendasset satis longo mirabilium operum catalogo contexto, ut Jobus animadverteret, omnesque intelligerent, cum majestate divina minime disceptandum, neque anxie disquirenda consilia judiciave divina, sed humiliter suscipienda, et animo demisso colenda esse. Job iterum respondere jussus sic ad Deum locutus est : « Scio quia omnia potes, » nihilque est tibi factu impossibile, nihil tuæ potentiæ non subjectum : « et nulla te latet cogitatio, » id est, omnia nosti etiam antequam fiant; et non habes opus consiliario, cum secretissimas etiam cogitationes vix conceptas introspicias quantumvis abditas : homo quidem videt quæ patent, tu autem intueris corda; cui tanquam proprium illud tribuitur *Psalm.* VII, 10 : « Scrutans corda et renes Deus. » Hoc superbiam et elatos hominum spiritus, si quid habent judicii, comprimit; hoc justo metu et horrore conficit, quod ne proprii quidem ipsi animi sui latebras pervideant, neque intelligant, verum odio an amore digni sint. Est enim profundum cordis impenetrabile humano lumini, nec in vastos illos sinus implicatosque mæandros, ubi magna malitia sæpe delitescit, nostræ mentis acies pertingere et usque ad oram ultimam progredi potest, nisi divinæ misericordiæ lucerna pandat viam et dirigat. Quam in rem grave illud et metuendum monitum est D. Bernardi, cum de vidente omnia Deo et audiente memorat *Epist.* 42 : « Cujus utique scientiam non subterfugit, etiam quod propriam latet conscientiam. » Audit Deus in corde cogitantis, quod non audit ipse qui cogitat : itaque nihil fallere illum potest, nihil aciem mentis effugere, nihil inscientia præteriri. Hinc quandocumque in abscondito quis peccat, invisus potius Deo est quam non visus, cui obscura clarent, tenebræ fiunt meridies, pervium est omne solidum, et apertum omne secretum; cujus oculus infinities splendidior sole crates ipsius pectoris latebramque omnem pervadit usque ad animi fundum et abstrusas voluntates. Atque hoc est quod regius Vates in hunc modum infit : « Scrutans corda et renes Deus; » in Græco est ἐτάζων, exactissime acerrimeque inquirens. Quod S. Basilius ait dici proprie, cum a judicibus omni genere tormentorum fit acerba criminum inquisitio, ut si rei sint conscii rerum arcanarum, quæ in quæstione positæ sunt, ferro et igne et cruciamentis adacti eas clare et dilucide proferant; hac nimirum severitate usurum Deum, et acerrime inquisiturum in corda et renes, videlicet in abditas cogitationes et occultas appetitiones et vetitæ libidinis motus, in vitæ actiones : id porro Dei judicantis et in scelus inquirentis examen esse ἀπαραλόγιστον, falli et errare non posse, nec artificio ullo deludi. Hæc cum Jobus secum serio perpenderet, erupit affectus vehemens, quo sibi ipsi succensuit, de se nimirum sub tertia persona sic loquens :

Job Dei omnipotentiam et scientiam supplices veneratur et agnoscit.

Solus Deus cor scrutatur et penetrat.

Vers. 3.

3. QUIS EST ISTE QUI CELAT CONSILIUM ABSQUE SCIENTIA ? IDEO INSIPIENTER LOCUTUS SUM, ET QUÆ ULTRA MODUM EXCEDERENT SCIENTIAM MEAM. — Jam *supr.* cap. XXXIX, 35 videramus quem fructum attulerat admonitio illa qua Deus erga Jobum usus fuerat; sed postquam Deus iteravit sermonem suum, adhuc magis et apertius nobis apparet, quemadmodum Jobus sub ejusmodi correctione profecerit : jam ipsum pœnituerat, modo magis ad vi-

Quantum Job Dei admonitione profecerit.

vum affectus est. Sic videmus, postquam Deus nos jam erudierit, sæpius id ex parte duntaxat profecisse; et quamvis existimemus nihil amplius in nobis desiderari posse, nosque ad summum pervenisse, levem tantum in nobis esse præparationem. Deus igitur pergat nos docere oportet, ut doctrina, quam jam audivimus, melius radicetur in animis nostris, nos moveat et afficiat, et in ipsa penitus acquiescamus. In summa, videmus pœnitentiam non perfici statim, sed opus esse ut Deus, postquam nos exasciavit, denuo poliat, quemadmodum cum quispiam opus ex lapide aut ligno vult efficere, malleus sæpius adhibendus, et ictus ingeminandi sunt. Job igitur hac secunda Dei admonitione majorem in modum compunctus, adhuc magis quam antea ignorantiam et temeritatem suam humiliter confitetur, et infinitam Dei sapientiam et potentiam suppliciter adorans semetipsum acriter increpat, *q. d.* Ecquis ego sum, qui celavi, id est tacui, non decantavi, non celebravi consilium tuum, imprudenter agens, et in querimonias justitiæque propriæ assertionem linguam solvens? debueram scilicet, ex quo plagam accepi, extemplo animadvertere, sat esse a te, clementissime Deus, calamitatem inferri, ut continuo mirarer arcana consilia tua, mihique imperarem, nollemque causam scrutari, sed firmius sperare omnia bene cessura : multa quippe in salutis humanæ procuratione patras, quæ longe excedunt mortalium adeoque meam scientiam. Quamobrem, inquit, Domine, merito me superius condemnasti, quod vellem tuum consilium involvere, nesciens quo sermones et disputationes meæ tenderent : scio modo stulte in eo me gessisse, meum enim erat simpliciter admittere et accipere quod tibi libet de me statuere : volui autem hic doctoris, non frequentata prius schola, partes suscipere; ergo agnosco, Domine, te jure meam stultitiam arguisse.

Job confitetur suam imprudentiam.

Deus tenet nobis consilium suum absconditum cum scientia.

Quando autem sic ista accipiemus, Jobus ejusmodi confessionem edet, ut Deo consilium cum omni scientia conjunctum attribuat : hic enim est tanquam oppositio quædam inter Deum et homines. Deus habet suum consilium absconditum, sed novit cur : causa ejus ipsi semper in promptu et præsto est; nos vero, quando consilium Dei plus quam nobis licitum est detegere volumus, nihil aliud agimus, quam quod ipsum magis implicamus; idque fit sine scientia, ita ut quo plus docti esse volumus, eo magis inscitiam nostram prodamus. Discamus igitur Dei esse consilium suum penes se servare, ut ipsum nobis non declaret; et quidem si animadvertat ipsum captum et tenuitatem nostram superare, Deus id quod nobis aptum est revelat, sed multa obscura penes se servet ac retineat necesse est : quia nimis adhuc debiles sumus, ut tam alte possimus ascendere. Deus igitur consilium abscondit, sed cum scientia : ipse enim nihil ignorat; nec id eo facit, quod non possit nobis ostendere, cur hoc vel illud faciat, sed quia non expedit. Quando igitur plura quam nobis permissum est scire volumus; confusi plane hæremus; et quo magis conatur homo mortalis sapiens videri non sequendo ductum Dei, eo magis vanitatem ostendit, et confusionem suam despumat. Septuaginta nonnihil aliter hunc versum reddunt, τίς γάρ ἐστιν ὁ κρύπτων σε βουλὴν; φειδόμενος δὲ ῥημάτων καὶ σε εἴασε κρύπτειν; *quis enim est qui celat te consilium? parcens autem verbis et te putat celare?* id est, quis est iste tam audax, tam perfrictæ frontis, qui celare speret, velit aut possit consilia sua, ut nesciantur a Deo? quasi videlicet Deo aperire quis aliqua de novo vel illum docere se posse præsumat. Pro verbis autem istis : *Ideo insipienter locutus sum*, etc. ipsi vertunt, τίς δὲ ἀναγγελεῖ μοι ἃ οὐκ ἤδειν, μεγάλα καὶ θαυμαστὰ ἃ οὐκ ἐπιστάμην; *quis autem annuntiabit mihi quæ non novi, magna et mirabilia quæ nescivi?* q. d. Ex hoc intelligo te nihil latere, quod res tantas tamque mirabiles, quas ego prorsus ignorabam, mihi nuntiasti. In quo autem imprudenter locutus sit subdit :

Vers. 4.

4. AUDI, ET EGO LOQUAR : INTERROGABO TE, ET RESPONDE MIHI. — Hæc illa duo verba sunt, quæ cap. XIII, 22, insipienter locutus est dicens Deo : « Voca me, et ego respondebo tibi : aut certe loquar, et tu responde mihi, » de quibus ut a se nimis audacter ac temerarie dictis se dolere significavit cap. XXXIX, 35, ideoque retractat, et non dicta esse optat, utpote tantæ majestati ac potentiæ, cum qua agebat, minime consentanea. Quod si igitur in tam inculpata vita eximiaque virtute, postquam in tanta rerum difficultate et angustiis tam admirabile patientiæ suæ invictæ specimen dedisset, in his levibus delictis, scilicet verborum lapsu, Deus offensus non dissimulavit, sed tam acriter tantoque verborum pondere ea increpuit; quid nobis miseris futurum putamus, cum tanta quotidie flagitia suscipiamus? sane vel ex hoc facile cognoscemus quam verum sit illud Christi oraculum *Matth.* XII, 36 : « Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. » Quamobrem si sapimus, nunquam loquamur aut cogitemus de arcanis Dei judiciis nisi cum omni reverentia et humilitate; et si quandoque plus forte quam par erat locuti fuerimus, aut temerarius aliquis et inconsideratus sermo nobis exciderit, stultitiam nostram agnoscamus, una cum Jobo immoderatam nostram arrogantiam condemnantes, ut in posterum simus prudentiores. Non satis autem est, ut quomodocumque peccata nostra agnoscamus, sed ad remedium simul veniendum est; sicuti etiam nos suo exemplo Jobus docuit, postquam enim dixit se prius quam rem intelligeret temere locutum esse, subjicit velle se reprimere, quod se limitibus suis non continuisset, sed instar equi ferocientis disrupto fræno excurrisset. Nequaquam igitur hic peccatum suum confitetur more multorum, qui se absolutos et liberatos esse putant, cum uno verbo dixerint : *Pec-*

In quo Job insipienter locutus fuerit.

http://www.obrascatolicas.com

cavi; postea statim in idem peccatum relabuntur, et de novo semper peccant. Non, inquam, ita Jobus agit, sed ait : Domine, cum ita se res habeat, tantaque stultitia et temeritas in me insit, ipseque adeo me præcipitem in devia egerim, nunc interroga me; et postquam in schola tua doctus fuero, loquar duntaxat uti volueris me docere : nec unquam accidet mihi, ut ea quæ non probe norim proferam. Unde subdit :

Vers. 5. 5. AUDITU AURIS AUDIVI TE, NUNC AUTEM OCULUS MEUS VIDET TE, — *q. d.* Domine verum est me antea audivisse cum verba fierent de tua majestate, sed nunc ipsam alia ratione cognosco, et quidem ut me tibi penitus subjiciam : Jobus hic comparationem instituit inter cognitionem quam prius habuerat et revelationem, in qua Deus se ipsi ita patefecerat, ut confusus esset, et afficeretur eo timore Dei, ut nihil aliud ipsi superesset quam Deo gloriam tribuere, quod illum facere videmus. Significat ergo se in Dei cognitione tantum profecisse illa Dei concione, qua illi exposuerat Deus mentem suam et consilium in afflictionibus et ærumnis, quibus eum probaverat, ut oculos sibi aperuisse videretur, et visum recepisse, atque adeo Deum de facie quodammodo tunc cognovisse; quasi antea fama solum et auditione, tunc vero oculorum conspectu cognosceret. Noverat quidem antea Deum Jobus, suspexerat, coluerat per fidem, quæ est ex auditu; nunc vero calamitate factus eruditior, et sermone Dei e turbine loquentis illuminatior, dum anteactam notitiam cum præsenti confert, illam auditum, hanc visum appellat : non sane quod Deum aperte ut in patria intueatur, sed quod singulari luce perfusus, illustrius excelsiusque quam ante de Deo sentiat : qui vexationis et divini colloquii mirus effectus et fructus plane suavissimus est. Ex hac ergo peniore Dei notione se in sermonis modo metam excessisse dispicit, et pœnitudine tangitur; unde neque sanies, qua stillabat totum corpus, neque sterquilinium, in quo jacebat, suis amicis et familiaribus molestus ac gravis, tam de se humiliter sentire fecit quam lux divina, quæ tunc ipsius mentem illustrabat. Similiter Ezechiam, antequam a Domino corriperetur et illustraretur, non tam humiliavit mors jam impendens, et corpus jam solvendum in saniem et in cineres redigendum, quam mens a Deo illustrata; qua mox ad se reversus errorem suum deflevit.

Habent nimirum hoc peccata, quod videantur hominibus sæpe levissima, quamdiu in bonam mentem non reducuntur; at postquam Deus peccatores illustrat, plus eos cruciat, punit et affligit peccati memoria, etiam dum remissum est, quam ante peccatum admissum, dum adhuc in animo aderat. Sic David dum in peccato erat nullo vexabatur mentis angore; at postquam se peccasse cognovit, dimisso etiam peccato dolenter clamabat *Psalm.* XXXVII, 5 : « Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me, » *q. d.* Ostendisti mihi Domine peccata mea, et ipsorum cognitione tactum puduit me talia patrasse, etc. Vide quomodo peccatorum cognitio cor nostrum ad compunctionem et dolorem impellat. Non videbat se patiens Job, et ideo non erubescebat, imo quasi penitus innocens de sua se innocentia jactabat, et de tantis miseriis sibi a Domino illatis conquerebatur; at postquam seipsum nova quadam et magis intima revelatione conspexit, et suam vilitatem agnovit, querimonias ponit, et vultum pœnitentis assumit. Cur autem prius pœnitentiam non egisset unicam hanc depromit rationem, quia tantum Deum audierat, at non viderat; quem statim ac vidit, illico pœnitentiam egit. Causam ergo pœnitendi assignat visum Dei; unde patet quid sit sentire præsentiam Dei et affici ejus gloria, quoniam absque eo fieri nequit ut homines in ordinem cogantur, quidquid ipsis dicatur : aut enim surdos agent, aut non satis reverentiæ Deo exhibentes, quidquid ipsis dicetur, sicut experientia ostendit, effluere patientur. Opus est igitur ut Deus ipse nobis se præsentem exhibeat, et vivum aliquem suæ majestatis sensum immittat, eo ut ipsum timeamus. En cur Jobus profitetur se sibi displicere, omniaque quæ temere dixerat reprobare. Subdit enim :

Vers. 6. 6. IDCIRCO IPSE ME REPREHENDO, ET AGO PŒNITENTIAM IN FAVILLA ET CINERE. — Septuaginta mirifice sensum Jobi expresserunt in hunc modum, διὸ ἐφαύλισα ἐμαυτὸν, καὶ ἐτάκην· ἥγημαι δὲ ἐυαυτὸν γῆν καὶ σποδὸν, *quamobrem sprevi meipsum, et extabui : putavi autem me terram et cinerem.* Eodem quidem modo cum propriam conscientiam non videmus, nos justos et aliis meliores dicimus; cum vero eam divina luce illustrati in conspectu Domini per examen discutimus, tunc miseros et peccatores judicamus. « Et quanto se quis minus videt, inquit S. Gregorius lib. XXXV *Moral.* cap. V, tanto sibi minus displicet; et quanto majoris gratiæ lumen percepit, tanto amplius reprehensibilem se esse cognoscit : cum enim intrinsecus sublevatur per omne quod est, ad eam, quam supra se conspicit, regulam congruere nititur; et quia adhuc humana infirmitas præpedit, cernit quia ei ex minima parte dissentit, totumque illi onerosum est, quod internæ regulæ conveniens non est : » sic ille. Deus igitur se ostenderit oportet, antequam eo devenire possimus, ut nobis displiceamus, et quidquid nobis factum dictumve fuerit, ut par est apprehendamus; contra, cum vera pœnitentia prædili sumus, non amplius vitia nostra coloramus, aut excusationes ullas quærimus, sed potius, si vere nos pœniteat, nos peccasse, et quidem nos ipsos detestantes, confitebimur. Peccator enim si se vere ad Deum converterit non solum peccatum suum agnoscet, et se condemnabit, sed insuper de se vindictam sumet, eo quod adversus suum creatorem insurrexerit. Atque hoc est quod Jobus hic significat dum ait : « Idcirco ipse me reprehendo, » quod tam audacter me innocentem di-

Cognitio peccati addecit pœnitentiam.

Quantum Jobus ex Dei monitione profecerit.

Fructus divinæ correptionis et illustrationis.

Peccatum demum horremus cum cognoscimus.

Quid sit *agere pœnitentiam in cinere et favilla.*

xerim, et me sine causa pati pronuntiaverim : *Et ago pœnitentiam in favilla et cinere :* hic antiquu pœnitendi ritus est : « *In favilla* et *cinere pœnitentiam agere,* inquit S. Hieronymus ad hunc locum, est contemplata summa essentia nihil aliud quam favillam et cinerem se cognoscere. Ac si aperte dicat : De nullo auctoris dono superbio, quia sumptus ex pulvere per illatæ mortis sententiam ad pulverem me redire cognosco. » Pro *favilla* in Hebræo habetur nomen עפר *ghaphar,* quod significat tenuissimum minutissimumque pulverem, quo nomine Scriptura uti solet ad rem omnium minimam abjectissimamque exprimendam, quam quævis aura levis propellit et circumducit. In pulvere igitur ac cinere agit pœnitentiam Jobus, seipsum viliorem et abjectiorem cinere et pulvere repræsentans, ut Dei misericordiam flecteret : pauper namque qui alicujus divitis misericordiam interpellat, suam quantum potest exprimit miseriam, tanto securius illam exspectans, quanto potentius et manifestius hanc repræsentat.

Deus per compunctionem trahit nos ad pœnitentiam.

Hanc autem esse consuetudinem Dei, ut nos per cognitionem peccatorum ad compunctionem et pœnitentiam trahat, regius quoque Propheta non tacuit *Psalm.* LIX, 4 : « Commovisti, inquit, terram, et conturbasti eam : sana contritiones ejus, quia commota est : » interrogat eo loco S. Augustinus : « Quomodo conturbata est terra? » respondet autem sibi ipsi : « Conscientia peccatorum : » sapiens quidem et vera responsio. Cum enim homo in corde suo delicta et peccata invenit, quæ antea ignorabat, tunc dolore compungitur, tristitia commovetur, timore turbatur, ut a Domino per gratiam sanetur : ipse enim pungit, ut mulceat; movet, ut quietet; turbat, ut turbatum præ compunctione animum a malis, quorum causa turbabatur, eripiat. Quod in hac quoque Jobi compunctione factum observare licet : nam ex ista apparitione divina, atque familiari paternoque colloquio post compunctionem sanctus vir fuit omni tentatione et miseria liberatus et sanatus, non solum corpore, sed et animo tanta consolatione et dulcedine spirituali repletus, ut is solus novit qui sensit. O quantas tunc exhibuit gratiarum actiones, quantas Deo laudes et prædicationes! o gaudia spiritualia! vere potuit dicere, si quis unquam alius *Psalm.* XCIII, 19 : « Secundum multitudinem dolorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam; » et cum Apostolo exclamare II *Corinth.* I, 4 : « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. » Hæc vero non contigerunt propter Jobum solum, sed in exemplum omnium nostrum scribi, legi et prædicari per totum orbem voluit Spiritus Sanctus, ut discamus fortes et constantes esse in rebus adversis, a fide et spe in Deum nunquam deficere, certi Deum nobis suo tempore adfuturum. Volunt etiam nonnulli B. Jobum tunc omnino spiritum propheticum, quo antea non tam plene claruit, copiose accepisse; quod testetur dicens : « Oculus meus videt te, » nempe more prophetarum : oculo videt jam propheta factus, quoniam *videntes* dicti sunt prophetæ; unde ab Hebræis quoque tametsi plurimum in gentiles invidis, in catalogo prophetarum connumeratur. Jobi rursum exemplo monemur nunquam adversus Deum disputare, nunquam de occultis judiciis ejus temere loqui; sed cum omni humilitate potius nos nostraque iisdem subjicere. Sic quondam I *Reg.* III, 18, Heli, quando Samuel retulit ei ex ore Domini filios ejus immatura morte perituros, ipsumque sacerdotio privandum esse : « Dominus, inquit, est, fiat quod bonum videtur in oculis ejus; » et David ait *Psalm.* CXVIII, 137 : « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. » Semper Deus vincit cum judicatur; id quod egregio schemate significatum est Esdræ pro Hierosolymorum instauratione nimium zelanti, cui sic ait angelus IV *Esdr.* III et IV : « Pondera mihi ignis pondus; mensura flatum venti; revoca diem præteritum; et dicam tibi vias Altissimi. » Imbecillitatem sane suam ignorantiamque profiteri S. Propheta coactus fuit. Jobus itaque temeritatem suam humiliter confessus, et pœnitudinem promittens, exemplo nobis esse debet, ut delicta nostra et plura et majora humiliter agnoscamus, confiteamur et emendemus; siquidem velimus, ut Dominus ea remittat, nosque tam corpore quam animo sanet atque justificet. Cæterum jam Deum pro Jobo contra adversarios ejus judicantem audiamus.

Compunctio et pœnitentia consolationem generant.

Job prophetico spiritu

Cumulatus,

Non disputandum cum Deo, sed occulta judicia ejus venerda.

Job nobis exemplum dedit pœnitentiæ.

Vers. 7. 7. POSTQUAM AUTEM LOCUTUS EST DOMINUS VERBA HÆC AD JOB, DIXIT AD ELIPHAZ THEMANITEM : IRATUS EST FUROR MEUS IN TE, ET IN DUOS AMICOS TUOS : QUONIAM NON ESTIS LOCUTI CORAM ME RECTUM SICUT SERVUS MEUS JOB. — Vidimus superius quemadmodum Deus Jobum redarguerit, nunc secundo loco ejus socios redarguit, et quidem longe asperius : nunc enim ipsum approbat, reliquos vero condemnat, *q. d.* Vos Eliphaz, Sophar et Baldad interim dum Jobum emendo forsan existimatis impune evadere, nullamque in vobis culpam inveniri, quæ a me arguatur; forsitan etiam in vobismetipsis gloriamini quasi victores, eo quod audistis Jobum increpari de quorumdam verborum temeritate, quam dolor extorserat; fortassis etiam vos apud me invenisse gratiam putatis, quasi ex zelo justitiæ meæ recta locuti sitis : ego autem, ne falsa opinione superbiatis, palam edico vobis, dicta actaque vestra contra Jobum servum meum me minime approbare, sed damnare ac reprobare : quapropter inardescit adversum vos ira mea. Licet enim quasi ex zelo vindicandæ justitiæ meæ videamini locuti, attamen judicio meo nec vera nec recta protulistis : tota enim disputatio vestra falso nixa est fundamento, quasi Job propter peccata sua plagas istas sustinuerit : quare falso simul et impie judicastis eum esse hominem hypocritam, impium, pauperum oppressorem, crudelem, barbarum, inhumanum, etc.

Deus increpat Eliphazum cum sociis suis.

http://www.obrascatolicas.com

Non temere judicandum.

Caveamus igitur nobis a temeritate, quando videmus Deum aliquem aspere vexare, ne levi judicio pronuntiemus adversus ipsum, illum dignum esse qui sic tractetur; et contra, illos, qui otio et quiete fruuntur, quasi a Deo maxime delecti sint, æstimemus: id enim fuerit nimis temere judicare. Nam si causas quæ nobis in Scriptura designantur intueamur, eos qui maxime eximii Dei servi sunt, sæpius omnium asperrime, ita ut videatur nobis Deus hostem ipsorum esse, tractari comperiemus; sed tamen de illis ex sensu nostro non judicabimus. Cum eam modestiam servabimus, Deus semper nos sublevabit quando affligemur; sed si crudeles fuerimus, et nimia stultitia præcipites feramur ad temere pronuntiandum de aliis, eadem quoque mensura nobis rependetur. Cæterum ut eo melius comprehendamus id quod hic dicitur : *Quoniam non estis locuti coram me rectum sicut servus meus Job*, memoria retinendum id quod superius declaravimus, nempe Jobum, quamvis in quibusdam verbis peccaverit, nihilominus tamen bonam causam habuisse, cum Deus, qui solus idoneus judex erat, sic pronuntiarit: contra, quamvis ejus amici speciosa, ut quidem videbatur, argumenta attulerint, nihilominus hic reprobantur, quia ipsorum fundamentum erat malum : ex thesi enim generali argumentabantur, Jobum propter maleficia sua puniri, ipsum pro improbo et exsecrando habendum esse, cum Deus ejusmodi severitate adversus ipsum uteretur : præterea doctrinam etiam falsam et perversam protulerunt, cum dixerunt Deum homines semper in hoc mundo prout ipsi promeriti sunt tractare. Illud vero erat spem omnem vitæ æternæ præcidere, et gratiam Dei in hac vita fragili et caduca sic includere, ut etiam bonorum præmia cum ea terminentur. Quare merito hic a Deo condemnantur, ita tamen ut simul erga illos vel sic immensam suam bonitatem atque clementiam declaret, quod non dedignetur etiam profanis, ingratis atque injuriosis istis hominibus apparere, loqui, judicia sua revelare, eosdem monere et hortari ad reconciliationem tam secum quam cum Jobo, in quos multipliciter et graviter offenderant.

Est et in hoc mirabile atque stupendum judicium Dei, quod hi qui judicio suo putabant se recta locutos, imo et causam justitiamque Dei egregie propugnasse, Dei judicio coarguantur atque damnentur ut minus recte, imo et impie locuti : sic et hæretici, gnostici, sabelliani, ariani, nestoriani, pelagiani, quibus addere licet lutheranos, calvinianos, anabaptistas, putantes se recte et dicere et scribere de Deo et rebus divinis, pro certo turpiter fallunt, et falluntur. De his Sapiens ait *Prov.* XII, 15 : « Via stulti recta in oculis ejus : qui autem sapiens est audit consilia; » iterum *ibid.* cap. XIV, 12 : « Est via quæ videtur homini justa; novissima autem ejus deducunt ad mortem; » et Dominus ait *Isai.* LV, 8 : « Non sunt viæ meæ viæ vestræ, » etc. Subjicit ergo Deus modum ac rationem illos secum et cum Jobo reconciliandi, ostendens ipsis opus esse sacrificiis quibus expientur, et mediatore Jobo, qui paret ipsis aditum ad se et gratiam conciliet; quemadmodum videmus in lege *Exod.* XXX, 6 Deum constituisse sacerdotem qui solus in sanctuarium nomine totius populi, cæteris procul foris stantibus *Levit.* XVI, 17, et eo pacto cognoscentibus se indignos esse qui ad præsentiam Dei accederent, ingrederetur. Id enim figurabat, sine mediatore, qui Deum nostro nomine adeat, nunquam licitum nobis fore Deum precari, nosque merito rejectum et exclusum iri. Jobus igitur hic tenuit locum et officium sacerdotis, quando pro amicis suis intercessit : neque hoc sibi sumpsit, sed ad actum illum institutus fuit a Deo : nam, ut ait Apostolus *Hebr.* V, 4, nemo debet honorem illum sumere, sed qui a Deo constitutus fuerit ille verus et legitimus est sacerdos. Unde intelligimus, quando venia peccatorum nostrorum petenda est, non debere quemquam seipso fretum se offerre, sed Jesum Christum ejusdemque in terris Vicarium hoc muneris habere, ut nobis aditum præbeat, et potestate clavium sibi commissorum peccata remittat, cœli januam aperiat, nosque Deo Patri conciliet. Cæterum quid amicis Jobi Deus ad gratiam secum et cum Jobo instaurandam præceperit sequentia declarant:

Hæretici putantes se recte loqui turpiter fallunt, et falluntur.

8. SUMITE ERGO VOBIS SEPTEM TAUROS ET SEPTEM ARIETES, ET ITE AD SERVUM MEUM JOB, ET OFFERTE HOLOCAUSTUM PRO VOBIS : JOB AUTEM SERVUS MEUS ORABIT PRO VOBIS : FACIEM EJUS SUSCIPIAM, UT NON VOBIS IMPUTETUR STULTITIA : NEQUE ENIM LOCUTI ESTIS AD ME RECTA SICUT SERVUS MEUS Job. — Iratum se profitetur Deus, neque mox ulciscitur; sed, quod est luculentissimum clementiæ exemplum, docet offensores ipsos quemadmodum propitiandus sit : præscribit tauros, vitulosve ac septem arietes (numerum scilicet a primordio mundi, ob creationem die septima quieti destinata absolutam, religiosum) jubetque adeant prius Jobum, quem vexaverant, anteverso nempe consilio evangelico, quod per Matthæum cap. V, 24, evulgaturus erat, ut non prius ad altare munus offerat qui proximo irrogavit injuriam, quam offenso reconcilietur : injungit præterea ut Jobus oret, sacrificans nempe, ac simul preces fundens ut verus sacerdos, cui sacra exercenti qui adsunt assistuntve offerre dicuntur : quo certe modo amici holocaustum obtulerunt. Job igitur mediator et sacrificus eis datur, quem tot injuriis vexaverant, totque calumniis deformaverant, et disputationibus fatigaverant, ut sancti viri dignitate et gratia, qua Deo charus erat, et auctoritate, qua valebat, probe cognita, illum in posterum suspicerent ac venerarentur, nec ulterius offenderent. *Faciem ejus suscipiam*, hoc est placabor, admittam, amplectar, non repellam, non rejiciam oblationes et orationes ejus pro vobis. Non ante tamen Deus ipse vult procedere ad veniam eis concedendam quam vi-

Vers. 8.

Deus præscribit amicis Jobi modum reconciliationis.

Job datur amicis in mediatorem, ut ipsos Deo reconciliet.

deat Jobum injuriosis amicis parcentem : Suscipiam, inquit, faciem Jobi, *q. d.* Notabo prius qua facie, quo vultu erga vos sibi injurios homines sit Job, et ejus secutus morem, inde post ipsum ad veniam et largitiones procedam. Ad hæc D. Gregorius lib. XXXV *Moral.* cap. VII : « Intuendum, inquit, est, quia ita caute ordo acceptæ veniæ custodiatur, ut in sacrificiis Dominus non illorum, sed B. Job faciem suscepisse referatur, qui tanto citius audiri meruit, quanto devote pro aliis intercessit; » ubi maxime ponderanda sunt illa verba : *Ordo acceptæ veniæ custodiatur.* Quippe ille semper a Deo in danda venia ordo servatur, quo non ipse primus procedat ad veniam, sed alterius præter ipsum offensi prius faciem suscipiat. Hinc paulo acerbius hæc Septuaginta sic transtulerunt, Ἰὼβ δὲ ὁ θεράπων μου εὔξεται περὶ ὑμῶν, ὅτι εἰ μὴ πρόσωπον αὐτοῦ λήψομαι· εἰ μὴ γὰρ δι' αὐτὸν ἀπώλεσα ἂν ὑμᾶς, *Job autem famulus meus orabit pro vobis, quoniam non nisi faciem ejus accipiam : nam nisi propter ipsum perdidissem utique vos.* Sed cur noluit Deus amicis parcere, nisi Job interveniret? Optimam hujus rei rationem reddit S. Ambrosius lib. III *Offic.* cap. XVI, ubi ait : « Ignoscere his per amicum maluit Dominus, ut amicitiæ suffragium remissio fieret peccatorum. Proficit illis amicitia, quibus obfuit insolentia. » Ostendebatur scilicet quo deberent fœdera amicitiæ spectare, nimirum ut amicorum peccata de medio tollerent. Et quando non est bonus qui non dormitet aliquando, qui non corripiatur subinde peccati sopore, felix erit, si habeat amicum, qui accedat et excitet eum a somno, ut amicitiæ suffragium fiat abolitio vitiorum. « Illud etiam docet, inquit S. Chrysostomus in *Caten.*, haud illa satis futura esse sacrificia ad expiationem, nisi Jobi quoque merita accessissent. »

Deus non acceptat sacrificium nisi in gratiam rediverimus cum iis quos offendimus.

Propter Jobum Deus parcit ejus amicis.

Validissima profecto sunt nobis sanctorum patrocinia pio cultu beneficentiæque operibus procurata et extorta; et quæ nihil obtinerent per se sacrificia, amicorum cœlestium favore adjuncta homines a perditione liberant, solet enim Deus in sanctorum suorum gratiam multa dissimulare in peccatoribus. Sic de Achabo dicitur II *Paral.* XXI, 6 : « Et fecit malum coram Domino, noluit autem Dominus perdere domum David propter pactum quod inierat cum eo; » peccante scilicet Achabo et regiæ domus ruinam merente potuerunt Davidis merita Deum a vindicta revocare, ut qui sciat in suorum sanctorum gratiam vivis peccatoribus aliquando favere. Ubi autem Sanctorum orationes desunt, etiam viri justi commodis multis carent. Unde bene B. Chrysostomus hom. 1 *in Thess.* ex hoc et aliquot aliis locis probat bonum esse sanctorum precibus frui; sed quando et ipsi seduli et vigiles fuerimus. Hoc nimirum ipsa ratio jubet, et voluntas S. Numinis expressa divinis monumentis diserte pronuntiat. Imo vero suavissimus Dei Spiritus clarissimorum hominum oraculis mundum instruens cum naturæ inter omnes communionem et gratiæ posuisset, præsertim in Novo Testamento, vult ut mutuam sibi omnes charitatem exhibeant, se juvent, opem et præsidium alii aliis conferant, donec omnes in parentis omnium Dei sacram familiam et perennis gloriæ tabernaculum conveniamus : omnes unum corpus effecit, cujus caput Christus est, quodque Dei paginæ συνκρωλογούμενον vocant, ita membris undique aptum et mirificum in modum cohærens, ut nihil videatur esse conjunctius. Itaque jubet Apostolus *Gal.* VI, 1 alterum alterius onera portare, et præcipuo studio fraternitatis charitatem meminisse, pati omnia propter electos. Quæ omnia frustra dicerentur, nisi homines pie et caste in mutuo illo subsidio nonnihil opis atque fiduciæ collocare possent. Ille ipse Doctor gentium fidelis populi orationibus commendabat se, et ab iisdem vim et robur exspectabat ad frangendos inimicorum impetus atque superandos; quod tum sæpius liberiusque faciebat, cum ad spargendam Dei religionem, et Evangelii lucem aperiendam illis qui in tenebris jacuerant, ostium magnum sibi apertum videbat et adversarios multos. Hoc convenit suavissimæ Dei providentiæ, qui nos cœlestibus et terrestribus auxiliis promovet ad quærendam felicitatem : nam *Psalm.* XC, 11 de nobis angelis suis mandavit, et monet a principibus illis pendere, qui de die et de nocte nobis adsint ad cœli viam ineundam, ut nemini dubium sit quin plurimum in eorum benevolentia et charitate fidere et sperare possimus. Sic cum solus omnia possit, et sapientissime omnes moderetur, jussit tamen antiquissimis temporibus ut S. Job cap. XLII, 8 pro adversariis suis oraret, et *Genes.* XX, 7, Abrahamus pro Abimelecho rege, ut illi qui rei tenebantur violatæ innocentiæ et divinæ majestatis se a duobus illis viris, Dei amicis, beneficium accepisse cognoscerent, et debere multum illis faterentur. Huc spectat propheticum illud dictum, ut qui sibi opibusque suis diffidit, ad aliquem sanctorum convertatur. De quo vide plura supra cap. V, vers. 1.

Patrocinia sanctorum multum nobis prosunt.

S. Paulus se fidelium precibus sedulo commendare.

Sanctorum preces ad multa juvant.

9. ABIERUNT ERGO ELIPHAZ THEMANITES, ET BALDAD SUHITES, ET SOPHAR NAAMATHITES, ET FECERUNT SICUT LOCUTUS FUERAT DOMINUS AD EOS, ET SUSCEPIT DOMINUS FACIEM JOB. — Tres igitur illi viri, Eliphaz, Baldad, et Sophar, ut erant religiosi ac timentes Deum, humiliter statim ad vocem Domini pœnitentiam agentes, ad satisfactionem exactam persolvendam se parantes, pro consequenda peccati venia abierunt ad greges, vel ad locum ubi sibi arietes et tauros in numero taxato compararent; assumptisque illis, venientes ad Jobum, humiliter illi reconciliati sunt, postulantes dictas victimas per illum offerri Deo in holocaustum pro peccatis suis; ita se libenter propter vocem Domini coram amico offenso humiliantes, ut peccati sui veniam impetrare possent. Hic quidem non fit mentio Eliu; at verosimile est, ipsum quoque vocem Domini audivisse, adiisse Jobum, eumque

Vers. 9.

Tres amici Jobo reconciliantur, ipsi que victimas adferunt pro se Deo offerendas.

Eliu probabilius adfuit sacrificio.

http://www.obrascatolicas.com

honorasse ac sacrificio interfuisse, ut qui in eodem errore cum tribus versatus fuerat eodem holocausto expiaretur. Jobo igitur pro ipsis deprecante et sacrificium offerente Dominus exaudivit orationem ejus, et per ipsius intercessionem propitius factus est peccatis illorum, ostendens manifeste quantum Jobum diligeret; et maxime gratas, acceptas et efficaces esse preces sanctorum virorum, sive adhuc in terris degant, sive jam in cœlis ævo felici et perpetuo secum perfruantur. Expressius id Septuaginta transtulerunt, καὶ ἔλυσε τὴν ἁμαρτίαν αὐτοῖς διὰ τὸν Ἰὼβ, *et solvit peccatum ipsis propter Job.* Quid est illud *propter Job?* nimirum prospiciens Jobi auctoritati et gloriæ, pepercit Dominus injuriosis amicis ejus, quando illum in pristinam gloriam restituebat: minueretur enim multum Jobi beneficium, si de ruinis amicorum fieret: sic Olympiodorus in *Caten.*: « Etenim, inquit, ea res damno Jobo fuisset, si amici, qui consolationis adhibendæ causa ad ipsum commearant, pœnas interitu persolvissent. » Luctuosum esset Jobi beneficium, quod cum flagello et pœna aliorum veniret: præterita nempe calamitas amicos verterat in hostes, nam quos ut amicos antea colebat, jam probaverat inimicos; pro iis autem intercedens ipsos Deo sibique conciliat. Venia vero, quam Deus falsis amicis indulget, bonum Jobi est, ut plane dicat Deus se *faciem* Jobi *suscipere* ut illam largiatur; scilicet grande beneficium Jobo confertur, eo quod non solum non puniantur ejus dolosi amici, sed ut veniam impetrent, et in veteres amicitias redeant. Nihil erat quod ab Eliphazo Themanite et Baldado Suhite sibi timeret Job, utpote superior regno, opibus et potentia; quosque jam calamitate prostratus ratione qua tunc pugnabant devicerat; verum Deus largissime munificus in Jobum ad cæteras prosperitates, quibus eum cumulavit, hanc addidit, ne haberet inimicos. Unde hoc beneficium totum in Jobum collatum est: et recte facies Jobi suscipitur; et Deus, qui acceptor personarum non est, personam Jobi quasi accipit, ut magnum donum illi condonet, neque enim illustrem patientia virum perfecte prosperaret Deus, si inimicos adversa fortuna factos felix jam retineret: nam agere inimicitias etiam adversus imbecilliores, et a quibus nihil timet, magna calamitas est.

Jobi et sanctorum preces efficaces.

Magna Jobo præstatur gratia, ut non habeat inimicos.

Vers. 10.

10. DOMINUS QUOQUE CONVERSUS EST AD POENITENTIAM JOB, CUM ORARET ILLE PRO AMICIS SUIS. ET ADDIDIT DOMINUS OMNIA QUÆCUMQUE FUERANT JOB DUPLICIA. — Eleganter Deus dicitur ad pœnitentiam converti more nostro juxta illud *Jerem.* XVIII, 8: « Si pœnitentiam egerit gens illa, etc., agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei: et subito loquar de gente, et de regno, ut ædificem et plantem illud: » hac nimirum phrasi favor divinus notatur, quem absque ulla mutatione Deus, qui prius affligebat, impendit. Sed quid? num tunc et non prius pœnitentiam egerat? Cur ergo tunc ad pœnitentiam Jobi conversus dicitur Dominus? sane, quod tunc potissimum quodcumque bonum Jobi opus Deo maxime placuit; tunc ipsius pœnitentia ad eum potissimum clamavit: tunc Dei voluntas de opibus et regno ipsi restituendo omnino firmata est, cum ipse non curabat quod sibi utile esset, sed quod multis. Nulla siquidem re magis divina manus se prodit quam in superabundanti donorum largitione, ubi supereffluit bonorum suppeditatio, ibi conspicuam agnosce Dei manum. « Dominus, inquit, conversus est ad pœnitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis. » Quæ verba argutius in rem præsentem transferunt Septuaginta legentes, ὁ δὲ Κύριος ἤυξησε τὸν Ἰὼβ· εὐξαμένου δὲ αὐτοῦ καὶ περὶ τῶν φίλων αὐτοῦ, ἀφῆκεν αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν, *Dominus autem auxit Job: et cum ille precatus etiam esset pro amicis suis, dimisit eis peccatum.* Quasi innuant inde perspicuum esse Jobi augmentum a Deo venisse, quod sic supereffluxerit gratia, ut ad alios etiam redundarit: ubi enim donorum respicis redundantiam, ibi agnosce divitem Dei gratiam. « Quare si nos ipsi, inquit Catenæ græcæ auctor, in his quoque temporibus egentem quempiam hominem viderimus, eumdemque pro cæteris supplicantem, atque ejus supplicationem eventu comprobatam, divitem Domini gratiam admiremur. » Quovis enim tempore, quo sic replentur et augentur homines donis, ut ex iis in alios supereffluat, non angelica, sed divina isthic prædives manus agnoscitur, quæ non nisi affluenter dare consueverit. Cæterum hic quæret aliquis, cur hæc Jobi oratio pro inimicantibus revera amicis effusa *pœnitentia* dicatur: nempe dum Jobus pro inimicis suis orat, ejus oratio veluti ad propriæ pœnitentiæ elogium acceptatur, et amicis sibique impetrat, atque pro inimicorum impetranda venia orando amissa pridem bona cum auctario recuperat. Oratio enim pro inimicis sic Jobo profuit, ut a Laudunensi Anselmo ad hunc locum et a tot calamitatibus assertio ac pristinæ felicitatis auctior restitutio illi merito adscribatur.

Quomodo Deus dicatur conversus ad pœnitentiam Jobi.

Job orando pro inimicis felicitatem sibi impetrat.

Porro ex hoc textu aliqui satis apte colligunt Jobum dum oraret sanitati perfecte restitutum, quasi Deus observarit destinaritque horam illam miraculosæ sanitati, qua Jobus eximia in proximos, a quibus lacessitus fuerat, charitate flagrabat. Instaurata ergo valetudine opportune subtexitur addita fuisse bona duplicia, ut prospere valenti cuncta felicius acciderent. Hæc autem bonorum ipsius duplicatio præmium fuit consummatæ exspectationis ac sufferentiæ. Ea enim videbantur Jobi mala, sicque auxilium Dei exterius fuerat dilatum, ut vel aheneæ spes sive exspectationes possent millies defecisse; et tamen ejus exspectatio et sufferentia nullis dilationibus labebatur, nullis ictibus ruebat; digna sane cui omnia bona duplicata recurrerent. Non enim alio differebat Deus Jobi auxilium, nisi ut duplicaret bona illius, quando hoc præcipuum habet bona exspectatio et longanimis sufferentia justi, ut duplicia

Fructus sustinentiæ Jobi.

bona parturiat. Verum quidem est non ut plurimum eventurum, ut Deus duplo augeat dona sua temporalia illis qui afflicti fuerint, ita ut appareat ipsos longe ditiores quam fuerint antea evadere, aut denique liberos et prolem, quidquid denique in mundo optabile est habere: sic quid unicuique conveniat; nosque dispositos esse oportet ad accipiendam nostram portionem et mensuram, qualem nobis distribuere, tanquam patrifamilias, qui optime novit quid conducat familiæ suæ, ipsi visum fuerit. Sed tamen nobis hæc regula generalis constituenda est, Deum non solum finem afflictionibus nostris impositurum quando tempus erit; sed etiam ipsas in salutem nobis conversurum, ita ut sensuri simus ipsum nequaquam nos oblivioni tradidisse eo tempore quo nos affligebat, sed potius semper patrem se erga nos exhibuisse, quando noluit nos nimis in hoc mundo sopitos et somno sepultos esse: postquam enim sic prostrati fuimus, melius dispositi et præparati sumus ad aspirandum ad vitam cœlestem, et ad salutem spiritalem, quæ nobis parata est, eo melius gustandum. Si igitur vel hoc ipsum duntaxat habuerimus, nonne debemus agnoscere id quod hic de Jobo scriptum est in nobis impletum esse nosque verum ejus exemplum habere? permittamus igitur Deo ut nos tractet, nobisque dona sua largiatur prout ipsi videbitur; sed quidquid sit, si modo patientes fuerimus, certi sumus exitum afflictionum nostrarum semper felicem fore. Hinc postquam desæviit tempestas calamitatum, quas obstinata fere patientiæ gloria gloriosissime pertulit Job, successit læta tranquillitas: « Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Job duplicia: » nempe Deus multiplicavit Jobo armenta, greges, agros, censum, ætatem, gloriam; filios vero non multiplicavit, sed eodem numero quot amisit tot recepit.

Ubi est abundans charitas proximi, ibi est abundans gratia Dei.

Arcana orbitatis lætitia.

Cujus rei causam reddit Tertullianus lib. *De Pat.* cap. XIV his verbis: « Jobus quæ amiserat reduplicata possedit, et si filios quoque restitui voluisset, pater iterum vocaretur; sed maluit in illo die reddi sibi tantum gaudii: sustinuit jam voluntariam orbitatem, ne sine aliqua patientia viveret. » Scilicet Jobus amissa bona feliciter recuperat aucto numero, ultro recusat redivivam charæ sobolis restaurationem sustinens voluntariam orbitatem, ne sine aliqua patientia deinceps viveret: maluit enim in illa die reddi sibi tantum gaudii. Quasi non tantum pristinæ felicitatis restauratio, sed etiam lugubris filiorum orbitas faceret ad gaudium tolerantissimi viri: imo inter primas lætitiæ causas collocat funesta filiorum funera: ait enim Tertullianus, perspicax patientiæ interpres, quod Jobus noluit restitui sibi filios, ne sine orbitatis patientia viveret: « Sed maluit in illo die reddi sibi tantum gaudii. » Quid est *tantum gaudii*, nisi luctuosam dilectæ sobolis orbitatem? O arcanum patientiæ sacramentum! qui pie ac christiane patitur, beatæ spei beneficio gloriatur in tribulationibus. Movent denique nonnulli hoc loco quæstionem, cur postquam tribulationum turbo desævierat, et bona temporaria duplicato incremento restituta Jobo erant, nullum deinceps de ipsius in pauperes beneficentia verbulum habeatur. Num fortasse Jobus de opulentiæ felicitate avarior post calamitosam inopiam factus est? an potius Jobi largitas propriis calamitatibus edocta copiosius benefacere adeo erudita est, ut id referre supervacaneum putaretur? argute Tertullianus lib. *De Pat.* cap. VII: « Patientia, inquit, in detrimentis exercitatio est largiendi et communicandi. » Nimirum Jobus in prospera quondam opulentia dives etiam benignitate fuit, et in egenos pie misericors; at ejus olim misericordia quasi inerudita et exlex fuit, cum hactenus felix experimento nesciret, quantum egestas gravet, quantum dolor excruciet, quantum orbitas premat, quantum contumelia urat, quam ægre bonorum detrimenta ferantur; quæ postquam experimento novit, ad beneficentiam uberiorem eruditus est, dum tolerantius se in duris exercuit. Quamobrem postliminio multimoda calamitate sua doctus, « condolentiam velut lata lege sanxit, ex eadem nimirum infirmitate ad pietatem et humanitatem erudita. » Ita Tertullianus auctor longe gravissimus rationi ac naturæ prorsus congruenter: nam qui in se nescit pati difficile aliorum miseretur; exacerbata vero in propriis detrimentis patientia meditatio quædam seu exercitatio pietatis est.

Patientia in propriis detrimentis exercitatio est largiendi.

Vers. 11.

11. VENERUNT AUTEM AD EUM OMNES FRATRES SUI, ET UNIVERSÆ SORORES SUÆ, ET CUNCTI QUI NOVERANT EUM PRIUS, ET COMEDERUNT CUM EO PANEM IN DOMO EJUS; ET MOVERUNT SUPER EUM CAPUT, ET CONSOLATI SUNT EUM SUPER OMNI MALO QUOD INTULERAT DOMINUS SUPER EUM: ET DEDERUNT EI UNUSQUISQUE OVEM UNAM ET INAUREM AUREAM UNAM. — Postquam ergo Jobus divina apparitione et collocutione ab omni molestia ægritudineque sanatus, et pristino honori graduique restitutus fuit, iterum cognoscitur et visitur a cognatis, fratribus, sororibus, amicis et his qui prius quidem in rebus prosperis illum noverant, sed in adversis deseruerant. Venerunt itaque ad eum, Domino sic disponente, et corda eorum ad hoc movente, tam viri quam feminæ ad ipsum salutandum, et cum eo more solito colloquendum; ut qui eum rursum sibi in principem et rectorem confirmarent, quem plagarum tempore despexerant et neglexerant. Sed o pigrum adventum et seram commiserationem! quando jacebat Jobus calamitate prostratus non venerunt ejus cognati, ut caput moverent super eum, et blanda commiseratione ærumnæ atrocitatem lenirent; et cum pristinæ felicitati restitutum vident adsunt celeres, et compatiuntur pii. Tarda profecto est ejusmodi miseratio, et, nisi fallor, importuna: potius enim videntur adulari felici quam compati pristinæ infelicitati. Imo vero est opportuna et maxime tempestiva: nam, ut

Job pristinæ felicitati restitutus iterum ab amicis agnoscitur et visitatur.

Post calamitatem opportuna est commiseratio.

Vers. 11.

http://www.obrascatolicas.com

egregie notavit S. Gregorius lib. XXXV *Moral.* cap. VIII hæc verba expendens : « Percussi mœrorem consolari, est ei post percussionem de venia congaudere : nam quanto quisque de restituta proximi salute cernitur hilarescere, tanto se judicat de ablata doluisse. » Quasi intempestiva sit commiseratio, quæ præsente calamitate exhibetur : potius enim videtur præsentare causas doloris, et miserabilem ostendere, quam miserum allevare : quid enim gravius est homini quam commiseratione dignum videri? Ergo amici Jobi onerosi fuerunt consolatores, vel tacite ipsa commiseratione miseriam exprobrantes : nam ostenderunt Jobum fuisse dejectum usque ad amicorum suorum, vel, quod grave est, contumeliam, vel, quod gravius, misericordiam; igitur fratres et affines Jobi opportune miserationem post ærumnam exhibent, ne videantur ipsa commiseratione causas miseriæ exprobrare.

Qualis sit sæcularium amicitia.

In his porro cernimus mundi ingenium et mores, qui pauperes et miseros aspernatur tanquam a Deo rejectos; divites et felices honorat, ut vere dici possit,

> In pretio pretium nunc est : dat census honores,
> Census amicitias : pauper ubique jacet.

Sic apud homines sæculares valent humanæ fortunæ, ad quas solas currunt. Nullus frater, nulla soror, nullus propinquus defuit, qui ad Jobum divitem non veniret, et cum illo comederet panem. Et quanta hæc Jobi felicitas? cur hoc notat Dominus in rediviva felicitate Jobi? crediderim, Dominum in notando hoc propinquorum concursu non attendisse ad Jobi felicitatem ostendendam, sed ad carpendam temporalium hominum consuetudinem festinantium ad felices. Id quod Nicetas in *Caten. græc.* his verbis observavit : « Fortassis etiam propinquorum inhumanitatem divinus sermo perstringit, qui simulatam amicitiæ propinquitatisque speciem imitarentur; quandoquidem ab eo cum premeretur ærumnis longius abfuissent, ubi vero esset rebus tranquillitas restituta, tunc auditione superiora accepissent, atque gratulandi causa advolavissent. » Fuit ista felicitas in Jobo velut efficacissimus illex, qui illico ingentem propinquorum catervam attraxit. Sed quid ad illos Jobus? Omnes humaniter et placide suscipiens nihil exprobrat, injuriarum acceptarum non reminiscitur; et ante prædicatum mundo Evangelium plane Evangelice vivens, cunctis ex animo condonat, universos amplexatur, omnibus congratulatur : quin etiam jam utcumque reparata domo, et cibariis quibusdam collectis, eosdem invitat, simulque mira charitate cum illis epulatur. Illi vicissim præ admiratione et applausu tam capitis quam pectoris nutibus significant non fictam esse reconciliationem, sed ex toto animo, viribus et facultatibus suis; denique illum sponte resumentes in principem et rectorem suum, id muneribus significant, atque coram protestantur :

Jobi in amicis excipiendis humanitas.

Qualia munera Jobo siat oblata.

ET DEDERUNT EI UNUSQUISQUE OVEM UNAM ET INAUREM AUREAM UNAM. — Quid autem hic ad littteram proprie per *ovem* et *inaurem aureum* intelligatur sunt diversæ interpretum discrepantesque sententiæ, quas referunt examinantque Pineda et Bolducus; quorum alii quidem *ovem* in propria sua significatione pro animali. Alii vero, quibus tot ovium in principis aulam adductio indecens videbatur, pro nummo ovina forma et specie insignito accipiunt; similiter et *inaurem* pro numismate auris figuram exhibente; quod olim pecuniam, uti nominis etymologia insinuat, pecudis effigie primum insigniri solitam constet, et numismata etiamnum antiquissima auris aliarumque corporis partium figuris effigiata expressaque reperiantur. Absurdum enim iidem arbitrantur, viro principi, præsertim forti ac generoso, et luxui nequaquam dedito, tot inaures, quæ mollium et effeminatorum imo mulierculorum delicatissimarum ornamenta sunt propria, deferri. Verum cum istiusmodi a quibusdam apprehensæ incongruentiæ non tanti sint momenti, ut propter eas S. Scripturæ verba a propria et simplici significatione ad impropriam et tralatitiam detorqueri possint ac debeant, præsertim cum eo tempore potissimæ in armentorum et pecorum gregibus divitiæ censerentur, et *inaurium* nomine pretiosissima quæque monilia, quæ ad capitis ornamentum adhibebantur, passim (ut ex aliis Scripturæ libris Pineda probat) intelligerentur, simpliciter *ovem* et *inaurem* accipienda censeo; maxime quod illa munera mysterio non carerent. « Dederunt *igitur* ei unusquisque ovem unam, » quæ ad gregum abactarum reparationem initium faceret, « et inaurem unam, » id est monile quoddam pretiosum, quod esset regii capitis ornamentum et futuræ symbolum obeditionis; unde *Ezech.* XVI, 12 Deus piam animam sic alloquitur : « Dedi inaurem super os tuum, et circulos auribus tuis, et coronam decoris in capite tuo. »

Inauris est symbolum obedientiæ.

Hos *circulos aurium* Theodoretus ait esse *auditionem verbi;* Origenes autem clarius *legis obedientiam*, quæ sane pulcherrima est inauris et cœleste animi ornamentum. Unde quidam pro *circulis* vertunt *globulos inauribus,* quasi diceret uniones, non illos olim Cleopatræ pellucida undique rotunditate mirificos et pretiosos, verum diviniores; sed magno mysterio Septuaginta vocant τροχίσκους, *rotulas,* ubi pius Vates videtur alludere ad ea quæ alio loco dixit de curru Dei mystico e multis et mirabilibus rebus composito, qua divina et cœlesti carruca S. Numinis providentia, mundi gubernatio; et totius obedientiæ cursus variis symbolis exprimitur. Ait autem rotas fuisse *oculis in circuitu plenas,* quo docet obedientes esse in omnem partem intentos in mandata suorum ducum atque rectorum, ut perfectissime illa sequi possint, et studio magno explere; erant quoque *volubiles,* quo significatur obedientiam promptam et facilem esse oportere, ut vel levissimo nutu et

impulsu agantur. Has ergo rotulas pro inauribus dat Deus beneficio, ut dixi, magno et singulari, ut continuo pulcherrimæ hujus virtutis omnes sint memores, et eadem ut re pretiosissima ornentur. Quin et ovis quoque, quam singuli Jobo obtulerunt, ad eamdem virtutem significandam non incommode assumi possit, quippe quæ pastoris vocem audiat et sequatur : aliam ejus proprietatem adfert S. Basilius, quæ tamen commode eodem recidit : ovis enim, inquit, nullam habet εἰκαίαν σύνεσιν, *propriam prudentiam*, nisi agatur a pastore. Quæ ovium Christi propria est conditio, quæ alieno judicio subdunt suum, et volentes se pastoris prudentiæ committunt, in quo splendor laudabilis obedientiæ maxime lucet : quare ejusmodi oves a S. Gregorio Nazianzeno dicuntur ἐπίσημοι, *divino charactere insignes*, quæ, inquit, in cœlestibus canalibus concipere didicerunt : sic Abraham filium suum Isaac *oviculam* appellat, ait Basilius Seleuciensis *Orat.* 7, quod par sit ovis et obsequentissimi simplicitas. Cæterum natali quoque amicorum die inaures aureas muneris loco donari solitas ab Hebræis ad hunc locum notat R. Salomon, quo item spectat illud Plauti dicentis in *Epid.* : «Non meministi me inaurem auream ad te afferre natali die? » Cum itaque dies illa, qua cessabat Jobi calamitas, et ejusdem prosperitas reviviscebat, alter quasi natalis ipsius erat, jure optimo amici singuli inaurem illi auream unam pro natalitio munere afferebant.

Inauris erat munus natalitium.

Ovis innocentiæ, inauris obedientiæ symbolum.

Tropologice S. Gregorius lib. XXXV *Moral.* cap. IX et X, in *ove* innocentiam, in *inaure* obedientiam intelligit; quid erit igitur viro isti *ovem* et *inaurem offerre,* nisi obedientiam et innocentiam sorores esse patefacere? istudque esse mysterium hujus loci S. Gregorius autumat, qui et optime exponit, quare inauris aurea sit, et quare una ovis tantum, et una inauris ab unoquoque amicorum offeratur. Ejus verba sunt ista : « Notandum vero est, quod hoc loco cum inaure ovis, cum ove inauris offertur; quia nimirum innocuis mentibus ornamentum semper obedientiæ jungitur, Domino attestante, qui ait *Joan.* X, 27 : *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me.* Beato igitur Job nemo inaurem sine ove, nemo ovem sine inaure obtulit : quia profecto redemptori suo non obedit, qui innocens non est; et innocens esse non potest, qui obedire contemnit. Quia vero ipsa obedientia non servili metu, sed charitatis affectu servanda est, non terrore pœnæ, sed amore justitiæ, cuncti qui ad convivium veniunt auream inaurem obtulisse perhibentur; ut videlicet in ea quæ exhibetur obedientia charitas fulgeat, quæ virtutes omnes quasi auri more cætera metalla transcendat. Sed quia nulla esse innocentia, nulla esse vera obedientia in multiplicibus hæreticorum divisionibus potest, ad cognitionem fidei venientes offerant ovem, sed unam; id est, tales veniant, qui in unitate S. Ecclesiæ innocui obedientesque persistant. Unum quippe dividi per numeros non potest, quia et hoc ipsum unum quod dicimus numerus non est. Offerant igitur ovem, sed unam; offerant inaurem, sed unam, id est, ad S. Ecclesiam cum innocentia atque obedientia venientes eam mentem deferant, quam sectarum schismata non dividant. » Hæc ille, ostendens quam cohærentiam habeant charitas et obedientia, et quam promptitudinem requirat Dei sequela, ut idem sit Deum audire, atque veluti ovem sequi, et ad nutum obedire.

Cur una tantum ovis et inauris offerretur.

12. DOMINUS AUTEM BENEDIXIT NOVISSIMIS JOB MAGIS QUAM PRINCIPIO EJUS : ET FACTA SUNT EI QUATUORDECIM MILLIA OVIUM, ET SEX MILLIA CAMELORUM, ET MILLE JUGA BOUM, ET MILLE ASINÆ. — Fuerunt nempe illi quatuordecim millia ovium pro septem millibus in libri hujus primordio recensitis; sex millia camelorum pro tribus millibus; mille juga boum pro quingentis; famulis etiam pro horum sufficienti administratione duplicatis. Mira certe facultatum copia post tantam jacturam : sic felix est exitus laborum, patientiæ, humilitatis, pœnitentiæ et obedientiæ. Unde eleganter S. Gregorius lib. XXXV *Moral.* cap. VIII : « Cuncta, inquit, quæ amiserat duplicia recipit, quia per pietatem benigni judicis tentationis nostræ dispendium vincunt suffragia consolationum. Minus autem tentat probatio quam remuneratio consolatur, ut ex retributionis merito leve fuisse quod toleravit agnoscat, qui ex persecutionis pondere grave se aliquid tolerare judicabat. Unde afflictæ quoque Judææ dicitur *Isai.* LIV, 7 : *Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te,* » etc. Sic ille : utique fidelis est Deus, et ablata restituit justorum duplicato augmento. Sed hoc uni tantum Jobo et semel duntaxat contigisse dictitabis; quot autem e contrario et legimus in historiis, et quotidie cernimus, quibus oves, boves, liberi, domus, opes, possessiones nec simpliciter tantum rependuntur.

Vers. 12.

Jobus omnia recepit duplicia.

Respondeo *inprimis* plerosque in harum rerum amissione nec patientes esse, nec Deum benedicere, nec a malo recedere, sicut B. Job, sed obmurmurare et blasphemare, quibus æterna supplicia merentur. Respondeo *secundo*, hæc non esse scripta propter Jobum tantum, sed et propter nos omnes, quibus consimiliter Deus operabitur, si ablatas vi facultates divinis ejus manibus magna fide et spe commiserimus dicentes *Job.* I, 21 : « Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit ita factum est : sit nomen Domini benedictum. » An non idem Deus et Dominus nunc, qui et tunc Jobo adfuit? aut non easdem nobiscum factas habemus promissiones? imo longe clariores : Centuplum, inquit Christus *Matth.* XIX, 29, *Marc.* X, 30, accipietis in hoc sæculo, et vitam æternam in futuro : an non verissima et certissima promissio comperta per apostolos II *Cor.* VI, 10 : « Nihil habentes, et omnia possidentes? » quibusque *Luc.* XXII, 35 sine baculo, sine pera, et sine argento peregrinantibus per orbem nihil de-

Cur plerisque bona ablata non restituantur.

http://www.obrascatolicas.com

fuit? Nonne Jovinianus et Valentinianus, ut historia tripartita Nicephori testatur, gregarii aliquando milites, sed strenui christiani, deposito pro causa et doctrina Dei balteo romanum postea imperium præmio pietatis suæ acceperunt? Respondeo etiam *tertio* : Crede constanter, speraque in Christum, et patienter exspecta, cito adveniet Dominus, et pro temporalium bonorum amissione voluntarie tolerata reddet regnum cœlorum; in quo I *Corinth.* II, 9 tot bona quot nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit : super pauca quidem fuisti fidelis *Matth.* XXIV, 47, sed constituet te Dominus super omnia bona sua : sancti enim, ut dicitur *Apoc.* XXII, 5, « regnabunt cum Christo in sæcula sæculorum. » Quod si hæc tam cœlestia tamque divina promissa aut non credas, aut non speres, aut etiam irrideas; pro impietate tua dignus es, qui et hic et in æternum pereas.

Vers. 13 et 14.

13 et 14. ET FUERUNT EI SEPTEM FILII ET TRES FILIÆ : ET VOCAVIT NOMEN UNIUS DIEM, ET NOMEN SECUNDÆ CASSIAM, ET NOMEN TERTIÆ CORNUSTIBII. — Verum hic Scriptura nullum uxoris Jobi mentionem facit, ita ut dubium relinquatur, ex eademne an ex diversa uxore hosce liberos genuerit : quamobrem etiam Patres in diversas abeunt sententias. Atque Olympiodorus quidem in *Caten.* censet omnes ex eadem, ex qua priores progenitos fuisse : ait enim eam audita mariti objurgatione conquievisse, monitisque obtemperantem nihil præterea repugnasse : « Ut facile credam, inquit, eamdem consequentium bonorum consortem Jobo exstitisse, ad officii religionem revocatam. » Dubitat autem Severus similiter in *Caten.* citatus sub finem libri hujus, ubi Septuaginta referunt Jobum accepisse uxorem arabissam : « Forsitan, inquit, nec consentaneum nec rectum erat, ut ea bonorum esset particeps, quæ certaminum tempore virum despexisset, atque e summo constantiæ ac patientiæ vertice præcipitem agere athletam conata esset. » Quod valde verisimile visum est Pinedæ, priore sive mortua, sive propter aliquam infidelitatis et blasphemiæ causam merito repudiata, accitaque in ejus locum alia, quæ pietate ac corporis dignitate insignis illi a Deo destinata esset regni consors et pulchræ sobolis procreatrix.

Dubium an ex eadem uxore posteriores liberos Job genuerit.

Verisimilius omnes sunt ex eadem.

Attamen una cum Saliano in annum mundi 2405, probabiliorem existimo Olympiodori sententiam (quæ procul dubio est S. Luciani martyris apud existimatum Origenem in utroque opere *in Job*, ut qui pie, quemadmodum cap. II, 9 notavimus, mulieris verba interpretatur); sive quia neque de morte, neque de repudio, quod nondum fortasse in hominum irrepserat mores, quidquam Scriptura significat; sive quia cum mulieris culpa linguæ fuerit, quæ in eo sexu admodum lubrica esse solet, et severa a viro patientissimo objurgatione castigata, non videtur Job ulterius in animadvertendo processisse; sive denique quia qui amicis ignovit, a quibus diuturna fuerat verborum contentione vexatus, eisque Deum sacrificiis placavit, non censendus est iram adversus mulierem retinere voluisse, quæ ab illo ad extremam usque calamitatem non descivit, eique tam molestum atque asperum famulatum tanto tempore exibuit, et quondam regina in ejus obsequium et sustentationem ancillam agere non dubitavit. Nam si ad omnes uxorum stultas querelas improbasque voces divortia inducantur, infinitum sit negotium, vixque ulla reperiatur domus, quæ ab hoc morbo sit immunis. Sed nec bonus Tobias, cap. II, uxorem Annam eadem pene cum isthac muliere peccantem et insipienter indignantem repudiavit; neque *Gen.* XXX, Rachelem Jacob patriarcha. Et ut Vasthi divina providentia repudiata fuerit, ut illi Esther in salutem hebraici populi subrogaretur; ideo et Jobus suam dimiserit, ut juvenculam aliquam octogenarius acciperet, quæ eum faceret pulchra prole parentem; ut audiret Dominum objurgantem et testificantem *Malach.* II, 14 : « Inter te et uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti, inquit, et hæc particeps tua (in prosperis et adversis) et uxor fœderis tui. Custodite ergo spiritum vestrum : et uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere. » At graviter peccarat; graviter etiam objurgata fuerat. Quin et Job ipsemet tum a Deo tum a seipso reprehensus est. Denique non videtur Jobus ipse, qui novos liberos exposuit, novam uxorem silentio pressurus, uti optime Salianus anno mundi 2405 ostendit; cui, utpote sacræ historiæ peritissimo, qui ad amussim omnia excusserit, merito subscribo. Ex eadem igitur uxore, et animo et corpore peculiari Dei beneficio reflorescente, suscepit septem egregios filios, tresque insigni pulchritudine filias.

Cur Jobus non receperit etiam filios geminatos, sed æquali numero cum prioribus.

Cæterum quærunt S. Patres Basilius et Chrysostomus in *Caten.* cur omnibus facultatibus duplicatis soli liberi non geminentur, sed tantum septem filii et tres filiæ ut prius viro justo reddantur; et respondent : « Quia nimirum pecora ratione carentia, ac cætera fortunarum possessio, quæ suapte natura interit, omnino perierat universa; filii autem quamvis migrassent e vita, naturæ tamen præstantissima parte vivebant. Ergo cum rursus recente filiorum filiarumque prole ornatur divinitus, geminatam quoque liberorum possessionem assequitur : illis quidem qui jam decesserant etiam viventibus, his vero exorientibus ac succedentibus. » Tribus porro filiabus natis post flagella et labores consulto tria nomina imposuit, quibus, ut annotavit Nicetas ad hunc locum, omnia quæ circa se facta erant perpetua teneret memoria. « Vocavit enim nomen unius *Diem*, et nomen secundæ *Cassiam*, et nomen tertiæ *Cornustibii* : » tres namque quos sanctus vir habuit status eleganter his nominibus depinxit. *Primus* fuit, cum in principio abundantissimis facultatibus et potentia effulsit, quia magnus erat inter omnes orientales, et ab omnibus tanquam rex colebatur : quoniam tamen hic status fulgentissimus desivit in grandi miseria, significavit eum per *Diem*. Dies enim clarissimus et lucidissimus in noctem obscuram devenit, in qua tanta est tenebrarum obscuritas, quanta præcesserat diei claritas, ut B. Gregorius annotavit lib. IV *Moral.* cap. XVI, in Hebræo vocatur יְמִימָה *iemimah*, a radice יוֹם *iom*, quod est *dies*, quasi dicas *diaria*, quia ille status tantum fuit quasi prosperitatis cujusdam diariæ. *Secundus* fuit, quando contritus flagellis et infirmitatibus suavissimum odorem et fragrantiam emisit, patientiæ singularissimum et heroicum præbens exemplar; quem propterea designavit nomine secundæ filiæ, quam idcirco *Cassiam* vocavit. Est enim cassia frutex aromaticus, cujus in Arabia magna est frequentia, ut dixit Dioscorides lib. I, cap. XII, aptus, ut Plinius lib. XXI, cap. IX tradit, ad coronas odoratissimas contexendas : quare Virgilius cassiam inter herbas coronarias recenset ita canens *Eclog.* 2 :

Cur prima dicta sit Dies.

Cur secunda filia sit Cassia appellata.

> Tum casia atque aliis intexens suavibus herbis,
> Mollia luteola pingit vaccinia caltha.

Tertius fuit plenæ et perpetuæ, dum vixit, felicitatis et abundantiæ, quo omnibus bonis amplius multo quam prius redundavit : quem apte expressit nomine tertiæ filiæ, quam hac de causa vocavit *Cornustibii* : Græci legunt Ἀμαλθαίας κέρας, *Amalthææ cornu*, quod famosissimum fuit et in usu sapientum ad omnium bonorum hujus vitæ abundantiam indicandam. Fingunt enim gentiles Amalthæam, sive nympha fuerit Jovis nutrix, sive capra, cujus lacte fuit nutritus, ab eo pro beneficio suscepto accepisse cornu; ex quo quidquid optaret abundantissime profluueret. De qua fabula Ovidius lib. V *Fastor.* et IX *Metam.*, Strabo lib. X; Diodorus Siculus lib. IV, cap. V; Lactantius lib. I, cap. XX, et Nicetas in hunc locum scribunt : subditque Nicetas Scripturam sacram aliquando fabularum nomina usurpare, utilitatem, quam illæ includunt, non falsitatem propinare volens. Nescio tamen an tam vere quam acute hoc dictum sit : existimo enim tempore B. Job nondum Amalthææ fabulam fuisse confictam, cum gentilium fabulæ, ut B. Augustinus lib. XVIII *De Civit.* cap. XIII ostendit, post Moysis imo et Josue tempora incœperint, qui Jobo erant posteriores. Unde existimo *Cornustibii* significare vas, quod secure omnem ornatum, et quidquid ad pulchritudinem facit, servet. Ex cornibus enim tunc vasa fiebant firma, ut in Scriptura sacra sæpe indicatur, quibus quæ secure servanda erant imponebant : *stibii* autem quamvis varias significationes tradant auctores, conveniunt tamen omnes in hoc, quod significet id quod maxime ornat et pulchram reddit faciem mulieris. Unde *cornustibii* est vas continens id quod ad ornatum et pulchritudinem facit; continens inquam absque periculo confractionis, quasi dicas, vas firmum totius pulchritudinis et ornatus; quo significare voluit vir sanctus, statum illum ultimum non conterendum aut finiendum dum viveret, sed perpetuo duraturum, abundantem eo omni quod ad ornatum completum et plenum faciebat : habebat enim divitias, facultates, salutem, filios, filias, longam vitam, etc.

Cur tertia sit Cornustibii vel Amalthææ cornu nuncupata.

Cornustibii quid.

Tria nomina filiarum Jobi quid mysterii contineant.

Allegorice S. Gregorius lib. XXXV *Moral.* cap. XIII, per tres filias Jobi intelligit tres status generis humani. Qui enim *Dies* sive lux fuimus per innocentiam conditi in paradiso; et nunc redempti sumus *Cassia*, id est fragrantes fortitudine, pœnitentia et patientia; erimus aliquando *Cornustibii* vel Amalthææ cornu in resurrectione, ubi cornu copiæ, ubi clangor et exsultatio laudis æternæ. Vide fusius S. Gregorium loco indicato. Tropologice in *Caten.* Olympiodorus : *Dies*, inquit, sumus, cum Lucifer Domini ortus fuerit in cordibus nostris; *Cassia*, cum sumus suavis Christi odor progressu virtutum; *Cornustibii*, cum spiritualium charismatum ubertate complemur, et ad perfectionem properamus.

Tres filiæ Jobi tres status generis humani repræsentant, ut et tres vias vitæ spiritualis :

15. NON SUNT AUTEM INVENTÆ MULIERES SPECIOSÆ SICUT FILIÆ JOB IN UNIVERSA TERRA : DEDITQUE EIS PATER SUUS HÆREDITATEM INTER FRATRES EARUM. — Tres illæ filiæ Jobi, quas post pressuras et calamitates jam in prosperitate positus genuit, universas suæ ætatis mulieres externa corporis forma superarunt; sed cur tanta pulchritudo in Jobi domo nascitur? ut nimirum vir piissimus ærumnarum et laborum oblivisceretur, videns coram se pulcherrimas filiarum facies. Ita Catenæ græcæ Auctor dum ait : « Filias quoque liberali spiritu atque egregia forma suscipit, ut earum aspectu omnis superioris ærumnæ memoria funditus interiret. » Hoc mysterium est animarum sanctarum, quas Christus per passionem et mortem suam generavit : nam interna venustate communes animas etiam justorum ita præcellunt, ut jure dicatur nullas alias in universa terra similes reperiri. Quod S. Gregorius palam animadvertit in hunc modum scribens lib. XXXV *Moral.* cap. XIV : « Electorum animæ omne humanum genus, quod in terra secundum hominem conversatur, suæ pulchritudinis decore transcendunt; quantoque se exterius affligendo despiciunt, tanto severius intus componunt. Hinc est enim quod S. Ecclesiæ, quæ electorum pulchritudine decoratur, per Psalmistam dicitur *Psalm.* XLIV, 12 : *Concupivit rex speciem tuam*, de qua paulo post subditur : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus* : nam si foris gloriam quæreret, intus speciem, quam rex concupisceret, non haberet, » etc. Hoc autem mirabile est quod sequitur : *Deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres earum* : insolitum quippe ut vivente masculina prole feminæ hæredes instituantur, nam quod *Num.* XXXVI, leguntur filiæ Salphaad possessiones accepisse, id ob defectum omnis virilis sobolis contigit. Verum alii genitores istiusmodi instituta observaverint,

Vers. 15.

erant feminarum suæ ætatis pulcherrimæ.

sunt typus animæ perfectæ :

cum fratribus hæreditatem adeunt.

http://www.obrascatolicas.com

non Jobus, qui cœlestem Patrem æmulari voluit, qui non solum viros robustos ac fortes, sed feminas natura sua infirmiores ad æternam hæreditatem admittit : amplissima sane fuit Jobi possessio. Meliora quidem dabantur filiis sexuique robustiori, sed erat insuper quod acciperent virgines, nec defraudabantur agrorum et ipsæ parte aliqua : de quibus vide S. Gregorium lib. XXXV *Moral.* cap. XIV.

Vers. 16. 16. VIXIT AUTEM JOB POST HÆC CENTUM QUADRAGINTA ANNIS, ET VIDIT FILIOS SUOS, ET FILIOS FILIORUM SUORUM USQUE AD QUARTAM GENERATIONEM, ET MORTUUS EST SENEX ET PLENUS DIERUM. — Percrebuit opinio eorum qui censent 140 ætatis suæ anno Jobum subiisse diras ærumnas, quas passus fuit a malo dæmone : sic desæviit in Jobum tunc grandævum, ut tantum non mortuus fuerit acerbitate dolorum ; sed qui dum tot calamitates subiit pene consummaverat vitæ periodum, ab ærumnis, a molestiis, a plagis, a calamitatibus pie exantlatis geminat vitæ annos, et jam ætate senex renovatur in annos juventutis, resculpsit denuo floridam ætatem, et ærumnarum felici malo fauste ægrescit ad juventutem. Quod de cervo dixit Tertullianus lib. *De Pall.* cap. III : « Taceo, inquit, cervum, quod et ipse ætatis suæ arbiter, serpente pastus veneno languescit in juventutem : » sic Jobus dum veternosi serpentis ærumnis ad satietatem pascitur, molestiarum veneno senium deponit, et annos juventutis resumit arcane languescens in pristinam juventutem. Id ipsum de serpente eleganter dixerat *ibid.* idem auctor his verbis : « Nominandus est serpens, nam et quod sortitus est convertit corium et ævum : siquidem ut senium persensit, in angusta se stipat, pariterque specum ingrediens, et cute egrediens, ab ipso statim limine erasus, exuviis ibidem relictis novum se explicat : cum squamis et anni recurantur. » Itaque homo est suæ ætatis arbiter, et in senili ætate evalet virtutis artificio restaurare florem juventutis : sola enim virtus curat incurabilem senectutis morbum. Hinc pronum est plures animare ad pietatis ærumnas, quos temporalis vitæ amor et præproperæ senectutis timor exanimat : nolunt pietatis molestias, ne immaturam sibi mortem accersant ; cum tamen e diverso a virtutis incommodis propagaturi essent felices annos juventutis.

Jobus restaura annos a calamitate.

Job habuit benedictionem vitæ diuturnæ.

Alterum ergo quod ad Jobi felicitatem pertinet est, quod diutissime post has ærumnas vixerit divina undique affluens benedictione : Hebræi namque aiunt eum post hæc vixisse 140 : Græci legunt, ἔζησε δὲ Ἰὼβ μετὰ τὴν πληγὴν ἔτη ἑκατὸν ἑβδομήκοντα· τὰ δὲ πάντα ἔτη ἔζησεν διακόσια τεσσαράκοντα, *et vixit Job post plagam annos centum septuaginta : omnes autem annos vixit ducentos quadraginta* : in multis codicibus est διακόσια τεσσαράκοντα ἑκτώ, *ducentos quadraginta octo ;* sed magnæ semper in numeris varietates : Complutensis codex hæc postrema omittit ut Hebræus ; et satis verosimile est scriptorum incuria in græcis codicibus mendum irrepsisse, uti præsertim in numeris proclive est fieri. Vidit quoque Jobus longam nepotum seriem, videlicet filios filiorum, non solum usque ad secundam generationem, quod frequens est ; nec solum usque ad tertiam, quod rarius ; verum etiam usque ad quartam, quod rarissime solet evenire. Atque hæc vitæ felicis diuturnitas ad illas temporales benedictiones pertinet, quas servis suis dudum Deus promittebat *Exod.* XX, 12 : « Ut sis longævus super terram ; » et *Psalm.* XC, 16 et *Psalm.* XX, 5 : « Longitudine dierum replebo eum. Vitam petiit a te, et tribuisti ei. » Sic Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Tobias, David obiisse dicuntur senes et pleni dierum, quia hinc meritorum pleni decesserunt : tunc enim quis usque ad senectutem et satietatem vixit, quando merita, ad quæ destinatus erat, abundantissime bene vivendo est assecutus. Qui igitur eo modo quo S. Jobus in virtutum actiones incubuerit, similiter atque ille plenus dierum morietur ; quia postquam optime fuerit vita perfunctus, non erit cur illum amplius vivendi desiderium teneat. Nec mirum nobis videatur Deum olim voluisse istiusmodi prosperitate terrena et caduca declarare amorem suum ega fideles, neque enim tunc talis erat revelatio vitæ cœlestis, qualis est hodie in Evangelio : Jesus Christus nondum patefactus erat, qui descendit ad hæc loca inferiora, ut nos sursum attraheret ; qui carnem nostram induit, ut ostenderet nobis Deum habitare in nobis, nosque cum gloria sua et immortalitate conjunxisse : illa nondum erant Jobi tempore : oportuit igitur fideles tunc tractari ex parte tanquam puerulos. En cur quando in Scriptura mentio fit veterum patrum, expresse dicitur Deum ipsis benedixisse in prole, in pecore, possessionibus et rebus similibus, atque adeo etiam in longa vita ; quia illos iis mediis adjuvari oportuit, exspectantes dum vita cœlestis nobis patefieret ; quemadmodum Dominus noster Jesus Christus suo adventu paradisi januam nobis aperuit, ut nos sursum secum eveheret.

Job vidit filios filiorum in quartam generationem.

Job mortuus plenus dierum.

Alia Veteris, alia Novi Testamenti conditio.

Cæterum nobis hic in memoriam revocandum est id quod dicit D. Jacobus *Epist.* V, 10 : « Exemplum accipite fratres exitus mali, laboris et patientiæ prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis ; quoniam misericors Dominus est et miserator. » Ostendit nobis afflictiones quas Deus immittit filiis suis esse temporarias, quin etiam ipsarum exitum felicem esse, et longe ipsis præstare sic affligi ad tempus, quam si semper otio et quiete fruantur. Hoc pulchre probat exemplo Jobi, in quo voluit Spiritus Sanctus relinquere nobis monumentum et documentum gratiæ Dei ad nostram instructionem ; ut non sine causa nobis illud speculum proponat D. Jacobus tantum non dicens : Amici mei verum quidem est patientiam molestam, duram et difficilem esse latu : quia quando

Job in exemplum nobis a Deo propositus.

homines cruciantur, id eorum naturæ adversatur ; sed tamen Deus totum illud sic convertit ad ipsorum salutem, ut postmodum intelligant sibi longe utilius fuisse sic castigatos esse, quam si Deus illos nimis tolerasset, et indulgenter habuisset. Cum ita se res habeat, non debet nobis durum et molestum esse quando mediocriter affligimur, Deusque unumquemque nostrum ratione habita nostræ infirmitatis prout competit nobis castigat : id mirum nobis videri non debet, sed hanc historiam præ oculis habeamus, ac finem et exitum ejus intueamur. Si enim extremum illud malorum omnium sentiremus, in quo Jobus versatus fuit eo tempore quo Deus ipsum persequebatur, heu nimium perterreremur : nemo esset qui animum et omnia non deponeret. Sed cum in finem et exitum afflictionum Jobi respicimus, en in quo habemus unde nos consolemur. Juvat hic cum eruditissimo Tertulliano lib. *De Pat.* exclamare : « O felicissimum Jobum, qui omnem patientiæ speciem adversus omnem diaboli vim expunxit ; quem non abacti greges, non illæ in pecore divitiæ, non filii uno ruinæ impetu adempti, non ipsius denique corporis in vulnere cruciatus, a patientia, fide Domino dedita, exclusit, quem diabolus totis viribus frustra cecidit : neque enim a respectu Dei tot doloribus avocatus ille est, sed constitit nobis in exemplum et testimonium tam spiritu quam carne, tam animo quam corpore patientiæ perpetrandæ, ut neque damnis sæcularium, nec amissionibus charissimorum, nec corporis quidem conflictationibus succidamus. Quale in illo feretrum Deus de diabolo exstruxit ? quale vexillum de inimico gloriæ suæ extulit, cum ille homo ad omnem acerbum nuntium nihil ex ore promeret nisi Deo gratias, cum uxorem jam malis delassatam et ad prava remedia suadentem exsecraretur ? Quid ? ridebat Deus : quid ? dissecabatur malus, cum Job immundam ulceris sui redundantiam magna æquanimitate distringeret, cum erumpentes bestiolas inde in eosdem specus et pastus foraminosæ carnis ludendo revocaret. Itaque operarius ille victoriæ Dei, retusis omnibus jaculis tentationum, lorica clypeoque patientiæ et integritatem mox corporis a Deo recuperavit, et quæ amiserat reduplicata possedit. » Atque hæc est felix vitæ B. Jobi catastrophe, cui finem imponimus istis antiquissimi doctissimique Adamantii Origenis verbis lib. III *Comm. in Job* sic concludentis : « Beati qui te fuerint imitati, o beatissime Job : beati, qui tua vestigia fuerint secuti : beati, qui similiter ut tu in fide et pietate atque omnium sibi accidentium tolerantia consummati fuerint : hi requiescent in perpetuum apud Deum Patrem ; cui gloria in sæcula sæculorum. Amen. »

FINIS.

http://www.obrascatolicas.com

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ IN HOC OPERE EXPLICANTUR.

LOCA QUÆ EX LIBRO JOB IN HOC OPERE CITANTUR, STUDIO IN HOC INDICE OMITTUNTUR, QUIA TOTO OPERE LIBER JOB EXPLICATUR.

EX VETERI TESTAMENTO.

Prior numerus paginam, secundus columnam designat: si unicus tantum occurrat numerus, ad præcedentes referri indicio est.

EX GENESI.— Cap. I. 3. Fiat lux, etc., 526, 2 : *vers.* 9. Congregentur aquæ, etc., 190, 2. — Cap. II, 3. Quod creavit Deus ut faceret, 130, 1 : *vers.* 6. Fons ascendebat de terra, etc. 136, 1 : *vers.* 7. Formavit Deus hominem de limo terræ, 251, 1 : *ibid.* Inspiravit in faciem ejus, etc. 126, 2; 571, 1; 642, 1 : *vers.* 11. Nomen uni Phison, etc. 547, 1 : *vers.* 15. Tulit Deus hominem, et posuit eum in paradiso, etc. 130, 2; 563, 2.— Cap. III, 9. Adam ubi es? 24, 1; 422, 1 : *vers.* 17. Maledicta terra in opere tuo, etc. 130, 2 : *vers.* 19. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, 132, 1 : *ibid.* Pulvis es, et in pulverem reverteris, 382, 1 : *vers.* 24. Collocavit ante paradisum voluptatis cherubim, 261, 2. — Cap. IV. 1. Possedi hominem per Deum, 10, 2 : *vers.* 5. Respexit Dominus ad Abel, etc. 215, 2 : *vers.* 7. Nonne si bene egeris, recipies, etc. 204, 2 : *vers.* 9. Ubi est frater tuus? 24, 1 : *vers.* 10. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me, etc. 367, 2; 498, 1 : *vers.* 16. Egressus est a facie Domini, 34, 1. — Cap. VI. 4. Gigantes autem erant super terram, etc. 345, 1 : *ibid.* Potentes a sæculo viri famosi, 472, 2. — Cap. XI, 4. Venite, faciamus nobis civitatem, etc. 336, 2; 345, 2 : *vers.* 28. Mortuus est Aram ante Thare, etc. 445, 1.— Cap. XIII. 8. Ne quæso sit jurgium inter me et te, etc. 177, 1 : *vers.* 16. Faciamque semen tuum, etc. 151, 2. — Cap, XV. 1. Ego ero merces tua magna nimis, 183, 1. — Cap. XVI. 6. Ecce in manu tua est, etc. 475, 2. — Cap. XVII. 1. Ambula coram me, et esto perfectus, 5, 2; 654, 1. — Cap. XVIII. 9. Ubi est Sara uxor tua? 24, 1 : *vers.* 11. Erant ambo senes, etc. 636, 2 : *vers.* 20. Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, etc. 498, 2 : *vers.* 27. Quantulus sum ego, ut verbis meis loquar, etc. 231, 1; 241, 2 : *vers.* 30. Ne quæso indigneris Domine si loquar, 100, 2. — Cap. XXII. 17. Multiplicabo semen tuum, 9, 2; 151, 2. — Cap. XXIV. 1. Erat autem Abraham senex, 637, 1. — Cap. XXV. 22. Collidebantur in utero, 239, 1 : *vers.* 23. Duæ gentes sunt in utero tuo, 14, 1. — Cap. XXX, 1. Da mihi liberos, 10, 1. — Cap. XXXI. 7. Mutavit mercedem meam decem vicibus, 398, 2 : *vers.* 24. Cave ne quidquam aspere loquaris, etc. 31, 1. — Cap. XXXII, 30. Vidi Dominum facie ad faciem, etc. 310, 1. — Cap. XXXIII, 5. Parvuli sunt quos donavit mihi Dominus, 10, 1. — Cap. XXXVII. 34. Scissisque vestibus, etc. 41, 2. — Cap. XXXVIII. 24. Producite eam ut comburatur, 613, 2. — Cap. XLIII. 11. Deferte viro munera, 2, 2. — Cap. XLV. 8. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, 46, 2. — Cap. XLVII. 10. Benedicto rege egressus est, 18, 1 : *vers.* 31. Adoravit Dominum conversus ad lectuli caput, 162, 2. — Cap. XLIX. 3. Ruben primogenitus meus, etc. 101, 1; 740, 1 : *ibid.* Tu principium doloris mei, 740, 1 : *vers.* 4. Effusus es sicut aqua, etc. 503, 2 : *vers.* 11. Lavabit in vino stolam suam, etc. 567, 2 : *vers.* 26. Desiderium collium æternorum, 592, 2.— Cap. L, 19. Num Dei possumus resistere voluntati? 491, 2.

EX EXODO.— Cap. I. 21. Ædificavit eis domos, 287, 1. — Cap. III. 3. Transiens videbo visionem hanc, 333. 1. — Cap. V. 2. Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, etc. 450, 2. — Cap. VIII. 16. Percute pulverem terræ, etc. 459, 2. — Cap. X, 22. Factæ sunt tenebræ horribiles, 80, 1. — Cap. XIV. 16. Eleva virgam, et extende, etc. 542, 1. — Cap. XV. 3. Omnipotens nomen ejus. 135, 1 : *vers.* 8. In spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ. 106, 2. — Cap. XVI. 10. Gloria Domini apparuit in nube. 691, 2. — Cap. XVIII. 13. Sedit Moyses ut judicaret, etc. 22, 1. — Cap. XIX. 9. Veniam ad te in caligine nubis, etc. 524, 1 : *vers.* 10. Sanctifica illos hodie et cras, etc. 16, 2. — Cap. XXI. 23. Reddet animam pro anima, 54, 2.—Cap. XXII. 21. Advenam non contristabis, 280, 1 : *vers.* 26. Si pignus a fratre tuo acceperis, etc. 466, 1 : *vers.* 28 : Diis non detrahes, 418, 1. — Cap. XXIII. 3. Pauperis non misereberis in judicio, 660, 1 : *vers.* 8. Nec accipies munera, etc. 684, 1. — Cap. XXXI. 18. Dedit Dominus Moysi duas tabulas testimonii lapideas scriptas digito Dei, 413, 2. — Cap. XXXII. 6. Sedit populus manducare et bibere, etc. 17, 1. — Cap. XXXIV. 29. Ignorabat quod cornuta esset facies, 281, 1.

EX LEVITICO. — Cap. XIX. 15. Non consideres personam pauperis, etc. 300, 2.

EX NUMERIS. — Cap. XII. 6. In visione apparebo ei, etc. 111, 1 : *vers.* 8. Ore enim ad os loquor ei, etc. 263, 2. — Cap. XIII. 28. Ad terram quæ fluit lacte et melle, 431, 2. — Cap. XIV. 18. Visitas peccata patrum in filios, 197, 1.

EX DEUTERONOMIO. — Cap. I. 17. Nulla erit distantia personarum, 300, 2; 659, 2. — Cap. X. 17. Qui personam non accipit, nec munera, 351, 2. — Cap. XI. 10. Ubi jacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ, 136, 1 : *vers.* 24. Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit. 26, 1. — Cap. XIX. 14. Non assumes et transferes terminos, etc. 496, 1. — Cap. XXI. 20. Filius noster iste protervus, etc. 2, 2. — Cap. XXXII. 2. Concrescat in pluviam doctrina mea, etc. 225, 2; 581, 1; 691, 1 : *vers.* 6. Hæccine reddis Domino populo stulte et insipiens? 67, 2; 475, 1 : *vers.* 7. Memento dierum antiquorum, etc. 207, 1 : *vers.* 13. Constituit eum super excelsam terram, etc. 347, 1 : *vers.* 28. Gens absque consilio est, etc. 452, 2 : *vers.* 33. Venenum aspidum insanabile, 429, 2 : *vers.* 34. Numquid hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis? 330, 1 : *vers.* 37. Ubi sunt dii eorum? 24, 1. — Cap. XXXIII. 2. Et in dextera ejus ignea lex, 265, 1.

EX JOSUE.—Cap. X. 12. Sol contra Gabaon, etc. 223, 1 : *vers.* 24. Ponite pedes super colla Regum. 403, 2. — Cap. XXIII. 13. Sudes in oculis vestris, 408, 1.

EX JUDIC. — Cap. IX. 10. Dixerunt ligna ad arborem ficum, etc. 467, 2. — Cap. XVI. 25. Præceperunt ut vocaretur Samson, et ante eos luderet, etc. 397, 2. — Cap. XIX. 23. Cessate ab hac stultitia, 67, 2.

EX REG. LIBRO I. — Cap. I. 22. Non vadam donec ablactetur infans, 567, 1. — Cap. II. 3. Recedant vetera de ore vestro, 279, 2 : *ibid.* Deus scientiarum Dominus, 463, 1 : *vers.* 8. Suscitat de pulvere egenum, etc., 137, 2. — Cap. III. 17. Hæc faciat Deus, et hæc addat, 32, 1 : *vers.* 18. Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat, 46, 2. — Cap. VIII. 3. Declinaverunt post avaritiam, 282, 1. — Cap. XI. 14. Innovemus ibi regnum, 580, 1. —Cap. XII. 3. Loquimini de me coram Domino, etc., 611, 2. —Cap. XIII. 14. Inveni David virum secundum cor meum, 319, 2. — Cap. XIX. 5. Et posuit animam suam in manu sua, 304, 2. — Cap. XX. 22. Ecce sagittæ intra te sunt, 157, 1.—Cap. XXIV. 15. Quem persequeris rex Israel? etc., 311, 2.

EX LIBRO II. — Cap. I. 11. David vestimenta sua scidit, etc., 41, 2 ; *vers.* 16. Sanguis tuus super caput tuum, 337, 2. — Cap. II. 14. Surgant pueri, et ludant, 40, 1. — Cap. III. 31. Scindite vestimenta vestra, etc., 41, 2. — Cap. VII. 9. Feci tibi nomen grande, etc., 13, 1. — Cap. XI, 2. Viditque mulierem se lavantem, 604, 2. — Cap. XII, 8. Et si parva sunt ista, etc., 206, 1 : *vers.* 12. Tu fecisti abscondite, etc., 302, 1. — Cap. XIV. 12. Loquatur ancilla ad dominum meum, 100, 2.

EX LIBRO III. — Cap. III. 12. Dedi tibi cor sapiens, 279, 1. — Cap. XIV. 31. Dormivit Roboam cum patribus suis, 85, 1. — Cap. XIX. 11. Et ecce Dominus transit, etc. 112, 2. — Cap. XXI 10. Benedixit Deum et regem, 31, 2 : *vers.* 27. Operuit cilicio carnem suam, etc. 363, 1.

EX LIBRO IV. — Cap. XIX. 26. Facti sunt velut fœnum agri, etc. 210, 2.

EX PARAL. LIBRO I. — Cap. XXIX, 15. Peregrini enim sumus, etc. 207, 2.

EX LIBRO II. — Cap. IV. 9. Fecit atrium sacerdotum, 565, 2.

EX LIBRO II ESDRÆ. — Cap. I. 4. Sedi, et flevi, et luxi, 61, 2.

EX LIBRO TOBIÆ. — Cap. II. 22. Vere vana facta est spes tua, 66, 2. — Cap. III. 6. Præcipe in pace recipi spiritum meum, 162, 2 : *ibid.* Expedit mihi mori magis quam vivere, 92, 1.— Cap. IV. 11. Eleemosyna ab omni peccato liberat, 152, 2.

EX LIBRO ESTHER. — Cap. V. 2. Osculata est summitatem virgæ ejus, 163, 1 : *vers.* 13. Nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Judæum, etc. 420, 2.

EX PSALMIS. — Psal. I. 4. Non sic impii non sic, etc. 454, 1 : *ibid.* Tanquam pulvis quem projicit ventus, 169, 2. — Psal. II. 4. Qui habitat in cœlis irridebit eos, etc. 146, 2; 368, 2. — Psal. III. 8. Dentes peccatorum contrivisti, 574, 1 : *vers.* 9. Domini est salus, 166, 1. — Psal. IV. 9. In pace in idipsum dormiam, etc. 85, 2. — Psal. V. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es, 246, 2 : *vers.* 6. Neque habitabit juxta te malignus, etc. 215, 2 : *vers.* 13. Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos, 134, 2. — Psal. VI. 3. Conturbata sunt ossa mea, 112, 1 : *vers.* 8. Turbatus est a furore oculus meus, 365, 2. — Psal. VII. 5. Si reddidi retribuentibus mihi mala, 687, 1 : *vers.* 10. Scrutans corda et renes Deus, 366, 1 : *vers.* 11. Qui salvos facit rectos corde, 7, 2 : *vers.* 14. Sagittas suas ardentibus effecit, 156, 2 : *vers.* 15. Ecce parturiit injustitiam, etc. 140, 2; 352, 2 : *ibid.* Concepit dolorem, et peperit iniquitatem, 389, 2. — Psal. VIII. 5. Quid est homo quod memor es ejus, 2, 1; 196, 2; 319, 2. — Psal. IX. 7. Periit memoria eorum cum sonitu, 187, 1 : *vers.* 16. Infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt, 139, 1 : — *vers.* 21. Constitue legislatorem super eos, 9, 1. — Psal. X. H. 2. Dum superbit impius, incenditur pauper, 377, 1 : *vers.* 4. Secundum multitudinem iræ suæ non quæret, 330, 1 : *vers.* 5. Auferuntur judicia tua a facie ejus, 228, 2 : *vers.* 14. Vides quoniam tu laborem et dolorem consideras, 131, 1 : *ibid.* Tibi derelictus est pauper, 140, 2; 176, 1; 574, 1; 621, 2 : *vers.* 17. Desiderium pauperum exaudivit Deus, 482, 2. — Psalm X. L. 1. In Domino confido, 134, 2; 372, 2 : *vers.* 7. Pluet super peccatores laqueos, etc. 436, 2. — Psal. XI. 3. In corde et corde locuti sunt, 263, 1 : *vers.* 4. Disperdet Dominus universa labia dolosa, 339, 1 : — *vers.* 9. Multiplicasti filios hominum, 294, 2. Psal. XII. 3. Usquequo exaltabitur inimicus meus super me, 343, 2. — Psal. XIII. Contritio et infelicitas in viis eorum, 342, 2 : *vers.* 4. Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, 451, 1 : *ibid.* Qui devorant plebem meam. etc. 141, 1 : *vers.* 5. Illic trepidaverunt timore ubi non erat timor, 168, 2. — Psal. XV. 4. Nec memor ero nominum eorum, 304, 1 : *vers.* 8. Providebam Dominum in conspectu meo, etc. 314, 1. — Psal. XVI. 3. Probasti cor meum, et visitasti, etc. 197, 2; 610, 1 : *vers.* 5. Perfice gressus meos in semitis tuis, etc. 489, 2. — Psal. XVII. 5. Circumderunt me dolores mortis, etc. 106, 1 : *vers.* 12. Posuit tenebras latibulum suum, etc. 524, 1 : *vers.* 17. Assumpsit me de aquis multis, 469, 2 : *vers.* 29. Quoniam tu illuminas lucernam, etc. 294, 1; 568, 2. — Psal. XVIII. 1. Cœli enarrant gloriam Dei, 224, 1 : *vers.* 18. Judicia Domini vera, etc. 686, 1 : *vers.* 13. Delicta quis intelligit, 219, 2; 235; 2; 515, 1 : *ibid.* Ab occultis meis munda me, 328, 1. — Psal. XXI. 7. Ego autem sum vermis, etc. 768, 2 : *vers.* 13. Tauri pingues obsederunt me, 339, 1 : *vers.* 15. Dispersa sunt omnia ossa mea, 593, 2 : *vers.* 21. Erue de manu canis unicam meam, 277, 2 : *vers.* 26. Vota mea reddam, etc. 481, 2. — Psal. XXII. 4. Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt, 46, 1; 383, 2. — Psal. XXIV. 7. Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris, 312, 2 : *vers.* 16. Respice in me, et misere mei, etc, 311, 1. — Psal. XXV: 11. In innocentia mea ingressus sum, 5, 2; 6, 1. — Psal. XXVII. 5. Destrues illos, et non ædificabis eos, 287, 1. — Psal. XXVIII. 3. Deus majestatis intonuit, 230, 1 : *vers.* 9. Vox Domini præparantis cervos, 733, 1 : *vers.* 11. Benedicet populo suo in pace, 148, 2. — Psal. XXIX. 8. Avetisti faciem tuam a me, etc. 311, 1. — Psal. XXX. 13. Factus sum tanquam vas perditum, 595, 2 : *vers.* 21. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, 94, 1. — Psal. XXXI. 4. Gravata est super me manus tua, 410, 2; 484, 2 : *vers.* 8. Firmabo super te oculos meos, 000 : *vers.* 11. Gloriamini omnes recti corde, 216, 1. — Psal. XXXII. 10. Dominus dissipat consilia gentium, etc. 138, 1 : *vers.* 13. Deus de cælo prospexit, etc. 471, 2 : *vers.* 15. Qui finxit sigillatim corda eorum, 320, 2. — Psal. XXXIII. 7. Iste pauper clamavit, etc. 137, 2 : *vers.* 16. Oculi Domini super justos, 679, 1. — Psal. XXXIV. 6. Fiat via illorum tenebræ, etc. 139, 2 : *vers.* 13. Induebam me cilicio, 366, 1. — Psal. XXXV. 7. Judicia tua abyssus multa, 264, 2; 442, 1 : *vers.* 9. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, etc. 682, 2 : *vers.* 12. Non veniat mihi pes superbiæ, 909, 1. — Psal. XXXVI. 1. Noli æmulari in malignantibus, etc. 124, 2 : *vers.* 10. Quæres locum ejus, et non invenies, 169, 2; 189, 1 : *vers.* 17. Brachia peccatorum conterentur, 717, 1 : *vers.* 19. In diebus famis saturabuntur, 146, 1 : *vers.* 23. A Domino gressus hominis dirigentur, 132, 2 : *vers.* 24. Cum

http://www.obrascatolicas.com

ceciderit, non collidetur, 323, 2 : *vers.* 84. Cum periecrint peccatores videbis, 538, 2 : *vers.* 35. Vidi impium superexaltatum, etc. 126, 1 ; 421, 2 : *vers.* 38. Reliquiæ impiorum interibunt, 118, 2; 476, 2. — Psal. XXXVII. 3. Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, 156, 2 : *vers.* 5. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, etc. 786, 1 : — *vers.* 8. Lumbi mei impleti sunt illusionibus, 757, 2; 758, 1 : — *vers.* 11. Et lumen oculorum meorum non est mecum, 364, 1 : *vers.* 12. Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, etc. 407, 2. — Psal. XXXVIII. 4. In meditatione mea exardescit ignis, 192, 2 : *vers.* 6. Ecce mensurabiles posuisti dies meos, 321, 1 : *ibid.* Universa vanitas omnis homo vivens, 259, 2; 269, 1 ; 422. 2 : *vers.* 7. Verumtamen in imagine pertransit homo, 269, 2 ; 422, 2 : *vers.* 8. Exspectatio mea apud te est, 416, 1 : *vers.* 12. Tabescere fecisti sicut araneam animam ejus, 212, 2; 455, 1 : *vers.* 13. Auribus percipe lacrymas meas, 369, 1. — Psal. XXXIX. 9. Et legem tuam in medio cordis mei, 478, 1 ; 490, 2. — Psal. XLI. 4. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes, 96, 1.

PSALM. XLIII. 23. Exsurge, quare obdormis Domine, 206, 1. — Psal. XLIV. 2. Eructavit cor meum verbum bonum, 279, 2 : *vers.* 4. Accingere gladio tuo super femur, etc. 372, 2; 753, 1 : *vers.* 7. Virga directionis, etc. 204, 1 : *vers.* 14. Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, 555, 1 ; 726, 2. — Psal. XLV. 2. Deus refugium nostrum, etc 142, 1. — Psal. XLVII. 8. In spiritu vehementi conteres naves Tharsis, 543, 1. — Psal. XLVIII. 8. Frater non redimit, redimet homo, 404, 2 : *vers.* 12. Sepulcra eorum domus illorum, 88, 2; 371 , 1, 597, 2 : *ibid.* Vocaverunt nomina sua in terris suis, 303, 2; 304, 2 : *vers.* 17. Ne timueris cum dives factus fuerit homo, etc. 88, 1 : *vers.* 18. Cum interierit non sumet omnia, etc. 439, 1.—Psal. XLIX. 9. Non accipiam de domo tua vitulos, 670, 2 : *vers.* 14. Immola Deo sacrificium laudis, 481, 2 : *vers.* 18. Si videbas furem, currebas cum eo. 653, 2. — Psal. L. 7. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, etc. 315, 2; 320, 2. — Psal. LI. 6. Dilexisti omnia verba præcipitationis, 156, 1 : *vers.* 7. Propterea Deus destruet te in finem, etc. 217, 2 : *vers.* 9. Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem, 622, 2. — Psal. LII. 6. Deus dissipavit ossa eorum, etc. 307, 2; 681 , 1. — Psal. LIV. 7. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, 87, 2 : *vers.* 22. Divisi sunt ab ira vultus ejus, 417, 1 : *vers.* 24. Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos, 350, 1. — Psal. LV. 9. Vitam meam annuntiavi tibi, 318, 2 : *vers.* 12. In me sunt, Deus, vota tua, 482, 1.—Psal. LVI. 5. Dentes eorum arma et sagittæ, 141, 2; 412, 2 : *ibid.* Lingua eorum gladius acutus, 140, 2 : *vers.* 8. Paratum cor meum Deus, etc. 131, 1. — Psal. LVII. 1. Recta judicate filii hominum, 7, 2; 178, 1 : *vers.* 4. Alienati sunt peccatores a vulva, etc. 95, 2 : *vers.* 10. Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, etc. 350, 2. —Psal. LVIII. 7. Famem patientur ut canes, 127, 2; 388, 2 : *vers.* 18. Deus meus misericordia mea, 167, 2. — Psal. LIX. 3. Deus repulisti nos etc. 281 , 1 : *vers.* 4. Commovisti terram, et conturbasti eam, etc. 787, 1 : *vers.* 10. In Idumæam extendam calceamentum, 26, 1 : *vers.* 13. Vana salus hominum, 166, 1; 172, 2. — Psal. LXI. 10. Verumtamen vani filii hominum, etc. 269, 2 : *vers.* 11. Divitiæ si affluant, nolite cor apponere, 348, 1 : *vers.* 12. Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, 645, 1; 656, 1. — Psal. LXII. 1. Deus Deus meus ad te de luce vigilo, 205, 1 : *vers.* 12. Obstructum est os loquentium iniqua, 142, 1. — Psal. LXIII. 2. A timore inimici eripe animam meam, 168, 2 : *vers.* 4. Quia exacuerunt ut gladium linguas suas, 398, 1 : *ibid.* Intenderunt arcum rem amaram, etc. 407, 1 : *vers.* 8. Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, 362, 1. — Psal. LIV. 10. Visitasti terram, et inebriasti eam, 197, 1.— Psal. LXVII. 2. Exsurgat Deus, etc. 40, 1 : *vers.* 6. Pater orphanorum, et judex viduarum, 176, 1 : *vers.* 35. Magnificentia ejus in nubibus, 524, 1 ; 691, 2. — Psal. LXVIII. 2. Intraverunt aquæ usque ad animam meam, 469, 2 : *vers.* 3. Infixus sum in limo profundi, 595, 2; 682, 2 : *vers.* 9. Extraneus factus sum fratribus meis, 404, 2 : *vers.* 12. Posui vestimentum meum cilicium, 363, 1 : *ibid.* Factus sum illis in parabolam, 375, 2 : *vers.* 13. In me psallebant qui bibebant vinum, 175, 1 : *vers.* 16. Non absorbeat me profundum, 682, 1 : *vers.* 27. Quem tu percusssisti persecuti sunt, 298, 1 ; 411, 2 : *ibid.* Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt, 298, 1 ; 362, 1 ; 411, 2. — Psal. LXX. 6. In te confirmatus sum ex utero, etc. 255, 1. — Psal. LXXI. 1. Bonus Israel Deus iis qui recto sunt corde, 297, 2.

PSALM. LXXII. 2. Mei pene moti sunt pedes, etc. 357, 2; 373, 2 : *vers.* 3. Zelavi super iniquos, etc. 442, 2 : *vers.* 4. Non est respectus morti eorum, etc. 237, 1 ; 447, 1 : *vers.* 5. In labore hominum non sunt, etc. 131, 1 : *vers.* 7. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, 346, 2 : *vers.* 9. Lingua eorum transivit in terra, 399, 1 : *vers.* 20. Dies pleni invenientur in eis, 152, 1 : *vers.* 13. Ergo sine causa justificavi cor meum, etc. 241 , 1 : *vers.* 18. Dejecisti eos dum allevarentur, 346,1 : *vers.* 20. Velut somnium surgentium, etc. 422 . 1 ; 708 , 2 : *ibid.* imaginem ipsorum ad nihilum rediges, 270, 1.— Psal. LXXIII. 13. Tu confirmasti in virtute tua mare, etc. 526 , 1 : *vers.* 23. Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper, 346 , 1. — Psal. LXXIV. 3. Ego justitias judicabo, 232, 1 ; 249, 1 ; 655, 2 : *vers.* 9. Calix in manu Domini, etc. 000, 0 ; 465, 1 : *vers.* 11. Exaltabuntur cornua justi, 364, 1. — Psal. LXXV. 6. Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt viri divitiarum, etc. 324, 2; 432, 2 ; 543, 1 : — *vers.* 13. Qui aufert spiritum principum, 520, 2. — Psal. LXXVI. 5. Anticipaverunt vigilias oculi mei, etc. 460, 1. — Psal. LXXVII. 39. Recordatus est quia caro sunt, etc. 186, 2 : *vers.* 72. In intellectibus manuum suarum deduxit eos, 695, 1. — Psal. LXXIX. 15. Visita vineam istam, etc. 198, 1. — Psal. LXXXI. 1. Deus stetit in synagoga deorum, etc. 456, 1 : *vers.* 2. Usquequo judicatis iniquitatem, etc. 684, 2. — Psal. LXXXIV. 9. Audiam quid loquatur in me Dominus, 110, 1. — Psal. LXXXVII. 9. Traditus sum, et non egrediebar, 95, 1 : *vers.* 11. Numquid mortuis facies mirabilia, 58 , 2 : *vers.* 27. In me transierunt iræ tuæ, 158, 1. — Psal. LXXXVIII. 7. Quis in nubibus æquabitur Domino, 136, 2. — Psal. LXXXIX. 2. Priusquam montes fierent, etc. 338, 1 : — *vers.* 4. Quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt, 195 , 2 : *vers.* 6. Mane floreat, et transeat, 118, 1; 210, 1 ; 317, 5 : *vers.* 9. Anni nostri sicut aranea meditabuntur, 212 , 1 : *vers.* 10. Quoniam supervenit mansuetudo, etc. 162, 2 : *vers.* 11. Quis novit potestatem iræ tuæ, 240, 1 : *vers.* 15. Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, etc. 77, 2. — Psal. XC. 13. super aspidem et basiliscum ambulabis, etc. 360, 1 : *vers.* 16. Longitudine dierum replebo eum, 152, 1. — Psal. XCI. 15. Adhuc multiplicabantur in senecta uberi, 152, 1. — Psal. XCII. 1. Etenim firmavit orbem terræ, etc. 222, 2. — Psal. XCIII. 7. Non videbit Dominus, etc. 439, 2 : *vers.* 15. Quousque justitia convertatur in judicium, 232, 1. — Psal. XCIV. 8. Hodie si vocem ejus audieritis, etc. 644, 2. — Psal. XCVII. 6. In tubis ductilibus, etc. 47, 1. — Psal. C. 1. Misericordiam et judicium cantabo, 583,2 : *vers.* 2. Perambulabam in innocentia cordis, etc. 567, 1.—Psal. CI. 5. Oblitus sum comedere panem meum, etc. 95, 2 : *vers.* 11. Quia elevans allisisti me, 597, 1 : *vers.* 12. Dies mei sicut umbra declinaverunt, etc. 319, 1 : *vers.* 18. Respexit in orationem humiliium, 166, 1 : *vers.* 25. Ne revoces me in dimidio dierum meorum. 350,1 : *vers.* 27. Omnes sicut vestimentum veterascent, 579, 2; 716, 2. — Psal. CII. 10 , Non secundum peccata nostra fecit nobis, 155, 2 : *vers.* 15. Homo sicut fœnum dies ejus, etc 319,

1 : — *vers.* 16. Spiritus pertransibit in illo, etc. 188, 1 ; 189, 1 ; 422, 2 : *vers.* 20. Ad audiendam vocem sermonum ejus, 110, 1.—Psal. CIII. 2. Extendens cœlum sicut pellem, 208, 2 ; 224, 1 ; 522, 1 : *vers.* 3. Qui ambulas super pennas ventorum, 187, 1 : *vers.* 5. Fundasti terram super stabilitatem suam, etc. 222, 1 : *vers.* 7. Ab increpatione tua fugient, etc. 190, 2 : *vers.* 11. Exspectabunt onagri in siti sua, 159 , 1 : *vers.* 14. Producens fœnum jumentis, etc. 210, 1. — Psal. CIV. 3. Lætetur cor quærentium Dominum, etc. 133, 1 : *vers.* 39. Expandit nubem in protectionem, 691, 2; 692, 1. — Psal. CV. 2. Quis loquetur potentias Domini, 226, 1; 268, 1; 286, 1 : *vers.* 7. Non fuerunt memores multitudinis misericordiæ, 475, 1.

PSAL. CVI. 25. Dixit, et stetit spiritus procellæ, 525, 2 : *vers.* 40. Effusa est contemptio super principes, 293 , 2 ; 294, 1 : *vers.* 42. Iniquitas oppilabit os suum, 142, 1. — Psal. CVIII. 7. Cum judicatur exeat condemnatus, 127, 2; 219, 1 : *vers.* 8. Episcopatum ejus accipiat alter, 662, 2 : *vers.* 10, Nutantes transferantur filii ejus, etc. 423, 1 : *vers.* 11. Diripiant alieni labores ejus, 128, 1 : *vers.* 23. Sicut umbra cum declinat ablatus sum, 207, 2 : *vers.* 29. Induantur qui detrahunt mihi pudore, 216, 2 : *vers.* 31. Adstitit a dextris pauperis, 573, 1. — Psal. CIX. 3. Ex utero ante luciferum genui te, 381, 2. — Psal. CX. 2. Magna opera Domini, 135, 2; 226, 1 : *vers.* 8. Fidelia omnia mandata ejus, etc. 686, 2. — Psal. CXI. 2. Potens in terra erit semen ejus, 10, 1 : *vers.* 5. Disponet sermones suos in judicio, 262, 2 : *vers.* 7. In memoria æterna erit justus, 276, 2 : *vers.* 9. Cornu ejus exaltabitur in gloria, 364, 1 : *vers.* 10. Peccator videbit, et irascetur, 28, 1 ; 454, 1. — Psal. CXII. 5. Qui in altis habitat, et humilia respicit, 137, 1 : *vers.* 7. Suscitans a terra inopem, etc. 137, 2. — Psal. CXV. 15. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus, 598, 2. — Psal. CXVII. 9. Bonum est sperare in Domino, etc. 172, 1 : *vers.* 13. Impulsus eversus sum ut caderem, 162, 2. — Psal. CXVIII. 20. Concupivit anima mea desiderare, 592, 2 : *vers.* 37. Averte oculos meos ne videant vanitatem, 603 , 2 : *vers.* 53. Defectio tenuit me pro peccatoribus, etc. 441, 2 : *vers.* 69. Multiplicata est super me iniquitas superborum, 298, 1 : *vers.* 109. Anima mea in manibus meis semper, 305, 1 : *vers.* 131. Os meum aperui, et attraxi spiritum, 478, 2 : *vers.* 133. Non dominetur mei omnis injustitia, 393, 1 : *vers.* 147. Præveni in maturitate, 17, 2 ; 727, 1 : *ibid.* In verba tua supersperavi, 305, 2 : *vers.* 155. Longe a peccatoribus salus, 127, 1 : *vers.* 165. Pax multa diligentibus legem tuam, 479, 1. — Psal. CXIX. 5. Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est, 161, 2 : 332, 1. *ibid.* Habitavi cum habitantibus Cedar, 4, 1. — Psal. CXX. 5. Dominus protectio tua, etc. 373, 1. — Psal. CXXI. 2. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem, 313, 2. — Psal. CXXII. 1. Ad te levavi oculos meos, etc. 273 , 2 ; 368 , 2. — Psal. CXXV. 1. In convertendo Dominus captivitatem Sion, etc. 216 , 2. — Psal. CXXVI. 1. Nisi Dominus ædificaverit domum, 10, 1 ; 287, 1 : — *vers.* 3. Merces, fructus ventris, 9, 2. — Psal. CXXVII. 3. Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, 10, 1 ; 151, 2 : *ibid.* Filii tui sicut novellæ olivarum, etc. 567, 1. — Psal. CXXVIII. 6. Fiant sicut fœnum tectorum, etc. 210, 1. — Psal. CXXXI. 9. Sacerdotes tui induantur justitiam, 571, 2. — Psal. CXXXIII. 2. Extollite manus vestras in sancta, 366, 2. — Psal. CXXXV. 4. Qui facit mirabilia magna solus, 135, 2. — Psal. CXXXVIII. 6. Mirabilis facta est scientia tua ex me, etc. 484, 1; 689 , 1 : *vers.* 7. Quo ibo a spiritu tuo, etc. 491, 1; 521, 2 : *vers.* 17. Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, etc. 276, 2. — Psal. CXXXIX. 4. Acuerunt linguas suas, 141, 1 : *vers.* 8. Obumbrasti super caput meum, etc. 573, 1 : *vers.* 10. Labor labiorum ipsorum operiet eos, 175, 1 : *vers.* 11. In miseriis non subsistent, 40, 1; 344, 1 : *vers.* 12. Vir linguosus non dirigetur, 175, 1 : *ibid.* Virum injustum mala capient, etc. 204, 2. — Psal. CXL. 2. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum, 366, 2 : *vers.* 3. Pone, Domine, custodiam ori meo, 48, 2. — Psal. CXLI. 5. Periit fuga a me, 277, 1. — Psal. CXLII. 2. Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, 115, 1 ; 242, 2. — Psal. CXLIII. 4. Homo vanitati similis factus est, 196, 1 : *ibid.* Dies ejus sicut umbra prætereunt, 208, 1 : *vers.* 8. Dextera eorum dextera iniquitatis, 262, 1 : *vers.* 11. Quorum filii sicut novellæ plantationes in juventute sua, etc. 151, 2 : *vers.* 13. Promptuaria eorum plena, etc. 444, 1. — Psal. CXLV. 2. Nolite confidere in principibus, etc. 173, 1 : *vers.* 8. qui operit cœlum nubibus, etc. 138, 1. — Psal. CXLVI. 9. Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum, 176, 1 ; 730, 2. — Psalm. CXLVII. 14. Fines tuos pacem, 148, 1. — Psal CXLVIII. 8. Ignis, grando, nix, glacies, etc. 107, 1 ; 697, 2. — Psal. CXLIX. 5. Exsultabunt sancti in gloria, etc. 475, 2.

EX PROVERBIIS.—Cap. I. 17. Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum, 132, 2 : *vers.* 20. Sapientia foris prædicat, 283, 2; 560, 1 : *vers.* 24. Extendi manum meam, etc., 262, 2 : *vers.* 26. In interitu vestro ridebo, 147, 1; 543, 2 : *ibid.* Cum vobis id quod timebatis advenerit, 96, 2. — Cap. II. 14. Qui lætantur cum male fecerint, 270, 2. — Cap. III. 5. Ne innitaris prudentiæ tuæ, 688, 1 : *vers.* 21. Fili, ne diffluas, 174, 2 : *vers.* 32. Abominatio Domini est omnis illusor, etc., 215, 1. — Cap. IV. 18. Justorum semita quasi lux, etc., 386, 2 : *vers.* 25. Oculi tui recta videant, etc., 489, 2 : *vers.* 27. Ne declines ad dexteram, etc., 684, 1. — Cap. V. 4. Novissima illius amara quasi absinthium, 423, 2; 588, 1 : *vers.* 21. Respicit Dominus vias hominis, 501, 1. — Cap. VI. 16. Sex sunt quæ odit Dominus, etc., 144, 1 ; 483, 1. — Cap. VIII. 4. O viri ad vos clamito, 2, 2 : *vers.* 11. Melior est sapientia cunctis opibus, etc., 552, 2 : *vers.* 15. Legum conditores, qui justa decernunt, 687, 1 : *vers.* 18. Mecum sunt divitiæ et gloria, 553, 1 : *vers.* 25. Ante omnes colles ego parturiebar, 338, 1 : *vers.* 30. Cum eo eram cuncta componens, *ibid.* : *vers.* 31. Deliciæ meæ esse cum filiis hominum, 464, 2 : *vers.* 32. Beati qui custodiunt vias meas, etc., 556, 2. — Cap. IX. 7. Qui erudit derisorem, etc., 335, 2 : *vers.* 18. Ibi sunt gigantes, etc., 520, 1. — Cap. X. 7. Memoria justi cum laudibus, etc., 395, 2 : *ibid.* Impiorum nomen putrescet, 303, 1; 473, 2 : *vers.* 14. Os stulti confusioni proximum est, 299, 2 : *vers.* 15. Substantia divitis urbs fortitudinis ejus, 392, 2 : *vers.* 22. Benedictio Domini divites facit, 564, 1. — Cap. XI. 3. Simplicitas justorum diriget eos, 7, 1 : *vers.* 10. In bonis justorum exaltabitur civitas, etc., 502, 2. — Cap. XII. 1. Qui odit increpationem insipiens est, 300, 1 : *vers.* 5. Cogitationes justorum judicia, 192, 2 : *vers.* 13. Propter verba labiorum ruina proximat malo, 338, 1 : *vers.* 15. Via stulti recta in oculis ejus, etc., 788, 1 : *vers.* 21. Non contristabit justum quidquid ei acciderit, 75, 1. — Cap. XIII. 9. Lux justorum lætificat, etc., 386, 2. — Cap. XIV. 13. Risus dolore miscebitur, 421, 1 : *vers.* 24. Coronæ sapientum divitiæ eorum, 30, 1 : *vers.* 26. In timore Domini fiducia fortitudinis, 104, 1 : *vers.* 32. Sperat autem justus in morte sua, 93, 1. — Cap. XV. 15. Secura mens juge convivium, 216, 2; 480, 2. — Cap. XVI. 2. Spirituum ponderator est Dominus, 232, 1; 247, 1 : *vers.* 11. Pondus et statera judicia Domini, 155, 2; 611, 1 : *vers.* 27. Vir iniquus fodit malum, etc., 176, 1; 199, 2. — Cap. XVII. 3. Sicut igne probatur argentum, etc., 488, 2 : *vers.* 6. Corona senum filii filiorum, 402, 1 : *vers.* 7. Non decent stultum verba composita, 279, 1 : *vers.* 22. Spiritus tristis exsiccat ossa, 600, 2 : *vers.* 27. Pretiosi spiritus vir eruditus, 49, 1 : *vers.* 28. Stultus si tacuerit sapiens reputabitur, 298, 2. — Cap. XVIII. 11. Substantia divitis urbs roboris ejus, 429, 1.—Cap. XIX. 9. Qui loquitur mendacia peribit, 532, 1.—Cap. XX. 9. Quis potest dicere : Mundum est cor meum, etc., 235, 2 : *vers.* 17. Suavis est homini panis mendacii, etc., 426, 2 : *vers.* 25. Ruina est devorare

http://www.obrascatolicas.com

sanctos, etc., 156, 1. — Cap. XXI. 30. Non est consilium contra Dominum, etc., 139, 1. — Cap. XXII. 1. Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ, 395, 2 : *vers.* 11. Qui diligit cordis munditiam, etc., 483, 2. — Cap. XXIII. 10. Non attingas parvulorum terminos, etc., 496, 1 ; 621, 2. — Cap. XXIV. 16. Septies in die cadit justus, 144, 2 : *vers.* 30. Per agrum hominis pigri transivi, etc , 171, 2. — Cap. XXV. 2. Gloria regum investigare sermonem, 573, 2 : *vers.* 11. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo, 49, 1; 156, 1. — Cap. XXVII. 15. Stillicidia ejiciunt hominem in die hiemali de domo sua, 174, 2 : *vers.* 18. Qui servat ficum comedet fructus ejus, etc. 13, 2. — Cap. XXVIII. 6. Ambulans in simplicitate, 5, 2 : *vers.* 21. Qui cognoscit in judicio faciem, etc., 660, 2. — Cap. XXX. 30. Leo fortissimus bestiarum, etc., 256, 2. — Cap. XXXI. 23. Nobilis in portis vir ejus, etc., 563, 2 : *vers.* 31. Laudent eum in portis opera ejus, 620, 2.

EX ECCLESIASTE. — Cap. I. 4. Terra autem in æternum stat, 222, 1 : *vers.* 16. Ecce magnus effectus sum, 13, 1 : *vers.* 18. Qui addit scientiam addit et laborem, 133, 1. — Cap. II. 7. Possedi servos et ancillas, 11, 2. — Cap. III. 7. Tempus tacendi, et tempus loquendi, 49, 1 : *vers.* 11. Mundum tradidit disputationi eorum, 283, 1 : *vers.* 17. Tunc erit tempus omnis rei, 475, 2. — Cap. IV. 2. Laudavi magis mortuos quam viventes, 76, 1. — Cap. V. 9. Avarus non implebitur pecunia, 434, 1 : *vers.* 11. Saturitas divitis non sinit eum dormire, 435, 2 : *vers.* 14. Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, etc., 43, 2 : *vers.* 28. Cui dedit Deus divitias, etc., 30, 2. — Cap. VII. 5. Cor sapientum ubi tristitia est, 552, 1 : *vers.* 8. Calumnia conturbat sapientem, 145, 2 : *vers.* 12. Utilior est sapientia cum divitiis, etc., 30, 1 : *vers.* 14. Nemo potest corrigere, etc., 288, 1 : *vers.* 30. Fecit hominem rectum, 7, 1; 8, 1. — Cap. IX. 1. Nescit homo utrum amore aut odio dignus sit, 235, 2 : *vers.* 12. Nescit homo finem suum, 93, 1 : *ibid.* Sicut aves capiuntur laqueo, etc., 766, 1 : *vers.* 18. Qui in uno peccaverit, multa bona perdet, 608, 1. — Cap. X. 11. Si mordeat serpens in silentio, etc., 412, 1 : *vers.* 12. Labia insipientis præcipitabunt eum, 330, 2. — Cap. XI. 5. Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, 688, 1. — Cap. XII. 5. Florebit amygdalus, etc., 276, 1 : *vers.* 13. Deum time : hoc est enim omnis homo, 8, 2 : *vers.* 14. Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium, etc. 499, 1.

EX CANTICO. — Cap. I. 1. Osculetur me osculo oris sui, 478, 2 : *vers.* 3. Curremus in odorem unguentorum tuorum, 782, 1 : *ibid.* Exsultabimus et lætabimur in te, 91, 2 : *ibid.* Recti diligunt te, 7, 2 : *vers.* 4. Nigra sum, sed formosa, 125, 2 : *vers.* 7. Abi post vestigia gregum tuorum, 573, 2 : *vers.* 10. Murenulas aureas faciemus tibi, 382, 2. — Cap. II. 12. Flores apparuerunt in terra nostra, etc. 317, 2 : *vers.* 14. Sonet vox tua in auribus meis, 110, 1. — Cap. III. 4. Inveni quem diligit anima mea, 113, 1. — Cap. V. 1. Messui myrrham meam, 307, 1 : *vers.* 2. Vox dilecti pulsantis, 596, 1 : *vers.* 3. Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? 313, 2. — Cap. VIII. 6. Lampades ejus lampades ignis, 132, 1 : *vers.* 7. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, etc., 469, 1.

EX SAPIENTIA. — Cap. I. 5. Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, 170, 1 : *vers.* 11. Os quod mentitur occidit animam, 532, 1. — Cap. II, 3. Transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, etc., 592, 1 : *vers.* 4. Nemo memoriam habebit operum nostrorum, 207, 2 : *vers.* 5. Umbræ enim transitus est tempus nostrum, 207, 2 : *vers.* 17. Videamus si sermones ejus veri sint, 416, 2. — Cap. III, 1. Justorum animæ in manu Dei sunt, 8, 1; 105, 2. — Cap. IV. 7. Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, 449, 2 : *vers.* 19. Disrumpet illos inflatos sine voce, etc., 473, 1. — Cap. V. 1. Tunc stabunt justi in magna constantia, etc., 280, 2 : *vers.* 6. Erravimus a via veritatis, etc., 387, 1 : *vers.* 9. Transierunt omnia illa tanquam umbra, 207, 2; 316, 1 : *vers.* 13. Nos nati continuo desivimus esse, 89, 1; 420, 2 : *vers.* 15. Tanquam fumus qui a vento diffusus est, 592, 1 : *vers.* 16. Cogitatio eorum apud Altissimum, 214, 2. — Cap. VI. 6. Judicium durissimum his qui præsunt fiet, 617, 2. — Cap. VII, 1. In ventre matris figuratus sum caro, 250, 1. — Cap. VIII. 1. Attingit a fine usque ad finem, 693, 1 : *vers.* 9. Omne aurum in comparatione illius arena est exigua, etc., 56, 1. — Cap. IX, 14. Cogitationes mortalium timidæ, 138, 1 : *vers.* 15. Corpus quod corrumpitur aggravat animam, 117, 2. — Cap. X. 10. Justum deduxit Dominus per vias rectas, 7, 2; 379, 2. — Cap. XI. 23. Tanquam momentum stateræ, etc. 266, 2. — Cap. XVII. 2. Vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti, 344, 1 : *vers.* 10. Semper sæva præsumit perturbata conscientia, 216, 1; 480, 2.

EX ECCLESIASTICO. — Cap. I. 2. Arenam maris, etc., quis dinumeravit? 691, 1 : *vers.* 27. Timor Domini expellit peccatum, 9, 2 : *vers.* 28. Iracundia enim animositatis illius subversio ejus, 386, 2. — Cap. III. 20. Quanto magnus es humilia te in omnibus, etc. 137, 1 : *vers.* 22. Altiora te ne quæsieris, 689, 1. — Cap. IV. 24. Pro anima tua non confundaris dicere verum, 309, 1; 640, 2. — Cap. VI. 7. Si possides amicum, in tentatione posside eum, etc. 71, 2 : *vers.* 8. Est amicus secundum tempus suum, etc. 168, 1; 405, 1 : *vers.* 15. Amico fideli nulla est comparatio, 732. — Cap. VII. 6. Noli quærere fieri judex, etc. 684, 2 : *vers.* 12. Non irrideas hominem in amaritudine animæ, etc. 280, 1; 338, 1 : *vers.* 25. Filii tibi sunt? erudi illos, 446, 1. — Cap. VIII. 3. Multos perdidit aurum, etc. 683, 2. — Cap. IX. 20. In medio laqueorum ingrederis, etc. 180, 2; 469, 1. — Cap. X. 10. Nihil est iniquius quam amare pecuniam, etc. 30, 2 : *vers.* 17. Sedes ducum superborum destruxit Deus, etc. 214, 2. — Cap. XI. 9. De ea re, quæ te molestat, ne certeris, 177, 1. — Cap. XIII. 10. Ne seductus in stultitam humilieris, etc. 297, 1 : *vers.* 23. Venatio leonis onager, etc. 735, 1. — Cap. XIV. 5. Qui sibi nequam, cui alii bonus erit? 102, 1 : *vers.* 18. Omnis caro sicut fœnum veterascet, etc. 317, 2. — Cap. XVII. 6. In quibus Deus creavit scientiam spiritus, etc. 337, 2. — Cap. XIX. 1. Qui spernit modica, paulatim decidet, 118, 1; 206, 2 : *vers.* 28. Est correptio mendax in ira contumeliosi, 399, 1. — Cap. XX. 31. Xenia et dona excæcant oculos judicum, etc. 684, 1. — Cap. XXI. 2. Quasi a facie colubri fuge peccata, 733, 2. — Cap. XXII. 13. Luctus mortui septem dies, 73, 1. — Cap. XXIII. 2. Quis dederit in mente mea flagella, etc. 193, 1 : *vers.* 28. Oculi Domini multo plus lucidiores super solem, etc. 227, 2; 247, 1. — Cap. XXIV. 5. Ego ex ore Altissimi prodivi, 556, 2. — Cap. XXVIII. 21. Plaga linguæ comminuet ossa, 146, 1 : *vers.* 29. Verbis tuis facito stateram, 49, 1. — Cap. XXX. 7. Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua, 740, 1 : *vers.* 26. Zelus et iracundia minuunt dies, 386, 1. — Cap. XXXIV. 9. Qui non est tentatus, quid scit? 33, 2. — Cap. XXXV. 15. Et non est apud illum gloria personæ, 660, 1 : *vers.* 21. Oratio humiliantis se nubes penetrabit, etc. 312, 1. — Cap. XXXIX. 6. Cor suum tradit ad vigilandum diluculo, 205, 1. — Cap. XL. 1. Jugum grave super filios Adæ, 43, 2; 401, 2 : *ibid.* A die exitus de ventre matris eorum, etc. 43, 2. — Cap. XLI. 15. Curam habe de bono nomine, 395, 2. — Cap. XLII. 13. De vestimentis procedit tinea, etc. 615, 2. — Cap. XLIII. 25. In sermone ejus siluit ventus, 713, 1 : *vers.* 30. Gloriantes ad quid valebimus, etc. 266, 1. — Cap. XLIV. 11. Cum semine eorum permanent bona, etc. 9, 2. — Cap. XLVI. 14. Sit memoria eorum in benedictione, 394, 1. — Cap. XLIX. 1. Memoria Josiæ in compositione odoris facta opus pigmentarii, 277, 2.

EX ISAIA. — Cap. I. 6. Vulnus ejus et livor, etc. 63, 1 : *vers.* 8. Ut umbraculum in vinea, etc. 539, 2 : *vers.* 23. Principes tui infideles, socii furum, etc. 351, 2 : *vers.* 30. Erunt quasi terebinthus decidentibus foliis, 506, 2. — Cap. III. 3 Consiliarium virum auferam, 290, 1 : *vers* 10. Dicite justo quoniam bene, 215, 2 : *vers.* 11. Væ impio in malum, etc. 423, 2 : *vers.* 16. Ambulaverunt filiæ Sion extento collo, 345, 2. — Cap. V. 8. Væ qui conjungitis domum ad domum, etc. 347, 2 : *vers.* 13. Propterea captivus ductus est populus meus, etc. 342, 1 : *vers.* 20. Dicere malum bonum, etc. 502, 2 : *vers.* 30. Aspiciemus in terram, et ecce tenebræ, etc. 344, 1. — Cap. VI. 2. Stantes seraphim, etc. 22, 1 : *vers.* 5. Dominum exercituum vidi oculis meis, 310, 1. — Cap. VIII. 21. Et veniet super eos dira fames, etc. 392, 1. — Cap. X. 27. Computrescet jugum a facie olei, 568, 1. — Cap. XI. 3. Replebit eum spiritus timoris Domini, 8, 2 : *vers.* 8. Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, etc. 547, 2. — Cap. XIV, 2. Erunt capientes eos qui se ceperant, etc. 475, 2 : *vers.* 12. Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, etc. 346, 1; 701, 2 : *vers.* 13. In cœlum conscendam, etc. 346, 1 : *vers.* 26. Hæc est manus extensa, etc. 410, 2. — Cap. XVII. 4. Et pinguedo carnis ejus marcescet, 346, 2. — Cap. XVIII. 1. Væ terræ cymbalo alarum, etc. 209, 2, — Cap. XIX. 14. Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis, etc. 290, 2. — Cap. XXI. 4. Emarcuit cor meum, etc. 447, 2. — Cap. XXIII. 9. Ut detraheret omnem superbiam gloriæ, etc. 421, 2 : *vers.* 11. Manum suam extendit super mare, etc. 345, 1. — Cap. XXIV. 18. Qui fugerit a facie formidinis cadet in foveam, etc. 437, 1 : *vers.* 20. Auferetur quasi tabernaculum unius noctis, 540, 1; 597, 2 : *ibid.* Gravabit enim eum iniquitas sua, etc. 447, 2. — Cap. XXVI. 14. Visitasti et contrivisti eos, 197, 1. — Cap. XXVIII. 17. Ponam in pondere judicium, 155, 2; 686, 1 : *vers.* 19. Vexatio dat intellectum, 487, 2. — Cap. XXIX. 8. Sicut somniat esuriens, etc. 422, 1. — Cap. XXX. 15. In silentio et spe erit fortitudo vestra, 74, 2; 104, 2. — Cap. XXXII. 7. Fraudulenti vasa pessima, 552, 2 : *vers.* 17. Erit opus justitiæ pax, etc. 477, 1 : *vers.* 18. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, 149, 2. — Cap. XXXIII. 14. Quis poterit habitare cum igne devorante? 260, 1 : *vers.* 16. Munimenta saxorum sublimitas ejus, 741, 1. — Cap. XXXVI. 3. Joahe filius Asaph a commentariis, 319, 1 : *vers.* 7. In Domino Deo nostro confidimus, 134, 2. — Cap. XXXVIII. 12. De mane usque ad vesperam finies me, 118, 1; 185, 2 : *vers.* 15. Recogitabo tibi omnes annos meos, etc. 190, 1. — Cap. XL. 6. Omnis caro fœnum, etc. 186, 1 : *vers.* 22. Qui extendit velut nihilum cœlos, etc. 522, 1 : *vers.* 31. Assument pennas ut aquilæ, etc. 367, 1. — Cap. XLI, 2. Quis suscitavit justum ab oriente? 714, 2. — Cap. XLII. 3. Calamum quassatum non confringes, 512, 1. — Cap. XLIV. 2. Et rectissime, quem elegi, 7, 1. — Cap. XLVIII. 22. Non est pax impiis, 588, 1. — Cap. XLIX. 1. Dominus ab utero vocavit me, etc. 258, 1 : *vers.* 3. Servus meus es tu Israel, quia in te gloriabor, 26, 2 : *vers.* 8. In die salutis auxiliatus sum tui, 486, 2. — Cap. L. 4. Dominus erigit mane, etc. 197, 2 : *vers.* 5. Dominus Deus aperuit mihi aurem, 645, 2 : *vers.* 6. Corpus meum dedi percutientibus, etc. 539, 2 : *vers.* 8. Juxta est qui justificat me, etc. 372, 1. — Cap. LII. 7. Quam pulchri pedes annuntiantis et prædicantis pacem! 547, 1 : *vers.* 11. Mundamini qui fertis vasa Domini, 607, 1. — Cap. LIII. 4. Vere languores nostros ipse tulit, etc. 5, 1; 200, 2 : *ibid.* Nos putavimus eum quasi leprosum, etc. 264, 2 : *vers.* 12. Cum sceleratis reputatus est, 100, 1. — Cap. LIV. 7. Ad punctum in modico dereliqui te, etc. 311, 1; 793, 2. — Cap. LVI. 10. Canes muti non valentes latrare, 98, 1 : *vers.* 11. Canes impudentissimi, etc. 391, 2. — Cap. LVII. 1. Justus perit, et non est qui recogitet, 105, 2. — Cap. LIX. 4. Conceperunt dolorem et pepererunt iniquitatem, 352, 2 : *vers.* 5. Telas araneæ texuerunt, etc. 211, 2 : *vers.* 8. Semitæ eorum incurvatæ sunt, 170, 2. — Cap. LX. 8. Qui sunt isti, qui ut nubes volant? 692, 2; 701, 1 : *vers.* 16. Suges lac gentium, etc. 430, 2. — Cap. LXI. 8. Ego Dominus diligens judicium, 658, 2 : *vers.* 9. Isti sunt semen cui benedixit Dominus 215 2. — Cap. LXII. 3. Et eris corona gloriæ in manu Domini, 26, 2. — Cap. LXIV. 2. Aquæ arderent igni, etc. 260, 1 : *vers.* 6. Omnes justitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ, 231, 2 : *ibid.* Cecidimus quasi folium universi, etc. 319, 2 : *vers.* 7. Allisisti nos in manu iniquitatis nostræ, 204, 2. — Cap. LXV. 6. Et scriptum est coram me, etc. 320, 1 : *vers.* 17. Ecce ego creo cœlos novos, 528, 2 : *vers.* 24. Eritque antequam clament ego exaudiam, 482, 1. — Cap. LXVI. 1. Cœlum sedes mea, etc. 523, 2; 702, 2 : *vers.* 24. Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur, 65, 1.

EX JEREMIA. — Cap. I. 5. Priusquam te formarem in utero novi te, etc. 258, 1. — Cap. II. 11. Populus meus mutavit gloriam suam in idolum, 670, 1 : *vers.* 19. Vide quia malum et amarum est quod dereliquisti me, dicit Dominus, 450, 1 : *vers.* 24. Onager assuetus in solitudine, 735, 1 : *ibid.* In menstruis ejus invenient eam, 228, 2. — Cap. III. 5. Numquid irasceris in perpetuum? 330, 1. — Cap. IV. 19. Ventrem meum doleo, 279, 2. — Cap. V. 13. Prophetæ fuerunt in ventum locuti, 335, 1. — Cap. VI. 16. Interrogate de semitis antiquis, etc. 687, 1. — Cap. VII. 14. Faciam domui huic, etc., sicut feci Silo, 213, 1 : *vers.* 18. Dolor meus super dolorem, etc. 362, 1. — Cap. VIII. 16. A Dan auditus est fremitus equorum ejus, 742, 2. — Cap. IX. 5. Ut inique agerent laboraverunt, 106, 1 : *vers.* 21. Mors intrat per fenestras, 603, 1. — Cap. XII. 1. Quare via impiorum prosperatur, etc. 125, 2; 442, 2. — Cap. XIII. 23. Si mutare potest æthiops pellem suam, etc. 127, 1. — Cap. XIV. 22. Numquid sunt in sculptilibus gentium qui pluant? 136, 1. — Cap. XV. 19. Si eduxeris pretiosum a vili, etc. 478, 2. — Cap. XVII. 1. Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo, 413, 2 : *vers.* 6. Et non videbit cum venerit bonum, 166, 2 : *vers.* 8. Non erit sollicitus in tempore siccitatis, etc. 214, 2 : *vers.* 9. Pravum est cor omnium, etc. 609, 2; 781, 2. — Cap. XVIII. 8. Si pœnitentiam egerit gens illa, etc. 790, 1. — Cap. XIX. 8. Ponam civitatem hanc in stuporem, etc. 396, 1. — Cap. XXII. 28. Numquid vas fictile, etc. 595, 1. — Cap. XXIII. 12. Via eorum erit quasi lubricum, etc. 139, 2 : *vers.* 15. Cibabo eos absinthio, 426, 1 : *vers.* 19. Ecce turbo Domini, etc. 233, 2 : *vers.* 24. Numquid non cœlum et terram ego impleo, etc. 609, 1. — Cap. XXX. 23. Ecce turbo Domini furor egrediens, etc. 80, 2; 229, 2; 233, 2; 302, 2. — Cap XXXV. 7. In tabernaculis habitabitis, 597, 2. — Cap. XLII. 10. Ædificabo vos, et non destruam, 287, 1. — Cap. XLVI. 21. Quasi vituli saginati versi sunt, etc. 346, 2. — Cap. L. 17. Ovis errans Israel, 451, 2. — Cap. LI. 16. Qui levat nubes ab extremo terræ, 136, 2 : *vers.* 30. Facti sunt quasi mulieres, 315, 1.

EX THRENIS. — Cap. II. 10. Sederunt in terra, etc. 61, 2 : *vers.* 11. Defecerunt præ lacrymis oculi mei, 364, 1 : *ibid.* Conturbata sunt viscera mea, etc. 361, 2. — Cap. III. 9. Conclusit vias meas lapidibus quadris, etc. 401, 1; 591, 1 : *vers.* 14. Factus sum in derisum, 375, 2 : *vers.* 28. Sedebit solitarius, et tacebit, 577, 2 : *vers.* 30. Dabit percutienti se maxillam, etc. 389, 1 : *vers.* 51. Oculus meus deprædatus est animam meam, 602, 1 : *vers.* 61. Audisti opprobrium eorum Domine, 589, 2. — Cap. IV. 2. Filii Sion inclyti, etc. 101, 1. — Cap. V. 9. In animabus nostris afferebamus panem, etc. 344, 1 : *vers.* 21. Converte nos Domine ad te, et convertemur, etc. 564, 2.

EX BARUCH. — Cap. II. 31. Dabo eis cor, et intelligent, etc. 109, 1. — Cap. III. 18. Ubi sunt qui argentum thesaurizant? 622, 2 : *vers.* 23. Filii Agar qui exquirunt prudentiam, etc. 452, 1. — Cap. IV. 25. Super cervices ejus ascendes, 360, 1.

EX EZECHIELE. — Cap. VIII. 12. Dicunt enim : Non videt Dominus nos, etc. 471, 1. — Cap. IX. 2. Et atramentarium scriptoris ad renes ejus, 329, 1. — Cap. XVI. 4. In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus, 758, 1 : *vers.* 12. Dedi inaurem super os tuum, etc. 792, 2. — Cap. XVII. 3. Aquila magnarum alarum, etc. 468, 1. —

http://www.obrascatolicas.com

Cap. xx. 46. Stilla ad africum, 369, 2. — Cap. xxii. 27. Principes ejus quasi lupi, etc. 468, 1. — Cap. xxv. 7. Idcirco ecce ego extendam manum meam super te, etc. 345, 1. — Cap. xxviii. 12, Tu signaculum similitudinis, etc. 101, 1. — Cap. xxix. 3. Ecce ego ad te draco magne, etc. 768, 2. — Cap. xxxi. 18. Ipse est Pharao, et omnis multitudo ejus, 521, 1. — Cap. xxxiv. 4. Quod infirmum fuit non consolidastis, 102, 1. — Cap. xlv. 8. De terra erit ei possessio in Israel, 468, 1.

EX DANIELE. — Cap. ii. 21. Ipse mutat tempora et ætates, 291, 1 : *vers.* 22. Ipse revelat profunda, etc. 294. 1. — Cap. iii. 1. Fecitque statuam auream, etc. 342, 2 : *vers.* 29. Peccavimus, iniquitatem fecimus, 53, 1. — Cap. v. 5. Apparuerunt digiti quasi hominis, 458, 2. — Cap. vi. 18. Abiit in domum suam, et dormivit incœnatus, 459, 2. — Cap. vii. 2. Videbam in visione mea nocte, 111, 1. — Cap. viii. 24. Roborabitur fortitudo ejus, etc. 759, 1. — Cap. ix. 11. Stillavit super nos maledictio, 676, 1. — Cap. x. 8. Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc, etc. 112, 1.

EX OSEA. — Cap. iv. 6. Periit populus meus, eo quod non habuerit scientiam, 733, 2 : *ibid.* Quia tu scientiam repulisti, repellam te, 664, 1 : *vers.* 9. Sicut populus, sic et sacerdos, 293, 2. — Cap. v. 10. Super eos effundam quasi aquam iram meam, 341, 1. — Cap. viii. 4. Principes exstiterunt et non cognovi, 24, 1; 665, 2 : *vers.* 6. In aranearum telas erit vitulus Samariæ, 212, 2 : *vers.* 8. Devoratus est Israel, etc. 595, 1. — Cap. x. 2. Divisum est cor eorum : nunc interibunt, 448, 1 : *vers.* 12. Qui docebit vos justitiam, 225, 2. — Cap. xi. 7. Pendebit populus meus ad reditum meum, 195, 1. — Cap. xii. 1. Ephraim pascit ventum, 212, 2. — Cap. xiii. 9. Perditio tua Israel, 12, 2 : *vers.* 11. Dabo tibi regem in furore meo, etc. 665, 2 : *vers.* 12. Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum ejus, 417, 2.

EX JOELE. — Cap. i. 17. Computruerunt jumenta in stercore, 587, 2. — Cap. ii. 12. Convertimini ad me in toto corde, 564, 2 : *vers.* 28. Senes vestri somnia somniabunt, etc. 111, 1.

EX AMOS. — Cap. iii. 8. Leo rugiet, quis non timebit? 363, 1. — Cap. iv. 1. Audite verbum hoc vaccæ pingues, etc. 346, 2. — Cap. v. 12. Hostes justi accipientes munus, etc. 308, 2. — Cap. vi. 3. Væ qui separati estis in diem malum, 229, 1. — Cap. vii. 8. Ecce Dominus stabit super murum litum, 29, 1. — Cap. viii. 11. Mittam famem in terram, 391, 2; 700, 2. — Cap. ix. 1. Avaritia in capite omnium, 433, 2.

EX ABDIA. — Cap. i. 12. Et non despicies in die fratris tui, 396, 1 : *ibid.* Non magnificabis os tuum, 339, 1.

EX JONA. — Cap. ii. 6. Pelagus operuit caput meum, ad extrema montium descendi, etc. 547, 2.

EX MICHÆA. — Cap. v. 7. Quasi ros a Domino, etc. 581, 2. — Cap. vii. 4. Qui optimus in eis est quasi paliurus, 282, 1 : *vers.* 5. Non credere amico, etc. 404, 2.

EX NAHUM. — Cap. i. 2. Et irascens ipse inimicis suis, 330, 1 : *vers.* 6. Ante faciem indignationis ejus quis stabit? etc. 229, 2; 302, 2; 646, 1 : *vers.* 9. Non consurget duplex tribulatio, 308, 2 : *vers.* 14. Non seminabitur ex nomine tuo amplius, 303, 2. — Cap. ii. 3. Clypeus fortium ejus ignitus, etc. 513, 2. — Cap. iii. 17. Custodes tui quasi locustæ, 12, 1.

EX HABACUC. — Cap. i. 10. Tyranni ridiculi ejus erunt, 147, 1 : *vers.* 16. Cibus ejus electus, 23, 2. — Cap. ii. 1. Figam gradum super munitionem, 378, 1 : *vers.* 16. Vomitus ignominiæ, super gloriam, 427, 2. — Cap. iii. 3. Deus ab austro venit, etc. 687, 2 : *vers.* 5. Ante faciem ejus ibit mors, 230, 1 : *ibid.* Egredietur diabolus ante pedes ejus, 132, 1 : *vers.* 6. Aspexit, et dissolvit gentes, 754, 1 : *ibid.* Contriti sunt montes sæculi, 338, 1 : *vers.* 11. In luce sagittarum tuarum ibunt, etc. 157, 2.

EX SOPHONIA. — Cap. i. 7. Silete a facie Domini, 110, 2 : *vers.* 8. Visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrina, 307, 2; 681, 1 : *vers.* 12. Scrutabor Jerusalem in lucernis, 232, 1 : *ibid.* Visitabo super viros defixos in fœcibus suis, 473, 2. — Cap. iii. 1. Væ provocatrix et redempta civitas, columba, etc. 347, 2 : *vers.* 11. Auferam de medio tui magniloquos, etc. 339, 1.

EX ZACHARIA. — Cap. i. 3. Convertimini ad me, etc. 206, 1; 564, 2 : *vers.* 8. Vidi per noctem, et ecce vir ascendens, etc. 111, 1. — Cap. ii. 5. Ego ero, ait Dominus, murus ignis, 29, 1. — Cap. iv. 10. Quis despexit dies parvos? 206, 2. — Cap. x. 3. Posuit eos quasi equum gloriæ, etc. 743, 1; 744, 1. — Cap. xiii, 5. Homo agricola ego sum : quoniam Adam exemplum meum, etc. 131, 1.

EX MALACHIA. — Cap. ii. 7. Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, 478, 1. — Cap. iii. 3. Colabit filios Levi, 232, 1 : *vers.* 14. Vanus est qui servit Deo, etc. 451, 1. — Cap. iv, 1. Ecce dies veniet succensa quasi caminus, etc. 213, 2.

EX II MACHAB. — Cap. viii. 8. Illi quidem armis confidunt, etc 134, 2.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX MATTHÆO. — Cap. i. 18. Antequam convenirent inventa est in utero habens, 259, 2. — Cap. ii. 18. Rachel plorans filios suos, quia non sunt, 188, 1. — Cap. iii. 4. Habebat vestimentum de pilis camelorum, 363, 2. — Cap. iv. 9. Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me, 26, 1 : *vers.* 10. Deum tuum adorabis, 8, 2. — Cap. v. 2. Aperiens os suum docebat eos, etc. 75, 1 : *vers.* 6. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, 658, 2 : *vers.* 16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, etc. 257, 2 : *vers.* 22. Gehenna ignis, 504, 2 : *vers.* 40. Et qui vult tecum judicio contendere, etc. 177, 2. — Cap. vi. 9. Pater noster qui es in cœlis, 568, 2 : *vers.* 10. Adveniat regnum tuum, 161, 2 : *vers.* 16. Exterminant facies suas, etc. 214, 1; 741, 1 : *vers.* 22. Si oculus tuus simplex fuerit, etc. 605, 2 : *vers.* 26. Non serunt neque metunt, etc. 128, 2; 132, 1. — Cap. vii. 12. Quæ vultis ut faciant vobis homines, etc. 263, 1. — Cap. viii. 31. Si ejicis mitte nos in porcos, 33, 1 : *vers.* 34. Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus, 450, 1. — Cap. x. 16. Estote simplices sicut columbæ, 5, 2 : *vers.* 26. Nihil enim opertum quod non revelabitur, etc. 204 1 : *vers.* 42. Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, etc. 466, 2. — Cap. xi. 28. Venite ad me omnes qui laboratis, etc. 482, 1. — Cap. xii. 34. Ex abundantia cordis os loquitur, etc. 336, 2 : *vers.* 36. Reddent rationem de eo in die judicii, 783, 2 : *vers.* 37. Ex verbis tuis justificaberis, etc. 337, 1. — Cap. xvi. 26. Quam dabit homo commutationem pro anima sua? 55, 1. — Cap. xvii. 2. Resplenduit facies ejus sicut sol, 698, 2. — Cap. xix. 23. Dives difficile intrabit in regnum cœlorum, etc. 29, 2. — Cap. xx. 19. Tradent eum gentibus ad illudendum, 589, 1. — Cap. xxi. 21. Si monti huic dixeritis : Tolle, etc. 221, 2. — Cap. xxii, 13. Ibi erit fletus et stridor dentium, 543, 2. — Cap. xxiii. 4. Alligant onera gravia, 413, 2; 686, 1 : *vers.* 12. Qui se humiliat exaltabitur, 482, 2. — Cap. xxv. 12. Amen dico vobis : Nescio vos, 214, 2; 521, 2. — Cap. xxvi. 13. Dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus, 395, 1 : *vers.* 24. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille, 76, 1 : *vers.* 39. Procidit in faciem suam, 42, 2 : *vers.* 50. Amice, ad quid venisti? 24, 1.

EX MARCO. — Cap. ix. 49. Pacem habete inter vos, 477, 1. — Cap. x. 18. Nemo bonus nisi unus Deus, 340, 2.

EX LUCA. — Cap. i. 13. Ne timeas, Zacharia, 112, 1 : *vers.* 52. Deposuit potentes de sede, etc. 137, 2 : *vers.* 78. Viscera misericordiæ, etc. 167, 2 : *vers.* 79. Qui in tenebris et umbra mortis sedent, 79, 2. — Cap. iii. 4. Rectas facite semitas ejus, 8, 1. — Cap. iv. 23. Medice cura teipsum, 102, 2. — Cap. vi. 25. Væ vobis qui ridetis nunc, 96, 2 : *vers.* 45. Bonus homo de thesauro suo profert bonum, 74, 2. — Cap. viii. 6. Quod cecidit super petras, etc. 214, 1 : *vers.* 14. Quod autem in spinas cecidit, etc. 29, 2 : *vers.* 52. Non est mortua puella, sed dormit, 85, 1. — Cap. x. 5. Pax huic domui, 149, 1 : *vers.* 13. In cilicio et cinere sedentes pœniterent, 363, 2. — Cap. xi. 34. Lucerna corporis tui est oculus tuus : si oculus tuus fuerit simplex, etc. 7, 1; 339, 2 : *vers.* 41. Date eleemosynam, etc. 150, 2. — Cap. xii. 4. Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, etc. 675, 2 : *vers.* 18. Destruam horrea mea, etc. 30, 2 : *vers.* 19. Anima habes multa bona posita in annos plurimos, etc. 44, 2; 541, 2 : *vers.* 20. Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te, etc. 88, 2; 452, 1 : *vers.* 33. Facite vobis thesaurum non deficientem in cœlis, etc. 276, 1 : *vers.* 35. Sint lumbi vestri præcincti, 707, 1 : *ibid.* Lucernæ ardentes in manibus vestris, 695, 1 : *vers.* 58. Et judex tradet te exactori, 736, 1. — Cap. xvi. 2. Quid hoc audio de te? 24, 1 : *ibid.* Redde rationem villicationis tuæ, 277, 2 : *vers.* 22. Mortuus est dives, et sepultus est in inferno, 541, 2. — Cap. xvii. 10. Dicite, servi inutiles sumus, 464, 1. — Cap. xix. 22. De ore tuo te judico, serve nequam, 337, 1 : *vers.* 43. Circumdabunt te inimici tui vallo, etc. 343, 2. — Cap. xx. 20. Ut caperent eum in sermone, 416, 2. — Cap. xxi. 28. Tunc levate capita vestra, 475, 1. — Cap. xxii. 71. Quid adhuc desideramus testimonium? etc. 337, 1.

EX JOANNE. — Cap. i. 5. Lux in tenebris lucet, 4, 1; 499, 2 : *vers.* 9. Erat lux vera, etc. 499, 2 : *vers.* 18. Deum nemo vidit unquam, 226, 1. — Cap. iii. 4. In ventrem matris suæ iterato introire, 43, 2 : *vers.* 19. Lux venit in mundum, etc. 715, 1 : *vers.* 20. Qui male agit, odit lucem, 173, 1; 502. 1. — Cap. v. 38. Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei, 327, 1. — Cap. viii. 4. Hæc mulier modo deprehensa est in adulterio, etc. 614, 1 : *vers.* 12. Ego sum lux mundi, 499, 2 : *vers.* 46. Quis ex vobis arguet me de peccato? 173, 2. — Cap. xi. 11. Lazarus amicus noster dormit, 85, 1. — Cap. xii. 31. Nunc judicium est mundi, 617, 2. — Cap. xv. 12. Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos, 265, 1. — Cap. xvi. 8. Arguet mundum de peccato, 173, 2 : *vers.* 33. In mundo pressuram habebitis, 236, 2. — Cap. xx. 15. Si tu sustulisti eum, dicito mihi, 44, 1.

EX ACTIS APOST. — Cap. i. 9. Nubes suscepit eum, 691, 2. Cap. vii. 59. Obdormivit in Domino, 85, 1. — Cap. viii. 23. In felle amaritudinis video te esse, 361, 1; 426, 1. — Cap. xiv. 16. Qui non sine testimonio semetipsum reliquit, etc. 136, 1.

EX EPIST. PAULI AD ROM. — Cap. i. 17. Justus autem ex fide vivit, 8, 1 : *vers.* 19. Deus enim illis manifestavit, 673, 1 : *vers.* 20. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, 688, 1. — Cap. ii. 1. Inexcusabilis es o homo qui judicas, etc. 202, 1 : *vers.* 4. An divitias bonitatis, etc., contemnis? 509, 1 : *vers.* 6. Reddet unicuique secundum opera ejus, 655, 1 : *vers.* 8. Qui sunt ex contentione, 178, 1 : *vers.* 21. Qui alium doces, teipsum non doces, 102, 1. — Cap. iii. 23. Omnes peccaverunt, etc. 240, 2. — Cap. iv. 17. Qui vivificat mortuos, etc. 327, 1. — Cap. v. 3. Tribulatio patientiam operatur, 377, 2 : *vers.* 12. Et ita in omnes homines mors pertransiit, 398, 1. — Cap. vi. 23. Gratia Dei vita æterna, 254, 1. — Cap. vii. 15. Quod enim operor non intelligo, 219, 2 : *vers.* 18. Non habitat in carne mea bonum, 701, 1 : *vers.* 24. Quis me liberabit de corpore mortis hujus? 117, 2; 161, 1. — Cap. viii. 18. Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, etc. 183, 1 : *vers.* 19. Exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat, etc. 415, 2 : *vers.* 28. Electis omnia cooperantur in bonum, 504, 1 : *vers.* 35. Quis nos separabit a charitate Christi? etc. 58, 1; 744, 2 : *vers.* 36. Propter te mortificamur tota die, etc. 305, 2. — Cap. x. 10. Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, 263, 2. — Cap. xi. 16. Si delibatio sancta est, et massa, etc. 126, 2 : *vers.* 34. Quis cognovit sensum Domini? etc. 235, 1; 264, 1; 495, 2; 688, 2. — Cap. xii. 8. Qui tribuit in simplicitate, 6, 1 : *vers.* 15. Flere cum flentibus, 72, 2; 599, 2 : *vers.* 18. Cum omnibus pacem habentes, 477, 1. — Cap. xiv, 10. Omnes stabimus ante tribunal Christi, 618, 1 : *vers.* 14. Confido in Domino Jesu, 134, 2. — Cap. xv. 5. Deus patientiæ et solatii, 138, 1.

EX I AD CORINTH. — Cap. i. 20. Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi, etc. 338, 2; 573, 2. — Cap. iii. 3. Cum sit inter vos zelus et contentio, etc. 177. 1 : *vers.* 8. Unusquisque propriam mercedem accipiet, 656, 2 : *vers.* 17. Templum Dei sanctum est, etc. 606, 2 : *vers.* 19. Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum, 99, 1; 378, 2 : *ibid.* Comprehendam sapientes in astutia eorum, 138, 1. — Cap. iv. 4. Nihil mihi conscius sum, etc. 115, 2; 231, 2; 265, 1; 340, 2 : *vers.* 7. Quid habes quod non accepisti? 637, 2 : *vers.* 9. Spectaculum facti sumus mundo, etc. 26, 2 : 589, 1 : *vers.* 10. Nos stulti propter Christum, 562, 2 : *vers.* 12. Maledicimur, et benedicimus, 401, 1. — Cap. v. 5. Judicavi tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, etc. 57, 2. — Cap. vi. 7. Quare non magis injuriam accipitis? etc. 177, 2. — Cap. vii. 28. Tribulationem tamen carnis habebunt ejusmodi, 383, 2. — Cap. viii. 1. Scientia inflat, 623, 2. — Cap. ix. 9. Numquid de bobus cura est Deo? 734, 2; 743, 1 : *vers.* 22. Factus sum infirmis infirmus, 734, 1 : *vers.* 25. Omnis qui in agone contendit, etc. 41, 1. — Cap. x. 13. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, 33, 2. — Cap. xi. 31. Si nosmetipsos dijudicaremus, etc. 308, 2. — Cap. xiv. 9. Eritis enim in aera loquentes, 335, 1 : *vers.* 38. Si quis ignorat ignorabitur, 150, 2. — Cap. xv. 6. Quidam autem dormierunt, 85, 1 : *vers.* 8. Novissime autem omnium tanquam abortivo visus est et mihi, 89, 2 : *vers.* 19. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus, 456, 1 : *vers.* 22. In Christo omnes vivificabuntur, 85, 2 : *vers.* 32. Ad bestias pugnavi Ephesi, 147, 2 : *vers.* 51. Omnes quidem resurgemus, etc. 327, 1.

EX II AD CORINTH. — Cap. i. 3. Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, 138, 1; 356, 2 : *vers.* 12. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, 243, 1. — Cap. iii. 13. Sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, etc. 281, 1. — Cap. v. 10. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, 618 1. — Cap. vi. 10. Nihil habentes, et omnia possidentes, 793, 2. — Cap x, 18. Non qui seipsum commendat ille probatus est, 234, 2. — Cap. xi. 23. In laboribus plurimis, 131, 2.

EX EPIST. AD GALAT. — Cap. i. 10. An quæro hominibus placere? 173, 1. — Cap. iv. 19. Filioli mei, quos iterum parturio, 733, 2. — Cap. vi. 8. Quæ seminaverit homo, hæc et metet, 106, 1.

EX EPIST. AD EPHES. — Cap. i. 2. Qui operatur in filios diffidentiæ, 756, 2 — Cap. ii. 4. Deus qui dives est in misericordia, 167, 2; 415, 2 : *vers.* 14. Ipse est pax nostra, etc. 149, 1; 477, 1. — Cap. iii. 20. Qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, 688, 1. — Cap. iv. 29. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, 32, 1. — Cap. v. 11. Nolite communicare infructuosis operibus tenebrarum, 80, 1. — Cap. vi. 11. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare, etc. 227, 2 : *vers.* 12. Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, etc. 52, 1; 227, 2.

http://www.obrascatolicas.com

EX EPIST. AD PHILIPP. — Cap. I. 23. Desiderium habens dissolvi, etc. 93, 1. — Cap. II. 1. Si qua viscera misericordiæ in vobis, 167, 1 ; *vers.* 3. Nihil per contentionem, etc. 177, 2: *vers.* 15. Lucetis sicut luminaria in mundo, etc. 281, 1. — Cap. III. 20. Nostra conversatio in cœlis est, 414, 2; 702, 2; 741, 1.

EX EPIST. AD COLOSS. — Cap. I. 15. Primogenitus omnis creaturæ, 390, 2 : *vers.* 27. Christus in nobis spes gloriæ, 415, 2: *vers.* 29. In quo et laboro certando, 131, 2. — Cap. II. 15. Palam triumphans illos in semetipso, 756, 1. — Cap. III. 3. Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, 94, 1 : *vers.* 12. Induite viscera misericordiæ, 101, 1. — Cap. IV. 6. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, 159, 2.

EX I AD THESSAL. — Cap. IV. 15. In jussu et voce archangeli, etc. 327, 1. — Cap. V. 2. Dies Domini sicut fur in nocte, 541, 2.

EX II AD THESSAL. — Cap. II. 10. Mittet illis Deus operationem erroris, 290, 2.

EX I AD TIMOTH. — Cap. I. 19. Habens fidem et bonam conscientiam, 557, 2. — Cap. II. 14. Mulier enim seducta in prævaricatione fuit, 315, 1. — Cap. VI. 7. Nihil intulimus in hunc mundum, etc. 43, 2 : *vers.* 9. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, etc. 29, 2; 354, 2; 375, 1; 430, 1; 434, 1 : *vers.* 16. Lucem habitat inaccessibilem, 227, 1.

EX II AD TIMOTH. — Cap. II. 14. Noli contendere verbis, etc. 177, 1. — Cap. IV. 2. Argue, obsecra, increpa, 458, 2 : *vers.* 8. Quam reddet mihi in illa die justus Judex, 229, 1 : *ibid.* Iis qui diligunt adventum ejus, 213, 2.

EX EPIST. AD TITUM. — Cap. I. 9. Potens sit eos qui contradicunt arguere, 173, 2. — Cap. II. 13. Exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei, etc. 414, 2.

EX EPIST. AD HEBR. — Cap. I. 14. Administratorii spiritus, 22, 2. — Cap. IV. 13. Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, 23, 2; 301, 2; 521, 2; 561, 1; 609, 1. — Cap. VI. 7. Terra venientem super se bibens imbrem, etc. 435, 1; 523, 2. — Cap. X. 31. Horrendum incidere in manus Dei viventis, 230, 2; 303, 1 : *vers.* 32. Magnum certamen sustinuistis passionum, 400, 1. — Cap. XI. 4. Abel testimonium consecutus est esse justus, etc. 369, 1. — Cap. XII. 6. Quem enim diligit Dominus castigat, 46, 1; 142, 2; 444, 1. — Cap. XIII. 8. Jesus Christus heri et hodie, etc. 207, 2 : *vers.* 9. Optimum est gratia stabilire cor, 125, 1 : *vers.* 13. Exeamus ad eum extra castra improperium ejus portantes, 562, 2.

EX EPIST. JACOBI. — Cap. I. 2. Omne gaudium existimate fratres, etc. 47, 1 : *vers.* 5. Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, 554, 1 : *ibid.* Qui dat omnibus affluenter, 6, 2 : *vers.* 8. Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis, 170, 1 : *vers.* 10. Dives sicut flos fœni transibit, etc. 317, 2 : *vers.* 14. Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus, etc. 85, 1 : *vers.* 20. Ira viri justitiam Dei non operatur, 385, 2 : *vers.* 27. Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, 619, 2. — Cap. II. 2. Si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, etc. 620, 2. — Cap. III. 2. Si quis verbo non offendit, hic perfectus est, 7, 2; 49, 2; 179, 1 : *vers.* 3. Equis frœna in ora mittimus, 737, 2 : *vers.* 6. Lingua ignis est, etc., 176, 1. — Cap. IV. 11. Qui enim detrahit fratri, detrahit legi, 418, 1 : *vers.* 15. Vapor est ad modicum parens, 196, 1; 208, 1 : *vers.* 16. Nunc exultabitis in superbiis vestris, 282, 1. — Cap. V. 10. Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris, et patientiæ, prophetas, etc. 796, 2.

EX I S. PETRI. — Cap. IV. 17. Tempus est ut incipiat judicium a domo Dei, 608, 1. — Cap. V. Deus superbis resistit, etc. 311, 2 : *vers.* 8. Tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, 25, 1; 107, 2; 743, 2.

EX II S. PETRI. — Cap. I. 14. Velox est depositio tabernaculi mei, 736, 1. — Cap. II. 8. Aspectu et auditu justus erat, 3, 2.

EX I JOAN. — Cap. II. 27. Unctio ejus docet vos de omnibus, 554, 1. — Cap. III. 21. Si cor nostrum non reprehenderit nos, etc. 243, 2; 249, 1, 336, 2. — Cap. IV. 1. Nolite omni spiritui credere, 775, 1 : *vers.* 4. Major est qui in vobis est quam qui in mundo, 373, 2.

EX EPIST. S. JUDÆ. — Cap. I. 35. Soli Deo gloria et magnificentia, 268, 1.

EX APOCALYP. — Cap. II. 4. Charitatem tuam primam reliquisti, 662, 1 : *vers.* 10. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, etc. 60, 1; 398, 2. — Cap. III. 11. Ecce venio cito, 229, 1. — Cap. VI. 10. — Usquequo non judicas, etc. 475, 2. — Cap. IX. 5. Quærent homines mortem, et non invenient eam, 93, 1. — Cap. XII. 3. Ecce draco magnus et rufus habens capita septem et cornua decem, etc. 520, 2 : *vers.* 12. Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos, 60, 1; 755, 2; 782, 2. — Cap. XIV. 13. Beati mortui qui in Domino moriuntur, etc. 85, 1; 234, 1. — Cap. XX. 2. Et apprehendit draconem, etc. 37, 1 : *vers.* 12. Et judicati sunt mortui, etc. 329, 2. — Cap. XXI. 3. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, 392, 2 : *vers.* 4. Mors ultra non erit, etc. 381, 2. — Cap. XXII. 11. Qui in sordibus est, sordescat adhuc, 675 ; 1 : *vers.* 15. Foris canes et venefici, etc. 532, 1.

INDEX

RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM

QUÆ IN HOC LIBRO CONTINENTUR.

A.

Abnegatio sui necessaria, *pag.* 377, *col.* 2.
Abortivus pro non nato censetur, 258, 2 : abortivi qui, et quales, 89, 1.
Abraham spe præmiorum suffultus fuit, 183, 1 : se ipsum *terram* et *cinerem* vocat, 332, 1 : cum Sara dicitur a Scriptura senex, cur? 637, 1.
Absinthium peccati symbolum. 588, 1.
Abundantia rerum terrenarum noxia, 281, 2.
Acceptio personarum invisa Deo, 300, 2.
Accincti idem qui strenui, 707, 1.
Accinctio fortes decet, 751, 2.
Accipiter quomodo plumas innovet, 745, 1 : typus proficientium et perfectorum, 746, 1.
Acerba dulcescunt consuetudine, 160, 1.
Achab cilicio Deum placavit, 363, 1.
Achitophelis consilium dissipatum, 138, 2.
Actio est virtutis indumentum, 571, 2.
Adolescentia est index futuræ senectutis, 421, 1 : adolescentiæ dies quales, 565, 1.
Adventus Christi desiderandus, 416, 2.
Adversa in prosperis præmeditanda, 97, 1 : adversæ res subserviunt justis ad gloriam, 769, 2.
Adversitas justis prospera fit, 184, 2.
Adulatio noxia, 175, 1.
Adulter amat caliginem, 501, 1 : est timidus et fugax. 501, 1 et 2; 502, 1 : adulterorum pœnæ quales, 613, 2.
Adulterium iniquitas maxima, 613, 1.
Ægros solandi ratio christianorum, 409, 2.
Ærumnis cinguntur electi, 359, 2.
Æstus est symbolum laboris et virtutis, 721, 2.
Æternitas qualis, 689, 2; 690, 1 : omnia simul habet, et soli Deo competit, 247, 2; 248, 1 : æternitatis est utilis consideratio, 276, 1.
Affectus pius est medulla orationis, 271, 2 : affectus sunt animi pedes, 313, 2; 490, 1.
Afflictio Jobi sine cessatione, 233, 2: non est addenda afflicto, 312, 1 : non semper ob culpam venit, 130, 1 : afflictio temporalis non est signum vitiositatis, 638, 1: afflictionis piorum et impiorum discrimen, 256, 1: afflictiones Jobo gloriosæ, 54, 1 : sunt remedium superbiæ, 647, 1.
Afflicto insultare ferinum est, 280, 1. Afflictum affligere crudelitatis est, 411, 2.
Altercatio vitanda, 177, 1.
Aman repente factus miser, 126, 2.
Ambrosius spe præmii multum in morte solabatur, 183, 1 : libere reprehendit Theodosium, 459, 1.
Ambulare cum Deo quid, 653, 2.
Amici ficti qui, 405, 2 : infidi amici cum torrente comparati, 167, 2 : non permanent in tribulatione, 168, 1. Jobi amici quales 99, 1 et 2 ; erant viri probi, 120, 1 : amici sunt pauci in adversis, 71, 2 : amicorum affectus ægrorum solatium est, 409, 2.
Amicitia humana fallax, 168, 1 : vera amicitia unde noscatur, 71, 1.
Amor prolis quantus, 740, 1.
Angeli dicti *filii Dei*, et cur, 21, 2; 710, 1 : erga homines munifici, 648, 1 : inducunt ad pœnitentiam, 650, 1 : sunt innumerabiles, 514, 1 : laudant mysterium incarnationis, 710, 2 : negotia nostra moderantur, 22, 2: non sunt mundi cum Deo comparati, 340, 1 : nos ad Deum convertunt, 649, 1 : nos illuminant, 121, 2 : sunt omni studio venerandi, 122, 1 : quomodo assistant Deo, et quomodo sint in loco, 22, 1 et 2 : sunt milites Dei, 514, 1 : præceptores hominum, 121, 2 : tutores nostri, 121, 1 : 122, 2 : angelorum custodia in nocte qualis, 672, 1 : conferentia qualis, 21, 2 : varia angelorum circa homines ministeria, 22, 2 : angelica natura qualis; etiam defecit, 115, 2.
Anima carni serviens misera, 594, 2 : omnibus potior est, 31, 2 : quo pergat a morte, 517, 1 : rebus omnibus præferenda, 56, 2 : vento comparata, 558, 2 : animæ peccatricis fœtor ingens, 185, 2: *animan in manu portare* qui dicantur, 304, 2: animam pluris facit diabolus quam ipse peccator, 156, 2.
Animus inordinatus sibi pœna est, 199, 2. Animus Jobi infractus, 59, 2 : animi demissione mitigatur Deus, 311, 2.
Antichristus ex sceleribus conflatus, 776, 1.
Antidota amara sunt salutaria, 69, 1.
Antiphon instituit artem consolandi mœrentes, 355, 1.
Antiquitas consulenda, 206, 2.
Anxietas spiritus omnium gravissima, 401, 1.
Apostoli fulminibus comparati, 529, 2 : gaudebant afflictionibus pro Christo, 400, 2 : sunt mystici cœli, 528, 2 : sunt mystici cervi, 734, 1.
Apparitiones spirituum bonorum et malorum quales, 112, 1.
Appellatio non datur apud Deum, 229, 2.
Aqua etiam rupes excavat, 331, 2 : hieroglyphicum abundantiæ, 341, 1 : hieroglyphicum tribulationis, 469, 2. aquæ lustralis ritus antiquus, 241, 2: aquæ symbolum fœcunditatis, 288, 2; 466, 1 : aquarum magna differentia, 364, 2 : earum productio mirabilis, 711, 2.
Aquila typus hominis contemplativi, 747, 1 : aquila spiritalis qualis, 747, 2. aquilæ natura et nidificandi ratio, 746, 1: aquilæ varia acceptio, 748, 1.
Aquilo serenat aerem, 704, 1.
Aranea symbolum tabitudinis, illius tela res futilis, 211, 1; 212, 1 et 2.
Arbores quomodo vivant et moriantur, 323, 1.
Arcturus symbolum cœlestis gloriæ, 723, 2.
Arguere impium potentem difficile, 458, 1. *arguere* quid significet, 173, 2; 459, 1.
Armilla quid, 767, 1.
Arrogantium species quatuor, 637, 2 : eorum doctrina inflata, 639, 1; 643, 1, 678, 1.
Arundo symbolum assentatorum, 763, 2.
Aspectus Dei animam venustat, 679, 1 : mortuorum aspectus nos erudit, 459, 2. Aspectus et auditus peccati illices, 3, 2.
Astra matutina casui proxima Deo placent, 711, 2.
Ate malefica dea, 25, 2.

http://www.obrascatolicas.com

Atlas cœli portitor, 231, 1.
Atlantes solem exsecrantur, 81, 2.
Attali miser exitus, 86, 2.
Attentio Jobi in orando, 366, 2.
Auctoritas non debetur annis, sed moribus, 636, 2.
Auræ tenuis vox quid significet, 113, 2.
Aures audiendi quales, 109, 1.
Aurora solis justitiæ quæ, 714, 2 : auroræ palpebræ quales, 83, 2.
Aurum avaris sole gratius, 622, 1 : cur omnipotens dicatur, 480, 1 : est symbolum divinæ sapientiæ, 545, 1 : etiam regum animos oppugnat, 683, 2 : non hominis, sed domus gloria est, 88, 2 : non satiat hominem, 11, 1. Auri et argenti proventus qualis, 545, 1.
Auster cur sit calidus, 701, 2. Austri interiora qualia, 225, 2; 699, 2.
Auxilium Dei facile, 482, 1.
Avarus caput aspidum sugit, 429, 2 : cor habet in nummis, 429, 1 : est divitiarum servus, 540, 1 : est hypocrita, 534, 1 : insatiabilis, 433, 2. Avari opes male pereunt, 128, 1 : avari chimæras sibi fingunt, 434, 1 : devorant pauperes, 433, 1 : sunt idololatræ et truculenti, 282, 1 et 2; 537, 2. Avarorum inhumanitas, et status detestandus, 428, 2 ; 465, 2; 466, 1. Avaritia expellit omnem virtutem, 433, 2 : avaritiæ fœtus pestilentes, 436, 1 : illius tyrannis magna, 282, 1.

B.

Balæna captu difficillima. 767, 1 : non cicuratur, 770, 1.
Baldad promittit Jobo converso omnia prospera et bona prioribus majora, 266, 1 : provocat ad antiquitatem, 206, 2.
Baltassaris fatum, 155, 1 ; 447, 2.
Balteus quid, et unde dictus, 291, 1.
Baptizati non sunt tentationum expertes, ut docet Jovianus, 180, 1.
Basis terræ qualis, 709, 2.
Beatitudinis desiderium ejusdem pignus est, 415, 2.
Behemoth quid significet, 754, 1 : typus Antichristi, 759, 1 : typus diaboli, 755, 1.
Bellum habemus expers *induciarum*, 180, 1.
Benedicere per antiphrasin quid, 31, 2 : quid in Scripturis, 18, 1 : benedictio morituri qualis, 570, 1.
Beneficia præterita futurorum arrhæ, 415, 1.
Benignitas Dei in peccatores quanta, 474, 1 ; 509, 2.
Bestiæ sua quoque tempora observant, 699, 2 : sanctis obsequuntur, 147, 1.
Blasphemia quale peccatum, 685, 2.
Boni et *non boni* definitio, 665, 2 : bona minora pro majoribus expendenda, 545, 2 : numquam in pejorem partem interpretanda, 28, 2 : temporalia bona pro salute animæ deserenda, 55, 1.
Butyro pedes lavare quid sit, 507, 2.

C.

Calamitates a peccatis causantur, 129, 1 : pictæ sunt calamitates hujus vitæ respectu futurorum, 676, 1. Cui liceat imprecari calamitates, 436, 2 : calamitosum est fuisse felicem, 563 1.
Calamus est symbolum assentatorum, 763 2 : calamus quassatus non confringendus, 312, 1.
Calumnia magnanimitate superanda, 146, 1 : quantum malum sit, 145, 2.
Calumniantium arma qualia, 412, 2. Calumniatoris lingua armata, 141, 1 et 2.
Cantus mollis animum effeminat, 446, 2.
Capitium tunicæ quale, 594, 1.
Cardines cœli qui, 470, 2.
Carmen in nocte est lætitia in tribulatione, 672, 2.
Carnales homines vocantur lutei, 117, 1 ; 594, 2 : carnalium dulcedo vermes, 506, 1.
Caro libidinosi dolet, 333, 2 : caro nostra est exactor rigidus, et est cum discretione regenda, 736, 2. Carnis bellum intestinum, 181, 2 : carnis peccatum abominabile, 393, 2 : putredo, 185, 1 : carnem lacerare qui dicantur, 304, 1.
Cassia quid, 795, 1.
Casti organa lasciviæ suspenaunt, 601, 2 : sunt hæreditas Dei, 606, 1. Castitas reddit hominem sanctum, 607, 2 : est regalis virtus, 291, 1.
Castigatio filiorum qualis, 411, 1.
Causa cadit quisquis cum Deo contendit, 114, 1.
Cella continuata dulcescit, 578, 1 : et est nidus religiosorum, 577, 1.
Celte quid, 413 1.
Certaminum spectator Deus, 237, 1.
Cervarum partus difficiles, 732, 2.
Cetus quid significet, 766, 2 : cur a Deo creatus sit, 772, 1 : non facile potest ab homine capi, 770, 2 : potens in vorando, 778, 1 ; 782, 1 : terret navigantes, 779, 1. Ceti mira curities, 778, 2 : illius sternutatio qualis, 776, 2 : cetum excoriare difficile, 774, 2.
Chaldæi prædones, 36, 2.
Charitas aliena bona sua facit, 91, 2 : est mensura gratiæ, 790, 2 : lex charitas lex Christi, 265, 2.
Christus ægros visitavit diligenter, 410, 1 : cervo assimilatur, 734, 1 : de solis contumeliis in passione queritur, 398, 1 : diabolum alligavit, 770, 2 : Christus est caput Ecclesiæ, 768, 2 : est corona B. Virginis, 402, 1 : est desiderium sanctorum, 592, 2 : flagellis circumdatus, 360, 2; 332, 1 : in signum expositus charitatis, 360, 1 : lapis angularis, 710, 1 : lux in tenebris, et sol noster, 4, 1 ; 213, 2 : pacem dedit discipulis hæreditatem, 471, 1 : sæpe flevit, 364, 2. Christi arma et ornamenta quæ, 753, 1. Christi irati vultus gehenna terribilior, 325, 2.
Christiani expositi in signum persecutionis, 360, 2 : sunt orientales, 13, 2 : messem Judæorum comedunt, 128, 2 : ad mortem damnati gratias agebant, 142, 2.
Chrysostomus (S.) consolator insignis, 355, 2.
Cibi fastidio sunt tristi, 95, 1.
Ciconia pietatis cultrix, 738, 2.
Cilicii antiquus usus, 363, 1.
Ciniphes sunt typus inquietudinis, 459, 2.
Cippus quid ? 313, 2.
Circuitus diaboli qualis, 25, 1 ; 51, 2.
Cithara symbolum felicitatis, 601, 2.
Cito impetrare non est certum signum propitiationis, 33, 1.
Clades filiorum Jobi funestissima, 37, 1.
Clementia elucet in omnibus Dei operibus, 199, 1 : clementia cum severitate temperanda, 583, 2.
Clypeus poeticus qualis, 480, 2.
Cœlum dicitur Dei habitatio, 368, 1 : est Dei solium, 523, 2 : extenditur super vacuum, 822, 1 : obsignatur quasi liber, 223, 2. Cœlum et terra ulciscuntur impios, 438, 2. Cœli contemplatio ad Dei cognitionem ducit, 669, 2. Cœli cursus Dei nutu sistitur, 222, 1. Cœli ordo mirabilis, 724, 1. Cœli symphonia qualis, 727, 2; 728, 1. Cœli enarrant gloriam Dei, 224, 1 : sunt solidi, 702, 1. Cœlorum ornatus a Deo est, 526, 2.
Cogitatio ærumnarum ærumnis gravior, 158, 1. Cogitationes hominum timidæ ac fallaces, 138, 1 : omnes notæ Deo, 314, 1; 327, 1 : sunt cordis possessiones, 379, 2 : sunt radices operum, 214, 1; 394, 1 : cogitationes terrenæ dissipantur morte, 379, 2.
Cognitio Dei ex creaturis qualis, 285, 1; 693, 1 : cognitio gratiæ pendet a multis quæ possunt fallere, 235, 2. Cognitio sui altera regeneratio, 382, 1 : est difficillima, sed utilis, 227, 1; 328, 2; 689, 2 : est gradus exaltationis, 707, 1 : est fundamentum virtutis, 708, 2 : scientiarum maxima, 193, 1 ; 310, 2.
Collum crassum est signum fortitudinis, et collum erectum superbiæ, 778, 1.
Coluber tortuosus quid signet, 527, 2.
Columba hieroglyphicum simplicitatis, 96, 1.
Columnæ cœli quæ contremiscant, 525, 1 : columnæ terræ quænam, 223, 1.
Commiseratio post calamitatem opportuna, 791, 2.
Compunctio inducit pœnitentiam, 787, 1. Compunctionis motiva quatuor, 646, 2 : utilitas, 193, 1.
Concordia improborum contra Deum, 775, 2; 776, 1 : in cœlestibus quanta, 511, 1 : cordis et linguæ debet esse concordia, 262, 2.
Confessio delictorum panacea, 306, 2 : quomodo fieri debeat, 190, 1 : confessio humilis placat Deum, 630, 1 : sit spontanea, 629, 2.
Confidens in Deo arbori fructiferæ assimilatur, 166, 2.
Congressus hominis cum Deo impar, 242, 2.
Conqueri de Deo potest nemo, 399, 2.
Conscientia bona fiduciæ fundamentum, 249, 1; 297, 1; 336, 1 : reddit audaces, 370, 1 : mala conscientia timidos reddit, *ibid.* : est tortor sui, 343, 1 et 2 : conscientia pura, in morte secura, 275, 1 : conscientiæ bonæ jubilus, 216, 2 : securitas, 633, 1 : conscientiæ cruciatus morte acerbior, 553, 1 : testimonium quale, 234, 2; 243, 2 : tranquillitas magnum bonum, 480, 2 : tribunal quale, 486, 1 : præ omnibus consulendum, 641, 1. Conscientiam examinandi ratio, 192, 1 ; 308, 1 ; 310, 2.
Consilium Dei absconditum, 785, 1 et 2. Consilia Dei sunt hominibus arcana, 495, 1; 498, 2 : consilia impia tandem fiunt manifesta, 294, 1; 439, 1. Consiliarius qualis esse debeat, 290, 1 ; 408, 1 : consiliarii infidi quales, 408, 1.
Consolandi modus quis optimus, 72, 1 : munus quale, 355, 1 ; 356, 1, 583, 2 : experientia discitur, 386, 1 et 2 : consolatio sequitur afflictionem, 648, 2. Consolator dicitur Deus, 197, 2; 356, 2. Consolatores Jobi medici futiles, 298, 1 : medici onerosi quales, 354, 1.
Consortii mali damna quanta, 3, 2.
Constantinus Magnus quam fuerit diligens, 685, 2.
Consuetudo peccandi pessima, 160, 2; 288, 1; 388, 1.
Contemplatio cum actione conjungenda, 184, 2 : est mysticum sepulcrum, 93, 2.
Contendere cum Deo temerarium, 219, 1; 220, 1; 226, 2; 748, 2. Contentio cum Deo perniciosa. 749, 2; 787, 2. Contentio fugienda, 177, 1 ; 178, 1 ; 242, 2 : quam sit mala, 177, 2
Contumelia toleratu gravissima, 397, 1 2 : contumeliis non respondendum, 30, 1.
Conventus olim in portis haberi soliti, 568, 2.
Conversatio interior cum Deo qualis, 566, 1 : conversatio qualis esse debeat, 582, 1.
Conversio ad Deum triplex, illius effectus, 649, 2; 650, 2 : non differenda ad finem vitæ, 716, 1.
Convivia quæ bona sint, 14, 2 : convivia diei non noctis sint opera, et qui frequentanda, 15, 1.
Cor Deo patet, 609, 2; 784 1 : divinis inspirationibus aperiendum, 578, 2 : est hominis principale, 556, 1 : pertinet ad intellectum, est radix consilii, et symbolum vitæ deiformis, 279, 2; 367, 1. Cor principis in manu Dei, 294, 2. Cordis et linguæ concordia sit, 262, 2.
Cornu quid in Scriptura significet, 363, 2.
Cornustibii quid, 795, 1.
Corona præparata qui perdatur, et corona alterius qui capiatur, 663, 1.
Corpus hominis qualiter formatum, 249, 1 ; 250, 1 et 2; 251, 1 et 2 : non est opus diaboli ut volunt manichæi, 181, 2 : est animæ carcer, 117, 1; 191, 1 : est domus lutea, 116, 2; 251, 1 et 2 : exemplar optimæ symmetriæ, 250, 1 : in pulverem resolvendum, 251, 2; 252, 1 : corpus mentem aggravat, 117, 2 : est tabernaculum animæ, 392, 2. Corporis prostratio quale signum, 421, 1. Corpora damnatorum inconsumpta, 432, 2.
Correctio adhibenda non temere, sed opportune, 730, 1 : correptio aliorum difficilis, 299, 2 : est amanda, 300, 1 : correptio Dei utilis, 142, 2 ; 786, 1 ; correptio etiam adhibenda cui scitur non profutura, 637, 2 : correptio proximi quibus incumbat, 299, 2.
Cortices arborum cibus aliquorum, 586, 2 : qui spiritaliter mandent, 587, 1.
Corvus est symbolum ingrati et pullos deserit, 730, 2 ; 731, 2 ; corvorum pulli a Deo nutriuntur, 176, 1.
Crato cujusvis bestiæ conditionem hominis conditioni præfert, 374, 1.
Creata omnia veterascunt, 580, 1. Creaturæ ad Creatorem nulla est collatio, 218, 2. Creaturæ annuntiant Conditorem suum, 265, 1 ; 283, 1 ; 560, 1 : quasi hymnis Deum laudant, 284, 1 : sunt arma Dei, 288, 2.
Crimina sunt sentes, 588, 1.
Crux cathedra sapientiæ christianæ : sapientia in mysterio est Christus crucifixus, 562, 1.
Cucurbita symbolum inanitatis, 349, 2.
Cupiditates strenue debellandæ, 182, 1.
Custodia Dei firma, 199, 1 ; 373, 2 : custodia angelorum in nocte, 672, 1.

D.

Dæmon ad nocendum promptus, 34, 2 : amat otiosos, 764, 1 : astutus tentator, 35, 2 : concilium sanctorum reveretur, 33, 2 : est mendax astrologus, 774, 1 : fit custos virginitatis, 57, 2 : frustra Jobum afflixit, 53, 1 et 2 : est impostor, 114, 2; 758, 2 : in malo obduratus, 778, 2 : in morte sævit, 108, 1; 277, 2 : Jobi custos constituitur, 57, 1 et 2 : nil potest sine permissu Dei, 31, 1 et 2; 33, 2; 38, 2 : nullis armis obstinatio ejus cedit, 779, 2 : omnia facit ut noceat, 114, 2 : est piratæ similis, 781, 1 : sancto cœtui se ingerit : 52, 1 : sanctis potissimum inhiat, 781, 1 et 2 : se cuique accommodat ut fallat, 389, 1 : semel victus non cessat pugnare, 51, 1 : tenebris involvit omnia, 763, 2; 764, 1 : vigilantissimus est in nostram perniciem, 25, 1 et 2. Dæmonis constantia in tentando, 759, 2 : illius fortitudo in lumbis, 757, 2 : *dæmonis ossa* vocantur tentationes, 759, 2. Dæmones in malum conspirant, 38, 1 : ubique latent in insidiis, 180, 2.
Damnati frustra optant dies pristinos, 568, 1 : in malo obdurati, 778, 2 : moriuntur ubi vellent vivere, et contra, 438, 1 : parum de posteris sunt solliciti, 455, 1 : puniuntur sine misericordia, 543, 2 : eorum pœnæ sunt perpetuæ, 432, 2.
Daniel vir desideriorum, 592, 2.
David in omni necessitate cilicium adhibuit, 363, 1 : præ zelo deficiebat animo, 441, 2.
Deceptores Deum non latent, 289, 2.
Decretum Dei nemo potest impedire, 492, 2. Decreta Dei æterna, 690, 2 : immutabilia, 645, 1.
Defectus obliterandi probis operibus, 749, 1.
Defuncti memoria recolendi, 460, 2 : eorum hæreditas putredo et vermes, 383, 1.
Deliciæ peccati vertuntur in fel, 426, 1.
Delicta omnia notantur a Deo, 312, 2.
Delphinus symbolum vigilantiæ, 685, 1.
Denarius nota perfectionis, 398, 2.
Derideri ab amico durum, 280, 1.
Descensus in puncto qui fiat, 447, 2.
Desiderium cœleste non reperitur a carnalibus, 549, 2 : nec ab avaris, 550, 1 : desideria pia sunt animæ vita, 592, 2 : sunt signum gratiæ, 485, 2.

http://www.obrascatolicas.com

Desolatio civitatum est Dei flagellum, 347, 2. Desolationis tempus vacuum, 183, 2.
Destruere et ædificare quid, 287, 1.
Detractor tres simul lædit, 141, 1; 175, 1 : detractores quales, 81, 2; 407, 1; 411, 2.
Detrimenta hujus vitæ parvi facienda, 383, 1.
Deus auctor temporis et supra omne tempus, 495, 1 : cordium scrutator, 784, 2 : custos hominum maxime pœnitentium, 199, 1 : cur diabolum suscitet contra nos, 772, 1 et 2 : dissipat conatus impiorum, 138, 1 : dominium habet perfectissimum, 268, 2 : est oceanus consolationum, 138, 1 : est pater pauperum, 572, 2 : est patronus egenorum, 140, 2; 142, 1, 621, 2 : est totus oculus cuncta perlustrans, 301, 2; 471, 2 : etiam de improbis meretur bene, 474, 1 : etiam dilectis se abscondit, 234, 2; 595, 2 : etiam dum ferit pater est, 68, 2 : etiam justitias judicabit, 232, 1; 240, 1 : exaudit invocatus, 482, 1 : expers iniquitatis, 232, 1; 246, 1; 654, 2 : gloriatur in sanctis suis, 26, 2 : incomprehensibilis, 266, 1; 688, 2; 689, 1; 691, 1 : immensus, 266, 2 : æternus, 247, 2; 248, 1 : invisibilis, 226, 2; 227, 1; 488, 1 : invocandus in necessitate, 133, 2 : judicum judex, 618, 1 : justus judex, 158, 1; 630, 2; 631, 1. Medicus dum tribulat, 143, 1; 157, 1 : multipliciter nos erudit, 673, 2 : naturæ lumine cognoscitur esse, 283, 1 : nemini quidquam debet, 773, 1 : non opus habet nostro consilio, 719, 1 : non passim omnes exaudit, 674, 1 : non permittit diabolo quod vult, 773, 2 : non potest corrumpere judicium, 657, 1; 659, 1 : non tenetur uti forma juris terreni, 662, 2 : nullius auxilio eget, 518, 2 : nunquam affligit aliquem injuste, 492, 1 : nunquam deserendus, 491, 1 : nunquam suos deserit, 255, 1 : occultus et ineffabilis, 704, 1 : omnia videt, 246, 2; 609, 1 : omnipotens, 135, 1; 268, 1 : ordinis auctor et amator, 724, 2 : qua ratione sit altissimus, 469, 2 : quærendus actione et contemplatione, 133, 2 : reddit cuique prout erllis 655, 1 : regit mundum, 657, 1 : replet omnia, scientiarum Dominus, 285, 2 : 463, 1 : scutum inexpugnabile, 134, 2; 144, 2 : sibi ipsi sufficit, 655, 1 : ubique adest, 267, 1; 470, 1; 521, 1 et 2 : videt omnia, 246, 2; 301, 2. Deo debentur omnia referri accepta, 691, 1 : nihil absconditum, 521, 1 : soli innitendum, 481, 1.
Devotio vera non nisi suspiriis et lacrymis obtinetur : illius pabulum fletus, 96, 1 et 2.
Dextera symbolum potentiæ et auxilii, 327, 2.
Diabolus a Christo captus, 770, 2 : ad fallaciam compositus, 191, 1 : est archipirata, 181, 1 : avi comparatur, 132, 1 : bona extenuat, 28, 1 : ceto et draconi similis, 190, 2 : circuit ut explorator, 25, 1 : cognitu difficilis, 774, 2 : cur dicatur non esse, 393, 2 : diligens venator animarum, 782, 1 : dux superborum, 346, 1 : electis maxime insidiatur, 23, 1 : est caput impiorum, 768, 2 : inducit egestatem spiritalem, 778, 2 : leo rugiens, 107, 2 : morosus in tormentis inferendis, 60, 1 : mortis memoriam nobis obliterare conatur, 777, 1 : nunquam dormit, 593, 2 : observat cujusque propensionem, 760, 1 : omnia in malam partem trahit, 56, 2 : peccatorem ligat, 288, 1 : pœnas inferni extenuare conatur, 783, 1 : quomodo capiat homines, 766, 1 : quomodo examinetur a Deo, 23, 2 : quomodo sit principium viarum Dei, 760, 2 : res viles ut splendidas proponit : 777, 2 : est rex superbiæ, 783, 2 : seducit amplis promissis, 375, 1 : suaviter cantando decipit, 760, 1 : sub specie necessitatis laxitatem inducit, 778, 2 : superatus magis timendus, 780, 1 : terram perambulat, 24, 2. Diaboli fortitudo in quo sita sit, 760, 1 : manus quovis tormento gravior, 59, 2 : illius potentiam Deus reprimit, 761, 1 et 2; 762, 1. Diabolum suscitat qui ad perfectionem aspirat, 82, 2.
Dies antonomastice judicium extremum, 229, 1 : mortis sanctorum felix, 77, 2 : dies nativitatis a mundanis celebratur, 78, 2. Cur prima Jobi filia dicta sit *Dies*, 795, 1 : dies peccati detestanda, 77, 1 et 2; 79, 1 : per ditionis manet impios, 458, 1 : pro calamitate sumitur, 396, 1. Dies animæ sunt virtutes, 350, 1 : dies antiqui recogitandi, 460, 2 : dies nostri similes mercenarii, 182, 2 : dies sustinentiæ sunt] proprie] nostri, 77, 2 : vitæ dies cursori similes, 238, 2; 320, 2.
Diluvia ab irato Deo immissa, 289, 1.
Diogenes vanæ gloriæ mancipium, 211, 1.
Disputare cum Deo quid, 297, 2. Disputationes quomodo instituendæ, 178, 1.
Dissimulatio peccatorum noxia, 98, 1.
Dives aut iniquus, aut iniqui hæres, 348, 2 : dives pius ab avaro qui differat, 30, 2. Divites ægre moriuntur, 535, 1 : sunt dispensatores, non domini, 467, 1 : sunt in morte inanes, 453, 2 : non sunt liberi, 735, 2 : obligantur ad opera misericordiæ, 466, 2 : divites sæculi quales, 535, 1.
Divitiæ curas pariunt, 430, 2 : fluxæ non sunt in nostra potestate, 451, 2 : male partæ dilabuntur, 348, 2; 427, 1 : mentem obtundunt, 347, 1 : nil prosunt avaro, 432, 1 : non habentur sine amaritudine, 361, 2 : non sunt malæ, sed earum cupiditas, 30, 1 : non sunt stabiles, 347, 2 : nubem exhalant sordidarum affectionum, 428, 1 : olim sepeliebantur cum defunctis, 88, 2 : quæ minus noxiæ sint, 10, 2 : quando prosint vel obsint saluti, 29, 2 : senectutem accelerant, 443, 1 : sunt steriles virtutum, 351, 2 : sunt arma iniquitatis, 346, 1 : densum lutum, 428, 1 : sunt fragile fundamentum fiduciæ, 622, 2 : sunt retia diaboli, 347, 1; 375, 1 : vomitus fortunæ, 429, 2 : divitiis fidere stultum est, 44, 2.
Docendi modus Dei qualis, 647, 2. Doceri ab imperito periculosum, 399, 1; 673, 2.
Doctoris munus quale, 543, 1. Doctores exemplo docere debent, 413, 2 : doctores mali quales, 292, 2; 666, 2.
Doctrina captui auditorum accommodanda, 581, 2 : non temere ostentanda, 623, 2 : doctrina spiritalis non temere effundenda, 523, 1 : doctrina vera redolet humilitatem, 643, 1.
Dolor Jobi inconsolabilis, 356, 2 : doloris signa externa cum virtute consistunt, 41, 2; 96, 1.
Dolus malus in jure prohibitus, 170, 2.
Domus spiritalis virtutibus construitur, 197, 1. Domus impiorum tinea consumuntur, 213, 1; 393, 2; 539, 1.
Dualitas est causa dissensionis, 13, 1.
Dulcedo impii desinit in vermes, 506, 1.
Duplices exosi, 263, 1; 417, 2 : duplicitas execrabilis, 170, 1; 263, 1.
Δυσβουλία quantum malum sit, 290, 2.

E.

Ecclesia auroræ comparatur, 84, 1 : est vestimentum Christi, 594, 1. Ecclesiæ luctus qualis, 357, 2.
Educatio filiorum maximi momenti, 445, 2; 446, 1 : mala educatio viros effeminat, 423, 2 : educationis liberorum neglectus quam sit noxius, 18, 2; 19, 1.
Egestas multis occasio tentationis, 778, 1.
Electi etiam inter gentes inventi, 4, 2; 359, 2 : hic marcescunt ut in æternum floreant, 593, 1.
Eleemosyna est genus sacrificii, 621, 1 : tollit peccatum, 150, 2.
Elementa sunt quasi Evangelia, 283, 2; 559, 2.
Elephas qualis bellua, 754, 2 : ad naturam hominis accedit præ cæteris, 755, 1 : est animal voracissimum, 762, 2 : quo cibo vescatur, 756, 2. Elephantis bibacitas magna, 764, 1 : illius cauda qualis, 758, 1 : illius robur in quo situm sit, et vis ejus ex umbilico, 757, 1. Elephantes quibus locis delectantur, 763, 1 : quomodo capiantur, 765, 2 : sunt turrigeri, voraces et bibaces, 757, 1; 764, 1.
Eliæ zelus inflammatus, 441, 1.

Eliphazi error qualis, 463, 2; 479, 2 : illius secunda disceptatio cum Jobo qualis, 335, 2.
Eliu quis et qualis, et cur Jobo indignetur, 634, 2 : jactat suam sapientiam, 635, 1; 643, 2 : thrasonice agit, 639, 1 : zelo indiscreto movetur, 635, 2.
Epaminondas multiscius et pauciloquus, 299, 1.
Episcopi perversi quales, 293, 2.
Esse soli Deo competit, 492, 1.
Equus animal bellicosum, 742, 1; 743, 2 : est symbolum Christi militum, 743, 1.
Eruditio Dei qualis, 680, 1.
Eva occasio peccati Adæ, 315, 2.
Exaudit Deus ad utilitatem, non semper ad voluntatem, 132, 2.
Excusationes adumbrant peccatum, 765, 1 : non valent apud Deum, 463, 1.
Exspectatio creaturæ qualis, 515, 1 : est substantia justorum, 103, 1; 416, 1.
Experientia rerum magistra, 338, 2.
Extrema hominis Deus excutit, 716, 1 : extremorum utilis cogitatio, 229, 1.
Ezechias et Job sunt exempla pœnitentiæ, 190, 1; 622, 1.

F.

Fabricatores mendacii quales, 298, 1.
Facies est index conscientiæ, 480, 2 : facies Jobi a fletu intumuit, 364, 1. Faciem abscondere et ostendere quid, 311, 1 : *ad facies* apud Hebræos prioritatem temporis quando denotat, 337, 2.
Fama bona idem quod innocentia, 532, 2 : quomodo quærenda, 395, 2 : fama superborum peribit, 303, 2 : famæ bonæ odor optimus, 277, 1.
Fames durissimum telum, 390, 1 : magistra virtutis 145, 1 : est malesuada, et scelerum remedium efficax, 390, 2; 392, 1.
Famuli ad quid habendi, 11, 2; 12, 1 et 2 : famuli otiosi locustis comparati, strenui vero florere faciunt familiam; famulorum delectus habendus, 12, 1 et 2; 13, 1. Famulis qualiter utendum, 619, 1 : eis stipendia persolvenda, 183, 2.
Favor humanus parvi faciendus, 441, 2.
Febres nos ad inferni cogitationem admonent, 326, 1.
Fel aspidum mortiferum, 426, 1 : symbolum amaritudinis, 361, 1.
Felicitas aliquando custos virtutis, 563, 2 : felicitas impiorum est lapis offensionis multorum, 357, 2; 376, 2 : futilis, 476, 2 : momentanea, 210, 1; 538, 1 : nimia felicitas est mali ominis, 125, 2 : ruinæ proxima, 126, 2.
Feræ sanctis pacificæ, 148, 1.
Ferrum et æs quomodo præparentur, 546, 1.
Festinatio in calamitate periculosa, 103, 1.
Ficus est avari regis typus, 467, 2.
Fides beneplaciti qualis, 378, 1.
Fiducia in Deum sanctorum propria, 134, 2 : in rebus asperis elucet, 305, 1; 359, 2 : fiducia vitæ bene actæ quanta, 243, 2.
Filiæ Jobi cum fratribus hæreditatem cernunt : suæ ætatis erant pulcherrimæ : sunt typus animæ perfectæ, et tres status repræsentant, 795, 2.
Filii adsint sacrificiis parentum, 567, 1 : filii Jacobi dyscoli, et Jobi unanimes, 13, 2; 14, 1 : filii impiorum cito moriuntur, 349, 2 : plerumque pereunt male, 538, 1 : filii plerumque patrissant, 126, 2 : uti culpæ, sic et pœnæ parentum participes, 127, 1; 454, 1 : sunt corona parentum, 401, 2. Filiorum cura magna est habenda, 18, 1 et 2.
Finis impiorum perditio, 277, 1 : vitæ a Deo attenditur, 716, 1.
Flagella Dei salutaria, 161, 2; 410, 2; 486, 2; 596, 2 : in flagellis Deum laudare difficile, 162, 2 : flagellanti Deo gratiæ debentur, 143, 1.
Fletus est pœnitentiæ condimentum, 96, 2 : fletus Jobi quales, 364, 1; 365, 2.
Flores sunt propter fructus, 351, 1.
Flumina sunt supplementum pluviarum, 136, 1.
Fœcunditas est donum Dei, et fructus timentium Deum, 10, 1. Fœcunditas spiritualis uberrima, 443, 1.
Fœnum symbolum mundanæ gloriæ, 210, 1.
Fomes peccati est tinea animæ, 117, 2.
Formatio corporis admirabilis, et non curiose investiganda, 252, 2; 253, 1 et 2.
Formicoleo qualis bestia sit, 108, 1.
Fortitudo qui Deo competat 220, 2; 221; 2 : fortitudo justi fundatur in fide, 743, 2 : enitet in sui ipsius victoria, 744, 1.
Fortuna cæca, insana, et inconstans, 126, 1; 625, 2.
Fragilitas humana Dei commiseratione digna, 319, 1 : qui illius conscius est merito timet, 163, 2.
Fratrum quoque gratia rara est, 404, 2.
Fraus dæmonis persuadet nobis scelera nesciri, 499, 2.
Fucatus ac duplex fugiendus, 417, 2.
Fulgur symbolum promptæ obedientiæ, 725, 2.
Fulmen dicitur coluber tortuosus, 527, 1 : fulminum effectus mirabiles, 696, 2.
Fumus hyeroglophicum inanitatis ac defectionis, 592, 1.
Fundamentum hominis terrenum, 117, 1 : impiorum cum ipsis perit, 473, 1.
Furor Dei in hac vita solum stillat, 676, 1 : furor et ira quid in Deo, 402, 2.

G.

Galli intelligentia qualis, 726, 2; 727, 1.
Gaudium Dei infinitum, 690, 2 : gaudium justorum quantum, 69, 2; 216, 1 : gaudium Deus admiscet tribulationi, 672, 1.
Gemitus Jobi dolore minor, 154, 2.
Genethlion unde dicatur, 179, 2.
Gigas pro quo sumatur, 362, 1 : gigantes qui sub aquis gemant, 520, 1. Gigantes sunt principes et tyranni, 520, 2 : sunt typus superborum, 345, 2 : unde dicti et quales, 472, 2.
Glaciei concretio qualis, 723, 1.
Gladius pro supplicio et vindicta, 417, 2; 761, 2.
Glarea Cocyti quid, 461, 1.
Gloria Dei nostris miseriis opponderanda, 754, 1 : propriis commodis præhabenda, 92, 2 : gloria humana fallax et caduca, 317, 2; 318, 2 : gloriari de puritate sua nemo potest, 339, 2 : gloriari in gladiis et ædificare solitudinem, quid, 86, 2 : gloriatio in scelere pessima, et in justis cavenda, 270, 2; 271, 1; 707, 2.
Gratia Dei sola stabiles facit, 116, 2 : est animæ vita, 253, 2; 254, 1 : gratiæ status nemini perspectus, absque speciali revelatione divina, 235, 1.
Gratiæ Deo in adversis agendæ, 69, 1 : gratiarum actio afflictiones alleviat, 42, 2; 313, 2.
Gratitudinis nota qualis, 47, 1 et 2.
Gressus proborum perficiuntur, 489, 2.
Gurges quid, 691, 2.
Gustus refugit insulsa, 159, 2.

H.

Habitare in civitatibus desolatis, quid, 347, 2.
Habitus sunt vestigia actuum præcedentium, 490, 1.
Hæretici nituntur falsis fundamentis, 665, 1; 721, 2; 788, 1 : sunt contentiosi, et onagris similes, 159, 1; 177, 2.
Halitus leonis teter et gravis, 160, 1.
Harpocrates silentii deus, 442, 1.
Hebræus populus mari comparatus, 713, 1.
Helluonis angustiæ quales, 435, 1.
Hæreditas nostra non datur in hac vita, 537, 2.

http://www.obrascatolicas.com

Hippomenis insignis severitas in filiam in adulterio deprehensam, 614, 2.
Hirundines infidi amici symbolum, 405, 1.
Hispani dum aurum quærunt, veram fidem in Indias invehunt, 547, 1.
Historiæ utilitas, 208, 1.
Hodie et *heri* quid in Scripturis, 207, 2.
Homo bulla, 193, 2: compositus Deo non justificatur, 219, 1: consumitur sicut vestimentum, 314, 2: creatus ad laborem, 130, 2; 132, 2: duplex non est integer, 6, 1: homo est Dei tabernaculum, 566, 1: evanescit ut nubes, 189, 1: ex se nihil est, et potest nihil, 165, 2: homo felix a se calamitoso diversus, 72, 1: est formatus ad Dei imaginem et similitudinem, 642, 1: homo est herbæ similis, 195, 2; 316, 2: incertus, an a Deo exauditus sit, 232, 2: est ipsa calamitas, 401, 2: nascitur in peccato et exosus Deo, 340, 2: nescit quid sibi prosit vel obsit, 227, 2: est putredo et vermis, 516, 2: quomodo spiritaliter reviviscat, 323, 2. Homo superbus est vacuus, 270, 2: transit in imagine, 394, 2; 422, 2: est vanitas et vapor, 208, 1: est vas cinerum, 332, 1: vilis Deo comparatus, 515, 1: homo universa vanitas, 269, 1 et 2; 270, 1: ut flos perit, 189, 1. Hominis magnificatio mira, 196, 2: hominis obliviosi Deus memor est, 196, 2: ejus structura mirabilis, 252, 2: 284, 1. Homini impressa Dei similitudo, 673, 1. Homines vere a diabolo oppugnantur, et ab angelis defenduntur, 21, 1 et 2: ignorant consilia Dei, 495, 1; 498, 2: ut folia cadunt, 311, 1: malum est hominibus placendi studium, 173, 1.
Hospitalitas Jobi quanta, 628, 2.
Humiles a Deo eriguntur, 119, 1; 678, 1: eos exaltat Deus quia solam illius gloriam quærunt, 137, 1. Humilians se exaltatur, 482, 2. Humilitas coram Deo nos exaltat, 197, 2; 678, 1: Deo placet, 595, 2: est secura, 709, 1. Humiliter agendum cum Deo, 231, 1.
Hus patria Jobi ubi sita, et qualis, 3, 1.
Hyades doctores, 225, 2.
Hypocrisis quid, 211, 1 et 2; 307, 2; 681, 1: a Deo alienat, 214, 2: iniquitas maxima, 587, 1. Hypocrita est impius et iniquus, 533, 2: futilis et stultus, 213, 1; 351, 1: hic et in futuro sæculo miser, 535, 1: laborat sine fructu, 213, 1; 741, 1 et 2: est martyr diaboli, 211, 2: non habet fiduciam orandi, 536, 1; 681, 1: scirpo comparatur, 210, 2; 213, 2: sterquilinio similis, 422, 1. Hypocritæ congregatio sterilis, 351, 1: illius regimen est pœna peccantium, 663, 1 et 2. Hypocritæ habent mortem infelicem, 681, 1: operibus suis torquentur, 423, 1.

I.

Ibicum natura et mores, 732, 1.
Idololatria non divinam sed suam gloriam perdit, 670, 1.
Idolum nequit consolari, 298, 1.
Ignatius (S.) aquila cœlestis, 748, 1.
Ignis inferni qualis, 437, 2. Ignis utilitas maxima, 546, 1: ignis est symbolum sapientiæ, 550, 2.
Ignorantia affectata pessima, 664, 1.
Imaginatio ærumnæ ipsamet ærumna gravior, 194, 1.
Imbris dominatus penes Deum est, 523, 1.
Immisericordes non reperient misericordiam, 497, 2; 506, 1: peribunt in die iræ, 169, 1.
Immodestia in templis quantum mali sit, 34, 1.
Immundities tactu maxime contrahitur, 616, 1.
Immutatio sumitur pro resurrectione gloriosa, 326, 2.
Imperfectorum semitæ involutæ, 171, 1.
Impius Deum oppugnat, 345, 1: elevatus deprimitur, 421, 2: inferis gratus accidit hospes, 461, 2: malis suis circumdatur, 344, 1 et 2. Impii radix exsinditur, 349, 1; 394, 1. Impii abutuntur patientia Dei, 507, 2: carnem pascunt, et animam negligunt, 507, 1: Deum a se repellunt, 450, 2: exterminantur, 214, 2: facile pereunt, 118, 2; 119, 2: non implent dies suos, 350, 1: non reverentur Deum, 473, 2: non sunt in memoria Dei, 506, 2: putant se a Deo non videri, 471, 1: sæpe thesaurizant justis, 128, 1; 538, 2: sibi ipsis subvenire nequeunt, 118, 2: sicut fumus pereunt a judicio, 169, 2: subito succidentur, 118, 1; 547, 2: sunt in malo concordes, 775, 2: sunt sicut paleæ ante faciem venti, 453, 2: sunt stulti et ignobiles, 588, 2: tabescent in judicio, 454, 2. Impiorum filii egestate atteruntur, 127, 2; 423, 1: male pereunt, 350, 2: impiorum portio maledicta, 504, 1: eorum superbia pauperes affligit, 377, 1. Impios hic non puniri malum est signum, 443, 2.
Importunitas ubique noxia, 114, 1 et 2.
Improbitas unde dicatur, 353, 1: improbis dulcescit malum, 424, 2.
Impunitas impiorum plurimos offendit, 499, 1.
Inauris symbolum obedientiæ, 792, 2.
Incertitudo gratiæ magna, 235, 1: incertitudo mortis timorem Dei suadet, 228, 2.
Indi una cum auro e tenebris ignorantiæ educti, 546, 2.
Indui quid proprie significet, 185, 1.
Indulgentia perdit liberos, 445, 1.
Infernus est locus miseriæ, 259, 2: confusionis et horroris, 260, 1: est officina dolorum, 326, 1: profundissimus quis, 383, 2. Inferni æstus et frigus quale, 504, 2; 505, 1: inferni consideratio amuletum peccati, 325, 2: locus qualis, 438, 1: tenebræ quadruplices, 259, 2. *Inferni* nomine quid significetur, 325, 1.
Infirmi non est medico præscribere modum quo curetur, 143, 2.
Ingenio et scientiæ non præfidendum, 623, 1.
Ingratitudo Israelitarum in Deum, 474, 2: ingratitudo maxime infame vitium, 32, 1: siccat fluenta gratiarum, 210, 2.
Inhumani a societate hominum excludendi, 465, 2.
Inimicus quomodo diligendus, 627, 1; 686, 2.
Iniquitas bibitur ut aqua, 340, 2: dolorem parit, 106, 1; 288, 1: semper timida, 343, 2: subservit probationi electorum, 488, 2: est tenebricosa, 719, 1: iniquitates virum venantur, 204, 2. Iniquus facile desperat, 344, 1: semper dolet, 342, 2: iniqui sunt corpus mysticum dæmonis, 762, 2: vocantur divites, 456, 2.
Injurias reponere pusillorum est, 400, 2: qui injurias tacendo sustinet Deum habet defensorem, 706, 2.
Injusti quæ pararunt alieni rapiunt, 612, 1: injustis gravia sunt verba justorum, 202, 2.
Innocenter pati præstat quam nocenter, 360, 1; 371, 2. Innocentes pauci volunt pati, 53, 1: innocentes hic multi patiuntur, 237, 2. Innocentia Jobi irreprehensibilis, 173, 2: sæpe Dei testimonio probata est, 368, 2. 369, 1: sibi aliisque fuit utilis, 483, 1.
Inquilini qui sint, 405, 1.
Insensibilitas non est virtus, 165, 1.
Insidiatores suis retibus capiuntur, 139, 1.
Insomnia sunt mali ominis, 380, 1.
Inspiratio divina est verbum absconditum, 110, 1.
Intentiones quoque Deus trutinat, 232, 2; 241, 1.
Invidi palpant in meridie, 140, 1: sunt imitatores diaboli, et subito pereunt, 56, 2; 125, 1.
Invidia est vitium pusillorum, 124, 1; non est in cœlo, 91, 1: destruit suum possessorem, 123, 1. Invidiæ remedium est contemptus terrenorum, 125, 1.
Inundationes aquarum terribiles, 288, 2.
Ira pro mœrore ac animi ægritudine, 154, 2. Ira Dei formidabilis, 229, 2; 622, 1: reservata gravior, 329, 2; 330, 1, 720, 1: variis symbolis expressa, 229, 2: mari et vento comparata, 106, 2; 713, 2. Ira occidit animam, 123, 2; 385, 2: possessorem suum destruit, et vix distat ab insania, 123 1 et 2.
Iracundus sibi ipse nocet, 385, 2.

Irrisiones impiorum contemnendæ, 377, 1. Irrisorum Jobi ferina indoles, 585, 2; 586, 1.

J.

Jactabundus est omnibus odiosus, 279, 1. Jactantia sui ipsius insipida, 637, 2.
Jecur est officina sanguinis, et designat locupletes, 361, 2: Ecclesiæ jecur quando effunditur, 361, 2.
Joannes Baptista (S.) cilicio usus est, 363, 2: Christum mundo indicavit, 550, 1: cur nemo illi similis, 27, 1.
Job quis et quando vixerit, *Præfat.* LX: ab uxore neglectus et contemptus, 42, 2: ad judicis munus a natura comparatus, 571, 1: ad nihilum redactus, 592, 1: æqui rectique tenax, 629, 2: a propriis servis despectui habitus, 405, 2: amicos Deo conciliat, 788, 2; 789, 1: Christi figura perfecta, 406, 1: fuit circumdatus afflictionibus, 663, 2: contemptor rerum inanium, 624, 2: contemptus et illusus, 588, 2; 589, 1 et 2: contra Satanam inducitur in duellum, 27, 2: coram Deo et hominibus virtute fulgebat, 571, 1: cur in sterquilinio sederit, et testa saniem raserit, 60, 2; 61, 1 et 2; 62, 2; 63, 1: datur in mediatorem, 788, 2: eloquens rhetor, 309, 2: erat oculus cæco et pes claudo, 572, 1: erat pater pauperum, 572, 2: ex qua uxore posteriores filios genuerit, 794, 1: exemplum pœnitentiæ, 787, 2: igne tribulationis excoctus, 610, 1: in amicis excipiendis humanus, 792, 1: in exemplum nobis datus, 796, 2: in quo insipienter locutus sit, 785, 1: in signum expositus tolerantiæ, 360, 1: in summis doloribus cilicio usus, 363, 1: in verbis consideratus, 75, 2: in verbis non peccavit, 48, 1 et 2: erat longævus, 796, 1 et 2: magnus inter orientales, 13, 1 et 2: mala recipit pro bonis, 599, 2: miserorum causas investigabat, 573, 1: mœrentium consolator, 583, 1: nihil ex impatientia dixit, 75, 2: non erat servus divitiarum, sed dominus, 625, 1: omnia recepit duplicia, 793, 2: pabulum vermium, 593, 2: pactum init cum oculis, 602, 1. Deo charus fuit, et perfectissime rectus ac justus, 5, 1; 8, 1: perfectissime sanctus, 27, 1: prophetico spiritu dotatus, 787, 1: proverbium infelicitatis, 375, 2: qualiter uxorem reprehenderit, 66, 2: quanto tempore vexatus fuerit, 64, 1 et 2: quantum profecerit Dei monitione, 786, 1: quibus armis decertaverit, 63, 1; 64, 2; 65, 1: fuit recti tenax, 611, 1: restitutus pristinæ felicitati iterum agnoscitur ab amicis, 791, 2. Fuit rex et sacerdos, *Præfat.* LXI: spectaculum Deo gratissimum, 58, 2: tentatus Deum glorificat, 69, 2: 70, 1: tribulationibus circumdatus, 590, 1 et 2: typus Christi, *Præfat.* LXIII. Jobi commiseratio in afflictos eximia, 599, 1: illius fortitudo quanta, 40, 1: ejus genus et familia, et illius in servos æquitas, 617, 1: ejus mœror ingens, 600, 2: ejus verba non indignationis, sed doloris, 156, 2. Jobi liber est vera historia, et canonicæ auctoritatis, difficilis et obscurus. *Præfat.* LXI. Jobo cur nemo similis dicatur, 27, 1.
Jordanis viros sanctos designat, 704, 2.
Joseph exemplar divinæ providentiæ, 139, 1.
Josue solis cursum stetit, 223, 1.
Judæorum malum ex umbilico incircumciso, 750, 1: eorum messem comedunt christiani, 128, 2.
Judas apostolatum amisit, et laqueo se suspendit, 353, 1; 662, 2.
Judex Dei nullus 243, 1: ab ira sibi caveat, 683, 2: munera recuset, 683, 2: personas non accipiat, 684, 2: sit incorruptus, 660, 2. Judices pupillorum et viduarum brachia sint, 468, 2: sine oculis et manibus cur pingerentur, 238, 1. Judicum perversio quantum mali, 290, 2. et eorum dignitas quanta, 290, 2.
Judicium Dei ab humano diversum, 369, 2: in memoria sanctorum, 319, 2: irrefragabile, 617, 1; 661, 2: tremendum, 201, 1; 517, 1. Judicium est diadema viri justi, 572, 1: extremum terribile, 277, 2: etiam justis formidabile, 188, 2; 302, 2: principibus durissimum erit, 617, 2: temerarium cavendum, 788, 1. Judicii dies ordinabit omnia, 475, 2: divini severitas, 232, 1; 240, 2; 320, 2. Judicia Dei arcana sunt reverenda, ea improbare vanum est, 531, 1; 537, 1; 724, 2: metuenda, 228, 1; 302, 1: nos perplexos reddunt, 531, 1. Judicia in corde disponenda, 486, 1: cur olim judicia in portis civitatis habebantur, 127, 2.
Judith cilicio se muniebat, 363, 2.
Juniperi radix avaritiam refert, 587, 1.
Jurandi formula Hebræorum, 531, 1.
Jurisdictio Dei in omnes, 456, 1.
Justitia Dei incorrupta, 203, 2; 204, 1: cuique dat pro meritis, 147, 2; 610, 2: ubique agnoscenda, 654, 2. Justitia est lux, 719, 1: est statera æquitatis, 610, 2: fons omnis justitiæ, sive homini sive angelo, 203, 2: justitia humana incerta et imperfecta, 231, 2.
Justus acervo tritici comparatus, 152, 1: addit manibus fortitudinem, 377, 2; 378, 1: circumvenitur dum arguit peccatorem, 458, 2: nemo compositus Deo, 115, 1; 218, 2: nescit an Deo placeant opera sua, 96, 1; 235, 1: solus *viri* nomen meretur, 3, 1 et 2. Justum non perire quomodo intelligendum sit, 105, 1. Justi ab impiis ludibrio habentur, 589, 1 et 2: defectus quotidianos non intelligunt, 219, 2: dicuntur peregrini vitæ hujus, 457, 2: etiam in bello tuti, 145, 2: iniquos deridet, 147, 1: lucebunt in judicio, 280, 1: non audiunt vocem exactoris diaboli, 90, 2: non pereunt fame, 144, 2; 145, 1; 146, 2: non possunt certo scire se esse in gratia, 340, 2: obtinent opes impiorum, 128, 1: post mortem vivunt Deo, 367, 2: probantur ut aurum, 488, 2: subsannabunt impios in judicio, 475, 1: sunt homines cœlestes, 702, 2: tacent in judicio iniquo, 308, 2: tenaces virtutis, 141, 2: vocantur pauperes in Scriptura, 456, 2: zelo Dei tabescunt, 601, 1. Justis quantum gaudium, 216, 1: justos Deus servat, 119, 1.
Juvenes probi præferendi senibus stultis, 636, 2: sileant coram senioribus, 635, 1. Juventus prona in voluptates 445, 2.

L.

Labia dolosa execranda, 292, 2; 417, 1: labia Jobi cur integra relicta sint, 408, 2.
Labor impiorum perit, 170, 2: labor est lux mentis, 694, 2: lætitiam parit, 536, 2. Labores compensantur in cœlo, 274, 1: sunt justi compedes, 191, 1. Laborum finis gloriosus, 131, 1 et 2.
Lacrymæ bonæ quæ, 364, 2: infantibus prosunt, 365, 1: lacrymæ malæ et indifferentes quæ, *ibid.*: omnes lacrymæ non decent virum, 365, 2: quæ sint laudabiles, 365, 1. Lacrymarum magna differentia, 364, 2.
Lactis et *mellis* nomine quid denotetur, 431, 1.
Lamentatrices quales, 81, 2.
Lampas contempta lucet coram Deo, 280, 1; 281, 1.
Lapsus aliorum nos docet humilitatem, 662, 1: lapsus ex alto gravior, 101, 2; 596, 2.
Laquei quid in Scripturis, 468, 2.
Latrones qui olim dicti, 403, 2.
Laudatio sui quando licita sit, 297, 1. *Laus* pro statu florenti, 419, 2. Laus Dei maxima liberare oppressos, 58, 2: laus solida et vera, 26, 2; 27, 1. Laus fœtet in ore proprio, 234, 2: laus hominum fallax, 26, 2; 27, 1: laus justi est flagellum diaboli, 28, 1. Laudis primitiæ Deo offerendæ, 711, 1. Laudem pro sacrificio requirit Deus, 481, 2; 626, 2. Laudes occupari vanum est, 271, 1.
Lectus quid mystice, 551, 1; 648, 1.
Leo (S.) furorem Attilæ et Genserici compescuit, 342, 1.
Leo insidiatur onagro, 735, 1: symbolum fortitudinis, 256, 2: symbolum regis ac tyranni, 107, 2.
Leprosi exsecrabiles, 61, 1.

http://www.obrascatolicas.com

Leviathan quid, 82, 1 ; 766, 2; 783, 3 : a solo Christo domatur, 770, 2 : est squamis munitus et typus dæmonis et Antichristi, 767, 2; 775, 1.
Levitas magis cavenda quam austeritas, 582, 2.
Lex quid, 687, 2. Lex Dei quid, 477, 2 : de ore sacerdotis suscipienda, 479, 1 : diligenter servanda, 687, 1 : in corde scribenda, 412, 1 : in medio flammæ cur sit data, 353, 1 : multiplex et una, 264, 2 : reficit animam, 478, 1. Leges Deus nostris viribus attemperat, 686, 1.
Legislatores primi qui, 686, 1.
Liberalitas eximia Dei in pœnitentes, 206, 1. Liberales sunt divites Dei, 534, 2.
Liberi sunt possessio parentum, 10, 2. Liberorum copia est benedictio Veteris Testamenti, 9, 2.
Libertatis spiritu aguntur filii Dei, 201, 2.
Libido pudorem et dolorem gignit, 612, 2 : libidinis flamma exitialis, 614, 2.
Libræ romanæ structura et usus, 610, 2.
Libri Job argumentum, et causa finalis, *Præfat.* LXIV. Libri sunt doctores muti et oblivionis medicamentum, 208, 2; 209, 1.
Lingua astuta cur dicatur blasphema, 337, 1 : est gladius oris, 140, 2 : lingua magniloqua Deo odiosa, 339, 1 : linguæ continentia difficilis, 100, 2 : flagellum quale, 145, 2 : lapsus facilis, 749, 1 : est lubricum instrumentum, 48, 2; 175, 2 : est malum multiplex, 141, 1 : linguam domare difficillimum, 48, 1. Linguosus non prosperabitur, 175, 1.
Locutio Dei qualis, 263, 2 : quomodo cum angelis loquatur Deus et angeli Deo, 24, 2.
Longanimitate Dei abutuntur homines, 329, 2.
Loquax est similis parturienti, 639, 1 : loquacis anima distillat, 174, 2 : loquacitas quale vitium, 174, 2; 261, 1.
Lotio aquæ purificatio antiqua, 241, 2; 242, 1.
Lucerna designat favorem, 565, 1.
Lucifer dictus coluber tortuosus, 528, 1 : lucifer et vesperus quid, 724, 1.
Lucrum dulce, sed noxium avaro, 430, 1.
Luctus mortui septem dierum, 73, 1 : lugentium gestus quales, 72, 1.
Lumbi implentur illusionibus, 758, 1. Lumbi mentis accingendi, 707, 2 : sunt armamentarium diaboli, 757, 2.
Lumen animæ quale, 499, 2 : illud excludunt impii, *ibid.* : lumen naturæ discernit bona et mala, 672, 2.
Luna et stellæ etiam obfuscantur, 516, 1.
Lutum est corporis nostri materia, 250, 2; 251, 1 et 2.
Lux a Deo dispensatur, 693, 2 : amica bonis, 173, 2; 694, 1 : est velut forma rerum, 716, 2 : lux impiorum extinguitur, 717, 1 : justorum qualis, 386, 2 : lux est pravis inimica, 502, 1; 715, 1 : symbolum lætitiæ, 693, 2 : symbolum virtutis et honestatis, 83, 2; 721, 2. *Luæ* et *lumen* in quo differant, 499, 2 : duo præcipui lucis effectus, 715, 1; 718, 2.
Luxuria gignit innumera mala, 503, 2; 607, 2.

M.

Macula in pulchro fœdior, 98, 1 : maculæ quid, 387, 2.
Magistratus quomodo gerendus, 617, 1.
Magistri spiritales cervis comparati, 733, 2.
Magnanimi est innocentiam suam defendere, 432, 1.
Majestas Dei non scrutanda, sed attendenda et suppliciter veneranda 231, 1; 689, 1 et 2; 704, 2.
Mala juste permittit Deus, 246, 1 : quomodo sustinenda, 68, 1. Male acquisita consumuntur, 427, 2. Male esse pejus quam non esse, 76, 1; 92, 2.
Maledicentia quantum malum, 141, 1; 398, 2. Maledici Deo odiosi, 417, 2 : feris comparati, 141, 2.
Maledictionis quis capax sit, 75, 2 : maledictiones Jobi males, 75, 1 et 2; 76, 1 et 2; 77, 1, 2; 84, 1.
Malefici tenebras amant, 502, 2.
Mali fuga est primus gradus justitiæ, 9, 1. Mali a Deo egredi dicuntur, 34, 1 : oderunt lucem, 173, 1.
Maligni tantum in vitia intenti, 358, 2 : eos Deus aversatur, 215, 2. Malignitatis ingenium quale, 28, 2.
Mammonæ stulti serviunt, 451, 2.
Mandata Dei fidelia, 686, 2 : in sinu cordis sunt abscondenda, 490, 2.
Mane diluculo ad Deum consurgendum, et mane Deus placabilis, 205, 1 et 2.
Manus Domini quid, 310, 1; 410, 2 : manus symbolum operationis, 699, 1 : manus aggravatio quid, 484, 2 : manus et oris nexus, 262, 2. Manum osculatur qui sua laudat, 626, 1. Manus puræ ad Deum levandæ, 366, 2 : sunt organum organorum, 272, 1 : symbolum operationis, 366, 1. Manuum extensio est antiquissimus orantium habitus, 271, 2; 366, 2.
Mare Christo et sanctis vadabile, 224, 1 et 2 : symbolum peccatoris, 712, 2 : tempestuosum est symbolum hominis turbati, 781, 2 : mare terminos suos non egreditur, 712, 2. Maris summa obedientia, et illius termini qui, 524, 2; 712, 1; 713, 1 : maria et torrentes separant regiones, 546, 2.
Matutinum tempus propitiando Deo aptissimum, 17, 2.
Maxilla pars sacerdotis e victima, 478, 2. Maxillæ percussio summum opprobrium, 359, 1.
Mazaroth quid, 724, 1.
Mediator inter Deum et hominem Christus, 243, 1.
Medicamenta sunt tormenta, 449, 2. Medicinæ amaræ salubres, 143, 2. Medicus vulnera explicat ut curet, 143, 1. Medici gloria est salus ægri, 200, 1 : medici spiritalis munus quale, 102, 2; 355, 1.
Meditatio clavis veritatis, 192, 2 : illuminat spiritum et accendit ignem amoris, 274, 2.
Melchisedech rex et sacerdos, 292, 1.
Memoria Dei amuletum peccati, 301, 2; 314, 2 : fugat peccatum, 470, 2. Memoria impiorum peribit, 303, 1; 314, 2 : memoria justi sempiterna, 276, 2 : memoriæ interitus magnum censetur malum, 394, 1.
Memorialia regum qualia, 329, 1.
Mendacium occidit animam, 263, 1; 531, 2 : mendacii panis lapidescit, 426, 2.
Menelaus cordatus, 298, 2.
Mercenarii dies quales, 322, 2 : omnes numerandi, 183, 2.
Merces operariorum non fraudanda, 632, 1. Merces ultroneæ vilescunt, 305, 1.
Meridiari quid significet, 498, 1.
Messem impii comedunt alieni, 128, 1.
Metallorum mystica explicatio, 546, 1.
Meteora Dei potentiam declarant, 512, 2.
Militia nostra qualis, 164, 2; 182, 2. Miles Christi gaudet adversis, 743, 2.
Milvus hieroglyphicum rapacis, 348, 2.
Miseria nunquam deest in hac vita, 333, 2. Miseriæ hujus vitæ sunt omnibus communes, 255, 2 : nos faciunt Deum agnoscere, 688, 2 : tenebris comparatæ, 94, 2.
Misericordia quid sit proprie, 167, 1 : in Deo eminet præ cæteris, 167, 2 : Jobi quanta, 619, 1 et 2 : misericordia nobis utilis, et honorifica Deo, 200, 2 : nulla damnatis, 505, 2; 522, 1. Misericordiæ opera merentur Dei benedictionem, 570, 2 : ipsis promissum est cœlum, 657, 1 : misericordiæ cur viscera tribuantur, 167, 1.
Misero gravissimum non videre effugium, 401, 1 : miseris non insultandum, 399, 1 : miserorum tutor Deus, 280, 1.
Molesta cur accidant justis, 237, 1.
Mœror compressus magis torquet, 239, 2. Mœrentium consolator Deus, 137, 2 : artis consolandi mœrentes institutor Antiphon, 355, 1.
Monozoni quales, 589, 1.
Montes absorpti et in planitiem versi et inter se collisi, 331, 1 : montes aurei symbolum felicitatis, 479, 2 : ignivomi sunt fumariola inferni, 325, 2.
Morbi spiritualis indicia, 311, 1; 452, 1 : morbi nos ad inferni cogitationes admonent, 326, 1.
Mores pravi difficile abolentur, 424, 1.
Mors quid, 598, 1 : calcat impios ut rex, 392, 2 : est tinea corporis, 117, 2 : mors impii ac pii valde diversa, 449, 2 : mors impii tristis, 275, 1 : mors impiorum plerumque improvisa, 447, 2; 541, 2; 542, 2. Mors spei fundamentum Jobo, 305, 2 : mors justo læta, 93, 2; 94, 1; 162, 1; 274, 2; 275, 1; 599, 1 : minime timenda justis, 25, 2; 275, 1 et 2 : mors mystica justorum qualis, 87, 2. Mors omnia æquat, 91, 1 : omnibus imminet, 469, 2 : optata justis, 86, 1; 93, 1; 94, 1; 235, 2 : præmeditanda, 260, 2 : privat bonis omnibus terrenis, 439, 1 : est remedium omnium malorum, 89, 1; 92, 2 : mors sanctorum pretiosa, 276, 2; 598, 2 : mors sanctorum requies, 85, 1; 234, 1; 276, 1 : sanctis nunquam improvisa, 93, 1 : somno comparata, 85, 1; 234, 1; 276, 1 : subitanea olim erat genus felicitatis, 447, 1 : vento urenti similis, 543, 2 : vitæ miseræ præferenda, 92, 1 : vitæ similis, 424, 1. Mortis meditatio necessaria, 87, 1 : vitam parit spiritalem, 381, 1; 382, 2. Mortis regio confusa, 259, 1 : mortis viæ plurimæ, 449, 1. Mortem exoptant sancti, 161, 1 et 2 : eam optare nonnunquam licet, 236, 2 : quærenti mors perit, 92, 2.
Mortificatio passionum est genus martyrii, 376, 1 : quietem adfert, 90, 1.
Mortuus naturæ viribus revocari nequit ad vitam, 324, 1. Mortui e sepulcris vocandi, 327, 1 : non curant res mundi, 333, 1 : mortui sæculi curis liberati, 90, 1.
Mulieris forma fallax, 612, 1 : mulieres texendi arte præstant, 726, 2.
Mundani respuunt sapientiam, 556, 1.
Mundus concupiscentia plenus, 782, 1 : datur disputationi hominum, 283, 1 : mundi pompæ mendaces, 603, 2 : mundus est circus agonalis, 179, 2 : schola sapientiæ, 559, 2. Mundi opificium Dei sapientiam demonstrat, 285, 2; 559, 2 : illius laudem resonat, 560, 1.
Munditia quæ salutaris sit, 483, 2.
Munera corrumpunt judicia, 683, 2. Judicum manus inficiunt, 611, 2 : non diligenda, et judicibus interdicta, 351, 2; 352, 1 : qualia Jobo oblata, 792, 2 : tollunt libertatem, 352, 1.
Musica instrumenta lasciviæ fomenta, 446, 2.
Myrmicoleon symbolum diaboli, 109, 1.
Mysteria Dei inscrutabilia, 688, 2.
Mystica theologia qualis, 112, 2 : mystici theologi a Deo eruditiuntur, 673, 2.

N.

Nabuchodonosor exemplum regis impii, 342, 2.
Natura rerum codex S. Antonii, 134, 1; 283, 2.
Necessitates Deo revelandæ, 675, 1.
Negatio petitionis consensu sæpe utilior, 233, 1.
Negligentes temere præsumunt de auxilio Dei, 596, 1.
Nequitia semper timida, 343, 2.
Nervus quid, 313, 1.
Nestor eloquens, 298, 2.
Nix et grando sunt arma Dei, 719, 2 : nix et pluvia dispensantur a Deo, 697, 2.
Nominis boni memoria est merces virtutis, 395, 1. Nominis *Job* interpretationes et mysteria, 4, 2 : Christo congruunt, 5, 1.
Notitia Dei qualis, 247, 1 et 2 : ex creaturis qualis, 265, 1 et 2 : est obscura, 688, 2 : per negationes perfectior, 113, 2. Notitia sui ipsius necessaria, 150, 1.
Nox quieti deputata, 386, 1 : revelationibus accommoda, 110, 2 : symbolum calamitatis, 663, 2. Noctes quæ festivæ sint, 81, 1.
Nubes est Dei thronus, 523, 2 : symbolum vanitatis, 189, 1; 592, 1. Nubes mystice sunt prædicatores, 692, 1 : sunt Dei thronus et currus, 523, 2; 691, 2 : symbolum promptæ obedientiæ, 701, 1 : symbolum protectionis, 687, 2; 691, 2; 692, 1. Nubium pondus quale, 701, 2.
Nuditatis triumphus qualis, 41, 1; 45, 1 et 2.

O.

Obduratio quid, 287, 2.
Obediens fulguri comparatus, 795, 1 : obedientia infatigabilis sit, 726, 1.
Oblivio beneficii summus gradus ingratitudinis, 210, 2 : oblivio extremorum periculosa, 229, 1.
Occulta Deo aperta sunt, 264, 1 : res occultas reddit Deus manifestas, 294, 1; 650, 1.
Oculus affectionum index, 602, 2; 605, 2 : maxime custodiendus, 602, 1; 603, 1; 605, 2 : oculus simplex quid, 7, 1. Oculi impiorum aperiuntur in morte, 454, 2 : oculi sunt proxenetæ libidinum, 604, 1 : seducunt animum, 603, 2 : sunt indices animi, 339, 1. Oculorum aversio est signum iræ, 674, 2.
Œconomiæ ratio quæ sit optima, 150, 1.
Omnipotens quomodo Deus, 135, 1 et 2.
Onager qualis bestia, 158, 2; 734, 2 : symbolum hominis solitarii, 735, 1 et 2; 737, 1 : symbolum vecordis et insani, 271, 1 : typus dæmonis et peccatoris, 159, 1.
Onus peccati gravissimum, 201, 1.
Opera Dei consideranda, 296, 2 : sunt magnifica et infinita, 135, 2; 225, 2 : non curiose scrutanda, 688, 1 : sunt in pondere et mensura, 240, 1; 708, 2. Opera justitiæ nobis prosunt, non Deo, 464, 1 : Deo grata sunt, 464, 2.
Opes sunt fomes superbiæ, densum lutum, et fæces quibus infiguntur avari, 281, 2; 428, 1 et 2.
Opportunitas servanda in monitionibus, 114, 2.
Opprobria superare gloriosissimum, 400, 2.
Oratio mentem rigat, 578, 2; 579, 1 : est levamen afflictionum, 309, 1 : non petat cupiditati grata, 34, 1 : pro inimicis accepta Deo, 790, 2. Orationis fructus est conjunctio cum Deo, 649, 2 : ejus fundamenta quæ, 273, 1 : antiqui in finem orationis pedem attollebant, 367, 1.
Oratoris christiani munus, 698, 2.
Orbis tribus Dei digitis suspensus, 286, 2; 522, 1.
Orbitatis lætitia est arcana, 791, 1.
Ortus hominis ex muliere fons miseriæ, 315, 1.
Os est promptuarium sapientiæ, 176, 2. Ore proprio damnari quis dicatur, 337, 1. Oris apertio signum aut loquentis aut corde auscultantis, 58, 2.
Osculum manus suæ quid designet, 625, 2.
Ossa designant fortes Ecclesiæ, 593, 2.
Οστεοπόρος quid, 111, 2; 112, 1.
Ovis symbolum innocentiæ, 793, 1.

P.

Palæsta quid, 321, 1.
Palma est symbolum justi, 570, 2; 578, 1.
Papyrus quid, ejusdemque usus, 209, 1.
Parabola quid, 209, 1; 530, 1.
Parcæ tres, 186, 1.
Parentis vitium filiorum exitium, 126, 2 : parentes filiorum pœnis torquentur magis quam suis, 423, 1.
Pars inferior superiori subdita sit, 490, 1; 726, 2.
Parva non parvi facienda, 206, 2.
Passio Domini prædicanda, 368, 1.
Passionum sedatio necessaria oranti, 273, 1 : sedes passionum quæ, 181, 2 : passiones cohibere difficile, 376, 1.
Pastor malus est gregis pernicies, 666, 1.
Pater sit centrum filiorum, 566, 2. Patrisfamilias officium quale, 150, 1.
Patientia in propriis detrimentis liberalis, 791, 2 : patientia justorum recreat Deum, 237, 2 : præstat cæteris

http://www.obrascatolicas.com

virtutibus, 39, 2. Patientia Dei non abutendum, 499, 1 : patientia alii salvantur, alii damnantur, 509, 1.
Patriarchæ probi erant inter improbos, 4, 1.
Patrocinium Dei implorandum, 372, 1 : patrocinia sanctorum valida, 789, 1.
Paulus (S.) exemplar laborantium, 131, 1 ; 692, 2 : fidelium precibus se commendabat, 789, 2.
Pauper Deo curæ, 140, 2; 176, 1 : illius refugium Deus, 141, 2; 572, 2. Pauperum oppressio clamat vindictam, 498, 2 : pauperum tutor Deus, 146, 2; 678, 2; 679, 2; 681, 2 : ultor Deus, 604, 1. In paupere sola natura et egestas consideranda, 151, 1. Pauperes scandalizare gravissimum, 497, 1.
Pax Dei concordat omnia, 513, 1 : est inconcussa, 664, 2. Pax bonorum complementum, 148, 2 : pax domestica qualis, 149, 2 : pacis apprecatio formula salutandi, 149, 1 : pax habenda cum Deo, proximo et nobis ipsis, 477, 1 : pax vera ex convitiorum victoria, 400, 1 et 2. Pacis actiones quales, 477, 2.
Peccator nusquam tutus, 224, 2 : sibimet gravis, 199, 2 : sibi, non Deo nocet, 199, 2; 670, 1 et 2 : solus causa perditionis suæ, 129, 2 : stultus sero post pœnam sapit, 454, 2 : traditur in manus iniquitatis, 204, 2 : peccatoris agricultura qualis, 105, 2 : peccatores addunt vulnera super vulnus, 352, 2 : belluis comparantur, 3, 1 : cæci et in tenebris ambulant, 139, 2 ; 295, 1 ; 387, 1 ; 556, 2 : Dei vultum non sustinent, 188, 2 : onagro similes, 228, 2; 587, 2 : eorum misera conditio, 587, 2 : sunt pulveri similes, 720, 2. Peccatores sumus ab utero, 315, 2 : peccatores sunt luci rebelles, 499, 2; 500, 1 ; 502, 1 et 2 : timidi et suspicaces, 389, 2.
Peccatum corruptio et sordes, 587, 2 : cur in Scriptura *clamor* vocetur, 498, 2 : Deum provocat ad vindictam, 107, 1 : ecclesiasticorum peccatum gravius quam sæcularium, 101, 2 : in conviviis facile contrahitur, 17, 1 : inducit rerum confusionem, 608, 1 : sibi pœna fit, 106, 1 et 2 ; 201, 1 ; 588, 1 : solum est malum, 23, 1 : peccatum solus Deus emundat, 320, 2 : peccatum sui ipsius carnifex, 201, 1 ; 389, 2 : temporale peccatum juste punitur æternum, 655, 2 : tenebras menti offundit, 140, 1 : tollit perfectionem universi, 608, 1 : est tyrannicum, 388, 2, 393, 1. Peccati cognitio utilis, et ad pœnitentiam inducit, 783, 1 et 2. Peccati dolores parturientium, 352, 2 : genitura qualis, 85, 1 : lapsus facilis, 515, 1. Peccata a nobis punienda ut ea Deus ignoscat, 308, 2 : etiam post remissionem molestant, 255, 1 : omnia in libro Dei exarata, 328, 2.
Peculium est homini simile, 348, 1.
Pecuniæ proritant cupiditatem, 622, 1.
Pedem in oratione attollendi ritus, 367, 1.
Pellicanus symbolum pœnitentiæ, 577, 2.
Pellis nomen quid significet, 54, 1.
Perdix hieroglyphicum versuti et contumeliosi, 263, 1.
Perfectio in minorum observatione relucet, 152, 2 : lacrymis impetranda, 96, 1. Perfectus homo suum lucrum æstimat quod aliis tribuitur, 91, 2.
Persæ flagellati gratias agebant regi, 143, 1.
Personarum acceptio quid in judicio, 640, 1 ; 659, 2 ; 684, 2 : vetatur, 300, 2 ; 301, 1.
Perturbatio rerum non debet nos percellere, 492, 2 : perturbationes radices habent e corpore, et sunt Satanæ characteres, 181, 2 ; 182, 1.
Petra symbolum virtutis, 668, 1.
Pharao typus peccatoris, 509, 1 : 542, 2 : illius arrogantia punita, 542, 1.
Pharetra Dei qualis, 589, 2.
Pharisaicum est omnia in pejorem partem accipere, 203, 1.
Philosophia Jobi in adversis, 42, 1 ; 44, 2 ; 45, 2 ; 48, 1 : 297, 1 : philosophorum in frænandis animi passionibus perfectio, 148, 2 : eorum sensa de æternitate, 247, 2.
Phison quid, 547, 1.
Phœnix an et qualis avis sit, 175, 6.
Pii mortem optant, 332, 1 : sunt terra desiderabilis, 593, 1. Pietas terram sterilem fœcundat, 148, 1. Pietatis cura præcipua sit, 18, 1.
Pingues ut plurimum stupidi, 346, 2.
Pisces an et qui respirent, 777, 2.
Plasmatio Dei sumus, 249, 2 ; 250, 1 et 2.
Pleiades quales, 723, 2.
Plenitudo dierum qualis, 350, 1.
Pluvia fœcunditatis et supplicii instrumentum, 136, 1 et 2 : est symbolum eruditionis et eloquentiæ, 225, 2 ; 581, 1 ; 691, 1. Deus perfectum habet imbris dominatum, 136, 1 et 2 ; 523, 1 ; 722, 2 : pluviæ prodigiosæ exempla, 289, 1.
Pœna afflictionis non semper ex culpa, 155, 2 : pœna est medicina peccati, 330, 2 : nunquam apud Deum excedit culpam, 155, 2 : propter culpam instituta, 100, 1. Parvæ sunt pœnæ hujus vitæ cum futuris comparatæ, 673, 1 : quomodo dulcescant, 46, 1 et 2 : pœnæ impiorum quales, 437, 2 ; 504, 2.
Pœnitentia facilis et utilis, 307, 1 : in cinere et cilicio qualis, 787, 1. Pœnitentia Jobi accepta Deo, 790, 1 : non procrastinanda, 260, 1 ; 782, 2 : reserat et delet peccata, 339, 2 : pœnitentiæ aquæ frugiferæ, 206, 2 ; 209, 2 : fructus qualis, 480, 1. Pœnitentia abolentur mala, 273, 2. Pœnitentiam procrastinantes in fine pereunt, 169, 1. Pœnitendum de occultis, 328, 1. Pœnitentis veri partes quæ, 245, 1. Pœnitentes liberaliter excipiuntur a Deo. 206, 1.
Portæ mortis sunt pericula peccati, 717, 2.
Posteri impiorum peribunt, 118, 2.
Potentes sæculi moriuntur miseri, 452, 2 : eorum humiliatio, 303, 2 : maximi periculi est arguere potentes, 459, 1.
Potentia Dei elucet in mundi fabrica et concordia, 286, 1 ; 515, 2 : nos debet excitare ad fiduciam, 134, 2 : Potentia Dei elucet in aquis coercendis, et in montibus transferendis, 220, 2 ; 221, 1 et 2 ; 525, 2.
Prædestinatio non cadit sub meritum, 773, 2.
Prædicatio igni et tonitruo comparata, 722, 1 : prædicationis divinæ necessitas, 700, 2 : sine Dei gratia frustra est omnis prædicatio, 287, 1.
Prædicatores sint gallo similes, 727, 2 : sunt mysticæ nubes, 523, 1 ; 692, 2 ; 697, 1 : sunt quasi fulgura, 693, 1 ; 696, 2. Prædicator tacens consumitur, 309, 1 : quomodo increpare debeat, 604, 1.
Prædonum studium quale, 427, 2 ; 497, 1.
Prælati negligentes officio spoliandi, 617, 2 ; 662, 2.
Præmiorum spe animus erigitur, 182, 2.
Præsens tempus bene collocandum, 184, 1. Præsentis Dei consideratio amuletum peccati, 249, 1 ; 301, 2. Præsentiæ Dei consideratio utilissima, 249, 1 ; 471, 1 et 2.
Præsidium Dei firmum, 372, 1 : sanctis patet, 372, 2.
Preces impiorum irritæ in judicio, 769, 2 : preces quæ sint mundæ, 366, 2.
Pretium salutis quale, 349, 2.
Primogenita mors qualis, 390, 1.
Princeps avarus lupo aquilæque similis, 408, 1. Princeps debet esse oculus reipublicæ, 572, 1 : morum medicus sit oportet, 102, 1 : sit vindex pauperum, 574, 1. Principis boni officium quale, 98, 1 ; 570, 1. Principem a fœce hominum irrideri indignum, 585, 2 : principes ægre audiunt veritatem, 440, 2 : principes mali contemptibiles, 293, 1 : magnum Dei flagellum, 293, 2 : nubibus comparati, 700, 1 : nunquam soli pereunt, 520, 2 : sunt orbis portitores, 230, 2 : eorum favor instabilis, 173, 1 : gratia fallax, 404, 2.
Probi non timent argui, 173, 1 : probum inter malos esse laudabile est, 3, 2 ; 4, 1.
Proles numerosa Dei benedictio est, 151, 2 : erat benedictio Veteris etiam Testamenti, 443, 1.

Promissiones temporales non semper implentur, 538, 2.
Proposita bona flori olivæ comparata, 351, 1.
Prosperitas facile mutatur in adversitatem, 597, 1 : hujus vitæ somno similis, 422, 1 : impiorum ruina, 444, 2 ; 453, 1 : instabilis, 597, 1, 625, 2.
Protectio Dei qualis, 146, 1 : est murus adamantinus, 29, 2 : protectio nostra Christus, 372, 2 :
Providentia Dei circa animalia mirabilis, 730, 1 : in corvos, 730, 2 : cuilibet naturæ congruenter agit, 130, 1 : erga hominem miranda, 196, 1 : gubernat omnia, 129, 1 ; 138, 2 ; 492, 2 : sustinet universum, 522, 2 ; 693, 1. Providentiæ est mala futura prospicere, 97, 2 : punire impios, 138, 1 ; 455, 2.
Proximus est alter ego, 150, 2 : proximum ex nobis metiri debemus, 151, 1.
Prudens respondet pro veritate, 154, 1. Prudentes paucíloqui, 298, 2. Prudentia sæculi præpostera, 451, 1.
Pudor quomodo indui dicatur, 216, 2.
Puerilis ætas flexibilis, 454, 2 :
Pulvis sepulcralis nos excitat, 460, 1.
Punctum honoris quale, 420, 2 : punctum jungit et terminat lineas, *ibid.*
Pupilli a legibus defenduntur, et Deo curæ sunt, 175, 2 ; 619, 2 : sunt injuriis expositi, *ibid.*
Purificatio præmittenda orationi, 272, 2.
Puritas accessum habet ad Deum, 17, 1 ; 607, 2 : cordis Deum videt, 273, 2 ; 340, 1 : est servanda, 606, 2 : est quieta dormitio et mystica solitudo, 87, 2.
Putredo corporis Jobi quanta, 184, 2 : putredo nobis pater et mater, 381, 1 ; 383, 1.
Pythagoras silentii magister, 299, 1.

Q.

Quæstiones quomodo decernendæ, 178, 1.
Querelæ Jobi rationabiles erant, 76, 1 ; 241, 1.
Querimonia moderata non illicita, 189, 2.
Quies non est hujus vitæ, 86, 2 : quietis symbolum est lectulus, 551, 1.

R.

Rapina quantum sit flagitium 433, 1. Raptores male percunt, 427, 1.
Ratio reddenda est omnium, 320, 1. Rationum codicem Deus habet, 329, 2.
Rectitudo quotuplex et qualis, 7, 1 et 2.
Refugium nostrum Deus, 142, 1 ; 491, 2.
Rex idem quod *basis populi*, 230, 2. Reges ad vestigia suorum attendant, 573, 2 : debent justitiam diligere, 658, 2 : sunt mortales ut plebeii, 87, 1 : orbem portant, 231, 1 : non debent subditos nimium gravare, 468, 1 : repentinis mortibus expositi, 448, 1 : sunt instrumenta Dei in pœnam vel utilitatem, 657, 2 ; 666, 1.
Religiosi se suaque Deo debent, 58, 1.
Remoræ in mari vis quanta, 62, 1.
Renovatio spiritualis qui fiat, 745, 2 ; 746, 1.
Repente tam bona quam mala accidunt, 34, 2.
Reprehendere quam reprehensionem ferre facilius, 355, 2 ; 459, 1. Reprehensio post laudem amarior, 101, 1.
Reprobatio culpam sequitur, 287, 2.
Resignatio perfecta qualis, 46, 2.
Resistere Deo nemo valet, 287, 1.
Respondere Deo difficile est, 228, 2 ; 234, 2.
Resurrectio a Jobo prædicta, 413, 2 ; 414, 1 : est altera nativitas, 326, 2 : Jobi solatium, 414, 2 : non ante finem mundi fiet, 324, 2 : spiritalis qualis, 327, 1. 456, 1.
Retributio cuique fit post hanc vitam, 737, 1 et 2.
Rhinoceros quale animal sit, 90, 1.
Robur humanum mera imbecillitas, 581, 1.
Ros symbolum eloquentiæ, 358, 2.
Rugæ sunt symbolum duplicitatis, 107, 2.
Rugitus leonis terribilis, 779, 2.
Ruinis aliorum erudimur,

S.

Sabæi latrociniis diditi, 35, 1.
Saccus quid? est signum luctus et pœnitentiæ, 362, 2 : antiquus illius usus, 363, 1.
Sacerdos *os Domini* dictus, 478, 1. Sacerdotes a Deo honorati, 291, 2 : olim principes, 291, 1 : indigni vituperabiles, 292, 1 et 2 : mali deponuntur a Deo, 662, 1.
Sacramenti (SS.) communio indigna mors 434, 2.
Sacrificium laudis quale, 481, 2 : prærequirit purificationem, 16, 2.
Sæculares cæci sunt in spiritualibus, 452, 1. Qualis eorum amicitia, 793, 1.
Sagittæ Domini sunt magnæ tribulationes, 156, 2.
Sal symbolum gratiæ atque prudentiæ, 159, 2.
Saliva quid mystice, 198, 2.
Salus hominum vana, 166, 1.
Samson impatiens illusionis, 397, 2.
Samuelis in judicando integritas, 611, 2.
Sancti quales, 148, 1 et 2 : a cœlo suspensi vivunt, 161, 1 ; 195, 1 : a dæmone impetuntur, 765, 1 : cur nævis non careant, 83, 2 : curam nostri gerunt, 122, 1 et 2 : etiam delinquunt in multis, 515, 2 : judicantur ut impii, 683, 1 : multipliciter probantur, 158, 1 et 2 ; 237, 1 : plus perpessi quam meruerant, 156, 1 : quidam vestem radiis solis suspenderunt, 223, 2 : portant orbem, 231, 1 : se ut peregrinos hic gerunt, 332, 2 : sunt domicilium SS. Trinitatis, 764, 2 : sunt termini terræ, et tentoria Dei, 692, 1 ; 697, 2 : sanctorum commemoratio in Missa, 122, 2 : invocatio antiqua, 121, 1. Sanctos Deus educit e vulva, 258, 1.
Sanctitatis divitiæ tribulatione conteguntur, 280, 2 : experimentum quale, 70, 2. Sanctitatis et lucis magna consensio, 15, 2.
Sanguis Christi misericordiam clamat, 368, 1. *Sanguis* sumitur pro peccato et vindictam clamare dicitur, 367, 2.
Sapiendum ad sobrietatem, 519, 2. Sapiens nemo sibi sit, 378, 2 : qua ratione Deus est sapiens, 220, 2 : sapiens sibi difficile docetur, 338, 1. Sapientes mundani sæpe impingunt, 373, 2. Sapientes taciturni, 50, 1.
Sapientia a Deo accipienda, 623, 1 ; 636, 1 : Christi sapientia est mundo stultitia, 562, 2. Sapientia Dei in sceleratis puniendis, 221, 1 : relucet in creaturis, 283, 2 ; 572, 2. Sapientia increata est omnis sapientiæ causa, 557, 1. Sapientia mundi stultitia est apud Deum, 378, 2. Sapientia cœlitus petenda, 554, 1 ; 623, 2 : est virtus regalis, 341, 2 : homini competit, 726, 1 : in corde habet domicilium, 555, 1 ; 726, 2 : in mysterio est Christus crucifixus, 562, 1 : maxime necessaria, 554, 2 : optima reipublicæ tutrix, 341, 2 : sapit quæ Dei sunt, 554, 1 ; 555, 1 ; 562, 1 : trahitur ab occultis, 554, 1 ; 555, 1 : sapientia vera non reperitur in terra, 550, 2 ; 554, 1 ; 555, 1 : nec in mari voluptuoso, 552, 1 : nec in molli vita, 551, 1. Sapientiæ fructus pretiosissimus, 552, 2 : pretium ejus inæstimabile, 551, 1 ; 553, 2 ; 555, 1 : illius thesaurus infinitus, 553, 2. Sapientiam solus Deus docet, 554, 1 ; 556, 2.
Sapphirus gemma qualis, 548, 2 : tropologice quid, 549, 1.
Satan cur petat a Deo Jobum flagellari, 34, 1 : Jobi tentator qualis, 24, 2 : ubique tentat, 23, 1 et 2. Satanæ fallendi artes multiplices, 25, 2.
Saturitas somnum impedit, 435, 2.
Scandalum proximi Jobum maxime urebat, 77, 1.
Schola Dei qualis, 647, 2.
Scientia quæ inflat noxia est, 623, 2. Scientiam Dei nihil effugit, 403, 1 : superat nostrum intellectum, 689, 1.
Scirpus symbolum humanæ felicitatis, 209, 2 ; 213, 2.
Scriptura est unica Dei vox, 645, 1. Scripturæ sunt animi deliciæ, 481, 1.
Secura mens juge convivium, 480, 2. Securus a tentatione in hac vita nemo 780, 1.

http://www.obrascatolicas.com

Semen hominis quomodo immundum sit, 320, 1. *Semen* pro sobole et progenie, 151, 2.
Senectuti honor debetur, 635, 1 et 2.
Septenarius est numerus multitudinis, 144, 1.
Sepulcrum domus uniuscujusque, 371, 1 ; 597, 2 ; 598, 1 : est domus æterna, 371, 1 : justi gloriosum, 94, 2 : sepulcri memoria utilis, 44, 1. Sepulcra docent nos veritatem, 459, 1 : juxta flumen fieri solita, 461, 1 : sunt naturæ mysteria, 465, 1.
Sepulturæ meditatio utilis, 275, 2.
Sermones Dei in corde ponendi, 478, 1. Sale prudentiæ sermones maxime condiendi, 159, 2. Sermo jactantiæ dedecet imperitum, 279, 1.
Servitute vita redimitur, 769, 2 : servi dominis natura æquales, 618, 2 : non opprimendi laboribus, 619, 1 ; 632, 2 : servis quid domini debeant, 618, 2.
Siccitatis exempla rara, 288, 2.
Silentium est animæ custodia, et silens cherubino similis fit, 261, 2 : silentium in afflictione res ardua est, 74, 1 et 2 : est necessarium ut instruamur, 651, 2 : homines loquendi, Deus tacendi magister, 299, 1. Silentio stultitia tegitur, 299, 2.
Simplicitas qualis virtus, 5, 2 ; 6, 1 : Deo grata, 215, 1 ; 280, 1 : simplices Deo grati, 215, 1 et 2.
Simulatores provocant iram Dei, 680, 2.
Sinceritas Deo et hominibus grata, 263, 1.
Sitis impiorum peribit, 388, 2.
Sodomorum excidium quale, 393, 2.
Sol est vas admirabile, 729, 1 : solis ortus est quarti diei opus, 714, 1 : sanctorum vocibus obedivit, 223, 1 et 2. Solis elogia ex Patribus, 729, 1 : variæ obtenebrationes, 223, 2. Solis et laboris nexus, 695, 2.
Solitudo est nidus animæ, 577, 1 : servat a peccato, 736, 1.
Somnia divina qualia, 646, 1 ; afflictis somniorum dira tormenta, 193, 2.
Somnus animanti necessarius, 191, 2 : divitum qualis, 540, 2 : somnus est donum Dei, 192, 1 : est imago mortis, 85, 1 ; 325, 1 : naturæ levamentum, 435, 2. Somnus et evigilatio quid in Deo symbolice, 205, 2.
Sophar Jobo indignatur temere, 262, 1 : optat Deum loqui Jobo ipsumque convincere, et censet Jobum Dei alloquio indignum, 263, 1 et 2. Sophar Jobo ad Deum converso omnia prospera pollicetur, 274, 1 : prædicit Jobi felicitatem, 276, 1.
Species pro uxore, 149, 2.
Spes animæ fortitudo, 103, 2 : crescit pro mensura tribulationis, 306, 1 : est solatio afflictis, 193, 2 : in adversis ipsa patientia potior, 66, 1 : in solo Deo collocanda, 172, 2 : spes Jobi divina nititur providentia, 305, 2 : spes nostra Deus, 142, 2 : spes temporalis frivola, 461, 2 : spei vanæ molestia ingens, 83, 1.
Spicarum summitates sunt symbolum superbi, 510, 1.
Spiritalis fœcunditas uberrima, 443, 1.
Spiritus multiplex quid, 202, 1 : spiritus maxima est habenda cura, 55, 1 et 2 : renovatio necessaria, 579, 2, 580, 1 et 2. Spirituum apparitiones timorem incutiunt, 111, 2 ; 112, 1 : mali spiritus nunquam dormiunt, 593, 2 : spirituum discretio difficilis, 774, 2.
Spithama, quid. 321, 1.
Splendor verus a virtute, 13, 2.
Statera pro Dei justitia, 155, 1 ; 610, 1 : Christus et crux ejus, 155, 2 ; 611, 1.
Status religiosus est vena aurea, 545, 2.
Stellæ Deum laudant, 710, 1. Stellarum magnitudo et motus velocitas, 286, 1 et 2. Stella Veneris symbolum utriusque fortunæ, 274, 1.
Stillare pro *loqui* in Scripturis, 369, 1 ; 581, 1.
Stoicorum stulta indolentia, 96, 1.
Stomachum ardore implere, quid? 335, 2
Struthio quale animal sit, 739, 1 et 2 ; 741, 1 : deserit ova, 600, 2 ; 739, 2 : symbolum hypocritæ, et stolidi, 740 2.
Stultus quis, 67, 2 ; 88, 2 ; 93, 2 ; 124, 2 ; 407, 1 ; 452, 1 ; 622, 2. Stulti loquaces, 50, 1 : silentio stultitia tegitur, 299, 2. Stulti sunt qui terrena sapiunt, et non cœlestia, 88, 2 ; 452, 1.
Subulæ oculi quales, 358, 2.
Superbia quid, 342, 1 : superbia diaboli Deum oppugnat, 26, 1 : superbia est scopulus virtutum, 709, 1 : oculis se prodit, 339, 1 ; 482, 2 : ejus remedium afflictiones, 647, 1. *Superbia* pro gloria et splendore, 421, 2.
Superbus antonomastice diabolus, 526, 1 : superbi ad sanctorum depressionem conspirant, 510, 2 : corruunt, 510, 1 : despiciuntur a Deo, 679, 2 : Deum oppugnant, 345, 2 : subito pereunt, 125, 1 ; 303, 2 : tyrannidem exercent, 342, 2 ; 346, 1. Superborum ingenium quale, 262, 1 : superbis resistit Deus, 346, 1. 421, 2. Superbos deprimere proprium est Dei, 754, 1.
Supplicia damnatorum qualia, 504, 2.
Suspendii mors infamis, attamen suspendium mysticum honoratum, 194, 2.
Sustinentiæ fructus qualis, 190, 2.
Susurrus quid, 109, 2. Susurrones sunt alienæ famæ eversores, 176, 1.
Symbolis (sub) latent mysteria, 740, 2.
Synagoga Christi halitum exhorruit, 406, 2.

T.

Tabernaculum impiorum perit, 217, 1. Tabernaculi a domo differentia, 597, 1.
Tactus mulieris maxime periculosus, 615, 2 : est lepræ similis, 616, 1.
Tannin quid significet, 190, 2.
Taprobanica herba qualis, 86, 1.
Temporalia bona sunt etiam Dei benedictio, 206, 2 ; 564, 1 : sunt pro salute animæ deserenda, 55, 1.
Tempus cuique rei præstitutum a Deo, 546, 2 : tempus hujus sæculi modicum, 782, 2 : tempus omne opportunum bonæ actioni, 727, 1 : omnia consumit, 331, 1 : tempus pœnitentiæ summum beneficium, 508, 2.
Tenebræ pro infelici statu, 294, 1 ; 469, 1 : tenebræ peccati quantæ, 79, 2 ; 83, 1 ; 502, 2.
Tentatio est cos virtutis, 39, 2 : sensim consumit hominem, 118, 1 : violenta qualis, 591, 2 : tentatio uxoris gravissima, 67, 1. Tentationis genus duplex, 351, 2. Tentandi facultas a Deo modificatur, 53, 1. Tentationes grandini comparatæ, 721, 1 : graves sunt velut profunda maris, 717, 2 : nos circumdant, 361, 1 : prosunt ad salutem, 57, 2 : viriliter sustinendæ, 69, 2. Tentationum initiis obsistendum, 52, 2 ; 717, 2 : modi septem, 144, 1 : pondus humiliat, 558, 2.
Tepiditatis remedium quale, 171, 2.
Terminorum summa religio, olim eos violare scelus erat maximum, 496, 1.
Terra appensa est super nihilum, 522, 1 : quæ sint columnæ terræ, 222, 1 : terra aurifera cur frumenti minus ferax sit, 548, 2 : terra communis mater est, 43, 2 : est impiis permissa, 237, 2 : naturaliter non movetur, 222, 1 : subinde igne subito evertitur, 548, 1. Terræ latitudo qualis, 717, 2.
Terrores Domini quales, 158, 1. Terribilis solus est Deus qui in animas et spiritus habet potestatem, 512, 1.
Testa symbolum fragilitatis, 63, 2
Testes Christi quales, 257, 1 et 2.
Testimonium sapientis est magni ponderis, 341, 2.
Themanitæ sapientia celebres, 338, 2.
Thersites loquax, 298, 2.
Thesaurus quid proprie, 719, 2 : thesaurus grandinis qualis, 720, 1.
Tigris symbolum ferociæ et diaboli, 108, 1 ; 109, 1.
Timor pro re timenda sumitur, 96, 2. Timor Dei castus quis, 493, 1 et 2 : frænum peccati, 9, 2, 240, 1 : fundamentum salutis, 103, 2 : idem quod religio, 8, 1 et 2 :

initium sapientiæ, 240, 1 ; 560, 1 : quantum boni sit: 8, 1 et 2 ; 9, 1 et 2 : tempestati comparatus, 621, 2. Timor Jobi quantus, 289, 2 : timor inanis quis, 168, 2, mortis est frænum peccati, 641, 2 : mundanus noxius; 168, 2 : supervacaneus quis in Jure, 169, 1. Timor reverentialis in cœlo manet, 493, 1 ; 525, 1.
Tonitru quale, 696, 2 : est vox Dei, 722, 1 ; 752, 2.
Tonsio capitis quid designet, 41, 1.
Torrentes mellis et lactis quales, 431, 1.
Traditiones magni faciendæ, 207, 1.
Tribulatio ad patientiam inungit, 68, 2 : tribulationes cor emolliunt, 493, 2 : justis prosunt ad salutem, 486, 2 ; 590, 1 : sanctis gloriosæ, 184, 1 ; 718, 2.
Tristitia non dejicit justum, 75, 1.
Turbo est symbolum iræ divinæ, 80, 2 ; 233, 2.
Turpiloquium cavendum, 750, 1.
Tyrannus regnat propter peccata populi, 665, 1. Tyranni opulentia est paupertas subditorum, 498, 1. Tyranni ceto similes, 190, 2 ; 230, 2 : in infirmos crudeles, in fortes violenti, 507, 1 : ut plurimum male pereunt, 660, 2 ; 717, 1 : eorum vis in morte cessat, 89, 2.

U.

Ulcera Jobi qualia, 59, 1 et 2.
Ulysses vehemens 299, 1.
Umbra mortis qualis, 79, 2 : 80, 1 : futurum tempus significat, 207, 2.
Umbraculum est typus mutabilitatis, 539, 2.
Urbanitas cum gravitate servanda, 582, 1. Eliu urbanitas qualis, 632, 2.
Ursini presbyteri pulchrum facinus, 616, 2.
Uxor Jobi qualis, 65, 2 ; 66, 1.

V.

Valetudinarium Dei domicilium, 410, 2.
Vasa immunda Deus perdi jubet, 505, 1.
Venatio catulorum tigridis qualis, 108, 2.
Venenum aspidum dulce, sed lethale, 429, 2.
Venter Jobi a planctu combustus fuit, 264, 1.
Ventosa lingua et verba quæ, 335, 1 et 2 ; 355, 2.
Ventus est vita nostra, 186, 2 : non revertitur, et est symbolum velocitatis, 187, 1 : urens qualis, 543, 1. Venti et mare obediunt Deo, 713, 1. Ventorum cognitio difficilis, eorum pondus quale, 558, 1.
Verbum absconditum quid significet, 109, 1 : in silentio audiendum 110, 2 : verbum opportunum valde pretiosum, 49, 1 : verbum Dei alimentum spiritale, 203, 1 : quo spiritu annuntiandum sit, 519, 2 : scutum contra tentationes, 144, 2. Verba mala laborem pariunt, 175, 1 : mature proferenda, 156, 1 : verba otiosa qualia, 174, 1 : verba sunt statera ponderanda, 49, 1 : verba ventosa quæ dicantur, 174, 1 ; 355, 2. Verborum factorumque cognatio, 262, 2.
Veritas defendenda, et quomodo investiganda, 177, 1 ; 532, 2 : est vita charior, 309, 1 ; 611, 1.
Vermes Jobi cognatio, 381, 1 ; 593, 2 : a vermibus omnes æque comeduntur, 456, 2.
Vestigia Dei sequenda, 489, 1.
Vestimenta Dei qualia, 753, 1.
Vestium scissio quid designet, 41, 2.
Vexatio utilis, 487, 2.
Via justi recta, 377, 2 : viæ justorum jucundæ, 504, 1 : viæ sæculi quales, 472, 2.
Victoria proborum qualis, 634, 1.
Viduarum oppressio est summæ crudelitatis, 468, 2 ; 496, 2 : earum cura habenda, 619, 2.
Vigilantia in servitio Dei adsit, 197, 2 : est principi necessaria, 687, 1.
Vir a puerili stultitia alienus sit, et femineis vestibus non induatur, 2, 2 ; 3, 1 · vir patiens habet Deum defensorem, 766, 2 : perfectus est domus Dei, 196, 1.
Virgo (B.) culpæ originalis expers, 715, 2 : cur, gloriosa dicatur, 753, 2.
Virtus animum dilatat, 718, 1 : eum erigit, 481, 1 : est fundamentum pacis, 14, 1 ; 488, 2 : lætitiam adfert, 216, 1 ; 718, 2 : perficitur adversitate, 161, 2 : pueris conciliat auctoritatem senilem, 636, 2 : reddit hominem honorabilem, 569, 1 : sui admirationem parit, 26, 2. Virtutis perfectio in quo consistat, 70, 2 : ejus via est ardua, 551, 2 : virtutes sunt animæ vestes, 572, 1.
Viscera Jobi effusa, 361, 1.
Visiones in somniis accidebant, 111, 1. Visio Eliphazi qualis, 112, 2 : visio S. Carpi, 164, 1.
Visitare quid proprie 409, 2. Visitatio ægrorum maximæ charitatis est, 409, 2 : visitatio Dei qualis, 176, 1et 2 ; 198, 1 ; 253, 1 et 2.
Vita æterna est merces operum bonorum, 656, 2 : vita brevis, ars longa, 207, 1 : vita hominis brevis, 316, 1 ; 320, 2 ; 321, 1 : flori similis, 317, 1 : fragilis, 316, 1 : incerta, 539, 1 : laqueis plena, 179, 1 ; 180, 1 et 2 : vita longa præmium virtutis, 152, 1 : lucernæ comparata, 453, 2. Vita est militia, 179, 1 : miseriis referta, 316, 2 : 421, 1 : navium cursu celerior, 238, 2 : nentis fuso comparata, 185, 2 ; 186, 1 : nihili est, 195, 2 : pendet a respiratione, 186, 2 : est peregrinatio, 332, 2 : periculo salutis exposita, 164, 2 : rotæ similis, 186, 1 : somnium et fluxus, 195, 2 : somnus et insomnium, 540, 2 ; 541, 1 : telæ similis, 185, 2 : tentationum laqueis exposita, 469, 1 : vapor, 196, 1 : variabilis, 332, 1 : umbra, 207, 2 : umbra fugacior, 518, 2 : volatu aquilæ comparata, 239, 1. Vita spiritalis qualis, 253, 2 ; 254, 1 : vitæ emendatio non procrastinanda, 782, 2 : incertitudo summa, 186, 1 ; 187, 2 : puritas quietem parit, 87, 2 : vitæ summa brevitas, 258, 2.
Vitium est obscurum, triste, et temulentos facit, 216, 1 ; 295, 2. Vitia cognoscenda ut emendentur, 310, 2 : juventutis senectute solidantur, 423, 2 : vitia senum incurabilia, 569, 1 : sunt dæmonis retia, 387, 2 : sunt monstra, 708, 1 : virtutis specie decipiunt, 71, 2. Vitiorum oblectamenta fallacia, 353, 2.
Vitis est regis avari typus, 467, 2.
Vitrum cur auro præferatur, 553, 1.
Vocabula turpia fugienda, 31, 1.
Vocationi divinæ diligenter respondendum, 327, 1.
Voluntas Dei duplex qualis, 665, 2. Voluntas hominis inconstans, 404, 1.
Voluptas corporea plus doloris habet quam deliciarum, 612, 2 : circæo poculo similis, 613, 1 : est limus profundi, 682, 2 : fugienda, 425, 2 : voluptas malorum esca, 425, 2 : mortis indicium, 69, 1. Voluptatis illecebra periculosa, 388, 1 : voluptati repugnare difficile est, 17, 1 et 2. Voluptate trahuntur omnes, 425, 1. Voluptates corporeæ sunt dolium pertusum, 503, 2. Voluptuarii effunduntur ut aqua et in tenebris agunt, 502, 2.
Vota inimicorum qualia, 83, 1 : in periculis fieri solita, 481, 2 : Deus prævenit, 482, 2 : reddenda Deo, 481, 2.
Vox ἄνθρωπος quid proprie, 2, 1 et 2. Vox Dei in quiete innotescit, 616, 1. Vox *homo* denotat imbecillitatem, 2, 1. Vox *vir* fortitudinem designat, 2, 1 et 2 : est titulus honoris, 2, 2.
Vulva (e) Deus viros sanctos peculiariter educit, 258, 1.

X.

Xaverius (S.) Bagadarum impetum sistit, 342, 1.
Xerxis in militibus gloriatio vana, 86, 2

Z.

Zaleuci memorabile factum, 614, 2
Zelus quid et qualis, 124, 2 ; 441, 2 : zelus animarum superat sitim divitiarum, 547, 2.

http://www.obrascatolicas.com

INDEX

MATERIARUM MORALIUM

AD EVANGELIA DOMINICARUM AC FESTORUM ALIQUOT ET FERIARUM PER ANNUM ACCOMMODATARUM, IN GRATIAM CONCIONANTIUM.

PROPRIUM DE TEMPORE.

DOMINICA I ADVENTUS.

ERUNT SIGNA, etc. *Luc.* XXI, 25.—Cœlum obsignatur quasi liber, 223, 2 : illius ordo mirabilis, 724, 1. Creaturæ sunt arma Dei, 288, 2; 438, 2; 719, 2 : creaturæ expectatio qualis, 415, 1. Terrores Domini quales, 158, 1. Stellæ Deum laudant, 710, 1.

TUNC VIDEBUNT FILIUM HOMINIS, etc. — Christus est caput Ecclesiæ, 768, 2 : lux in tenebris, 4, 1 ; 213, 2 : occulta revelat, 294, 1 ; 650, 1 : judicum judex, 618, 1. Christi adventus probis desiderabilis, 416, 2 : improbis terribilis, 416, 2; 454, 2 : judicis irati vultus gravissimus, 325, 2. Judicium Dei formidabile, 188, 2; 228, 1; 231, 1; 232, 1 ; 240, 2 ; 277, 2 ; 302, 1 ; 531, 1 ; 537, 1 : irrefragabile, 617, 2; 661, 2 : ab humano diversum, 369, 2: in memoria sanctorum, 275, 2; 319, 2. Judicii dies ordinabit omnia, 475, 2. Judicum dignitas quanta, 290, 2 : munus quale, 683, 2. Nubes est thronus Dei, 523, 2; 691, 2. Deus videt omnia, 246, 2; 314, 1; 328, 1; 521, 1; 609, 1 : notat omnia delicta, 312, 1; 328, 2 : non est acceptor personarum, 300, 2; 659, 2 : scientiarum Dominus, 285, 2; 463, 1; 784, 2. Dei codices quales, 329, 1 : decreta immutabilia, 645, 1 : ira terribilis, 229, 2; 325, 2; 329, 2; 330, 1 : justitia incorrupta, 147, 2; 203, 2; 204, 1; 610, 2; 654, 2. Deo resistere nemo valet, 287, 1. Appellatio non est apud Deum, 229, 2. Dies sumitur in Scriptura pro die judicii, 229, 1 : dies peccati detestanda, 77, 1 et 2; 79, 1 : dies perditionis manet impios, 458, 1. Conscientia bona secura, 533, 2 : conscientia mala tortor sui, 343, 1 et 2; 389, 2; 392, 2: conscientiæ cruciatus morte acerbior, 353, 1 : tribunal quale, 192, 2; 481, 1. Sancti nævis non carent, 83, 2; 339, 2. Justi sunt homines cœlestes, 702, 2 : lucebunt in judicio, 280, 1 : non audient vocem exactoris, 90, 2. Reprobatio culpam sequitur, 287, 2. Antichristus qualis, 775, 1; 776, 2. Peccatum solum est malum, 23, 1 : dicitur in Scriptura *clamor*, 498, 2 : est corruptio et sordes, 587, 2. Deum provocat ad vindictam, 107, 1 : dolorem parit, 106, 1 et 2 : juste punitur æternum, 655, 2 : tenebras offundit, 79, 2; 140, 1; 502, 2. Peccati genitura qualis, 85, 1; 201, 1; 352, 2. Peccator sibi non Deo nocet, 199, 2, 670, 1 et 2 : est solus causa perditionis suæ, 129, 2 : cæcus est, 139, 2; 295, 1; 387, 1; 556, 2 : putat se non videri a Deo, 312, 2; 471, 1 : malis suis circumdatur, 344, 1 et 2 : exscindetur, 349, 1; 394, 1 : inferis gratus hospes, 461, 2 : odit lucem, 173, 2; 499, 2: 549, 1; 502, 1 et 2 : sicut fumus deficiet in judicio, 170, 1 : in fine perit, 277, 1; 473, 1. Immisericordes peribunt in diæ ire, 169, 1; 497 2; 596, 1. Impostores Deum non latent, 289, 2. Anima peccatoris fœtet, 185, 2. Animus inordinatus sibi pœna est, 199, 2. Labor impiorum perit, 170, 2. Sitis impiorum peribit, 388, 2; 504, 2. Virtus fundamentum salutis, 14, 1; 480, 2 : animum erigit, 481, 1.

AB ARBORE AUTEM FICI, etc. — Ficus avari regis typus, 467, 2. Mors privat omnibus terrenis bonis, 439, 1 : impiorum pessima, 449, 2; 454, 2; 541, 2; 542, 2 : sanctorum felix, 77, 2; 103, 2; 274, 2; 276, 2; 598, 2. Mortis meditatio necessaria, 87, 1; 275, 2; 326, 2. Mortui e sepulcro vocandi, 327, 1. Resurrectio quando futura sit, 324, 2. Angeli tutores nostri, 21, 1; 121, 1; 122, 2. Diabolus leo rugiens, 107, 2; 782, 1 : vigilans in nostrum interitum, 25, 1 et 2; 34, 2; 35, 2; 593, 2 : bona extenuat, 28, 1 : nil potest sine permissu Dei, 31, 1 et 2; 33, 2; 38, 2 : omnia in malum trahit, 56, 2 : morosus tortor, 60, 1 : sanctis insidiatur, 23, 1; 781, 1 et 2. Damnatorum pœnæ perpetuæ, 432, 2; 778, 2. Inferni locus qualis, 437, 2; 438, 1; 504, 2. Vita æterna est merces operum bonorum, 656, 1.

DOMINICA II ADVENTUS.

JOANNES CUM AUDISSET IN VINCULIS, etc. *Matth.* XI, 2. — Amici pauci in adversis, 71, 2. Afflictio temporalis non est signum vitiositatis, 638, 1. Corpus est animæ carcer, 117, 1; 191, 1. Justus circumvenitur dum arguit peccatorem, 458, 2 : probatur ut aurum, 488, 2 : vocatur *pauper* in Scriptura, 456, 2. Sancti judicantur ut impii, 683, 1 : portant orbem, 231, 2 : sunt in hoc mundo peregrini, 332, 2. Sancti cur multa patiantur molesta, 237, 1 : in occasu lucent, 711, 2. Sanctitatis et lucis consensio, 15, 2 : experimentum quale, 70, 2. Homo simplex sit et rectus, 7, 1 et 2; 233, 1. Simplicitas Deo grata, 215, 1; 280, 1. Principes ægre audiunt veritatem, 440, 2. Mundani respuunt sapientiam, 536, 1. Peccatores sunt luci rebelles, 499, 2; 500, 1; 502, 1 et 2 : Deum a se repellunt, 450, 2; 473, 2 : vocantur *divites* in Scriptura, 456, 2, 471, 1 : voluptuarii, 503, 2. Adulter amat caliginem, 501, 1. Tyrannus regnat propter peccata populi, 665, 1 : in infirmos violentus, 507, 1. Sæculares cæci in spiritalibus, 452, 1; 792, 1. Zelus quid, 124, 2; 441, 2. Correptio etiam adhibenda ubi scitur non profutura, 637, 2. Doctrina spiritalis non temere effutienda, 523, 1; 581, 2. Innocentia sibi aliisque utilis, 483, 1. Innocenter pati gloriosum, 360, 1. Veritas vita charior, 309, 1; 641, 1 : quomodo indaganda, 177, 1, 532, 1.

QUID EXISTIS IN DESERTUM VIDERE? etc. — Solitudo est nidus animæ, 577, 1. S. Joannes cilicio usus, 363, 2. S. Joanni nemo similis, 27, 1. Deus gloriatur in sanctis, 26, 2 : nullius eget auxilio, 518, 2 : vindex pauperum, 664, 1; 678, 2; 679, 2; 681, 2. Virtus sui admirationem parit, 26, 2 : virtutis via ardua, 551, 2. Gratia Dei stabiles facit, 116, 2. Laus Dei solida, 26, 2; 27, 1 : laus fœtet in ore proprio, 234, 2. Laudes hominum aucupari vanum est, 271, 1. Lampas contempta lucet coram Deo, 280, 2. Judicium Dei ab humano diversum, 369, 2. Notitia Dei qualis, 247, 1 et 2. Gloria humana fallax, 317, 2; 318, 2; 404, 2. Favor humanus parvi faciendus, 441, 2. Arundo est symbolum assentatorum, 763, 2. Vita nostra nihili est, 195, 2; 207, 2. Spes temporalis frivola, 461, 2. Homo vanitas, 269, 1 et 2; 270, 1. Deo soli innitendum, 481, 1. Visitatio Dei qualis, 197, 1 et 2; 198, 1; 253, 1 et 2. Sermones Dei in corde ponendi, 478, 1; 490, 2. Opera Dei magna, 135, 2; 225, 1; 296, 2. Verborum factorumque cognatio est, 262, 2. Vita spiritalis qualis, 253, 2; 254, 1. Castitas regalis virtus, 291, 1. Monozoni quales, 585, 1. Quies non est hujus vitæ, 86, 2. Secura mens juge convivium, 480, 2. Humiles solam Dei gloriam quærunt, 137, 1 : humilitas coram Deo nos exaltat, 119, 1; 137, 1; 482, 2; 678, 1.

DOMINICA III ADVENTUS.

MISERUNT JUDÆI, etc. *Joan.* I, 19. — Amici ficti qui, 405, 2. Cogitationes hominum timidæ, 138, 1. Malignitatis ingenium quale, 28, 2. Tentationes salutares, 39, 2; 57, 1; 69, 2. Virtus sui admirationem parit, 26, 2; 569, 1; 572, 1. Duplicitas exsecrabilis, 5, 2; 6, 1; 170, 1; 263, 1; 417, 2. Adulatio noxia, 175, 1.

TU QUIS ES? — Notitia sui necessaria, 150, 1; 193, 1; 310, 2; 382, 1; 623, 1. Homo ex se nihil, et potest nihil, 165, 2; 189, 1; 195, 2; 208, 1; 270, 2. Conscientiæ testimonium quale, 234, 2; 243, 2; 297, 1.

ET CONFESSUS EST, etc. — Confessio humilis Deo placet, 650, 1. Jactantia sui odiosa, 279, 1; 271, 1; 338, 1; 637, 1. Lingua lubricum instrumentum, 48, 2; 100, 2; 175, 2. Verba statera ponderanda, 49, 1; 156, 1; 523, 2. Silentium est animæ custodia, 261, 2. Prudentes pauciloqui, 50, 1; 298, 2. Sapiendum ad sobrietatem, 519, 2. Animi demissione placatur Deus, 311, 2. Superbia Deum oppugnat, 26, 1; 125, 1; 303, 2. Justus nemo compositus Deo, 115, 1; 218, 2 : justi virtutis tenaces, 141, 2.

EGO VOX CLAMANTIS, etc. — Doctoris munus quale, 543, 1; 547, 2; 647, 2. Doctores exemplo doceant, 413, 2 : sunt mysticæ nubes, 692, 1; 698, 1 · lumbos mentis accingant, 707, 2. Vocationi divinæ respondendum, 327, 1. Cum Deo ambulandum, 633, 1. Conversatio cum Deo triplex, 649, 2. Humilitas secura, 709, 1. Via justi recta, 377, 2. Rectitudo quotuplex, 7, 1 et 2. Simplicitas vera virtus, 5, 2; 6, 1; 215, 1 et 2. Virtutis perfectio in quo sita, 70, 2. Veritas quomodo tractanda, 532, 1 et 2. Sancti sunt termini terræ, 692, 1.

EGO BAPTIZO IN AQUA, etc. — Aqua symbolum abundantiæ, 341, 1; 288, 2; 466, 1 : aqua pœnitentiæ frugifera, 206, 2; 209, 2; 245, 1; 260, 1. Pœnitentia peccati smegma, 273, 2; 787, 1. Spiritalis fœcunditas summa, 443, 1. Mysteria Dei inscrutabilia, 688, 2.

DOMINICA IV ADVENTUS.

ANNO QUINTO DECIMO, etc. *Luc.* III, 1. — Tyranni regnant propter peccata populi, 665, 1 : subito pereunt, 125, 1; 303, 2. Tyrannorum vis in morte cessat, 89, 2. Tempus omnia consumit, 331, 1 : tempus præsens bene collocandum, 184, 1.

FACTUM EST VERBUM DOMINI, etc. — Notitia Dei obscura, 638, 2. Verbum Dei alimentum animæ, 203, 1 : quo spiritu annuntiandum sit, 519, 1; 523, 1. Opera Dei consideranda, 296, 2 : prædicant creatorem, 283, 1. Cognitio sui scientiarum maxima, 193, 1; 328, 2; 689, 2. Abnegatio sui necessaria, 377, 2. Educatio magni momenti, 445, 2; 446, 1. Adventus Christi exspectandus, 416, 2. Vigilantia in servitio Dei necessaria, 197, 2; 205, 2.

PRÆDICANS BAPTISMUM POENITENTIÆ, etc.— Prædicatio igni et tonitruo comparata, 722, 1. Pœnitentia delet peccata, 273, 2; 306, 2; 307, 1 et 2; 339, 2 : quas partes habeat, 245, 1. Pœnitentiam procrastinantes pereunt, 169, 1. Pœnæ quomodo dulcescant, 46, 1 et 2. Pœnitentes accepti Deo, 206, 1; 209, 2. Tempus pœnitentiæ est tempus salutis, 508, 2. Fletus est pœnitentiæ condimentum, 96, 2. Patientia virtus præstantissima, 39, 2. Baptizati non sunt expertes tentationum, 180, 1.

PARATE VIAM DOMINI, etc. — Doctrina captui auditorum accommodanda, 581, 2; 623, 2 : vera redolet humilitatem, 643, 1. Aures audiendi quales, 109, 1. Vitæ justorum jucundæ, 504, 1. Vestigia Dei sequenda, 489, 1. Affectus sunt animi pedes, 313, 2; 490, 1. Deus invisibilis, 226, 2; 227, 1; 488, 1 : occulta in lucem profert, 294, 1; 650, 1 : amat humilia, 595, 2; 678, 1; 709, 1. Vir pius est habitatio Dei, 197, 1; 566, 1 : est terra desiderabilis, 593, 1. Gratia est vita animæ, 253, 2; 254, 1. Puritas cordis Deum videt, 273, 2; 340, 1. Superbi reprimentur, 121, 2; 754, 1. Mores pravi difficile abolentur, 424, 1. Conversatio qualis esse debeat, 582, 1. Sapientia unde petenda, 554, 1; 623, 1; 636, 1 : non reperitur in terra suaviter viventium, 550, 2; 554, 1; 555, 1. Spiritalis fœcunditas magna, 443, 1. Compunctio inducit pœnitentiam, 787, 1.

NATIVIT. DOMINI SACRUM NOCTIS.

EXIIT EDICTUM, etc. *Luc.* II, 1. — Providentia Dei in omnibus miranda, 195, 1; 492, 1 et 2; 522, 2; 523, 1 et 2; 693, 1. Prudentia sæculi præpostera, 451, 1. Sapientiam solus Deus docet, 554, 1; 556, 2. Viæ sæculi quales, 472, 2. Adventus Christi desideratus, 416, 2. Homines ignorant consilia Dei, 495, 1; 498, 2. Inauris est symbolum obedientiæ, 792, 2.

NON ERAT EI LOCUS IN DIVERSORIO. — Peccatores Deum a se repellunt, 450, 2 : sunt luci rebelles, 49, 2; 500, 1; 502, 1 et 2. Divites obligantur ad opera misericordiæ, 466, 2. Nuditatis triumphus, 41, 1; 45, 1 et 2; 46, 1. Inhumani a societate hominum excludendi, 465, 1. Desiderium cœleste non reperitur in carnalibus, 549, 2. Virtutis via ardua, 551, 2. Christus corona matris suæ, 402, 1 : sapientia increata, 557, 1; 562, 1 : desiderium sanctorum, 592, 2 : in signum charitatis expositus, 360, 1 : lapis angularis, 710, 1 : lux in tenebris et sol mundi, 4, 1; 213, 2 : protectio nostra, 372, 2. Christiani sunt orientales, 13, 2.

ET ECCE ANGELUS DOMINI STETIT, etc. — Angeli erga homines munifici, 648, 1 : laudant mysterium Incarnationis, 710, 2 : ad Deum nos convertunt, 649, 1. Angelorum natura qualis, 115, 2 : circa homines ministeria, 22, 1 et 2 : custodia nocturna, 672, 1 : apparitio qualis, 111, 2. Inspiratio Dei est verbum absconditum, 110, 1. Nox quieti deputata, 280, 1 : revelationibus apta, 110, 2 : symbolum calamitatis, 663, 2. Opera Dei magna, 135, 2; 225, 2. Cæli enarrant gloriam Dei, 224, 1. Visitatio Dei qualis, 197, 1 et 2; 198, 1; 253, 1 et 2. Vox Dei in quiete innotescit, 646, 1. Aures audiendi quales, 109, 1. Lux est velut forma rerum, 716, 2 : symbolum virtutis, 83, 2; 721, 2 : pravis inimica, 502, 1; 715, 1. Sanctitatis et lucis consensio, 15, 2. Puritas accessum habet ad Deum, 17, 1; 87, 2; 607, 2. Simplicitas qualis virtus, 5, 2; 6, 2. Virtus est fundamentum pacis, 14, 1; 480, 2. Pax bonorum omnium complementum, 148, 2. Pax Dei inconcussa, 664, 2.

SACRUM AURORÆ.

PASTORES LOQUEBANTUR, etc. *Luc.* II, 15. — Pastoris munus quale, 102, 1; 200, 1; 355, 1; 644, 1. Pastor malus gregis pernicies, 666, 1. Humiles eliguntur a Deo, 119, 1; 137, 1; 678, 1. Pauperes Deo curæ, 140, 2; 176, 1; 572, 1;

http://www.obrascatolicas.com

678, 2. Simplices Deo grati, 215, 1 et 2; 263, 1; 280, 1. Pietatis cura præcipua, 18, 1. Vigilantia in servitio Dei necessaria, 197, 2; 687, 1. Vestigia Dei sequenda, 489, 1. Affectus sunt animi pedes, 313, 2; 490, 1. Vocationi divinæ respondendum, 327, 1. Lumbi mentis accingendi, 707, 2. Mane ad Deum currendum, 207, 1 et 2.

Videntes autem cognoverunt, etc. — Aspectus Dei animam illuminat, 679, 1. Opera Dei consideranda, 296, 2. Cor pertinet ad intellectum, 279, 2. Meditatio illuminat et accendit, 274, 2. Lux symbolum lætitiæ, 693, 2 : justorum qualis, 386, 2. Virtus admirationem parit, 26, 2 : animum erigit, 481, 1. Conversatio interior cum Deo sit, 566, 1. Oratio mentem irrigat, 578, 2. Eruditio Dei qualis, 673, 2; 680, 1. Consolandi munus quale, 583, 2. Conversio ad Deum triplex, 649, 2. Corporis prostratio signum venerationis, 42, 1. Vota reddenda Deo, 481, 2. Testes Christi quales, 257, 1 et 2. Labor lætitiam parit, 536, 2. Gratitudinis nota quæ, 47, 1 et 2.

SACRUM DIEI.

In principio erat Verbum, etc. *Joan.* I, 1. — Deus occultus et ineffabilis, 704, 1 : auctor temporis, ante tempus, 496, 1 : incomprehensus, 266, 1; 688, 2; 689, 1; 691, 1 : multipliciter nos erudit, 673, 2; 680, 1 : invisibilis, 226, 2; 227, 1 : 488, 1 : videt omnia, 246, 2; 609, 1 : omnipotens, 135, 1; 268, 1 : gloriatur in sanctis, 26, 2 : revelat occulta, 294, 1; 650, 1 : naturæ lumine noscitur esse, 283, 1. Verbum Dei est animæ alimentum, 203, 1 : scutum inexpugnabile, 144, 2.

Et vita erat lux hominum, etc. — Vita hæc lucernæ comparata, 453, 2 : vita spiritalis qualis, 253, 2; 254, 1. Lux et lumen qui differant, 499, 2; 715, 1 : a Deo dispensatur, amica bonis, 173, 2; 694, 1; 715, 1 : symbolum virtutis, 83, 2; 721, 2. Lumen animæ quale, 499, 2 : naturæ discernit bona et mala, 672, 2. Plasmatio Dei sumus, 249, 2; 250, 1 et 2. Notitia Dei qualis, 247, 1 et 2.

Et mundus eum non cognovit. — Peccatores cæci, 139, 2; 295, 1; 387, 1; 556, 2; 719, 1 : sibimetipsi graves, 199, 2; 200, 1; 201, 1; 203, 1. Ignorantia affectata pessima, 664, 1. Voluntas hominis inconstans, 404, 1. Homo vanitas, 208, 1; 269, 1 et 2; 270, 1. Ingratitudo siccat fontem gratiæ, 210, 2; 474, 2. Creata omnia veterascunt, 580, 1. Reprobatio culpam sequitur, 287, 2.

Quotquot autem receperunt eum, etc. — Christus desiderium sanctorum, 592, 2. Cor hominis Deo patet, 609, 2; 784, 1 : cor purum Dei tabernaculum, 566, 1. Castitas reddit hominem sanctum, 607, 2. Sancti multipliciter probantur, 158, 1 et 2 : a cœlo suspensi vivunt, 161, 1; 195, 1; 231, 1 : sunt in hac vita peregrini, 332, 2 : ambulant cum Deo, 653, 1.

FESTUM S. STEPHANI.

Mitto ad vos prophetas, etc. *Matth.* XXIII, 34. — Justi probantur ut aurum, 488, 2 : ab impiis ridentur, 589, 1 et 2 : zelo Dei tabescunt, 601, 1. Innocentes multi patiuntur, 237, 2 : pauci tamen volunt pati, 53, 1. Afflictiones viro forti gloriosæ, 54, 1; 185, 2; 718, 2 : prosunt ad salutem, 54, 1 et 2; 718, 2. Sancti multipliciter probantur, 158, 1 et 2 : exoptant mortem, 93, 1; 94; 161, 1; 332, 2. Christiani expositi persecutionibus, 360, 2. Tribulatio ad patientiam inungit, 68, 2; 184, 2; 493, 2. Accincti sunt strenui, 787, 1. Laborum finis gloriosus, 131, 1 et 2. Fiducia in Deum sanctorum propria, 134, 2; 305, 1. Spes crescit pro mensura tribulationis, 306, 1. Vir patiens habet Deum adjutorem, 706, 2 : spectaculum Deo gratissimum, 68, 1 et 2; 486, 2. Tentatio est cos virtutis, 39, 2; 69, 2. Consolatio sequitur tribulationem, 648, 2. Deus certaminum spectator, 237, 1 : nunquam suos deserit, 119, 1; 255, 1 : gloriatur in sanctis suis, 26, 2; 273, 1 et 2. Veritas vita potior, 309 1. Mors somno comparata 85, 1. Tyrannorum vis in morte cessat, 89, 2. Anima omnibus potior, 33, 2; 56, 2. Resignatio perfecta qualis, 46, 2, Pœnæ quomodo dulcescant, 46, 1 et 2.

Relinquetur vobis domus vestra deserta. — Obduratio quid, 287, 2; 778, 2. Mali a Deo egrediuntur, 34, 1. Ingratitudo detestanda, 32, 1; 474, 2. Invidia vitium pusillorum, 124, 2. Invidi palpant in meridie, 140, 1. Peccatores belluis comparati, 3, 1; 159, 1, 228, 2 : excæcantur, 79, 2; 381, 1; 500, 2; 501, 1 et 2 : non ferunt monita justorum, 188, 1 et 2; 202, 2. Impii subito succidentur, 118, 1; 119. 2; 541, 2. Peccatum ecclesiasticorum gravius aliis, 1[illegible], 2 : provocat Dei ultionem, 107, 1. Prælati negligentes officio spoliandi, 617, 2. Parentum vitium filiorum exitium, 126, 2; 454, 1. Filii culpæ et pœnæ parentum hæredes, 127, 1 : 454, 1. Judæorum messem comedunt christiani, 128, 2. Patrocinia sanctorum valida, 789, 1. Oratio pro inimicis accepta Deo, 790, 2.

FESTUM S. JOANNIS.

Dixit Jesus Petro : Sequere me, *Joan.* XXI, 20. — Vestigia Dei sequenda, 489, 1. Ambulandum cum Deo, 653, 1. Affectus sunt animi pedes, 313, 2; 490, 1. Schola Dei qualis, 647, 2.

Quem diligebat Jesus, etc. — Amicitia vera unde noscatur, 71, 1 : amicus alter ego, 150, 2; 151, 1. Simplices Deo grati, 5, 2; 6, 1; 215, 1. Castitas virtus regia, 291, 1; 607, 2 : facit hæredes Dei, 606, 1 : quietem animæ affert, 87, 2. Cor est hominis principale, 566, 1 : symbolum vitæ deiformis, 279, 2; 367, 1 : cordis puritas Deum videt, 272, 2; 340, 1. Desideria pia sunt animæ vita, 592, 2. Spiritus habenda cura præcipua, 55, 1. Sapientia trahitur de occultis, 554, 1; 555, 1. Occulta revelat Deus, 294, 1; 650, 1. Caligo sub pedibus Dei, 524, 1. Lumen animæ quale, 499, 2. Meditatio clavis veritatis, 192, 2; 383, 2. Contemplatio jungenda actioni, 184, 2. Mysteria Dei inscrutabilia, 688, 2. Mystica theologia qualis, 112, 2. Mystici theologi a Deo docti, 673, 2. Gratia Dei cor stabilit, 116, 2; 270, 2; 271, 1; 707, 2.

Hic autem quid? — Linguam continere difficile est, 48, 1 et 2; 49, 1; 100, 2. Loquax similis parturienti, 639, 1. Silentium necessarium proficere volenti, 651, 2 : est animæ custodia, 261, 2. Opportunitas ubique servanda, 114, 2. Cogitationes hominum timidæ, 138, 1; 495, 1; 498, 2. Justitia Dei est statera æquitatis, 610, 2. Quies non est hujus vitæ, 86, 2. Gloria Dei omnibus præhabenda, 92, 2. Vita longa præmium virtutis, 152, 1. Consilia Dei arcana, 495, 1; 498, 2. Charitas est mensura gratiæ, 790, 2.

FESTUM INNOCENTIUM.

Angelus Domini apparuit, etc. *Matth.* II, 13. — Angeli sunt milites Dei, 514, 1 : tutores hominum, 21, 2; 22, 1; 121, 2; 648, 2. Angelorum apparitiones quales, 111, 2; 112, 2 : custodia in nocte, 672, 1. Somnus et insomnium quid, 540, 1; 541, 1 et 2. Somnia divina qualia, 646, 1. Visiones in somnis accidere solent, 111, 1. Deus novit omnia, 285, 1; 301, 2; 463, 1 : occulta revelat 294, 1; 650, 2 : tutor pauperum, 678, 2; 679, 1; 681, 2 : dissipat conatus impiorum, 138, 1 : malignos aversatur, 215, 2 : certaminum spectator, 237, 1. Dei vox in quiete innotescit, 646, 1 : Dei protectio qualis, 29, 2; 146, 1 : providentia reguntur omnia, 129, 1; 138, 2; 492, 2 : eruditio qualis, 673, 2 · Dei opera non scrutanda, 688, 1. Nox symbolum calamitatis, 663, 2.

Surge, et accipe puerum, etc. — *Surgere* quid significet in Scripturis, 40, 1. Filii sunt possessio parentum, 10, 2 : sunt corona parentum, 401, 2. Homines ignorant consilia Dei, 495, 1; 498, 2. Fuga mali primus gradus ad virtutem, 9, 1. Sancti sunt termini terræ, 692, 1.

Tunc Herodes videns, etc. — Tyrannus regnat propter peccata populi, 665, 1 : infirmos opprimit, 507, 1 : ceto comparatur, 190, 2; 230, 2. Tyrannorum vis in morte cessat, 89, 2. Amici ficti quales. 405, 2. Hypocrita impius et iniquus, 532, 2; 587, 1 : sterilis, 351, 1; 413, 1. Malefici tenebras amant, 502, 2. Nequitia timida, 343, 2; 370, 1. Malignitatis ingenium quale, 28, 2; 358, 2. Mali a Deo abeunt, 34, 1. Invidi sunt imitatores diaboli, 56, 2; 125, 1; 140, 1. Animus inordinatus sibimetipsi gravis, 199, 2; 204, 2; 342, 2; 410, 2. Impostores Deum non latent, 289, 2; 327, 2. Insidiatores suis retibus capiuntur, 139, 1. Vitia virtutis specie decipiunt, 71, 2. Peccata clamant in cœlum, 498, 2. Impii Deum repellunt, 450, 2. Vita hæc brevis et fragilis, 316, 1; 320, 2; 321, 1. Mors sanctorum requies, 85, 1; 234, 1; 276, 1 : vita misera potior, 92, 1 et 2. Afflictio non semper ob culpam venit, 130, 1, 638, 1. Res adversæ justis prosperæ, 184, 2. Terra impiis permissa, 237, 2. tentationes salutares, 57, 2. Innocenter pati gloriosum, 360, 1. Parentes filiorum pœnis torquentur magis quam propriis, 423, 1. Ventus urens qualis, 543, 1. Pusillorum oppressio gravissima, 496, 2; 498, 2.

Vox in Rama audita est, etc. — Lamentationes quales, 81, 2. Doloris signa cum virtute consistunt, 41, 1; 96, 1. Lacrymarum genera varia, 364, 2; 365, 1. Ecclesiæ luctus qualis, 357, 2. Lugentium gestus varii, 72, 1. Orbitatis lætitia arcana, 791, 1. Sustinentiæ fructus qualis, 790, 2.

DOM. INFRA OCT. NATIVITATIS.

Erant Joseph et Maria mater Jesu mirantes, *Luc.* II, 33. — Virtus admirationem parit, 26, 2 : reddit hominem honore dignum, 569, 1. Opera Dei magna, 135, 2; 225, 2. Visitatio Dei qualis, 197, 1 et 2; 198, 1; 253, 1 et 2. Sermones Dei in corde ponendi, 478, 1.

Et benedixit illis Simeon. — *Benedicere* quid in Scripturis, 18, 1; 31, 2. Justus est tenax virtutis, 141, 2 : terræ peregrinus, 457, 2 : tenet viam rectam, 337, 2 : a Deo servatur, 119, 1 : repletur gaudio, 216, 1. Theologi mystici a Deo eruiantur, 673, 2; 680, 1. Puritas accessum habet ad Deum, 17, 1; 340, 1. Conscientiæ bonæ jubilus qualis, 216, 2; 249, 1; 480, 2.

Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum, etc. — Christus in signum expositus, 360, 1 : est desiderium sanctorum, 592, 2 : lux in tenebris, 4, 1; 213, 2. Consolatio sequitur afflictionem, 648, 2.

Et erat Anna prophetissa, etc. — Pietatis cura præcipua, 18, 1. Reverentia in templo exhibenda, 34, 1. Sanctitatis et lucis consensio, 15, 2. Spiritus cura maxima, 55, 1; 253, 2. Nox revelationibus apta, 110, 2. Mystica theologia qualis, 112, 2. Affectus pius est medulla orationis, 271, 2. Desideria pia sunt signum gratiæ, 592, 2. Gratia Dei stabiles facit, 116, 2. Meditatio clavis veritatis, 192, 2; 274, 2. Contemplatio jungenda actioni, 184, 2. Matutinum orationi aptissimum, 17, 2; 205, 1 et 2. Orationis fructus est conjunctio cum Deo, 649, 2. Cor Deo sacrandum, 279, 2; 367, 1. Ambulare cum Deo quid, 653, 1. Pii sunt terra desiderabilis, 593, 1. Exspectatio est substantia justorum, 103, 1; 410, 1. Fiducia sanctorum propria, 134, 2. Innocentia sibi et aliis prodest, 483, 1. Status religiosus est vena aurea, 545, 2. Lux justorum qualis, 386, 2. Fama bona ingens bonum, 395, 2.

FESTUM CIRCUMCISIONIS.

Postquam consummati sunt dies octo, etc. *Luc.* II, 21. — Homo nascitur in peccato, 340, 2 : natus ad laborem, 130, 2; 132, 2. Fundamentum hominis terrenum, 117, 1. Quies non est hujus vitæ, 86, 2. Christus flevit sæpe, 364, 2 : lux vera, 4, 1; 213, 2 : mediator Dei et hominum, 243, 1. Christiani sunt orientales, 13, 2. Vita nostra militia est, 179, 1; 182, 2 : miseriis referta, 316, 2; 421, 1. Nuditatis triumphus, 41, 1; 45, 1 et 2. Aurora solis justitiæ qualis, 714, 2. Mortificationis fructus, 90, 1. Fletus est condimentum pœnitentiæ, 96, 2. Pœnæ quomodo dulcescant, 46, 1 et 2. Patientia virtus præstantissima, 39, 2; 108, 1 et 2; 237, 2. Certaminum spectator Deus, 237, 1. Virtutis via ardua, 551, 2. Gloria Dei nostris commodis præhabenda, 92, 2. Sapientia vera qualis, 550, 2; 554, 1; 555, 1. Deus vulnera explicat ut curet, 143, 1; 157, 1. Visitatio Dei qualis, 197, 1 et 2; 198, 1; 253, 1 et 2. Deo nihil abditum, 264, 1; 470, 1. Judæorum malum ex umbilico incircumciso, 758, 1. Sustinentiæ fructus qualis, 798, 2.

EPIPHANIA DOMINI.

Ecce magi ab oriente venerunt, etc. *Matth.* II, 1. — Electi etiam inter gentes, 4, 2; 359, 2. Christiani sunt orientales, 13, 2. Sanctitatis et lucis consensio, 15, 2; 83, 1 et 2. Lux symbolum lætitiæ, 693, 2. Lucis effectus qui, 715, 1; 718, 2. Stellæ Deum laudant, 710, 1. Cœli contemplatio ad Deum adducit, 669, 2. Vigilantia necessaria, 197, 2; 687, 1. Cognitio Dei ex creaturis qualis, 285, 1; 559, 2; 560, 1; 673, 2. Eruditio Dei qualis, 673, 2; 680, 1. Providentia Dei reguntur omnia, 129, 1; 138, 2; 492, 2. Deus quærendus, 133, 2 : propriis commodis præponendus, 92, 2 : gaudium admiscet tribulationi, 672, 1 : justos servat, 119, 1; 255, 1 : dissipat conatus impiorum, 138, 1.

Audiens autem Herodes, etc. — Tyrannus regnat propter peccata populi, 665, 1. Hypocrisis iniquitas maxima, 533, 2; 587, 1; 681, 1. Hypocrita laborat sine fructu, 741, 1 et 2 : scirpo similis, 211, 2; 213, 2; 351, 1; 423, 1. Homo duplex non est integer, 6, 1; 170, 1; 263, 1. Nequitia semper timida, 343, 2. Iniquitas dolorem parit, 106, 1; 199, 2; 204, 2. Impius non reveretur Deum, 473, 2. Invidia est vitium pusillorum, 124, 1. Invidi sunt imitatores diaboli, 50, 2 : palpant in meridie, 140, 1. Malignitatis ingenium quale, 28, 2; 215, 2. Amicitia humana fallax, 168, 1 : amicitia vera unde noscatur, 71, 1. Insidiatores suis technis capiuntur, 139, 1; 289, 2. Dolu malus quis, 170, 2.

Et congregans omnes principes, etc. — Antiquitas consulenda, 206, 2. Cogitationes hominum timidæ, 138, 1. Ignorantia affectata pessima, 664, 1. Timor mundanus noxius, 168, 2. Conscientia mala timidos reddit, 353, 1; 370, 1; 389, 2. Mysteria Dei inscrutabilia, 688, 2. Alios scandalizare gravissimum est, 497, 1.

Qui cum audissent regem, abierunt, etc. — Mali fuga primus gradus justitiæ, 9, 1. Vestigia Dei sequenda, 489, 1. Conversio ad Deum triplex, 649, 2. Justi sunt in terra peregrini, 457, 2 : a cœlo suspensi, 161, 2; 195, 1.

Et procidentes adoraverunt, etc. — Puritas habet accessum ad Deum, 17, 1. Vota reddenda Deo, 481, 2. Laudis primitiæ Deo offerendæ, 711, 1. Thesaurus quid proprie, 719, 2. Aurum cur omnipotens dicatur, 480, 1. Divitiæ non sunt malæ, sed earum cupiditas inordinata, 29, 2; 30, 2 : 485, 2. Desideria pia sunt signum gratiæ, 485, 2; 550, 2; 592, 2. Obediens fulguri similis, 725, 1. Munera qualia sint Jobo oblata, 792, 2.

Et responso accepto in somnis, etc. — Somnia divina qualia, 646, 1. Visiones in somnis accidebant, 111, 1 : bonæ et malæ quales, 112, 2; 164, 1. Inspiratio divina qualis, 110, 1. Vox Dei in quiete innotescit, 646, 1. Virtus perficitur adversitate, 161, 2. Tentatio est cos virtutis, 39, 2; 57, 2; 69, 1; 469, 1. Fiducia in arduis elucet, 305, 1; 359, 2. Soli Deo fidendum, 134, 2; 481, 1. Gratia Dei confirmat cor, 116, 2. Angelorum cura quanta, 22, 2; 115, 2; 121, 1; 122, 2.

DOM. INFRA OCTAV. EPIPHANIÆ.

Cum factus esset annorum duodecim, etc. *Luc.* II, 42. — Filii sunt possessio parentum, 10, 2 : adsint sacrificiis pa-

http://www.obrascatolicas.com

rentum, 567, 1 : sunt corona parentum, 401, 2. Filiorum educatio summi momenti, 445, 2 : cura magna gerenda, 18, 1 et 2. Puerilis ætas flexilis, 445, 2. Adolescentia est index reliquæ ætatis, 421, 1. Molesta cur justis accidant, 237, 1.

INVENERUNT ILLUM IN TEMPLO, etc. — In templo modestia servanda, 34, 1. Anima omnibus potior, 31, 2; 56, 2. Schola Dei qualis, 647, 2. Deus scientiarum Dominus, 285, 2; 403, 1 : occulta revelat, 294, 1 ; 650, 1 : multipliciter nos docet, 673, 2; 680, 1 : qua ratione sapiens sit et dicatur, 220, 2 : quærendus, 132, 1 ; 133, 2 : mœrentium consolator, 137, 2. Lex Dei ex ore sacerdotis suscipienda, 479, 1 : in corde scribenda, 413, 1. Veritas quomodo investiganda, 177, 1 ; 532, 2 : vita charior, 309, 1 ; 641, 1. Silentium necessarium est discere volenti, 651, 2. Linguæ continentia difficilis, 100, 2. Verba statera ponderanda, 49, 1. Doctrina non temere effutienda, 523, 1 ; 581, 2 ; 623, 2. Sapientes sunt taciturni, 50, 1. Sapiendum ad sobrietatem, 519, 2. Sapientia trahitur de occultis, 554, 1 ; 555, 1 : in corde habet domicilium, 555, 1 ; 726, 2. Cor pertinet ad intellectum, 279, 2. Aures audiendi quales, 109, 1. Doctoris munus quale, 543, 1 ; 647, 2. Doctores exemplo doceant, 413, 2. Doceri ab imperito periculosum, 399, 1 ; 673, 2. Nemo sibi sat sapiens est, 378, 2. Notitia sui scientiarum maxima, 193, 1 ; 310, 2 : altera generatio, 382, 1. Sal symbolum prudentiæ, 159, 2. Scripturæ sunt animæ deliciæ, 481, 1. Disputationes quomodo instituendæ, 178, 1. Contentiones vitandæ, 177, 1 ; 178, 1 ; 242, 2. Contendere cum Deo temerarium est, 219, 1 ; 220, 1 ; 226, 2 ; 748, 2. Zelus quid, 124, 2 ; 441, 2.

DOLENTES QUÆREBAMUS TE, etc. — Amor prolis quantus, 740, 1. Doloris signa cum virtute consistunt, 41, 2; 96, 1. Fragilitas humana merito timet, 163, 2. Insensibilitas non est virtus, 165, 1. Vexatio dat intellectum, 487, 2. Tentatio est cos virtutis, 39, 2 ; 57, 2 ; 69, 1 ; 130, 1 ; 409, 1. Tristitia non dejicit justum, 75, 1. Metus ipsis ærumnis gravior, 158, 1.

QUID EST QUOD ME QUÆREBATIS ? etc. — Correptio Dei utilis, 142, 2 ; 299, 2 ; 637, 2 ; 786, 2. Sanctitatis experimentum quale, 70, 2. Opportunitas servanda in monitione, 114, 2. Vestigia Dei sequenda, 489, 1. Gloria Dei omnibus præferenda 92, 2. Spiritus cura potissima, 35, 1. Vigilantia in Dei servitio necessaria, 197, 2. Opera Dei consideranda, 296, 2. Homo natus ad laborem, 130, 2 ; 132, 2. Locutio Dei qualis, 263, 2. Judicia Dei in corde ordinanda, 486, 1. Sermones Dei corde excipiendi, 478, 1. Consolatio sequitur afflictionem, 648, 2 ; 672, 1.

DOM. II POST EPIPHANIAM.

NUPTIÆ FACTÆ SUNT, etc. *Joan.* II, 1. — Convivia quæ bona sint, 14, 2 ; 15, 1 : peccato obnoxia, 15, 2. Voluptati repugnare difficile, 17, 1 et 2. Fœcunditas est donum Dei, 10, 1 : fœcunditas spiritalis maxima, 443, 1. Patrisfamilias officium, 150, 1. Educatio liberorum maximi momenti, 445, 2. Homo natus ad laborem, 130, 2 ; 132, 2. Vocationi divinæ respondendum, 327, 1. Christus est corona B. Virginis, 402, 1.

VINUM NON HABENT. — Humiliter agendum cum Deo, 231, 1. Deus invocandus in necessitate, 133, 2 ; 372, 1 et 2 ; 675, 1 : omnipotens, 135, 1 ; 268, 1 : oceanus consolationum, 138, 1 : patronus egenorum, 140, 2 ; 142, 1 ; 621, 2 : nullius eget, 518, 2. Oratio non petat cupiditati grata, 34, 1. Miseriæ omnibus communes, 333, 2 : faciunt nos Deum agnoscere, 688, 2. Afflictiones salutares, 54, 1 ; 68, 2 ; 130, 1 : non addendæ afflicto, 312, 1. Patrocinia sanctorum valida, 789, 1. Amicitia vera unde noscatur, 71, 1.

QUID MIHI ET TIBI EST, MULIER ? etc. — Correptio Dei utilis, 142, 1 ; 680, 1 , 786, 1. Cito impetrare non est certum signum propitiationis, 33, 1. Spes animæ fortitudo, 103, 2. Tentatio est cos virtutis, 39, 2 ; 57, 2 ; 69, 1 ; 158 1 et 2. Fiducia in Deum necessaria, 134, 2 ; 142, 1 ; 166, 2 ; 172, 2 : in arduis elucet, 305, 2 ; 359, 2.

IMPLETE HYDRIAS AQUA. — Opportunitas ubique captanda, 114, 2. Verbum opportunum valde pretiosum, 49, 1. Aqua symbolum abundantiæ, 288, 2 ; 341, 1 ; 466, 1. Providentia Dei miranda, 196, 1 ; 522, 2. Potentia Dei in aquis, 525, 2. Opera Dei magna, 225, 1 ; 296, 2 : in pondere et mensura, 708, 2. Mysteria Dei inscrutabilia, 688, 2. Aquæ pœnitentiæ quales, 206, 2 ; 209, 2. Consolandi munus quale, 355, 1 ; 356, 1 ; 583, 2. Tempus omne opportunum bonæ actioni, 727, 1.

DOM. III POST EPIPHANIAM.

ECCE LEPROSUS VENIENS ADORABAT EUM. *Matth.* VIII, 2. — Leprosi exsecrabiles, 61, 1. Morbi spiritalis indicia quæ, 311, 1 ; 452, 1. Pœna propter culpam instituta, 100, 1. Miseria hic nunquam deest, 333, 2 ; 421, 1. Deus medicus est dum tribulat, 143, 1 : mœrentium consolator, 137, 2 ; 138, 1 ; 280, 1 : exaudit ad utilitatem, 232, 2 ; 482, 1 : humiles exaltat, 137, 1. Manuum extensio est gestus adorantium, 271, 2 ; 366, 2. Oculi sunt indices animi, 339, 1. Auxilium Dei promptum, 482, 1.

ACCESSIT AD EUM CENTURIO, etc. — Militia est vita hominis, 179, 1 ; 182, 2 ; 316, 1 et 2. Vitæ summa brevis, 258, 2. Homines ut folia cadunt, 311, 1 ; 314, 2. Servis quid domini debeant, 618, 2 ; 632, 2. Famuli ad quid habendi, 11, 2 ; 12, 1 et 2. Principis boni officium, 98, 1 ; 570, 1. Affectus sunt animi pedes, 313, 2 ; 490, 1. Prudentes pauciloqui, 298, 2.

EGO VENIAM, ET CURABO EUM. — Fragilitas humana miseratione digna, 319, 1. Medici gloria est salus ægri, 200, 1. Consolatio sequitur afflictionem, 648, 2 ; 672, 1.

DOMINE, NON SUM DIGNUS, etc. — Notitia sui necessaria, 130, 1 ; 163, 2 ; 193, 1 ; 328, 2 ; 382, 1. Humilitas Deo chara, 595, 2. Fiducia in Deum sanctorum propria, 134, 2 ; 142, 1 ; 166, 2 ; 172, 2 ; 305, 1 ; 359, 2. Confessio humilis Deum placat, 650, 1. Rectitudo quotuplex, 7, 1 et 2. Laus Dei solida, 26, 2 ; 27, 1. Favor humanus vanus, 441, 2. Virtus reddit honorabilem, 569, 1 ; 572, 1. Splendor verus ex virtute, 13, 2. Adversæ res subserviunt justis, 184, 2 ; 769, 1.

DOM. IV POST EPIPHANIAM.

ASCENDENTE JESU IN NAVICULAM, etc. *Matth.* VIII, 23. — Vita nostra variabilis, 332, 1 ; 333, 1 et 2 ; 539, 1 : navium cursu velocior, 238, 2 ; 518, 2 : tentationibus exposita, 469, 1. Aqua symbolum abundantiæ, 341, 1 ; 466, 1 : hieroglyphicum tribulationis, 469, 2. Mare tempestuosum quale, 781, 2. Christo vadabile, 224, 1 et 2. Homo natus ad laborem, 130, 2 ; 132, 2. Umbra mortis qualis, 79, 2 : 80, 1. Ærumnis cinguntur electi, 359, 2. Tentationes nos circumdant, 361, 1. Tentatio violenta qualis, 591, 2 ; 717, 2 ; 721, 1. Ventorum pondus quale, 558, 1. Quies non est hujus vitæ, 86, 2.

IPSE VERO DORMIEBAT. — Somnus et evigilatio quid in Deo, 205, 2 : naturæ levamentum, 435, 2 : divitum qualis, 540, 2. Somnia divina qualia, 466, 1.

DOMINE, SALVA NOS, PERIMUS. — Deus invocandus in necessitate, 133, 2 ; 675, 1 : totus oculus, 301, 2 ; 471, 2 ; 521, 1 : suos servat, 119, 1 ; 184, 2 ; 240, 1 ; 255, 1 ; 482, 1. Deus refugium nostrum, 142, 1 ; 280, 1 ; 491, 2 : certaminum spectator, 237, 1 : multipliciter nos erudit, 673, 2.

QUID TIMIDI ESTIS MODICÆ FIDEI ? — Cogitationes hominum timidæ, 138, 1. Fragilitas humana merito timet, 163, 2. Correptio Dei utilis, 142, 2 ; 299, 2 ; 786, 1. Adversa in prosperis præmeditanda, 97, 1. Felicitas nimia est mali ominis, 125, 2. Afflictionum utilitas, 54, 1 ; 647, 1. Silentium in afflictione difficile, 74, 1 et 2. Mala quomodo sustinenda, 68, 1. Fiducia in arduis elucet, 305, 1 ; 359, 2. Eruditio Dei qualis, 680, 1. Opera Dei consideranda, 296, 1 : magnifica, 134, 1 , 225, 2. Solo Deo nitendum, 481, 1. Providentia Dei miranda, 129, 1 ; 138, 2 ; 196, 1 ; 492, 2 ; 693, 1. Custodia Dei firma, 199, 1 ; 373, 2. Mare ac venti obediunt Deo, 712, 2 ; 713, 1. Consolatio sequitur afflictionem, 648, 2 ; 672, 1.

DOM. V POST EPIPHANIAM.

VENIT INIMICUS HOMO, ET SUPERSEMINAVIT ZIZANIA, etc. *Matth.* XIII, 24. — Terra impiis permissa, 237, 2. Diabolus nunquam dormit, 593, 2 : ubique insidiatur, 181, 1 ; 191, 1 ; 375, 1 : impostor, 758, 2 ; 760, 1 ; 766, 1 : amat otiosos, 764, 1 ; 777, 2 : ubique tentat, 23, 2 ; 24, 2 ; 25, 1 ; 35, 2 : nocendi promptus, 34, 2 ; 114, 2 ; 781, 1 : omnia in malum trahit, 57, 2 ; 777, 1 : nil potest sine permissu Dei, 31, 1 et 2 ; 33, 2 ; 38, 2. Vitia virtuti affinia, 71, 2 : parva non parvi facienda, 206, 2 : sunt dæmonis semina, 387, 2 ; 388, 1. Defectus quotidiani non intelliguntur, 219, 2. Voluntas hominis inconstans, 404, 1. Voluptate trahuntur omnes, 425, 2. Carnis peccatum lubricum, 393, 2 ; 757, 2. Somnus animanti necessarius, 192, 2 ; 435, 1 : patet illusionibus, 758, 1. Tentatio sensim hominem consumit, 118, 1 : cos virtutis, 39, 2 ; 57, 2 : ab initio cavenda, 52, 2 : qualiter sustinenda, 69, 2 : multiplex, 144, 1. Peccatum menti tenebras offundit, 140, 1 : Dei provocat vindictam, 107, 1. Justi tabescunt zelo Dei, 601, 1.

SINITE UTRAQUE CRESCERE, etc. — Fragilitas humana commiseratione digna, 319, 1. Sancti quoque nævis non carent, 83, 2. Festinatio in calamitate periculosa, 103, 1. Opportunitas ubique servanda, 114, 2. Pœnitentia non procrastinanda, 260, 2 : delet peccata, 273, 2 ; 339, 2. Tempus pœnitentiæ est summum beneficium, 508, 2. Benignitas Dei magna, 474, 1 ; 509, 2. Misericordia in Deo eminet, 167, 2 ; 200, 1 et 2 ; 280, 1. Mala juste permittit Deus, 246, 1. Patientia Dei non abutendum, 499, 1 ; 509, 1. Exspectatio creaturæ qualis, 415, 1. Consilia Dei hominibus arcana, 495, 1 ; 498, 2. Angeli tutores nostri, 121, 2 ; 648, 1 ; 672, 1 : varia habent ministeria, 22, 1 ; 22, 2. Vocationi Dei respondendum, 327, 1. Messem impii comedent alieni, 128, 1. Justitia Dei statera æquitatis, 155, 1 ; 610, 2. Retributio cuique est post hanc vitam, 456, 1. Judicium Dei irrefragabile, 617, 2 ; 661, 2 : severum, 232 , 1 ; 240, 2 ; 320, 2 ; 517, 1. Reprobatio culpam sequitur, 287, 2. Impiorum portio maledicta, 504, 2.

DOM. VI POST EPIPHANIAM.

SIMILE EST REGNUM COELORUM GRANO SINAPIS, *Matth.* XIII, 31. — Doctrina Dei qualis, 647, 2 ; 680, 1. Verbum Dei quo spiritu prædicandum, 519, 2 ; 523, 1 et 2 : est cibus animæ, 203, 1. Virtus animum erigit, 481, 1 : sui admirationem parit, 26, 2. Pietatis cura præcipua, 18, 1. Humilitas secura, 709, 1 : exaltatur, 119, 1 ; 137, 1 ; 311, 1 et 2 ; 678, 1. Parva magni facienda, 206, 2. Cognitio sui scientiarum maxima, 310, 2. Mysteria Dei inscrutabilia, 688, 2. Vigilantia necessaria, 197, 2. Gratia Dei efficax, 116, 2 ; 253, 2 ; 254, 1 ; 270, 2 ; 271, 1 ; 707, 2.

ITA UT VOLUCRES COELI VENIANT, etc. — Phœnix an et qualis avis sit, 576, 1. Accipiter quomodo plumas renovet, 745, 1. Aquilæ natura et nidificandi ratio. 746, 1. Aquila spiritalis qualis, 747, 1 et 2 ; 748, 1 et 2. Conscientiæ bonæ jubilus, 216, 2 ; 234, 2 ; 243, 2 ; 249, 1 ; 480, 1. Peregrini sumus in hoc mundo, 332, 2. Vocationi Dei respondendum, 327, 1. Desideria pia sunt signum gratiæ, 485, 2. Meditatio illuminat et accendit, 274, 2. Justis quantum gaudium sit, 69, 2 ; 216, 1. Cœli enarrant gloriam Dei, 224, 2. Sancti portant orbem, 231, 1. Christus noster mediator, 243, 2. Deus refugium nostrum, 140, 2 ; 141, 1 et 2. Vir perfectus est Dei habitaculum, 197, 1. Hyades sunt doctores, 225, 2.

SIMILE EST REGNUM COELORUM FERMENTO, etc. — Sinceritas Deo grata, 263, 1 ; 280, 1. Puritas cordis Deum videt, 340, 1. Cupiditates debellandæ, 182 , 1. Memoria justi sempiterna, 276, 2 ; 303, 1 ; 314, 2.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

SIMILE EST REGNUM COELORUM HOMINI PATRIFAMILIAS, etc. *Matth.* XX, 1. — Patrisfamilias officium quale, 150, 1. Famuli ad quid habendi, 11, 2 ; 12, 1 et 2 ; 619, 1 : stipendiis non fraudandi, 183, 2 ; 632, 1. Vita nostra militia, 179, 1. Mercenarii dies nostri, 183, 2 ; 322, 2. Homo natus ad laborem, 130, 2 ; 132, 2. Vitæ incertitudo summa, 186, 1 ; 187, 2 ; 316, 1 ; 332, 1. Vita brevis, ars longa, 207, 1 ; 320, 2. Tempus cuique præstitutum, 546, 2. Vocationi divinæ parendum, 327, 1. Præsens tempus bene collocandum, 184, 1.

QUID HIC STATIS TOTA DIE OTIOSI ? — Otium pulvinar diaboli, 764, 1. Labor est lux mentis, 694, 2 : lætitiam parit, 536, 2. Laborum finis gloriosus, 131, 1 et 2 : ponderator Deus, 237, 1 : præmium est cœlum , 274 , 1. Mane surgendum ad Deum, 205, 1 et 2. Conversio ad Deum triplex, 649, 2. Correptio Dei utilis, 142, 2 ; 299, 2. Patientia Dei non abutendum , 499, 1. Manus sunt organum organorum, 272, 1 ; 699, 1. Præmiorum spe animus est erigendus, 182, 2.

ET ACCIPIENTES MURMURABANT, etc. — Imperfectorum semitæ involutæ, 171, 1. Retribuitur unicuique secundum opera, 456, 1. Mysteria Dei inscrutabilia, 688, 2. Gratiæ Deo semper agendæ, 69, 1. Charitas aliena bona sua reputat, 91, 2. Invidia pusillorum est , 124, 1 : vitium diabolicum, 56, 2 ; 91, 1 : excæcat, 140, 1. Susurrones quales, 81, 2 ; 141, 1 ; 145, 2 ; 176, 1. Disputare cum Deo temerarium, 287, 1 ; 297, 2. Æstus symbolum laboris, 721, 2. Accincti iidem qui strenui, 707, 1. Deus expers iniquitatis, 654, 2 : regit mundum , 657, 1 : judex incorruptus, 158, 1 ; 660, 2 ; 664, 1 : extrema hominis excutit, 716, 1 : reddit cuique pro meritis, 635, 1 : dominium habet perfectissimum, 268, 2 : non habet judicem supra se, 220, 2 ; 232, 1 : non tenetur forma juris terreni, 662, 2. Corona qui perdatur, 663, 1 : alterius qui rapiatur, 663, 2. Messem Judæorum comedunt christiani , 128, 2. Vita æterna est merces operum, 656, 2.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

EXIIT QUI SEMINAT, etc. *Luc.* VIII, 5. — Visitatio et egressus Dei qualis, 197, 1 et 2. Doctrina quomodo seminanda, 523, 1 ; 581, 2. Doctoris munus quale, 543, 1 ; 693, 2 ; 697, 1. Docendi modus Dei optimus, 647, 2 ; 680, 1. Verbum Dei est semen spiritale, 203, 1 : corde excipiendum, 478, 1. Vigilantia necessaria, 197, 2. Desideria pia sunt semen gratiæ, 485, 2 ; 549, 1 et 2. Anima casta est terra desiderabilis, 593, 1 ; 607, 2. Cogitationes sunt operum radices, 214, 1 ; 394, 1. Pietas terram sterilem fœcundam reddit, 148, 1. Vita spiritalis qualis, 253, 2 ; 254, 1. Spiritalis fœcunditas maxima, 443, 1. Sapientia ubi reperiatur, 550, 2 ; 555, 1 ; 557, 1. Silentium animæ custodia, 261, 2 ; 299, 1. Cognitio sui scientiarum maxima, 310, 2. Incertitudo gratiæ magna, 235, 1. Sancti a Deo educuntur e vulva, 258, 1 : multipliciter probantur, 158, 1 et 2 ; 237, 1. Justus acervo tritici comparatus, 152, 1. Præsens tempus bene collocandum, 184, 1. Opportunitas captanda in monitionibus, 114, 2. *Semen* pro sobole et progenie sumitur, 151, 2 : hominis quomodo immundum sit, 320, 1. Diabolus seminator immunditiæ, 759, 1 et 2 ; 760, 1 : amat et occupat otiosos, 764, 2 : astutus tentator, 34, 2 ; 35, 2 ; 782, 1 : terram perambulat, 24, 2 : 25, 1 et 2 ; 52, 1 : electis insidiatur, 23, 1 ; 781, 1 : avi comparatur, 132, 1 : nil potest sine permissu Dei, 31, 1 et 2 ; 33, 2 ; 38, 2. Voluptas malorum esca, 388, 1 ; 425, 2. Vitiorum oblectamenta fallacia, 353, 2. Libido pudorem et dolorem gignit, 612,

http://www.obrascatolicas.com

2. Carnis bellum intestinum, 181, 2. Passionum sedes quæ, 181, 2. Divitiæ ex sese indifferentes, 29, 2; 30, 1 : fiunt arma iniquitatis, 346, 1 : mentem obtundunt, 347, 1; 452, 1 et 2. Felicitas nimia est mali ominis, 125, 2; 126, 2. Sæculares cæci in spiritalibus, 452, 1. Crimina sunt sentes, 588, 1. Milvi sunt rapaces, 348, 2. Tentationum initiis occurrendum, 52, 2 : modi septem, 144, 1; 331, 2; 361, 1. Vitia virtutis specie fallunt, 71, 2. Hypocritæ sunt steriles, 211, 1; 213, 1; 331, 1; 741, 1 et 2. Peccatoris agricultura qualis, 105, 2; 170, 2; 199, 2; 670, 1 et 2. Obduratio quid, 287, 2. Parabola quid, 209, 1; 530, 1. Aures audiendi quales, 109, 1.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Assumpsit Jesus duodecim, etc. *Luc.* xviii, 31. — Jesus occulta revelat, 294, 1; 328, 1 et 2; 650, 1 : prævidet omnia, 216, 2; 263, 2; 463, 1; 471, 2; 521, 1 : mediator hominum, 243, 1 : miserorum tutor, 280, 1 : mœrentium consolator, 137, 2; 356, 2 : vulnera explicat dum curat, 143, 1 : 157, 2 : lux in tenebris, 4, 1; 213, 2. Medici spiritalis munus, 102, 2; 351, 1 : gloria est salus ægri, 200, 1. Miles Christi gaudet adversis, 743, 2. Militia est vita nostra, 164, 2; 182, 2. Miseriæ hujus vitæ sunt omnibus communes, 255, 2 : faciunt nos Deum agnoscere, 688, 2. Adversa in prosperis præmeditanda, 97, 2. Consilia Dei nobis occulta, 495, 1; 498, 2; 785, 1 et 2. Judicia Dei sunt reverenda, 531, 1. Vestigia Dei sequenda, 489, 1. Etiam sancti nœvis non carent, 83, 2; 219, 2.

Cæcus quidam sedebat, etc. — Peccatores cæci, 139, 2; 295, 1; 387, 1; 556, 2. Tenebræ peccati quantæ, 79, 2; 83, 2; 502, 2. Peccatum inducit confusionem, 608, 1. Umbra mortis qualis, 79, 2. Pœnæ hujus vitæ breves vel parvæ, 675, 1. Plasmatio Dei sumus, 249, 2; 250, 1 et 2; 642, 1. Hominis structura mirabilis, 252, 2; 284, 1. Corpus est animæ carcer, 117, 1 : 191, 1. Tribulatio ad patientiam inungit, 68, 2. Spes animæ fortitudo, 103, 2. Fiducia in arduis elucet, 305, 1; 359, 2. Sanctorum propria, 134, 2; 166, 2. Imaginatio aliquando ipsa ærumna gravior, 158, 1; 194, 1. Innocentes multi patiuntur, 237, 2. Acerba dulcescunt consuetudine, 160, 1. Deus invocandus in necessitate, 133, 2. Affectus pius est medulla orationis, 271, 2; 313, 2. Lux symbolum virtutis, 83, 2; 721, 2. Consolatio sequitur afflictionem, 648, 2. Sustinentiæ fructus qualis, 790, 2.

DOM. I QUADRAGESIMÆ.

Jesus ductus est in desertum, etc. *Matth.* iv, 1. — Solitudo est nidus animæ, 577, 1 : servat a peccato, 736, 1. Tentatio est vita nostra, 179, 1; 316, 2; 332, 2, 469, 1 : est cos virtutis, 39, 2; 57, 2 : sensim consumit nos, 108, 1 : tentatio violenta qualis, 591, 1 : qualiter sustinenda, 69, 2. Tentationum initiis resistendum, 52. 2 : modi septem, 144, 1; 331, 2; 361, 1 : pondus humiliat, 558, 2. Diabolus avi comparatus, 132, 1; 346, 1 et 2 : cognitu difficilis, 774, 2 : a Christo captus, 770, 2 : ad nocendum promptus, 24, 2; 35, 2; 114 2 : leo rugiens, 107, 2 : ubique tentat, 23, 1 et 2; 24, 2; 25 1 et 2; 180, 2; 593, 2 : ceto similis, 190, 2 : peccatorem ligat, 288, 1 : superbiæ princeps, 342, 1; 346, 1 : cuique se accommodat ut fallat, 389, 1; 760, 1 : semel victus non cessat, 51, 1 : 759, 1 et 2 : nil potest sine Dei permissu, 31, 1 et 2; 33, 2; 38, 2 : frustra Jobum afflixit, 53, 1 et 2. Jobi custos factus est, 57, 1 et 2 : homines oppugnat, 21, 1 et 2; 163, 1 : animam pluris facit quam peccator, 56, 2; impostor, 114, 2; 758, 2; 774, 1; 778, 1 et 2. Diabolum suscitat qui ad perfectionem aspirat, 82, 2.

Dic ut lapides isti panes fiant, etc. — Carnis bellum intestinum, 181, 2; 533, 2. Cupiditates debellandæ, 182, 1. Voluptas est limus profundi, 682, 2. Voluptati repugnare difficile, 17, 1 et 2. Mendacii panis lapidescit, 426, 2.

Non in solo pane vivit homo, etc. — Verbum Dei est scutum animæ, 144, 2. Justi non pereunt fame, 144, 2; 145, 1; 146, 2 : probantur ut aurum, 488, 2. Spes animæ fortitudo, 103, 2 : in solo Deo locanda, 114, 2; 172, 2; 461, 2; 481, 1. Mortificatio quietem affert, 90, 1, Memoria Dei fugat peccatum, 301, 2; 314, 2; 470, 2. Gratia Dei cor stabilit, 116, 2.

Hæc omnia tibi dabo, etc. — Divitiæ sunt fomes peccati, 281, 2 : fluxæ non sunt in nostra potestate, 451, 2. Montes aurei sunt symbolum felicitatis, 479, 2. Divitiis fidere stultum est, 44, 2. Superbia Deum oppugnat, 26, 1; 345, 2. Vitiorum oblectamenta fallacia, 353, 2.

Vade, satana, etc. — Deus nunquam deserendus, 491, 1 : certaminum spectator, 237, 2. Vestigia Dei sequenda, 489, 1. Gloria Dei propriis commodis præferenda, 92, 2. Protectio Dei qualis, 29, 2; 146, 1; 280, 1 : obtentu facilis, 482, 1. Fortitudo justi fundatur in fide, 743, 2. Adversitas justi prospera fit, 184, 2. Vigilantia necessaria, 197, 2; 205, 1 et 2; 687, 2. Contendere cum Deo temerarium, 219, 1; 220, 1; 226, 2; 297, 2; 749, 2, 787, 2. Vexatio utilis, 487, 2. Bona minora pro majoribus exponenda, 55, 1; 545, 2. Quies non est hujus vitæ, 86, 2. Mala quomodo sustinenda, 68, 1. Tribulatio patientiam parit, 68, 2; 280, 1 et 2; 486, 2. Dies sustinentiæ sunt proprie nostri, 77, 2. Resignatio perfecta qualis, 46, 2. Virtutis perfectio in quo sita sit, 70, 2; 161, 2. Virtus enitet in adversis, 161, 2; 551, 2. Præmiorum spe animus erigendus, 182, 2.

Et ecce angeli accesserunt, etc. — Christus est caput Ecclesiæ, 768, 2 : mediator noster, 243, 1 : quibus armis pugnet, 753, 1 : diabolum alligavit, 770, 2. Angeli tutores nostri, 121, 2 : spiritus ministri, 22, 1 et 2. Spirituum discretio difficilis, 774, 2. Gratiarum actio necessaria, 142, 2. Cœli enarrant gloriam Dei, 224, 1.

DOM. II QUADRAGESIMÆ.

Et transfiguratus est ante eos, etc. *Matth.* xvii, 2. — Christus lux in tenebris, 4, 1; 213, 2 Lux est quasi forma rerum, 716, 2 : symbolum lætitiæ, 693, 2. Splendor verus a virtute, 13, 2. Sanctitatis et lucis consensio, 15, 2 : 83, 2. Aspectus Dei animam venustat, 679, 1. Puritas accessum habet ad Deum, 17, 1 : cordis Deum videt, 340, 1. Virtutes sunt animæ vestes, 572, 1. Deus glorificatur in sanctis, 26, 2 : incomprehensus, 266, 1 : invisibilis, 488, 1 : oceanus consolationum, 138, 1 et 2; 556, 2 : scientiarum Dominus, 285, 2. Dei locutio qualis, 24, 2; 263, 2 : inspiratio est verbum absconditum 110, 1 : Dei consilia hominibus arcana, 495, 1; 498, 2 : mysteria inscrutabilia, 688, 2 : majestas non scrutanda, 231, 1 : 689, 1; 704, 2 : Dei notitia qualis, 247, 1 et 2 : opera consideranda, 296, 2; doctrina qualis, 647, 2; 680, 1 : vox in quiete innotescit, 646, 1; 651, 2 : sermones corde excipiendi, 478, 1; 490, 2 : visitatio qualis, 197, 1 et 2; 198, 1; 253, 1 et 2. Notitia sui est fundamentum virtutis, 708, 2 : est difficillima, 227, 1, 328, 2; 689, 2 : est altera regeneratio, 382, 1. Quies non est hujus vitæ, 86, 2.

Et ecce vox de nube, etc. — Nubes est thronus Dei, 523, 2; 691, 2 : symbolum obedientiæ, 701, 1. Pietatis cura præcipua, 18, 1. Nox revelationibus apta, 110, 2. Meditatio illuminat et accendit, 274, 2 : clavis veritatis, 192, 2. Purificatio præmittenda orationi, 272, 2. Preces quæ sint mundæ, 366, 2. Affectus sunt animi pedes, 490, 1. Conversatio interior qualis, 566, 1. Cor divinis inspirationibus pateat, 578, 2. Desiderium cœleste est animæ vita, 549, 2; 623, 2. Desiderium cœleste non reperitur a carnalibus, 549, 2. Oratio non petat cupiditati grata, 34, 1. Anima potior omnibus, 31, 2; 56, 2. Contemplatio actioni jungenda, 184, 2 : est mysticum sepulcrum, 93, 2. Mystica theologia qualis, 112, 2; 673, 2; 688, 1 et 2. Expectatio creaturæ qualis, 415 1.

DOM. III QUADRAGESIMÆ.

Erat ejiciens dæmonium, etc. *Luc.* xi, 14. — Dæmon amat otiosos, 764, 1 : nocendi studiosus, 56, 2 : terram perambulat, 24, 2; 25, 1 et 2; 52, 1; 107, 2 : nobis insidiatur, 21, 1; 23, 1; 132, 1; 180, 2 : fallax, 25, 1 et 2; 35, 2 : malignus, 28, 1; 57, 2; 114, 2 : in morte sævissimus, 277, 2 : peccatores ligat, 288, 1. Dæmonis fortitudo in quo sita sit, 754, 2; 768, 1 : ossa sunt tentationes, 752, 2 : vires Deus reprimit, 760, 1 et 2; 760, 1; 762, 1 et 2; 770, 2; 773 1 et 2. Corpus est animæ carcer, 117, 1; 191, 1 : mentem gravat, 117, 2. Peccatum solum est malum, 23, 1.

Cum fortis armatus, etc. — Protectio Dei murus adamantinus, 29, 2; 142, 1 et 2; 146, 2; 372, 2. Tyranni pauperes opprimunt, 507, 2; 520, 2. *Destruere et ædificare* quid, 287, 1. Deus gubernat mundum, 657, 1 : multipliciter nos erudit, 673, 2; 680, 1 : superbis resistit, 346, 1; 481, 2 : custos hominum, 199, 1; 280, 1 et 2; 555, 1. Mali a Deo egredi dicuntur, 34, 1. Vitia sunt dæmonis arma, 387, 2. Carnales sunt lutea vasa, 117, 1; 594, 2. Iniquitates virum venantur, 204, 2. Voluptas malorum esca, 425, 2. Voluntas hominis inconstans, 404, 1. Vita tentationibus referta, 179, 1; 180, 1 et 2; 469, 1. Vir perfectus est Dei habitatio, 197, 1. Memoria Dei fugat peccatum, 470, 2 : impiorum perit, 303, 1; 314, 2. Vigilantia necessaria, 197, 2. Fragilitas hominis magna, 319, 1. Resistere Deo nemo potest, 287, 1; 297, 2. Cor hominis est Dei tabernaculum, 566, 1; 609, 2; 787, 1. Tabernaculum impiorum perit, 217, 1. Gratia Dei sola cor stabilit, 116, 2.

DOM. IV QUDRAGESIMÆ.

Sequebatur eum multitudo magna, etc. *Joan.* vi, 2. — Temporalia saluti animæ postponenda, 55, 1. Vestigia Dei sequenda, 489, 1. Ambulandum cum Deo, 653, 1. Puritas accessum habet ad Deum, 17, 1; 607, 2. Affectus sunt animi pedes, 313, 2; 490, 1. Abnegatio sui necessaria, 377, 2. Fiducia in arduis elucet, 305, 1. Locutio Dei qualis, 263, 2. Verbum Dei est pabulum animæ, 203, 1 : corde excipiendum, 478, 1. Prædicatio igni et tonitruo comparata, 693, 1; 722, 1. Virtutis via ardua, 551, 2. Virtus animum erigit, 481, 1 : adversitate perficitur, 161, 2. Accincti iidem qui strenui, 707, 1. Obedientia sit infatigabilis, 726, 2. Christus cervo assimilatus, 734, 1 : desiderium sanctorum, 592, 2. Sancti sunt termini terræ et tentoria Dei, 692, 1; 697, 2.

Unde ememus panes, etc. — Deus omnipotens, 135, 1 : 268, 1 : patronus egenorum, 140, 2; 142, 1; 621, 2; 678, 2; 679, 2; 681, 2 : mœrentium consolator, 137, 2; 280, 1. Caro nostra rigidus exactor, et discrete regenda, 736, 2. Divites obligantur ad opera misericordiæ, 466, 2. Cogitationes hominum timidæ, 138, 1. Misericordia in Deo eminet, 167, 1 et 2; 200, 1 et 2. Necessitates Deo revelandæ, 675, 1. Tentatio est cos virtutis, 39, 1; 57, 2; 69, 2. Spes in solo Deo collocanda, 172, 2. Sancti a cœlo suspensi, 161, 1; 195, 1. Exspectatio est substantia justorum, 416, 1.

Facite illos discumbere, etc. — Visitatio Dei qualis, 197, 1 et 2; 198, 1; 253, 1 et 2. Auxilium Dei in promptu est, 482, 1. Providentia Dei reguntur universa, 129, 1; 138, 2; 196, 1; 522, 2; 693, 1. Consilia Dei hominibus arcana, 495, 1; 498, 2. Convivia quæ bona sint, 14, 2 : quomodo frequentanda, 15, 1. Justus non perit fame, 105, 1; 144, 2 : 145, 1; 146, 2. Labor lætitiam parit, 536, 2; 694, 2. Servis quid domini debeant, 618, 2. Mercenarii dies quales, 322, 2. Negligentes temere præsumunt de auxilio, 596, 1. Resignatio perfecta qualis, 46, 2. Consolatio sequitur afflictionem, 648, 2; 672, 1. Beneficentia præterita est futuræ arrha, 415, 1. Opera Dei magna, 225, 2 · 296, 2. Sapientiæ pretium inæstimabile, 551, 1; 553 2.

DOMINICA PASSIONIS.

Quis ex vobis arguet me de peccato? *Joan.* viii, 46. — Opprobria superare gloriosissimum, 400, 2. Simplicitas quanta virtus, 5, 2; 6, 1; 215, 1; 280, 1. Rectitudo quotuplex, 7, 1 et 2. Detractor tres lædit, 141, 1. Susurrones quales, 176, 1. Maledici Deo exosi, 417, 2. Justus circumvenitur a peccatoribus, 458, 2. Iniquitas subservit probationi justorum, 488, 2. Peccatores luci rebelles, 499, 2; 500, 1; 502, 1 et 2. Impii Deum a se repellunt, 450, 2 : in malo concordes, 775, 2. Mundani respuunt sapientiam, 556, 1. Correptio adhibenda etiam ubi non profutura sit, 637, 2 : discrete tractanda, 730, 1. Judicium temerarium cavendum, 788, 1. Malignitas bona extenuat, 28, 2; 56, 2; 358, 2. Malignos Deus aversatur, 215, 2. Contumelia toleratu gravissima, 397, 1.

Dæmonium habes. — Blasphemia quale peccatum, 685, 2. Dæmon homines obsidet, 21, 1; 34, 2 : electis insidiatur, 23, 1; 25, 1; 52, 1; 180, 2 : caput impiorum, 768, 2 : a Christo ejectus, 770, 2. Ingratitudo vitium infame, 32, 1. Invidia vitium pusillorum, 124, 1. Invidi palpant in meridie, 140, 1. Lingua gladius acutus, 140, 2. Perturbationes sunt diaboli characteres, 181, 2; 182, 1.

Ego dæmonium non habeo, etc. — Veritas vita charior, 309, 1; 641, 1. Contentio fugienda, 177, 1; 178, 1; 242, 2 : cum Deo temeraria, 219, 1; 220, 1; 226, 2; 749, 2; 787, 2. Resistere Deo nemo valet, 287, 1; 297, 2 : superbi resistit Deus, 346, 2; 421, 2. Correptio Dei utilis, 142, 2; 299, 2; 786, 1. Laudes aucupari vanum est, 271, 1, Gloria humana fallax, 317, 2; 318, 2. Viæ sæculi quales, 472, 2. Antiquitas consulenda, 206, 2; 460, 2. Memoria justi sempiterna, 276, 2; 460, 2. Æternitas soli Deo competit, 247, 2. Ignorantia affectata pessima, 664, 1.

DOMINICA PALMARUM.

Cum appropinquasset Jesus Hierosolymis, etc. *Matth.* xxi, 1. — Justi sunt peregrini super terram, 332, 2; 457, 2. Visitatio Dei qualis, 197, 1 et 2; 198, 1; 253, 1 et 2. Adventus Christi desideratus, 46, 2; 592, 2. Vestigia Dei sequenda, 489, 1. Notitia sui scientia maxima, 193, 1; 310, 2; 528, 2. Vocationi divinæ respondendum, 327, 1. Resistere Deo frustraneum est, 287, 1. Prudentia sæculi præpostera, 551, 1.

Ecce rex tuus venit, etc. — Triumphus simplicitatis, 5, 2; 6, 1; 41, 1; 45, 1; 215, 1; 280, 1. Virtus sui admirationem parit, 26, 2 : honorabilem reddit, 569, 1. Splendor verus ex virtute, 13, 2; 15, 2. Famæ bonæ odor optimus, 277, 1. Reges non debent subditos nimis gravare; 468, 1. Superbi tyrannidem exercent, 342, 2; 346, 1. Hypocritæ congregatio sterilis, 346, 1; 351, 1.

Et adduxerunt asinam, etc. — Onager symbolum insani, 271, 1 : item hominis solitarii, 735, 1 et 2; 737, 1. Humilitas secura, 709, 1. Humiles Dei gloriam quærunt, 137, 1; 231, 1. Simplices Deo grati, 215, 1 et 2; 263, 1. Puerilis ætas flexilis, 445, 2. Palma est symbolum justi, 576, 2. Puritas habet accessum ad Deum, 17; 1, 340, 1. Cœli enarrant gloriam Dei, 224, 1. Creaturæ prædicant Creatorem, 283, 1. Pax quomodo colenda, 477, 1 et 2 : pax Dei inconcussa, 664, 2. Opera Dei magnifica, 135, 2; 225, 2; 296, 2.

Hosanna filio David, etc. — Conscientiæ bonæ jubilus, 216, 2; 249, 2. Sacrificium laudis Deo gratum, 481, 2, Doctrina Dei qualis, 647, 2; 673, 2 : corde excipienda, 478, 1. Mysteria Dei inscrutabilia, 688, 2. Bona non male interpretanda, 28, 2. Voluntas hominis inconstans, 404, 1. Adversa in prosperis meditanda, 97, 1. Salus hominum vana, 166, 1; 173, 1 et 2; 311, 1. Humana gloria caduca, 317, 2; 318, 2 : felicitas transitoria, 421, 1 et 2; 538, 1. Favor popularis parvi faciendus, 441, 2; 461, 2. Amici infidi non permanent in tribulatione, 168, 1,

http://www.obrascatolicas.com

DOMINICA RESURRECTIONIS.

Valde mane una sabbatorum, etc. *Marc.* xvi, 2. — Matutinum tempus orationi aptissimum, 17, 2. Auroræ palpebræ quales, 83, 2. Nox apta revelationibus, 110, 2. Virtus perficitur adversitate, 161, 2 : in ardno sita, 551, 2. Vigilantia necessaria, 199, 2 ; 205, 2 ; 687, 2. Affectus sunt animi pedes, 313, 2; 490, 1. Defuncti memoria recolendi, 460, 2. Sepulcri memoria utilis, 44, 1; 275, 2. Sepulcrum justi gloriosum, 94, 2 : est domus nostra, 371, 2 : docet nos veritatem, 459, 1; 460, 1. Contemplatio est mysticum sepulcrum, 93, 2. Deus quærendus actione et contemplatione, 133, 2; 184, 2 : mœrentium consolator, 137, 2.

Ut venientes ungerent. — Amici pauci in adversis, 71, 2. Famæ bonæ odor optimus, 277, 1. Sinceritas Deo grata, 263, 1 ; 280, 1. Spes animæ fortitudo, 103, 2 : nostra Deus, 142, 2. Christus est desiderium sanctorum, 592, 2 : caput Ecclesiæ, 768, 2 : sapientia in mysterio, 562, 1.

Quis revolvet nobis lapidem? — Cogitationes hominum timidæ, 138, 1 ; 163, 2. Petra symbolum virtutis, 568, 1. Laborum finis gloriosus, 131, 1 et 2 ; 536, 2. Deo soli innitendum, 481, 1. Auxilium Dei facile, 482, 1. Gratia Dei stabiles facit, 116, 2.

Et introeuntes in monumentum, etc. — Angeli sunt milites Dei, 514, 1 ; 710, 1 : quomodo appareant, 21, 2; 111, 2; 112, 1 : testes Christi, 257, 1 et 2; 557, 1 et 2. Deus admiscet gaudium tribulationi, 648, 2; 672, 1. Lux symbolum virtutis, 15, 2; 83, 2; 721, 2. Mors somno comparata, 85, 1; 234, 1; 276, 1 : justis exoptata, 93, 1 et 2; 161, 1 et 2. Resurrectio est supernaturalis, 324, 1 et 2 : altera nativitas, 326, 2 : a Jobo prædicta, 413, 2; 414, 1 : expectatio creaturæ, 415, 1. Phœnix est symbolum resurrectionis, 576, 1 et 2.

FERIA II PASCHÆ.

Duo ex discipulis Jesu ibant, etc. *Luc.* xxiv, 13. — Via justi recta, 377, 2; 489, 1 ; 504, 1. Sancti in hoc mundo peregrini, 332, 2; 457, 2 : ambulant coram Deo, 653, 1 : nævis non carent, 83, 2 : multipliciter probantur, 158, 1 et 2; 237, 1. Tentatio cos virtutis, 39, 2; 57, 2 : fortiter sustinenda, 69, 2 : initio cavenda, 52, 2. Conversatio qualis esse debeat, 582, 1. Imperfectorum semitæ involutæ, 171, 1. Anxietas spiritus gravissima, 401, 1. Vita hæc miseriis referta, 316, 2; 421, 1. Spes temporalis frivola, 461, 2. Lugentium gestus quales, 72, 1.

Et ipse Jesus appropinquans, etc. — Deus nunquam suos deserit, 255, 1 : invisibilis, 488, 1 : multipliciter nos erudit, 673, 2 : mœrentium consolator, 137, 2 : medicus animarum, 143, 1 et 2. Christus lapis angularis, 710, 1. Miseriæ tenebris comparatæ, 94, 2. Peccatum obtenebrat, 140, 1; 387, 1. Querimonia moderata non est illicita, 189, 2. Fragilitas humana commiseratione digna, 319, 1. Desideria pia sunt signum gratiæ, 592, 2. Notitia Dei obscura 688, 2.

O stulti et tardi corde, etc. — Correptio Dei utilis, 142, 2; 299, 2; 637, 2; 786, 1 : occulta revelat, 294, 1 ; 650, 1 : corde excipienda, 478, 1. Schola Dei qualis, 647, 2. Scriptura est unica Dei vox, 645, 1. Mala quomodo sustinenda sint, 68, 1. Tribulatio ad patientiam inungit, 68, 2; 647, 1. Perturbatio non debet nos percellere, 492, 2. Fortitudo christiani fundatur in fide, 103, 2; 743, 1. Spes in adversis patientia potior, 66, 1; 103, 2; 305, 1. Robur humanum est mera imbecillitas, 90, 1. Homo natus ad laborem, 130, 2; 132, 2; 179, 2; 182, 2. Sapiens nemo sibi, 378, 2. Medici spiritalis munus, 102, 2.

Nonne cor nostrum ardens erat, etc. — Inspiratio divina est verbum absconditum, 109, 1. Meditatio est clavis veritatis, 192, 2. Verbum Dei illuminat et accendit, 274, 2 : est animæ alimentum, 203, 1. Crux Christi est sapientia in mysterio, 562, 1.

FERIA III PASCHÆ.

Stetit Jesus in medio, etc., *Luc.* xxiv, 36. — Jesus lux in tenebris, 4, 1; 213, 2 ; medicus spiritalis, 143, 1; 200, 1 : consolator verus, 137, 1 ; 356, 2 : expositus in signum charitatis, 360, 1 : protectio nostra, 372, 2 : dat pacem discipulis, 477, 1 : cervo assimilatus, 734, 1. Pax triplex, 477, 1 : concordat omnia, 513, 1 : inconcussa, 664, 2. Secura mens juge convivium, 480, 2.

Quid turbati estis, etc. — Consolandi munus quale, 355, 1 ; 583, 2. Fiducia sanctorum propria, 134, 2; 176, 2. Tristitia non dejicit justum, 75, 1. Gratia Dei stabilit cor, 116, 2. Humiles a Deo eriguntur, 119, 1; 137, 1. Deus ubique adest, 267, 1; 470, 1; 521, 1 et 2. Aspectus Dei recreat, 679, 1.

Videte manus meas, etc. — Nuditatis triumphus quantus, 41, 1 ; 45, 1 et 2. Visitatio Dei qualis, 197, 1 et 2; 198, 1; 253, 1 et 2. Faciem ostendere et abdere quid, 311, 1. Veritas quomodo investiganda, 77, 1; 532, 2. Puritas cordis videt Deum, 273, 2; 340, 1. Hominis structura mirabilis, 252, 2 ; 284, 1. Opera Dei magna, 135, 2 ; 225, 2 : consideranda, 296, 2. Experientia rerum magistra, 338, 2. Spirituum apparitiones quales, 111, 2; 112, 1. Resurrectio gloriosa dicitur immutatio, 326, 1 et 2. Lumen animæ quale, 499, 2. Mystici theologi a Deo docti, 672, 2. Consolatio sequitur afflictionem, 648, 2; 672, 1.

DOMINICA IN ALBIS.

Pax vobis, *Joan.* xx, 19. — Pax bonorum complementum, 148, 2. Pacis actiones quales, 477, 2. Deus omnipotens, 135, 1 : mœrentium consolator, 137, 2 : custos hominum, 199, 1 : omnia penetrat, 204, 1 ; 294, 1; 748, 1; 783, 2 : occulta profert in lucem, 294, 2; 650, 1 : cordium scrutator, 609, 2; 784.

Thomas autem unus ex duodecim, etc. — Homo ex se nihil sine gratia Dei, 165, 2 : ignorat consilium Dei, 495, 1; 498, 2. Diabolus electis insidiatur, 23, 1. Tentatio consumit hominem, 118, 1 ; 144, 1 : prodest ad salutem, 39, 2; 57, 2. Peccatum tenebras offundit, 140, 1 ; 295, 1. Contendere cum Deo temerarium, 219, 1; 220, 1 ; 226, 2. Etiam justi defectus suos non intelligunt, 219, 2. Cognitio sui necessaria, 150, 1 ; 310, 2; 708, 2. Fragilitas hominis commiseratione digna, 319, 1. Peccati lapsus facilis, 515, 1. Sapiendum ad sobrietatem, 519, 2.

Deinde dicit Thomæ, etc. — Hominis obliviosi Deus memor est, 196, 2. Christus mediator noster, 243, 1 : vulnus explicat ut curet, 143, 1. Calamus quassatus non frangendus, 312, 1. Medici spiritalis munus quale, 102, 2 ; 200, 1. Spiritus maxima cura sit, 55, 1 et 2. Opportunitas in monitionibus servanda, 114, 2. Dextera symbolum auxilii, 327, 2. Auxilium Dei in promptu est, 482, 1. Schola Dei qualis, 647, 2 ; 673, 2 ; 680, 1. Gloria medici est salus ægri, 200, 1.

Dominus meus, et Deus meus. — Peccatum cognoscendum ut curetur, 786, 1 et 2. Compunctio inducit pœnitentiam, 193, 1 ; 787, 1. Compunctionis motiva quatuor, 646, 2. Conversio ad Deum triplex, 649, 2. Pœnitentis veri partes, 245, 1. Pœnitentes liberaliter excipiuntur a Deo, 206, 1. Pœnitentia delet peccata, 273, 2 ; 307, 1. 339, 2. Confessio humilis Deum placat, 629, 2 ; 650, 1. Resignatio perfecta qualis, 46, 2. Gratia Dei est vita animæ, 253, 1 ; 254, 1. Cor pertinet ad intellectum, 279, 2 ; 367, 1. Sapientia trahitur de occultis, 554, 1 ; 555, 1 ; 625, 2. Spiritalis resurrectio qualis, 326, 2; 327, 1. Mysteria Dei inscrutabilia, 688, 2; 704, 2. Mystica theologia qualis, 112, 2. Laosus aliorum nos erudit, 602, 1.

DOMINICA II POST PASCHA.

Ego sum pastor bonus, etc. *Joan.* x, 14. — Deus expers iniquitatis, 654, 2. Deus regit mundum, 657, 1 : totus oculus, 471, 2. Christus pastor hominum, 199, 1 : nunquam nos deserit, 146, 1 ; 255, 1 ; 373, 2. Sermones Dei corde excipiendi, 478, 1. Doctrina captui auditorum accommodanda, 581, 2. Doctoris munus quale, 543, 1. Pastor malus est gregis pernicies, 666, 1. Vestigia Dei sequenda, 489, 2 , 490, 1. 653, 1. Educatio puerorum maximi momenti, 18, 2; 19, 1 ; 445, 2. Ovis symbolum innocentiæ, 793, 1. Simplicitas qualis virtus sit, 5, 2 ; 6, 1. Vita nostra militia, 179, 1. Vigilantia necessaria, 197, 2; 205, 2 ; 687, 1. Providentiæ est malis occurrere, 97, 2 ; 196, 1. Officium patrisfamilias, 150, 1. Aures audiendi quales, 109, 1. Dei jurisdictio in omnes est, 456, 1 : laus maxima est liberare oppressos, 58, 2 : gloria propriis commodis præferenda, 92, 2 : gratia stabiles facit, 116, 2. Nemo sibi satis sapiens, 378, 2. Puritas accessum habet ad Deum, 17, 1 ; 607, 2. Justi non audiunt vocem diaboli, 90, 2.

Mercenarius autem, etc. — Mercenarii dies quales, 183, 2 ; 322, 2. Princeps debet esse vindex pauperum, 572, 1 ; 574, 1; 660, 2 : princeps avarus lupo similis, 468, 1. Tyranni suos opprimunt, 507, 1. Prælati negligentes officio privandi, 617, 2. Impostores fiunt manifesti, 289, 2. Doctores mali pestes, 292, 2. Vitia sunt dæmonis retia, 277, 2 ; 295, 2 ; 387, 2 : noscenda ut corrigantur, 310, 2. Maligni tantum in vitia intenti, 358, 2. Prædonum studium quale, 427, 2; 497, 1. Diabolus avi comparatus, 132, 1 : dux superborum, 346, 2 : leo rugiens, 107, 2 : cuique se accomodat ut fallat, 389, 1 : in morte sævit, 108 1; 277, 2.

DOMINICA III POST PASCHA.

Modicum, et jam non videbitis me, etc. *Joan.* xvi, 16. — Vita brevis, 207, 1 et 2; 316, 1; 320, 2; 321, 1 : miseriis referta, 316, 2 ; 421, 1 : vita spiritalis qualis, 253, 2; 254, 1. Tempus edax rerum, 331, 1 : cuique rei præstitutum, 646, 2 : tempus præsens bene collocandum, 184, 1. Creata omnia veterascunt, 580, 1. Quies non est hujus vitæ, 86, 2. Repente tam bona quam mala accidunt, 4, 2. Deus dilectis se abdit, 254, 2; 595, 2. Exspectatio creaturæ qualis, 415, 1. Cogitationes hominum timidæ, 138, 1.

Plorabitis, et flebitis vos. — Vexatio utilis, 487, 2. Tentationum modi septem, 57, 2. Molesta cur accidant justis, 237, 1 ; 246, 1. Anxietas spiritus gravissima, 401, 1. Lugentium gestus quales, 72, 1. Doloris signa cum virtute consistunt, 41, 2. Labores sunt justi compedes, 191, 1. Detrimenta hujus vitæ parvi facienda, 383, 1. Perturbatio rerum non debet nos percellere, 492, 2. Sancti multipliciter probantur, 158, 1 et 2; 237, 1 et 2 ; 488, 2. Patientia præstat cæteris virtutibus, 39, 2. Dies sustinentiæ sunt fructuosissimi, 72, 2 ; 390, 2. Mortificatio quietem affert, 90, 1. Gloria Dei nostris commodis præferenda, 92, 2.

Mundus autem gaudebit. — Prosperitas impiorum ruina, 444, 2; 453, 1 ; 473, 1 : facile mutatur, 597, 1 ; 625, 2 : plurimos offendit, 357, 2; 376, 2; 499, 1; maledicta, 564, 2. Homines ut folia cadunt, 311, 1. Divites in morte inanes, 453, 2 ; 454, 2. Musica instrumenta lasciviæ fomenta, 446, 2. Favor humanus fallax, 441, 2; 455, 1.

Iterum autem videbo vos, etc. — Visitatio Dei qualis, 197, 1 et 2 ; 198, 1; 253, 1 et 2. Spes est solatio afflictis, 193, 2. Præsentia Dei amuletum peccati, 249, 1 ; 301, 2. Conversatio interior cum Deo qualis, 566, 1. Virtus animum erigit, 481, 1. Somnus et evigilatio Dei qualis, 205, 2. Justi ambulant vias rectas, 377, 2 : post mortem vivunt Deo, 367, 2. Consolatio sequitur afflictionem, 648, 2; 672, 1. Judicii dies ordinabit omnia, 475, 2 ; 517, 1 et 2.

DOMINICA IV POST PASCHA.

Vado ad eum qui misit me, etc. *Joan.* xvi, 5. — Bona minora pro majoribus relinquenda, 54, 2. Gloria Dei nostris commodis prælabenda, 92, 2. Spiritus cura præcipua sit, 55, 1 et 2. Homo natus ad laborem, 130, 2; 132, 2. Laborum finis gloriosus, 131, 1 et 2. Tentationes utiles ad salutem, 57, 2. Mortis meditatio necessaria, 87, 1 ; 229, 1 ; 260, 2. Fletus pœnitentiæ condimentum, 96, 2. Perfectio lacrymis impetranda, 96, 1. Deus mœrentium consolator, 137, 2. Virtus in adversitate perficitur, 161, 2; 184, 2. Spes in adversis sustentat, 66, 1. Passiones sedandæ, 273, 1. Fragilitas humana timida, 163, 2; 310, 1.

Et cum venerit ille, arguet mundum, etc. — *Arguere* quid, 173, 2; 459, 1. Correptio Dei utilis, 142, 2; 299, 2. Deus judex justus, 630, 2; 631, 1 : scientiarum Dominus, 285, 2; 463, 1 : consolator verus, 197, 2; 356, 2 : occulta profert in lucem, 294, 1 ; 650, 1 : videt omnia, 246, 2; 264, 1 ; 314, 1 ; 463, 1 ; 521, 1 ; 609, 1 : dissipat conatus impiorum, 138, 1. Peccatores Dei vultum non sustinent, 188, 2. Peccatum solus Deus emundat, 320, 2. Judicium etiam justis formidabile, 188, 2 ; 228, 1; 232, 1 ; 240, 2; 277, 2 ; 531, 1; 537, 1 : judicium Dei est in memoria sanctorum, 319, 2 : est irrefragabile, 617, 1 ; 661, 2. Respondere Deo difficile, 228, 2; 234, 2; 297, 2. Cogitationes omnes Deo patent, 314, 1 ; 327, 1. Conscientia mille testes, 192, 2; 343, 1 et 2; 486, 1 ; 533, 1 ; 641, 1. Consilia impia tandem fiunt manifesta, 294, 1. Justitia Dei incorrupta, 203, 2 ; 654, 1 et 2 ; 775, 1 et 2 : humana justitia incerta, 231, 2 ; 235, 1 : 339, 2. Justus nemo compositus Deo, 115, 1; 218, 2. Mali oderunt lucem, 173, 1. Reprobatio culpam sequitur, 287, 2. Delicta omnia notantur a Deo, 312, 2. Stulti terrena sapiunt, 88, 2; 452, 1. Sæculares in spiritualibus cæci, 452, 1. Peccatum menti creat tenebras, 140, 1 ; 295, 1.

Docebit vos omnem veritatem, etc. — Doctrina Dei vera, 647, 1 et 2. Sapientia trahitur de occultis, 554, 1 ; 555, 1. Veritas quomodo investiganda, 177, 1; 532, 2. Notitia sui scientia maxima, 193, 1; 310, 2; 328, 2; 382, 1.

DOMINICA V POST PASCHA.

Si quid petieritis Patrem, etc. *Joan.* xvi, 23. — Homo ex se nil potest aut habet, 165, 2. Fragilitas humana commiseratione digna, 319, 1. Patrocinium Dei implorandum, 372, 1 : obtentu facile, 482, 1. Deus quærendus actione et contemplatione, 133, 2; 184, 2 : invocandus in necessitate, 133, 2; 675, 1 : non deserit suos, 255, 1 : patronus egenorum, 140, 2 : 141, 1; 176, 1; 572, 2; 621, 2 : exaudit ad utilitatem, 233, 1 et 2 : est oceanus consolationum, 138, 1. Negligentes frustra præsumunt de auxilio, 596, 1. Fiducia in Deum sanctorum propria, 134, 2. Vitæ puritas habet accessum ad Deum, 17, 1 ; 607, 2. Animus ante orationem purgandus, 272, 2. Vigilantia in oratione necessaria, 197, 2; 205, 2. Humiliter agendum cum Deo, 231, 1. Corpus prosternendum in oratione, 42, 1. Tempus matutinum orationi aptissimum, 17, 1. Oratio non petat cupiditati grata, 34, 1. Affectus pius est medulla orationis, 271, 2 : est signum gratiæ, 485, 2. Meditatio est clavis veritatis, 192, 2 : illuminat et accendit, 274, 2. Verbum Dei est cibus animæ, 203, 1. Piæ preces sunt pretium salutis, 325, 2. Spes animæ fortitudo, 103, 2 : in adversis elucet, 66, 1. Confessio delictorum panacea, 306, 2 : non procrastinanda, 169, 1; 260, 1; 508, 2; 629, 2; 782, 2. Vocationi divinæ respondendum, 327, 1. Cor pertinet ad intellectum, 279, 2. Labor est lux mentis, 694, 2. Ambulandum cum Deo, 653, 1. Conjunctio cum Deo est fructus orationis, 649, 2, Beneficentia præterita est arrha futuræ, 415, 1. Somnus et evigilatio quid in Deo, 205, 2. Faciem ostendere et abscondere quid, 311, 1. Sancti sunt terræ peregrini, 332, 2. Mœror compressus torquet magis, 239, 2. Patientia tandem obtinet, 32, 2. Resignatio perfecta quæ, 46, 2. Misericordia eminet in Deo, 167, 1 ; 200, 1 et 2 : habet viscera, 167, 1. Sancti etiam invocandi, 121, 1; 164, 2; 789, 1 : nostri curam gerunt, 122, 1 et 2.

http://www.obrascatolicas.com

Eleemosyna tollit peccatum, 150, 2. Justum non perire quomodo dicatur, 105, 1; 119, 1.

IN DIE ASCENSIONIS.

Apparuit illis Jesus, etc. *Marc.* xvi, 14. — Jesus lux vera, 4, 1; 213, 2: caput Ecclesiæ, 768, 2: mediator noster, 243, 1: desiderium nostrum, 592, 2: diabolum alligavit, 770, 2. Splendor verus a virtute, 13, 2; 15, 2; 83, 2. Nuditatis triumphus, 41, 1; 45, 1 et 2. Deus corrigit ut pater, 68, 2; 411, 1. Correptio Dei utilis, 66, 2; 142, 2; 173, 2; 299, 2; 637, 2; 680, 1; 786, 1. Justus nemo compositus Deo, 115, 1; 218, 2. Dissimulatio peccatorum noxia, 98, 1. Sancti nævis non carent, 83, 2. Compunctio inducit pœnitentiam, 192, 1; 646, 2; 787, 1. Admonitio sit opportuna 114, 2. Medici spiritalis munus, 102, 2; 143, 2; 200, 1.

Euntes in mundum universum, etc. — Homo natus ad laborem, 130, 2; 132, 2. Tempus bene collocandum, 184, 1. Quies non est hujus vitæ, 86, 2. Vita nostra militia, 179, 1; 182, 2; 468, 1 et 2. Prædicationis necessitas, 702, 2. Cognitio sui difficilis, 328, 2: altera regeneratio, 382, 1; 707, 1. Anima omnibus potior, 31, 2; 56, 2. Dies animæ sunt virtutes, 350, 1. Affectus sunt animæ pedes, 313, 2; 490, 1. Vitia cognoscenda ut emendentur, 310, 2. Vita spiritalis qualis, 253, 2. Apostoli sunt mystici cœli, 195, 1; 528, 2: enarrant gloriam Dei, 224, 1: testes Christi; 257, 1 et 2. Opera Dei magna, 225, 2.

Viri galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? etc. *Actor.* I, 11. — Angeli nos illuminant, 115, 2; 121, 1 et 2. Adventus Christi desideratus, 416, 2. Exspectatio creaturæ qualis, 415, 1. Labores compensantur in cœlo, 274, 1. Hæreditas non datur in hac vita, 537, 2. Resurrectio spiritalis qualis, 327, 1. Consolatio sequitur afflictionem, 648, 2; 772, 1. Orbitatis lætitia arcana, 791, 1. Majestas Dei non scrutanda, 689, 1; 704, 2: replet omnia, 267, 1. Gaudium Dei infinitum, 690, 2. Cœlum est Dei solium, 523, 2; 526, 2: contemplandum, 194, 2; 271, 1 et 2. Æternitatis memoria utilis, 276, 1. Justi lucebunt in judicio, 280, 1;

DOM. INFRA OCT. ASCENSIONIS.

Cum venerit Paraclitus, etc. *Joan.* xv, 26. — Deus consolator, 137, 2: spes nostra, 142, 2; 193, 2: occulta revelat, 294, 1; 650, 1. Visitatio Dei qualis, 194, 1 et 2. 198, 2; 253, 1 et 2. Locutio Dei suavis, 24, 2; 263, 2. Veritas vita charior, 309, 1; 641, 1. Apostoli testes Christi, 257, 1 et 2. Testimonium sapientis est magni ponderis, 341, 2. Lex Dei diligenter servanda, 687, 1. Spiritus sit cura præcipua, 55, 1.

Absque synagogis facient vos, etc. — Tentatio est cos virtutis, 39, 2; 57, 2; 69, 2; 144, 1. Vexatio utilis, 487, 2. Scandalizare pauperes gravissimum, 497, 1. Adversa præmeditanda, 97, 1; 260, 2. Afflictio non semper ob culpam accidit, 130, 1; 155, 2; 237, 2: pro Deo gloriosa, 54, 1; 68, 2. Vita brevis et fragilis, 316, 1; 317, 1: periculo salutis exposita, 164, 2. Bellum habemus induciarum expers, 180, 1 et 2. Mala cur permittat Deus, 246, 1. Superbi tyrannidem exercent, 342, 2; 346, 1: Deo inimici, 345, 2; 450, 2. Impii in malo concordes, 776, 1. Hæretici nituntur falsis argumentis, 665, 1; 788, 1. Peccatores cæci, 295, 1; 387, 1; 556, 2. Principes ægre audiunt veritatem, 440, 2. Sancti terræ peregrini, 332, 2: in bello tuti, 145, 2: animam in manu portant, 304, 2: duris probantur, 70, 2; 158, 1 et 2. Tristitia non dejicit justum, 75, 1. Spes animæ fortitudo, 66, 1; 103, 2. Abnegatio sui necessaria, 377, 2. Apostoli gaudebant pro Christo pati, 400, 2: flagellati laudabant Deum, 162, 2. Pœnæ quomodo dulcescant, 46, 1 et 2. Patientia justorum recreat Deum, 237, 2. Gratiæ in adversis agendæ, 69, 1. Gloria Dei nostris commodis præferenda, 92, 2. Providentia Dei omnia regit, 196, 1; 492, 2; 512, 2. Conscientiæ probæ securitas, 533, 1.

IN FESTO PENTECOSTES.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit, etc. *Joan.* xiv, 23. — Doctrina Dei qualis, 647, 2; 673, 2. Mandata Dei fidelia, 686, 2: diligenter servanda, 687, 1. Sermones Dei corde fovendi, 478, 1. Vocanti Deo parendum, 327, 1. Visitatio Dei qualis, 194, 1 et 2; 198, 1. Spiritus maxima cura sit, 55, 1: renovatio necessaria, 580, 1 et 2. Domus spiritalis virtutibus struitur, 197, 1. Virtus animum erigit, 481, 1. Deus invisibilis, 226, 2; 488, 1: pater pauperum, 140, 2; 176, 1: medicus animarum, 143, 1 et 2: consolationum oceanus, 197, 2; 356, 2: replet omnia, 267, 1: nunquam suos deserit, 255, 1: scientiarum Dominus, 285, 2; 463, 1.

Pacem relinquo vobis, etc — Pax triplex, 477, 1 et 2: est Christi hæreditas, 477, 2: pax Dei inconcussa, 664, 2. Pacis actiones quæ, 477, 2: fundamentum est virtus, 14, 1; 430, 2. Præsidium Dei firmum, 29, 2; 134, 2; 138, 1; 144, 2, 146, 1; 199, 1; 372, 1; 482, 1. Homo fit Dei tabernaculum, 566, 1. Vita spiritalis qualis, 253, 2; 254, 1. Spiritalis fœcunditas maxima, 443, 1. Vitæ puritas quietem affert, 87, 2. Gaudium justorum stabile, 216, 1. Mors justi læta, 274, 2; 275, 1; 305, 1; 359, 2. Memoria justi æterna, 276, 2. Præsentiæ Dei consideratio utilissima, 471, 1 et 2. Desideria pia sunt signum gratiæ, 485, 2.

Non turbetur cor vestrum, etc. — Perturbatio rerum non debet nos percellere, 492, 2. Mundus est circus agonalis, 179, 2. Tentationes nos circumdant, 361, 1. Justi probantur ut aurum, 488, 2. Iniquitas subservit probationi justorum, *ibid.* Providentiæ est futura prospicere, 97, 2. Spes animæ fortitudo, 103, 2; 305, 1 et 2: in solo Deo locanda, 172, 2. Lumbi mentis accingendi, 707, 2. Diabolus est mundi princeps, 23, 1 et 2; 24, 1 et 2; 25, 1: caput impiorum, 768, 2; 450, 1 et 2: nocendi studiosus, 34, 2; 35, 2; 38, 1 et 2: victus non cessat, 51, 1; 780, 1: Jobum frustra afflixit, 33, 1 et 2. Principes mali satellites diaboli, 293, 1; 472, 2; 498, 1.

FERIA II PENTECOSTES.

Sic Deus dilexit mundum, etc. *Joan.* iii, 16. — Deus ipse regit mundum, 657, 1: multipliciter nos erudit, 673, 2; 680, 1. Christus desiderium sanctorum, 592, 2: lux vera, 4, 1; 213, 2: protectio nostra, 372, 2. Splendor verus a virtute, 13, 2; 14, 1 et 2. Lux amica probis, 173, 2; 386, 2; 693, 2: symbolum virtutis, 83, 2; 721, 2. Lex lux, 687, 1 et 2. Dies animæ sunt virtutes, 350, 1; 499, 2. Virtutes sunt animæ vestes, 572, 1. Justi sunt tenaces virtutis, 141, 2: post mortem vivunt Deo, 367, 2. Veritas vita charior, 309, 1; 641, 1. Providentia Dei in omnibus elucet, 129, 1; 138, 2; 492, 2; 693, 1. Sapientia est regalis virtus regia, 341, 2.

Dilexerunt homines magis tenebras, etc. — Tenebræ peccati quantæ, 79, 2; 83, 1; 502, 2; 387, 1. Mali oderunt lucem, 173, 1. Prudentia sæculi præpostera, 451, 1. Sapientia mundi stultitia est apud Deum, 378, 2. Viæ sæculi pravæ, 472, 2: imperfectorum involutæ, 171, 1. Peccator cæcus, 139, 2; 204, 2; 295, 1: onagro similis, 228, 1; 280, 1 et 2; 587, 2: est causa suæ perditionis, 129, 2; 199, 2. Peccatum corrumpit omnia, 587, 2. Iniquitas dolorem parit, 106, 1. Morbi spiritalis indicia quæ, 311, 1; 452, 1. Carnales sunt lutei, 117, 1; 594, 2. Simulatores provocant iram Dei, 680, 2. Voluptuarii in tenebris agunt, 502, 2. Susurrones sunt famæ eversores, 176, 1. Spirituum discretio difficilis, 774, 2. Experientia rerum magistra, 338, 2. Oculi impiorum aperiuntur in morte, 454, 2. Judicii dies ordinabit omnia, 475, 2. Impiorum portio maledicta, 504, 1: eorum memoria peribit, 303, 1: 314, 2; 349, 1

FERIA III PENTECOSTES.

Qui non intrat per ostium, etc. *Joan.* x, 1. — Impostores sunt Deo manifesti, 139, 1; 289, 2. Duplices Deo exosi, 263, 1; 417, 2. Pastor malus est gregis pernicies, 666, 1. Doctores mali pestes, 292, 2; 666, 2. Hæretici contentiosi, 159, 1; 177, 2. Principes mali reipublicæ eversores, 193, 1 et 2. Tyranni violenti, 507, 1. Oppressio pauperum vindictam clamat, 498, 2. Maligni tantum in vitia intenti, 358, 2. Malefici tenebras quærunt, 502, 2: in malo concordes, 776, 1. Amici ficti quales, 405, 2. Prædonum studium est rapere, 427, 2; 497, 1. Raptores male pereunt, 427, 1. Sacerdotes mali exauctorandi, 662, 1. Vitia virtutis specie decipiunt, 71, 2; 387, 2. Iniquitates virum venantur, 204, 2. Educationis magna cura sit, 81, 1 et 2. Vigilantia necessaria, 197, 2. Terra impiis permissa, 237, 2. Miseria hic nunquam deest, 333, 2; 359, 2. Finis impiorum perditio, 169, 2; 277, 1; 473, 1.

Ego sum ostium, etc. — Christus est caput Ecclesiæ, 768, 2: lux vera, 4, 1; 213, 2: multipliciter nos erudit, 673, 2; 680, 1: pauperum patronus, 140, 2; 141, 2; 176, 1. Spes in solo Deo, 172, 2. Amicitia humana fallax, 168, 1. Simplicitas Deo grata, 280, 1. Aures audiendi quales, 109, 1; 646, 1. Affectus sunt animi pedes, 271, 2; 313, 2; 490, 1. Deus justos servat, 119, 1: gloriatur in sanctis, 26, 2; 33, 2; 38, 2: benignus in peccatores, 474, 1; 509, 2. Justi non audiunt vocem exactoris, 90, 2.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Data est mihi omnis potestas, etc. *Matth.* xxviii, 18. — Christus est caput Ecclesiæ, 768, 2. Deus auctor temporis ante tempus, 496, 1: incomprehensus, 266, 1; 688, 2; 689, 1; 691, 1: invisibilis, 226, 2; 227, 1; 488, 1: leges nostris viribus attemperat, 686, 1: omnipotens, 135, 1; 268, 1: altissimus, 469, 2: ubique præsens, 267, 1; 470, 1; 471, 1; 521, 1: regit universa, 129, 1; 138, 2; 196, 1: nunquam suos deserit, 119, 1; 254, 2; 255, 1; 482, 1: etiam de improbis meretur bene, 474, 1: cognoscitur ex creaturis, 283, 1. Gloria Dei omnibus præferenda, 92, 2. Decreta Dei æterna, 690, 2. Majestas Dei non scrutanda, 231, 1; 689, 1; 704, 2. Mystica theologia qualis, 112, 2.

Euntes ergo docete omnes gentes, etc. — Jurisdictio Christi in omnes, 456, 1. Prædicatio igni et tonitruo comparata, 722, 1: necessaria, 700, 2. Veritas vita potior, 309, 1; 641, 1. Eruditio Dei qualis, 648, 2; 673, 2; 680, 1. Via justi recta, 377, 2; 386, 2. Vestigia Dei sequenda, 489, 1. Sermones Dei corde excipiendi, 478, 1. Magistri spiritales cervæ parturientes, 733, 2. Spiritalis fœcunditas magna, 443, 1. Aquæ lustralis ritus antiquus, 241, 2. Vita spiritalis qualis, 253, 2; 254, 1. Baptizati etiam tentantur, 180, 1. Christiani sunt orientales, 13, 2. Pretium salutis quale, 349, 2. Timor Dei fundamentum salutis, 103, 2. Status gratiæ occultus, 235, 1. Peccatores nascimur ex utero, 315, 2; 340, 2. Peccatum solus Deus delet, 320, 2. Lumen animæ quale, 499, 2. Sapientia omnis a Deo, 554, 1; 555, 1. Conversio ad Deum triplex, 649, 2. Fides beneplaciti qualis, 378, 1. Spes est solatio afflictis, 193, 2. Vita æterna est merces operum, 656, 2. Sacerdotes a Deo honorati, 291, 2: negligentes officio privandi, 662, 1.

DOM. I POST PENTECOSTEN.

Estote misericordes, etc. *Luc.* vi, 36. — Misericordia quid proprie, 167, 1: in Deo eminet, 167, 2; 199, 2: omnibus utilis, 200, 2: Jobi quanta, 619, 1 et 2: tollit peccatum, 150, 2; 620, 1 et 2: meretur Dei benedictionem, 570, 2; 656, 1 et 2. Divites obligantur ad eleemosynas, 466, 2. Immisericordes peribunt in judicio, 169, 1; 497, 2; 506, 1. Commiseratio post calamitatem opportuna, 791, 2. Consolandi munus quale, 355, 1; 356, 1; 583, 2. Charitas est mensura gratiæ, 790, 2.

Nolite judicare, etc. — Judicium temerarium cavendum, 788, 1. Intentiones Deus trutinat, 232, 2; 241, 1. Linguæ continentia difficilis, 100, 2. Bona nunquam male interpretanda, 28, 2. Vitia virtuti affinia, 71, 2; 387, 1 et 2. Innocenter multi patiuntur, 237, 2.

Numquid potest cæcus cæcum ducere? etc. — Peccatores cæci, 139, 2; 295, 1; 556, 2. Doctores exemplo docent, 413, 2: mali quales, 292, 2; 666, 2. Sui notitia in primis necessaria, 150, 1; 310, 2; 328, 2; 382, 1. Vitia cognoscenda ut emendentur, 310, 2. Medici munus quale, 102, 2. Fragilitas juvanda, 319, 1. Rectitudo qualis, 7, 1 et 2; 377, 2. Sancti quoque nævis non carent, 83, 2. Macula in pulchro fœdior, 98, 1. Invidi palpant in meridie, 140, 1. Duplicitas exsecrabilis, 170, 1. Correctio proximi cui incumbat, 299, 2. Doctrina non ostentanda, 623, 2; 643, 1. Jactantia sui insipida, 637, 2. Sæculares cæci in spiritualibus, 452, 1; 472, 2.

Aut quomodo potes dicere, etc. — Superborum ingenium quale, 262, 1. Sermo jactantiæ dedecet imperitum, 279, 1. Amici ficti quales, 405, 2. Conscientiæ propriæ in primis consulendum, 641, 1. Opportunitas servanda in monitione, 114, 2. Pharisaicum est omnia in malum vertere, 203, 1. Hypocrisis quid, 211, 1 et 2; 307, 2; 587, 1 et 2; 643, 2: a Deo alienat, 214, 2: hypocritæ steriles, 351, 1; 423, 1: provocant iram Dei, 681, 1 et 2: regnant propter peccata populi, 665, 1.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Caro mea vere est cibus, etc. *Joan.* vi, 56. — Caro Christi est cibus animæ, 628, 1: indigne sumentibus mors, 434, 2. Verba Dei spiritus et vita, 203, 1. Vita spiritalis qualis, 253, 2; 254, 2. Christus in signum charitatis expositus, 360, 1. Puritas accessum habet ad Deum, 17, 1; 273, 2; 340, 1. Casti Deo apti, 606, 1; 607, 2. Status gratiæ nemini certus, 235, 1; 340, 1 et 2. Fragilitas humana merito timet, 163, 2. Timor Dei quantum boni sit, 9, 2. Deus incomprehensus, 688, 2; 689, 1; 691, 1: invisibilis, 226, 2. Visitatio Dei qualis, 197, 1 et 2; 198, 1; 253, 1 et 2; 509, 2. Conversatio interior cum Deo habenda, 506, 1; 582, 1. Desideria pia sunt vita animæ, 592, 2. Conscientia examinanda, 192, 2; 310, 2; 327, 1. Passiones sedandæ, 273, 1. Cor symbolum vitæ deiformis, 279, 2; 367, 1. Affectus sunt animi pedes, 313, 2; 490, 1. Opera Dei magna, 135, 2; 225, 2. Pretium salutis quale, 349, 2. Sapientia trahitur de occultis, 554, 1; 551, 1. Sapiendum ad sobrietatem, 519, 2. Caligo sub pedibus Dei, 524, 1. Mystici erudiuntur a Deo, 673, 2; 680, 1. Confessio sit spontanea, 629, 2: humilis placat Deum, 650, 1. Resurrectio spiritalis qualis, 327, 1. Homo Dei tabernaculum, 566, 1. Justi sunt homines cœlestes, 702, 2: post mortem vivunt Deo, 367, 2. Sacerdotes a Deo honorati, 291, 2: laudem pro sacrificio debent, 626, 2.

DOM. II POST PENTECOSTEN.

Homo quidam fecit coenam magnam, etc. *Luc.* xiv, 16. — Convivia quæ bona sint, 14, 2; 15, 1: peccatis obnoxia, 17, 1. Vocanti Deo parendum, 327, 1. Ingratitudo infame vitium, 32, 1; 210, 2. Mundus plenus concupiscentia, 782, 1. Deus nullius eget, 518, 1 et 2: quærendus actione et contemplatione, 133, 2. Peccatores cæci, 139, 2; 295, 1; 387, 1; 556, 2. Cogitationes hominum timidæ, 138, 1: terrenæ dissipantur, 379, 2. Timor mundanus noxius, 168, 2. Temporalia pro salute deserenda, 55, 1; 383, 1. Cupiditates debellandæ, 182, 1. Avaritiæ tyrannis magna, 282, 1; 433, 2; 436, 1. Avarus divitiarum servus, 640, 1. Aurum non satiat hominem, 11, 1; 88, 2. Divitiæ mentem obtundunt, 347, 1; 428, 1; 443, 1: non

http://www.obrascatolicas.com

habentur sine amarore, 361, 2 : quæ prosint vel obsint, 29, 2; 351, 2: sunt densum lutum, 428, 1 : nil prosunt avaro, 432, 1. Divites sæculi quales, 535, 1 : in morte inanes, 453, 2. Mundani respuunt sapientiam, 556, 1. Mammonæ stulti serviunt, 88, 1 et 2; 451, 2; 452, 1. Fortuna cæca et insana, 126, 1 ; 625, 2. Tentationum modi septem, 144, 1, Luxuria gignit innumera mala, 503, 2; 612, 2; 614, 2. Peccatoris agricultura qualis, 105, 2.

TUNC IRATUS PATERFAMILIAS, etc. — Ira Dei formidabilis, 229, 2; 531, 1 ; 622, 1. Judicium Dei severum, 241, 1 et 2; 232, 1; 517, 1 : irrefragabile, 617, 1. Tempus omnia consumit, 331, 1 : præsens bene locandum, 184, 1 : cuique præstitutum a Deo, 546, 2. Homo natus ad laborem, 130, 2; 132, 2: terrenum habet fundamentum, 117, 1. Salus hominum vana, 166, 1 ; 495, 1. Mors impiorum pessima, 118, 1; 541, 2; 542, 2: exterminium, 204, 2; 214, 2; 217, 1 ; 277, 1 : oculos aperit, 454, 2. Reprobatio culpam sequitur, 287, 2. Messem impii comedunt alieni, 188, 1 : messem Judæorum sumunt christiani, 128, 2. Virtutes sunt animæ vestes, 572, 1. Vita æterna est merces operum, 656, 2.

DOM. III POST PENTECOSTEN.

MURMURABANT PHARISÆI, etc. *Luc.* XV, 2.— Pharisaicum est in malum omnia accipere, 203, 1. Susurrones noxii, 176, 1. Malignos Deus aversatur, 215, 2. Hypocritæ exosi Deo, 211, 2; 213, 1; 214, 2; 351, 1 ; 533, 2; 587, 1. Detractores maledici, 81, 2; 140, 2; 141, 1; 357, 1 et 2; 407, 1; 411, 2. Invidia vitium pusillorum, 124, 1 : a cœlo exulat, 91, 2. Judicium temerarium cavendum, 788, 1.

QUIS EX VOBIS HOMO, etc. — Ovis symbolum innocentiæ, 793, 2. Benignitas Dei in peccatores magna, 474, 1; 509, 2. Medici officium quale, 102, 2; 355, 1 : ejus gloria salus ægri, 200, 1. Clementia Dei elucet in omnibus, 199, 1. Misericordiæ viscera qualia, 167, 1; 399, 1. Fragilitas commiseratione digna, 319, 1. Insensibilitas non est virtus, 165, 1. Calamus quassatus non conterendus, 312, 1. Pœnitentia non differenda, 169, 2; 260, 1; 782, 2 : frugifera, 206, 2; 209, 2; 480, 1 : quas partes habeat, 245, 1 : delet peccata, 273, 2; 339, 2; 787, 1. Deus pater pauperum, 572, 2; 664, 1; 678, 2; 679, 2; 681, 2 : occulta in lucem profert, 294, 1 ; 650, 1 : solus peccata dimittit, 320, 2 : patronus miserorum, 140, 2; 141, 1; 280, 1. Judicia Dei ab humanis diversa, 369, 2; 617, 1 et 2 : reverenda, 531, 1 ; 537, 1; 724, 2. Personarum acceptio non est apud Deum, 300, 2; 301, 1; 640, 1; 659, 2; 684, 2. Resistere Deo nemo valet, 287, 1; 297, 2. Sapientia Christi mundo stultitia, 562, 2. Spirituum discretio difficilis, 774, 2. Impii Deum a se repellunt, 450, 2. Sæculares cæci in spiritalibus, 452, 1. Consolatio sequitur afflictionem, 648, 2; 672, 1.

DOM. IV POST PENTECOSTEN.

ASCENDENS AUTEM IN UNAM NAVIM, etc. *Luc.* V, 3. — Doctrina non temere effutienda, 523, 1; 581, 2; 623, 2. Vocationi divinæ respondendum, 327, 1. Mare tempestuosum, 781, 2. Nemo sibi sat sapiens, 378, 2. Locutio Dei qualis, 263, 2. Visitatio Dei fructuosa, 192, 1 et 2; 198, 1; 253, 1 et 2. Vita nostra militia, 179, 1; 182, 2. Tempus bene impendendum, 184, 1. Quies non est hujus vitæ, 86, 2; 130, 2; 132, 2.

PER TOTAM NOCTEM LABORANTES, etc. — Nox symbolum calamitatis, 663, 2 : quieti deputata, 386, 1. Homo ex se nil potest, 165, 2. Patrocinium Dei implorandum, 372, 1; 679, 1. Deus certaminum spectator, 237, 1 : patientia nostra recreatur, 237, 2 : omnipotens, 268, 1 : hominum custos, 199, 1; 373, 2 : occulta revelat, 294, 1; 650, 2 : dilectis etiam se abscondit, 595, 2. Mane surgendum ad Deum, 197, 2; 205, 1 et 2. Negligentes temere auxilium exspectant, 596, 1. Fiducia in arduis elucet, 305, 1 : in Deum habenda, 134, 1 et 2; 172, 2; 481, 1. Spes anchora in adversis, 66, 1; 142, 2. Dies animæ virtutes, 350, 1. Labor lætitiam parit, 536, 2; 694, 2 : compensatur a Deo, 274, 1. Auxilium Dei promptum, 482, 1. Opportunitas captanda, 114, 2. Laborum finis gloriosus, 131, 1 et 2. Virtus in adversitate perficitur, 161, 2

QUOD CUM VIDERET SIMON PETRUS, etc. — Virtus admirationem parit, 26, 2. Corporis prostratio signum reverentiæ, 42, 1. Humiliter agendum cum Deo, 231, 1. Compunctio utilis, 193, 1 ; 646, 2. Justus nemo compositus Deo, 115, 1; 218, 2. Peccator Dei vultum non sustinet, 188, 2. Lux symbolum lætitiæ, 693, 2. Resignatio perfecta qualis, 46, 2. Gratitudinis nota vera, 47, 1 et 2. Virtus perficitur adversitate, 161, 2. Experientia rerum magistra, 338, 2. Aquæ symbolum fœcunditatis, 288, 2; 341, 1; 466, 1. Spiritalis fœcunditas magna, 443, 1. Consolatio tribulationem sequitur, 648, 2; 672, 1.

DOM. V POST PENTECOSTEN.

NISI ABUNDAVERIT JUSTITIA VESTRA, etc. *Matth.* V, 20. — Justitia humana incerta, 231, 2; 340, 2. Justi probantur ut aurum, 488, 2. Pharisaicum vitium quale, 203, 1. 219, 2, 213, 2. Hypocritæ congregatio sterilis, 351, 1; 422, 1; 533, 2. Impostores Deum non latent, 289, 2; 435, 1. Jactantia sui insipida, 637, 2. Simplicitas quanta virtus, 5, 2; 6, 1; 215, 1 et 2 ; 280, 1 ; 281, 1. Rectitudo quotuplex, 7, 1 et 2. Splendor verus ex virtute, 13, 2; 386, 2; 481, 1. Mandata Dei corde excipienda, 499, 2. Doctores exemplo doceant, 413, 2; 543, 1. Doctrina Dei qualis, 673, 2; 680, 1.

DICTUM EST ANTIQUIS, etc. — Ira possessorem suum destruit, 123, 1 et 2. Passiones domandæ, 182, 1; 273, 1. Calumnia est grave peccatum, 141, 1 et 2. Susurrones noxii, 176, 1. Altercatio vitanda, 177, 1. Fomes est tinea peccati, 117, 2. Cogitationes sunt radices operum, 214, 1; 394, 1. Intentiones Deus trutinat, 232, 2; 241, 1; 340, 2. Injurias referre pusillorum est, 400, 2. Fratrum quoque gratia rara est, 404, 2. Judicia Dei metuenda, 228, 1; 232, 1; 240, 1 et 2; 302, 1 ; 531, 1; 537, 1 ; 724, 2.

SI ERGO OFFERS MUNUS TUUM, etc. — Sacrificium prærequirit expiationem, 16, 2 ; 481, 2. Conscientia examinanda, 192, 2; 216, 2; 219, 2; 297, 1 ; 486, 1. Judicia in corde disponenda, 486, 1. Lumen naturæ discernit bona et mala, 672, 2. Proximus alter ipse, 150, 2. Status gratiæ incertus, 235, 1; 253, 2; 254, 1. Respondere Deo difficile, 228, 2; 234, 2; 242, 2. Timor Dei castus quis, 493, 1 et 2. Charitas est mensura gratiæ, 790, 2 : omnia bene accipit, 91, 2.

DOM. VI POST PENTECOSTEN.

Vide DOM. IV QUADRAGESIMÆ, *cum cujus Evangelio coincidit.*

DOM. VII POST PENTECOSTEN.

ATTENDITE A FALSIS PROPHETIS, etc. *Matth.* VII, 15. — Vitia virtutis specie fallunt, 71, 2. Pastor malus est gregis pernicies, 666, 1. Doctores mali sunt pestes, 292, 2; 666, 2. Sacerdotes pravi exauctorandi, 662, 1. Duplices Deo exosi, 263, 1; 417, 2. Hypocrisis sterilis, 210, 2; 213, 1; 351, 1 ; 587, 1; 741, 1 et 2. Vitium obscurum, 295, 2. Maligni tantum vitiis intenti, 358, 2. Peccatores sunt luci rebelles, 499, 2; 500, 1; 502, 1 et 2.

A FRUCTIBUS EORUM COGNOSCETIS EOS. — Flores sunt propter fructus, 351, 1. Peccatoris agricultura qualis, 105, 2 : 449, 1 et 2; 454, 1. Fomes peccati qualis, 117, 2. Perturbationes sunt satanæ characteres, 492, 2. Animus inordinatus sibi ipsi pœna, 199, 2. Voluptas malorum esca, 425, 2. Carnalium dulcedo vermes, 506, 1. Luxuria gignit innumera mala, 503, 2; 607, 2 Crimina sunt sentes, 588, 1. Peccati fructus corruptio et sordes, 587, 2. Fructus timentium Deum bonus, 9, 2; 477, 1 et 2. Virtus est fundamentum pacis, 14, 1 et 2; 26, 2; 216, 1; 481, 1. Sanctitatis et lucis consensio, 15, 2; 83, 1 et 2. Charitatis fructus qualis, 91, 2. Timor Dei fundamentum salutis, 103, 2. Pœnitentiæ aquæ frugiferæ, 206, 2; 209, 2; 245, 1. Famæ bonæ odor optimus, 277, 1. Sapientiæ fructus pretiosissimus, 552, 2. Casti sunt hæreditas Dei, 606, 1. Spiritalis fœcunditas maxima, 443, 1. Filii plerumque patrissant, 126, 2; 127, 1; 454, 1. Avari opes pereunt, 126, 2; 351, 2; 433, 2; 436, 1; 443, 1. Proborum laborum finis gloriosus, 131, 1 et 2. Memoria justi æterna, 266, 2; 394, 1. Male parta male dilabuntur, 427, 2. Potentes sæculi moriuntur miseri, 452, 2. Quisque recipiet prout gessit, 456, 2; 475, 2.

DOM. VIII POST PENTECOSTEN.

HOMO QUIDAM ERAT DIVES, etc. *Luc.* XVI, 1. — Dives plerumque aut iniquus aut iniqui hæres, 348, 2 : obligatur ad misericordiam, 466, 2. Divites Dei sunt liberales, 534, 2. Divitiæ sunt vomitus fortunæ, 429, 2; 443, 1; 451, 2. Vita brevis, 207, 1 et 2; 258, 2; 316, 1; 320, 2; 321, 1 : valde incerta, 185, 2; 186, 1; 332, 1; 539, 1. Mors privat bonis terrenis, 439, 1; 447, 2; 452, 1 : impiorum inopinata, 447, 2; 541, 2; 542, 2 : semper meditanda, 87, 1; 260, 2; 381, 1; 382, 2. Vexatio utilis, 487, 2.

REDDE RATIONEM VILLICATIONIS TUÆ. — Visitatio Dei qualis, 197, 1 et 2; 253, 1. Deus novit omnia, 246, 2; 314, 1 : cuique dat pro meritis, 610, 2; 617, 2. Judicium Dei terribile, 232, 1; 238, 1; 240, 2; 370, 1 : semper in memoria sit, 319, 1; 470, 1 ; 517, 1. Notitia sui necessaria, 150, 1 ; 310, 2 ; 382, 1. Judicia in corde disponenda, 486, 1. Conscientiæ præ omnibus consulendum, 641, 1 : ejus cruciatus morte gravior, 353, 1 ; 370, 1. Respondere Deo difficile, 287, 1 ; 297, 2.

AIT AUTEM VILLICUS INTRA SE, etc. — Fragilitas humana merito timet, 163, 2; 319, 1. Peccator nullibi tutus, 224, 2. Peccatum parit dolorem, 100, 1 ; 106, 1; 107, 2; 352, 2. Homo ex se nil potest, 165, 2. Cogitationes sunt operum radices, 214, 1. Cor pertinet ad intellectum, 270, 2; 367, 1. Opportunitas non negligenda, 114, 2. Extremorum utilis cogitatio, 229, 1. Sapientiæ pretium inæstimabile, 551, 1 et 2. 552, 2. Necessitates Deo revelandæ 675, 1. Temporalia pro salute expendenda, 55, 1. Animæ rebus omnibus præferenda, 56, 2. Sancti invocandi, 124, 1 et 2. Patrocinium Dei implorandum, 372, 1. Confessio placat Deum, 650, 1. Pœnitentia delentur delicta, 273, 2; 306, 2. Pretium salutis quale, 349, 2. Misericordiæ opera merentur benedictionem, 570, 2 ; 657, 1. Charitas est mensura gratiæ, 790, 2 : aliena bona sibi appropriat, 91, 2. Eleemosyna delet peccata, 150, 2; 621, 1; 657, 1. Finis vitæ a Deo attenditur, 716, 1.

DOM. IX POST PENTECOSTEN.

VIDENS CIVITATEM FLEVIT, etc. *Luc.* XIX, 41. — Christus sæpe flevit, 364, 2. Fletus est pœnitentiæ condimentum, 96, 2. Providentiæ est futura mala prospicere, 97, 2 : punire impios, 138, 1; 455, 2. Reprobatio culpam sequitur, 287, 2. Justitia Dei est libra æquitatis, 610, 2. Jurisdictio Dei in omnes, 456, 2. Judicium Dei ab humano diversum, 369, 2. Pœna medicina peccati, 330, 2 : propter culpam instituta, 100, 1. Lapsus ex alto gravior, 101, 2; 596, 2 Deus superbis resistit, 346, 1; 421, 2

ET INGRESSUS TEMPLUM, etc. — Templum decet sanctitudo, 34, 1. Gloria Dei omnibus præponenda, 92, 2. Zelus quid 124, 2; 441, 2. Correptio Dei utilis, 142, 2; 173, 2; 270 2; 488, 2; 637, 2; 680, 1; 786 1. Ira Dei gravis, 229, 2; 329, 2; 720, 1. Castigatio filiorum qualis, 411, 1. Flagella Dei salutaria, 161, 2; 416, 2; 486, 2; 596, 2. Flagellanti Deo gratiæ debentur, 143, 1. Avaritiæ tyrannis magna, 282, 1 ; 433, 2; 465, 2. Pecuniæ proritant cupiditatem, 622, 1 : sunt arma iniquitatis, 346, 1; 427, 1; 451, 2. Peccatum provocat Deum ad vindictam, 107, 1 ; 204, 1 et 2 : solum malum, 23, 1 : peccatum ecclesiasticorum gravius, 101, 2. Peccatoris agricultura qualis, 105, 2. Peccatores Dei vultum non sustinent, 188, 2 ; 454, 1 et 2 ; vocantur divites, 456, 1. Peccati genitura qualis, 85, 1; 140, 1 : tenebræ quantæ, 79, 2; 83, 1; 219, 1; 295, 1; 502, 2. Peccatorum dissimulatio noxia, 98, 1. Remedia amara salutaria, 69, 1; 143, 2; 449, 2. Deus etiam dum ferit pater est, 68, 2.

DOM. X POST PENTECOSTEN.

PHARISÆUS STANS HÆC APUD SE ORABAT, etc. *Luc.* XVIII, 10. — Pharisaicum vitium quale, 203, 1; 210, 2; 213, 2. Superbus vacuus, 270, 2; 335, 1 ; 355, 2 : repellitur a Deo, 346, 1 ; 421, 2 : alium deprimit, 510, 2 : corruit, 510, 1 : subito perit, 125, 1 ; 303, 2. Superbia quid, 342, 1 ; 346, 1 : se prodit oculis, 339, 1. Deum oppugnat, 26, 1 ; 345, 2. Arrogantium species quatuor, 637, 1 ; 639, 1 ; 643, 1 ; 678, 1. Jactabundus est omnibus odiosus, 279, 1; 341, 1 et 2; 637, 2. Hypocrita non habet fiduciam orandi, 536, 1 ; 681, 1. Vir linguosus non prosperabitur, 175, 1 ; 335, 1 et 2 ; 353, 2. In multiloquio non deest peccatum, 174, 2 ; 261, 1.

ET PUBLICANUS A LONGE STANS, etc. — Notitia sui necessaria, 150, 1. Humiliter agendum cum Deo, 231, 1. Corpus prostrandum in oratione, 42, 1. Compunctio gignit pœnitentiam, 787, 1. Compunctionis motiva quatuor, 646, 2. Necessitates Deo exponendæ, 675, 1. Silentii magister Deus, 299, 1. Confessio humilis Deum placat, 650, 1. Humiles a Deo eriguntur, 119, 1 ; 483, 2 ; 678, 1. Pœnitentis veri partes quæ, 245, 2 ; 261, 1 et 2 ; 308, 2. Pœnitentes a Deo suscipiuntur, 206, 1 ; 307, 1. Pœnitentia delet delicta, 307, 1 et 2; 339, 2: 480, 1. Meditatio illuminat et accendit, 274, 2. Pretium salutis quale, 349, 2. Desideria sunt signa gratiæ, 592, 2. Lumen animæ quale, 499, 2. Timor Domini castus, 493, 1 et 2.

AMEN DICO VOBIS, etc. — Simplicitas Deo placet, 5, 2 ; 6, 1 ; 516, 1 et 2. Splendor verus a virtute, 13, 2; 15, 2. Laus Dei solida, 26, 2; 27, 1. Ingratitudo infame vitium, 32, 1; 210, 2; 474, 2. Mali a Deo egrediuntur, 34, 1. Justus nemo compositus Deo, 115, 1 ; 218, 2 ; 242, 2. Macula in pulchro fœdior, 98, 1. Salus hominum vana, 166, 1. Laudes aucupari vanum est, 271, 1. Pauperes scandalizare grave est, 497, 1. Reprobatio culpam sequitur, 287, 2. Resurrectio spiritalis qualis, 327, 1.

DOM. XI POST PENTECOSTEN.

ADDUCUNT EI SURDUM ET MUTUM, etc. *Marc.* VII, 32. — Miserorum tutor Deus, 280, 1 ; 572, 2. Visitatio ægrorum est maxime charitatis, 409, 1 et 2. Miseriæ tenebris comparatæ, 94, 2. Medici spiritalis munus, 102, 2 ; 143, 1; 200, 1. Tenebræ peccati quantæ, 79, 2; 83, 1. Oculi seducunt animam, 603, 2. Hominis structura mirabilis, 252, 2. Plasmatio Dei sumus, 249, 2 ; 250, 1 et 2. Spiritus maxima cura sit, 55, 1 et 2. Affectus pius est medulla orationis, 271, 2. Adventus Christi desiderandus, 416, 2. Vita hæc referta miseriis, 316, 2 ; 421, 1. Deo solo innitendum, 481, 1. Auxilium Dei præsens, 482, 1. Tribulatio patientiam operatur, 68, 2. Fiducia in arduis elucet, 305, 1; 359, 2. Consolandi munus quale, 355, 1; 356, 1; 583, 1. Manus Domini quid, 310, 1; 410, 2. Lumen animæ quale, 499, 2.

EX EXPUENS TETIGIT LINGUAM EJUS, etc. — Saliva quid mystice, 198, 2. Laus Dei maxima liberare oppressos, 58, 2. Opera Dei magna, 225, 2 : consideratione digna, 296,

http://www.obrascatolicas.com

2. Providentia Dei in hominem mira, 196, 1 ; 199, 1. Corpus nostrum domus lutea, 116, 2 ; 251, 1 et 2 : mentem aggravat, 117, 2. Animi demissione mitigatur Deus, 311, 2. Lampas contempta lucet coram Deo, 280, 1 ; 281, 1. Virtus sui admirationem parit, 26, 2 ; 569, 1 ; 572, 1. Consolatio sequitur afflictionem, 648, 2 ; 672, 1. Gratitudinis nota qualis, 47, 1 et 2. Deo gloria danda, 224, 1. Fama bona est merces virtutis, 595, 2.

DOM. XII POST PENTECOSTEN.

Et proximum tuum sicut teipsum, etc. *Luc.* xx, 27. — Proximus alter ipse, 150, 2 : ex nobis metiendus, 151, 1. Charitas est gratiæ mensura, 790, 2. Mandata Dei corde custodienda, 477, 2 ; 490, 2 ; 687, 2. Homo formatus ad similitudinem Dei, 642, 1 ; 673, 1. Notitia sui scientia maxima, 193, 1 ; 310, 2. Non disputandum cum Deo, 297, 2. Spirituum discretio difficilis, 774, 2.

Homo quidam descendebat, etc. — Homo imbecillis, 2, 1. Spiritus prima cura sit, 55, 1 et 2. Temporalia pro salute expendenda, 55, 1. Mundus hic circus agonalis, 179, 2. Iniquitates virum venantur, 204, 2. Vita miseriis referta, 316, 1 et 2 ; 421, 1. Sancti terræ peregrini, 332, 2. Latrones qui olim, 403, 2. Prædonum studium quale, 427, 2 ; 497, 1. Salus hominum vana, 166, 2. Ulcera Jobi quanta, 59, 1 et 2. Mala quomodo sustinenda, 68, 1. Calamus quassatus non frangendus, 312, 1. Sacerdotes mali exauctorandi a Deo, 662, 1. Amicitia vera unde noscatur, 71, 1. Medici spiritalis officium, 102, 2 ; 143, 1 ; 733, 2. Opportunitas servanda, 114, 2 ; 730, 1. Virtutis via ardua, 551, 2. Vestigia Dei sequenda, 489, 1. Amici ficti qui, 405, 2. Amicitia vera unde noscatur, 71, 1. Consolandi modus optimus, 72, 1 ; 409, 2 ; 583, 2 ; 599, 1. Immisericordes peribunt, 169, 1 ; 497, 2 ; 506, 1. Commiseratio quæ sit opportuna, 791, 2. Misericordia quid, 167, 1 ; 200, 2 ; 570, 2 : Jobi quanta, 619, 1 et 2 ; 628, 2 : eminet in Deo, 200, 2. Medici gloria est salus ægri, 200, 1. Visitatio Dei qualis, 197, 1 et 2 ; 198, 1 ; 253, 1 et 2. Christus noster mediator, 743, 1 : verus consolator, 356, 2 : in signum charitatis positus, 360, 1 : protectio nostra, 372, 2. Pretium salutis quale, 349, 2.

DOM. XIII POST PENTECOSTEN.

Occurrerunt ei decem viri leprosi, etc. *Luc.* xvii, 12. — Leprosi exsecrabiles, 61, 1. Afflictio facit nos Deum agnoscere, 647, 1 ; 688, 2. Lugentium gestus qui, 72, 1. Corpus animæ carcer, 117, 1 et 2. Vita miseriis plena, 316, 2 ; 421, 1 ; 333, 2. Deus invocandus in necessitate, 133, 2 ; 372, 1 ; 675, 1 ; nunquam deserendus, 491, 1 : memor hominis obliviosi, 196, 2 : refugium miserorum, 280, 1 : mœrentium consolator, 137, 2 ; 140, 2 ; 356, 2 ; 409, 2 : gloriatur in sanctis, 26, 2 : peccatum solus emundat, 320, 2. Aspectus Dei illuminat, 679, 1. Auxilium Dei in promptu est, 482, 1.

Ostendite vos sacerdotibus, etc. — Sacerdotes a Deo honorati, 291, 2. Lex Dei diligenter servanda, 687, 1. Confessio sit spontanea, 629, 2 ; 650, 1 : delictorum panacea, 306, 2 ; 330, 2 ; 650, 1. Vitia cognoscenda ut emendentur, 310, 2. Carnis peccatum abominandum, 393, 2. Vestium scissio quale signum, 41, 2. Peccatoris fœtor ingens, 185, 2 ; 188, 1 et 2. Fucatus et duplex fugiendus, 417, 2. Sermones Dei in corde custodiendi, 478, 1. Misericordiæ viscera qualia, 167, 1 ; 200, 1 et 2. Medici gloria salus ægri, 200, 1. Pretium salutis quale, 349, 2. Vota reddenda Deo, 481, 2. Aquæ lustralis ritus, 241, 2.

Unus autem ex illis, etc. — Puritas accessum habet ad Deum, 17, 1 ; 273, 2 ; 366, 2. Corporis prostratio signum venerationis, 42, 1. Gratitudinis nota qualis, 47, 1 et 2 ; 69, 1. Cor pertinet ad intellectum, 279, 2. Affectus sunt animi pedes, 277, 2 ; 313, 2, 490 10. Probum inter malos esse laudabile, 3, 2 ; 4, 1. Ingratitudo infame vitium, 32, 1 ; 210, 2 ; 474, 2. Inhumani a cœtu hominum arcendi, 465, 2. Correptio Dei utilis, 142, 2 ; 173, 2 ; 279, 2 ; 488, 2 ; 637, 2 ; 680, 1 ; 786, 1.

DOM. XIV POST PENTECOSTEN.

Nemo potest duobus dominis servire, etc. *Matth.* vi, 24. — Gloria Dei omnibus præhabenda, 92, 2. Soli Deo innitendum, 481, 1. Mammonæ stulti serviunt, 451, 2. Homo ex se nil est, et nihil potest, 165, 2 ; 195, 2 : est vanitas, 269, 1 et 2 ; 270, 1 ; 442, 1 : transit in imagine, 422, 2. Vita est brevis, 316, 1 ; 320, 2 ; 321, 1 : flori similis, 317, 1 : incerta, 186, 1 ; 187, 2 ; 258, 2 ; 317, 1. Divitiæ sunt instabiles, 347, 2 ; 451, 2 : arma iniquitatis, 346, 1 : retia diabolica, 346, 1 ; 452, 1 ; fragile fundamentum fiduciæ, 44, 2 ; 622, 2 : fomes superbiæ, 287, 2. Divites sæculi quales, 535, 1 : non sunt liberi, 735, 2 : obligantur ad eleemosynam, 466, 2. Gloria humana fallax, 317, 2 ; 318, 2. Mundus concupiscentiæ plenus, 782, 1. Mundani respuunt sapientiam, 556, 1. Avarus cor habet in nummis, 465, 2 ; 466, 1 ; 433, 2 : est inhumanus, 465, 2 ; 466, 2 : divitiarum servus, 540, 1. Cucurbita symbolum vanitatis, 349, 2. Avaritiæ fœtus pestilentes, 436, 1. Aurum cur omnipotens dicatur, 480, 1 ; est domus gloria, non hominis, 88, 2.

Nonne anima plus est quam esca, etc. — Anima rebus omnibus potior, 31, 2 : carni serviens misera, 594, 2. Cogitationes terrenæ dissipantur, 379, 2. Bona temporalia pro spiritalibus exponenda, 55, 1. Diabolus seducit promissis, 375, 1 ; 389, 1. Mors præmeditanda, 260, 2. Providentiæ est mala futura prospicere, 97, 2. Fiducia in Deum sanctorum propria, 134, 2 ; 166, 2. Providentia Dei mira, 196, 1 ; 522, 2 ; 693, 1. Creaturæ prædicant Creatorem, 265, 1 ; 283, 1 ; 560, 1 : sapientiam Dei declarant, 285, 2 ; 559, 2. Sapientiæ pretium inæstimabile, 552, 1 ; 553, 2. Casti sunt hæreditas Dei, 606, 1. Thesaurus quid proprie, 719, 2.

DOM. XV POST PENTECOSTEN.

Ecce defunctus efferebatur, etc. *Luc.* vii, 12. — Defuncti sunt memoria recolendi, 460, 2. Mors calcat omnes, 392, 2 : 469, 2 : vitæ plerumque similis, 424, 1 : sanctorum felix, 77, 2 ; 93, 1 ; 94, 1 ; 234, 1 ; 274, 2 ; 598, 1 : somno comparata, 85, 1 ; 234, 1 ; 234, 1 ; 325, 1 : remedium malorum, 89, 1 ; 92, 2 : omnes exæquat, 91, 1 ; 469, 2 : vitæ miseræ præferenda, 92, 1 : tinea corporis, 117, 2 ; 439, 1 ; 598, 2. Mortis viæ multæ, 449, 1 : meditatio necessaria, 87, 1 ; 260, 2 : incertitudo timorem suadet, 228, 2. Luctus mortui septem dierum, 73, 1. Lugentium gestus quales, 72, 1. Doloris externa signa cum virtute consistunt, 41, 2. Lamentatrices quales, 81, 2. Mœror compressus magis torquet, 239, 2. Lacrymarum diversa genera, 364, 2 ; 365, 1. Homo vanitas, 189, 1 ; 195, 2 ; 314, 2 ; 422, 2. Hominis structura mirabilis, 252, 2 ; 284, 1. Homines ut folia cadunt, 311, 1 ; 316, 1 et 2. Fragilitas humana commiseratione digna, 319, 2. Vita humana telæ similis 185, 1 ; 207, 2 ; 212, 1 ; 258, 2. Corpus est domus lutea, 116, 2 ; 117, 2. Anima vento comparata, 558, 2 : quo pergat a morte, 517, 1. Adolescentiæ dies quales, 565, 2. Dies vitæ cursori similes, 238, 2. Sepulcrum est domus uniuscujusque, 371, 1 ; 597, 2 ; 598, 1 : justi gloriosum, 94, 2. Sepulturæ meditatio utilis, 275, 1. Defunctorum hæreditas vermes, 383, 1 ; 456, 2. Mortui e sepulcro vocandi, 327, 1. Miseriæ tenebris comparatæ, 94, 2 : omnibus communes, 255, 2.

Noli flere, etc. — Christus mediator, 243, 1 : tutor miserorum, 280, 1 : mœrentium consolator, 137, 2 ; 356, 2. Stoicorum stulta indolentia, 96, 1. Consolandi munus quale, 355, 1 ; 356, 1. Parentes filiorum malis torquentur, 423, 1. Consolatio sequitur afflictionem, 648, 2 ; 672, 1.

Aspectus Christi salutaris, 679, 1 : mortuorum nos erudit, 459, 2. Calamus quassatus non conterendus, 312, 1. Dextera symbolum auxilii, 327, 2. Resurrectio est supra vires naturæ, 327, 1 : altera nativitas, 326, 2.

DOM. XVI POST PENTECOSTEN.

Et ipsi observabant eum, *Luc.* xiv, 1. — Duplex homo non est integer, 6, 1 ; 170, 1 ; 263, 1 ; 290, 1. Maligni quales, 28, 2 ; 358, 2. Detractores maledici, 76, 1 ; 81, 2 ; 141, 1 ; 145, 2. Insidiatores suis technis capiuntur, 139, 1. Hypocrita detestabilis, 210, 2 ; 213, 2 ; 351, 1 ; 533, 2 ; 587, 1 ; 687, 1. Contendere cum Deo stultum, 219, 1 ; 220, 1 ; 226, 2. Impostores Deo noti, 289, 2. Amici ficti quales, 405, 2. Impii Deum repellunt, 450, 2. Inhumani a cœtu hominum excludendi, 465, 2. Homines ignorant consilia Dei, 495, 1 ; 498, 2. Pauperes scandalizare gravissimum, 497, 1. Ingratitudo infame vitium, 32, 1 ; 219, 2. Convivia qui frequentanda, 14, 2 ; 15, 1. Medici spiritalis munus, 102, 2 ; 143, 2 ; 200, 1.

Et ecce homo quidam hydropicus, etc. — Passiones sedandæ, 273, 1. Ortus ex muliere fons miseriæ, 315, 1. Afflicto non est addenda afflictio, 280, 1 ; 312, 1. Morbi spiritalis indicia, 211, 1 ; 452, 1. Vexatio utilis, 487, 2. Voluptati repugnare difficile, 17, 1 et 2. Spiritus prima cura sit, 55, 1 et 2.

Si licet sabbato curare ? — Verbum opportunum pretiosum, 49, 1. Importunitas ubique noxia, 114, 1 et 2. Clementia Dei ubique elucet, 199, 1. Deus nunquam deserit, 255, 2. Omnia Deo patent, 264, 1 ; 294, 1 ; 314, 1 ; 327, 1. Christus in signum charitatis positus, 360, 1. Auxilium Dei præsens, 482, 2.

Dicebat autem et ad invitatos, etc. — Prudentia sæculi præpostera, 451, 1. Urbanitas cum gravitate servanda, 582, 1. Virtus reddit honorabilem, 569, 1. Ostentatio fugienda, 623, 2 ; 637, 2. Superbia scopulus virtutum, 709, 1 : Deum oppugnat, 26, 1 ; 342, 2 ; 346, 1. Superbi subito pereunt, 125, 1 ; 361, 1. Superborum ingenium quale, 262, 1 ; 679, 2. Humiliter agendum cum Deo, 231, 1 ; 311, 1 ; 595, 2. Humiles exaltantur, 119, 1 ; 137, 1 ; 678, 1.

DOM. XVII POST PENTECOSTEN.

Accesserunt ad Jesum pharisæi, etc. *Matth.* xxii, 34. — Maligni quales, 28, 2 ; 215, 2. Pharisaicum vitium quale, 208, 1. Hypocrita scirpo similis, 210, 2 ; 213, 2 ; 351, 1 ; 681, 1. Duplices odiosi, 170, 1 ; 263, 1 ; 417, 2. Occulta Deo aperta sunt, 264, 1 ; 295, 1. Deceptores Deum non latent, 289, 2. Doctores mali quales, 292, 2 ; 666, 2. Amici ficti qui, 405, 2.

Diliges Dominum Deum tuum, etc. — Charitas est plenitudo legis, 790, 2 : fructuosa, 91, 2 : doctrina Christi, 543, 1 ; 647, 2 ; 680, 1. Pietatis cura præcipua sit, 18, 1. Virtutis perfectio in quo consistat, 70, 2. Sanctitatis experimentum quale, 70, 2. Proximus ex nobis metiendus, 151, 1. Inimici etiam diligendi, 627, 1 ; 686, 2. Rectitudo quotuplex, 7, 1 et 2. Zelus quid, 124, 2 ; 441, 2. Lex Dei in corde scribenda, 412, 1. Sermones Dei corde excipiendi, 478, 1 ; 490, 2. Soli Deo innitendum, 481, 1. Vestigia Dei sequenda, 489, 1. Virtutis via ardua, 551, 2. Misericordiæ opera merentur benedictionem, 570, 2.

Interrogavit eos Jesus, etc. — Deus scientiarum Dominus, 285, 2 ; 463, 1. Correptio Dei utilis, 142, 2 ; 299, 2. Os est promptuarium sapientiæ, 176, 2. Humiliter agendum cum Deo, 231, 1 ; 311, 1 ; 595, 2. Contendere cum Deo temerarium, 219, 1 ; 280, 1 ; 226, 2 ; 242, 2 ; 287, 1 ; 297, 2. Prudentia sæculi præpostera, 451, 1 ; 472, 2. Sapientes mundi sæpe impingunt, 373, 2 ; 378, 2. Peccatores luci rebelles, 499, 2 ; 500 1 ; 502, 1 et 2. Spes temporalis frivola, 461, 2 ; 476, 1. Desiderium cœleste non reperitur a carnalibus et avaris, 549, 2 ; 550, 1.

DOM. XVIII POST PENTECOSTEN.

Offerebant ei paralyticum, etc. *Matth.* ix, 2. — Necessitates Deo revelandæ, 675, 1. Corpus est animæ carcer, 117, 1 ; 191, 1. Caro libidinosi dolet, 333, 2. Peccati onus gravissimum, 201, 1. Consuetudo peccati pessima, 160, 2 ; 288, 1. Fiducia in arduis elucet, 305, 1 ; 359, 2. Fragilitas misericordiam meretur, 319, 1. Peccatum solum est malum, 23, 1 : solus Deus remittit, 326, 2. Conscientiæ potissima cura sit, 641, 1. Anima rebus omnibus potior, 56, 2. Medici spiritalis munus, 102, 2 ; 200, 1 ; 353, 1. Opportunitas servanda, 114, 2. Pœnitentia non differenda, 260, 1 ; 480, 1 ; 782, 2. Confessio delictorum panacea, 306, 2 ; 328, 1 ; 330, 2 ; 650, 1 : spontanea sit, 629, 2. Auxilium Dei in promptu est, 482, 1.

Ut quid cogitatis mala, etc. — Deus cogitationes inspicit, 314, 1 ; 327, 1 ; 609, 2 : occulta revelat, 294, 1 ; 463, 1 ; 650, 1 : silentii magister, 299, 1. *Arguere* quid proprie, 173, 2 : 459, 1. Judicium temerarium cavendum, 788, 1. Invidi sunt imitatores diaboli, 56, 2 ; 125, 1. Susurrones pestilentes, 176, 1. Detractores malevoli, 407, 1 ; 411, 2. Reprehendere facile est, 355, 2 ; 459, 1. Maledicentia noxia, 141, 1 ; 398, 2. Sapientia hominum stulta, 378, 2 ; 452, 1. Qui sapit in oculis suis ægre docetur, 338, 1 ; 378, 2. Ingratitudo infame vitium, 32, 1. Injustis gravia sunt verba justorum, 202, 2. Opera Dei consideranda, 296, 2. Pretium salutis quale, 349, 2. Virtus reddit honorabilem, 569, 1. Locutio Dei est efficax, 263, 2. Testes Christi quales sint, 257, 1 et 2. Famæ bonæ odor optimus, 277, 1.

DOM. XIX POST PENTECOSTEN.

Vide quæ ad Dom. xi post Pentecosten *notata sunt, quæ et huic Evangelio conveniunt.*

DOM. XX POST PENTECOSTEN.

Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur. *Joan.* iv, 46. — Filii sunt possessio parentum, 10, 2 : bene educandi sunt, 18, 1 et 2 : filii improborum non sunt vitales, 349, 2. Adolescentiæ dies quales, 565, 2. Miseriæ hujus vitæ omnibus communes, 255, 2 : tenebris comparantur, 94, 2. Adversæ res salutares, 184, 2 ; 487, 2. Vita brevis et fragilis, 316, 1 ; 318, 2 ; 320, 2 ; 321, 1 : est incerta, 539, 1 : evanescit ut nubes, 189, 1 ; 207, 2 : telæ similis, 185, 2 ; 258, 2 : vento comparatur, 186, 1 et 2 ; 187, 2 ; 196, 1. Homo peregrinus super terram, 332, 2 ; 421, 1 et 2 : vas cinereum, 332, 1. Fragilitas merito timet, 163, 2 ; 319, 1. Mors somno similis, 85, 1 ; 234, 1 ; 276, 1 : est tinea corporis, 117, 2 : vento urenti similis, 543, 2. Mortis viæ plurimæ, 449, 1 : 469, 1 et 2 : ejus regio confusa, 259, 1 : mortis meditatio necessaria, 85, 2 ; 229, 1 ; 260, 2 ; 381, 1. Divitiis fidere stultum est, 44, 2. Necessitates Deo aperiendæ, 675, 2.

Nisi signa et prodigia videritis, etc. — Correptio Dei utilis, 142, 2 ; 173, 2 ; 299, 2 ; 637, 2. Arguere potentes difficile, 459, 1. Humiliter agendum cum Deo, 234, 1 ; 311, 1. Christus desiderium proborum, 592, 2. Visitatio Dei qualis, 197, 1 et 2 ; 198, 1 ; 647, 2. Deus cordium scrutator, et refugium nostrum, 142, 1 ; 491, 2 : medicus animarum, 143, 1 et 2 : consolator optimus, 138, 1 et 2 : non est acceptor personarum, 300, 2 : omnipotens et clemens, 199, 1 ; 268, 1 : nunquam suos deserit, 255, 1. Soli Deo fidendum, 481, 1. Spes animæ fortitudo, 103, 2. Opportunitas captanda, 114, 2. Conversio ad Deum triplex, 649, 2. Nolitia Dei obscura, 682, 2 ; 689, 1 ; 704, 2. Charitas est mensura gratiæ, 790, 2. Compunctionis

http://www.obrascatolicas.com

motiva quatuor, 646, 2. Medici gloria est salus ægri, 200, 1. Consolatio sequitur afflictionem, 648, 2; 672, 1.

DOM. XXI POST PENTECOSTEN.

Vide quæ notata sunt ad Dom. VIII post Pentecosten.

DOM. XXII POST PENTECOSTEN.

Abeuntes pharisæi, etc. *Matth.* XXII, 15. — Pharisaicum vitium quale, 208, 1. Hypocrita impius et iniquus, 211, 2; 213, 1; 351, 1; 533, 2; 587, 1. Duplex homo non est integer, 6, 1; 170, 1; 263, 1. Simulatores provocant iram Dei, 680, 2. Insidiatores suis technis capiuntur, 139, 1. Impostores Deo noti, 289, 2; 294, 1; 521, 1. Prudentia sæculi præpostera, 451, 1. Scientiam Dei nil effugit, 463, 1; 609, 1. Adulatio noxia, 175, 2. Contendere cum Deo temerarium, 219, 1; 220, 1; 226, 2.

Cujus est imago hæc, etc. — Homo est imago Dei, 642, 1. Verba matura proferenda, 156, 1. Meditatio clavis veritatis, 192, 2. Quæstiones quomodo instituendæ, 178, 1. Prudens respondet pro veritate, 154, 1. Veritas vita charior, 309, 1; 641, 1. Justitia incorrupta, 203, 2; 204, 1. Justi tacent in judicio iniquo, 308, 1. Denarius, nota perfectionis, 398, 2. Videt Deus omnia, 246, 2; 327, 1; 609, 1. Verba statera ponderanda, 49, 1. Providentiæ est futura prospicere, 97, 2. Causa cadit qui cum Deo contendit, 114, 1. Consilia Dei hominibus occulta, 495, 1; 498, 2; 531, 1; 537, 1. Os Christi promptuarium sapientiæ, 176, 2. Mundi sapientes sæpe impingunt, 373, 2.

DOM. XXIII POST PENTECOSTEN.

Domine, filia mea modo defuncta est, etc. *Matth.* IX, 18. — Miseriæ nos adducunt ad Deum, 688, 2. Fiducia in arduis elucet, 305, 1; 359, 2. Mortuus naturaliter resuscitari nequit, 324, 1. Mors tinea corporis, 117, 2: somno similis, 85, 1; 234, 1; 276, 1: æquat omnia, 91, 1; 392, 2: omnibus imminet, 469, 2. Mortis viæ plurimæ, 449, 1: ejus meditatio utilis, 87, 2; 229, 1; 260, 2. Vita nostra militia est, 179, 1; 182, 2: ejus incerta, 539, 1; 207, 1: referta malis, 316, 2; 421, 1: telæ similis, 185, 2; 195, 1 et 2; 258, 2: est ventus, 186, 2; 189, 1; 196, 1; 207, 2; 316, 1. Miseriæ vitæ omnibus communes, 255, 2; 333, 2; 421, 1. Vexatio utilis, 487, 2; 493, 2; 647, 1.

Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, etc. — Ægros visitavit et curavit Christus, 409, 2. Ærumnis cinguntur electi, 359, 2. Fiducia sanctorum propria, 134, 2. Spes in adversis animat, 66, 1; 172, 2. Pius affectus medulla orationis, 271, 2; 313, 2. Simplicitas Deo grata, 215, 1; 280, 1. Lampas contempta lucet coram Deo, 280, 1; 281, 1. Christus verus consolator, 356, 2: patronus miserorum, 140, 2; 572, 2; 678, 2. Misericordia in Deo eminet, 167, 1 et 2. Medici gloria salus ægri, 200, 1. Occulta revelat Deus, 294, 1; 650, 1. Fides beneplaciti qualis, 378, 1.

Non est mortua puella, sed dormit. — Lugentium gestus quales, 72, 1. Lamentatrices quæ, 81, 2. Resurrectio est supra vires naturæ, 324, 2: altera nativitas, 326, 2. Anima quo pergat a morte, 517, 1. Benedictio morituri qualis, 570, 1. Consolatio sequitur afflictionem, 648, 2; 672, 1. Virtus admirationem parit, 26, 2. Deus est omnipotens, 135, 1; 208, 1.

DOM. XXIV POST PENTECOSTEN.

Vide Dom. I Adventus, *et quæ ibi annotata sunt.*

PROPRIUM SANCTORUM.

FESTUM S. ANDREÆ.

Ambulans Jesus juxta mare, etc. *Matth.* IV, 18. — Ambulare cum Deo quid, 653, 2. Mare tempestuosum, 781, 2: ab hedit Deo, 712, 2; 713, 1 et 2. Aquarum mira productio, 711, 2. Aspectus Dei salutaris, 679, 1. Christus lux in tenebris, 4, 1; 213, 2: desiderium proborum, 592, 2. Vox *Andreas* fortitudinem sonat, 2, 1 et 2. Simplicitas Deo grata, 5, 2; 6, 1; 215, 1; 483 1. Homo natus ad laborem, 130, 2; 132, 2. Labores sunt justi compedes, 191, 1. Præsens tempus bene collocandum, 184, 1. Vigilantia necessaria, 197, 2, 204, 2. Humilitas Deo placet, 593, 2; 678, 1; 709, 1. Providentia Dei mira, 196, 1.

Venite post me, etc. — Vocanti Deo parendum, 327, 1. Inspiratio Dei verbum absconditum, 110, 1. Aures audiendi quales, 109, 1. Schola Dei qualis, 647, 2; 680, 1; Consilia Dei arcana, 495, 1, 498, 2785, 1 et 2. Mandata Dei corde excipienda, 413, 2; 477, 2; 490, 2. Locutio Dei qualis, 563, 2. Justi vocantur pauperes, 456, 2: sunt peregrini in hac vita, 437, 2; 702, 2. Conversio ad Deum triplex, 649, 2. Resignatio perfecta qualis, 46, 2. Abnegatio sui necessaria 377, 2. Rectitudo multiplex, 7, 1 et 2. Puritas habet accessum ad Deum, 17, 1; 273, 2. Anima omnibus potior, 31, 2; 56, 2. Nuditatis triumphus, 41, 1; 45, 1 et 2. Gloria Dei omnibus præferenda, 93, 2. Sancti a solo Deo pendent, 161, 1; 195, 1; 481, 1. Apostoli sunt mystici cœli, 528, 2. Affectus sunt animi pedes, 313, 2; 490, 1. Vestigia Christi sequenda, 489, 1.

FESTUM S. NICOLAI.

Homo quidam peregre proficiscens, etc. *Matth.* XXV, 14. — Homo natus ad laborem, 130, 2; 132, 2. Labor lætitiam parit, 536, 2; 694, 2. Vita nostra militia est, 179, 1: peregrinatio super terram, 332, 2; 457, 2; 702, 2. Famuli ad quid habendi, 11, 2; 12, 1 et 2; 619, 1: otiosi sunt perniciosi, 12, 1 et 2, 13, 1.

Lucratus est alia quinque. — Charitas multiplicat bona, 91, 2. Misericordia meretur benedictionem, 150, 2; 167, 1; 200, 1 et 2; 570, 2; 619, 1 et 2. Temporalia pro spiritalibus expendenda, 55, 1. Liberales sunt divites Dei, 534, 1. Divites obligantur ad eleemosynas, 466, 2. Aurum cur omnipotens dicatur, 480, 1. Justi sunt tenaces virtutis, 141, 2; 377, 2; 378, 1: non pereunt fame, 144, 2; 145, 1; 146, 2: acervo tritici comparati, 132, 1.

Qui autem unum acceperat, etc. — Mali a Deo abeunt, 34, 1. Actio virtutis indumentum est, 571, 1. Præsens tempus bene collocandum, 184, 1. Negligentes temere sperant, 696, 1. Ingratitudo vitium infame, 32, 1.

Post multum vero temporis, etc. — Ratio reddenda Deo, 320, 1. Providentiæ est futura prospicere, 97, 2. Sapientia est virtus regia, 342, 1: mundana sæpe exerrat, 373, 2; 378, 2; 451, 1; 554, 1; 556, 2. Sapientiæ fructus pretiosus, 552, 2. Nemo sibi sat sapiens, 378, 2. Gloria Dei propriis commodis prælabenda, 92, 2. Proximus ex nobis metiendus, 150, 2; 151, 1. Pretium salutis quale, 349, 2. Splendor verus ex virtute, 13, 2; 280, 1. Deus gloriatur in sanctis, 26, 2: justos servat, 119, 1: retribuit cuique pro meritis, 456, 1; 655, 1: non potest corrumpere judicium, 657, 1; 659, 1. Hæreditas non datur in hac vita, 537, 2. Labores compensantur in cœlo, 274, 1. Merces danda est operariis, 632, 1. Corona parata qui perdatur, et corona alterius qui capiatur, 663, 1 et 2. Iniquitas dolorem parit, 196, 1; 288, 1. Respondere Deo difficile, 228, 2; 231, 2. Causa cadit qui cum Deo contendit, 114, 1. Detractores maledici, 81, 2.

IN CONCEPTIONE B. VIRGINIS.

Liber generationis Jesu Christi, etc. *Matth.* I, 1. — Fœcunditas est donum Dei, 10, 1; 151, 2; 443, 1. Filiorum educatio magni momenti, 423, 2; 445, 2. Reges moriuntur ut cæteri, 87, 1; 448, 1: ad vestigia suorum attendant, 573, 2: non soli pereunt, 520, 2: sunt instrumenta Dei, 657, 2; 666, 1: reges mali sunt contemptibiles, 293, 1. Regis probi officia, 98, 1; 570, 1: regum gratia fallax, 404, 2. Viæ sæculi quales, 472, 2. Memorialia regum qualia, 329, 1. Lapsus e sublimi gravior, 101, 2; 596, 2; Magistratus quomodo gerendus, 617, 1. Vita brevis, 258, 2; 316, 1; 320, 2; 321, 1: vita longa est præmium virtutis, 152, 1: vita peregrinatio, 332, 2: variabilis, 185, 2; 186, 1; 332, 2. Vita salutis periculo exposita, 164, 2. Homines ut folia cadunt, 311, 1: consumuntur ut vestimentum, 314, 2. Luxuria gignit mala innumera, 503, 2; 607, 2; 612, 2; 614, 2. Mulieris forma fallax, 612, 1. Sanctos Deus educit e vulva, 258, 1. Casti Deo chari, 606, 1. Providentia Dei mira, 196, 1. Decreta Dei æterna, 690, 2. Mysteria Dei inscrutabilia, 688, 2. Opera Dei magna, 225, 2: consideranda, 296, 2. Soli Deo innitendum, 481, 1; 490, 1. Vocationi divinæ respondendum, 327, 1. Filii impiorum cito moriuntur, 349, 2. Justi post mortem vivunt Deo, 367, 2. Cognitio sui altera regeneratio, 382, 1. Fama bona quomodo quærenda, 395, 2. Memoria justi sempiterna, 276, 2. B. Virgo expers culpæ originalis, 715, 2. Christus est corona B. Virginis, 402, 1: desiderium nostrum, 592, 2: mediator noster, 243, 1; 320, 2: protectio nostra, 372, 2. Adventus Christi exspectatus, 416, 2.

IN FESTO S. THOMÆ.

Vide Dominicam in albis, *et quæ ibi annotata sunt.*

CATHEDRA S. PETRI ROMÆ

Quem dicunt homines esse filium hominis? *Matth.* XVI, 13. — Vox *homo* denotat imbecillitatem, 2, 1; 90, 1. Homo vanitas, 208, 1; 269, 1 et 2; 270, 2. Hominis obliviosi memor est Deus, 196, 2. Sæculares cæci in spiritalibus, 452, 1; 472, 2. Stulti sunt qui terrena sapiunt, 88, 2; 452, 1. Tentatio est cos virtutis, 39, 2. Traditiones magni faciendæ, 207, 1.

Tu es Christus, Filius Dei vivi, etc. — Lumen animæ quale, 499, 2. Veritas quomodo investiganda, 177, 1; 532, 2: vita potior, 309, 1; 641, 1. Prudens respondet pro veritate, 154, 1. Vocationi divinæ respondendum, 327, 1. Testimonium sapientis est magni ponderis, 341, 2. Fides beneplaciti qualis, 378, 1. Confessio sit spontanea, 306, 2: placet Deo, 650, 1. Christus est altissimus, 469, 2: est caput Ecclesiæ, 768, 2: desiderium sanctorum, 592, 2: lapis angularis, 710, 1: mediator noster, 243, 1: Deus est invisibilis, 226, 2; 227, 1; 488, 1: omnia videt et est scientiarum Dominus, 285, 2; 463, 2.

Beatus es Simon Bar-Jona, etc. — Laus Dei solida et vera, 26, 2; 27, 1. Deus gloriatur in sanctis suis, 26, 2. Splendor verus ex virtute, 13, 2; 15, 2; 26, 2; 569, 1. Inspiratio Dei qualis, 110, 2; 294, 1. Mystici eruditur a Deo, 673, 2. Mysteria Dei inscrutabilia, 688, 2. Aures audiendi quales, 109, 1. Gratia est vita animæ, 253, 2; 254, 1. Cor patet Deo, 609, 2. Cœli enarrant gloriam Dei, 224, 1. Deo soli innitendum, 481, 1: Deo debentur omnia accepta, 691, 1. Memoria justi sempiterna, 276, 2. Judicium Dei irrefragabile, 617, 1. Justus non perit, 105, 1; 144, 2; 145, 1; 146, 2; 152, 1. Protectio Dei est firma, 20, 2; 146, 1; 481, 1. Diabolus nil potest sine permissu Dei, 31, 1 et 2; 33, 2; 38, 2.

IN CONVERSIONE S. PAULI.

Ecce nos reliquimus omnia, etc. *Matth.* XIX, 27. — Nuditatis triumphus, 41, 1; 45, 1 et 2. Resignatio perfecta, 46, 2. Temporalia pro salute deserenda, 55, 1. Religiosi Deo dicati, 58, 1; 195, 1; 231, 1. Abnegatio sui necessaria, 377, 2. Sancti terræ peregrini, 332, 2; 457, 2. Conversio ad Deum triplex, 649, 2. Perfectio in quo sita sit, 70, 2. Homo natus ad laborem, 130, 2; 132, 2; 179, 2; 182, 1. Pretium salutis quale, 349, 2. Divitiæ steriles virtutis, 351, 2; 361, 2. Spes temporalis frivola, 461, 2. Vestigia Dei sequenda, 489, 1; 653, 2. Viæ justorum jucundæ, 584, 1. Liberales sunt divites Dei, 534, 2. Virtutis via ardua, 551, 2. Tempus bene collocandum, 184, 1.

Centuplum accipietis, etc. — Deus est pater pauperum, 140, 2; 146, 1; 176, 1; 255, 1; 572, 2: cuique retribuit pro meritis, 610, 2. Præmiorum spe animus erigendus, 182, 2. Pauperes beati, 456, 2. Justi obtinent divitias impiorum, 128, 1. Spes animæ fortitudo, 103, 2. Virtus lætitiam parit, 216, 1; 718, 2. Secura mens juge convivium, 234, 2; 243, 2; 480, 2; 533, 2. Vitæ puritas quietem affert, 87, 2. Sanctitatis divitiæ tribulatione teguntur. 280, 2. Hæreditas nostra in cœlo est, 456, 1 et 2; 537, 2. Vir perfectus est habitatio Deo, 197, 1. Status religiosus est vena aurea, 545, 1. Mors mystica qualis, 87, 2. Humiles a Deo eriguntur, 119, 1; 137, 1; 199, 2; 482, 2. Castitas est virtus regalis, 291, 1. Vocanti Dei parendum est, 327, 1. Præsidium Dei firmum, 372, 1. Aspectus Dei salus animæ, 679, 1.

PURIFICATIO B. VIRGINIS.

Postquam impleti sunt dies purgationis, etc. *Luc.* II, 22. — Purificatio præmittenda orationi, 272, 2. Puritas accessum habet ad Deum, 17, 1; 273, 2; 366, 2. Pietatis cura præcipua, 18, 1. Splendor verus a virtute, 13, 2; 15, 2; 70, 2. Modestia in templo necessaria, 34, 1. Deus quærendus actione et contemplatione, 133, 2; 184, 2. Filii sunt possessio parentum, 10, 2.

Et homo iste justus et timoratus, etc. — Justus tenax virtutis, 141, 2: probatur ut aurum, 488, 2: simplex et rectus, 5, 2; 6, 1 et 2: timens Dominum, 8, 1 et 2; 9, 2; 493, 1 et 2. Via justi recta, 377, 2; 489, 1 et 2. Virtus est fundamentum pacis, 14, 1; 481, 1; 533, 1. Innocentia sibi aliisque utilis, 483, 1. Resignatio perfecta quæ, 46, 2. Vita longa præmium virtutis, 152, 1. Sinceritas Deo grata, 263, 1; 280, 1.

Nunc dimittis servum tuum, etc. — Visitatio Dei qualis, 197, 1 et 2; 198, 1; 253, 1 et 2; 409, 2. Christus est desiderium justorum, 416, 2; 592, 2: in signum charitatis expositus, 360, 1. Desideria pia sunt signum gratiæ, 415, 2; 485, 2. Mors optata justo, 93, 1; 94, 1; 161, 1 et 2; 234, 1; 236, 2; 276, 2; 332, 1 et 2: præmeditanda, 602, 2; 381, 1; 382, 2; vitæ similis, 424, 2; 449, 1. Corpus est carcer animæ, 117, 1; 191, 1. Benedictio morituri qualis, 570, 1. Cor divinis inspirationibus aperiendum, 578, 2. Conversatio interior qualis, 566, 1; 654, 2. Sapientia trahitur de occultis, 554, 1; 555, 1. Mystici θεοδίδακτοι, 673, 2. Casti Deo chari, 606, 1. Contemplatio est mysticum sepulcrum, 93, 2. Sancti a cœlo suspensi, 161, 1; 195, 2: portant orbem, 231, 1; 702, 2. Sacrificium laudis quale, 481, 2. Sacerdos os Domini dictus, 478, 1. Anima quo pergat a morte, 517, 1. Pax Dei inconcussa, 604, 2. Lux symbolum honestatis, 83, 2; 721, 2: qui differat a lumine, 499, 2. Labor est lux mentis, 694, 2. Aspectus Dei est vita animæ, 679, 1.

CATHEDRA S. PETRI ANTIOCHIÆ.

Vide Cathedram S. Petri Romæ *cum sit idem Evangelium.*

http://www.obrascatolicas.com

IN FESTO S. MATTHIÆ.

Quia abscondisti hæc a sapientibus, etc. *Matth.* xi, 25. — Sapiens in oculis suis difficile docetur, 338, 1. Sapiendum ad sobrietatem, 519, 2. Sapientia Christi qualis, 557, 1; 562, 2. Prudentia sæculi præpostera, 451, 1; 454, 2. Sæculares cæci in spiritualibus, 452, 1. Superbia Deum oppugnat, 26, 1; 262, 1. Superbis resistit Deus, 346, 1; 421, 2. Humiliter agendum cum Deo, 231, 1; 311, 1; 595, 2. Humiles exaltantur, 119, 1; 137, 1; 482, 2. Simplicitas Deo accepta, 5, 1; 6, 1; 215, 1 et 2; 263, 1; 280, 1. Puritas accessum habet ad Deum, 17, 1; 257, 1. Aures audiendi quales, 109, 1. Deus patronus egenorum, 140, 2; 141, 1; 176, 1; 180, 1 et 2; 572, 2: est hominum custos, 199, 1: invisibilis, 226, 2; 227, 1; 488, 1: est silentii magister, 299, 1: scientiarum Dominus, 285, 1; 463, 1: consolator verus, 356, 2. Locutio Dei qualis, 263, 2; 477, 2. Doctrina Dei arcana, 673, 2; 680, 1: auditoribus aptanda, 581, 2. Notitia Dei obscura, 688, 2: notitia sui scientia maxima, 310, 2; 328, 2; 382, 1. Consilia Dei nos latent, 495, 1; 498, 1. Mystica theologia qualis, 112, 2. Desiderium cœleste non est in carnalibus nec in avaris, 549, 2; 550, 1. Impii Deum repellunt, 450, 2. Vocationi divinæ respondendum, 327, 1. Doctores exemplo doceant, 413, 2. Pii sunt terra desiderabilis, 593, 1. Providentia Dei gubernat omnia 492, 2. Judicia Dei reverenda, 531, 1; 537, 1; 617, 2; 661, 2. Vestigia Dei sequenda, 489, 1. Passiones sedandæ, 273, 1; 376, 1. Pax vera est vitiorum victoria, 400, 1 et 2. Anxietas spiritus gravissima, 401, 1. Consolandi ratio quæ, 409, 2. Verbum Dei cibus animæ, 203, 2. Occulta revelat Deus, 294, 1. Veritas vita potior, 309, 1; 641, 1.

ANNUNTIATIO B. VIRGINIS.

Missus est angelus Gabriel, etc. *Luc.* i, 26. — Angelica natura qualis, 21, 2; 22, 2; 115, 2. Angeli habent varia ministeria, 21, 1 et 2; 22, 2; 514, 1: cur filii Dei dicti, 710, 1: laudant incarnationem, 710, 2: omni studio venerandi, 122, 1. Spirituum apparitiones timorem incutiunt, 111, 2; 112, 1. Fragilitas humana merito timet, 138, 1; 163, 2. Humiliter agendum cum Deo, 231, 1; 311, 2; 595, 2. Lampas contempta lucet coram Deo, 280, 1; 281, 1. Conversatio interior qualis, 566, 1. Mystici θεοδίδακτοι, 673, 2, Casti sunt thronus Dei, 606, 1; 607, 2. Orationis fructus est unio cum Deo, 649, 2. Pietatis cura præcipua, 18, 1.

Cogitabat qualis esset ista salutatio. — Cogitationes sunt cordis possessiones, 379, 2 Sapientes taciturni, 50, 1; 299, 1 et 2. Verbum absconditum quale, 109, 1; 110, 2. Consilia Dei hominibus arcana, 495, 1; 498, 2; 688, 2. Vigilantia necessaria, 197, 2; 205, 1 et 2. Meditatio illuminat mentem et cor accendit, 274, 2. Sanctitatis experimentum quale, 70, 2.

Ne timeas, Maria, etc. Humiles eriguntur a Deo, 119, 1; 137, 1; 482, 2; 678, 1. Occulta revelat Deus, 294, 1; 650, 1. Fiducia in arduis elucet, 305, 1; 359, 2. Virtus animum erigit, 481, 1; 569, 1. Justi probantur ut aurum, 488, 2. Lumen animæ quale, 499, 2. Oculus simplex sit, 7, 1; 275, 1 et 2. Puritas Deo placet, 17, 1; 257, 1. Castitas virtus regia, 291, 1. Decretum Dei immutabile, 492, 2; 645, 1; 690, 2. Fœcunditas donum Dei, 10, 1. Protectio Dei tuta, 29, 2; 146, 1; 372, 1. Opera Dei magna, 225, 1. Corporis humani formatio qualis, 249, 1; 250, 1.

Ecce ancilla Domini, etc. — Resignatio perfecta qualis, 46, 2. Verba statera ponderanda, 49, 1; 156, 1. Os promptuarium sapientiæ, 176, 2. Notitia sui scientia maxima, 310, 2; 328, 2; 381, 1. Vocationi divinæ respondendum, 327, 1. Deo debentur omnia accepta, 671, 1. Doctrina vera redolet humilitatem, 643, 1. Adventus Christi exspectatus, 416, 2. Christus corona B. Virginis, 402, 1.

FESTUM S. MARCI.

Designavit Dominus et alios, etc. *Luc.* x, 1. — Providentia Dei mira, 196, 1 et 2. Christus est caput Ecclesiæ, 768, 2. Verbum Dei est cibus animæ, 203, 1: quo spiritu annuntiandum sit, 519, 2; 523, 1; 581, 2; 623, 2. Prædicatores mystice nubes, 692, 2; 693, 1; 696, 2; 700, 2. Apostoli mystici cœli, 528, 2: peregrini in terra, 332, 2; 457, 2: monozoni, 583, 1: portant orbem, 231, 1. Zelus animarum qualis, 124, 2; 441, 2; 547, 2. Medici spiritalis officium, 102, 2; 200, 1. Animarum cura præcipua, 31, 2; 56, 2. Spiritalis fœcunditas maxima, 443, 1. Doctoris munus quale, 543, 1. Simplicitas secura, 7, 1; 215, 1 et 2; 480, 2. Nuditatis triumphus gloriosus, 41, 1; 45, 1 et 2. Abundantia rerum noxia, 281, 2; 435, 1. Vocationi divinæ respondendum, 327, 1. Passio Domini prædicanda, 368, 1. Irrisiones impiorum contemnendæ, 377, 1. Detrimenta temporalia parvi facienda, 383, 1. Tyrannorum vis in morte cessat, 89, 2. Peccatores cæci, 295, 1; 387, 1; 556, 2. Impii Deum a se repellunt, 450, 2; 473, 2. Resistere Deo nemo potest, 287, 2; 297, 2. Protectio Dei secura, 29, 2; 146, 1.

Dicite: Pax huic domui, etc. — Pax Dei inconcussa, 654, 2. Virtus est fundamentum pacis, 14, 1; 480, 2. Opportunitas captanda, 114, 2. Contentio fugienda, 177, 1; 178, 1; 242, 2. Passiones sedandæ, 181, 2; 273, 1. Cor pertinet ad intellectum, 279, 2; 367, 1. Experientia rerum magistra, 338, 2. Vestigia Dei sequenda, 489, 1; 653, 2. Famæ bonæ odor optimus, 277, 1. Castitatis regalis virtus, 291, 1. Veritas ipsa vita potior, 309, 1; 641, 1. Pauperes scandalizare gravissimum, 497, 1. Sapientia est virtus regia, 341, 2. Dissimulatio peccatorum noxia, 98, 1. Ingratitudo siccat fluenta gratiæ, 210, 2; 465, 2. Reprobatio culpam sequitur, 287, 2. Impiorum radix exscindetur, 349, 2; 394, 1. Labor lætitiam parit, 536, 2: compensatur in cœlo, 274, 1.

FESTUM SS. PHILIPPI ET JACOBI.

Non turbetur cor vestrum, etc. *Joan.* xiv, 1. — Cor pertinet ad intellectum, 279, 2: divinis inspirationibus aperiendum, 578, 2. Fides beneplaciti qualis, 378, 1. Lumen animæ quale, 499, 2. Doctrina auditoribus accommodanda, 523, 1; 581, 2; 623, 1. Tentatio est cos virtutis, 39, 2; 57, 2; 69, 2; 331, 2. Homo natus ad laborem, 131, 2; 132, 2. Vita nostra militia, 179, 1; 332, 2; 333, 1 et 2. Sanctitatis experimentum quale, 70, 2; 158, 1 et 2; 237, 1. Spes animæ fortitudo, 103, 2. Fiducia in Deum sanctorum propria, 134, 2; 166, 2; 172, 2; 305, 2; 359, 2. Sancti a cœlo suspensi, 161, 1; 195, 1. Domus spiritalis virtute struitur, 197, 1. Virtus lætitiam adfert, 216, 1; 481, 1; 718, 2: animum erigit, 481, 1: perficitur adversitate, 161, 2. Labor lætitiam parit, 536, 2.

Ego sum via, et veritas, et vita. — Christus mediator noster, 243, 1: est desiderium sanctorum, 592, 2: lux in tenebris, 4, 1; 213, 2. Christiani sunt orientales, 13, 1 et 2. Deus oceanus consolationum, 138, 1; 142, 1; 356, 2: gloriatur in sanctis suis, 26, 2: est invisibilis, 226, 2; 227, 1; 488, 1; 688, 2. Mystica theologia qualis, 112, 2. Puritas cordis Deum videt, 273, 2; 366, 2. Conversatio interior cum Deo qualis, 566, 1; 653, 2. Sapientia trahitur de occultis, 554, 1; 623, 1: respuitur a mundanis, 556, 1 et 2. Lampas contempta lucet coram Deo, 280, 1; 281, 1. Providentia Dei gubernat omnia, 129, 1; 462, 2. Cœlum Dei habitaculum, 368, 1; 523, 2. Beatitudinis desiderium ejusdem pignus, 415, 2. Hæreditas datur in cœlo, 537, 2. Memoria Dei utilissima, 301, 2; 314, 2,

IN INVENTIONE S. CRUCIS.

Erat homo ex pharisæis Nicodemus, etc. *Joan.* iii, 1. —

Vox *homo* imlæcillitatem sonat. 2, 1; 165, 2; 199, 1. Probum inter malos esse laudabile, 3, 2; 4, 1. Simplicitas Deo chara, 3, 2; 6, 1; 215, 1 et 2; 280, 1. Splendor verus ex virtute, 13, 2; 15, 2. Puritas accessum habet ad Deum, 17, 1; 87, 2; 170, 1; 263, 1; 272, 2. Virtus admirationi est, 26, 2; 82, 2: animum erigit, 481, 1. Principis boni officium quale, 98, 1, 102, 1; 518, 1. Principes ægre audiunt veritatem, 440, 2.

Amen, amen dico tibi, etc. — Sermones Dei corde excipiendi, 478, 1; 490, 2. Aures audiendi quales, 109, 1. Inspiratio divina verbum absconditum, 110, 1. Homines ignorant consilia Dei, 495, 1; 498, 2: carnales homines sunt utei, 117, 1, 594, 2. Formatio corporis mira, 252, 2. 253, 1 et 2; 284, 1. Resurrectio est altera nativitas, 326, 2. Spiritus cura præcipua, 31, 2; 55, 1 et 2; renovatio necessaria, 580, 1 et 2. Vita spiritalis qualis, 253, 2; 271, 2. Peccatum solus Deus delet, 320, 2. Mortis meditatio vitam parit, 381, 1; 382, 2. Prudentia sæculi præpostera, 451, 1. Deus incomprehensus, 688, 2; 689, 1; 691, 1: etiam dilectis se abdit, 55, 1; 254, 2; 595, 2. Cœlum Dei solium, 523, 2. Homo Dei tabernaculum, 566, 1.

Et sicut Moyses exaltavit serpentem, etc. — Christus in signum expositus, 360, 1: desiderium sanctorum, 592, 2. Suspendium honoratum quale, 194, 2. Afflictiones gloriosæ, 54, 1. Gloria Dei omnibus præferenda, 92, 2. Virtus adversitate perficitur, 161, 2. Abnegatio sui necessaria, 90, 1; 377, 2. Nuditatis, triumphus, 41, 1; 45, 1 et 2.

FESTUM S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Elisabeth impletum est tempus, etc. *Luc.* i. 57. Tempus cujusque rei, 546, 2. Fœcunditas est donum Dei, 10, 1; 443, 1. Liberi sunt possessio parentum, 10, 2. Dies nativitatis solemnis, 73, 2. Filii sunt corona parentum, 401, 2.

Et audierunt vicini, etc. — Famæ bonæ odor optimus 277, 1. Splendor verus ex virtute, 13, 2; 15, 2; 83, 2, 280, 1. Virtus admirationi est, 26, 2: reddit honorabilem; 569, 1; 636, 2: lætitiam parit, 216, 1; 481, 1; 718, 2, Gratia est vita animæ, 253, 2; 254, 1. S. Joannes aurora solis justitiæ, 406, 2; 550, 1; 714, 2. Sanctos Deus educit e vulva, 258, 1.

Innuebant autem patri, etc. — Providentia Dei regunt omnia, 129, 1; 138, 2; 196, 1; 492, 2. Silentium est animæ custodia, 261, 2: necessarium ut instruamur, 657, 2. Sapientes taciturni, 50, 1. Sanctitatis experimentum quale, 70, 2. Occulta revelat Deus, 294, 1; 650, 1. Vocationi divinæ respondendum, 327, 1; 489, 1. Sapientia de cœlo venit, 554, 1.

Et factus est timor, etc. — Timor Dei salutaris, 9, 1 et 2; 103, 2. Sancti sunt termini terræ, 692, 2; 667, 2: homines cœlestes, 161, 2; 195, 1; 702, 2. Deus gloriatur in sanctis suis, 26, 2: quærendus actione et contemplatione, 133, 2. Charitas communicat bona, 91, 2. Verborum factorumque cognatio est, 262, 2. Juventus index reliquæ vitæ, 421, 1. Lux justorum qualis, 386, 2; 499, 2; 693, 2: via justi recta, 377, 2. Manus symbolum operationis, 366, 1. Magna opera Domini, 135, 2; 225, 2. Consilia Dei miranda, 495, 1; 498, 2; 531, 1; 688, 2. Sermones Dei corde excipiendi, 478, 1. Innocentia sibi aliisque utilis, 483, 1. Justus tenax virtutis, 141, 2: terra desiderabilis, 593, 2: ambulat coram Deo, 633, 2.

FESTUM SS. PETRI ET PAULI:

Vide festum Cathedræ S. Petri Romæ, *cum idem sit Evangelium.*

VISITATIO B. MARIÆ VIRGINIS.

Exsurgens Maria abiit, etc. *Luc.* i, 39. — Vigilantia necessaria, 197, 2; 205, 1 et 2. Quies non est hujus vitæ, 86, 2; 130, 2; 132, 2; 164, 2. Vita nostra militia est, 164, 2; 179, 1; 182, 1: peregrinatio, 332, 2: vita spiritalis qualis, 253, 2; 254, 2. Labor lætitiam parit, 536, 2; 694, 2. Negligentes temere sperant, 596, 1. Amicitia vera quæ, 71, 1. Pietatis cura præcipua sit, 18, 1. Affectus sunt animi pedes, 313, 2; 490, 1. Consolandi munus quale, 355, 1; 356, 1; 583, 2. Charitas est mensura gratiæ, 790, 2.

Et factum est, ut audivit, etc. — Visitatio Dei qualis, 197, 1 et 2; 198, 1; 253, 1 et 2. Laus Dei est liberare oppressos, 58, 2. Medici gloria salus ægri, 200, 1. Ortus ex muliere est fons miseriæ, 301, 2; 314, 2. Fomes peccati est tinea animæ, 117, 2. Peccatum solum est malum, 23, 1. Inspiratio divina qualis, 110, 1. Vocationi divinæ respondendum, 327, 1. Desideria pia sunt signa gratiæ, 485, 2; 592, 2. Christus lux in tenebris, 4, 1: mediator noster, 243, 1. Lampas contempta lucet coram Deo, 280, 1. Providentia Dei mira, 196, 1; 492, 2; 522, 2. Custodia Dei tuta, 373, 2. Justus non perit, 105, 1; 119, 1; 152, 1. Occulta Deo aperta, 264, 1; 294, 1; 609, 2. Tempus cuique rei præstitutum, 546, 2.

FESTUM S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Rogabat Jesum quidam, etc. *Luc.* vii, 36. — Convivia quæ frequentanda, 14, 2; 15, 1; 17, 1 et 2. Timor Dei frenum peccati, 9, 1 et 2; 103, 2; 560, 1. Inspiratio Dei qualis, 110, 1: 566, 1. Compunctio utilis, 193, 1; 646, 2: inducit pœnitentiam, 787, 1. Onus peccati grave, 201, 1; 381, 1 et 2; 388, 2; 393, 1. Lapsus in peccatum facilis, 515, 1; 687, 2. Fœtor peccati gravis, 185, 2. Vitia cognoscenda ut emendentur, 310, 2. Lumen animæ quale, 499, 2. Cognitio sui est altera regeneratio, 382, 1. Voluptates corporeæ dolium pertusum, 503, 2; 607, 2; 612, 2; 682, 2: luxuriam frenare difficile est, 17, 1 et 2; 425, 2. Conscientiæ cruciatus acerbissimus, 353, 1; 486, 1; 641, 1. Dolores peccatoris parturientis, 352, 2. Tempus pœnitentiæ summum beneficium, 508, 2. Pœnitentiæ condimentum est fletus, 96, 2: fructus qualis, lacrymarum genera diversa, 364, 2. Lugentium gestus quales, 72, 1. Pœnitentis quæ partes sint, 245, 1; 263, 1. Pœnitentes a Deo liberaliter accipiuntur, 206, 1 et 2; 209, 2. Expiatio necessaria accedentibus ad Deum, 16, 2; 578, 2. Humiliter agendum cum Deo, 231, 1; 319, 1. Passiones sedandæ, 273, 1; 376, 1. Silentium est animæ custodia, 261, 2; 651, 2. Confessio delictorum panacea, 306, 2; 330, 2; 629, 2. Labor lætitiam parit, 536, 2; 694, 2. Animum in manu quis portet, 304, 2.

Videns autem pharisæus, etc. — Pharisaicum est omnia in malam partem accipere, 203, 1. Afflicto non est addenda afflictio, 312, 1; 421, 1. Detractores maledici, 81, 2; 141, 2; 176, 1. Judicium temerarium cavendum, 788, 1. Malignitatis ingenium quale, 28, 2; 142, 1; 215, 2; 358, 2. Diabolum suscitat qui ad virtutem aspirat, 82, 2. Zelus quid, 124, 2, 441, 2.

Dixit Simoni: Vides hanc mulierem? etc. — Opportunitas in monitione servanda, 114, 2. Judicium Dei ab humano diversum, 369, 2; 531, 1; 537, 1; 724, 1. Benignitas Dei mira in pœnitentes, 509, 2. Auxilium Dei promptum, 482, 1. Christus in signum charitatis expositus, 360, 1; 592, 2: occulta revelat, 294, 1; 521, 1; 688, 1. Misericordia Deo, propria 167, 1 et 2: 200, 1 et 2. Visitatio Dei qualis, 197, 1 et 2; 198, 1; 253, 1 et 2. Medici gloria salus ægri, 200, 1. Pretium salutis quale, 390, 1. Charitas est mensura gratiæ, 790, 2. Desideria pia sunt animæ vita, 592, 2. Sapientia trahitur de occultis, 554, 1 et 2. Resurrectio spiritalis qualis, 327, 1; 745, 1 et 2.

FESTUM S. JACOBI APOSTOLI.

Accessit ad Jesum mater, etc. *Matth.* xx, 20. — Filii sunt possessio parentum, 10, 2: bene educandi, 18, 1 et

http://www.obrascatolicas.com

2; 445, 2. Oratio non peta. cupiditati grata, 34, 1. Lingua lubrica, 48, 2; 175, 2. Sermo jactantiæ odiosus, 279, 1; 338, 1. Verbis statera facienda, 49, 1. Zelus quid, 124, 2; 140, 2; 441, 2. Æmulatio non est in cœlis, 91, 1. Cogitationes hominum timidæ, 138, 1. Imperfectorum semitæ involutæ, 171, 2. Stulti sunt qui terrena sapiunt, 452, 1; 563, 2. Sæculares cæci in spiritalibus, 452, 1. Favor humanus parvi faciendus, 441, 2. Sancti etiam nævis non carent, 515, 2.

Nescitis quid petatis. — Correptio Dei utilis, 142, 2; 637, 2; 643, 1; 647, 1. Negatio sæpe consensu utilior, 233, 1. Gloria humana fallax, 317, 2; 318, 2. Superbis Deus resistit, 346, 1; 421, 2; 510, 1; 679, 2. Temporalia spiritalibus posthabenda, 55, 1. Quies non est hujus vitæ, 86, 2. Notitia sui necessaria, 150, 2; 310, 2; 327, 1. Cupiditates debellandæ, 182, 1; 376 1. Mors præmeditanda, 266, 2. Abnegatio sui necessaria, 377, 2. Humiliter agendum cum Deo, 251, 1; 311, 1 et 2. Intentiones Deus trutinat, 232, 2; 231, 1; 463, 1. Macula in pulchro fœdior, 98, 1. Voluntas hominis inconstans, 404, 1. Negligentes temere sperant, 596, 1. Affectus sunt animi pedes, 271, 2; 313, 2; 490, 1. Vocationi divinæ respondendum, 327, 1. Doctores exemplo doceant, 413, 2. Virtus reddit honorabilem, 569, 1. Justi post mortem vivunt Deo, 367, 2. Judicium Dei ab humano diversum, 369, 2; 617, 2; 661, 2. Acceptio personarum non est apud Deum, 300, 2. Deus cuique dat pro meritis, 610, 2; 655, 1.

FESTUM S. LAURENTII MARTYRIS.

Nisi granum frumenti, etc. *Joan.* xii, 24. — Mortificatio passionum est genus martyrii, 376, 1 : quietem affert, 90, 1; 274, 1. Abnegatio sui necessaria, 377, 2. Voluptati repugnare difficile, 17, 1 et 2. Labor est lux mentis, 694, 2. Laborum finis gloriosus, 131, 1 et 2; 274, 1. Justi pauperes, 456, 2 : probantur ut aurum, 488, 2 : tenaces virtutis, 141, 2 : post mortem vivunt Deo, 367, 2. Avaritiæ tyrannis magna, 282, 1; 433, 2; 465, 2; 466, 2 : fœtus pestilentes, 436, 1. Avarus princeps lupo similis, 408, 1; 468, 1; 498, 1. Potentem impium arguere difficile, 459, 1. Principum gratia fallax, 4 4, 2. Tyranni in subditos violenti, 507, 1. Sancti multipliciter torquentur, 158, 1 et 2; 237, 1 : a cœlo suspensi vivunt, 161, 2; 195, 1. Sanctitatis divitiæ teguntur tribulatione, 280, 2. Patientia justorum recreat Deum, 237, 2. Deus gloriatur in sanctis, 26, 2 : certaminum spectator, 237, 1. Tentatio est cos virtutis, 39, 2; 57, 2; 69, 2; 184, 2; 487, 2. Medicinæ amaræ salutares, 143, 2. Pœnæ pro Deo toleratæ dulcescunt, 46, 1 et 2. Doloris signa cum virtute consistunt, 41, 2; 96, 1. Mors sanctorum felix, 77, 2; 78, 2; 85, 2; 92, 1 et 2; 161, 1; 332, 1. Veritas vita potior, 309, 1; 641, 1. Gratia est animæ vita, 253, 2; 254, 1. Lux justorum qualis, 386, 2 : symbolum virtutis, 83, 2; 721, 2. Temporalia pro spiritalibus exponenda, 55, 1. Spes animæ fortitudo, 103, 2; 142, 2. Fiducia in asperis elucet, 305, 2; 359, 2. Cogitationes sunt cordis possessiones, 370, 2. Secura mens juge convivium, 481, 1. Eleemosyna est sacrificii genus, 621, 1. Consolatio sequitur afflictionem, 648, 2; 472, 1.

IN ASSUMPTIONE B. VIRGINIS.

Intravit Jesus in quoddam castellum, etc. *Luc.* x, 38. — Hæc vita peregrinatio, 332, 2; 457, 2. Vestigia Dei sequenda, 489, 1. Via justi recta, 377, 2. Domus spiritalis virtutibus struitur, 197, 1. Virtus est fundamentum pacis, 14, 1 : lætitiam affert, 216, 1; 481, 1; 718, 2. Deus incomprehensus, 266, 1; 688, 2; 689, 1; 691, 1 : verus consolator, 356, 2 : invisibilis, 226, 2; 227, 1; 488, 1. Vox Dei auditur in quiete, 646, 1; 680, 1. Silentium est animæ custodia, 261, 2. Passiones sedandæ, 273, 1; 368, 1. Necessitates Deo aperiendæ, 675, 1. Homo natus ab labore, 130, 2; 132, 2. Actione et contemplatione colendus rem, 124, 2; 441, 2. Deus, 133, 2. Zelus quid,

Maria optimam partem elegit, etc. — Judicium Dei ab humano diversum, 369, 2. Correptio Dei utilis, 142, 2; 299, 2; 786, 1. Oratio non petat transitoria, 34, 1. Minora pro majoribus deserenda, 54, 2. Spiritus prima cura sit, 55, 1 et 2. Contemplatio mysticum sepulcrum, 93, 2. Simplices Deo grati, 215, 1 et 2; 280, 1. Vita spiritalis qualis, 253, 2. Affectus pius medulla orationis, 271, 2; 314, 1 et 2. Meditatio illuminat et accendit, 274, 2; 565, 2. Notitia sui scientia maxima, 310, 2; 382, 1 : Dei qualis, 688, 2. Preces quæ sint mundæ, 366, 2. Sacrificium laudis quale, 481, 2. Sermones Dei corde excipiendi, 264, 1; 327, 1; 481, 2. Sermones Dei corde excipiendi, 264, 1; 327, 1; 478, 1; 490, 2; 565, 1; 646, 1. Lumen animæ quale, 499, 2. Anima quo pergat post vitam, 517, 1. Hæreditas non datur in hac vita, 537, 2. Sapientia trahitur de occultis, 554, 1, 555, 1. Humilitas Deo placet, 595, 2. Cor illuminat, 679, 1. Mystica theologia qualis, 673, 2. B. Virgo gloriosa, 753, 2.

FESTUM S. BARTHOLOMÆI.

Exiit Jesus in montem orare, etc. *Luc.* vi, 12. — Jesus lux in tenebris, 4, 1; 313, 2 : suos non deserit, 255, 1 : pater pauperum, 572, 2; 578, 2; 681, 2 : ægrorum solatium, 409, 2; 410, 1. Preces quæ mundæ sint, 366, 2. Orationis fructus est conjunctio cum Deo, 649, 1. Ecclesia similis auroræ, 84, 1. Dies animæ virtutes, 350, 1. Vestigia Dei sequenda, 489, 1. Eruditio Dei qualis, 647, 2; 680, 1. Providentia Dei mira, 196, 1; 492, 2, 622, 2. Apostoli fulminibus comparati, 528, 2 : a Deo docti, 673, 1 : enarrant gloriam Dei, 224, 2; 529, 2 : terræ peregrini, 457, 2 : portant orbem, 132, 2 : gaudent pro Christo pati, 400, 2. Christiani sunt orientales, 13, 2. Deus gloriatur in sanctis, 26, 2 : eos educit e vulva, 258, 1 : jurisdictionem habet in omnes, 456, 1 : erigit humiles, 119, 1; 137, 1; 678, 1. Judicia Dei reverenda, 531, 2; 537, 1; 724, 2. Judas apostolatu excidit, 353, 1; 662, 2. Virtutis via arcdua, 551, 2. Prædicatores mysticæ nubes, 692, 2; 697, 1. Religiosi Deo dicati, 58, 1. Memoria justi æterna, 276, 2. Sacerdotes a Deo honorati, 291, 2 : *os Domini* vocati, 478, 1. Zelus animarum major quam divitiarum, 547, 2.

FESTUM NATIVITATIS B. VIRGINIS.

Vide Festum Conceptionis, *et ibi notata.*

EXALTATIO S. CRUCIS.

Vide Inventionem S. Crucis, et ibid. Evangelium.

FESTUM S. MATTHÆI.

Vidit Jesus hominem sedentem in telonio, etc. *Matth.* ix, 9. — Avarus divitiarum servus, 451, 1 et 2; 540, 1 : devorat pauperes, 434, 1 et 2. Avaritiæ fœtus pestilentes, 436, 1. Aurum non satiat hominem, 11, 1. Divitiæ non habentur sine amaritudine, 361, 2 : sunt densum lutum, 428, 1 et 2. Divitiis fidere stultum, 44, 2; 88, 1 et 2. Divites obligantur ad eleemosynas, 467, 1 : non sunt liberi, 735, 2. Vitia cognoscenda ut curentur, 310, 2. Consuetudo peccandi pessima, 160, 2; 288, 1; 388, 1. Cupiditates debellandæ, 182, 1.

Sequere me, etc. — Visitatio Dei qualis, 197, 1; 198, 1; 253, 1. Vocationi divinæ respondendum, 327, 1. Abnegatio sui necessaria, 377, 2. Temporalia pro salute derenda, 55, 1. Pœnitentia non differenda, 169, 1; 202, 2; 260, 1 : delet peccata, 273, 2; 307, 1 et 2; 480, 1. Vitia sunt dæmonis retia, 387, 2. Vitiorum oblectamenta fallacia, 353, 2. Conversio ad Deum triplex, 649, 2. Adventus Christi salutaris, 410, 2. Aspectus Christi qualis, 679, 1. Præsentiæ Dei utilitas, 471, 1 et 2. Auxilium Dei in promptu est, 482, 1. Sermones Dei corde excipiendi, 478, 1; 490, 2. Cor hominis Deo patet, 609, 2. Affectus sunt animi pedes, 313, 2; 490, 1. Compunctionis utilitas, 193, 1. Timor Dei frenum peccati, 5, 1 et 2; 9, 2. Mali fuga primus gradus justitiæ, 8, 1 et 2. Peccatum solum malum, 23, 1; 140, 1. Notitia sui necessaria et altera regeneratio, 382, 1. Fides beneplaciti qualis, 378, 1. Nuditatis triumphus, 41, 1; 45, 1 et 2.

Discumbente eo, etc. — Convivia quæ bona, 14, 2 : quomodo frequentanda, 15, 1. Voluptati repugnare difficile, 17, 1 et 2. opportunitas monendi captanda, 114, 2. Bona nunquam male accipienda, 28, 2. Invidia est vitium pusillorum, 124, 1; 140, 1. Detractores maledici, 81, 2; 141, 1; 407, 1; 411, 2. Pharisaicum est omnia secus capere, 203, 1. Sapientes mundi sæpe impingunt, 373, 2; 378, 2. Simplices Deo grati, 6, 2; 215, 1 et 2; 280, 1. Medici gloria est salus ægri, 200, 1.

FESTUM S. MICHAELIS.

Et advocans Jesus parvulum, etc. *Matth.* xviii, 2. — Simplicitas Deo grata, 5, 2; 6, 1; 215, 1 et 2. Sinceritas Deo amica, 263, 1; 280, 1. Puritas accessum habet ad Deum, 17, 1; 607, 2 : puritas cordis Deum videt, 273, 2; 340, 1. Puerilis ætas flexilis, 445, 2. Virtus pueris conciliat auctoritatem, 636, 2. Innocentia sibi aliisque utilis, 483, 1. Judicium Dei ab humano diversum, 369, 2. Schola Dei qualis, 647, 2. Humilitas Deo placet, 595, 2 : humiliter agendum cum Deo, 231, 1. Superbia Deo invisa, 26, 1; 345, 2; 421, 2. Sapiendum ad sobrietatem, 519, 1. Scientia quæ inflat noxia est, 623, 2. Mundani respuunt divinam sapientiam, 556, 1. Casti Deo accepti, 606, 1. Cognitio sui scientiarum maxima, 93, 1; 310, 2; 328, 2; 382, 1. Lampas contempta lucet coram Deo, 280, 1; 281, 1.

Væ mundo a scandalis. — Scandalum proximi detestandum, 77, 1. Pauperes scandalizare gravissimum, 497, 1. Pupilli injuriis expositi, 175, 2; 619, 2. Fragilitas humana magna, 163, 2. Iniquitates virum venantur, 204, 2. Innocenter multi patiuntur, 237, 2. Vita militia, 179, 1; 182, 2 : incerta, 186, 1; 187, 2; 539, 1 : variabilis, 332, 1. Cor symbolum vitæ deiformis, 279, 2; 367, 1. Rugæ symbolum duplicitatis, 358, 2. Subulæ oculi quales, 358, 2.

Angeli eorum etc. — Angeli sunt custodes nostri, 21, 2; 121, 1; 122, 2; 672, 2 : cur sint filii Dei dicti, 21, 2; 710, 1 : laudant Incarnationem, 710, 2 : omni studio venerandi, 128, 1 : præceptores hominum, 22, 1 et 2; 128, 1 : milites Dei, 514, 1 : assistunt Deo, 22, 1 et 2. Deo patent omnia, 246, 2; 312, 2; 313, 1; 327, 1. Patientia Dei non abutendum, 499, 1.

IN FESTO S. LUCÆ.

Vide Festum S. Marci, *cum sit idem Evangelium.*

FESTUM SS. SIMONIS ET JUDÆ.

Mando vobis, ut diligatis invicem, *Joan.* xv, 17. — Charitas est mensura gratiæ, 790, 2 : communicat bona, 91, 2. Proximus alter ipse, 150, 2; 151, 1. Inimicus etiam diligendus, 627; 1; 686, 2. Doctores exemplo doceant, 413, 2. Anima omnibus præferenda, 31, 2; 56, 2. Amicitia humana fallax, 168, 1; 404, 2; 441, 2.

Si mundus vos odit, etc. — Afflictiones pro Christo gloriosæ, 54, 1; 68, 2; 143, 1; 280, 2. Sancti multipliciter probantur, 158, 1 et 2; 161, 1 : animam in manu portant, 304, 2. Vexatio utilis, 487, 2. Quies non est hujus vitæ, 86, 2; 130, 2; 132, 2; 179, 1. Terra impiis permissa, 237, 2. Innocentes multa patiuntur, 237, 2. Christiani persecutionibus expositi, 360, 2, Iniquitas subservit probationi justorum, 488, 2. Peccatores cæci, 295, 1; 387, 1; 451, 1 : crudeles, 352, 2. Tyranni violenti, 507, 1; 468, 1 : in morte cessant, 80, 2. Injustis graves sunt monitiones, 208, 2. Justi tacent in judicio iniquo, 308, 2 : addunt manibus fortitudinem, 377, 2 : 378, 1 : circumveniuntur a peccatoribus, 458, 2 : non pereunt, 105, 1; 119, 1; 144, 2; 145, 1; 146, 2; 152, 1 : lucebunt in judicio, 280, 1. Deus certaminum spectator, 237, 1 : suos non deserit, 199, 1; 255, 1 : gloriatur in sanctis, 26, 2. Labores compensantur in cœlo, 274, 1; 536, 2. Mors sanctorum pretiosa, 276, 2; 332, 2. Sanctitatis et lucis consensio, 15, 2. Tristitia non dejicit justum, 75, 1. Veritas vita charior, 309, 1. Filii impiorum etiam scelerum hæredes, 454, 1. Viæ sæculi quales, 472, 2. Reprobatio culpam sequitur, 287, 2. Homines ignorant consilia Dei, 495, 1; 498, 2. Consolatio sequitur afflictionem, 648, 2; 672, 1. Finis impiorum perditio, 277, 1.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Beati pauperes spiritu, etc. *Matth.* v, 3. — Pauperes Deo curæ, 140, 2; 176, 1; 498, 2; 572, 2 : cur vocantur justi, 456, 2. Temporalia pro Christo deserenda, 55, 1. Humiles exaltantur, 137, 1. Nuditatis triumphus, 41, 1; 45, 1 et 2. Aurum non satiat hominem, 11, 1; 88, 2.

Beati mites, etc. — Passiones cohibere difficile, 376, 1. Mortificatio quietem affert animæ, 90, 1. Abnegatio sui necessaria, 377, 2.

Beati qui lugent, etc. — Ecclesiæ luctus qualis, 357, 2. Lacrymæ quæ bonæ, 361, 2; 365, 1. Tristitia non dejicit justum, 75, 1. Fletus pœnitentiæ condimentum, 96, 2. Perfectio lacrymis impetranda, 96, 1. Deus est mœrentium consolator, 137, 2; 583, 2. Consolatio sequitur luctum, 648, 2; 672, 1.

Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, etc. — Zelus quid, 124, 1 et 2; 441, 2; 547, 2. Justi tabescunt zelo Dei, 607, 1. Desideria pia sunt signum gratiæ, 485, 2.

Beati misericordes. — Misericordiæ cur viscera tribuantur, 167, 1. Eleemosyna est sacrificii genus, 621, 1. Misericordia est virtus divina, 167, 1 et 2; 208, 2. Misericordiæ opera merentur benedictionem, 570, 2; 637, 1. Divites obligantur ad eleemosynas, 466, 2. Commiseratio post calamitatem opportuna, 791, 2. Immisericordes pereunt in judicio, 169, 1; 188, 2; 498, 2.

Beati mundo corde. — Puritas accessum habet ad Deum, 17, 187, 2 : cordis Deum videt, 273, 2. Cor symbolum vitæ deiformis, 279, 2; 367, 1 : est hominis principale, 566, 1. Oculus simplex quis, 7, 1. Casti sunt portio Dei, 606, 1. Aspectus Dei est decor animi, 679, 1,

Beati pacifici. — Pax bonorum complementum, 148, 2 : triplex habenda, 477, 1 : Dei inconcussa, 664, 2. Pacis actiones quales, 477, 2: fundamentum est virtus, 14, 1.

Beati qui persecutionem patiuntur, etc. — Afflictiones pro Christo gloriosæ, 54, 1; 68, 2. Innocenter pauci volunt pati, 53, 1. Tentatio est cos virtutis, 39, 2; 57, 2; 69, 2. Patientia virtus præstantissima, 39, 2 : delectat Deum, 237, 2. Gratiæ agendæ in adversis, 69, 1; 142, 2. Sancti multipliciter probantur, 158, 1 et 2 : cinguntur ærumnis, 359, 2.

Beati estis cum maledixerint, etc. — Vexatio utilis, 487, 2. Justi ludibrio habentur ab impiis, 589, 1 et 2. Quies non est hujus vitæ, 86, 2; 130, 2; 132, 2. Perfectio in quo sita sit, 70, 2. Gloria Dei omnibus præhabenda, 92, 2. Lampas contempta lucet coram Deo, 280, 1.

FESTUM S. MARTINI EPISCOPI.

Nemo lucernam accendit, etc. *Luc.* xi, 33. — Lumen animæ quale, 499, 2. Lux symbolum virtutis, 15, 2; 83, 2; 173, 2 : justorum qualis, 386, 2 : mentis labor, 693, 2. Lex Dei in medio flammæ data, 353, 2 : in corde scribenda, 413, 1 Oculus simplex quis, 7, 1 et 2. Oculi sunt

http://www.obrascatolicas.com

Indices animæ, 339, 1 : bene custodiendi, 603, 1 et 2. Vitia sunt obscura, 295, 2 : virtutis specie fallunt, 71, 2. Peccati tenebræ densæ, 79, 2; 140, 1; 295, 1; 387, 1; 556, 2. Invidi palpant in meridie, 140, 1. Sæculares cæci in spiritalibus, 452, 1. Notitia sui necessaria, 150, 1; 310, 2; 328, 2. Nemo sibi sat sapiens, 378, 2. Doctores exemplo præeant, 413, 2; 643, 1. Sapientes mundi hallucinantur, 373, 2. Doceri ab imperito periculosum, 673, 2. Cogitationes sunt operum radices, 214, 1. Conscientiæ probæ fiducia, 249, 1; 533, 1. Virtus lætitiam parit, 216, 2 : admirationi est, 26, 2 : animum erigit, 481, 1. Christiani sunt orientales et lucidi, 13, 2. Famæ bonæ odor optimus, 277, 2; 395, 1. Sacerdotes a Deo honorati, 291, 2. Simplicitas Deo grata, 215, 1 et 2; 263, 1; 280, 1. Veritas vita charior, 309, 1. Via justi recta, 377, 2. Dies animæ virtutes, 350, 1. Prælati negligentes officio privandi, 617, 2. Lampas contempta lucet coram Deo, 280, 1; 281, 1. Misericordiæ cur viscera tribuantur, 167, 1 : promissum est cœlum, 200, 2; 637, 1. Liberales sunt divites Dei, 534, 2.

IN FESTO S. CATHARINÆ.

Quæ accipientes lampades suas, etc. *Matth.* xxv, 1. — Sanctitatis et lucis consensio est, 15, 2; 499, 2. Noctes quæ festivæ, 81, 1 : nox apta revelationibus, 110, 2. Castitas virtus regia, 291, 1. Voluptas esca vitiorum, 425, 1; 503, 2. 612, 2 : voluptati repugnare difficile, 17, 1 et 2. Vita lucernæ comparata, 453, 2 : periculo salutis exposita, 164, 2. Præsens tempus bene locandum, 184, 1. Vitæ incertitudo magna, 186, 1; 187, 2; 539, 1 : summa brevitas, 258, 2.

Dormitaverunt omnes, etc. — Corpus mentem aggravat, 117, 2. Somnus et evigilatio quid in Deo, 205, 2 : imago mortis, 85, 1; 325, 1 : divitum qualis, 540, 2. Nox symbolum calamitatis, 663, 2. Adventus Christi exspectandus, 416, 2. Vigilantia necessaria, 197, 2; 685, 1. Deus quærendus actione et contemplatione, 133, 2. Mors præ oculis habenda, 87, 2; 260, 2; 381, 1; 382, 2 : vitæ similis, 424, 1 : sanctorum felix, 234, 1 et 2; 276, 1 et 2; impiorum improvisa, 447, 1; 541, 2; 542, 2. Mortis regio confusa, 259, 2. Oculi impiorum aperiuntur in morte. 454, 2. Mortui e sepulcris vocandi, 327, 1.

Et quæ paratæ erant, etc. — Cor pertinet ad intellectum, 279, 2. Justi lucebunt in judicio, 280, 1 : servantur a Deo, 119, 1; 199, 1. Laborum finis gloriosus, 131, 1 et 2; 274, 1. Secura mens juge convivium, 480, 2. Lux symbolum virtutis, 83, 2. Opportunitas captanda, 114, 2. Judicii divini severitas, 232, 1; 240, 2; 320, 2; 617, 1 et 2. Reprobatio peccatum sequitur, 287, 2. Conscientia mala est tortor sui, 343, 1 et 2; 353, 1; 370, 1; 389, 2; 486, 1. Damnatorum pœnæ perpetuæ, 432, 2. Inferni locus qualis, 438, 1; 504, 2. Peccator sero sapit, 454, 2. Excusationes non valent apud Deum, 463, 1. Negligentes temere sperant, 596, 1. Judicii dies ordinabit omnia, 456, 2; 475, 1. Judicium Dei irrefragabile, 617, 1; 661, 2.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Perambulabat Jericho, etc. *Luc.* xix, 1. — Jesus mediator noster, 243, 1 : quomodo quærendus, 133, 2 : est caput Ecclesiæ, 768, 2 : desiderium proborum, 592, 2 : peregrinus in terra, 332, 2; 457, 2. Divitiæ fomenta nequitiæ, 281, 2; 346, 1; 347, 2 : densum lutum, 428, 1 : non habentur sine amaritudine, 361, 2 : nil prosunt avaro, 438, 1 : sunt steriles virtutum, 351, 2 : transitoriæ, 622, 2 : irritant cupiditatem, 622, 1 : non satiant hominem, 10, 2. Dives iniquus aut iniqui hæres, 348, 2. Onus peccati grave, 201, 1. Vitia obscura, 216, 1; 295, 2 : sunt dæmonis retia, 387, 2. Stulti terrenis inhiant, 82, 2; 452, 1.

Zachæe, festinans descende, etc. — Vocanti Deo parendum, 327, 1. Locutio Dei qualis, 263, 2. Aures audiendi necessariæ, 109, 1. Opportunitas non negligenda, 114, 2. Sermones Dei corde excipiendi, 478, 1. Desideria pia sunt animæ vita, 592, 2. Affectus sunt animi pedes, 313, 2; 490, 1. Vestigia Dei sequenda, 489, 1. Convivia quæ bona, 14, 2 : quomodo frequentanda, 15, 1.

Et cum viderent omnes, murmurabant, etc. — Pharisaicum vitium quale, 203, 1. Judicium temerarium cavendum, 788, 1. Malignitatis ingenium quale,, 28, 2; 56, 2. Invidi palpant in meridie, 140, 1 et 2. Susurrones pestilentes, 176, 1; 406, 2; 411, 2.

Ecce dimidium bonorum, etc. — Abnegatio sui necessaria, 377, 2. Temporalia saluti impendenda, 55, 2. Pœnitentia non differenda, 307, 2; 360, 1; delet peccata, 273, 2; 330, 2. Ratio omnium reddenda, 320, 1; 329, 2. Liberales sunt divites Dei, 534, 2. Simplicitas Deo placet, 5, 2; 6, 1; 215, 1 et 2. Virtus lætitiam parit, 216, 1; 481, 1. Vota reddenda Deo, 481, 2. Hæreditas nostra in cœlo, 357, 2. Laus Dei perfecta, 26, 2; 27, 1.

http://www.obrascatolicas.com